COMMENTARIA IN EVANGELIVM DIVI LVCAE.

¶ AVTORE MAGISTRO F. GASPARO à Melo Augustiniano Rectore Collegij D. Gabrielis, atq; in Vniuersitate Vallisoletana diuinarum scripturarũ Cathredatico primario.

OMNIA IVDICIO ET CORRECTIONI SANctæ Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ subijciuntur.

Anno  1597.

VALLISOLETI.

Excudebat apud hæredes Bernardini Sancti dominici Typographi Regij.

Esta taßado cada pliego deste libro en papel à .maravedis

CVM PRIVILEGIO.

Approbatio fratris Gabrielis de Montoya viri doctissimi ac Diffinitoris Ordinis S. Patris nostri Augustini.

PER legi commentaria ista in sacrosanctũ Euãgelium D. Lucæ mandante patre nostro Prouinciali fratre Antonio Monte: & in eis non solum nõ inueni aliquid quod sanæ ac orthodoxæ fidei aduersum sit, sed quod plurimũ possit iuuare sacræ scripturæ studiosos, et illos qui ad populum conciones habẽt. Sunt enim plena admirabili eruditione & Christiana pietate.

F. Gabriel de Montoya.

EGO Frater Antonius Monte Prior Prouincialis Ordinis S. Patris nostri Augustini, do facultatem vt hæc cõmentaria in D. Lucam Magistri F. Gasparis a Melo fratris nostri Ordinis habita regia facultate mandentur typis, quod sint doctissima, piissima, et vtilissima. Datum in nostro Collegio D. Gabrielis, die vltima mensis Iulij, anno Domini. 1588.

F. Antonius Monte
Prouincialis.

LEgi hæc commentaria in D. Lucam Magistri F. Gasparis à Melo, regij senatus iussu et inuenta sunt digna tãto authore. Sunt enim pijssima et eruditissima speroq; si typis mandentur vtilissima fore. Datũ Madriti in nostro conuentu Ordinis Minimorũ, vltima die mẽsis Ianuarij, anno Dñi. 1594.

F. Franciscus Rodriguez,
Corrector.

EL REY.

POR quanto por parte de vos el Maestro fray Gaspar de Melo Rector del Colegio de S. Gabriel dela villa de Valladolid, dela orden de S. Augustin, nos fue fecha relacion, q̃ auiades escripto tres tomos sobre todos los capi. del Euangelio de S Lucas doctrina de mucha erudicion y prouecho: y nos pedistes y suplicastes le mandassemos ver, y daros licencia para lo imprimir, y priuilegio por veynte años, o como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los del nr̃o consejo, y como por su mandado se hizieron las diligencias q̃ la pragmatica por nos vltimamente fecha sobre la impressiõ de los libros dispone: fue acordado, q̃ deuiamos mãdar dar esta nr̃a cedula para vos enla dicha razon, y nos tuuimos lo por bien: é por la presente por os hazer biẽ y merced, os damos licencia y facultad, para q̃ por tiẽpo de diez años primeros siguientes, q̃ corran y se cuenten desde el dia dela fecha della, vos ò la persona q̃ vr̃o poder vuiere, y no otra alguna, podays imprimir los dichos tres tomos, q̃ de suso se haze mencion por el original, q̃ enel nr̃o consejo se vio, q̃ va rubricado, y firmado al fin del, de Christoual de Leõ nr̃o escriuano de camara delos q̃ residen enel nr̃o cõsejo: cõ q̃ antes q̃ se venda, le traygays ante ellos jũtamẽte cõ el original, para q̃ se vea si la dicha impressiõ esta cõforme a el: ò traygays fee en publica forma, en como por corrector nõbrado por nr̃o mãdado se vio y corregio la dicha impressiõ por el original. Y mandamos al impressor q̃ imprimiere los dichos tres tomos, no imprima el principio é primer pliego, ni entregue mas de solos tres tomos cõel original al autor y persona a cuya costa se imprimiere, para effecto dela dicha correctiõ, hasta q̃ antes y primero este corregido y tassado por los del nr̃o cõsejo: y estando ansi, y no de otra manera, pueda imprimir el dicho principio y primer pliego, enel qual sussequidamẽte ponga esta nr̃a licẽcia y priuilegio, y la approuaciõ y tassa, sopena de caer è incurrir enlas penas cõtenidas en la dicha pragmatica y leyes de nr̃os reynos. Y mãdamos, q̃ durãte el dicho tiempo persona alguna sin vr̃a licẽcia, no lo pueda imprimir ni vẽder, sopena q̃ el q̃ los imprimiere, aya perdido y pierda, todos y qualesquier tomos moldes y aparejos q̃ dellos tuuiere: y mas incurra en pena de cinquẽta mil marauedis por cada vez q̃ lo cõtrario hiziere. La qual dicha pena sea la tercia parte para la nr̃a camara, y la otra tercia parte para el juez q̃ lo sentẽciare, y la otra tercia parte para la persona q̃ lo acusare. Y mãdamos a los del nr̃o cõsejo Presidẽte y Oydores de las nr̃as audiẽcias, Alcaldes y Alguaziles dela nr̃a casa y corte y Chãcillerias, y a todos los Corregidores, Asistẽte, Governadores, Alcaldes mayores y ordinarios, y otros juezes y justicias qualesquier de todas las ciudades villas y lugares de los nr̃os reynos y señorios, assi a los q̃ agora son, como a los q̃ serã de aqui adelãte, q̃ vos guardẽ y cũplã esta nr̃a cedula y merced q̃ assi os hazemos, y cõtra el tenor y forma della, y delo en ella cõtenido, no vays, ni passeys, ni cõsitays yr ni passar en manera alguna sopena dela nr̃a merced, y de diez mil marauedis para la nr̃a camara. Fecha en Madrid, a diez y siete dias del mes de Março de mil y quiniẽtos y nouenta y quatro años

YO EL REY.

Por mandado del Rey nuestro señor.

Don Luys de Salazar.

SERENISSIMO DOMINO nostro Philippo totius Hispaniæ

atq; aliorum innumerorum Regnorum Regi. Frater Gasparus à Melo salutem & perpetuam fœlicitatem.

QVI dedicari inscribiq; oportere lucubrationes suas putãt, Cæsar illustrissime, magni aliquẽ nominis virũ deligere solent, cuius prodeant auspicio in publicũ: neq; (vt mea fert opinio) iniuria: quod bonæ literæ ac disciplinæ his maximè tẽporibus nõ leui præsidio indigeant principũ ac illustriũ hominum. Idcirco Rex serenissime cõmentaria nr̃a in sacrosanctũ Euangeliũ D. Lucæ tibi, tanquam omniũ Christianorũ maximo ac summo Principi dedicare nõ dubitaui: tum vt sub tanti Principis vmbra protectus, ab hominũ calumnijs & inuidia liberari possim: Tum etiam, vt videas quantum studeã in publicũ cõsulere, eorumq; maximè iuuare studia qui sacrarũ literarũ amore tenentur. Iam video passim excellẽtes ingenio viros, ceu magnos & opulentos Reges Salomoni nostro Christo in tẽpli sui structurã mittere marmora, Ebur, aurũ, & gemmas. Nos tenues reguli seu potius homunculi, qualescunq; materias, aut certè caprarũ pelles, ne nihil conferremus, mittere studemus. Vile quidẽ munusculũ, quod ad nostram attinet operã, sed vnde (nisi me fallit animus) Christi tẽplo, si non multũ splendoris, certè non parũ vtilitatis sit accessurũ, præsertim si tui præsidio roboretur. De cuius vnius nutu ac renutu summa rerũ humanarũ pendet vniuersa. Quanquam vt ingenuè dicam, quicquid hoc est operis videri poterat humilius, quàm vt ei dicandũ esset, quo nihil maius habet hic orbis, nisi vt conueniret vt quicquid ad religionẽ defendẽdã pertinet, nõ alteri cõsecretur, quàm summo religionis protectori, & eidẽ assertori, ac defensori. Tu enim es rectæ iustitiæ, dulcisq; pacis conseruator. Ad te tanquã ad singulare præsidiũ confugiunt afflicti, te omnes intuentur & prudentiã atq; virtutẽ tuam admirantur. Tu es vnus in quo nititur omniũ Christianorũ salus. Quid plura? Tu es verè Princeps & Rex Christianus. Hæc est vera gloria, & illustris nominis claritas & amplitudo, quæ vigebit memoria omniũ seculorũ. Quare non metus est, ne munus hoc nostrũ qualecunq;, sis aspernaturus, qui donaria non precijs, sed animis solitus sis æstimare. imitans illũ, qui duo minutula pauperculæ viduæ, splendidis & opimis diuitũ donarijs prætulerit. Nec verò clam me est, quã multi sint futuri rerũ iniqui æstimatores, qui librũ hunc nostrum tãquam superfluũ, parũ probaturi sunt, quibus ego libenter parco, si alijs cõtenti melioribus, ab his meis abstineant. Rogo tamen ne maleuole in famam autoris coniurent. Quod minime facient, si interim memores sint, quotidie videri inter auro gemmisq; radiantia regũ donaria, pratensibus flosculis, aut hortensibus herbulis concinnatas corellas suspendi diuis, quas re tenuis, pietate diues affert plebecula. Sed his hominibus dimissis te precor Rex Christianissime vt hoc exiguũ munus, quod tibi dicare constitui, vt meam erga te incredibilem pietatem ostenderem, pro tua singulari humanitate velis suscipere. Vale.

Ad Lectorem.

ACCIPE candide Lector commētaria nostra in sacrosanctum Euāgelium D. Lucæ. Lege obsecro, & perlege: nam forsitan experimento disces, an labor hic meus, tibi, cæterisq; omnibus tam Theologis quam cōcionatoribus vtilis sit futurus. Quis enim tam cæcus & ignarus inuenietur, qui non videat à quantis laboribus liber iste noster illum liberet? in singulis enim concionibus multi sunt tibi euoluendi libri, vt vnam aut alteram rem insignem inuenias: quibus veluti gemmis ac lapidibus preciosis concionem illustres. At in hoc opere omnia parata reperies, opulenta ni fallor mēsa tibi exposita est. Deuorauimus nos hoc legendi tædium, nec dubito quin castissima quaquè, ex his quæ à sanctis patribus, à doctoribus antiquis, atq; modernis autoribus scripta sunt in hos commētarios ego transfunderim. Est igitur liber hic plurium laborum loco: si nō omnibus studiosis, certè pauperibus, iter facturis & occupatis, quibus aut non vacat, aut non licet plures libros vel habere vel legere. Sicubi vero lapsus sum (quæ humana inscitia est) errati veniā supplex precor: et me, ac mea Romanæ Ecclesiæ, ac doctis iudiciis libentissime submitto. Deum igitur opt. max. precor, vt sicut opus hoc maximo labore, incredibili diligentia, summa animi intētione absolutum est: ita et Christi gloriæ seruiat: & magnam tibi ò Lector candide vtilitatem afferat. Amen.

Euan

Licentiatus D. Antonius de la Cueua ad Authorem.

Mel dulce ò perfectum includit nomine Melo
& meli loquium est vtile dulce simul.
Dulce est perfectum si iungitur vtile dulci
fert igitur factis nomina digna suis.
Numinis æterni renouas miracula Melus
Supremo ingenio facta supremagerens,
Vt quondam tulit ore leo fragrantia mella
nunc vitulus dulcem gestat in ore fauum.

Euangelium ſecundum Lucam liber Bi-
blia. 48. noui teſtamenti primus, et primæ eius partis tertius.

¶ *De Sacerdotio Christi.*

Argumentum.

LVCAS circa ſacerdotalem Domini ſtirpem atque perſonam magis occupatus videtur: vnde per vitulum ſignificatus eſt, propter maximam victimam ſacerdotij. Auguſtinus de conſenſu Euangeliſtarum, & Ambro. hic.

De huius Euangelij authore.

QVOD Marco contigiſſe dicitur, vt euangelium eius quidam ſuo aſcriberent Magiſtro D. nimirum Petro, id noſtro etiam accidit Lucæ. Cum enim & is quę a Paulo audiuerat, in hoc quod (iam maiorum noſtrorum traditione, ad nos vſque peruenit) redigiſſet euangelium, non defuerunt qui id ipſi Paulo, ex cuius ore, vt in Eccleſiaſtica hiſtoria teſtatur Euſebius, fuit exceptum, rectius attribuendum eſſe putarent, quàm Lucę: ac ob id Pauli verba, quoties cunque in epiſtolis ſuis dicit, iuxta euangelium meum, &c. De Lucæ euangelio intelligenda eſſe crederent. Sed certum eſt, D Lucam non ea ſolum ſcripſiſſe, quæ à Paulo tantum, ſed etiam à cæteris perceperat Apoſtolis, quod ipſe quoque in principio huius voluminis ſui teſtatur, dicens: ſicut tradiderunt nobis qui à principio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis. Vnde cõmunis iamdiu & a principio vſq; naſcentis Eccleſiæ, cõſtans vbiq; retinuit vſus, vt hoc, cuius partitionem p ræmanibus habemus, non Pauli, ſed Lucę dicamus euangeliũ, non ex D. Pauli tantũ ſacris concionibus exceptũ, ſed aliorũ quoq; Apoſtolorũ doctrina collectũ. Quin ipſe etiã Paul. in epiſto. quã ſcripſit ad Corin. 2. c. 8. Lucę hoc euangeliũ aſcribere videtur, cũ ait: miſimus eũ illo fratre cuius laus eſt in euangelio per omnes Eccleſias. Ita enim hęc verba intelligunt ſancti patres hoc loco ferè omnes. Et Hiero. in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum.

Lucas iſte quis eſt, & qualis fuerit.

LVCAS medicus Antiochenſis, vt eius ſcripta indicant, Græci ſermonis non ignarus fuit, ſectator Apoſtoli Pauli, & omnis peregrinationis eius comes: de quo idem Paulus ad Coloſſenſes: ſalutat vos Lucas medicus chariſſimus. Et ad Timothæũ: Lucas eſt mecũ ſolus. Euangeliũ ſicut audierat ſcripſit: acta vero Apoſtolorũ, ſicut viderat cõpoſuit. Hiero. in Catalogo, vir ſummæ induſtriæ, diſcendi ſtudioſus, laboris patiẽtiſſimus, qui à Paulo auelli non potuit. Chryſo. hom. 10. in poſter. epiſt. ad Timothæũ. Hũc eundẽ Euãgeliſtam tradunt veteres Eccleſiæ tractatores medicinæ artis fuiſſe ſcientiſſimũ, & magis Græcas literas ſciſſe, quàm Hebræas. Vnde & ſermo eius tam in Euãgelio quã in actis Apoſtolorũ comptior eſt, & ſecularẽ redolet eloquentiã, magiſque teſtimonijs Græcis vtitur, quàm Hebræis. Matthæus autẽ & Ioãnes quorũ alter Hebræo, alter Græco ſermone euangelia texuerunt, teſtimonia de Hebraico poſuerunt. Hiero. in c. 6. Eſai. Sicut autẽ Apoſtoli de piſcatoribus piſciũ, piſcatores hominũ facti ſunt: ita Lucas de medico corporũ, in medicũ verſus eſt animarũ: cuius liber quotieſcunq; legitur in Eccleſijs, toties eius medicina non ceſſat. Idẽ Hiero. in epiſt. ad Philimonẽ. Fertur is quoq; primus, Chriſti & eius matris atq; hẽ principũ Apoſtolorũ effigiem pingendi arte adũbraſſe. Vnde in omnẽ deinde habitabilẽ orbẽ tã venerãdũ & precioſum opus eſt illatũ. Nicephorus lib. 2. hiſto. Eccle. c. 43.

De morte eius.

VIXIT 84. annos, vxorem non habens. Sepultus eſt Conſtantinopoli, ad quam vrbem 20. Conſtantij anno oſſa eius cum reliquijs Andreæ Apoſtoli tranſlata ſunt de Achaya. Hiero. in Catalogo.

De ſcriptis abeo relictis ex Euſebio.

LVcas ergo genere quidem Antiochenus, arte medicus, hanc medicinã, quã ex Apoſtolorũ, vel ſocietate, vel traditione ſuſceperat, duos nobis medicinales libros (Euangeliũ

intelli-

intelligens, & acta Apostolorum reliquit, quibus nō corpora, sed animæ curantur. Euseb. in Ecclesiastica historia lib. 3.

Quo tempore Lucas suū scripserit de Christo Enāgeliū.

POst Christi ascensionē, annos .15. Lucā suū scripsisse Euangelium refert Theophil. in euāgelium Matthæi, & hic in principio. Et Augus. de concordia Euangelistarū, eo tempore Marcū & Lucā sua dicit scripsisse euangelia, quo non solum ab Ecclesia Christi, verū ab ipsis etiam adhuc in carne manentibus Apostolis probari meruerunt. Augustinus.

De eodem Ioannes Driedo.

VErū hic nō videtur prætereundū, Lucā scripsisse euāgeliū priusquā cū Paulo vinctus Romā duceretur: quod hinc possumus colligere quod in actuū Apostolorū proœmio Romæ edito, testetur se scripsisse euangeliū, & quod .2. ad Corin. in qua testatur laudem Lucæ in euangelio esse, iam scripta erat, priusquam Paulus & Lucas Romam venissent. Driedo. lib. de Eccle. script. c. 3. parte. 3.

Quomodo scripserit.

PRolixiorē hunc euangelij librū, quā cæteros esse nemo dubitauerit, & ideo nō ea quæ falsa sunt sed quæ vera sibi vendicat. Nō scripsit omnia, sed assecutus est omnia. Quia si scribantur quæ Christus: vt Ioā. c. 21. ait: fecit omnia neq; ipsum capere mūdū arbitror. Aduertis enim quod cōsultē etiā ea, quæ ab alijs sunt scripta præterijt, vt diuersa in euangelio gratia refulgeret, & proprijs quibusdā singuli libri mysteriorū gestorūq; miraculis eminerent. Ambro. in prœ. Lucæ. Sermo eius tā in euangelio quā in actibus Apostolorū, cōptior est & secularē redolet eloquentiā. Hiero. in. c. 6. Esai. Historico stylo hūc euāgelij librū digessit. Nā velut quendā historicū ordinē tenuit, & plura nobis gestorū dñi miracula reuelauit: ita tamen vt omnes sapientiæ virtutes euangelij istius cōplecteretur historia: docet naturalia, docet moralia, docet etiā rationabilia. Ambr. in præfat. cōmē. in Lucā.

Ad quem scripsit.

AD Theophilū scripsit, hoc est, ad eū quē Deus diligit. Si Deū diligis, ad te scriptum est, si ad te scriptū est, suscipe munus Euangelistæ: pignus amici in penetralibus animi diligenter asserua. Bonū depositū custodit: per Spiritū sanctū qui datus est nobis, frequentius inspice, sæpius discute. Fides pignori debetur, fidē sequitur diligentia. Ne cōmissa tibi pignora aut tinea consumat, aut ærugo. Idem Ambro. in dicta præfatio. Vbi tineam interpretatur hæreticum, & æruginem malis eius animi esse cupiditates.

Cuius impulsu editum est hoc Euangelium.

CVm essent iam scripta euangelia, per Matthæū quidē in Iudæa, per Marcū autē in Italia, Lucas sancto instigante spiritu, in Achaiæ partibus hoc scripsit Euangeliū significans etiā ipse in principio, ante suū alia esse descripta. Cui extra ea, quæ ordo euāgelicæ dispositionis exposcit, ea maximé necessitas laboris fuit, vt primū Græcis fidelibus omni prophetatione venturi in carnē Dei Christi manifesta esset humanitas, ne Iudaicis fabulis attenti, in solo legis desiderio tenerentur, vel ne hæreticis fabulis & stultis solicitationibus seducti, exciderent à veritate, elaboraret. Prologo in Lucam.

In quem finem facta sit hæc scriptio.

CAusam scriptionis suæ finalem Lucas in prologo huius Euāgelij ponit ipse: vt habeas, inquit, eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem: idest, vt sæpe cōmonitus, certus sis, ac incertitudine permaneas. Chryso. Motth. 1. home. 1.

Quæ huius Euangelij sit summa & intentio.

CViuscunque hominis actiones alijs ex sua virtute adferant salutem, is rectē dicitur Saluator: sed Christi actiones omnes ad totius mundi salutem institutæ sunt. Christus ergo rectissime verus dicitur totius mundi Saluator. Petrus Aurelius.

IN SACROSANCTVM LVCAE EVANGELIVM, EX VEterum et iuniorum scriptis magna ex parte collecta: vtilissima quidem tàm theologis quàm concionatoribus.

Euangelium secundum Lucam. Caput I.

¶ Concipit & parit Elizabeth visitaturq́; à Virgine Maria inpragnata.

QVONIAM quidem multi conati sunt ordinare narrationes, quæ in nobis completæ sunt rerum: sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderũt: & ministri fuerunt sermonis, visum est, et mihi assequuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi scribere optimè Theophile, vt cognoscas eorum de quibus eruditus es veritatem.

In vigilia S. Ioannis Baptistę. 1. Para. 24 b

¶ Fuit in diebus Herodis Regis Iudeæ, sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia, et vxor illius de filiabus Aaron: et nomẽ eius Elizabeth. Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Dñi sine querela, et nõ erat illis filius: eo quod esset Elisabeth sterilis, et ambo processissent in diebus suis. Factum est autem: cũ sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deũ, secundum consuetudinẽ sacerdotij sorte exijt: vt incensum poneret ingressus in tẽplum Dñi. Et omnis multitudo populi erat orans foris

Leui. 16. a Exo. 30. a

hora incensi, apparuit autē illi Angelus Domini stans à dextris altaris incensi. Et Zacharias turbatus est, videns: & timor irruit super eum. Ait autem ad illū Angelus: ne timeas Zacharia, quoniā exaudita est deprecatio tua, et uxor tua Elizabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen eius Ioānē: & erit gaudiū tibi & exultatio, et multi in natiuitate eius gaudebunt: erit enim magnus coram Dño: & vinum, et siceram nō bibet: & Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ. Et multos filiorum Israel cōuertet ad dominum Deum ipsorum & ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Heliæ: vt conuertat corda patrū in filios, & incredulos ad prudentiam iustorū, parare domino plebem perfectā. Et dixit Zacharias ad Angelum: vnde hoc sciam? ego enim sum senex, et vxor mea processit in diebus suis. Et respondens Angelus dixit ei. Ego sum Gabriel, qui asto ante Deū: & missus sū loqui ad te, et hæc tibi euangelizare, et ecce eris tacens, et non poteris loqui vsq; in diem quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tēpore suo. & erat plebs expectans Zachariam: et mirabantur, quod tardaret ipse in templo. Egressus autē nō poterat loqui ad illos: et cognouerunt quod visionem vidisset in templo. et ipse erat innuens illis; et permansit mutus & factum est vt impleti sunt dies officij eius, abijt in domum suam. Post hos autem dies concepit Elizabeth vxor eius: et occultabat se mensibus quinq; dicens: quia sic fecit mihi Dominus in diebus quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.

Malac. 4. b
Mat. 11. b

Caput I.

ET *ministri fuerunt sermonis*, vel sermonis Christi, vel ministri fuerūt rei iuxta hebraismu. Verbū enim & sermo rē significāt Gene. 19. vbi Hebre. habet: non potero facere verbum: septuaginta vertunt non potero facere rem: & nostra editio. Nō pote-

Gen. 19

ro

Verbũ & sermo, pro re in sacra scriptura. 3. Reg. 15. 2. Reg. 1. 3. Reg. 3.

to facere quicquã, & illud: excepto sermone Vriæ Ethæi. i. excepta re siue facinore in Vriã perpetrato. & illud 2. Reg. 1. quod est verbum, quod factũ est? & 3. Reg. c. 3. ait dominus Salomonis: quia postulasti verbum hoc. i. quia postulasti rem hanc.

Cathecumini qui dicantur.

¶ *Vt cognoscas eorum verborũ de quibus eruditus es veritatem.* i. vt cognoscas quam certi sunt hi sermones, quos viua voce cum Cathecuminus esses, edoctus es: nota. vbi nos legimus: *De quibus eruditus es*, Græcè dicitur, περὶ ὧν κατηχήθης, olim qui baptismatis essent candidati, tradebantur fidei christianæ mysteria: sed viua voce, sine scripto, quẽadmodũ priscis illis theologis mos erat Egyptijs, & apud Gallos Druyadibus, hoc est, popullis apud illos philosophãtibus, id erat initiari mysterijs, quod Paulus, & in hoc loco D. Lucas, vocant κατηχεῖν, ἠχεῖν, enim est, voce sonare. Inde κατηχεῖν, voce erudire: quę scripto nolis cõmittere. Vnde qui docebantur ad eũ modum, Cathecumini vocabãtur. Qui docebant Catechiste: quos Dionysius susceptores vocat, vulgo compatres dicuntur.

Eras. in an no.

In diebus illius quid sit in sacra scriptura. Esa. 7.

¶ *Fuit in diebus Herodis Regis Iudeæ.* i. regnante Herode in Iudæa. *in diebus illius*: idẽ est in sacra scriptura, quod regnante illo. Esa. 7. & factum est in diebus Achaz, nihil aliud est quam regnante Achazo.

¶ *Zacharias de vice Abiæ.* i. qui fungebatur sacerdotio, in ordine familiæ posterorum Abiæ. hoc est, in hebdomada Abiæ. Gręca enim vox, ἐξ ἐφημερίας, euidentior est, quam vox (de vice) indicans certos dies esse pręscriptos, in quibus certi sacerdotum ordines, ad ministrarent. Abias autem. 1. Paral. 24. annumeratur inter filios Aaron. Vnde fit vt Zacharias originem duxerit ab Aaron.

1. Paral. 24

Filius & filia pro illis qui ducunt originẽ ab alio. Psal. 74.

¶ *Vxor illius de filiabus Aaron.* i. de neptibus Aaron. Filius & filia accipiuntur in sacra scriptura pro ijs qui originẽ ducunt ab aliquo. Sic Christus dicitur filius Dauid. Liber generationis Iesu Christi filij Dauid. Psal. 74. exultent filiæ Iudę. i. descendentes à Iuda.

Eccle 7. a Iustus ante Deum quis dicat

¶ *Erant ambo iusti ante Deum.* i. teste Deo qui omnia nouit, ad hunc modum ait sapiens eccles. 7. non te iustifices ante Deum, quoniam agnitor cordis ipse est. i. ne te corã domino, & teste illo pro iusto vendites (quod solent facere hypocritæ) quoniam ipse per nouit cor vnius cuiusque.

Incedere in mandatis Dei quid sit. 3. Reg. 8.

¶ *Incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus domini.* Hebraismus est. i. vitam agentes iuxta omnia mandata, & iura domini: sic 3. Reg. 8. ait Salo. sit quoq; cor nostrum perfectum coram domino Deo nostro, vt ambulemus in decretis eius: explicans quid sit ambulare, siue incidere in decretis Dei addit, & custodiamus mandata eius, sicut & hodie. Sic etiam Iob cap. 8. ait: si mũdus & rectus in cęsseris, statim euigilabit ad te, & paccatum reddet habitaculum iustitiæ tuæ. Mundum & rectum incedere, idem est, quod purum & probũ esse, vitamq; agere iuxta legem Dei.

Iob 8. a

¶ *In iustificationibus.* i. in ceremonijs. Legalia pręcepta iustificationes vocat: vt pote iustificatione plenas, & quæ fideles & iustos incedentes in ipsis iustificarent, Euthimius.

Euthimius

Eras.

¶ *Sine querela.* Græcis vna vox est, ἄμεμπτοι. quæ sonat, quasi dicas, eiusmodi vt his nemo queri possit. Dicere poterat, inculpati: irreprehensibiles. ¶ *Erãt autem iusti ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Dei sine querela.* hoc de Zacharia & Elizabeth dicitur in hoc loco. Zacharias memoria dñi, Elizabeth Dei mei saturitas interpretatur. Merito tales iusti referuntur, quos diuinarum rerum memoria à malis cogitationibus, & dulcedinis supernæ satietas ab omni prauą delectatione reddebat immunes. Zacharias apparitionis angelicæ honoratur conspectu, Elisabet dominici aduentus in virginem cognitione dignius sublimatur in merito. Sanctis enim cogitationibus ipsi Deo so[...]iamur. Angelorum custodia

ftodia à malis munimur. Diuinæ dulcedinis delectatione in bonis perficimur. Zachariam in templo de diuinis promissionibus angelus instruit, Elizabeth beata Maria Deum in vtero gestans visitat in montanis: quia diuinus sermo mentē diuinis intentam, & ab exterioribus vacātem tumultibus, & de cœlestibus erudit: & diuina gratia eandem in sublimi cœlestium delectatione locatā familiarius visitat, & sanat vberius.

¶*Eo quod esset Elizabeth sterilis.* Sæpenumero iustorum vxores etiā iustæ, liberis caruerunt: vt hinc discas legem non exigere carnalem propagationem, sed spiritualem. (Euthimius)

¶*Et ambo processissent in diebus suis.* Hebraismus est: & infra. pro: & ambo prouectæ ætatis essent.

¶*Cum sacerdotio fungeretur ante Deū.* Vel corā Deo. i. in sancto. Simili phrasi vtitur Dauid cum in Psal. 41. ait. Quando veniam & apparebo ante faciē Dei. i. quando veniā in tēplo sancto Dei vbi præsens est, & vbi colitur, & adoratur. (Psal. 41.)

¶*Secundū consuetudinem sacerdotij.* Hoc est, iuxta consuetudinem functionis sacerdotalis.

¶*Sorte exijt: vt incensum poneret & ingressus in templum domini.* i. in sanctum. *Omnis multitudo erat orans foris.* i. in atrio templi. Promiscuę multitudini, nō erat permissum in lege, ingredi sanctum sanctorum: idest, interiorem aulam sanctuarij, sed solis sacerdotibus: quæ aula oraculi secreti recessus erat, templi luci inaccessibilis, quo seruabatur arca fœderis, liber legis, in quo erat propitiatoriū, expandentibus alas suas duobus Cherubin mutuo se alis tangentibus. Hic locus appellatur à Luca templum Dei, in quod ingressus est Zacharias vt thymiama incenderet. Thymiama verò, bis singulis diebus adolebant super altare incensi, sacerdotes qui erant filij Aarō. Semel verò in anno in die expiationis ponebatur incēsum, siue thymiama à summo sacerdote, in sancto sanctorū in thuribulo. Iam verò quātum ex Lucæ nar-

(Sanctū sanctorū quid sit.)
(Sanctū sanctorum appellatur hic tēplū Dei.)
(Duplex vsus incēsi, siue thymiamatis.)

A ratione apparet, consuetudine introductum fuit, vt quilibet sacerdotum originem trahentium ab Aaron, posset fungi officio summi sacerdotis in die expiationis. Secundum consuetudinem (inquit Lucas) sacerdotij, sorte euenit, vt Zacharias incensum poneret. Vnde animaduerte, quod vsus thymiamatis in die expiationis vocatur in lege ponere incensum, siue thymiama. Assumpto (inquit) thuribulo, quod de prunis altaris impleuerit, & hauriens manu compositū thymiama in incēsum, vltra velum intrabit in sancta: vt positis super ignem aromatibus, nebula eorum operiat oraculum, & non moriatur. Cum ergo Zacharias ingressus sit templum domini, vt incēsum siue thymiama poneret: inde colligitur Zachariam functum fuisse officio summi sacerdotis, & de vsu thymiamatis in die expiationis loqui in hoc loco Euangelistam quanuis demus illum non fuisse summum sacerdotem, sed vnum ex viginti quatuor sacerdotibus, quotidianus enim vsus incensi, non ponere incēsum, sed adolere incensum super altare vocatur: Exod. 30. ponens, inquit, altare contra velum, quod ante arca pendet testimonij, &c. & adolebit incēsum super eo. Aaron, suaue fragrās mane, quando componet lucernas incendet illud: & quando collocabit eas ad vesperū, vret thymiama sempiternū corā domino, in generationes vestras. Sed quicquid de hoc sit non plurimum ad rem facit.

(Ponere thimiama quid sit. Leui. 16.)
(Vide 1. Paral. 24.)
(Exod. 30.)
(Adolere incensum quid sit.)
(Vide Caiet. Bed. & Amb. qui putāt fuisse summū sacerdotē.)

¶*Apparuit ei Angelus Domini, stans à dextris altaris.* A dextera Angelus stetit, vt qui prospera & bona annuntiaturus erat. Considera obsecro in hoc loco quam similis sit hæc annunciatio Zachariæ, Virginis Deiparę annunciationi. In illa secunda, missus est Angelus Gabriel à Deo: in hac etiam apparuit idem Angelus Zachariæ, missus similiter à Deo, in illa, turbata est Virgo: in ista turbatus est Zacharias: & timor irruit super eum; in illa, ait Angelus: ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud Deum: in ista, ait idem Angelus: ne timeas Zacharia quo-

(Annunciatio hæc similis est annunciationi factæ Mariæ.)

niam exaudita est oratio tua: in illa pa- ries (inquit) filium: in ista, Elizabeth vxor tua pariet tibi filium: ibi, vocabis nomen eius Iesum: hic, vocabis nomen eius Ioannem: in ibi: hic erit magnus: hic, erit enim magnus coram Domino. Denique de Virgine Christus concipitur, Ioannes & si non de virgine, tamen de matre sterili prouectæque ætatis. Vt vel ex hoc colligas quanta sanctitate, quanta gratia, & religione fuerit. D. Ioãnes præditus, nunc igitur ad huius tam admirabilis annunciationis explicationem accedamus.

¶ *Et Zacharias turbatus est, & irruit timor super eum.* Suspicatus, scilicet, se protinus moriturus: cum Dominum, idest, Angelum vidisset. Sic Esai. c. 6. timore correctus ait: væ mihi quia regem Dominum exercituum vidi oculis meis. Attingit ibi vulgarem illã opinionem quæ erat, quod quicumque dominum, idest, Angelum Domini vidisset, breui moreretur cui opinioni initiũ dedit illud: non videbit me homo & viuet. Exod. 33. ad eum modum Zacharias suspicatus est se breui moriturũ: & ideo turbatur, & maximo timore corripitur: ob eandem etiam causam Gedeon ait: heu mihi domine Deus quia vidi Angelum Domini facie ad faciem. Dixitquè illi dominus ne timeas, nõ morieris. Sic etiam pater Sansonis intellexit quando ei Angelus apparuit: ideo dixit vxori suę morte moriemur, quia vidimus Dominum.

Euth. | Esai. 6. | Turbatur Zachar. timore mortis. | Exod. 33. | Leuit. 16. | Iud. 6.

¶ *Ne timeas Zacharia, quoniã exaudita est deprecatio tua: & vxor tua pariet tibi filium.* Et, *pro, nam.* Nam vxor tua pariet tibi filium. Sic Esai. 64. tu iratus es, & nos peccauimus, idest, quia nos peccauimus. De hac acceptione huius copulæ infra dicemus explicãdo locum illum. Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus. idest, quia in terra pax hominibus. Orabat ergo Zachari. pro aduentu Messiæ, vt Simeon, & exauditus est, in cuius signum datur illi filius, qui præcursor eius esset: vnde post pau-

Orabat pro aduentu Messiæ & exauditus est.

A cã subiungit Angelus, & ipse præcedet ante illum, hoc est, præcedet Messiã pro cuius aduentu deprecatus es.

¶ *Erit enim magnus.* Hebra. pro maximo: & expectatissimo. Sic 4. Reg. 5. Naaman erat vir magnus apud Dominum suum, idest, erat maximus, & expectatissimus, atquè clarissimus in conspectu domini sui. Malachi. 1. Rex magnus ego sum, idest, Rex maximus: positiua pro superlatiuis apud Hebræ. ponuntur.

Magnus pro maximo in sacra scriptura. 4. Reg. 5. Mala. 1.

B ¶ *Vinum & siceram.* Sicera vox Hebræa significatione, at formatione & fine Chaldæa, quæ significat quicquid èpotum inebriat. A verbo sacar, quod inebriare sonat. Vnde apud Hebræ. omnis potus factitius, qui possit inebriare sicera dicitur. Maxime (inquit Euthimi9) potio à palmarum fructu cõfecta. Porro vini factitij vsum fuisse (inquit Eras.) apud AEgyptios, testis est Diodorus Siculus, quod suæ lingua vocarent Zuthum, id quod olim Galli ceruisiam vocabãt. Hispani Celium, teste Plinio, modo vocatur sidra. ¶ D. Hierony. scribens ad nepotianum ait siceram esse omnem potionem apud Hebræ. quod inebriare potest: siue illa fermento conficiatur, siue pomorum succo: siue faui decoquantur in dulcem, & barbaram potionem, aut palmarum fructus exprimantur in liquorem, coctis ve frugibus aqua pinguior coloretur.

Sicera quid sit. | Euthimi.

C

¶ *Et ipse pracedet.* Nam ipse pręcedet, & pro nam: vt supra & vxor tua pariet tibi filium: nam vxor tua, &c.

D ¶ *In spiritu & virtute Elia.* i. eo prędi tus spiritu & fortitudine quo erat Elias.

¶ *Vt conuertat corda patrum in filios.* i. vt patres vna cum filijs conuertat, aut vt sartiat concordiam inter patres Christum agnoscentes, & filios ipsum Messiã negantes Heb. Malachias, quem Lucas hic refert sic ait: ecce ego mittam vobis Eliã Prophetã, antequã veniat dies domini magnus, & horribilis: & conuertet cor patrum ad filios: & cor filiorum ad patres eorum. Quem locũ exposuit hic

Malac. 4.

Euangelista de Ioãne Baptista qui venit in spiritu Eliæ, & de primo Christi aduẽtu. Quamquam sub secundum aduentũ venturus est Elias, vel homines præditi spiritu Eliæ qui resistant Antichristo. Ioannes ergo (inquit Propheta) conuertet, &c. i. faciet vt patres & filij credãt in Christum. Patres nostri crediderunt in Christum, & nos filij eorum credimus. Doctus inter Hebræos exponit conuertat patres & filios in vnam religionem. ¶ Hic locus dictus à D. Luca est non iuxta 70. viros, sed iuxta lectionem Hebręã, nec citatur ad verbũ, sed sicut citamus Platonem, & Aristotelem cum eorũ sententiam referimus. Tamen quædam verba quæ Euangelista ex lectione Hebręa præstringit, cum lectione Hebræa concordant, nõ cũ translatione 70. qua de re lege Augu. de ciuitate Dei lib. 20. cap. 29.

Vatablus.

August. de ciuita. Dei li. 2. c. 29.

¶ *Et incredulos.* Vel etim morigeros, cõtumaces, *ad prudentiam iustorum.* Vel per prudentiam iustorum. *qui asto ante Deum.* Periphrasis Hebraica, pro seruo Dei. Sic Tobiæ c. 12. Ego sum Raphael Angelus, vnus de septẽ qui astamus ante Dominum. ¶ *Missus sum hæc tibi euangelizare.* Gręcè. i. vt hoc tibi lætum nuntium proferrem. *& ecce, &c.* pro itaquè. ¶ *Pro eo quod non credidisti verbis meis eris tacens, &c.* Nõ vacat à mysterio, qd mutus pater Ioannẽ genuit, qui vox clamantis fuit. Semper enim melius vox in silentio generatur, & spiritalis ocij quiete sapientia foris proferenda percipitur. Quin etiam meritò sacerdos silebat incredulus, quùm penè nihil iã fidei Deo suo iudaicus popul9 exhibebat. Moyses olim linguæ impeditioris erat, sed idem iam in Zacharia videbatur prorsus elinguis. Adhuc tamen erat innuens illis. Siquidem minus solita mysteria loquebatur. Adhuc tamen velut signis quibusdã sacerdotiũ vetus, & ipsa legis litera misticũ aliquid innuebat. Nec in lege, sed in plebe Iudęorum erat ista mutatio. nimirum quo minus intelligebatur, eo silere amplius videbatur. Cæterum Ioãne

Tobiæ 12.

quod lex muta iuxta literam loquitur spiritualiter intellecta.

A nato nõ solum loquitur pater, sed repletus Spiritu sancto prophetat. Euidenter enim, & plenissime loquitur lex, dũ spiritualiter intelligitur, & silentium eius quodammodo soluitur, dum velum templi scinditur, & velamen tollitur de vultu Moysi. Sed quid sibi voluerunt cognati & vicini innuentes patri Ioannis? an etiã ipsi pariter obmutuerant? minime. Nã dicebãt nõ innuebant vtiq3 matri eius, quia nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine. Et si illi poterant loqui, & illi audire loquẽtes, cur in B nuisse ei & non dixisse legũtur? Nimirũ freqũeter accidit, & in multis videmus, vt surditas sit cognita silẽtio. Alioquim qui audit dicit veni. Deniq3 fides ei9 ex auditu, & qui credit etiã loquitur: iuxta illud: corde creditur ad iustitiam, &c. Et Propheta credidi propter quod locutus sum. Zacharias non potuit loqui pro eo quod non credidit, quod aures non habuit audiendi. Cæterũ vbi Ioãnes natus est qui vox clamantis dictus est, audiuit C qui obsorduerat, & qui obmutuerat erupit in vocẽ gratiarũ actionis & laudis. Sed quid tam valida est vox Ioãnis, vt nõ modo eã audiant surdi, sed muti etiam ei in confessione conclament: nisi quod vox Dei exilem habens vocẽ, nouissime verò nullã penitus habens iam velociter loquitur? Quid enim aliud erat scriptura Moysi & Prophetarũ, nisi quædã signa mutorũ? de qua Dñs in Euangelio: lex & Prophetæ vsq3 ad Ioãnẽ. Et tunc regnũ Dei euangelizatur, nõ innuitur, nec exili voce in aurem murmuratur, sed pa D làm annunciatur voce clamantis.

¶ *Et occultabat se mẽsibus quinque.* Erubescebat annus fœta. Verecundatur vetula primi partus, & puerperã nouam senectus abscondit extrema, ne sterilitatis opprobriũ eius fœcundæ senectutis augeret. O quãto silentio vox nascitur. Pater tacet ex pena, celat ex verecũdia mater. O quãta taciturnitate tuba inclamatura seculis generatur: O quod secretũ diuini iudicis dat præconẽ. Quia sic (inquit) mihi fecit dñs in diebus quib9 respe-

quod silentio vox accipitur & nutritur.

Petrus Rauenas.

pexit auferre opprobrium meum inter homines. Honor coniugij, matrimonij dignitas, est procreatio dulcium liberorum. Satis enim graue est, & satis triste, & virginitatis carere præmio, & filiorũ solatia non habere. *Et ipse erat innuens illis.* pro, nutu signa dabat, *officij eius,* ministerij, vel functionis eius.

In annunciatione Virginis.

IN mense autem 6. missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatẽ Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro cui nomẽ era Ioseph de domo Dauid: et nomen Virginis Maria, et ingreßus Angelus ad eã dixit: Aue gratia plena, dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, quæ cum audisset turbata est in sermone eius, et cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait angelus ei: ne timeas Maria, inuenisti enim gratiã apud Deũ. Ecce concipies in vtero, & paries filium: et vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus: et filius altißimi vocabitur, & dabit illi dominus Deus sedem Dauid patris eius, et regnabit in domo Iacob in æternum, et regni eius non erit finis. Dixit

Esai. 7. c. Infra. ... c. Dani. 7. d. Mich. 4. c.

A *autem Maria ad Angelũ, quomodo fiet istud quoniã virũ nõ cognosco? et respondẽs angelus dixit ei, Spirit9 sanct9 superueniet in te, et virtus altißimi obũbrabit tibi ideoquè & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur* B *filius Dei. & ecce Elizabet cognata tua: & ipsa concipit filium in senectute sua: & hic mensis est sex illi, quæ vocatur sterilis: quia non erit impoßibile apud Deum omne verbũ. Dixit autẽ Maria, Ecce ancilla* C *Domini fiat mihi secũdum verbum tuum, & discesßit ab illa Angelus.*

MIssus est Angelus Gabriel. Ad Mariam Gabriel mittitur qui Dei fortitudo nominatur. Illum quippe annuntiare veniebat, qui ad debellandas aëreas potestates humilis D apparere dignatus est: de quo per Psalmistam dicitur: tollite portas principes vestras, & eleuamini portę æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis, & potens, Dñs potens in prælio: cõtra potestates aereas ad bella veniebat. Fortitudo vero Christi humilitas fuit: vt eius viribus dæmonis superbiam superaret. Vnde D. Augustinus ait. Iustitia & nõ potestate dæmonem deuicisse, vt nos doceret appetere iustitiam non mundi potentiam, nõ potestatem. Humilitas autem iustitia nominatur

Quare Gabriel missus fuerit. Psal. 23. b. D. Aug. Humilitas vocatur iustitia.

Math. 3. natura Christo dicente Ioanni, sine modo, sic enim nos decet implere omnem iustitiam.

Angeli & mittūtur & assistūt. ¶ Sed ais, si Angelus semper stat coram Deo, si semper videt faciem patris cœlestis, quomodo mitti potest? Ad quod Diuus Gregorius ait: hoc quoquè de ipsis agminibus, quæ mittuntur certum tenemus, quia & cum ad nos veniunt, sic exterius implent ministerium vt tamen nucquam desint interius per contemplationem. Et mittuntur igitur, & assistunt: quia & si circunscriptus est angelicus spiritus, summus tamen spiritus ipse qui Deus est, non est circunscriptus. Angeli itaquè & missi, & ante eum sunt, quia quolibet missi veniant intra ipsum currunt. Hæc Diuus Gregorius.

quare de virgine Christus concipi voluit. Ex D. Tho. 3. p. q. 28. ¶ *Ad Virginem*. De virgine Christus Dominus concipi voluit, tum, propter patris cœlestis dignitatem asseruandam. Non enim decebat alium patrem habere nisi Deum, ne tanta dignitas ad alium transferretur. Tum etiam, vt eius humana conceptio, similis omnino esset diuinæ suæ conceptioni: quæ sine patris aliqua corruptione extat. Tum prætera, ne ex carnis concubitu Christus qui venerat peccatum tollere peccatum originis contraheret. Vnde Diuus Augustinus ait: solus nuptialis concubitus ibi non fuit (scilicet, in matrimonio Mariæ & Ioseph) quia in carne peccati fieri non poterat sine vlla carnis concupiscentia, quæ accidit ex peccato: sine qua cōcipi voluit, qui futurus erat sine peccato. Tandem idem Diuus Augustinus aliam huius mysterij rationem asignat inquiens: oportebat caput nostrum in signi miraculo sui corpus nasci de Virgine: vt signaret membra sua, de Virgine ecclesia, secūdū spiritum, nascitura. Hæc ex D. Thom. ¶ *Ad Virgem*. Hęc Virgo sanctissima est, campus ille, de quo sponsus eius, & filius ait: Can. 2. Ego flos campi, Christus enim erat flos illę qui de radice Iesse per virgam istam omnibus virtutibus, ac sapientiæ operibus

D. Augus. li. de nuptiis, & concupis.

D. Aug. li. de sancta virginitate.

Virgo assimilatur cāpo. Can. 2

Esai. 11.

A florentissimam ascendit. Flos ergo iste non flos horti, sed flos campi non sine mysterio appellatur, nam hortus arte humana excolitur, campus vero ex se metipso absquè hominum industria producit flores. Campus hic nec sulcatur vomere, nequè deffossus sarculo, nec manu hominis seminatus, Virgo est gloriosa Maria, quæ diuina operante virtute, Christum florem campi protulit mundo.

B ¶ Hæc etiam Deipara virgo mons ille est de quo lapis Christus qui creuit in montem magnum abscissus est sine manibus: vt Daniel prædixit cap. 2. de Virgine enim hac sine humano opere, sed vi, & virtute Spiritus sancti, conceptus & natus est Christus. De hoc monte altissimo præparatus est mōs domus domini, & creuit in montem magnum & repleuit terram.

Psal. 116. Virgo vocatur mōs Dan. 2. Esai 2. Psal. 45.

C ¶ Hæc est virgo illa pulcherrima ad capiendum vnicornem electa. Vnicornis est animal admirabile: quod cornu suo, aquas veneno contaminatas attingens, salubres reddit, & valet ad diuersa morborum genera depellenda. Narrantquè auctores, congregari multos venatores ad vnicornem capiendum, qui eum clamoribus obtundunt: at non posse capi, nisi quędam pulchra virgo sedeat in campo, ad quam vnicornis veniat in cuius sinu quiescat, & ita capiatur. Christus est cœlestis vnicornis iuxta id quod dicitur in Psal. Dilectus quemadmodum filius vnicornis. Quem locum Diuus Augustinus de Christo in-

Virgo electa fuit ad capiendū verum vnicornem Christum

Christus verus vnicornis est. Psal 28. D. Augu. Orige.

D terpretatur. Et Origenes in commenta. in librum Nume. per vnicornem Christum intelligit. Quemadmodum etiam per leonem, agnum, & ouem significatur. Est igitur Christus diuinus ille vnicornis, qui cornu suæ potentiæ venenum depellit, qui morbis animi medetur. Venatores fuerunt viri illi illustres veteris testamenti, qui ad Deum clamabant vt veniret: dicentes vtinam dirumperes cœlos, & descenderes. Ostende nobis Domine misericoadiam tuam, & salutare

Esai. 64. Psal. 84.

Can. 1. lutare tuum da nobis: Obsculetur me obsculo oris sui. At nō sat erat eos voci ferari, sed ventura erat pulchra hęc Virgo Maria, in cuius vtero filius Dei summus ille vnicornis reclinaretur. Hæc est Virgo sacratissima, ad quam missus est hodie Angelus Gabriel à Deo, vt sedendo in campo humilitatis, omniumque aliarum virtutum, quiescat in eius sinu diuinus ille & cœlestis vnicornis.

Integritas & virginitas matris Iesu Christi ostenditur ex lege & prophetis & traditionibus Iudęorum.

¶ *Ad Virginem*. Virginem futurā fuisse Messiæ matrem Iudaica impietas minime negare potest. Hoc enim per legem, & per Prophetarum oracula, & per veterum talmudistarum traditionem, & testimonia, passim atque clarissime demonstratur.

Leui. 12.

¶ Primum quidem Leuit. 12. c. id plane habetur cum sic dicitur: mulier si suscepto semine pepererit masculū immūda erit septem diebus. Cum itaque naturaliter nulla mulier sine semine parere possit: textus autem dicat, si suscepto semine pepererit masculum: consequens profecto est, quod quandoque mulier aliqua sine suscepto semine virili paritura esset masculum, atq; ab omni macula munda foret.

Esai. 7.

¶ Esai. etiā sic ait c. 7. ecce virgo cōcipiet & pariet filium. Quæ quidem verba explicuimus in secūda nota ueri Messiæ quam posuimus in principio annotationum super Matthæum. Et inferius explicabimus cum Iudæorum calumnias refellamus.

Hiere. 31.

¶ Hieremi. cap. 31. creauit Deus nouum super terram fœmina circundabit virum, vel fortem siue potentem, idest, Deum: iuxta veterum Iudęorum glossas: & præsertim iuxta magistrum Haccados, quem magistrum sanctum appellāt, in libro quem reuelatorem arcanorum vocauit, ad secundam Antonini Consulis responsionem. Quod autem vir iste sit Messias, & quod à muliere virgine in vtero per conceptum circundatus esset, (aliter enim nulla nouitas in mundo futura fuisset) patet ex eo, quod magister Moses Hardasam ait: in expositione Ge-

R. Haccados.

Moses Hardasam.

A nesis, in illa verba, cap. 41. Pharao vidit somnium, vbi hæc duo dicuntur, & virū hunc esse Messiam, & à virgine circundādum per conceptum in vtero.

Ezech. 44.

¶ Ezech. quoq; c. 44. idem mysterium insinuauit, cum dixit: & conuertit me ad viam portę sanctuarij exterioris, quę respiciebat ad orientem, & erat clausa, & dixit dominus ad me, porta hæc clausa erit: & vir non transiet per eam quoniā Dominus Deus Israel ingressus est per B eā, eritq; clausa principi. Vbi in eo quod dicitur ter, clausa porta hæc (quæ matrē Messiæ Virginem significabat) designatur, ipsam, Virginem ante partum, in partu, & post partum futuram fuisse.

R. Simeon Beniohai.

¶ Hanc omnimodam matris Messiæ, veri Dei, integritatem, clarius expressit magister ille Simeon Beniohai, in illa verba Genes. faciamus hominem ad imaginem nostram: cuius testimonium breuiter retulimus in illa secunda nota veri Messiæ allegata in principio cōmen. super Matth. C

Esai. 9. De men clausa.

¶ Hoc etiam virginitatis mysterium intelligunt sapientes Iudæorum ex illis verbis Esai. cap. 9. Multiplicabitur eius imperium. Quo in loco vbi nos habemus multiplicabitur, Hebræi habent, lemarbe. Et notandum, quod nunquam men litera, in principio vel medio dictionis clausa reperitur, pręterquam in vna hac voce, quod non sine mysterio factum est. Nam palàm innuitur supra naturam esse, & præter morem eius, de Maria Virgine esse nasciturum Messiā. D Quod supra dixerat Esai. cap. 7. Sicut contra naturam literæ men est, quod in medio vel principio dictionis claudatur. Voluit enim per hoc Esai. ipse à prudētibus intelligi, impijs verò occultum fieri. Eam ob rem in lib. Sanhedrin in c. totus Israel, fertur quod cum R. Tanhum quæreret quæ nā esset ratio, quod cum men in medio vocabuli posita aperta sit, hæc sola in sacra scriptura inueniatur clausa? statim in illa hora exiuit filia vocis, idest, vox de cœlo dicens: secretū

R. Tanhū.

meum mihi secretum meũ mihi. Quod exponens Rabbi Salomo. ait: Deum dixisse, hoc secretum de Messiæ aduentu, meum est. Attamen (vt prisci Iudæorum Spiritu sancto illustrati dixerunt) per men, hoc in loco clausam, multa designantur arcana. Et præsertim, quod ipse Messias de virgine clausa, quæ Maria vocanda erat, præter cõmunem nascendi modum, præterque naturę ordinem nasciturus erat: vt testimonijs legis & prophetarum ostendimus.

R. Salo.

¶ Per figuras insuper matris Messiæ virginitas declarata, & præostensa fuit.

¶ Exod. 3. ita legitur & videbat (scilicet Moses) quod rubus arderet & non combureretur, & ait Moses: vadam & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Sequitur: & vocauit eum dominus de medio rubi, & post pauca: ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Vbi filij Dei natiuitas ex virgine intacta Mosi mirabiliter præmõstrata fuit. Per succensum enim rubum & non cõbustum, ostẽsum est, quod ex illo populo salua matris suæ integritate proditurus esset, qui igne diuinitatis, carnis humanæ naturam, quasi rubi spinam acciperet, & inconsumptam humanitatis substantiam in ipsa diuinitatis flãma seruaret.

Figura Exo. 3.

¶ Iud. cap. 6. legitur Gedeonem sic dixisse: si ros in solo vellere fuerit, & in omni terra siccitas, sciam quod per manũ meam sicut locutus es, liberabis Israel, factumque est ita: vbi vellus qui agni habitus est, humanam naturã designat, quam ros diuinitatis assumpsit terra vero sica, est virginis vterus, humano semine non infussus.

Figura Iud. 6.

¶ In virga etiam Aaron eadem virginitas significa est, sic enim de ea (in tabernaculo fœderis posita) legitur: sequenti (inquit) die reuersus Moses, inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis erupecant flores, qui folijs dilatatis in amigdalas defor-

Figura Nu. 17. c

A mati sunt. Nec nobis obstat, quod sic dicitur, virgam Aaron floruisse domui Leui: quia non solum de tribu Iuda, sed de tribu quoquè Leui, ac etiam de gentibus nasciturus fuerat Messias. Contra igitur vniuersa naturæ iura, virga Aarõ produxit, quod nec semine suggeri potuit, nec radice. Virga igitur valuit contra naturam nuces producere, & virgo Dei mater non potuit præternaturam ex iussu Dei, filium generare? dicant nobis Iudæi increduli quo nam pacto arida virga floruit & fronduit, atquè amigdalas protulit: & nos dicemus eis quomodo virgo Dei filium concepit. Sed nec Iudæi nobis virgæ conceptum explicare potuerunt, nec nos eis virginis partum. Cũ ipsi præterea credãt Euam de corpore Adæ fuisse formatam. Aiunt enim hoc voluntatis diuinę miraculo accidisse, per eundem modum respondendum est eis, de Messię cõceptione, ac natiuitate ex virgine: cum diuina voluntas naturę cursu aut ordine minime indigeat.

B

C

¶ Sed aduersus hanc veritatem primo objiciunt Iudæi. Signum hoc ecce virgo concipiet. Datum est Regi Achaz in signum liberationis à duobus Regibus eum obsidentibus: Christus autem post Achaz vltra annos quingentos natus est: signum igitur hoc conceptionis eius ex virgine (vt aitis) esse non potest. Ad hoc facile responderi potest si historiam illam cap. 7. Esaiæ memoriæ recolamus. Iubebat Deus Regi Achaz, vt signum siue miraculum peteret, siue ex cœlo, siue ex inferno, quo certo sciret esse ab hostibus liberandum: sed eo tale signum petere nolente, quod existimaret dare non posse, iratus Dominus aduersus illum, vt intelligeret se potentissimum esse, promittit signum & miraculũ omniũ maximũ, se aliquando factũrũ: in signum humanæ redẽptionis, quæ per illam Hierosolymæ liberationẽ significabatur. Ac si dicat Propheta: propter hoc, quia tu rex credere nõ vis, nõ tibi, sed vobis, ò Iudęi venturi, dabit Deus

Prima Iudæorũ objectio aduersus explicationẽ catholicã, illius testimonii, ecce virgo concipiet.

D

Deus signum magnum, & admirabile. Non liberationis solius Hierosolymæ, sed totius mundi, nam ecce virgo illa concipiet de Spiritu sancto: parietq; filium, cuius nomē erit Emanuel: quod sonat nobiscum Deus. Hic vos liberabit. Mittet Deus vobis pater saluatorem, non aliquem Aioth, aut Gedeon, aut Sansonem, quemadmodum quondam, quando iudicibus gubernabamini: sed Emanuelem verum, Deum verū, & hominem qui vos à dæmonis potestate proteget, & etiam modo, multo antequàm nascatur, sciatquè reprobare malum, & eligere bonum, vos a duobus regibus eripiet. Si Iudæi illi fuissent in lectione Prophetarum versati, non mirarentur Esaiam in media mentione liberationis Hierosolymæ totius generationis humanæ meminisse. Erat enim mos Prophetarum sumpta rerum materialium occasione, ad diuina Christi arcana & altissima mysteria transire, in volucrisquè tegere, ne sancta darentur canibus & ab indignis cōtaminarentur. Nō ergo hic signum datum est Achaz insignum liberationis eius, sed Iudæis venturis, in signum redemptionis eorum, & à dæmonis potestate liberationis.

Secunda obiectio.

¶ Obiiciunt secundo, quod vbi ęditio nostra, *ecce virgo*, dicit: hebraica haalma ponit. Alma autem apud eos non virginem, sed adolescentulam significat, quæ tàm de virgine quā decorrupta dicitur. Prophetam ergo non de virgine, sed de adolescentulæ conceptu, & partu loquutum fuisse aiunt. Nam si de virginis conceptu loquutus esset, non ecce alma .i. adolescentula, sed ecce bethula, quod idem est, quod virgo, dixisset. Ad hoc not. est, quod tria sunt apud Hebræos nomina idem fere significantia, videlicet, Naara, Bethula, Alma. Naara, solum ætatis respectum habens, puellam siue adolescentulam significat, tàm virginē quam corruptam: Bethula vero ad virginitatem tantum respectum habēs, virginem significat, siue adolescentula sit, siue anus. Alma vero, ad vtrumquè respectum habens, ad adolescentiam, scilicet, & ad virginitatem, & adolescentulam & virginem significat. Alma ergo, nulla vocari potest, nisi adolescentula sit, & intacta virgo. Quod ipsa etiam vocabuli interpretatio aperte indicat. Deriuatur enim alma, à verbo alma, quod abscōdere significat: quā obrem apud Hebræos alma, adolescentulam ab aspectibus hominum absconditam, celatam, & occultam, atque omnino intactam significat: de cuius pudicitia, atque integritate nullum sit dubium. Maxime cū ei præponitur articulus, qui apud Hebræos, est hęc litera he, quæ dictionem determinate significare facit. & sępe additur his quib9 nota sunt: vel de quibus prius facta est mentio. ¶ Nec in tota scriptura sacra inuenitur dictio hęc haalma, cum litera he, scripta, siue articulata, nisi in tribus locis. Et primū quidem Gene. 24. c. cum de Rebeca dicitur. Ecce ego sto ad fontem aquę. Igitur haalma cui ego dixero inclina hydriam tuam vt bibamus, &c. Quæ dum alma vocata est virgo erat, atquè intacta, vt patet per textum qui ibidem de ea sic dicit. Virgoq; pulcherrima, & incognita viro. Deinde reperitur Exod. 2. c. cum de Maria sorore Moysis ita scribitur: & perrexit haalma .i. virgo, & vocauit matrem suam, & ista quoquè tunc adolescentula virgo erat. Tertio ergo apud Esai. hoc loco, *ecce virgo*: inuenitur, vt paulo ante patuit, tribus his locis exceptis duntaxat, alibi nusquam in tota sacra pagina apud Hebræos inuenitur dictio hæc haalma cum articulo scripta. Si igitur duæ primæ sic denominatæ fuerunt virgines intactę fuerunt cum ita denominarentur id idem tenendum est de ista, de qua Esai. loquitur, cum iuxta sapientium sententiam, de omnino consimilibus, idem omnino debeat esse iudicium. Eam obrem septuaginta interpretes cum in hunc locum deuenerunt. Pro haalma, virgo cum articulo præposito transtulerunt, ἡ παρθένος, & reliqua. ¶ Quod autem sic intelli-

Naara quid significet.

Bethula quid significet.

Alma quid significet.

Solum in 3. locis sacræ scripturæ hoc nomen alma ponitur cum litera he.

Gen. 24.

Exo. 2.

Esai. 7.

gi oporteat ex eo quoque parte, quod signũ illud pro ciuitatis liberatione ab Isaia datum, vt ait Rabbi Salomo, valde miraculosum esse debebat: adolescentulam autem concipere & parere filiũ virginitate non remanente, nullum est miraculum. Necessario igitur dicendũ est, signum quod eis Propheta dedit, virginem .s. concepturam, & filium parituram prӕter naturӕ morem, & solo Dei miraculo futurum fuisse. Quia igitur vt ad Iudӕorum obiectionem respondeamus, mulier quӕ Dei filium conceptura ac paritura erat, & puella siue iuuencula, & virgo omnino intacta esse debebat: idcirco Isai. vt vtrunq; insinuaret dixit: ecce haalma, quod vtrunq; vt dictũ est significat. & non dixit ecce bethula: qd vnum tantummodo designat. ¶ Valeãt igitur impij, & infideles nostri temporis Hebrӕi: qui hoc in loco 70. viros Hebrӕӕ linguӕ peritissimos deceptos fuisse asseuerante: affirment, suorumq; Rabinorum antiquorũ cõmentarios in quibus pro Alamoth Betuloth interpretantur, omnino reijciũt. Dictio enim Betuloth sine dubio vllo: vt diximus virginem significat: vt ipsi etiam facilè confitentur.

Tertia obiectio.

¶ Tertio obijciunt si haalma articularia, aliquam sui mentioné: vt diximus prӕcedere debet, & huius virginis quã nos christiani salua virginitate concepturam, & parituram fuisse, asserimus: nullam apud ipsum Isaiam, nec apud alium Prophetarum prӕcessit mentio: sequitur plane virginem de qua nos loquimur, non esse illam, de qua Isaias meminit dicens. *Ecce haalma concipiet & pariet filium.* Per hӕc ergo verba matris Messiӕ virginitatem probare non possumus. Ad quod respondemus, eos in ea opinione maxime deceptos esse, nã Salomõ multo ante Isaiam de virgine ista sub nomine Alma mẽtionem fecerat in Prouer. c. 30. dicens: tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro, viam aquilӕ in cœlo, viam colubri super terram, viam nauis in medio mari, & viam

Pro. 30.

A viri in alma, idest, in adolescentula siue virgine (vnde not. quod vitio typographorum nostra ӕditio habet in adolescentia pro in adolescẽtula) his ergo verbis optime Salomon vias Messiӕ describit, incipiens enim ab eius nouissima via, hoc est, ab ascensione in cœlum, ad primam, idest, ad eius incarnationem, quӕ de virgine futura erat, tandem peruenit. Quarum quidem viarum alium expositorem non quӕramus quam ipsum quem ipsi magistrum nostrum san-

R Haccados.

B ctum appellant. Is enim in libro reuelatoris arcanorum ad secundam Antonini Consulis petitionem, qui eorundem verborum explanationem poscebat, sic ait: magnam rem quӕsisti. Sed quia dictum est Prouer. 11. c. qui abscondit frumentum, idest, doctrinam, vel expositionem legis maledicitur in populis. Dicã tibi rem ad modum sublimem.

¶ Via aquilӕ in cœlis, est Rex Messias, qui post passionem suam ascendet in cœlum: quemadmodum dictum est Amos 9. c qui ӕdificat in cœlo ascensionem suam.

Via aquilę in cœlo ascensio Christi. Amos 9. c

C ¶ Via nauis in medio maris, hic est etiam Rex Messias, cuius vita sicut nauis in medio mari agitabitur. Sicut dictum est Hieremi. 30. c. quare vidi omnis viri manus super lumbos suos. Viri, hoc est, Dei, qui Hebraice Gheuer dicitur, idest, fortis, vel potens, quoniam omnibus fortitudo seu potentia est ipse Deus.

Via nauis in mari eius vita in mundo. Hiere. 30.

¶ Et via colubri super petram: hic est etiã rex Messias, qui se faciet, vt colubrum, quem Moses super petram posuit, vt duceret filios Israel in terram

D sanctam. Rabbi autem Iodam dixit, & via colubri super petram postquam sepultus erit & ab ipsa egredietur, nec videbitur, quia transierit sicut dictum est Exod. 33. c. ecce & locus apud me, & stabis super petram cumque transierit gloria mea ponam te in foramine petrę.

Via colubri super petrã eius sepultura & resurrectio.

Exo. 33. c

¶ Via Gheuer .i. viri, vel fortis seu potentis in alma. Hic quoque est Deus, amans filias Hierusalem, vt generetur Rex Mesias ex vna illarum, concipiet autem & pariet, & remanebit Virgo. Sicut

Via viri in virgine Christi incarnatio ex virginé

Hier.31. cut dictum est Hierem. 31. c. quia creauit Deus nouum super terram fœmina circũdabit Gheuer.i.virum fortem, seu potentem, hoc est, Deum. hæc ille, via igitur Gheuer.i.viri fortis, vel potentis, hoc est, Dei in alma.i.in Virgine, fuit filij Dei ex Virgine incarnatio, & hãc quidem viam plene atq; perfecte Salomon cognoscere non potuit. Quam ob rem recte dixit, & quartum penitus ignoro. Merito igitur de matre Mesię Isai.ait: ecce haalma hara.i. ecce Virgo concipiet. Cum litera he.i.cum articulo præposito, tanquam de nota loquens apud Prophetas, & de qua iam Salomõ meminerat. Ad hanc igitur Virginem missus est hodie Angelus Gabriel a Deo.

¶ *Ad Virginem.* Hæc est aurora illa pulcherrima ex cuius vtero ortus est Sol iustitiæ. De qua Dauid ait ex vtero ante luciferum, genuite. Vbi Hebræa lectio sic habet: ex vtero auroræ ros natiuitatis tuę, siue de matrice aurorę tibi ros natiuitatis tuæ, quemadmodum enim aurora solẽ recipit ipsumq; parit sine corruptione, sic Virgo hæc sanctissima solẽ iustitæ, virtute diuina conceptura, ac paritura erat absq; virili semine saluaque virginitate, quod totum per rorem Mesiæ natiuitatis ex matrice aurore datur intelligi. Aurora enim est pars illa cœli & terræ, quę mane ante solis ortum illic vbi sol exoritur illuminata apparet. Quæ quam primũ lucescere incipit, aurora dicitur: quàm primùm vero sol oritur, & videtur, amplius non vocatur aurora matrix autem aurorę siue vterus, dicitur interstitium illud inter terrã siue mare orizontis nostri aspectus, per quod sol seipsum effert & eleuat, ac videtur surgere, & ascendere. Ros vero natiuitatis est prima hominis conceptio in vtero, quæ non abs re ros dicitur. Vt enim ros cito à sole soluitur, sic & primi conceptus tàm hominum quàm cęterorum animalium facilimè fiunt ab ortus, diuturniores autem difficulter abortiũtur, sensus igitur est, quod quemadmodum sol præexistens seipso sine vllo alio edu-

Virgo Maria aurora vocatur ex qua ortus est sol iustitię sine corruptione.

Aurora quid.

Matrix aurorę quid

Ros natiuitatis quid.

Expositio catholica.

A cente sese de centro auroræ profert: sic verbum Dei per seipsum, sine viro generante primum conceptũ natiuitatis suæ humanitatis accipere debebat ex cẽtro auroræ, idest, ex vtero virginis, nullo viro cooperante: idem existens Dei filius, qui prius erat. ¶ *Ad Virginem.* Ad Virginem missus est Angelus, & de Virgine nasci Christus voluit propter huius status excellentiam, quæ tanta est, vt nullis verborum ornamentis, nulla vi dicendi B explicari satis & explanari possit. Tanta est enim virginitatis gratia & excellentia (inquit Ambro.) vt meruerit à Christo eligi, vt esset corporale Dei templum, in quo habitaret corporaliter plenitudo diuinitatis: virgo genuit mundi salutem, virgo peperit vitam vniuersorum. ¶ Tanta est virginitatis excellentia, vt superg rediatur conditionem humanæ naturæ per quam homines Angelis assimilantur. Maior tamen est victoria virginũ quàm angelorum: Angeli enim sine car C ne viuunt, virgines verò in carne triumphant. ¶ Tanta eius pulchritudo & venustas, vt nullam quis possit pulchritudinem maiorem ęstimare, decore virginitatis, quæ amatur à rege, probatur à iudice, dedicatur domino, cõsecratur Deo. ¶ Virginitas altus mons est, ad quẽ Angelus hortatur: sed qui videt se nõ posse ascendere maneat in segor.i.in legitimo matrimonio: quia melius est mediocri bono vti, quàm per abrupta libidinum præcipitari. ¶ Flos est ecclesiastici germinis, decus, atq; ornamentum gratiæ spiritualis, illustrior portio gregis Christi, D soror est angelorũ, victoria libidinum, regina virtutum, possessio omnium bonorum.

¶ Diligamus ergo virginitatem, hanc libenti animo profiteamur: nam hæc sola (inquit Bernardus) in hoc mortalitatis loco & tempore quendam statum immortalitatis gloriæ repræsentat. Hæc instar odoriferi balsami, quo condita cadauera in corrupta seruantur, sensus & artus continet & restringit. ¶ Amemus virtutem hanc, si à Christo teneré diligi cu-

Propter excellẽtiã virginei status christus de virgine nasci voluit.

Ambro. li. de offic.

Ambro. li. de viduis.

Ambro li. de virginitate.

Grego. in glo. super illud gen. 29. in monte saluũ te fac.

Cypri. li. de virgi.

Cyprian. ibidem.

D. Ber.

cupimus. Virgines enim dulcius & tenerius à Deo diliguntur. Vnde Ioannes virgo, positus est ad patres suos tam extraneus à dolore mortis, quàm à corruptione carnis noscitur alienus: vt dicitur in prologo super Ioannem. ¶ Hanc sequamur: nam hæc, agnum sequitur quocumq; ierit, vt dicitur Apoc. 14. ¶ Hæc etiam cantat canticum nouum, quod aliis cantandum non conceditur. Vnde ibidem dicitur cantabant quasi canticũ nouum ante sedẽ, &c. & nemo poterat dicere canticum illud, nisi illa centum, &c. hi sunt, qui cum mulieribus nõ sunt coinquinati. Virgines enim sunt. quæ verba explicans D. Gregor. ait: singulariter agno canticum cantare, est cum eo in perpetuum præ ceteris fidelibus etiã de carnis in corruptione gaudere. ¶ Tandem excellentissimam hanc virtutem sectemur, si delitias Dei inuenire volumus. Nam virgines in Deo summas delitias inueniunt. Et meritò: quia amore eius carnales voluptates contẽnunt. Vnde D. Bern. ait: Quomodo ignis & aqua simul esse non possunt, sic spirituales, & carnales delitiæ in eodem se non patiuntur: vbi curiosa ciborum diuersitas, vbi diuitis supellectilis discolor varietas, oculos pariter pascit, & cœlestis panis ieiunam deserit animam.

Apoc. 14.

D. Grego. in pastor.

D. Ber.

¶ *Desponsatam viro.* De Virgine matrimonio copulata, Dei verbum concipi, & nasci voluit, vt hoc sacramentum matrimonij cõmendaret. Matrimonium pallium fuit quo deipara virgo cœlestẽ cõceptum occultauit: sub hoc pallio latere voluit filius Dei: sub hoc denique tantum incarnationis sacramentum, tenebrarum principi celatum est. Si enim nostræ redemptionis mysterium cognouisset, nunquam dominum gloriæ cruci fixisset. Infœlix ergo & omni detestatione dignus, status meretricũ: quæ matrimonij ordinem contẽnentes, diaboli cã libidine allectæ omnibus promiscue pudicitiam suam prostituunt, omniũ virorum libidinẽ obsequuntur, atq; sine discrimine, mercede sui copiam faciũt.

Cõtra virum Christus de desponsata voluit nasci vt sacramentũ matrimonij commendaret.

Cõtra meretrices & adulteras

Turpe profecto est tori reditu censitas gerere paternos, & faciem lucro prostituisse suam. Vt quidam poëta ait: in fœlices etiam adulteræ, quæ matrimonio honorem non deferunt: & quę minime verẽtur, virginis Mariæ pallium suis adulterijs coinquinare.

Ovi. 1 de remed.

¶ *Cui nomen erat Ioseph de domo Dauid.* Dauid ex pastore ouium, ex illo humili officio, & abjecto, in regiam dignitatem euectus est. Fuitq; summa & illustrissima laude celebratus. Sed temporis progressu, ex eius ampla & celebri familia, natus est Ioseph spõsus Virginis Mariæ, vir pauper, faber, & humilis, sine vlla pompa & apparatu. Considera ergo obsecro & animaduerte, huius mũdi vicissitudines & varietates: omnium rerũ vicissitudo est. Iudea fidit AEgypto, fuit AEgyptus vastata. AEgyptij confugiebant ad AEthiopes, at AEthiopes fuerut ab Assyrijs superati. Assyrij victorijs ac triumphis elati, viribus suis gloriam tribuentes, victi fuerunt à Babylonijs. Babylonij impietate & insolentia gloriantes, & Iudæos in miseram captiuitatem detinentes, fuerunt à Medis & Persis grauiter oppressi, & amplissimis opibus spoliati. Persæ, & Medi fuerunt ab Alexandro contriti & deleti, Alexander verò superbia elatus periit veneno eius. què regnũ fuit diuisum: vide ergo Dei iudicia, humanarumq; rerum mutationes: quod fratum tot habet vicisitudines? quot mensis Martius tot habet florũ, ac colorum varietates? quæ rota facilius mouetur quã mundus? Vt enim sæpe numero contingit in magna aeris tranquilitate oriri repentẽ sæuam & horribilẽ tempestatem, sic in statu fœlici, incidũt sæpissimè acerbissimæ rerum perturbationes, ac luctuosissimæ calamitates; quare non debemus mundo fidere, nec eius prosperitatem firmam & stabilem putare. Ecce ex paupere Iesse nascitur Rex opulentissimus Dauid: ex splẽdidissimo Rege, pauper Ioseph.

Mundi fortuna incõstans et varia.

Similitudo.

¶ *Et nomen Virginis Maria.* Quod mater Messiæ Maria vocari debebat, do

cue

Prisci Hebræorum prędixerunt, matrē Messię Mariā esse vocandā R. Haccados.

cuerunt multi ex priscis Hebræorum, quod mirabile profectò est. E quibus vnus ille extitit qui tantæ apud eos autoritatis est, vt eū Rabbenu haccados, i. magistrum nostrum sanctum vocitēt: vt sæpe diximus. Hic enim in tertia petitione libri reuelatoris arcanorū, inquisitioni Antonini Consulis Romani satisfacere volens, qui ipsum inter cætera de nomine matris Messiæ interrogauerat, sic ei respondit: prout sibi in spelūca duplici oranti, Helias reuelauerat. Quod autem interrogasti quo nomine prophetissa vocetur, Maria est nomen eius. Vnde ab his dictionibus Lemarbe Hamilra. i. ad multiplicandum imperium (vbi nostra ædictio habet multiplicabitur eius imperium) Oritur inquit, Maria Sara. i. Maria domina. Quo pacto deducat vide Galatinum lib. 7. c. 13. ¶ Si ergo criminum immunitate (ait Bernar.) turbatus, si cōsciētię fœditate cōfusus, si iudicii horrore perterritus, si baratro desperationis absortus es, Mariam cogita, Mariam inuoca, non recedat à corde, nō recedat ab ore. Nam ipsam recogitans nō erras: ipsam cogitans non desperas: ipsam sequens non deuias: ipsa tenente nō corruis: ipsa protegente non metuis: ipsa duce non fatigaris: ipsa propitia peruenis, & sic in te metipso experiri poteris, quàm meritò dictum sit nomen virginis Maria. i. maris stella. Oportet ergo vniuersos Christicolas inter fluctus huius seculi nauigantes, attendere hāc maris stellam, quę supremo cardini. i. Deo proxima est, & respectu exēpli eius cursum vitæ dirigere. Quod qui fecerit nō iactabitur vanæ gloriæ vento, nec frangetur scopulis aduersorum, nec absorbebitur sirenea voragine voluptatum, sed prospere veniet ad portum æternæ quietis.

Esai 9.

D. Ber. in sermo.

Maria ab omnibus inuocāda.

Hæc maris stella in hoc mari est nobis attendēda si nolumus naufragio perire.

¶ *Et ingressus Angelus ad eam.* Virgo latebat & abscondita erat, & à cōspectu hominum aliena, vt omnem peccādi occasionem fugeret. Vnde sponsus ait illi ianuā eius pulsando, aperi mihi sor mea. ¶ Disce ergo tu virgo ianuam quoquē tuam temporibus obseruare nocturnis, non facile quisquam pacētem reperiat. Sponsus ipse vult clausam esse, quū pulsat, ianua nostra os nostrum est, Christo prope modū soli debet aperiri, nec aperiatur nisi ante pulsauerit Dei verbum. Denique ideo scriptum est, hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus, ne facile aperiat os suum, ne vulgari designet alloquio. Neque de ipsis diuinis decet, nisi verbo Dei interpellata respondere. Quid tibi cum cęteris? soli Christo loquere, soli fabulare Christo. Si enim mulieres in ecclesia taceant, quanto magis non decet patere virginis ianuam? non decet viduis patere forestcito insidiator pudoris obripit, cito verbum excidit, quod reuocare desideres. Si Euæ clausa fuisset ianua, nec Adam deceptus fuisset. Nec respondisset interrogata serpēti. Introiuit mors per fenestram, hoc est, per Euæ ostium. ingreditur mors per ostium tuum, si falsum loquaris, si turpiter, si procaciter, postremo si vbi nō oportet loquaris. Clausæ sint igitur labiorum fores tuorum, & obseratum maneat vocis vestibulū. Tūc fortasse reserandum, quum audieris Dei vocem, quū audieris Dei verbum, tunc tibi mirrha sudabit, tunc tibi baptismatis aspirabit gratia, vt ab elementis mundi eo moriaris cū Christo, & cum Christo resurgas. Hæc Ambro.

Cant. 5.
D. Ambr. li. 3. de virgi.

Admonentur virgines, vt domi inclusæ maneāt, & ne sua cōuersatione alijs peccādi occasionē præbeant.

Cant. 4. d

¶ Discant vxores non solum oris ianuam obserare, sed omnes sensus: Discāt omnem peccandi occasionem auferre. Exod. 21. ait dominus, si quis aperuerit cisternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos, vel asinus in eā, reddet dominus cisternæ pretium iumētorum. Cisterna quæ ad extinguendam sitim aperitur, in cautis potest esse mortis, aut præcipitij maxima occasio. Sic vxores aliquorum, quæ viris sunt remedia ne fornicētur, alijs hominibus mortis occasiones esse possunt, per plateas, per vias, per ecclesias pulchritudinem suam, & nimium atque inordinatum ornatū ostentando, sic eas in pro. Salomō apel

Admonentur vxores.

Exod. 21. Figura.

Pro. 7.

appellat bibe, inquit, aquam de cisterna tua. i. de vxore tua. Hæc cisterna, tunc aperitur quando mulier nimium ornatur, superfluoq; cultu, atq; apparatu, incedit extra ædes suas vagando. In eam verò non coopertã, tunc bos cadit, quãdo sui ornatus, suæq; pulchritudinis incauta ostentatione perit & peccat aliquis. Quo in casu pereũtis anima de manu mulieris requiretur. Siquis in cautè ignem deferendo, domum aliquam incenderet, non ne pœna maxima dignus esset? quomodo ergo innocens iudicanda est mulier, quæ venustatẽ & pulchritudinem suam improuidè & imprudenter ostendendo, domos spirituales deuastat atq; exurit incendio? ¶ Non solum ergo dominica virgo, vt Augu. ait, sed omnis mulier casta, & pudorata, primitus publicos debet vitare conspectus, & platearum frequentiam deuitare, deinde, nec ornatu capitis, nec habitu comę, nec oculis erectis, aut lætis, sed crinibus ad terram cum vultu demisso procedat, si necessitate coacta de domo sua egrediatur: ne in se viles inducat amores: & si non pereat, alijs causa perditionis existat. Exemplo virginis desponsatæ, quæ semper domi latebat. Quod si aliquãdo foris necessitate cõpulsa incedebat vultũ dimisso & habitu honesto, atq; festinanter gradiebatur. Abijt (inquit Euangelista) in montana cum festinatione.

Similitudo

D. Aug. in lib. ad sacras virg.

¶ Discant deniq; viduæ, si castitatem & pudicitiam suam seruare volunt domi ad esse, intra cubiculum suum abscõdi. Nullamq; delinquendi opportunitatem præstare. De turture in lib. de natura animalium dicitur, in æstate se in frigidis locis immittere, in hyeme verò nõ apparere, sed in nido manere. Parum (inquit Hierony.) castitati credo sine suis appenditijs. Appẽditia verò, quæ ad seruandam castitatem viduis sunt necessaria, tria à sanctis annumerãtur. Primum est, exemplo virginis nõ euagari, sed vel domi abscondita manere, vel in templo orare. De quo maxime Anna illa vidua à Luca cõmendatur, c. 2. quæ non discedebat de templo ieiunijs, & deprecationibus seruiens die ac nocte. Euagationem viduarum acriter reprehendit D. Pau. 1. epist. ad Timo. c. 5. simul (inquit) ociosę discunt circuire domos, non solum autẽ ociosæ sed verbosæ & curiosæ, loquendo quæ non oportet. Secundum est, ciborum delectus & asperitas. Nam vidua quæ in delitijs est (vt Pau. ait) ipsa viuens mortua est. Viuẽs, in quam, vita corporis anima eius mortua est: vt glo. explicat. Tertium est, vestium abiectio. Gen. enim c. 38. vt fornicaretur Thamar deposita vestẽ viduitatis alium habitum induit.

Admonentur viduæ

Hiero.

Infra c. 2.

1. Tim. 5. b

1. Tim 5. b

Glo.

Gen. 38.

¶ *Aue gratia plena.* Græcè, κεχαριτωμένη, gratiosa, gratificata. i. Deo grata. Hoc participio vsus est Homerus pro mea dilecto. [illegible], id est, meo dilecte animo. Est autem vox velut amorem alicuius erga virginem nuntiantis, quod sonet amatorium quiddam: vnde & turbata virgo cogitabat qualis esset ea salutatio. ¶ *Aue gratia plena dominus tecum benedicta tu, &c.* Talibus namq; decebat virginem oppignerare muneribus: vt esset gratia plena quę reddidit cœlis gloriam, terris Deum, pacem quę refudit, fidem gentibus, finem vitijs, vitæ ordinẽ, moribus disciplinam. Hierony. in sermone de assumptione.

Vatab.

Erasb.

quare fuerit Maria plena gratia.

D. Hiero.

¶ *Aue gratia plena.* Mirum profectò alicui videri poterit, quod Angelus Mariam salutauerit. Cum dominus pręceperit discipulis suis, vt neminem in via salutarent. Et Salomon Eccle. 11. ante mortem ne laudes hominem quemquã. Sed audiat D. Bernar. euãgelica, inquit, sanctione præceptum est, vt in vita mortalitatis huius, terrestribus affectibus inhærentem neminem salutemus. Quos autẽ ab hac vita suspensos viderimus, illis securę salutationis gaudiũ offeramus. Vnde in euangelio tria salutationis genera inuenimus. Virgo siquidem Maria salutauit Elizabeth, Angelus verò Mariam, Dominus autem Iesus discipulos salutauit post resurrectionem. Cum ergo videmus eos qui in sterilitate vitæ huius fe-

quare ab Angelo salutatur.

Luc. 10. a.

Eccles. 11.

D. Bern.

Tria salutationis genera.

Ioã. 20. e

nue-

nuerāt, mōtana cōfessionis ascendēdo, fauorē pepitētię quasi filiū quēdā cōcipere: illis vicem salutationis, illis in verbo dñi remissionis, & gratię, & veniæ largitatē debemus offerre. Quos verò in sanctitate & castimonia dño seruire cōspicimus, in vitādo ad meliora benedictionē & gratiæ fœcūditatē eis necessario promittamus. Quos sanè in conclaui remotioris vitæ positos, ad imitationis apostolicæ fastigiū tēdere videbimus: illis quietis & pacis geminā soliditatē cuius etiā in suo corpore quædā præludia sentiūt, viuę vocis ministerio spōdeamus. Hactenus Bernardus in sententijs suis. Salutat ergo Angelus Virginem summa sanctitate & castimonia plenam: & vt ad meliora inuitet benedictionem & gratiæ fœcunditatem promittit. ¶ *Aue gratia plena.* An ab instanti & momento quo Virgo sanctissima cōcepta fuit habuerit gratiæ plenitudinē, ad quā disposuit, & stabiliuit Deus illam, peruenire incerta res est. Sed profectò cū doctorū angelorūq; regina id semper assequutā dicatur, qd salus sacris eloquijs ad cumulū honoris eius cōducit: credendum est, in dies summ per illi accreuisse gratiam. Quis.n. ambigat, quin cū merita præmiū præcedant: pertā egregia, atq; illustria omniū virtutū officia, quę post sanctissimū partū ac cumulauit: vberior etiā in dies excellentiorq; illi accresceret gratia. Fuit quidē gratia plena ante conceptionē filij, quātū par erat vt fieret Christi mater. Gratia tamen illa nō fuit adeo summa, vt nō posset deinceps meritis augeri. *Aue gratia plena.* Quanta fuerit plenitudo gratiæ deiparę virginis, vix intelligi potest. Cæteris virginibus (inquit Hiero.) per partes prestatur gratia: Mariæ verò se totam infudit gratię plenitudo, quæ fuit in Christo. Quanquā aliter & aliter, quia in Christo fuit plenitudo gratię tanquā in homine personaliter diffinito: in Maria verò vt in tēplo singulariter cōsecrato: vel aliter: in Christo fuit plenitudo gratię sicut in capite influēte, in Maria verò sicut in collo transfundente.

D. Berna. in senten.

In dies virgo creuit in gratia post conceptum verbum Dei.

D. Hiero. quāta sit virgini gratia vix intelligi potest.

A ¶ *Benedicta tu inter mulieres.* Heb. pro fœlicissima mulierū, vel donis Dei nobilitata præcæteris mulieribus. Sic Iud. 5. Benedicta inter mulieres Iahel. i. fœlicissima mulierū, & digna vt de illa omnes bene loquātur. ¶ Benedicere. n. apud Hebręos aliquādo i. idē est, qd beatū, fœlicē, ac fortunatū reddere. Gen. 12. faciā te in gentē magnā, & benedicam tibi. i. fortunatū & fœlicē te reddā. Nōnūquā sacrę scripturæ vsu benedicere idē est, qd commēdare, laudare, bene loqui & precari, vnde Gene. 14. dicitur. Ac vero Melchisedech benedixit ei. Et Gene. 27. benedicat tibi anima mea. i. vt tibi ex animo benedicā, quēadmodū tibi ex animo beneuolo ac cupio, ita tibi bene fatear. Sic & Gen. 24. vbi nostra æditio habet, & imprecantes prospera sorori suæ, Hebręus dicit. Et benedixerunt eā. ¶ Benedicta ergo significat fortunatā laudatā, & de qua omnes bene loquātur, atq; multis donis nobilitatā. Quod & ipsum amatoriū quiddā prima fronte sonat (inquit Eras.) quo magis turbata est Virgo, nōdū docta de mysterio cælesti. *Benedicta tu inter mulieres.* Expēde hic quid sit aut perdere, aut periculo aliquid propter Deū exponere. Nā vt ait D. Ber. Quia virgo se exposuit propter Deū vouēdo castitatē, illo tēpore vitio datā sibi ab omnibus mulieribus esse maledictā: dedit illi vt inter mulieres esset benedicta. Huius rei exēplū esse potest Abraham ad quē dñs ait Gen. 12. Egredere de terra tua, &c. Vbi cōsidera quā bene Dñs cū illo cōmittat. Percipit terrā deserere, sed cōfert meliorē: terrā inquit in terrā quā monstrauero tibi. Consanguineos relinquere persuadet, sed se eū in gēte magnā facturū pollicetur: vt pro cōsanguineis istis, ēā magnos habeat. Exire de domo patris suadet, sed eū patrē multitum gentiū constituit, vt pro illo patre fiat, & pro patris benedictione cōsequatur benedictionem Dei. ¶ *Turbata est in sermone eius.* Non enim Virgo sanctissima male turbatur: scriptum est enim iustus nō loquid ei ac-

Iud. 5.

Benedicere quid sit in sacra scriptura. Regula. Gen. 12. a

Gen. 14. d
Gen. 27. c

Gen. 24. g

Plurimum lucrari refert, expendere aliquid propter Deum D. Ber.

Gen. 12. a

quid sit virginem turbari.

ciderit non conturbabitur, id est; neque mens eius, neque ratio obscurabitur: sed turbata est, id est, nouitate salutationis & rei, admirata est. Sic turbatus est Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo audientes Magos qui interrogabāt vbi est? &c. Ex nouitate negotij admirabantur. Admiratur ergo Virgo, & ex admiratione incitatur eius animus, ad resistendum peccato: si forsitan esset Angelus sathanæ in Angelum lucis transfiguratus. § *Turbata est in sermone eius.* Nihil magis timet vera humilitas quàm laudes audire: eas omnes tāquam venenum fugit, & tāquam sagittas mellitas, & vt sermones fascinantes. Sapien. 4. Fascinatio nugacitatis obscurat bona. Eas inquam omnes fugit sicut rete expansum pedibus suis. vnde Prouer. 29. Homo qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius. Nihil magis amat vera humilitas quàm vilis reputari. Verus humilis (inquit diuus Bernar.) vilis vult reputari, non humilis prędicari. Gaudet de contemptu sui, hoc solo sanè superbus, quod laudes contemnit. Ludam (inquit Dauid) & vilior fiam. Humilitas opprobrijs pascitur vt cibo proprio. Saturatur enim opprobrijs. Turbatur ergo Virgo humilitate præclara Encomia & laudes suas audiendo. Et quemadmodum turbatur, & irascitur homo superbus, si corrigatur, eo quod habere se credat, quod non habet: sic etiam conturbatur, & ira commouetur humilis, si laudibus efferatur: eo quod existimet se non habere, quod habet.

Matth. 2.

Vera humilitas turbatur cū laudatur.

Sapien. 4.

Pro. 29.

D. Ber.

2. Reg. 6.

§ *Et cogitabat qualis esset ista salutatio.* Quærit D. Bernard. ex Virgine, de qua hoc in loco dicitur, cogitasse qualis esset ista salutatio: cur Angeli colloquium haberet suspectum? Respondit autem. Vis (inquit) ò homo in periculo esse securus? time securitatem. Vis esse à dæmone liber? Angelos de cœlo time. Audisti enim sathanam se in Angelum lucis transtulisse, vt homines deciperet? Quis dicere queat quot virgines: quot viduæ: & quot coniugatæ turpiter sunt deceptæ & pollutæ: quia colloquia & familiaritates, etiam cum consanguineis veritæ non sunt. Consanguineus, inquit, est: frater est: quid insidiarum moliri potest? multum certè, & diuersimodè. Nonne audis innumerabiles hac sola fiducia seductas? caue ergo Virginis matris exemplo talia, quæ etiam bonorum Angelorum non colloquia solum, sed etiā salutationem suspectam habuisse scribitur. Hæc ille. Caueant igitur fœminæ, vt maritis inscijs, & absentibus, cum aliquo colloquium habeant, præsertim cum astutis, & callidis hominibus (intelligentes se facile (sicut Eua à serpenti callidiore cunctis animantibus) posse decipi.

D. Bern. quare virgo cogitabat & suspectam habebat angeli salutationem.

Fœminæ à quolloquiis virorū omniū cauere debent, ne decipiantur. Gen. 3.

§ *Ne timeas Maria.* Ille qui cum Deo est, non debet timere. Ideo dicebat Dauid: dominus illuminatio mea, & salus mea quem timebo? Dominus protector vitæ meæ à quo trepidabo? Et Esai. cap. 41. ait dominus, ne timeas quia ego tecum sum. Vnde dicit Gabriel Angelus Virgini, ne timeas Maria inuenisti enim gratiam apud Deum, explicās causam non timendi esse gratiam. Debent ergo illi timere qui sceleribus astringuntur. Væ illis qui cum sint sceleribus contaminati, & flagitijs coinquinati, tam securè viuunt, ac si nunquam Deum offendissent: qui gladium ancipitem super caput suum tenui filo pendentem non considerant. Vt enim miles in bello amissis armis incidit in timorem, & gubernator maris in medijs fluctibus fracto clauo, in magno metu versatur: sic homo sine gratia Dei debet metuere, ne corruat in prælio, & à fluctibus absorbeatur, ex quibus in profundas tenebras relegetur. § *Ne timeas Maria.* Inter alia virginibus maximè timenda, vna superbia & elatio est. Vnde diuus Augustinus in lib. de virginitate. Non solum prædicanda est virginitas vt ametur, verùm etiam monenda ne infletur. Et diuus Bernard. Pulchra permixtio virginitatis & humilitatis: non mediocriter pla-

qui cū Deo est, timere non debet Psal. 26.

Esai. 41.

Simile.

Superbia virginis maximè timenda.

D. Aug. li. de virgin.

D. Ber. super missus est.

placet Deo illa anima in qua humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatem. Potest placere humilitas, quæ virginitatem plorat amissam: sine humilitate audeo dicere, nec virginitas Mariæ placuisset: Maria virginitatem oblita, gloriatur de humilitate, & tu negligendo humilitatem, blandiris tibi de virginitate? Facilius (inquit Augustinus) sequuntur agnum & si non quocumque ierit, certè quocumquè potuerint, coniugati humiles, quàm superbientes virgines. Disce ergo à Maria, quæ & si humilitate pollebat, adhuc timebat vbi non erat timor. A quo timore liberare eam volens Angelus ait. Ne timeas Maria, quasi dicat, non est quare superbire, & gloria vana affici verearis, eo quod te gratia plenam & benedictam appellauerim, nam nullis laudibus, nullis ve præconijs à tua humilitate dimoueberis. Inuenisti enim gratiam apud Deū quæ te perpetuò in virtute continebit.

D. Aug. ibidem.

¶ *Inuenisti gratiam apud dominum.* Idest, Deo gratissima & acceptissima es. Hebraismus inuenire enim gratiam in sacra scriptura significat fauorem & gratiam habere. Sic Genes. 6. Noe inuenit gratiam coram Domino. Ita Genes. 39. Ioseph inuenit gratiam coram Domino suo. Et Exod. 33. ait Dominus Moysi, inuenisti gratiam coram me, & te ipsum noui ex nomine, idest, acceptus & gratus es mihi. 1. Reg. 16. Si inueni gratiam in oculis tuis, pro si tibi gratus sum. ¶ *Inuenisti gratiam apud Dominum.* Tàm grata fuit Deo tamquè accepta Virgo, vt inueniret omnem gratiam. Gratiam inquam, gratum facientem, gratiam etiam perseuerandi semper in sanctis actionibus. Ita vt nunquam peccatum aliquod veniale commisse rit nedum mortale: ex Dei speciali priuilegio, vt Concil. Tridenti. diffinit Sessione 6. Canone 23. ¶ Ex peculiarissima enim Dei prouidentia, & ex plenitudine gratiæ infusæ in corde suo, & ex propriæ rationis imperio factum est, vt nunquam leui aliqua macula contaminaretur. Quam verò rationi consentaneum fuerit, vt virgo mater tātam inueniret gratiam apud Dominum, ostendit Diuus Tho. 3. par. quæstio. 27. articu. 4. Tum quod non esset apta neque idonea vt officio Deiparæ fungeretur materquè esset vnigeniti filij Dei, si vel leui peccato contaminaretur. Tum, quia diuina sapientia habitauit Virgis vterum, & in maleuolam animam non introibit sapientia. Tum, denique quia habet maximam affinitatem ad filium. Ac verò, cum nulla conuentio sit Christi ad Belial, inde intelligere debemus eam nunquam actuali aliquo crimine fuisse coinquinatam. Ex quibus rationibus etiam licebit inferre illam, omnino fuisse expertem peccati originis, cum peccatum hoc sit etiam verum peccatum.

Inuenire gratiā apud Deum est esse illi gratum. Gen. 6. Gen. 39. Exo. 33.

Virgo mater habuit donū perseuerantiæ & confirmationis ita vt nec veniale peccatum cōmisserit.

Ex tribus causis orta est hęc Mariæ perseuerantia.

D. Tho. 3. p. q. 27. ar ti. 4.

Prima ratio.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

Argumēta quæstionis probāt expertē fuisse Mariam actualis eadem colligit expertē fuisse originalis.

¶ Hanc vero gratiam, quam Maria inuenit, vt nunquam peccaret: omnis confitetur ecclesia, omnes prædicant concionatores, omnes scribunt sancti, inter quos Bernar. ait: putò quod copiosior sanctificationis gratia in ipsam descenderit, quæ non solum eius sanctificaret ortum, sed & vitam deinceps ab omni peccato custodiret immunem. ¶ Hierony. sicut in comparatione Dei nemo bonus, ita in comparatione matris Domini nulla inuenitur perfecta, quamuis eximia virtutibus comprobetur.

D. Bern.

D. Hiero.

¶ Totam repleuerat eam Spiritus sancti gratia, totam incenderat eam diuinus amor, ita vt in ea nihil esset mūdanum, quod violaret affectum, sed amor continuus, & ebrietas diuini amoris. ¶ Bernard. magna fuit sanctificatio Hieremiæ, qua potuit vitare faciliter culpam mortalium: maior sanctificatio Ioannis Baptistæ:

Idem.

D. Ber. ad cano. Lugdunenses

qua potuit vitare frequentiam venialium: maxima Virginis Mariæ qua potuit vitare imò vitauit omne peccatum.

quid sit ex vtero côcipere ex D. Hiero. to. 4. de viro perfecto.

¶ *Ecce concipies in vtero.* Quotidie (inquit Hieronymus) de procreandi necessitate mulierum conceptus cernimus, & de nulla tamen dicitur, in vtero concepit; quoniam substantia futuri hominis, fusa per virum, coalescit in fœmina: vterusquè mulieris non principium est nascituri hominis, sed depositi nutrimentum. Maria autem non tàm prima quam sola in vtero concepit, cuius pudoris illibatio conceptum vteri sine damno virginitatis expressit: quæ sola nobis peperit, quod non accepit ex nobis: dicente Domino: vos de inferioribus estis, ego de superioribus sum. Quæ sola mater est filio, cum virgo sit merito: cuius conceptionem ignorante virginitate partus agnouit: quæ sola mulier dicta est, non concipiendo sed pariendo. Ex hac ergo semen promissum est mulieris, quod secundum hominem Dominus noster est: qui non infussus est in vtero sed inuentus, Euangelista confirmante cum dicit de Maria: inuenta est in vtero habens, &c. Et quod Propheta Esai. ait: Virgo in vtero concipiet. Matthæus refert: Inuenta est in vtero habens, &c. Quibus verbis rem nouam sic notant. Vt intelligas cum mirabili opere, & mirabilem natum esse sermonem. De nulla vt diximus sanctarum mulierum scriptum est, in vtero concepit: sed concepit dumtaxat, quæ tamen quicquid concipiebant extra vterum concipere non poterant, sed quoniam de conuentu virili concipere se nouerant, quibus non prouenicbat salua virginitate conceptus, sola verò Maria in vtero concipere se nouerat, cum irreserato aditu seminali clauso vtero concepit. Ideo de sola Maria dicitur, ecce in vtero conci-

A pies. ¶ *Ecce concipies.* Ecce pro nam, Hebræ. est. Ne timeas, inquit, Maria inuenisti enim gratiam apud dominum: nam concipies, & paries filium, & vocabis, &c. Sic Esai. cap. 7. Propter hoc dabit dominus ipse vobis signum: ecce Virgo concipiet: pro, nam Virgo concipiet & pariet filium, &c.

Ecce pro nam. Esai. 7.

¶ *Et vocabis nomen eius Iesum.* Vocabis (inquit) tu, nam in terris nô erit illi pater. Ideo tu sola & vera eius mater, impones ei præter morem & consuetudinem aliorum, nomen è cœlo allatum. Idem significare volens Esaiæ cap. 7. ait: Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur (scilicet, ab illa) nomen eius Emanuel. Nam vbi nostra æditio habet, vocabitur, habet Hebræa, vocabit, subaudi, Virgo illa. ¶ *Vocabis nomen eius Iesum.* Animaduerte obsecro, quod nomen hoc sanctissimum est à cœlo allatum: impositumquè non à matre sed à patre Deo, Quod non absque magno mysterio factum fuisse credêdum est. Nam si cœlestis pater commisisset Virgini, vt filio suo primogenito nomen ex sua sententia, & ex suo capite imponeret, illa sanè morem suorum sequens, Ioseph (quâtum apparet) eum vocaret. Ad quem modum cognati Elizabeth, volebant vocare Ioannem, nomine patris sui Zachariam. Nomen autem Ioseph, Christo minime quadrabat. Ioseph enim sonat augmentum. Vnde Rachel nato filio vocauit nomen eius Ioseph dicens. Addat mihi Dominus filium alterum. Dato autem nobis Dei filio, quid quæso tanto beneficio, quid tanto muneri & dono addi, quid amplius desiderare in hoc mundo possumus? Nam condonando nobis filium suum primogenitum, effudit in nos Deus infinitam charitatem suam contulit omnes delitias, atquè omnes thesauros sapientiæ, & scientiæ suæ absconditos. Sic (inquit Ioannes) Deus dilexit

B C D

Maria vocauit filiû suû, Iesum quia in terris nô erat illi pater. Esai. 7.

quare virgini nô cômissum est, vt ex sua sentêtia & capite nomê filio suo imponeret

Gen. 30.

Ioan. 3 b.

dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret. Nullis iuditio meo efficatioribus verbis, immensam erga nos dilectionem Dei ponderare poterat Ioannes, quàm sic efferendo: sic Deus dilexit mundum. Præterea conferendo nobis filium, adoptionem quoqué filiorum conferebat. Vbi venit plenitudo temporis. (inquit Paulus) Misit Deus filium suum factum ex muliere, &c. vt adoptionem filiorum reciperemus. Hominum etiam conditio & natura, nato Dei filio ex sola matre, omnibus numeris absoluebatur. Adam enim sine parentibus, Eua ex solo patre, nos vero ex patre matreque orti sumus: reliquum erat vt Dei verbum ex matre sola in terris nasceretur. Quod factum esse certò credimus. Ecce (inquit Angelus) tu Virgo Spiritu sancto superueniente concipies, &c. Non ergo conueniebat Christo nomen Ioseph. Ideo è cœlo Angelus nomen attulit. Vocabis (inquit) nomen eius Iesum, de quo cap. sequenti dicemus.

Galt. 4. a

Hominum conditio omnino fuit perfecta nato Christo ex sola matre

¶ *Hic erit magnus.* Tàm magnus erit, vt magnitudinis eius non sit finis. Magnus fuit Iob, sed inter omnes orientales. Magnus Moyses sed in terra AEgypti. Magnus Naaman Syrus sed apud dominum suum. Magnus Diuus Ioannes sed coram domino. Hic autem tàm magnus erit, vt potestas eius non solum sit à mari vsqué ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum, sed dabitur illi potestas in cœlo & in terra: ita vt coram illo omne genuflectatur, cœlestium terrestrium & infernorum, Meritò ergo (ait Propheta) exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel, id est, exurge in vocem plenam laudis & lætare ecclesia catholica quæ Sion, hoc est, specula in sublimi constituta nuncuparis, quoniam in medio tui est, te ipsam regit & gubernat magnus ille Christus, qui est sanctificator Israelis. Ille, inquam, qui paruulus nascetur, qui in obscura patria nutrietur, obscuris ad multitudinis imperitæ opinionem natalibus ortus, qui repudiato humano fastu formam serui accipiet, vitamqué inopem ab omni seculi apparatu remotissimam sectabitur, magnus est, verus cœlorum terrarumque effector & moderator. Hic in quam versabitur in medio tui, factus homo vt omnem errorem depellat, & cœlesti doctrina, virtutis & sanctitatis exemplo omnem caliginem hominum animis obfusam discutiat, & viam quæ ducit in beatissimas sedes ostendat.

Iob. 1. c quàm magnus fuerit Christus Iesus. Exo. 11. a 4. Reg. 5. Psal. 71. Zachar. 9. Esai. 12.

Pintus & Adama. in Esai. 12.

¶ Hic est excelsus & magnus ille dominus qui in excelsis & magnis, hoc est, in humilibus & contritus corde inhabitat. Sic enim ait Esaias: hæc dicit excelsus & sublimis in excelso, & in sancto habitans: & cum contrito & humili spiritu: vt viuificet spiritum humilium & viuificet cor contritorum. Vbi aspicis virum humilem, & abjectum esse magnum, & excelsum. Explicans enim quis sit excelsus, & sanctus, subdit. Et cum contrito & humili spiritu, Ille ergo magnus est, qui se paruum facit: contra vero, qui se eleuat, humilis est & abiectissimus. Vera celsitudo, inanis celsitudinis contemptu comparatur, inanisque celsitudinis auiditate amittitur, Ille enim est magnus qui magna intuetur, ad eaque ardenter aspirat. Et ideo se parui facit, quia se cum magnis, quæ suspicit, confert. Magnum enim & paruum sine comparatione intelligi non possunt. At superbus se ideo magnifacit, quia se cum paruis, quæ intuetur, comparat. Ex quibus colligitur superbum esse pusillanimum, quoniam in paruis semper versatur, humilem vero magnanimum, qui sibi res arduas, & magnas semper proponit. Qui ergo fieri potest vt magnus non sit ille, qui cœlestem illam ciuitatem intuetur, in eaque, in terra adhuc positus iam versatur? Ita enim quidam humilis dicebat: conuer-

Esai. 57.

Verus humilis magnus est & excelsus superbus vero infimus

Philip. 3

satio nostra in cœlis est. Imò ipse humilis tàm excelsus est, vt cœlum appelletur. Ait enim Deus per Esaiam: Cœlum mihi sedes est. Et paulo post explicans quid esset hoc cœlum, ad quem autem (inquit) respiciam nisi ad pauperculum, & contritum spiritu & trementem sermones meos?

Esai. 66.

¶ *Et dabit illi dominus Deus sedem Dauid patris eius & regnabit*, & pro, idest, explicat quæ antea dixerat. Dabit illi, inquit, dominus sedem Dauid patris eius. Idest, regnabit in domo Iacob, &c. Sic Esai cap. 57. Sanctum nomen eius in excelso, & in sancto habitans: & cum contrito & humili spiritu. Idest, cum contrito & humili spiritu. Vocat enim Esai. vt paulo ante diximus, hominem humilem, sanctum & excelsum.

Et, pro, id est, explicat præcedentia.

Esai. 57.

¶ Præterea, nota frequenter eadem, diuersis tamen orationibus in scriptura repeti per epimonen, idest, perseuerantiam. Quæ figura fit quando similia dicta crebra repetitione geminantur, vt in hoc loco vides. Et in Psalm. 12. Vsquequo Domine obliuisceris me in finē, vsquequo auertis faciem tuam à me, &c. Vsquequo exaltabitur inimicus meus super me? Vide Driedonem lib. 3. de dogma. fol. 78. ¶ *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius & regnabit in domo Iacob in æternum.* Hebræ. idest, super domum, & familiam Iacob, videlicet, super populum fidelē, vsque ad consumationem seculi in Ecclesia militanti post in triumphanti in æternum & vltra. Hoc certum est, & ex sacra scriptura compertum, quod regnum Dauid perpetuò duraturum erat. Sic enim dominus ait per Prophetam si irritum fieri potest pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, vt non sit dies, & nox in tempore suo: & pactum meum irritum esse poterit cum Dauid seruo meo, vt non sit ex eo filius qui regnet in domo eius. Sed regnum temporale domus Dauid iam diu abolitum est, vt experimento constat: regnum ergo Dauid & domus eius perpetuo permansurum, non temporale sed spirituale non terrenum, sed cœleste futurum erat. Salua enim Dei veritate (inquit Rupertus) iam dudum nullus rex temporalis sedet in throno Dauid, cum irritum factum non sit pactum Dei cum die, & pactum eius cum nocte, sitq; adhuc dies & nox in tempore suo, non ergo temporale & caducum sed spirituale & firmum esse debebat regnum Messiæ.

Epimone frequens in sacra scriptura, maxime in Psalmis & Prophetis

Psal. 12.

Driedonē

Messiæ regnum futurum erat spirituale, & æternū, & non tēporale probatur ex Ruperto.

vi. Ruper. de victor. verbi. li. 8. c 3.

¶ Præterea. Zachari. cap. 9. inter alios Prophetas apertissimè testatur regnum Messiæ in primo eius aduentu non esse, quale Iudæi existimant: cum dicat: dicite filiæ Sion, ecce rex tuus venit tibi, & ipse erit pauper, & sedebit super asinum, &c. Filium ergo ex Dauid qui regnet in throno eius certum est esse Christum, de quo ad Mariam in hoc loco Angelus. Et dabit (inquit) illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius. Hoc est regnum de quo Esai. cap. 9. ait: Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud & corroboret in iuditio & iustitia, à modo & vsquè in sempiternum. Et Daniel. cap. 7. Potestas eius potestas sempiterna quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur. Et Dauid. Regnum tuum regnum omnium seculorum, & dominatio tua in omni generatione & generationem. Et Psalmus secundus: Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius prædicans præceptum eius. Et in alio Psalmo 86. Fundamenta eius in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob, Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Quod non existimo dictum fuisse de portis illius terrenæ Hierosolymę quas scimus esse consumptas: sed de portis Ecclesiæ quam illa Hierosolyma adumbrabat. Regnat igitur Christus non in vmbratica, sed in vera Hierosolyma, hoc est,

Zacha. 9.

Esai. 9.

Dan. c. 7.

Psal. 144.

Psal. 2.

Psal. 86.

est, Ecclesia, & regnabit in æternum: quoniam Ecclesia nunquam peribit: nam, & si in mundi consummatione desinat esse militans ecclesia, tamen triũphans sine fine in ęternum permanebit: & sic semper futura est ecclesia in qua Christus in ęternum regnabit. Facta enim separatione in littore maris: congregatisqué inuasé bonis piscibus, malis autem foris missis & obiectis, accipiet Christus ecclesiam gloriosam non habẽtem maculam aut rugam, sed sanctam & immaculatam. ¶Poteris etiam per solium Dauid, eius dolores & labores intelligere. Fuit enim regnum eius doloribus & afflictionibus, atqué innumeris ærumnis plenum. Sedet igitur Christus (inquit Esaias) super solium Dauid, hoc est, super eius dolores, labores & angustias, in multo pluribus & accerbioribus cruciatibus versatus. Et ob eam causam forsitan dixit super solium, & non in solio, vt superlationem & abundãtiam dolorum significaret. ¶*Dabit illi dominus Deus sedem Dauid patris eius & regnabit in domo Iacob in æternum.* Ex hoc loco euidenter colliges, quod ecclesiæ fides deficere non potest. Est enim ecclesia sponsa Christi per fidem, sicut scriptũ est: despõsabo te mihi in fide. Quod si ecclesiæ fides deesset iam sponsi sponsæque matrimonium dirimeretur quorum tamẽ est indissolubilis perpetuaq; coniunctio. Sponsabo (ait) te mihi in sempiternum. Et sponsa: tenui, inquit, eum ne dimittam. Et ille rursum: ecce ego vobiscum sum, ait, omnibus diebus vsqué ad consummationem seculi. Quo testimonio ad id probandum vtitur Leo ad augustam, & Theodorum. Probat etiam Iulius in decretis suis hoc idem, illo Psalmi testimonio. Circundate Sion & complectimini eam, quoniam hic est Deus noster in seculum ipse reget nos in secula. Quod de ecclesia Christi intelligi oportere quicumque Psalmum legerit intelliget. Idem ostenditur ex hoc loco regnabit in domo Iacob in æternum & regni eius, &c. Si ergo in ęternum ecclesia

Ecclesiæ fides deficere non potest.

Osee 2. d

Can. 3.

Matt. vlt.

Episto. 14. & 69.

Psal. 47.

A Christi manu substinetur, Christi præsidio armatur, Christi virtute fulcitur, Christi sapientia regitur, fides profectò in ea permanebit sine qua regnum Christi in terris nullum est. Confirmat autem hoc, clarissima illa Esaiæ vaticinatio. Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus, spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedet de ore tuo, & de ore seminis tui, amodò vsqué in sempiternum. Huic B & illa similis est: disposui testamentum electis meis, iuraui Dauid seruo meo, vsqué in æternum præparabo semen tuum. Item, elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi: hæc requies mea in seculum seculi. Illa verò Hieremiæ est longe simillima. Ecce dies venient dicit Dominus, &c. Præterea, vir sapiens describitur à Domino is, qui ædificauit domum suam super petram: Christus igitur domum suam super petram fundauit. Quare nec pluuia, nec flumina, nec venti obruere eam possunt. C At fide stamus, vt ait Paulus: Ecclesia igitur fidem semper habebit. Nam aliàs non stabit, sed ruet. Quid? quod apertis verbis hanc fidei firmitatem ecclesiæ suę Dominus pollicetur, inquiens, super hanc petran ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersum eam. Ecclesiæ igitur fidem nõ poterit, vel infernus adimere. Cano. lib. 4. de Ecclesię catholicę auctoritate.

¶*Et regnabit in domo Iacob in æternum.* Notandum in hoc loco, quod regnũ cœlorum in hac vita domus Iacob appella- D tur, & solium, thronus, seu sedes Dauid, domus Israel, ciuitas Dei in monte sancto eius, dispersa per vniuersam terram. Iacob autem luctator, seu pugnator, & bellator. Quemadmodum in hoc loco, de Christo Rege nostro ait Angelus: regnabit, inquit, in domo Iacob. In domo Iacob habitant quotquot supplantant diabolum de cordibus suis: quotquot luctantur cum vitijs & concupiscentijs, vt non peccatum ipsis dominetur, sed regnet in cordibus eorum Christus Iesus,

Esai. 59.

Psal. 88.

Psal 33.

Hiere. 31. & 32

Matth. 7.

2. Cor. 1.

Matth. 16.

Regnũ cœlorum in hac vita vocatur domus Iacob &c. Soliũ & thronus Dauid, vocatur domus Israel & ciuitas Dei.

Rex pacis. Nunc per fidei, spei, & charitatis gratiam, donec perueniant ad visionis gloriam, vbi erunt plena iam pace securi. Hoc est, regnum cœlorum, idest, eorum qui facti sunt regeneratione cœlestes, vt Angelorum & hominum eorum qui exuti veterem hominem, seu carnalem vitam ex Adam, luctantur cõtra luxuriam, libidinem, ambitionem. Hoc regnum cœlorum seu domus Iacob à Iudęis repulsum, in gentes & infines orbis terrarum creuit, in quod principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, vbi reges conueniunt ad laudãdum & glorificandum dominum Deum Israel. Vnde & regnũ hoc à Christo nomen accepit, & dicitur Christianorum regnum: vt sicut sunt hæredes nominis, ita sint imitatores charitatis.

Christianorũ regnum.

¶Veri Regis officium est regnum suũ dirigere in iustitia, in pace, tranquillitate, in bonorum copia & affluentia, perfectiones suas, vt pote, sapientiam, bonitatem, etiam deriuare in eos qui subijciuntur ei. Et non tam imperare illis quàm pascere & dirigere, vt & ipsi non coacti ab ipso, sed volũtariè sub eo, etiam cum eo in iocunditate conregnent, & imperent super hostes. Vnde Apoca. 5. Fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes, & regnabimus super terrã. Qui sunt nũc reges, olim vocabantur pastores. Dominus regit me (inquit Propheta) & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit. Talis fuit Rex noster, tale regnum eius, in quo habitant subplãtatores diaboli, in quo regnat pastor ille diuinus, qui apud Ioannem ait. Ego sum pastor bonus. Et de quo nunc Angelus, inquit, regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.

Officiũ veri Regis.

Apo. 5.

Psal. 22. a qui sunt modo reges olim vocabãtur pastores.

Ioan. 10. b

¶*Et regni eius non erit finis.* Si regnũ Christi perpetuum & sempiternum est, atque sine fine duraturũ, quomodo. D. Paul. ait 1. Corinth. 15. Deinde finis, cum tradiderit regnũ Deo & patri. Ad hoc D. Augu. ait: de fine non consumẽte, sed de perficiente loqui Paulum. Sicut dictum est, finis enim legis Christus. ¶Vel

Explicatur locus Pau. 1. Corint. 15.

A deinde finis, scilicet, veniet generationũ & corruptionum, & omnium humanarum vicissitudinum: cum ipsa creatura quæ modò gemit, & parturit, liberabitur à seruitute corruptionis. Finis, inquit, cum tradiderit patri, non primitiãs tantum, aut vnũ, aut alterum manipulum: aut paucos qui cum eo surrexerũt, & fortè ascenderunt, id regnum, idest, iustos omnes super quos regnauit in iustitia & veritate & mansuetudine, regnauit per fidem & dilectionem. Licet

D. Aug li. vnico ad Horosium cõtra Priscillianistas c. 7.

B enim regnum Christi omnis cætus credentium sit, omnisquè congregatio fidelium, tamen peculiariter regnat super eos qui quotidie clauso ostio dicũt orãtes, adueniat regnũ tuũ: & qui toto corde ad cœlestẽ patriam anhelant. Hoc ergo regnum post caducarum rerum consummationem sempiternũ erit. Regni, inquit, eius non erit finis. ¶*Et regni eius non erit finis.* Regnum Christi perpetuũ esse significauit Esaias cap. 9. Admirabili quodammodo inter alia, quæ ibi de

Esai. 9.

C puero narrat, hoc ait, multiplicabitur eius imperiũ. Vbi in Hebraico ita scriptũ est Lemarbeh hãmisrah. Hebręi habent duplex M. alterũ scribitur in principio dictionis, & in medio, & est apertum, quod ita scribitur alterum nũquam ponitur, nisi in fine dictionis & ob eam causam terminale siue finale vocatur, & scribitur hoc modo & est vbiq; clausum, nullũ habens exitũ. Hoc est, perpetuò verũ. Neq; inuenies in tota sacra scriptura litera nisi in fine dictionis, excepto hoc versiculo Esaiæ, vbi litera est

Regnum Christi fore perpetuum significauit Esaias per mẽ clausum

D in principio dictionis. Nam illud est pręposìtio, ad, qd certè nõ caret mysterio. Vir erat Esai. doctissimus, satisque habebat exploratum, hanc literam non posse collocari, nisi in fine dictionis. Sed cum hoc in loco eam in principio collocauerit, nõ est dubium quin hic lateat mysterium. Ex Hebræo potest verti ad multiplicandum imperium, vel ad multiplicationem imperij. Sed quia Esaias diuino lumine illustratus, inter multa alia præuidebat hoc Christi imperium

in

in ecclesia non esse à Iudæis intelligendum, voluit, hoc scribere litera clausa, vt significaret fore hoc mysterium Iudæis clausum & abscõditum, quod vsq; hodie Iudæi ipsi non intelligũt. Et quoniam hoc Christi imperium nunquam esse desinet, voluit Propheta illud scribere litera clausa nullum exitũ habẽte. Vt ostenderet fore non solum Messiam de Virgine nasciturum (quod superius adnotauimus) sed regnum eius nullum finem esse habiturum. Quod in hoc loco Angelus pollicetur dicens: regni eius non erit finis. ¶ *Regni eius non erit finis.* Regnum istud in quo sit sitũ docet Pau. ad Roma. 14. cum ait: non est regnũ Dei esca & potus: sed iustitia, pax, & gaudium in Spiritu sancto. Ergo in cõsolatione & tranquillitate conscientiarum & mẽtis illud pacis regnum & imperium situm est. Et ante aduentum Christi in carnẽ, nec ipsi philosophi nouerunt istam pacem, seu gaudium istud, quod est in spiritu. Inter Iudęos autem, inter quos natus erat Christus, pauci admodum nouerãt. Post aduentum Christi hoc regnum & imperium quo regnat in mentibus fidelium multiplicatum est. Videlicet, quando gentes receperũt fidem & veram pacem spiritus, & de dilatatione huius imperij, & perpetuitate pacis huius loquitur Psal. 71. Deus iuditiũ tuũ regi da &c. præterea, Zachar. 9. potestas eius à mari vsque ad mare.

Ad Ro. 14

Regnum Christi in quo sit sitũ

Psal. 71.

Zacha. 9.

¶ *Quoniam virum non cognosco.* Heb. cũ viro non concubo: cognoscere enim in sacra scriptura est idem, quod rem habere, & concubare. Vt cognoscere mulierem est consuetudinem cum ea habere. Gen. 4. Adam cognouit vxorem suã, idest, cum ea concubuit, adeò verecundam rem, verecundè Spiritu sanctus describit delineatque. Gen. 19. habeo duas filias quę nondum cognouerunt virum. ¶ *Virum non cognosco.* Præsens pro futuro, non cognoscam. More Hebræorum, qui vna eademque voce & præsens & futurum tempus sæpe designant. Sola Virgo ista beatissima inter omnes virgines

Cognoscere pro concubare.

Gen. 4. a

Gen. 19. b

Præsens pro futuro.

A sui temporis decreuerat perpetuam virginitatem seruare, & propterea Messiam concipere meruit. Quo modo (inquit) fiet istud quoniam virum nullatenus cognoscam.

¶ *Quomodo istud, &c. Spiritus sanctus superueniet in te.* Non legisti o Virgo sanctissima apud Danielem, quod lapis abscisus sine manibus contriuit statuam quæ plurium regnorum erat figura? Filius ergo iste qui ex te nascetur futurus est mons magnus ad quem omnes B gentes confugient, & dicent: venite ascendamus ad montem domini, & ad domum Dei Iacob. Hic cõminuet omnia regna idolorum, omnia regna diaboli: hic auferet à Iudæis regnum, & dabit gẽti facienti fructus eius. Iste ergo diuinus lapis sine manibus, idest, sine opere virili sola gratia Spiritus sancti abscindẽdus est à te, quæ mons es, & ideo quia sine opere viri, quod nascetur ex te, sanctum erit: non solum quia Deus, sed quia homo absque peccato, hoc autem non ex C priuilegio, sed ex modo suæ sanctissimæ conceptionis. Quia quamuis descẽsurus est ex Adam secundum corpulẽtam substantiam non tamen secundum rationẽ seminalem. ¶ *Quomodo fiet istud, &c. Spiritus sanctus superueniet in te.* Quid inquit Rupertus, de salua matris virginitate dicemus ad laudem ipsius? Contra naturam (Iudæus inquit) Virgo parere non potuit. Nos autem credimus propter quod & loquimur, quia talem filiũ supra naturam Virgo parere potuit. Nõ dicimus contra naturam, quæ nõ est naD turę iniuria. Sed dicimus supra naturam quia est naturæ gloria. Quæ ratio est dicere, quod non potuerit quicquam supra naturam, qui fecit naturam? per verbum omnia facta sunt. Si omnia, profectò & natura fœminea, ergo ne fortior esset natura, quàm is (per quem facta est natura) nimirum rectè sapit homo rationalis, vt dicat, quia qui omnia fecit, & ipsam naturam, consequenter omnia vincit, & ipsam naturam. Quod si Iudęo vel Manichæo magnitudo miraculi ad

Dan. 2. e

Figura.

Explicatur locus.

Esai. 2. a

Matt. 21. d

Cõceptio Virginis operante spiritu sancto nõ fuit contra naturam sed supra naturã quæ maxima est gloria ipsius naturæ.

 incre

incredulitatem prouehit, quid rogo magis mirum, id quod assumptus, vel formatus est homo de terra animata & sensibile, an quod homo plasmatus est de terra inanimata & insensibili? Deniquè terram animatam & sensibilem Mariam dixerim, quoniam de terra & ipsa, & nos sumus facti. Porrò terra de qua primus homo plasmatus est inanimata sine dubio fuit, & insensibilis. Nonne ergo plasmatio primi Adam plasmatione secundi mirabilior fuit? siquidem materia viuens & sensibilis. i. fœmina quanuis virgo vicinior est huic operi, quã fuit illa materia: nequè viuens nec sensibilis. Igitur illa quidẽ plasmatio mirabilior, sed ista venerabilior. Hæc Rupertus.

li. 11. de victo. ver. c. 26.

¶Præterea si equæ in Capadocia (auctore Augu.) vento concipiunt, quid mirũ, quod Virgo Spiritu sancto cõcipiat? quare quanuis hoc mysterium admirabile sit, non tamen incredibile. ¶*Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? Spiritus sanctus superueniet, &c.* Si Angelus mysterium inefabile incarnationis ex Virgine: Spiritui sancto remittit, hoc idem & nos debemus facere. Exod. 12. de agno paschali ait dominus: nec remanebit quicquam ex eo, vsque mane. Si quid residuũ fuerit: igne comburetis, in voratione verbi (inquit Greg.) pigritia nostra reprehenditur, quia verba eius atque mysteria, nec per nos ipsos requirimus: & dicta ab alijs inutti audimus. Nõ remanebit ex eo quicquã vsq; mane. Quia eius dicta, magna sunt discutienda solicitudine: vt antequàm dies resurrectionis appareat, in nocte præsentis vitæ, omnia mandata eius intelligendo penetrentur. Sed quia hoc valde difficile est, subditur: si quid residuum fuerit comburetis igne. Quod ex agno remanet, comburimus igni: quando hoc, qđ mysterio incarnationis eius intelligere & penetrare non posumus, potestati sancti spiritus humiliter reseruamus. Vt non superbè quis audeat, vel contemnere, vel denuntiare, quod non intelligit: sed igni tradat, idest, Spiritui sancto relinquat. Quando igitur mysteria fidei non intellexeris, contentus sis quod ea Spiritus sanctus per sanctam scripturam, per concilia, per summorũ Pontificum diffinitiones, per sanctorũ doctrinam, per ecclesiæ cõsuetudinẽ & traditionem nos docuerit. Vt enim ait Damas. lib. 4. c. 14. cum opus hoc (scilicet, Sacramenti altaris) perinde atquẽ inclusio incomprehensibilis Dei in vtero virginis, supernaturale sit, quemadmodum ipsa interrogans quomodo fiet istud? contenta fuit solo illo angelico responso, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, sic impræsentiarum homines nõ debent esse nimiũ arguti in mysterijs alijs fidei, sed captiuare debent intellectum in obsequium fidei, & existimare non esse impossibile apud Deum verbum aliquod.

D. Aug. 21 de ciuit. c. 5.

Exod. 12. Figura.

Dei mysteria quæ capitatione nõ possunt Deo sunt remittenda & à nobis fide suscipienda.

Vi. glo. in hunc locũ Exo. 12.

Dama. lib. 4. c. 14.

¶ *Virtus altissimi obumbrabit tibi.* Heb. i. potentia altissimi, hoc est, Spiritus sanctus, dabit tibi vim & efficatiam coalescendi in te corpus Christi. La fortaleza de el muy alto te hara espaldas y sombra para que puedas cõcibir al Verbo. Sic Dauid ait Psal. 139. Obumbrasti super caput meum in die belli. i. munisti & protegisti me, & fuisti mihi instar galeę. Et Psal. 9. Scapulis suis obumbrabit tibi. i. fortitudine sua (quæ per scapulas intelligitur, homines enim latas habẽtes scapulas robustos dicimus) te proteget, tibi adiuuabit. Sic Spiritus sanctus scapulis suis, hoc est, potenti adiutorio suo obumbrabit Virgini, vt posset concipere corpus Christi absquè aliqua sua virtute. ¶*Virtus altissimi obumbrabit tibi.* Quod dominica incarnatio, seruata veritate historiæ, obumbrationis appellatione signetur, angelicus sermo testatur, qui in hoc loco ad Mariam ait: Virtus altissimi obumbrabit tibi. Quia enim vmbra non aliter exprimitur, nisi per lumen & corpus, virtus ei altissimi obumbrabit, quia in eius vtero lux incorporea corpus sumpsit. Ex qua videlicet obumbratione, omne in se refrigerium

quid obũbrare in sacra scriptura.

Psal. 139.

Psal. 9.

Per obumbrationẽ incarnatio verbi designatur.

D.Gregor. Iob.40. rium mentis accepit. Gregor. 33. Moral. cap. 3. exponens illud Iob 40. sub umbra dormit. ¶ *Virtus altissimi obumbrabit tibi.* Ecce pollicetur dominus quod verti faciet vmbram linearum per quas descenderat in horologio Achaz in sole retrorsum. 10. lineis in signum salutis Regis Ezechię Esai. 38. per Regẽ Ezechiã ægrotum, intelligitur genus humanum; quod propter peccata morbo laborat, & æternam mortem merebatur. At misertus illius sol ille iustitiæ Christus Deus noster retrorsum reuersus est. Cum enim Dei filius esset, æqualis patri, factus est homo. Vt D. Paul. vtar verbis se metipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Hoc est, solem reuerti retrorsum, nempe filium Dei humanam naturam sumpsisse: quoniam quatenus homo minor est patre, quemadmodum ipse ait pater maior me est. Venit igitur filius Dei vt Ezechias, hoc est, hominum genus à morte liberaretur, ipse enim de se ait. Ego veni vt vitam habeant. Ideo Christus dicitur salutare, iuxta illud, & videbit omnis caro salutare Dei. Et id quod dicebat iustus Simeon: quia viderunt oculi mei salutare tuum. Itaquẽ per 9. lineas per quas sol reuersus est retrorsum, nouem choros Angelorum intellige, à quibus Deus pater filiũ suum paulominus minuit, & per decimam lineam in qua sol ipse se posuit, intellige gloriosam illam Virginem Mariam in cuius vtero clausus est Christus. Nusquam enim Angelos apprehendit vt ait D. Paul. Sed semen Abrahæ. Hoc est, non naturam angelicam sumpsit sed humanam. Fuit ergo sol in decima linea, vbi fuit vmbra de qua Esai. reuerti faciam vmbram linearum quoniam hanc leniam excellẽtissimam obumbrauit Spiritus sanctus: iuxta illud quod ei dixit hic Angelus, virtus altissimi obumbrauit tibi.

Esai. 38. Figura. Philip. 3. Ioan. 14. Ioan. 11. Luca. 3. Luc. 2. Hebr. 2. Vatab.

¶ *Quod ex te nascetur sanctum.* quasi dicat, nõ humana sed diuina vi genitũ. ¶ *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei.* Meritò Angelus gratia plenam vocauit Mariam, plenam virginitate, plenam humilitate, plenam fœcunditate: ex huius gratiæ plenitudine tanquam ex fonte bibunt omnes Angeli homines & Deus, quæ fit angelus puellam quam pręparauit dominus filio domini sui. Bibit ipse de hydria eius, cognata sibi virtute delectatus. Quomodo fiet istud (inquit) quoniam virum nõ cognosco? Bibunt iumenta, hoc est, peccatores, quod de humilitate singulariter gloriatur: ecce, inquit, ancilla domini, respexit dominus (inquit) humilitatẽ ancillæ suæ. Nam virginitas sine humilitate habet fortasse gloriam, sed nõ apud Deum. Humilia semper excelsus respicit, & alta à longe cognoscit. Sed fortè ne in his duabus metretis plena est hydria virginis. Capax est etiam tertiæ, vt non solum Angelus & iumenta, sed ipse iam bibat Architriclinus. Hoc enim vinum bonũ quod seruamus vsq; adhuc, minister Angelus haurit. Sed vt ferat Architriclino. Patrem loquor qui principium trinitatis Architriclinus iure vocatur. Ait autem Angelus fœcunditatẽ Mariæ comendans, quę tertia est metreta: quod ex te nascetur sanctum vocabitur filius Dei. Ac si dicat cum eo solo est tibi generatio ista cõmunis. Hęc ex D. Bernar.

Maria virginitate, humilitate, & fœcũditate plena. Gen. 24. Figura. Psal. 137. D. Ber. sermo. paruis ser. 2.

¶ *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei.* Sanctitas (vt notat D. Hierony. super Amos cap. 2.) Deo tribuitur. Et hoc est illud quod 1. Reg. c. 2. dicitur: nõ est sanctus sicut Deus noster. Et seraphin clamabant domino: sanctus, sanctus, sanctus, ter: propter trinitatem personarum. Esai. c. 6. Et D. Ioan. Apoca. 3. ait: hæc dicit sanctus. Significat autem hoc nomen puritatem quãdam eximiã. Hinc est, quod dicebat dominus Leuit. cap. 12. sancti estote, quoniã ego sanctus sum. Hinc etiam fuit, quod in primitiua ecclesia omnes Christi fideles, appellabantur sancti. Quod licebit colligere, ex cap. 1. epistolæ ad Roma. Paulus (inquit) omnibus qui sunt Romę, dilectis Deo, voca

D. Hiero. 1. Reg. 2. Esai. 6. Apoc. 3. Leui. 11. Rom. 1.

vocatis sanctis, propter hanc vsque puritatem. Et hoc est illud, quod D. Paul. scribit ad Hebræ. c. 7. De Christo domino loquens: sanctus, innocens, impolutus, segregatus à peccatoribus. Vbi explicans Paulus quid sit sanctum, ait: segregatum esse à peccato. Hoc ergo est, quod significare volens Angelus Deiparæ Virgini, ait: quod enim ex te nascetur sanctū, vocabitur filius Dei. Verum est tamē quod sanctum sumi solet pro inuiolato, & hoc est apud profanos auctores. Vnde sancta loca dicuntur (vt Donatus ait) quę omni obseruatione inuiolata sunt. Sanctū, (inquit Martinus, de rerū diuisione) propriè dicitur, quod ab iniuria hominum defensum atque munitum est.

Hebræ. 7.

¶ *Regnabit in domo Iacob in æternum.* A Eternitas huius regni decantata est à Christo fidelibus Apoca. 11. vbi Ioánes ait: & septimus Angelus tuba cecinit: & factæ sunt voces magnæ in cœlo dicentes: factum est regnum huius mundi domini nostri & Christi eius, & regnabit in secula seculorum Amen. Septimus ergo ordo prędicatorum qui post mortē Antichristi instans iudicium, futuramque bonorum & malorum remunerationem prædicabit significatur per hūc septimū Angelum tuba canentem. Tūc quidem fient voces magnæ in cœlo, idest, laudes & gratiarum actiones maximę in ecclesia militanti & triumphanti dicentes: factum est regnum mundi, hoc est, creaturarum omnium domini nostri, hoc est, patris & Christi eius, idest, filij eius qui vnctus est oleo lætitiæ & regnabit in secula regni enim eius non erit finis. De hoc loco vi. in comment. nostris super Apoca.

Apoc. 11.

¶ *Quia non est impossibile apud Deū omne verbum.* i. omnis res. Hebrę. sic Hiere. 33. c. non erit tibi difficile omne verbum. i. nulla res erit tibi, &c. De hoc infra in illa verba: Diuulgabantur omnia verba hæc,

Verbum pro re. Hiere. 33.

¶ Hæc est regula christiana, qua aduersus omnes diaboli laqueos & tentationes vti debemus, si diabolus suggerat. Quomodo esse potest vt tres diuinæ personę sint Deus vnus? quot enim sunt supposita, tot sunt in omnibus rebus visibilibus & inuisibilibus essentię. Ad qđ tu dices, non esse impossibile apud Deū omne verbum. Si rursum inducat, quomodo potuit Deus virginis vterum intrare, naturaque humana concludi? regula hæc in promptu est, quia non est impossibile apud Deum omne verbum. Si pręterea insultet qui fieri potest vt in tā parua hostia sit totus Christus tàm magnus cum sit: cum locus & quod loco continetur proportionari debeant? Tu rursum responde, potest sanè id fieri, quia non est impossibile apud Deum omne verbum.

Regula christiana aduersus omnes dæmonū tētationes.

¶ *Ecce ancilla domini fiat mihi secundum verbum tuum.* In eo temporis momēto quo se Virgo sacratissima tàm profunde coram Deo patre humiliauit verbum caro factum est. Ita vt verè dicere potuit (inquit Rupertus) quod sponsa ait Cāti. 1. Dum esset rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum. Quid enim est vel erat accubitus regis nisi cor vel sinus patris? illi supradicti pastores vel sodales eius, qui sese pares ei faciūt, & greges non ouium sed hædorum post se trahunt, dixerunt, quod ante me rex iste non fuerit, quod ex me initium sumpserit, quod homo tātum & supra hominem in eo nihil sit, At ipse priusquam ego essem, imò & ante quam Abraham fieret est, & erat, & in illo accubitu suo erat. Nam in principio erat verbum & verbum erat apud Deum. Dum ita esset, nardus mea dedit odorem suum. Et hoc odore delectatus, descendit in vterum meum. Olim in Eua malo fœtore superbiæ offensus: & ob hoc ab humano genere auersus fuerat, nūc autem delectatus bono odore, nardo humilitatis meæ, sic ad genus humanum conuersus est. Propterea nardum meam dico humilitatem meam, quia sicut nardus herba aromatica paruo quidem frutice, vel parua spica, nequaquam in altum se subrigit, sed comosa atque odoratissima, flore optimę odoris,

Rupert. de humilitate virginis per nardū significata Cant. 1. d.

Ioan. 1.

odoris, atquè radicula suaui, multis vsibus probatur vtilis: sic humilitas mea, suo quidem arbitrio parua res est nimiū què exilis, sed iuditio regis preciosior est cunctis operibus legis, in quibus homines iusti sibi videntur, atq; magnifici, ipsumquè regem, & patrē eius Deū, sanctum quoque spiritum vnicè delectat, velut suauis odor, qualis quantusq; de nullo vsquam vsque ad ipsum spirauit, vel spirare potuit sacrificio. Hæc ex Ruperto.

D. Ber. de nardo virginis, hoc est, de humilitate eius.

¶D. Bernar. explicans eundem locum sic ait: sponsæ humilitas tanquam nardus spargit odorem suum, amore calēs, deuotione vigens, opinione redolens. Sponsę humilitas voluntaria est, perpetua est, fructifera est. Odor eius nec reprehensione exterminatur nec laude. Audierat pulchrę sunt genę tuę sicut turturis, & collum tuum sicut monilia. ¶Audierat Virgo, aue gratia plena Dominus te cum benedicta tu, &c. audierat, ne timeas Maria inuenisti gratiam apud dominum: ecce concipies, &c. Audierat spiritus sanctus superueniet in te, & tamen dicit ecce ancilla Domini, &c. Acceperat sponsa ista repromissionem ornatus aurei, & nihilominus tamē cum humilitate respondet, & quanto maiorem se audit, tanto humiliat se in omnibus. Nec gloriatur in meritis, nec inter laudes suas obliuiscitur humilitatis. Quā & humiliter confitetur sub nardi nomine: Ac si voce Virginis Marię dicat: nullius mihi meriti conscia sum ad tantam dignationem, nisi quod respexit Deus humilitatem ancillæ suæ. Nā quid est aliud nardus mea dedit odorem suū, quam placuit mea humilitas? Non mea (inquit) sapientia, non mea nobilitas, nō mea pulchritudo, quæ nulla erant mihi, sed quę sola inerat humilitas dedit odorem suum, idest, solitum. Solitò placet Deo humilitas, solitò planè atq; ex consueto excelsus dominus humilia respicit: & ideo cū esset rex in accubitu suo. id in excelso habitaculo suo, illuc quoque humilitatis odor ascendit. In altis habitat (inquit) & humilia respicit in cœlo & in terra. Ergo cum esset rex in accubitu suo nardus dedit odorem suum. Accubitus regis sinus est patris, quia semper in patre filius. Ne dubites regem hunc esse clementem cui perēnis accubitus est paternæ benignitatis, diuersoriū. Meritò clamor humiliū ascēdit ad eum, cui fons pietatis est māsio, cui familiaris suauitas, cui substātialis, vel potius cōsubstātialis bonitas est, cui ideo totū, quod est de patre est, vt nihil prorsus in regia maiestate, nisi paternum, humilium trepidatio suspicetur. Deniq; propter miseriā inopum & gemitum pauperum nunc exurgam (dicit dominus) hęc ex Bern. ¶*Ecce ancilla domini*. Humilitas quanto plura & maiora à Deo recipit tāto capacior efficitur. ¶*Ecce ancilla domini*. Signum euidens veræ humilitatis est humilia & abiecta officia libenti animo exercere velle. Cum Dauid misit nuncios qui adducerent Abigailem eo quod eam ducere in vxorem vellet: illa ait: ecce famula tua sit in ancillam vt lauet pedes seruorum domini mei. Hac eadem profunda humilitate prædita, Virgo Maria se ancillā domini vocat. ¶*Ecce ancilla domini*. Beda super miss9 est: pulchrā per mixtio virginitatis & humilitatis. Vide supra in illa verba, ne timeas Maria. ¶*Ecce ancilla domini*. Hęc ait Virgo, statim concepit verbum plenum gratia. Vt intelligas, quod vera & profunda humilitas, est inter aliàs, dispositio vltima ad cōcipiendum in animo Dei verbum, & parandam primam gratiam, quod videre est in publicano, qui nō audebat oculos suos leuare. Et in filio Prodigo, qui genu flectendo dicebat, pater peccaui in cœlū & coram te, & non sum dignus vocari filius tuus, fac me vnum de mercenarijs tuis. Et in Magdalena quę stās retro cœpit lauare lachrymis suis pedes domini. Ad quem respiciā (inquit dominus) nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos? ¶*Ecce ancilla domini*. De humili Dauide, & de humilima filia eius Maria nasci voluit Chri

Psal. 112. a
Psal. 11. b
D. Bernar. can. 1.
Signū humilis est abiecta officia libēter velle exercere.
1. reg. 25. g
D. Ber.
vera humilitas vltima præparatio ad gratiam.
Infra c. 18 b.
Infra c. 15
Infra c. 7.
Esa. 66.

Christus, vt in humilitate diabolum atque Hærodem falleret & ars artem luderet. Vnde Esai. cap. 10. & 11. ait. Excelsi statura succindêtur & sublimes humiliabûtur & libanus cum excelsis cadet. Et eggreditur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus domini. Quorum verborum (inquit Rupertus) est sensus iste, superbi & diuites relinquentur, & de puella humili seu paupercula promissio veritatis implebitur. Simul per hoc dictum quod est de radice Iesse, vetus experimentum mentibus nostris adducitur. Quod accidit Iesse reprobatis maioribus filijs eius: & assumpto humili vel paruo Dauid, qui erat minimus. Id ergo est, ac si dicat: quid miramini quia dixi excelsi statura subijcientur, & sublimes humiliabuntur, & humilitas exaltabitur? Similiter factum est in diebus Iesse. Vultuosus erat Heliab, & alta erat statura eius, sed abieci illum, ait dominus. Itemque ad reliquos magnos filios eius secundum illorum similitudinem multi erunt, quando prophetia hæc implebitur, excelsi statura & sublimes in gloria, tam de regali quam de sacerdotali prosapia potentes viribus & valentes armatos producere exercitus: sed non de illis elegit dominus, nec adimplendum promissionis suæ verbum opus habebat sublimitate hominum, altitudine aulicorum in curribus & in æquis exultantiû, qui in multiplici fauore hominum, in multiuago plausu popularium, & nô in domino confidunt. Et tunc minimus filiorum Iesse, idest, paruulus Dauid, postmodum humilis ancilla domini præcunctis hominibus emissa in spiritu humilitatis altissimo complacebit, vt de ipsa compleatur nascente Christo promisso. Ac si de virga gracili expectabilis ascendat flos. ¶ Præterea sicut illic prætenta immolationis festiuitas & adductus de armento vitulus occurrentibus Samueli senioribus ciuitatis & admirâtibus ad uentum eius, causum subtexit, ne audiret Saul: ita & hic desponsatio Virginis, siue consueta nuptiarum solennitas & Ioseph maritus puellæ nominatus diabolum fefellit, & cûctos satellites eius, vt erant Hærodes & complices eius, vt nescirent sacramentum cuius sciendi nô dum erat tempus.

Esai. c. 10. 11.

Rupertus. quid sacramenti fuerit in rebo gestis radicis Iesse, hoc est dd. quod ad Christum & ad virginem pertineret.

1. Reg. 16.

¶ Atque multo melius & valde vtilius est Deum, vel Dei verbum sic vicisse, vel ad procedêdû procedere, vt in toto prælij congressu ars artem falleret, quam si de nobilibus atque potentissimis carne assumpta, materialibus armis eorum, côtra homines impios dimicaret. Quomodo in visibilis & non dum homo factus per Machabeos aliosque fortes, atque fideles viros dimicauit, & armis paucorum sæpe multa millia peremit: hoc idê facere poterat vt incarnatus de aliqua siue Hircani tunc temporis Pontificis, siue alicuius cæterorum filia, bellica sibi ob defensionem veritatis adhiberet instrumenta, meliori prouentu quam vel Machabeus, vel ipse Dauid vnquâ pugnauerat. Vt (verbi gratia) persequeretur vnus mille & duo fugarent decem millia. Multo melius, inquam, est quod ars artê fefellerit, quam si res acta fuisset armis eiusmodi. Non, inquit, in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo, dicit dominus exercituû. Hæc Rupertus de victoria verbi lib. 11. c. 19. & 20.

Laudabile Dei consilium esse, quod in humilitate diabolû atque Herodem fefellerit, atque ars artem luserit.

Deut. 32.

Rupertus.

¶ *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Tûc Deus habitauit corporaliter in vtero Virginis cû obediuit præcepto eius. Vt discas prælatis tuis parere, si velis Deum in anima habere. Sed heu quot religiosorum iam sunt qui non ipsi prælatis suis dicunt, fiat mihi secundum verbum tuum. sed êcontra potius illis prælati annuentes, aiunt: fiat nobis secundû verbum nostrum. Virgo non solum humilitatem, sed etiam charitatem, vt Deû conciperet habuit: nam charitatem habet qui dilectionem habet. Hanc verò habet qui Dei mandata seruat, si quis diligit me sermonê meum seruabit. Hunc seruabit quæ dixit fiat mihi secundû verbum tuum: Virgo igitur sanctissima, & charitatem, & humilitatem habuisse cô-

Maioribꝰ parendum est exêplo virginis.

Ioan. 14. c

stat,

stat. Tu igitur exemplo eius humiliare sub potenti manu Dei, & illum toto cor de, amore prosequere: quod si feceris, non solum mandatis eius, sed superiorũ tuorum libenter obedies. Dicesque fiat mihi secundum verbum tuum. ¶Bethaniæ quod interpretatur domus obedientiæ, Christus vngitur Ioan. 12. ipse illos diligit, qui ibi habitant. Ioan. 11. Diligebat Iesus Martam & sororẽ eius, & Lazarum, cum deest ei hospicium, venit Bethaniã vt ibi hospitetur. Mar. 11. Circunspectis omnibus, cum iam vespera esset hora exijt in Bethaniam cũ duodecim. Glo. vt quod in vrbe nõ inueniebat in agro paruulo apud Lazarum & sorores eius haberet hospicium. Habitaculum ergo Christi, & hospicium, obediẽtia est, quæ à corde hominum proprium sensum propriamq; voluntatẽ expellit. ¶*Fiat mihi secundum verbum tuum.* Ipse dominus dixit, & facta sunt omnia, factus est megacosmos, idest, mundus hic magnus visibilis, factus est microcosmos, idest, mundus hic minor, hoc est, homo. Sed ipsa Maria dixit: fiat mihi, & factus est olocosmos, totus mũdus in quo recapitulauit Deus omnia visibilia, & inuisibilia creata & increata, &c. Ephes. 1. vbi nos legimus instaurare, Græca lectio habet recapitulare omnia in Christo. Fiat mihi ait Maria, & statim vera Rebecca concepit Esau, & Iacob minorem qui tamen subripuit benedictionem à patre. Statim concepit Deum, & hominem, & homo factus est benedictus, idest, immortalis, impassibilis, &c. Deus autem passibilis & maledictus, nam maledictus omnis qui pepẽdit in cruce. Fiat mihi, ait Maria, & statim vera Thamar concepit fratres illos gemellos. Statim requieuit Sanson noster in sinum Dalilę vt captus amore eius totum seruaret mundum ab hostibus suis inuisibilibus illo moriente. Denique dicente fiat, Verbum caro factum est.

Ioã. 12.
Figura.
Ioã. 11.
Mar. 11.
Figura.
Figura.

A B C D

Exurgens autẽ Maria in diebus illis, abijt in mõtana cũ festinatione, in ciuitatem Iudeæ: et intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elizabeth. Et factũ est vt audiuit salutationẽ Mariæ Elizabeth, exultauit infans in vtero eius, & repleta est Spiritu sancto Elizabeth: et exclamauit voce magna et dixit, benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus vẽtris tui. & vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis exultauit in gaudio infans in vtero meo. Et beata quæ credidisti: quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino. Et ait Maria: magnificat anima mea Dominum, et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo: quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est,

Euangelium in visitatione Beatæ Mariæ.

& sanctum nomen eius. Et misericordia eius à progenie, & in progenies timentibus eum. Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Esurientes impleuit bonis: & diuites dimisit inanes. Suscepit Israel puerum suum recordatus misericordiæ suæ. Sicut locutus est ad patres nostros Abraham, et semini eius in secula. Mansit autem Maria cum illa, quasi mensibus tribus: et reuersa est in domum suam.

Esai. 51. b
Psal. 33. b
Esai. 29. c
Psal. 33. a
1. reg. 2. b
Esai. 41. b
Hiere. 31. a. d
Psal. 131. c
Gen. 17. c & 22. c

Aliquādo vita contēplatiua relinquenda est propter actiuā

EXurgens autē Maria abijt in montana. Hoc facto docet nos beatissima Virgo, aliquando licere dimmissis actionibus vitę contemplatiuæ, vitam actiuā agere, atq; suis actibus dare operam. Et quod hoc non sit à perfectione descendere, sed potius in montanam perfectionis regionem ascendere: hoc est, in virtute crescere.

Procurare debemus proximorum salutē exemplo virginis.

¶ Præterea, hoc virginis exemplo instruimur, charitatem in proximos habere, illorum salutem tam corporis, quam animi desiderando, illamq; opere, & re procurando. Non enim dicendus est quis charitatem habere, qui quod necesse est, proximo suo salutaria, hoc est, necessaria minime præstat. Qui viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in

A illo? Virgo sanctissima abijt in montana, vt charitatem exerceret, & salutem spiritualem Ioanni Baptistæ existenti in vtero matris afferret.

Pigritia & otium fugiendum.
D. Hiero. Ezech. 16.

¶ Deinde monet nos Dei mater vt pigritiam, & otium fugiamus. Illa enim exurgit & vadit festināter in montana. Vnde D. Hiero. super verba illa Ezech. 16. Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ: superbia, saturitas panis, & otium ipsius, & filiarum eius. Sic, inquit, semB per est aliquid agendum, ne ager nostri pectoris manu cessante malarum cogitationum sensibus occupetur. Et sapiens Eccle. 14. Ante obitum tuum operare iustitiam, quia non est apud inferos inuenire cibum. Et cap. 11. Mane semina semen tuum, & vespere non cesset manus tua. Et cap. 6. Ne acedieris vinculis eius, s. vinculis sapientiæ. Vincula sapientiæ sunt diuina præcepta quibus ligatus est homo. qui ex morsu pomi à Deo sibi prohibiti, quasi ex veneno in insaniam maximam incidit.

Eccle. 14.
& c. 11.
& c. 6. c.

Pastor Christus nondū natus abijt ad querendam ouem perditā. i. Ioānem in peccato, originis existentē.

C ¶ *Abijt in montana.* Nondum natus est pastor bonus, & iam relictis 99. ouibus abijt, vt ouem perditam quærat: & positam super humeros ad ouile reducat. Non quærit ouis, hoc est, Ioannes in peccato existens, pastorem: sed pastor diuinus festinat & quærit, & inuētam sanctificat: vt intelligas Deum in mundum hunc descendisse, atque hominem ex virgine factum fuisse, vt peccatores sanctificet: primum illos quærendo & ad eos veniendo alias enim in peccato manebunt. ¶ *Abijt in montana cum festinatione.* Genes. 18. dicitur, quod festinauit Abraham ad Saram, & dixit ei: accelera, & tria sata similæ cōmisce, &c. Hinc colliges iustos semper ad opera charitatis festinare. Sed dolendū sane est, quod etiā impij ad opera impietatis festinēt. Et sicut nec solus festinat Christus sed Mariam festinare facit, nec solus Abraham sed Saram, & puerū accelerare cogit: sic mali non solum seipsos, sed etiam vxores & filios, & omnes suos vrgent ad opera impietatis. Audi dominum apud He-

Gen 18.
Iusti semper ad opera charitatis festināt & impij similiter ad impietatē

Hieremias cap. 7. Conquærentem, nóne (inquit) vides, quid isti faciunt in ciuitatibus Iuda? Filij colligunt ligna, & patres accendunt ignem, & mulieres impastant pastam, vt faciant placentas reginę cœli, &c. vt me irascifaciant.

¶ *Abiit in montana cum festinatione.* Festinanter igitur, & non lento gradu, & nos quoque debemus proximi sanctificationem procurare, dimissa si opus fuerit vita quieta, & contemplatiua. Tunc enim peccator à nobis sanctificatur, cum per nostram secretam, & discretam correptionem, gratiam Dei, & amicitiam sibi comparat. Ex quo percussi primogenitos in terra AEgypti, sanctificaui mihi quicquid primum nascitur in Israel. Hoc idem nos facimus quando fratrem corrigimus. Est enim Ioan. in vtero matris existens, figura occulti peccatoris. Si ergo peccauerit frater tuus, festinanter vade, & corripe illum inter te, & ipsum solum, interfice peccatum eius, & sanctifica illum. Lege quæ de correptione fraterna annotauimus super Matth. cap. 18. ¶ *Abiit in montana cum festinatione.* Minimè mirandum est, quod verbum caro factũ, eat cum tanta celeritate ad sanctificandum Ioannem Baptistam, cum nomen eius sit, accelera, spolia detrahere, festina prædari. Vt Esai. ait. cap. 8. Emanuel noster est, qui detraxit velociter spolia dæmonis, & qui abstulit Ioannem, nósque omnes, ab eius potestate, & miserrima serditute, nos sumus spolia, quæ ab illo abstulit: ea citò eripuit, ipsumq; dæmonem prædatus est: non vltra eum regnare patiendo. Ipse est, qui contriuit caput serpentis, vt dominus prædixit Gene. 3. ¶ *Abiit in montana cum festinatione.* Vt intelligas Christum studiosius curare salutem nostram quam nos ipsi velotius que currere ad nobis ignoscẽdum quã nos festinamus ad veniam, & remissionem peccatorum quærendam.

¶ Fugiamus igitur tarditatem detestemur pigritiam exemplo Christi. Multa profectò sunt, quæ nos ad tarditatem vi candam adducere possunt, temporis angustia. Vnde Eccle. 10. dicitur: Noli cunctari in tempore angustiæ. Velocitas rerum omnium, Sapie. 5. Transierunt omnia illa tanquam vmbra, & tãquam percurrens nũtius. Celeritas impiorum ad malum. Pro. decem pedes eorum ad malum currunt, & festinant, vt effundant sanguinem. & Horatius, *Impiger extremos currit mercator ad indos. Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignem.* Et diuus Bernar. Magna confusio ardentius desiderant seculares perniciosa, quã nos vtilia. Alacrius currunt ad mortem, quam nos ad vitam. Vnde cum imminẽte passione domini cæteri Apostoli somno grauati essent, solus Iudas, non solum non dormiebat, sed mortem domini solicitus procurabat: satellitesque vt illũ comprehenderent adducebat. Volemus igitur etiam nos, & festinemus in via virtutis, nam qui sperant in domino mutãt fortitudinem, assumunt pennas, & volant, & non deficiunt. Vt Esaias ait. Festinemus in montana, hoc est, in excelsas sedes: si cupimus coram rege cœlesti perpetuò astare. Vnde Prouer. 22. dicitur: vidisti virum velocem, in opere suo coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles. Properemus in illam requiem, si nihil impedimenti nostris actionibus occurrere concupiscimus. Vnde Eccle. 11. Esto velox in omni opere, & omnis infirmitas non occurret tibi.

¶ Sed tamen licet pigritia, & tarditas vitandę sint, & celeritas sectanda: celeritas tamen nimia esse non debet in rebus agendis, neque imprudens, & indiscretus animi feruor. Olim Deo non offerebatur animal cæcum, in omni tamen sacrificio offerebatur sal. Vt intelligeremus actiones nostras studiosas, sine oculis sapientię, & sine sale discretionis, Deo minime placere. Hinc est, quod Salomon ait Prouer. cap. 4. Palpebræ tuę pręcedant gressus tuos, idest, considera opera tua. Et Apost. 1. Timo. 5. Noli adhuc aquam bibere, sed vino modico vtere. Super quæ verba glo. sic inquit, pruden-

Hiere. 7.
Festinatione, & nos debemus sanctificationẽ proximi procurare.
Num. 3. b Figura.
Math. 18.
Non mirũ quod Emanuel accederet cũ nomẽ eius sit accelera.
Esai. c. 8.
Gen. 3.
Studiosius Christus salutẽ nostrã curat quã nos ip si.
Tarditas fugiend.
Eccle. 10.
Sapien. 5.
Pro. 1.
Horatius.
D. Ber.
Math. 26.
Esai. 40.
Pro. 22.
Eccle. 11.
Indiscretus feruor vitandus est.
Figura.
Pro. 4.
1. Timo. 5.
Glo.

ter sibi vult Deus seruiri: non in nimietate ne debiles fiant, & post medicorum suffragia quærant. Temperandum est enim: vt si fieri potest, cœptum obsequium gradatim prouehatur, potius quàm in consideratione minuatur; hoc idem docet diuus Petr. 1. Episto. cap. 4. Charissimi nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit. Et Eccles. 7. Noli esse multum iustus. In quem locum ait Glossa interlinealis, quod summa iustitia, summa iniustitia est. Sunt aliqui qui in re nulla, se indulgere volunt: aduersus quos ait Philosophus: arbitror primo, in vita vtile esse nequid nimis. Ad rem facit prouerbium illud antiquorum festina lentè. Breuis quidem sententia, sed digna profectò, quod omnibus incidatur columnis, quod pro templorum omnium foribus describatur, & quidem aureis notis: denique vt ab omnibus celebretur: vt quod tantopere expediat semper cuiusque obseruari animo, quo nusquam non occurrat oculis, nullo quidem mortalium, non maximo futurum vsui, præcipue tamen principibus, & ijs quibus commissi populi, ac tam multa negotia curæ: vt verbis dicam Homericis. Quando quidem à plebeja sortis hominibus, siquid forte sit, vel prætermissum socordia, vel admissum temeritate, quemadmodum iactura leuior, ita & incommodum, quod acceptum est, facinori remedio sarcitur. At vero principis, vel vnica cessatio, semel ve præcipitatum consilium (Deum immortalem) quas tempestates nonnunquam excitat, quantas rerum humanarum ruinas secum trahit? Rursum si adsit maturitas quædam, & moderatio simul ex vigilantia, lentitudineque temperata, vt neque per temeritatem quicquam faciat pœnitendum, neque per socordiam quicquam prætereat, quod ad reipublicæ commodum pertinere videatur, quæso te quid esse potest hoc imperio fœlicius, firmius, & stabilius? Per paucos autem inuenies, qui prouerbium hoc sequuti tempestiuam celeritatem cum prudenti tarditate rectè miscuerint. Nisi quod pro multis vnus sufficit Christus verus Rex, verusque imperator, qui ad rem agendam adhibebat simul, & industriæ celeritatem, & diligentiæ tarditatem. Admonens nos, vt his duabus rebus, hoc est, tarditate simul cum celeritate, res maximas, hoc est, salutis agamus.

Abiit in montana, in ciuitatem Iuda. Non in Bethleem, quæ per Antonomasiam ciuitas Iudæ appellabatur: tanquã illius tribus metropolis: sed in quandam ciuitatem Iudæ, in qua habitabat Zacharias in montana, cuius vsque in hodiernum diem vestigia manent, quæ tametsi eo tempore, non nisi oppidulum ex ruinis erat tamen ciuitatis antiquæ nomen retinebat.

¶ *Et intrauit in domum Zachariæ.* Zacharias sacerdos erat: intra domum suam Ioannem habebat: & tamen non illum sanctificauit, vt scias, quod Christus, & non lex, neque sacerdotium erat qui peccatores sanctificabat.

¶ *Et salutauit Elisabeth.* Maiores debent non contémnere, sed honorare minores. Vnde d. 95. capi. diuus Hieronym. ait: esto subiectus Pontifici tuo, & quasi parentem animæ ama: sed Episcopi, sacerdotes sciãt se esse, nõ dños. Honorẽt clericos quasi clericos; vt ipsis episcopis a clericis honor quasi Episcopis deferatur. Scitũ est illud oratoris Domicij. Cur ego (inquit) te habeam, vt principem, cũ tu me non habeas, vt senatorẽ?

¶ *Exultauit infans in vtero eius.* Sãctificatus iã Ioannes exultauit in vtero matris. Vt hinc intelligas peccatores à Deo sanctificatos, gaudia nõ dimittere, sed in melius cõmutare: non luctũ, sed lætitiã potius, & exultationẽ habere. Venite (inquiũt) exultemus dño, iubilemus Deo salutari nostro, &c. Regnũ Dei (ait Christus) intra vos est: regnũ autẽ Dei est gratia pax, & gaudiũ. Exultant ergo peccatores post peractam pœnitentiã, & præ gaudio subsaltare, & subsilire nõ cessãt.

¶ *Vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth,*

1. Pet. 4.

Eccle. 7. Glo.

Festina lẽte, vide Erasm.

Admonentur principes, vt festinẽt lente.

Ne q3 Iex neq3 sacerdotiũ, sed Christus sanctificauit Ioãnẽ.

Maiores enim nõ contemnant, sed honorem deferant minoribus. Exẽplo virginis.

Exultent peccatores post conuersionẽ.

Psal. 94.

Luc. 17.

Rom. 14.

sabeth; exultauit infans in vtero eius. Nunc temporis sanctificatus fuit Ioannes, & repletus Spiritu sancto, quemadmodum Zachariæ prædixerat Angelus, inquens, replebitur Spiritu sancto adhuc ex vtero matris suæ. ¶ Atque in hoc loco nota: multis modis Christum dominum homines sanctificare. Quosdam peccatores sanctificat in vitæ fine, hi autem tam pauci sunt, vt in tota sacra pagina vnum duntaxat eo tempore sanctificatum fuisse legamus, nempe latronem. Non ergo tardes conuerti ad dominum, sed memento creatoris tui in die iuuentutis tuæ. Hac enim animaduersione percutitur peccator, vt dum viuens oblitus est Dei, moriens obliuiscatur sui ait diuus Augustinus. Alios sanctificare solet per sacramentum pœnitentiæ, aut per intimũ animi dolorem qualem habuisse Magdalenam, testatur Euangelista. Hic est impetus fluminis qui lætificat ciuitatem Dei, & quo sanctificat tabernaculum suum altissimus. Alios verò per martyrium. Beati, inquit, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Huic sanctificationi adaptare possumus, quod dominus ait per Sophoniam Prophetam. cap. 1. Præparauit dominus hostiam: sanctificauit vocatos suos. Alios autem per baptismum. Vnde diuus Paul. ait. Peccatores aliquando fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine domini nostri Iesu Christi. Tandem sanctificat Deus speciali quadam præuentione, sic matrem suam, sic Prophetam Hieremiam, de quo dominus ait: Antequam exires de vulua sanctificaui te. Sic denique hodie Ioannem Baptistam, qui repletus est Spiritu sancto in vtero matris, & præ gaudio subsiliuit, vt enim audiuit salutationem Mariæ Elisabeth exultauit infans Ioannes in vtero matris. Quæ sanctificatio cęteris omnibus est pręclarior. *Exultauit infans.* Si Ioannes adhuc infans subsaltauit in vtero intelligendo verbum Dei iam carnem factum esse, quanto potius mater Ecclesiæ exultare iam debet? Exulta ergo, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel. Quanto plus nos quoque, qui non pueri, sed grandes prouectæque ætatis effecti subsilire, atque pro tanto Dei erga nos beneficio gratias impendere debemus? Exultate igitur iusti in domino rectos decet collaudatio, confitemini domino in cythara, & in psalterio decem cordarum psallite illi.

Multimodis Deus electos suos sanctificat

Eccle. 5. b

D. Augu.

Luc. 7.

Psal. 45.

Matth. 5.

Sopho. 1.

1. Cor. 6.

Hier. 1.

Hi infans exultat ad aduentũ Christi quãto plus adulti exultare debemus?

Esai. 12. b

Psal. 32. a

¶ *Et repleta est Spiritu sancto Elisabeth.* Sua visitatione, & salutione sancta Virgo non solum repleuit Spiritu sancto Elisabeth, sed totam domũ eius. Nã Io. Baptista, & Zacharias pater eius Spiritu sancto repleti sunt. Vt primũ discas, quales inter nos debeant esse, & visitationes, & salutationes, qualia nostra colloquia, non illis vt peiores simus, sed vt sanctiores, vt debemus. Quoties inter homines fui, minor homo redij. Quapropter, Seneca ait: fugienda est turba, recedite (inquit Esai.) exite inde, pollutũ nolite tangere, exite de medio eius. Et rursum ait: egredimini à Babylone fugite à Chaldæis. Et Hieremias: recedite de medio Babylonis, de terra Chaldæorum egredimini. Quibus verbis admonemur, vt consuetudinem impiorum fugiamus: ne sua vana, & nociua conuersatione polluamur. Vt enim qui tangit picem inquinatur ab ea; sic qui familiaritate sceleratorum vtitur facilè deprauatur. Si prohibemur labijs attingere aquam contaminatam quanto magis eam bibere? Discedamus igitur à peccatorum consuetudine, & colloquio, ne eorum pollutas aquas attingamus, si volumus non perire. Quanuis enim in principio claræ, ac dulces videantur, tamen si earum finem respexerimus, videbimus contaminatas, & veneno infectas. Apud Scythas est fluuius nomine Hypanis. Qui in principio dulcis, ac purus apparet, postea verò, inficitur amaro fonte, & bibentibus

Consuetudo impiorum fugienda, & sanctorum sectanda.

Seneca.

Esai. 52. & 48.

Hiere. 50.

Similitudo

Simile

perniciem parat. Talis est hominum impiorum conuersatio prima specie, clara, & suauis, sed postea turbulenta, polluta, & venenosa. Detestemur igitur has pollutas aquas, audiamus Prophetam dicentem: pollutum nolite tangere: cum Zacharia, & Elizabeth, & Ioanne, hoc est, cum iustis conuersemur, illos inuisemus, illos verbis salutaribus exemplo Virginis salutemus, & tandem conemur, vt tota domus à nobis inuisa, & salutata, sanctior cum discesserimus relinquatur.

Psal. 45.

¶ Deinde aduerte, quod postquam diuus Ioannes repletus est in vtero matris Spiritu sancto, statim eius mater eodem spiritu repleta est, quasi à plenitudine Ioannis diffuso. Vt discamus datum spiritum diuo Ioanni non solum ad infusionem, sed (vt ita dicamus) ad diffusionem. Non solum vt eo diuino spiritu infans iste sanctificaretur, sed vt suo ministerio patrem, & matrem, & alios multos sanctificaret. Hoc ergo erit signum nostræ sanctificationis, si ministerio, & opera nostra alios sanctificemus. Dei enim adiutores sumus, inquit Paulus. 1. Corint. cap. 3. ¶ *Et repleta est Spiritu sancto Elizabeth, &c.* Adeo repleta fuit vt præterita, præsentia, & futura mysteria cognouerit. Vnde notandum ex Origine est, quod spiritu prophetiæ, nec semper, nec eodem modo animum Prophetæ tangit. Aliquando ex præsenti tangit, & non ex futuro. Vnde Ioannes venientem dominum videns quem nunquam viderat, ait: ecce agnus Dei. Sed iam iam moriturus mittit qui eum interrogent: tu es qui venturus est, an aliud expectamus? Quibus verbis ostendit, quod dominum venisse nouerat; sed an per semetipsum ad aperienda inferni claustra descenderet, dubitarat. Aliquando vero ex futuro tangit, & non ex præsenti: vnde Isaac, quæ filio suo Iacob longe post futura erant, nuntiauit: quis autem esset scire non potuit. Aliquando ex præsenti pariter, & futuro. Vnde Iacob qui caligantibus oculis nepotes dignoscere non poterat, quis maior esset: quis ve minor: ductis in obliquum brachijs dexteram minori: sinistram maiori imposuit. Vnde post ait: scio fili mi, &c. & iste quidem erit in populos, &c.

Signū nostræ sanctificationis.
1. Cor. 3. b
Multis modis spiritus propheticus tangit Prophetas, ex Origine.
Ioan. 1.
Infra 7.
Gen. 27.
Gen. 48.

Aliquando vero ex præterito, præsenti, atque futuro. Sicut hodie Elizabeth ad se venire Mariam conspiciens, quod incarnatum Verbum in vtero gestaret agnouit: eamque domini sui matrem vocauit dicens: vnde hoc mihi, vt veniat mater domini mei ad me? de cuius conceptione per Angelum ad Ioseph dicitur: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Quæ, scilicet, Elizabeth dicit; beata quæ credidisti quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi a domino: hic aperte ostendit, quia quæ Angelus ad Mariam dixerat, per spiritum agnouit, & quæ in futuro sequerentur, prævidit.

¶ Fœlix profecto Elizabeth, quæ spiritu, & afflatu Dei tacta, in momento temporis fere omnia Euangelij mysteria cognouit. Nam cognouit Virginem salutantem esse veram Dei matrem, cognouit eam concepisse vi, & virtute Spiritus sancti: intellexit verum filium Dei in suis visceribus esse reclusum: intellexit Messiam iam venisse ad genus humanum redimendum: commune patruum antiquorum desiderium, prædicatione omnium Prophetarum, spem omnium seculorum adimpletam esse. Tandem tunc temporis didicit ineffabile triadis mysterium. Nam intelligendo Dei filiū opere Spiritus sancti fuisse conceptum, intellexisse necesse est trium personarū distinctionem. Tantis ergo repleta sacramentis, tamque mirabilibus mysterijs plena, minime mirandum est, quod præ illorū admiratione exclamarit, atque ad cœlum vsque vocem extolleret: ac diceret: benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui: & vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?

Matth. 1.
Luc. 1.
Matth. 1.
Ezech.
Cant.

¶ Exclam.

¶*Exclamauit voce magna.* Meritò sic A exclamasse dicitur Elizabeth, nam ad tã, tam Dei matrem, ad tantam cœlorum reginam laudandum, non satis est vox quæcunque, sed maxima, imo nõ sat est humana vox, sed diuina necessaria est. Preterea voce magna clamauit, nam magna, animi, & affectus deuotio, grandi voce exprimenda est: cum ea quæ sunt in voce earum quæ sunt in mẽte passionum sint notæ.

Exclamatio signum est magnæ deuotionis.

¶*Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Heb. pro, fœlicissima mulierum es tu, & fructus tuus fœlicissimus. B

¶Cæterũ signum sanctificationis nostræ est, laudare ex corde Deum, & matrem eius, Deum & sanctos. Laudemus igitur Deũ in sanctis, eius laudemus eũ in firmamento virtutis eius. ¶*Benedictus fructus ventris tui.* Hic est fructus ille benedictus: de quo Esai. cap. 47. prædixerat. In die illa erit germen domini in magnificẽtia, & gloria, & fructus terræ sublimis. Appellatur germẽ dñi, quia C est filius dei vnigenitus, & fructus terræ, quia filius Virginis. Hic ergo Deus verus, & homo verus erit, inquit Esai. Magnus, & gloriosus, & sublimis. Quid enim gloriosius, & sublimius, quàm cæcis visum restituere, leprosos verbo mũdare, mortuos ad vitam reuocare?

Laudare Deum ex corde, & sãctos signũ est sanctitatis.

Esai. 47.

¶*Et vnde hoc mihi vt veniat mater domini mei ad me?* Si de generalibus beneficijs à Deo hominibus exhibitis admiratur Dauid, ita vt exclamando dicat: Quid est homo, quod memor es ius, aut filius hominis quoniam visitas eũ, &c. D Et Iob: Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eũ cor tuũ? Quanto potius admirari debebat Elizabeth, pro tam specialibus, & peculiaribus beneficijs à Deo sibi collatis, ac vocem tollendo dicere: vnde hoc mihi, vt veniat mater domini mei ad me? ¶*Vnde hoc mihi, &c.* Humilitas signum maximum salutis est. Nam Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humilia respicit, & alta à longe cognoscit. Humiliamini ergo sub potenti manu Dei, vt ipse vos exaltet. Sed de hoc tãtis superius dictum est.

Si pro generalibus beneficiis agenda est gratia quãto magis pro incarnatione verbi.
Psal. 8. b
Iob. 7. d

Humilitas cõmendatu.

1. Psal. b

Iob. 7. b.

¶ *Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ, &c.* Mira profecto res, nam sicut in exordio rerum dixit Deus fiat lux. Et statim facta est lux, ita modo, vt venit vox salutationis Mariæ ad aures Elizabeth repleta fuit Spiritu sancto, atque Dei gratia, lumineque diuino fuit plena. Quod enim in principio mundi vox Dei præcipiendo effecit, id etiam vox Virginis non præcipiendo, sed salutem precãdo modo operata est. Illam ergo humiliter depræcemur illã tanquam veram aduocatam, & patronam inuocemus, nam vox eius non solũ dulcis, sed efficax: nõ solũ suauis, sed vim impetrandi nobis salutẽ habens.

Vox Virginis efficax ad salutẽ impetrandam.

¶ *Ex quo facta est vox salutationis tuæ in auribus meis exultauit in gaudio infans in vtero meo.* O incomparabilis gratia: o inæstimabilis diuinæ virtutis potentia. Vox Mariæ dum auribus Elizabeth insonat, cor Ioannis penetrat, qui abstrusus intra materna latebat viscera, spiritum eius animat, gaudioque vegetat salutari, & cui virtus naturæ vix adhuc totam infuderat animam, virtus vocis Mariæ pleniorem infundit prophetiam, adeo vt etiam de plenitudine filij copiose videatur in matrem refundi. Verè flumina de ventre Mariæ fluebant aquæ viuæ, & fons vitæ, & gratiæ fluebat de medio paradisi ad irriganda ligna paradisi. Proxima erat fonti cedrus ista nobilis, Ioannem loquor consobrinum, & amicum sponsi, præcursorẽ Baptistam, & martyrẽ domini. Ideoquẽ nimirum vberius irrigata in tantum excreuit, vt inter natos mulierũ nihil posset illo sublimius inueniri.

quod Ioãnes vix plãtatus in vtero, fontevitæ per os virginis sit irrigatus.

¶*Et beata quæ credidisti.* Fides Virginis porta aurea fuit, per quam in mentẽ eius intrauit lux, & decus vniuersæ fabricæ huius mundi. Prius enim intrauit in mentẽ quàm in eius ventrem. Beata, inquit, quæ credidisti, quia perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à dño. Beatior (in-

Fides virginis commendatur.

Augu. lib. de virgini tate. quit diuus Augustinus) fuit Maria percipiendo fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi. Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi fœlicius Christum corde quã carne gestasset. Fidem ergo Virginis imitemur Heb. 11. si beatos, & fœlices esse cupimus. Nam sine fide impossibile est placere Deo.

¶ Hæc porta est per quam dominus Figura. Exech. 46. vniuersorum, & princeps regum terræ in corda hominum ingreditur: morti verò, & mortis auctori tam clausa est, vt omnes portæ inferi prævalere non Math. 16. glo. ibi. possint aduersus eam. Nam vt glo. ait, qui intimo cordis amore fidem Christi percipit, quicquid ingerit extra facilè vincit. ¶ Hæc porta sanguinem agni Figura. Exo. 12. habere debet, tam in superliminari quã in vtroque poste, ne exterminator mentibus nostris nocere possit: vt enarratur Exod. 12. Super liminare sanguine Christi tinctum esse debet, vt memoria humilitatis, & intuitu passionis eius mens nostra ab omni superbiæ veneno caueat. In vtroque etiam poste sanguis huius agni esse oportet: vt exemplo Christi ne aduersa mala mens nostra pertimescat, nec prospera bona concupiscat.

Figura. Leui. 17. ¶ Fides, porta est tabernaculi, hoc est, militantis Ecclesiæ, vbi hostia offerenda est. Leuiti. 17. Homo quilibet de domo Israel, qui occiderit bouem, aut ouem, & non obtulerit ad ostium tabernaculi oblationem domino, sanguinis reus erit. ¶ Hæc est, quæ intellectum & prudentiam humanam captiuat in ob 2. Cor. 10 sequium Christi. 2. Corin. 10.

¶ Hæc, quę inter animã, & Deum ma Ossee. 2. trimonium initiat. Osseę. 2.

¶ Hæc est, velut annulus positus in digito sponsæ. ¶ Hæc, quæ animę virginitatem, & integritatem conseruat. Denique illa est primogenita virtutum omnium, quæ si cum charitate coniungitur beatos, & fœlices homines facit. Meritò ergo Elizabeth benedictam, & beatam appellat Virginẽ, beata, inquit, Ioan. 20. quæ credidisti. Meritò etiam, & beatos

A vocat dominus eos, qui non viderunt, & crediderunt. Cum virtus hæc tantum Deo nostro placeat, tantumque Christo domino grata sit.

¶ *Ea quæ dicta sunt tibi à domino.* A domino ita sonat, non quasi dominus dixerit, sed quod nomine domini, & illius, vt nos loquimur, verbis, hæc illi dicta fuerint, quemadmodum dicimus, dic illi ex me salutem.

¶ *Magnificat anima mea dominum.* B Locutiones reciprocæ in scriptura solent illam obscuram facere. Nos benedicimus, magnificamus, glorificamus, & sanctificamus Deum, ipse itidem magnificat, benedicit, glorificat, & sanctificat nos. Diuersimode tamen. Nam nos magnificamus, glorificamus, & sanctificamus, dum illum extollimus præconijs: magnum, & sanctum esse prædicamus: vt ab omnibus magnus, sanctus, & super omnia dignus laude habeatur, & gloria. Sic nomen Iesu magnificat, & sanctificat, & colit, qui odorem bonę famę Iesu, C & notitiam ac fidem eius ampliat, dilatat, & spargere desiderat in omnem gentem ac locum, vt omnis qui gloriatur non in viribus suis tanquam ipse absq; Dei miserentis gratia valeat quicquam boni agere, sed in domino glorietur. In domino, inquam, cuius misericordia à progenie, & in progenies: qui & potentiam, siue robur, & fortitudinem fecit nobis in brachio suo, idest, per brachiũ suum Christum, vincens fortem armatum principem huius mũdi diabolum. Ipse vero nos magnificat, glorificat, & D sanctificat, Dum nos magnos, & sanctos, & iustos facit. *Magnificat*, ergo (ait Maria) *anima mea dominum.* idest, extollit, & effert laudibus anima mea dominum. ¶ *Magnificat anima mea dominum.* Disce exemplo virginis cum extolleris, atque laudaris, omnes huius mundi laudes in Dei gloriam referre. Quid enim habes, quod non accepisti? Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est procedens à patre luminum. Disce

Nos magnificamus dñm, & dñs magnificat nos sed diuerso modo.

Laudes nobis exhibitę in Deũ sunt referendæ. 1. Cor. 7. b Iaco. 1. e

Ingratitudo est maxime fugienda.

ce etiam gratum esse Deo, pro beneficijs acceptis. Pessima profecto est ingratitudo. Ingratus vero est, (vt ait Seneca) qui beneficium se accepisse negat, qd accepit. Ingratus est, qui dissimulat: ingratus est, qui non reddit: ingratissimus omnium, qui oblitus est. Illi enim si nō soluunt, tamen debent, & extat apud illos vestigium meritorum intra consciētiam inclusorum. Et aliquando conuerti ad referendam gratiam aliqua causa possunt, si illos pudor admonuerit, si facilis occasio inuitauerit. Hic nunquam fieri gratus potest, cui beneficium totū elapsum est. Apparet illum non sæpe de reddendo cogitasse, cui obrepsit obliuio. Nunquam voluit esse gratus qui beneficium tam longe proiecit, vt extra conspectum suum poneret. Quicquid enim frequens cogitatio repocat memoriæ, nunquam sub ducitur, quæ nihil perdit nisi id, quod non sæpe respexit. Beatissima ergo Virgo pro tantis muneribus acceptis Deum laudat, Deum magnificat, Deumque miris encomijs effert. Magnificat, inquit, anima mea dominum, &c.

Præteritū pro præsenti sæpe in sacra scriptura.

¶ *Et exultauit spiritus meus.* Præteritum pro præsenti. Hebræ. sic alibi noli me tangere nondum enim ascendi ad patrem meum. Pro nondum ascendo. Exultauit spiritus meus. pro, exultat spiritus meus in Deo salutari meo. Item Psalm. 13. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis. Psalm. 19. Nunc cognoui quoniam saluum fecit dominus sanctum suum. Pro nunc scio. Ioan. 15. Clarificatus est pater meus, idest, clarificatur. Psalm. 13. dixit insipiens in corde suo. pro, dicit. ¶ *Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Nota quia exultatio alia mundi, alia Dei. Exultatio mundi in tribus consistit, in corporis, incolumitate, in rerum prosperitate, in malitiæ impunitate. Exultatio hęc non est ex intimis, sed foris in rebus pessimis: non est spiritus in Deo salutari, sed in desiderio salutari. Cæterum, omnis gloria filiæ regis ab intus. Exultauit, in-

Psal. 13. Psal. 19. Ioan. 15. Psal. 13.

quod diuersa sint genera gaudiorū.

A quit, spiritus meus in Deo salutari meo. In tribus exultatio Mariæ perpenditur maxime, quod de ancilla efficitur mundi regina, de paupercula, Dei mater & filia, de innupta, Virgo puerpera.

¶ *In Deo salutari meo.* Idest, propter Deum seruatorem meum, vel per Deū, idest, beneficio Dei a quo solo salutem expecto.

¶ *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatā me dicent, &c.* Respexit humilitatem, idest, paruitatē ancillæ suæ. ταπείνωσις, enim paruitatem sonat, nō animi virtutem. Quā suo vocabulo Græci vocant ταπεινοφροσύνην quasi diceret: fœlicem profecto, & fortunatam posthac iudicabunt, & dicent omnes generationes, quod me tam paruam, & infimam ancillam, tantis donis, & beneficijs affecerit. Neque enim sese de humilitate, hoc est, animi virtute, in hoc loco laudat Virgo, sed potius his verbis seipsam abijcit vocando se paruam & exiguam: & Deum extollit qui dignatus fuerit ad eius nihilitatem aspicere. Virtus ergo humilitatis hoc loco non significatur voce, sed exercetur opere. Nam hic est intimæ humilitatis actus existimare se infimam exiguam & paruam. Humilitas siquidem & charitas non videntur. De vtraque enim istarum dicit sponsus: Absque eo quod intrinsecus latet. Et Dauid: Omnis gloria eius filiæ regis ab intus.

Humilitas nō animi virtutē, sed paruitatē in hoc loco significat.

Cant. 4. Psal. 44.

¶ *Omnes generationes*, Vel omnes ætates.

D ¶ *Fecit mihi magna qui potens est.* Quæ sunt hæc magnalia Virgo sanctissima? Quæ sunt hæc mirabilia, quæ omnipotens fecit dominus? Non nostrum est ea scrutari & inquirere, nam scrutator maiestatis opprimetur à gloria. Sed nostrum est tantarum rerum admiratione teneri: præ lætitia, & exultatione subsilire, atque illarum animaduersione expauescere, O terque quaterque beata iustorum sors, quæ tantis muneribus affecta est, tantisque consolationibus inuisa.

Pro. 25.

¶*Et sanctum nomen eius.* Hebraismus, & cuius nomen, sanctū est. Sic Psal. 110. Redemptionem misit dominus populo suo, &c. Sanctū & terribile nomen eius. Pro, cuius nomen sanctum est, & terribile. i. qui sanctus est, & talis vt ab omnibus timeri debeat.

Psal. 110.
Nomē dñi est, sanctū.

¶Forsitan nomē eius, in hoc loco est esse misericordem. Deus cui proprium est misereri semper, & parcere. Hoc est nomē de quo Salo. ait: Oleum effusum nomen tuum. & ideo non solum fecisse sibi magna prædicat, sed effusam esse hanc misericordiam in progeniem, & in progeniem. Dicit ergo beatissima Virgo, Dñm fecisse sibi magna: tū, quia potuit: tū, quia voluit secūdū sanctū nomē suum, quod est esse misericordem.

Nomē dñi est, esse misericordē.
Cant. 1.

¶*Et misericordia eius à progenie & in progenies timentibus eum.* Hoc idem promiserat dominus Exo. 20. his verbis. Ego sum dominus Deus tuus fortis, & zelotes, &c. Faciens misericordiam in millia his qui diligunt me. Eo enim honore iusti afficiuntur à Deo, vt non solū ipsi sed tota eorum progenies propter ipsos honoretur. ¶*A progenie & in progenies.* Vel in progeniē & in progeniē. i. perpetuò, Heb. sic Psal. 49. Sepulchra eorum domus illorum in æternum. Tabernacula eorum in progenie, & in progenie. i. in perpetuum. Misericordia ergo domini perpetuò fauet timentibus eum.

Exo. 20.
Nō solum iusti sed tota eorum progenies honoratur à Deo.
Psal. 49.
Deus perpetuo fauet iustis.

¶*Timentibus eum.* i. religiosè colentibus, Heb. est. Proprium enim videtur esse Hebrææ linguæ, vt timorem Dei vocet, id quod nos Dei cultum, metū Dei seu pietatē dicimus. Græcè θεοσέβειαν, pietatem, Dei q; venerationem declarantes nihil esse aliud, Deum in sacris literis timere, quàm apud gentes eum venerari pieque colere. Sed talis timor est qualis filij erga parentes dilectos, non seruitutis iugum sub tyrannide. Tali reuerentia seu timore cum amore coniuncto coluerunt sancti patres Deum. Vt Gen. 31. Et Moyses duo illa coniungit: timorem & obseruantiam præceptorū. Deut. 6. Vt timeas dominum Deum tuū, & custodias omnia mandata & præcepta eius. Vnde timere Deum nihil aliud est quàm Deum colere. Sic coniungunt omnes pij: nam talis timor siue cultus est fiducia in Deum, & conuersatio corā domino recta, ac ei seruire: quando impij securè agentes suisque libidinibus sequentes, Deum contemnunt ac negligunt. Diuina ergo misericordia perpetuò fauet religiosè colētibus Deum ait Maria.

Timere Deū quid sit in sacra scriptu.
Gen. 31.
Deut. 6.

¶*Fecit potentiam in brachio suo.* Heb. præstitit robur per brachium suum exercuit potentiam per brachium suum, vel exerto brachio suo ostendit quantū posset. Hac eadem phrasi vtitur Dauid Psa. 59. & Psal. 107. In Deo faciemus virtutem, idest, per Deum, siue fauēte, & adiuuante Deo egregia ædemus facinora: sic dominus brachio suo mediante res præclaras gessit dissipando cōsilia superborum, & detrahendo primores, & magistratus mundi à sedibus suis, & loco illorum collocando homines humiles, & abiectos quales fuerunt Apostoli, &c. & hoc est, quod statim subiugit Maria, Dispersit (inquit) superbos, &c. deposuit potentes de sede, &c.

Facere potentiā, &c. quid sit.
Psal. 59. & 107.

¶In, vero pro, per, frequens est in sacra scriptura ad Hebræ. 1. Multipharià, multisque modis, olim Deus loquēs patribus in Prophetis. i. per Prophetas, nouissime loquutus est nobis in filio, i. per filium.

In. pro, per
Heb. 1.

¶*Dispersit superbos mente cordis sui.* Hoc est, quod Dauid ait Psal. 32. Dominus dissipat consilia gentium reprobat autem cogitationes populorū, & reprobat consilia principum. Superbi enim suis ipsorum consilijs disperguntur.

Psal. 32.

¶*Deposuit potentes de sede & exaltauit humiles.* Potentes vocat primores, siue magistratus. Nam δυνάστης, propriè dicitur, qui potestate fungitur publica in ciuitate. Velut hi, qui sunt in imperio. Quos detraxit Christus à sedibus suis: & extulit humiles & pauperes.

¶Expende Dei iudicium. Qui altitudinem

Iustű Dei iudicium detrahit primores qui sine meritis ascendere conantur.

Esai. 14.

Vi. Hier. 6. lib. commen.

Luca. 14.

dinem, & potestatem appetit, ad eáq; vult sine meritis ascédere, ad infernum detrahitur, in imam ac cæcam abyssi profunditatem deijcitur. Vnde de superbo Rege Babylonis ait populus qui est in inferno per Esaiam.c.14. qui dicebas in corde tuo, in cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, & sedebo in monte testaméti, in lateribus aquilonis; veruntamen in infernum detraheris, in profundum laci. Quasi dicerent, tu Nabuchodonosor studes te facere summum, dominus Deus studet te facere infimum, & faciet. Consideret ergo homo elatus quid mereatur pro elatione sua. Consideret, inquam, quàm vera sit illa sentétia Christi omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Merito ergo sanctissima hęc Virgo, Dei genitrix, canit hodie: deposuit potétes de se & exaltauit humiles, &c.

Hier. 48. e

¶Vnde superbia primorum, est causa vna ex præcipuis vastitatis eorum. Audiuimus superbiam Moab, superbus est valde, superbia eius, & arrogantia eius, plusquàm fortitudo eius: idcirco vlulabit Moab ad Moab, vniuersus vlulabit. Erant enim Moabitæ insolétes & superbi, & ideo vastati sunt. Talibus enim resistit Deus, vt in hoc loco canit beatissima Dei genitrix. Caueant igitur principes, diuitiarumq; copia affluétes, ne superbia elati, in acerbas miserias incidát. Caueát ne ex amplissimo dignitatis gradu præcipitati, in regionem illam terribilem æternarumque tenebrarum detrudantur. ¶*Deposuit potentes, &c. & exaltauit humiles.* Præterita pro præsentibus. Detrahit primores de sedibus suis. Et exaltat humiles, Hebræ. vide supra, ibi, exultauit spiritus meus.

Præterita pro præsentibus.

¶*Et exaltauit humiles.* Hoc erat, qd prædixerat Esai.c.40. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons, & collis humiliabitur. Per vallem intelligit humiles qui a Deo eleuantur. Per montes & colles potétes & elatos qui á domino deprimuntur. Iuxta hoc quod Virgo beatissima canit deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.

Esai. 40. Per valles humiles, per mótes super.

A ¶*Esurientes impleuit bonis & diuites dimisit inanes.* D. Hierony. exponens illud Esaię, ecce serui mei comedent, & vos esurietis: bibent & vos sitietis. Quæ omnia (inquit) χιλιασταὶ, in mille annis putant esse complenda, cibum & potum regnum Dei esse credentes, nec intelligentes illud, quod scriptum est: operamini non cibum qui perit, sed panem vitæ & veritatis, & carnem Christi & fructum ligni vitę comedere cupientes. De quo Saluator loquitur: Ego sum panis B qui de cœlo descédi. Et illud: aperi oculos tuos, & saturare panibus. Et Psalmista: iuuenis (inquit) fui & senui, & nó vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. De isto pane, & conuiuio spirituali discipulos instruebat. Vos qui perseuerastis mecum in tentationibus meis, edetis in mensa patris mei in regno cœlorum. Quod si de simplici pane accipiamus, quomodo illud explanare possumus? Non interficiet animam iustam famę dominus? Et iterum: cognoscit dominus viam immaculatorum, &c. C Et in diebus famis saturabuntur? Quanti enim sancti in persequutione moriuntur fame, & egestate confecti, quanti iusti esuriunt, & impij cruditatibus distenduntur? Potus auté ille accipiendus est, qui exhauritur de fontibus Israel, qué qui biberit habebit in se fonté aquę salienté in vitam æternam. Quem & Saluator in regno patris se bibiturum cum apostolis pollicetur, qui lætificat cor hominis, ita vt bibentes possint dicere. Dedisti lętitiam in corde meo. De hoc cibo D & potu inter octo beatitudines dicitur, beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Et hodie mater domini plena Spiritu sancto prophetabat: esuriétes implebit bonis, qui prius cibum domini non habebant, & diuites dimisit inanes qui dati sunt pro sepultura eius, & quem Prophetæ promiserant, respuerunt. De quibus & in alio loco Psalmista decátat: Diuites eguerunt & esurierunt. i. populus Iudæorum: qui autem quærunt dominum. i. turba Gentilium, non egebunt

Esai. 65. e De bonis ac diuitiis spiritualibus loquitur Virgo

Ioá. 6. D

Ioá. 6. f

Pro. 20. a

Psal. 36. e

Infra c. 22 c.

Pro. 10. a

Psal. 36. d

Ioan. 4 b.

Psal. 103. b

Psal. 4. b

Math. 5 b

Esai. 53. e

Psal 33. a

omni bono. Hactenus Hierony. ¶*Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes*. Diues à diuo appellatur. Ideo, quia diues quasi Deus nihilo indigere videtur. Hinc diuites appellãtur in scripturis in malam partem elati, inflati, superbi, abundantes flatu suo, qui sese beatos æstimant, cum fruuntur bonis huius mundi, aut qui sibi nihil iustitiæ deesse putant; quemadmodum Pharisæus, de quo in Euangelio. Et ideo neque esuriunt, neque sitiunt iustitiam, æstimantes sese non indigere vero pane, qui est Christus, tentantes se fieri iustos suis viribus, suisque meritis, & operibus. E cõtrario pauperes spiritu appellãtur, qui sibi sunt pauperculi, & paruuli in oculis suis, qui non apponentes corda sua ad huius seculi bona, sibi multa deesse agnoscunt, qui suam insufficientiam, suam egestatem, captiuitatem sencientes, agnoscunt se, suis viribus non posse iustitiam apprehendere, sine ipso Redemptore, trepidantes sub diuina maiestate, iuxta Augustinum, sic appellati à paruitate spiritus proprij, siue flatus, tanquam nõ inflati aut nõ elati. Qui tales sunt in hac vita, sentiunt sese imperfectos, dicentes cum Paulo: velle mihi adiacet, perficere non inuenio. Quibus consideratis facile intelliguntur scripturæ. Esuriẽtes impleuit bonis: & diuites dimisit inanes. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorũ est regnum cœlorum. Et edẽt pauperes, & saturabuntur.

Apellatio Diuitis.

Luc. 18.

In ser. dñi in monte.

Rom. 10.

Matth. 5.

Psal. 21. f

¶*Suscepit Israel puerum suum*. Israel, in hoc loco accusatiui casus est. Suscepit Israelem puerum suum. Solet in scriptura amphibologia oriri propter incertitudinem casuum. Psal. 9. Inimici defecerũt frameæ in finẽ. Inimici genitiuus est, & non nominatiuus. Psal. 127. Ecce hæreditas domini, filij, merces, fructus ventris. Nomina illa, filij, & merces, nominatiui sunt pluralis numeri. Vt sit sensus ecce hæreditas domini sunt filij, quæ sunt merces Iesu, fructus ventris Mariæ. i. merces quas filius fructus ventris Mariæ suo sanguine mercatus est. Quod si

Amphibologia in sacra scriptura propter incertitudinẽ casuum.

Psal. 9.

Psal. 127.

A

merces intelligatur nominatiuus singularis, mercedem significans stabit etiam sensus catholicus. Hæreditas dñi sunt filij, & merces eorum, est fructus ventris. s. Iesus Mariæ filius. Quemadmodum, & ipse ad Abrahã ait: ego ero merces tua magna nimis. Psal. 44. Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo letitiæ. Primum nomen Deus vocatiuus est, auctore Hierony. Propterea ò Deus vnxit te Deus oleo letitiæ. In quo Psalmo sunt loci peculiares quibus demonstratur contra Iudæos, Messias esse verus Deus. Primus, sedes tua Deus in seculum seculi. Secundus, propterea, ò Deus vnxit te Deus tuus. Tertius, in quo loquitur ad Ecclesiam audi filia, & vide, &c. & concupiscet Rex decorem tuũ, quoniam ipse est rex dominus Deus tuus. Item 2. Timo. 4. Erit tempus cum sanam doctrinã non sustinebunt, sed secundum sua desideria coacerbabunt sibi magistros, pruriẽtes auribus. Prurientes, nominatiuus est pluralis numeri: vt ex Ambrosij interpretatione constat. i. ipsi sanam doctrinam non sustinentes, sed prurientes auribus, coacerbabunt sibi magistros. Itẽ quod apud Paul. dicitur verbum cõsummans, & abbreuians in æquitate. Verbũ, accusatiuus, & non nominatiuus est, idest, Deus consummans est, & abbreuiãs verbum suum, scilicet, Christum, vel doctrinam suam. Vnde subditur, quia verbum abbreuiatum fecit dominus super terram. Sic denique in hoc loco suscepit Israel puerum suum. Israel, accusatiuus est, & non nominatiuus, quasi dicat dominus Deus qui in superioribus dicitur respexisse humilitatem ancillæ suæ, & fecisse magna, & exaltasse humiles, & diuites dimisisse inanes, suscepit Israel puerum suum, seu populum Israelem; recordatus misericordiæ suę olim promissę.

Psal. 44.

D. Hiero. ad principium.

Ex quo Psal. conuincitur Messias esse verus Deus.

B

2. Tim. 4.

C

Ro. 9.

D

¶*Memorari misericordiæ suæ*. Pro, vt recordaretur, & vt memor esset misericordię suæ. i. vt ostenderet se memorẽ promissionis suæ. Heb. sic Gene. 9. Arcũ meum ponam in nubibus cœli apparebit

Gen. 9.

bit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiscum, idest, ostendam me esse memorem fœderis mei vobiscum.

¶ Chorus Eccesiasticus hodie canit: Recordatus misericordiæ suæ,

¶ Cęterum mittendo filium suum dominus, ostendit se memorem esse illius, quod Esai. ait. c.30. Propterea expectat dominus vt misereatur vestri, & ideo exaltabitur parcens vobis. Quia Deus iudicij dominus. Quo in loco nota, qđ iudicium, & iustitia interdum rei lætæ sunt vocabula. Vnde iudicium facere, idem est, quod præstare promissa, & ita sensus est, quia Deus est magnus ille dominus qui nihil absq; iudicio facit, qui fidelis est, & verax: propterea expectat. iam perderet vos, sed non patitur iudicium eius, non patitur promissio eius, & veritas. Vt sit talis sensus qualis est ad Roma.3. Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuabit. i. nunquid hoc fecerunt Iudæi sua incredulitate, vt Deus non pręstet sua promissa? absit. Est autē Deus verax, sicut scriptum est: vt iustificeris in sermonibus tuis. In dictis, seu primissis, semper inuenietur Deus iustus, & verax, etiam si homines iudicent eum interdū fallacem. Et hoc est, quod dicit Propheta, quia Deus iudicij dominus. Iam ergo (inquit Beata Virgo) dominus manū porrexit populo suo Israeli, vt ostenderet se memorem misericordiæ suę, quam promiserat patribus nostris, hoc est, Abrahamo, atq; filijs eius.

Esai. 30.

Explicatur locus Esai.

Rom. 3.

Psal. 50.

¶ Ostendit etiam dominus recordatus esse illius, quod per eundem Prophetā pollicitus fuerat. cap. 41. Et tu Israel serue meus, Iacob quem elegi, semen Abraham amici mei, &c. Seruus meus es tu, elegi te, & non abieci te. Ne timeas, quia ego tecum sum, ne declines, quia ego deus tuus. Confirmaui te, & auxiliatus sum tibi, & suscepit te dextera iusti mei. Quibus verbis agnoscere oportet spiritualem Israelem, non autem carnalem illum, & infidelem, & veros filios Abrahæ qui eius fidem imitantur, quos

Esai. 41.

Explicatur locus Esai.

A non in Iudęa tantum, sed vbilibet agentes, etiam in extremis terrę apprehendit dominus, & velut manu duxit, & esse voluit in numero amicorum suorum. Hūc ergo Israelem, seruum suum vocat: hūc monet vt non declinet à veritate Euangelij. Hunc denique suscepit dextera iusti sui. Iuxta hoc, quod beatissima Virgo ait: suscepit Israëlem puerum suum, vt memor esset misericordiæ suæ olim patribus per Prophetas promissæ. ¶ Ostendit etiam dominus, quod memor fuisset illius, quod per Hieremiam prædixerat in charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans. Et rursum: si filius honorabilis mihi Ephraim; si puer delicatus, quia ex quo locutus sum de eo adhuc recordabor eius. Ideo conturbata sunt viscera mea super eum: miserans miserebor eius ait dominus.

B

Hier. 31. a & d.

¶ *Sicut locutus est.* i. sicut promisit Heb. Sic Ezech. 12. Loquar verbum, & faciā illud. i. quicquid promissero adimplebo. Et infra sicut locutus est per os sanctorum. i. promisserat,

C

Loqui idē est quod promittere.

¶ *Ad patres nostros, Abraham, et semini eius.* Abraham datiuus casus est, & quoniā vtroq; modo loquuntur Græci loquor ad te, & loquor tibi, variauit interpres sermonis colorem, dicēs: sicut loquutus est ad patres nostros, Abrahamo, & semini eius in secula.

¶ *In secula.* Vel ad perpetuitatem.

¶ *In die natiuitatis S. Ioannis Baptistæ.*

D

ELIZABET autem impletū est tempus pariēdi, et peperit filium, & audierunt vicini, et cognati eius: quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa,

Ann. ante Christum natum. i. anni mundi. 3962.

&

& congratulabantur ei. Et factum est in die octauo venerunt circuncidere puerũ, et vocabãt eum nomine patris sui Zachariam. Et respõdens mater eius dixit. Nequaquã sed vocabitur Ioãnes. Et dixerunt ad illam, quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri eius, quem vellet vocari eũ. Et postulans pugillarẽ, scripsit dicens: Ioannes est nomẽ eius. Et mirati sunt vniuersi. Apertum est autem illico os eius, & lingua eius, et loquebatur benedicẽs Deum. Et factus est timor super omnes vicinos eorum: & super omnia montana Iudaæ diuulgabantur omnia verba hæc: et posuerunt omnes qui audierant in corde suo, dicẽtes, quis putas puer iste erit? etenim manus Domini erat cum illo. Et Zacharias pater eius repletus est Spiritu sancto, et prophetauit dicẽs: benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionẽ plebis suæ: et erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui. Sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt prophetarum eius. Salutem ex inimicis nostris: & de manu omnium qui oderũt nos. Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: & memorari testamenti sui sancti. Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrẽ nostrum, daturum se nobis. Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati: seruiamus illi. In sanctitate et iustitia corã ipso: omnibus diebus nostris. Et tu puer Propheta altißimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius. Ad dandam scientiam salutis plebi eius: in remißionem peccatorum eorum. Per viscera misericordiæ dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto. Illuminare his qui in tenebris, et in vmbra mortis sedent: Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Puer autem crescebat, et confortabatur spiritu

Psal. 73. e & 131. d.
Hier. 23. a 30. b
Hier. 23. f
Gen. 22. e Psa. 104. a Eccl. 44. d Heb. 6. c d
Malac. 9. a Zach. 3. d
1. Reg. 2. d
Hiere. 1. b

tu & erat in desertis, vsque in diem ostensionis suæ ad Israel.

ET audierunt vicini, quod magnificasset dominus misericordiam suam cum illa, &c. Heb. 1. vsus est singulari misericordia erga eam. Singularia, & in asueta sunt, quæ Deus facit suis sanctis. Et si eis parcere debet, aut eorum misereri: exaltat se ad hoc, & vires suas videtur extẽdere: habes enim hic quòd magnificauit misericordiã suã cum sterili. Et Esai. 30. Expectat dominus vt misereatur vestri, & exaltabitur parcens vobis. Hinc est, quod Exod. 6. ait: Redimam vos in brachio excelso, & in iudicijs magnis. Non est contentus redimere eos, nisi magna inimicorum clade id fecerit. Potuit enim paruo negotio eos redimere: sed brachium extendere voluit, & magna iudicia in hostes exercere, vt magis obnoxios sibi faceret. Eã ob caussam singulari erga Elizabeth misericordia vsus est dominus.

Singularia, & in asueta facit Deus suis sanctis vt magis deuotiós sibi faciat. Esai. 30. Exo. 6.

¶ *Et vocabant eum nomine patris sui Zachariam.* Quia natura ducente homines nomina sua filijs imponere consueuerunt, vt qui in se viuere nequeunt in filijs viuant: vt hac pia fraude aliorũ oculos decipiant: ideo cognati Ioannis eum nomine patris sui Zachariam vocabant. Sed non permittit dominus, vt homines nomina rebus quibus ipse ad suũ ministerium vtitur, imponant.

quare patres nomina fuis filiis imponunt

¶ *Et vocabant eum nomine patris sui Zachariam, & respondens mater eius dixit nequaquam, sed vocabitur Ioãnes.* Superborũ est credere omnia bona sua à se habere, & non à Deo. Humilium verò omnia, quæ habent gratiæ Dei tribuere. Illorum figuram tenẽt, qui hodie volebant vocare Ioannem nomine patris sui Zachariam. Istorum verò tenet Elizabeth, quæ ait: Nequaquam sed vocabitur Ioannes. Et meritò Ioannes, idest, gratia vocatur, qui natus est de sterili secũdum naturam. Sic bona opera nostra non nobis, sed Deo tribuenda sunt: cum anima nostra suapte natura sterilis sit, neque habeat nisi gratiam Dei, vt bona opera studiosasque actiones agere possit. Ipse enim est, qui habitare facit sterilem animam in domo Ecclesiæ, matrem filiorum lætantem, sancti ergo faciẽ habentes ad lumen cœleste, agnoscunt insufficientiam suam. 2. Cori. 3. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est. Agnoscunt boni superni eminentiam superare vires omnes suas. Vnde glos. in illa verba regnum cœlorũ vim patitur, ait: Grandis violentia est in terra nasci, & cœlum rapere: & habere per virtutem, quod per naturam nõ possumus. Agnoscunt etiam hostium inuisibilium præeminentiam. Iob. 40. Non est potestas super terram, quæ comparetur ei. Nos quasi locustæ sumus: & ipsi velut gigantes. Nume. 13. Videmus mõstra filiorum Enac de genere gigantæo: quibus comparati locustæ videbamur. Origines. Vult dominus Iesus mirabiles res facere: vult enim de locustis superare gigantes: & de his quæ in terra sunt, cœlestes superare nequitias. Ideo sancti intelligentes adiutorium gratiæ adeò esse sibi necessarium, vt absque illo, neque bonum agere, nec se tueri aliquo modo possint: omnia Deo tribuunt: virtutem, scilicet, & præmiũ. Hinc est, quod Paul. ait, 1. Corin. 15. Gratia Dei sum, id quod sum. Et ideo etiam Angelus monet, natum ex sterili, Ioãnem vocari: quod gratiam sonat. Et mater, nequaquam (inquit) sed vocabitur Ioannes. Præterea Apoc. 4. legimus, quod vigintiquatuor seniores mittebant coronas suas ante thronum, ostendendo, sedenti in throno deberi honorem, quod coronas accepissent. Et Paul. ad Roma. 9. ait: Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis. Esai. 26. Omnia opera nostra in nobis operatus est dominus. 1. Corint. 15. Abundantius illis omnibus laboraui, nõ ego

Superborũ est omnia quæ habẽt suis viribus tribuere. Humilium autem gratiis Dei.

2. Cor. 3. Glo. Matthæ. 11. Iob. 40. Num. 13. Origines. 1. Cor. 15. Apoc. 4. Rom. 9. Esai. 26. 1. Cor. 15.

Philip. 1. | Ioh. 15.

ego autem, sed gratia Dei mecum. Philip. 2. Deus est enim qui operatur in nobis, & velle, & perficere. Denique ipse dominus ait Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere.

Gen. 5.

¶ *Et scripsit dicens Ioannes est nomen eius.* Gene. 5. Adam confirmauit nomen Seth, quod vxor imposuerat: & in hoc loco Zacharias confirmauit nomen Ioannis. Ex his locis disce quanta concordia vir, & vxor viuere debeant. Vxoris enim sanctæ sententiam vir iustus comprobare debet. Vxor ait, nequaquam sed vocabitur Ioannes. Et vir Zacharias, Ioannes est nomen eius. Gene. etiam 21. ait dominus, in omnibus quę dixerit Sara audi vocem eius. Audienda est aliquando vxor quando iuxta voluntatem Dei consulit. Sic Zacharias in hoc loco audiuit vocem vxoris suæ, & ambo in nomine pueri concordarunt.

Vir, & vxor cócordes esse debent.

Audienda est aliquá do vxor á viro suo quando iuxta voluntatem Dei consulit.

¶ *Apertum autem est os eius, & lingua eius.* De articulata est. i. velut articuli, & ligamenti ope cœpit moueri lingua eius vocalis. Reddita est. Vatablus.

¶ *Benedicens Deum.* Hebræ. laudans Deum, sic Dauid, Benedic anima mea dominum. Et rursum. Benedicite omnia opera domini domino: laudate, & super exaltate eum in secula. Secundum verbum explicat primum. Sed de hoc supra diximus.

Benedicere pro laudare in sacra scriptura.

¶ *Loquebatur benedicens Deum.* Solebat olim sancti, & populus domini quotienscunque Deus, sibi beneficium aliquod præstitisset, dictare sibi nouum canticum. Quo non solum beneficij substantiam, sed circunstantias omnes complectebantur, & decantabant. Neque solú cum magna, sed etiam cum parua præstabat. Quemadmodum Anna mater Samuelis pro impetrata prole, præclarum illud canticum ædidit, quod ibidem ponitur. Domine Deus quot nobis, & populo nostro beneficia pręclara contulisti, & non solum noua cantica non ædimus tibi, sed neq; vetera decantauimus. A, quot malis nos quotidie liberas, & socordes ad agendas gratias tibi reperimur. Cecinit Deborah, cantauit Zacharias: & Dauid quot Psalmos ædidit pro paruis beneficijs. Discamus igitur ad noua beneficia nouas laudes ædere.

Solent sancti pro nouis beneficiis noua cantica dictare, nos autem in ea re, socordes sumus. 1. Reg. 2.

¶ *Diuulgabantur omnia verba hæc.* Hebræi. i. omnia facta hęc. Verbum pro facto apud Hebræos. Verbum, quod vidit Esai. & Lucæ 2. Videamus hoc verbum, quod factum est ad nos. Id est, rem ipsam de qua nobis dictum est. Mos enim est Hebręę linguę, quodlibet negotiú, causam, aut factum, verbú dicere, eo quod verbis soleat complecti, & enarrari. Sic etiam Hierem. 33. Non erit tibi difficile omne verbum. Sic, & in libris regum sæpe inuenies. Sic supra ait Angelus: non erit impossibile apud Deú omne verbú. Ioan. 6. Verba, quę ego loquor vobis spiritus, & vita sunt, hoc est. Hęc causa quá vobis exposui, cœlestis spiritus est, ac vitam parit eis, qui ei credunt. Et Dan. 2. Verbum significauit, hoc est, negotium, Sed neq; regum quisquam verbum huiusmodi sciscitatur ab omni ariolo.

Verbum quid in sacra scriptura. Esai. 2. Hiere. 33. Ioh. 6. Dan. 2.

¶ *Et posuerunt in corde suo.* Heb. pro cogitauerunt apud se, ponere in cor, vel ad cor, idem est, quod mente tractare, reputare, perpendere. Sic ait Esaias. c. 47. Non posuisti super cor tuum, neque recordatus es nouissimi tui. Vsus est, & schemate isto Moyses Exod. 7. & indoratum est cor Pharaonis, nec apposuit cor etiam hac vice. i. nec mouebat eum tantum periculum, siue non adiecit animú, nec cogitare curauit tátum miraculum. 1. Reg. 25. dicebat Abigail vxor Nabal ebrij ad Dauidem: ne ponat oro dominus Rex cor suum super virú istum iniquum: quia secundú nomen suum stultus est, & stultitia eius cum eo.

Ponere in corde quid sit in sacra scriptura. Esai. 47. Exo. 7. 1. Reg. 25.

¶ *Etenim manus domini erat cum illo.* Pro, in ortu eius potentiam suam declarabat Deus. Manus, & brachium domini, & dextera, fortitudinem, auxilium, & robur, & potestaté in scripturis significat. Nume. 11. Nunquid manus domini in valida est? Manus domini abbreuiata non est. Et in hoc loco, manus domini erat cum illo.

Manus dñi in sacra scriptura quid. Num. 11.

¶ Vita

¶Virtus ergo diuina qua omnia operatur, manus in sacra scriptura vocatur. Quis ignorat, quod hæc omnia manus Domini fecerit? In cuius manu anima omnis viuentis, & spiritus vniuersæ carnis hominis. Iob. 12. Et quemadmodum manus nostra quinque digitos quibus operatur habet, sic diuina Dei manus, potentiam qua omnia creauit, sapientiam qua cuncta gubernat, misericordiã qua nos redemit, gratiã qua nos sanctificat, & iustitiam qua vnicuique reddit secundum opera sua, similiter habet ac continet. ¶In multis igitur hodie dominus virtutem suam declarauit. Primùm in annunciatione Ioannis, nam missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitaté Hierusalem, ad virum Elisabeth cui nomen erat Zacharias: & ingressus Angelus ad eum dixit: ne timeas Zacharia, quoniã exaudita est depræcatio tua: & mulier tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem. Erit enim magnus coram domino primò asperitate vitæ, secundò gratia, & sanctitate, tertiò prædicatione, & doctrina: quartò dignitate, & officio.

Iob. 12.

Digiti manus domini qui sint.

In multis declarauit dñs immensam suam virtutem, in die natalis D. Ioãnis, & ante natalé.

Ioannes quare dicitur magnus.

¶In ortu quoq; D. Ioannis declarauit Deus fortitudinem suam. Natus est enim ex parentibus iam senio confectis, & ex matre sterili. ¶Similiter manus domini fuit cum Ioanne, quando illum in vtero matris sanctificauit, atque Dei gratia repleuit. Ita vt ante arcam domini, hoc est, Dei matrem præ lætitia subsiliret, vsu rationis accelerato. ¶Tandé manus domini ostésa est in nominis noua impositione, vt præsens narrat historia. Ita vt præ admiratione huius, omnes tractarent inter se, ac dicerent: quis putas puer iste erit? Etenim manus domini erat cum illo: ideo merito admirabãtur.

¶*Quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ.* Hebræi. pro visitando redemit populum suum. Verbum, visitare, propriè apud Hebræos significat, aut augere, aut instituere præfectum, transumitur pro in memoria habere: potissimum si de Deo sermo est. Vt Gen. 21. Visitauit Deus Saram, hoc est, illius recordatus est, præstititque, quod pollicitus fuerat fœcundam eam reddendo. Et in hoc loco visitauit (inquit Zachari.) & fecit redemptionem plebis suæ. Quod nihil aliud est quam ad nos venire, nobis proponere, & adferre salutare verbum per quod seruamur.

Visitare quid in sacra scriptura.

Gen. 21.

¶*Et erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui.* Hebra. pro, erexit enim potentiam saluificam, vel peperit nobis magnam, & potentem saluté per Christũ, qui ex familia Dauid erat. *Cornu* vocat vim, defensionem, & propugnaculum salutare. Psal. 148. Illuc producam cornu Dauid, idest, vim & potentiã Dauid. Threno. 2. Confregit in ira sua omne cornu Israel, idest, omnem fortitudinem. Vulgari ergo phrasi scripturæ, *Cornu* pro victoria, virtute, gloria, regno, amplitudine, potentia, fortitudine ac maiestate capitur. Vel quód quadrupedum animalium potentia, & robur cornua sint: illis enim bestiæ repugnãt, & superbiunt. Vel quód reges oleo, & cornu sumpto inungebantur. 1. Reg. 16. Imple cornu tuum oleo. Sic accipitur Abacuc. 3. Cornua (inquit) in manibus eius. Quanuis enim Christus in cruce vulneratus, existimaretur fragilis, & imbecillis: ibi enim, vt ipse Propheta ait, abscõdita est fortitudo eius, in manibus tamen suis vulneribus confossis cornua habebat, hoc est, fortitudinem, & potentiam. Ibi enim diabolum principem huius mundi vicit, nosque ab eius immanissima tyrannide liberauit. Hoc ergo cornu saluificum erexit nobis in domo Dauid. *Erexit cornu salutis.* Vel pro, cornu salutis, intelligere possumus regnũ, & potẽtiam Christi, qui est salus nostra. Et ita vocatur Psal. 26. Dominus illuminatio mea, & salus mea quem timebo? Et in alio, dic animæ meæ salus tua ego sum. Sic infra: ait Zacharias ad dandam scientiam salutis plebei eius, idest, ad dãdam Christi scientiam, qui est plebis suę diuina salus. Erexit ergo regnum Christi, quod nobis salutem allaturum erat.

Cornu quid in sacra scriptura.

Psa. 148.

Threno. 2.

1. Reg. 16.

Abacu. 3.

Salus christus dicitur.

Psal. 26. & 34.

De

1. Reg. 2.c. De quo regno dicitur. 1. Regum. 2. c. Dominus iudicabit fines terræ, & dabit imperium regi suo, & sublimabit cornu Christi sui. Quod de regno Messiæ Chaldaicus paraphrastes interpretatur. Et Psal. 131. Psalmo 131. Illic producam cornu Dauid, paraui lucernam Christo meo. Quo in loco vocat Christum cornu propter potentiam, & virtutem eius, qua debellauit, & vicit principem huius mūdi. Et lucernam Ioānem erat enim lucerna ardens, & lucens.

B ¶ *Sicut locutus est per os sanctorum qui à seculo sunt prophetarum eius.* i. sicut promiserat, &c. Heb. sic supra ait Maria sicut locutus est ad patres nostros i. sicut promiserat patribus nostris. Vide ibi. ¶ Atque hoc est, quod promiserat per Prophetas. Vnde Dauid ait Psal. 73. Deus autem Rex noster ante secula operatus est salutem in medio terræ. Quibus verbis mysticè significat salutem spiritualem, quæ per Christū in carne propria pro nobis facta est, in temporis plenitudine: quæ quidem salus rectè quidem in medio terræ facta dicitur, quoniam pro omnium omnino populorū, & gentium vtilitate, in vno Iudeæ loco facta fuit. Omnium enim cōmunis erat hęc salus, omnibus ęquè propinqua, ęquè vicina omnibus.

Salus per Christum promissa Prophetis Psal. 73.

¶ *Qui à seculo sunt.* Heb. qui vnquā fuerunt. Sic Ioan. 9. A seculo non est auditum, idest, nunquam est auditum.

Ioan. 9.

¶ *Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos.* i. promiserat se liberaturum nos ab inimicis. Promiserat, inquam, per os sanctorum vindicationem ab inimicis nostris. In diebus illius (inquit Hiere.) saluabitur Iudā, & Israel habitabit confidenter. Et hoc est, nomen, quod vocabunt eum, dominus Iustus noster. Et ca. 30. idem ait: Tu autē non timeas serue meus Iacob, ait dominus: neque paueas Israel: quia ecce ego saluabo te de terra longinqua, & semen tuum de terra captiuitatis eorum: & reuertetur Iacob, & quiescet, & cunctis affluet bonis: & non erit quem formidet.

Promissa liberatio per Christum à prophetis. Hiere. 23. & c. 30. b.

Esai. 43. & 44.

A Item Esai. cap. 43. ait. Et nunc hæc dicit dominus creans te Iacob, & formans te Israel. Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo: meus es tu. Quibus in locis Iacob intelligitur nō carnalis ille, qui secundum carnem descendit a Iacob, sed qui est secundum spiritum, per fidem Iacob Israel. Huic ergo Iacob alloquitur Christus per Esai. Noli timere (inquit) quia redemi te, quasi dicat, ego qui te ab inimicis liberaui, qui te tanto precio emi, qui pro te sanguinem fudi, nunquam te derelinquam, ideo ne timeas sed in me spem tuam firmiter colloca, quoniam te in periculis omnibus seruabo. Vocaui te nomine tuo, hoc est, te dilexi, & signa dilectionis ostendi. Tunc enim Rex charum sibi famulum esse significat, cū eum nomine proprio vocat. Vnde dominus Moysi dixit. Te ipsum noui ex nomine.

Exo. 33.

¶ *Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris.* i. vt pro misericordia sua faciat, quod pollicitus erat patribus nostris.

C ¶ *Iusiurandū quod iurauit ad Abraham.* Subaudi ad faciendum etiam iusiurandum, &c. vel & vt faciat siue præstet iusiurandum, &c.

¶ Genes. 22. ait dominus: per me met ipsum iuraui, quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum. *Et benedicentur in semine tuo omnes gētes terræ*, quia obedisti voci meæ.

Gen. 22.

D ¶ Multas hactenus Dei promissiones audiuimus, nusquam tamen addidit iuramentum quām hic. Nō vt Abraham de promissis diffidat: sed ideo iurat, vt ostendat quanto amore humanum genus cōplectatur, idcirco eo more, & amore se Abrahamo conglutinat, atq; familiarem se facit, quo solent homines erga eos quos certos reddere volunt. Nam quando quidem inter homines omnis cōtrouersiæ finis est iuramētum. ... Deus

quare Deus iuramētū præstare voluit, de filio ...

cum

cum Abrahamo humano more agere. Nemo igitur iam dicat: non ausim accedere ad Deum, cum videat illum patribus tam familiarem fuisse: vt se etiã humano more eis iuramento astringeret. Deinde etiam, ideo tempore immolationis Isaac, & in promissione ad fideles pertinente, Deus iurat: vt ostẽdat certissima esse, quæ per Christum nobis promisit. Quasi dicat: si quid vnquam, certi fuit in verbis meis, certissima sunt, quæ per Christum promitto vobis. Hinc Paulus: in Christo (inquit) sunt omnes promissiones amen, & etiam. hinc, & in Psalmo: Iurauit dominus, & non pœnitebit eum tu es sacerdos in æternum, &c. & semen eius, in æternum manebit. Hoc Dei iuramentum circa Christum Paulus magni pendit, cum dicit: Quia neminem habuit Deus maiorem, per quem iuraret: iurauit per seipsum: &c. Vt abundantius ostenderet immobilitatem cõsilij sui, &c.

2. Cor. 1.

Psal. 109.

Psal. 88.

Heb. 6.

Explicatur locus Genesis, & promisso facta Abrahamo, de Christo venturo.

¶ *Benedicam tibi* (inquit dominus) *Et multiplicabo semen tuum.* Non tam de semine carnis, quam de semine spiritus loquitur.

¶ *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Hoc verbum, alio referri non potest, quàm ad Christum: quantunuis Iudæi reclament. Sed conuincit eos res ipsa, quia omnia hæc in Christo impleta perfectissimè sunt. Aut dent alium in quo hæc sic completa sint. Cæterum, quod dicit, in semine tuo. Paul. pulchrè expendit: non (inquit) dicit in seminibus, quasi in multis, sed in semine tuo, quasi vno, vnus enim est in quo hæc implẽtur, Christus. ¶ In hoc igitur verbo cõprehẽditur quicquid nos de Christo credimus. Nempe, quod verus homo sit: quod ex virgine natus: qđ mori debuit; quod resurgere, & ad dexteram Dei sublimari: imò, quod etiam Deus sit. Quia enim semen Abrahæ dicitur, certum est, quod homo est. Secundo, quod hoc semen alios benedicit, signum est, quod ipse maledicto nõ subiacuit. At qui maledicto subiacet, quidquid ex carne natũ est, ex viro, s. & mu-

A liere. Consequitur igitur, quod ex fœmina quidem debuit nasci, vt verus homo esset, sed ex virgine, vt non incurreret maledictum. Tertiò, quia omnes benedicere debet, necesse fuit eum in aliam ex mortalibus transire vitam, qua possit omnibus vbique adesse. Moritur ergo, vt homo, resurgit autem, & ascendit, vt omnia adimpleat. Quarto, si omnes per ipsum benedicendi sunt, necesse est, vt etiam Deus sit. Quomodo enim purus homo, vitam, iustitiam, B salutem dare possit? Deinde in hoc vno verbo omnis doctrina Christiana comprehenditur, quæ in duobus consistit. Primo, quod ex nobis, maledicti, & dãnati simus. Secundo, quod per Christũ omnia bona percipimus. Sic igitur etiã veteribus Christus prædicatus est. Sic per Christum benedictio nobis promissa est, antequã nasceretur. Itẽ antequã lex daretur. Vt sciamus esse gratiã nõ meritũ. Igitur Zachar. memor huius promissionis, ait, iusiurãdũ, qđ iurauit ad Abrahã patrẽ nrũ, daturũ se nobis.

C ¶ *Et iustitia coram ipso.* i. Deo ipso iudice qui omnia nouit.

¶ *Præibis enim ante faciẽ Dñi parare vias eius.* Ideo appellatus est Ioãnes ab Esaia vox Christi, quia sicut vox præcedit verbum, sic Ioãnes Christũ, præibis (inquit Zachar.) ante faciem domini.

¶ *Ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum eorũ.* Vt s. doceas populũ eius salutaria, nẽpe cõdonata esse illis per pœnitẽtiã peccata. Vel vt doceas populum eius vitã æternam, quæ donatur per remissionẽ pec-

D catorũ. ¶ *Ad dandam scientiam, &c.* Inter ægritudines mortalium, ignorantiã memorat Propheta Oseas. c. 4. Non est veritas (inquit) nõ est misericordia, non est scientia Dei in terra, &c. Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea. Vbi vides inter ægritudines ignorantiã cõnumeratã, & Dei scientiæ defectum, hæc est magna phrenesis; periculosa paralysis, ideo venit diuinus medicus, ad dandam scientiam salutis plebi eius (vt ait Zacharias) per prædicationẽ Ioãnis.

Inter hominũ ęgritudines vna est ignorantia. Oseæ 4.

Leui. 24. a

¶ *Ad dandam scientiam salutis, &c.* Legitur in Leuitico. Et locutus est dominus ad Moysem dicens: præcipe filijs Israel: vt offerant tibi oleum de oliuis, purum ac lucidum, ad concinnendas lucernas, iugiter extra velum testimonij in tabernaculo fœderis. Lucernam igitur, quæ in sancto tabernaculo, & extra velum posita locum illuminabat, beatum esse Baptistam dicunt sancti. Et Meritò: nam ipse in Euangelio lucerna ardens, & lucens nuncupatur. Oleo autem purissimo ardere dicitur, illuminatione, scilicet, Spiritus sancti. Extra velum autem lucebat, quoniam doctrina eius præparabat, non perficiebat. Præparate (inquit) viam Domini, & rectas facite semitas Dei nostri. Non enim, quæ intra velum erant, idest, reconditum Christi mysterium, apertè denudauit. Ego (inquit) baptizo vos ad pœnitentiam in aqua, qui verò post me venit, fortior quàm ego est: cuius ego calciamenta nequeo portare, ipse vos baptizabit spiritu, & igni. Vides quomodo simpliciori doctrina lucet, ad pœnitentiam vocans, & interiora velaminis illi denudanda relinquens, qui in spiritu, & igni baptizat. Ad dandam igitur, hanc scientiam salutis, præmissa est hæc lucerna, vt in hoc loco Zacharias ait. ¶ *Præibis enim ante faciem Domini, &c. Ad dandam scientiam salutis, &c.* Ioannes Baptista fuit vir omnibus numeris absolutus. Fuit virgo, prædicator, & martyr. Decebat enim vas integrum esse, & sincerum per virginitatem, in quo repositum erat balsamum scientiæ salutaris, dispensandum per prædicationem, & candori munditiæ sociari decuit candorem sapientiæ: & vt nullus locus remaneret dubitationi, veritatem doctrinæ necesse fuit confirmari morte. Nullus enim sani capitis auderet mendacium morte propria confirmare. Triplici ergo aureola meritò decoratur. Magnus coram domino, iure etiam optimo ab Angelo vocatur. Si enim esse Virginem, aut Doctorem, aut Martyrem magnum quid

Cyrillus Figura.

Ioánes lucerna fuit extra velum templi posita.

Ioan. 5. f

Matth. 3. Mar. 1.

Ioánes, virgo, prædicator, & martyr, & iam tripli ci aureola dignus fuit.

A

est, quid quæso erit esse Virginem, Doctorem, & Martyrem.

¶ *Per viscera misericordiæ Dei nostri.* Hebraice. idest, per intimam misericordiam Dei nostri. 1. Ioannis. 3. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo: quo modo charitas Dei manet in eo? Per viscera, misericordiam intimam intelligit.

1. Ioan. 3.

B

¶ *Oriens ex alto.* Oriens, substantiuum est. Zachariæ 5. Ecce ego adducam seruum meum Orientem.

¶ *Illuminare his qui in tenebris, et in vmbra mortis sedent.* His qui in caligine, quæ ipso intuitu metum mortis incutit.

¶ *Per viscera misericordiæ Dei nostri in quibus visitauit nos Oriens ex alto: illuminare, etc.* Genesis trigessimo secundo dicitur: Quod dominus benedixit Iacob in loco, quo luctatus est cum illo. Vocauitque Iacob nomen loci illius Phanuel, dicens: vidi dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea, ortusque est ei statim sol, postquam transgressus est Phanuel. Quo mysterio significare voluit Spiritus sanctus, quod antequam benedictionem daret dominus, hoc est, antequam veniret semen illud benedictum, Christus, scilicet, Deum nemo viderat vnquam: per illam autem benedictionem, factum est, vt nunc videamus per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, cum præsentem finierimus peregrinationem, vnde non abs re dictum est: Ortusque ei est sol postquam transisset Phanuel, quod interpretatur facies Dei. Effusa namque benedictione, ortus est sol iustitiæ populo sanctorum, dando salutem in remissionem peccatorum per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos Oriens ex alto, illuminare, &c.

Gen. 32. Figura.

C

D

¶ *Per viscera misericordiæ Dei nostri, etc.* Genesis 45. dicitur: Quod non se poterat continere Ioseph, quia, scilicet, iam fratres satis probauerat. Eodem

Gen. 45. Figura.

dem modo, & filius Dei, cum longo tempore vidisset miserias generis humani, audissetque gemitus piorum, & tandem dissimulasset suam dilectionem, vt iam desperationi proximum esset genus humanum, vltimate tamen cum res ad summum venisset, & homo nec se ipsum adiuuare potuisset, nec ab alio adiuuaretur, tunc non potuit se continere filius Dei, commotaque sunt viscera eius, & descendit, incarnatus natusque est, seque non Dominum, quem hactenus simulauerat, sed plane fratrem ostendit, ac inopinato gaudio genus humanum affecit, vnde in eius natiuitate, Angelus nuntiauit hominibus gaudium, & pacem. Tunc enim aperuit super nos viscera misericordiæ suæ, visitans nos, Oriens ex alto: illuminans eos qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent. &c. ¶*Visitauit nos oriens ex alto: illuminare his, qui in tenebris, et in vmbra mortis sedent.* Fœlices illi, qui non solum sunt illuminati, sed alios illuminant, Christum imitantes, qui de seipso ait: Ego sum lux mundi. De quo in hoc loco ait Zacharias, visitauit nos oriens ex alto: illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent. Contrà verò, infœlices quos collocauit diabolus in obscuris, sicut mortuos seculi. Vt Dauid ait de seipso. Inuoluit enim dæmon intellectum eorum caligine, & illos in tenebris ponit, vbi iacent omnes flagitiosi seculum amantes; quos Dauid mortuos seculi appellat. His vero multo infœliciores sunt, qui nō solum sunt cæci, sed etiam alios obcæcant.

Fœlices qui nō solum sunt illuminati à Deo, sed alios illumināt.

Infœlices peccatores cæci, & infœliciores qui non solum sunt cæci, sed etiam alios obcęcant. Psal. 142.

¶*In quibus visitauit nos oriens ex alto.* Erasmus in hunc locum adnotat perdocte vocem illam Oriens, hoc loco non esse participium, sed nomen substantiuum, ἀνατολή, quæ vox significat ortum solis, aut regionem vnde oriatur, vocat igitur Christum solem Orientem, citat horum auctorem Theophilatum, De quo Oriente prędixit Zacharias, capi. sexto. Ecce vir Oriens nomen eius. Quem locum Vatablus, & Isidorus clarius, & Chaldæus Paraphrastes de Christo interpretatur. Hinc vox illa Ecclesiæ orta est: O, Oriens splendor lucis æternæ: & aliæ eius notæ. Ipse est enim sol intelligibilis, & lumen de lumine, & lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ipse est, qui visitauit nos (inquit Theophilatus) qui dicitur Oriens, sol enim iustitiæ est, qui illuxit nobis, qui in vmbra, hoc est, ignorantia sedebamus. Ipse est (vt Athanasius est auctor) qui natus est ad instar solis fulgentissimi ad illustrandas hominum animas. De quo non solum Zacharias loco modo allato, sed Malachias etiam cap. quarto, inquit: Vobis timentibus Deum orietur sol iustitiæ. Eadem refert Cyrillus in fine libri noui in Leuiticum, in illud: Ab Oriente tibi propiciatio venit: inde est enim vir cui Oriens nomen est, qui mediator Dei, & hominum factus est. Inuitaris ergo per hoc, vt ad Orientem semper respicias, vnde semper tibi lumen nascitur, vt inquam, in tenebris ambules, nec dies ille nouissimus te in tenebris comprehendat. Origines videndus est Homilia 13. in cap. 23. Leuitici. Vbi de hoc nomine multa philosophatur diuinitus. Philon quoque Iudæus in lib. de confusione linguarum hanc lectionem agnoscit in Zacharias. Ecce vir cuius nomen est Oriens, & ita interpretatur, vt nostri, pro sole splendidissimo. Quem nos Dei filium intelligimus. Eusebius demonstrationis euangelicæ lib. 7. demonstratione decima eundem locum, ita etiam explanat. Et Chrysostomus tomo primo, Homilia super hæc verba: Oriens nomen eius, hoc ergo nomen Oriens receptissimum est, & in Ecclesia, & literis euangelicis, quare à nonnullis creditur à Iudæis in illo loco Zachariæ mutatum fuisse nomen, Zarach. i. oriens, & loco eius positum, Samach, idest, germen. Stet igitur sententia, oriens nomen eius. Quando ipse sit oriens qui visitauit nos ex alto.

Zach. 6.

Ioā. 1.

Theophil.

Athan. in sermo in illa verba omnia tradita sunt à patre meo.

Cyrill. in fine lib. in Leuit.

Origi hom 13. in c. 23. Leui.

Philon.

Eusebius.

Chrysost.

¶*Iusiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum.* Lege commenta nostra in Apocalyp. cap. 10. ibi: Et Angelus quem vidi stantem super mare, & super terram, leuauit manum suam ad cœlum, & iurauit per viuentē in secula seculorum.

Leui. Figura. Beatos esse volumus ad Orientē Christū aspiciamus.

¶*Oriens ex alto.* Si beatos esse volumus ad hunc Orientem respiciamus, in lib. Leuitici scriptum legimus, præcepisse Deum, vt plumæ auium, quæ illi in holocaustum offerebantur projicerentur in locum, in quem cineres effundi solebant, ad orientalem plagam. Aues hoc modo Deo oblatæ, sunt Christiani, qui non in quodcunquē sacrificium, sed in holocaustum, quod est totum incensum, se debent alto Deo immolare. Plumæ in altum volantes sunt diuitiæ, potentia, cæteræque mundi vanitates, quibus homines efficiuntur elati, superbi, & inanes. Has præcepit Deus, vt in locum cinerum proijciamus: est autem cinis, id, in quod versum est, id, quod antea fuerat. Ex quo efficitur, vt cinis, pro fine, & interitu accipiatur. Quid voluit Deus hac excellenti figura significare, nisi vt rerum humanarum finem contemplemur, vt memoriam diuitiarum, humanæ potentiæ, & amplitudinis cum cinere misceamus; vt cum nobis ad hæc amplectenda diabolus tetra flagitia suggesserit, statim cinerem in quem hæc omnia redduntur animo complectamur. Et quoniam finis omnium nostrarum actionum debet esse Deus, ad quem eas debemus dirigere, præcipitur hoc in loco, vt non ad Occidentem, sed ad Orientem respiciamus. Occidens est mundi gloria, quæ occidit, & tandem finitur; ergo in contemnenda mundi gloria, ne hominum gloriam quæramus, sed gloriam Dei: respiciamus ad Orientem, idest, Christum, de quo Zacharias in hoc loco ait: visitauit nos Oriens ex alto. Et de quo per alterum Zachariam dixerat Deus: adducam seruum meum Orientem. Et alibi, ecce vir Oriens nomen eius.

Zachar. 3. & 6.

Christus lumen nostrum. Esai. 6.

¶*Illuminare his qui in tenebris, &c.* Christus lumen nostrum est. De quo Esaias: alloquens primitiuam Ecclesiam ait. Surge illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Quasi dicat. Tu o Hierosolyma da operam, vt surgas, & illumineris, dispone te ad gratiam, quia venit lumen tuum; & gloria domini super te orta est. Venit lumen tuum, idest, Christus ad illuminandum te, quæ in caligine, & tenebris peccatorum sedebas. ¶*Illuminare his qui in tenebris, et in vmbra mortis sedent.* Peccatum appellat vmbram mortis, sic Esaiæ cap. 9. ait: Populus qui ambulat in tenebris vidit lucem magnam ambulantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Tenebras etiam vocant in hoc loco. Esaias, & Zacharias, in hoc cantico, non has sensibiles, sed errores, & impietates. Cum autem lucem homines non quærerent, ipsa illos quæsiuit, ipsa illis orta est. Multi tamen sunt qui non solum lucem iam ortam non vident, sed eam detestantur, atque in ipso Christi splendore tenebris circumfunduntur. At nocte, in media caligine, in negotijs labyrintho inextricabilioribus, ipsisque tenebris obscurioribus, linceos oculos habentes perspicue vident, & minutissima quæquē intuentur, imo ipsis tenebris oblectātur. Similes auibus quas vlulas vocat Esai. c. 13. quæ noctu tantum vident.

Peccatū vocatur vmbra mortis. Esai. 9.

Tenebræ, errores vocantur

Esai. 13.

¶*In viam pacis*, idest, prosperam, & bonam.

¶*Erat in deserto vsque in diem ostensionis suæ ad Israel*, idest, Donec veniret dies quo Israeli Christum annunciaret.

Finis captis primi.

CA-

CAPVT II.

¶ *Christi natiuitas, & circūcisio, qui etiam dum puer tēplo consecratus docet.*

¶ *Euangelium in Missa galli cantus.*

Anno Dñi, anno mũdi 5962.

FACTVM est autem in diebus illis, exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Hæc descriptio prima, facta est à præside Syriæ Cyrino: Et ibant omnes, vt profiterentur, singuli in suā ciuitatem. Ascēdit autem, et Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth, in Iudæam ciuitatem Dauid, quæ vocabatur Bethleem: eò quod esset de domo, et familia Dauid: vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore, pregnante. Factum est autem cum essent ibi: impleti sunt dies: vt pareret, (Math. 1. d) *et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio. Et pastores erant in regione vigilantes, et custodientes vigilias noctis, super gregem suum: Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, &* (Actor. 1. a; Acto. 9. a; Ephe. 2. d) *claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus: nolite timere: Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid. Et hoc vobis signū: inuenietis infantem pannis inuolutum, et positum in præsepio. Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum, et dicentium, Gloria in altissimis Deo: & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

EXIIT EDICTVM à Caesare Augusto, ut describeretur vniuersus orbis. Et ibant omnes, &c. Qui legibus Imperatorum veritati non contradicentibus, imò qui sanctæ consuetudini, & iustæ, non parent, grande supplicium acquirent. distin. 9. cap. Imperatores, lege de hac re. distin. 8. & 11. quæstio. 1. c. magnum quidem.

¶ *Ascendit, & Ioseph in Iudæam in ciuitatem David, quæ vocatur Bethleem.* Quæri forsitan ab aliquo potest, quid fuerit in causa, quod Virgo casu in Bethleem veniret, & non fuerit Bethleemitica, quando Messias filius eius futurus erat Bethleemiticus. Tu Bethleem terra Iuda (inquit Propheta) nequaquam minima es, ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. Non sine mysterio hoc factum est, voluit enim Deus, vt qui non videbant, idest, humiles, viderent: & videntes, idest, superbi, & elati cæci fierent. Eam ob causam (auctore diuo Hieronymo) Lazarum suscitaturus, primùm de sepulchro interrogat: Deinde turbatur: vt sic dum à cæcis videtur, & tanquam Deus adoratur, à videntibus non videatur, imò tanquam purus homo, & rerum ignarus contemnatur. Et vt sic dum de lapidibus suscitat filios Abrahæ, filios perditionis in lapidem offensionis impingat.

¶ *Vt describeretur vniuersus orbis.* Interdum in scriptura propositio vniuersalis non intelligitur vniuersaliter, & absolutè. Genesis tertio, vocauit Adam nomen vxoris suæ Eua, eo quod esset mater cunctorum viuentium. Quod non extenditur ad irrationalia. Et Genesis quadragesimo primo, Omnis terra venit in AEgyptum, idest, bona eius pars. Ad Romanos primo Paulus ait: Fides vestra annunciatur in vniuerso mundo, idest, in multis locis. Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Cum multi Apostolos diligerent. Et omnes qui ante me venerunt fures, & latrones fuerunt. Et Salomon. Omnia sunt vanitas. Sic intelligendus est Pauli locus. Omnes in Adam peccauerunt, Cum tamen Virgo Maria immunis sit ab omni labe peccati.

¶ Est huius rei optimum exemplum annotatum à diuo Chrysostomo, Homilia trigessima tertia, in Epistola ad Hebræos. Cum de multis patribus sanctis locutus fuisset Apostulus ad Hebræos vndecimo addit: Hi omnes mortui sunt non acceptis promissionibus. At Enoch quem in illo catalogo recensuit, non mortuus est; quia transtulit eum Dominus. Sic in hoc loco dicitur, describi vniuersus orbis. Vide de hac regula Euthimium Matth. decimo nono, & Ioan. decimo. & Theophilatum Matthæ. decimo. & Originem tractatu vigessimo octauo in Matthæ. versus finem. Item Hierony. Zachar. 2. in postremis verbis.

¶ *A præside Syriæ &c.* idest, Palestinæ quæ est in Syria.

¶ *A præside Syriæ Cyrino.* Græcè est à preside Syriæ Cyrenio. Obserua, quod multa aliter à Græcis, aliter à latinis proferuntur: vt latini Domitium dicunt Græci Dometium, latini Domitiam, Græci Dometiam, latini Capitolium scribunt Græci Capetolium, brundusium latini proferunt, Græci brundesium, latini Scipionem dicunt, Græci Scepionem: & ita latini Cyrinum pronũciant, vt nostra profert vulgata, Græci Cyrenium.

¶ *Singuli in suam ciuitatem.* In qua, s. nati fuerant.

¶ *Eo quod esset de domo, & familia David.* Domus, & familia pro eodem accipiuntur. Quod si hoc loco, & aliis in locis euangelicis geminatur, ideo est, quod oratores docent affirmationis causa verba geminari, non quod diuersa significent.

¶ *Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio.* Quid aliud fuit nasci

Marginal notes: quare Virgo Maria nõ fuit Bethleemitica. — Mich. 5. — D. Hiero. 4. tom. de vera circũcisione pa. 121. in f. & 122. in princi. — propositio vniuersalis in sacra scriptura nõ accipitur aliquando vniuersaliter. — Gen. 41. — Rom. 1. — Regula. Matt. 10. Luc. 21. — Ioã. 10. Eccle. 1. — Rom. 5. — D. Chrys. — Heb. 11. — quare Christus in diuersorio nasci voluit.

nasci Christum inter paleas, & fœnum, & reclinari à Virgine sanctissima in humili præsepio (quia non erat ei locus in diuersorio) quam humani fastus, inanis gloriæ, hominum pompæ, & huius mundi sapientiæ apertissima damnatio? Quid aliud fuit, nasci in itinere, & diuersorio, nisi docere, vitam hanc viam esse, & diuersorium, non permanens domicilium? Quid aliud fuit illa profunda humilitas, quàm mundi superbiæ, & iactantiæ clarissima improbatio? Quid aliud fuit illa summa paupertas, quàm humanæ prosperitatis contemptio? In illa inopia voluit delitescere summus ille rerum opifex, amplissimusque cœli moderator, & rector, qui naturam vniuersam immensa virtute continet, totius vniuersi inuictissimus Imperator: vt doceret fundamentum Christianæ philosophiæ in rerum humanarum despicientia consistere: nosque ad æternæ patriæ desiderium, fructissimamq; æternitatis spem excitaret.

§ *Reclinauit eum in præsepio.* Fœnum mysticè significat, mediatoris incarnationem: vt Diuus Gregorius ait, lib. 7. Moral. cap. 4. exponens illud Iob. Nunquid rugiet onager, cum habuerit herbam, aut mugiet bos, cum ante plenum præsepe steterit? Herba (inquit) onagri, & fœnum bouis, est hæc ipsa mediatoris incarnatio, per quam simul gentilitas, & Iudæa satiatur. Quia enim per Prophetam dicitur. Omnis caro fœnum, vniuersitatis conditor ex nostra substantia carnem sumens, fœnum fieri voluit, ne nostra in perpetuũ caro fœnum remaneret. Tunc ergo herbam onager inuenit, cum gentilis populus gratiam diuinæ incarnationis accepit. Tunc bos vacuum præsepe enim habuit, cum plebi Iudaicæ eius carnem expectanti, lex exhibuit quem diu expectatum prophetauit. Vnde, & natus Dominus in præsepe ponitur, vt, videlicet, signaretur, quia sancta animalia, quæ ieiuna apud legem diu inuenta sunt, incarnationis eius fœno satiarentur. Præsepe enim natus impleuit, qui eis semetipsum mentibus mortalium præbuit dicens. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo. Hactenus Gregor.

D. Grego. quid per fœnũ signi ficetur.

Esa. 40.

Quare natus Christus in præsepio ponatur.

Ioã. 6.

§ *Pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio.* In stabulo, & præsepio nascitur Christus, & pannis vilibus inuoluitur, & lachrimas præ rigore fundit, vt præcipuè pastores, atque ministros Ecclesiæ doceat: humilitatem, paupertatem, pœnitentiam, non solum verbo, sed exemplo debere docere. Efficacior enim vt (Bernardus ait) est vox operis, quàm vox sermonis. Quod si pastor Christus omnem re vera mundi gloriam contempsit, non ne pastores sui illum imitari debent? Omnia terrena (inquit diuus Augustinus) contempsit homo Christus Deus, vt ab omnibus contemnenda monstraret: & omnia aduersa sustinuit, vt sustinenda doceret. Doceant igitur pastores Ecclesiæ non solum verbo: sed exemplo humilitatem, &c. Tum, vt Christum imitentur, qui in stabulo nascitur, qui pedes discipulorum lauit, qui societatem humilium, & pauperum elegit, qui vbi caput reclinaret nõ habuit, & sic eius ministri vocari meritò poterunt. Si quis (inquit) mihi ministrat me sequatur, & alibi, qui dicit se in Christo manere, debet sicut ipse ambulauit, & ipse ambulare. Tum etiam, vt subditis, & ouibus suis exemplum præbeant. Pasce (inquit dominus Petro) oues meas. Pasce verbo, pasce exemplo, pasce temporali subsidio. Nec dominantes in clero, sed forma facti gregis, ex animo. Exemplum superbiæ subditis ostendere, & præbere, hoc non est oues pascere, sed dæmones. Vnde Diuus Bernardus, ad Eugenium Papam sic scribit: Tu pastor procedis deauratus, tam multa circundatus varietate, oues quid capiunt? Si auderem dicere, dæmonum magis quàm ouium pascua hæc. Sic faciebat Petrus? sic Paulus ludebat? Idem: Petrus nescitur processisse aliquando, vel gemmis ornatus, vel sericis, non tectus auro,

Ecclesiasti cis verbo & exemplo paupertatem Christi docere debẽt, atque pœnitentiam, & humilitatem.

D. Bern.

D. Hiero.

D. Augu.

Ioã. 6.
Ioan. 13.
Matth. 8.

Ioã. 12.

1. Ioãn. 2.

Ioan. 21.
1. Pet. 5.

D. Bern.

auro, ne vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris: neque sic tamen credidit, satis posse impleri salutare mandatum, pasce oues meas. Quanuis ergo vera humilitas in corde præcipuè sita sit, secundum illud, quod Christus docuit. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Tamen exterior humilitas etiam ab Ecclesiæ ministris contemnenda non est. Exterior enim sine interiori, hypocresis est Pharisæorum, interior verò absque exteriori speciem habet superbiæ. Fateor (inquit Augustinus) de preciosa veste erubesco, non enim decet hanc professionem, non decet admonitionem, non decet hæc membra, non decet hos canos. Et diuus Hieronymus nō tenera vestis, sed munditia mentis, ornatum facit clericum.

Matt. 11.

Vera humilitas interior, & exterior esse debet præcipuè in clericis

D. Augu.

D. Hiero.

¶ Præterea in diuersorio nascitur Christus, vt superba hominum, & sumptuosa ædificia condemnet. Multa profectò sunt, quæ homines cohibere possunt ab amore superborum ædificiorum. Primū est, timor iræ, & maledictionis diuinæ. Vnde Hieremi. ait. Vę qui dicitis ædificabo mihi domum latam. Et Esai. 5. Væ qui cōiungitis domum ad domum, &c. Secundum est, quod huiusmodi ædificia, sunt Deo maximè exosa. Vnde Amos Propheta, c. 6. ait. Iurauit dominus Deus in anima sua (dicit dominus exercituū) Detestor ego superbiā Iacob, & domus eius odi. Tertium verò, atquè pręcipuū est Christi Saluatoris exemplum, qui in natiuitate sua, pro domo regia habuit diuersoriū, & in morte sua pro domo habuit sepulchrum, & in vita sua non habuit vbi caput suum reclinaret. Bernardus: Intolerabilis impudicitię est, vt vbi sese exinaniuit maiestas inflectur vermiculus, & tumescat.

Superba ædificia fugienda.

Hier. 22.

Esai. 5.

Amos. 6. c

¶ *Reclinauit eum in præsepio.* Constās patrum veterum sententia est dominum natum in spelunca, quod stabula quædā sunt ad quę descendi solet velut ad speluncam. Origenes ergo contra Celsum, qui à Christi temporibus nō abfuit plurimum lib. contra Celsum. in Bethleem ostendi, ait, speluncam vbi natus est dominus, de qua spelunca plurima ibi addit Origenes. Theodoretus de curandis Græcorum affectionibus lib. 8. Tophaę cenum spectamus, ait, visitari, in quo sit præsepe, in quo pauperculam virginem, in quo tenui fascia obuolutum infantem reclinatū docent. Hieronymus quoquę qui ea peragrauit loca in episto. ad Marcellam de hac spelunca, & de hoc præsepi in quo Christus dominus infantulus vagit, multa dicit. Et rursus in epistola ad eandem Marcellam, eam adhuc euocat speluncam. Et ad Eustochium virginem in epitaphio Paulæ matris bis huius speluncæ facit mentionem.

Originē.

Theodo.

D. Hiero.

¶ *Quia non erat ei locus in diuersorio.* Negabant nonnulli virginem diuertisse in hospitium, negabant puerum Iesum recens natum in præsepi posuisse, quod in hospitio locus non esset. Quod probare contendebant, nam pro diuersorio Grecè est in Euangelio, Catalyma, quæ vox Greca præcipuam partem domus significat, quę vulgo dicitur, sala, quare cum Euangelista ait: quod non erat ei locus in diuersorio, nihil aliud significare, inquiunt, voluisse, quàm non esse virgini locū in aliquo conclaui, aut in præcipua aliqua parte domus. Ad hoc fateor verissimè dictū esse vox Græca Catalyma præcipuā domus partem significare. Nam locus ille quo passurus dominus postremo cum suis discipulis cœnauit, Catalyma etiam appellatur in Euangelio: & ea pars domus est, quæ cō claue dici solet, & triclinium, sala, vulgo, ita est inquam. Quod vero subijciūt non significare tabernam diuersoriam, quæ vulgo dicitur meson: id falsissimū est ne se doctrinæ nomine iactent. Est namque vox Græca Katalyma, Polysemos, habet enim multos intellectus, inter cæteros significat diuersoriam tabernā, meson. Hesychius huius rei autor est, inquiēs, Catalyma, esse catagogium, & catagogium pādochium, meson, & Eustathius in fine commentarij in 4. Odisseæ in librū Catalyma esse ait Zenodochiū, meson. Quoniam igitur in publico diuersorio propter hospitum frequentiā non erat alius recenti puerperæ locus recli-

reclinauit puerum in præsepe. ¶Audi superbe diues, qui latifundia latifundiis accumulas, qui nusquā substruis domos, prędia, palatia. Qui cœli terræque, & dominus est, & opifex, cuique tu in baptismo nomen dedisti, peregre nascitur, neque habet locum in diuersorio. Si principem agnoscis tuum in cuius verba iurasti, ne pigeat illius exemplum imitari, & pudeat te tuæ mentis.

¶*Custodientes vigilias noctis.* Vel agētes custodias nocte.

quare angelus annuntiauit primū pastoribus regum Dei.

¶*Ecce angelus domini stetit iuxta illos.* Nato Christo pauperes pastores euāgelizantur, idest, lętum accipiunt nuntium. Cum enim in humano principatu regum mysteria secreta ad pauperes per diuites deriuentur, in Christi regno cōtrario, nūtia cœlestia ad diuites per pauperes sunt delata. Ideo nato Christo, Angelus domini apparuit pastoribus, & euangelizauit illis regnum Dei. ¶*Ecce angelus domini stetit iuxta illos.* Angeli apparent in Christi natiuitate, nō quod verbum angelus factum fuerit, sed caro, non quod angeli per Christi aduentum liberati fuerint: nam damnatis nulla est spes redemptionis, beatis verò angelis nulla est necessitas liberationis. Sed ideo apparent hominibus, vt illis gratulentur, ideo apparent, quia gaudio, & lętitia maxima afficiuntur, quod tempus accesserit, quo reparanda erat illorum ruina. Erimus enim iam illorum socij, non solum loco, sed immortalitate, charitate, & dignitate. In resurrectione, (inquit Christus) erūt sicut Angeli Dei.

quare apparent angeli in Christi natiuitate.

Mat. 22.

¶*Ecce angelus domini stetit iuxta illos.* Genes. 45. dicitur, quod Ioseph non statim, sed re cum fratribus peracta, & recōciliatione perfecta, dixit illis. Festinate & ascendite ad patrem meum, & dicetis ei, &c. Sic Christus qui tandiu distulerāt Iudęos, & gentes in vnam fidem conuocarę, in sua natiuitate statim, & festinatò vtrosque vocauit, Iudæos per angelum, gentes per stellam. Vi. quæ adnotauimus Matth. 2. in illum versum. Ecce Magi ab oriente venerunt.

Gen. 45.

Natus Christus statim vocat ad se gentiles, & Iudæos.

¶*Et claritas Dei*, idest, claritas immissa à Deo.

A ¶*Ecce enim euangelizo vobis gaudiū magnum*, idest, affero vobis lætum nuntium gaudij magni. Obserua Gene. 17. Pollicetur dominus Abrahæ filium, quē Isaac vocari præcepit, à risu quem Abraham prę admiratione, & gaudio fecerat: itemq; à gaudio, quod in natiuitate eius vterq; parens habituri erāt. Isaac enim risus interpretatur. Maxime autem propter Christum ex ipso nasciturū sic nominatur. Christus enim omnibus electis est causa sempiterni risus, & gaudij

Gen. 17. Figura.

Isaac figura Christi qui risum & gaudiū omnibus attulit in die natiuitatis suæ.

B interminabilis: inde est, quod hodie angelus gaudium pastoribus annunciat. Hinc & ipse dominus dicebat, iterum videbo vos: & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Hoc gaudium, huncq; risum Ioan. prægustauit: adeo vt in vtero matris exultaret. Et quemadmodum Sara exultauit nato Isaac: sic & Maria: Magnificat (inquit) anima mea dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Et sicut cum Sara etiam omnes qui audierūt gauisi sunt: sic non sola Maria gauisa est

Ioan. 16.

C de natiuitate Christi, sed cum ea, Zacharias, Elisabeth, Simeon, Anna, & quotquot pij erant in illo populo. Imo vt iā diximus Ioānes in vtero, pastores, & Magi. Sic adhuc omnes electi hinc gaudent. Vnde bene dixit Maria Beatam me dicent omnes generationes. ¶*Ecce enim euangelizo vobis.* Euangelizare regnum Dei excellentissimum est opus, atq; munus præstantissimum, ac proinde difficillimum. Vnde super locum illum diui Pau. 1. Corinth. 1. Non misit me dominus baptizare, sed euangelizare: inquit

Euangelizare regnum Dei est opus præstātissimum, & ideo difficillimum. 1. Cor. 1. Glo.

D glossa Augustini: perfectè baptizare etiam minus docti possunt, perfectè autē euangelizare, multò difficilioris, & rarioris est operis. Quod re vera ita esse nulli dubiū esse debet: nam vt quis Dei regnum sicut oportet euangelizare possit: eget scientia in intellectu, charitate in affectu, dulcedine in sermone, luce boni exempli in opere. Hoc autē opus angelicum est. Legem de ore eius requirent: quia angelus Dei est. Ecce euangelizo vobis: ait angelus hodie pastoribus. Imò non solum angelicum, sed penè di-

Malac. 2. b.

ninum est hoc euangelizandi munus. Nã eam ob causam Deus in mundum hunc visibilem venit. Euangelizare (inquit) pauperibus misit me. Et Marc. 1. Eamus in ciuitates, & vicos proximos, vt ibi prędicem: ad hoc enim veni.

¶ *Euangelizo vobis gaudium magnũ.* Gaudent multi in natiuitate domini, sed in quibusdam in occasionem volupta tis, & ostentationis factus est dies ille: vt videlicet, splendidius epulentur, & procedant in vestibus preciosis. Non huius modi gaudium nobis commendat cœlestis nuncius: non ad mensas delitiosas, vel vestes preciosas, ad pannos magis, & præsepium vocat. Denique medicum nobis exhibet, & annũciat saluatorem, qui curare veniat non epulari, remediũ præbeat non conuiuium. Veruntamen si diligenter aduertimus, multa nobis reposita est gloria sub his pannis, & in illo præsepio cœlestes delitiæ continentur. Gloria patris, filius sapiens pannosus factus est, vt alliget vulnera nostra: & delitiæ angelorum factæ sunt cibaria iumentorum, vt in quo suauis est eorum delectatio, sit istorum refectio salutaris. Hæc Galfridus. ¶ *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum.* Concionatoris ergo munus est, gaudium, & lętitiam hominibus annuntiare. Sed ais: ergo non illius est pœnitentiam prædicare? Imò hoc idem est gaudium euangelizare. Nam peccator, de peccato dolere debet, & de dolore gaudere. Hinc erat, quod olim in anno iubilæi populus tibis clangebat, con uiuijsque uacabat. Præterea, gaudium, hoc est, ea quæ ad gaudium, & exultationem cõferãt populo proponere debet, qualis est doctrina virtutum. Vnde Pau. admonet dicens. Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete, &c. Tandem gaudium, idest, id quod spem nostram dirigit. Qualis est incarnatio, passio, & peccatorum remissio, quæ pœnitentibus datur. Quanuis enim in scripturæ libro quem prędicare populo debet, sint lamentationes, carmen, & væ, hoc est, doctrina de pœnitentia, doctrina de iudicio, de inferno: tamẽ hæc omnia, ad gaudium perpetuum, ad lætitiã maximam, atque exultationem inenarrabilem, ordinantur. Nam pœnitentiæ disciplina: vt iam diximus, ad gaudium dirigitur. Inferni vero doctrina, atque iudicij similiter: nam eo iudicij sententiã in malos, atque inferorum pœnas docemus, vt peccatores vitæ malè actæ pœniteat, & pœnitendo illas euadant: ac sedesque cœlestes conuolent. A facie tua (inquit) concepimus, & parturiuimus, spiritum salutis.

¶ *Quia natus est vobis hodie saluator, &c.* Subaudi: Dico enim, quod natus est vobis, &c. ¶ Cæterum, ecce iam completum, quod Esai. prędixerat. Paruulus natus est nobis, filius datus est nobis. Paruulus natus est, quia verus est homo: filius datus est, quia est verus Dei filius. Natus est paruulus, ne timore terreremur, & quia puer statim commissa cõdonat, & facile placatur. Et datus est filius, vt nos posset à dæmone liberare. Quid nobis pater negabit quibus filiũ suũ dedit? Nobis, & natus, & datus est. Audi Angelum hodie pastoribus dicentem. Nolite timere, ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus dominus in ciuitate Dauid. Nomine pueri significatur ab Esaia humanitas, nomine filij, diuinitas. ¶ Illud autem considera, quod nõ in hoc loco Esaię, prædicatur magnus dominus, & laudabilis nimis, sed paruulus dominus, & amabilis nimis: vt diuus Bnerar. annotauit. ¶ *Quia natus est vobis hodie saluator.* Quid ergo (inquit Bernar.) retribuam domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Si enim totum me debeo pro me facto, quid addam pro me refecto, & refecto hoc modo? Neque enim tam facile refectus quam factus, si quidem non solum de me, sed de omni quoque, quod factum est scriptum est. Ipse dixit, & facta sunt. At vero qui me tantum etiam semel dicendo fecit, in reficiendo profectò, & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura: nec tantum dura, sed etiam indigna. Quid ergo retribuam domino pro omnibus, quę retribuit mihi? In primo opere me mihi dedit,

Esai. 61. Mar. 1.

quod Christus, vt alliget vulnera nostra pannis est inuolutus.

Munus prædicatoris est gaudiũ annuntiare, & quid per gaudiũ intelligatur.

Leui. 25.

Philip. 4.

Ezech. 2.

Esai. 26

Esai. 9. Expositus locus.

Nascitur Christus paruulus, vt ostẽdat se facilè cõmissa condonare, atque facilè placari.

qui condonauit nobis filiũ nihil nobis negabit, quod ad salutem nostram pertineat.

D. Bern. Nihil adij quod retribuere possimus domino pro filio nobis dato.

dit, in secundo se: & vbi se dedit me mihi reddidit. Datus ergo, & redditus, me pro me debeo, & debebo: quid Deo retribuam pro se? Nam etiam si me millies rependere possem, quid sum ego ad dominum? Natus est vobis (inquit Angelus) & Esaias: paruulus natus est nobis: filius datus est nobis. ¶ *Natus est vobis Saluator.* Ne Dei opera manca, & imperfecta manerent: hodie nobis natus est. Hodie verbum, caro factum est. Condidit primùm Angelos, quorum multi ceciderunt. In eorum locum homines creauit, qui omnes in Adā peccauerunt: quare ne tantum Dei opus imperfectū, & inabsolutum in cœlo maneret, verbum caro factum est, vt homines saluaret: vt eos redimeret: vt pro illis, vitam obeundo, satisfaceret: instituitque sacramentum pœnitentiæ, quo, si laberentur, in pristinam dignitatem restituerentur. Vnde Angeli non inquiunt, natus est nobis Saluator, sed natus est vobis, quia puer natus, non pro saluandis Angelis, sed pro saluandis omnibus hominibus venit: vt sedes Angelorum, qui de cœlo ceciderant: restaurarentur.

Natus est Saluator ne opus Dei imperfectum maneret in cœlo.

¶ *Hoc vobis signum: inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.* Sententia Senecæ docemur, ne beneficium, quod amicis exhibemus, facultatem nostram superet. Cum summæ, inquit, amicitię sit amicum sibi æquare, vtrique simul consulendum est. Dabo egenti, sed vt ipse non egeam, succurrā perituro, sed vt ipse non peream. Eandē regulam tradidit nobis D. Paul. 2. Cori. 8. in eleemosyna porrigenda. Non enim (inquit) vt alijs sit remissio, vobis autem tribulatio: sed ex æqualitate in præsenti tempore, vestra abundantia illorum inopiam suppleat: vt illorum abundantia, vestræ inopiæ sit supplementum. At verò tanta fuit humanitas, & benignitas Christi, tāta charitas, vt cum diues esset, pro nobis egenus factus sit: vt nos ditaret, inops, & pauper iacet in stabulo, atque in præsepio pannis inuolutus reclinatur.

Seneca.

2. Cor. 8.

Nos egēti demus ita vt nos nō egeamus, Christus verò cū diues esset, vt nos ditaret egenus fieri voluit.

Pannis inuolutum, & positum in præsepio. Humilitatem exemplo suo Christus docuit, & nascendo, & moriendo, & prędicando, & miracula agendo. D. Ber. explicans illud Esaiæ. 6. Paruulus datus est nobis, Studeamus (inquit) effici sicut iste paruulus, discamus ab eo, quia mitis est, & humilis corde, nec magnus, videlicet Deus, sine causa factus sit homo paruulus. Augustinus. Medicina tumoris hominis, est humilitas Christi. Erubesceret homo esse superbus, quia humilis factus est Deus. Erubesceret miles sedere in scanno, si videret regem sedere ad terram. Esai. 64. Vtinā dirumperes cœlos, & venires, à facie tua montes defluerent. i. superbi humiliarentur. Bernar. Intolerabilis impudicicię est, vt vbi se exinaniuit maiestas infletur vermiculus, & tumescat. Discamus igitur à Christo humilitatem: qui voluit habere domum humilem, quia diuersorium: & lectum humilem, quia præsepium: & vestem humilem, quia pannis, scilicet, vilibus inuolutus est. Vnde Angelus hodię ait: & hoc vobis signum. Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. Super quæ verba D. Berna. ita loquitur. Non sine certi ratione mysterij pannis Saluator obuoluitur, & ponitur in præsepio: quando idem manifestè in signū nobis commendatur ab Angelo. Hoc (inquit) vobis signum: inuenietis, &c. In signū positi sūnt panni tui ô bone Iesus, sed in signum cui hodie à multis contradicitur. Agnosco, certè agnosco Iesum magnum sacerdotem, sordidis opertum vestibus, dum altercaretur cum diabolo. Zachar. 3. Exemplum dedit nobis, vt nos eadem faciamus. Vtilior siquidem in conflictu lorica ferrea, quàm stolla linea, licet oneri illa sit, hæc honori. Erit cum membra sequentur caput, vt corpus vniuersum vno spiritu psallat, & dicat: Concidisti saccum meum, & circundedisti me lętitia. Christus humilibus per Angelum natiuitatem suā nūnciat, quia pastoribus. Bern. in sermone: quot multa hodie gemmis, & auro fulgent altaria, quantis vbique palijs, & aurificijs parietes adornantur, putas ad hæc diuertent Angeli, & pannosos homines declinabunt? Si ita est, cur pastoribus ouium magis

Humilitas maxime comēdatur. D. Ber.

D. Augu.

Esai. 64.

D. Ber.

D. Ber.

Zach. 3. Ioan. 13.

Psal. 29.

D. Ber.

magis apparere, quàm terræ regibus, quàm templi sacerdotibus? Idem Ber. in sermonibus sic ait: Quid est igitur, quod sola ab Angelo videtur commendari humilitas, & respondet. Forte specialius commendat Angelus humilitatem: quia ruentibus cæteris per superbiam, ipse in humilitate stetisset. Aut certe propterea cœlitus enuntiatur humilitas, quod hæc quasi propria virtus exhibenda sit diuinæ maiestati.

Idem.

¶ Sectemur igitur hanc virtutem, hāc totis viribus imitemur: nam Deus humilitatis dona speciali quodam modo à suis acceptat. Exod. 12. ait dominus de altari: Non solidum, sed inane, & concauum facies illud. Altare est cor altum, & eminens sanctitate. Hoc concauũ per humilitatē esse debet, vt Deo grata sint dona, quæ ibi offerãtur. Vnde D. Grego. 1. parte Moralium. Vt cuiuslibet facta digniora sint, necesse est, vt apud sese semper indigna videantur. Ad literam: voluit dominus, vt altare esset concauũ, vt capere posset ignem, & eius materia: ligna, scilicet, & victimas. Nec cor humanum capit ignem Spiritus sancti, nisi humile fuerit. Ligna enim sacrorum verborum, & victimas exemplorum bonorum non capit, nisi sit humile. ¶ *Inuenietis infantem pannis inuolutum, et positum in præsepio.* Diligamus igitur paupertatem exéplo Christi, qui eam amplexus est. D. Bern. Magna abusio, & nimis magna, vt diues esse velit vermiculus vilis, propter quem, & dominus maiestatis, & Deus Sabaoth, voluit pauper fieri. Paupertas Christi crescendo processit. In natiuitate pannis inuolutus est, & pro domo habuit diuersorium, deinde hospitium non habuit. Matth. 8. Filius hominis non habet vbi caput suum reclinet. Et Matth. 11. Circunspectis omnibus, cũ iam vespera esset hora, exijt in Bethaniã cum duodecim. Super quem locum inquit glossa. Circunspectis si quis eũ hospitio susciperet. Tantæ enim paupertatis fuit: & ita nulli adulatus, vt in tota vrbe nullum inueniret hospitium. In passione verò proprijs vestibus spoliatus est, vt docet Matth. 22. c.

Deus humiliū specialiter Deus acceptat. Exo. 12. Figura.

D. Greg.

Paupertas Christi imitanda. D. Ber.

Matth. 8. & 11.

Glo.

Matth. 22.

¶ Docet præterea hoc exéplo Christus seruator noster: non diuitias, sed virtutē diuites facere. Ergo fratres (inquit Gregorius) si verè diuites esse cupitis veras diuitias amate. Solę verò diuitię sũt: quæ hos virtutibus diuites efficiũt, quæ mentem satiant, & secum omnia portát, vt in æternum diuites faciant.

Non diuitiæ, sed virtutes diuites faciũt. Gregor.

¶ Præterea condemnat hic Christus stultitiam hominum, qui de pretiosis vestibus gloriantur. Vnde Ecclesiasticus ait cap. 11. In vestitu ne glorieris vnquã: nec in die honoris tui extollaris. 1. Timoth. 2. Paul. ait: Volo mulieres orare in habitu ornato, cum verecũdia, & sobrietate ornantes se, non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste preciosa: sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona. Habitum ornatum in quo vult Apostolus mulieres orare, vocat glossa, religionem earũ ornantem eas. Idem admonet D. Petrus 1. epistola, cap. 3. & Apocal. 18. Hæc nimia vestium curiositas damnatur. Væ væ ciuitas illa magna, quæ amicta erat purpura & bysso, & cocco, & deaurata est auro, & lapide pretioso, & margaritis: quoniam vna hora destitutæ sunt tantæ diuitiæ. D. Hierony. Ornatus, & sordes pari modo fugienda sunt. Quia alterum delitias, alterum gloriam redolet. Idem: Nec affectatæ sordes, nec exquisitæ delitiæ laudem pariunt. Si tamen vestem sordidam pro Christi amore quandoque oporteat facere, non est curandum, cum Propheta viderit Iesum sacerdotem magnum, vestitum sordidis vestimentis, & cum dominus corporis immunditiam non damnet, neque immunditiam reputet. Matth. 15. Non (inquit) quod intrat per os coinquinat hominem. Et Seneca: argumentum bonæ voluntatis, grabatus, & pannus, vbi apparuerit aliquem non necessitate hoc pati, sed velle.

Curiositas vestiũ damnatur. Eccle. 11. 1. Timo. 2.

Glo.

1 Pet. 3. Apoc. 18.

D. Hiero.

Idem.

Matth. 15

Seneca.

¶ *Facta est cum angelo multitudo cœlestis militiæ.* Vel multitudo copiarum cœlestium. ¶ Cæterum multitudo copiarum cœlestium doctrinam Angeli confirmat: vt discamus illam doctrinam non recipere, quæ cum Ecclesia catholica, hoc est, vniuersali, aut cum doctrina con-

Illa doctrina non est recipienda, quæ ab Ecclesia vniuersalis aut doctrina cõcilio rũ, aut ã-

ctorum patrum non cōcordat, qualis est hæreticorum.

conciliorum, aut cum consensu sanctorum patrum non concordat, qualis est hæreticorum hominū. Eam ob causam diuus Paulus, qui non ab homine, sed à Deo doctrinam suam receperat: ad multitudinem Apostolorum venit, atq; cū illis Euangelium suum contulit: non qđ ipse dubitaret, sed ne alij dubitarent: in epistola ad Gala. c. 2.

¶ *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus.* Et, pro, nam. Heb. est cōsueuit enim scriptura, vt dicit Theophilatus Lu. primo coniunctionem. Et, pro, enim, aut, quia, accipere. Vt benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. idest: quia benedictus fructus ventris tui. Hæc ille. Et Mar. 5. Annuntia illis quāta tibi dominus fecerit: & misertus est tui. Idest, quia misertus est tui. Et Psal. 59. Et nobis auxilium de tribulatione: & vana salus hominum. i. quia vana est salus ab homine. Et Esai. 64. Tu iratus fuisti, & nos peccauimus. i. quia nos peccauimus. Sic & in hoc loco: & in terra pax hominibus. i. quia in terra pax hominibus. Et hęc pax fiet pro bona Dei voluntate erga homines, aut hominum erga Deum. Ac ita interpretatur Gregorius Nissenus, in Homilia natalis domini. ¶ *Gloria in altissimis Deo.* Si Angeli pro collato nobis tanto beneficio laudant Deum, quanto potius, & nos Deū extollere, laudareque debemus? Exulta ergo, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel. Canta ergo dominum canticum nouū, quia mirabilia fecit: vt Psalmista hortatur. ¶ *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bona voluntatis.* Græca sic habet: καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. i. & in terra pax, in hominibus bona voluntas. Vt intelligas tria distributa, ac singula singulis reddita, gloriam vni Deo tribuit, idque in altissimis, terræ pacem, hominibus bonam voluntatem, εὐδοκίαν. Neque verò sic accipiendum opinatur Erasmus, vt ipsis hominibus sit bona volūtas, sed vt intelligant hanc gloriam, hanc pacem, non ex hominum meritis exhibitā mundo, sed duntaxat ex beneplacito Dei, cui

Theophilatus.
Et, pro, quia, in scriptura. supra c. 1.
Mar. 5.
Psal. 59. c.
Esai. 64.
Esai. 12.
Psal. 97. a.
Er. in anno.

A sic visum fuit hominibus gratificari. Hoc (inquit) significat nobis hæc angelica cantio: nihil ex hoc negocio gloriæ deberi, nec Angelis, nec hominibus, sed vniuersam gloriam deberi bonitati diuinæ: quæ nobis quos condidit, miro consilio prospicit è cœlo. vt intelligamus illinc nobis proficisci, quicquid magnificum, aut salutiferum obtigerit, in terris nihil aliud optādum, quàm pacem, quæ peccatis abolitis nos Deo conciliet, quę nos mutua charitate conglutinet. Hæc

B est enim pax non mundi, sed Dei, quæ superat omnem sensum, quæque pręponderat vniuersis mundi facultatibus. Ea gratis per conciliatorem Dei, & hominum offertur, non nostris intercedentibus meritis, sed ex propensa in nos beneficentia diuina, cui visum est hac mirabili ratione consulere saluti generis humani. ¶ Cæterum editio nostra latina, quam vniuersa Ecclesia Romana legit, sic habet: gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

C Quod discrimen vna litera facit. Græci sic legunt gloria in excelsis Deo, & in terra pax, in hominibus eudocia. i. bona voluntas: addito literam vnam, & leges: & in terra pax hominibus eudocias. i. bonæ voluntatis, & efficies lectionem Ecclesiæ Romanæ, si legeris, vt vltimum nomen sit in casu patrio eudocias, bonæ voluntatis. Cur vero Romanę Ecclesiæ placuerit magis posterior lectio, nunc paucis accipe. Mitto illam priorem orationem: *Gloria in excelsis Deo.* In secundā oratione: *& in terra pax.* Si ibi distinctionem appingas, quem sensum habe-

D re possit, non reperies: siue de Christo intelligas, qui pax est Angelorum, & hominum: siue de pace illa, quā dominus suis reliquit. Pacem, inquit, meam do vobis, pacem relinquo vobis. Quæso te quo modo hæc pax, quæ hominum animos tranquillat, vt nullum sit dissidium animæ partibus inter se, vt inter se concordent in Dei cultum, & in proximiorum dilectionem, quomodo in terra futura est? In rebus inanimis, an in brutis animantibus? an in paganis? Certè non cōminisci queas quo modo hæc pax ab Ange

Era in para.

Angelis terræ nuncietur, si illic appo-nas distinctionem. Sub distinctionem ad das necesse est, vt coniungatur hæc oratio verbis sequentibus, *& in terra pax in hominibus bonæ voluntatis*, vel hominibus bonæ voluntatis, quibus Christus qui est vera pax annunciatur, & pax illa quam Christus suis reliquit. ¶ Cæterũ, vt de nomine eudocia nunc agamus, Plato in fine menonis quam Angeli hoc loco vocant eudociam, nominat eudoxiam, ab eodem verbo bene opinari, vnde eudocia, siue eudoxia, bona opinio, aut recta fides: quæ hoc solo, inquit Plato, distat à sapientia, & scientia, quod sapientia, & scientia res per causas cognoscit: recta fides, quæ eudoxia, siue eudocia dicitur, rerum veritatem nouit, quãquam earum scientiam non habet: non enim res diuinas cognoscit per suas causas. Hanc eudociam, quam Plato eudoxiam nominat, nostri bonam voluntatẽ appellãt, quę vera sequitur bona. Nam duas arbores facit scriptura, arborem bonam, quę bonos fructus facit, & arborẽ malam, quæ facit fructus malos, vt bona arbor bona voluntas sit, arbor mala sit mala voluntas. Bona voluntas porrò donũ est Spiritus sancti, tã in hominibus; quam in Angelis, quæ, vera bona proposita ab intellectu, aut à Deo sequitur, vt docet Augustinus lib. 12. de ciuita. Dei, cap. 9. & lib. 14. cap. 7. de bona verò, & mala voluntate leges lõgam disputationem inter Augustinum, & hæreticos, li. 3. contra Iulianum Pelagianum, c. 3.

¶ *Gloria in altissimis Deo.* Hoc oleum laudis; & glorię, nõ hominibus, sed Deo nostro dandũ est. Exod. 30. ait dominus, Hoc oleum vnctionis sanctum erit mihi in generationes vestras caro hominis non vngetur ex eo, &c. Homo quicũq; tale composuerit, & dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo suo. Qua in re significare voluit dominus, vt sibi, & nõ nobis oleum laudis, & glorię præbeamus. Non ergo nobis domine nõ nobis, sed nomini tuo da gloriam.

Figura. Exo. 30. Oleũ laudis soli Deo est præbendũ

Psal. 113.

¶ Discamus ex hoc loco vanam huius mundi gloriam fugere: discamus gloriã Dei solũ quærere: nam soli Deo honor, & gloria debitus est. Huius namq; mundi gloria tam vana est, vt cũ omnia, quæ sub sole gerãtur vana esse, & caduca sciamus: sola tamen huius mundi gloria nomen hoc vanitatis sibi vsurpauit: eò qđ inanissima, atque vanissima sit. Hoc est, quod apertissimè Christus dominus significare nobis voluit: qui cum in die palmarum tanta gloria à populo susceptus fuisset: postea ab eodem populo, in eodẽ loco, & in eodem tempore, paucissimis diebus interpositis, crucifixus est. Vnde D. Bernar. ait: Vbi prius dictum erat ei benedictus qui venit in nomine domini, dictum est postea, tolle, tolle, crucifige eum: & qui prius vocatus fuerat Rex Israel: postea audiuit, non habemus Regem nisi Cæsarem. Et cui prius vestimẽta prosternebãtur aliena, suis postea spoliatus est. ¶ *Gloria in altissimis Deo.* Quotquot ita elati, ac superbi sunt: vt tali modo se in omnibus suis actionibus gerant, quasi credant, bona sua à seipsis, & non à *Deo habere*, non dant illi gloriam: sed potius de seipsis gloriantur: quæ maxima temeritas, maximaque superbia est. Quid habes, quod nõ accepisti? quod si accepisti quid gloriaris quasi non acceperis? Quid etiam tam ingratus es, vt nõ maximas Deo gratias agas? vt non gloriam cum Angelorum militia illi cantes? Non es profecto dignus dandis, qui non agis gratias de datis: vt diuus Gregorius ait, Vis ne tibi viuere, & non Deo? Recognosce o homo dominum Deum tuum. Redde illi censum debitum, hoc est, gloriam, & laudẽ sibi debitam. ¶ Quotquot etiam existimant pro meritis suis habere, quod habent, superbi iudicandi sunt, & ingrati. Qui pro susceptis muneribus gratias reddere, & gloriam Deo cum Angelis decãtare nõ curant. Vnde Bernardus: Exaggera quãtũ vis merita, & extolle sudores: melior est misericordia domini super vitas. Idẽ, meum meritum est: miseratio domini. Idem. Nemo se seducat, quia si bene cogitare voluerit, inueniet proculdubio, quia nec cum decem millibus possit occurrere ei, qui cum 20. millibus ad se venit. Quod à Lucæ cap. 14. desumpsit. Idem

Mũdi gloria fugienda, & soli Dei gloria quærenda

D. Bern.

qui in suis actibus ita segerunt quasi crederent bona sua à se habere, & nõ à Deo, non dant illi gloriam.

1. Cor. 4.

D. Grego.

D. Bern.

Psal. 62.

Idem.

Infra. 14.

Idem.

Idem. Spiritus sanctus illos, quos repleuerit, & spiritu feruere, & in veritate agnoscere facit: quia sola misericordia est, quæ homines præuenit, & perducit. Et subdit: multum sibi de hac misericordia vndique attraxerat Dauid cum diceret: Misericordia eius præueniet me: & misericordia tua subsequetur me: & misericordia tua magna est super me: & misericordia tua ante oculos meos est: & qui corripit me in misericordia, & miserationibus: & Deus meus, & misericordia mea. ¶ *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus.* Vtilitas, & cōmodum tam præclaræ, atque gloriosæ natiuitatis, hominibus cōceditur: gloria verò, & laus, Deo in excellis assignatur. Quare quemadmodū omnipotēs Deus bonorum omnium impartitor sortem portionemque nostram nō attingit: ita nos eius sortem, hoc est, perpetuam gloriam, & immensam laudem vsurpare nobisque ipsis appropiare non decet: sed illi soli relinquere. In omnibus ergo vt D. Petrus ait honorificetur Deus. Vniuersa enim, siue visibilia, siue inuisibilia, siue corporea, siue incorporea, condidit cœlestis ille artifex: tum, propter hominum commoditatem: Vt Paulus docet 1. Corint. 3. inquiens: Siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura, omnia enim vestra sunt. Tum etiam, propter suam gloriam, atque honorem. Vt, scilicet, in mundi præclara conditione, eius infinita virtus cognosceretur: in mundi gubernatione, eius infinita prouidentia, atque sapientia, in bonorum præmio, & remuneratione, eius incomparabilis misericordia, in peccatorum redemptione, eius inæstimabilis clementia. Æquum ergo, & iustum est, vt sicut ipse reddit, quæ nostra sunt, nos vicissim illi exhibeamus, quæ sua sunt: hoc est debitum honorem debitam gloriam, debitā deniq; sibi laudem. ¶ *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus.* His verbis admonent Angeli, vt in duobus potissimum in hac mortali vita solliciti simus: & in laudibus Deo exhibendis, & in pace cum proximo comparanda, atque seruanda. Qui prima decalogi

Psal. 58.b
Psal. 22.b
Psal. 85.e
Psal. 25.a

Vtilitas natiuitatis Christi nobis condonatur, at gloria, & laus Deo in excelsis assignatur.

1. Pet. 4.

1. Cor. 3.

qui prima decalogi præcepta nō seruāt Deo gloriā nō reddūt, neq; qui semināt discor

A

præcepta contemnunt, primū non custodiunt: imò potius Deū inhonorāt. Ita vt Christus seruator meritò talibus dicere possit: ego honorifico patrem meum, & vos inhonorastis me. Qui verò discordias seminant inter fratres, hi de pace christiana non curant: pacem, & veritatem non diligunt: neque bona voluntate imò iniquo animo præditi sunt. Cum omnibus ergo hominibus pacem habeamus, & sic Deus pacis, & dilectionis erit nobiscum: vt Paulus scribit. Et rursum idem ait: soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Soliciti (inquit) vt hinc intelligamus nostrum esse, solicitos esse in pace procuranda, Dei autem erit, bonum exitū præstare. Piscatoris enim est, hamum præparare, retia immittere, Dei autem erit, vt piscis hamo capiatur. Agricolæ etiam est, seminare: Dei autē, messem plurimam præbere: calami quoque est, literas exarare: sed scribentis, egregia elementa formare. Vide Actor. 10. D. Lucas ait: Loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum. Cecidit inquit, & non ait, misit Spiritum sanctū. Quoniam D. Petrus mittere nō poterat de cœlo Spiritum sanctum, cum hoc sit opus Dei: sed tantum corda illorum hominum sua prædicatione disposuit. Ideo diuus Paulus ait. 1. Corint. c. 3. Ego plantaui, appollo rigauit, Deus autem incrementum dedit. Ita neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Vt ergo redeamus vnde digressi fumus, notanter diu9 Paulus ait: Soliciti seruare vnitatem, quasi dicat, quoad fieri possit, contendite seruare vnitatem, & vinculum pacis. Vestrum enim est, curam, & solicitudinem in ea re adhibere, & Dei erit, vestra desideria implere, pacem reuera donando, cum Deus pacis sit. ¶ Sectemur igitur pacem, nam hæc virtus ab Angelis hodie commendatur, à Christo maximè diligitur, ab Apostolis vbique prædicatur. Columba ramum oliuæ portat in ore suo. Gene. 8. Oliua signum est pacis, columba verò Spiritus sancti, quo significatur, quod viri christiani, & spiritu Dei afflati

B

C

D

dias inter fratres de pace christiana curant.
Ioan. 8.f

Ioan. 12.d
2. cor. 13.d

Ephes. 4.a
Hominum est solicitos esse in pace procuranda, Dei autem est illam præstare.
Similia.

Actor. 10.

1. Cor. 3.

Pax commendatur
Mar. 10.
Lucæ. 10.
Ioā. 20.

Figura.
Gen. 8.

afflati in ore portare debent pacem, vt ad ea quæ pacis sunt cęteros admoneāt. Hæc diuina virtus tanta est, vt pro illa comparanda dies noctesque sancti preces fundant. Nume. 6. Conuertat dominus Deus tuus vultum suum ad te, & det tibi pacem. Hiere. 29. Quærite pacem ciuitatis, &c. Et in Psalmo: Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem. Hæc est, verum bonum, amicorū Dei. Ideo à Christo suis discipulis iam iam morituro relinquitur. Ioan. 14. Hæc, inter fructus spiritus annumeratur: vt Paul. docet in epistola ad Galat. c. 5. Hæc est, locus in quo habitat Deus: vt diuinus psaltes affirmat Psal. 75. dicens: In pace factus est locus eius. Cuius figura fuit templum Salomonis in pace factum. Hęc pax est, pro qua comparanda, Deus noster vitā suam dedit. Hæc pax, & concordia, arræ quæ iam sunt futurę pacis. Esai. vltimo. Erit Sabbatum ex Sabbato. Deniq; pax grata est, tam Deo, quàm hominibus. Eccles. 25. In tribus, inquit, beneplacitum est spiritui meo, quæ sunt probata corā Deo, & hominibus: concordia fratrum, amor proximorū, & vir, & mulier sibi cōsentientes. ¶ *Et in terra pax.* Ioan. Angeli Deum laudibus efferunt: quod iam sit in terra pax nostra, quæ fecit vtraquē vnum. Christus enim pax vocatur. Imò etiā ab Esaia princeps pacis dicitur. Vocabitur, inquit, nomen eius admirabilis Deus fortis consiliarius, princeps pacis. Nō, inquit, princeps militum, princeps belli, sed princeps pacis. Christianus princeps, pacis studiosus, Christum principem pacis imitatur. Princeps, inquit, pacis illius, scilicet, quę in consolatione conscientiarum posita est, & qua hominum genus Deo conciliatum est. Cuius pacis in scripturis frequens est mētio, & præsertim in nouo testamento. Consiliarius præterea vocatur: quia pacis consilia nobis attulit Rex iste pacificus. Contulit enim nobis paupertatem spiritus, castitatem, patientiam, cæterasque Christianæ religionis virtutes. Hæc sunt pacis consilia, de quibus verè dici potest, quod Salomon ait: Prouer. 12. qui ineūt pacis consilia, sequitur eos gaudium.

Nu. 6.
Hiere. 29.
Psal. 121.
Ioan. 14.
Gala. 5.
Psal. 75.
Figura.
Esai. vlti.
Eccle. 25.
Christus pax, & oriuntur pacis dicitur.
Esai. 9.
Pictur.
Adamus.
Pro. 12.

A ¶ *Gloria in altissimis Deo; & in terra pax.* Bonorum Angelorum semper fuit, gloriā Deo reddere, pacem hominibus procurare. At verò malorum angelorū semper fuit, vsurpare sibi gloriam: & à summo Deo rerum omnium moderatore, atque artifice aufferre: atque in cœlo, in terraquē discordias seminare. De qua re lege Rupertum lib. 1. de victoria verbi Dei, cap. 28. ¶ *In terra pax, hominibus bonæ volūtatis.* Ergo peccatores nō pacem, sed potius prælium cum Deo habent, quæ maxima stultitia est. Nā quis B resistet ei, & pacem habebit. Vnde regius Psaltes ait: pax multa diligentibus legem tuam: & non est illis scandalum. ¶ *In terra pax, hominibus bonæ voluntatis.* Vnde sicut sanctum maximeq; conueniens est, inter pios, & iustos pacem seminare: ita sanctum etiam est, inter homines deprauatos, & pessimos seminare discordiam. Non enim expedit, vt inter peccatores, & iniquos pax, & concordia sit: vnde Beda: si malorum vnitas noxia non fuisset, nequaquam diuina prouidē C tia superbientium turbas in tanta diuersitate dissipasset. Et Isidorus: concordia malorum cōtraria est bonorum: & sicut optandum est, vt boni pacem habeant adinuicem, ita optādum est, vt mali sint discordes. Impeditur enim iter bonorū si vnitas non diuiditur malorum. ¶ *Pax hominibus bonæ volūtatis.* Nō, inquiūt, boni intellectus, sed quid aiunt? Pax hominibus bonæ voluntatis. Non enim sat est ad pacem veram parandam, scientia plurima pollere duntaxat: nam hęc sola, inflare solet: sed necesse est bona volun- D tate, hoc est, virtute, & Dei amore esse præditos. Sal enim perse, & non cibo adiunctum, minime comeditur. Sic scientia sine Dei amore insuauis est, & placere non potest. Qui cum Deum cognouissent (inquit diu. Paulus de Philosophis antiquis scribens) non sicut deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, &c. Propterea tradidit illos deus in reprobum sensum. Quemadmodum enim lepus à cane persequitur, & apprehenditur, à venatore autē comeditur: sic pax dei, atq; diuina mysteria, ab intellectu sectanda sunt,

Bonorū, & malorū Angelorū distantia.
Psal.
Homines malæ volūtatis nō pacem, sed prælium cū Deo habent.
Psal. 118.
Sicut sanctum est inter pios pacem seminare, ita & inter impios discordiā.
Beda.
Isidor. lib. 3. de summo bono.
Nō sat est ad pacem Dei parandam, scientia plurima, sed necessaria est bona voluntas.
similitudo
Roma.
similitudo

sunt, & capienda, à voluntate verò comedenda, hoc est, summo opere diligenda. Quemadmodum etiam matres cibū nō deglutiunt, sed mandunt: vt illum filijs suis lactētibus præbeant: sic intellectus res cœlestes minime vorare, sed solū mādere debet: vt eas voluntati quæ tenera, & dentibus rationis expers est, comedēdas proponat. ¶Præterea: non aiūt Angeli, & in terra pax hominibus bonorū operum, sed bonæ voluntatis. Nam multi sunt qui ieiunant, eleemosynas largiūtur, ac reliqua opera pietatis exequuntur, quales sunt hypocritæ, & tamen pacem Christi non habent, eò quòd bona voluntate careant. Qui vero hanc habent, exequi autē bona opera nequeūt, quod pauperes, aut infirmi sint, adhuc pacem habent. Satis est enim bona voluntas quando non adest benē exterius operandi facultas. ¶*Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Græcus textus sic habet, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. Et in terra pax, in hominibus bona voluntas. Idest: iam in terra est tranquillitas, siue pacificator qui homines cum Deo reconciliet: & iam est in hominibus beneplacitum, idest, amicus, & beneuolus affectus Dei erga homines propter Christum natum. Sed nos editionē nostram secuti, alium sensum in superioribus retulimus, & in sequentibus prosequemur. ¶*Pax hominibus bonæ voluntatis.* Bona voluntas illa est, quæ regulę, hoc est, Dei volūtati cōformis est. Quod fiet per obedientiam mandatorum, ad quam profitendam, & seruandā, creaturæ omnes, scripturarum testimonia, exēplaq; innumera, nos incitant. Regulæ ergo diuinæ conformes simus, eius mandatis omnibus obedire proponamus, & tunc homines bonæ voluntatis erimus.

similitudo

¶ *Euangelium in aurora natiuitatis.*

ET factū est, vt discesserunt ab eis Angeli in cœlum, pasto- A *res loquebantur adinuicem, transeamus vsq; Beth lehē, et videamus hoc verbum, quod factum est, quod fecit dominus, et ostendit nobis. Et venerunt festinantes: & inuenerunt Mariam et Ioseph, et Infantem positū in* B *præsepio. Videntes autē cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui audierunt mirati sunt, de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos. Maria autem conseruabat omnia verba hæc conferēs in* C *corde suo. Et reuersi sunt pastores glorificantes, et laudātes Deū in omnibus, quæ audierant, & viderāt, sicut dictum est ad illos.*

LOquebantur adinuicem. Vel incitabāt se verbis mutuo.

¶*Videamus hoc verbum.* Heb. pro hanc rem, vide supra. c. 1. ibi nō est impossibile apud Deū omne verbum.

D ¶*Transeamus vsquè Beth lehē.* Transeamus vsq; Beth lehé, & à seculi actibus diuertentes subire nullatenus humile Christi diuersorium dedignemur. Ibi puer natus est nobis: Ibi filius datus est nobis, cuius exinanitio, nostra fuit repletio: cuius abbreuiatio, est eruditio paruulorum. O fœlix tugurium: ò regū palatijs diuersorium præferēdum, quod cœlestis magisterij auditorium factū est. Vbi verbum paruulos tanto intelligibilius de præsepio erudit, quanto eis per si-

 lentium

lentium infantiæ suæ nouũ humilitatis decreta proponit: vide fili, si verè philosophari appetis, à Christi diuersorio ne recedas, ibi verbum infans vagit quidẽ in cunis, sed præ Tullij facūdia, imo præ eloquijs Angelorum ille vagitus est eloquens, qui linguas infantium facit disertas. Ibi in accessibilis splendor obuolutus vilibus pannis, sed quibus sordes criminum deterguntur, Ibi Angelorum satietas modico lacte alitur, sed citius alimento humilium nutrita simplicitas in adultam prouehatur ætatem. In præsepi illo Angelorum frumentum in hordeũ vertitur, sed cuius pabulo pia iumenta in comportandis oneribus roborentur. Transeamus igitur vsq; Bethleem, & videamus tantum mysterium, quod ibi celebratum est. ¶*Transeamus vsque Bethleem, & videamus hoc verbum*. Vgo de operationibus triũ dierũ ait: multis modis res apparere admirabiles: aliquando ex magnitudine. Vt gigãtes propter corporis magnitudinẽ in admiratione sunt: aliquando ex paruitate: vt pygmæi, & nani, aliquando ex raritate. Quemadmodũ Christi miracula admiranda sunt, quanuis maius fuerit opus, mundi creatio, & hominis cõditio. Vnde D. Aug. ait: quid quid mirabile fit in hoc mũdo: profectò minus est, quã totus hic mundus. i. cœlũ, & terra, & omnia quæ in eis sunt: quæ certè Deus fecit; iam & omni miraculo, qđ fit per hominẽ, maius miraculũ est homo. Quãuis igitur miracula visibiliũ naturã vidẽdi assiduitate vilescãt: tamen ea cũ sapienter intuemur inusitatissimis rarisq; maiora sunt. Miracula ergo propter eorum raritatẽ admirabilia fiunt. Aliquãdo deniq; res miramur propter earũ pulchritudinẽ. Quod si hæc ita sunt, vt verè sunt, quid igitur est in mũdo maius verbo? Magnitudinis eius non est finis, Quid minus carne? Nã omnis caro fœnũ, & omnis gloria ei9 sicut flos agri. Quid magis nouũ, & pulchrius quã qđ verbũ caro factũ sit. Trãseamus ergo vsque Bethleẽ, & videamus hoc verbũ, qđ factũ est. Videamus hoc maximũ, & hoc minimũ: atq; hoc pulcherrimũ, & admirandũ mysteriũ, quod fecit dñs, & ostendit nobis. Cantemus ergo dño canticum nouũ: quia mirabilia fecit. ¶*Transeamus vsque Bethleẽ, & videamus hoc verbũ, quod factũ est*. Quia homo rebus corporalibus, & visibilibus affectus erat, nõ nisi corporalia, & visibilia cogitabat. Ideo verbũ caro factũ est: verbũ inuisibile factus est homo visibilis, vt mentes, & sensus hominũ pasceret. Trãseamus ergo iã, & videamus hoc verbũ, qđ factũ est, & qđ oculis nostris visibile se præbuit: Trãseamus, & videbimus gloriã ei9, gloriã quasi vnigeniti à patre. Trãseam9, vt videamus visionẽ hanc magnã: quo modo rubus ardeat, & nõ comburatur. Quo modo ignis diuinæ personæ, intra rubũ sit humanæ naturæ, humana natura illæsa permanẽte. Sed si accedere, & videre tantũ sacramentũ desiderio tenemur, necesse est, vt primũ calciamẽta soluamus de pedibus nostris: necesse, inquã, est, vt mentẽ, & affectũ nostrum à sordibus, & spurcicijs emũdemus. Duo (inquit Ber.) sunt, quæ in nobis purgãda sunt: intellectus, & affectus. Intellectus vt nouerit, affectus vt velit. Intellectus purgãdus est à trib9. s. a falsis, ab otiosis, & vitiosis. Falsitas intellectũ obtenebrat: otiosa eũ impediũt, vitiosa verò illũ coinquinãt. Affectus verò ab omni macula peccati purgãdus est. Quod si tali cordis mũdicia simus decorati, tũc trãsire vsq; ad Bethleẽ poterimus: & videre visionẽ hanc magnam: hoc est, verbũ, quod factum est: qđ fecit dominus, & ostendit nobis.

¶ *Et venerunt festinantes*. Festinemus igitur ingredi in illam requiem.

¶Cæterum pastores suo exemplo nos docent, vt tepiditatem fugiamus, vt vigeat in nobis spiritualis feruor. Et meritò quidem tepiditas à nobis odio habendã est: tum, quia occasionem diabolo præbet, vt nos, in multis tentare audeat: quod minime faceret, si nos diligentes, & virtute feruentes inspiceret. Ollæ enim feruenti muscæ non insident. Tum etiam, quia tepiditas in causa est, vt homo petat, & non accipiat. Mille enim diebus non impetrat tepidus, quod vel vna hora preces fundẽs homo feruidus à Deo obtinere solet. Hinc est, quod D.

Aug.

Marginalia: Vgo. — D. Augu. 10. de ciuitate. — Mysteriũ incarnationis multis de causis est mirabile. — Deus factus est homo visibilis, vt mentes nostras visibilibus affectas pasceret. — Ioan. 1. — Figura. Exo. 3. — D. Bern. in sermonibus. — Tepiditas fugienda. — similitudo.

D. Augu. Augustinus ait: Seruat tibi Deus, quod non vult cito dare, vt & tu discas magnâ desiderare. ¶ Præterea tepiditas in causa est: vt etiam si homo dies noctesque pugnet, nunquam tamen vincat, neque parta victoria trophæum erigat: illamque supremam æternamque vincentium promissionem nunquam accipiat: de qua D. Ioannes in libro Apoc. ait: Vincenti dabo manna absconditum. ¶ Tepidus est similis homini auaro, qui tantum expendere, quantum liberalis homo solet, & tamen nullam inde gratiam reportat, nullamque mercedem, eo quod pro re modica plurimum perdit. ¶ Tepidus semper seminat in hac vita mortali, nunquam tamen metit: quia ad animi pacem & tranquillitatem non peruenit. Idcirco D. Bernard. ait: Si incipis, incipe perfectè: si imperfectus es, hoc iam perfectè age: si perfectionis aliquid attigisti, teipsum in temetipso metire. ¶ *Venerunt festinantes*. Quia pastores vt in principio annotauimus: incitabant se mutuo verbis, ideo festinant ad videndû puerum. Vt hinc discamus quantû prosit ad festinandum, & currendum in via Dei bonorû societas. Iusti enim mutuo se ad virtutem prouocant, & hortantur. Cuius rei figuram habes Exod. 17. vbi narrat historia; quod pugnante Iosue aduersus Amalech orabat Moyses manibus eleuatis ad dominum, cuius manus graues erant, sed Hur, & Aaron hinc inde sustentabant eas: qui ergo ignauia, & acedia affecti, manus habent graues: indigent socijs, qui eos exemplo, & doctrina sua ad virtutem incitent. Et sicut animalia, quæ vidit Propheta se alis feriebant, sic homines sanctitate, & virtutê præditi, socios exemplo suo feriunt, atquê vt ad cœlum vsque auolent, excitare solêt. Vide quæ de ignauia, & tarditate, atque in discreto aliquorum feruore annotauimus cap. præcedenti in vltima consideratione illius versiculi: abijt in montana cum festinatione. ¶ *Et venerunt festinantes*. Festinemus, & nos etiâ & veniamus ad Christum intellectu, & affectu. Multi sunt inter nos quorum intellectus festinat, imò peruolat: sequitur autem tardus, aut nullus affectus. Alterum siquidem pedem, hoc est, intellectum erigunt, bene proponendo: vt ad Christum venire festinent: alterum verò pedem, hoc est, voluntatem mouere differunt. Multi, qui nouam religionis vitam profiteri volentes, multis procrastinando diebus votum nô implent: hi non vtroque pede festinant: & sic nûquâ Deum hominem factum vident.

Apoc. 2.

similitudo

D. Bern.

Iusti mutuo se ad virtutê incitent, & ideò festinât in via Dei.

Figura Exo. 17.

Ezech. 3. c

Vtroque pede, hoc est, mente & affectu festinâdû est.

¶ *Et inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantê positû in præsepio*. Nihil offendit pios pastores virginis tenuitas, nihil spôsus iuxta mundum humilis, nihil puellus ob inopiam loci commodioris reclinatus in præsepio; quæ superbos Pharisæos, & Scribas alienassent: sed his omnibus magis confirmantur, ad firmiorem credulitatem, postea quam testibus oculis comperêrunt non esse vana; quæ nuntiaret Angelus.

¶ *Mirati sunt de his, quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos*. Primum côsidera: quod etiam in hominibus quâlibet humilibus, habet suam prudentiam pietas. Non enim protinus pastores euulgarût, quod audierât ab Angelo: sed vbi re certam cognouissent: tunc non veriti sunt, & apud alios, quod audierant prædicare. Deinde animaduerte, quod ab huiusmodi præconibus primum amauit prædicari Christus, in quorum simplicitatê nulla cadebat vanitatis, aut ficti suspicio. Non nouerant aliquid ex se comminisci, nesciebant affingere visis: sed quod audierant, ac viderant, vt audierant, ac viderât bona fide nuntiabant bonæ mêtis hominibus.

¶ *Maria autê conseruabat omnia verba hæc*. Discamus ex virgine Dei verba, & mysteria memoriæ mandare, & côseruare. Nâ obliuio causa profectò est multorû malorû. Primum obliuiosus veluti mortuus iudicandus est: Seneca sic ait: qui nihil de præteritis cogitat vitâ perdidit. Et D. Gregor. primo libro Moralium: sicut mors, inquit, quod interficit, cogit, vt non sit in vita: ita obliuio hoc quod intercipit agit; vt non sit in memoria. Animus obliuiosus similis est stomacho cibum receptum

Obliuio multorû malorum causa.

Seneca.

D. Grego.

similitudo.

D.Greg.

reijcienti. Vnde D.Gregor. in quadam Homilia inquit. Cibus mentis sermo Dei est, & quasi acceptus cibus languente stomacho reijcitur, quando auditus sermo, in ventre memoriæ non tenetur. Quisquis alimenta non retinet huius profecto vita desperatur. Memoria thesaurus quidam est cognoscibilium: arca est in qua veritas à mente inuestigata, & inuenta seruatur. Cóseruemus igitur in arca ista, primum omnia nobis à Deo collata beneficia: maxime creationis, & redemptionis. Memento (inquit Ecclesiasticus) creatoris tui. Et rursum Lucas refert dixisse dominum, hoc facite in meam commemorationem. Exodi etiã cap.13. ait Moyses. Mementote diei huius, in qua egressi estis de AEgypto. Et diuus Bernard. sic ait: Scit quicunq; qué habet sensum Christi, quantum Christianæ pietati expediat, quantum seruũ Dei, seruum redemptionis Christi decear, & vtile ei sit, vna saltem aliqua diei hora passionis ipsius, ac redemptionis attentius recolligere beneficia, ad fruendũ suauiter in cõsciẽcia, & recolẽdum fideliter in memoria. ¶ Seruemus præterea in scrinio isto, omnia Dei mandata, nam viri præclari, atque magna virtute prædití memores sunt mandatorum Dei ad faciendum ea: vt Dauid testatur. Erunt verba hæc (ait dominus Deuterono.6.) quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens. Præterea Nume.15. capite. ait idem dominus: dices ad filios Israel, vt faciant sibi fimbrias per quatuor angulos palliorum ponentes in eis vittas hyacinthinas, quas cum viderint recordentur omnium mandatorũ Dei. Et Iosue primo: non recedat volumen legis huius ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus, ac noctibus. Ecclesiast. quoque cap. tertio, ait sapiens: altiora te ne quesieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quę præcepit tibi Deus, hæc cogita semper. ¶ Denique, vt multa vno verbo dicamus, memores simus iustitiæ diuinæ, vt cauti simus: & pieta-

Memoria thesaurus & arca.

Dei erga nos beneficia memoriæ mandãda sunt.

Eccl. vlti.

Luc. 22.

Exo. 13.

Memoria mandatorum Dei habenda vt illa seruemus.

Psal 102.

Deut. 6.

Nu. 15.

Iosue. 1.

Eccle. 3.

A

tis Dei, vt non desperemus: & vitæ sanctorum, vt eam imitemur: memores simus aduersitatis in diebus prosperis, ne superbiamus: & tandem omnium scelerum nostrorum, vt doleamus. Hæc omnia conseruemus in capsa memoriæ, & alia cum alijs inter sese conferamus: exemplo Virginis, quæ conseruabit omnia verba, atque omnia mysteria, quæ audiebat, & videbat in corde suo.

¶ *Conseruabat omnia verba hæc: conferens in corde suo.* Hæbrai. idest, hæc omnia memoriæ mandabat conferens inter sese alia cum alijs.

B

¶ Atque hic mihi sanctæ Virginis prudentem modestiam considera. Discit à pastoribus, quid nuntiarit angelus, quid cecinerit cœlestis militię chorus, ipsa sola tacet, hæc omnia quæ prius, quæ nũc acciderant conseruans in animo, ac diligenti reputatione conferens in corde suo. Silet in suum tempus Virginei conceptus mysterium: non iactat apud alios suam fœlicitatem. Ancillam pomiserat opificio diuino, ancillam exhibet: contemplatur tacita secum nouam rationem diuini consilij. Considerat omnia plena esse nouis miraculis: videt vbique summam humilitatem cum summa sublimitate misceri. Infans in vtero concipitur, sed Angelo internuncio, Spiritu sancto opifice: puer nascitur, sed é Virgine matre. Reclinatur in præsepe, sed Angeli gratulabundi canunt é cœlis. Latitat in obscuro loco, sed cœlum nati sublimitatem adorat.

Prudens modestia virginis magna cõsideratione digna.

C

D

¶ *Euangelium in die circũcisionis.*

ET postquam consumati sunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatũ est nomen eius Iesus, quod vocatum

tum est ab Angelo priusquã in vtero conciperetur.

ET *postquam consumati sunt dies octo, vt circumcideretur puer.* Christus nulla lege circuncidi tenebatur, quia neque virili semine, quo originis peccatum contrahitur genitus erat: ac subinde, neque linea masculina naturalis erat filius Abrahæ. Suscepit autem (vt auctor est D. Thomas) sicut sua volũtate mortem nostram, sic & sua sponte circuncisionem. Et hoc multis de causis, quas nobis sancti multis in locis scriptas reliquerunt.

3. p. q. 37.

¶ Primo, vt satisfaceret, & in hoc legi. Quando non venerat soluturus legem, sed adimpleturus. Discant igitur exẽplo Christi, legum conditores, quas condũt leges obseruare, discant illas minime transgredi. Tum, vt suo exemplo sub ditos ad eas seruãdas hortentur: tum etiã, quia quod quisque iuris in alterum statuit, ipse debet vti eo: vt dicitur de cõstitutio. capitulo cum omnes. Et sapientis sententia sit: patere legem, quam ipse tuleris. Accedit, quod in capitulo confidimus vigesimaquinta, quæstione prima scribitur: confidimus, quod nullus iam veraciter Christianus ignoret vniuscuiusque synodi constitutum, quod vniuersalis Ecclesiæ probauit assensus, nullam magis exequi sedẽ præ cæteris oportere quam primam. Honestum ergo, & æquũ est, vt legum conditores, eas, quas santiunt, & ferunt leges, non contemnant: sed illis suo exemplo satisfaciant: quanuis aliàs vi coerciua ad illarum obseruantiam minime cogi possint.

1. ratio. Circuncisionis christi.

Legislator legem obseruare debet.

De consti. c. cum omnes.

Turrecre. de Eccles. li. 3. c. 51.

¶ Discant ex hoc loco etiam concionatores, qui legũ diuinarum promulgatores, & præcones sunt, & qui in lege (vt Paul. ait) gloriantur: non esse illius præuaricatores, ne per præuaricationem legis Deum inhonorent. Si autem tu (inquit Paulus) requiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti voluntatem eius, & probas vtiliora, instructus per legem, cõfidis te ipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditorem insipientum, magistrum infantium, habentem formam scientiæ, & veritatis in lege: qui ergo alium doces, te ipsum non doces, qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mæchandum, mæcharis, qui abominaris idola, sacrilegium facis, qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras.

Roma. 2.

¶ Secundò, circuncisus est: vt Iudæorum vitaret scãdalum, excusationemq; subinde illis tolleret, ne ipsum tanquam incircuncisum repudiarent. Hinc colliges, quod euidens argumentum sit (vt D. Basil. ait) aliquem charitatem Christi erga proximum non habere, si fecerit aliquid, quod eius vel rem, vel animum offendat, & fidem impediat, licet genere ipso, quod fiat, concessum sit à scriptura. Si autem propter cibum (inquit Paulus) frater tuus contristatur, iam non secundũ charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere. Hæc Basilius. Christus dominus ne facto suo occasionem ruinæ Iudæis præberet, circuncidi voluit: quãuis peccator non esset. Sic etiam didragma Cæsaris exactoribus soluit: ne illis esset offendiculo: tametsi rex verus regisque veri filius esset. Cura igitur tu diligẽter, ne proximo tuo vllo modo sis causa ruinæ. ¶ Circuncisus etiam est, vt ostẽderet legem esse bonam, & à Deo vero latam. Facto enim, & verbo, ostẽdit Christus veterem legem sanctam esse, & non à tenebratum principe, vt aliqui existimarunt, sed à Deo omnium visibilium, conditore datam fuisse. Ideò ergo circũcidi voluit, ideo in templo præsentari, ideo totam legẽ adimplere: vt eam esse bonam significaret. Vnde Luc. in hoc. c. ait: Postquam adimpleti sunt dies purgationis Mariæ, &c. tulerũt puerũ, vt sisterent eum domino, sicut scriptum est in lege domini. Ecce quod lex illa, lex dñi ab Euangelista vocatur. Passim in nouo testamento, testimonia, quibus hæc sententia probetur inuenies. ¶ Sed ais, si lex sancta, cur ergo cessauit? Nempe quia vmbra erat futurorum. Quare quemad-

2. ratio.

D. Basil.

Scandala aliorũ a nobis vitanda. Rom. 14. c.

3. ratio.

Lex circũcisionis sancta sicut omnis vetus lex.

modum adueniente lumine vmbra nõ extat, sic adueniente euãgelio vmbra legis ceremoniarũ cessauit. Et sicut facta pecuniæ solutione cessant promissiones, ita soluto precio pro peccatis nostris, cessat lex promissionis. Et sicut perfecto tintinabulo, proplastice iam necessaria non est: sic peracto mysterio nostræ redemptionis, typus, hoc est, lex circuncisionis cessauit. Lex ergo sancta, & mãdatum sanctum, sed iam minime necessarium. ¶Subit etiam Christus hanc legẽ cum immunis à peccato esset, vt hinc discas, non solum peccata, & scelera nõ defendere cum illa perpetraueris: sed cum non offenderis, debeas te miserum peccatorem, indignum pane, quo vesceris æstimare. Piarum enim mentium est (inquit Grego.) ibi culpã agnoscere vbi culpa nõ est. Et Salo. Proue. 18. Iustus prior est sui accusator. Et Gene. 27. Iacob qui lenis erat, nuda colli, & manus pellibus hædinis texit, quo significare Spiritus sanctus voluit, quod vir iustus, & pius, & si innocens, & immunis à culpa sit, peccatorẽ se reputare debeat. Genes. quoq; 44. c. Scypho inuẽto in sacco Beniamin, Iudas (qui confessionis figuram tenet) & si expers, & immunis ab illa culpa fuerit, tamen coram Ioseph seipsum accusauit dicens. Quid respondebimus domino nostro, &c. Deus inuenit iniquitatẽ seruorum suorum. Ille etiam qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius signa peccati habere voluit. Voluit enim hodie circuncidi, & cum iniquis hominibus reputari. ¶Circuncidit̃ præterea Christus, vt nobis maximum humilitatis exemplum relinqueret. In incarnatione enim (vt Bernar. docet) minoratus est paulo minus ab Angelis, sed in circuncisione multo minus, quia latronis cauterio est signatus. Idem Bernar. Vestigium nullum vulneris habens, alii gaturam vulneris non refugit. Non sic impij, nõ sic agit peruersitas elationis humanę. Erubescimus vulnerum ligaturam, qui de vulneribus etiam interdũ gloriamur. Qui sine peccato est, nõ dedignatur peccator reputari: & nos esse volumus, & nolumus æstimari.

similitudo
similitudo
4. ratio. Piarũ mẽtiũ est ibi culpam timere vbi culpa non est.
D. Grego. P o. 18.
Gen. 27. Figura.
Gen. 44. Figura.
5. ratio.
D. Berna.
D. Bern.

A ¶Non etiam dedignatus est, vt peccator circuncidi, vt in ea circuncisione sui corporis, cordis nostri à carnis cupiditatibus circuncisionem doceret. Obturandæ sunt ergo (inquit Hiero.) animi voluptates, relinquenda delectationum studia: quoniam hęc est circuncisionis veritas, non figura. Nitendum in summa: vt naturalibus amputatis, conuersatio nostra tendat ad cœlum, quod fiet, si ludi, si iocus, si conuiuia, si sermo pene familiarium deleatur: & quæ circunciduntur arescant, non visu, non auditu, nõ tactu, B non sapore, aut capiet in natura corporis, naturam corpoream non habere, nã si velimus despicere, quod sumus, mereemur melius esse: quam igitur non temere offeramus nos periculis, sed quãtum in nobis est, insidias declinemus. Hæc Hiero. Hæc in genere a Hieronymo sic dicta, in specie vt explicem9 oportet. Primũ igitur si temperantiam sectati fuerimus, hoc est, si à carnalis delectationis cupiditatibus nos ipsos abstineamus: circũcisi corde vocari possumus, virtus C enim tẽperantiæ, te vera hominũ corda à superfluis omnibusq; carnis voluptatibus purgat, atq; iustos, & electos à peccatoribus, & reprobis discernit. Hinc est, qd admonet Hiere. c. 4. Circũcidimini dño, & auferte præputiũ cordium vestrorũ. Et Deuter. 30. Circũcidet, inquit, dñs Deus tuus, cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas dñm Deũ tuũ in toto corde tuo. Imo non solũ sacra scriptura hoc affirmat, sed Seneca etiã, qui lib. de quatuor virtutibus ait. Si cõtinentiã diligis, circũcide superflua, & in arctũ desideria D cõstringe. Quo in loco cõtinentiã vocat tẽperãtiã. Hæc virtus est, quæ AEgypti opprobriũ, hoc est, mũdi superflua, a populo Dei aufert. Iosue. 5. Hodie; inquit, abstulit opprobriũ AEgyptiã vobis. Et D. Ambro. ait: Ipsa cauet nequid nimis. Sapiẽs: id arbitror primo esse vtile in vita, ne quid nimis. ¶Deinde corda nostra ab omni superbię timore repurgãda sũt, corripit. n. hominũ animos superbia omnis. Et vt vno verbo omnia dicamus, homo noster, tã interior, quã exterior spirituali circuncidendus est nouacula. Quã pul-

6. ratio. Circuncisio spiritualis qualis est.
D. Hiero. de regula monacho. 4. to. 276.
Tẽperãtia circũcidit corda
Hiere. 4.
Deut. 30.
Seneca.
Iosue 5. Figura.
D. Ambr.
Sapiens.

Origines. pulchrè circuncisionem explicat Origines Homi. 4. super Gen. hoc pacto: Vos autem, ò populus Dei, & populus in acquisitionem electus ad enarrandas virtutes domini, suscipite dignam circuncisionem verbi Dei in auribus vestris, & in labijs, & in corde, & in præputio carnis vestræ, & in omnibus omnino membris vestris: circuncisæ namq; aures vestræ sint secundundum verbum Dei: vt vocem non recipiant obtrectātis, vt maledici, & blasphemi verba non audiant, vt falsis criminationibus, mendatio, irritationi, non pateant, oppilentur, & clausæ sint, ne iudicium sanguinis audiant, aut impudicis cāticis, & theatralibus sonis pateant, nihil obscænum recipiant, sed ab omni scœna corruptionis auersæ sint. Ego puto, quod incircūcisus labijs sit, qui nondum cessauit à stultiloquio, à scurrilitate, quæ bonis derogat, qui criminatur proximos, qui instigat lites, qui calumnias mouet, qui fratres inter se falsa loquendo committit, qui inepta, secularia, impudica, turpia, iniuriosa, proterua, blasphema, & cætera quæ indigna sunt Christiano, ore proloquitur. Siquis verò ab his omnibus continet os suum, & disponit sermones suos in iudicio, verbositatem reprimit, linguam temperat, verba moderatur, iste merito circuncisus labijs dicitur. Sed & qui iniquitatē in excelso loquuntur, & extendūt in cœlum linguam suā (sicut hæretici faciūt) incircuncisi, & inmundi labijs dicendi sunt. Circuncisus vero, & mundus est, qui semper verbum Dei loquitur, & sanam doctrinam Euangelicis, & Apostolicis munitam regulis profert.

Circuncisio auriū.

Incircūcisus labiis.

Circuncisus labiis.

Incircūcisus labiis hæreticor.

Circuncisus labiis.

¶ Nunc verò qualiter etiam circuncisio carnis suscipi debeat, videamus. Membrum hoc in quo præputium videtur esse, officijs naturalibus coitus, & generationi deseruire, nemo est qui dubitet. Siquis ergo erga huiuscemodi motus, non importunus existat, nec statutos legibus terminos superet, neq; aliā fœminam, quàm coniugem legitimam nouerit, & in ea quoque posteritatis tantummodo causa, certis, & legitimis temporibus agat, iste circuncisus præputio

Circuncisio carnis. spiritualis

A carnis suæ, dicēdus est. Qui verò in omnem lasciuiam proruit, & per diuersos, & illicitos passim pendet amplexus, atque in omnem libidinis gurgitem fertur infrenis, iste incircuncisus est præputio carnis suæ, verùm Ecclesia Christi, gratia eius, qui pro se crucifixus est, roborata, non solum ab illicitis nefandisque cubilibus, verum etiam a concessis, & licitis temperat, & tanquam iam Virgo sponsa Christi, castis, & pudicis virginibus floret, in quibus vera circūcisio carnis præputij facta est, & verè testamentum Dei, & testamentum ęternum, in eorum circuncisa carne seruatur.

Incircūcisus carne.

Virgines veram habent carnis circuncisionem.

B

¶ Superest nobis etiam designare circuncisionem cordis, siquis est, qui obscœnis desiderijs, & fœdis cupiditatibus æstuat, & (vt breuiter dicam) qui mœchatur in corde, hic incircūcisus est corde: sed & qui hæreticos sensus in mente continet, & blasphemas assertiones contra scientiam Christi disponit in corde, hic incircuncisus est corde. Qui verò puram fidem, in conscientia sinceritate C custodit, iste circūcisus est corde, de quo dicit post. Beati mūdo corde, quoniā ipsi Deum videbunt. Ego verò audeo ex simili, hæc propheticis vocibus addere. Quia sicut oportet, auribus, & labijs, & corde, & carnis præputio circuncidi: ita fortasse, & manus nostræ indigent circūcisione, & pedes, & visus, & odoratus, & tactus, vt enim perfectus sit homo, Dei in omnibus; cuncta circuncidenda sunt mēbra. Manus quidē à rapinis, à furtis, à cædibus, & ad sola Dei opera pandendę. Circūcidendi sunt pedes, ne veloces sint D ad effundendū sanguinē, & ne intrent in conciliū malignantiū, sed vt tantum pro mādatis Dei circumeant. Circūcidātur, & oculi ne cōcupiscāt aliena, ne videant ad cōcupiscēdū mulierē. Qui enim circa fœminarū formas, lasciuo, & curioso oberrat aspectu, iste incircūcisus est oculis. Sed & siquis est, qui siue bibat, siue manducet, (sicut Apostolus præcipit) ad gloriā Dei māducat, & bibit, iste circūcisus est gustu. Cuius autem Deus venter est, & suauitatibus gulæ deseruit, huius incircuncisum dixerim gustū, si quis Chri-

Incircūcisus corde.

Circuncisus corde.

Matth. 5.

Circuncisio manuū & pedum.

Circuncisio oculorum.

Circuncisio gustus.

Circuncisio odoratus.

sti odorem bonum capit, in operibus misericordię, odorem suauitatis requirit, huius circuncisa est odoratio. Qui verò primis vnguentis delibutus incedit, iste incircuncisus odoratu dicendus est. Sed & singula quæq; membrorum, si in officijs mandatorũ Dei deseruiant, circuncisa dicenda sunt. Si verò vltra præscripta sibi diuinitus, luxuriant leges, incircuncisa reputanda sunt. Et hoc puto esse, qd Apostolus dicit: sicut enim exhibuistis membra vestra seruire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibite membra vestra, seruire iustitiæ in sanctificationem. Cum enim iniquitati seruirēt membra vestra, non erant circuncisa, neq; erat in eis testamentum Dei, cum vero cœperint seruire iustitiæ in sanctificationem, promissio quæ ad Abraham facta est, impletur in eis, tunc enim lex Dei, & testamentum eius signatur in eis. Et hoc est verum signum fidei, quod inter Deum, & homines ęterni fœderis continet pactum.

Rom 6.d

¶ *Postquam cõsummati sunt dies octo, vt circuncideretur puer.* Cur die octaua circuncisio daretur, docet Origines. Quod autem octaua die (inquit) circuncisio datur, illud designari arbitror, qd præsenti quidem seculo septimana deputata est, octaua autem dies futuri seculi mysterium tenet. Illorum ergo est circũcisio spiritualis, qui futuro seculo militant, in quo neq; nubent, neq; nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei, & eorum qui seipsos castrauerunt propter regnũ Dei, & quorum in terris ambulantium in cœlis est conuersatio, quique prospiciunt non ea, quæ videntur, sed quæ nõ videntur, & sciunt, quia quæ videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna. ¶ *Vt circuncideretur.* Quoniam euidenter constat (inquit Hiero.) omnia ordinata per Deum plena esse rationis, vt assertore nõ egeant: videamus quæ causa est, vt eam partem corporis, quæ secretior est, ad circuncidẽdum dominus elegerit. Illud sine dubio hæc secreta circuncisio figurabat, quod postmodum dominus monstrauit, ne iustitiã nostram coram hominibus faceremus,

Origin 3. lib. in epi. ad Rom.

quare 8. die hebat circũcisio

Hiero. de vera circũcisione, 110 &c.

quare circũcisio secreta hebat apud Iudæos

A sed in occulto coram eo solo, cui soli nihil occultum est: quem solum remuneratorem bonorũ nouimus esse factorum. Nam hic nostra circuncisio non videtur: quoniam stultitiæ velamine, velut veste tegitur mundiali. Nec sanè à nobis magnopere desiderandum est, vt cõtemplationi omnium circuncisio aperte subiaceat, ne merces operis penes eos sit, quos volumus hanc videre, dicente domino: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam: Sed ita modestè, ita verecundè habenda est, & velanda iuxta

B eam imaginem, quam abundantiori honore vestimus, vt videntes eam non videant, sed quærentes rimantesq; intus nos iuxta Apostolum, quos seductores putant, veraces esse fateãtur, quos nihil habere credebant omnia possidere cognoscant: quos mori iudicabant, viuere in æternum testentur. Hęc est gloria circuncisionis occultæ: hoc est, testimoniũ gloriosum, cum conuersi amare cupiũt quos odisse gaudebant. Vnde non in carne palàm, sed in occulto cordis, Iudæi esse debemus, non litera, sed spiritu. Nam

C litera oculis subiacet nostris: spiritus nobis carnalem refugit aspectum: vt laus iuxta Apostolum ex Deo, non ex hominibus acquiratur. Vereamur autem audire à domino populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me: iuxta illum, qui, quod pertinebat ad labia, magistrum bonum, de bono quæsiturus appellat, cui vetus lex, idest, carnalis circuncisio, velut in superficie posita recitatur: quam se complesse testatus, vbi quod ad circuncisioné cordis pertinebat audiuit: vẽde omnia quæ habes,

D & sequere me: tristis abscessit miser prorsus, qui sequi noluit quem bonum ignorare non potuit. Interius ergo illud est signaculum pręfiguratum, quod in inuisibili mente nostra, ab illo inuisibili nostro Deo videtur, vt nõ eum à quo inuocetur audiret, sed eum à quo crederetur attenderet. Oculi enim domini super iustos, si ad iustitiam corde credatur. Verũ autẽ nos credere toto corde mentimur, si ab hominibus accipimus honorẽ. Accipimus enim ab hominibus honorem

Matth. 19

si

si eleemosynas nostras tuba populo prę dicatura præcedat, quas neque per officium ministrãdi, dexteram cum sinistra concessum est communicare, accipimus ab hominibus honorẽ, si ieiunia nostra, & abstinentiam ciborum, populi oculis fractiõi mentitæ infirmitatis commendet incessus, & fauorem vulgi tristi vultu, aduocatus pallor acquirat: si verò formam lætitiæ, vultus erectus, lauacris etiam serenetur, si caput ad imaginem fœstiuitatis inungitur, vt soli Deo ieiunia nostra commendantes, possimus dicere: volũtarié sacrificamus tibi domine. Sed ad veram etiam vitam aliquando veniamus, videamus an tale aliquid docuit, & fecit. Ac primùm de monte descendentes, leprosi sordes emaculans, pro salutis tanto beneficio, non laudem communi hominum more desiderat: sed sibi soli quid esset conscius maiore non indiget testimonio. Iubet illum nemini narrare suam virtutem, &c. Quærit à discipulis, vos autem quem me esse dicitis? Cui B. Petrus: Tu (inquit) es Christus filius Dei viui. Iubet tamen post multas donatas Petro benedictiones, ne quis discipulorum diceret, quod ipse esset Christus. Mira ratio: nõ vult prædicari, quod gaudet intelligi: agnosci amat, & odit ostendi, sic mysterium obrectæ circuncisionis exercens. Nam mauult se inuentum esse, quàm proditum. Vt virtus sua illum, nõ fauor manifestaret alienus. Hæc ex Hieronymo. Si ergo circuncidi spiritualiter volumus, circuncisio nostra occulta sit, hoc est, non tam ob lucrum aliquod rerum temporalium, aut vt laudem, & celebritatem ab hominibus captemus, legem Dei seruare debemus: quàm vt gloriam eius quæramus. Quia Sichem, & filius eius, & populus circuncisi sunt, vt Dina, & bonis eius atquè fratrum suorũ potirentur, interfecti sunt. Vt hinc intelligas, quod qui circuncisionem spiritualem exercent prætextu duntaxat humani fauoris, aut bonorum temporalium, & non propter Deũ miserrimé pereunt. Peribunt ergo simoniaci, qui propter tẽporale lucrum, & non propter Deũ spiritualia sacramenta vendunt. Peribunt etiam pastores mercenarij, qui nõ ob Dei gloriam, sed vt sibi suisq; commodis viuant, Christi mysteria tractant. ¶ *Vt circuncideretur puer*. Quare vero in ea parte corporis circuncisio fiebat, & non in alia: docet Rupertus lib. 8. de victoria verbi Dei. cap. 16. Congruũ (inquit) fuit illud signum, siue signaculum iustitiæ fidei, in ea (qua semen nascitur) parte corporis, quia, scilicet, promissio cui Abrahamum credidit, seminis promissio fuit, seminis vnius, quod est Christus, itaq; circuncidi, testimonium erat fidei, testimonium credendi in Christum venturum, sine cuius fide, nullus potest iustificari. Hæc Rupertus.

Matth. 16.

Gen. 34. Figura.

quare circuncisio in ea parte corporis fiebat.

¶ In circũcisione domini (ait Bernar.) nec neruus rumpitur, nec os comminuitur, vt robustiora quæque, & firmiora seruentur illæsa. Aperitur autem cutis, computatur caro, sanguis effunditur, vt illecebrosa mollicies castigetur. In carne quidem peccatum, quod in ea manet intellige, porrò in cuti operimentũ eius, in sanguine vero incentiuum. Hæc igitur vera circuncisio spiritu non litera, si velamẽ excusationis, & dissimulationis, per compunctionem cordis, & confessionem oris amoueas. Si peccati consuetudinem correptione conuersionis abscindas, si deniquẽ, vt necessarium est occasionem quoquẽ peccati, & fomitem fugias concupiscientiarum. ¶ *Vt circuncideretur puer*. Lex circucisionis corporalis, iam abolita est. Si circuncidimini (inquit Pau.) Christus vobis nihil proderit. Loco eius successit circuncisionis spiritualis lex, quod significatum fuisse credimus in duabus tabulis legis, quib9 fractis cõtulit dominus alias duas. Quia videlicet, futurum erat, vt omnia, quæ tunc instituit Deus nondum homo factus, pertrãsirent. Nam & cõvetera sunt, & transierunt, & noua omnia facienda erant, vt nunc facta sunt, quæ instituit idẽ Deus homo factus, sacerdos in æternum. De quo Apostolus. Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per ampliùs, & perfectius tabernaculũ non manu factum, &c.

D. Ber. in sententiis

quare in circũcisione non os rũpebatur neq; neruus scindebatur.

Gal. 5. a Lex circũcisionis corporalis, iá abolita est loco ei9 successit circũcisio spiritualis.

Exo. 34. Figura.

Hebr. 9. c.

¶ Si igitur legem spiritualis circuncisionis

sionis professus es, non facias tibi præputium spirituale: ne similis sis Iudæis, qui fuerunt tempore Regis Antiochi. Legimus enim. 1. Machab. cap. 1. Quod Iudæi rogauerant Antiochum, vt permitteret eis ędificare Gymnasium Hierosolymis. Est autem Gymnasium ludorum exercitium, quo iuuenes nudi luctâtes se exercebât. Gymnos Græcè, nudus latinè. Cũ quê concessisset Antiochus circuncisionem suam (inquit Iosephus) velauerunt, vt non apparerent Græcis esse dissimiles. Quod ille dicit: velauerunt circuncisionem suam. Hoc est, quod ait scriptura libri Machabæorum, & fecerunt sibi preputia. Circuncisis namq; impossibile erat sibi facere præputia, nisi velando circuncisionem, ne appareret, quod non haberent præputia. Hoc faciendo recesserunt, inquit, a testamento sancto. Subauditur, quod pepigit Deus cum Abraham, in quo est promissio seminis, quod est Christus. Cuius, videlicet, promissionis fidem in eo negauerunt, quod circuncisionem signaculum fidei velando, præputia sibi fecerunt, & ita veraciter a testamento sancto recesserunt. Noli ergo tu fidem Christi erubescere, qua omnes errores pristinos circũcidisti. Noli erubescere virtutes, quibus vitia omnia expurgasti: sed sic luceat lux tua coram hominibus, vt videant opera tua, & glorificent patrem qui in cœlis est. Noli denique erubescere euangelium (quod iam multi faciunt) erubescũt enim Christi paupertatem, & mansuetudinem, erubescunt peccata sua confiteri, ceteraq; saluberrima sacramenta suscipere.

1. Machab. 1.

Iosephus.

1. Macha. 1. b.

Matth. 5

¶ Deinde obserua hic: quod is circuncidetur circuncisione Christiana, nô manu facta: qui omnia vitiorum genera deponit. Qui enim vnum sine altero expurgat, & si scissus sit, non tamen circũcisus. Vnde D. Pau. scribens Colossensibus ait: Nunc autem deponite vos omnia iram, indignationem, malitiam, blasphemiã, turpem sermonem de ore vestro, nolite mentiri inuicem, spoliantes vos veterê hominem cum omnibus actibus suis, nô enim vnum sine altero dimittitur peccatum. Circuncide ergo omnia, nam qui offendit in vno factus est omnium reus: vt D. Iacobus docet.

Vide Rupert. 9. de victoria verbi Dei c. 18.

Is circũcidetur circũcisione christiana quis nô vnum, aut alterũ, sed omnia vitiorum genera deponit, & qui omnia peccata confitetur.

Colos. 3.

Iacobi 2. b

¶ Is etiam circuncidetur circuncisione cordis, qui omnia peccata in confessione abscindit. Vnde Lactantius lib. 4. diuinarum institutionum, cap. 17. Confessionis nostræ, circuncisionem figurã fuisse, monstrat. Nam sicut illi pudendũ membrum, quod figuram præfefert, & imaginem cordis, sublata pellicula, nudabant, ita nos pudêda cordis debemus sacerdoti patefacere. ¶ *Vt circuncideretur puer.* Circuncidebantur olim homines, & Christus etiam circunciditur: illi quidem, vt à peccato emũdarentur, hic autem, vt eo initio passionis mereretur. Hinc colliges, quare Deus immittit famem, pestem, bellũ, multaq; alia mala vbi sunt boni, & mali permixti. Nempe vt peccatores, & iniqui ea tribulatione crucientur, & à peccatis anteactis purgentur. Iusti vero, vt in sanctitate proficiant, vt malos, & pessimos doceant, atque ad veram pœnitentiam prouocent. Vnde Origines in prologo super Ezechielem. Non omnis, inquit, captiuus propter peccatum suum captiuus. Populus pro peccato traditur Nabuchodonosor, in Babylonem ducitur: & prophetę, & viri sancti cum eis, vt in eis, captiui cõsolationem, & admonitionem haberẽt, & correcti in patriam redirent, aliter enim nõ pœniterent. Excruciat Deus nocentes, sed vt pater, tormentis clementiam miscet. In AEgyptijs hoc quoque attende: voluit eos punire, sed iram suã temperauit. Vnde Ioseph in AEgyptum descêdit: Pharao somnium vidit, & multa huiusmodi præmisit: vt prouiderent sibi. Amat nos Deus etiam iratus: impij ergo opprimuntur, vt à peccatis expurgentur, iusti verò, vt in virtute indies proficiant, & peccatores admoneant.

Lactantius.

Alii circũcidebâtur vt à peccato emũdarentur, Christus vero immunis à peccato, vt mereretur.

Peccatores cruciãtur à Deo vt pœniteant iusti vero in virtute proficiant. Origines

¶ Hæc iustorũ oppressio figurata pulchrê fuit in visione, quam Propheta Ezechiel vidit, illorum animalium, quorum singula habebant facies quatuor, per quas quatuor hominũ genera, quæ suo ordine populum Christi afflixerunt significabantur. Per faciem hominis, populus Iudæorũ intelligendus est, eo quod di-

Figura.

diuinæ legis scientiam habuerit: quāuis ob eorum maliciam obscuratum est cor eorū. Vnde diuus Paulus in epistola ad

Rom. 11.c

Roma. 11. ait. Cæcitas ex parte contingit in Israel, populus ergo iste, persecutus est populum Christi: qui Iudaicus populus dici potest ob circuncisionem

Rom. 2.d

cordis: nam vt Paul. docet. Non qui manifesto Iudæus, neque quę in manifesto in carne est circuncisio: sed qui in abscō dito Iudæus est, & circuncisio cordis in spiritu, non litera, cuius laus est non ex

Act. 8 & 9

hominibus, sed ex Deo. Lege apud Lucam in Actis Apostolorum. cap. 8. & 9. in multisque alijs locis, & hanc manifestam persecutionem reperies. Deinde Romanorum imperium fidem Christi multis varijsque tormentorum generibus longo tempore afflixit. Hic vero populus per faciem aquilæ significatur: cū signum eius aquila fuerit. Post Romani populi tyrannidem, secuti sunt hæretici, qui per faciem bouis significantur. Bos animal est maximo labori deditum, ipsi veró pœnitentiæ prætextu, laborantes: multis in locis simplices Christianos deceperunt. Deniq; quartum genus hominum impiorum, Christianum populum persequentium, populus est Sarracenorum, vt experimento quotidiano didicimus, qui per faciem leonis exprimitur. Per alas autem istorum animaliū, quibus in altum eleuabantur, omnium prædictorum hominum superbia ostendebatur, per pedes autem eorum, ad nocendum populo Dei affectus: per manus vero impia, & sacrilega istorum opera. Manus enim, organum est organorum. auctore Aristote. 3. de anima. Per rotas vero animalia sequentes, eorū ministri, & magistratus tyrannidem tantam exequentes signabantur. Tandem si animalia, atque rotę ibant per quatuor partes: etiam Christianorum oppressio per quatuor orbis partes maxime á Romanorū

Vi. glo. Ezech. ca. 1. fol. 4.

Imperatoribus dilatata est. Eo igitur populus Christi circuncisus corde, & spirituali circuncisione emundatus, in hoc mundo tantis, tam varijsque malorum generibus affligitur, tamque innumeris calamitatibus hinc inde abundat, vt

A caput imitetur, qui hodie circuncidītur non vt a scelere aliquo expurgetur, sed vt promereatur nobis, & gratiam, & perpetuam fœlicitatem. ¶ *Vt circuncideretur*. Si Iudæi carnem sibi amputabat, vt continenter viuerent, quanto rationabilius, & ęquius est, vt nos carnē amputemus alienam, idest, fœminarum societatē, quæ nos ad peccatum alliciūt? De qua re vide Cyprianum in de singularitate clericorum. Detestemur igitur luxuriæ vitium, & castimoniā, atque pu-

Carnem alienā amputare quid sit.

D. Cypriā. fol. 200.

B dicitiam sequamur: & tunc carnem alienam amputabimus. ¶ *Vt circuncideretur puer, vocatum est nomē eius Iesus.* Obserua hic obsecro, & considera, quod Christus dominus nunquam suscipere voluit hoc nomen sanctum quousq; circuncisus fuit. Vt hinc intelligas, & discas non assumere tibi nomen hoc, quousque vniuersa vitiorum genera ab anima tua circuncideris. Non enim tanto nomine dignus es, quoad omnia scelera omniaqué crimina deposueris. Omnis

Christus circūciditur antequā nomē accipiat, vt intelligant concionatores nō accipere sibi hoc nomē, quousque omnia vitia circunciderint ab animis suis.

C enim prædicator, Iesus, idest, Saluator appellari merito potest. Nam si Ioseph, eo quod frumenta propinauit, Saluator ab AEgyptijs nuncupatus est, cum concionatoris officium, & munus sit, frumētum, hoc est, verbum Dei, populo Christiano distribuere, eique alimenta spiritualia ministare, iure optimo Iesus. i. Saluator vocari poterit. Is est, qui educit populum de AEgypto, quemadmodū Moyses, & Aaron. Is est, qui per mare, per terras, inducit illum in terram promissam, hoc est, in patriā cœlestem sicut alter Iosue. Is ergo, omnia vitia circun-

Prædicator vocari potest Iesus i. Saluator, & quare.

D cidere, atque expurgare debet, vt sine metu, atq; timore aliquo dicere possit. Quis ex vobis arguet me de peccato? Tanto enim nomine indignus est cōcionator, aut præsul, si incircuncisus sit corde, vitaque sua scandalum, aut ruina sit pusillorum.

Ioan. 8.

¶ *Et vocatū est nomen eius Iesus.* Nullū enim profecto nomen inueniri potuit, quod Christo nostro magis quadraret, aut conueniret, quám hoc nomen. Cum non solum vtráque naturam, diuinam, scilicet, & humanam, quæ in Messia ipso hypo-

Nullū nomē magis vero nostro Messiæ cō uenit quā hoc nomē Iesus.

hypostaticè vniendæ erant, importet: verum ipsam quoque humani generis salutem, quam ipse operaturus erat apertissimè insinuet. Quod quidem nomen (inquit Galatinus) ab æterno per æternam prædestinationé à patre æterno illi impositum fuit, & postmodum ab eodé Prophetis reuelatum. Vnde Abacuc, quasi Deo gratias agens, Ita cap. 3. dicebat. Ego auté in domino gaudebo, exultabo in Deo Iesu meo. Esdras autem in lib. 4. c. 7. in persona Dei patris loquens, sic aiebat. Reuelabitur filius meus Iesus, cum his qui cũ eo sunt. Rabbenus etiã Haccados, qui tempore Consulum Romanorum fuit, Antoninum Consulem alloquens, hęc de ipso nomine inter cætera dicit: quia Messias homines saluabit, vocabitur Iesuah: gentes autem alterius nationis, quæ fidem eius sectabuntur vocabunt eum Iesum. Et propterea inuenies hoc nomé Iesus designatum in textu Gene. 49. c. Non recedet çeptrum de Iuda, in primis literis horum verborum iauo, silo, velo. Si enim acceperis primas literas harum dictionum Iesu eædé literæ conficient. Hæc ille, quem Iudæi magistrum sanctum appellant: vt sæpe diximus. Quia igitur gentiles quoqué qui in eum credituri erant, per ipsum saluari debebant: idcirco nomen hoc nõ solum Prophetis, & priscis Iudæorũ, sed ad clariorem veritatis expressioné, quibusdam etiam ex gentilibus reuelatum est. Nam Sibyla Erytrea (vt alias taceã) quædam de fine mũdi carmina fecit. Ex quibus primis literis si rite legantur, huiusmodi verba resultant, Ιησοῦς χριστὸς, θεοῦ υἱὸς, σωτήρ, σταυρὸς, idest, Iesus, Christus, Dei filius, Saluator, crux.

Galatinus

Abacuc.

Esdras li. 4. c. 7.

R. Haccados in lib. galeraxe- Ide.

Gen. 49. c

Sibyla Erytræa.

¶ Hoc est, quantum mihi videtur, nomen illud de quo Esai. cap. 62. ait: Et vocabitur tibi nomen nouum: quod os domini nominabit. Nomen verò nouum illud appellat, quia nullus vnquam extitisse in sacris literis legitur, qui hoc nomine vocatus fuerit. Quod eo potissimum factum fuit, vt inde palàm ostéderetur, nemini illud nisi Messiæ vero Saluatori, rectè, atque propriè competere potuisse.

Esai. 62.

Nullus in sacra scriptura vocatur est hoc nomine Iesua, siue Iesus, nisi Christus.

A ¶ Sed ais. Imò tres alios in sacra scriptura sic appellatos fuisse legimus, scilicet, Iesus Naue, Iesus Sirach, & Iesus Iosedech, quos Doctores nostri, figurá veri Iesu extitisse aiunt. Quemadmodum enim Iesus Naue vir fortissimus hostibus deuictis, filios Israel ad terram promissionis introduxit, & Iesus Sirach Doctor sapientissimus, suis (vt legitur) temporibus sapientiam renouauit, ac Iesus Iosedech, sacerdos sanctissimus templum domini ædificauit, ita Christus verus Iesus B sua quidem fortitudine hostibus humani generis superatis, fideles suos ad patriam cœlestem introduxit. Sua vero sapientia, ac veridica doctrina mundum illuminauit, ipsum ab erroribus expurgás: sua autem sanctitate sacerdos in ęternum ipse existés, spiritale templum, hoc est, Ecclesiam fidelium, ex viuis, & electus lapidibus construxit.

Obiectio de his Ecclesi. 46. a 49. d. 50. d Figura.

¶ Ad hoc fateor, figuras quidem veri Iesu eos gessisse, sed nomine Iesu vocatos fuisse, negant Hæbraicarum literarum periti. Vnusquisque enim eorum, quos hoc nomine Iesu appellatos ais, nõ C Iesua, idest, Iesus vocatos, sed Iehosua, qđ non est idem nomen, quod Iesua, idest, Iesus, sed longé aliud ab illo, aliudq; significans. Nam Iesua, siue Iesus, idem est, quod Saluator, siue salus, siue saluatio, Iehosua vero Deus saluabit interpretatur. Vt ex ipso nomine claré patesceret, qđ saluare nullius eorum intererat, sed solius Dei, qui humanæ naturæ hypostaticé vnitus, esset humani generis verus Iesua, siue Iesus, hoc est, Saluator. Quare ipsi non Iesuoth, seu Iesus, idest, saluatores, vel saluationes appellati sunt, sed Ie- D hosua, hoc est, Deus saluabit. Vt inde palàm ianueretur, vnum tantum venturũ fuisse saluatorem, qui Deus, & homo futurus esset: Et Deus quidem, vt saluare posset: homo vero, vt pro humani generis salute mortem obeundo, diuinæ iustitiæ satisfaceret, quæ ipsum satisfactoré eiusdem generis cum preuaricatore esse requirebat. *Et vocatum est nomen eius Iesus.* Esai cap. 7. & 8. & 9. multis alijs nominibus voluit comprehendere, quæ Spiritus sanctus hoc vno solo nomine com

Respondetur obiectioni.

Esai. 7. 8. & 9. de nominibus

complexus est. Nam cap.7. illum vocauit Emanuel. Et cap.8. accelera, spolia detrahe, festina prædare. Et cap.9. vocabitur, inquit, admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Quem locum, quidam Iudæus ante aduentum Christi, ita interpretatus est. Quia Messias Deus & homo futurus est, vocatum est nomen eius Emanuel, hoc est, nobiscum Deus, nempe, in corpore & carne nostra, quemadmodum testatur Iob.cap.19. ex carne mea videbo Deum. Item, quia Deus est, mirabilis consiliarius dicitur. Excogitauit enim mirabile consilium, animas à dæmone eripiendi, quæ propter Adæ peccatum damnatæ erant. Nec possunt vllo modo esse saluæ, nisi Rex Messias mortem acerbissimam, multaque subeat tormēta. Ob eam causam dictus est vir. Et quia ipsius est omnis fortitudo, Deus fortis vocatur: & quia est æternus, pater sempiternus dicitur. Itē, quia in diebus eius pax multiplicabitur, princeps pacis appellatur. Et quia ipse festinabit, vt auferat animarum spolia, vocatur expeditus spoliator festinus prędator, quia autem eos saluos faciet, & ad paradisum adducet, vocatus Iesus, hoc est. Saluator. Hęc ille. Ego non possū credere, quin animus ex quo hæc prodierunt, esset diuinitus illustratus: est enim admirabilis hæc expositio.

Expositio admirabilis cuiusdā Iudæi, ante Christi aduentū. Esai.7. Iob.19. Esai.c.8.

¶Hunc eundem Esaiæ locum, expōnit D.Bernar. ad hunc modum: & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Admirabilis est in natiuitate, consiliarius in prædicatione, Deus in operatione, fortis in passione, pater futuri seculi in resurrectione, princeps pacis in perpetua beatitudine. Hæc etiam nomina (inquit Bernar.) possunt ei cōgrue assignari, in opere nostræ salutis. Nam primò dicitur admirabilis in conuersione nostræ voluntatis: quæ mutatio est solius dexteræ excelsi. Postmodum dicitur consiliarius, in reuelatione suæ volūtatis: quando reuelat, quid sequendum sit, iam conuersis. Vnde Paulus conuersus, dicebat: Domine, quid me vis facere? Quartò dicitur fortis: iuxta sententiam enim Apostoli, necesse est, vt omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patiantur. Sed quis sustineret, nisi ille iuuaret? Vnde David: Nisi dominus adiuuit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea. Et quoniam ipsa conuersio, & vita nostra in Christo, agenda est spe futurorum bonorum: ideo quinto loco ponitur: pater futuri seculi. Pater, scilicet, in regeneratione corporum nostrorum. Quia vero omnes quidem resurgemus, sed nō omnes immutabimur: vt discernat immutationem iustorum, ab iniquorum resurrectione, ponitur sexto loco: princeps pacis, qua obtenta, tota perfectio impletur. Nec iam vltra aliud quicquam appetendum relinquitur. Ipsa est enim de qua Psalmista ait: Lauda Hierusalem dominum: lauda Deum tuum Sion, quoniam confortauit seras portarum tuarū, benedixit filijs tuis in te, qui posuit fines tuos pacem. Horum sex nominum consequentiam, & virtutem, breuiter, & eleganter comprehendit vno nomine Angelus loquens ad Ioseph: & vocabis, inquit, nomen eius Iesum. Cuius, videlicet nominis exponens rationem: ipse enim (ait) saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Hæc Bernar. ¶ *Et vocatum est nomē eius Iesus.* Hoc est, nomē illud, de quo sponsa in Cāticis ait: Oleū effusum nomen tuum. Super quæ verba D.Bernar. sic exclamat: O nomen benedictum, ò oleū vsquequaq; effusum. Quousq;? De cœlo in Iudæam: & inde in omnem terram excurrit, & de toto orbe clamat Ecclesia: oleum effusum nomen tuum. Effusum plane, quod non solum cœlos terrasque perfudit, sed aspersit, & inferos; adeo, vt in nomine Iesu omne genuflectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, & dicat: oleum effusum nomen tuum. Quàm carum, quàm vile. Vile, sed salubre. Si vile non esset, nō mihi effunderetur: si salubre non esset, non me lucraretur. Et quid mirum, si sponsi effusum est nomen, cum ipse quoque effusus sit? Nam semetipsum exinaniuit formam

D.Ber. sermonibus paruis sermone 10. Act.9.b 2.Tim.3.e Psal.93. Psal.14. Hoc nomē oleo cōparatur Cā.1. D.Ber super Cant. ser.15. Philip.2

Psal. 22.c

formam serui accipiens. Denique ita si-cut aqua effusus sum. Effusa est plenitu-do diuinitatis, habitans super terrã cor-poraliter, vt de illa plenitudine omnes, qui corpus mortis gestamus, caperemus, ac vitali odore repleti, diceremus: oleũ effusum nomen tuum. Oleum fouet ig-nem, nutrit carnem, lenit dolorem; lux, cibus, medicina: vide idem in sponsi no-mine. Lucet praedicatum, pascit recogi-tatum, inuocatum lenit, & vngit. An nõ toties confortaris, quoties recordaris? Quid aeque mentem cogitantis impin-guat? Quid ita exercitatos reparat sen-sus? Virtutes roborat, vegetat mores bo-nos, atque honestos, castas fouet affectio-nes. Aridus est omnis animae cibus, si nõ oleo isto infunditur. Insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Iesum. Si disputes, aut conferas, non sapit mihi, nisi sonue-rit ibi Iesus. Iesus mel in ore, in aure me-los, in corde iubilus. Sed est, & medici-na. Tristatur aliquis nostrum? Veniat in cor Iesus, & inde saliat in os: & ecce ad exortum nominis lumen, nubilum om-ne diffugit, reddit serenum: qd & proba-re licet: inuoca me, inquit, in die tribu-lationis, & eruã te, & honorificabis me. Nihil ita impetũ irae cohibet, & super-biae tumorẽ sedat, sanat liuoris vulnus, restringit luxuriae fluxum, & extinguit libidinis flammam, sitim temperat aua-ritiae, ac totius indecoris fugat prurigi-nem: siquidem cum nomino Iesum, ho-minem mihi propono, mitem, & humi-lem corde, benignum, sobrium, castum, misericordẽ, ex omni denique honestate, ac sanctitate conspicuum: eundemque ipsum Deum omnipotentem, qui suo me, et exemplo sanet, & roboret adiuto-rio: sumo itaque mihi exempla de homi-ne, & auxilium à potente: illa tanquam species pigmentarias, hoc tãquam vnde acuam eas: & facio confectionem, cui si-milem medicorum nemo facere posset. Hoc tibi electuariũ habes o anima mea, reconditum in vasculo vocabuli huius, quod est Iesus, salutiferum certè, quod-que nulli vnquam pesti tuae inueniatur inefficax. Semper tibi in sinu sit, semper

Olei proprietates cõueniũt huic nomini.

Psal. 49.c

A in manu, quo tui omnes in Iesum, & sen-sus dirigantur, & actus. Denique, & inui-tatis: pone me, inquit, signaculum in cor-de tuo, signaculum in brachio tuo. Ha-ctenus D. Bernar.

Cant. 8.b

¶ *Quod vocatum est ab Angelo, prius quam in vtero conciperetur.* Dictus est enim puer iste Iesus, quod Hebraeis so-nat seruatorem. Non hoc fortuito, aut humana voluntate inditum est illi, sed authoritate diuina, per Gabrielem fue-rat datum, antequam in vtero Virginis conciperetur: vt vel ex ipso statim voca-bulo mortales admonerentur, hũc esse, qui veram salutem conferret omnibus: ac verum Iosue ducem referens, suos ab omni vitiorum inquinamẽto purgatos, perduceret in terram coelestem, aeternis gaudijs affluentem. Vide quae annotaui-mus supra cap. 1. in illud verbum: Voca-bis nomen eius Iesum.

B

¶ *Euangelium in puri-ficatione.*

C

ET postquam adim-pleti sunt dies pur-gationis eius secun-dum legem Moysi, tulerũt illum in Hierusalem: vt si-sterent eũ domino, sicut scri-ptum est in lege Dñi. Quia omne masculinum adape-riens vuluam sanctum Do-mino vocabitur. Et vt da-rent hostiam secundũ quod scriptum est in lege domini: par turturum, aut duos pul-los columbarum. Et ecce: ho-mo erat in Hierusalem, cui

Leui. 12.b

Exo. 13. A

Num. 8.c

D

Leui. 12.d

nomen

nomen Simeon: & homo iste iustus, et timoratus, expectans consolationem Israel, et Spiritus sanctus erat in eo: & responsum acceperat à Spiritu sancto, nō visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Et venit in spiritu in templū. Et cum inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo: ipse accepit eum in vlnas suas, et benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbū tuū in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum: quod parasti ante faciem omnium populorum: lumen ad reuelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel.

P*urgationis eius.* Eius fœmenino genere, & Mariam refert, id est, completi sunt dies, quibus continuerat se domi, impuritatem simulās, ne legis transgressionis accusaretur. Legitur purgationis eorum. i. Mariæ, & Christi.

Virgo Maria non solum erat legis adiscēdæ studiosissima, sed etiam legis obseruandæ.

¶ *Postquam adimpleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, &c.* Animaduerte, quod hæc Virgo sanctissima, non solum erat legis adiscendæ

A studiosissima, sed etiam legis obseruādę. Non solum conseruabat omnia quæ audiebat, conferendo hæc cum illis in animo suo: non solum sedebat semper secus pedes domini ad audiēdum verbum ipsius: sed legem domini, ingēti studio magnaque diligentia custodiebat. Sciebat enim, quod non auditores legis, sed factores iustificabuntur apud Deum. Discamus igitur exemplo Virginis legem Dei: & illam vt viros Christianos decet, custodiamus. Stote factores verbi, ait D. Iacobus, & non auditores tantum, fallētes vos metipsos: quia siquis auditor est

Discamus exemplo virginis legē Dei, & illā seruemus.

Iacob. 1. d.

B verbi, & non factor hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo. Cōsiderauit enim se, & abijt: & statim oblitus est qualis fuerit, quasi dicat, siquis auditor tantum verbi, omnem Euangelij fidem teneat, mysteria omnia nouerit, nequaquam autem ad Euangelij normā viuat, digna fide opera faciens: hic proculdubio similis est illi, qui natiuam suam faciem in speculo inspicit tantum, non solicitus næuos abstergere, aut maculas abluere: atq; ideo,

C quia de curanda facie non curauit, nec maculas abstergere studuit, statim ac se aspexit, abijt, ac mox oblitus est qualis fuerit. Sic, qui auditor tantum est verbi, vultum quidem natiuitatis suæ spiritualis, qualis esse debet in Euangelij verbi speculo, videt quidem: sed videt tātum, nec ad illius normam per opera bona se se studet componere. Nihil præstat Rachelē pulchros habere oculos, si liberis careat: ideo ingemiscendo dicebat viro suo Iacob: da mihi liberos, alioquin moriar. Studeat ergo fidelis omnis, non solū

Gen. 30. a

D oculos linceos veræ fidei habere, sed in bonis operibus fructificare, alioquin peribit. Studeat, inquit, semen verbi Dei propagare, non infructuosum sinere, filios spirituales Christo generare, si saluari vult per filiorum generationem: nam beati sunt, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. ¶ Obseruandū etiam hic, quod licet Virgo esset legis peritissima, ac proinde certo sciret, his legibus minime esse subiectam: siquidem hæc nec mulier erat, quæ virū cognouerat, nec

1. Timo. 2.

nec femine fuſcepto aliunde pepererat, nec eius primogenitus vuluam aperuerat. Nam hic fœtus cœleſtis, nec ingrediens, nec egrediés, virginalis vteri clauſtra violauit: tamen ne alijs myſterium ignorantibus eſſet offendiculo, legé ſeruare voluit. ¶ Sed videtur, inquies, virginem tantum myſterium tacere, & occultare non debere, ſed potius omnibus propalare. Nam legem aliarum fœminarum ſeruando, infamia, & nota ſeipſam vrere videbatur: cum reuera ſeruádo legem profiteretur, ſe neque eſſe Virginé, neque filium eius vi, & virtute Spiritus ſancti fuiſſe conceptum, ſed potius ex ſemine Ioſeph. Cui dubitationi fiet ſatis, ſi duo ante omnia cóſideremus. Primó, ſcandalum, quod de non ſeruanda lege oriretur. ſecundum, notam, & infamiam prædictam. Hanc veró, etiam ſi legem non ſeruaſſet, etiam ſi ſe eſſe Virginem affirmaſſet, etiam ſi non ex ſuſcepto ſemine concepiſſe dixiſſet, tollere non potuiſſet: cum incredibile dictu, omnibus myſterium ignorantibus videretur: ſcádalum veró, & offenſionem euitare ſeruando legem facile poterat, & ideo illá cuſtodire voluit: ſuum autem nomen, & famam Deo cuius eſt ſuis ſemper aſtare, relinquere: eius enim erat in táto negotio prouidere. Quod ita factum eſſe manifeſte videmus. Nam ſtatim à Spiritu ſancto miſſi ſunt Simeon iuſtus, & Anna propheteſſa, qui tátum arcanum omnibus prædicabant, atque de Chriſto eiuſque matre Virgine teſtimonium perhibebant. Hoc idem Abraham feciſſe narrat hiſtoria. Noui (inquit vxori ſuæ) qd pulchra ſis mulier: & quod cú viderint te AEgyptij, dicturi ſunt, vxor illius eſt, & interficient me, & te ſeruabunt: dic ergo obſecro te, quod ſoror mea ſis, vt bene ſit mihi propter te. Vbi obſerua: quod Abraham mortem timebat in ſe, & caſtitatem in vxore: mortem ſuam illa ſimulatione vitare poterat, caſtitaté veró vxoris cuſtodire non poterat. Primú ergo ne Deum tentare videretur, euitare curauit: ſecundum veró, hoc eſt, pudiciciam vxoris, Deo á quo tantas promiſſiones acceperat cóſeruandam reliquit illæſam. Quod ita contigiſſe, in illo cap. enarrat Moſes, dicens: Flagellauit dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius, propter Sará vxorem Abraham. Hoc ergo exéplo nos docet Chriſtus, atq; Virgo Deipara, vt legem Dei, quá poſſumus, obſeruare curemus: alia vero, quæ non poſſumus, ſuæ prouidentiæ relinquamus.

Obiectio

quare Maria noluit prædicare myſteria ſuæ virginitatis, & partus, ſed ſeruare legem purificationis qua nó tenebatur.

Gen. 12.

¶ Obſerua præterea, quod Virgo legé ad quam cuſtodiendam non tenebatur, adimpleuit: vt doceat nos, non ſolú præcepta diuina quibus adſtringimur, ſeruare: ſed etiam conſilia, quibus non legé præceptoque aliquo vincimur, ſi volumus eſſe perfecti, ſicut pater noſter cœleſtis perfectus eſt, ſeruemus.

Præcepta & conſilia ſeruare debemus exéplo Virginis, ſi perfecti eſſe volumus.

¶ Deinde animaduerte, quod etiam ſi hæc Virgo ſanctiſſima tota pulchra fuerit, & macula nulla fuerit in illa, tamen emundari, & purificari voluit: vt admoneat omnes nos, & ſi nihil nobis conſcij ſimus: tamen de noſtra puritate timere: bonarum enim mentium eſt, ibi culpam timere vbi culpa non eſt.

Et ſi nihil nobis cóſcii ſimus tamen de noſtra puritate timeamus.

¶ Tandem in eo quod poſt purificationem, oblationem Deo obtulit, inſtruere fideles voluit, vt poſt peractum ſanguinis fluxum, hoc eſt, poſt verum animi dolorem, atq; exomologeſin quibus peccata ceſſant: etiam offeramus Deo eleemoſynas, ieiunia, atq; preces, quibus tandé pro commiſſis delictis ſatisfaciamus.

Poſt pœnitétiam, & confeſſionem eſt ſequéda ſatisfactio.

¶ *Vt ſiſterent eum domino.* Vt comendarent eum domino.

¶ *Tulerunt illum in Hieruſalem, vt ſiſterent eum domino: quia omne maſculinum ad aperiens vuluam, ſanctum domino vocabitur.* Mater igitur ac Ioſeph, qui certo Dei conſilio pater adhuc credebatur Ieſu, infantem ſuum adduxerunt Hieroſolymam, vt in templo exhiberetur in cóſpectu domini, cui dicatus erat, & conſecratus: non quod omnia non ſint domini: ſed vt myſtico typo doceremur, eos demum animos eſſe domino gratiſſimos, qui maſculino ſpiritus robore, deuictis carnis velut effœminatæ cupiditatibus, graſſantur ad ea, quæ cœleſtia ſunt, & æterna. Hoc innuens lex Moſayca, preſcripſerat: vt omne maſculinum

quid ſignificabatur pro oblationé primogenitorum.

linū, simul atq; vulua matris ad aperta prodiret in lucē, haberetur Dño sacrū.

Gratitudo commēdatur.

¶ Deinde in eo qd Deus primogenita omniū, tā hominū quā brutorū, sibi præsentari præcipiebat: significare volebat, vt illi pro susceptis beneficijs gratias ageremus. Gratitudo specialis est virtus, debitas gratias benefactori reddēs. Si ergo hominibus nos beneficijs afficiētib9, grati esse debemus: quanto magis Deo, qui tantis muneribus nos donauit: vt exclamādo dicat Psalmista: quid est homo, qđ memor es ei9, aut fili9 hominis, quoniā visitas eū? Minuisti eū paulo minus ab Angelis, gloria, & honore coronasti eū, & constituisti eū super opera manuū tuarum, &c. Et Iob: quid est homo, quia magnificas eū: aut quid apponis erga eū cor tuū? Cū ergo Deus maior omnibus sit, & maiora præstet beneficia, tota die repleatur os nostrū laude. i. sine intermissione, (vt Augu. explicat) illū laudemus. Vn. Ambr. sup Luc. ser. 5. ait: Nihil est, qđ dignū referre possim9, p susceptа carne in Maria. Quid pro verberib9? quid pro cruce obitū, & sepultura reddem9? licet crucē pro cruce, funus pro funere. Nunquid reddim9, qđ ex ipso: & p ipsū: & in ipso habemus omnia? Reddamus igitur amorē pro debito, charitatē pro munere, gratiā pro sanguine, pro precio peculiū. Hæc Ambro. Illud intelligere oportet, qđ nō omnis gratiarū actio, vt Bern. ait, accepta est Deo: nisi quę de cordis vera simplicitate procedit. Verum adiūxi, propter hypocritas, qui Deū quidem de bonis suis verbo tenus gloriātes, corde retinent, quod ore præbuerunt. De his Dñs per Prophetā dicebat: Populus hic labijs me honorat: cor autē eorū longē est à me: sine causa colūt me. Et rursum: Nō est speciosa la9 in ore peccatoris. Olim lepros9 lege cogebatur opertū habere os. Sic peccator indign9 est, vt laudes Dei ore suo immūdo proferat, cū similis omnino sit hominibus illis, qui Christo dicebant: Aue Rex Iudæorum, & tamē dabant ei alapas.

S. Tho. 22. q. 106. art. 1.

Psal. 8. b

Iob. 7. d

Psal. 70. b

Ambro. super Luc. sermo. 5.

Bern. ser. 32. super Cantica.

Esai. 29.

Eccle. 15.

Figura. Leui. 13. f

Figura. Ioan. 19. a

Christus Deo patri in eucharistia offerēdus.

¶ *Vt sisterent eū dño.* Maria accepit filiū à Dño, & illū obtulit Dño. Quando igitur idem filius natus est nobis, illum Deo in Eucharistia quotidie offeramus, & sistamus domino. Nam hæc diuina, atque cœlestis oblatio, magna cum excellentia præstantiaq; oblationum reliquarum, sacrificium est gratiarum actionis, & laudis: in quo nomen Dei, gloriosissimè, & magnificentissimè, summo splendore illustratur. Christi item in eucharistia oblatio verum thymiama suauissimi odoris est, quo omnes sanctorum preces, & orationes referuntur: vnde iocundum, & ipsæ odorem mutuantur. Eucharistia præterea non modo iuxta nomen suum sacrificium est, quo Deo gratiam referimus: sed id etiam est, quod nobis Deum placatum propitiumque reddit. Quare eadem hostia pro gratiarum actione, & pro peccato est. Sistamus ergo illam Domino, tam pro gratiarum actione, quàm pro peccatis iam commissis, si illum placere cupimus.

Eucharistia gratiarum actionū hostia est.

Eucharistia thymiama est.

Eucharistia hostia pro peccato.

¶ *Sicut scriptum est in lege dñi.* Christus, & mater eius legē hanc seruauerūt, vt & illā esse sanctā, & à Deo latam ostenderent: de qua re superius disseruimus, cū de circuncisione tractaremus. Vi. ibi.

¶ *Ad aperiens vuluam.* Heb. pro primogenito. Vnde Exo. c. 13. ait Dñs: sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vuluam. Primis verbis explicauit sequētia. Et Nu. 8. pro primogenitis qui aperiūt omnē vuluā in Israel accipitur.

Exo. 13. Omnis primogenit9 vocatur phrasi Hebræa ad aperiens vuluam. Num. 8.

¶ *Omne masculinum ad aperiens vuluam sanctū dño vocabitur.* Perperā, Renatus in argumento libri Tertuliani de carne Christi scribit, hoc testimonio ostēdi Virginē sacrā patefacti corporis lege peperisse Christū, cū tota Ecclesia catholica, firmamentū, & colūna veritatis oppositū sentiat. Cū Esai. dicat: ecce virgo cōcipiēs, & pariēs filium. Qui locus Hebraicē est: ecce virgo prægnās, & pariēs vocabis, &c. Vt prægnās, & pariēs virgo appelletur. Quod verò ad præsens testimoniū attinet, iam diximus phrasi Hebraica adaperiens vuluā, pro primogenito accipi. Prætereа locus iste omne masculinū adaperiens vuluā, significat Christū adaperuisse vuluam Virginis matris, cū ex ea eduxit, quod in ea erat, Christus enim Dñs in vulua Mariæ cōceptus per

Esai. 7.

F nouem

Hiero.

novem menses in ea fuit: virtute verò diuina clauso Virginis vtero inde prodijt: vt prodijt sepulchro sigillato, & magno lapide clauso. Vnde Hieronymus lib. 2. aduersus pelagianos sic scribit. De vtero virginali natus est Christus, de quo scriptum est: Omnis qui aperit vuluam sanctus domino vocabitur: omnes hęretici errauerunt, non intelligentes mysteriũ natiuitatis eius: magisque ad specialem natiuitatem Saluatoris, quàm ad omniũ hominum referri potest hoc, quod dicitur: Qui aperit vuluam, sanctus vocabitur Dño. Solus enim Christus clausas portas vuluæ virginalis aperuit, quæ tamen clausæ iugiter permanserunt. Hæc est porta Orientalis clausa, per quam solus Pontifex ingreditur, & egreditur, & nihilominus semper clausa est. Hæc Hierony. de quo lege Epiphaniũ, li. 3. aduersus hereses. c. cõtra Antidicomarianitas. Lege etiã Castro in illud Esai. c. 7. ppter hoc dabit dominus, & ipse vobis signũ.

Castro.

Sãctũ dño quid. Num. 6.

¶ *Sanctũ Dño vocabitur.* Heb. pro cõsecrabitur Dño. Sic Num. 6. vir qui voluerit se domino cõsecrare nouacula nõ transibit super caput eius, vsque ad completum diem, quo domino consecratur. Sanctus erit crescẽte cesarie capitis ei9, i. erit, consecratus erit crescente, &c.

¶ *Vt sisterent eum Dño, & offerrent pro illo par turturum, aut duos pullos columbarum.* Hoc facto docet nos B. Virgo vt Christi meritis nostra bona opera iungamus, si oblatione nostrã Deo esse gratã cupim9. Nõ enim sat est offerre pro peccatis nostris Christũ Deo patri, vt sanctificemur: sed necesse est, bonas nostras actiones addere. Itaq; non solũ Christi actio causa est nostræ salutis, sed actus nostros nostrę redẽptionis, sanctificationis, & ablutionis esse causas, tã certa res est, vt nulli fideliũ dubiũ esse debeat. Nã si ita nõ esset, illa omnia essent falsa: omnis qui habet hanc spẽ sanctificat se. Itẽ, mundem9 nos ab omni inquinamẽto carnis, & spiritus perficiẽtes sanctificationẽ in timore Dei. Itẽ: peccata tua eleęmosynis redime. Itẽ: per eleemosynã, & fidẽ purgantur peccata. Itẽ: misericordia, & veritate redimitur iniquitas: & cætera id ge-

Offerre debemus Christi merita, nostris bonis actionibus cõmitata, & sociatã, si sanctificari, & à peccatis emundari volumus. 1. Ioan. 3. 2 cor. 7. Dan 4. Pro. 15. Pro. 16.

nus, quę in sacris literis passim occurrũt.

¶ Neq; ex his quẽadmodũ lutherani falso existimant, quicquã de Christi in nos gratia, merito, vi, & redemptione detrahitur: quin gratiæ Dei, & Christi multo magis attribuitur. Exẽplũ ponã in natura, vt gratiæ vis manifestius eluceat. Res vniuersas ad suũ quãq; finẽ, vi quadã ingenita moueri, philosophis omnib9 exploratũ est: sic igni, vt ad locũ naturæ suæ congruũ leuitatẽ indidit procreator ille mũdi Deus: vt vero calefaceret, quę erat actio ignis naturæ cõueniẽs, impertijt calorẽ. Id qđ in reliquis prõptũ est cernere: quę, sic à principio, & forma interiori mouentur; vt nõ solũ nõ repugnẽt, sed agi sponte videãtur. Animalia porrò, nõ modo hãc inclinationẽ, & formã à natura habẽt: verũ ipsa etiã se mouẽt, actionibus quibusdã suis, & ad quærendũ sibi cõsentiẽs bonũ, & ad propulsanda aduersantia mala. Quæ res, præcipue in hominibus illustrior apparet, qui quoniã nõ agũtur vt serui, sed liberè potius agunt, vt Dñi, ratione eligũt media, & se ipsi ciẽt, vt per talia media fines ppositos cõsequantur. Nec idcirco tamẽ, aut primæ causę virtus minor est, aut potestas infirmior: imò hoc vberior, & maior, qđ attingit à fine vsq; ad finẽ fortiter, & disponit omnia suauiter. Ecqua enim vis ea fortior esse potuit, quæ adeò suaues, & cõgruẽtes impetus in rerũ natura posuit, vt eas nulla vi quidẽ illata moueat, sed vehemẽtissime moueat tamen. Quæ Dei virt9 eximia insignisq; suauitas, multo latius in gratuitis effectis quã in naturalibus se effundit. Nõ enim solũ vitales operationes, quæ supra naturã sunt, in se edit mortalis homo per gratię formã, & virtutes: sed ad vitã ipsam capiẽdã, sua se actione parat, & viuendi sibi causa est. Quẽadmodũ enim si materia, dispositiones quibus ad suscipiẽdam formã ignis præparatur, ipsa in se faceret eadem sibi causa esset effectrix, vt à forma illa informaretur: sic quoniã præparationes viuificantis gratiæ, homo in se efficit, ipse in sui generatione Dei adiutor existit. Qua in re, vt dixi, suauior, & diffusior gratia quàm natura est: vitam namque à natura data

Nihil propterea de Christi merito, & gratiã, & virtute detrahitur, quod actu nostri sint ad nostrã salutẽ necessarii.

Analogia notãda ex natura ad gratiam.

similitudo. Nõ solum homo vitales operationes supernaturales per gratiã infusã facere potest, sed per petra[illegible] potest sibi ipsi vitam spiritualẽ [illegible] tingit.

data curare, ac tueri ipse valeas, salutem quærere, morbos pellere aduersos: tum externis quibusdã medicamentis adhibitis: tũ animę viribꝰ interius excitatis. At vitæ causa tibi esse nõ poteris, sed aliũde eã accipis, nulla interueniente operatione tua, dispositione tua nulla. Dispositio quippe omnis, qua ad animã corpus apratur, à patre generante editur, à filio genito nullo modo. In natiuitate vero spirituali, is ipse qui nascitur, non solũ principiũ est, vt post ægritudinẽ sanus sit: verũ etiã, vt postquã fuerit mortuus, & vitã habeat, & abundantius habeat. Præclare itaq; dictum illud est, atq; ad Philosophiæ rationem apte, iustus ex fide sua viuet. Ex quo Hierony. colligit, hominem sibi esse suæ iustificationis causam. Nempe actus fidei, spei, & charitatis, pœnitentiæ, quibus Deus vtitur ad animũ viuificãdũ, homo ipse in se facit, gratuito quãuis, & super naturali auxilio per motus.

Abacuc. 1.

¶ Ne certes quasi actus nostri, gratiæ remissionisq; culparũ causæ efficientes sint: cum nihil aliud quã disponant animum, vt gratiam Dei, iustitiãq; recipiat. Quẽadmodũ calor præparatio est, quę lignimateriã afficiat, vt & formã ignis capiat, atq; naturã. Sed sicut homo alteri homini, non est causa animæ rationalis: sed causa tamen est, vt per rationalẽ animam viuat, sic homo licet causa gratiæ non sit, causa tamen sibi est, vt per gratiã viuat. ¶ Cuius sententiæ illa iã consectaria sunt: animas vestras castificãtes. Ablue à malitia cor tuum. Item: si quis emũdauerit se ab istis, erit vas in honorẽ sanctificatũ, & ad omne opus bonũ paratũ. Ac vasa hæc quidem Deus ipse fecit in honorẽ, & præparauit in gloriam. Sed si non à voluntate nostra purgatio animæ nostræ fieret (vt Damascenus argumentatur) Nõ vtiq; dixisset Pau. Si quis emũdauerit se, &c. ¶ Verũ hæc subtilius forte differuntur, quã vt ea lutherani, omnis omnino philosophiæ ignari possint agnoscere. Illud breuiter intelligãt, nos in salutis nostræ opere, sanctificatione, purgatione, curatione Dei adiutores esse. In die, inquit, salutis adiuui te: ac rursum: gratiã Dei mecum. ¶ Nam de pecca-

Actus nostri nõ sũt causæ effectiuæ gratiæ, & remissionis peccatorũ, sed tantum disponunt animum ad hoc, quod Deus gratiã infundat, sicut calo: lignũ ad formã ignis.
1. Pet. 1.
Hiere. 4.
2. Timo. 2
Damascen. argumen.
2. Cor. 6.
2. Cor. 15.

A torum redẽptione, quæstio est multo facilior. Ea nempe voce aliquando persolutionem pœnarum scriptura significat, quæ post culpam remissam manent. Has autem non modo Christus per sacramẽta sua: sed nos etiam ieiunijs nostris eleemosynisq; resoluimus. Precia itaq; Deo constituta cũ pro pœnis debitis enumeramus, ac pendimus, tunc peccata nostra redimimꝰ. Nec vero preciũ hoc ęquale natura nostra, sed Dei gratia fecit, qui tũ pro culpis grauiores pœnas, tum pro pœ-

B nis grauiorem posset compensationem exigere. Sed hæc precia ille pepigit lege clementiæ, & misericordiæ quidem, sed æquitate, iustitiaq; permixtæ. Quod si ad peccatorũ redemptionẽ, precia hæc, nostra licet, momẽti alicuius sunt tamẽ: quoniã ita sua is lege constituit, qui arbitrio propriæ voluntatis, rerum omnium iustus ęstimator est: quanto verius, & iustius nostras ipsi iniquitates redimemus, Christi corpus, & sanguinẽ in altari offerendo? Christi, inquam, qui a nobis est factus sanctificatio, iustitia, & redẽptio. At

C tametsi Redemptor noster vnus est ille: sed quia nobis tamen, nostrisq; actionibus vtitur ad effectũ redẽptionis explendũ, eũ quoq; in hac parte nos iuuamus. Nec gloria redẽptionis minuitur inde, sed augetur, qui non naturæ diuinæ modo, verũ diuinæ operationis, socios nos etiã fecerit, & consortes. ¶ Igitur his ita explicatis: vt redeamus vnde digressi sumus si in peccato es, offer Deo Christi passionẽ, hostiã suauissimã, & cũ ea, oblationẽ pauperum. i. fidem, spem, & verum animi dolorem, & oblatio tua erit Deo acceptissima, & gratissima. Si vero absq;

D peccatorum culpis, offer eandẽ hostiã, & par turturũ, aut duos pullos colũbarum, hoc est, eleemosynas, ieiunia, & alia pia opera: & sic peccata tua omnia redimes. ¶ *Et ecce homo erat in Hierusalem, et homo iste iustus.* Vel ex hoc vno testimonio probari satis potest, quod & si propter impiorũ multitudinẽ sæpius in scriptura dicatur omnes esse peccatores: qualis est ille Esai. locꝰ: Israel me nõ cognouit, à planta pedis vsq; ad verticẽ capitis nõ est in eo sanitas. Et Hiere. illud: quid vultis

Esai.
Hier. 2.

Semper in Ecclesia fuerunt iusti, semper que erunt qui nũquã deficient, neq; in fide, neq; in charitate.

tis mecũ iudicio contendere; omnes me dereliquistis, dicit Dñs. Tamen inter tã tam scleratorũ hominũ multitudinem, iusti aliqui, & probi semper in Ecclesia illa remanserunt: qualis fuit Simeon iste iustus, & Anna prophetis. Et vt testimonia illa, aliaq; huiusmodi nõ te moueãt, vt intelligas, aliquando totã Ecclesiam fuisse, aut esse potuisse sine Dei gratia, ita vt in ea iustus nullus extiterit. Nota Augusti. regulã quã lib. de vni. Eccle. c. 12. Plerunq; (ait) sermo diuinus impias turbas Ecclesiæ sic redarguit, tãquã omnes tales sint, & nullus bonus omnino remanserit. Inde quippe admonemur, in suo quodã numero eos dici omnes. i. omnes filios gehẽnæ. Isti ergo (s. donatistæ) vel imperite, vel fallaciter agentes, colligũt de scripturis talia: quæ vel in malos bonis vsq; in finẽ permixtos, vel deuastationi prioris populi Iudæorũ, dicta reperiũtur: & volunt ea detorquere in Ecclesiã Dei, vt tanquã defecisse, aut perisse de toto orbe videatur. Hactenus Aug.

Regula notanda ex Augu.

Huiusmodi ergo Prophetarũ oracula, vt alias diximus, & modo repetere libet, hũc imprimis sensum habent, vt quoniam in cõparatione malorum, adeo pauci boni sunt, vt nulli esse videantur: scriptura totũ vna cõprehensione populũ reprehendit, quãuis in eo nõnulli sint boni. Deinde prædictiones propemodũ illę erant, nõ reprehensiones. Describitur enim populus ille, no qualis tunc erat, sed qualis post Messiæ aduẽtũ futurus erat. Vterq; sensus ne hæretici nostrũ esse causetur, exẽplis scripturæ manifestis cõprobãdus est, Ezechi. eodẽ quo, & Hiere. tẽpore vaticinatus est. Quid dicat ei Dominus audiamus: Domus Israel nolunt audire te, quia nolũt audire me: omnis quippe domus Israel, attrita fronte est, & duro corde. An putas in tota hac deprauata domo partẽ aliquã super esse cui generalis illa sententia nõ conueniat? Audi quid etiã dicat dñs: signa Tau, super frontes virorũ gementiũ, & dolentiũ super cũctis abominationibus, quæ fiũt in domo eius. Non ergo omnes in populi flagitiũ consenserãt: nõ omnes attrita fonte, & duro erant corde. Esto aliud exemplũ. Saluũ,

Ezech. 3.

inquit, me fac, quoniam defecit sanctus, &c. vana loquuti sunt vnusquisque ad proximũ suũ. En totius generis humani culpas voce magna deplorat, perinde ac si relictus sit solus. Sed quid dicit illi diuinũ responsum? Propter miseriã inopũ & gemitũ pauperũ, nunc exurgã. Intelliges ergo iam, suæ querimoniæ se plures habere consortes: Tu Dñe, inquit, seruabis nos à generatione hac in æternũ. Huius rei deniq; alia exẽpla adducũtur ab eodem Augustino, multaque alia in epistolis Pauli reperies, si ea attẽte considerare velis.

Rom. 11. 3. Reg. 19.

¶Iã vero, quod pleraq; eiusmodi Prophetarum testimonia, ad populi Iudaici statũ, & mores post Messiã referẽda sint, vel in vno exẽplo satis mostrabitur. Aggæus Zorobabelem, ac Iesum magnum sacerdotẽ, totũq; omnino populũ, vt domũ Dei ædificaret, his verbis admonuit; & nunc cõfortare Zorobabel, dicit dñs, & confortare Iesu sacerdos magne, & cõfortare omnis populus terræ, & facite quoniã ego vobiscũ sum, & spiritus meus erit in medio vestrũ, nolite timere. At eodẽ postea capite subiungit Aggæus: sic populus iste ante faciẽ meã, dicit Dñs: & sic omne opus manuũ eorum: & omnia quæ obtulerunt ibi, contaminata erunt. Quẽ omnino locũ, conuenientius de populi statu post testamenti veteris consumationẽ intelligimus. Tamẽ sic August. ad formã quoq; superiorẽ hoc exẽplũ interpretatus est. Sẽper ergo in Ecclesia antiqua iustus aliquis fuit: semperq; in Ecclesia noua erunt quã plurimi: Nã Dñs Deus erit cũ filijs eius vsq; ad cõsumationẽ seculi. *Et ecce homo erat in Hierusalẽ iustus, et timoratus.* Tales ergo senes postulat Ecclesia; viros, scilicet, iustos, & timoratos. Talis enim senectus venerabilis est, non diuturna, neque anorum numero computata. Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Vt Salo. ait c. 16. & rursum: corona senum, multa peritia, & gloria illorum timor Dei. Erubescat ergo senectus (vt Ambro. inquit) quæ emendare se non potest. Nõ annorum canicies est laudanda, sed morum. Inter abusiones huius

Agg. 2.

quos senes postulat Ecclesia.

Pro. 16.

Eccle. 25. Ambro. in epistto. contra Sima.

Vgo lib. 1. de claustro animæ.

huius seculi (inquit Vgo) sola maior est senis obstinatio, qui morti proximus morti non abhorret aduentũ, qui quasi ad ostium huius mundi positus, foris spectat, nec tamen vitæ præsentis attendit egressum, nec futura considerat. Audit nuncios mortis, & cæteris non vult eis. Tres sunt enim nuncij mortis: casus, infirmitas, senectus: casus, dubia: infirmitas, grauia: senectus: certa nunciat: casus nunciat mortem latentem, infirmitas apparentem, senectus præsentem. Ex multitudine mortis timor: Ex infirmitatis grauitate, dolor: ex certitudine senectutis non obstinatio, sed afflictio, & humilitas sequi deberent. Et D. Chrysost. sic ait: Canicies tunc est venerabilis, quando ea gerit, quæ caniciem decent: cũ vero iuueniliter senex conuersatur, plus iuuenibus ridiculus erit. Fœlix Simeon iste senex, qui propter suam morũ probitatẽ, propter suam pietatem, & religionẽ, diuino oraculo acceperat: non visurum se mortem, donec suis oculis Christum prospiceret, & in manibus contrectaret. ¶ *Et ecce homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon iustus, et timoratus.* Multis argumentis voluit Deus probare, non sine magno consilio, in puero veritatem humanæ naturæ. Vtero tumẽti conspecta est in diuersorio: mox enixæ succedit corporis tumor: infantem recens natũ cõperere pastores, adorauere Magi, circumcisus est solẽni ritu rursus, idem hodie in templũ delatus est: ac palam exhibitus sacerdotibus. His rebus factũ est, vt nemo de partu quisquam possit dubitare; & paulatim pluribus inotesceret: sed potissimũ humilibus, & pijs dũtaxat. Cõueniebat enim, vt nec paucis, nec vulgaribus argumentis confirmaretur, quod creditũ omnibus seculis esset, allaturũ salutẽ æternã, non creditũ, mortẽ æternã. Angelus nunciat, testis adhibetur spõsus Ioseph, Elisabeth sterilis parit, mutus Zacharias loquitur, vterq; spiritu prophetico corripitur. Exultat Ioãnes in vtero matris, virgo generat: hospites Magi accurunt, & adorant: pastores prædicant: tot argumentis, tot prodigijs cõmendata est pueri natiuitas. Nũc ne nõ ab omni sexu omniq; ætate, omni statu, ac professione iaceret testimonium, ne q; quisq; omnino relinqueretur, qui sibi non nõ promitteret salutẽ: [illegible] homo erat tunc temporis Hierosolymæ, vir quidem nomine Simeon, senectute frigidus, sed spiritu feruens, effecto corpore, sed animo vegeto, ætate marcidus, sed vitæ innocentia floridus: nimirũ verè pius, vereq; iustus, ac religiosus: non venãs exemplo Pharisæorũ gloriã, ac quæstũ ab hominibus, sed publicæ salutis auidus, quẽ nulla voluptas in hac vita remorabat, nisi vt videret oculis eũ, quẽ in hũc mũdũ prophetarũ oracula promiserant venturũ, vt cõsolaretur Israeliticũ populũ multis modis afflictũ. Is igitur senex venerabili canicie, & animi probitate decoratus, venit in templum, vt de pueri vera natura, eisq; tam omnibus necessario aduentu, testimonium celebre proferret.

Multis argumentis probata est veritas humanæ naturę in Christo eo quod eius fides erat hominibus, ad salutem æternã cõsequendã omnino necessaria.

¶ *Timoratus.* εὐλαβὴς, i. pius, & religiosus.

¶ *Et Spiritus sanctus erat in eo.* Vel erat super eum. i. fouebat eum. Sic alibi: Spiritus dñi ferebatur super aquas. i. fouebat aquas.

Gen. 1.

¶ *Et responsum acceperat à Spiritu sancto.* Vel erat ei editũ. i. oraculo præmissũ. Hic responsum, accipe pro oraculo.

¶ *Responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurũ se mortẽ, nisi videret Christũ dñi.* Enarrat Ezech. c. 1. se vidisse dñm habentẽ aspectum ignis intrinsecus per circuitum à lũbis eius, & desuper à lũbis eius vsq; deorsum quasi speciẽ ignis splẽdentis in circuitu. Qua figura (vt alias ostẽdimus ex Grego.) significare voluit Spiritus sanctus, qd ante incarnationẽ huius pueri, sola intra se Iudæa ardorẽ ambris eius habuit: post incarnationẽ vero illius, in circuitu eius ignis resplẽduit: quia in vniuerso mũdo, gẽtibus claritatẽ sancti Spiritus effudit. Erat ergo prius ignis intrinsecus, cũ Iacob diceret: salutare tuũ expectabo dñe. Quod. n. salutare dicimus latinè, hoc verbo Hebraicè Iesus dicitur. Ardebat ignis cũ Moyses diceret: si inueni gratiã in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum, vt videam te. Ardebat ignis in mente, cum Dauid diceret: sitiuit anima mea ad Deum viuum, quando veniã, &

Figura. Ezech. 1.

Ho. 8. super Ezech.

Gen. 49. c

Exo. 33. c.

Psal. 42. a

& apparebo ante faciem Dei. Qui incarnationem verbi desiderans, ait: Ostende nobis domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Ardebat ignis, cum Simeon de habitatione vitæ præsentis exire desiderans, audiuit, non priusse visurum mortem, nisi videret Christum domini.

¶Genes. 17. enarrat scriptura. Abraham post promissum sibi filium cecidisse in faciem suam, & dixisse: Putas ne, cétenario nascetur filius? Quod non diffidentiæ fuit, alioqui eum corripuisset dominus: sed magnæ admirationis: quasi dicat: quanta gratia, quantum miraculum hoc erit: quantum hinc glorificabitur Deus? Mysticè hæc fuit vox patrum veteris testamenti: quasi dicat: Hactenus cum floreret rerum status, temporibus regum nobilium non venit Christus, nunc senium quoddam est generis Abrahæ: Ablatum est enim ceptrum de Iuda: putas ergo nunc veniet: qui mittédus est? Putas videbo eum? Eorũ namque huiusmodi suspiria, Simeonis huius expectatio satis indicat, qui in desiderio cordis sui responsum acceperat: non visurum se mortem, nisi videret Christũ domini, idest, fœlicem illum puerum qué videlicet Deus vnxerat supra mortales omnes: vt æterno regno, & nunquam abrogando sacerdotio, potiretur.

¶*Et venit in spiritu.* idest, instinctu spiritus.

¶*Cum inducerent puerum Iesum parẽtes eius, &c. & ipse accepit eum in vlnas suas.* Iam vides, quod Simeó iste iustus, & religiosus continere se non potuerit, quin ipse quoqué desideratum infantulũ complecteretur vlnis suis, vt hinc tu quoq; discas, Christum dñi in manibus tuis semper portare, & in prospectu tuo illum semper habere: quod si feceris: nihil est, quod amplius desiderare possis, Nam (vt Ambro. ait) omnia habemus in Christo, & omnia nobis Christus. Si vulnerũ curatorem desideras, medicus est: si febribus æstuas, fons est: si grauaris iniquitate, iustus est: si indiges auxilio, virtus est: si mortem times, vita est: si tenebras fugis, lux est: si cœlum desideras, via est: si cibum quæris, alimentũ est. Hæc Ambros. In omnibus itaq; tuis actionibus, Christũ in prospectu habe: nam eius vita speculum est clarissimum, & totius sanctitatis exẽplar. Ad hoc enim de cœlo nobis missus est: vt præiret nos in virtutum itinere, & legem vitæ ac disciplinæ, suo nobis præiret exemplo: & erudiret nos sicut semetipsum: vt sicut ad imaginem eius naturaliter creati sumus: sic ad moris eius similitudinẽ, imitatione virtutum, pro nostra virili reformemur, qui eius imaginẽ nobis impressam, per peccatum fœdauimus. Quod si fecerimus: tunc securè cum Simeone dicere poterimus: Nũc dimittis seruũ tuũ domine: & cum D. Paul. cupio dissolui, & esse cum Christo.

¶*Benedixit Deum.* Heb. pro laudauit Deum: gratias illi egit. Sic Matth. 14. & 26. multisque alijs in locis sacræ scripturæ: vt aliás diximus.

¶*Nunc dimittis seruum tuum domine.* i. iam sines, atque iubebis hinc migrare seruũ tuũ Dñe. *Secundum verbum tuum.* i. promissionem tuam *in pace.* Vel placide, vel cum lætitia. Gene. 49. narrat sacra scriptura, dixisse Iacob filio suo Ioseph: Nũc lætus moriar, quia vidi faciẽ tuam, & superstitem te relinquo: nihil, inquit, amplius quæro in terra. Eodẽ modo Simeon iste iustus, & pius, de vero Ioseph, hoc est, Christo dicebat: Nunc dimittis seruũ tuũ Dñe. Dicamus, & nos sic Christo: iam lętus moriar, quia vidi faciẽ tuã, & superstitẽ te relinquo. Vere enim lætus moritur, qui faciẽ Christi videt. i. verã eius cognitionẽ habet, quæ vita æterna est: vt ipse ait: Hęc est vita ęterna, &c. & qui eius desiderio, & amore flagrat. Deinde, & propterea læti moriũtur christiani, qd Christũ superstitẽ relinquunt: omnibus enim deficientibus, ipse superstes manet, qui solus in quo nos deficimus de corporibus, & animabus nostris, curare est idoneus. Sic Iob lætus moriebatur, qui Christũ superstitem relinquebat: scio, inquit, quod Redemptor meus viuit, &c. quasi dicat. & si ego morior, viuit tamẽ, & superstes est, qui me resuscitare potest. *Nũc dimittis seruũ tuũ dñe.* Signũ

Marginalia: Gen. 17. — Exemplo Simeonis Christum dñi in manibus semper portemus, & nihil erit amplius, qd desiderare possimus. Ambro. — Matth. 14. & 26. — Gen. 49. — Iusti læti moriũtur, quia faciẽ Christi viderunt, i. veram eius cognitionẽ habuerunt, & superstitem eum relinquunt.

Iusti desiderant magnopere ex vita migrare.

gnũ maximum Christianæ perfectionis est, cupere dissolui, & esse cũ Christo. vir enim perfectus, & timoratus, patienter viuit, & desideranter moritur. Si enim (vt dicit Chryso.) gratis post modicum morituri sumus: quare non, & ante modicum (si opus est) cum gloria morimur, vt fiat voluntarium, quod futurũ est necessarium. Desiderant ergo viri iusti mortẽ obire: quod in illa thesaurũ suum inueniant, quem tota vita sua quærere non cessauere. Ideo Salo. ait de viro iusto: Iustus sperat in morte sua. *Pro. 14.* Quid quæso mirum, quod iustus totam spem suã in morte collocet: cum tunc omnes qui illi aduersabantur pereant penitus? Tunc de carcere qua captiua extiterat liberatur, Tũc ad portum iãdiu sibi desideratum peruenit. Quare, merito ait Eccles. meliorem esse diem mortis die natiuitatis. *Eccl. 7.* Qua propter mors sanctorum natale illorum appellatur. Flagremus igitur cũ Simeone, hoc desiderio; si in æternum viuere concupiscimus. Vitã hanc mortalem, & caducam contemnamus: cũ nostrum viuere (vt Cassiodorus auctor est) quotidie interire sit. *Cassiodor.* Mortem si sapimus non timeamus; omnia enim mala (vt Chryso. affirmat) operatur timor mortis, omnia vero bona contemptus. *Chrysost.* Et quemadmodum captiui libertatem suã expectantes, semper carceris foribus adsunt, *Similitudo* & canis cubiculo aliquo inclusus, nunquam ad ostium gemere, & latrare desinit, exitum concupiscens: *Similitudo* sic iusti à carcere mortis huius egredi desiderantes, mortem appetunt, quæ ianua est suæ liberationis. Ideo Ecclesia. inquit: Cor sapientum vbi tristitia: *Eccle. 7.* mortem, videlicet, tristitiam appellant. E contra vero huius mundi amatores, similes sunt talpis, quæ ostium fugiunt, atque arua hortosque altè suffodiunt. *Simile* Sic isti huius mundi terrenis innixi, ostium, hoc est, mortẽ, fugiunt: initique ac renuentes, de corporis carcere egrediuntur, de quibus Iob ait: Auellatur de tabernaculo suo fiducia eius. *Iob. 18.* Hæc ex D. Bonauen. *D. Bonau. in de doctr. cordis. c. 12.* Beati ergo, & fœlices illi, qui iam Deo fruuntur, quo & nos (vt August. ait) frui desideramus: & quanto in hac vita iam finimur,

A vel per speculum, vel in ænigmate: tanto nostram peregrinationem, & tolerabilius sustinemus, & ardentius finire cupimus. *D. August. lib. 2. de doctrina christia. c. 10. Magi. s. sen. d. 4.* ¶ *Nunc dimittis seruum tuum domine, secundum verbum tuum in pace.* Simeon iste iustus hortatur nos ad amorem, relinquendi hanc uitam: at palam ostendit, non esse putãdum, bonis, & malis interitum esse communem: quoniam ad pacem, & refrigerium iusti vocantur, ad supplicium rapiuntur iniusti. *Mors non timenda, sed amãda iustis qui pietatẽ, & iustitiã colunt ex D. Cypriano serm. de mortalitate, vbi mul te de hac re predicat.* Non ergo mortẽ timeamus, si iustitiam, & pie-

B tatem colimus: eius est enim (vt D. Cyprianus ait) mortem timere, qui ad Christum nolit ire: eius est ad Christum nolle ire, qui se non credit cum Christo incipere regnare. Scriptum est enim: iustus fide viuere. Si iustus es, & fide viuis, si vere in Deum credis, cur non cum Christo futurus, & de domini pollicitatione securus, quod ad Christum voceris amplecteris, & quod zabulo careas, gratularis? Simeon iste iustus, qui verè iustus fuit, qui fide plena Dei præcepta seruauit: cũ

C ei diuinitus responsum fuisset, quod nõ ante moreretur, quam Christum vidisset, & Christus infans hodie in templũ cum matre venisset, agnouit in spiritu natum esse iam Christum, quod sibi fuerat ante prædictum: quo viso, sciuit, cito se esse moriturum. Lætus itaque de morte iam proxima, & de vicina accersitione securus: accepit in manibus puerum, & benedicens Deum, exclamauit, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum. Probans, scilicet, & contestans: tunc esse seruis

D Dei pacem, tunc liberam, & tranquillam quietem quando de istis mundi turbinibus extracti, sedis, & securitatis æternæ, portum petimus: quando expuncta hac morte, ad immortalitatẽ venimus. Illa est enim nostra pax, illa fida tranquillitas, illa stabilis, & firma, & perpetua securitas. Cæterum quid aliud in mundo, quàm pugna aduersus diabolũ, quotidie geritur, *quid est in mundo, quam perpetua pugna?* quàm aduersus iacula eius, & tela conflictationibus assiduis dimicatur, cum auaricia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congres-

sio est, cum carnalibus vitijs, cum illecebris secularibus, assidua, & molesta lucta tio est. Obsessa mens hominis, & vndiqz zabuli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit. Si auaritia prostrata est, exurgit libido: si libido cōpressa est, succedit ambitio. Si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia inuitat. Inuidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abscondit. Tot persecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus vrgetur, & delectat hic inter zabuli gladios diu stare? Quis non ad letitiam venire festinet? quis non tristitia carere optet? Cum ergo videre Christum gaudere sit, nec possit esse gaudium nostrum nisi cum viderimus Christum, secundum quod ille ait: iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum: quæ cęcitas animi, quæ ve dementia est, amare præssuras, & pœnas, & lachrymas mūdi, & non festinare potius ad gaudium, quod non possit aufferri? Sed mouet quosdam, quod sit nobis cū cæteris mortalitas ista communis: quid enim nobis non commune cum cæteris in hoc mundo: quandiu adhuc secundum legem primæ natiuitatis manet caro ista communis? Quoad vsqz istic in mundo sumus, cum genere humano carnis æqualitate coniungimur, spiritu separamur. Itaque donec corruptum istud induat incorruptionē, & mortale hoc accipiat immortalitatem, & spiritus nos perducat ad Deum patrem, quæcunqz sunt carnis incommoda, sunt nobis cum humano genere communia. Contempta igitur hac vita mortali, mortem quæ perpetuam pacem, & tranquillitatem nobis allatura est, non timeamus. ¶Mori planè timeat, sed qui ex aqua, & Spiritu sancto non renatus, gehēne ignibus mancipatur. Mori timeat, qui non Christi cruce, & passione censetur. Mori timeat, qui ad secundam mortem de hac morte transibit. Mori timeat, quem de seculo recedētem perennibus pœnis æterna flamma torquebit. Mori timeat, cui hoc mora lōgiore confertur, vt cruciatus eius, & gemitus differatur. Nos autem qui corruētem iam mundum videmus, lucrum maximum reputemus, si istinc velocius recedamus. Si in habitaculo tuo parietes vetustate nutarent, tecta desuper tremerent, domus iam fatigata, iam lassa ędificijs senectute labentibus, ruinam proximā minaretur: non ne omni celeritate migrares? Si te nauigante turbida procellosa tempestas fluctibus vi venti excitatis, prænunciaret futura naufragia: nō ne portum velociter peteres? Mundus ecce iam nutat, & labitur, & ruinam sui jam, non senectute rerum, sed fine testatur: & tu non Deo gratias agis, non tibi gratularis, quod exitu maturiore subtractus, ruinis, & naufragijs, & plagis imminentibus exuaris? Consideremus renunciasse nos mundo: & tanquam hospites, & peregrinos hic interim degere. Amplectamur diem, qui assignat singulos domicilio suo: qui nos istinc ereptos, & laqueis secularibus exutos, paradiso restituit, & regno cœlesti. Quis non peregre constitutus properet in patriam regredi? Quis non ad suos nauigare festinans ventum prosperum cupidus optaret, vt velociter charos liceret amplecti? Patriam nostram paradisum computamus: parentes nostros patriarchas habere iam cupimus: quid non properamus, & currimus: vt patriam nostram videre, vt parentes salutare possimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, patrum, filiorum: frequens nos, & copiosa turba desiderat, iam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra incolumitate solicita. Ad hoc fratres dilectissimi auida cupiditate properemus, vt cum his cito esse possimus, vt cito ad Christum venire contingat optemus. Hæc Cyprianus. ¶*Nunc dimittis seruum tuum domine, &c.* Si Simeon, qui non statim erat præmio cœlesti afficiendus, sed detinendus in limbo, alacritate plenus dicebat: Nunc dimittis seruum tuum domine, desiderio moriendi detētus: quanto magis Christianus homo, & pius, hoc idem optare debet, qui, si pœnæ alicuius reus non sit, statim quod ex hac mortali carcere euolat, ad cœlū migrare certum est? ¶*Nunc dimittis, &c.* Si in pace tu quoque dimitti vis, esto similis

Carne hic æquamur, separemur spiritu.

Mors quibus timenda.

Si Simeō qui detinendus erat in limbo mortē desiderat, quāto magis vir pius & christianus eā optare debet qui si pœna non sit reus, ad cœlū statim volat.

qui in pace mori vult debet esse similis Simeoni iusto.

milis huic homini iusto, & religioso. Quia iustus erat migrare desiderabat: tu vero quia pœnitentiam dilatare nō erubescis, & mori times, & in pace non dimitteris: nam morte subita præocupatus, perpetuas dabis pœnas. Non ergo si sapis, tardes conuerti ad dominum: cito enim venit ira eius.

Esai. 40. Christus salutare & Saluator, & quare. Infra c. 3.

¶ *Salutare tuum*, Hoc est, salutare illud, de quo dicebat Esaias: & videbit omnis caro salutare Dei. Ita enim iuxta 70. locum istum citat Lucas infra cap. 3. Pro quo communis versio habet: Et videbit omnis caro pariter, quod os domini loquutum est. Hoc est, salutare illud, quod tam ardenti desiderio videre precabatur Dauid Psal. 84. Ostende nobis domine misericordiam tuā, & salutare tuum da nobis. Est quidem Christus (vt alias diximus) Saluator, qui nos saluos fecit: est salutare, quia sese obtulit pro nobis, seipsum in cruce immolans, vt facinora nostra, suo purissimo sanguine deleret. Est igitur medicus, & medicina, & ipsa salus nostra, animarum nostrarū fœlicitas, summum atq; sempiternum bonū. Quod fuerat (vt alias explicuimus) in Ioseph quondam adumbratum, & in sole, qui in signū salutis Regis Ezechiæ, reuersus est in horologio retrorsum: vt in cap. 1. ad longum explicuimus, super verba illa Angeli: & virtus altissimi obumbrabit tibi. Vide locum.

Psal. 84.

Vt. quę annotauimus in Matth. c. 1. in illud verbū vocabis nomen eius Iesum.

Sup. c. 1.

¶ *Ante faciem omnium populorum*. In conspectu, &c. vt. s. omnes defigant oculos in illud, expectantes ab eo salutem.

¶ *Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel*. Vel lumen ad illustrationem gentiū, &c. Hebraismus est. Pro, vt lucem inferas gentibus, & discutiat ab eorū mentibus tenebras, vtq; sit Iudæis gloriandi materia, cum viderint eum, quem tandiu expectarunt.

Christus est nostrū lumen.

¶ *Lumen ad reuelationem gentium*. Aspicis hic Christum esse nostrum lumen, sine eo mentis oculos aperire non possemus. Ille est lux illa, de qua Esai. dedi te in lucem gentium: & de qua Simeon in hoc loco lumen ad reuelationē gentiū. Accedamus igitur ad lumen istud, qui

Esai. 42. a & 49. b.

A in tenebris, & in vmbra mortis sedem9. Accessit Ecclesia, & illuminata est, commonita, & persuasa ab Esaia, dicente: Surge illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria domini super te orta est, & ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Quo in loco, nota, quod alloquitur Propheta primitiuam Ecclesiam, ex Iudæis, & gētibus congregatam, qui priusquam in Christum crederent, iacebant in peccatis, tenebris circunfusi. Ideo eos hortatur, vt à peccatis surgant, & fide, atque gratia illustrentur: non quod quis

Esai. 60.

B pro se solū possit à peccato surgere, & gratiæ splendore illuminari, sed facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiā: ipse enim per Hieremi. Si conuerteris, inquit, cōuertam te, & ante faciem meā stabis. Et per Malachiam: Reuertimini ad me, & reuertar ad vos. Est igitur sensus: Tu o Hierosolyma, da operam, vt surgas, & illumineris: dispone te ad gratiam, quia venit lumē tuum, & gloria domini super te orta est. Hoc lumē Christus est, qui de seipso ait: Ego sum lux

Hiere. 15.

Malac. 1.

C mundi, qui venit (vt ait Zacharias) illuminare eos, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedebāt, ad dirigēdū pedes nros in viā pacis. Gloria domini est ipse Christus (vt statim dicemus) qui in Iudæa ortus est. ¶ *Et gloriam plebis tuæ Israel*. Christus est vera gloria nostra, & vnde populus Dei habet, de quo merito glorietur: vt paulo ante diximus. Plebs Dei Israelitica hic vocatur, non populus Israel iuxta carnem tantum. Vnde prodit salutis exordium: sed iuxta spiritualem cognationem, quæ fide Euangelica conciliatur. Israel enim est, quisquis in hanc

Christus est gloria nostra.

D lucem pios intēderit oculos, ac fidei violentia irruperit in regnum cœlorum, & in quo dolus non fuerit. Vnde de Nathanaele ait dominus: Hic est vere Israelita, in quo dolus non est, ante hac populus Iudęorum gloriatus est de Abrahā, Isaac, & Iacob: gloriatus est de Mose, de Templo, de Prophetis. Post hæc spiritualis Israel, qui per totum orbem diffusus est, gloriatur de filio Dei, quem post omnes, vt omnibus maiorem, mittere dignatus

Plebs Israel spiritualis, & non secundum carnem hic intelligitur. Ioā. 1.

natus est pater. Hinc fuit illa Pauli vox: mihi autem absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi. ¶ De Christo igitur gloriemur: hanc veram gloriam nostram quæramus, & non mundi gloriam, quæ incerta est, & in populi amentis opinione posita, quæ exiguis regionibus continetur, & tempore breuissimo obscuratur, quæ nos deserit, & obruit in tenebris hominum, posteritatisque obliuione tandem extinguitur. Quid fingi potest leuius, & commutabilius quam mundi gloria: cum mundus ipse eos quos antea laudibus amplissimis extulerat, sæpe numero deprimat, eorumque nomini antea celebrato, perpetua infamiæ, & dedecoris nota inurat: eos autem qui antea in obscuritate latebant nulla laude celebrati, in oculis omnium constituat, & ad cœlum extollat: vt inde eos præcipitet, in eosque maiorem perniciem machinetur. Vt enim atenæ horologium singulis horis reuoluitur: sic mundus singulis horis mutatur: & vt superior pars horologij, quæ plena erat euacuatur, eiusque arena impletur ea pars, quæ inferius vacua iacebat, & statim inferior fit superior, & ea quæ altiorem locum occupabat, descendit deorsum, nec potest vna impleri quin euacuetur altera: sic ij, qui antea in honore, & gloria erant constituti, opibus abundantes, atque oblectationibus affluentes, omnia ammittunt, & in labem ignominię vsque adeo incurrunt, vt nullum vestigium pristinæ dignitatis aliquando appareat: eorum autem opes gloriam illi consequuntur, qui antea in imo vatui iacebant. Contemnamus igitur hanc caducam, & inanem mūdi gloriam, non de genere, diuitijs, & dignitatibus, sed de solo Christo, qui vera salus, & vera lux, & corona nostra est, glorietur: sicut gloriantur iusti, & pij homines, qui veri Israelitæ nuncupantur.

Gal. 6.
Mūdi gloria contemnenda, & solum de Christo gloriandum nobis.

Vtilitate

¶ Euangeliū do. infra octauam natiuitatis.

Et erat pater eius, & mater eius mirātes super his, quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeō: & dixit ad Mariā matrē ei9. Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur: & tuam ipsius animam per trāsibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser: hæc processerat in diebus multis, et vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua. Et hæc vidua vsque ad annos octoginta quatuor, quæ nō discedebat de templo, ieiunijs, & obsecrationibus seruiens nocte ac die. Et hæc, ipsa hora superueniens, confitebatur domino, et loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionē Israel. Et vt perfecerunt omnia secundum legem domini, reuersi sunt in Galilæam, in ciuitatem suam Nazareth. Puer autem crescebat, et confortaba

Esaiæ 8.
Roma. 9.
Christus est nostrum lumen.
Ioan. 8.

batur: plenus sapientia, et gratia Dei erat in illo.

BEnedixit illis Simeon. Heb. pro, benè precatus est illis. Sic Gene. 42. vbi nostra versio habet: & imprecantes prospera sorori suę: Hebręa dicit: & benedixerunt eam.

Gen. 42.

¶ *Hic positus est in ruinā, & in resurrectionem multorum, & in signum cui cōtradicetur, & tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Heb. quasi dicat: hic causa erit, quam obrem, multi Israelitæ cadent, siue peribunt: & multis rursus causa salutis. Breuiter vexilarius erit, & dux, cui multi aduersabuntur. Quin & ad te, & ex ea re: quod ita illi cōtradicetur, iustus dolor peruenturus est. Atq; ita fiet, vt quod in multorum cordibus latuerit, manifestum fiat: dum alij ei fidem habebunt, alij ei oppugnabūt.

quid sit Christum positū esse in ruinam & in resurrectionem multorū.

¶ Quam prophetiam adimpletam fuisse, satis nobis ex Euangelio, & ex experientia constat. Nam Scribæ, & Pharisęi, semper Messiam habebant in ore: iustitiam habebant in ore: frequentes versabātur in templo: orabant prolixè: ieiunabant crebrò: latis phylacterijs insignes ambulabant: sed longè aliud celabant in corde, quam præseferebant specie. Horum subdolas, & impias cogitationes arguit, exorta lux euangelicæ veritatis. Publicani, meretrices, & peccatores ab his religionis hypocritis submouebantur à sacris: sed hos omnium primos, Deus recepit in regnum cœlorum. Gentes idololatriæ deditæ, subito mutata vita, studijs auidis, amplexi sunt doctrinam pietatis: Pharisæi, & Pontifices, penes quos erat, & legis, & religionis vestigium, legis auctorem insectati sunt, & veræ religioni pertinacissimis studijs aduersati. Nox certum iudicium non habet: ac frequēter pro rebus, vmbras, & inania rerum simulacra obijcit oculis: solis ortus, discutit omnes præstigias, ac suam cuiq; faciem, suum cuiq; colorem reddit.

¶ *Hic positus est in ruinam.* i. hic causa erit, quam obrē multi cadent. Ex hoc atq; ex alijs similibus locis, qui passim inueniuntur in sacra scriptura, multi in eum inciderunt errorem: vt existimassent, Deum esse causam omnium peccatorum: quod nos certè negamus. Sed earum verè ac propriè causa est, quæ solū pœnæ sunt, non culpæ. Deus enim propriè, nec excæcat, nec indurat, nec decipit, nec hominum corda in odium conuertit, nec cadere aliquem in peccatum, aut ruere facit, nec ea demum quæ in literæ superficie facere asseritur in hoc loco, atq; in multis alijs: illa enim à natura Dei abhorrent. Itaq; Deo impropriè, & figuratè hæc omnia illi tribuuntur, triplici ratione: Primum, cum sublato eius lumine, nihil aliud quàm caligo, & cæcitas supersit: cum ablato suauitatis eius spiritu, corda nostra in lapides obdurescant, cū cesante ejus directione in obliquitatē contorqueantur: excœcare eos, indurare, errare facere, causamq; esse illorum ruinæ dicitur, quibus facultatem viuendi, liquescendi, ad veritatem rectā ingrediendi, adimit. Nam qui lucē hanc oculis nostris aufferrent, & qui columnam, qua firmatur, & consistit ædificiū, tollerent: hi verè ac iure, & obtenebrare oculos, & diruere ædificium, dicerentur. ¶ Cum autem dicimus, Deum facultatem videndi aufferre, cæteraq; similia: id non ita accipiendum est, quasi homo arbitrij facultate priuatus: nec videre, nec molescere, neq; recta ingredi, ipse possit: sed ita demū intelligere oportet: vt quia sine lumine, videre homo non valet, neq; sine spiritus suaui oleo emoliri, neq; sine Dei directione, recta ingredi: idcirco, qui illa iusto hominibꝰ iudicio adimit, hic facultatem quoquę ea exequēdi, quodammodo dicatur adimere. ¶ Altera est ratio, quæ, proprius ad verborum proprietatem videtur accedere; quod ad exequenda iudicia sua satana administro vtitur, obidq; ea dicatur efficere, quæ minister illius auctoritate roboratus efficit. Quemadmodum quę iudicis administer dum iustam eius sententiam exequitur facit: ea suo modo

Deus non est causa peccandi.

Impropriè & figuratè dicitur, Deū obdurare, excæcare, Decipere, & cæt. quæ re hæc omnia illi tribuuntur.

do à Iudice quoque sect satè intelligimus. ¶ Tertiam rationē Hieronymus ad Hedibiam reddit: Sicut enim vnus est solis calor, & secundum essentias subiacentes, alia liquefacit, alia indurat, alia soluit, alia astringit: liquatur enim cera, & induratur lutum: & tamen caloris nō est diuersa natura: sic Deus eodem omnino lumine, malè affectum excæcare dicitur, benè institutum illuminare: eodemque prorsus beneficio, indurare illum, hunc emollire, esse causam ruinæ vnius, & salutis alterius, videlicet, miraculis [illegible] dem editis, emollitus Israel est, obduruit Pharao: eadem doctrinæ luce, Apostoli, publicani, meretrices, gentiles idolatræ viderunt, Pharisæi cæci facti sunt.

Quæstio. ¶ *Hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum, &c.* Fuit enim Christus verus Isaac; natus est Isaac: dixitque Sara: risum fecit mihi Deus: quicunque audierit corridebit mihi. Rursumque ait: quis [illegible] Abraham, quod Sara lactaret filium quem peperit ei iam seni? Sic nato vero Isaac, nō solū Maria in Sara obumbrata gauisa est, sed omnes Zacharias, Elisabeth, Ioannes in vtero, [illegible] Simeon, & Anna, & quotquot [illegible] in illo populo: sic adhuc omnes electi sine gaudent, quoniam omnium illorum fuit causa salutis. Sed sicut Sara non tantum dixit omnes qui audierint ridebunt mecum: sed subdit: quis crederet? Sic pij ex Christo quidem gaudent, impij autem offenduntur: Positus est enim in ruinam, & resurrectionem. Vnde Esai. Domine, quis credidit auditui nostro? & Paulus: Domine, non omnes obediunt Euangelio. Denique sicut dicitur de Isaac: creuit igitur puer: sic de puero nostro hic Euangelista dicit: puer autē crescebat, & confortabatur, plenus sapientia, & gratia. ¶ *Hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorū.* Hoc est, quod prædixerat Esai. c. 8. Erit vobis in sanctificationem, in lapidem autē offensionis, in petram scandali duabus domibus Israel, in laqueū, & in ruinam habitantib9 Hierusalē. Quasi dicat: Christus vbi aduenerit, alijs saluti, alijs perniciei, & neci, erit. Vbi notanda est duplex translatio; altera ab ijs qui fugientes hostem, occursu lapidis cadunt: altera ab auibus aut feris, quæ captæ laqueo, perimuntur ab aucupib9, aut venatorib9. Per laqueū igitur, & lapidem, perniciem intelligit. Ait igitur Propheta: Christus credituris erit in asylum, & arcem: in lapidem vero ad quem offendet, & in laqueum vbi irretientur, qui illū reiecerint. Vt enim id quod apis sumit ex flore, conuertitur in mel, id autem, quod araneus carpit ex eodem flore, cōuertitur in venenum, cū flos sit vnus, & idem: sic Christus flos cāpi excellētissimus, alijs fuit in sanctificationem, alijs in ruinam. ¶ Hoc idē erat quod prædixerat Zacharias Propheta, cap. 13. & erunt, inquit, in omni terra, dicit Dominus, partes duæ, & in ea dispergentur & deficient, & tertia pars relinquetur in ea. Quo in loco, vniuersos omnium gentium homines, in tres partes distribuit, quarum, duæ partes peribūt, [illegible] seruabitur: numerus videtur esse certus, pro incerto, de more scripturæ: sicut illud Apocalypseos: De tribu Simeon duodecim millia signati: de tribu Leui duodecim millia signati, idest, aliqui seruabuntur per Christi mortem, & aliqui peribunt: sed longè plures peribunt: multi enim corruent, ait in hoc loco Simeon: multi rursum resurgent: sed plures erūt ait Zachar. qui corruant: vt stet huius pueri modo nati sententia: multi sunt vocati, pauci verò electi.

¶ *Et tuam ipsius animam, gladius pertransibit.* Dubitare quis in hoc loco poterit, quomodo hoc verum fuerit: cum multo ante Propheta Esai. dixerat: ecce quomodo moritur iustus, & nemo percipit corde. Ipse quoque Dominus in Psalmo ait: & sustinui qui simul contristaretur, & non fuit. Nunquid B. Virgo, cum staret iuxta crucē eius: videns quomodo moreretur, non percepit corde, & non simul contristata est: imò multum percepit corde, & multū contristata est, si vera sunt, quæ modo Simeō prædicit; gladius enim pertransiuit animam eius. Discipulus quoque dilectus, nō sine perceptione cordis, & non sine tristitia vidit quando moreretur. Cæteri quoque discipuli

Gen. 21.
Christus verus Isaac.
Figura.
Esai. 53.
Esai. 8.
Explicatur locus.
Similitudo
Zach. 13.
Apo. 7.
Matth. 20.
Esai. 57.
Psal. 68. c.
quomodo intelligitur, & quare dictum sit, sustinui qui simul contristaretur, & non fuit.

puli quanuis relicto eo omnes fugerũt, non nihil fuerunt simul contristati: imo tristitia cor eorum impleuit. Ergo (inquit Rupertus) non secundum rationis iudicium, sed secũdum doloris vim (qui interdum rationem non admittit) dictũ est: & nemo percipit corde, & qui contristaretur non fuit. Et competenter sic dictum esse animaduertis, vbi ad tantam insultantium, & irridentium multitudinem, qui condoluerunt, præpaucitate nullius fuere quãtitatis, aut numeri. Verum quia alibi dicit: circunspexi, & non erat auxiliator: quæsiui, & non fuit, qui adiuuaret: & saluauit mihi brachium meum: & indignatio mea, ipsa auxiliata est mihi: & non est cõquestio similis, sed demonstratio verissimę rei: quia nullus omnino etiam si voluisset quis, potuit eum adiuuare, siue auxiliari in prælio, siue cõgressu eiusmodi vbi veniebat princeps mundi, peccator antiquus, & præpositus mortis. Neq; enim quisquã, est qui de illo dicere posset: & in me non habet quicquam. Non erat præter eũ quisquã, in quo cum innocentia humanæ; esset etiam diuinæ brachium, & indignatio.i.zelus, vel fortitudo naturæ. Hæc Rupertus. ¶ *Et tuam ipsius animam gladius pertransibit.* Simili loquendi modo vsus est Propheta Psalmo. 104. ferrũ, inquit, pertransijt animam eius. Gladius ergo, & ferrum (vt Augustinus, & Casiodorus aiunt) indicant tribulationem duræ necessitatis; quæ in æstuanti anima peruagatur, dum de futuris solicita iam multa patitur, quæ timere non desinit. Ferrum ergo seu gladius pertransijt animam virginis: vt nec ipsa anima a pœnis probaretur excepta, passio quippe domini (inquit Augustinus) ipsam eius matré, grauiter carnali orbitate percusam, sine dubio contristauit. Si ergo gladius tribulationis, animum virginis pertransijt: non mireris, quod tu etiam in hoc mundo, tribulationibus præmaris. Hic ergo (inquit Chrysost. triturandi sumus, hic ventilandi, sicut enim granum tritici inclusum in palea, foras nõ egreditur, nisi fuerit trituratum: sic & homo de impedimentis mũdialibus, & de rebus carnalibus, quasi palea inuolutus: difficile egreditur, nisi fuerit aliqua tribulatione vexatus. Et sicut quidem plenũ granũ, mox, vt leuiter percusum fuerit, de palea sua exit foras, si autem subtile fuerit, tardius egreditur, quod si vacuum fuerit nunquam egreditur, sed illic conteritu in palea sua, & ita cum paleis foras iactatur: sic omnes quidem homines in rebus carnalibus delectantur, sicut grana in palea: sed qui fidelis est, & boni cordis habet medulam, mox vt leuiter tribulatus fuerit, negligens quæ sunt carnalia, currit ad Deum: si autem modice infidelior fuerit, cum grandi tribulatione vix recedit, & vadit ad Deum: qui autem infidelis est, & vacuus, quanuis contritus fuerit, sicut granum vacuũ de palea non recedit. Si ergo gladius durę tribulationis animã nostram pertransierit: eamus ad Deum, & mũdi voluptates relinquamus: imò si sapimus, gloriemur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio autem spem, spes autem non confundit: vt Paulus testatur. Non est magnũ gloriari in gaudijs, gloriari in lætitijs: rectus corde etiam in tribulationibus gloriatur. Cuicunque ergo aliquid accidit, dicat: Dominus dedit Dominus abstulit: sicut domino placuit ita factum est, sit nomen domini benedictum: & non dicat: dominus dedit, diabolus abstulit. Prorsus ad Deum tuũ refer flagellum tuum; quia nec diabolus tibi aliquid fecit, nisi ille permittat, qui desuper habet potestatem, aut ad pœnã impijs, aut ad disciplinam filijs. ¶ Vnde illud obserua, quod nõ misericordia, sed ira potius Dei est à percutiendo aliquãdo manum suspendere. Quibusdam (inquit Hieronymus) Dominus vehementer iratus, à percutiendo manum suspendit. Et loquitur: nõ visitabo super filias vestras, cum fuerint fornicatę, & super sponsas vestras cum adulterauerint. Flagellat enim omnem filium, quem recipit, & ad hoc percutit, vt emendet. Denique qui nequaquam filiorum vocabulum perdiderunt, sed per pœnas retrahũtur ad pœnitétiam, dicit de eis: visitabo in

Marginalia: Ruper. li. 12. de victoria verbi. c. 16. — Vi. Glo. — Esai. 63. — Psal. 104. Ferrũ, tribulatio dura. — August. & Casiod. super Psal. 104. — Si Virginis animũ gladius tribulationis pertrãsijt, quid mirũ quod nos hic tribulatione premamur. — Chrys. ho. 3 in Matth. Not. — Rom. 5. In tribulationibus gloriandũ. — Iob. 1. — Ira potius est Dei, & non misericordia à percutiẽdo aliquãdo manũ suspẽdere. D. Hiero. Oseæ 4. c — Heb. 12. b — Psal. 38.

In virga iniquitates eorum, & in flagellis peccata eorum: misericordiam autē meam, non auferam ab eis. Hæc Hiero.

quando & quomodo gladius tribulationis cor virginis pertransiuit.

¶*Et tuam ipsius animam gladius pertrāsibit*. Erat tristis mater iuxta crucem doloribus transfixa, & quot vulnera erant in corpore filij dispersa, tot erant in anima matris coniuncta: ita vt doloris gladius animum eius pertransiret, quemadmodum illi fuerat hodie à Simeone prædictum. Gladius qui carnes occideret, visus est sæpe, sed qui animam cruentaret, & transfigeret, solus hic visus est. Lancea quæ latus filij aperuit, animam matris percussit, & omnes sanguinis fluuij, qui ex venis filij exibant, viscera matris penetrabant. Merito sponsa in Canti. dicebat: fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur. Quasi diceret sanctissima hæc sponsa: vultis audire amici, qualis fuerit iste dilectus meus mihi, & ego illi? Ecce dico vobis: fasciculus mirrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Conferte istud illi dicto vnius ex vobis, vnius ex amicis, iusti Simeonis: Ecce, inquit, hic positus est in ruinā, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur, & tuam ipsius animā pertrāsibit gladius. Dico adhuc: Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engadi. Si hæc scitis, si ista rite perpenditis, profecto in me inuenietis, & vnde mecum compungamini, & vnde mecum dulciter consolemini. ¶Nolite solam attendere horam, vel diem illā, in qua vidi talem dilectum ab impijs cōprehensum male tractari, scilicet: illudi, spinis coronari, flagellari, crucifigi, felle & aceto potari, lanceari, mori, & sepeliri. Nam tunc quidem gladius animam meam pertransiuit: sed antequā sic pertransiret, longum per me transitum fecit. Prophetissa namque eram, & ex quo mater eius facta sum, sciui eum ista passurū. Cum igitur carne mea taliter progenitum, talem filium sinu meo fouerē, vlnis gestarē, vberibus lactarem, & talē eius futuram mortem semper præ oculis haberem, & prophetica, imò plusquā prophetica mente præuiderem, qualē, quantam, quàm prolixā me putatis maternι doloris percussisse passionem? Hoc est, quod dico: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea cōmorabitur. O commoratio dulcis quidem, sed plena gemitibus inenarrabilibus. Ad vbera de sonis stringebatur, & eisdē lactabatur vberibus, simulque inter vbera intus in corde futurorū præscius, semper parebat, quali esset morte moriturus. Veruntamē, & illud sciebam, quod esset resurrecturus. Huius rei præscientia dulcis erat. ¶D. Augustinus episto. 59. explicās hæc verba, sic ait de verbis Simeonis, vt ait Virgini matri Domini: & tuam ipsius animam pertrāsibit framea: & qđ adiungit: vt denudentur multorum cordium cogitationes. Hoc intelligendum puto, quia per Domini passionem, & insidiæ Iudæorum, & discipulorum infirmitas patuit. Tribulationem igitur gladii nomine significatam esse credibile est, quo materna anima vulnerata est doloris affectu. Ipse fuit gladius in ore persequutorum, de quibus in Psalmo dicitur: Et gladius in ore eorum. Ipsi enim erant filij hominum, quorum dentes: arma, & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Nam & ferrum, quod pertrāsijt animam Ioseph: pro dura tribulatione, positum ferrum, mihi videtur. Apertē quippe dicitur: Ferrum pertransijt animam eius, donec veniret verbum eius, i. tandiu fuit in dura tribulatione, donec fieret, quod prędixit. Hinc enim magnus est habiturus, & ab illa tribulatione liberatus: Sed ne humanæ sapientiæ tribueretur, quod venit verbum eius, idest, factum est, quod prædixit, more suo scriptura sancta Deo inde dat gloriam: & cōtinuo subiungit: Eloquium Domini igniuit eum.

Cant. 1. Rupertus ibi. Ioel. 3. Vi. Rupertu. Cat. 5. D. Augu. epl. 59. Psal. 58. Psal. 56. Psal. 104.

¶*Et erat Anna prophetissa*. Hæc mulier sancta, ex re nomē habuit, nimirum à gratia, quippe spiritu prophetico prædita.

¶*Filia Phanuelis de tribu Asser*. Hęc tribus, inter duodecim octaua erat, quæ tacito quodā typo designat resurrectionis beatitudinem, quam Iudæorum sabbathismo adijcit euangelica doctrina. Nam

Tribus Asser inter 12. octaua tacitè resurrectionē significat.

Nam Asser, Hebrai. beatum sonat.

¶ *Et erat Anna prophetissa: hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua: & hæc vidua annis.* 84. Castitas vidualis maximè commendatur hoc tam celebri exemplo Annæ prophetissæ. Vnde Hieronymus: perfectæ virtutis, inquit, iudiciû est, renunciare subito ex parte voluptati, fugere notas carnis illecebras, & calentes adhuc ætatis flammas, fidei ardore extinguere. Discant ergo viduæ castitatem seruare: quid enim (vt Bernard. ait) castitate decorius, quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, Angelû denique de homine facit? Differunt enim inter se: homo pudicus, & Angelus, licet fœlicitate, non virtute. Sed & si illius castitas fœlicior, huius tamen esse fortior cognoscitur. Discant, inquam, viduæ à turture castitatê seruare. Turtur enim inter omnes alias cœli aues, vni assotiatur, quod si moriatur nulli vnquam alteri adhæret. Discât à Iudith illa vidua, & casta, cui dictû est: confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaueris; & post virum tuum alium nescieris: ideo eris benedicta in æternum.

Castitas vidualis cômendatur

D. Hiero.

D. Ber.

lib. de natura animalium.

Iudith. 15.

¶ *Quæ non discedebat de templo.* id est, de atrio. *Ieiuniis, & obsecrationibus seruiens Deo die ac nocte.* id est: ieiunãdo ac præcando nocte, ac die. ¶ *Quia non discedebat de têplo, ieiuniis, & obsecrationibus seruiens Deo die ac nocte.* Parû castitati credo (inquit Hierony.) sine suis appenditijs. Inter alia vero appenditia, quæ alias numerauimus, hoc vnum est viduis maximè necessarium: non euagari, sed vel domi manere, vel templum adire, ibique exemplo huius sanctæ viduæ, dies noctesque preces orationesq; Deo fundere. An tales sint his temporibus viduæ, ipsæ viderint. Audiant interim Paulum de quibusdam in episto. 1. ad Tim. cap. 5. scribentem: simul, inquit, otiosæ discunt circuire domos: non autem solû otiosæ, sed & verbosæ, & curiosæ, loquêtes quæ non oportet. Cum autem fœminarum virtus sit (teste Philosopho) corporis quidem forma, & proceritas: animi verò pudicicia, & operandi studium: quâtum dedecus est ipsas quidem nihil operis agere: sed otiosas, domus scrutari alienas, & quæ alibi secreta sciunt, alijs hæc ipsa effutire, indecorè loquêtes de rebus omnibus. Audiant viduæ, mandentque memoriæ, celebre illud vetusque prouerbium: mulierem ornat silentium. Aut domi ergo permaneant, aut in Ecclesia cum Deo semper loquantur.

D. Hiero.

Decet viduas semper orare & nô otiosas esse.

1. Timo. 5.

A

¶ Interim discant Ecclesiæ ministri ab hac religiosa fœmina, & ab Ecclesia non discedere, seipsos à carnalibus voluptatibus abstinere. Sed de hoc alias.

B

¶ *Confitebatur domino.* Heb. pro, Deû laudans testimonium reddebat, quod Christus venisset. Sic alibi: confiteor tibi pater, pro, laudo, aut gratias ago tibi pater. Et Dauid: confitebor Domino secundum iustitiam eius, id est, laudabo, siue celebrabo Dominû, pro iustitia eius. Hæc igitur vidua, laudibus efferebat diuinâ benignitatem, quæ respexisset populû suum. Nec tacuit apud alios, quod oculis viderat, quod afflatu didicerat: sed de puero loquebatur omnibus, qui Hierosolymis expectabant redemptionem Israeliticæ gentis. Satis erat hoc viduæ, tantum in templo prædicare, venisse Christum, & paucis auidis hoc indicare. Nondum enim venerat hoc têpus, quod seruatum erat Apostolis cœlesti plenis spiritu, de quibus dictum est: in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

Confiteri pro laudare in sacra scriptura accipitur.

Psal. 7.

C

¶ *Et postquam perfecerunt omnia secûdum legem reuersi sunt in Galilæam ciuitatem suam Nazareth.* Hic scribere prætermittit Lucas fugam Christi in Ægyptum, & mortem innocentium, quam narrat Matthæus, & Herodis interitum, postquem, reuersi sunt in ciuitatem suâ Nazareth: vt hic ait Lucas, & Matthæus cap. 2.

D

¶ *Et gratia Dei erat in illo.* Hebra. nam gratissimus Deo erat. Et, pro, Nâ, accipitur in scriptura: vt sæpe diximus, vide supra. c. 1. ibi: & in terra pax.

¶ *Et ibant parentes eius.* Vel ibant Ioseph, & mater. Sic quædam exemplaria Græca.

¶ Euan-

¶ Euangelium domi. infra octa. Epiphaniæ.

A *ET cum factus esset annorũ duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam secundũ cõsuetudinem diei festi: consummatisque diebus: cum redirent, remansit puer Iesus in Hierusalem, et non cognouerunt parentes eius. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei: & requirebant eum inter cognatos, et notos. Et nõ inuenientes, regressi sunt in Hierusalem requirentes eũ. Et factum est, post triduum, inuenerũt illum in templo, sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eũ audiebant, super prudẽtia, et responsis eius. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, & ego, dolentes quærebam te. Et ait ad illos: quid est, quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt oportet me esse? Et ipsi non intellixerũt verbum, quod loqutus est ad eos. Et descendit cum eis, & venit Nazareth: et erat subditus illis. Et mater eius obseruabat omnia verba hæc in corde suo. Et Iesus* B *proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum, & homines.*

ET cum factus esset annorum duodecim, ascendẽtibus illis Hierosolymam &c. Quanquam Nazareth longius aberat à Hierosolymis: tamen religiosi parentes Iesu, quotannis eo se conferebant: idque ad diem fœstum pas- C chæ: qui dies apud Iudæos religiosissime colebatur. Atque is erat, quo destinatus erat immolari suo tempore agnus ille omnis maculæ nescius. Porro puer, sub matris, ac nutritiis ductu, iam tunc ad nostrum exemplum, assuescebat religioni, parentes omnes admonens officij sui: quos oportet ex sese pgnatos statim ab ipsis, vt aiunt, incunabulis, arcere ab omni lasciuia: & sanctis moribus vereq́ʒ pietatis studijs assuefacere, dum adhuc tenera ætas, dum adhuc molle, & ad omnem virtutis institutionem sequax ingenium: non egebat puer Iesus alieno ma- D gisterio: sed parẽtibus alijs castæ educationis, paratum est exemplum, & omnibus liberis ostensa forma est, quomodo se debeant præbere morigeros parentibus, ad ea quæ sancta sunt hortantibus.

Officium parentum quale esse debeat admonet suo exemplo Christus.

¶ *Cũ factus esset annorum duodecim.* Bonum est viro (ait Hiere.) si portauerit iugum ab adolescentia sua. Et Eccle. c. 12. Memento creatoris tui, in diebus iuuentutis tuæ, ante quàm veniat tempus afflictionis, hoc est, senectus. Vi. locum vbi senium describit.

Thre. 3. Eccle. 12. a

¶ *Ascendentibus illis Hierosolymam.*

In

In hoc loco dubitare quis merito poterit: cur B. Virgo festum celebratura, templum ascenderit. Nō ne ipsa erat verum Dei tēplum, de quo Ecclesia canit: Domus pudici pectoris templum repēte fit Dei? Nō ne filius eius erat verum Dei tēplum, cū in ipso habitaret plenitudo diuinitatis corporaliter, vt D. Paul. testatur? Deinde: tam pura, tā sancta, tā spiritualis fuit Virgo, vt de illa Hylarius affirmet: O Virgo benedicta super omnes fœminas, quę Angelos vincis puritate, quę omnes sanctos superas pietate. Decuit Virginem (ait Ansel.) ea puritate nitere, qua maior, sub cœlo nequit intelligi. Hoc enim est; qđ Psalmista spiritu Dei afflatus, significare nobis voluit, cum in Psal. 86. dixit: Fundamenta eius in montibus sanctis. i. infima eius, suprema sanctorū superat. Pręterea Christus ait, Ioan. 14. Venit hora & nunc est quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate: nam pater tales quærit qui adorent eum. Spiritus est Deus & eos qui adorant eum in spiritu & veritate oportet adorare. Ergo vir pius & spiritualis, nullis locis coarctatur. Quod in Iona Propheta videre licet, qui in vētre ceti orauit, & oratio pro voto cessit. Rex etiam Ezechias conuersus ad parietē, de præcatus est Dn̄m, & exauditus est. Et pater eius Dauid ait Psal. 62. Deus Deus meus, ad te de luce vigilo, sitiuit in te anima mea quam multipliciter tibi caro mea. Et subiungit: in terra deserta inuia & in aquosa sic in sancto aparui tibi. i. sic in tali loco deserto habui consolationē tuā, ac si essem in loco sanctuarij: vt Lyranus exponit: & rursum: Benedic anima mea dn̄o, in omni loco dominationis eius. Et D. Paul. volo viros orare in omni loco leuantes puras manus, &c. ¶ Adde huc: quod neq; tempori astringitur vir spiritu Dei præditus: Benedicā (inquit Dauid) Dn̄m in omni tempore: semper laus eius in ore meo. ¶ Quod si hæc vera sunt, vt verē sunt: cur Virgo sanctissima vt festum celebret, templum Hierosolymitanum conscendit? cui dubitationi in promptu responsio est. Virgo igitur quia pura, quia sancta, quia spiritu

quæritur cur virgo templum ascē derit.

Coloss. 2. b

D. Hylar.

D. Ansel.

Psal. 86. a

Ioan. 14.

Ionæ. 2. a

4. reg. 20. a

Psal. 62. a

Psal. 102.

1. Tim. 2.

Psal. 33. a

A diuino afflatā erat, Hierusalē Dn̄m adoratura, cū puero & Ioseph sponso eius libenter ascendit. Puritas enim ac sanctitas, atq; spiritualis affectio, obedientiam diuinorum mandatorum docet. Non enim vir pius & spiritualis (vt male autumant aliqui) Dei legibus exēptus est, sed potius subiectus: quamuis non seruorum metu & timore, sed potius amore, illis omnibus pareat. Cum autem Deus, hoc festum celebrare præcepit, nō tempus solum, sed & locum quo celebraretur designauit, vt videre est. Exod. cap. B 23. & Deuterono. 12. Imō si tempus & locus seruari simul non poterant, præstabat tunc locum seruare omisso tempore: vt ex cap. 9. nume. omnibus constare poterit: adeō hoc verum fuit, vt toto eo tempore, quo populus Israel in Babylone captiuus fuerit, nullum festum celebrauerit, quomodo cantabimus (inquiunt illi) canticum Domini in terra aliena. Rursum tres illi pueri qui versabantur in Babylone, dicebant: Non est hoc tempore princeps, neque Propheta, C neque dux, non locus vt sacrificemus in conspectu tuo, & inueniamus misericordiam. ¶ Neq; abs re hoc tā strictē præcepisse Dn̄m putandum est: vt destructo tēplo, diruptaq; Hierusalē intelligeremus legē omnino cessasse: vt ad longū demō strat D. Chryso. to. 5. ho. 1. cōtra Iudæos. Eā igitur ob causā Virgo Deo obsequentissima quotānis hierosolymā ascēdebat, vt in dei tēplo tā celebrē diē coleret. Dolendū interim est; qđ religiosa Virgo ac pia, quāquā lōgius abesset à tēplo: tn̄ singulis annis eo se cōferret, idq; ad ūbrati ca beneficia colendū: nos vero in ecclesias quæ apud nos sūt, ad maiora veraq; D Dei beneficia celebrāda cōuenire nō curemus. ¶ *Secūdū consuetudinē*. Hinc discē nō solū tēplū adire ibiq; preces fundere, aut ieiunijs & eleemosynis operā dare: Sed da operā vt his alijsq; id genus studiosis actionibus cōsuescas. Nā quēadmodū mala peruersaque cōsuetudo, quāto diuturnior, tanto peior: vt dicitur. c. quarto de consuetudine: sic bona quoquē ac sancta consuetudo, quod diuturnior tanto potior ac præstantior. Quēad-

Vera castitas legem seruare docet.

Exo. 23. Deut. 12.

Num. 9.

Psal. 136.

Dan. 3.

D. Chris. to. 5. ho. 1. contra Iudæos.

Danda est opera vt bonis operibus assuescamus.

c. quarto de consuetudine.

modū enim, si virga flexibilis ad dexterā frequenter flectatur, ad dexterā inclinata manet: sic etiā, si liberum nostrum arbitrium assidue ad virtutum actiones flectatur ad eas inclinatum permanebit. Assuesce igitur studiosis operibus. Et interim memineris, quod sapiēs quidā dixerit: qđ male fers assuesce, & feres. Et qđ Cicero ait: optima forma eligēda est vivēdi, quam iocundā reddet assuetudo.

Similes

¶ *Consumatisque diebus.* Obserua, qđ Beata Virgo domū nō reuertebatur: donec peragerentur dies, quibus rei diuinæ opera dabatur. Pudeat ergo fideles, ante peractam rem diuinam ab Ecclesia egredi. Audiant canonē 10. Apostolorū: qui autē nō perseuerauerint in oratione vsq; dū missa peragatur, velut inquietudines Ecclesiæ mouentes conuenit cōmunione priuari. Audiant conciliū Agatēse c. 31. missas die dominico secularibus totas audire speciali ordine præcipim9 ita vt ante benedictionē sacerdotis egredi populus nō præsumat. Quod si fecerint ab episcopo publice cōfundātur. Pudeat etiam eos qui Christi religionē profitentur ante absolutā completamq; concionem ab Ecclesia egredi. Audiant conciliū Carthaginēse. 4. sic in c. 24. definiēs. Sacerdote verbū faciēte in Ecclesia, qui egressus de auditorio fuerit excōmunicetur. Si ergo omnibus compertū est, ex c. nullus sacerdotū. 11. q. 3. in conci. Arelatensi, & in conci. Verma. c. 2. præceptū esse: ne Episcopi pro rebus parui momenti, aliquem excōmunicare tentent: ergo hæc quæ nunc ennarrauimus, grauia, & non leuia sunt: quando à communione fidelium, transgressores priuādos esse, ita sunt prædicta concilia.

Missas totas atq; totā concionē audire debent fideles.

Cōci. Agatense c. 31 & habetur de cōse. d. 1. missas.

Cōci. Carthagi 4. habetur de conse d. 1. sacerdote c. nullus. 11 q. 3. ex cō cil. Arela.

¶ *Remansit puer Iesus in Hierusalem.* Nūquid puer Iesus ad scelus aliquod patrandum (quod solent iuuenes) remāsit Hierosolymæ? Absit: nā peccatū non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Erat enim lamina aurea, ex auro purissimo, in qua scriptum erat nomen Dñi, in fronte pontificis collocanda. Nunquid vt parentes non honoraret remāsit? nequaquam: non enim venit soluere legē, sed adimplere. Remansit ergo Hierosolymæ, iam tunc velut prægestiens ad patris sui mandata peragenda, ob quæ missus erat in mundum. Quæ reslatebat parentes. Quiso oy començar à hazer de el hijo de Dios, y començar à ensayarse en los negocios de nuestra salud. His enim rudimentis puer iste mirabilis præludit ad peragēdum cœleste negotiū restitutedę salutis humanæ, cuius gratia descēderat de cœlo.

Cur remāsit puer Iesus in Hierusalem.

Figura. Exo. 28. Christ9 lamina aurea in qua scriptum erat nomē domini.

¶ *Remansit puer Iesus, etc.* Abest puer à parētibus tātisper: vt hinc discas, qđ aliquādo Deus à suis cōsolationē auferre soleat: tū, vt humiliores fiāt: tū etiā vt illā magis ac magis desiderēt, & susceptā, maiori cura ac diligentia custodiant. Narrat scriptura sacra: quod ad solis calorē māna liquefiebat. Sol tribulationē significat. Vt Dñs ait apud Matthę. c. 13. Māna vero consolationē: tunc ergo māna ad solis calorē liquefit: cū tēpore tribulationis consolatio deficit. Hinc fuit qđ Ionas sublata hederæ vmbra, grauiter doluit. Sublata enim vmbra cōsolationis, vir pius ac iust9 graui dolore afficiū, magnoq; animi lāguore tenet.

quare Deus aliquando à suis cōsolationē tātisper aufert.

Exo. 16. et Figura. Matth. 13. a. c.

Figura. Ione 4. a.

¶ *Requirebant eum.* Illico vt eū abesse intellexerunt parētes eius, magna solicitudine requirunt. Quærite ergo Dñm dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est. Hoc est: dū estis in corpore, dū habetis tēpus pœnitentię. Imò statim vt abfuerit, eū quęrite. Quærite (inquā) eū, nō loco, quia vbiq; est: sed mēte & toto corde, si eū vultis inuenire. In lib. Sapiē. ita ait sacra scriptura: in simplicitate cordis quærite Dñm: quia inuenitur ab his qui nō tētāt illū, apparet autē eis, qui fidē habēt in illū. Et 2. Para. Si quęsieritis, inquit, eū, inuenietis: si autē dereliqueritis eū, derelinquet vos. Et in Psa. 68. Quęrite Dñm, & viuet anima vestra. Est autē Deus toto animo quærendus: quēadmodū ipse ait apud Hieremiā: Cū quæsieritis me in toto corde vestro, inueniarā vobis. Hinc colligitur: ideo nos Deū nō inuenire: quia quāuis eū quęrimus, nō tamē eū toto animo quærimus. Ideo dicebat Christus apud Ioānē: quęretis me, & nō inuenietis. Quia ergo parētes pueri statim toto animo, maximaq; adhibita diligētia illū quæsierūt, tādē inuenerūt.

Magna solicitudine quærēdus est Dñs cū abest.

Esai. 55. b

Sapien. 1

2. Para. 15

Psal. 68.

Hiere. 29.

Ioh. 7.

¶ Re-

¶ *Requirebant eum inter cognatos & notos.* Eo. s. quod inter hos soleat ætas illa nõnunquam libenter cessare: videlicet, remorãte illos propinquorũ affectu. Verũ hic non est inuẽtus Christus: quia iã tunc docuit esse renuntiandum parentũ & cognatorũ affectibus ei, qui velit cœlestis doctrinæ professionem suscipere.

Et factum est post triduum inuenerunt illum. Tertia die inuẽtus est Iesus. Hinc disces, quod licet Deus sanctos virosq; virtute & pietate præstantes tribulationibus afficiat: breui tamen consolationẽ redire facit. Hinc est, quod sapiẽs ait: iustum deduxit Dñs per vias rectas: honestauit illũ in laboribus, & cõpleuit labores illius. Et D. Matth. nisi breuiati fuissent dies illi, nõ fuisset salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi. Dies vero prosperitatis lõgiores solet Deus facere. Quod cernere licet tempore Iosuæ, quando longissimus dies effectus est, vt dux ille victoria potiretur. Hinc etiam est, quod Christus ait: ecce ascendimus Hierosolymã, & consumabũtur omnia quæ scripta sunt de filio hominis: tradetur enim gentibus ad illudendum & flagellandum & crucifigendum: & tertia die resurget. Quasi diceret: maximo mærore afficiemini, atque maxima tristitia ob passionem & mortẽ meam: sed æquo animo stote, nam breui tristitia vestra conuertetur in gaudium, tertia enim die resurgam. Pau. præterea: id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Perge ergo tu o homo, & dicito: lõgũ est qđ patimur: Apostolus momẽtanea vocat ea, quæcũq; mundus potest inferre tormẽta, tu autẽ nondũ à Iudæis quinquies quadragenas accepisti: nondũ vsq; ad sanguinẽ restitisti. Gutta tũ afflictio & pœna bibitur, & lachrymas ipsas semper accipimus in mensura. De gloriæ autem facietate ait Psalmista: torrẽte voluptatis tuæ potabis eos, & inebriabũtur ab vbertate domus tuę, quoniã apud te est fons vitæ. Et rursum: beati qui habitant in domo tua Dñe, in secula seculorũ laudabũt te. Tãdẽ hoc idem

A docet Sapiẽs. c. 3. In paucis, inquit, vexati, in multis bene disponẽtur: quoniam Deus tentauit illos, & inuenit illos dignos se. Igitur æquo animo afflictiones feramus, nam breui tempore puerũ Iesum inueniemus: quo inuẽto, perpetuo gaudio perfruemur: is enim est qui ait: Euge serue bone & fidelis: quia in pauca fuisti fidelis, intra in gaudium Dñi tui.

¶ *Et inuenerunt illũ in templo.* Nõ enim vacat mysterio, quod qui non potuit inueniri inter notos & cognatos secũdum

B carnẽ, Hierosolymis in templo repertus est. Siquidem illa ciuitas, religionis opinione celebris gerebat imaginẽ, vel Ecclesiæ militantis in terris, vel triũphãtis in cœlis. Hæc est enim patria nostra, ad quã suspiramus, intelligentes quod hic versamur in exilio nõ habẽtes permanẽtẽ ciuitatem. Vbicunq; igitur res agitur humanis affectibus, vbicunq; studetur his rebus, quæ pereunt in hoc mũdo: ibi neq; Hierusalẽ est, quæ vox Hebræis sonat visionẽ pacis, nec templũ Dño sacrũ.

C Proinde, nec ibi quærẽdus est Iesus, qui totus cœlestis est. Verũ vbicunq; pectus est, neglectis his, quæ sunt carnis & sanguinis, anhelans ad fœlicẽ illã tranquillitatem animi, quam hic per fidẽ viuam præstat Dei benignitas, in cœlesti Hierosolyma perficit: ibi Hierusalẽ est: ibi templũ est, quo delectatur Iesus: ibi vicissim proponitur ac respõdetur: nõ de quadratura circuli, nõ de prima materia aut primo mobili, quæ citra dispendiũ salutis nesciuntur: sed de cognitione sacrarũ literarũ, per quas Deus nobis viã ostẽdit, qua possimus æternã assequi salutẽ. Ibi

D mactantur victimæ gratissimæ Deo, libido, liuor, ira, ambitio, auaritia: ibi pijs votis ac puris precibus, accenditur suffitus Dño gratissimus. Curandũ est igitur vnicuiq;, vt Hierusalẽ habeat in pectore, vt ibi tẽplũ paret, dignũ sancto spiritu, quo Iesum mereatur habere hospitẽ. *Inuenerũt illũ in tẽplo.* A mũdi principio, sẽper fuit locus aliquis designat⁹, quo Deũ & sacrificijs & orationib⁹ nobis propitiũ faceremus. Nam vt de idolatris taceremus, qui sub statu legis naturæ, excelsa loca sui sacrificijs dicabant: in scriptura

[Margin notes:]
Iuſtorũ labores breues sunt, imò momentanei.
Sap. 10. b
Matt. 24. b
Iosue 10. c
Matth. 20
Mar. 10.
Luc. 18.
2. Cor. 4. d
2. Cor. 11.
Hebr. 12. a
Psal. 79.
Psal. 35.
Psal. 83.
Sapien. 3.
Matt. 25. b
Christus in templo sancto animi inuenitur.
Tẽpla materialia in omni tempore & in omni religione fuerunt.

Gen. 8. 13. & 28.

sacra legimus, Noe, & Abrahã, & Iacob, altaria quibus Deo sacrificia offerrent, exegisse. Sub lege verò scripta, in tabernaculo, egregio sumptu & ornatu structo, post verò in téplo à Salomone ædificato, voluit Deus honorari ab hominibus. Est ergo religio credere, designãdũ esse locũ, quo Deum precibus & sacrificijs, placatũ nobis reddamus. Vnde Fœlix Papa, de consecra. d. 1. can. tabernaculum: Si Iudæi, inquit, qui vmbræ legis deseruiebant, loca in quibus sacrificabãt dño, diuinis habebant supplicationibus consecrata: multo magis nos, quibus veritas patefacta, & gratia quæ per Iesum Christũ facta est, templa dño ædificare, & solénitèr sacrare, debemus. super. c. 4. Ioan. dicemus Deo iuuante de hoc.

De cõse. d. 1. can. tabernaculũ

¶ *Inuenerunt illum in medio Doctorum, audiẽtem illos, & interrogantẽ eos.* Hoc facto nos, Christus ad discendi studium accendit, docetq; nullam ætatẽ esse præproperam ad discendũ, ea quæ faciũt ad pietatẽ. Sunt enim artes quibus discendis non quęuis ætas est idonea, sola pietas statim discenda, nec huius studiũ vnquam est remittẽdum, vsq; ad extremũ vitæ diẽ: semper enim est quo proficias quoad vixeris. ¶ *Audientẽ illos, & interrogantem eos.* Antequam Christus prędicaret, stetit, vt vides, in medio Doctorũ: vt audiret illos, & interrogaret eos: quia prius quisq; discere, & postea prædicandi officium vsurpare debet. Lege. 36. d. c. qui ecclesiasticis, vbi ad longũ traditur, neq; ad summũ sacerdotium, neq; ad officium & munus concionãdi aspirare debere, qui diuinis disciplinis, non fuerit prius eruditus. ¶ *Audientem illos, & interrogantem eos.* A nullo igitur addiscere erubescas, sed esto sapientiæ cupidus vt Seneca ait, ac docilis: quæ nosti, sine arrogantia impartire postulanti: quæ nõ nosti, sine occultatione ignorantiæ, tibi postula impartiri. Non ergo curandum an bonus an malus sit qui docet. Vnde D. August. in lib. de doctri. Christia. ait: Audiũtur vtiliter, qui vtiliter non agũt: sua enim quærere student, sed sua docere non audent: & ita cathreda Moysi cogit eos bona dicere, etiam non bona fa-

Nulla ętas est præpropera addiscẽdum ea, quæ faciũt ad pietatẽ

Priusquisque discere, & postea prædicãdi munus suscipere debet. 36. d. c qui Ecclesiasticis.

Seneca, de quatuor virtutib.

quæ ignoramus discere non erubescamus à quocũq; doctore, siue ille bonus, siue malus sit. D. Augu.

cientes. Qui solum à bonis volunt addiscere similes sunt illis, qui solum in scyphis argenteis, uel aureis volunt bibere, & in purpureis saccis frumentum recipere: quorum profectò sitis famesque, miseratione digna non est.

Similitudo

Fili, quid fecisti nobis sic? Quilibet iustorum habet Iesum filium, illo testante apud Matth. c. 12. Quicunq; enim fecerit voluntatẽ patris mei qui in cœlis est: ipse meus frater & soror & mater est. Quare cũ vir iustus tribulationibus percutitur, dicere Christo poterit: fili, quid fecisti nobis sic? De qua pia sanctorum quærela, lege Psalmum 43. Deus auribus nostris audiuimus, & Psal. 72. quàm bonus Israel Deus, & Psal. 73. vt quid Deus repulisti in finé: iratus est furor tuus super oues paschuæ tuæ.

Psal. 43. & 72. Psal. 73.

¶ *Ecce, pater tuus & ego.* Multa (inquit Hierony. Hiere. 8.) dicuntur in scripturis iuxta opinionem illius tẽporis, quo, gesta referuntur: non iuxta quod rei veritas continebat. Vt in Hieremia: tulit Ananias Propheta catenã de collo Hieremiæ. Et erat Pseudopropheta. Deniq; & in Euãgelio, Ioseph, pater domini vocatur: & ipsa Maria quæ sciebat Dei spiritu concepisse, & responderat Angelo: quomodo fiet istud, quoniam virum nõ cognosco? Loquitur hodie ad filium: Ecce, pater tuus & ego, dolentes quęrebamus te: vocaturque Ioseph pater ad famam Mariæ conseruandam. Aut (vt Origenes ait ho. 1. diuersorum locorum) ne aduersum Mariam Iudæi seuirent, eam quę lapidarent. Vide Hieronymum de hac regula Matthæ. 14. & Christianum Druthmari Matth. 1. cum hæc verba exponit: virum Mariæ. Lege S. Tho. 12. q. 98. ar. 3. ad 2. & Hierony. Oseæ. 5. Theophy. Ioã. 4 explicans illud. Vos adoratis quod nescitis, nos autem quod scimus. Lege Basil. Psal. 48. ibi: non videbit interitũ, &c. Huius regulæ exẽpla adducit quam plurima magister Martinus, lib. 9. hypotyposeõn, regula 2.

Hieron. Hiere. 8. Regula.

Origines. ho. 1.

Hieron. Matth. 14. super illa verba, contristatus est Rex. Druma. D. Tho. Hieron. Theophi. Basilius.

¶ *Dolentes quærebamus te.* Si Christũ amisimus: doleamus vehementer, & illũ inueniemus. Exitus aquarum deducant oculi nostri, quia non custodiendo legẽ eius

Verus animi dolor inuenit Christum. Psal. 118.

eius, illũ amisimus. Lauemus per singulas noctes cum Dauid lectum nostrum, & lachrymis nostris stratum nostrum rigare non cessemus: nam abest sponsus, & tunc illum inuenientes beati erimus. Nam beati qui lugent. Tunc tristitia nostra vertetur in gaudium. Tũc, inquam, consolabimur, & videbimus, & gaudebit cor nostrum, & aqua in vinum conuertetur. Aquę, inquam, Mara, vertentur in dulcedinem. Nam Deus post lachrymationem & fletum, exultationem infundit.

Psal. 6.
Matth. 5.
Ioã. 5.
Esai. vlti.
Ioan. 2.
Exo. 15.
Tob. 8.

¶*Quid est quod me quærebatis?* Iesus subdure respondit: Non quod indignaretur parentibus: sed vt ostẽderet in euãgelico negotio, ad quod missus erat à patre cœlesti, non oportere locum esse cuiquam auctoritati humanæ. Habet parẽtum auctoritas limites suos, cui renũtiãdum est, quoties agitur negotiũ salutis ęternę. Par est enim, vt humana cedant diuinis: & prior sit ratio Dei, cui debemus & corpus & animam: & à cuius benignitate expectamus hęreditatem vitæ immortalis: quàm horum à quibus iuxta carnẽ progeniti sumus, & educati, sãc cessuri in portionem aliquam facultatũ terrenarum. Debemus & his sanè plurimum, sed longe plus debemus Deo, cui debemus & ipsos parentes. Sic & post, parum blande respondit matri, cum in nuptijs interpellaret de vino, ac materna quadam auctoritate, miraculum exigeret, quod, nõ nisi in gloriã patris erat promẽdum. Sic durius etiam respondit ijs, qui ipsum à concione euangelica, matris & cognatorũ verbis euocarant. ¶Si ergo propter te Dominus (inquit Ambro.) suæ renuntiauit matri, dicens: Quę est mater mea & qui fratres mei: cur tu Domino tuo cupias anteferri: sed nequẽ ignorare naturam, neque seruire naturę, Dominus iubet: sed ita seruire naturę, vt venereris auctorem, nec à Deo parẽtum amore desistas. ¶Puer Christus vtrũq; docet, & parẽtes honorare (nam in hoc loco statim Euangelista addit: *Et descendit cum eis, et erat subditus illis*) & illos propter negotium Euãgelij, & propter patrem relinquere. Ideo ait: quid est,

Habet parentum auctoritas in filios suos limites, cui renuntiãdũ est quoties agitur negotium salutis æternæ.
Ioan. 2.
Matth. 12.
Ambro.
Matth. 12.

quod me quærebatis: nesciebatis, quia in his quæ patris mei sunt oportet me esse? ¶Præterea disce hic: quod non sunt agnoscendi propinqui secundũ carnẽ, si salutem impediant. Qui enim amat patrem aut matrem plusquam Christũ, nõ est illo dignus. Hinc est, quod D. Hiero. in epistolis suis, ait: Ecce, inquit, aduersarius Christum in pectore tuo conatur occidere, licet paruulus ex collo pẽdeat nepos licet sparso crine & scissis vestibus, vbera quibus te nutrierat, mater ostendat: siccis oculis ad vexillum crucis euola: solum pietatis genus est in hac re esse crudelem. Idem: Gladium tenet hostis vt perimat, & ego de matris lachrymis cogitabo? Apud Matth. cap. 5. ait dominus: si oculus tuus scandalizat te, erue eum & proijce abs te. ¶*Quid est quod me quærebatis.* Videtur puerum Iesum reprehendisse illos, contra regulã à Paulo traditam. 1. epistola ad Timo. c. 5. seniorem, inquit, ne increpaueris. Sed hęc regula tũc obseruanda est, cum culpa senioris suo exemplo non trahit ad interitum corda iuniorum. Vbi autem senior, iuuenibus ad interitum exemplum prębet, ibi districta increpatione feriendus est. Nam scriptum est: laqueus iuuenum omnes vos. Et rursus: maledictus puer 100. annorum. Aut vbi senior iuuenem remorari voluerit à negotio Euangelij: tunc licebit illi aliquantulum dure respondere. Quod vt doceret Christus, ait: Quid est quod me querebatis? nesciebatis, quod in his quę patris mei sunt, oportet me esse? lege. 2. q. 7. c. Pau. el. 1. y el. 2. imò: c plerumq;.

Non sunt agnoscẽdi propinqui secundum carnem, si salutẽ animæ impediant.
D. Hiero.
Matth. 5.
1. Timo. 5.
quando liceat seniorem increpare.
Esai. 42. d
Esai. 65. d

¶*Et ipsi non intellexerunt verbũ.* Quã quam autem ex his quæ præcesserant nihil vulgare, aut mediocre expectarent à puero Maria & Ioseph: nondum tamen ad plenum intelligebant sublimitatẽ diuinæ virtutis: Nondũ cognouerant, quã admirabili consilio decreuisset Deus per filium suũ redimere genus humanũ. Audiunt sermonẽ patris, quem sciebant nõ habere patrem in terris. Audiunt negotium patris, de quo nihil adhuc illis meminerat: obticescunt tamen parentes, & reuerentur sermonẽ non intellectum.

¶ *Et erat subditus illis.* Demisit sese puer Iesus, morigerumque præbuit matri, & Ioseph nutritio suo: non quod illis in Euangelij negotio deberet obedientiam: sed ex sua bonitate obsequutus est ad tempus, illorũ imbecillitati: simulq; pueris omnibus formam, & exemplum exhibuit: quanto studio quantaq; reuerentia debeant obsequi parentibus suis: cum puer Iesus, qui nulli debebat obsequium nisi patri cœlesti, sic obtemperarit simulato patri, ac matri, quæ ipsum citra violati pudoris iniuriam genuerat. Exemplum etiam præbuit omnibus, vt prælatis maioribusque nostris obsequamur. Ita enim ratio postulat, ita natura comparatum est: ita denique diuina lex statuit. Quemadmodum enim actiones rerum naturalium, è virtutibus potentijsq; naturalibus procedunt, ita etiam operationes humanæ ex humana voluntate. In naturalibus autem rebus, necesse fuit, vt superiora mouerent inferiora ad actiones suas per naturalem vim sibi diuinitus collatam. Sic ergo oportet in rebus humanis contingere: quod. s. superiores moueant inferiores, sua voluntate, atq; arbitrio, ex vi, ac virtute auctoritatis diuinæ, sibi ad hoc negotium collata. Mouere autem alios ratione, ac volũtate est præcipere. Quare, sicut ex ipso naturę ordine diuinitus constituto inferiora in rebus naturalibus necesse habẽt subdi motioni superiorum: ita etiam in rebus humanis ex ordine iuris naturalis atq; diuini tenentur inferiores superioribus suis obsequi. Vnde D. Pau. in ea quã ad Hebræos scribit epistolã, sic ait: Obedite præpositis vestris, & subiacete illis. Adde huc, quod ait Aristo. 1. polit. quod quandocũq; cõstituitur aliquid ex pluribus adinuicẽ ordinantis, siue ex cõiunctis: sicut homo ex corpore & anima, siue ex diuisis: sicut exercitus ex militib9: in omnib9 est inuenire, qui pręsit, & qui subijciatur. Quẽadmodũ in musica, vn9 est sonus præcipuus, & in mixto vnũ inuenitur elementũ, quod præ cæteris dominetur, & in homine animus corpori, & mens nostra sensibus, & in domo vir vxori, & in vniuersum masculus fœminę, & homo bestijs cæterisq; animantibus. Natura ergo & ratione, diuinaque lege comparatum est, vt in spirituali, & ciuili republica superiores sint, quibus obedire teneamur. ¶ Quando vero magis, & quando minus meritoria sit obediẽtia, ostendit D. Grego. his verbis. Obedientia aliquando si de suo aliquid habeat nulla est: aliquando si de suo aliquid nõ habeat, minima: nam cum huius mundi successus præcipitur, cum locus superior imperatur: is qui ad percipiẽda hæc obedit, sibi virtutem euacuat, si ad hæc etiam ex proprio desiderio anhelat. Neque enim se sub obedientia dirigit, qui ad percipienda huius mũdi prospera libidini propriæ ambitionis seruit. Rursũ cum mundi despectus præcipitur, cum probra adipisci & contumeliæ iubentur: nisi hæc, & ex semetipso animus appetat: obediẽtiæ sibi meritũ minuit, qui ad ea quæ in hac vita despecta sunt: inuitus nolensq; descendit. Debet ergo obedientia, & in aduersis ex suo aliquid habere: & rursum in prosperis ex suo aliquid omnino nõ habere: quatenus, & in aduersis tanto sit gloriosior, quanto diuino ordini etiã ex desiderio iungitur: & in prosperis tãto sit verior, quãto à præsenti ipsa quã diuinitus percipit gratia, funditus ex mente separatur. Hæc Grego. Vt autẽ D. Bernar. ait: tria vincula debet habere vera obedientia, videlicet: celeritatẽ in iussione: iucũditatem in labore: perseuerantiam in operis executione. ¶ Quantũ vero bonũ obediẽtia sit, & rursum quã grande malũ inobedientia, ostẽdit D. Augu. hisce verbis: Perfectẽ Deus euidenterq; mõstrauit quantũ sit bonũ obedientia: cũ hominẽ in paradiso positũ ab ea re prohibuit, quę nõ erat mala. Sola ibi obediẽtia potuit tenere palmã: sola inobediẽtia incidit pœnã. Vnde D. Ber. inobediẽtia Deũ offendit, Angelos alienat, eijcit à cõmunione sanctorũ, vitã ęternã amittit, gaudiũ facit dęmonib9, æternũ meretur suppliciũ. Si ergo Christus erat subditus parẽtibus suis: tu quoque subditus esto prelatis tuis: imo subditus esto Domino, & ora eum, vt Dauid ait: Nam vt diuus Augustinus ait, citius exau-

Exemplũ pueris obediendi parentibus.

Exemplũ omnibus obediẽdi superioribus.

Heb. vlti.

Aristo.

D. Grego. obediẽtię merita.

Obedientia in aduersis, & prosperis.

D. Ber. Vincula obediẽtię.

D. Augu. inobedientiæ mala.

D. Bern.

D. Augu. de opere monachorum.

exauditur vna oratio obedientis, quàm decem millia contemptoris: si enim cor nostrum (ait Ioannes) non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, q̃d quidquid petierimus ab eo, accipiemus quia mandata eius custodimus.

1. Ioan. 3.

¶ *Nesciebatis, quod in his quæ patris mei sunt oportet me esse etc. & descendit cum eis: & erat subditus illis.* Ita visũ est semper Christo, sic omnia dicta, factaque sua temperare, vt nunc diuinæ virtutis suæ veluti scintillas quasdam promeret, nunc rursus ad humanam humilitatem sese demitteret. Nimirum illud nobis expediebat, vt omnibus modis persuasum esset generi mortalium diuinæ simul, & humanæ naturæ veritatem in vno coniunctam esse. Ad amorem conciliandum faciebat naturæ communis societas. Vehementius, ac fœlicius amamus cognita, & familiaria, iuxta vetus etiam prouerbium quo dicunt, simile semper adiungi simili. Cæterum Deo tutius fidimus, qui cum mentiri nesciat, nihilque non possit, in dubium vocari non potest, quin præstaturus sit quidquid pollicetur. Ac nascitur quidem amor ex cognatione generis. Cæterum ab his initijs proficit ad amorem rerum sublimiorum. Quemadmodum enim hominum vulgus primum è forma conspecta corporis inardescit ad beneuolentiam: mox vbi ex conuictu colloquioque perspectæ fuerint dotes animi formosioris, in formoso corpore latentes, verius, ac fragrantius incipiunt amare, quod non vident, quàm id quod vident: sic nobis humanę naturæ consortium velut illecebra fuit ad concipiendum amorem erga dominum Iesum: sed hinc ad amorem diuinæ virtutis proficimus. Siue igitur demittit sese ad nostrã imbecillitatẽ, siue substollit sese ad suã sublimitatem, nostræ salutis negotium agit.

quare christus ita omnia facta dictaque sua ita temperauit vt nunc diuinæ virtutis suæ veluti scintillas quadã promeret nũc ad humanam humilitatem sese demisisset.

similitudo

¶ *Conseruabat omnia verba hæc.* Hebr. omnes res has. De hac phrasi sæpius loquuti sumus apud Matth. & superius.

¶ *Proficiebat sapientia, & ætate, et gratia apud Deum, et homines.* Certa res est, & apud omnes sanctos, & scholasticos Doctores definita, puerum Iesum nullã prorsus habuisse ignorantiam ab initio suo: sed tanta sapientiæ, & gratiæ plenitudine, & cœlestium charismatum plenum fuisse tunc, quàm modo. Vnde Ioãnes ait: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, plenum gratiæ, & veritatis. Ergo non solum verbum homo factum est, non solum habitauit inter nos: sed factum est plenum gratia, & sapientia: & habitauit inter nos, plenum eisdem charismatibus. Paulus etiam ad Colossen. cap. 2. ait: In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi. Et diuus Hierony. versans locum Esaiæ. 7. Apprehendent septem mulieres virum vnum: in Christum retulit, qui repletus est omni genere donorum cœlestium. ¶ Præterea Esai. ait cap. 11. Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus. Qui numerus septenarius, in illo lapide significabatur, de quo ait Zacharias: super lapidem vnum septem oculi sunt. Hic lapis Christus est, super quem sunt septem charismata Spiritus sancti, quibus diuinis muneribus ille fuit cumulatus secũdum excellentissimos vsus ipsorum, secundum quos habetur in patria. Quod autem dicitur de spiritu timoris: intelligitur hic de amore casto, qui est reuerentiæ: de quo ait Apostolus in epistola ad Hebræos: Exauditus est pro sua reuerẽtia. Tandem diuus Ioannes ait: Non dat Deus spiritum ad mensuram. Si ergo Christo non est data sapientia, aut gratia ad mensuram, neque in sapientia, neque in gratia reuera proficiebat. Quod si in hoc loco Euangelista ait: Iesus autẽ proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deũ, & homines: intelligendus est eo modo, quo omnes, tã sancti, quã Doctores explanãt. Ætate quidẽ, siue statura verè quidẽ profecisse, quia crescebat, vt cæteri pueri, Sapientia autẽ, & gratia quantum ad ostensionẽ: etenim legimus in hoc loco: in admirationem deduxisse legis peritos, quando in medio illorum consistens: mirabiliter puer duodecim annorum de sacramentis legis disserebat. In sacra enim scriptura is dicitur

Christus sẽper fuit plenus, & omni sapiẽtia, & omni gra-

Ioã. 1.

Colos. 2.

D. Hiero. Esai. 7.

Esai. 11.

Zach. 3.

Heb. 5.

quo sensu dicitur, q̃ Christus proficiebat sapientia, & ætate apud Deum, & homines.

crescere, qui in hominum æstimatione crescit: tametsi idem ipse omnino perseueret: Proficiebat Dauid, vadens, & crescens: cada dia se yua mostrando mas. Itẽ creuit Iosaphat, & magnificatus est vsq; in sublime. Item: illum oportet crescere: me autem minui. Quia verò sæpe, qđ hominibus altum est, abominatio est ante Deum: ne existimares ostensionem esse præstigiosam, & Pharisaicam: talis (inquit Euãgelista) erat Deo intus, qualem se homini exhibebat foris: nec hominibus probabatur solum, sed etiam Deo. Voluit enim Euangelista illud forsitan commemorare, quod de Samuele scriptum est: Puer autem Samuel proficiebat atque crescebat: & placebat tam Deo, quam hominibus. ¶ Item, mos etiam est scripturæ sacræ, quod in effectu crescit, hoc crescere, quandoque dicere: vt ibi verbum Dei crescebat: & rursum: fortiter crescebat verbum Dei. Christus igitur dicitur creuisse sapiẽtia, & gratia: eo quod crescebat in effectibus, & operibus gratiæ, & sapientiæ: quia indies perfectiora opera faciebat. Sic explicat diuus Tho. 3. par. quęst. 15. arti. 7. ¶ *Proficiebat sapientia, & gratia apud Deum.* Quod iusti in hac vita queant in gratia, & iustitia crescere, & proficere, indubitata res, vel apud catholicos omnes, quidquid hæretici autumment. Quæ veritas multis probari potest: primo apud Luc. cap. 17. aiunt Apostoli: Domine adauge nobis fidem: & tamen non sunt de hoc à Christo reprehensi, sicut aliàs cum dixit eis: quid timidi estis? Nec dum habetis fidem. Nouerãt ergo Apostoli, vel ex lumine naturali, vel ex doctrina Christi, posse in fide proficere. Vnde Hieron. 2. contra Iouini. ait: Quare dicunt Apostoli: Domine, adauge nobis fidem, si omnium vna mensura est? Quod si in fide Apostoli poterant proficere, poterãt, & in alijs virtutibus: & ex consequenti in iustitia, & gratia Dei. Par enim est ratio de omnibus. ¶ Et hunc fidei, & cæterarum virtutum profectum, Christus ipse dilucidum nobis fecit, parabola illa: sic est regnum Dei, quemadmodũ si iactet homo semen in terram, & dormiat, & exurgat nocte ac die: & semen germinet, & crescat: dũ nescit ille. Vltro enim terra fructificat: primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentũ in spica: & cum ex se produxerit fructum, statim mittit falcem quoniam adest tẽpus messis. Quid hic aliud nobis à Christo explicatur, quàm profectus iustorũ per verbum Dei, illis diuina largitate immissum? ¶ Sed vt dilucidior aliquatenus fiat tota hæc parabola: non grauabor expositionem illius ex Grego. adijcere. Semen, inquit, homo iactat in terram, cum cordi suo bonam intentionem inserit, & postquam semen iactatum est, dormit, quia iam in spe boni operis quiescit: nocte vero surgit ac die: quia inter aduersa, & prospera proficit: & semen germinat, & crescit dum nescit ille, quia cum adhuc metiri incrementa sua nõ valet, semel concepta virtus ad profectum ducitur, & vltro terra fructificat, quia preueniente se gratia, mens hominis spontanea ad fructum boni operis surgit: sed hęc eadem terra, primũm herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum producit in spica. Herbam quippe producere est: inchoationis bonæ, adhuc teneritudinem habere: ad spicã verò herba venit, cum se virtus animo concepta, ad profectum boni operis protrahit: plenum verò frumentum in spica fructificat: quando iam tãtum virtus proficit, vt esse robusti, & perfecti operis possit. Sed cum ex se produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest tẽpus messis. Omnipotens enim Deus, producto fructu, falcem mittit, & messem suam desecat: quia cum vnũquenque ad perfecta opera produxerit, eius temporalem vitam per emissam sententiam incidit, vt granum suum ad cœlestia horrea perducat. Cum igitur desideria bona concipimus, semen in terram mittimus: cum vero operari recte incipimus, herba sumus: cum autem ad profectum boni operis crescimus, ad spicam peruenimus: cũ què in eiusdem operationis perfectione solidamur: iam plenum fructum in spica proferimus. Hæc ille. Et aliquanto post: Nullus itaque qui per propositum bonum

Marginal notes: 1. Par. 11. — 2 Par. 17. — Ioi. 3. — 1. Reg. 2. — 2. sensus. — Act. 6. & 19 — D. Tho 3. p. q. 15. a. 7 — Iusti in iustitia, & gratia dei possunt proficere. — 1. argumentum ex Apostolis Luc. 17. b — Mat. 4. d — Hiero 2. cõtra Ioui — Mar. 4. — A — B — C — D

bonum adhuc in mentis teneritudine esse conspicitur, despiciatur: quia fructũ Dei ab herba incipit, vt granũ fiat. Quæ & ibi in Petro late ostendit: & nos in Apostolis omnibus nõ obscure intuemur. Cum enim ante aduentum Spiritus sancti modica fuissent fide, magnaque debilitate, & timore, & nonnullis imperfectionibus obnoxij, postquam illius illapsu roborati, & perfecti sunt, tanta fuerũt fide, fortitudine, humilitate, & charitate, vt toti mundo terrori, & stupori fuerint (& sicut eleganter prosequitur Gregor.) vires principum etiam cessi, præesse rint. ¶ Eademque docere nos potest ipsa Deipara Virgo: quis namque neget ipsam sanctiorem, & gratiorem Deo fuisse postquam filium Dei concepit, peperit, nutriuit, & pro nobis patienter tulit in cruce mori? Si fieri potest, vt gratior sit aliquis apud Deum vno tempore quã alio: nescio quemadmodum possit quis credere tam parui apud eum fuisse tanta illa, & tam præcellentia obsequia, vt nõ eam post ipsa habuerit chariorem, & gratiorem. Nam quod quidam existimant, datam ei esse in conceptione filij Dei totam gratiam, quã postea meritura erat, somnium est, absque vllo apparenti fundamento, contra legem Dei effictum. Quod eadem facilitate qua dicitur, est contemnendum. ¶ Atque vt ab exemplis supersedeam, Graphice hunc iustorum profectum videtur Dauid descripsisse, cum ait: Beatus vir, cuius est auxiliũ abste, ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum in loco quem posuit. Etenim benedictionem dabit legislator: ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion. Sed expendamus aliquãtum hæc verba, vt sensum & vim eorũ magis penetremus: Ne quis putet iustificationẽ, opus Dei esse, profectum autem iustitię opus suum. Beatus, inquit, vir, cuius est auxilium abste. Qui dat enim velle, dat, & perficere, pro bona sua voluntate: & qui incipit, ipse perficit, & incremẽtum dat solus: eoque auxiliante fit, vt iusti in hac valle lachrymarum, ascensiones in corde suo disponant, hoc est, meditentur, in iustitia crescere, & proficere. Norũt quippe ad progrediẽdum, & proficiendum in iustitia, datam esse hanc vitam, verissimeque dictum à Gregorio: in via Dei non procedere, retrocedere est. Neque frustra hæc meditantur iusti. Vota Deus iustorum exaudit, & qui tulit legem, ipse eis benedictionem impartitur, vt per viam mandatorum currant, & eant de virtute in virtutem: idque non ad horam, aut diẽ, vel annũ: sed donec videatur Deus deorum in Sion. Certè si non essent progressus, & incrementa in iustitia: neque iusti ex auxilio Dei disponerent ascensiones in corde, neq; ex benedictione ipsius de virtute in virtutem graderentur. Lege diuum Hieronymum Ho. 15. in Ezech.

Grego. homi. 31. in euange.

2. argumẽtum, ex B. Virgine.

3. argumẽ. ex Psal. 83

Explicatur locus Psal.

A

B

D. Hieroñ ho. 15. in Ezech.

¶ Eandem etiam veritatem docuit Ecclesiam Paulus multis in locis. Quosdã enim parturire se aiebat, donec formaretur Christus in illis. Alijs tanquam paruulis in Christo, lac dabat potum, donec capaces fierent solidi cibi: & sapientiam loquebatur inter perfectos. Nonnullis incrementa frugum iustitiæ, & abundãtiam omnium gratiarũ nomine Dei pollicetur: alios beatiores fore pronuntiat, si permanserint secundum ipsius consilium: quibusdam excellentiorem viam demonstrat. Et alibi adhoc dicit præcellentissima dona a Christo data fuisse Ecclesiæ: vt iam non simus paruuli, sed veritatem facientes crescamus in ipso. Et aliàs interiorem hominem renouari tradit de die in diem, licet is qui foris est, noster homo corrumpatur. Et sæpe affirmat: Deum esse qui incrementa iustitiæ confert, quique perficit, quod in nobis incipit. Pro quibusdã etiam orat, vt charitas eorum magis, ac magis abundet, & de seipso manifestè testatur: nondum se perfectum esse, aut ad eum statum venisse, in quo non posset proficere. Et vt intelligas etiam eum qui tanta gratia ab initio suæ conuersionis præfulserat, disposuisse ascẽtiones in corde suo. Vtrum autem addit: quæ retro sunt obliuiscens, ad ea vero quę sunt priora extẽdens me ipsum, ad destinatum prosequor, ad brauiũ supernæ vocationis in Christo Iesu. Vnde & D. Hiero. 2. contra Iouin. hæc verba

4. argumẽ. ex Paul. Gal. 4. b

1. Cor. 3. a

2. Cor. 9. c

1. Cor. 7. & 12.

Ephe 4.

2. Cor 4.

2. Cor. 3. b

Philip. 1 a & 2 b, 3 c.

D Hieroñ 2. contra Iouin.

C

D

verba eleganter exponens, sic scribit: Apostolus Paulus præteritorum obliuiscitur, & ad ea quæ in ante sunt, se extẽdit, id est, quotidie proficit: nec seruat in sudario delicate gratiam quã accepit, sed auarus negotiator renouatur de die in diẽ, & decrescere se putat, nisi semper creuerit. Hæc ex Hierony. ¶ Sed ais: si proficere possunt iusti in iustitia, & gratia Dei, idque quandiu fuerint in hac vita, poterit ergo (sicut argumentabatur Begardius) æquari aliquis in gratia Christo. At hoc nimium est humiliter sentire de augustissima Christi gratia. Non perueniet quispiam, etiã si infinitis diebus proficiat in merito, ad tantam gratiam, quanta est gratia Christi. Nõ enim solum est infinita respectu suæ humanitatis, sed etiam respectu omnium producibilium: & acceptum facit Christu in quantum homo est, ad infinita, aut certe ad summa prẽmia respectu sui, & respectu omnium, quibus voluerit applicari sua præcellentia merita: & de condigno meruit, quidquid alijs obtinet, & obtinuit. In hunc autem gradum, nulla pura creatura potest peruenire. ¶ *Puer autẽ Iesus, proficiebat sapiẽtia, & gratia, etc.* Si tu quoque in sapientia, & gratia corã Deo, & hominibus reuera proficere desideras, primum necesse est, vt desiderium proficiẽdi habeas, magna enim pars proficiendi est, velle proficere: vt Bernar. affirmat. Incidunt periculum, qui proficiẽdi perdiderũt appetitum, ait Leo Papa. ¶ Deinde, creaturis omnibus dimissis, in illarum auctorem amorem collocemus. Solẽt enim arborum ramusculi ab agricolis abscindi: vt superius crescant. Vnde D. Grego. ait: nõ sufficit proficere homo ad vtraque diuisus. De huiusmodi enim dici potest, quod sacra scriptura enarrat dictum fuisse Ruben: Effusus es sicut aqua, non crescas. ¶ Tertio, lectioni, & meditationi incumbe. Vnde D. Bernar. Amorem Dei, in homine lactat lectio, meditatio pascit, oratio confortat, & illuminat. ¶ Tandem, si proficere vis in via Dei, tentationi præpara cor tuum. Nam vt Grego. ait: Electorũ desideria, in prosperitate deprimuntur, A aduersitate proficiunt, sicut ignis flatu premitur, vt crescat, & vnde quasi extingui cernitur, inde roboratur. Cum per tentationem humilitas proficit, prospera est ipsa aduersitas, quæ mẽtem ab elatione custodit. ¶ *Et proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.* Neque solum hoc conducebat ad salutem humani generis, nouo, & inaudito consilio redimendi, verum etiam ad institutionem vitæ nostræ, vt Iesus diuinas dotes suas quibus erat plenus, paulatim, & gradibus quibusdam proferret B in notitiam hominum, videlicet, vt nos doceret a primis illis iustitiæ rudimẽtis, quam oportet ab ipsa statim infantia imbibere, perpetuo progressu conniti ad perfectiora. Quemadmodum enim corpus habet actus suos vsq; ad iustam staturę modum, iustasq; vires: ab infantia proficiens ad adolescentiam: ab adolescentia ad iuuentutem: a iuuentute ad ętatem virilem: ita habet, & pietas suos accessus (vt superius ostendimus) donec adolescamus ad perfectam firmitatẽ ple C nitudinis Christi. Grandescit enim Christus in nobis, & adolescit, cum nos a fidei rudimentis, ad reconditiorem diuinę sacræ scripturæ sapientiam proficimus, cũ relicto lacte carnis solidũ appetimus cibum spiritus: cum relicta litera insipida, sitimus sensum mysticum, cũ neglectis terrenis, euolamus ad cœlestia. Præpostetum est enim, corpus iuxta naturæ cursum, semper in melius proficere, & animam nostra socordia, semper ad deteriora relabi. Nam id vulgo fieri videmus. Adolescentes ab infantiæ puritate degenerant ad lasciuiam: iuuentus rursum, D ad lites, & pugnas proficit, virilis ętas, ad ambitionem, & auaritiam. Itaque fit, vt quoquisq; propius accesserit ad ætatẽ, hoc longius recedat ab innocentia. Cæterum qui semel induerunt Iesum Christum, hos oportet ad illius exẽplũ, semper ad meliora conniti, quo simul, & animi puritate sese cõmendent oculis Dei, & vitæ synceritate famã honestam sibi parent apud homines.

Finis Cap. 2.

Obiectio. | quibus medijs proficerè quis poterit in gratia, & charitate | D. Ber. | Leo. | similitudo | D. Greg. | Gen. 49. | D. Berna. | D. Grego. | Suo exemplo Christus docere voluit, vt ab ipsa infantia proficiamus in gratia, & virtute. | similitudo

CAPVT III.

¶ Ioannes pœnitentiam prædicans, Christum cũ turbis baptizat, quem Dei filium signo cœlesti cognoscit, et eius genealogia per matrem texitur.

¶ Euangelium dominicæ quartæ Aduentus.

ANNO autem quintodecimo imperij Tyberij Cæsaris, Procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha autẽ Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius Tetrarcha Iturææ, & Trachonitidis regionis: et Lysania Abilinæ Tetrarcha, sub Principibus Sacerdotum Anna, & Caipha: factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium, in deserto. Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicãs baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, sicut scriptũ est in lib. sermonum Esaiæ Prophetæ. Vox clamantis in deserto: parate viam Domini, rectas facite semitas ei9. Omnis vallis implebitur: et omnis mons, & collis humiliabitur: & erunt praua in directa, et aspera in vias planas: & videbit omnis caro salutare Dei.

Matth. 3. a
Mar. 1. a

Esai. 40. a
Ioan. 1. c

A ANNO *quintodecimo imperij Tyberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, &c.* Opportunè sanè Christi regnum aduenit. Opportunè, inquam, lapis ille, qui abscisus est de monte sine manibus, regnare cœpit. Quãdo pedes statuæ partim ferreæ, partim fictiles, in mundo erant. Quando, inquam, regnum Romanorum, significatum per pedes istos statuæ, aduenerat. Iam enim transierat caput statuæ aureum, hoc est, regnum Babylonicum, iam brachia argentea, hoc est, regnum Medorum, iam venter ferreus, hoc est, regnum Græcorum. B Aderant autem tibiæ ferreæ, & pedes, partim ferrei, partim fictiles, hoc est, regnum Romanorũ. Quo tempore prædixerat Daniel suscitãdum esse regnum æternum, quod in æternum non dissipabitur, & quod populo alteri non tradetur. Vt ergo D. Luc. significaret iam aduenisse tempus hoc, ait: Anno decimoquinto imperij Tyberij Cæsaris, factum est verbum Domini super Ioannem, &c. vt scilicet, prædicaret regnum Dei. Quare verò per pedes partim ferreos, partim fictiles significetur Romanorum regnũ, docet Rupertus, lib. 6. de victoria verbi Dei, cap. 20. Per ferrum, inquit, & per testam in pedibus statuæ, discordias illas,

Dan. 2.
Prophetiã Danielis impleta.

Rupertus

&

& bella ciuilia Romanorum ferè omniũ, maxime Pompeij, & C. Cæsaris intelliguntur. Itéq; Antonij, & Octauiani Augusti pugnæ ciuiles: per quas, & inter quas, idē Octauianus Augustus, Romanorum monarcha effectus est: in cuius diebus, lapis de monte sine manibus abscisus est, quo regnante, Christus de Virgine natus est: cuius & successoris eius Tyberij Cæsaris temporibus, æternum regnum Dei, per passionem & resurrectionem eiusdem Iesu Christi suscitatũ est. ¶ Hoc idem mysterium prædixerat Esa. cap. 11. dicens: & excelsi statura succidentur, & sublimes humiliabũtur, & subuertentur cōdensa saltu: ferro, & libanus cũ excelsis cadet, & egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientię, & pietatis, & replebit eum spiritu timoris Domini. Quæ verba explicans Rupertus, ait: perspice hinc gentium, quas per condensas saltus intelligimus, tyrannos, ac Duces, Imperatores, & Consules. Inde Iudaicæ gentis, quã per libanum intelligi placet, Reges, & Tetrarchas, atque summos sacerdotũ principes: & inter istas altitudines subortam humilem de domo Dauid, Mariam Virginem, Christum parturientem, Deum & hominem & magnam victoriæ verbi Dei concipies admirationem, quod in hunc mundum ingrediens, non quæsiuit de altis, vel sublimibus parentem habere quem piam, solum se sibi sufficere sciens absque opere humano contra illius assur, idest, diaboli superbiam, ad obtinendum sibi regnum, ad possidendum Dauid patris sui solium, imò Dei patris æternum imperium. Hæc Ruper. quem etiam lege. c. 14. eiusdem libri.

Esai. 11. Prophetia Esai. completa.

Ruper. de vict. verbi Dei. li. 11. c. 13.

¶ *Anno quintodecimo imperii Tyberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam Tetrarcha autem Galilææ Herode, &c. sub principibus sacerdotũ Anna et Caipha, factum est verbum Domini super Ioannē.* Propter populi peccata, ablati sunt à Deo reges, & gubernatores strenui, atque summa sanctitate præstantes, & redactus est populus sub iniquis tam regibus, quàm sacerdotibus. Ex quo intelliges, qualis iam tũ temporis esse poterat Iudæorum respublica: secũdũ enim iudicem populi, sic & ministri eius: & qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitantes in ea, ait Ecclesiasticus. Considera igitur Dei misericordiam, & pietatē, qui dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium inter haberet à regalibus sedibus venit, vt cũ superabundauit delictum, superabundaret, & gratia. ¶ *Procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha autē Galilææ Herode, etc.* Quando artifex aliquis habens vetus & exiguum aliquod ædificium, nouum & amplum aliud cōstruere desiderat, primum, quod antiquũ, & paruũ est destruere solet, vt recens aliud, quod late pateat ædificet. Synagoga igitur ædificium Dei erat, vetus tamen & perexiguum. Vetus erat, quod eius fundamentum & basis, res erant temporales, & caducæ: exiguum autem, quod semen Iacob duntaxat continebat. Venit autem Dei filius in mundum, vt recens aliud atque spatiosum erigeret ædificium, cuius fundamētũ collocaretur in cœlis, & cuius fines extenderentur à mari, vsque ad mare, & a flumine vsque ad terminos orbis terrarum, imò ab oriente vsque ad occidentem, & à meridie vsque ad aquilonem: ita vt vtrumque populum, tam gentium, quàm Iudæorum contineret. Necesse ergo fuit, vt corrueret synagoga: vt Ecclesia fidelium strueretur. Iam igitur hic vides Iudęorum regnum, atque sacerdotium destructum: iam hic audis Euangelistam dicentē, regnum in quatuor Tetrarchias esse diuisum, sacerdotium vero esse annuale, atque vt antiquæ narrant historiæ, etiam venale. Destructo ergo primo ædificio, iam incipit secundum: Procurante, inquit, Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode, &c. factum est verbum Domini super Ioannem, qui venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Et (vt alius Euangelista enarrat) dicens: agite pœnitentiam, appro-

Propter populi peccata auferre solet Deus strenuos gubernatores

Eccle. 10.

Sapien. 18

Rom. 5. d

Simile.

Venit christus in mũdum, vt vetus ędificium, hoc est, synagogã destrueret, vt nouum aliud egregium, & magnũ, hoc est, ecclesiam erigeret.

Matth. 3

appropinquauit enim regnum cœlorũ. ¶*Factum est verbum domini super Ioannem.* Heb. pro, Dominus loquutus est Ioanni. Sic Genes. 15. factum est verbum Domini ad Abraham, idest, dominus verba fecit Abrahæ, siue loquutus est ei: idiotismus iste Hebraicus frequens est in sacra scriptura. ¶*Factum est verbum domini super Ioannem.* Ex hoc fit nõ fuisse diuum Ioãnẽ ex illis, de quibus Dominus apud Hieremiam ait: Non mittebam & ipsi currebant: neque de illis quos Christus reprobat apud Ioãnem, cum ait: omnes quotquot venerunt fures sunt & latrones: nam non eos qui missi sunt, sed illos qui venerunt, vel Pseudoprophetas, vel Pseudophilosophos, condemnat ibi dominus. Ecce factum est verbum domini super Ioannem, &c. vt prædicaret baptismum pœnitentiæ in remissionẽ peccatorum. ¶*Factum est verbum domini super Ioannem.* Non in pueritia, neq; in adolescentia, sed in ætate virili, adiunctum est ei prædicãdi munus. Ad munera enim Ecclesiæ, non sapiẽtia & virtute pueri eligendi sunt, sed qui prudentia & merito vitæ clarescunt. Multi iam sunt, qui in pũcto horæ (vt dicitur d. 49.) necdum discipuli, fiunt magistri. Et sicut ibi Innocentius ait: Miserum est eum fieri magistrum, qui nondum didicit esse discipulus. Quod si officia secularia, vt Vrbanus docet, principalem locum, non vestibulum actionis ingressis, sed per singulos gradus examinatis deferunt: quis tam arrogans, tam impudens inuenitur, qui in cœlesti militia, quæ propensius ponderanda est, & sicut aurum repetitis ignibus exploranda, statim dux esse desideret, cum Tyro ante non fuerit: & prius velit docere quam discere. Hinc meritò mater ordinauit & stabiliuit Ecclesia: vt neque Neophitus in Episcopum ordinetur. d. 48. neque ad sacerdotale officium aliquis, nisi per singulos gradus approbatus, accedat. Distinctione. 59. c. si officia. d. 60. c. imperamus, &c. d. 78. cap. quid est minus. Neque cuiuslibet meriti laicus ad summum aspiret sacerdotiũ. Eadẽ. d. 59. c. hoc ad nos. ¶Hinc colliges quanta animaduersione digni sunt

Gen. 15. Factum est verbũ dñi quid in sacra scriptura.

Ioã. nõ venit vt fur sed mittitur à Deo. Ioan. 10. Hiere. 23.

qui sunt qui ad munera ecclesię sunt eligendi. D. Augu.

Innocen.

Vrbanus d. 59.

d. 48.

D. 59. c. si officia. & d. 60. c. imperamus, & d. 78. cap. qu idest minus.

A prælati, qui pueris Ecclesiastica beneficia conferunt. Si enim Dauid iniquus existimatus merito fuit, quod Vriã collocari fecit ex aduerso belli, vbi fortissimum erat prælium, vt sacra narrat historia: quanto iniquiór prælatus cẽsendus est, qui Ecclesiæ præfecturas, super puerorum humeros imponit, cũ certo sciat, totum pondus prælij spiritualis, versum esse in prælatos? Magna profectò impietas est, super paruulorum humeros imponere onus, ipsis angelicis humeris formidandum. Parati sunt (inquit Bernar.) B filij hominum ad honores, ad celsitudines graduum ecclesiasticorum ipsis angelicis humeris formidandos. ¶Colliges deinde munus concionandi, nõ pueris, non adolescentibus, sed viris iam ętate & virtute & doctrina perfectis, esse cõmittendum. Ideo ait Dominus Deut. c. 15. Non operaberis in primogenito bouis. Nam qui virtute & sanctitate non pollent, sed pueri sunt sensibus, Euangelicæ prædicationi incũbere non debet, nec vomere nouellæ linguæ, terrã alienorum cordiũ præscindere. in 30. enim C anno, factum est verbum domini super Ioannem. In eodem etiam anno super Ezechielem, vt D. Hierony. explicat in prologo. In eodem quoque anno Ioseph in AEgypto, gubernandi officium suscepit. ¶Si ergo diuus Ioannes post tot annos in perpetua vitæ sanctitate, & cõtemplatione cœlestium, consumptos, ad prædicandum ascitus est: tu quoque (vt Hieron. ait) multo tempore disce, quod postmodum doceas. Et si titillat desiderium clericatus (vt idem ait) disce quod D possis docere, & rationabilem Deo offeras hostiam: ne sis miles priusquã tyro, ne prius magister sis quam discipulus. Lege. 16. quæst. 1. cap. sic viue, & cap. si clericatus. Cura igitur ne sis canalis sed concha, vt D. Bernard. ait: Disce etiam vitam perfectam, omnibusq; numeris absolutam agere. Vę qui hoc sanctissimum prædicandi munus suscipere audent, cũ sint innumeris sceleribus implicati: nã eorum doctrina, & si vera sit, non solum populo non prodest, sed maxime nocet. Nam vt D. Gregor. ait, cuius vita despicitur,

Magna pœna sunt digni prælati, pueris ecclesiastica beneficia ferẽtes 2. Reg. 11.

D. Ber.

quibus sit cõmittendũ munus concionandi.

Vide glo. Deut. c. 15.

Ezech. 1. & Gen. 41.

D. Hiero.

Idem.

16. q. 1. c. sic viue. & c. si clericatus.

D. Bern.

D. Grego.

tur, restat vt eius prædicatio contemnatur. Sua enim mala vita hic talis prædicator multũ fidei detrahit doctrinę quã prędicat. Eadem enim agit quę damnat, & sic ansam suspicionis non paruam auditoribus præbet, vera non esse quæ ab illo fuerunt edocti. Ad quod credẽdum hoc argumento persuadebuntur: quod videlicet nõ est verosimile, aliquem esse suæ salutis adeo immemorem, vt sibi ipsi male consulat, alijs autem bene. Si bona sunt quæ docet, cur non ea facit? Si bona sunt quæ facit, cur non ea docet? Itaque quocunque se vertat, malus esse conuincitur, aut male docens, aut male viuens. Sed quia magis semper homines oculis quam auribus credunt: hinc est, quod male viuentis doctrina, quantúlibet bona contemnitur. Deinde iustũ est vt credatur quenlibet hominem, maiorem suæ salutis quàm aliorum, curã habere. Et inde necesse est euenire, vt quisque magis exẽplis quàm verbis credat.

¶ Quam magnum malũ sit cum vita prædicatoris doctrinæ suæ non consentit, beatus Iob mysticis verbis nos docuit, quum ad confirmationem eorum quæ dicebat execrationis iuramento vtens, hoc malum sibi ipsi tanquam maximum imprecatur, nisi vera sint quæ dicit. Si in manibus meis (inquit ille) adhęsit macula, seram & alius comedat, & progenies mea erradicetur. Quæ verba interpretans Gregor. in Moralibus, ait: More sacri eloquij serere dicim9, verba vitę prædicare. Et aliquibus interpositis, subdit: comedere autem est, bonis operibus satiari. Vnde per semetipsam veritas dicit: meus cibus est, vt faciam voluntatẽ eius qui misit me. Si ergo ea quæ protulit, facere prætermisit, ait: serã, & alius comedat. Ac si apertè dicat: quod os meum loquitur, non ego sed alter operetur. Prædicator quippe, qui à suis vocibus moribus discrepat, ieiunus serit quod alius manducet: quia suo semine ipse non pascitur, quãdo à verbi sui rectitudine, praua actione vacuatur. Et quia plerunque discipuli incassum bona audiũt, cum ex magistri vita, operum exemplo destruũtur, rectè subiungitur. Et progenies mea

Iob. 31.

Ioã. 4.

A erradicetur. Doctoris enim ꝓgenies erradicatur: quando is qui per verbum nascitur, per exemplum necatur. Quia quę lingua vigilans gignit, vitæ negligentia occidit. Hactenus Gregor. Veri autem concionatores, gallo similes sunt, qui cum iam ædere cantus parat, prius alas excutit, & semetipsum feriens, vigilãtiorem reddit. Quod patenter (inquit Gregorius) cernimus, si sanctorum prædicatorum vitam vigilanter videmus: ipsi quippe cum verbum prędicationis mo- B nent, prius se in sanctis actionibus exercent, ne in semetipsis torpentes opere, alios excitent voce. Sed antẽ se per sublimia facta excutiunt, & tunc ad bene agẽdum alios solicitos reddunt: prius cogitationum alis semetipsos feriunt: quia quidquid in se inutiliter torpet, solicita inuestigatione deprehendunt: districta animaduersione corrigunt: prius punire sua fletibus curant, & tunc quę aliorum sunt punienda, denuntiant. Prius ergo alis insonant, quàm cantus emittant: quia ante quàm verba exhortatio- C nũ proferant, omne quod locuturi sunt operibus clamant: & cum perfectè in semetipsis vigilant, tunc dormientes alios ad vigilias vocant. Sed vnde tanta hæc Doctori intelligentia, vt & sibi perfectè vigilet, & dormiẽtes ad vigilias sub quibusdam clamoris profectibus vocet: vt peccatorum tenebras prius cautẽ discutiat, & discrete postmodum lucem prædicationis ostendat: vt singulis iuxta modum & tempora congruat, & simul omnibus quæ illos sequantur ostendat? Vnde ad tanta & tam subtiliter tẽditur, nisi D intrinsecus ab eo à quo est conditus, doceatur? Quia ergo laus tantæ intelligentiæ, non prædicatoris virtus est, sed auctoris: Rectè per Iob dicitur: quis dedit gallo intelligentiam? Ac si diceret: Nisi ego, qui Doctorũ mentes quas mirè ex nihilo condidi, ad intelligenda quæ occulta sunt mirabilius instruxi. Hactenus Gregor. ¶ *Factum est verbum domini super Ioannem, &c.* Obserua, quod non est ausus prędicare D. Ioannes ante præceptum domini. Ezech. etiam cap. 3. legimus, quod missus Propheta ad prędicandum,

similitudo

Grego. 30 mora. c. 4. & 5. &c. exponens illud, quis dedit gallo intelligẽtiam.

Iob. 38. Vide cũdẽ 3. p. pasto. c. 5. & 6.

Tacuit Ioã. quousq; ei iussu præceptũ ei vt prædicaret. Ezech. 3.

dum, septem diebus tacuit mærens. Super quæ verba D.Gregor. sic inquit: si Propheta sanctus qui missus est ad loquendum, tacet vt recte loquatur: quanta culpa est non tacere, quem necessitas loqui non cogit? Tacendo ergo loqui discamus: qui ille loqui veraciter nouit, qui tacere didicit. Et glossa interlin. ait: qui speculator futurus est, & Dei verba populo narraturus: multo tẽpore debet quiescere, & ad ea quæ videt dolere, nihilque eorum in cõscientia habere, quæ in aliis debet corrigere. ¶ *Factum est verbum domini super* Ioannem, *&c.* Merito factum est verbum domini super Ioannem, antequam prodiret in publicũ ad prædicandum Dei Euãgelium: nã apud Ezech. c. 13, comminatur dominus prophetantibus, & docentibus consilia cordis sui. Væ, inquit, Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suũ: vident vana, & diuinant mendacium, dicentes: ait dominus, cum dominus non miserit eos. Nunquid non visionem cassam vidistis, & diuinationem mẽdacem loquuti estis: & dicitis: ait dominus, cum ego nõ sim loquutus? Propterea hęc dicit dominus: Erit manus mea super Prophetas, &c. eo quod deceperint populum meũ dicentes pax & non est pax, &c. vide locum. Vę igitur hęreticis qui sequuntur spiritum suum, væ concionatoribus insipientibus, qui vana & inutilia populum docent. Væ denique illis qui audientiũ capita demulcent dicentes pax pax vbi non est pax, nam manus domini erit super eos. ¶ *Factum est verbum domini super* Ioannem, *& venit in omnem regionẽ Iordanis.* Non antea incipit prædicare quam ei loquutus est dominus, eo quod prędicandi munus periculosum ac laboriosum multum est. Quod vel eiusdem Ioannis exẽplo nobis certo constare poterit: vt enim dignẽ Dei Euangeliũ enũtiaret, mortem subire nõ dubitauit. Ideo discipuli domini compulsi, nauis curam susceperunt: siquidem est grandis labor in remigando & ventus contrarius, vt D.Mar. ait. ¶ *Factum est verbum domini super* Ioannem, Non obtinuit magisterium Ioannes, precio, prece, adulationę

D. Greg.

Glo.

Veri prædicatores mittũtur à Deo.

Ezech. 13.

Prædicãdi munus periculosũ ac laboriosũ.

Mar. 6.

A aut obsequio: quod contingere solet symoniaca labe infectis. Quarum tam grãde peccatum est, vt de illo possimus dicere, quod Hieremias ait. cap. 17. peccatum, inquit, Iuda scriptum est stilo ferreo in vngue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum. Sicut enim peccata Iudæorũ erant indelebilia ob suam pertinaciam: sic istorum, qui precio aut prece, &c. munera Ecclesiæ emunt. Neque etiam D.Ioan. hoc prædicandi officium, vi aliqua adeptus est, qd B multi attentare audent: quorum scelus quantum sit, & supplicio & pœna à Deo sumpta, satis perspicuũ esse poterit. Nu. 16. c. legimus, Chore cum ducẽtis quinquaginta de maioribus Leuitarum igne diuino succensum fuisse, quod sacerdotium vi, sibi vsurpare voluerunt. Ibidem etiam inuenies, diruptam fuisse terram sub pedibus Dathan & Abiron, & deuorasse eos cũ tabernaculis suis, vniuersamque substantiã illorum, atque descendisse viuos in infernũ, quod ducatui Moysi inuiderũt. 2. etiam Para. 26. de Ozia enar- C rat historia, quod in fœsto propitiationis indutus stola pontificis, intrauerit in templum, vt incensum poneret. Deniq; Ioannes, non electione humana sed diuina, ad prædicandum regnum Dei vocatus est. Multi iam sunt in Ecclesia qui ad eius munera obeunda vocantur, non sicut Aaron miraculo virgæ, non sicut Iosue & Christus dominus, multique alij sancti viri, voce de cœlo lapsa non sorte diuina, sicut D.Matthias: non electione canonica, qualis erat olim in Ecclesia, sed potius electione diabolica. Hi omnes, non sunt gratia Dei id quod sunt, D sed potius gratia hominũ. Quare in suis diplomatibus, eiusmodi scribere non deberent Dei gratia: sed gratia hominum. Hi sunt simulacra gentium, argẽtum & aurum, opera manuum hominum. Noli ergo (ait Sapiens) ab homine quęrere ducatum, nec à Principe, neque à Rege cathedram honoris. Da operam virtuti & sapientiæ, & non assumas tibi negociatione humana honorem, & tunc vocaberis à Deo, sicut vocatus Aaron, & diuus Ioannes, cæterique Apostolici viri.

Symonia vitanda.

Hiere. 17.

Violentia detestãda.

Num. 16.

2. Paral. 26.

Electiones iniquę fugiendæ.

Num. 17.

Matth. 27. Acto.

Eccle. 7.

¶ Fa-

Rupertus, quare in lege scriptũ est, locutus est dñs, & in Prophetis, factum est verbũ dñi; si paria, & æquiualentia esse videantur.

¶ *Factum est verbum domini ad Ioannē.* Quare in lege scriptum sit: loquutus est dominus ad Moysen: in Prophetis autē & in hoc loco: factum est verbum domini, &c. docet Rupertus lib. 5. de victoria verbi Dei, cap. 2. his verbis: Res ipsa nūc animum præcellit, facitque clarius audire & sentire dictionem huiuscemodi visitatam in Prophetis: factum est verbum domini, nam possunt quidem paria videri: factum est verbum domini ad me, & locutus est, siue dixit dominus ad me. Verum non ita est. Et vt palám constet non ita esse: Primum illud perpende: quod opinor valde delectabile esse prudenti animo, quia nusquam inuenies in lege sic dictum: factum est verbum domini ad Mosem, siue ad Aaron: sed ita duntaxat: Locutus est dominus ad Mosem, dicens: siue, dixit dominus ad Moysen. In Prophetis huiuscemodi dictio frequēs est: factū est verbum domini, siue factus est sermo domini. Pulcherrima hæc consideratio est, multumque delectat intueri. Quam ob causam istud cautum sit. Quam ergo ob causam putas? quia videlicet in his tantum decuit sic enuntiare: factum est verbum domini: vbi quæ dicuntur, cuncta irreuocabilia, cūcta sunt ineuitabilia, veluti iam facta sint. Porrò lex conditionali sponsione data est: exēpli gratia, vt in initio dandæ, vel datæ eiusdem legis, præmisso namque: vos ipsi vidistis quæ fecerim AEgyptijs, quomodo portauerim vos super alas aquilarum: continuo subiungit conditionali modo locutionis: si ergo audieritis vocē meam, & custodieritis pactum meū, eritis mihi in peculium de cūctis populis, & vos eritis mihi regnū sacerdotale, & gens sancta. Profecto non erant vocem domini audituri, neque pactum eius custodituri: & proinde, neque in peculio, vel in regno Dei permansuri. Idcirco nō decebat in tali re sic ennunciari: factū est verbum domini & deinde absque conditione sic proferri promissa: vos eritis mihi peculium: vos eritis mihi in regnū sacerdotale, & gens sancta. Sic & de cæteris, maximeque de sacrificiorum ceremonijs, quoniam transitoria erant, & mu-

A tari habebant, non decebat sic edici: factum est verbum domini ad Mosen. Sic esse vt dicimus consideranti confestim liquet: quia nusquam in Mose, sed in Prophetis duntaxat, siue ad Prophetas scriptum habes: factum est verbum domini. Et impossibile fuit, & est remanere infectum, quidquid sub tali enunciatione absque cōditionis interpositione est prædictum. Cum igitur audimus vel vbicunque legimus de aliquo Propheta, quia factum est ad eum verbū domini: B cum audimus quenlibet ex Prophetis dicentem: factus est ad me sermo domini: sic accipiamus tāquam fiduciale gaudium, tanquam triumphale tripudium, velut si de tenebris ad lucem, de seruitute ad libertatem, de captiuitate ad patriam, de morte ad vitam resiliant, dicentes: Dicant resilientes: factū est, factū est. Et quid factū est? factū est id qđ futurum est, quia verbum eius audimus: verbum illius non videntes vidimus, cuius dixisse, fecisse est. Hactenus Rupert.

Rupertus c. 25. Omnes ad quos factū est verbū dñi sancti fuerūt, nō tamen omnes ad quos loquutus est Dñs. Psal. 81. Ioā. 10.

¶ Præterea notat idē Rupertus. cap. 25. C quod omnes ad quos verbum Dei factū est, non omnes autem ad quos loquutus est, beatos & filios Dei fuisse, his verbis: Non ne (inquit dominus) scriptum est in lege vestra: Ego dixi: dij estis, & filij excelsi omnes? Statimque subiungit: si illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est, & nō potest solui scriptura, &c. Deos esse filios excelsi esse, sanctos & beatos esse omnes ad quos sermo Dei factus est. Et ipsum incarnatum verbum hoc dicto testatur. Et si cunctam recenseas sanctarum seriem scripturarum, nullum inuenies nisi sanctum & iustum esse, ad quem D factum est verbum domini. Prædicetur primus eorum Abraham, de quo sic scriptum est: Ecce (inquit) vernaculus meus hæres erit: statimque sermo domini factus est ad eum, dicens: non erit hic hæres tuus: sed qui egredietur de vtero tuo, ipsum habebis hæredē in quo cœlestem per Christum intelligi decet hæreditatē. Nam continuo: suspice (ait) cœlum, & numera stellas si potes: & dixit ei: sic erit semen tuum. Nouissimus vero Ioānes est, de quo Lucas ita refert.

Gen. 15.

Anno

Anno. 15. imperij Tyberij Cæsaris, factū est verbum Dñi super Ioānem Zachariæ filium in deserto. Omnes ab illo primo, vsque ad istum nouissimū ad quos factū legimus verbum Dñi, sancti, iusti & magni Prophetæ sunt. Porro, non omnes ad quos loquutꝰ est, vel dixit aliquid Deꝰ, non omnes (inquā) sancti aut electi sunt: Nam ad Cain loquutus est, & dixit Dñs: Quare iratꝰ es, & cur cōcidit facies tua? Ad Baalam quoq; locutus est, & aliqua dixit Deus: & ita etiam de illo scriptum est, semel & iterū, quia Deus posuit verbum in ore eius. De istis ambobus, quis nesciat quod non pertineant ad sortē iustorum, siue sanctorū, qui (vt iam dictum est) omnes Dei & filij excelsi sunt? Vnde diligenter notandū, quia signanter dictū est: Dñs posuit verbū in ore eius, vt sub intelligat prudens auditor: & non etiam in corde eius: quod esset vtiq; factū esse ad eum verbum Dñi: quia videlicet ad cor, nunquā sine amore cordis peruenit verbū Dñi. Nec deesse potest quin Dei sint, & filij excelsi omnes, ad quos sic accedit verbum Dñi. Hæc Rupertus. ¶Lege eundem. c. 26. quo in loco docet: non Mosen reliquis Prophetis cōparatū, cū ore ad os loquebatur ei Dñs sed legem promissionibus gratiæ collatā inferiorē esse, eo quod nusquam legatur: factū est verbum Dñi ad Mosen. Promissiones enim gratiæ perpetuò manent: ideo significatę sunt sub his verbis: factū est verbū Dñi ad Abraham, ad Esaiam, ad Ioānē. Nam quidquid sub hac enuntiatione dictū est, scias non posse infectum manere, non posse veterascere, nō posse mutari, faciliusq; cœlum & terrā transire, quàm quicquam de verbo illo minui, vel præterire. ¶*Factum est verbum Dñi super Ioannem in deserto, & venit in omnem regionem Iordanis, prædicans, &c.* Sicut maiꝰ bonū minori bono preponitur: ita cōmunis vtilitas speciali vtilitati præfertur. Et in hoc casu, rectè præponitur doctrina silentio, solicitudo contēplationi, & labor quieti. Ad quod vtiq; designādū, vnigenitus Dei filius Iesus Christus, non de Rachele secūdum carnem natus est, sed de Lia: nec legitur eum in domū

Gen. 4. — Ruper. 26. — Cōmunis vtilitas speciali præferēda est.

A suam Maria recepisse, sed Martha. Lege cap. licet, de regularibus & transeuntibus. Propter cōmunem ergo vtilitatem dereliquit Ioānes precepto Dei, contemplationem, silentium, desertū, & venit in omnem regionē Iordanis ad prædicādū hominibus regnū Dei. ¶*Factum est verbum Dñi super Ioannem.* Quid vero loquutus fuerit Dñs Ioanni in deserto, narrat Ezech. c. 3. Nam quæ illi à Dño dicta sunt, dicta etiam fuisse D. Ioāni credendū est. Fili hominis, speculatorē dedi te B domui Israel: & audies de ore meo verbū, & annūtiabis eis ex me. Si dicente me ad impiū: morte morieris, non annuntiaueris ei, neq; loquutus fueris, vt auertatur à via sua impia & viuat, ipse impiꝰ in iniquitate sua morietur, sanguinē autē eiꝰ, de manu tua requiram. Si autē tu annūtiaueris impio, & ille nō fuerit cōuersus ab impietate sua & à via sua impia: ipse quidē in impietate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti: sed si cōuersus iustus à iustitia sua fuerit, & fecerit C iniquitatem: ponam offendiculum corā eo, ipse morietur: quia non annuntiasti ei in peccato suo morietur, & non erunt in memoria iustitię eius quas fecit: sanguinem vero eius de manu tua requirā. Si autem tu annuntiaueris iusto, vt non peccet iustus, & ille non peccauerit: viuens viuet quia annunciasti ei: & tu animam tuam liberasti. Hinc discant præsules, atq; verbi Dei cōcionatores, quibus etiā loquitur hæc (quæ nunc retulimus) Dñs, quanta pœna afficientur, si populo Dei peccata eiꝰ minime annūciauerint. Intelligant se esse speculatorēs à Deo po D sitos, vt. s. admoneāt suos, hostem esse in propinquo, veluti qui in speculis excubāt. Studeāt homines à peccatis reuocare: si nolūt vt sibi imputetur eorū pernicies, si nolūt rationē reddere mortis eorū. ¶*Factum est verbum Dñi super Ioānē in deserto.* Illud (inquit Hiero.) mirandū est quod elegerit eremum, Domini præ dicaturus aduentum, non in templo, non loquitur in plateis, multitudinem multitudini ꝓfuturus horrescit: & cur est vox clamantis, si declinatur auditor? opus est vtiq; multitudo doctori, & quę

colloquiū Dñi cū D. Ioanne in deserto. — Ezech. 3. — Concionator si populo peccata eius nō annuntiat, punietur à Dño, est. n. speculator positꝰ à Deo. — Cur Ioan. in deserto clamat. D. Hiero. De vera circūcisiōne.

in eremo multitudo ē sine dubio nulla. Et quid faciet Propheta, qui vox est, & vox clamantis? Elegit ni fallor locū, non vbi eum nullus audiat, sed ad quem populos de naturæ corruptæ conuersatione reducat, vt in Propheta nouam vitā videntes, diuinam mirari discant, seque omnibus vitijs circuncisos in eremo esse patiantur. Locus ergo ipse, forma doctrinæ est, & ipsa prædicatio solicitatio est virtutum. Operatur habitatio dum vrbium frequentiā solicitus relinquit auditor, & eremū à contagione mundi, velut à theatro hoc voluptatum auulsus ingreditur. Hoc Hiero.

Nō est abscondendū talentum prædicationis à Deo datū exemplo Ioānis.

¶*Venit in omnem regionē Iordanis prædicans, &c.* Noluit D. Ioānes habere talētum absconditum in sudario, ideo in publicū prodit, vt prædicaret hominibus pœnitentiā. Timeāt ergo omnes illi, qui officio prædicationis sunt idonei, & tamē sibi solū viuere eligūt, licet bono animo id faciant: vt. s. puriori cōsciētia Deo vacent: ne serui inutiles & nequā à Dño vocentur, eo quod in sudario absconderint talentū eius. Puritas enim conscientiæ per sudarium intelligitur. Quare in sudario talentū abscondit, qui amore puritatis conscientiæ officiū prædicationis deserit, vt docet glo. super illū locum. Et alibi Gregor. ait: qui scientia & virtute prǽditi secessum speculationis appetūt, tot animarū rei sunt, quot animabus in publicū prodeūdo, pdesse potuerūt. Tales (vt quidam dixit) ligant sibi pedes & manus, ne Deus exeisse se iuuare possit. Quare merito timere possunt illud qđ apud Matth. Dñs ait: ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores. Et rursum: inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores, &c.

Matth. 25. & 25.

¶Præterea D. Ioānes ideo venit in omnem regionē Iordanis, vt prǽdicaret pœnitentiā, sciēs quod nemo accēdit lucernam, & ponit eā sub modio, sed super candelabrū, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Iam ergo Dñs accēderat hanc lucernam, cū factū est verbū Dñi ad illam. Venit ergo in omnem regionē Iordanis, vt luceret omnibus. Si ergo tu, doctrina & sapientia polles auarus non sis, sed potius deriuētur (vt ait sapiēs) foras, & in plateis aquas tuas diuide.

Matth. 5.

Pro. 5.

Sol enim lumen suum omnibus citra inuidiā cōmunicat. Homines etiā gratis sibi inuicē ignē prǽbēt. Miserrimus sanè haberetur homo ille, qui lucernæ suæ lumē, alijs cōmunicare renueret. Doce itaq; ignorātes libēter: nā, vt Augu. ait, nō minus piū est docere animę scientiā, quā corpori dare escā. Et D. Grego. Maius miraculū est verbo consolationis peccatorē cōuertere, quā carnē mortuā suscitare.

similitudo

similitudo

D. Augu.

D. Grego.

¶Tandē, ideo Ioannes venit in omnē regionē Iordanis prǽdicans baptismū pœnitētiæ, vt adimpleretur qđ Esai. ait: Calamū quassatū nō cōfringet, & lignū fumigās nō extinguet: Quid enim calami nomine (inquit Gregor.) nisi Iudaici populi tēporale regnū, denūtiat, virens quidē exterius sed interius vacuum? Et quia in eodē populo genus iā regale defecerat, & regnū ei9 alienigena possidebat, aptē hoc quidem regnum, calamū quasatū vocat. Quid vero per lignū, nisi ei9 sacerdotiū exprimitur: quod lineis nimirū vestibus vtebatur? quod quia in aduentu Dñi charitatis ardorē perdidit, quasi amisso iā igne fidei, nō ardens sed fumigans fuit. Incarnatus autē Dñs, calamū quasatū non cōfregit, & lignū fumigās nō extinxit: quia Iudęę regnū, quod penē destructū iā fuerat, eiusq; sacerdotiū quod ignē fidei nō tenebat, nō potestate iudicij pertulit, sed cū pacientiæ longanimitate tolerauit, atq; ad se trahere conatus est. Ideo factum est verbum eius ad Ioannē qui venit in omnem regionē Iordanis, prǽdicās baptismū pœnitētiæ, in remissionē peccatorū.

Esai. 42. a

Grego 33. moral.

¶*Prædicans baptismū pœnitentiæ.* Maximē conueniens fuit, quod Christi præcursor, tam stupenda vitæ sanctitate antecederet: ita vt verum esse Messiam, à multis existimaretur: vt postquā tantam nancisceretur auctoritatem, suo testimonio populum ad Christum verum Messiam remitteret. Obidq; cum circuncisio tam chara Iudæis fuisset, eo quod a Deo illam acceperant: durissimum erat vt illam relinquerent: Baptizantique Christo sua opinione fabri filio, auscultarent. Et ideo magno Dei consilio actū

Ioānis auctoritas quā necessaria.

quare baptizabat Ioānes.

actū est, vt Ioānes de genere sacerdotū, quorū erat circuncisionē tueri, illo baptizandi ritu ab illa diuerso, populum demulceret, & ad baptismū Christi inclinaret. ¶*Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorū, &c.* Heb. pro, prædicans eos ante actę vitæ pœniteret, & lauarentur aqua, in signū condonatorū peccatorū per Christū. ¶Certa res est apud catholicos, baptismū Ioānis Spiritum sanctum non dare: vt ipsemet testatus est apud Matth. c. 3. Ego (inquit) baptizo vos in aqua in pœnitentiā: qui autē post me venturus est, fortior me est, &c. ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne. Quasi dixisset: virtus quidem mea, ad corpus tātū aqua materiali pertingit: sed virtus quæ fortior est, Christi spiritu & igni vsq; ad animā penetrabit. Vnde D. Grego. ho. quadam, eundem exponēs locum: Ioānes (inquit) non spiritu sed aqua baptizat, quia peccata soluere non valebat. Præterea Ioā. 1. cū interrogaretur idem Baptista, cur baptizabat si Christus non erat, ait: Ego baptizo in aqua. Quasi dicat: nō in spiritu, &c. sed qui misit me baptizare in aqua, ipse mihi dixit: super quē videris spiritū descēdētē & super eū manētem, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Vnde D. Aug. in inchiri. & refertur de consecra. d. 4. nō regenerabātur (inquit) vel renascebātur, qui baptizabātur baptismo Ioānis: sed præparabāt viā Dño Christo, in quo solo renasci poterāt qui parabātur. Efectus ergo baptismi Ioānis erat, præparare animos hominū impiorū ad gratiā per Christū conferendā. Erat enim hic baptismus, nō verū sacramentū, sed quodāmodo sacramētale baptismi Christ. Quare meritò à Beda cōparatur doctrinę Catechumenorū. Nā sicut Catechumeni ante baptismū, prius & quantū ad mentē per Catechismū erudiuntur de fide quā sunt professuri, deinde quantū ad affectū peccatorum redarguūtur, admonēturq; renunciare diabolo, ac demū peccatorū remissio illis promittitur: sic & Ioānes admonebat vt in Christū crederent, & peccatorum populū redarguens, remissionē illis per Christi baptismū pollicebatur, atque assue faciebat populum illo lauādi ritu, vt paratior ad baptisma Christi fieret. ¶Sed ais: si Ioānes prædicabat baptismū pœnitētiæ in remissionē peccatorū, cū huiusmodi remissio nō fiat nisi p gratiā, inde colligi ab aliquo poterit, Ioānis baptismū donare gratiā. Sed iam in principio explicuimus, hanc phrasim Euāgelistæ. Prædicabat enim Ioānes baptismum pœnitentiæ, qui sic vocabatur, non qđ esset sacramentū pœnitentiæ, sed qđ inducebat ad pœnitentiā, eo quod qui illū suscipiebant, profitebātur se pœnitentiam acturos, ad quā baptismꝰ ipse alliciebat, per hoc quod lotio illa corporalis, mundiciē animæ significabat, quæ fit per pœnitentiā. Itaque, vt ait Hiero. Mar. 1. gratia quæ per baptismū Christi dāda erat, quodāmodo per paranimphū initiabatur. ¶Secundus autem sensus Germanꝰ istorum verborū esse poterit, quod prædicabat Christi baptismū, quem appellabat baptismum pœnitētiæ, quo remittūtur peccata. Itaq; non solum suo baptismo lauabat homines, sed etiam prædicabat verum baptisma, & dicebat: ipse vos baptizabit in spiritu & igne.

¶*Vox clamantis in deserto: parate viā Dñi, &c.* Heb. pro, vox hominis clamantis in deserto auditur, quæ dicit: parate viā Dñi. ¶Appellatur autem D. Ioānes vox: Primo, quia ex se nihil dicebat, sed quę audierat à Deo. Secundo, quia sicut vox præcedit verbū, sic Ioānes Christū: Præibis (inquit Zachar.) ante faciē Dñi, parare vias eius. Tertio, quia vox verbū declarat. Sic Ioānes: ecce inquit agnus Dei, ecce qui tollit peccata mūdi. Quarto dicitur Ioānes vox, ad significandum officium suum esse, non mandare literis conciones suas, & vaticinia, more aliorū Prophetarū, sed voce: ad hoc enim missus erat, vt viua voce concionaretur & Christum ostēderet. Quinto, quia quidquid erat in Ioāne, vox erat: totus pœnitentiam & sanctitatē prædicabat: oculi, manus, vestis, & quidquid in eo erat clamabat, & totus vox erat. O singularē cōcionatorem, ò admirabilem Doctorem vitæ, & insignē vitā Doctoris. Sūt multi cōcionatores, qui quidem habent vocē,

Marginalia: Ioānis baptismus nō cōferebat gratiam. Matth. 3. — D. Grego. Ioā. 1. — D. Aug. de consecra. d. 4. — Efectus huius baptismi erat præparare ad gratiā per Christum conferēdā, erat enim velut sacramentale. — Obiectio. — Ratio. — D. Hiero. Mar. 1. — 2. sensus. — quare Ioānes vox appellatur. — Supra. 1.

sed non sunt vox: quia & si verbis prædicant, non tamen factis: similes aurificibus crucē efficientibus, sed eam nō cōtēplantibus, & vasa ad continendum salem, cū ipsi sint omni sale destituti. Sunt veluti puteus, cuius aqua abluuntur immunda vasa, cum ipse sit luto & spurcitia repletus. Itaque habent vocem: vox autē nequaquam sunt. At magnus iste præcursor in ventre matris suę sanctificatus, totus erat vox & non quæcunque, sed clamans, non solum loquens, sed vociferās. Tanta enim Iudæorum surditas, tantus sensuum stupor, tam arctus eorū & profundus somnus, magno clamore indigebant. Clamabat igitur D. Ioannes, & publicè concionabatur. Hunc imitari debent, hi quibus est demandata cura docendi. Quid ad hoc respondebūt illi, qui conciones spernunt? Qui cum ad Ecclesiasticas dignitates ascēderint, nihil nisi otium, delitias, voluptates & pecunias, quærunt: qui claues thesauri ferunt in brachio, claues autem animarum tradūt quibusdā clericis improbis & indoctis, qui non solum populum nō docēt, sed etiam Doctores contemnūt. Hos appellat Dominus per Esaiam, non pastores, sed canes, & non quoscunque, sed canes mutos, non valentes latrare, cum eorum officium sit enuntiare Euangelium, populi scelera reprehendere & deniq; subditos suos docere. Legant hi antistites D. Pau. ad Timotheum, & ad Titum scribentem, & ibi inter qualitates antistitū, inuenient, debere esse Doctores & concionatores. Quid plura? Ipse cœlestis doctor, diuinus ille concionator Christus Deus noster, quos præsules constituit, præcepit vt Euangelium prædicarent. Nec sat est summissa voce prædicare: sed oportet aliquando clamare, instar D. Ioannis, quem hic Esai. vocem esse clamitantē affirmat. Clamabat igitur Ioannes, & clamore illo etiam significabat, esse Euangelij prædicationem longè audiendam, lateque dilatandam: iuxta id quod alius Propheta prædixerat, in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum: quod significare voluit Spiritus sanctus in Angelo illo quem vidit Ioānes habētem pedem dextrū super mare, & sinistrum super terram. per mare, per terras ferendū erat ab Angelo, hoc est, cœtu prędicatorū Euangelium.

¶ *In deserto*. Hanc vocē docet hic locus in deserto clamasse, quia re vera erat Ioānes in deserto: semper enim viri præcellētes, deserta loca dilexerūt, est enim desertū, velut quędā schola paradisi. Ideo dicebat Deus per Oseā Prophetā: Ducā eā in solitudinē, & loquar ad cor eius. Ex quo effectū est, vt Antonius, Hylarion, Hieronymus, & innumerabiles alij, qui præstātibus ingenijs in vita humana diuina studia coluerūt, vrbibus relictis, solitudinē colerent, vt charitate ardentes, & desiderio ęternitatis flagrantes, ad cœlū aspirabāt. Et ob eā causam, à cœtu hominū seiuncti, tanquā in portū, se in desertū recipiebant. Hinc est qđ vidit Ioānes, vt ipse narrat Apoc. c. 12. mulierem amictā sole habentem lunā sub pedibus suis alis aquilarū à Deo sibi datis fugisse in desertū, vbi pasta est a Deo multis diebus: viri enim perfecti in hac muliere figurati induti sunt Christo qui est verus sol iustitiæ, & qui omnia huius mundi bona mutabilia in luna figurata contemnūt. Conculcant & stercora reputant, & fugiūt in solitudinem vt ibi pascantur à dño diuina sapiētia toto tēpore vitę suę. Poteris in hoc loco per desertum intelligere mundum, in quo habitant reptilia, & varia ferarum genera, pauci autē homines. Qui autem non paret rationi, sed indomitis ducitur appetitibus, nō homo vocādus est, sed fera. Hoc sentiebat Diogenes ille Cynicus (vt alias dicebā) qui in media luce diei plateam perambulās cū lucerna quadam in manu, interrogatus quid quæreret, respondit hominem quærere, quoniā eos quos videbat, non homines esse iudicabat. Heu nos miseros, quia hinc est quod clamet Ioānes, sed in deserto: Quod voces ad sidera tollat cōcionator sed in casum, nā nō homines sumus, sed feræ, nō homines sed serpētes, & aspides de quibus Dauid ait: furor illis, secūdū similitudinē serpētis sicut aspidis surdę obturantis aures suas, quæ non

non audiuit vocem incantātis venefici incantantis sapienter. Psal. 57. Obturamus enim aures nostras cauda voluptatum & deliciarū huius mundi ne audiamus vocem cōcionatoris dicentis: parate viam Domini, &c.

¶*Parate viam Domini*. Hoc quidem est quod vox in deserto clamabat. Ac si diceret: expiate animos vestros, vt veniat ad vos Christus: expurgate illi viā, vt veniat: auferte lapides, cæteraque impedimenta, hoc est: discedite a peccatis, & dirigite viam actionibus virtutum. Nō dicit: parate vias vestras, sed viam Dñi. Viç nostrç sunt peccata, viç Domini virtutes; ideo ait Deus per Esaiā: non sunt viæ vestræ viæ meæ. Via Dñi est quæ ducit ad Bethsames, hoc est, ad domum solis, per quam eunt vaccæ legem Dei secum ferētes. De illa dicunt damnati (vt in lib. Sapientiç scriptura cōmemorat) errauimꝰ a via veritatis. Hominum autē via est ea, quæ ducit a Hierosolymis ad Iericho, de qua dicūt qui in inferno cruciantur: Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis: ambulauimꝰ vias difficiles. Hęc est, illa via, de qua ait Salo. in Prouer. Via impiorū tenebrosa, nesciūt vbi corruāt. Et in Ecclesiastico ita scriptum legimus: Via peccantiū cōplantata est lapidibus, & in fine illorū inferi, & tenebræ, & pœnæ. Relinquamꝰ igitur vias nostras, nos ad eternos cruciatus ducentes, & viam Dñi paremus. ¶*Parate viam Dñi*. In lib. Gen. est memoriæ proditū, clamasse præconē, vt omnes corā Ioseph genuflecterēt, eūq; terræ gubernatorē esse agnoscerent. Quis est hic Ioseph, qui quærēs fratres suos fuit vēditus, & acerbis iniurijs affectus, nisi Christus, mundi seruator & rector? Quis est hic pręco, qui clamabat, vt eū agnoscerent & reciperēt, nisi Ioannes ille Baptista, ille gloriosus & admirādus præcursor & præco, illa magna vox quæ clamabat hodie, vt viā Christo pararent, eūq; verū Dei agnū mundi peccata tollentē intelligerēt, esseq; mūdi creatorē & restauratorem nequaquā dubitarent. ¶*Parate viam Dñi*. Hoc quod Propheta Esai. hic ait, idem est cū eo quod in Euangelio dicitur: agite pœnitentiam.

Psal. 57.

Vię nostrę sunt peccata viæ domini, virtutes, has vias parare debemus.

1. Reg. 6. Figura.

Sapien. 5.

Pro. 4.

Eccle. 21.

Gen. 41. Figura. Ioannes præco fuit veri Ioseph. hoc est, Christus.

A Tūc ergo viam Dñi paramus, cum malæ ante actæ vitæ, nos ex corde pœnitet. Et hoc idem est quod Psalmista docet Psal. 88. Iustitia (inquit) & iudicium, præparatio sedis tuæ. Tunc enim quis sedem Domini præparat (ait D. Bonauen.) cum seipsum examinat, cum se punit & castigat. Beati enim qui custodiūt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore. Custodi igitur iudiciū, hoc est: te ipsum discute, te ipsum argue, vt animus a peccati vulneribus medeatur. Nam, vt Iob
B affirmat: qui nō amat iudicium, sanari non poterit. Et honor Regis (inquit Dauid) iudicium diligit. Ideo namque a Domino iudicamur, & in perpetuas pœnas dānati detrudimur, quia nos ipsos non iudicamus. Si enim nos ipsos iudicaremus (vt Paulus ait) non vtique iudicaremur. Agnosce igitur delictū tuū. Nam vt Augustinus ait: si tu agnoscis, Deus ignoscit. Quod si feceris: viam & sedem Domini præparabis. ¶ *Parate viam Domini*. Quomodo si solem vellet Deus ostendere, moneret vt oculos para-
C remus carnis, & eos mundaremus & aperiremus: sic volens ostendere solem iustitiæ, hoc est, Christum Dominum, monet vt aperiamus & mundemus oculos cordis. Hoc est, parare viam Domini. ¶Præterea via Dei (vt Grego. ait) pax: via Dei humilitas: via Dei patientia est. Hanc viam parare debemus. Sed quia hæc omnia iniqui despiciunt, dicunt: scientiam viarum tuarum nolumus: dum enim in præsenti vita superbiunt, dum honoribus inflantur, dū etiam, si non habent, appetunt: Vias Dei in sua cogitatione cō-
D temnunt. Quia enim via Dei in hac vita humilitas fuit ipse hic Deus Redemptor noster, ad probra, ad contumelias, ad passionem venit, & aduersa huius mundi æquanimiter pertulit, prospera fortiter vitauit: vt & prospera doceret æternæ uitæ appeti, & aduersa præsentis vitæ non formidare. Sed quia iniqui gloriæ vitæ præsentis appetunt, ignominiam fugiunt, dicere memorantur: scientiā viarum tuarum nolumus. Scire quippe noluit quod facere cōtemnūt. Hæc Greg. Cæterum ait nobis Ioānes parate viam

Tunc viā Dñi paramus, quā nos pœnitet ante actæ vitæ in peccatis Psal. 88.

D. Bona. Psal. 115.

Iob. 24. Psal. 48.

D. Augu. Vi. Bona. 1. p. de doctrina cor. dis. c. 12.

Ex Augu. Psal. 97. D. Grego. Via Dei pax, humilitas, patiētia.

Iob. 21. b

Grego. 15. mor. c. 19.

Domini. Respõdeamus illi, Dñi, hoc est. Nam vt Salo. ait Pro. 16. Dñi est dirigere gressus eius: el hõbre pone y Dios dispone, cor enim hominis disponit viam suã, sed Dñi est dirigere gressus eius ipse enim ducit nos tanquam cęcos, & manu ducit in patriam cœlestem: hinc est quod electi instanter postulãt à Deo quod Ecclesiasticus ait, c. 16. Dirige nos in viam iustitiæ. Cæci enim sumus Domine viã tuam ignoramus duc ergo nos in viam æternam vt perueniamus ad patriam. Tenuisti Domine manum dexteram Dauid gratia tua & peruenit ad gloriã tuã vnde ipse dicebat: tenuisti manum dexteram meam & cum gloria assumpsisti me. Psal. 72. Si ergo Dominus dixerit: cõuertimini ad me. Dicamus nos illi: conuerte nos Domine ad te & conuertemur: quia postquam conuertisti me egi pœnitentiam, Hiere. 31.

Ecclesi. 16. *Psal. 72.*

¶ *Rectas facite semitas eius.* Heb. pro, complanate vias, per quas venturus est. Obserua, quod vita eius qui solum viuere contendit, & qui tãtum quæ sua sunt quærit non quę Iesu Christi, non recta, sed curua merito appellanda est, cum in se reflectatur. Item recta nõ est vita illa, quę ad latus aliquod declinat. Virtutes ergo omnes, vitam rectam efficiũt, vitia vero, curuam & inflexam. Item cũ rectũ sit cuius medium non exit ab extremis, extrema autem vitę nostræ cum sit Deus principium, & Deus finis: vita recta erit illa, quę sicut est à Deo & ad Deum, ita sit sub Deo, cum humilitate eius imperium semper implens, sicut ab eo habuit initium, & ab eo expectat præmium. Cũ ergo cogitationes nostræ, cum affectus, verba, & actiones à vera regula diuinæ legis non dissonant, tũc recta vita nostra dici potest. Huic rectitudini peccatum est oppositum, prout D. Augu. illud describit: peccatum (inquit) est: dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Qua in definitione, pro concupitũ, inteligi venit omnis praua cogitatio, omnis iniqua affectio. Præterea, vita recta est illa, cũ voluntas in nullo à ratione recta dissentit. Voluntate enim rectè viuitur, voluntate peccatur, vt Augu. ait: Ratio recta regula & canon est voluntatis. Vnde D. Bern. super illa verba, can. recte diligunt, ait illum verè rectum corde dixerim, qui & rectè in omnibus sentiat, & à recto quod senserit in nullo dissentiat. Complanemus igitur cogitationes, complanemus affectus, cõplanemus verba & actiones, humiliemur sub potenti manu Dei: a recta ratione nõ deuiemus, & tũc rectas faciemus semitas Domini.

Quando vita nostra recta; quando curua, dicitur. *D. Augu.* *Augu.* *D. Berna.* *Cant. 1.*

¶ *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur: & erunt praua in directa, &c.* Futura pro imperatiuis, quibus carent Hebræi, in hoc loco ponuntur, pro, omnis vallis impleatur, & omnis mons humilietur, & sint praua indirecta. ¶ Cæterum per vallem intelligit humiles, qui à Ioanne præcipiuntur eleuari: per montem & collem, potẽtes & elatos, qui à Ioanne deprimi iubentur. Et ita factum est: nã deposuit Deus potentes de sede & exaltauit humiles, idest, vulgares homines Apostolos Christus euexit, Scribas & principes sacerdotum contempsit, secũdum illud Ezech. cap. 6. Hæc dicit Dominus Deus montibus & collibus: ecce ego inducã super vos gladium, & disperdam excelsa vestra. ¶ Vel per vallem intelligitur, animi fragilitas, & nimius metus, per montem vero, elatio & superbia, quasi dicat: auferatur è medio pusillanimitas & superbia. Si superbus vult vt Deus ad ipsum veniat, auferat montem elationis, & imbecillus ac nimium timens, impleat sancta securitate & fiducia in Christo vallem timoris & pusillanimitatis. ¶ Sint etiam praua in directa, & aspera in vias planas. Hoc est, qui antea dabant operam iniustitiæ & prauitatibus, qui iura violabant & fundamenta iustitiæ peruertebant, sint iusti, & actiones suas ad rectam rationis normam dirigant. Iniustitiam appellat viam obliquam, & tortuosam: Quemadmodum alio in loco Esaias, principẽ iniustum, serpetẽ tortuosum appellauit. Tempore ergo Christi, iniustitia versa est in ęquitatẽ, & aspera in vias planas. Hoc est: homines insolentes, agrestes, elati, facti sunt modesti, mites & lenes. ¶ Sunt quidam homines qui

Futura pro imperatiuis quibus carent Hebræi. *Per vallẽ humiles, per mõtes & colles potentes & elatos.* *Ezech. 6.* *Per vallẽ animi fragilitas per montes vero elatio intelligitur.* *Iniustitia vocatur via obliqua & serpens tortuosus. Esai. 27.*

qui in te conferunt beneficia, sed tã elati, vt prius te asperitate vulnerent, quàm beneficia concedant, similes arboribus spinosis, quæ prius te pungunt, quàm ab illis fructum euellas. At diuina gratia, intractabiles fiunt lenes & suaues. Omnis viarum difficultas & deformitas, aut est propter altos montes, aut propter profundas valles, aut propter obliquitatem & anfractus, aut propter asperitaté. Omnia hæc impedimenta dicit vt auferantur: omnes hæc difficultates & deformitates vt corrigantur. Voluit D. Vates & eloquentissimus orator, hac metahpora, vt tollatur superbia, & nimia trepidatio, atq; animi imbecillitas & iniustitia, ac morum asperitas & insolentia, & omnia deniq; impedimenta ad recipiendum digne Christum. ¶ Hinc discant cõcionatores, eorum munus esse, parare viã Domini. Hoc est: Primum corda disponere, vt Deus in illis habitet. Quod facient, si valles impleant. Hoc est: si timidos & pené desperatos, spe & fiducia erigant, si montes & colles humiliari faciant. Hoc est: si eos qui nimium præsumétes de diuina misericordia, timore & tremore cõterát, si iniustos & insolétes persuadeát, viam impiorum esse complantatam lapidibus, & iugum Domini esse suaue: si deniq; doceant dirigere viam Domini. Idest: omnem nostram vitam in Deum, ita vt vnusquisquè nostrùm dicat: Dirige Domine Deus meus in cõspectu tuo viã meam.

Similitudo

Munus prædicatoris describitur.

¶ *Videbit omnis caro.* In voce, caro, Notatio est. Significantur enim omnes, qui ad doctrinam Euangelij cor adferét carneum. i. qui præbebunt se dociles. *Et videbit omnis caro salutare Dei.* Christum appellat salutare Dei, quod diuinã salutem attulerit hominibus. Ægrotauerat homo propter peccatum: venit salutare Dei Christus Iesus, vt mundi morbis mederetur, & ægris salutem tribueret. Mundi ægritudines explicat Oseas, dicens: non est veritas, non est misericordia, non est scientia Dei in terra. Maledictum, mẽdatium, homicidium, furtum, & adulterium, inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit: propter hoc lugebit

Christus salutare dei vocatur.

Oseæ. 4. Mũdi ægritudines quæ sint.

A terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea. Vbi vides, inter ægritudines ignorantiam connumerari, & Dei scientiç defectum. Hæc est magna phrenesis, periculosa paralysis. Ideo venit diuinus medicus ad dãdam sciam salutis plebi eius, vt ait Zacharias. Venit ergo curatum genus humanum: de quo ait Esai. A planta pedis vsque ad verticem capitis, non est in eo sanitas. Hoc est, à plebeio vsque ad principem, omnes in erroribus & prauitatibus versantur. Hæc generis hominũ

Luc. 1.

Esai. 1.

B ægritudo, fuit in Ezechia ægroto significata, quando vt sanitatem recuperaret, sol reuersus est retrorsum, qui imaginẽ Christi gerebat, qui vt genus humanum curaret, assumpsit humanitatem, & seipsum exinaniuit, vt aduentu suo, nos à cõtractis sceleribus expiaret, omniumquẽ virtutum ornamentis decoraret, & in dignitatem ad salutem amissam, suo sanguine restitueret. Qua de re, poteris ea videre quæ supra explanauimus. c. 1. super verba illa Angeli: & virtus altissimi obumbrabit tibi. ¶ *Et videbit omnis caro salutare Dei.* Pro eo quod in hoc lo-

Figura.

C co Luc. ait: & videbit omnis caro salutare Dei, dixerat Esaias: & videbit omnis caro quod os Domini loquutum est, idest. videbunt omnes homines qui ad doctrinam Euangelij cor adferent carneũ, Christum loquẽtem, & cum hominibus conuersantem. Antea loquebatur Dominus per Prophetas, sed tunc loquetur ore suo: Os ipsius Christi Domini nostri hominibus loquetur. Cæterum hic locus iuxta translationem septuaginta citatur à Luca. Vnde ex hoc Euangelico loco; & ex translatione septuaginta ar-

D gui potest deesse vocem vnam in lectione Hebræa, Iesum. Quoties enim latine redditur à septuaginta viris salutare, Hebraicé est Iesuah, vt docẽt veteres, & res ipsa indicat, si id experiri velis. Cum ergo vox illa, salutare, Hebraice non sit: argumentum est deesse Hebraicé, & reponendam ex translatione septuaginta, & ex lectione Euangelica eam vocem Iesuah, quã septuaginta reddere solent, salutare Dei.

Castro. 690.

H 4 *Dice-*

Dicebat ergo ad turbas qui exibãt ut baptizarentur ab ipso. Genimina viperarũ, quis ostẽdit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitẽtiæ: et ne cœperitis dicere. Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potẽs est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ: iam enim securis ad radicẽ arboris apposita est. Omnis ergo arbor nõ faciens fructũ bonum, excidetur et in ignẽ mittetur. Et interrogabant eum turbæ, dicentes. Quid ergo faciemus? Respondens autem dicebat illis. Qui habet duas tunicas, det non habẽti: & qui habet escas similiter faciat. Venerũt autem et publicani, ut baptizarentur: & dixerũt ad illũ, Magister quid faciemus: & ille dixit ad eos. Nihil amplius quã quod cõstitutũ est vobis faciatis. Interrogabant aũt eum & milites dicẽtes, quid faciemus et nos? Et ait illis. Neminem concutiatis neq; calumniam faciatis, sed contenti estote stipendijs vestris. Existimante autem populo, et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne forte ipse esset Christus: Respondit Ioannes, dicens omnibus. Ego quidem aqua baptizo vos: veniet aũt fortior me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni, cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit areã suam: et congregabit triticũ in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Multa quidem et alia exhortans, euangelizabat populo. Herodes autem Tetrarcha, cum corriperetur ab illo de Herodiade uxore fratris sui, et de omnibus malis quæ fecit Herodes: adiecit et hoc super omnia, & inclusit Ioannem in carcerem. Factum est autem cum baptizaretur omnis populus et Iesu baptizato et orante, apertum est cœlum, et

1. Ioan. 3. c

Matth. 3. c
Mar. 1. b
Ioan. 1. d.
Act. 1. d. & 11. c. 19. a

Matth. 3. e

Matth. 3. d.
Mar. 1. b
Ioan. 1. c.

et descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum: & vox de cælo facta est. Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi. Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta: vt putabatur filius Ioseph, qui fuit Heli, qui fuit Matthat, qui fuit Leui, qui fuit Melchi, qui fuit Ianne, qui fuit Ioseph, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Naum, qui fuit Hesli, qui fuit Nagge, qui fuit Mahath, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Ioseph, qui fuit Iuda, qui fuit Iohãna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri, qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosam, qui fuit Elmadam, qui fuit Her, qui fuit Iesu, qui fuit Eliezer, qui fuit Iorim, qui fuit Matthat, qui fuit Leui, qui fuit Simeon, qui fuit Iuda, qui fuit Ioseph, qui fuit Iona, qui fuit Eliacim, qui fuit Melcha, qui fuit Mẽna, qui fuit Matthatha, qui fuit Nathan, qui fuit Dauid, qui fuit Iesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naasson, qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Esron, qui fuit Phares, qui fuit Iudæ, qui fuit Iacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Thare, qui fuit Nachor, qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit Cainam, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sẽ, qui fuit Noe, qui fuit Lamech, qui fuit Mathusale, qui fuit Henoch, qui fuit Iared, quid fuit Malaleel, qui fuit Cainã, qui fuit Enos, qui fuit Seth, qui fuit Adã, qui fuit Dei.

Genimina viperarum. In actis Apostolorum scriptum à D. Luc. legimus, in vase illo linteo quatuor initijs subnixo, de cœlo in terram descendente, omnia quadrupedia, & serpẽtia terræ, & cœli volatilia, contineri. Explicans autem pauló post visionem hãc: mihi (inquit) ostendit Deus neminem immundum dicere hominem. ¶ Cum autem per illa animalia homines significarentur: constat in diuersis animalibus diuersos hominum mores demonstrari. Pharisæi & Sadducæi ob virulentã animi maliciam genimina viperarum, à D. Ioanne in hoc loco vocantur. Herodes ob impias fraudes & dolos vulpes appel-

Act. 10.

In diuersis animalibus diuersi hominum mores demonstrantur.

Luc.13.
1.Timo.6.
Esai.14.

latur. Diuites vero, qui iuxta Pauli sententiam inseruerũt se doloribus multis per hericium ab Esaia significantur: & ponã (inquit) eam, in possessionem hericij. Cũ enim Dominus diuitias huiusque seculi curas, comparet cum spinis, sit autem hericius animal spinis plenum: aperte colligitur per hericium diuites significari. Vide quę de hac re annotauimus. c.7. super Matthæum, in illa verba: Nolite dare sanctum canibus: ne sępius eadem repetamus. ¶ *Genimina viperarũ, quis ostendit vobis fugere a ventura ira?* Vel quis submonuit vos, vt fugeretis aut fugere posse putetis imminẽtem iram. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Ac si diceret: apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus. Sustinete virgã corripientem, ne sentiatis malleum conterentem. ¶ *Genimina viperarum, &c. facite fructus dignos pœnitentiæ.* Ostendit hic locus, falsum esse id quod Lutherus ait, nempe: contritionem execrabilẽ esse. Damnat enim gemitum & fletum, & omnem pœnitentiam, quæ fit per detestationem peccatorum. Sed de hac hæresi multa diximus. c.12. Matth. super illa verba: Viri Niniuitæ surgent in iudicio, &c. Quia pœnitentiam egerunt.

Matt.12.

¶ *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Quasi diceret: proinde si vere vos pœnitet superioris vitæ, subite mores alios: & factis ipsis declarate vos esse correctos. Hactenus vt syluestres, arbores, produxistis malorum operũ acerbos & exitiales fructus: superbiam iracundiam, auariciam, inuidiam, hypocrisin, contentionẽ: Nũc si vere conuersi estis in bonas arbores: ædificate fructus bonos testes mutati in diuersum animi. Nihil opus est mutare vestem, mutandæ sunt prauæ cupidates animorum. Hæc est radix arboris, quæ si succum habet amarum ac pestiferum, nascuntur in ramis mali fructus: sin contra, radix succum suauem ac salutarem suffundat in ramis, nascũtur illi Deo digni fructꝰ spiritus: pro odio, charitas, pro amarulentia, gaudiũ, pro discordia, pax, pro ferocia, tolerantia, pro rapacitate, beneficentia, pro impudicitia, castitas, pro fraudulentia, simplicitas, pro arrogãtia, modestia, pro superstitione, pietas.

¶ *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* D. Gregor. Homi. 20. exponens hunc locũ, ait: in his verbis notandũ est, quod amicus sponsi non solum fructus pœnitentiæ, sed dignos pœnitentię, admonet esse faciendos. Aliud namque est fructum facere: aliud, dignum pœnitẽtiæ fructum facere. Vt enim secundum dignos pœnitentiæ fructus loquamur, sciendum est, quia quisquis illicita nulla cõmisit, huic iure conceditur, vt licitis vtatur, sicque pietatis opera faciat, vt tamen si voluerit, ea quę mundi sunt non relinquat. At si quis in fornicationis culpam, vel fortasse (quod est grauius) in adulterium lapsus est, tanto a se licita debet abscindere, quanto se meminit & illicita perpetrasse. Neque enim par fructus boni operis esse debet, eius qui minus & eius qui amplius deliquit, aut eius qui nullis & eius qui in quibusdam facinoribus cecidit, & eius qui in multis lapsus est. Per hoc ergo quod dicitur facite dignos fructus pœnitẽtiæ, vniuscuiusq; consciẽtia conuenitur, vt tãto maiora acquirat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quanto grauiora sibi intulit dãna. Hæc Gregor. ¶ *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Hebr. i. vobis funditus ad vnum deletis, instaurare posteritatem ipsi Abrahæ (Abrahæ) datiui casus est.

D. Grego. ho. 20. quid est facere fructus dignos pœnitentiæ.

¶ *Qui habet duas tunicas, det vnam non habenti.* D. Hierony. q. 1. ad Hedibiam, ait: Dominus præcepit, qui habet duas tunicas, det vnam non habenti. At de ipso dicitur Matthæi 20. Diuiserunt sibi vestimẽta mea, & super vestem meã miserunt sortem. Quid si scythæ frigora & Alpinæ niues, quæ non duabus & tribus tunicis sed vix pecudum pellibus repelluntur: vna tunica debemus esse contenti? Quidquid ergo corpori nostro sufficere potest, & humanæ succurrere imbecillitati, hoc vna appellãda est tunica: & quidquid in præsentibus alimẽtis necessarium est, hoc vnius diei victus appellatur. Vnde preceptum est: ne cogiteis de crastino. Hoc est, de futuro tempore. Et Apostolus: habẽtes victum &

D. Hiero.

Matt. 20.

quid sit vnam aut duas tunicas habere

Regula. Ex consuetudine Ecclesiarũ & factis proborum virorum scriptura interpretanda est.

& vestitu in his contenti sumus. ¶ Est ergo notanda regula; quæ sumpta est ab Augustino, lib. de mendacio ad consentium. c. 15. quod ex consuetudinibus Ecclesiarum & factis proborum hominum, sunt scripturæ interpretandæ: si quid forte occultum est in illis: Veluti cum legimus in Euangelio: Accepisti alapam, para alteram maxillam. At Dominus cum percussus esset, non ait: ecce altera maxilla: sed ait: Si male loquutus sum, testimoniũ perhibe de malo. Quo facto ostendit: illam præparationem alterius maxillæ, in corde esse faciendam. Scriptum est etiam: non iurare omnino: iurauit autẽ Apostolus in epistolis suis, & sic ostendit quomodo accipiendum est quod dictum est: dico vobis: non iurare omnino: ne scilicet iurando ad facilitatem iurandi veniatur, & ex facilitate ad consuetudinem, atque ita ex consuetudine, in periurium decidatur. Et ideo non inuenitur iurasse nisi scribens: vbi consideratio cautior, non habet linguã præcipitem.

Matth. 5. f

Ioan. 18. e

Matth. 5.

¶ *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & state contenti stipendijs vestris.* Solet hoc hominum genus, tribus potissimum modis esse noxium: violentia, calumnia & rapinis. Frequenter enim arma quę princeps dedit ad defensionem publicæ tranquillitatis aduersus hostem, vertunt in ipsos ciues: & qui bus publica salus defendi debuerat, his vlciscuntur iram priuatam. Prædantur itaque frequenter, incendunt, abigunt, vi constuprant fœminas, perrumpunt fores, exigunt ac pulsant hospitem: id quoniam plerumque faciunt impune, credunt licere. ¶ Rursus alij falsó deferũt apud Principes aut Duces, innoxios: quo pars facultatum confiscaturum ad ipsos reddeat calũniæ precium. Ad quæ facinora conniuent nonnunquam principes dũ suis militib9 gratificari studẽt. ¶ Plerique dum quod à principe nomine salarij datur, scortis, alea, temulentiaque prodigunt, rapto furtisque rei iacturam sarciunt: & non solum non resoluũt quod debent, sed vltro extorquent ab agricolis quod non debetur, ac sibi quid

Vitia militum. Violentia

Calumnia

Rapina

Leges iusti belli.

A uis licere credũt belli nomine, cum bellum iustum habeat & suas leges, si iusta de causa suscipiatur. Hoc est: si pro defensione publicæ tranquillitatis, si sic vitari non possit, si per pios Principes, si cum assensu eorũ, quorum interest, bellum suscipi, si legitimis ritibus indictũ, si iustis ac moderatis rationibus geratur, hoc est, quam minima sanguinis humani profussione, si quàm minima iactura eorum, qui bello causam non dederunt, si per duces coerceatur militum temeritas, si non cõferantur manus nisi per milites iuratos, si non nisi iussu ducum, dato congrediendi signo, si mox abstineatur à pugna simul atque receptui cecinerint tubæ, si cumprimum licuerit bellũ finiatur. Huic igitur hominum generi Ioannes ostendit quid facere soleant, & quid post hac vitare debeant, si velint efugere vindictam Dei: Ne quẽ (inquit) concutiatis, ne quem falso deferatis lucri gratia: sed state contenti stipẽdijs vestris.

B

C ¶ *Existimante autem populo, & cogitãtibus omnibus in cordibus suis de Ioãne, ne forte ipse esset Christus: Respondit Ioannes dicens omnibus, ego quidẽ aquã baptizo vos, &c.* Fidelis amicus sponsi; magis amator Domini sui quàm sui, se minui vt ille cresceret optabat, & de minoratione sui gloriam illius augere satagebat, ante Apostolum opere & virtute dicens illud Apostolicum: non nosmetipsos prędicamus, sed Dominum Iesum Christum. Ideo nimirum magna est gloria eius in salutari tuo, in Iesu tuo Domine, cuius iustitiæ & bonitatis est diligentes se diligere, & gloriantes se multo amplius glorificare. Maluit itaque Ioannes in Domino sane quã in seipso vane gloriari: quia & maluit à domino veraciter quàm à seipso fallaciter commendari. O filij hominum vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem & quęritis mẽdacium? Vt quid vanam & mendacem gloriam diligitis, & gloriam adinuicem accipitis, vel quæritis, & gloriam quæ à solo Deo est non vultis? Sed quomodo quæritis? Vtinam agendo fortia, non loquendo sublimia. Vtinam saltem vera loquen-

D

quod sommis condẽnetur exẽplo, qui cæteris detrahũt vt appareãt gloriosi.

2. Cor. 4. b

Psal. 4. a

Ioã. 5. g

loquendo licet vane, & non mentiendo plane. Vtinam denique mentiendo de nobis, non etiam detrahendo de alijs. Hoc iam non est gloriam accipere, sed quærere, sed magis furari & rapere. Certe si gloriam ab homine non quæreres, sed oblatam acciperes, iam ex hoc secundum veritatem non ambulares. Nunc autem quid? cum non solum accipis si offertur, sed & quæris cum nõ offertur. Quid denique cum alium velut trucidas, venenosa & insidiosa lingua, vt gloriam eius tibi rapias, vt de malo eius tu melior, de contemptu eius tu gloriosior appareas? Sit ergo illud, gloriam scilicet, accipere & quærere ab homine, insipientium vanitas. Quid istud nisi sæuientium crudelitas? Sit certe illud, vt minus loquar, tentatio humana. Quid istud nisi imitatio diaboli? Imitentur eum qui sunt ex parte eius.

Baptismus Ioannis gratiã nõ conferebat.

¶ *Ego quidem aqua baptizo, etc. venit autem fortior me post me, etc. ipse baptizabit vos in Spiritu sancto.* Quibus verbis satis ostenditur, baptismum Ioannis gratiam non contulisse, sicut baptismus Christi. De qua re superius diximus, in illa verba: prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.

Deut. 4.
Heb. 12.

¶ *Ipse baptizabit vos in Spiritu sancto et igni.* Heb. idest, purgabit vos per Spiritum sanctũ: venturum in linguis igneis, vel intus inflãmantem quasi ignis: vel qui ignis est. Deus namque noster ignis consumens est.

Relatiua apud Hebræos redũdare solent.

¶ *Cuius non sum dignus soluere corrigiam calciamentorum eius.* Vide quæ annotauimus Matth. 3. in illa verba: cuius non sum dignus calciamenta portare, vbi concordantur Euangelistæ.

¶ *Cuius ventilabrũ in manu eius.* Græ. cuius in manu ventilabrum ipsius. Et est Heb. altero relatiuorum redũdante. Sic Psal. 117. mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. Gene. 2. de ligno quod est in paradiso, non comedes ex eo. Redundat vtrobique alterum relatiuorũ.

Psal. 117.
Gen. 2.

Mũdus area dicitur & qua re.
Similitudo

¶ *Permundabit aream suam.* Perpende in hoc loco: mundum aream appellari, & merito. Nam quemadmodum triticum quod est in horreum recondendum, A prius à bobus trituratur, vt ab eo excutiatur paleæ, & ipsum purum remaneat: sic viri iusti in hoc mũdo, varijs afflictionibus teruntur, multisque inuidiæ telis expositi, atque infinitis calamitatibus oppressi, à bobus, hoc est: à sceleratis veraque sapientia carentibus, conculcantur: vt sic mundi & purificati, nudi a paleis & terrenis affectibus, in horrea Christi, hoc est: in cœlestes mansiones recõditi, diuina visione in æternum fruantur. Aspicis ergo esse hunc mundum afB flictionum aream, cœlum autem, iustorum cellarium. Hinc est, quod Esai. c. 21. appellat Hierosolymam: trituram Dei, & filiam areæ suæ, dicens: tritura mea & filia areæ. Appellat tritura, quod esset multis afflictionibus trituratam & oppressam. qua ratione eam appellat filiam areæ.

Esai. 21

Impij stipulæ & paleæ & pulueri cõparantur.

¶ *Paleas autem comburet igni inextinguibili.* Impij ac scelerati homines, paleæ, stipulæ, & pulueri, comparantur, quibus nihil est vanius, nihil facilius cõC sumitur, nihilque facilius euanescit. Aspice & attẽto animo intuere humani iudicij deprauationem, & rerum humanarum imbecillitatem. Huius mundi fortitudo & potentia, quam nos firmissimam putamus, stipula & vana palea est leuis vacua, & breui consumpta & in fauillam igni illo inextinguibili conuertetur, & eius flos & pulchritudo, puluis est ater, sordidus, molestus, à vento dispersus & exagitatus. Vnde Malach. ita ait: Erunt omnes superbi & omnes faciẽtes impietatẽ, stipula, & inflammabit eos dies veniens. Et Iob: Erunt (inquit) sicut paleæ D ante faciem venti, & sicut fauilla, quam turbo dispergit. Et Psal. non sic impij, nõ sic, sed tanquam puluis quẽ proijcit ventus a facie terræ.

Malach. 4.
Iob. 21.
Psal. 1.

¶ *Adiecit et hoc super omnia, et inclusit Ioannem.* Heb. pro, vt incluserit Ioannem. ¶ Quæ vero de carcere Ioannis narrat Matth. cap. 14. narrat in hoc. c. 3. Lucas per prolepsin siue per anticipationem: quæ figura frequẽs inuenitur in sacra scriptura. Sic in principio Geneseos, terra vocatur: quæ tamen nondum erat creata. Vt cum dicitur: terra autem erat inanis

Matth. 14.
Prolepsis Figura frequens in sacra scriptura.
Gen. 1.
Gen. 1.

Gen. 9. inanis & vacua. Sic Gene. 9. Chan, vocatur pater Chanaam, qui tamé nondum natus erat. Sic Mar. 3. c. annumerás duodecim Apostolos, quos Christus elegit, ait. & Iudam Iscariotem, qui tradidit illum: nondum enim eum tradiderat, sed c. 14. Dominum tradidisse narrat idem Marcus, sed præoccupauit Euangelista rei gestę tempus, id ipsum suo loco latius tractaturus.

Mar. 3.

Mar. 14.

¶ *Descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipso.* Meritò in specie auis præsentiam suam spiritus innotuit, qui desursum veniens vbi vult spirat, & nescitur vnde veniat, aut quo vadat. Veruntamen non edacis corui ingluuiem, aut violentiam rapacis accipitris, non turpedinem merulæ, non monedulæ auariciam, non struthionis pennas inutiles, non pauonis vanam ostentationem, non iracundiam cygnorum, nó multarum garritus auium, sed columbæ simplicitatem, mansuetudinem, & expertem fellis innocentiam Spiritus sanctus elegit, quæ muscarum, vermium, cadauerum fugitans, puro vescitur grano, illud nobis commendans quod in terræ cadens & moriens multum attulit fructum. Prima auis huius commendatio legitur in scripturis, quum secundis parentibus annuo clausis ergastulo signũ dedit diuinæ misericordiæ, & suæ liberationis. Siquidem per oliuę ramum, vltores humanæ luxuriæ & præuaricationis diluuij finem columba rediens nunciauit. Baptismus Christi formam noscitur diluuij tenere, peccatores non emersuros, ipse quoque submergens: nisi quod illud personas perdidit peccatorum, hic fœlicius homines saluás in profundum sola peccata deponit. ¶ *Factum est baptizato Domino, & orante, descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum.* Tribus modis Spiritus sanctus visibiliter inuenitur ad homines processisse, in columba, in nube, in igne. Sunt verò tres status hominum, quibus istę processiones congruenter aptantur, incipientium, proficientium, perfectorum. Incipientibus illabitur spiritus in columba, proficientes exaltat in nube,

Cur ad ostésionem sui Spiritus sanctus columbá elegerit

Galfredus.

De triplici processione Spiritus sancti ad homines.

A perfectos in igne probatos examinat & perficit clariores. Cum videris hominé afflictum, mæstum, sollicitum, timoratũ, meditantem vt columba, pœnitentię penitus cruciatibus & columbinis gemitibus consecratum, spiritum in columba non dubites accepisse. Si verò toto conamine mentis & corporis ad virtutũ perfectionem se rapiat, & studio sanctæ contemplationis incumbens, cœli ciuibus cogitatione & auiditate se ingerat, spiritum in nube suscepisse se monstrat. Si autem de virtute in virtutem semper ascédens in amore Dei magis ac magis accédatur, & ignito vehementer sanctæ prędicationis eloquio, alijs accedat, in igneis linguis hunc spiritum accepisse patenter elucet.

B

¶ *Tu es filius meus.* Vel tu es ille filius meus propter Græcum articulum, cuius vis non est hoc loco otiosa.

¶ *In te complacui mihi.* Heb. tu complaces, vel gratus es, per te placatus sum. Lege quæ annotauimus Matth. 3. in illa verba: Qui post me veniet fortior me est, cuius non sum dignus calciamenta portare.

C

¶ *Erat incipiens quasi annorum triginta: vt putabatur filius Ioseph, etc.* id est, ingrediebatur trigessimum annum, quo etiam tempore putabatur filius Ioseph, &c. tunc enim 29. annos compleuerat, cum quindecim diebus anni trigessimi, & ideo 30. annum incipiebat.

¶ *Ioseph, qui fuit Heli, qui fuit Matthat, etc.* Secundum communem sanctorum opinionem, Matth. c. 1. narrat generationem naturalem Ioseph, Lucas vero in hoc. cap. legalem. ¶ Aliqui tamen non inepte arbitrantur: à Matthæo quidem Ioseph generationem numerari, à Luca vero, Mariæ coniugis eius. Adhúc modum: *Iesus qui putabatur filius Ioseph, qui fuit* (nempe) *gener Heli.* Idest, Heleachim, qui est idem cum Ioachim, nomine decurtato, qui Heli fuit Mattham, scilicet, filius: & ita nomen filius sub tota generatione subauditur. Vide Driedonem lib. de dogmatibus. c. 3. quo loco ait: contrarietates videntur inter Matthæum & Lucá in genealogia Christi:

D

Matth. 1

Dried. de dogma. c. 3.

sti. Non enim videtur possę stare iuxta Matthæum, quod Ioseph Mariæ vir, fuerit filius Iacob, ex stirpe Salomonis, & quod iuxta Lucam fuerit filius Heli, ex stirpe Natham, qui frater fuerit Salomonis. Sed hanc controuersiam iam olim diremerunt sancti patres, dicẽtes: quod Ioseph Mariæ spõsus, fuerit filius Iacob genitura, & simul filius Heli siue Ioachim lege vxoria. Nam cum vir & vxor vna sit caro, qui pater est vxoris meæ, is & mihi pater appellatur: Vnde pater Mariæ nomine Ioachim sanctæ Annæ maritus, alio nomine vocabatur Heli. Hactenus ille.

¶ *Qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel.* Iste quem Lucas vocat *Resam*. 1. Parali. cap. 3. & Næemiæ 3. dicitur *Misciolla*, & is qui vocatur *Zorobabel*. in. 3. cap. Næemiæ vocatur *Barachias*. qui autẽ *Salathiel* dicitur *Mesezebeel*. proinde, quod dicitur *Misciolla filius Barachiæ, filius Mesezebeel*, idem est ac si diceretur apud Lucam: *Resa filius Zorobabel, filiꝰ Salathiel*: & hęc sic sese habere (inquit Driedo.) patet ex chronographia Philonis Iudęi citantis. 70. seniores: diuersis enim nominibꝰ eadem res in sacra scriptura solet significari: & ex hoc oritur aliquando difficultas. De qua re vide Driedo. lib. 3. de dogmatibus, titu. 2. c. 1.

1. Paral. 3. Næemię. 3 Næemię. 3

Diuersis nominibꝰ solet eadẽ res significari in sacra scriptura.

¶ *Salathiel, qui fuit Neri.* Poterit nõ nullos turbare quod Matthę. dixerit: Salathiel filium Iechoniæ, Lucas verò, eundem Neri vocauerit. Sed Matthæus naturalem filium recensuit, Lucas verò legalem. Hi quidem ducunt genus: Neri quidem ad Nathan filium Dauid, Iechonias verò, ad Salomonem, filium similiter Dauid, & rursus vterque ad Dauid.

Salathiel fuit filius naturalis Iechoniæ, legalis verò fuit filius Neri.

¶ *Qui fuit Nathan, qui fuit Dauid.* Hic Nathan filius Dauid, alius est à Nathan Propheta: quemadmodum docet Augu. lib. 2. retracta. c. 16.

Nathã vnꝰ fuit filius Dauid, alius vero fuit Propheta.

¶ *Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad.* Nomen & generatio Cainan, vt ait Beda lib. 1. in Lucam. cap. 3. Iuxta Hebraicam veritatem, nec in Genesi, neque in Parali. inuenitur, sed *Arphaxad, Sela*, vel *Sale*, filium genuisse nullo alio interposito perhibetur. Sic enim habes: porro Arphaxad, vixit 30. annos, & genuit Sale. Et in Paralipo. Arphaxad genuit Sela, qui & ipse genuit Eber. Scito ergo, hanc generationem, Lucam de 70. interpretum ędition sumpsisse. Vbi scriptum est: quod Arphaxad. 135. annorum genuerit Cainam, & ipse Cainam cum 130. annorum fuisset, genuerit Sela. Qua in re, variæ sunt auctorũ sententiæ. Aliqui existimant: quod corruptè apud 70. Arphaxad dicitur genuisse Cainã, & Cainan Sale. Nam nullum exemplar Hebraicum hoc loco Genesis, huius mẽtionem facit. Quin etiam vetustissimi Hebræi nominatim notant, à Noe ad Abraham, tantum esse decem generationes, quot erant ab Adam ad Noe. Beatus vero Lucas in hoc cap. vndecim numerat, ac Cainan infert in hunc ordinem, sed id (inquiunt) Græcorum ad quos scribebat, & quibus sola exemplaria. 70. nota erant, causa. Alij vero aliter & melius hanc controuersiam dirimunt, defendẽtes illam in genealogia Christi generationem quam Lucas ex 70. interpretum æditione posuit: cum hanc quoque æditionem Ecclesia suo vsu probauerit, & Græci scriptores omnes hanc generationem cum 70. interpretibus agnoscant. Imò & August. 16. de ciuitate Dei. c. 10. Nec quoquam pacto sit verosimile. 70. interpretes viros probos, vanè frigidèquè, generationem illam vnam confinxisse. Quid? Quod, vt Origenes ait: hoc pro vero habẽdum in scripturis diuinis est, quod 70. transtulerunt. Nam id esse quod auctoritate Apostolica confirmatum sit. Dicamus igitur cum istis Doctoribus: exemplaria Hebraica vera & emẽdata non habere quidem generationem illam, sed à 70. fuisse adiectam, neq; adiecta est falso tamen quin, vel ex maiorum traditione, vel ex historijs fidedignis habitum est Arphaxad genuisse Cainan, Caina vero genuisse Sale. Septuaginta igitur interpretes, non verè solum, sed forte etiam prudenter, illam vnam generationem posuere? Id videlicet, metuentes: nec ethnici aut Hebræorum antiquas traditiones, aut sacras certe literas, falsi-

D. Augu. Beda. li. in Luc. c. 3. Gen. 11. & 1. Paral. 1.

Lege chronographiã Genebrar di. fol. 8. & 9.

Augu. 16. de ciuitate. c. 10.

Euseb lib. 6. Eccles. histo. c. 23.

falsitatis arguerent, si in his legerent: Arphaxad genuisse Sale, ex illis acciperent, non Arphaxad, sed Cainan Sale genuisse. Spiritus autem Domini occulta nobis ratione, Mosis mentem manumque præmouit, vt in ea patrum serie, vnam illam generationem præteriret: quemadmodum diuino cõsilio Matth. plures etiam in Christi genealogia prætermisit. Eandem vero causam Mosi Matthæoq; fuisse, non absurde hac in cõiectura assequemur. Matth. vbi primum Christi maiores recensuit: omnes (inquit) generationes ab Abraham vsque ad Dauid generationes. 14. & á Dauid vsque ad trãsmigrationem Babylonis generationes. 14. &c. vt ne quis suspicaretur, aliquem ex maioribus memoriæ lapsu, & non potius de industria, fuisse silentio præteritum. Et quanuis multas rei huius fortasse causas, Euangelista posset reddere, eam magis tamen in epilogo videtur præseferre, quæ tessaradecadis commendationem habet. Obid quippe tres generatio A num ordines, numero æquales esse voluit: vt numerus. 14. ter etiam in Domini stemate consecraretur. Quod Moyses vt fecerit subest omnino causa eadẽ. Ab Adam enim ad Noe decem generationes attexuit: á Noe autem vsq; ad Abraham, decem item alteras: vt in denario numero, in quem maiorum vtramque seriem redegerat, mysteriũ aliquod subesse intelligeremus. Cur autẽ numerus 14. ad legem Euangelicam, decimo vero ad naturæ legem referatur, nõ est huius loci disserere. Vbi id tantum dicimus 70. Cainan generationem addidisse, nec sine mysterio eandem Moysem prætermisisse, vtrumque veré, vtrumque prudenter factum fuisse: Alterum & veré & prudenter, Lucam esse sequutum.

Finis capitis tertij.

CAPVT IIII.

Christus tẽtatur à diabolo, docet in synagoga, et eijcit dæmonia.

Dominica prima quadragesima.

Matth. 4. a Mar. 1. b

IESVS autem plenus Spiritu sancto, regressus est à Iordane: et agebatur in spiritu in desertum diebus 40. et tentabatur à diabolo. Et nihil mãducauit in diebus illis: & consumatis illis, esuriit. Dixit autem illi diabolus. Si filius Dei es, dic lapidi huic vt panis fiat. Et respondit ad illum Iesus scriptum est, quia non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei. Et duxit illum diabolus in montem excelsum, & ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento

Deut. 4. i

to temporis: et ait illi. Tibi dabo potestatem hãc vniuersam & gloriam illorũ: quia mihi tradita sunt, et cui volo do illa. Tu ergo procidens si adoraueris coram me, erũt tua omnia. Et respondẽs Iesus dixit illi. Scriptũ est Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli seruies. Et duxit illũ in Hierusalẽ, & statuit eũ super pinnaculũ tẽpli: et dixit illi. Si filius Dei es mittete hinc deorsum: scriptum est enim quod Angelis suis mãdauit de te vt cõseruent te: & quia in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuũ. Et respondens Iesus, ait illi. Dictum est nõ tentabis Dominum Deum tuũ. Et consumata omni tẽtatione diabolus recessit ab illo, vsq; ad tempus.

Deut. 6. c. 10. d

Psal. 9. c

Deut. 6. c

Maximo desiderio flagrabat Christus ieiunandi & orandi in deserto, maximeq; optabat pro peccatis nostris tentari.

AGebatur in spiritu. Idest, vi spiritus. Vnde Marc. Euangelista ait: statim expulit eũ spiritus in desertum. Quibus verbis significare voluit Spiritus sanctus, quãto desiderio flagrabat Christus ieiunandi, & preces pro nobis ad patrem fundendi in deserto: quantumque optabat, pro peccatis hominum tentari. Gloriabatur sane in infirmitatibus suis, vt inhabitaret in nobis

A Dei gratia & amicitia. Hinc erat, quod nihil illi asperum, nihil difficile, nihil laboriosum videbatur: non fames, non sitis, non eremus, non bruta animalia, nõ vigiliæ: quoniam vis spiritus, nihil nõ facile, nihil non delectabile facit. Hinc disces, quod hæc factu nobis difficilima sunt, quod spiritu Dei non agamur. Nã vt Pau. ait 2. Corin. 3. vbi spiritus Domini ibi libertas, idest, ibi promptitudo. At vero filij Dei, qui spiritu Dei aguntur, ad hæc omnia prompti semper, paratiq; sunt: imò vultu alacri libẽtique animo,

Ideo opera virtutis nobis sunt difficilia, quia spiritu Dei nõ agimur. 2. Cor. 3.

B omnium virtutum actiones amplectantur. Et hæc causa est quare D. Paul. affirmet, iusto non esse impositam legem: nõ quod ea non teneantur facere, quæ lege iubentur, & vitare quæ lege vetãtur: sed quia qd impij timore legis inuiti faciunt, hoc iusti spõte, imò vi Spiritus sancti acti. Quemadmodum enim mater lege non indiget vt diligat filium suum inter vbera commorantem: sic Dei filij tãto amore Deum prosequuntur, vt nihil illis difficile videatur. Comense las manos tras la ley de Dios. Hæc etiam est ratio, quare Christus Dominus apud Ioã.

Filij Dei quia spiritu Dei aguntur ideo ad omnia opera virtutis prompti sunt. 1. Timo. 1.

Similitudo

C dicat: si quis diligit me, sermonem meũ seruabit: qui non diligit me, sermones meos non seruat. Deum enim diligenti, omnia Dei præcepta & si innumera sint velut vnũ verbum videntur. At iniquis & odio Deum prosequentibus, vnum Dei mandatum innumera apparent, eaque impletu difficilima.

Ioan. 14. c

¶ *In deserto.* Vel in desertum. Christus in mundum venit, vt cuiusque status atque cõditionis hominum esset exẽplar. Agitur ergo hodie à Spiritu sancto in de-

D sertum, vt viros virtute perfectos doceret, eorum studium statumque vitæ esse, mundum fugere, eius diuitias, voluptates, honores atq; dignitates, contẽnere eremiticam atque solitariam vitam agere. ¶ D. Ioan. 12. cap. suç Apocalypsis enarrat: quod draco ille magnus stetit ante mulierem, vt cum peperisset, filium eius deuoraret: sed raptus est filius eius ad Deum, & ad thronum eius, & mulier fugit in solitudinem. Postquã ergo mulier, hoc est, Ecclesia, peperit Christum

Christus exemplar cuiusque status hominum. Agitur in desertũ vt exemplar perfectorũ qui mũdũ fugiunt & vitam solitariã agũt. Apo. 12. Figura.

in

in die resurrectionis, suis lachrymis & gemitibus eum è mortuis suscitando, & raptus est in die ascensionis in cœlum, mulier ista fugit in solitudinem, hoc est, Ecclesia cœpit contemnere mundum, eremum inhabitare, gloriam huius seculi despicere. ¶ Sed ais: quare viri perfecti mundum deserunt? Nonne fuit maximum Dei beneficium, homines hoc mundo quem intuemur, fuisse donatos? Nonne Psalmista ait: Domine Dominus noster, quã admirabile est nomẽ tuũ in vniuersa terra. Quid est homo quod memor es eius, &c. Minuisti eũ paulominus ab angelis, gloria & honore coronasti eũ & cõstituisti eũ super opera manuũ tuarum. Contemnentes ergo mũdum, Dei munera profecto videntur contemnere. ¶ Cui dubitationi, facilis ac prompta responsio est: Sanctos nõ sibi necessaria respuere quum hoc, & rationi, & naturali propẽsioni, minime esset consentaneũ: superflua vero huius mundi contẽnunt, hoc est, diuitiarum abundantiam, voluptates nimias, dignitates ac magistratus, aliaque id genus, quę ad rem non pertinent. Præterea in statu innocentiæ, homines illi primi hoc mũdo donati, oleo similes erant: Nos autem iam, non oleo sed vino sumus similes. Quemadmodũ enim vinum aqua permiscetur: sic nos mundi vanitatibus facile immiscemur. Ideo meritò qui vitam perfectam agere desiderant, mundum deserunt. Deniq; post naturam iam dilapsam, super hunc quem videmus conditum à Deo mundum, mundus alius scelerum ac peccatorum super seminatus est à Diabolo; ita vt Sapiens. c. 14. dicat: Quoniam creaturę Dei in odium factæ sunt, & in tẽtationem animis hominum, & in muscipulã pedibus insipientium. Meritò ergo viri sanctitate præstantes, vt muscipulam fugiant, mũdum deserunt. ¶ Sed rursum ais: Nunquid viri præcellentes qui mũdi pompam despiciunt, & in solitudinẽ secedunt, securi omnino sunt à diaboli tentationibus & laqueis? minime quidem. Ecce quid in hoc loco inquit Euangelista: Agebatur (inquit) in spiritu in desertum & tentabatur à Diabolo.

Obiectio.

Psal. 8.

quare viri perfecti mũdum aliis à Deo hominibus datum, contemnãt & fugiant.

Similitudo

Similitudo

Obiectio

A Nõ est in hac mortali vita locus aliquis, à diaboli insidijs in tuto positus. Et obserua obsecro huius detestabilis inimici dolos atque machinamenta: Primum tẽtat Christum cæterosq; viros perfectos, prætextu necessitatis & indigentię: ideo aiebat, & merito quidem Psalmista: De necessitatibus meis erue me: deinde prætextu charitatis eos à vita solitaria deducere, & in ciuitates conducere contendit, vt ibi multis periculis expositi, seipsos præcipites dent: Tandem manifeste B & sine fucu aliquo illos in grauissima crimina trahere, pro sua virili contendit. ¶ Et hoc est quod D. Ioan. in prædicto. c. Apoca. nobis significare voluit, cum addit: & misit serpens ex ore suo post mulierem aquam, tãquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine, & adiuuit terra mulierẽ: & aperuit terra os suum, & absorbit flumen, quod misit draco de ore suo. Draco igitur. i. diabolus Ecclesiã filiosque eius sanctitate & virtute pollentes aqua, hoc est, doctrina sua, ad se trahe C re conatur. Sed terra est quæ adiuuit mulierem, terra (inquam) viuentium, hoc est, viri pij, aperiunt os suum. i. orant, preces fundunt, atque in tali persequutione clamant ad Dominũ: atq; vera aqua, salutarique doctrina, diaboli doctrinam deuorant: scriptum est enim (inquiunt) nõ in solo pane viuit homo, &c. & item: non tẽtabis Dominum Deum tuum. & rursum: Dominum Deum tuũ adorabis & illi soli seruies. Discamus igitur à Christo mundũ relinquere, solitudinem petamus: quod si ibi tentator accesserit, eum ieiunijs, lectionibus, precibusque vinca D mus. Ne putemus aliquo in loco securos nos esse: tã tanta est diaboli confidentia, vt cõfidat qđ Iordanis influat in os eius, & Propheta de illo dicat: esca eiꝰ electa. Et rursum Iob: fœnum (inquit) sicut bos comedet. Boues (inquit Gregor.) fœno nõ nisi mũdo vescuntur. Neq; enim diabolus eos gaudet rapere, quos prauis ac sordidis actionibus implicatos in imis secum respicit voluntariè iacere. Fœnum ergo comedere sicut bos appetit, quia suggestionis suæ dente, conterere mũdã vitam spiritualem quærit. Hæc Gregor.

Non est in hac vita locus omnino tutꝰ à diaboli insidiis.

Diaboli dolus ostẽditur in tẽtandis hõminibus perfectis.

Psal. 24. d.

Apo. 12. Figura.

Abac. 1. d

Iob. 40. a

Greg li. 7. mor. c. 10.

Vita Christiani militia quędam est.

¶ *Et tentabatur à Diabolo.* Declarat in hoc loco Spiritus sanctus, militiã esse hominis Christiani vitam: siquidem locus iste elementorum, locus est pugnæ: vbi elementa ac mixta omnia, inter sese perpetuo pugnant. In cœlo vero erit summa pax, summa tranquillitas, qualis est etiam inter orbes cœlestes. Vnde Diuus Augustinus sic ait: Vita nostra in hac peregrinatione, non potest esse sine peccato, sine tentatione: quia profectus noster, per tentationẽ nostram fit: nec sibi quisque innotescit, nisi tentatus, nec potest coronari, nisi vicerit: nec potest vincere, nisi certauerit: nec potest certare, nisi inimicum & tentationes habuerit. Et rursum idem ait: tantum admittitur diabolus tentare, quantum tibi prodest, vt exercearis, vt proberis, vt qui te nesciebas, à te ipso inueniaris.

Vi. Titel. c.9. de cœlo, & mundo.

D Augu. super Psa. 60.

Idem.

Potissima causa tẽtationis Christi fuit vt nobis animum erigeret ad ferendas tẽtationes. Heb. 5.

¶ *Vt tentaretur à Diabolo.* Causa igitur & ratio potissima quare Christus, tẽtari voluit, ea est: vt nobis iter aperiendo, animum ad ferendas tentationes nobis erigeret: & quidem cum esset filius Dei (inquit Paulus) didicit ex ijs quæ passus est obedientiam, & consummatus factus est, omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. Non ergo viri Christiani in hac vitæ nostræ perpetua militia deficiamus tanquam tyrones: sed tanquam milites veterani, antesignanum nostrum sequamur, ducemque nostrum tentatum per omnia imitemur. Non (inquam) à prælio recedamus, sed fortiter cum inimicis nostris: mundo, diabolo & carne, certemus: memores principis nostri in eremo cum diabolo pugnantis. Dicamus igitur cum Vria strenuo sane milite: arca Dei, & Israel, & Iuda habitãt in papilionib9, & Dominus meus Ioab, & serui domini mei super faciem terræ manent: & ego ingrediar domum meam, vt comedam & bibam, & dormiam cum vxore mea? Per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ non faciam rem hanc. Sic ergo & nos dicere hoc idem debemus, si tentationibus subcumbere nolumus. Arca Dei, hoc est, Christus Dominus, qui & verus

2. Reg. 11. Figura.

A est Ioab, reliquique viri religione & virtute præclari, perpetuo pugnant, perpetuo inimicis resistunt, perpetuo vincunt, atque victoriam de dæmone eiusque sequacibus reportant: & ego vel minimæ tentationi, ob vanas caducasque voluptates, cedam? Pudeat ergo nos tentationibus carere, dum in hac mortali vita sumus, dum in hoc loco certaminis & pugnæ manemus. Nam illis omnino carere, signum apertum & perspicuum est, Deo gratos acceptosque non esse. Quia acceptus eras Deo

B (inquit Angelus sancto illi Tobiæ) necesse fuit vt tentatio probaret te. Tam grata profecto erant altissimo huius sancti viri opera misericordiæ, vt voluerit eum Dñs eo genere honoris afficere, quo filius eius vnigenitus affectus est, hoc est: tentationibus & calamitatibus, vt sic tandem gloriosior fœliciorque euaderet. ¶ Resistamus igitur, forti validoqué animo diabolo: hoc illud scientes, fidelem esse Deum, qui non patietur tentari nos vltra id quod possu-

Tobi. 12.

Resistendũ fortiter diabolo. 1. Cor. 10.

C mus, sed dabit cum tentatione prouentum, id est: faciet nos statim fortes, & ferre valentes, adeo vt nullum ex tentatione detrimentum, quin potius lucrum multum referamus. Vnde Diuus Augustinus super Psalmu. 32, sic ait: Iustus ex fide viuit: fides tua, iustitia tua: quia vtique si credis caues, si autem caues conaris, & conatum tuum nouit Deus, & voluntatem tuam inspicit, & luctam cum carne considerat, & hortatur vt pugnes, & adiuuat vt vincas, & certamen spectat, & deficientem subleuat, & vincentem coronat. Cum ergo omnia

D. Augu. super Psal. 32.

D posita sint in certo pondere, numero & mensura à Domino: non est quare deficiamus. Vnde Dauid ait: Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in mensura. Cibus enim & potus tentationum & afflictionũ in hac vita, metiuntur à Deo secundum stomachi nostri qualitatem & virtutem. Resistamus igitur fortiter in fide, & si persisterit persistamus, & clamemus ad Dominum, dicentes cum Iob: Libera me Domine, & pone me iuxta te, & cuiuslis manus

Psal. 79.

Iob. 17.

manus pugnet contra me, & rursum cum Dauid: Custodi me Domine de manu peccatoris, & ab hominibus iniquis eripe me, qui cogitauerunt supplantare gressus meos. absconderunt superbi laqueum mihi, & funes extenderunt in laqueum, iuxta iter scandalum posuerunt mihi. Dixi Domino: Deus meus es tu: exaudi Domine vocem deprecationis meæ. Quod si fecerimus, ipse saluabit nos, ipse teget & muniet nos: ipse denique erit nobis instar Galeæ: ita vt cum eodem Dauid verè dicere possimus: Domine Domine, virtus salutis meæ, obumbrasti super caput meum in die belli.

Psal. 139.

¶ *Et nihil manducauit in diebus illis.* Ieiunauit Christus parum ante tentationem, nos verò ante Pascha: & ieiunium quidem est vnum, sed non paruum inter vtrumque temporis interstitium. Christus quidem contra tentationes suum obiecit ieiunium, nostrum verò vt Christo commoriamur operatur. Et hic quidem, dies ieiunauit quadraginta, nam Deus erat: at nos, diebus nostris hoc commensuramus. Hæc Gregori. Nazian. in sanctum lauacrum.

Discrimen inter ieiunium 40. Christi & nostrum.

Greg. Na.

¶ *Postea esuriit.* Antiquus hostis (vt Gregorius docet) intuetur humani generis vniuscuiusque mores, cui vicio sint propinqui, & illa opponit ante faciem, ad quæ facilius nouit inclinari mentem. Nouit enim (vt Leo Papa ait) cui illecebras carnis ingerat, cui virus inuidiæ infundat, cui incitamenta luxuriæ apponat: Nouit quem mærore conturbet, quem gladio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat: omnium discutit mores, omnium ventilat causas, omnium scrutatur affectus: ibi quærit causas nocendi, vbi viderit quenquam diligentius occupari. Vidit ergo Christum esurientem, & ideo accessit, & dixit illi: si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Aliter pauperibus, aliter diuitibus pertentat diabolus. Fames enim intolerabile malum est, adiuuans tentationis conatum. Esau fame compulsus, pulte vendidit ius primogeniti. Sic multi fame compulsi, pecunia, vel cibo venduntius filiorum Dei.

Gregor. 2. moral.

Astutia diaboli in tentandi modo ostēditur.

Leo Papa in sermo.

A ¶ *Si filius Dei es, &c.* Volebat diabolus certo scire, an filius Dei esset: hoc enim apud sese cogitabat: si filius Dei est, actum profectò est de me. Sin autem homo tantum est, pro mea vi. illi conabor, vt in peccatum aliquod incidat: quod si fecerim, actum erit, non solum de illo, sed de mundi redemptione. Sed deceptus fuit draco iste, nihil illi profuerunt insidiæ suæ: Nam neque illum esse filium Dei certò cognouit: si enim cognouisset, nunquam Dominum gloriæ crucifixisset, vt Paulus ait. Neque illum in crimen aliquod labi facere potuit: sed suo ipsius gladio gigas iste à vero Dauid decollatus est. Poterat enim Dominus Iesus diuina virtute famem corporis arcere, vel propellere: sed escam obijcere voluit captori, quo caperetur ipse. Obiecta est velut esca corporis humani imbecillitas, sed tentator impegit in vncum diuinæ virtutis. Videbat corpus hominis fame discruciari, & ad vitæ periculum tendere: Videbat eum in deserto, procul semotum ab oppidis vnde cibi copia præberi poterat: his rebus fretus aggreditur impius spiritus Dominum Iesum Spiritu sancto plenum: lacessit à quo vincendus erat, Prouocat fortiorem, captat prudentiorem. Quid opus est (inquit) fame te cruciari? Si tu es ille filius Dei, iube vt hic lapis tibi vertatur in panem: isto argumento declarabis te filium Dei: Non enim erit pater surdus filio, fame periclitanti. Quumque ille condiderit ex nihilo cuncta: nihil magni fuerit, si filius Dei lapidem conuertat in panem. Iesus autem non ignarus quid venaretur Satanas, sic temperat responsum suum, vt ne obsequatur consilio illius, nec diuinam naturam hosti prodat, qui noua ratione per infirmitatem corporis fallendus erat, & vincendus. Non negat filio Dei potestatem esse vertendi lapides in panes, non improbat famem corporis cibo sedare: sed ex auctoritate scripturæ diuinę demonstrat, non esse Deum ita coarctandum, vt non nisi pane possit homines alere, cum quacunque alia id præstare facilè possit: & ideo

Diabolus omnino frustratus est, quando Christū tētauit, nam neque illū esse Deum cognouit, neque eū in peccatū cadere fecit.

B 1. Cor. 2.

C

D

respondit quæ statim Euágelista refert: scriptum est: non in solo pane, &c.

¶ *Non in solo pane.* Idest, cibo. Peculiare enim est Hebræis, vt panis vocabulo, cibum, aquæ vero, potum intelligát. Esai. 3. Aufferet à Iuda omne robur panis, & omne robur aquæ, idest: omnem vim, cibi & potus. Et ex cap. 4. Esa. æ idé liquet, & Hiere. 5. Deuorabit messem omnem & panem, hoc est, omnem cibũ.

Per panẽ cibus per aquam potus significatur in scriptura. Esai. 4. Hiere. 5.

¶ *Viuit homo.* Vel viuet homo. Et est Hebraismus pro viuere solet homo.

¶ *Sed in omni verbo Dei.* i. in omni re alia quæ ab eo proficiscitur, omni eo quod illi visum fuerit. Omni re si iusserit Dominus vt manna olim & alijs. Verbum pro quacunque re frequens est in sacra scriptura vt sæpe diximus. ¶ *Scriptum est.* Nihil profecto vtilius inuento scripturarum ad Dei cognitionem esse potuit. Quid enim est (inquit Rupertus) in omni mundo, in vniuersa multitudine rerum, vel signorum visibilium quod humanæ menti ad cognoscendum creatorem suum, tam efficax, tam vtile, tamque certum præbeat adiumentum? Nũquid ordo cœli, solis & lunæ, & stellarũ, quæ omnia pulchra sunt, & creatricis omnipotentiæ quædam signa sunt, ita vt hæc verborum signa, sensus nostros instruũt aut instruere possunt? Hæc signa de præterito narrant, de præsenti demonstrant, de futuro seculo annuntiant, & quod summum est, creatoris non solum omnipotentiam asseuerát, verumetiam voluntatem nobis intimant. Et quoties volumus Deus nobiscum per hæc signa loquitur. Dignum igitur opus quod ipse Deus operatus esse credatur: sicut manifeste scriptura testatur: quia prior ipse scripsit in tabulis opere suo, digito suo, vtique modo ineffabili, & deinde homini scribere iussit. Exempli gratia scribe hoc, inquit, ob monimentum in libro, & trade auribus Iosue: Delebo enim memoriá Amalech sub cœlo. Nunquid hoc tantum scribere illi iussit? Imò illud etiá iussit illi scribere. In principio creauit Deus cœlum & terram. Hæc ex Ruperto. Scrutemur igitur scripturas sanctas, quia ipsæ sunt quæ testimonium nobis perhibebunt de Christo. Ipsæ sunt quæ creatorem ostendent: ipsę, quæ eius diuinam voluntaté explicabũt: ipsę deniq; quę arma præbebunt, quibus à diaboli impugnatione defendamur: imò quibus illum trucidare possimus, nullũ enim telum efficatius esse potest aduersus omnes instinctus impiorum dæmonum quam sacra scriptura quod aperte hodie Dominus declarauit. ¶ *Non in solo pane viuit homo.* Obserua obsecro altaque mente considera quod pręsente diabolo noluit Dominus Iesus proprię indigentiæ subuenire: quanuis fame sitique maxime confectus esset. Et merito quidem. Nam absente Deo præsenteque diabolo nihil gustui suaue, nihil dulce inueniri aliquo modo potest. Si peccator es abest tibi Deus, adest vero diabolus. Quantumuis igitur diuinis honoribus, atque huiusce mundi voluptatibus, omniumque rerum humanarũ abundantia plenus sis, nihil erit quod tibi iocundum aut gratum aut suaue: sed omnia amara, omnia insuauia, omnia denique venenosa tibi videbuntur: at pręsente Deo, absenteque diabolo, paupertas suauis, fames delectabilis, sitis iocũda omnique grata, iustis ac pijs hominibus apparent, absente diabolo accedent Angeli, & ministrabunt tibi. ¶ *Non in solo pane viuit homo sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Non negat filio Dei potestaté esse vertendi lapides in panes: non improbat famé corporis cibo sedare, sed ex auctoritate scripturę diuinę demonstrat esse vitá animi, quæ pluris sit facienda, quam vita corporis: esse cibum spiritualé qui magis expectádus sit, quá hic cibus, qui vitá corporis ad breue tẽpus prorogat, nihilo setius, aliquando post, morbo, senio, alio ue casu peritura. cibus enim spiritus vitam largitur æternam, is est sermo Dei, hinc verus petendus est animi cibus. Siquis velet Deo viuere, cui qui nõ viuit mortuus est, etiá si videatur viuere. Comederũt primi parẽtes & mortui sunt, qđ si tẽtatori respõdissent id qđ respõdit dñs, & prior illis fuisset ratio præcepti Dominici, cuius obseruatio præstat vitá æternam, quám pomi leta-

Scripturarum vtilitas.

Exo. 17.

Ruper. li. 3. de vi. & vi. Dei. c. 32.

quare christus noluit præsente diabolo propriæ indigẽtiæ subuenire.

Cibus animi magis expetendus quam corporis.

letalis appetitus non se suamque posteri tate morti reddidissent obnoxios. Hunc ergo cibum appetamus, hunc totis viribus procuremus, húc studiose curemus. Operamini (inquit Christus) non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam: omnem igitur curam conuertamus ad eum cibum parandum, qui sumptus non perit concoctione, nec corporis vitam ad tempus breue prorogat: quemadmodum cibus panum mox recurrente fame: sed permanet in hoc spirituali pabulo vegetans animã, tribuens illi vitam æternam. Quod si semel eum parauerim9, maxima cura custodiamus. vnde D. Augustinus cuius testimonium affertur. 1. q. 1. c. interrogo, sic ait: quanta solicitudine obseruamus quando nobis corpus Christi ministratur, vt nihil ex ipso de manibus nostris in terram cadat: tanta solicitudine obseruemus, ne verbum Domini quod nobis erogatur: dũ aliud aut cogitamus, aut loquimur, de corde puro pereat, quia non minus erit reus qui verbum Dei negligenter audierit: quam ille qui corpus Christi sua negligentia in terram cadere permiserit.

Ioan. 6. d

D. Augu. 1. q. 1. c. in terrog.

Cibus animi maxima solicitudine obseruandus.

¶ *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Hic locus citatur à Luca iuxta trãslationem 70. ad verbum. Quod si dicas Hebraicè non esse, *in omni verbo*, sed tantum, *in omni, quod egreditur de ore Dñi.* Intellige in lectione Hebraica deesse, verbo, quando Spiritus sanctus ore Euãgelistarum & ore 70. virorum dicat: non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Aut dices 70. interpretatos ac cõmentatos fuisse locũ Hebraicum: quã interpretationẽ, secuti sunt Euangelistæ spiritu Dei ducti.

Castro 63

¶ *Et duxit illum diabolus in montẽ excelsum: & ostendit illi omnia regna orbis terræ.* Considera obsecro insidias satanę, qui quem fame prosternere non potuit, opibus & honoribus huius mundi corrumpere tẽtauit. Siquidem ambitio malum est pestilens, ac propemodũ inuincibile: Quod in summis etiã virtutibus obrepit, insinuans sese mentibus ad ardua scandere conãtibus: adeò, vt quos neque aduersæ res, nec paupertas nec morbus frangere potuerint, nec luxus aut venus emollire, deijciat gloriæ studium. Quid enim est tam nephariũ aut impiũ, quod mortales imperij gratia non & faciãt & patiantur. An non frequẽter beneficijs, parricidijs, incestis, nuptijs, alijsque non referẽdis probris regnum emitur? quot cedib9 aliquoties vnius ciuilis ditio vindicatur? dulcis est honos, præclarũ est imperare, magnificum cæteris antecellere, & omnino regnum diuinitas quædã videtur inter homines. Hoc blãdo veneno capti sunt primi parentes, arridebat oculis pomi blandientis illecebra, sed magis arridebat animo, falso promissę scientiæ sublimitas, ac dijs æquãda dignitas. Hac igitur machina tentator adorsus est Iesum, hac machina adoritur quotidie viros præcellentes ac in virtute constantes. Fugiamus igitur ambitionis peccatũ si diabolum adorare nolumus, contemnamus primatum in terra, si inuenire nolumus confusionem in cœlo. Nam vt D. Chryso. ait: quicunque desiderat primatum in terra, inueniet confusionem in cœlo, nec inter seruos Christi computabitur: qui de primatu tractauerit. Spernamus regna mũdi nobis à dæmone promissa, si æquitatem colere concupiscimus. Difficile est enim (vt Cicero auctor est) potestatem cupienti seruare æquitatem, facillimè impellitur ad res iniustas: qui gloriæ cupidus est.

Ambitiõ fugienda.

D. Chrys. ho. 25. super matth.

Cicero. 1. officiorũ.

¶ *In momento temporis:* Potest enim per missu Dei, spiritus immundus rerum imagines nouo quodam more repræsentare humanis oculis: sicq; in pũcto temporis quidquid in orbe magnificũ habent magni reges præstigio quodã exhibere oculis: hoc est, opes, famulitium, palatia, copias, tubas, adorantiũ obsequia, pompas, triũphos, legationes, nutũ omnipotentẽ, quibus populorũ adulatio, principes homines nõnunquã stultos & impios certè fragiles ac mox perituros præ Dijs colit ac suspicit. Atq; ipsi interim sibi fluxarũ rerũ successu sublevati plusquã dij videtur, harũ rerũ omniũ prçstigiatione. Ille mirũ quoddam theatrum repẽte obiecit oculis Iesu, qui præstigijs falli non

Præstigiator diabolus.

potest cum nihil illum lateat.

¶ Sed interim considera obsecro: quam exiguæ, quamque parui momenti sint omnes huiusmodi opes, quàm parua ac modica sint huius seculi regna: qui in momento temporis ostendi possunt: Dominum ergo Deum nostrum adoremus, qui non diuitias huius mundi fragiles & momentaneas, quæ vno ictu oculi videri, obtutibusque representari possunt, sed inextimabiles & æternas quæ comprehendi minime possunt, nobis pollicetur. Qui non huius mundi regna caduca & infirma, sed regnum cœleste, firmum, perpetuum & stabile daturus est illi soli seruientibus atque obtemperantibus. Omnis enim mundi gloria quam hodie præstigiator iste Christi oculis subiecit, atque promisit, deceptis hominibus pulchra & expetenda videtur, inanis tamen est, parleuibus ventis, nihil expressi representans, sed fallacem quandam pulchritudinem insipientium oculis obuersantem, hæc temporis puncto ostenditur, & temporis puncto euanescit & extinguitur. Præclare igitur illustrissimus ille ac regius vates canebat, vidi impium superexaltatum & eleuatum super cedros Libani: transiui & ecce non erat, quæsiui & non est inuentus locus eius. Et in alio Psalmo eum beatum appellat, qui non in mundo, sed in Deo ponit spē rerum suarum. Beatus, inquit, vir cuius est nomen Domini spes eius & non respexit in vanitates & insanias falsas, vide quid mundi gloriam & opes appellet: vanitatem & insanias falsas. Vide quid diabolus Christo polliceatur, si prouolutus ad genua sua adorauerit illum. Tu ergo esto perfectus, & ambula coram Deo; & ille erit merces tua magna nimis. Ille enim suis cultoribus seipsum in hæreditatem pollicetur, ego (inquit Dominus Abrahæ) ero merces tua magna nimis; non huius mundi res inanes & momētaneas curare velis, sciens quod a principio ex quo positus est homo super terram, laus impiorum breuis sit, & gaudium impiorum instar puncti, & velut somnium auolans nō inuenietur: sed transient sicut visio nocturna: ut ait Iob cap. 20.

Exiguæ sunt huius mūdi opes quę omnes in puncto temporis ostēdūtur.

Inanis huius mundi gloria.

Psal. 36.

Psal. 39.

Gen. 15.

Iob. 20.

¶ *Tibi dabo potestatem hanc vniuersam & gloriam illorum.* Idest, eam gloriam quæ ex administratione illorum proficiscitur. quasi diceret, vides quantum vbique sit nomen Cæsaris, quantaque gloria, quod maxima mundi portio agnoscat illum Dominum? Tu ergo vnus obtinebis hæc omnia, & in terra pro Deo coleris, modo me tantæ fœlicitatis auctorem agnoueris. ¶ Cæterum hoc certum ac compertum tibi sit, si dignitates, diuitias, magistratus, cæterosque titulos gloriosos & magnificos de manu diaboli volueris accipere, quod illum primum es adoraturus. Tibi, inquit, dabo potestatem hanc si procidens adoraueris me. Impium ergo diuitem si videris, ne dixeris eo esse diuitem, quod diuitias à Deo acceperit: sed quod diabolum adorauerit.

¶ *Quia mihi tradita sunt & cui volo do illa.* Mentitur in hoc diabolus. Cuius enim iussu homines nascuntur: huius iussu & Reges constituuntur. vt ait Irinęus lib. 5. suis tamen insidijs, permissu Dei, tyrannos atque homines sceleratos & impios, regna & potestatem huius mundi occupare facit, sua etiam tyrannide mundi regna vsurpauit ac princeps huius mundi vocari voluit. ¶ Agnosce pie lector mendacissimam ac superbissimam vocē diaboli. Tibi, inquit, dabo potestatem hanc vniuersam. Quia mihi tradita sunt, & cui volo do illa. Quasi verus huius mundi Dominus, illum pollicetur eius conditori, quasi naturalis & proprius huius mūdi princeps, illum ex pactione promittit, regi regum & Domino dominantium: qui breui, est eum é mundi regno eiecturus, atque illud daturus sanctis suis. Cuius rei figurā vidit Balthasar ille Rex Babylonis, qui diaboli speciem gerebat. Vidit, inquam, manum scribentem in pariete, mane, thecel, phares. Manus hæc (inquit Rupertus) filius Dei erat, de qua Psalmista ait: firmetur manus tua & exaltetur dextera tua. Manum illam Domini, dexterā illam Dñi, per quā condita sunt,

Irinęus lib. 5.

Dan. 5.

Psal 88.

vni-

vniuersa summo desiderio, ac clamore cordis maximo formari optat Dauid & exaltari. Audiamus igitur quid significent verba, quæ verbum Dei scripsit cōtra Principem huius mundi. Mane, id est, numerauit Dominus regnum tuum quod dicis esse tuum ô Princeps mundi, rex tenebrarum, tyranne peccati & mortis, numerauit inquam dierum senario, & compleuit illud die septimo. Sex nāque diebus omnia fecit. Tu in istis regnare contendis, tu ista, regnum tuum esse dicis, tu ista omnia tua, vel tibi tradita mentiris. Thecel, appensus es in statera & inuentus es minus habens. Statera vera statera iusta verbum Dei est, verbum Dei, Dei sapiētia in qua de te iudicium agitur, dicente ipso, qui ipsa statera est, nunc iudicium est mundi: nūc princeps mundi huius eijcietur foras. Quo modo inuentus est minus habens? Quia leuior æquo & iniusti ponderis inuentus est. Comparat diabolum indignum mundi regno, monetæ leuiori. Appendit te Deus vt videret an esses iusti ponderis, & dignus regno: deprehendit te esse indignum, ideo eijcieris foras. *Phares*. Diuisum est regnum tuum, separabit enim è regno tuo electos à reprobis, filios Dei à filijs tenebrarum: & ibunt hi, insupplicium æternū: iusti autem in vitam æternam. Modo regnum tuum continet tam filios regni, quām filios gehænnæ, diuidetur hoc regnum filiorum Dei à regno impiorum.

Vi. Ruper. de vi. ver. Dei li. 5. c. 7. 8. 9. 10. Ioan. 12.

Vata.

¶ *Tu ergo procidens si adoraueris coram me erunt tua omnia*. Hoc semper nititur diabolus vt adoretur quasi Deus. Hinc fuit (vt Augusti. auctor est) quod indutus fuerit personam iusti Samuelis vt à reprobo Saule adoraretur. Quid.n. ait sacra scriptura? Audiens Saul in quo habitu esset excitatus, intellexit, inquit, hūc esse Samuelē. quid intellexerit Saul, scripturæ retulit, & quia non bene intellexit contra scripturā aliū adorauit, quā Deum. Et putās Samuelē, adorauit diabolum, vt fructū fallatię suæ haberet Satanas. Hoc enim nititur vt adoretur ab omnibus quasi verus Deus. Si enim verè Samuel illi apparuisset nō vtiquē vir iustus permisisset se adorari, qui prædicauerat Deum solum esse adorandum. Viri enim iusti ac pietate & religione præstantes solum Deum coli volunt: eo enim insignis ille Patriarcha Ioseph ad iurat filios Israel vt cum a Deo liberarētur, cineres eius de AEgypto trāsferrēt, certus. s. vanitatē vulgi, mortuos magis vt deos venerari quam viuos, ne ei deferretur debitus creatori honor. Eo etiam Paul. & Barnab. cum sacrificari sibi velle vidissent sciētes exosum hoc Deo, sciderunt vestimenta sua dicentes quid facitis? Et nos homines sumus vobis similes. Non ergo Samuel vir iustus se adorari permisisset si verè Sauli apparuisset. Tanta ergo est diaboli superbia vt conaretur hodie à Christo rerum omnium conditore adorari promissis omnibus huius mundi bonis, sed eiectus est cum suis fallacibus promissis. Gene. 31. sacra narrat historia, Laban idola sua apud Iacob nō potuisse reperire. Laban quippe (inquit Gregorius) interpretatur dealbatio, de albatione autē non inconuenienter diabolus accipitur: qui cum sit tenebrosus ex merito, trāsfigurat se in Angelum lucis. Quid vero in idolis nisi auaritia designatur. Vnde per Pau. dicitur: & auaritia quæ est idolorum seruitus, Laban ergo veniens apud Iacob idola non inuenit: quia ostensis mundi theatris, diabolus in Redemptore nostro vestigia cōcupiscientiæ terrenę non reperit. Contemnamus ergo omnia mūdi bona nobis à diabolo oblata: Si illum adorare nolumus, atque idola Laban si habuerimus, ea exemplo Rachelis sedendo cooperiamus per Rachel (inquit Gregorius) quæ & ouis dicitur, ecclesia figuratur. Sedere autē est humilitatem pœnitentiæ appetere: sicut scriptum est: surgite postquām sederitis. Rachel idola sedendo operuit, quia sancta Ecclesia Christum sequens, terrenæ concupiscientiæ vitia pœnitendo texit. De hac cooperitione vitiorum per Psalmistam dicitur, beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, nos igitur Rachel illa signauit, qui idola sedendo premimus. si culpas auaritiæ

Diabolus induit personam Samuelis vt adoraretur à Saule. 1. Reg. 28.

Nititur diabolus vt adoretur ab omnibus quasi verus Deus.

Gen. 50.

Acto. 14.

Figura D. Grego.

Collo. 3.

Psal. 126.

Psal. 31.

pœnitendo damnemus. Hæc Gregori. 30. mora. c. 32. ¶ *Tu ergo procidens si adoraueris coram me erunt tua omnia.* Obserua, quàm sit liberalis diabolus de rebus alienis. Omnia mundi bona quæ sua non sunt facilè pollicetur. Optimè præterea se deū esse simulabat, tā magnificū ac liberalem sese ostendendo. Deinde considera, quanti diabolus olim faciebat, vel vnam hominis animam, quomodo pro illa lucrāda totum pollicebatur mundum, modo verò mille animas, vel vno asse emere solet. Tandem aduerte, tot, tantaque præmia Christo proposuisse, quod illum magni stimasset. Vt hinc intelligas, per propositam tibi mercedem quanti te diabolus faciat: si magna promiserit, magni te facit, si parua, parui.

Diabolus est maximè liberalis de rebus alienis.

¶ *Scriptum est enim dominum Deum tuū, &c.* Hic Græci codices addunt: vade post me Satana, scriptum, &c. sic erat in Matthæo. ¶ *Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies.* Cultus latriæ soli Deo debetur, vt hoc loco testatur Dominus. Quod si trib9 diuinis personis is cultus debetur, eo est: quod Pater & Filius & Spiritus sanctus vnus sit Deus. Vnde in hoc loco (vt August. ait episto. 66.) ita Dominus dicitur Deus solus, vt & Pater intelligatur, & Filius: imò verò etiā Spiritus sanctus. De illo quippe dicit Apostol9: nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti, quem habetis à Deo: & nō estis vestri? Empti enim estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro. Quem Deum nisi Spiritum sanctū, cuius corpora nostra dixerat esse templū? Debetur ergo latria Spiritui sancto. Ac per hoc si Patri & Filio & Spiritui sancto latria debetur, & exhibetur à nobis, de qua dictū est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies: proculdubio Dominus Deus noster, cui soli per latriā seruire debemus, non est Pater solus, neque Filius solus, nec solus Spiritus sanctus: sed ipsa Trinitas, vnus Deus solus. De cultu vero Deo debito, aliàs multa diximus. ¶ *Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies.* Vulgata D. Hierony. sic habet: Dominum Deum tuum timebis. Quæ lectio sancta est & idem significat, quod, Dominum Deum tuum adorabis. Fuit enim Hebraicè duplex lectio Dominū Deum tuum timebis, & Dominum Deū tuum adorabis. Et magis vera lectio Hebræa est: Dominum Deum tuum adorabis, quam veritas ipsa citat: quam citat Spiritus sanctus. Cæterū, hoc loco, pro, Dominum Deum tuū timebis, Hebraicè est, hieoua eloeca. Deum Deos tuos: vel potius: Deum personas diuinas tuas timebis, vel adorabis. Quod non licet dicere, Deum Deos tuos, dixere 70. & D. Hieronymus: Dominum Deum tuum. ¶ *Et illi soli seruies.* Hebraica lectio solū habet: & ei seruies. At lectio 70. virorū, & lectio D. Hieronymi habet: & illi soli seruies: quam confirmauit veritas ipsa & Spiritus sanctus in hoc loco. Ex quo licet colligere lectionem Hebraicam esse diminutam.

Cultus latriæ soli Deo debetur.

Augu. epi. 66.

2. Cor 6.

Spiritus sanctus est verus Deus & ideo illi cultus latriæ debetur.

Deut. 6. & 10.

Castro.

¶ *Et duxit illum in Hierusalem.* Pro iam autem duxerat. *& statuit*, pro, & statuerat: *super pinnaculum*. i. fastigium qd planum erat, *Iesus ait illi*, dixerat illi. hanc tentationem secū lo loco, hoc est, ordine suo posuit Matthæus. Quare omnia hæc præterita perfecta, pro præteritis plusquam perfectis, posuit Lucas. Vnū enim tēpus pro alio ponitur apud Hebræos vt sæpe ostendimus. ¶ *Et statuit eum super pinnaculum templi.* Ne sic repulsa desistit à tentando satanæ improbitas. Repetit sæpius vincendus. Vt nos intelligamus, nobis in hac vita perpetuum esse cōflictum cum aduersario. Neque quiquam esse tam nefarium, ad quod ipse non audeat solicitare cultores Dei. Sed non esse formidādum pijs, quibus iam vicit Christus: & quibus ex diuinis literis efficacissima tela suppetunt, quibus illico retundatur tentatoris improbitas. Nec enim aliud ille proficit tētando, quàm vt præbita occasione maiorem ac spectatiorem reddat bonorū virtutem. ¶ *Statuit eum super pinnaculū templi.* A deserto deducit tentator Christum Dominum vt statuat eum in summo templi fastigio, vt sese præcipitē det, & pereat, sic etiā à monasterijs abducere so-

Nobis in hac vita est perpetuus cū diabolo cōflictus & pugna.

solet religiosos, Deique cultores, prætextu proficiendi alijs, statuensq; illos super fastigium dignitatum, vt sese inde præcipites dent persuadet. Audiant qui eius sunt, Hieronymum ad Riparium & Desideriũ scribentẽ: monachus inquit, non docentis, sed plangentis habet officium: qui, vel se, vel mundum lugeat: & Domini pauidus præstoletur ad ventum. Imò audiant ipsum Dominum Iesum apud Marc. dicentem quid prodest homini si vniuersum mũdum lucretur, animæ vero suę detrimentum patiatur?

Lege. 19. q. 1. c. monacho atquè alia multa capita. Mar. 16. d

¶ *Mitte te hinc deorsum.* Non impulit (inquit Chryso.) non tetigit: sed tamẽ dixit mitte te deorsum, vt intelligamus: qd qui obedit diabolo ipse se deponit, diabolus enim suggerere potest cogere non potest. Item Bernar. potest inimicus excitare tentationis modum, sed in te est si volueris dare seu negare consensum. Animaduerte igitur (inquit Bonauen.) in potestate tua non esse diabolum prohibere, ne cibum mortiferum, hoc est, tẽtationes omni detestatione dignas ob oculos tibi apponat: tuum tamẽ esse potest, ab eiusmodi pestifero ac venenoso cibo abstinere. Tentari potes, cogi tamẽ non potes. Quare quemadmodum solũ visus, corpus nec grauare, nec illi nocere potest, sed gustatus, vel comestus: sic nullæ cogitationes quantumuis pessimæ oculis cordis oblatæ, nocere possunt: nisi illas aut gustaueris, aut ederis, hoc est, nisi illis fueris delectatus, aut eis consensum præbueris. Si ergo gloriæ vanæ, aut praui desiderij, aut malarum cogitationum cibus tibi à diabolo apponatur, illũ in faciem eius proijce. Quod solent facere epulones, qui cibum aut immundum, aut male conditum, maleque paratum, in faciẽ apponentis proijciunt. Hoc est, enim quod D. Iacobus ait, resistite diabolo: & fugiet à vobis. reijce ergo suggestionem satanæ tanquam cibum animo tuo maxime nociuum vt vere de te illud Iob, dici possit: abominabilis fit ei in vita sua panis & animæ illius cibus ante desiderabilis. Quid per panẽ hoc loco, nisi tam carnis, quàm mũdi illecebræ &

Chry. sup Matth c. 4. Diabolus non cogit sed suggerit. Bern. ser. 39. Bonau. de doctri. cordis. c. 10. Iacobi. 4. b Iob. 33. c

A delectationes significantur? Quæ panis mendacij à Salomone meritò vocatur: Quod non satient animum, quamuis ad modicum, famẽ eius auferre videantur, statim acriorem & vehementiorem redituram. Concupiscẽtiam ergo carnis, quid queso est nisi fames voluptatis, concupiscentia verò oculorum nisi fames diuitiarum, superbia autem vitæ nisi fames insatiabilis honoris? quare peccator omnis famelicus vocari meritò potest: similis ei, qui dicebat. Quanti mercenarij in domo patris mei abundãt

Pro. 20.

B panibus: ego autẽ hic fame pereo. Mercenarij namq; in domo patris, iusti sunt, seruientes in domo Domini, & expectãtes beatam mercedem: at peccatores mẽdici & famelici sunt, in hac mortali vita fame pereuntes. Si ergo satiari vero cibo & potu desideras, tibi sit panis iste mendacij, abominabilis: qui dum peccares tibi desiderabilis videbatur. Procul ergo hinc procul hinc sit panis iste prophanus, tibi à diabolo callidissimo hoste & insidiatore oblatus. Nam vt modo diximus

C probare potest: vim aũt facere nõ potest. Quod in hac Christi tentatione videre licet. Dic, inquit, huic lapidi vt panis fiat. Et rursum: tibi dabo potestatẽ hanc magnam, si procidens in terram adoraueris me: & modo: mitte te hinc deorsum. ¶ *Mitte te hinc deorsum.* Nusquam tutus locus & immunis à tẽtatione. Etiã in templo Dei tentatio inuenitur. Heu quot modo sunt, qui à diabolo in domum Domini, & in templum Dei adducantur? vt illos præcipitare faciat? quot sunt religionem profitentes, qui

Nusquã tutus locus & immunis à tentatione.

D si illam non essent professi, seruarentur. Non ergo satis est apud Christũ esse: nõ satis est in domo eius vitam finire: vt seruemur, beatamque vitam cõsequamur. Nam apud Christũ mortuus est iniquus ille latro, & tamẽ perpetuo perijt. In domo Dei cõmorabatur Iudas, & tamen laqueo seipsum suspendit. In eremo autẽ, longẽ remotus à templo Dei erat Moyses: & tamen ibi apparuit ei in rubo Dominus, Deumque Pharaonis ac Principem Ducemque populi sui eum constituit. Timeamus igitur vehementer qui

religiosam vitam profitemur, ignorátes an à diabolo an à Christo in templũ Domini adducti fuerimus, timeamus ne super pinnaculum templi, hoc est, super religionis culmẽ & fastigium positi in præceps deijciamur. Quod si satanas prouocat vt inani gloria victi, nos ipsos præcipites demus, ac fraudis suę patrociniũ mutuetur à sacris literis, non quo oportet accommodatis: alia scriptura rectè adducta, ceu clauum clauo retundamus, exemplo Christi qui ait, dictum est non tentabis Dominum Deum tuum. Illius auxilium aderit, cum nos casus quisque, aut religio pertraxerit in periculum, nõ quum ad ostentationem prouocamus Dei virtutem. Neque diuina pietas seruit humanæ gloriæ aut libidini: sed suã gloriam declarans, quum vult, in hominibus, succurrit humano destitutis auxilio. Indignus est autem ope diuina, qui suę gloriæ causa, semet vltro conijcit in manifestum vitę discrimen. Neque piorum hominum est Deo præfinire, quãdo quibus ve modis, nos debeat é periculis eripere, quum certissimé siue liberat, siue non liberat, hoc agitur per illũ, quod nobis saluberrimum est. nonnunquam fœlicius est ęgrotare, quàm bene valere: mori, quàm viuere: affligi, quàm rebus secundis vti. Pietas est ab illo simplici pendere animo: impium est, humana curiositate tẽtare quid possit, potest enim omnia, sed non vult nisi optima.

Tam hæretici quam catholici scripturis sacris vtũtur quare necesse fuit vt vnus esset in Ecclesia iudex & interpres verus sacrarum literarum, hic est summus Pontifex.

¶ *Scriptum est.* Fraudis & doli sui patrociniũ mutuatur diabolus à scriptura sacra. Christus etiam eadem aduersus eũ diuinarum literarũ vtitur telo. Sic enim & impij nonnunquam, & hęretici, diuinis scripturis vtũtur, vt fallãt incautos: sicut & pij, & catholici, vt eos à suis erroribus abducant. Quod cum hęc ita sint, rationi profectò consentaneum est, vt in republica Christiana aliquod supremum tribunal a Deo constitutum esset: quo huiusmodi lites dirimerẽtur. Vnusquẽ supremus iudex, vnumquẽ caput, cuius sentẽtia veritas decerneretur. Hic autem est summus Pontifex. Vnus Deus inquit Paul. vna fides, vnum baptisma, vnum corpus & vnus spiritus. Si ergo

Ephe. 4.

A vnum est corpus, vnum erit huius corporis caput. Et ne aberret caput hoc à vero, vnus sit spiritus in Ecclesia qui caput hoc gubernet, regat, suaque virtute protegat, faciatquẽ vt sit regula atq; verus sacrarum literarum interpres, ne fallamur omni vento doctrinæ: ne diuinis scripturis abutentes ad nostros affectus eas deprauemus.

¶ *Mitte te hinc deorsum: scriptum est enim quod Angelis suis mãdauit de te, vt conseruent te: & quia in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedẽ tuũ.* Ecce statera illa dolosa à manu diaboli pendẽs de qua D. Ioan. in Apo. c. 6. ait: Et ecce equs niger & qui sedebat super illum habebat stateram in manu sua. Quemadmodum Apostoli & vniuersi synceri verbi Dei ministri equo albo figurantur in illo capite à D. Ioanne, ita impostores & errorum assertores nigro. Nigredo enim typus est immunditiæ, insynceritatis, & mẽdacij, sicut albedo synceritatis & veritatis. Istius equi, idest, falsorum Prophetarum & hæreticorum sessor est rector eorum satan, quem scriptura regem filiorum superbiæ vocat, Iob 41. & patrem mendacij Ioan. 8. habet in manu sua stateram: nõ dubium quin dolosam, Deo abominabilem, sicut scriptũ est: statera dolosa abominatio est Domino. Pro. 16. Statera, iudicium seu æstimatio est hoc loco. Sic capitur Iob. 9. Vtinam appenderẽtur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior, in statera. Equs ergo ille teter & immũdus fert satanam cum sua dolosa statera, idest, reprobo iudicio sensuum scripturarum. Accipiunt enim hęretici ab hoc satana, iudicium in scripturis loquentes mendacium: quos habere dixit Paulus doctrinas dæmoniorum, & cauteriatam conscientiam. 1. Timot. 4. dignus equs sua sarcina. Hanc stateram dolosam habebat hodie satanas in manu sua cũ ait: mitte te deorsum: scriptũ est enim quoniam Angelis suis mandauit de te, vt cõseruent te, &c. Ex contrario & quasi manu torquet diabolus stateram, & ex sinistra sacræ scripturæ intelligentia colligit licitum esse Christo vt sese præcipitẽ daret.

Apo. 6.

Iob. 41. Ioan. 8.

Pro. 16. Iob. 9.

1. Tim. 4. Collecta.

daret. Statera à manu pendere nō debet nam si in manu sit, facile in hanc vel illā partē inclinari poterit. Et hoc est, quod diabolus manu gestabat stateram: vt in hanc, vel illam partem dolosé inclinaret illam. Quod in hoc loco vides. cum Psalmus de spiritualib⁹ auxilijs quibus De⁹ suos fouet loquatur: diabolus in falsum & prauum sensum detorquet. ¶ Existimat autem D. Hieronymus perperam citasse diabolū hoc scripturæ testimoniū, decerpens quod erat cōmodum, & prætermittens quod offendebat. Omisit enim illud: vt custodiant te in omnibus vijs tuis: cum D. Matthęus sic dixisse diabolum referat: mitte te deorsum: scriptum est enim quoniam Angelis suis mādauit de te, & in manibus tollent te. Præterit ergo diabolus illa verba: vt custodiant te in omnibus vijs tuis, quibus poterat confutari, cum hæc verba de Christo dicta diceret: quoniam Christum neque secundum diuinam naturam custodiunt Angeli, neq; secundum humanā necesse fuit custodiri ab eis: cum ipse sit caput Angelorū. Deinde secunda fraude vsus dicitur diabolus, quod tacuerit illud quod sequitur in Psalmo: super aspidem & basiliscū ambulabis: quia sciebat hæc contra se esse. Postremò quod de quouis viro iusto dictum est, detorsit ad Christum. Psalmus enim de omni viro bono & non de Christo intelligitur. Hæc docet Hieronymus. Sed operepretium est singulas istas fraudes perpendere. Imprimis, non videtur decerpisse illa verba vt custodiant te: nam & si non referantur à D. Matthæo, referūtur à diuo Luca in hoc loco: Sic enim ait dixisse diabolum: mitte te hinc deorsum: scriptum est enim quod Angelis suis mandauit de te, vt conseruent te: & quia in manibus tollent te. Pro eo quod dicitur in æditione vulgata, vt custodiant te: retulit Lucas: vt conseruent te, quod idē est. Quod ergo tacuit Matthæus, expressit Lucas. Integrum igitur testimonium & non truncatum adduxit diabolus vt auctor est Lucas noster. Quod verò prætermisit illud: super aspidem & basiliscum ambulabis, minime mirandum, quia ad rem non faciebat. Ad persuadendum enim Christum vt se præcipitaret, satis illi erat adducere verba illa: Angelis suis Deus mandauit de te, vt conseruēt te: & in manibus tollent te. Callidè ergo & astuté prætermisit quæ offendebant: & ad propositam rē minime faciebāt. Quod vero dicitur perperam illum locum de Christo intellixisse, cū de omni viro bono totus Psalmus intelligatur, non omnino certum est. Nam D. Augu. Psal. 90. Existimare videt veré hæc verba citata esse à dæmone, & prophetiam, de Christo his verbis contineri. A quo sensu nō aborrere videntur Hylarius in Matth. c. 4. neque Ambrosius lib. 4. in Luc. in c. 4. vbi ait: sed Dn̄s nec ea quæ de se fuerant prophetata, ad arbitrium diaboli putauit esse facienda, sed diuinitatis propriæ auctoritate seruata, versutiæ eius occurrit: vt quia scripturarum exemplum prætenderat, scripturarum vinceretur exemplis. Ecce ait hęc verba Psalmi allegata à diabolo de Christo fuisse prophetata. Vnde Caieta. explicans hunc Psalmum, vel ex his verbis colligit de solo Christo hunc Psalmum esse exponendum & nō de alio quouis iusto. Cū nullus hominū fuerit qui nō offenderit ad lapidē pedē suum: hoc est, qui non incurrerit aliquē casum quasi fortuitum, & culpæ & pœnę. Excepto, inquit, Messia: qui & peccatum nullum fecit, & in voluntarium malum nullum incurrit. Ad hæc, in principio Psalmi dicitur secundum lectionē Hebraicam: habitans in abdito excelsi. Habitare quippe est (inquit Caieta.) iugem quietem personalem alicubi possidere: constat autem nec Moysen, nec Dauidem, aut quemcumque alium iustum habitasse, sed transitoriē quodammodo hospitatos in abditō excelsi. Messiam verò habitasse: qui de seipso testatur: Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo filius hominis qui est in cœlo, habitans semper in abdito excelsi. Quare absque dubio existimat Caieta. prophetiam esse de Christo. Atque ad literam prædici diuinam Messiæ viatoris custodiā à malo, sic vt mereretur ꝓpria tribulatione immortalitatis præmium.

Con-

D. Hiero. Matth. 4. Psal. 90.

D. Augu.

D. Hylar. D. Ambr.

Caieta.

D. Hiero. Contrà verò D. Hieronymus sentit non de Christo sed de quouis alio viro probo. Eandem habent sententiam Orige. (Origine.) in Matthę. cap. 4. & nume. 4. homi. 5. & venerabilis Beda (Beda.) & Theophylatus Matthæ. 4. & Chryso. (D. Chrys.) in eundem locum, & tomo. 2. de varijs in Matthæ. locis ho. 6. ¶ Ego vero, si per tantos patres mihi liceat, dicerem: hunc Psalmum ad literam esse intelligendum & exponendum de viro iusto & probo in communi, & de Christo Domino in particulari. (Opinio auctoris.) Quemadmodum enim Psal. 8. (Psal. 8.) de homine in cõmuni loquendo dicitur: quid est homo quod memor es eius, &c. omnia subiecisti sub pedibus eius, &c. & in particulari de Christo est Paulus ad literã interpretatus ad Hebræ. c. 2. (Heb. 2.) Sic Psalmus iste. 90. & de quolibet homine pio & sancto generaliter, & de Christo Domino peculiariter ad literam dicitur. Scimus enim eundem sacræ scripturæ locum multos habere sensus literales: scimus etiã quod homo in communi essentẽn solet figura Christi hominis singularis: quare quod in Psal. 8. de homine in cõmuni dicitur non erit figura Christi, sed de homine in communi & de homine singulari, idest, Christo ad literam intelligitur Psalmus ille: sic neque iustus in communi erit typus & figura iusti particularis, hoc est, Christi. Quare Psalmus iste. 90. duos patietur sensus literales: quemadmodum Psalmus. 8. Diabolus ergo non eò errasse videtur, quod intellexerit hũc Psalmum de Christo: sed in eo quod inde colligere voluit licitum esse præcipitium. Quũ Psalmus de auxilijs, vt iam diximus, spiritualibus loquatur.

¶ *Et respondens Iesus ait illi: dictũ est non tentabis Dominum Deum tuum.* Eodẽ scripturę gladio Dominus caput præscindit non solum diaboli, sed omnium impiorum hominum illum sequẽtium. Vidi (inquit Ioannes) cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super (Apoc. 20.) eum vocabatur fidelis & verax, & cum iustitia iudicat & pugnat, oculi autem eius sicut flamma ignis, & in capite eius diademata multa, habens nomen scriptũ quod nemo nouit nisi ipse. Et de ore A eius procedebat gladius ex vtraq; parte acutus: vt in ipso percutiat gentes. Qua visione totum Christi mysterium nobis Ioannes significare voluit. Ecce inquit equus albus, idest, ecce Christi humanitas innocentia vitæ candida. *Et qui sedebat super eum, &c.* Verbum Dei, scilicet, quia super naturam humanam sedet diuina, eam vt lubet agendo: *& cum iustitia pugnat*, idest, iuste iudicat & pugnat. *Oculi eius sicut flamma ignis*, ad incendẽdos pios, nõ quod re vera sic esset sed sic illi videbatur. B *Et in capite eius diademata multa.* i. in Deo Patre qui est caput Christi infinita charismata, quibus electos suos muneratur Christus & donat. *Habens nomen scriptum quod nemo nouit nisi ipse.* Iuxta illud Paul. ad Philip. donauit illi nomẽ quod est super omne nomen. Dei. s. ineffabile nomẽ Tetragrammaton: hoc enim nomine assumptũ hominem donauit Deus, cuius vim & energiã nemo plane nouit nisi vnus Deꝰ. *Et de ore eius procedit gladius ex vtraque parte acutus.* Gladius acutus est verbum Dei. C Viuus est enim sermo Dei & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti. Hoc gladio percusit hodie diabolum: hoc gladio percutit omnes gentes impias & sceleratas: hoc gladio & nos caput Golial pscindemus. Illo igitur sæpe aduersus illũ vtamur. ¶ *Nõ tentabis Dñm Deum tuum.* Citatur hic locus iuxta trãslationem 70. quam traslationem approbat & apud Matthæum & apud Lucam nostrum Spiritus sanctus. Hebræi sic legunt: non tentabitis Dominum Deum vestrum. Eo quod isti ex litera, he, detractis duabus virgulis, fecere, vau, vt sit nõ D tentabitis. Et postea, vt sequentia respõderent verbo pluralis numeri, pro Dominum Deum tuum, fecere, Dominum Deum vestrum, vt esset non tentabitis Dominum Deum vestrum. Cęterũ quãdo 70. vertere, non tentabis Dominum Deum tuum, & hanc translationem citauit in hoc loco Spiritus sanctus euidenter sequitur hanc esse verissimam lectionem. ¶ Sciendum tamen, pro Dominũ Deum tuum, Hebraicè esse, hicoua elochẽ, aut eloau, quasi dicas, Deum Deos tuum

tuum, quod vt docet D.Tho. vt Græci hypostases, latini personas, hebræi, elohe dicere solēt, quasi diceremus nos: Deus personæ diuinæ, vt alterum nomē singulari numero esset, quod significet essentiam, alterum plurali quod personas significet. Est quidem scripturæ forma dicendi frequentissime Hebraicé, hieoua elohe, quasi dicas, Deus personę diuinæ, quod cum latiné reddere non possis, nisi Deus dij, idque non liceret, trāslatum reperies dominus Deus, aut Deus Deus, vt quamuis bis repetitum tibi nomē Dei esse videatur, personarum Trinitas, & essentiæ vnitas significetur cum dicitur, hieoua elohe. Deus personæ diuinæ. Ait ergo Dominus: non tentabis Dominum Deum tuū, idest, ne præsumpseris quasi experimentum alicuius rei sumere: quē admodum de Deo dicit scriptura quod tentauerit Abraham, idest, experiri voluit an ipsum timeret. Sic cū homo Deū tentat experiri vult aut eius potentiam, aut sapientiam, aut præsentiam. Psal. 77. dicitur: Tentauerūt Deum in corde suo, petendo cibum animæ suæ, & modum tentandi explicat. Nunquid poterit parare mensam, scilicet, integram, siue omnia cibaria mensę requisita populo suo? igitur antequam homo Deū sibi eligat, permittitur illi vt experiatur eum, sed postquam credit omnipotētem qualem Deum esse oportet, non est experientiæ aut tentationis locus. Iniurius enim est illi valde, qui eum de scientia, aut potentia, aut quouis alio tentat. Nostrum est pręcepta eius custodire: illius vero tanquā seruis omnia necessaria ministrare.

ET regressꝰ est Iesus in virtute sancti Spiritus in Galilæam: & fama exijt per vniuersam regionem de illo, et ipse docebat in synagogis eorum: et magnificabatur ab A *omnibus. Et venit Nazareth vbi erat nutritus, et intrauit secundum consuetudinem suam die Sabbati in synagogam: & surrexit legere, & traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ. Et vt reuoluit librū, inuenit locū vbi* B *scriptum erat. Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, euāgelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captiuis remißionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remißionē, prædicare annū* C *Domini acceptum, et diem retributionis. Et cū plicuisset librū, reddidit ministro, et sedit et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad illos, quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris.* D *Et omnes testimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebāt de ore ipsiꝰ. Et dicebant, non ne hic est filius Ioseph? et ait illis, vtiq́ dicetis mihi hāc similitudinem, Medice, cura te ipsum.*

Matth. 4. b
Mar. 1. b
Ioan. 4. f

Matt 13. g
Marc. 6. a
Ioan. 4. f
Esai. 61. a

Et

Et ipse docebat. Vel ipse enim docebat. *& magnificabatur ab omnibus.* Vel gloria extollebatur. *Spiritus domini super me.* Vel fouet me. *Dimittere confractos in remissionem.* Vel per remissionem, Heb. pro, vt dimittam vulneratos absoluendo illos.

§ *Spiritus Domini super me propter quod vnxit me.* Intelligitur autem hic locus de Christo iuxta naturam assumptã vt ipse hoc loco docet. Ipse enim est de quo idem Esa. prædixerat. c. 11. requiescet super eum spiritus Domini. Fuit autẽ Saluator noster vnctus non oleo quo Deus præcepit Moysi vt vngeret tabernaculum testimonij, & arcam testamenti, mensamque cum vasis suis, neque eo, quo idem Moyses vnxit Dei iussu Aaronẽ, & filios eius, neque eo, quo Samuel vnxit Saulem & Dauidem: sed oleo gratię & lætitię. Ita enim Psalmista Christũ alloquens prædixerat in Psalmo: Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Quibus verbis voluit Propheta Christi diuinitatem & humanitatem ostẽdere. Nam illa dictio, Deus, quę primo ponitur, est vocandi casus, secunda autem nominãdi. Vbi vides Christum a Propheta Deum esse vocatum. Dicens autem Propheta esse illum à Deo vnctũ gratia & exultatione super omnes homines eius consortes, aperte eius humanitatem significat. Intelligi autem hunc Psalmum de Christo Deo nostro asserit in epistola ad Hebræos D. Paulus. Constituerat Deus vt apud Hebræos, reges & sacerdotes oleo sacro vngerentur, cum autem Christus sit & rex & sacerdos æquum erat vt pristina consuetudine oleo sancto atque cœlesti vngeretur. Hoc intelligentes fideles dicebant, vt in Actis refert D. Lucas, Deum alloquentes: Domine tu es qui fecisti cœlum & terram, qui Spiritu sancto per os patris nostri Dauid dixisti: quare fremuerunt gentes & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum & aduersus Christum eius. Conuenerunt enim verè in ciuitate ista, aduersus sanctum puerum tuũ Iesum, quẽ vnxisti, Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israel. Et in Actis. c. 10. in hunc modum D. Petrus auditores alloquitur: Vos scitis quod factũ est verbum per vniuersam Iudæam, incipiens enim à Galilęa, post Baptismũ, qđ prædicauit Ioannes Iesum à Nazareth. Quomodo vnxit eum Deus Spiritu sancto, & virtute. Aspicis seruatorẽ nostrũ vnctum esse à Deo, nõ oleo humano sed diuino, nimirum Spiritu sancto & virtute, quod Dauid oleum lætitiæ appellauit. Christus enim idẽ est quod vnctus, vnde tria hęc nomina, Christus, Messias, vnctus idem significãt: & in Psalmo vbi nostra versio habet, aduers9 Christũ ei9, est in Hebraico aduersus Messiam eius. Et perpende: post vnctionem Spiritus sancti sequitur euangelizatio, ait enim euãgelizare pauperibus misit me. Prius enim cõcionator debet gratia vngi quã munus accipiat concionandi.

Esai. 11. Exo. 28. Christus verus rex fuit vnctus oleo Spiritus sancti. 1. Reg. 10. & 16. Psal. 44. Heb. 1. Acto. 4. Psal. 2. Act. 10.

§ *Euangelizare pauperibus misit me.* In Hebraico est in hũc modum: leuasser, anauin, xelachani, dictio anau, significat mitem, mansuetum, benignum, humilẽ, vnde id qđ habetur nu. c. 12. erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines: interpretatur R. Salomon humilis & tolerãs super omnes homines. hac ratione aducti 70. verterunt: euangelizare pauperibus misit me. Solent enim humiles, pauperes appellari. vnde id quod ait Christus beati pauperes spiritu: graues auctores non de inopia, sed de humilitate explanant. D. Luc. hanc auctoritatem ex versione 70. hoc loco citauit. Poteris etiã pauperes accipere in sua propria significatione pro egentibus & inopibus. Vbi vides apud Christum diuites & potentes non præferri pauperibus & humilibus. Homines sæpe volũt potius diuitibus quàm pauperibus Euangeliũ prædicare: at Christus pauperes elegit venit enim mundi vanitatem euersum.

Paupere qui dicantur. Num. 12. Matth. 5.

§ *Sanare contritos corde.* Contritos corde vocat eos, quorum conscientia tota contrita est, idest, turpitudine peccatorum vulnerata. Vnde in Hebraico est lacha-

qui dicantur contriti corde.

hachauox, lenabere leu, verbum chauax significat proprie alligare vt apud Esaiæ c.30. in die qua alligauerit Dominus vulnus populi sui, ideo Pagninus vertit: vt alligarem contritos corde. Metaphora sumpta à chirurgis vulnera fasciolis ligantibus. Vnde noster interpres rectè apud Esaiam vertit vt mederer. D. Lucas hic habet sanare contritos corde. Quod est idem. Potest verti vt curarem contractos animo. Hoc est, animum vulneribꝰ cōfossum & saucium habentes. Pro quo Theodo. vertit ad alligāda vulnerá peccatorum. Sunt enim peccatorum vulnera letalia, mortemque ipsam non multo postea sed statim gignentia iuxta illud, quod ait D. Iacobus: peccatum cum consummatum fuerit generat mortem. Idē autem hoc est, cum illo quod in Euangelio dicit Saluator: venit filiꝰ hominis quærere quod perierat. ¶*Sanare contritos corde.* Aspicis hic Christū esse medicum nostrū. Ad hoc enim venit, vt suis vulneribꝰ vulnera nostra curaret. Si medicꝰ aliquis tuæ ægritudini gratis mederetur, coleres eū memoria tāti beneficij beneuolentia perpetua. Cū igitur Christus medicus noster non solum gratis curauerit, sed etiam pro salute nostra suū sanguinem & vitam perfuderit, quę erit memoria, quæ vis ingenij, quæ magnitudo religionis, quæ possit tam admirabili beneficio respondere? Ipse Christus fatetur apud Marc. se esse medicum. Non necesse, inquit, habent sani medico, sed qui male habent. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores. Et Ecclesiasticꝰ ait. A Deo esse medelam omnē. Si Christus venit vt mederetur nobis ergo ęgroti eramus. Nos sumus ille sautius & spoliatus qui descenderat de Hierusalem in Iericho, quem Samaritanus ille cœlestis medicus curauit. Transierat sacerdos & Leuita, sed videntes eum præterierunt. Venit lex Mosayca & præteriuit, quoniā non iustificabat. Ita enim in epistola ad Roma. ait Apost. quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secūdum carnem ambulamus. Et in epistola ad Gala. quoniam, inquit, in lege nemo iustificatur apud Deum: Manifestum est quia iustus ex fide viuit. Lex autem non ex fide, sed qui fecerit ea, viuet in illis. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, &c. Et Paulo post: si enim, inquit, data esset lex quæ posset viuificare, verè ex lege esset iustitia, sed cōclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Fuerūt quidem in veteri lege multi viri iusti & gratia induti, sed nō per legem, sed per fidē, & vt fuit in Cōcil. Florētino assertū, anti quæ legis sacramēta non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dādam esse figurabāt. Et præterea, qui tūc in gratia decedebant, non cœlum penetrabant, sed in infernis vsque ad Christi mortem reseruabātur. Vt enim Moyses non potuit intromittere filios Israelis in terram promissionis, sed necesse fuit venire Iosue, qui eos ad illam perduceret: sic lex vetus non potuit iustificare, & suos in cœlestem patriam adducere, sed venit Iosue ille cœlestis, qui nos ad vitā æternam perduceret, suoque sanguinē cœlum aperiret. Hic est Samaritanus ille, qui nos amplissimis Dei beneficijs ob scelera nostra spoliatos, ex ampla Hierosolyma, & altissimo dignitatis gradu pręcipitatos, grauissimisque vulneribus percussos curauit, & in diuersorio vniuersalis Ecclesiæ constituit, vt inde ad immortalem beatitudinem tādem perduceret. Samaritanus enim idē est quod custos, de quo dicitur in Psal. nisi Dominus custodierit ciuitatem frustra vigilat qui custodit eam. Hic est qui homines curauit, qui ait hoc in loco: ad euangelizandum pauperibus misit me, sanare contritos corde.

¶*Prædicare captiuis remissionem* Vel missionem, idest, prædicare captiuis de salute penè desperātibus liberationem. ¶Apicis hīc peccatores, captiuos appellari. Quod aperte asserit Salomon in Prouerbijs dicens: Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorū

Margin notes: Esai. 30. — Iacobi. 1 — Infra. 16. b — Christus verus medicus animarum. — Mar. 2. — Eccle. 38. — Infra. 10 — Rom. 8. — Gal. 3. — Deut. 34. — Iosue 4. Figura. — Psal. 126. — Prou. 5.

constringitur. Et alio in loco in eisdem Prouerbijs ignorat, & nescit quod ad vincula stultus trahatur. Vnde dicitur in Psalmo qui educit vinctos in fortitudine. Vbi peccatores vincti appellantur quos Deus sua fortitudine ex vinculis educit. Et alibi: & vinctos suos non despexit. Peccata nostra funes sunt quibus ligamur.

Pro. 7.

Psal. 67.

Psal. 68.

¶ *Et cæcis visum*. Quod de vtraq; cæcitate & mentis & corporis intelligitur. Lege cap. 42. Esai. & videbis missum fuisse Christum vt oculos cæcorũ aperiret. Dedi te (inquit Deus Pater) in fœdus populi, in lucem gentium, vt aperires oculos cæcorum, & educeres de cõclusione vinctũ de domo carceris. Vbi aspicis flagitiosos, cæcos esse mentisquẽ lumine priuatos. Cæterũ nota quod vbi nostra versio habet, & clausis apertionem. 70. vertunt & cæcis visum quos sequutus est hic D. Lucas sed vtrunquẽ ex Hebræo verti potest, eandemquẽ sententiam habet. Nam venit Christus vt aperiret clausis. s. in tenebris peccatorum, illisq; redderet animi visum.

Esai. 42. Missus est Christus vt cæcos mente & corpore illuminaret.

¶ *Mittere confractos in remissionem*. Vel per remissionem & est Hebraismus pro, vt dimittam vulneratos absoluẽdo illos.

¶ *Et prædicare annum Dñi acceptum*. i. tempus gratiæ de quo ait Paulus, ecce nunc tempus acceptabile, ecce nũc dies salutis. Ad verbum est in Hebræo annũ beneplaciti Domini, siue annum volun tatis, vel reconciliationis Domini. Est autem illa vox in Hebræo: quæ in. c. 60. eiusdem Esaiæ cum dicitur, in reconciliatione mea misertus sum tui. Quare fortasse per annum reconciliationis. s. cum hominibus, voluit significare annũ mortis suæ, per quam placuit Deo recõciliari hominibus.

Annus Dñi acceptus. 2. Cor. 9.

¶ *Et diem retributionis*. Vel diem vltionis. Per hunc diem intelligit, vel diẽ extremi iudicij, quo Christus retribuit vnicuiquẽ iuxta opera sua, & quo vlciscetur inimicorum suorum, pœnasq; sumet de ijs qui illi non crediderint. Vel per diem retributionis & vltionis intelligit tẽpus euersionis Hierosolymæ per Titum. Vel vocat diem vltionis. s. aduersus principem tenebrarum. quasi dicat, Diabolus possedit humanum genus, & varie abusus est, iam sumam vindictam ab eo, iam princeps huius mundi eijcietur foras.

Dies retributionis triplex.

¶ *Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum*. Tale siquidem auditorium amat Dominus Iesus qui Sabbatum agunt, quiescentes ab huius mundi tumultuosis cupiditatibus, qui mutua concordia congregati sunt in vnũ, qui mentis oculos habent non alio spectantes, quam ad Iesum, quàm ad salutẽ æternam. Loquitur enim ille quotidie nobis in arcanis literis, loquitur per Euangelicos Prophetas, hoc est, per sacrorum voluminum interpretes, cœlestisq; doctrinæ concionatores. Fœlices autẽ, quibus sic attentis loquitur Christus. Talibus enim dignatur aperire sensus reconditi mysterij.

Quale auditorium amet Christus.

¶ *Hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris*. Vel audientibus vobis. Et est Heb. idest, iam vos audistis, in Capharnaum hęc omnia per me esse designata.

¶ *Et omnes testimonium illi dabant*. Vel laudabant eum.

¶ *Et mirabantur in verbis gratiæ*. Vel super gratia sermonum. Græcẽ in sermonibus gratię, & est Hebraismus, idest, mirabantur de verbis eius quæ tantam apud homines gratiam haberent.

¶ *Vtiquè dicetis mihi*. Vel haud dubie dicetis mihi. *Hãc similitudinẽ*. Vel hoc prouerbium. Heb.

Quãta audiuimus facta in Capharnaũ, fac & hic in patria tua. Ait autem amen dico vobis quia nemo Propheta acceptus est in patria sua. In veritate

tate dico vobis: multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel quãdo clausum est cœlũ annis tribus et mensibus sex: cũ facta esset fames magna in omni terra: et ad nullam illarũ missus est Elias, nisi in sarepta Sidoniæ, ad mulierem viduã. Et multi leprosi erant in Israel sub Elisæo Propheta: & nemo eorũ mundatus est nisi Naamã Syrus Et repleti sunt omnes in synagoga ira, hæc audientes. Et surrexerunt, & eiecerunt illũ extra ciuitatem: et duxerunt illũ vsq; ad superciliũ mõtis superquẽ ciuitas illorũ erat ædificata: vt præcipitarẽt eũ. Ipse autẽ transiens per mediũ illorum ibat.

A*Men dico vobis nemo Propheta acceptus est in patria sua.* Et ideo non mirũ quod nihil boni in patria operetur. Propheta enim potissimum medetur animis, nec potest quidẽ sucurrere ijs, qui salutẽ oblatã recusant. Recusat aũt qui diffidit. Et ideo diffidũt multi Prophetis: quoniam illos extimãt nõ ex virtute Dei per illos operantis sed ex imbecillitate corporis, quã in illis cõspiciũt, quemadmodũ & in cæteris hominibus. Cũm ergo nullus vnquam Propheta fuerit in præcio habitus in patria sua, & apud cognatos suos: ideo incredulitas eorũ reddit ipsos indignos diuino beneficio. Et hoc est quod D. Matthæ. c. 13. ait. Et nõ fecit ibi virtutes multas propter incredulitatẽ eorũ. Atq; D. Marc. c. 6. Hoc idẽ plus exaggerãdo verbáq; amplificando, inquit, nõ poterat ibi virtutẽ vllã facere nisi paucos infirmos impositis manibus curauit, & mirabatur propter incredulitatẽ eorũ. Cũ alibi propter tam fidem reperisset, multisq; miraculis floruisset, hic nulla potuit ædere, nisi quod impositis manibus paucos sanauit ægrotos, non quod esset illius contracta potestas, aut mutata voluntas, sed quod obsisteret illorum incredulitas. Quemadmodum enim medicus non potest benefacere ægroto, qui reiicit pharmacum: nõ quod ars medici sit inefficax, sed quod in culpa sit ægrotus: ita quoniam fides est, cuidantur miracula, incredulitas obstat, quominus possit ea ꝓmere, cui virtus alioqui non dest, nisi præpediretur aliena culpa. Atq; tanquam malitiã illis exprobrãs Dominus dicebat non nouũ, hoc esse, quod illi nunc accidebat: nam accidit idem sanctissimis Prophetis, Heliæ & Heliseo, quorum sepulcha núc colebant Iudæi. ¶ Hinc ergo discamus quales nos esse oporteat, si bonorũ ac beneficiorũ Dei participes esse volumus. Deus enim paratus est pauperibus euãgelizare, cœcis visum reddere, captiuos de potestate diaboli liberare, omnibusq; benefacere si nõ adsit impedimentũ. Nõ fecit, inquit, ibi virtutes multas propter incredulitatẽ eorũ. Vides obstaculũ: Sic alibi Apostoli nõ poterãt eiicere dæmoniũ ꝓpter incredulitatẽ suã. Ex quibus colligitur qđ vera fides vera inquam quæ ex sui dsperatione & fiducia in deũ cõsurgit omnia potest & accipit. Deus est qui bona dat, Christus mediũ per quẽ dat, fides accipit. Hinc duobus cœcis dicebat: creditis qđ hoc possum vobis facere? Sic in Marco: omnia possibilia sunt credẽti. Sic Iosaphat rex Iuda: credite Dño & securi eritis. Hæc inquã fides omnia impetrat. Antequã, inquit, clamẽt exaudiam eos. Hæc fides & fiducia Dei iram retrahit & impedit: vnde eius vires & fortitudinem discere potes. Quis enim Dei iram auertere potest? Dominus inquit, decreuit quis impediet? sola oratio ex fide viua

Matth. 13. — Mar. 6. Incredulitas impedit ne à Deo beneficia suscipiamus. — Simile. — Matt. 17. Fides in Deum viua omnia potest. — Mar. 9. Marc. 9. 2 Par. 20. Esai. 65.

Esai.14. Exo.32.

ua & profunda humilitate iræ Dei obsistit. Sic Moyses Domino obsistebat vt diceret: Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos. Vis igitur causam scire cur Deus nunc non multas operatur virtutes inter nos? Certe non est abbreuiata manus Domini vt saluare nequat. Quid igitur obstat? Quæsiui, inquit, inter eos virum qui interponeret sepem, & staret oppositus cõtra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inueni: ideo effudi super eos indignationem. Item nõ est qui inuocet nomen tuum, & teneat te. Teneri vult Deus ne puniat. Agnoscamus igitur peccata nostra, & confiteamur, atque ad misericordiam Dei cõfugiamus: dum adhuc teneri vult, & potest. & annũtiabit nobis mansuetis & pauperibus sua mysteria, sanabit corda nostra vndique peccatorum vulneribus dilacerata & contrita. Omnia denique obstacula & impedimẽta amoueamus: vt diuinis muneribus afficiamur.

Ezech.22. Esai.64.

§ *Et ad nullam illarum missus est Elias.* Et in sacra scriptura sæpe ponitur pro, at, attamen, tamen, sic apud Matth. c.12. Generatio praua & adultera signũ quærit: & signum non dabitur ei, idest, tamen signum non dabitur ei. Ita in hoc loco: & ad nullam illarum, idest, attamẽ ad nullam illarum.

Matt.12.c

§ *Et repleti sunt ira & eiecerunt illum extra ciuitatem, & duxerunt illum vsque ad præcipitium montis, vt præcipitarent eum: ipse autem transiens per medium illorum ibat.* Non est fortitudo cõtra Dominum. Diabolus perpetuo studuit Christum occidere, vt consiliũ Dei circa salutem hominis impediretur: sed nihil effecit. Olim promiserat serpenti Deus, mulieris semen caput illius contriturum. qua propter post illam promissionem inimicitias satanas semper exercuit aduersus electos, vt illis interfectis interficeretur Christus. Contra ipsum Abel primo cum iustus esset, Cain fratrem mouit: & ad parricidium impulit: sed nec sic propositum Dei impedire valuit: datus est enim adæ filius alius pro Abel ipse, scilicet, Seth. Ex quo cognatio sancta ortum habuit. Sed nec sic serpens quieuit, sed per mulieres ex stirpe Cain, generationem sanctam seduxit: quod effecit, vt Dominus omnem terrã diluuio disperderet: sed nec sic propositum Dei mutare potuit. Remansit enim iustus Noe, &c. post diluuium. Vniuersam autem terram seduxerat in errores, vt iam nulla esset cognitio Dei: gloriabatur, scilicet, diabolus se vicisse: sed Deus propositi sui memor, ex omnibus vnum Abraham elegit, cui & secundam promissionem fecit de Christo: dicens: in semine tuo benedicentur omnes gentes: vt serpens ille aperte videret propositum Dei de redimẽdo homine nedum mutatum. Hoc facto, serpens qui ante illud tempus solùm astutia vtebatur, nũc fortitudine vti cœpit, omnem suam vim contra Abraham & semen eius exercẽs, ob id solum ne Christus ex eo nasceretur. Vnde & primo contra eos excitauit Regem AEgypti, qui omnes masculos occidi mandauit. Sed non est fortitudo contra Dominum. Deinde cum peruenissent in terram promissam, omnes finitimos contra eos excitauit, Chananęos, Amonitas, Amalechitas, Moabitas, Philistæos, &c. nec sic tamẽ profecit. Deinde reges Assyriorũ, & in primis Salmanasar qui 10. tribus captiuas duxit: remãsit tamen tribus Iuda. Deinde contra Iudam Nabuchodonosor cõmouit, qui & Iudã cœpit, & vastauit: sed nec sic generatio sancta extincta est, statim enim Deus excitauit spiritũ Cyri regis, qui eos liberauit. Post reditum captiuitatis contra eos cõmouit Antiochum & alios, & quasi omnem vim furoris in eos euomit, vt de terra perderet: sed non est fortitudo contra Dominum. Nato Christo, Herodem cõmouit, vt illum interficeret: sed euasit de manibus eius sese in AEgyptum conferẽdo. Hodie cõmouit Iudæos qui coacto tumultu eiicerent eũ e ciuitate Nazareth, & perducerent illũ vsq; ad supercilium montis vt inde præcipitem darent: sed innocuus transijt per medium illorum, qui ad præcipitãdum pertraxerant: palàm declarans nihil in ipsum posse serpentis malitia. Tandem satanas eosdem Iudæos commouit, vt illum inter

A mundi exordio conatus est diabolus Christum occidere.

Gen.4. Gen.4.

Gen.22.

Diabolus cur iustos est persecutus.

Exo.1.

4.Reg.17. 4.Reg.25. 1.Esdr.1. 1.Mach.1.

Matth.2.

terficerent: sed tunc ipse mortuus est quãdo in ligno mortua vita fuit, suscitatus est Christus, & exaltatus omniaque traxit ad seipsum interfecto serpẽte. Sic quę vicit Dei verbũ, stetitque Dei propositum inuiolabile.

Iudæorũ impietas ostẽditur.

¶ *Vt præcipitarent eum.* O ciues impios, ó subito in quantam insaniam versum mobilis vulgi fauorem. Et postea mirantur adse non venire salutem, cum in exitium exigant salutis auctorem. Indignantur ethnicorum laudari piam credulitatem, neque corrigunt interim suã impiam incredulitatem. Efflagitabant medicum nec sustinent deuorare salutiferum amaræ veritatis catapotium. Volunt sanari corpora, animorum morbos negligentes. Animi vero ægrotantis medicina est verax & ideo mordax oratio; malunt blandum, sed lethiferum venenum quàm amarum & salutiferũ pharmacum. Requirunt ad humanam gloriam ædi miracula; quæ Christus non ædebat, nisi ad salutem hominum & gloriam Dei. Nec in hoc venerat, vt corporibus mox alioqui perituris, mederetur; sed animis in æternum victuris. ¶Iam mihi vide præposteram Nazarenorum religionem: Sabbatum erat, & nephas ducebant, eo die calceum consuere: & nefas esse non ducunt, ciuem ad salutem inuitantem, in præcipicium impellere. Nimirum per hos perficere cohabatur, quod ante per se suasserat satanas. Et repetit satellites ipso nequiores. Siquidẽ ipse nihil aliud ausus est quàm suadere præcipitationem, hi conglomerati, ciuẽ notum ac benemeritum, pertrahunt ad præcipitium: & quantum in ipsis erat præcipitarunt. Vult enim diabolus pro sua virili Christum imitari. Christus ait: Qui credit in me opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet. Sic diabolus conatur vt qui illum sectãtur deteriora opera quàm ipse, facere conentur. Diabolus ait: mittete hinc deorsum: eius autẽ impij ministri Christum deducunt in supercilium montis vt inde eum præcipitem darent. Sed licet perfecit quidquid potuit impia voluntas, non tamen est data prauæ volun

Diabolus conatur vt sui deteriora opera faciant, quã ipse facit.

A tati facultas. Nam statim Euangelista subiungit.

quare christus euasit e manibꝰ iudęorum & non est passus pręcipitari.

¶*Ipse autem transiens per medium illorum ibat.* Nondum venerat tempus quo nobis expediebat mori Iesum. Qui moriturus venerat pro nobis, sed suo tẽpore, quo illi pręfiniebat pater, sed eo genere mortis quod delegerat. Non placebat illi quoduis Sabbatum, sed Sabbatum Paschæ, quo decebat immolari agnum liberatorem orbis: non placebat præcipitium, sed altitudo crucis. Lu

B cifer præcipitatus est ob superbiam, & ideo solicitat alios ad ruinam. Dei filius sponte sese demiserat in terras, vt exaltatus in crucem omnia attraheret ad sese, & suo exemplo per humilitatem subueheret in cœlum; quos ille superbiæ princeps per arrogantiam & incredulitatem præcipitare conabatur in tartara. Nec illi sacrificio per agendo conueniebat Nazareth sed Hierosolyma. Locus, scilicet, sacrificijs omnibus peragendis, quæ vmbra erant huius veri sacrificij, dicatus. Iesus itaq; passus est eiici se, ne

quare ciuitate voluit.

C prædicaret indignis, quod idem vt facerent docuit Apostolos suos: præcipitari se passus non est, qui sponte mori voluit: & ideo innocuus per mediũ illorum trãsijt. ¶*Ipse autem transiens per medium illorum ibat.* Hac vindicta contentus fuit clementissimus Dominus Iesus, reliquisse quos comperit insanabiles. Alioqui poterat solo nutu illos in præcipitium impellere, qui ad præcipitandum pertraxerant, sed maluit eos super esse, vt progressu temporis resipiscentes ex nocentibus fiant innocentes, quam perderẽ nocentes. Nonnunquam enim sub

quare christus noluit suos ciues in præcipiciũ impellere cum posset.

D tracta beneficij copia prouocat desiderium eius, qui paratus est benefacere. Hoc certe miraculo prouocari poterãt, vel ad suspiciendum illius potentiam, aduersus cuius virtutem nihil potuit insanæ multitudinis conspiratio: vel ad amandum eius bonitatem, qui extrema molitos seruari maluit ad pœnitẽtiam quàm perdere ad pœnam.

Et descendit in Capharnaum ciuitatē Galilææ: ibiq́ue docebat illos Sabbatis. Et stupebant in doctrina eius: quia in potestate erat sermo ipsius. Et in synagoga erat homo habens dæmonium immundum: et exclamauit voce magna, dicēs: Sine, quid nobis & tibi Iesu Nazarene? venisti perdere nos? Scio te qui sis, sanctus Dei. Et increpauit illum Iesus, dicens, obmutesce, et exi ab eo. Et cum proiecisset illum dæmoniū in medium, exijt ab illo, nihilq́ue illum nocuit. Et factus est pauor in omnibus, et colloquebantur adinuicē dicentes, quod est hoc verbum, quia in potestate & virtute imperat immūdis spiritibus, et exeunt? & diuulgabatur fama de illo in omnem locū regionis.

Et *stupebant in doctrina eius quia in potestate erat sermo illius.* i. quia magna auctoritate verba ad eos faciebat. ¶ *Stupebant in doctrina eius.* Matth. c. 7. ait: Admirabātur turbæ super doctrina eius. Neq; solum admirabātur, sed vt in hoc loco Lucas testatur, stupebant in doctrina eius, quod multo plus est. En hæc sunt quę Christus verbo suo in cordibus fideliū operatur, admiratio. s. & stupor. Admiratio desideriū excitat, omnis enim veritatis inquisitio incipit ab admiratione: stupor cor concutit, vt repugnare nō possit, sed se victū fateri cogatur. Fieri enim non potest quin verbū Dei si cor tetigerit, illud in stuporē & admirationē inducat: hoc est, ad amorē, vt in electis: & ad terrorē vt in reprobis. Sicut videre est de Eglon Rege, cui Aod cum diceret: verbū Dei ad te, o Rex, habeo: statim territus surrexit. O verè magni fructus, timor & amor. ¶ *Stupebant in doctrina eius.* Minime mirandū qd Capharnaitæ vehemēter admirarentur doctrinā Christi. Primū enim verissima erant quæ docebat, & naturæ sensui consentanea. Deinde ad verā pietatē ac salutē æternā faciebāt. Ad hæc, doctrinā eius, vitæ singularis integritas cōmendabat. Accedebat hijs omnibus, miraculorū insolita virtus, quæ declarabat à Deo proficisci quod docebat, nō ab humano spiritu. Non enim ad quæstū, aut inanem ostentationē Christus Dn̄s ædebat miracula, sed primū his calamitosorū hominū necessitatē subleuabat, vt beneficio sibi conciliaret beneuolentiā: deinde in hoc ad tēpus corporalibus oculis exhibebantur, vt per hæc discerent ea credere, quæ cū videre non possent, magis tamen erant expectanda. Tandē ideo mirabantur, quia vt statim Euangelista addit magna auctoritate verba ad eos faciebat. Non enim sicut olim Prophetæ dicebant, hæc dicit Dominus: sed tāquam verus Dominus loquebatur. Ego autem dico vobis diligite inimicos, &c. Neque sicut legisperiti, quorum sermones omni adulatione pleni erant: sed libere magnatum vitia arguebat. Discant igitur à Christo Doctores & concionatores Ecclesiæ, quæ sunt rationi consentanea & ad salutem æternam necessaria populū docere. Accedat doctrinæ vita singularis & incorrupta: non ad quæstum aut inanem gloriam sed pietatis gratia, munere suo fungantur. Tandem ab omni adulatione sint alieni, & tunc populus maxime mirabitur doctrinam illorum. Ex quo fiet vt Dei verbum concutiat, ac cōmoueat corda audien-

Marginalia: Matt. c. 7. — Verbum Dei efficax in animis hominum. — Iud. — Causæ huius stuporis. — Matth. 5. — quid facere debeāt concionatores vt doctrina illorum in admiratione populo sit.

audientiũ, illaq; ad Dei timorẽ aut amorẽ excitet. Tu vero admirare Dei doctrinã, & magnificare stude: nõ enim frustra loquitur Deus, neq; enim alia causa est nostræ desidiæ, quã quod nõ magnifacimus & admiramur Dei verba, promissiones, & cõminationes. ¶ *Quia in potestate erat sermo ipsius.* Heb. i. magna auctoritate verba adeus faciebat.

¶ *Et in synagoga erat homo habens spiritũ immundũ.* Multæ sunt causæ ob quas Dñs tantã in homines potestatẽ dæmoni permittat. Primũ hoc aliquãdo fit ad obstinatorũ dãnationẽ, quẽadmodũ regius ille vates ait Psal. 77. Immisit in eos iram & indignationẽ, immissiones per Angelos malos. Qui aliquando impijs immittuntur, aut spiritualiter: vt magis ac magis in malo obdurẽtur, qd AEgytijs cõtigit: aut interdũ corporaliter, sicut frequenter factũ legimus martyrũ persecutoribus, qui in eorũ pœnã à dæmone vexabantur. Deinde hæc potestas dæmonibus datur: in correctionẽ peccantiũ. Paulus enim tradidit satanæ, fornicatorẽ Corinthiũ in interitũ carnis, vt spiritus eius saluus fieret. Itẽ Alexãdrũ, & Hymenæũ vt discant nõ blasphemare. Tertio ad electorũ probationem, vt qui probati sunt manifesti fiant, dæmõ hanc potestatẽ accipit: idq; aliquando corporaliter quod ipsi Iob contigit: aliquãdo spiritualiter per falsam doctrinã aut mẽdacia miracula, de quibus Moyses ait. tentat vos Dñs vt palã fiat verũ diligatis eũ an nõ. Quarto ad Christi gloriã, quod hic factũ credimus. Nã eiecto spiritu immundo, ad simplicẽ Iesu iussionẽ, stupor quidã & admiratio cœpit omnes, qui videbant hoc factum, atque inter se miscebant eiusmodi sermones de Christo. Quod est hoc verbum, quia in potestate & virtute imperat immundis spiritibus, & exeunt. Et diuulgabatur fama de illo in omnem locũ regionis. Tãdem vt per ea quæ externe videmus in dæmoniacis, intelligamus quid in animis impiorum spiritus immũdus operetur. Ecce adest huius rei figura quædam. Erat, inquit Euangelista, in synagoga homo habens spiritum immundum. Quis enim impurior, aut nocẽtior

A dæmon, quam libido, quãm ira, quã ambitio, quam pecuniæ cupiditas, quam liuor, quam hypocrisis: impius enim à tot dæmonibus agitatur, quot seruit vitijs. Nec capaces esse poterunt peccatores mansuetissimi spiritus euangelici, nisi prius Dñs expellat ab eis spiritũ satanæ malũ, ac vinciat. Spiritus enim satanę varijs motibus exagitat impiorũ mẽtes, auaritię, superbię, iræ, vindictæ, inuidiæ, variosq; tumultos in eorũ animis excitat.

B ¶ *Sine*, quasi dicat, missos nos fac. *quid nobis et tibi*, Græcismus, pro, quid tibi nobiscum rei est. Sic alibi: quid mihi & tibi est mulier.

¶ *Scio te quia sis sanctus Dei.* Sãctus ille Dei. Hoc loco articulus Grecus emphasin habet, quasi dicat, me non latet quis sis. Tu es enim ille vnicus sanctus Dei debellaturus omnẽ impietatẽ, & propulsaturus omnem impuritatem. Habet lex suam sanctimoniam, habet suam munditiam, sed tu es vnicus ille, quẽ Deus sua sanctimonia sanctificauit. ¶ An vero satanas cognouit Dñm Iesum esse vnicũ ac

C verũ Dei filium disputant sancti. Beda sic ait, cũ ieiunio fatigatũ diabolus videret verũ hominẽ intellexit, sed quia tẽtando nõ præualuit verũ etiã esset filius Dei dubitabat. Nũc ergo per signorũ potestatẽ iã certior effectus: filiũ dei arbitrabatur. Nõ ergo eũ ideo crucifixit, qd filiũ dei esse ignoraret, sed quia eius morte se dãnãdũ nõ preuidit. Alij vero, inter quos D. Augu. existimant cognouisse diabolũ eum esse Christũ in lege patribus promissum, at esse verũ filiũ Dei ignorasse, ideoq; Apostolũ dixisse: Si enim cognouissent nusquã

D Dñm gloriæ crucifixissent. Quod si hãc Augu. sentẽtiã sequamur dicendum est: hoc in loco fictẽ diabolũ dixisse, scio te. Nẽpe quod sis sanctus ille Dei: vt elicẽret à Christo cõfessionẽ. Nõ aliud agens per os huius hominis quã quod prius tẽtator iste egerat in deserto per seipsum. Profitetur Christi deitatẽ subdole, nõ vt ipse salutẽ assequatur, sed vt aliorũ salutẽ impediat. Abscõditũ erat ergo diabolo Christũ esse verũ deũ, verũq; hominẽ, atq; per hũc hominẽ Deũ liberãdũ esse ab eius ditione & potestate hominem.

Margin notes: primam cau. — Psal. 77. — 2. cau. — 1. Cor. 5. — 3. cau. — Deut. 13. — 4. cau. — 5. cau. — Ioan. 2. — An diabolus cognouerit Christum esse filium Dei verum. — D. Tho. 3. p. q. 47. ar. 5. — 1. Cor. 2. b

Dum enim mortẽ intulit Christo homini, vnde cœpit, captus est: carnẽ inuasit & hamo diuinitatis captus est. Et hoc erat mysterium illud de quo Dñs Iob. Loquebatur, an extrahere, inquit, poteris Leuiathan hamo? Hic ergo Leuiathã in hoc mari magno & spatioso in quo reptilia sine numero, ad omnium mortẽ inhians: hũc atq; illuc aperto ore ferebatur. Sed ad mortem ceti istius, hamus in hac aquarum profunditate caliginosa linea est mira dispensatione suspensus. Huius hami linea illa est de qua D. Matthæ. Abraham genuit Isaac, Isaac autẽ genuit Iacob, &c. In cuius extremo incarnatus Dñs, tanquam hamus ligatus est vt eũ in has aquas generis humani proiectũ aperto ore cetus iste expeteret. Et tamẽ cũ eum capere voluit captus ab illo est: iuxta illud quod per Prophetã ipsemet ait: ero morsus tuus, o mors. Vide quę annotabimus infra c. 8. in illa verba. Quid mihi & tibi est Iesu fili Dei altissimi.

Iob. 40.

Matth. 1.

Oseæ. 13.

¶*Obmutesce*. Non tulit Dñs prædicari ab impio & immũdo spiritu, qui totam hãc gloriam voluit in vnũ patrẽ referri, non ignarus dæmonis professionem nõ ex sincera fide sed ex malitiosa volũtate proficisci. Ideo ait obmutesce impure spiritus, & exi ab eo. Vide quæ inferius annotabimus. c. 8. in illa verba quid mihi & tibi est? ¶*Obmutesce*. Idem Lucas c. 11. narrat oblatũ fuisse Christo dæmonium mutum. Erat, inquit, Iesus eijciẽs dæmonium & illud erat mutũ. & cũ eiecisset dæmoniũ locutus est mutus. Hoc autẽ dæmoniũ loquax erat, & ideo Christus ait obmutesce. Vt hinc discamus, quid satanas in animis hominũ operari soleat. Quosdã enim mutos reddit, quosdã verò loquaces, quosdã inquã qui peccata sua confiteri, ac vera pro innocentibus dicere deberent, silere faciat: alios verò, qui tacere secreta sibi cõmissa, conuitiaq; non dicere: verbosos & garrulos reddit. Hæc est enim diaboli natura & cõditio vt omnia peruertat, pauperẽ reddit qui diues esse deberet: diuitias præstat, cui paupertas magis ad suã salutẽ cõgruebat. A Iob bona omnia abstulit, & ea, imò omnia mundi regna Christo pol-

Diabolus quosdã mutos, quosdam loquaces facit, omnia denique peruertit.

licetur: Iudã persuadet vt Dñm suo tradat, & vxorem Pilati instigat vt eum à morte liberet. quæ omnia operatur spiritus inmũdꝰ vt hominũ salutẽ impediat.

¶*Et cum proiecisset illum dæmonium in medium, nihil illi nocuit*. Quod proiecit argumentũ erat peruersæ voluntatis, indiciũ erat, quod admodum inuitus relinqueret possessionẽ suam. Quod illæsum reliquit, arguit impios spiritus nemini nocere posse, qui se totos tradiderint seruatori. Plus enim valet vnius Iesu bonitas ad salutem, quã innumerabilium dæmonum malitia ad pernitiem.

Diabolus nemini nocere potest qui se totum tradidit Christo.

¶*Et factus est pauor in omnibus*. Heb. pro expauerunt omnes. ¶*Quod est verbum quia in potestate & virtute imperat immundis spiritibus. Et exeunt*. Vel cum auctoritate ac potestate imperat immundis spiritibus: exeunt enim.

Surgens autem Iesus de synagoga, introiuit in domũ Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus et rogauerunt illum pro ea, et stans super illam, imperauit febri: et dimisit illam. Et continuò surgens ministrabat illis. Cum autem sol occidisset, omnes qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebãt illos ad eum. At ille singulis manus imponens curabat eos. Exibant autẽ dæmonia à multis, clamantia & dicentia, quia tu es filius Dei. et increpans nõ sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum eße Christũ. Fa-

ita

cta autem die, egreßus ibat in desertum locum: et turbæ requirebant eum, et venerunt vsquè ad ipsum: et detinebât illum ne discederet ab eis. Quibus ille ait, quia & alijs ciuitatibus oportet me euãgelizare regnũ Dei: quia ideo mißus sum. Et erat prædicans in synagogis Galilææ.

SOcrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. Iam hic vides quam fragiles sumus. Tempus cuiquẽ nostrum (inquit Augu.) proximum est, quia mortales sumus. Inter casus ambulamꝰ. Si vitrei essemus minꝰ casus timeremus, quid fragilius vase vitreo & tamen seruatur & durat per secula? Et si enim casus vitreo timentur, senectus ei & febris non timetur. Nos ergo fragiliores & infirmiores sumus, quia & casus omnes qui non cessant in rebus humanis, fragilitate vtique nostra quotidie formidamus: & si ipsi casus non accedãt, tempus ambulat: vitat homo ictum nunquid vitat exitũ. Vitat quę extrinsecus eueniũt: Nunquid quod intus nascitur pellitur? Denique nunc lubricos gignunt interiora, nunc morbus quilibet subito occupat. Postremo, quantũuis homini parcatur nouissime senectus cũ venerit, non est quo differatur. Proinde audiamus Dominum in nobis ipsis, agamus, quod præcepit agite, inquit, pœnitentiam appropinquabit enim regnũ cœlorum. Hæc ex Augustino. ¶ *Tenebatur magnis febribus.* Febris animi est omnis tentatio ad peccandum. Nam quẽadmodum febris mortem secum offerre solet nisi medicamentũ sumpseris, sic tẽtatio peccatũ, nisi diuino subsidio iuueris. Ideo necesse est vigilare & orare Deum.

Augu. ser. 2. de verbis Dñi. Fragiliores vitreo vase sumꝰ & inter casus ambulamus.

Omnis tẽtatio ad peccãdum febris est animę.

A Iuuant enim maxime preces proximorũ nobis magnis tentationibus oppresis. *Tenebatur magnis febribus.* Omne peccatum ex ignorantia profectum, febris exigua dici potest: omne vero peccatum ex animi propenssione & imbecillitate ortum, febris est periculosior ac maior: peccatum vero ex malignitate dimanãs, maxima febris nimiũq; periculosa vocari potest: quã qui tenet, actũ cõmuniter est de illo, nisi adsit aliorũ asiduus ad Deũ deprecatio: adest huius rei figura. Socrus B enim Petri tenebatur febri vehementi, & affines & cognati rogauerunt Iesum vt affinem discipuli, quem inter primos habebat, leuaret febri. Atque id animaduertendum est, quod in remissione peccati duo intelligũtur: & condonatio culpæ, & cõdonatio pœnæ. Illa quidem per propriam fidem & charitatem cõtingit hominibus. Iuuant tamen preces proximorum vt Deus ad fidem & ad charitatem ad veramque pœnitentiam hominem vocet. Hæc verò, per fidem & charitatem alienam contingere infirmo potest, C Ecclesiæ nempe societas, fratrum fidelium pœnas cõmunes per amicitiam facit. Sed de hoc alias satis diximus.

¶ *Et stans super illam imperauit febri & dimisit illam.* Declarat sane hoc miraculum & potentiam & bonitatem Christi. Egregia profecto coniunctio potentiæ & pietatis. Sunt enim qui potentiam habeant, sed interim cum pietate careant, nihil nisi tyrannos agunt: sunt & alij, qui pietatem quidem habent sed non potestatem: vtrumque autem in Christo esse, hoc miraculum euidenter ostendit. Potẽtiam, scilicet, nam simul D atq; interminatus est febri vt abiret, au fugit morbus, non paulatim redeunte corporis vigore quemadmodum accidere solet in ijs, quæ medicorum ope subleuantur, sed repente depulso morbo successit vigor omnis, & alacritas, sic vt surgens électo pararet cœnam Iesu & discipulis eius: ac discumbentibus ministraret. Benignitatem autem ostendit Dominus Iesus in eo quod mox vt rogatus est imminens mulieri sanauit eã. Interim obserua: quod solo verbo sanauit hanc mulierem.

Secũdũ diuersas species peccatorum vocantur febres animę aut exiguæ, aut magnę aut maximæ.

Intercessio piorũ maxime prodest peccatori vt ad pœnitentiam vocetur à Deo.

Potẽtia & bonitas Christi ostenditur in hoc miraculo.

lierem. In quo suam diuinā ostēdit virtutē. Dei enim opus est istud. Vnde Sapiēs neque herba, inquit, neque malagma sanauit eos sed sermo tuus Domine qui sanat omnia. Et D. Petrus nomen eius & fides, quæ per eum est, dedit hanc sanitatem. Nec mirum quod verbo creaturam mutare possit, quam verbo condidit, & sustentat iuxta illud: portans omnia verbo virtutis suæ.

Sapien. 16. Acto 3. Heb. 1.

¶ *Cum autem sol occidisset.* Animaduerte clementiam Saluatoris qui nec excusat priuatum cui debebatur otiū, nec noctem intempestiuam rebus gerendis, sed omnibus infirmis oblatis manus suas imponit. Hac rerum imagine docens omnes qui vellent esse liberi a morbis animorum, ad illum confugere: qui paratus est omnibus verè pœnitentibus gratis condonare. Nullum est enim morbi genus quod ad illius contactum aut iussum non aufugiat. ¶ Atque iterum exēplū paratur prælatis quanta cum mansuetudine recipere debeant peccatores peccatorum suorum pœnitere cupientes.

Clemētia Christi cōmendatur

Prælati clemētes esse debent.

¶ *At ille singulis manus imponens.* Tactu manuum suarum infirmos hos sanare Dominus voluit, vt ostēderet carnem suam sanctā esse: verèquè diuinitati coniunctam: imo diuinitatis suæ instrumentum. Aliàs autem solo verbo suo socrum Petri, multosque alios curauit, quod nullus hominum facere potest.

quare christus tactu sanabat infirmos,

¶ *Et increpans non sinebat ea loqui.* Nondum venerat tempus quo Dominus palàm omnibus esse voluit, se esse Messiam illum filium Dei: & si voluisset noluit impuros spiritus suæ gloriæ præcones: vel quia non simplex sed subdola erat illorum professio: vel quia periculū erat, ne si pondus habere cœpisset illorū testimoniū in re tanta, in cæteris quoque fidem inuenirent in quibus mēdacio fallere gauderent. Etenim cum satanas natura sit mendax, etiam si quando verum prędicat, non in aliud tamen hoc agit, nisi vt fallat. Nimirum hanc artem ab illo didicerunt heretici omnes qui pia impijs, qui vera falsis admiscent: veluti salubribus cibis venenum lethiferum addentes, quo plures in perniciem pelliciant. Ideo Dominus compescuit horū spirituum impiorum clamores, ac minis additis imposuit silentium. ¶ *Non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.* Hic locus potest habere hūc sensum: nō sinebat ea loqui, hoc.s. quod sciebant ipsum esse Christū. Vnde, quia, non est causalis sed pro, quod, accipitur in hoc loco. Nolebat enim Christus vt modo diximus à dæmonijs testimonium accipere. Vel, non sinebat ea loqui, quia dicebant quod sciebant, ipsum esse Christum, nisi scire dicebantur, quia vehemēti quadam suspitione id suspicabantur, & diuulgabant ac si scirēt. Liquido quippe non cognouerunt, donec ipse descendit ad inferos spoliaturus eos.

quare christus non sinebat dæmones loqui.

Hereticorum versutia in fallendo.

¶ *Quia aliis ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei.* Regnum Dei vocat euangelium regni Dei.

Finis capitis quarti

CAPVT V.

¶ *Christi concio ex naui & aliquot miracula.*

¶ *Dominica quarta post Pentecostem.*

Factum

Matth. 4. c
Mar. . . b

Factum est autem: cum turbæ irruerẽt in eum vt audierent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genezareth. Et vidit duas naues stantes secus stagnum: piscatores autem descenderãt, & lauabant retia. Ascendens autem in vnam nauim quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere pusillum. **Et** *sedens, docebat de nauicula turbas. Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem, duc in altum, et laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon, dixit illi, præceptor per totam noctem laborantes nihil cœpimus: in verbo autẽ tuo laxabo rete.* **Et** *cum hoc fecissent, concluserũt piscium multitudinem copiosam. Rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt sotijs qui erant in alia naui vt venirent et adiuuarent eos. Et venerunt & implerũt ambas nauiculas: Ita vt penè mergerentur. Quod cum videret Simõ Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens: exi à me, quia homo* A *peccator sum Domine. Stupor enim circũdederat eum et omnes qui cum illo erant, in captura piscium quam cœperant. Similiter autem Iacobum & Ioannem filios Zebedæi, qui erant sotij Simonis. Et ait ad Simonẽ Iesus,* B *noli timere: ex hoc iam homines eris capiens. Et subdutis ad terram nauibus, relictis omnibus secuti sunt eum.*

CV M *turbæ irruerent in eum.* Vel cum turba incumberet ei, seu imminẽret, instaret, vrgeret. ¶Cæterum quantorum mirabiliũ operator sit Dominus Iesus (inquit Ambro.) intelligere C possumus ex hac euãgelica lectione, qua describitur tãta per eum beneficia in populum fuisse collata, vt prouocatę hominum turbæ magis irruerent, quam rogarent, & medicinam salutis non sperarent per humilitatis gratiam, sed per importunitatis iniuriã. Ita vt irruentes turbas à Domino Iesu non desertum separaret, non synagoga repelleret, non reuerentia diuinitatis perarceret. Hæc est enim consuetudo infirmantium, vt dum sperant suis ægritudinibus medicinam, ab importuna petitione, non loco prohi D beantur, non tempore, sed quanto plus medetur ille qui sanat, tanto amplius ille importunus est qui laborat. Confluebant igitur, irruebant, irrumpebant, hærebant, vrgebãt. Hic verò mihi obsecro fac oculos mẽtis aperias, quo perspicias in narratione rei iuxta carnem gestæ nascentis & exuberantis Ecclesiæ imaginẽ.

¶ *Vt audirent verbum Dei.* Ideò turba confluens vrgebat & imminebat illi, cupiens audire sermonem diuinum. Nã sermonem Pharisaicum iam plerique fastidiebant, quod præter hominem ni-

Irruēdum nobis est vt audiamus verbū Dei.

hil resiperet. Irruamus igitur & nos exē plo istorū. Nō deterreat deserti vastitas, non montium laboriosus ascensus, non arceat pudor irrumpendi priuatam domū, si forte se domi occultet, nam nihil offendet mitissimum Dominum hęc improbitas vt eius sermonem qui sanat omnia audiamus.

Et, pro, tunc. Gen. 12.

¶*Et ipse stabat.* Et pro tunc. Heb. sic Gene. 12. Et dixit ad Saram vxorem suā. Et, pro tunc, & hoc consilium inijt cum vxore. Mox sequitur: fiet, sic enim habet Hebraica ad verbum.

¶*Secus stagnum Genezareth.* Vox Chaldæa: Hebræi autem dicunt: mare cinereth. ¶*Cum turba irruerent ad Iesum vt audirent verbum Dei, & ipse staret secus stagnum Genezareth.* Magni meriti est apud Deum desiderium verbi Dei, quod ipsam quoque irreuerentiam turbæ irruentis excusat. Non enim ab eis consideratur maiestas, dum desideratur vtilitas. Sed ne ab ipso quidem attenditur ad quem irruant, sed ad quid. Illud quoque aduertendum, quòd ad salutem ardenter irruit, qui verbum Dei medullitus concupiscit. Nec Saluator irruentibus indignatur, sed desiderātibus fauet. Ruamus igitur & nos, irruamus in retia verbi Dei, vt eruamur de stagno Genezareth, & inter bonos pisces reponamur in vasis, exhibendi fœliciter conuiuio Saluatoris, imò non sicut turbæ incomposite irruamus, sed disciplinatè, reuerēter, & humiliter accedamus. Accedentibus enim nobis, & desiderantibus verbū eius, dignantissimus & benignissimus adest, stans vtique secus stagnum Genezareth, iuxta illud prope est Dominus his qui tribulato sunt corde. Quod enim aliud stagnum sic fluit, sic turbatur, sic auram generat sibi ipsi? Hoc nempe est quod Genezareth sonat. Aut certe stagnum hoc præsens seculum signat: & interim stat nobis Dominus secus illud, vt ex eo nos eruat, non in eo ipse. Et quidem stagnum hoc aliàs mare Tiberiadis dicitur. Sed cum plura habeat nomina, hoc loco ei quod visum est mysterio conuenire tribuitur. Mare enim videtur mūdus, magnitudinem eius mirantibus. Sed

Magni meriti est desiderium verbi Dei.

quod per stagnū Genezareth designetur.

A rectius dicitur breue stagnum, latitudinem expectantibus ampliorem. Cæterū sicut in nomine maris seculi huius amaritudo, sic in stagno Genezareth, ingenita quędam & repentina est designata cōmotio. Cum enim aquæ sint populi, in hoc stagno non amnis statio, sed turbatio est: quod ipse sibi iugiter auram generat qua turbatur. Vnde enim in hoc Genezareth aura non gignitur? A dextris & à sinistris, ab ante & retro, deorsum oritur & desursum. Nam & prosperitas stultorum perdit illos, & occidit auersio paruulorum. Aliter quoq; à dextris imminent turbationes, quæ ad augmētum fuerint meritorum: à sinistris, in quibus magis expiatio peccatorum. Vel, à dextris, quę ad vtilitatem: quæ vero ad perniciem, à sinistris. Est enim tribulatio quæ pacientiam operatur. Et est alia per quam magis animus induratur. Videtur etiam à dextris aura procedere, cum in nos aliqui pia intentione consurgunt: cum ex malitia à sinistris. Quod autem diximus ab ante & retro, ad apertas & occultas persecutiones: quòd alius euidenter immineat, alius insidietur à tergo. Sed nihilominus aura desursum oritur & deorsum, dum & superiores & inferiores impugnant nos aliquoties & affligunt.

Pro. 1.

B

C

Galfredus

¶*Et vidit duas naues stantes secus stagnum. Piscatores autem descenderant, & lauabant retia. Ascendens autem in vnam nauim, quæ erat Simonis, &c.* Ego his nauibus obedientiam & patientiam intelligo, quarum altera in labore exercet, altera sustinet in dolore. Quàm malè mergitur, qui sine his duabus nauibus stagnum istud ingreditur? Descendunt autem piscatores ab his nauib9, cum humiliter se fatentur his carere virtutibus. Lauant retia, quibus nihil viuum, nihil vtile cœperunt, sed sordes potius contraxerunt, cum desideria sua, & studia purgant confitendo. Ea quippe sunt retia, quibus nil boni adepti sunt, sed inania quędam & indigna sectati. Quæ verò de duabus nauis sit Simonis, ipso obedientis nomine declaratur. Hanc Saluator ascendens, rogauit eam reduci à terra pusil-

D

pusillum, vt videlicet in laboribus obedientiæ, & si terrena sit actio, sed intentio sit cœlestis. Pusillum enim à terra reducimur, quum eadem opera quę vel ipsi prius egimus, vel ab alijs secularibus cernimus actitari, dissimili tamen intentione sectamur. Dignũ verò est vt præcedat obedientia patientiam. Quatenus benefaciens quis, & colaphizatus sustineat, non tanquam adulter aut sacrilegus patiatur. Et sedens (inquit) docebat de naui turbas. Est enim nauis cathedra Saluatoris. Cæterum doctrinæ vacantes tanquam in littore nauigamus: manum mittentes ad fortia, iam in altum ducimur. Iuxta illud: facientes operationem in aquis multis. Ipsi viderunt opera Domini & mirabilia eius in profundo. Cessat autem locutio, vt actio iam accedat. Vt enim cessauit loqui ait ad Simonem. ¶ *Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam.* Quod est dicere, medijs licet in fluctibus ad hoc studium mentis & desiderium applicate, vt opus aliquod bonum efficere, & tanquã vitale aliquid obtinere possitis.

Psal. 106.

Galfredus

¶ *Ascendens autem in vnam nauis quæ erat Simonis, docebat de nauicula turbas.* Videte (inquit Ambrosius) misericordiam Saluatoris, separatur quidẽ ab hominibus corpore, doctrinæ tamen, ijs vtilitate coniũgitur. Vbique miseretur, vbique prodest. In terra positus per tactum langores hominum sanat, in mare constitutus per doctrinam vulnera curat animarum. ¶ *Ascendens autem in vnam nauis quæ erat Simonis, &c.* Videamus nunc (inquit idem Ambro.) quę sit ista nauicula Simonis Petri, quã adducendam de duabus magis opportunã Dominus iudicauit. Quæ & tutum Saluatorem præstat ab iniuria, & credulitatis hominibus largitur eloquia. Inuenimus enim iam Dominum nauigasse in alia naui, & grauibus iniurijs lacessitũ. Nauigauit enim cum Moyse in mare rubro, quando populum Israel per vndarum fluenta transuerit. Sed grauibus est affectus iniurijs, sicut ipse dicit in Euangelio ad Iudæos: Si crederetis moysi & mihi crederetis. Iniuria autem Saluatoris

Ambro.

Ambro.

Ioan. 5. g

A est incredulitas synagogæ. Ergo Petri nauem elegit, Moysi deserit, hoc est, spernit synagogam pessimam, fidelem assumit Ecclesiam. Duæ enim quasi nauiculæ à Deo destinatæ sunt, quæ in hoc, tanquam in mari, mundo salutem hominibus piscarentur, sicut ait Dominus Apostolis: venite faciã vos piscatores hominum. Ex his ergo duabus nauiculis vna relinquitur ad terram inanis & vacua, altera producitur in altũ, onusta, vel plena. Vacua enim synagoga relinquitur B in littore, quia Christum cum Prophetarum amisit oraculis. Onusta autem Ecclesia in altum assumitur, quia Dominum cum Apostolorum doctrina suscipit. Synagoga, inquam, remanet ad terram quasi terrenis inhærens operationibus, Ecclesia autem in altitudinem reuocatur, tanquam cœlorum profunda sacramenta discutiens, in illam. s. altitudinem, de qua Apostolus ait: ô altitudo diuitiarum sapiæ & sciæ Dei. Propterea dicitur Petro: Duc in altum, hoc est, in pro C fundum disputationum generationis diuinę. Quid enim tam profundum, quàm quod ait Petrus ad Dominũ: tu es Christus filius Dei viui? Quid tam terrenum quàm quod de Domino dixerũt Iudæi: Nonne hic est filius Ioseph fabri? Ille altiori consilio diuinitatem Christi natiuitatem, inquam, Christi diuinitus approbauit, hi mente viperea generationẽ cœlestem carnaliter existimant. Vnde ait Saluator Petro, quia nõ caro & sanguis tibi hoc reuelauit, sed pater meus qui in cœlis est. Pharisęis autem dicit: quomodo potestis bona loqui, quùm sitis ne D quam? Hác igitur solam Ecclesiæ nauim ascendit Dominus, in qua Petrus magister est constitutus, dicente Domino: super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Quæ nauis in altum seculi istius ita natat, vt pereũte mũdo, omnes quos suscipit seruet illęsos. Cuius figuram iam in veteri videmus testamẽto. Sicut enim Noe arca, naufragante mundo, cunctos quos susceperat incolumes reseruauit: ita & Petri Ecclesia confragante seculo, omnes quos amplectitur, repræsentauit illęsos. Et sicut tũc transacto diluuio ad arcam

Rom. 11. d

Matt. 16. c

Supra. c. 4. e

Matt. 12. g

Gen. 8. c

arcam Noe columba signum pacis detulit, ita & transacto iudicio ad Ecclesiam Petri Christus gaudium pacis referet, quia ipse columba, vel pax est, sicut promisit, dicés: Iterum autem videbo vos & gaudebit cor vestrum. ¶Sed quoniá hanc eandem nauiculam Petri, de qua nunc Dominus cœlestis doctrinæ suæ sacraméta depromit, legimus in Matthæo, dormiente in eadem Domino, ventis insurgentibus perturbatam, ita vt cuncti Apostoli mortis periculum formidarét: videamus quæ causa est, quod vna, eadémque nauicula, hîc in tráquillitate doctrinam populis tribuit, ibi in tépestate discipulis metum mortis inducit, præsertim cum ibi etiam cum cæteris Apostolis Petrus esset. Hæc autem est causa periculi. Erat ibi Simon Petrus, sed erat ibi pariter & proditor Iudas, quanuis illius fides fundaret nauiculam, huius tamen eam perfidia conturbabat. Tranquillitas est vbi solus Petrus nauigat, tempestas vbi Iudas adiungitur, licet esset Petrus firmus suis meritis, perturbatur tamen criminibus proditoris. Metuétibus igitur discipulis, anxiante Petro, dormiebat Dominus. Durum forte videtur, quod anxiáte Petro dormiebat. Dormiebat Petro, nauigabat Iudæ. Vnius igitur delicto cunctorum merita quatiuntur, obdormit Christus ventorum spiramina concitantur. Quisquis enim peccatú admittit, statim & dormire sibi facit Dominum, & procellam sibi spirituum suscitat immundorum. Necesse est autem diabolica insurgat tempestas, cum dominica serenitas conquiescit. Igitur si vnius Iudæ peccato cúcti periclitátur Apostoli, hoc exemplo caueamus perfidum, caueamus proditorem, ne per vnum plures fluctuemus. Quin etiam huiusmodi abijciamus de nostra nauicula, vt non obdormiat, sed vigilet in nobis Dominus, atq; eo vigilante, nulla nos spiritualis nequitiæ procella concutiat. Vbi enim fides integra est, ibi Saluator docet, vigilat & exultat: ibi requies, ibi tranquillitas, ibi cunctorum est medicina. Vbi autem fidei est admixta perfidia, ibi Christus dormit, & peior est ibi metus,

Ioan. 16. e

Matth. 8. c

quare in eadem nauicula Christus existés núc tranquillitas est, núc tempestas in mari.

A ibi tempestas, ibi omnium est discrimé. Pro actibus nostris Dominus noster obdormit, aut vigilat. Hæc Ambrosius. Meritò ergo ait Apostolus expurgate vetus fermentum. nam modicum fermentum totam massam corrumpit. Hinc etiam est quod Dominus ait. Iosue cap. 7. Non ero vltra vobiscum, donec cóteratis eú, qui huius sceleris reus est. Huius mysterij gerebat imaginem tempestas orta tépore Ionæ. Quo ex naui proiecto tempestas omnis sedata est. ¶ *Ascendens autem in vnam nauim quæ erat Petri, &c.*

B Idem Ambro. lib. de Virginibus. 3. hunc locum exponit ad hunc modum. In naui, inquit, Apostoli nauigant, aut piscatur Petrus. Neque enim vilis est nauis quæ ducitur in altum, hoc est, ab incredulis separatur. Cur enim nauis eligitur, in qua Christus sedeat, turba doceatur, nisi quia nauis Ecclesia est, quæ pleno Dominicæ crucis velo, sancti flatu spiritus, in hoc bené nauigat mundo? In hac naui Petrus piscatur, & núc retibus, núc hamo piscari iubetur. Grande mysteriú.

C spiritalis enim videtur esse piscatio, qua doctrinæ hamum mittere iubetur in seculum, vt primum illum martyrem Stephanú de mari verrat, qui censum Christi in interioribus contineret. Martyr enim Christi thesaurus Ecclesiæ. Martyr igitur ille, qui de mari cœlum primus ascendit, captus à Petro, minister altaris, non reti, sed hamo leuatus, vt riuo sui sanguinis eleuaretur. Cuius in ore thesaurus erat, quùm Christum in cófessione loqueretur. Quis enim thesaurus in

D nobis est nisi Dei verbum? ergo & retibus & hamo piscatur perfectior, vt rete concludat, hamo adurat. Sed reti turba concluditur, hamo singularis eligitur. O si mihi liceret, illum hamum vorare, qui adureret os meum, & leui daret salutem vulnere. Intrate igitur filij in Apostolorum retia, quem non hominis auctoritate, sed Dei voce laxantur. Rete enim sapientiæ spiritalis, atque doctrinæ regnú cœlorum est, quia scriptum est: simile est regnum cœlorum reti misso in mare. Audistis hodie dicentem Dominum Iesum Simoni. *Duc in altum*, & laxate retia vestra

D. Ambro. ser. 11. de mirabilibus.

1. Cor. 5.

Iosue. 7.

Figura.

Amb. 3. de virginibus.

Nauis Ecclesia.

Hamus doctrina.

Thesaurus Dei verbu.

Matt. 13. f

2. Sensus | Altum cor viri. | Matt. 4. d | 3. Sensus. | Ioan. 4. b | Altus christus. | Luc. 1. d | Rom. 11. d | Psal. 76. d | Matt. 15. a | Matt. 12. c | Rom. 13.

stra in capturam. Antè non ducebat in altum Petrus, quando piscabatur in stagno. Et si mare erat, altum non erat. Altu mare scriptura nescit. Quid ergo sit altũ, accipe, Aqua alta, consilium in corde viri. Altum cor viri est vbi nihil vadosum est. Duc ergo in altum disputationis, fideique remigium duc in cor viri. Per parabolam hic vocat ad Ecclesiam Petrũ, quem secundum Matthęum simplici vocauit sermone, dicens: venite, & faciam vos piscatores hominũ. Est & aliud mysterium. *Duc in altum*, quia ante in arena erat, quoniam in synagoga erat, alta non erat aqua Iudææ. Denique Samaritana & puteum altum putabat, dicẽs: & puteus altus est, vnde mihi aquam viuã habes ? Non ergo ducere in altum poterat, quando cum Iudæis credebat, qui de puteo etiam aquam haurire non poterant. Ideo dicitur Petro: duc in altum, hoc est, duc ad Christum. Altus enim Christus, de quo dicitur ad Ioannẽ a patre: & tu puer Propheta altissimi vocaberis. Duc ergo ad Christum & benè altum, in quo est altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei. *Duc in altum*, quia altus super altum custodiet, & exaltabit. Ibi ergo altæ aquæ, vbi Christus est, hoc est fides, altę aquæ, quę timent Deũ, quales illæ: viderunt te aquę Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt. Apud Iudæos aqua alta non erat in corde viri. Ideóq; Dominus ait: populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est a me. In corde amat esse Christus. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit & filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Denique vt scias quia de fide dicit duc in altum, ait Petrus: pręceptor, per totam noctem laborantes nihil cœpimus, sed in verbo tuo laxabo retia. Noctem habebat Petrus antequam Christum videret. Nondum enim venerat dies, quia veram non viderat lucem. Synagoga nox est, dies Ecclesia est. Vnde & Paulus dicit ad Roma. 13. Nox pręcessit dies autem appropinquauit. Hæc Ambrosius. ¶ *Duc in altum & laxate retia vestra, &c.* Hoc mare altum huius

Esai. 57. | Mũdus est mare feruens. | Simile. | Simile. | Simile.

A mundi figuram præfefert. Impij (inquit Esai.) quasi mare feruens, quod quiescere non potest. Vbi vides quo modo mundus iste qui in maligno positus est, siue cœtus impiorum feruenti & inquieto mari à Propheta comparentur. Quid cõmodatius & similius mari quàm viri impij? Illi enim sunt amari contẽtionibus, tumidi superbia, liuidi inuidia, spumidi libidine, mutabiles inconstantia, crescẽtes & descrecentes sicut luna, sequentes humanarum rerum varietatem & incõstantiam, turbulenti, fluctuosi, aliarũq; B maris qualitatum imitatores. Vt enim mare propellit in littus limum, spumas, & alias spurcitias, & vt se purget, littus coinquinat, sic impij vt se laudent, alios vituperant, vt se defendant alijs vitiorũ notam inurunt, eorumque splendorem maculare contendunt. Sed quemadmodũ maris fluctus magni, & fremitu suo mare & terram perterrentes, cum terrã attingunt, franguntur, & in littore in lutum conuersi pedibus transeuntium cõculcantur, sic tyranni & impij principes sua superbia & potentia mundum perterrent, cum autẽ sepulchrum attingũt, C contẽnuntur, & pro nihilo putantur. Et hoc est, quod voluit prædictis verbis Esaias significare. Et redũdant fluctus eius in conculcationem & lutum. Et aduerte: non dixit, impij autem quasi mare: est enim aliquibus in partibus mare aliquãdo quietum, sed impij autem quasi mare feruens. Quemadmodum est euripus in Eubæa, vbi aqua fluit & refluit, & sursum deorsumque iactatur, cui Socrates & Epicharmus Pythagoricus libidinosum animum compararunt. In hoc ergo D mare altum & profundum iubet Dominus Petro vt ducat nauim & immittat prædicationis rete. Habet diabolus piscatores suos qui miseras animas blandimentis illectas, in nassam infœlicitatis conijciant, atque in æternum pertrahãt exitium. Sed fœlices quas inuolutas sagena apostolica de profundo criminum & errorum pertrahit ad auram liberiorem: è tenebris ad lucem, è sordido limo ad vitam puriorem: è vagis cupiditatibus ad innocentiæ perpetuæ cõstans studium.

dium. ¶ *Ascendens in vnam nauis, quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere pusillum, & sedens docebat de nauicula turbas, &c. Duc in altum.* Quòd Dominus (inquit Augustinus) de nauicula docet turbas, significat hoc tempus, quando Dominus de auctoritate Ecclesiæ docet gentes. Quòd Dominus ascendens in nauim quæ erat Petri, rogat eum à terra reducere pusillum, significat vel temperatè vtendum verbo ad turbas, vt nec terrena eis præcipiatur, nec sic a terrenis in profundiora sacramentorum recedatur, vt ea penitus non intelligant: vel prius in proximis regionibus prædicandum. Vt quod dicit item Petro. *Duc in altum*, & laxate retia vestra in capturam ad remotiores gentes, quibus postea prædicatum est pertineat: sicuti Esaias dicit, tolle signum in gentes ad eas quę prope & ad eas quæ longè. ¶ *Rogauit eum à terra reducere pusillum, & sedens docebat turbas.* Hinc discant Doctores atque concionatores Ecclesiæ (inquit Gregor.) contemperare doctrinam suam secundum capacitatem audiétium. Quod insinuare volens Spiritus sanctus ait qui ligat aquas in nubibus suis vt non erumpant pariter deorsum. Quid hoc loco aquam, nisi scientiam, quid nubes nisi prædicatores appellat? Nam quia in sacro eloquio aqua scientia dicitur: Salomone attestante didicimus, qui ait: aqua profunda, verba ex viri ore, & torrens redundans fons sapientiæ. Aqua signari sciam Dauid Propheta testatur, dicens: Tenebrosa aqua in nubibus aëris, idest, occulta scientia in Prophetis, qui ante aduentum Domini, dum occultis sacramentis grauidi, mysteria immensa gestarent, intuentium oculis, eorum intelligentia caligabat. Nubium verò nomine quid hoc in loco aliud quàm prędicatores sancti, idest, Apostoli designantur qui per mundi partes circunquaque trásmissi, & verbis nouerant pluere & miraculis corruscare? Quos Esaias Propheta longè ante intuens, dixit: qui sunt isti qui vt nubes volant? Quia igitur vir iste prophetico plenus spiritu, in hac locutione sua ad laudem Dei initia nascentis

D. Augu. li. 2. quęst. euang. c. 2.

D. Grego. 27. mor. c. 22.
Job. 26.
Debét concionatores contéperare doctrinam secundú capacitatem audiétiú.
Pro. 17.

Psal. 17.

Esai. 60.

A Ecclesiæ desiderat exordiri, studet eius ordinem ab Apostolorum prędicatione narrare, qui curauerunt summoopere rudibus populis plana, non summa atque ardua prædicare. Nam si scientiam sanctam, quæ hic aquæ nomine designatur, vt hauriebant corde, ita ore funderent, immensitate eius auditores suos opprimerent, potius quàm rigarent. Vnde religata intrinsecus scientia, vt non pariter deorsum erumperet, auditores suos distillatione verborum nutriens, nubes illa loquebatur, dicens: nó potuit vobis
B quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tanquam paruulis in Christo lac, vobis potum dedi, non escam. Vt verò auditores rudes non inundatione scientiæ, sed moderata prædicationis distillatione foueantur, ligat Deus aquas in nubibus, vt non erumpant pariter deorsum, quia Doctorum prædicationem temperat, vt auditorum infirmitas, Doctorum rore nutritá conualescat. Quod benè in Euágelio mystica descriptione narratur, dú dicitur: ascendit Iesus in naniculam Pe-
C tri, & rogauit vt à terra reduceret pusillum. Et ita sedens prædicabat turbis. Per nauem Petri quid aliud quàm commissa sibi Ecclesia designatur? De qua vt Dominus turbis confluentibus prædicet, eam à terra paululum reduci iubet. Quam nec in altum duci, & tamen à terra præcipit remoueri, profectò significans prædicatores suos rudibus debere populis, nec alta nimis de cœlestibus, nec tamen terrena prædicare. Aqua itaque ligatur in nubibus, quia prædicatorum scientia infirmorum mentibus loquens, quantum sentire valet docere prohibe-
D tur. Hæc Gregorius. ¶ *Duc in altum.* Certa res est, his Christi verbis adúbrata, Petrum, Romanosque Pontifices Petri successores solos, plenam habere supremamque in Ecclesia Dei potestatem. Duc, inquit, in altum, & laxate retia vestra. Alijs (inquit Glos.) imperatur vt laxent retia, soli Petro dicitur: duc in altú, idest, in profundum disputationú. Apud Matth. Dominus soli Petro iubet hamo piscari. Per hamum (inquit Glo.) intellige iurisdictionem, qua Petrus præfuit alijs.

1. Cor. 3.

Solus summus Pontifex habet plenitudinem potestatis in Ecclesia.
Glo.

Matth. 17.
Glo.

alijs. Hoc genere piscandi solus Petrus piscatur, quia habet potestatem soluendi & ligandi præ alijs. ¶ Sicut Christus (inquit Cyrillus) à patre accepit ducatũ & sceptrum Ecclesiæ gentium super omnem principatũ & potestatem, & super omne quodcumque est, vt ei genua cuncta curuentur, plenissimam potestatem: sic & Petro & successoribus eius plenissimè commisit. De qua re vide Chrysost. explicans verba illa Matthæi, tibi dabo claues regni cœlorum. Et Leonem Pontificem maximum in cap. multum. 3. q. 6. Et D. Gregor. in cap. decreto. Et Iuliũ Papam in cap. qui se scit. 2. q. 6. Vide similiter D. Bernardum in epistola ad Eugenium Pontificem. ¶ Neque veritas hæc à ratione dissidet nam solus Petrus eiusque successor, est generalis vicarius Christi in Ecclesia Dei, vices eius obtinens: consequens inde est: vt solus ipse hanc potestatem supremam & plenissimam habeat. ¶ Deinde summus Pontifex, supremus est hierarcha totius Ecclesiasticæ hierarchiæ: cum sit princeps, in quo Dominus totius Ecclesiæ posuit principatum vt docet Iulius Papa in c. nolite errare distin. 11. In ipso ergo solo suprema ac plenissima potestas ponẽda est: cum in omni hierarchia in solo hierarcha, potestatis plenitudo collocetur. ¶ *Duc in altum.* Ex his etiam verbis colligunt Doctores ad Romanum Pontificem Petri successorem expectare, ea quę sunt fidei definire, sacrarumque scripturarum verum sensum explicare, aliorumque patrum Ecclesię, dicta vel opera approbare, vel reprobare. Iam hoc loco audis Christum Dominum alijs Apostolis imperantem vt laxent retia, soli autẽ Petro inquit. *Duc in altum*, idest, in profundum disputationum, vt ait glosa Ambrosij. ¶ Consentaneum sane rationi fuit vt quemadmodum in omni republica bene instituta datur princeps vnus qui autoritate sua totam rempublicam mouere possit ad omnia, maxime ad ea sine quibus salus constare non potest: sic etiã in hac nostra spirituali republica necesse fuit vt vnus supremus præsul daretur, qui ea, quę maxime ad fidelium salutem

Cyrillus.
D. Chrys.
Leo Papa.
D. Greg.
Iulius.
D. Ber.
1. ratio.
2. ratio.
Iulius.
Ad Pontificem Romanũ pertinet definire, quæ ad fidẽ & mores pertinent & sensũ scripturæ exponere.
Ambro. c. non turbatur. 24. q. 1
3. ratio.

A conferũt, quales sunt institutiones & notitię credendorum & agẽdorum, sua autoritate, & magisterio totã ipsam Christianam rempublicam & moueret & dirigeret. Cum ergo Romanus Pontifex huiusmodi præses totius reipublicę christianæ sit: ipsius erit, quæ fidei sunt, sine qua impossibile est placere Deo, populo fidelium exponere & definire. ¶ Adde huc quia in vno quoque genere (vt autor est Aristo.) est metrum & mensura, omnium sequentium: cum ergo Roma B nus Põtifex primus maximusque sit prælatorum omnium qui sunt in Ecclesia, ad ipsum profecto maxime pertinebit, vt metrum sit & regula ac scientia credẽdorum omnium: quæ ad salutem æternam fidelium necessaria sunt. ¶ Hinc est qđ Apostolicã sedes per sanctos patres, magistra ac mater fidei nominatur. Vnde c. omnes distinct. 22. inquit Nicolaus Pontifex: Fidem quippe violat, qui aduersus illam agit, quæ est mater fidei, & illi contumax inuenitur, qui eam cũctis Ecclesijs prætulisse cognoscitur. ¶ Hac etiam ratione ait Stephanus Pontifex. 5. C in cap. enim vero distin. 19. Enim verò in speculum & exemplum sancta Romana Ecclesia posita est omnibus, quidquid statuit & quidquid ordinauit perpetuò omnibus & irrefragabiliter obseruandum est. ¶ Cuius priuilegij Apostolici throni gratia (inquit Cyrillus) vt membra maneamus in capite, in nostro Apostolico throno Romanorum Pontificum, à quo nostrum est, quęrere quid credere, & quid tenere teneamur: ipsum rogantes: ipsum venerantes præ omnibus: quoniam ipsius solius est reprehenD dere, corrigere, statuere, disponere, soluere, & ligare loco illius, qui ipsum ædificauit, & elegit, & nulli alij quod suum est plenum sed ipsi soli dedit. Hęc ille. ¶ Cęterum hanc Romani Pontificis prærogatiuam designatam legimus Exod. 18. vbi Moysi, qui dux & rector Iudæorum fuit, ait Dominus: Esto tu in populo in his quæ ad Deum pertinent: vt ostẽdas eis ceremonias & ritum colendi Deum. Sicut ergo omnes quæstiones emergentes de lege & cultu Dei, Moysi reseruaban-

Heb. 11.
4. ratio.
Sedes apostolica magistra fidei vocatur à patribus.
Cyrillus lib. thesaurorum.
Exo. 18. Figura.

bantur determinandæ: sic omnia quæ sunt fidei Christianæ Romano Pontifici quem Moyses referebat, definienda seruantur.

§*Praeceptor per totam noctem laborantes nihil cœpimus.* Merito peccator omnis, huius mūdi vanitatibus deditus, hęc verba dicere poterit. Nam omnia eius opera & si labore plena sint, inutilia tamen & nullius emolumenti sunt. Quod testatus est Esaias cap. 59. adhunc modū: conceperunt laborē, & pepererunt iniquitatem, oua aspidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt. Telæ eorum non erunt eis in vestimentum, neque operientur operibus suis: opera eorū opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum. *Conceperunt*, inquit, *laborem.* Vox Hebræa significat laborem non quemlibet, sed talem qualis est eorum qui se fatigant laborando: vnde ipsam vocem deflexerunt ad significandum de fatigationem, quæ quia cum dolore plerumque coniuncta est, vsurpatur etiam pro dolore. Postremo deflexerunt ad significandū peruersitatem siue iniquitatem, quòd ea dolorum sit causa, quo modo hic verti poterat, conceperūt peruersitatem & pepererunt iniquitatem. His ergo verbis significare vult Propheta, impios in hoc mundo maximo studio moliri mala, & ingenti cū labore ea perficere. Sed quid tanto labore consequantur audiamus. *Oua*, inquit, *aspidum ruperūt.* Hoc est, quod latini dicunt camarinam mouere, idest, sibi ipsi malū accersere. Quasi diceret: videntur sibi prudenter valde instituisse consilia sua, sed reuera aperierunt sibi fontem mali. *Telas*, inquit, *araneæ texuerunt.* Admirabili artificio & subtilitate cōficit aranea telam suam, sed in aere. Ex quo efficitur vt ipsa tela simul cum aranea facile frangatur, & pereat: Sic sceleratorum hominum cogitationes & consilia licet ingeniosa & subtilia videantur, vana tamen sunt & in aere constituta. Vnde euenit vt dum alios irretire volunt, ipsi irretiti capiantur. Vide quàm fragili rei hominum vanorum labores comparet. Cor humanū est textrina, vbi hæc telæ struuntur. Sed homo ordiatur telam maximo cū labore & animi defatigatione, Deus vero eam scindit, & fila tenuissima longissimè extensa facilimè rescecat. Vanum est cor hominis superbi & impij, & omnia eius consilia euanescunt, & omnis mundi potentia, opes, & diuitię quas cōcipit & appetit, vanę sunt, & inutiles, simulque cum ipso corde vbi sunt sculptæ & descriptæ, labefactantur, & penitus consumuntur, anima autē in imis tenebris suarum vanitatum pœnas luit. Videbis in papyro defixa in pariete pictas turres, vrbes, alta mœnia, maria, terras & vniuersum denique orbem terrarum descriptum: cadit aquæ gutta, & papyrum cum tota mundi descriptione corrumpit, & penitus absumit, & perdit. Videbatur mundus & erat papyrus & attramentum: papyrus rumpitur, & attramētum deletur. Quid est superbi, aut vani hominis cor, nisi quædam mappa mundi, quædam orbis descriptio in papyro depicta? At puncto temporis omnia illa prætereunt, & euanescunt, & instar fragilis papyri absumuntur. Id voluit forsitam significare Orontius insignis mathematic9, qui orbis descriptionem in corde quodam depicto in papyro collocauit. Nos ergo has araneæ telas nō texamus cum inutiles & inanes omnino sint, tātū vt statim Propheta subiugit: *Telæ eorum non erunt eis in vestimentum*, idest, consilia siue opera iuxta eorum consilia facta non proderunt eis. Atquē vt sciremus in telis opera eorum significari, intulit Propheta: *Neque operientur operibus suis*, ideo autem non operientur: *Quia opera eorū opera inutilia.* Merito ergo homines scelerati & impij poterunt Domino cum D. Petro dicere: præceptor, per totam noctem laborantes nihil cœpimus. Hi enim in tenebris ambulāt peccatorū suorum, retia vndique in hoc mari magno, hoc est, in mundo iniiciunt: sed tempus omne consumant atque oleum & operam perdūt. Quousque ergo paruuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient? Filij hominum vsque quo graui corde, vt quid diligitis vanitatē & quæritis mendacium? §*Praeceptor per totam noctem*

Omnia opera peccatoris & si labore plena sint inutilia tamē sunt.

Esai. 59.

Simile.

Pro. 1.
Psal. 4.

noctem laborantes nihil cœpimus. Nō solum mala opera vana & inutilia sunt, sed opera etiam studiosa peccatoris in tenebris ambulantis nullius sunt precij apud Deum. Solus qui biberit aquam quam Christus porrigit gratus illi est: sitque in eo solo fons aquę salientis in vitā æternā. Iustus enim qui in die ambulat usque adeo proficit, ut opera eius illū prouehant ad vitam æternā. Videant ergo miseri peccatores, quantam iacturam temporis & vitę faciant, quā à Deo eo solùm acceperant ut studiosis actionibus singulis momentis, gratiam sibi apud Deum & gloriam, accumularent. O terque quaterque infœlices qui per totam noctem laborātes nihil capiunt. Non Dei amicitiā, non Spiritus sancti charismata, non ęternam fœlicitatem, quæ vera bona sunt. Si linguis hominum loquar & Angelorum (inquit Paul.) charitatem autem nō habuero factus sum velut æs sonans, aut Cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatē autem non habuero nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meū ita ut ardeam, charitatem autem non habuero nihil mihi prodest. ¶ Ex quo facile colliges, non solum studiosas actiones peccatori non prodesse dum in peccatis versatur, sed neque post peractam pœnitentiam. Transierunt enim omnia bona opera illa tanquam vmbra. Si charitatem, inquit, non habuero nihil mihi prodest. Prodesset autem, si illa studiosa opera, quales sūt eleemosynę, cōciones, persecutiones, per pœnitentiam, vitam reciperent: non ergo viuificantur. Opera enim inimici alias studiosa, suapte natura, indigna sunt præmio æterno.

¶ Tandem colliges huiusmodi actiones hominis in peccato existentis, neque illi prodesse posse ut per illas satisfaciat, pro pœna, peccatis alias dimissis, debita. Si charitatem, inquit, non habuero nihil mihi prodest. Si enim his actionibus pœnas debitas soluere Deo possem, iam profecto mihi charitatem non habenti maxime prodessent. Hoc etiam est quod Dominus significare voluit apud Esaiam cap. 58. qui conquerentibus Iudæis quare ieiunauimus & non aspexisti, humiliauimus animas nostras & nescisti? (quæ sanè opera natura sua sunt satisfactoria) Respondet Dominus: Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis, nunquid tale est ieiunium quod elegi? Sed ais, illa ieiunia peccata erant, propterea satisfactoria non erant. Nam mala opera satisfactoria non sunt. Sed hoc ex textu illo minime constat. Sed quod alijs peccatis atque criminibus adheserant ideo ieiunia pœnarum solutionem non impetrabant. Præterea Salomo ait quod vniuersa delicta operit charitas: cum ergo per satisfactionem operiantur delicta inde fiet ut satisfactio sit charitatis effectus. Vnde cap. decimoquinto subditur, victimæ impiorum, abominabiles Domino: vota iustorum placabilia. Et Ecclesia. 38. Dona iniquorum non probat altissimus. Et infra, qui baptizatur à mortuo & iterum tangit mortuum, quid proficit lauatio illius? Sic homo qui ieiunat à peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? Orationem illius quis exaudiet?

¶ Quod si Daniel consuluit Rgem Babylonis ut peccata sua eleemosynis redimeret & iniquitates suas misericordijs pauperum: id intellige consuluisse post resipiscentiam à peccatis. Corde contritis & humiliatis maxime prodest bonis operibus peccata, hoc est, pœnas peccatis debitas, redimere. Tales enim pœnæ in sacra scriptura peccata & iniquitates vocari solent. Dimissa sunt ei peccata multa quoniam dilexit multum ait Dominus apud Lucam de Magdalena.

¶ *In verbo autem tuo laxabo rete.* A Iudæis profectum est salutis initium: illic Petrus post Christum omniū primus rete iecit Apostolicę prędicationis, & vno iactu attraxit homines promiscuæ multitudinis tria milia, videlicet, agēs piscatorem hominum. Non erat huius oratio

Rhetorum arte contexta, non Philosophicarũ argutiarum subtilitatibus perplexa, sed virtute Spiritus sancti potens, & efficax. Non enim laxauerat rete confisus humanis viribus sed tãtũ ad iussum Christi, cuius spiritu tũc agebatur. Alioqui frustra soluitur, nisi Christus iactum hominis bene fortunet. Sed quemadmodũ ex Iudæis fuit huius prouectus initiũ, ita ex gentibus accesũt vbertas, adeo vt qui primi laxauerãt retia, coacti sint implorare fortiorũ auxilium. Post enim irtũ pentibus vndiq; gentibus in Euãgelicæ salutis consortiũ, Petrus & Iacobus dederunt dextras Paulo & Barnabæ, symbolũ Euangelicę societatis, & vtriq; pro suo studio conati sunt implere naues ambas & successitres vsq; admiraculũ. Discant ergo hic concionatores verbi Dei, non cõfidere suis viribus nõ arte Rhetorum, aut eloquentia sed tantũ in verbo Christi, spiritus eius actu laxent rete euangelicũ. Nã regnũ Dei non est in sermone sed in virtute. i. verbum Dei non persuadetur sermonis suauitate, sed potentia Dei. i. per Spiritũ sanctũ. Etenim si in verbis compositis & sermone ornato fœlicitatis summa consisteret vt Aristo. ait: maximam partem fœlicitatis Rhetores & causidici reportarent. Doctrina autẽ Euangelij maximè virtutibus & vi Spiritus sancti stabilitur, in quibus multi concionatores inanes sunt, qui poti9 appellãdi sunt verbi satores quam Euãgelici cõcionatores, dicẽtes & non facientes, quibus illud triuiale merito dicitur: medice cura te ipsum. Qui alium doces te ipsum non doces. Hi omnes capita sunt, sed cerebrum nõ habẽt. Hi sunt, qui auro quidem hamo piscantur, sed nudo: gladium plumbeum intra argẽteam vaginam deferentes. Hos non probat Paulus, quod ad iussum Christi non laxent sagenam Euangelicæ prædicationis: ideo prædixerat: veniam ad vos cito, & cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem. Idest, probabo non quantum possint & polleãt sermone, sed quãtum possint per Spiritum sanctum. Si igitur non frustra laborare cupimus, ad iussum Christi laxemus rete: & tunc accedet maxima ex nostra prædicatione vbertas. Vita enim primùm quæritur in docente, deinde doctrina bonitatem, inquit regius vates, & disciplinam & scientiam doce me. Primùm postulat bonitatem, deinde disciplinam & scientiam ad docendum.

Discũt prędicatores non in sua eloquẽtia cõfidere, sed tãtũ in virtute Spiritus sancti.

1. Cor. 4.

Prouerbium.

ad Rom. 2

Prouerbium. Similia.

1. Cor. 4.

Psal. 118.

¶ *Et cum hoc fecissent concluserunt multitudinem copiosam.* Fœlices animę quas inuolutas sagena Euangelij de profundo criminum educit Dominus & pertrahit ad auram Spiritus sancti. Neque enim pertrahuntur ad interitum, sed ad vitam. Cinguntur vndique veritatis Euangelicæ nexibus, agnoscunt suã calamitatẽ, & gaudent se pertrahi ad nauim Ecclesiæ.

¶ *Rumpebatur autem rete eorum, & c. exi à me Dñe quia homo peccator sum.* Quod retia rũpebantur piscium copia (inquit Augustinus) & nauiculæ impletæ sunt, ita vt mergerentur; significat hominum carnalium multitudinem tantam futuram in Ecclesia, vt etiam diruptione pacis, exeuntibus inde hæresibus, & schismatibus, tanta remaneret: & tãta esset futura illi amissio fidei & bonorum morum, vt Christo dicere videatur talis Ecclesia: Exi à me quia peccator homo sum: tanquam turbis carnaliũ repleta, & eorũ moribus penè submersa, regimen spiritualium, in quibus maxime Christi persona eminet, à se reppellat quodammodo. Non enim hoc vocẽ linguæ dicunt homines bonis ministris Dei, vt eos à se reppellãt: sed voce morũ & actuum suorum suadent à se recedi, ne per bonos regantur: & eo vehementius quo deferunt eis honorem, & tamen factis suis à se recedere admonent: vt honorificẽtiam eorum significauerit Petrus, cadens ad pedes Domini: mores autem in eo quod dixit: exi a me Domine, quia peccator homo sum: Quod tamen quia nõ fecit Dñs, nõ enim recessit ab eis, sed eos subductis nauibus ad littus perduxit: significat in bonis & spiritualibus viris nõ esse oportere hãc voluntatẽ, vt peccatis turbarũ commoti, quo quasi securius trãquilliusq; viuant, munus Ecclesiastici deserãt. Quod ergo subductis ad terrã naui

Impiorũ & hæreticorum & schismaticorũ multitudo rũpere contẽdit retia ecclesiæ.

nauibus, relictis omnibus secuti sunt eũ, Petrus & Iacobus & Ioãnes, potest significare finem temporis, quo ab huius mũdi salo, qui Christo inhæserint, penitus, recessuri sunt. Hæc Augustinus.

D. Augu. lib. 2. quæstionum euãge. c. 2

¶ *Quod cũ videret Simon Petrus procidit ad genua Iesu, dicens: exi à me, quia homo peccator ego sum Dñe.* Hanc Petri vocẽ expressit non aliqua cupiditas discedendi à Dñi cõtubernio, quẽ vnicè diligebat. Sed admiratio quædã vehemẽs virtutis humana maioris. Eius enim animum occupabat incredibilis quædã huius facti admiratio. Sic olim Abrahã ex magnitudine promissionis diuinæ sibi factæ obstupefactus cecidit pronus in faciem. Quis enim ad tantæ rei magnitudinẽ non obstupesceret, cũ audiret Deũ optimũ maximũ, cœli & terræ conditorẽ cum misero homine pactum & fœdus inire, tamq; magnifica miseris mortalibus polliceri? Lege. c. 17. Genes. Petrus ergo atq; socij eius merito viso tanto miraculo mirantur. Agnoscebãt enim operã quidẽ esse suam, sed prouentum fuisse eius qui iusserat. Cæterũ vt rem mystico sensu prosequamur: quis non obstupesceret, considerans prædicatione paucorum, humiliũ & idiotarum hominum ex vniuersis orbis nationibus, intra paucos annos tot hominum milibus fuisse persuasum, vt contemptis affectibus cognatorũ, contempto dispendio rei familiaris, contemptis minis principũ, contemptis supplicijs, ac morte denique ipsa, simplicem Christi doctrinã sequerẽtur, credentes ea, quæ rationibus humanis probari non possunt: sperantes ea quæ iuxta naturæ vires planè desperanda sunt.

Gen. 17.

¶ Hinc discant præsules, & concionatores Euangelici, prõptos se & alacres esse ad laxandum rete. Studeant quàm plurimos lucrifacere Christo. Laxent autem non ad suam gloriã, non ad quæstũ, non ad principum arbitriũ, non ad aliquam humanam cupiditatem, sed ad arbitriũ, ac iussum Christi: qui non iubet laxari rete nisi ad salutem eorum, qui captantur, & ad gloriam bonitatis diuinæ. Hęc enim demum est Apostolica piscatio. Ea tametsi peragitur humanæ vocis & industriæ ministerio, tamen summa laudis totius vni Christo tribuẽda est, cuius auspicijs soluitur ad dicendum lingua, cuius spiritus afflat dicentis pectus, cuius occulta vis attrahit animos auditorum. Et siquid etiam hinc sibi suo iure possit sumere Doctor, tamen tutius est totum ad illum referre, sine cuius auxilio nihil humano conatui succedit ad salutẽ. Nõ nouit auferre, quod dedit: non nouit exprobare quod largitus est. Tanto magis volet esse tuũ, si quod aliquo modo tuũ videri poterat, illius esse volueris. Sinet vtilitatem esse tuam, gloriam autem nõ patietur nisi soli Deo tribui. Et si gloriari libet tutius in Ipso gloriabimur. Ecce in hoc loco Petrus, quamquã enim nauis esset ipsius, quamquam suum rete iecerat, quamquam pisces attraxerat, nihil tamen hinc laudis sibi vendicat, sed ex magnitudine successus factus etiam modestior, procidit ad genua Iesu, eiq; totam huius facti gloriam transcribit, se nihil aliud quam peccatorem cõfitetur, indignum qui diuinæ virtutis minister sit, & organum. Exi, inquit, à me quia homo peccator sum Domine. ¶ *Exi à me Domine.* Si impius es time penes te pios haberè, quoniam mala tunc magis corã Deo apparẽt. Exi, inquit, à me, &c. Et vidua Eliæ, ingressus es ad me vt rememorentur iniquitates meæ.

Quo sine prædicatio facienda est.

Sũma laudis piscationis euãgelicæ vni Christo tribuenda est.

¶ *Ex hoc iam homines eris capiens.* Vel eris viuos capiẽs. Id enim significat vox Græca.

3. Reg 17.

¶ *Relictis omnibus secuti sunt eum.* Notãda est regula Theophylati, Mat. 2. Quod Dominus vnumquemquẽ hominem familiari signo ac re, attrahit, sic Petrum piscatorem à multitudine piscium attractus est: Et Magos per stellam adduxit, quod multum astris illi tribuebant: Et quia Iudęi Prophetis fidẽ adhibebãt, & prodigijs cõmouebantur, harũ rerũ illecebra pellexit eos. ¶ Et super hunc locum ita quoque dicit: hunc in modum alliciebat populum Israeliticum, promittendo illi bona terrena, quia de terra erant, & de terra loquebãtur, & nil diuinum sapiebant. Et Paulus Iudæis fiebat Iudæus, & Gentilibus gentilis, vt

Regula Theophy.

Lege S. Tho. 3. p. q. 36. ar. 5.

vtrosque lucri faceret, & in Ecclesiæ sagenam pertraheret.

¶ Dominica tertia post Epiphaniam.

ET factum est cum esset in vna ciuitatum et ecce vir plenus lepra, videns Iesum, & procidens in faciem suam, rogauit eum dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens manū tetigit eū, dicens, volo: mundare. Et cōfestim lepra discessit ab illo. Et ipse præcepit illi vt nemini diceret: sed vade ostēde te sacerdoti, & offer pro emundatione tua sicut præcepit Moyses, in testimoniū illis. Perambulabat autem magis sermo de illo, et cōueniebant turbæ multæ vt audirēt, et curarētur ab infirmitatib9 suis. Ipse autē secedebat in desertū, & orabat.

Matth. 4. Mar. 1. a

Leui. 14. a

Cōcordātur Matthæus & Lucas.

ET factum est cū esset in vna ciuitatum & ecce vir plenus lepra. Ante sermonem Domini in mōte narrat Lucas multa, quæ Matthæus narrat post hunc sermonem. Videlicet, leprosum hunc mundatum, paralyticum sanatum, Matthæum vocatum, discipulos spicas vellere, &c. Quę omnia Matthæus post illum sermoné recitauit. Ordo enim præposterus Prophetis & Euangelistis vsitatissimus est vt sępe annotauimus. ¶ Quod si roges: cur Spiritus sanctus diuidens singulis prout vult: mentesque sanctorum Euangelistarum gubernans, & propter libros in tanto auctoritatis culmine collocandos, in recolendo quæ scriberent dirigens, alium Euangelistam sic, alium autem sic narrationē suam ordinare permiserit. Cur non ita direxit eorum mentes, vt rerum gestarū seruarent ordinem? Respōdeo: satis probabile est, quòd vnusquisque Euangelistarum, eo se ordine credidit debuisse narrare, quo voluit Spiritus sanctus ea ipsa quę narrabāt, eius recordationi suggerere, vt non ex arte, non ex communicatione humani spiritus, sed sicut suggerebatur diuinitus, Euangelia sancta haberentur scripta. Proinde, quòd Euangelistæ suas sententias continuantes dicūt: in illo tēpore, aut in illis diebus, aut tūc, aut postea, aut simile quid, indicant quidem ea, quæ narrant consequēter gesta, sed non semper indicant ea esse post cōtinuo gesta.

Regula.

Quæstio.

Responsio

Et ecce, quasi dicat, mirum dictu.

Et ecce vir plenus lepra vidēs Iesum, & procidens in faciem suam rogauit eū, &c. Statim vt Iesum leprosus iste vidit arrepta occasione procidit in faciem suam & rogat mundari. Tu igitur qui fœda ac detestabili animi lepra affectus es, modis omnibus insta, nec semel oblatā sanandi occasionem é manibus obmittas. Igitur dum tempus habemus operemur bonum. Celebrabatur in primis olim inter septem sapientum apophthémata, illud, nosce tempus. Et merito quidem: nam in negotijs omnibus maximā vim habet opportunitas, præcipuumq; momentum, vt nō sine causa veteres videantur eam diuinitate donasse. Cuius simulachrum adhunc modum fingebat antiquitas, volubili rotæ, pennatis insistens pedibus, vertigine quàm citissima semet in orbem circunagit, priori capitis parte capillis hirsuta, posteriore glabra, vt illa facile præhendi queat, hac nequaquam. Vnde dictum est occasionem arripere. Si igitur hæc inanni aggrediūdo conficiédaque negocio humano, opportu-

Opportunitas sanādi à peccato arripiēda est. Gala. 6.

Simulachrum occasionis.

portunitas & occasio, tantum habet momentum, quantum quasi habebit in negocio spirituali? Hanc igitur si prætermiseris in perpetuū dolorem, perpetuāque pœnitentiam incides. Hanc damnati amiserunt & ideo perpetuas lachrymas in imis sedibus fundūt perpetuoq; cruciatu. A Dea illa quam antiqui fingebant vocabantque metanæam. Hæc illa est, quæ ait: sum dea quæ facti, non factique exigo penas, nempe vt pœniteat sic metanæa vocor. Audi apud Salomonem Sapientiæ. c. 5. Miseros illos infœlicesq; dānatos gemētes intrase, & pœnitētiam agentes: nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finē illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei: & inter sanctos sors illorum est. Non igitur nos tam sero sapiamus, sed audiamus Dominum apud Ioānem dicentem, operamini dum dies est: venit enim nox, quando nemo poterit operari. Interim dum præsens vita resipiscendi, ac bene operandi præbet facultatem, non est cessandum. Ventura est enim nox cum iam frustra velimus resipiscere, animique intimo dolore conteri, nec possimus. Ventura, inquam, est media nox illa mortis quando frustra dicamus Domine, Domine, aperi nobis. Leprosus iste, ecce vt Iesum vidit, procidit, & rogauit, & sanatus est. ¶ Sed ais, cū ego lepræ vitio infectus fuero, tum ad Christum verum medicum exemplo huius leprosi confugiam. Noli errare, nam si peccator est aliquis, fœdissima scabie, anima eius plena est. Fœdior est enim ac detestabilior animi lepra, quam corporis. Inuidia enim lepra quędam est, in cuius signum, Maria soror illa Moysis, apparuit candens lepra, quasi nix. Auaritia etiam lepra est, in cuius figuram, auarus ille Giezi lepra infectus est. Et sicut hoc hominum genus sic erat abominabile apud Iudæos, vt procul submouerentur ab hominum consortio, ac lex vetaret cōtingi, ob contagionis periculum: sic peccatores execrabiles sunt apud Deū, suosque vult ab ipsorum colloquio & cōsortio separari. Recedite, inquit, à tabernaculis impiorum, &c. ne peccatorū suorum contagio contaminentur. Si ergo peccator es, agnosce morbum tuum, procidēs, ora Deū, agnoscentibus enim & precantibus cōdonat Deus delicta. Nullum enim est vitium tam capitale, quod non illico dimittatur veram pœnitentiā agenti.

Metanæa. | Sapien. 5. | Ioā. 9. | Matth 25. | Peccatum est vera animi lepra. | Nume. 12. | 4. Reg. 5. | Nu. 16. d

¶ *Procidens in faciem suam, rogauit eum.* Quod faciem texit, erat agnoscentis malum suum: quod rogat mūdari, confidentis de omnipotenti, & cunctis omnia Iesu Christi bonitate. Quo exemplo agnosce tu si peccator es, immunditiā tuā, teque iudica indignum qui fœdis animi maculis abominandam faciem attollas in Dominum, sed tui pudens, prostrā teipsum in faciem, ac vocem emitte modestię simul ac fiduciæ plenam. Sic publicanus ille qui non audebat oculos ad cœlū leuare, fiducia plenus dicebat: Domine propitius esto mihi peccatori. Adeò erat pudens pœnitensque sui, vt nec oculos auderet in cœlū attollere. Quod si oculos ad Deum leuaueris, eo fit, vt ab illo suæ misericordiæ micas expectes: quod solent facere canes, vultu adulantes Dominum suum: vt panis bucellam è manibus eius accipiant. Sic Dauid peccatis contaminatus dicebat: ad te leuaui oculos meos qui habitas in cœlis, ecce sicut oculi seruorum in manibus Dominorum suorum, sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri. Roga igitur Deum & audies, volo, mundare.

Reuerētiā erga Deū necessaria peccatori & deprecatio. | Infra. c. 18 | Simile. | Psal. 122.

¶ *Et extendens manū tetigit eum.* Ideò Christus infirmos suo tactu sanabat, vt ostēderet suā naturā humanā esse instrumentū cōiūctū quo tā salutē spiritualem quā corporalem in hominibus operabatur. Itaq; sicut pictor manu pingit, ita Christus manu sua, hoc est, humanitate sua pingebat oculos cœcorū, mūditiem leprosorum, vitam mortuorū imò gratiā animorū. Nā sicut illa voce, Lazare veni foras, instrumētaliter suscitauit mortuū, & tactu digitorum mundauit hunc hominem lepra confectum, cæteraq; miracula sua humanitate faciebat: & verbo illo remittuntur tibi peccata tua remissiones

Humana natura Christi instrumentū erat coniūctum quo miracula edebat & salutē animi præstabat.

Matth. 9. Luc. 7.

sionis gratiam Magdalenæ & paralytico largitus est, ita per eandem humanitatem fuit nobis gratiæ causa efficiens. Itaque passio Christi gloriosissima quatenus suppositi infinite grati offerentis illam Deo, erat infinite meritoria quoad sufficientiam, & quatenus per illam soluebatur prætiū erat satisfactoria, & quatenus instrumentum coniunctum Dei erat instrumentalis causa gratiæ. Et ne illa qualitas, quæ à Theologis appellatur gratia, oculos tuos fascinet, ne adduci possis, vt credas, passionem Christi eiusquê humanam naturam esse causam gratiæ, credens inde sequi, quod creatura illam qualitatem crearet, animaduerte: passionem fuisse instrumētum immediatū constituendi homines in gratia Dei, perinde ac si nulla existeret talis qualitas. Consecutiuè autem causa extitit mouendi Deum vt creando homines gratos illam concrearet. Vt ergo ostenderet Christus humanam naturam suam esse instrumentalem causam mundiciei tam corporalis quàm spiritualis ideo extendit manum suam & tetigit hunc leprosum & ait volo, mundare. ¶ *Et extendens manum tetigit eum dicens. volo, mūdare.* Vel mundus esto. Considera obsecro Christi misericordiam & clementiā ineffabilem, hominem leprosum tangit vt suo tactu à leproso morbum afferret, & ipse infectus maneret. Interroga Prophetam an hęc ita sint. Verè, inquit, langores nostros ipse tulit & dolores nostros ipse portauit, & nos putauimus eū quasi leprosum & percussum à deo. Nullam quidē culpam admiserat Christus Deus noster, ob quam supplicium mæreretur. At voluit pro nobis pati vt à nobis debitam lepram arceret. Langores nostros, non suos, lepram nostrā nō suā, hoc est, peccata nostra ipse tulit, & dolores nostros, idest, supplicia, quæ pro sceleribꝰ nostris merebamur, ipse portauit. Et hoc non fictè non imaginariè sed verè. Et nos, inquit, reputauimus eū quasi leprosum. Hoc dicit ob vulgi opinionē, quasi dicat, putauimus eum immūdum & lepra peccatorum suorum plenum ac propterea percussum à Deo & humiliatum. Talis habitus est à Iudæis. Sūt enim verba hæc incredulorum, ipse tamen nō propter sua peccata sed propter nostra peccata percussus est. Atque, hoc est, qđ sequitur ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Quod si leprosi olim solebant extra ciuitatem proijci, ita leprosus noster passus est extra ciuitatem. Voluit tamen extra portam ciuitatis pati quoniā animal cuius sanguis pro peccato in sancta per Pontificem inferebatur, quod erat figura Christi, extra castra secundum legem cremabatur, vt liber Leuitici apertissimè ostendit. Quod intuēs D. Paul. in epistola ad Hebræos has voces scripsit: Propter quod & Iesus vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. ¶ *Volo, mundare.* Quasi dicat, si requiris voluntatem meam ac bonitatem, volo: & quia profiteris potestatem, mundus esto. Discant interea sacerdotes, quam non oporteat abominari quēquam hominē, quālibet enormibus, ac detestandis peccatis obnoxium, modo morbum suum agnoscens ac confitens cum fiducia medelam expectet à bonitate Christi. Etenim si Dominus qui solus erat purus, ab omni lepra vitiorū, contactu suo dignatur hominem, cunctis abominabilem, quanto minus cōuenit vt sacerdotes, quos à peccatis emundauit Domini bonitas, qui nec omnino sunt immunes à culpis, cum in multis quotidie delinquant, & labi possint in omne flagitium, aspernentur curā impēdere sanandis aliorū morbis. Huiusmodi contactus non inquinat contingentē, sed contactum purgat. Purus illico fit, qui contingitur: nec impurior fit, qui contingit: dum modo per Apostolicam manum dignetur cōtingere Iesus.

¶ *Et ipse præcepit illi, vt nemini diceret.* Quoniam lepræ iudicium lex deferebat, non quibuslibet, sed duntaxat sacerdotibus, Dominus noluit hoc miraculum populi rumore diuulgari tātum: sed quo certior esset fides interdixit sanato, ne protinus euulgaret acceptum beneficium, sed primum adiret iuxta legis præscriptum, sacerdotem, cuius iudicio damna-

Marginal notes: D. Tho. 3. p. q. 49. art. 1. — Tactu Christi leprosꝰ mundatur & ipse pro nobis quasi leprosus efficitur. — Esai. 53. — Leui. 13. — Leui. 16. — Heb. 14. — Peccator quantūcū quē magnus abominandus & reiiciēdus non est à sacerdote si culpā suā agnoscat & veniam petat. — Vide quæ dicit chrysost. ho. 36. in Ioā.

damnatus esset de lepra, & ab hominum consortio semotus. Ideo ait: *Sed vade ostende te sacerdoti.* Vnde, scilicet, fiet vt nequeant possint sacerdotes per me violatam esse legem, quam vt absoluere veni, non vt abolerem: nec calumniari beneficium meum, vt aut negent te fuisse leprosum, aut iudicent te non fuisse sanatum. ¶ Præterea quod Dominus interdicit, ne cui prædicaret quid accidisset, nobis parauit exemplum ne quam ex benefactis nostris auram gloriæ venemur apud homines. Fœlicius autem sequitur gloria fugientem.

¶ *Sed vade ostende te sacerdoti.* Quantus honor deferēdus sit sacerdotibus satis in hoc loco Christus ostendit. Quod eleganter Diuus Cyprianus in quadam epistola scribit ad hunc modum. Dominus, inquit, noster ipse Iesus Christus, Rex, & iudex & Deus noster; vsque ad passionis diem, seruauit honorem Pontificibus & sacerdotibus, quanuis illi nec timorem Dei, nec agnitionem Christi seruassent. Nam cum leprosum emundasset dixit illi: Vade & monstra te sacerdoti, & offer donum: humilitate ea qua nos quoque esse humiles docuit. Sacerdotem adhuc appellabat quem sciebat esse sacrilegum. Item cum sub ictu passionis alapam accepisset, & ei diceretur, sic respondes Pontifici? Nil ille contumeliose locutus est in personam Pontificis, sed magis innocentiam suam tuitus est dicens: Si male locutus sum exproba de malo, si autem bene quid me cædis? Quæ omnia ab eo ideo facta sunt humiliter, & patienter, vt nos humilitatis ac patientiæ haberemus exemplum. Docuit enim sacerdotes veros, legitime & plene honorare, dum circa falsos sacerdotes ipse talis extitit. Quid vero in veteri lege Dominus dicat audiamus. In Deuteronomio sic ait: Et homo quicunque fuerit in superbia, vt non exaudiat sacerdotem aut iudicem, quicunque fuerit in diebus illis, morietur homo ille, & omnis populus cum audierit timebit, & non agent impie etiam nunc. Et vt sciamus hanc Dei vocem cum vera & summa maiestate eius processisse ad honorandos ac vindicandos sacerdotes suos, cum aduersus Aaron sacerdotem tres de ministris, Chore, Dathan, & Auiron, ausi sunt superbire, & ceruicem suam extollere, & sacerdoti præposito se adequare, hiatu terræ absorti ac deuorati, pœnas statim sacrilegæ audatiæ persoluerunt. Nec soli illi, sed & cæteri ducenti quinquaginta, qui eis comites ad audatiam fuerunt, prorumpente à Domino igne consumpti sunt, vt probarentur sacerdotes Dei ab eo qui sacerdotes facit vindicari. In lib. quoque Regum, cum Samuel sacerdos, à Iudæorum populo, ob senectutem contemneretur, exclamauit iratus Dominus & dixit: non te spreuerūt, sed me spreuerunt. Et vt hoc vlcisceretur excitauit eis Saul Regem, qui eos iniurijs grauibus affligeret, & per omnes cōtumelias & pœnas superbum populum calcaret & præmeret, vt contemptus sacerdos de superbo populo vltione diuina vindicaretur. Sed & Salomon in Spiritu sancto constitutus testatur & docet, quæ sit sacerdotalis auctoritas & potestas, dicens: ex tota anima tua time Deū, & sacerdotes eius sanctifica. Et iterum: honora Deum ex tota anima tua & honorifica sacerdotes eius. Quorum præceptorū memor beatus Apostolus Paul. secundum quod in Actis Apostolorum legimus, cum ei diceretur, sic insilis in sacerdotem Dei maledicendo? Respōdit & dixit: nesciebam fratres quia Pontifex est, scriptū est enim principem populi tui non maledices. Hæc Cyprianus.

¶ *Vade ostende te sacerdoti.* Hoc facto significare vult Dominus debere prælatos nō mittere falcem in messem alienā. De qua re lege. 9. q. 2. per totam quæstionem. Præterea docet obedietiam quam omnes summo Pontifici debemus. Lege sequētē quęstionē, pręsertim in c. finali.

¶ *Vade ostende te sacerdoti & offer, &c.* Expurgatio illa sacramentorum veteris legis à lue sordis corporalis & si rationē aliquam haberet naturalem, tamen potissima erat in nostri mysterio posita. Literalis, inquam, in leprosis atque alijs qui venenosis morbis inficiebantur, erat, vt eorum caueretur contagio. Hac enim ratione

Marginalia: D. Cyprian. lib. 3 epist. 9. — Sacerdotes honorandi sūt. — Ioā. 18. — Deut. 17. — Num. 16. — 1. Reg. 8. — Eccle. 7. — Act. 23. — Exo. 22. — Ritus leprosi simul est institutus vt esset imago & figura sacramenti pœnitentiæ.

ratione è castris pellebátur, nec recipiebantur nisi iudicio sacerdotû essent mûdi. Attamen potissima causa profectò fuit ostendere munditiem peccatorum per Christum futuram. Vt Apostolus in epistola ad Hebræos missa a c.7. vsq; ad caput.10. late disserit. Sunt enim in ritu leprosorum plurima consideratione digna quę nisi imago & figura essent nostri, pro miraculis haberentur, prodigiosaq; censerentur. Primùm leprosorum, aliorumque contagione laborantium frequentia, qualis non est inter nos. Deinde diuina cura & prouidentia peculiaris in hominibus tali morbo confectis abigendis atque euitandis. Tertiò quod illorum iudicium sacerdotibus esset mandatum, sine quorum sententia non admitteretur in templum. Quod Christus adeò duxit sanctum, vt quibus ipse medebatur, ad sacerdotes nihilominus remitteret. Vade, inquit, ostende te sacerdoti. Cum tamen negotium illud medicorum potius quàm sacerdotum munus esse videretur. Atque eò potissimè quod ceremonię illæ nullam habebant vim naturalem curandi lepram. Quin verò non adhibebátur quousque leprosus mundus iam censebatur. Sic enim intelligendum est verbum illud Leuit.14. hic est ritus leprosi quando mundandus est. Idest, quando iudicandus est esse mûdus. Subsequitur namque: cum sacerdos egressus de castris inuenerit lepram esse mundatam, præcipiet ei qui purificatur, idest, pronuntiatur esse sanus vt offerat, &c. Quare non constituti erant vt medici ad sanandum, sed vt iudices ad inferendam sanitatis sententiam: in quo ideo credendi sunt testimonio medicorum vsi fuisse. Quare leprosi non nisi naturali via sanabantur & opera medicorum. Rarissimè autem per miraculum: vt de Maria sorore Moysis legitur num. 12. quæ septem diebus cooperta fuit lepra. Ille ergo sacramentorum ritus ad significandum munus Christiani sacerdotij in expiandis peccatis fuit institutus. ¶ Quare ceremonię ille minimè adhibebantur ad corpora mundanda, aut animas purificandas, sed in signum & figurá futurorum. Quod si homines lepra peccatorum affecti, tunc temporis iustificabantur: id non erat vi illarum ceremoniarum sed per fidem viuam Iesu Christi, in quê omnia opera, vel moralia, vel ceremonialia tanquam in finem referebantur. ¶ Illius enim nostræque legis sacraméta in hoc distant, quod cû Christus nondum fuisset passus, cuius mors fons perennis est totius gratiæ, sacraméta illa non erant instruméta quibus realis passio applicaretur. Obidque nô oblationes hostiarum nec circuncisio sed fides per illas protestata hominem iustificabat. Secundum illud Leuit.4. & 5. Vbi dum earûdem oblationum habetur mêtio, subditur: orabit pro eo sacerdos & dimittetur ei. Quasi noxa non sacrificiorum aut oblationû vi, sed per fidem & Dei gratiam condonaretur. Et ideo appellabat ad Galatas Paulus sacramenta illa, infirma & egena elementa. Quod non illa sed viua fides iustificabat. Atq; hoc mihi Paulus illo verbo docuisse videtur, credidit Abraham Deo & reputatum est illi ad iustitiam. Ostendit, inquá, quemadmodum iustitia illius legis non circuncisione, quæ Abrahæ præcepta fuit, sed fidei nitebatur per illam professę. Nobis autem passio iam exhibita per sacramenta applicatur: quibus ideò ceu eius instrumentis iustificamur. Cęterum iam homines illi iustificati, per cuncta legum opera seu ceremonialia, seu moralia merebantur sicut & nos per legis nostræ obseruationem postquàm gratiam primam sumus adepti. ¶ Vt ergo redeamus vnde digressi sumus, ritus iste leprosorum, pœnitentiæ sacramentû quo verè à peccatorum maculis ęmundamur significabat. Tria hic videmus contigisse huic leproso: primùm, eum Christus Dominus tetigit, deinde, ad sacerdotem misit: tandem offerre munus præcepit. Sic peccator contritione, & côfessione, & condigna satisfactione, immunis à lepra peccati manet. Cordis dolor verus, per tactum Christi significatur, & meritò: nemo enim verum animi dolorê habere potest sine speciali contactu & auxilio Christi. Ideo sicut dicebat Propheta Eze-

Marginal notes: Heb.7. | Leui.14. | Num.12. | Differêtia nostrorû sacramentorû à veteris legis sacramentis. | Leui.4. & 5. | ad Gala.4. | Rom.4. | Côtritio & côfessio & satisfactio hic figurari ostendûtur.

Ezech.3. Ezechiel,c.3. Abij amarus in indignatione spiritus mei, manus enim Domini erat mecum confortans me. Sic potest dicere peccator qui afflatus diuino spiritu, virtuteq; Domini contactus, lachrymas pro peccatis fundit, tristisque ad genua sacerdotis abit. Peccatorum autem confessio in eo quod immundus iste ad sacerdotem mittitur, figuratur. Vade, inquit, ostēde te sacerdoti. Tunc enim peccator abit & ostendit sese sacerdoti quādo omnia peccata sua illi sincerè manifestat, vt eius iudicio à lepra absoluatur, aut se esse verè mundum iudicetur. Condigna verò satisfactio satis ostenditur, in eo quod Dominus ait: Offer pro emūdatione tua sicut præcepit Moyses. Offerre ergo debemus pro munere animam, corpus, atque bona temporalia. Animam offerimus, quando ex animo preces supplicationesq; pro peccatis Deo fundimus: corpus offerimus, quādo illud ieiunijs & inedia maceramus: res familiares offerimus quando pauperibus eleemosynas liberaliter elargimur.

Nō potest sacerdos pro libito suo pœnitentias iniungere, sed habita circunstantiarum ratione illas arbitrari debet.

¶ *Offer pro emundatione tua.* His verbis significari condignam pro peccatis nostris satisfactionem modo diximus. Nunc autē an sacerdos pro arbitratu suo possit pœnas in sacramento pœnitentiæ iniungere videndū est. Res certa est non posse sacerdotē pro libito suo pœnas huiusmodi imponere, sed habita rerum circunstantia illas arbitrari debet: cum nō propria sed diuina auctoritate peccatorem immundum absoluat à lepræ contagio. Ea enim ratione clauis scientiæ data est ei, vt secundum rationem perpendat, quem debet absoluere & quo modo. Instrumentum enim qualis est sacerdos non mouetur nisi ad motum principalis agētis. Non sine mysterio Christus Dominus apud Ioan. ait: Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata remittuntur eis. Vt significaret illam potestatem remittēdi animi lepram non proprio arbitratu sed secundum iudiciū Spiritus sancti regulatum esse debere. Neq; est Christus de hac re in exemplū adducendus, quem sacerdos imitari debeat, qui quib9 peccata dimittebat nul-

Ioã.20.

A lam pœnam imponebat, sed vt Ioan. narrat eos hortabatur ne amplius peccare vellent, cum haberet potestatem excellentiæ, plenissimè peccata condonabat quoad culpam & pœnam. Sacerdos verò debet esse sacramentorum legibus adstrictus. ¶ Sed quamuis hæc ita sint, in pœnitentijs autem arbitrandis, non debet sacerdos peccatorum tantum grauitatem æstimare, sed possibilitatem etiā, ac commoditatem implēdi prospicere, secundum qualitatem personæ & circūstantiarum. In inferno quidē, & in purgatorio, vbi nulla in pœnis habetur medicinæ ratio, sed solum vindictæ, aut purgationis, secundum qualitatem delictorum ad iustum infliguntur. At pœnitentiæ in sacramento non solum sunt peccatorum vindictæ, sed etiam medicinæ: vnde sicut medicus non semper rigore medicaminum vtitur quæ morbus exigit, sed ad ægri debilitatem attendit, qui si rigorem illum ferre nequit, remissi9 cū eo agit: Ita sacerdos licet admonere debeat pœnitentem, quantam peccata sua satisfactionē exigant, eumq; animare vt satisfaciat, nihilominus si pœnitēs ei suā debilitatem exponat, præsumiturque aut propter imbecillitatem corporis aut propter animi spiritusq; langorem, & teporem, non esse condignam pœnitentiam impleturus, debet illi morem gerere, & remissiores imponere. Imò quantumuis pœnitens paratissimus sit, omnes acceptare pœnitentias, nihilominus sacerdos debet qualitatem personæ æstimare. Non enim homini pauperi aut familiam plurimam alenti, eleemosynæ largæ imponi debent, neque is qui labore & sudore suo pane vescitur in magnam ieiuniorum mediam adigēdus est. Item & honori consulendum: non enim illæ pœnitentiæ sunt iniungendæ, quas personam implere nō deceat. Decretum est Leonis Pontificis.c. tempora.26.q.7. & cap. his qui, ex concilio Laudicēsi. Nam licet in tota illa quæstione de pœnitentia publica sit sermo, ratio tamen est eadem depriuata & secreta. Item licet oculus ad delictorum magnitudinem intendat, in pœnitentia quæ ratione vindictæ

Ioan.8.

In pœnitētijs iniungēdis quo modo se debet habere sacerdos.

B

Sacerdotis cōsilia.

C

Pœnitentiæ iniūgēdæ modus optimus.

D

Secūda cōsideratio.

imponitur, considerãda est tamen contritionis vis: nam quanto plus per contritionem & alia opera remissum fuerit: tanto minor iniungenda est pœnitentia, & quanto minus maior. Rursus & in ratione medicinalis remedij habenda est ratio personæ vt vbi vehemétior est peccati illecebra, maior iniungatur pœnitétia, quare iuueni pro eadem fornicatione maior est iniungenda pœnitétia quã seni, tamen si minus peccet: quia cũ vehementius instigetur ad malum, vehementiori indiget cohibitione. Et homini auaro & tenaci amplior est iniungenda eleemosyna, vt liberalitatis virtuti assuescat. ¶Cæterum quod teneatur peccator pro suis criminibus satisfacere disputant Doctores. d. 19. lib. 4. sententiarum. An verò teneatur pœnitens acceptare pœnitétiam à sacerdote impositam sub iudice lis est. De qua re inter alios disserit Soto. d. 20. q. 2. art. 2.

Tertia cõsideratio.

¶*In testimonium illis.* Subaudi sacerdotibus, relatiuum plurale iunctum singulari antecedenti, more Hebræorũ. Dixerat enim antea vade ostende te sacerdoti.

¶*Ipse autem secedebat in desertum & orabat.* Hinc discant Euangelici cócionatores atque Doctores secedere in secretũ vt orationi & lectioni vacent. Nihil enim magis vegetat verbi Dei professorem & prædicatorem: nihil æqué munit & armat aduersus omnem huius vitæ corruptelam ac frequens à turba secessus, non ad ocium, lusus, aut voluptates, quales sunt feré secessus huius mundi diuitum, sed ad lectionem sacrorum voluminum, sed ad prædicationem puram, ad gratiarum actionem, ad contemplationem rerum cœlestium, denique ad expurgationem animi, si quid forté labis contractum est ex populari conuictu. His rebus nihil opus erat Christo, sed ipse nobis formam voluit exprimere. Pastoris aut concionatoris assiduus cum populo conuictus, plerumque gignit contemptum: & prodesse nõ potest, qui se perpetuo subducit ab hominum commercio. Prodibit igitur vir euangelicus quoties populus eget cibo sermonis Euangelici, quoties ingrauescentes morbi poscunt medicantis opem. Rursus vbi satis pasti sunt ne familiaritas pariat contemptum, secedat in suum secretum vt sacratioribus studijs, semper seipso maior ac melior redeat adiuuãdos proximos.

Prædicatores interim orationi & lectioni vacare debẽt à turba semoti.

¶ *Feria sexta post Pentecostem.*

Et factũ est in vna dierũ, et ipse sedebat docens. Et erãt Pharisæi sedentes, et legis Doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ & Iudææ & Hierusalem: et virtus Domini erat ad sanandum eos. Et ecce viri portantes in lecto hominẽ qui erat paralitycus: et quærebant eum inferre, & ponere ante eũ. Et non inuenientes qua parte illum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectũ, et per tegulas summiserunt eum cum lecto in mediũ, ante Iesum. Quorum fidem vt vidit, dixit: Homo remittũtur tibi peccata tua. Et cœperunt cogitare Scribæ & Pharisæi dicẽtes, quis est hic qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi so-

Matth. 9. a
Mar. 2. a

ſolus Deus? Vt cognouit autem Ieſus cogitationes eorũ, Reſpondens dixit ad illos. Quid cogitatis mala in cordibus veſtris? Quid eſt facilius dicere, dimittuntur tibi peccata; an dicere, ſurge et ambula? Vt autem ſciatis quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittẽdi peccata (ait paralityco) tibi dico, ſurge, tolle lectum tuũ, & vade in domũ tuam. Et confeſtim conſurgens coram illis tulit lectum in quo iacebat: et abijt in domum ſuã, magnificans Deum. Et ſtupor apprehendit omnes: & magnificabãt Deum. Et repleti ſunt timore, dicentes, quia vidimus mirabilia hodie.

E*T factum eſt in vna dierũ & ipſe ſedebat docens.* Scopus huius Euãgelij is eſt vt probet Dominus Ieſus non ſolum eſſe verum hominé, ſed eſſe verum Deum. Tum, quod abſq; holocauſtomatis ſacerdotalibus, abſque precibus, auctoritate propria perpetuaqué remittat peccata, Tum, quod tacitas hominum cogitationes cognoſcat: tum, quod ſimplici verbo in cõfirmationem ſuæ diuinæ virtutis & deitatis paralityco ſuæ priſtinæ ſanitati reſtituat.

Scopus huius euãgelij.

¶ *Et ipſe ſedebat docens.* Priuſquàm ſanet paralitycum docet populũ. Et merito quidem. Nam potior hominis pars, hoc eſt, animus priorem ſibi curam vendicabat. Hinc diſcant concionatores Euangelici, potiſſimum curare: vt oratione, & doctrina ſua, ſanetur populus à morbis animorum. Prius itaque docet Chriſtus, idque ſedens, iuſtam Doctoris auctoritaté merito ſibi vindicans.

¶ *Et virtus Domini erat ad ſanandum eos.* Heb. pro, virtutem enim ſuam exercebat Dominus ſanando eos. Vel ſanando homines. Nam relatiuum, pro nomine poſitum eſt, more Hebræorum.

¶ *Et ecce viri portantes in lecto hominem qui erat paralitycus.* Paralyſis idem eſt quod reſolutio. Vnde paralitycus latiné reſolutus dicitur. Morbus ergo iſte reſolutio eſt neruorum. Gignitur ab humore frigido & craſſo, neruos plus æquo humetante, & laxante, ſenſumque pariter & motum parti corporis, vel toti corpori cui incumbit eripienti. Adeſt ergo paralitycus lecto affixus qui à quatuor baiulis portabatur. Tanta vis erat mali vt omnibus totius corporis membris occupatis, miſer nihil aliud quàm iacere poterat: nec aliter quam cadauer circũferebatur. ¶ Paralitycus ergo iſte hominis pigri imaginem refert. Acedia enim ſiue pigritia paralyſis quædam eſt deteſtanda, quæ animum pigri omnino diſoluit, repletq; innumeris malis, ita vt moueri non poſſit. Vnde D. Hierony. paralyſis, inquit, typus eſt torporis, quo piger iacet in mollicie carnis, habens deſiderium ſalutis, & torporis ignauia, & duplis cogitationibus, ac ſi eneruatus membris, offendit. quem portant quatuor virtutes cardinales, ad tegulas diuinitatis, & ſapiétię in domo carnis Chriſti patefactas. Hęc Hierony. Quot malis paralyſis acediæ, animam repleat docet Salomon in c. 24. Prouerbiorum. Per agrum, inquit, pigri hominis tranſiui, & per vineam viri ſtulti: & ecce totum repleuerant vrticę, operuerant ſuperficiem eius ſpinæ, & maceria lapidũ deſtructa erat. Quod cũ vidiſſem, poſui in corde meo, & exemplo didici diſciplinam. Quemadmodum enim ager omnis, ſpinas & tribulos profert niſi bonis ſeminibus ſeminatus fuerit, ſic homo ſpinas & tribulos

Piger, paralitycus eſt.

D. Hiero.

D. Hiero. in Mar. c. 2.

ſimilitudo

los peccatorum fert, nisi bonis ac studiosis actionibus semper studeat atque operam det. Vnde D. Bernard. ait. Hæc maledictio Adæ, & in terra laboris nostri, & in agro cordis & corporis nostri, vt noxia vel inutilia gratuito passim prouueniāt: vtilia verò vel necessaria cum labore. Quemadmodum etiam aqua quiete corrumpitur: & capiunt, inquit Poeta, vitium ni moueatur aquæ. Et vinum natura sua etiam fæces gignit & nisi ab eis emundetur, totum corrumpitur. Sic homo otio & pigritiæ deditus, fœcibus peccatorum corrumpetur, nisi sanctis operationibus incumbat. Quod significare volens Hieremias ait verba faciēs de Moab: Requieuit in fœcibus suis, nec transfusus est de vase in vas, & in trasmigratione non abiit. Ideo permāsit gustus eius in eo, & odor eius non est immutatus. Fœces appellat Propheta peccata, quæ ex otio & pigritia nimiaque indulgentia oriri solent. Et quemadmodum corruptus sapor, & prauus odor recedere non solet à vino, si supra fœces remanserit: imò interdum omnino corrumpitur: sic homo acidiosus si in peccatis suis permanserit, totus acidus, acetosusque efficitur. Adeo enim corrumpitur vt bona ei displiceant, quæ placere sibi debebant. Tarditas igitur & animi pigritia innumeris peccatis hominē replet. Quarè piger omnis, ac tardus & segnis, paralyticus meritò vocari potest. ¶D. Thomas exponens illud euāgelicum, Domine puer meus iacet in domo paralyticus & malè torquetur ait: paralytici qui nō possunt membra mouere, sunt incontinentes qui ex infirmitate peccant. Puer ergo, idest, inferior pars mentis siue animæ iacet, quando non potest sese erigere. Caro enim concupiscit aduersus spiritum, & malè torquetur. Siquidem qui peccant ex infirmitate, cum ceciderint, ex dolore torquentur. Hæc ex illo. Incōtinentes ergo paralytici vocari possunt. ¶Sunt autem qui dicunt paralysin morbum esse, qui membra reddit mollia, atque dissoluta, & dissipata. Quod meritò peccantibus ex infirmitate cōuenit, qui molles sunt quoniam omni cedunt ten-

D. Ber.

Similitudo

Hiere. 48.

Matth. 8.

D. Tho. Paralytici inconti nentes.

A tationi, atque aduersitati. Et quia timoris vel amoris non habent vinculum, dissoluti congruè dicuntur. Et quia peccātes ex infirmitate sæpius resipiscere proponunt à peccato, sed in bono non perseuerāt proposito, propterea dici possunt dissipati atque confracti. ¶Preterea, omnis superbus, paralyticus & dissolutus dici debet. Si enim paralysis sēsum auffert membrorum, superbia mentis omnem sensum tollit. Humiles sanè sentiūnt se pauperes & miseros esse, intelligunt suā indigentiam, agnoscunt seipsos. At superbus, omnes alios contemnit præ se. Ignorat seipsum, se miserum, & pauperem, & mortalem esse non sentit. Ideo ponit in cœlum os suum & lingua eius transit in terram, quare paralyticus appellari & potest & debet.

B

¶*Et quærebant eum inferre & ponere ante eum. Et non inuenientes qua parte illum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, & per tegulas submiserunt eum.* Vides hic quanta violentia gentes rapuerint regnum Dei. Iudæi Christum è templo eiiciunt, gentes certatim accurrunt & ad se rapiunt, vt verum sit quod ait: regnum cœlorum vim patitur. Multa hic fortitudo opus est, non corporis sed viuæ fidei. Rapit ad se regnum Dei, qui fortior est fide viua, idest, quæ ad iūctam habet dilectionem: feruentior desiderio & oratione. Hac violētia nō offenditur Iesus sed summe delectatur. ¶Deinde considera consilium Dei: qui quanuis natura propensus sit ad miserendum omnibus, tamen differt nōnunquam beneficentiam suam, quo magis acuat nostrum desiderium, doceatq; nihil nobis non esse tentandum, vt à morbis & paralysi animi liberemur. Amat hic improbitatem nostram (vt ita dicam) qua veluti compellitur adid, ad quod suapte natura propensissimus est. Quid rogo impudentius, quàm mouere tegulas alienę domus, & tam abominabile spectaculū tali theatro ingerere? Et tamen mitissimus medicus non exprobrat impudentiam, & importunitatem: nō stomachatur abominando spectaculo interruptū sermonem suum. Nihil rogabant baiuli spectā-

C

D

Superbi sunt paralytici.

Matth. 11.

Regnū cœlorum rapere quomodo.

Quare differt Deus aliquando beneficiū.

tes è tecto, nihil paralyticus cui morbus etiã linguæ vsum ademerat. Et hoc magis loquebatur misericordi medico, quia loqui non poterat. Nihil erat opus precibus, miserabile spectaculum flagitabat misericordiam: & quod fecerant baiuli satis arguebat quid sperarēt à Domino. Quid igitur fecerit Dominus Iesus audiamus.

¶ *Quorum fidem vt vidit, dixit, homo, remittuntur tibi peccata tua.* Iam hic vides quantum valeat apud Dominum Iesum fides & deprecatio iustorũ: quę non solum impetrat ab eo, proximũ a paralysi corporali liberari, sed quod diuinius & expectabiliꝰ est, liberari à morbis animi. Fides enim & deprecatio iusti & tēporalia beneficia, & peccatorum rēmissionem, primamque gratiam à Deo proximis nostris parare solet. Quod primum verum certumque sit, multis sacrarum literarum testimoniis ostēdi potest. Sodomitis enim Dominus pepercisset, si vel decem iusti inter eos inueniri potuissent. Quod disserens D. Ambro. ait: hic discamus quatenus amicus sit patrię vir iustus, & quemadmodum non debemus inuidere sanctis, neque temere derogare. Illorum enim nos fides saluat, illorũ iustitia ab excidio defendit. In libro etiã Exod. cap. 17. quandiu manus leuabat Moyses, vincebat Israel, quoties verò remittebat vincebat Amalech. Præterea Exod. 32. Tanto erat succensus furore Dominus vt Moysi diceret: dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos faciamque te in gentem magnam. Et tamen precibus Moysi placatus est. Hinc est quod regius ille vates ait: & dixit, vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione, in conspectu eius, vt auerteret iram eius.

¶ Quantum etiam apud Deum valeat fides aliena ad remissionem peccatorum atque comparãdam amicitiam diuinam proximo iam in hoc loco vides. Quorũ fidem (inquit Euangelista) vt vidit, dixit, homo, remittuntur tibi peccata tua. Itē D. Ambro. pertractans locum illũ Pauli: Exercitatio corporalis ad modicum vtilis est, pietas ad omnia valet promissionem habens vitæ quæ nunc est & futuræ. Siquis ergo (inquit) quia misericordia magna res est, lubricum tamē carnis patiatur, vapulabit, sed non peribit. Si autem solum exercitium corporale habuerit, perēnes pœnas patietur. His ergo vltimis verbis cõstat, lubricum carnis, vocari ab Ambrosio, peccatum mortale. Cuius sententiã fundamentum habere videtur in eo quod Dominus Iesus apud Lucam ait: facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt cum defeceritis recipiant vos in ęterna tabernacula. Deficere in hoc loco, non aliud videtur esse quàm à charitate diuina excidere, non quod necessarium sit eum qui eleemosynis se dederit, precibus & opera pauperum seruari sanctorum, sed congruum id maxime est. Decet enim diuinam misericordiam sanctorum votis & precationibus inclinari, vt tales peccatores ad cor reducat atque ad veram pœnitentiam trahat. Quod frequenter facere solēt. Atque ad hunc modum intelligenda est glosa ad Roma. 15. in illa verba Pauli vt iuuetis in orationibus vestris. Multorum preces impossibile est vt non impetrent. Hoc idem est quod D. Paulus insinuat in episto. 2. ad Cor. c. 8. quum ait: Vt & illorum abundantia vestræ inopię sit supplementũ vt fiat æqualitas. i. vt ipsi de spiritualibus bonis quibus abundant, vestram penuriã supleãt. Adde huc quod D. Ioannes ait in prima sua Cano. cap. 5. Qui scit fratrem suũ peccare peccatum non ad mortem, petat & dabitur ei vita peccanti peccatum non ad mortem, &c. Vocat Apostolus finalē impœnitentiam peccatum ad mortem, pro quo statim addit non esse orandum: aut vocat peccatum infidelitatis peccatum ad mortem, pro quo difficilis est impetratio. Sic enim hunc locum explicat Hierony. his verbis: Qui scit fratrē suum peccare peccatum non ad mortē, petat & dabitur vita peccanti nõ ad mortem, qui verò peccauerit ad mortē quis orabit pro eo? Cernis quod si pro peccatis minoribus deprecemur, impetramus veniam: si verò pro maioribus difficilis impetratio fit. Tandem D. Iacobus ait & oras

Marginalia: Fides & oratio iustorum impetrat proximo & gratiam & beneficia tēporalia. — D. Ambr. li. de Abraham. c. 6. — Exod. 17. — Exo. 32. — Psal. 105. — D. Ambr. 1. Timo. 4 — Infra 16. — 1. Can. c. 5 — Iacob. 5.

oratio fidei saluabit infirmum, & si in peccatis fuerit remittetur ei. Orate pro inuicé vt saluemini.i.vt sanemini. Multũ enim valet deprecatio iusti assidua: vel oratio iusti efficax. Nam pro, assidua, Græcé est ἐνεργουμένη, idest, efficax. Lege quæ in hunc locum annotauimus Matthæ.cap.9.

Plus præstat Dñs quã expectamus.

¶ *Remittuntur tibi peccata tua.* Obserua Christi misericordiam & magnificentiam. Plus enim præstitit quam expectabant. Summa votorum erat vt paralyticus corporis morbo liberaretur. At Iesus eum ab animi & corporis paralysi liberat. Vide quæ in hunc locum annotauimus Matth.9. Ne eadem sæpius repetamus. Et adde: quód Gene.17. ait Abraham Domino: vtinam viuat Ismael coram te. Dominus autem plura illi concessit nam non solum vitam Ismaeli sed seminis propagationem maximam pollicetur. ¶ *Remittuntur tibi peccata tua.* Hac voce voluit Dominus primùm ostendere potētiam suam diuinam. Ideo commouit animos Scribarum ac Phariſęorum. Siquidé sacerdotes qui pro peccatis offerebant victimas, non ipsi remittebant peccata, sed tantum precibus intercedebant apud Deum vt condonaret illis admissa. Iesus auté auctoritate propria absque sacrificijs & precibus dicit: Remittuntur tibi peccata tua. Generali nomine summam & corpus omniũ peccatorum semel complectens, quum sacerdotes, non vniuersa peccata, sed certas aliquas culpas victimis expiandas curarent. Docuerat hoc illos Esaias, solum Deum esse, qui gratis condonaret hominibus peccata. Ita enim loquitur per os sui Prophetæ: Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum nõ recordabor. Sed cum viderent in eo diuinæ virtutis indicia, tamen offensi corporis conspecti imbecillitate, partim enim inuidia cœci Scribæ & Pharisęi malunt calumniari quàm credere: vt statim docet Euãgelista. ¶ Cæterum ne quis ad illa verba Esaiæ, ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me, tantum respiciens: & ad hæc verba Christi, remittuntur tibi peccata tua, & non ad reliquam scripturam, à vera Dei regula aberret: opineturque in sola Dei clementia esse remissionem peccatorum, animaduertat: remissionem peccatorum nobis contingere ex multis. Imprimis intelligamus q̃d Dei filius datus est nobis vt tollat peccata mundi, idque factum est non nostro merito, vel alterius, sed sola patris voluntate, qui secundum beneplacitum suũ, voluit nobis misereri: Eramus omnes inimici Dei placuit ipsi sua sponte simpliciter propter se exhibere nobis misericordiam, vt simus in laudé gloriæ gratiæ suæ, hoc est, vt agnoscamus hanc misericordiam, esse spontaneam ipsius gratiam. Deinde quod vltronea hæc ipsius gratia, ad nos deriuata est, æqué sine nostro merito factum est & paterno & auito, sed non sine Christi merito qui dedit propiciationem nostri non AEgyptios, vel AEthiopes, sed benedictum suũ sanguinem, cuius cõtemplatione pater dat nobis gratiam, & peccatorum remissionem. Et quia pater & filius vnũ sunt, bene dicit, ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me: & in hoc loco remittũtur tibi peccata tua. Vtramque rem mirabiliter expressit Paul. in Epistola ad Ephes.cap.1. benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cœlestibus, in Christo: qui prędestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum, in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ: in laudem gloriç gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius (remissionem peccatorum) secũdum diuitias gratiæ eius, &c. vide Paulum. ¶ Præter ea autem quæ præstitit pater & filius, Paulus in epistola ad Roma. fidem nostram requirit: Quem, inquit, proposuit Deus propitiatoré, per fidé in sanguine eius. Et in hoc loco Matthæus ait dixisse Dominum paralytico confide filij remittuntur tibi peccata tua. Non igitur datur remissio peccatorum nec deriuatur gratia Dei in eos qui filio credere & confidere nolunt. Verum quia hoc ipsum credédi

opus

Margin notes: Gen.17. — Primũ argumētum quo Christus ostendit se esse verũ Deũ. — Esai.43. — Notãdum quę sunt quę cõcurrunt ad remissionem peccatorũ — Ephes.1.

opus nõ est à solo nostro libero arbitrio, sed à libero arbitrio adiuto dono patris trahentis (nemo enim potest venire ad filium nisi pater traxerit eum) gratuita bõnitate patris credentes agnoscere debet illud Esaiæ, ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me, & illud Christi remittuntur tibi peccata tua, quia sic propter nostram fidem delet, vt tamen propter se quia fides illa est donũ Dei. Deinde quod nostrum credere tanti fiat apud Deum vt propter illud tanquã principium nostræ iustificationis deleat peccata nostra, hoc debemus bonitati & beneplacito paternæ voluntatis ipsius, ipsum enim credere aut sperare per se non est tanti vt propter illud deleantur peccata nostra, quia vt dicit Paulus reputatur fides ad iustitiam, secundum propositum gratiæ Dei, id est, quod per fidem remittantur peccata, hoc est gratiæ Dei, non quia fides hoc meretur. Similiter dicendum est de baptismo, abluit enim baptismus sordes peccatorũ, sed hoc nõ habet nisi ex patris clementia propter merita Christi. Idem dicendum est de pœnitentia, gratia ergo iustificamur, hoc est, sine vllis planè meritis nostris aut maiorum nostrorum, non tamẽ sine meritis Christi: quem quia pater gratuita sua bonitate & spontanea clementia misit in mundum ad delenda peccata, benedicit Propheta in illo loco, ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me. Gratia iustificamur sed hæc vtitur fide nostra, nam accedentem ad Deum oportet credere, &c. & spe nostra, confide fili, &c. & detestatione offensę Dei, nam nisi pœnitẽtiam habuerimus omnes peribimus: & charitate quæ operit multitudinem peccatorum. Christus ergo qui remittebat peccata, disponebat etiam hominis animum suo peculiari tractu, ad gratiam recipiendam. ¶ *Remittuntur tibi peccata tua.* Hic ab aliquo quæri potest quare Christus vt hunc leprosum à lepra mundaret prius illi peccata condonauit. Nam quæ se inuicẽ non cõsequũtur minime oportet vt simul auferãtur, sed morbus corporis non semper propter peccatum, & morbum animi nobis

Quæritur quare christus animã & corpus simul sanabat.

A contingit, quum Dominus apud Ioan. cap. 9. affirmet: neque hic peccauit nec parentes eius, vt sic cœcus nasceretur. Non ergo oportuit vt primùm animi lepram, ab hoc infirmo, postulãti solũ mũdiciẽ corporis, tolleret. Præsertim quia salus corporis multo minus est quàm salus animi & remissio peccatorum, quare non videtur esse sufficiens argumentum ad probandum posse Christum peccata condonare, leprosum à lepra corporis mundare. Ad hoc sancti respondent: qd Dominus Iesus miracula æ debat diuina B virtute qua erat præditus, cum ergo Dei perfecta sint opera vt sacra scriptura affirmat: non sit autem aliquid omnibus numeris absolutum, si finem quem intẽdit non consequatur: finis autem & scopus curationis quæ in hominum corporib9 à Christo fiebat, erat salus animorũ: inde fit nõ decere Christum Dominum mederi corporibus nisi simul mederetur animis. Hinc est quod D. Augu. in illa verba Ioan. cap. 7. Totum hominem sanum fecit in Sabbato, ait: Quod curatus C est vt sanus esset in corpore; & credidit vt sanus esset in anima, peculiariter autẽ hodie paralitico ait Dominus dimittuntur tibi peccata tua. Quia vt D. Hieron. ait: Datur ex hoc nobis intelligẽtia, propter peccata, plerisque euenire corporum debilitates: & ideò forsitan prius dimittuntur peccata; vt causis debilitatis ablatis, sanitas restituatur. Vnde Ioan. 5. dicitur, iam noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Vbi D. Chryso. Discimus, inquit, quod ex peccatis nata ei erat ęgritudo. ¶ Quanuis autem (vt ait Chryso. in Matth.) quanto D anima est potior corpore, tanto peccatũ dimittere maius sit quàm corpus sanare: quia tamen illud manifestum non est, facit minus quod est manifestius vt demõstraret maius & non manifestum.

¶ *Vt cognouit autem Iesus cogitationes eorum.* Hac quoq; parte declarauit Dominus sibi diuinæ naturę consortiũ esse. Solius enim Dei est affectus & cogitationes animi cognoscere. Quod tam testimoniis sacrorum eloquiorũ quàm multorum sanctorum probari potest. Prauũ

Ioan. 9. Deut. 32. D. Augu. D. Hiero. Matt. c. 9. Ioan. 5. D. Chryso. D. Tho. 3. p. q. 44. ar. 3. ad tertiũ

Solius Dei est cogitationes cognoscere.

Iob.16. Hiere.17. est cor hominis & inscrutabile & quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor. Et Iob c.16. Ecce in cœlo testis meus & conscius meus in excelsis. Non ait testes mei, sed testis meus, inquit, in excelsis. Psal. 7. ait regius vates: scrutans corda & renes Deus. Et D. Paul. in episto. ad Roma. cap. 8. Qui autem, inquit, scrutatur corda scit quid desideret spiritus. Præterea 2. lib. Parali. c. 6. Redde vnicuique secundum vias suas, quas nosti habere eũ in corde suo, tu enim solus nosti corda filiorum hominum. Neque solum his atque alijs sacratum scripturarum testimonijs id probari potest sed cõsensu sanctorum. Imprimis Hieron. in illa verba Matthęi cum vidisset Iesus cogitationes eorum ait: ostendit se Deum, qui possit cordis occulta cognoscere. Idem docet Ambro. Beda, Theophyla. super Lucam in hæc verba quid cogitatis in cordibus vestris? D. etiam Cyrillus quem D. Tho. refert in catena aurea, ait: quasi dicat, ô Pharisæi quia dicitis quis potest peccata dimittere nisi solus Deus? Respõdeo vobis. Quis potest secreta cordis scrutari nisi solus Deus? Qui per Prophetas dicit: Ego Dominus scrutans corda & probans renes? Si ergo increduli estis erga primum, scilicet, remissionem peccati: ecce aliud adijcio dum intima vestra patefacio. Hæc Cyrillus. Tandem Chryso. homi. 23. super Ioan. in illum locum ipse sciebat quid esset in homine. Humanarum, inquit, cogitationum cognitio solius Dei est. Ibique adducit testimoniũ illud Acto. 1. Tu Domine qui nosti corda hominum, &c. Idem etiam homi. 30. super Matthæ. Hoc idem multis probat. Quare erroneum esse duxerim affirmare defacto Angelos siue bonos siue malos cognoscere cordium cogitationes. Si enim defacto Angeli iniqui cogitationes cognoscerent, prædicti sancti non affirmarent fuisse signum diuinæ naturę in Christo cogitationes cognoscere.

[Margin: Psal. 7. Rom. 8. 2. Para. 6. D. Hiero. D. Ambr. Beda. Theophi. Cyrillus. Chryso. D. Tho. 1. p. q. 57. ar. 4.]

¶ Quando igitur certo scimus, quod Dominus Iesus tacitas nostras cogitationes intelligit auferamus mala cogitationũ nostrarum. Sic enim ipsemet Dominus admonet apud Esaiam cap. 1. Auferte mala cogitationum vestrarum ab oculis meis. Quibus verbis docet Dominus cogitationes nostras ab eo videri, nosque non solum omne maleficium vitare debere, sed etiam operam dare, vt omnem animi cogitationem, puram, integrãque seruemus. Aquila, vt ferunt, pullos suos quos habet in nido, aduersus solem ponit, vt illum veluti auctorem vitæ cognoscant. Sol enim & animal, vt aiũt phisici, animal gignunt: & eos, qui solis radios non ferunt, nec valent ipsum solẽ intueri, ẽ nido tanquàm spurios aut alienos eiiciunt. Sic nos paruas adhuc cogitationes versus iustitiæ solẽ dirigamus, vt ad Deum oculos leuantes, eum auctorem atque Dominum cognoscant. Eas vero, quæ Deum intueri noluerint, nec in eum oculorũ aciem dirigere, tãquàm extraneas & illegitimas ab animi nido eijciamus, easque dum paruæ sunt, ad petram, hoc est, ad Christum allidamus, iuxta id, quod dicitur in Psalmo: Beatus qui allidit paruulos ad petram. Hoc enim est, auferre malum cogitationũ nostrarum. Caueamus igitur aut de Deo aut de proximis nostris quicquàm praui cogitare. Nam verbum Domini penetrabilius est omni gladio ancipiti. Viuus est enim (inquit Paulus) sermo Dei & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingẽs vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis. Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius. Quo in loco Paulus de Verbo increato, & filio Dei loquitur, qui viuus & efficax dicitur propter viuificam eius operationem, & penetrabilior omni gladio ancipiti. i. vtrinque scindente, pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus, vbi nonnulli per animam potẽtias animales, per spiritum rationabilem facultatem intelligũt. Itaque sermo Dei Christus vsque ad diuisionem animæ & spiritus pertingit, dum animales & spirituales cogitationes discernit: compagũ quoque ac medullarum vsque ad diuisionẽ pertingit, idest, interna & externa no-

[Margin: Malæ cogitationes auferẽdæ. Esai. 1. similitudo. Psal. 136. Heb. 4.]

nostra nouit. Ná compagű nomine quæ sunt externæ mébrorű colligationes externa opera: medullarű auté quæ intus latent, internas intelligit cogitationes. His auté verbis nihil aliud vult Paulus, nisi qd sermo Dei viuus Christus omnia nouit etiá internas cordis cogitationes. Vnde in eadé sententiá subdit. & nó est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius. ¶ Vir iustus & prudens nó solű cogitationes noxas, sed etiá otiosas cauet. Vnde Hiere. ait. c. 4. vsq3 quo morabűtur in te cogitationes noxæ? Et Seneca: Cogitationes vagas, & inutiles, & velut somno similes non recipies: quibus si animű tuű nó oblectaueris, cű omnia disposueris, tristis remanebis. Beatus Iob singulis diebus sacrificia pro se suisque filijs offerebat: ne forte, inquit, peccauerint filij mei & benedixerint Deű in cordib9 suis vel indigna cogitauerint de Deo. Vbi benedicere pro maledicere accipitur de more scripturę. Sic 4. Reg. 21. Benedixit Naboth Deo & Regi. Vir enim iust9 nó solű magna scelera quæ filij sui opere patrare potuerát, formidabat: sed vt minima quæq3, vsq3 ad ipsas cordium cogitationes, tá in alijs quá in semetipso exhorrebat. Omni ergo custodia custodiamus cor nostrű, quia ex ipso vita procedit vt Salo. ait Pro. 4. Primus enim gradus descensus ad ima, est praua cogitatio. Vnde Eccles. c. 10. ait: initiű superbiæ hominis est apostatare à Deo qui fecit illű: quoniá ab eo recessit cor eius. ¶ Illud auté est obseruádű mentis cogitationes & si prauę sint, hominis animű nó maculare nisi adsit cősés9. De qua re lege. de pœnit. d. 2. in c. inter hęc sciédű. Vbi Greg. sic ait: inter hęc sciédű est, aliud esse qd animus de tentationibus carnis patitur, aliud verò cű per cősensum delectationis obligatur: plerűq3 enim cogitatione praua pulsatur: sed remittitur: plerumq3 auté peruersum qd concipitur intra semetipsum etiá iá per desideriű voluit. Et nimirum menté nequaquá cogitatio imműda inquinat cű pulsat: sed cű hác sibi per delectationé subiugat. Hinc etenim prædicator egregius: tentatio vos non apprehédat nisi humana. Humana quippé tentatio est, qua plerűq3 in turpi cogitatione tangimur, etiá nolentes: quia vt nónunquá illicita ad animű veniát: hoc vtiq3 in nobis metipsis ex humanitatis corruptibilis pődere habemus. Iam veró demoniaca est & non humana tentatio, cű ad hoc quod corruptibilitas carnis suggerit per consensum animus se astringit. Hæc Grego. Pharisęi ergo isti diabolica tétatione decepti dicebant. Quis est iste qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus? Quos imitari non debemus.

Marginalia: Hiere. 4. — Seneca. — Iob. 1. — 4. Reg. 21. — Pro. 4. — Eccle. 10. — Praua cogitatio nó nocet cű non adsit cősensus. — D. Grego. — 1. Cor. 10.

A

B

¶ *Vt auté sciatis quia filius hominis habet potestaté in terra, &c.* Hoc vltimo signo ostendit Dńs Iesus suam diuinam potentiam, habereq3 in sese perpetuam ac propriam potestatem in terris remittendi peccata, cunctis quisyncera fide atque animi dolore quęrűt ipsi9 opé. Quá vt demonstraret, nó orando vt alij sancti sed præcipiendo, non alterius nomine sed suo nomine hoc tá insigne miraculű ædidit. Vide quæ de hoc annotauimus in hűc locű Matth. 9. ¶ Obserua auté hic præter ea quæ ibi disseruimus: quod huiusmodi miracula ædebat Dńs Iesus vt eius diuina maiestas per totű orbé celebraretur, eiusq3 nomen coleretur in hominibus. Vnde factum est vt totus populus nouo hoc spectaculo cőmotus, vehementer obstupuerit atque magnificauerit Deum. Hoc idem legimus contigisse olim, cű diuina virtute atq3 ope Propheta Daniel incolumis eductus est de lacu leonű. Tunc Darius Rex scripsit vniuersis populis habitantibus in vniuersa terra. Pax vobis multiplicetur. A me constitutű est decretű vt in vniuerso imperio meo tremiscát & paueát Deű Danielis. Ipse enim est Deus viuens & æternus in secula, &c. Quasi dicat, alij mortui, alij tránsitorij sunt. Et regnű eius nó dissipabitur, & potestas eius vsq3 in ęternű. Ipse liberator atque Saluator faciés signa & mirabilia in cœlo & in terra. Quibus. s. probatur verus Deus. Ad Christi miracula inspiciédű, nos inuitat regius vates Psal. 45. dicens: Venite & videte opera Domini: qui possuit prodigia super terram, idest, miracula aliàs non visa. Prodigium enim (inquit Glo.) dicitur qua-

Marginalia: Tertiű argumétum quo ostendit se esse verű Deű. — Dan. 6. — Psal. 45.

C

D

si procul à digito. Lege Psalmũ & glosã, illũ in morali sensu de Christo exponentẽ. En vides quid viso miraculo Euangelista dicat: & stupor apprehẽdit omnes, & magnificabãt Deũ. Et repleti sũt timore dicẽtes quia vidimus mirabilia hodie.

¶ *Ait paralytico.* Mutatio personæ, pro. *Dico paralytico.*

¶ *Tolle lectum tuum & vade in domũ tuam.* Origenes explicans verba illa spõsæ. Ecce sponsus fratuelis meus. Lectus noster vmbrosus. Quæro, inquit, lectum in quo sponsus cũ spõsa requiescat, & ni fallor corpus humanũ est. Siquidem ille in Euangelio paralyticus qui iacebat in lecto & abire in domũ suã sublato grabato, voce iussus est Saluatoris, antequam sanaretur, super debile mẽbrorũ suorũ corpus iacebat, quod postea Dei virtute solidatũ est. Sic ego intelligo tolle grabatũ tuũ & vade in domũ tuã. Neq; enim ad hoc filius Dei de cœlestibus ad terrena descenderat: vt delectulis descendere imperaret: & consurgentẽ ab ægrotatione sua, sine lectulo non pateretur abscedere. Tolle, inquiens, grabatũ tuũ & vade in domũ tuã. Vt cũ ad te velut ad spõsam venerit sponsus, & in eo tecum fuerit reclinatus, dicas: Ecce sponsus fratuelis meus. Et quidẽ pulchrè. Acclinatio nostra vmbrosa. Ecce speciosus fratuelis meus, ipse speciosus est, & vmbrosus. Per diem quippe sol non vret te, neque luna per noctem. Hęc Origenes.

Orige. vito. 3. Hie. fo. 184.

Lectus animi est corpus in quo Christus sanato peccatore requiescit.

¶ *Et magnificabant Deũ.* Matthæus addit, *qui talẽ potestatẽ dedit hominibus.* Obserua quod hæc potestas cõdonandi peccata in solo Deo trino & vno est, tanquã per eius primæuã natiuãq; auctoritatẽ: in Christo autẽ quatenus homo est, existit tanquã per excellẽtiã. Sed in omnibus sacerdotibus tanquã in eius ministris qui ei9 sacramẽta ministrãt, quę de latere eius quãdo pendebat in cruce dimanarũt. Cũ enim nullũ malũ, sit peccatũ, nisi cõtra Deũ, iuxta illud qđ Psaltes Dauid ait: Tibi soli peccaui: ita & solus ipse est cui natura cõuenit peccata cõdonare: iuxta illud qđ superius retulimus: ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me. Quod intelligẽtes hodie Pharisæi dicebãt: quis potest dimittere peccata nisi solus Deus? Quã Christus sentẽtiã cõfirmãs, vt se esse Deũ illa ratione ostenderet, subdit, vt autẽ sciatis quia fili9 hominis habet potestatẽ in terra dimittẽdi peccata, ait paralytico. Tibi dico, surge, cui, potestate excellẽtiæ absq; sacramẽto peccata remisit, in cuius testimoniũ surgere eũ iussit. Atq; hãc excellẽtiæ virtutẽ designauit D. Ioã. dicens: Ecce agnus Dei ecce qui tollit peccata mũdi. At nõ subinde negauit, quin ad tollenda peccata sacramentorũ instrumẽto vtatur, quę per suos ministros applicantur. ¶ Vsque adeo ergo nulla est blasphemia hãc potestatẽ in Ecclesiæ ministris agnoscere, vt hoc ipsum in gloriã maximã Christi sit. Nã dũ hæretici rogant, quid causæ esse posset, vt Christus hãc potestatem relinqueret, in prõptu respõsio est, quod ante Christi aduentũ minime decebat hãc potestatẽ in hominibus esse, sed vt cũ ipso Deo solo de sua salute homines tractarẽt. Postquã verò homo factus, nos sanguine suo lauit, decẽtissimum fuit vt humano generi deinceps per homines cõsuleret, vt. s. humanos haberem9 iudices eius auctoritate pollentes, ad quos nr̃as deferremus peccatorũ causas, nosq; tũ, docerẽt, tũ iudicarẽt, atq; adeò absoluerẽt vel ligarẽ, vt eorũ iudicio & corrigeremur, & fiduciã salutis per ei9 sacramẽta haberemus, ac Deũ hac ratione coleremus. Hoc ita esse satis probat locus ille apud Matth. 16. Tibi (inquit Dñs Petro) dabo claues regni cœlorũ, &c. quod si præcedẽtia verba & subsequẽtia perpẽdãtur de potestate remittẽdi peccata planissimè intelligitur. Rem enim Christus sapientissimè deduxit ex illa cõfessione Petri. Tu es filius Dei viui, hoc est, non adoptiu9 sed naturalis, quales, homines per actũ vitæ gignũt. Quæ quidẽ cõfessio primũ est fundamẽtũ fidei, cui peccatorũ remissio nititur. Et ideo ab illa fundamẽtali petra, Petro nomẽ indidit, super quo, vel super cui9 cõfessione fundãda esset Ecclesia, cuius perinde ipse futurus esset caput, vices Christi gerens. Et quia capiti & principi reipublicę in signũ supremæ iurisdictionis claues regni tradũtur, in figuram huius subiũgit: tibi dabo claues regni cœlorũ. Claues, scilicet, quas

Potestas remittendi peccata in Deo, & in homine Christo, & ministris est, diuersimode tamen.

Psal. 50.

Esai. 43.

Ioã. 1.

Cur Dñs hanc potestatem reliquerit in Ecclesia.

Primus locus. Matth 16.

quas ego in quantum Deus vnâcum patre & Spiritusancto per naturalem virtutem habeo, & tanquam homo per excellentiam, easdem tibi tãquàm meo vicario dabo. Vt quemadmodũ quidquid ego super terram soluo, solutum est in cœlo, & quidquid ligo, ligatum est: sic tu quidquid solueris aut ligaueris super terram, solutum erit aut ligatum in cœlo. Cum ergo nulla sera cœlũ claudatur nisi solo peccato, planissimũ est potestatem illic remittendi peccata esse promissam. Nam si tantum Petro munus iudicandi Ecclesiam secundum diuinas regulas polliceretur, nihil noui ei promitteret: nam ius ipsum naturæ vniuersos iudices & Doctores, nõ solum Ecclesiasticos, verum & ciuiles admonet, vt nihil prorsus doceant, nullamq; sententiam proferãt aut legem ferant, nisi quatenus intellexerint id esse diuinę voluntati & regulæ conforme. Christus autem aliquid egregium & supra naturale, quod de cælo ipse detulerat, significauit Petro largiri.

Confirmatur. ¶ Adde, quod licet per prædicationem mediate & remote regnum cœlorum aperiatur, quatenus illa ratione virtutes instituuntur, quibus cœlestis vita munitur, tamẽ immediate cœlorum regnum minime aperitur nisi per peccatorum remissionem, & absolutionem, nec clauditur nisi clauium iudicio quo retinentur. Hanc ergo diuinam potestatem illic Dominus Iesus designauit. ¶ Secundus locus apertissimus est Ioan. 20. Data est, inquit, mihi omnis potestas in cœlo & in terra: nempe remittendi peccata. Sicut misit me viuens pater & ego mitto vos: scilicet, ad eandem functionem fundandi meam fidem, dispertiendique in orbẽ virtutem passionis meæ. Accipite Spiritum sanctum (quo remittuntur peccata) vt quemadmodum quorum ego remitto peccata remissa sunt, & quorum retineo, retenta: ita & vos quorum nomine meo remiseritis remissa sint, & quorum retinueritis retenta. Vbi D. Chryso. ait: Omnem potestatem, quam Christus habebat remittẽdi peccata tradidisse Apostolis. ¶ *Magnificabant Deũ.* Vel glorificabãt Deũ, vel gloria extollebãt Deum.

2. locus Ioan. 20.

A ¶ *In vigilia S. Matthæi.*

Et post hæc exijt, et vidit publicanum nomine leui. Sedentẽ ad Teloniũ, & ait illi, sequere me. Et relictis omnib9 surgens secutus est eũ. Et fecit ei conuiuiũ magnũ leui B *in domo sua: & erat turba multa publicanorũ, et aliorũ, qui cũ illis erant discũbẽtes. Et murmurabant Pharisæi & Scribæ eorũ, dicentes ad discipulos eius. Quare cũ publicanis et peccatoribus manducatis & bibitis? Et* C *respondens Iesus dicit ad illos. Nõ egent qui sani sunt medico: sed qui malè habẽt. Non veni vocare iustos sed peccatores, ad pœnitentiam.*

Matth. 9. a Marc. 2. c

Vidit publicanũ nomine leui. Quantam vim habeat visus diuinus Dñi Iesu vel ex hoc loco facilè colligi potest. Cuius tanta virtus fuit vt traheret ad se publicanũ, hominẽ infami D quęstui deditũ, & negotijs implicabilibus inuolutũ. ¶ Hinc disce nõ posse peccatorẽ statuẽtem oculos suos declinare in terram, ad cœlos faciem suã leuare nisi prius à Dño Iesu respiciatur. Vt enim in speculo imago quæ oculos habet deflexos in terram, nõ potest eos à terra sursum erigere, vt in eã faciẽ cuius est imago intendat, nisi facies, quæ est illius exẽplar oculos suos prius in illã iniecerit, sic peccatoris spiritus, qui iuxta vocẽ Psalmistę oculos suos statuit declinare in ter-

Visus Christi ad conuersionem peccatoris simpliciter necessaria.

Similitudo

ram, non potest oculos suos, népe intellectũ & voluntatẽ, in illam Dei faciem, cuius imago ipse est, intẽdere: nisi Deus oculis suæ misericordię, illum prius respiciat, illuminans eius intellectũ, vt peccatum suũ agnoscat, & affectũ inflãmans, vt scelera detestetur. Ex quo colligitur vt modo diximus neminẽ posse ad Christũ conuerti nisi illum respiciat. Vitis enim ferre fructũ non potest nisi attracta virtute à radice. Vnde Christus apud Ioan. ait sine me nihil potestis facere. Neque ferrum natura dimoueri potest, nisi a vi magnetis trahatur, hoc intelligens sponsa dicebat in Canticis: Trahe me post te. Neq; quis potest à via sibi ignota nõ errare nisi ab aliquo qui viã nouerit deducatur. Ideo regius vates dicebat: Deduc me Dñe in via tua, neq; super pedes stare & cõsistere possumus sine spiritu. Vnde Propheta Ezechiel ait: Ingressus est in me spiritus, postquã locutus est mihi, & statuit me supra pedes meos. Et Hieremias: Conuerte nos Dñe ad te & conuertemur. Neq; quis ab alto puteo egredi potest sine alterius adiutorio. Vnde Oseas. c. 12. Perditio tua ex te Israel tantummodo autẽ auxilium tuũ ex me. Neq; coram rege aliquid gratũ feceris nisi illi gratus sis. Gratia Dei (ait Paul.) sum id quod sum. Qui enim fieri potest vt aliquis sit sapiens sine sapia, iustus sine iustitia, sanctus sine sanctificatione, redẽptus sine redemptione? Christus enim vt verbis vtar Pauli factus est pro nobis, sapiẽtia, & iustitia, & sanctificatio, & redẽptio. ¶ Postquam respexit Dominus Israelitas illos qui euersa Samaria euaserunt, statim conuersi sunt & sanctũ Israelis respexerunt. Quod Esaias ait. c. 17. In die, inquit, illa inclinabitur homo ad factorem suum & oculi eius ad sanctũ Israel, respicient: & nõ inclinabitur ad altaria quæ fecerunt manus eius, & quæ operati sunt digiti eius: non respiciet lucos & delubra. Postquã vidit Dñs hunc hominẽ sedentem in Telonio & illũ vocauit, statim relictis omnibus rationibus imperfectis, relicto quæstu, sequi cepit illum, subito ex publicano factus discipulus. Tanta enim relucebat in Christi

Similia. | Ioã. 5. | Cant. 1. | Psal 85. | Ezech. 2. | Hier. thr. 5. | Osee. 12. | 2. cor. 15. | 1. Cor. 1. | Esai. 17.

A vultu vis occulta, vt quos volebat non aliter ad se trahe[r]et, quã magnes ferrũ, & quos respiciebat, gratia & virtutibus crescere faciebat. Hinc est quod populo suo olim dicebat: respiciam vos & crescere vos faciam. Respice ergo nos Dñe seruos tuos, vt faciem tuam intueri possimus, mentisq; oculos in mõtes excelsos eleuemus atq; in dies in virtute crescamus: & te post hæc, in æterna beatitudine facie ad faciem videre mereamur.

¶ *Et vidit publicanum.* Præteriens Dñs Iesus conspexit publicanũ quẽdã nomine Mattheũ, qui idem in hoc loco dictus est leui, filiũ Alphęi, sedentẽ in Telonio. Non id casu accidit, sed aspexisse, delegisse erat. Delegit autem publicanũ in consortium Apostolorum, vt suos doceret, nullũ hominũ genus repudiandũ ab Euangelica professione, modo relictis pristinæ vitæ studijs, totos se dedant pietati. ¶ *Vidit publicanum sedentem ad Telonium, & ait illi, sequere me. Et relictis omnibus surgens secutus est eum.* Fœlix ac nimium fœlix homo ille, quẽ Dominus respexerit. Tum, quod innumeris diuitijs ac opibus cœlestibus repletur. Tum etiam, quod in eius animũ imprimit Dñs diuinã imaginem suã. Tum deinde, quod eum ita à seipso alienat & conturbat vt non in se sed in Deo transformetur. Tum deniq;, quod visus diuinus paradisum deliciarũ & virtutum in corde eius gignat. Quod hæc ita sint sigillatim ostẽdemus. ¶ Queãdmodũ enim sol oculis suis irradiãtibus, in visceribus terræ, aurũ & argentũ, cæterosq; lapides preciosos gignere solet: sic oculi Dñi, radijs misericordiæ suæ, in corde peccatoris, qui terræ merito cõparari potest, fidem, spem & charitatem, cæterasq; animi opes, & diuitias spirituales producit. ¶ Queãdmodũ etiã, amicis mutuo sese respicientibus, alter in alterũ transformatur, sic Dominus quem peccatorem respicit, amicum redit: atq; in suam similitudinem & imaginem transformat. Sic respexit Dominus Abrahã in Chaldæa, Loth in Sodoma, filios Israel in AEgypto, Zachæum in Ficu, Petrum in domo Pontificis, latronẽ in cruce, Paulum in Da-

Leui. 26. | B | C | Visus Christi ditat, imprimit imaginem suam, trãsformat, & paradisum virtutũ in corde gignit. | similitudo | D | Similitudo

Damasco, & hodie Matthæū sedentē ad Teloniū. ¶ Quod si olim ad vocē Iosue stetit sol contra Gabaoth & ad sonitū tubæ, muri Iericho omnino ceciderunt: quid quæso mirū quod ad visum & vocē Dñi, hominis animus cōtremiscat, & cōmoueatur & pœnitudine commotus, ad pedes Dñi decidat, relinquatque omnia atque illū sequatur? A facie, inquit, Dñi mota est terra a facie Dei Iacob. Et rursum ait: Qui respicit terrā & facit eā tremere. Quid, inquā, mirum vt iugum diaboli ab humeris peccatoris cadat & cōputrescat à facie Christi, adimpleaturq; vaticiniū illud Esaiæ. c. 10. Et erit in die illa auferetur onus eius de humero tuo, & iugū eius de collo tuo & cōputrescet iugum à facie olei. Idest, Christi qui oleum est misericordię, vnde thargū ait: computrescet iugū à facie Christi. ¶ Tandem sicut sol suo calore & virtute herbas in terra gignit, imo paradysum deliciarum in vere, hominum oculis conspicuum, producit: sic oculi Dñi qui, vt Ecclesiasticus ait, multo plus lucidiores sūt super solem, hominis animū paradysum virtutum reddunt. ¶ *Vidit publicanum sedentem ad Telonium.* Hoc tam præclaro exemplo, hominis auaritiæ dedito, & exemplo latronis, Magdalenæ, Petri negantis, & Pauli persecutoris, vult Deus erigere spem nostrā, vt in eius misericordia speremus, quantūuis grauissimi peccatores simus. Quod Paulus apertē nos docere voluit in. 1. episto. ad Timo. c. 1. his verbis: Fidelis sermo & omni acceptionē dignus, quod Christus Iesus venit in hunc mundū, peccatores saluos facere, quorū primus ego sum. Sed ideo misericordiā consecutus sum: vt in me primo ostenderet Christus Iesus, omnē paciētiā, ad informationē eorū qui credituri sunt illi in vitā ęternam. *Fidelis*, inquit, *sermo, &c.* i. certa & indubitata res est, omniq; approbatione digna, qđ Iesus venerit peccatores saluos facere, &c. *Vt in me*, inquit, *ostenderet omnē pacientiā, &c.* i. perfectā pacientiā. i. vt per me Christus ostenderet se patientē, & longanimē in sustinendis, & expectādis ad cōuersionē peccatoribus: atq; ita meo exēplo instruerētur qui credituri sunt, Dei sperare misericordiā. ¶ Et sicut si ciuitas aliqua esset cōspirata & cōiurata in regē & imperatorē suū tanta tamen esset eius clementia, vt principi cōiurationis non solū parceret, sed in domū suā introduceret, illiq; præcipua domus suæ munera & officia contulisset: reliqui coniurati, spē maximā haberent, veniā à tā benigno principe & Imperatore consequēdi. Sic peccatores omnes, in Deū suū cōspirati, maximā fiduciam suscipiunt, vidētes hodie Dñm, publicanum, insignē. s. peccatorē, vocantē, & non solū omnia illi peccata cōdonantē, sed in Apostolū & Euangelistā suū deligentē. Videntes, inquā, Paulū Ecclesiæ suæ acerrimū persecutorē, vas electionis effectū. ¶ Et quēadmodū medici difficilimos morbos deligentes, eorū curationē literis mandant: vt in grauioribus exercitati, minores, minusq; periculosos facilius transigāt: sic Dñs, insignes peccatores in mediū produxit: vt minores, cōdonata venia maioribus, facilē sperent suorū peccatorū remissionē. Nullus igitur ambigat nullus desperet, quāuis auarus, aut blasphemꝰ, aut persecutor Ecclesię Dei fuerit, nam iā venit Dñs Iesus, nō sicut olim cū gladio, quando peccauit Adā: sed cū vnguēto pietatis & misericordiæ suæ, peccatores saluos facere. ¶ Interim tamen cōsidera obsecro atq; alta mente tecum perpēde, Christi misericordiā quæ tanta est, vt de canibus rabiosis, canes latrantes ac defendentes gregē suū à luporū morsu, faciat: de inimicis amicos, de persecutoribus prædicatores & de publicanis Apostolos. Et quēadmodū lingua sua, canis vulneribꝰ proprijs medetur: ita Dñs lingua canū suorū, hoc est, Pauli, Matthæi, Augustini qui olim persecuti sunt Ecclesiā Dei, medetur morbis suorū fidelium.

¶ *Sequere me. Et relictis omnibus, secutus est eum.* Tanta est virtus & efficacia vocis Christi vt illa traxerit ad se Ecclesiam suām, hoc est, capita Ecclesiæ suę, videlicet Matthæum, Petrum & Andreā, Iacobum & Ioānem, cæterosq; proceres Ecclesię. Vt hinc intelligas quām verē Psaltes Dauid prædixerit Psal. 18. Vox, inquit,

Iosue. 10. Iosue. 6. Psal. 113. Psal. 103. Esai. 10. Similitudo. Eccle. 23. Exēplis in signū peccatorum vult Dñs erigere spē nostrā. 1. Timo. 1. A Similitudo B Similitudo C D Similitudo Psal. 18.

nec mēsam communem auersaretur, nō vulgare necessitudinis symbolum. Sed sicut Maria ob murmur suum lepra percussa est, sic isti infidelitate sua oppressi à Christo reiecti sunt. Et sicut precibus Moysi Maria à lepra mūdata est sic multa turba istorum obediuit fidei precibus & meritis Christi Domini. ¶ Fuge obsecro murmurationem si hominis imaginem exuere, & ferarum induere nō vis. Sic enim ait regius Psaltes: quare fremuerunt gentes & populi meditati sunt inania aduersus Dominū & aduersus Christum eius? Vbi obserua: quod fremitus, bestiarum est, & non hominum: gentes igitur fremere, est praua desideria cōtra rationem exurgere. Quoties iusta Dei iudicia reprehendimus, toties vocem humanam quasi in fremitum cōmutamus, quoties appetitum potius quàm rationē sequimur, quasi homines nos esse pigeat, feras imitamur. Ecce Pharisæi & Scribæ isti fremuerunt aduersus Christum Domini quod peccatores in suum colloquium & mensam receperit, Dei iudicia reprehendentes. Hos igitur non imitemur, ni volumus, vt qui habitat in cœlis irrideat & subsanet nos. Vt idem Dauid in eodem Psalmo prædicit. ¶ *Et murmurabant Pharisæi & Scribæ*. Inuidebant Christo Pharisæi isti, & ideo detrahebant ei. Inuidia enim fons & origo est multorum malorum. Hāc Graphicè Propheta Daniel descripsit. c. 7. suæ prophetiæ. Ecce, inquit, bestia alia similis vrso: & tres ordines erant in dētibus eius: & sic dicebant ei: surge, comede carnes plurimas. Est enim vrsus (inquit Ricardus) animal deforme, & quod in locis remotis & abditis habitare soleat. Et in hoc ipso, formam gerit inuidiæ. Nam & ipsa quidem (vt pote fœditatē suam erubescens) semper studet latere. Vrsus autē est animal malitiosum, & sęuum, & forte: eiusmodi est inuidię vitium. Inuidia est odium fœlicitatis alienæ: & quid magis malitiosum? Quid itaque est inuidia quàm lucifuga, & latebrosa malitia? Inuidia autem est malitia feruens, & in occulto sæuiens. Est autem vrsus animal inquietum valde: ita vt ad stipitem ligatus

Murmuratores feris comparantur.
Psal. 2.

Inuidia obloquitur, derogat, & detrahit.
Dan. 7.
Figura.

Inuidia est vrsus & quare.

A nūquam penè desinat, vel in circuitum pergere, vel pedibus fixis caput nunc in hanc, nunc in illam partem iactitare. Et in hoc habet formam nō solum inuidiæ sed inuidentię: quæ animum nullo pene momento sinit requiescere. *Et tres ordines*, inquit, *erant in dentibus eius*. Quid autem in dentibus rectius intelligimus quàm malicię & inuidiæ morsus? Quis autem nesciat quàm proprium sit inuidiæ alienam vitam rodere, & morsibus obtrectationum lacerare? Solet autem B hoc malum quibusdam gradibus accrescere. Nam sunt in hominibus quędam manifestè mala, quædam manifeste bona, quædam autem dubia: ita vt in ambiguum venire possit vtrum sint bona an mala. Solet autem liuida mēs manifesta mala semper multiplicius exaggerare: dubia quæquē in deteriorem partē vertere: aperta autem bona (quia negare nō potest) arte qua potest obfuscare: & de eis, vel aliquid minuere. Primum est oblocutionis: secundum derogationis, tertium detractionis. Oblocutio est quādo C mordax & reprehensoria locutio versatur circa id, quod vere in homine est. Qui scit, quid sit rogare: ex opposito potest agnoscere quid sit derogare: cum sic sibi per contrarium respondeant: quemadmodum suadere & dissuadere. Nonne tibi derogatio videtur cum ęstimationē de alio aliquod bonum habenti dicitur: noli sic credere: noli ita existimare: falleris, deciperis: longè aliter est quàm sentis: tenebras lucem credis: & amarum in dulce ponis. Hæc vtique in apertis bonis locum non habet. quia quæ manife- D sta sunt in alteram partem, inflectere nō valet. Detrahere autem est de apertis bonis, vel aliquid velle minuere, cum non possis penitus euacuare. Detrahit enim qui aliquid inde oblatrando retrahit vnde hominis famam gloriosiorem credit. Oblocutio itaque est malæ opinionis disseminatio. Derogatio, bonæ opinionis euacuatio. Detractio bonę opinionis attenuatio. Linguam obloquentē timebat Psalmista cum diceret: tota die verecundia mea contra me est: & confusio faciei mei cooperuit me à facie exprobra-

Oblocutio quid sit.

Derogatio quid sit.

Detractio quid sit.

Psal. 43. c.

tis & obloquentis. Derogatores tangit quod aliàs dicit: Captabant in animam iusti & sanguinem innocétem condemnabát. Detractores exprimit cum dicit: qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitaté. Ecce habes tres ordines dentium in multiplicitate detractionum, derogationû, oblocutionum. Nunc est facilé videre quàm recté conueniat huic bestiæ, quod loco nouissimo ponitur, dum dicitur: *Surge comede carnes plurimas*. Quid est enim carnes comedere nisi aliena infirma, dente maledico lacerare? Qui enim alienam vitam libenter rodût, qui derogationibus studiosé deseruiunt, qui proximorum infirmitates delectabiliter carpunt: quid aliud quàm carnes comedunt? Eiusmodi carnium corrosores Propheta iam per experientiá nouerat, quâdo dicebat: appropiant super me nocentes vt edant carnes meas. Sed quod dicitur: *surge, comede*: quid quęso erit, pręceptio an permissio, suggestio an instigatio? Sed si à bonis Angelis dictum putamus: consequéter & in eorum verbis solam permissionem factam intelligamus. Tale est illud quod ad Iudam dicitur: qđ facis fac citius. Si autem constat à malis Angelis dictum fuisse: possumus in eiusmodi verbis tàm suggestionem quàm instigationem intelligere. Solét enim maligni spiritus malignis mentibus maligna suggerere: & ad omnem maliciam instigare. ¶ Quàm sit maliciosum, quàm ve perniciosum detractionibus deseruire: & in hoc vnunquemque vitio suo satisfacere: ex illa potes Salomonis sententia aduertere. Si mordeat serpens in silé tio: nihil eo minus habet qui occulté detrahit. Nonne huic sententiæ concinit quod Psalmista de eiusmodi dicit? Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosé agebant, venenum aspidum sub labijs eorum. O malum execrabile & tàm loquenti quàm audienti exitiale. *Surge*, inquit, *comede carnes plurimas*. Et quid aliud vrsus: quid aliud hæc ferina belua nouit quâ vel suas plantas sugere, vel alienas carnes lacerare? Quid, inquam, inuidentię monstrum, aliud officij gerit: quàm vel suas molestias plangere, vel aliena infirma carpere? Sed vtinam solas carnes lacerarent. Vtinam, vel ossibus parcerent. Nunc autem omnia laniant, omnia lacerant, vnde fit vt tandé aliquando omnibus odiosi fiant. Hæc Richardus. Quàm vera hæc sint, exemplo Pharisæorum & Scribarum inuidentium Christo satis aperté probari potest: qui malicia detestabili affecti, eius pręclaræ vitæ, miraculis, doctrinæ, consuetudini detrahebant. Detestemur igitur omnes nos, vrsum hunc inuidiæ & liuoris, si impias murmurationes & detractiones quarum inuidia est fons & origo vitare cupimus.

Psal. 93. d; Psal. 37. d; Psal. 26. a; Ioan. 13. e; Quàm perniciosum sit detractionibus deseruire. Eccl. 10. c; Psal. 5. e; Richar. 2. psal. 3. c. 8. 9. 10.

¶ *Quare cum publicanis & peccatoribus manducatis et bibitis?* Hunc sermonem Pharisæorum cum excepisset Dominus Iesus, pro discipulis adhuc infirmis patronum agit (vt statim Euangelista narrat) docens Euangelij præcones non inquinari conuictu peccatorû, quibus cum non alio animo agunt aliquando consuetudinem, nisi vt illos allectent ad bonam frugem. ¶ Cæterum culpa non vacat habitare & consortium habere cum impijs nisi eo animo cû illis agas vt tua consuetudine fiant castigatiores. Ideo aiebat olim Esaias: recedite, recedite, exite inde, pollutû nolite tangere. Et rursum: Egredimini à Babylone fugite à Chaldæis. Et apud Hieremiam: Recedite de medio Babylonis de terra Chaldæorum egredimini. Vt enim qui tangit piscem, inquinatur ab ea, sic qui familiaritate sceleratorû vtitur, facilé deprauatur. Si prohibemur labijs aquam contingere contaminatam quanto magis eam bibere? Vide quid de hoc annotauimus in commen. super Matth. c. 26. ad mores componendos in illa verba Petrus veró sedebat foris in atrio & accessit ad eum vna ancilla, &c.

Esai. 52. Esai. 48. Hiere. 50. Simile.

¶ *Non egent qui sani sunt medico sed qui malé habent. Non veni vocare iustos sed peccatores ad pœnitentiam.* Quasi dicat, quid calumniamini quod cû publicanis & peccatoribus habeam consuetudinem? Imó cû illis potius me decet habere cômertiû. Apud quos enim magis

dicatores Euangelij, qui & si habeāt vocē, non tamē Christi vocē, quia & si verbis prædicent, vim tamen & efficaciā prędicationis non habēt suā propriā gloriā & æstimationē quærentes. Et ideo aut nihil prædicando proficiunt; aut subito à sua, quā expetūt, gloria, decidunt. Regnum enim Dei non est in sermone sed in virtute. Nō enim tam Rhetorum arte, & ornamentis, quā vi Spiritus sancti ornata debet esse prędicatoris vox, & oratio, si vellit vt in tēplo oēs dicāt gloriā, nō prędicatori sed Deo. Vt Psalmista in prædicto Psal. concludit. ¶ *Sequere me, & relictis omnibus secutus est eū.* Nota, quod qui verbum Dei audiunt & vocem eius secuntur & si omnia huius mundi bona relinquant mirari non debent: nam pro mundi diuitijs, pignus æternæ hæreditatis statim recipiunt, audi Apostolum in epistola ad Ephes. c. 1. dicentem. In quo & vos (sub. speratis) cum audissetis verbum veritatis: in quo & credentes signati estis spiritu promissionis sancto qui est pignus hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis. Fideles enim obsignantur & sigillantur à Deo. Vt enim suos agnoscat, ac notabiles reddat, Spiritu sancto obsignat Deus quando velut sigillum diuinæ adoptionis Spiritus sancti gratiam illis infundit, qui quidem Spiritus sanctus est pignus hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis: Idest, velut pignus quo certi ac securi sumus nos populum suum sibi acquisitum redemptum iri. Nos enim acquisitio & possessio Dei sumus, quod sibi nos acquisierit & compararit. Quod si pignus tantum est, quanta quæso erit ipsa possessio? Quæ autem maior potest esse hæreditas, quàm contemplari & videre pulchritudinem sapientiæ, & verbi, & veritatis diuinæ: & ipsius ineffabilem & magnificam Dei considerare naturam: omniumque, quæ ad similitudinem Dei cōdita sunt, subsustantiam contueri? Talia sunt ergo pignora, talia prędudia nostræ libertatis, quare non mirum erit, si relictis omnibus, exemplo huius publicani Christum sequamur. ¶ *Sequere me, & relictis omnibus secutus est eum.* Ecce hic

1. Cor. 4. d

Nō mirū quod qui secuntur Christum omnia relinquant quando statim pro mūdi bonis recipiāt præmium.

Ephes. 1.

A fructus diuinæ prædicationis, relinquere omnia & sequi Christū. Quod si scire velis quid modo in causa sit, vt nullus fructus in nobis diuinæ prædicationis oriatur, dixerim: aliquando culpa cōcionatoris, aliquando culpa nostra, aliqādo vtriusq; culpa, id accidere. Quemadmodū enim & si mulier semē viri suscipiat, aliquando viri culpa, quod non fœcundus sit, aliquando, fœminæ, quod sterilis sit, aliquando vtriusq; filijs carere solēt: sic etiā contingit in generatione fructus spiritualis. Quare qui prædicatores sunt, B studeant Christum induere, qui auditores, verbo & vocationi diuinæ assensum præbeamus: & tunc, semine, hoc est, verbo Dei, in animis nostris suscepto, fructū dignū pœnitentiæ gignemus. Quod fecit D. Matthæus & ideo statim relictis cōtemptisq; omnibus secutus est Dñm.

Fructum prædicationis est sequi Christū & quare hic fructus non semper sequatur.

¶ *Et fecit ei conuiuium magnū.* Dñs Iesus fecit Matthæo conuiuiū magnificū quo cibauit eius animū: & rursum Mattheus domi suæ grāde Christo conuiuiū instruxit, quo aliret eius corpus. De primo cōuiuio C habes Esai. c. 25. vaticinantē in hunc modū: & faciet Dñs in mōte hoc omnibus populis conuiuiū pinguiū, cōuiuiū vindemiæ, conuiuiū pinguiū medullatorū, & vindemiæ defœcatæ. i. conuiuium in quo erunt pinguia, & opima fercula, & vina purissima. Quibus verbis Esaias intelligit Euangeliū, quod cœpit doceri in Hierusalē. Est enim verbū Dei animi alimentū, omnibus dapibus dulcius & præstantius: nō enim immerito ait Propheta: quā dulcia faucib9 meis eloquia tua super mel ori meo. Hoc ergo: tā splēdido cōuiuio refecit Deus animā Mat- D thæi. Qui has diuinas epulas tā auidē sūpsit, & in mētis stomacho cōseruauit, vt conuiuiū sibi à mundo instructū, hoc est diuitias, voluptates, cæterasq; corporis delicias omnino contēpserit, satiatus verbo Dei. Et ecce gratia peperit gratiam, & beneficiū, beneficiū. Et cōuiuiū peperit conuiuium: vt in hoc loco Euangelista narrat. Tu ergo si Christi cōuiua fueris, quoad poteris par pari refer, hoc est, talis sis in Christum, hoc est, in Christi pauperes qualis in te illum expertus es.

Esai. 25.

Psal. 118.

docet versari medicũ, quàm apud ęgrotos? Ego in hoc veni vt medear animabus peccatorum morbis obnoxijs. Et sanabiliores sunt hi palàm peccatores, agnoscentes morbum suum, & ideo medicum accersentes, quàm alij qui sibi sani videntur, iustitiæ specie sese vendicãtes apud homines, quum intus grauioribus malis laborent, & insanabilius ægrotẽt, quàm hi quorum morbus in aperto est. Quare cum medicus sim, non par est mihi indignari iustos, vt sibi videntur, si cũ ipsis non habeam consuetudinem, quũ sanis non sit opus medico. Porro qui verè iusti sunt, non debent inuidere peccatoribus, ad meliorem vitam resipiscere conantibus. Quod si faciant, non minus damnandi sunt, quàm si qui sanus est indignetur medico, visenti ægrotum vt eũ morbo leuet. Nam in animi negotio sanus non est ipse, qui sanitatem inuidet ægrotanti: & ipse morbo tenetur, qui cũ possit non subleuat morbo proximum suum. ¶ Aspicis hic Christum esse medicum nostrũ, ad hoc enim venit vt suis vulneribus nostra vulnera curaret. Si medicus aliquis morbo tuo gratis mederetur coleres memoriam tanti beneficij beneuolentia perpetua. Cũ igitur Christus medicus noster nos non solum gratis curauerit, sed etiam pro salute nostra suũ sanguinem fuderit, quę erit memoria, quæ vis ingenij, quę vis religionis, quæ possit tàm admirabili beneficio respondere? Ipse Christus fatetur apud Esaiam se esse medicum. Spiritus, inquit, Domini super me, ad annuntiãdum mãsuetis misit me, vt mederer contritis corde. Vide quæ annotauimus cap. præcedenti inter explicandum hæc verba Esaiæ quæ D. Lucas adducit. ¶ Discant ergo præsules, & intelligant non solum se esse capita, sed medicos & chirurgos, & debere non solum subditos iustis præceptis ligare, sed etiam eorum vulneribus & animi langoribus mederi. Ob eã causam Rex & gubernator ab antiquis Anax appellabatur, ab acos, quod nomẽ significat medelam, pharmacum, & sanitatem, quod regis & præsulis sit subditis mederi. Auctores sunt Plutarchus & Eustathius. ¶ Apud Esaiã etiã vbi nostra versio habet nõ sum medicus, pro medico est in Hebraico Chouex, à verbo ... quod significat ligare, & imperare siue dominari, quod qui imperat suis pręceptis liget & coerceat. Hinc capitur pro mederi, & pro curare vulnera, quod solent chirurgi vulnera ligare. Vt Esai. 30. in die qua alligauerit Dominus vulnus populi sui. Ex quo efficitur, vt hoc nomen, Chouex, capiatur pro chirurgo siue medico, quod nomen propriè significat alligantem & dominantem. Ex qua significationum varietate fluxit versionum varietas. Interpres noster transtulit non sum medicus. 70. Non ero princeps. Pagnignus non ero Dominus. Paraphrastes Chaldaicus nõ sum dignus vt sim caput aut princeps.

¶ *Non veni vocare iustos.* Ironicè videtur hoc esse dictum, de more scripturæ quæ sæpè hac figura vtitur. Sic alibi ait Dominus: ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis. Vide quæ annotauimus in hunc locum Matth. 9. inter explicandum hanc literam, ne eadem bis repetamus. ¶ *Non veni vocare iustos sed peccatores ad pœnitentiam.* Vide obsecro clementiam Saluatoris, quæ tanta est vt omnes ad se recipiat non solum Apostolos sed etiam infames peccatores, si tamẽ pœnitentiam agãt, hoc erat quod inspiritu regius vates dicebat Psal. 103. Herodij domus dux est eorum, montes excelsi ceruis, petra refugium herinatijs. Non enim solum Dominus Iesus refugiũ est ceruis, hoc est, Apostolis, qui tanquã cerui omnia mundi bona animi pedibus salliere atque contempsere, sed etiam Herodij domus fuit, hoc est, refugium publicanorum & meretricum, & aliorũ palàm peccatorũ, qui per Herodiũ significantur, auem, scilicet, omnium auium rapacissimam. Fuit etiam petra & refugiũ herinatijs, hoc est, hominibus spinis diuitiarum nimis adherẽtibus, dum tamen facti, thalæq; vitæ, eos pœniteat. ¶ Hoc etiam erat quod olim Dominus per Psalmistã prędixerat Psa. 86. Memor ero, inquit, Raab, & Babylonis scientium me. Ecce alienigenæ & Tyrus & populus Ethio

Esai. 5.

Esai. 30.

Christus medicus animorũ.

Pręsules & reges medici esse debẽt animorum.

Psal. 103.

Vi. Vgone Car. & Aug. in hũc Psalmum.

Psal. 86.

Ethiopum, hi fuerunt illic. Recordatus est Dominus meretricum & peccatorũ confusè viuentium & aliorum qui à cultu Dei erât omnino alieni, hos vocauit, hos ad pœnitentiam traxit. De eiusmodi hominibus ait Dominus Pharisæis: Amé dico vobis publicani & meretrices præcedent vos in regnum cœlorum. Vide quid in hæc verba Psalmi dicat D. Augustinus. ¶ *Non enim egent qui sani sunt medico sed qui malè habent: non veni vocare iustos sed peccatores ad pœnitentiam.* Christus ergo medicus, peccatum morbus, & nos peccatores ægri. Maximas ergo Christo gratias agamus qui medetur omnibus langoribus nostris. Eam obcausam Dauid dicebat Psalmo. 102. Benedic anima mea Domino & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Et reddens huius gratiarum actionis causam addit: qui propiciatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes langores tuos. Siue vt nostra versio habet omnes infirmitates tuas. Si ergo peccator es, conuertere nam ipse propiciabitur omnibus iniquitatibus tuis. Languidus & infirmus es: accede ad medicum animi tui: nam ipse est qui sanat omnes infirmitates tuas, & omnes langores tuos. Magni sunt, inquies: sed maior est medicus. Omnipotenti medico (inquit Augustinus) nullus langor insanabilis occurrit, tantum tu curari te sine. Manus eius ne repellas: nouit quid agat. Non tantũ delecteris cum fouet, sed etiam toleres cum secat. Tolera medicinalem dolorẽ, futuram cogitans sanitatem. Videte fratres mei in illis langoribus corporis quanta homines tolerẽt, vt paucos dies victuri moriãtur: & hos paucos dies incertos. Multi enim post tolerantiam magnorũ dolorum cum à medicis secarentur aut inter manus medicorũ mortui sunt, aut iam sani irruente aliqua ægritudine defuncti sunt. Si tamen sibi propinquam mortem sperarent, illos immensos dolores non susciperent tolerandos. Tu non toleras ad incertum. Qui promisit sanitatem non potest falli. Fallitur medicus aliquãdo, & promittit sanitatem de corpore humano. Quare fallitur? Quia hoc non curat quod fecit. Deus fecit corpus tuum, Deus fecit & animam tuam. Nouit quemadmodum recreat quod creauit, nouit quemadmodum reformet, qđ ipse formauit. Tu tantum sub manibus medici esto. Odit enim repellentem manus suas. Non fit hoc in medici hominis manibus. Ligari se volunt homines & secari. Daturi pro incerta sanitate, certum dolorem, magnam mercedem. Deus te quem fecit, & certus curat & gratis. Fer to ergo manus eius o anima, quæ benedicis eum: non obliuiscens omnes retributiones eius: sanat enim omnes langores tuos, qui redimet de corruptione vitam tuam. Inde sanat omnes langores tuos, quia redemit de corruptione vitam tuã. Ecce corpus quod corrumpitur aggrauat animam. Vitam ergo habet anima in corpore corruptibili. Qualem vitam: onera patitur: põdera sustinet. Ad ipsum Deum cogitandum sicut dignum est ab homine cogitari Deum: quanta impediunt veluti interpellantis de necessitate corruptionis humanæ? Quanta reuocant? Quanta à sublimi intentione detorquent? Quanta interpellãt? Quæ turba phantasmatũ? Qui populi suggestionum? Totum hoc in corde humano tam quàm de vermibus huius corruptionis scatet. Exaggerauimus morbum, laudemus & medicum. Non ergo te sanabit qui fecit talem qualis non ægrotares, si legem sanitatis acceptam seruare voluisses? Nonne tibi & disposuit & mãdauit quid tangeres: & quid non tangeres ad retinendam salutem? Noluisti audire ad retinendam, audi ad recipiendam. Langore tuo expertus es, quàm vera ille iussillet. Iam tandẽ aliquando homo quod nõ tenuit monitus, audiat vel expertus. Quæ duritia est quam nec experientia docet? Non ergo te sanabit qui talem fecerat vt nunquam ægrotares; si eius præcepta seruare voluisses? Non te sanabit qui fecit Angelos & te refectũ æquaturus est Angelis? Non sanabit factum ad imaginem suam qui fecit cœlum & terram? Sanabit te, opus est vt sanari velis. Sanat omnino ille quemlibet languidum, sed non sanat inuitum. Quid autẽ te

Matth. 21.

Christus medicus peccatum morbus peccatores infirmi.

Psal. 102.

D. Augu.

Tolerãdus est medicus Christus non tantũ cum fouet sed cum secat, sicut toleratur medicus corporis. Imò multo potius ille quàm iste.

Sapien. 9. Multi sũt animi langores.

Medicus Christus laudatur.

Sanat christus quelibet languidum, sed non sanat inuitum.

te beatius: quā vt tanquā in manu tua vitā: sic habeas in volūtate tua sanitatem tuā. Si velles esse in aliquo sublimi honore in hac terra: ducatū, proconsulatum, præfecturam si concupisceres, nunquid continue posses quod velles? Nunquid voluntatem tuam potestas sequeretur? Multi ad ista volunt peruenire & nō possunt: sed si peruenerint quid prodest honor ægrotis? Quis enim non ægrotat in hac vita? Quis non longum languorem trahit? Nasci hic in corpore mortali, incipere ęgrotare est. Quotidianis medicamentis fulciuntur indigentiæ nostræ. Quotidiana medicamenta sunt refectiones omnium indigentiarum. Fames nonne te occideret nisi medicamentum apponeres? Sitis nonne te perimeret: nisi eam tu bibendo non penitus extingueres: sed differres? Rediturа est enim sitis paululum temperata. Temperamus ergo istis fomentis erumnam ægritudinis nostræ. Stando lassatus eras: sedendo reficeris. Ipsum sedere medicina est lassitudinis, in ipsa medicina rursus lassaris: diu sedere non poteris. Quidquid vbi fatigationi succurritur: alia fatigatio inchoatur. Quid ergo ista desideras languidus? Prius de salute tua cogita. Aliquando ægrotat homo in domo sua: in lecto suo ægritudine manifestiore. Quamquàm & ista manifesta sit quam nolunt homines intueri: tamen ea ægritudine ad quā quæruntur medici homines: ægrotat quisque in domo sua: anhelat febribus in lecto suo: velit forte cogitare de familiari aliquid: vel iubere in domo sua, vel fundo: aut disponere: statim cura suorū circunstrepente & murmurante, reuocatur à talibus curis & dicitur illud: dimitte ista, prius cogita de salute tua. Ergo hoc tibi dicitur: omnis homo: si nō ægrotas, alia cogita. Si te ægrotantem labor ipse conuincit, prius de salute tua cogita. Salus tua Christus est. Christum ergo cogita. Accipe calicem salutaris eius qui sanat omnes langores tuos. Hanc salutē si volueris obtinebis. Honores & diuitias si quæsieris non continuo si volueris habebis. Hec D. Augu. Cogita Christum qui medicus tuus est qui venit sa-

D. Augu. Psal. 102.

A nare animum tuū vt in hoc loco vides. Non enim, inquit, veni vocare iustos sed peccatores ad pœnitentiam. ¶ *Non veni vocare iustos sed peccatores ad pœnitentiam*. Multis modis medetur Dominus nostris langoribus, multis nos modis vocare ad pœnitētiam solet. Vocat, inquit Augustinus, vndique ad correctionem, vocat vndique ad pœnitentiam. Vocat beneficijs creaturæ, vocat impertiendo tempus viuendi, vocat per lectorem, vocat per tractorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correctionis, vocat per misericordiam consolationis: miserator & misericors Dominus, longanimis & multum misericors. Sed obserua ne longitudine misericordię Dei male vtendo, tu tibi thesaurizes quod ait Apostolus: iram in die irę, & reuelationis iusti iudicij Dei. Nam hoc ait Apostolus: an diuitias benignitatis & longanimitatis eius contēnis? Ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Quod tibi parcit putas quia places? Hæc fecisti, inquit, & tacui: suspicatus es inique, quod ero tui similis. Non mihi placent peccata, sed longanimitate quęro rectē facta Si punirē peccatores, non inuenirem confessores. Ergo te Deus longanimitate sua parcendo ad pœnitentiam adducit: tu autem quotidie dicis: finitur hodiernus dies; & sic ero & crastino die: nō enim cras erit vltimus: & tertio die: & subito venit ira eius. Fratres non tardetis conuerti ad Dominum. Sunt enim qui præparant conuersionem: & differunt. & fit in illis vox coruina: cras cras cras. Coruus de arca missus, non est reuersus. Non quærit Deus dilationem in voce coruina: sed confessionem in gemitu columbino. Missa columba, reuersa est. Quandiu cras cras? Obserua vltimum cras: quia ignoras qđ sit vltimum cras. Sufficiat quod vixisti vsque ad hodiernum peccator. Audisti. Sæpe soles audire: audisti & hodie. Quā quotidie audis, quotidie nō corrigeris. Tu enim secundum duritiam cordis tui, & cor impœnitēs thesaurizas tibi iram, in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei: qui reddet vnicuique secūdum opera

Multis modis vocat nos Deus ad pœnitētiam.

D. Augu.

Psal. 102.

Rom. 2.

Psal. 49.

Eccle. 5.

Gen. 8. Figuræ.

B

C

D

ra sua. Non sic tibi videatur Deus misericors: vt non videatur & iustus. Misericors & miserator Dominus. Audio & gaudio: ita dicis: audi & gaude adhuc addidit: longanimis & multum misericors. Et in extremo: & verax. Gaudes ad verba superiora, ad vltimum treme. Sic misericors & longanimis est: vt sit & verax. Cum tibi thesaurizaberis irá in die iræ, nonne experieris iustum quem contempsisti benignum? Hæc D. Augu. in illa verba Psal. 102. Misericors & miserator Dominus, &c. ¶ *Ad pœnitentiam.* Pœnitentia medicina est necessaria qua Deus animi langoribus medetur. Tantamque vim habet tantamque amplitudinem & excellentiam vt per eam peccatores teterrimi ab omniũ scelerũ maculis expurgentur. Per Ezechielem ita Dominus ait: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, &c. omniũ iniquitatum eius quas operatus est non recordabor. Idem per Esai. cap. 1. Lauamini mundi stote & cętera quæ secuntur. Et per Zachariam cap. 1. idẽ docet. Qualis autem futura esset hæc pœnitentiæ medicina vt hanc vim & virtutẽ haberet, docuit Dominus per Esai. cap. 22. Et vocabit, inquit, Dominus Deus in illa die ad fletum & ad planctum, ad caluitium & ad cingulum sacci. Non ergo solo terrore conscientiæ & fiducia in Deũ vt hæretici autumant absoluitur pœnitẽtia sed animi dolore, fletu & planctu. Vt idem Dominus etiá præceperat per Ioelem. cap. 2. dicens: Conuertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio fletu & planctu, & scindite corda vestra & non vestimenta vestra. Quod intelligens Dauid ideo dicebat in Psalmo: laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum lachrymis meis stratum meum rigabo. Vide quo dolore angebatur, quos cruciatus sustinebat, quos gemitus, quas lachrymas fundebat, ob scelus admissum. Et in alio Psalmo: Percussus sum vt fœnum & aruit cor meũ quia oblitus sum comedere panem meum: & paulo post: quia cinerem tanquam panẽ manducabam, & poculum meum cum fletu miscebam. Plus est hoc, quàm terrores conscientiæ, vt dicunt hęretici. Legant isti, omnes sanctos Ecclesię, legant, inter illos Ambrosiũ in epistola ad corruptam quandá: & tũc intelligent quid contineat hæc salutaris pœnitentiæ medicina. Legant denique D. Hieronymũ in Michæam, & sanctum Cyprianum sermone 5. de lapsis, & gloriosum Augustinum de vera pœnitentia, & intelligent quàm falsa & impia sit eorum de pœnitentia doctrina, quàm dissona à doctrina prædicatorum sanctorum, quàm contraria sacræ scripturæ, & quàm repugnans veritati. ¶ Interim tamẽ considera, quòd omnes, Christus vocat ad pœnitentiam, & si aliquos sciat eum non esse audituros. Vt enim fons perẽnis aquas fundit, & si nemo, vel pauci bibant ex illo, sic Deus omnes vocat quamquàm aliqui ad fontem diuinæ pietatis accedere nequaquàm vellint. Emittit Dominus Iesus quotidie pias & querebũdas voces, hortatur quotidie omnes ad pœnitentiam, pietatem & religionem: sed quemadmodum non dulcescit mare, dulcibus fluminibus in illud quotidie introeũtibus, sic multi peccatores nolunt dulcescere vocibus Christi qui eos a scelerum morbo sanare vult.

¶ *At illi dixerunt ad eum: quare discipuli Ioannis ieiunant frequenter, & obsecrationes faciunt, similiter & Pharisæi, tui autem edunt & bibunt? Quibus ipse ait: nunquid potestis filios sponsi, dum cũ illis est sponsus facere ieiunare?* ¶ Iam in hoc loco vides, Christum Dominũ esse sponsum, & Ecclesiam sponsam, nos verò filios huius sponsi. Ecclesia Catholica est sponsa illa de qua idem sponsus ait Cant. 2. Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorũ & in vno crine capitis tui. Soror Christi appellatur propter fidem, sponsa vero propter charitatem. ¶ 3. Reg. cap. 1. sacra narrat historia quod cũ Rex Dauid iam senex operiretur vestibus, non calefiebat: & ideò quęsierunt eum Abisaac Sunamitem, adolescentulam Virginem & pulcherrimam quę calefaciebat eum. Per vestes omnes ceremoniæ legis significantur. Dauid igitur vesti-

Marginalia: Pœnitẽtia medicina necessaria & qualis esse debeat. — Ezech. 18. — Esai. 1. — Zachari. 1. — Esai. 22. — Ioel. 2. — Psal. 6. — Psal. 101. — Similitudo. — Similitudo. — Matth. 9. b Mar. 2. c — Christus sponsus ecclesia spõsa nos filii. Can. 2. — Figura. 3. Reg. 1.

vestibus non calefiebat ex se, quia ceremoniarum obseruatio domino minime placebat. Sacrificium (inquit Dauid) & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi. Holocaustum & pro peccato non postulasti, tum dixi ecce venio. Nã Christus veniens in mundum ceremonialem cultum corporalem, mutauit in spiritualem. Quod significauit apud Ioãnem. cap. 4. veniet hora quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis patrem: sed veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate. Spiritus est Deus: & omnes qui adorant eum in spiritu & veritate debent adorarare. Ideo ait Augustinus in Enchiridiõ, fide & spe & charitate colitur Deus. Ideo subditur quod Abisac virgo pulcherrima perquam significatur Ecclesia quæ virgo est sine macula & ruga calefaciebat Dauid. Ecclesia enim, sponsa Christi per charitatem dicitur: illa est quæ vere illum calefacit: & ideo sola illa sponso suo placet: sola illa cor eius fide & humilitate vulnerat. Sola illa est regina quæ astat à dextera eius vt intercedat pro filijs suis. Illa, inquam, est cui nati sunt filij, hoc est, Apostoli: quos sponsus suus Christus constituit principes super omnem terram. Hi sunt de quibus hodie ipse ait Iudęis calumniantibus: nunquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus facere ieiunare? Quasi dicat, nõ conuenit vt qui sponso familiariter adhærent: & in thalamo versantur, vbi par est omnia esse læta, compellantur ad ieiunium. Teneri adhuc sunt, & toti pendent à sponso. Huius non erit illis diuturna copia. Veniet autem tempus, quũ orbabũtur sponso, tunc facti firmiores, vltro ac volẽtes non solum ieiunabunt, verum etiam in mortem, & in carcerem ibunt, quoties exiget charitas. Nũc sicut gaudet sponsus super spõsam suam, gaudeant etiam filij sponsi. ¶ Obserua in hoc loco quod sicut Dominus vocatur totius Ecclesiæ sponsus, & fideles vocantur filij: ita quoque sponsus est, & vir animæ mundæ, & pudicæ (inquit Origen.) verbum Dei, qui est Christus Dominus, sicut & Apostolus dicit: Volo autem omnes vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Timeo autẽ ne forte sicut serpens seduxit Euam astutia sua, sic corrumpantur sensus vestri à simplicitate, quæ est in Christo Iesu. Donec igitur anima adhęret sponso suo, & audit verbũ eius & ipsum complectitur, sine dubio ab ipso semen suscipit verbi, & sicut ille dixit: de timore tuo Domine, in vtero concepi: ita & hæc dicit, de verbo tuo Domine in ventre concepi, & parturiui, & spiritũ salutis tuæ, feci super terras. Sic ergo sic de Christo concepit anima, fecit filios pro quibus dicatur ad eam, quia salua erit per filiorum procreationem. Si permanserit in fide, & charitate, & sanctitate cum sobrietate, etiã si prius sicut Eua, seducta anima videatur. Est itaque vere beata soboles vbi concubitus factus fuerit animæ cum verbo Dei, & vbi complexus adinuicem dederint. Inde nascetur progenies, inde pudicitia orietur, inde iustitia, inde pacientia, inde mansuetudo, & charitas, atque omnium virtutum proles veneranda succedet. Et isti sunt filij de quibus Propheta dicit Psal. 127. filij tui sicut nouellę oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Tunc gaudet sponsa lætatur anima, exultant tunc filij sponsi quandiu adest sponsus. Lege Originem homi. 20. super Numě. Hæc & alia multa scribentem ad hoc propositum.

¶ *Venient autem dies & cum ablatus fuerit ab illis sponsus tunc ieiunabunt in illis diebus.* Et, redundat more Hebræorum. Vt & hæc verba *in illis diebus*, Cũ, *tunc*, sufficiat.

¶ *Dicebat autem & similitudinem ad ipsos. Quia nemo commissurã à nouo vestimento.* Idest. Panno. per Catachresin. *Immittit in vestimentum vetus.* i. nemo insuendum frustum noui panni immittit in vestimentum vetus. Catachresis. i. abusio, figura est frequens in sacra scriptura & est quoties aliena rerum nomina, non habentibus commodantur. In Psal. 74. Omnia cornua peccatorum confringam & exaltabuntur cornua iusti. Et in hoc loco nemo commissuram à nouo vestimento, &c. vbi vestimentum pro Panno ponitur.

Psal. 39. b. | Ioã. 4. | Psal. 44. | Esai. 62. | Spõsus animæ Christus, virtus est proles. | 2. Cor. 11. a | Esai. 26. c | 1. Tim. 2. d | Psal. 127. a | Orige. | Catachresis figura quid. | Psal. 74.

¶ Alio-

¶ *Alioquin & nouum rumpit.* Subaudi. *Vestimentum vetus.* Non enim cohęrente nouo panno cũ veteri, rumpit nouus pannus veterem: & sic fit maior ac deformior hiatus. Vel sic intellige: qui enim nouam immissuram immiserat, offensus deformitate rumpit eam. *Et veteri non conuenit commissura à nouo.* Et, pro quia. i. ideo rumpit nouam commissuram quia veteri vestimento non conuenit talis commissura. ¶ Vel aliter hęc verba intelligi possunt in hunc modum, quasi dicat. Nullus tàm stultus est vt si veteris vestis rupturam sarcire velit, immittat pannum nouum, ex noua veste resectum. Quod si faciat duplex est incommodum, primùm enim lacerat vestē nouam siue pannum nouum vt veterē sartiat, deinde pannus nouus additus veteri vestimento quoniam non conuenit, prodit sarturæ deformitatem.

¶ *Et nemo mittit vinum nouũ in vtres veteres, alioquin rumpet vinum nouum vtres, et vinum effundetur, et vtres peribunt. Sed vinum nouum in vtres nouos mittendum est: et vtraquē conseruantur. Et nemo bibens vetus, statim vult nouũ. Dicit enim vetus melius est.* Vel suauius est. Quasi dicat Dominus Iesus hac similitudine. Scio quàm difficile sit nouam hanc & spiritualem doctrinam commendare ijs, qui iam diu veteri assueuerunt. Vix enim quicquam placet cuiquã diuersum ab eo cui diu assueuerit. Protinus enim offenditur ad gustum insolitæ rei. Quemadmodum qui diu bibit de vino veteri, nõ statim delectatur musto. Requirit enim gustum, cui assueuit, & dicit vetus fuisse melius: non ob aliud nisi quod assueuit. Ita qui consueuerunt in Iudaismo, resiliunt ad gustum doctrinæ spiritualis, & illa crassiora quibus assueuerunt, requirunt, circuncisionem, Sabbatismos, Hierosolymam, templum, victimas, lotiones, cõstitutiunculas Pharisaicas, aliaque his similia. Atque hæc non solum requirunt, verum etiam præferunt his, quæ sunt longē potiora, cuiusmodi sunt, animus à prauis cupiditatibus circuncisus: animus ab omnibus profanis studiis perpetuò feriatus: animus ab omni malorum affectuũ tumultu tranquillus: animus abhorrens ab omnium contagio, quæ inquinant mentis puritatem: animus fide, charitate, modestia, puritate redimitus: animus ab omnibus malis semper temperãs: animus semper aspirãs ad cœlestem patriã: animus Spiritus sancti templum & hospitium: animus semper seipsum offerens gratam ac puram victimam Deo: animus ab omni labe purus per fidē viuam Euangelicam: animus ab omnibus quæ sunt huius mundi abdicatus, seque totum diuinis rebus dedicans: animus obseruantissimus eorum, quæ præcipit ac requirit Euangelica doctrina. Requirit autē fidem & præcipit charitatem. Hoc nimirum est vinum meæ doctrinæ nouum, quod non ferent vtres assueti vapæ Mosaycæ, sed requirit vtres nouos ac puros, spiritualibus dotibus fortes ac firmos.

Finis capitis quinti

CAPVT VI.

¶ *Excusat Christus discipulos, sanat manum aridam, et docet Euangelij pietatem.*

Matt. 12. a

FACTVM est autē in Sabbato secundo primo, cum transirent per sata, vellebãt discipuli eius spicas, & manducabant confricantes manibus.

Mar 2.d Leui.23.b

nibus. Quidã autem Phariſæorũ dicebant illis, quid facitis quod nõ licet in Sabbatis? Et respõdẽs Ieſus ad eos, dixit, nec hoc legiſtis, quid feciſſet Dauid, cũ eſuriſſet ipſe et qui cũ illo erant: quomodo intrauit in domũ dei, & panes propoſitionis ſũpſit, & mãducauit, & dedit his qui cũ ipſo erãt, quos non licet mãducare niſi tantũ ſacerdotibus? Et dicebat illis quia Dñs eſt filius hominis etiam Sabbati.

1.reg.21 g

Leui.24.b

IN *Sabbato ſecũdo primo.* Secundo primo. Vnica dictio eſt Græcis, δευτεροπρώτῳ. i. in die ſeptimo à Paſcha. Qui adeo feſtus venerabilis erat vt dies pachę, excepto eſu agni. Exod.12. Dies, inquit, prima erit ſancta atque ſolemnis: & dies. 7. eadem feſtiuitate venerabilis.

Exod.12.d

¶ *Vellebant diſcipuli eius ſpicas, et mãducabant confricantes manibus.* D. Matthę. narrat hoc feciſſe diſcipulos ſtimulatos fame. Primũ hic mecũ cõſidera: quã ſui eſſent diſcipuli obliti, omnino non curãtes ſibi de neceſſarijs ad corpus alẽdũ prouidere, vt alij ſolent: ſed tota mẽs totuſq; animus in ſequẽdo Chriſtũ poſitus & intẽtus erat. Sic ſolẽt viri iuſti, ſic faciũt viri omni ſanctitate præſtãtes. Sic Paulus faciebat: qui dicebat in epiſto. ad Phili. miſſa c.3. Vnũ autẽ, quę quidẽ ſunt retro obliuiſcẽs, ad ea vero quę ſunt priora extẽdẽs, meipſum ad deſtinatũ perſequor ad brauiũ ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu. Terrena iuſti non curãt, ea omnia cõtẽnũt, illorũ omniũ obliuiſcũtur attẽti cœleſtibus: & inſtar ſeggittariorũ ad propoſitũ ſignũ, hoc eſt, ad vitã

Perfectorum & inſectorum cõditio.

Phili 3.

Simile.

A cœleſtẽ, intẽtionẽ ſuã dirigẽtes. Vnũquodq; illorũ animaliũ quæ propheta Ezechiel vidit: ante faciẽ ſuam gradiebatur. Ante nos enim ęterna ſunt, poſt nos temporalia, quia illa pergẽtes inuenimus: iſta vero quaſi recedẽtes poſt dorſũ relinquimus. Diſcãt igitur euãgelici cõcionatores rerũ humanarũ obliuiſci: vt verbo Dei & euãgelicæ doctrinæ attendãt. Diſcant iuſti & fideles magis curare ad vitã animi neceſſaria quã corporis, exemplo diſcipulorũ qui omniũ tẽporaliũ obliti

Ezech. 1. Figura.

B Chriſtũ ſequebãtur: & cũ fame ſtimulati ſunt ſpicas aliorũ cõfricãtes manibus edebãt grana, ſic ſatisfaciẽtes naturali neceſſitati. ¶ Deinde mecum etiã perpẽde: quãta fuerit Apoſtolorũ parſimonia & abſtinẽtia: qui ſolis ſpicarũ granis cõtenti erãt. Væ illis qui terreſtria curãt quorũ Deꝰ venter eſt: & gloria in cõfuſione ipſorũ. i. qui gloriãtur cũ turpe aliquid admiſerint. Vt Paul. docet ad Philip. 3. hic Deus iſtorũ, eſt Nabuzardã cocorũ princeps. i. vẽter, qui demolitꝰ eſt muros Hieruſalẽ, qui non lucra animorũ quẽadmodũ Apoſtoli: ſed lanã & lac appetunt ouiũ ſuarũ, & vocari ab hominibꝰ Rabbi.

Abſtinentia cõmendatur prælatis & cõcionatoribus.

Phili. 3.

4. Reg. 25.

C Agũt tamẽ vitã in diem comedẽtes & bibẽtes, cras morituri vt Eſai. ait. c.22. Delicatus ſanẽ magiſter eſt qui pleno vẽtre de ieiunio & abſtinẽtia diſputat. Qui diuitijs abũdãs de paupertate cõcionatur. Quorũ Deus, inquit Paul. vẽter eſt. Dicitur autẽ vẽter Deus hominũ voraciũ, nõ quidẽ a dignitate dominãtis, ſed à multitudine famulantiũ. Quis enim enarrare poterit huius turpiſſimi principis innumerabiles famulos? Initiũ vitæ hominis panis & aqua. At nũc, quidquid piſcium

Eſai. 22.

D natat: quidquid auiũ volitat: quidquid ferarũ diſcurrit, noſtris ventribus ſepelitur. Vnde Iuuenalis, quãta eſt gula quæ ſibi totos ponit apros, animal propter conuiuia natũ. Et Plinius lib. 19. c. 4. bibunt nivem illi, glaciem potant, pęnaſq; montium in voluptatem gulæ vertunt. Dij boni (inquit Seneca) quantum hominum vnus venter exercet. Cum aliquando Darius fugiens, aquam turbidam & cadaueribus inquinatam bauſiſſet, negauit ſe vnquam bibiſſe iucũdius.

Iuuenalis.

Plinius.

Seneca.

Darius.

M Nem-

Nempè quod nunquàm sitiens biberat. Atq; hác ob causam, regius vates ait Psa. 80. quod de petra melle saturauit Dñs Israelitas. Quoniã anima satura calcabit fauos: esuriens autẽ, amara pro dulcibus comedet. Vt Salo. ait Pro. 27. Dionysius cũ nocte quadã inter cœnandũ diceret, se minime delectari in cœna. Merito (inquit princeps cocorũ) quoniã deerat cõdimentũ. Et quod, inquit ille? Fames, inquit, labor & sudor. ¶ Constituerat rex Nabuchodonosor tribus pueris Hebręis & Danieli annonã per singulos dies de cibis suis & vino quod ipse bibebat: vt enutriti tribus annis postea starẽt in cõspectu regis. Dixit autẽ Daniel ad Malassar quẽ constituerat rex super eos. Tẽta nos obsecro seruos tuos diebus. 10. Et dentur nobis legumina ad vescẽdum, & aqua ad bibendũ: & cõtemplare vultus nostros & vultus puerorũ qui vescuntur cibo regio: & sicut videris, facies cũ seruis tuis. Post dies autẽ. 10. apparuerunt vultus eorũ meliores, & corpulentiores præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio. Deniq; post. 3. annos introducti ad regẽ, inuenit in eis rex decuplũ in omni scientia & disciplina, super cũctos ariolos & magos qui erant in vniuerso regno eius. Nam vt est in prouerbio pinguis venter nõ gignit tenuẽ mentẽ. Discant igitur præsules, discãt cõcionatores nõ esse gulosos, nõ voraces, nõ multo vino deditos. Nã non in comessationibus, neq; in ebrietatibus est regnũ Dei, hoc est, doctrina regni Dei. Discant ab Apostolis, à Daniele & sotijs eius, ab Elisæo abstinẽtiã. Apostoli enim granis spicarũ alebantur, idq; fame vrgente. Daniel & sotij eius legumina edebãt. Elisæus autẽ insignis cõcionator verbi Dei si inuitat ad prandiũ filios prophetarũ cibis eos agrestibus alit: & clamantibus illis mors in olla vir Dei, ille non est iratus cocis: (lautioris enim mensæ ille non habebat consuetudinem) sed farina desuper iacta amaritudinem temperauit. Fugiamus etiam omnes nos, ab impio Deo hominũ gulæ deditorum, hoc est, a ventris ingluuie, & nostra conuersatio in cœlis sit vt Aposto. ait in illo. c. 3. epistolę ad Philip.

Psal. 80.
Pro. 27.
Dionysius
Dan 1.
Figura.
4. Reg. 4.
Philip. 3.

A in principio citato. Memores quod si beatitudo paradysi terrestris, vt ait Hierony. sine abstinentia cibi non potuit dicari, quod multo minus beatitudo cœlestis paradysi sine eadem sobrietate dedicabitur.

¶ *Quidam autem Pharisæorum dicebãt illis: quid facitis quod non licet Sabbatis?* Olim apud Gręcos de hominibus calumniosis & delatoribus prouerbiũ illud dicebatur: argiua calũnia. Nam argiuos olim notauit antiquitas tanquam B sycophantas & litium auidos. Sed multo melius esse poterit in prouerbio: Pharisaica calumnia. Nam Pharisæi vbique Christũ atq; ei9 discipulos calũniabãtur. Ecce nunc vides calũniam. Quum enim in casu necessitatis euangelica charitas vltro fuerit esurientibus suppeditatura cibũ, Pharisaica calũnia dicit: cur ista facitis quæ nephas est facere Sabbatis? ¶ Considera obsecro queadmodũ nullus locus est, nulla vita, nulla sanctitas, nullus status, qui non pateat calũniæ. Merito Lucianus in libello cui titulus, nõ esse facile credendũ delatoribus, calũniæ de C pingẽs imaginẽ, midæ aures illi tribuit, propter studium subauscultandi captandique quid alij rerum faciant. Merito etiam Dauid dicebat: Redime me à calũnijs hominũ, vt custodiam mandata tua. Qui enim opprimitur calumnia non facile seruat mãdata. Est enim (inquit Ambro.) calumnia quæ non tantum falsa exponit, verum etiam quæ piè gesta sunt, decolorat: vt in Ioseph impudica domina fecit: & in Susanna duo præsbyteri. Hæc Ambro. Iã in hoc loco vides Pharisæorum calumniam, qui prætextu Sab D bati condemnare volebant Apostolos: qui necessitate cõpulsi spicas vellebant. Si ergo nos iram Dei timere nolumus recedamus à calumnia. Sic enim ait Esai. cap. 54. Recede procul à calumnia quia non timebis. Hoc est, si neque iram Dei neque hominũ timere non vis à calũnia recede. Hoc tamẽ calũniandi vitio tàm plenus est mũdus iste, vt Ecclesiastes deplorando hominum miseriam dicat: Verti me ad alia & vidi calumnias quæ sub sole geruntur, & lachrymas innocentium

Calumnia Pharisaica.
Calũniæ imago.
Psal. 118.
D. Ambr.
Gen. 39. d
Esai. 54.
Eccle. 4. a

centum & neminem consolatorem, nec posse resistere eorũ violentiæ, cũctorum auxilio destitutos. Et laudaui magis mortuos quã viuentes, & fœliciorẽ vtroque iudicaui, qui nedum natus est, nec vidit mala quę sub sole fiunt. Hoc vnumpijs hominibus solatium est, népe Deum habere protectorem & defensorem ab impiorũ calumnijs. Quod si videre cupis, audi Euangelistam in hoc loco.

¶ *Et respõdens Iesus ad eos dixit, nec hoc legistis quid fecerit Dauid, &c.* En vides quo modo qui habitat in adiutorio altissimi, & in protectione Dei cõmoratur, & qui dicit Dño susceptor meus es tu: liberatur ab illo à laqueo venãtiũ & à verbo aspero, à sagitta volãte in die, à negotio perambulãte in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano. Fœlix profecto sors iustorũ qui protectorẽ talẽ habẽt. Et quẽadmodũ pater scapulas suas & humeros obijcit pro filio, vt is qui paruulo nocere cupit nõ possit: obstaculũ præbentibus latis obumbratis scapulis patris: sic Deus sub vmbra potentiæ suæ protegit suos à calũnijs hominũ, & à tẽtationibus diaboli. Quẽadmodũ etiã pulli gallinæ, sub alis & pennis maternis agũt securi, qui cũ extra alas euagãtur, accipitris aliarũq; rapaciũ auiũ patẽt vnguib9, suntq; direptioni & morti expositi: sic iusti, sub expãsis alis misericordię Dei securi agũt, & cõfidendo tuti sunt, ab omni aduersariorũ nocumẽto: aliàs prędæ & direptioni mũdi & diaboli expositi. Lege totũ illũ Psalmũ & intelliges quã hęc vera sint. Iã hic vides Dñm, suis patrocinantẽ: iã illũ audis, pro suis respõdentẽ. & docentẽ exẽplo Dauid, huiusmodi legis obseruationes, nõ esse institutas ad perniciẽ hominum, sed ad salutẽ, & idcirco cessare, quoties maior quædam vrget causa. Tu igitur vir fidelis tuã mãsionẽ elige in auxilio omnipotẽtis Dei, nõ cõfidas in proprijs viribus, neq; spẽ ponas in homine, aut in diuitijs aut in potestate, aut seculi prudẽtia, aut alia quacumq; huiusmodi vanitate, sed totã spẽ tuã cõstitue in dño, si permanere & cõmorari vis in defensione Dei altissimi, regnãtis in cœlis: tunc enim qui tetigerit te tãget pupillã oculi

Psal. 90. Iusti à deo defendun tur à calũniis peccatorũ atq; ab omnibus aliis periculis.

similitudo

similitudo

Cessat lex cũ maior vrget causa.

A eius: tũc tibi dicetur illud Esaiæ recede procul à calũnia, quia nõ timebis. i. tam tutus eris à calumnia vt eam nõ timeas. Sic enim licet etiam hunc locum intelligere, licet superius aliter explicuimus.

Esai. 54.

¶ *In domũ Dei.* i. in atrium tabernaculi.

¶ *Et panes propositionis sumpsit, & manducauit, & dedit his qui cum ipso erant.* Obserua hic quod licet necessitate vrgẽte comederit ipse & sotij eius, nõ tamen ausi sunt eos panes edere nisi prius mundi essent & puri à mulieribus. Sic etiam B præcipiebat Dñs vt sacerdotes qui ferre debebãt vasa Dñi, prius emũdarẽtur. Mũdamini (inquit Esaias) qui fertis vasa Dñi. Hortatur his verbis diuinus vates eos, qui erãt rebus sacris addicti, quibus erat cura vasa Dñi portandi, vt puri sint, nullis immũditijs contaminati, ne manibus pollutis vasa Dñi coinquinẽt. Hinc discãt primũ sacerdotes Ecclesię qui vasa Dñi quotidie tangũt, qui de calice ei9 quotidie bibũt, quãta animi puritate nitere debeãt, quanta sanctitate sacra peragere. Ideo enim Deus dicebat Moysi, C (vt est in Exodo literis mãdatũ) facies laminã de auro purissimo, in qua sculpes opere cœlatoris sanctũ Dñi, ligabisq; eã vitta hyacinthina: & erit super tiarã imminens fronti Põtificis. Considera hoc. Talis debet esse sacerdos qui rẽ diuinam peragit: vt eũ videntes statim cognoscãt eũ esse sanctum Dño. Quanta quoq; sanctimonia, & animi mũditie esse debeant fideles significati in Dauid, & seruis suis, vel exẽplo eius discant. Si enim neque Dauid neq; sotij eius ausi sunt comedere panes propositionis, nisi prius mũdi & D puri à mulieribus essent: quanta maiore puritate pollere debẽt fideles qui panẽ qui de cœlo descẽdit cõmedũt? Probet igitur seipsum homo & sic de pane illo edat & de calice bibat. Qui enim mãducat & bibit indignẽ iudiciũ sibi manducat & bibit. Vt Paul. docet. Sed de hoc aliàs.

Esai. 52.

Quanta puritate pollere debeãt sacerdotes qui quotidie panem cœlestem mãducant.

Exo. 28. Figura

1. cor. 11.

FACTVM est autẽ et in alio Sabbato vt intraret in

 synago-

Mat 12.c Mar 3.a

synagogā et doceret, & erat ibi homo et manus eius dextera erat arida. Obseruabāt autem Scribæ & Pharisæi si in Sabbato curaret: vt inuenirēt vnde accusarēt eū. Ipse verò sciebat cogitationes eorū: & ait homini qui habebat manū aridā: surge et sta in medium. Et surgēs stetit. Ait autem ad illos Iesus: interrogabo vos si licet Sabbatis benè facere, an malè: animā saluā facere, an perdere? Et circūspectis omnibus dixit homini, extēde manum tuā. Et extendit: & restituta est manus eius. Ipsi autem repleti sunt insipiētia, et colloquebantur adinuicē quidnam facerent de Iesu.

Prælati sūt speculatores & ideo semper annuntiare debēt verbum Dei Ezech.33.

V*T intraret in synagogam & doceret.* Sēper Christus docebat populū semper eum verbo pascebat. Sēper verbū Dei annūtiabat eò quod speculator animorū positus erat. Sciant ergo pastores Ecclesię, intelligāt concionatores se positos esse speculatores: quare incessanter debēt in ecclesia doctrinā cœlestē docere. Audi quid Dn̄s dicat huiusmodi speculatoribus apud Ezechi.c.33. Terra, inquit, quū induxero super eā gladiū, & tulerit populus terrę virū vnū de nouissimis suis, & cōstituerit eū super se speculatorē, & ille viderit gladium venientē super terrā & cecinerit buccina & annūtiauerit populo: Audiēs autē quis-

A quis ille est sonitū buccinę & non se obseruauerit, veneritque gladius & tulerit eū, sanguis ipsius super caput eius erit, si autē se custodierit animā suam saluabit. Quod si speculator viderit gladiū venientē, & nō insonuerit buccina, & populus nō se custodierit: veneritq; gladius & tulerit animā de his, ille quidē in iniquitate sua captus est, sanguinē autem eius de manu speculatoris requirā. Et vt explicaret nobis prædicta addit exēplū. Et tu ergo fili hominis speculatorē dedi te, au-
B diēs ergo ex ore meo sermonē, annuntiabis eis ex me. Vide locū. Speculator Ecclesiæ hodie (inquit Hiero.) vel Episcopus, vel præsbyter qui à populo electus est, intelligitur. Qui scripturarū lectione cognoscēs & præuidēs quæ futura sint, annūtiare debet populo, & corrigère delinquentē. Vnde magnopere formidādū est, ne ad hoc officiū accedamus indigni, & assumpti à populo, negligentiæ nos demus atq; desidiæ: & quod his peius est, delitijs, vētriq; & otio seruiētes, honorē nos accepisse putemus nō mini-
C steriū. Siquidem filius hominis nō venit ministrari sed ministrare, & pedes discipulorum lauit, vt ostēderet oēs sordes, & vitia à magistris in discipulis debere dilui atq; purgari. Nec statim respondeamus, quid prodest dicere, si nolit auditor facere qd̄ docueris? Vnusquisque enim ex suo animo atq; officio iudicatur: tu si loquutus nō fueris, ille si audire cōtēpserit. De magistris negligētib9 Salomō loquitur: sapiētia abscondita & thesaurus occultus, quæ vtilitas in vtrius-
quē? Tale quid significatur & in Euangelio, quod qui scādalizauerit vnum de
D minimis Ecclesiæ, expediat ei vt alligetur mola asinaria & abijciatur in profundum, quàm in specula constitutus plurimis noceat. Hæc Hiero. Lege de hac re D. Augusti. to. 10. lib. 50. homeliarū, ho. 25. ¶Legat eūdem ho. 26. vbi docet quā attentis auribus populus audire debet quæ prædicātur quāq; auido corde suscipere. Interrogo vos, inquit, fratres, dicite mihi, quid vobis plus esse videtur, verbū Dei, an corp9 Chri? Si verū vultis respondere, hoc vtiq; dicere debetis, qd

Eccle.20.

Glo. D. Hiero. D. Augu.

Quā attēte audire debeamus verbū Dei

non sit minus verbum Dei quã corpus Christi. Et ideo quanta solicitudine obseruamus, quando nobis corpus Christi ministratur vt nihil ex ipso de nostris manibus in terrã cadat: tanta solicitudine obseruemus, ne verbũ Dei quod nobis erogatur, dũ aliquid cogitamus aut loquimur de corde nostro pereat. Quia non minus reus erit, qui verbũ Dei negligẽter audierit, quã ille qui corpus Christi in terrã cadere negligẽtia sua permiserit. Vellẽ tamẽ scire, si ab illa hora qua verbũ Dei prędicari cœperit semper pręciosissimas gẽmas, & inaures, vel anulos aureos erogare vellemus, vtrũ stare, aut accipere vellent filiæ nostræ. Sine vlla dubitatione, cum grãdi ambitione quæ illis offerrentur acciperent. Nos verò, quia ornamenta corporalia nec offerre possumus, nec debemus, ideo nõ libẽter audimur. Sed non est iustũ vt spiritalia ministrantes superflui iudicemur. Qui enim verbũ Dei libenter audit, inaures animæ, de patria paradysi transmissas se suscepisse non dubitet. Qui admonetur vt pauperi tribuat aliquid, dum manus ad eleemosynas expandit, dextralia à Christo transmissa percipiet. Quomodo enim terrenis ornamentis caro luxuriosa paruo tempore ornatur, vt carnalibus oculis, aut ad suã aut ad aliorũ malẽ concupiscentium ruinam placere possit: sic anima sancta diuinis sermonibus tãquã spiritalibus & æternis bonorum operũ margaritis cõponitur, vt ad illius cœlestis sponsi consortiũ & nuptiale cõuiuiũ fœliciter ornata perueniat, vt non ei dicatur illud quod dicitur in Euangelio: amice quo modo huc intrasti non habẽs vestem nuptialem? Ne bonorũ ornamentis expoliatus & nud9 audire mereatur. Ligate illũ manus & pedes, & proijcite in tenebras exteriores, vbi est fletus & stridor dentiũ. Sed magis pro ornamentis bonorũ operum, illa vox ad eum desiderabilis dirigatur. Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Dñi tui. Rogo vos filiæ diligenter ea quæ à nobis dicũtur audite: Si aliqua mater proprijs manibus ornare velit filiã suã, & illa despiciens ornamẽta quę accipit, frequentius se inclinet ad terrã, & huc atq3 illuc, ita per inquietudinẽ moueatur, vt illã mater sua secundũ suã voluntatẽ ornare nõ posit, nũquid non iustè aut obiurgatur, aut cæditur? Me ergo putate matrem vestrarũ animarũ esse, & ita vos velle cõponere, vt in vobis nec macula nec ruga possit ante tribunal æterni iudicis apparere. Animabus enim vestris non solũ ornamenta, sed etiã medicamenta desiderans prouidere, studeo dissuta consuere, conscissa sartire, vulnerata curare, ablue re sordida, reparare perdita, & ea quæ sunt integra, spiritalibus margaritis ornare. Si me nõ piget, quare aliquis fastidiosè velit accipere? Cũ enim terrena & tẽporalia ornamenta corporis, si non inuenitur qui donare velit, charissimo precio cõparantur: quãto magis æterna animorũ ornamenta, quæ absq3 vllo precio à nobis non cũ paruo labore quæsita, vestris spiritualibus offerũtur, iustũ est vt à vobis cũ perfecta charitate suscipiantur. Nos enim margaritas vobis de paradysi patria prouidẽtes, nullã aliã in hoc seculo mercedẽ optam9 accipere, nisi vt vos patiẽter & libẽter quæ vobis insinuantur videamus audire, & cum Dei adiutorio secundũ vires vestras operibus adimplere. Hæc Augu. Curent igitur prælati & concionatores verbi Dei diligẽter populũ suũ docere, ne eorũ negligentia & desidia gladio iræ Dei pereat: cũ speculatores Ecclesiæ constituti sint: curet populus attentis auribus buccinam speculatoris audire: & ab ira Dei imminẽti cauere: Dei præcepta seruando, præteritorũ malorũ condignã pœnitentiã agẽdo.

¶ *Vt intraret in synagogã & doceret: & erat ibi homo, et manus eius dextera erat arida.* Aderat illic inter multos, inquit Euangelista, homo quidã miserabilis, manũ, cuius opera solitus est alere se ipsum, ac liberos (nã vt Hieron. ait Matthæ. 12. cœmentarius erat) circunferens arefactã ac mancam, vt pręstiterit nõ habere manũ, quã onerari mortua. Hũc ergo Dñs Iesus postquã populũ mysterijs cœlestib9 imbuerat, suo diuino verbo sanauit. ¶ Hic primùm notabis Christum Dñm atq3 post illum eius Apostolos suã doctri

Similitudo

Matt. 22.

Matth. 25

Similitudo

Similitudo

D. Hiero. Homo iste cœmentarius erat

Christus post datã doctrinã miracula faciebat sẽper, sic et eius Apostoli. Heb. 2.

Tertiũ genus miraculorum.

Signum quid.

doctrinam miraculis statim cõfirmasse, vt illi fides adhiberetur. Et aliquando erant signa, aliquando portenta, aliquãdo virtutes. Vt Pau. ait in episto. ad Heb. c. 2. his verbis: Quæ cum initium accepisset enarrandi per Dominũ ab eis qui audierunt in nos cõfirmata est, contestãte Deo, signis, & portentis, & varijs virtutibus. Vocat signa: miracula quæ excedunt virtutem naturę, non tamen sunt contra naturam. Vt illuminatio cœci, & sanatio leprosi, siue manus aridæ, quę nõ possunt fieri per naturam, nec quantum ad substantiam facti, nec quãtum ad modum faciendi. Portenta vero dicuntur miracula quæ contra naturam omnem operantur. Vt quod Deus sit homo, vnde Esaię. c. 8. ait Christus: Ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in portẽtum. i. quod ego sim homo & quod discipuli mei hoc credant. Item quod sol retrocedat. Vt 2. Para. 32. dicitur: Quòd missi fuerunt legati à Babylonia vt interrogarent Ezechiã de portento quòd acciderat supe terram. Suscitatio mortuorum, & alia id genus, portenta dicuntur. Virtutes verò dicũtur miracula, quæ supra naturam non sunt, quantũ ad substãtiam facti, sed quantũ ad modũ quo fiũt. Quẽadmodum febris curatio, quæ licet arte medicorũ fieri possit, non tamen in tẽporis momẽto. Hoc igitur triplici miraculorũ genere Christus Dñs eiusq; discipuli doctrinã suã cõfirmarũt vt Paulus ait loco dudum allato. ¶ Secundò hic animaduerte quòd Dñs noster Iesus Christus (vt Augu. est auctor) ea quæ faciebat corporaliter, spiritualiter etiã volebat intelligi. Neq; enim tantũ miracula propter miracula faciebat, sed vt illa quæ faciebat mira essent vidẽtibus, vera essent intelligentibus. Quẽadmodũ qui videt literas in codice optime scripto, & nõ nouit legere, laudat quidẽ antiquarij manũ, admirãs apicũ pulchritudinẽ, sed quid sibi velint, quid indicẽt illi apices nescit, & est oculis laudator, mente non cognitor. Alius autẽ & laudat artificiũ, & capit intellectum, ille vtiq; qui nõ solum videre, quòd cõmune est omnibus, potest: sed etiã legere quòd qui non di-

Portentũ quid.

Esai. 8.

2. Para. 32

Virtutes quid.

Augu. ser. 44. de ver. Dñi. to. 10 & to. 3. de mirabili. s. s. li. 1. c. 22.

similitudo

A dicit, non potest. Ita qui viderunt Christi miracula, & nõ intellexerũt quid sibi vellẽt, & quid intelligẽtibus quodãmodo innuerent, mirati sunt tantũ quia facta sunt. Alij verò & facta mirati, & intellecta assecuti. Adducit D. August. ad hoc probãdũ miraculũ ficus quæ verbo Dñi aruit, cum tamen non esset tẽpus pomorum vt Euangelista testatur. Quo miraculo significare voluit Iudæos habẽtes verba legis & nõ facta plenos esse folijs, fructus tamẽ non ferre. Videamus ergo

Matth. 21.

B quãdo hæc ita sunt: quid nos Dñs dicere voluit in homine isto habẽte manum dexterã aridã? ¶ Vsq; ad aduentũ Saluatoris (inquit Hiero.) arida manus in synagoga fuit Iudęorũ, & Dei opera nõ fiebãt in ea: postquã ille venit in terras, reddita est in Apostolis credẽtibus dextera & operi pristino restituta. Hæc Hiero. Matthæ. 12. ¶ Præterea, homo iste imaginem gerit hominis auari, qui dexterã manũ aridã erga pauperes habet. Quã si velit, Dei auxilio & gratia extendere poterit.

D. Hiero.

Auari imago.

C Huiusmodi homines admonet Esai. c. 35. dicẽs: Cõfortate manus dissolutas. i. qui antea opera misericordiæ non faciebatis, quòd manus haberetis languidas, & remissas, erigite & extẽdite eas pietatis actiones. Idẽ admonet D. Pau. in epi. ad Heb. c. 12. Manus, inquit, remissas erigite. Quid aliud quęso est manus remissas erigere quã quòd Eccles. ait. c. 4. non sit porrecta manus tua ad accipiendũ, & ad dandũ collecta. Sed potius manũ tuã aperies inopi, & palmã tuã extendes ad pauperẽ. Exẽplo illius mulieris fortis de qua Salo. ait Pro. 31. Hæc facere solitam

Esai. 35.

Heb. 12.

Eccle. 4.

Pro. 31.

D esse. Nihil enim tã indignũ est viro Christiano quã auaritiæ deditũ esse. Cum aliquando Scipio Aphricanus accusaretur de pecunia sublata respondisse fertur, teste Valerio Maximo, cum totam potestati vestræ subiecerim Aphricam: nihil ex ea quod meũ esset præter cognomen retuli: & addidit: non me Aphricanę, neq; fratrem meũ Assianæ Gaze auarũ reddiderunt: sed vterq; nostrũ magis inuidia quã pecunia locupletior est. Memẽtote autem me neque in acie vinci posse: neque pecunia posse corrumpi. Non enim

Scipio.

nos

nes locupletes facit multa possidere: sed modica desiderare. Si ergo vir gentilis tàm exosam habuit auaritiã, quanto magis vir fidelis qui mamõna iniqua thesaurizare solet & acumulare veras diuitias in cœlis, hoc vitium destetari debet.

¶ *Obseruabant autem Scribæ & Pharisæi si in Sabbato curaret. vt inuenirẽt vnde accusarent eum.* Primùm considera quàm dissimilia videamus. In vna Ecclesia, in vna congregatione hominum, tanta diuersitas ingeniorum. Tanta iustitia in Christo, & tanta calumnia & iniustitia in Pharisęis. Imo in vna domo videmus vt vnus sit iustus & alij omnis iniusti. In vna enim domo Iacob, vnus Ioseph iustus & cæteri omnes eius fratres iniusti & accusatores. Verùm hic est cursus mundi, habet semẽ, habet & zizania, imò etiam hic impiorum maior est numerus. ¶ Deinde hic videmus ingeniũ mundi, qui non fert, neque ferre potest pios sed obseruat, inuidet, accusat, persequitur. Sic quidem viuunt pij vt accusatione dignum nihil cõmittant. Est enim eorum vita innocens: mores non asperi, co suetudo comis & iucunda, neque tamen odium mundi & calumniam effugere possunt: hoc enim neque Prophetis, neque Apostolis, nec Christo contigit: eritis, inquit, odio omnibus hominibus, &c. si me persecuti sunt & vos persequentur. Gen. c. 37. sacra narrat historia quòd filij Iacob oderant fratrem suum Ioseph, nec poterant ei quicquam pacificè loqui, eò quod à patre plus cunctis filijs amaretur. Iam quis non videt quàm hęc perfectè in Christo impleta sunt. Primò enim scimus quomodo eum oderint fratres eius, Pharisæi scilicet & Scribæ. Animi odio cõmoti obseruabãt semper eum, vt si quid inuenirent ex quo captarent ansam accusandi, neq; alias odiẽdi & inuidendi causas habuerint quã quas fratres Ioseph habuerant, nempe quòd eos arguebat, quod virtutibus & innocẽtia quasi vestibus multicoloribus vestitus erat, quòd miracula edebat, & quòd diligebatur à patre. Quod vel ex ipsis eisdẽ miraculis colligere poterant: sicut collegit Nicodemus qui dicebat: scimus quia à Deo venisti, nemo enim potest facere hæc signa quæ tu facis nisi fuerit Deus cũ eo. Et cœcus ille qui ait: in hoc est mirabile quod nescitis vnde sit, & aperuit oculos meos. Vnde & Christus: si cæci essetis peccatum nõ haberetis. Nec tantum oderant Christum, sed nec quicquam pacificè ei loquebantur. Sed repleti insipiẽtia loquebãtur inter se quid facerent de eo: vt in hoc loco ait Euãgelista. Et non solum hoc sed illi dicebant: in beelzebub principe dęmoniorũ eijcit dæmonia. Item hic homo non est à Deo qui Sabbatum nõ custodit. Item dæmoniũ habet & insanit quid eũ auditis: rursum: vorax est potator vini, socius publicanorũ. Quod si aliquando pacificè videbantur ei loqui: dolosè tamen fiebat. Meritò igitur conquæritur in Psalmo: Cũ his qui oderũt pacem erã pacificus, &c. & iterum: sermonibus odij circundederunt me, & expugnauerunt me gratis.

¶ *Ipse verò sciebat cogitationes eorum.* Hinc time quòd licet nihil tibi conscius sis tamen non in hoc iustificatus es: vt Paul. de se ipso ait. Nam Dñs est qui penitus scit cogitationes tuas, ipsius oculis omnia nuda & aperta sunt ipse est qui intelligit cogitationes tuas de lõgè & qui semitas tuas & funiculum tuũ inuestigat. Rationi enim consentaneũ est te aliqua indigna viro Christiano cõmisisse: & tamen te, ipsorum esse penitus ignarum. Delicta enim quis intelligit? Time præterea aliquid mali perpetrare etiam solus cum sis cum Deum testem habeas tuarum actionũ, & cogitationũ. Siquis (inquit Athanasius) victus libidine qui suæ concupiscẽtiæ repugnare nolit, conuersus huc atq; illuc, si neminẽ forte videat flagitij sui testẽ, in facinus ruit: idem tamen quamuis inueniat paratã occasionem potiendi, explorat diligenter omnia: in diuersum oculos incuriosus iustitiæ, sollicitus famæ detorquet frequẽter, erubescens testimonium criminis, qui crimen non erubescit, quod si quem forte sui erroris testẽ agnouerit, pudore inceptum deserit crimen: quanto magis siquis alleuet oculos mẽtis suæ & cõsideret Angelorũ plena esse omnia,

Marginalia: Quanta in vna familia ingeniorum diuersitas & morum inuenitur. Gen. 37. — Ingenium mũdi quale sit. — Matth. 10 — Gen. 37. Figura. — Ioã. 3. — Ioan. 9. ibidem. — Matth. 12. — Ioã. 10. — Matth 11. Psal. 119. — Psal. 108. — Iustus & si nihil sibi cõscius sit tamẽ semper est pauidus semper sibi timet. — 1. Cor 4. Heb. 4. Psal. 138. — Ne quis peccet, cõsueret semper habere Deũ testem suarũ cogitationum & actionũ, libero testes Angelos, dæmones: ac propriã conscientiã.

 aeterni,

aerem, terram, mare, & Ecclesias quibus Angeli præsunt: vt ne dicam quod nec illum insopitum oculum nihil potest latere: & cui nox sicut dies illuminatur. & cui abscondita non sunt ossa quæ ipse finxit in occulto matricis? Nunquid non reneritus esses Angelorum præsentiam si præsentes crederes? Noli fieri sicut equus & mulus quibus non est intellectus, aut sicut cæcus & surdus, qui quoniam non potest videre neque audire præsentes, solum esse se credit: & in plurimorum cœtu dum putat nullum esse præsentem, perpetrare audet quod secretum esse putat. Solus erat cœcus qui noctu hæc secū colloquebatur, anima mea habes multa bona, &c. Sed audiuit eum sermo Dei viuus & efficax: & diuisit animam eius à corpore. Etenim si oculos hominum fugiamus, nos ipsos fugere nostri accusatores non possumus: quos obseruat & interpellat & conuenit atque accusat propria conscientia. Et demus hoc tibi quod Dominus Iesus nolit videre prauas cogitationes tuas, nolint videre Angeli impias actiones tuas, nec tu ipse qui tibi ipsi conniues: sed tamen videt diabolus, qui tecum in lupanar introiuit: imò qui te introduxit: studet enim plurimos sui similes videre, & in eo gloriatur quod plures perdiderit. ¶Cæterum superius ostendimus multis sacræ scripturæ testimonijs, solius Dei esse cordium cogitationes cognoscere. Itaque erroneum esse ducebamus dicere Angelos tàm bonos quàm malos de facto mentis cogitationes & volūtatis affectiones intimas per se ipsos cognoscere. An verò natura sua nisi à Deo impedirentur eas scire possent, quemadmodum sciunt & intelligūt & vident rerum essentias, res adhuc sub iudice est. Crediderim tamen probabilius eos natura huiusmodi animi cogitationes & affectus cognoscere non posse, neque habere species intelligibiles innatas, quibus eas cognoscere possint. Tum, quod si de facto eas Angeli non videt (vt satis in superioribus probauimus) & eas natura sua videre possunt, iam ergo perpetuò impedirentur, perpetuòque essent violentia oppressi. Quare aliqua natura vim perpetuò pateretur: quod tamen natura ipsa minime permittit. Adde, quod artifex ille esset ineptus qui ad vsus inutiles instrumentum aliquod pararet: si ergo species congenitæ in Angelorum mentibus, quæ sunt instrumenta ad dignoscendum cogitationes cordis, nō posunt eas cognoscere impediente Deo, cons est quod nō produxit Deus tales species. Præterea, inde fieret quòd inter Angelos locutio esset superflua. Si enim intelligunt suas cogitationes sine locutione, frustra ergo talis locutio ponitur. Certa tamē res est inter Theologos, Angelos habere locutiones. Non ergo natura intelligunt mētis actiones. ¶Sed ais: nos etiam loqui cum Deo quanuis intelligat ipse & sciat cogitationes nostras. Hoc tamen non obstat: nam nos cum Deo loquimur vt excitemus mentis affectum. ¶Et vt facilè obiectionibus quæ aduersus hanc sentētiam fieri possunt, respondere possis: animaduerte, esse triplex genus rerum. Alterū est omnino supernaturale: vt visio beata in patria, & fides in via. Secūdum est non omnino supernaturale, sed suapte natura est liberū: vt cogitationes nostræ liberę, & volitiones. Tertiū est omnino naturale, ordinem & dependentiā habens ad causas naturales, & quod cōputatur inter effectus naturales, vt calor ignis. Obiectum ergo intellectus Angelici est hoc tertium genus rerum. Itaque quemadmodum, auctore Aristotele, res materialis est obiectū intellectus nostri, ita crediderim cum D. Thoma quod res naturalis potest ab Angelo per species congenitas cognosci. Si autē detur res aliqua alterius generis quæ non computatur inter res naturales, huiusmodi non cognoscitur ab Angelo in se, sed in suis causis: quia nō habet innatas & congenitas species nisi rerum naturalium. Quare nisi Deus reuelauerit, tale genus rerum non videbit. Cognoscit ergo Angelus essentiā alterius Angeli, cognoscit essentiam intellectus & volūtatis alterius Angeli, cum habeat scientiam rerum omnium naturalium: volitiones autem & liberas cogitationes nō cognos-

Marginalia: Psal. 138. — Psal. 31. — Similitudo — Luc. 12. — Vi. supra c. 5. ibi vt cognouit cogitationes eorū. — D. Tho. 1. p. q. 57. ar. 4 — Angeli, natura non possunt cogitationes cognoscere. — 2. ratio. — Confirmatio. — 3. ratio. — Obiectio. — Tertiū genus rerum — A — B — C — D

cognoſcit, quia alterſus generis ſunt. Ita què volitio & cogitatio ipſa, in ſe occulta eſt, ne alius Angelus cognoſcat illam, cum non habeat ſpeciem congenitam. Quare neceſſe eſt vt alter Angelus velit alteri reuelare mentem ſuam, & vt ſigna aliqua externa producat, vt eius cogitatio & deſiderium cognoſcatur. ¶ Sed ais, ſi hæc ita ſunt iam fieret vt neq; poſſet Angelus cognoſcere motum brachij mei cum ſit motus liber, à voluntate pẽdens. Reſpõdeo quòd talis motus inter res naturales computatur, quia cogi poteſt homo ad talem motum & ideo motus ille cauſam habet naturalem corporalem, quare accidit quòd à cauſa libera dimanet, cum à cauſa naturali produci poſſit: ideo poterit ab Angelo. Animi verò motus, liberi cum ſint, omnino cõputari nequeũt inter res naturales. Quare non poſſunt niſi per effectus ſuos intelligi, aut per ſigna exteriora, de quibus natura prouidit quibus indicarentur internę cogitationes: quemadmodum in hobis. ¶ Sed obijcis ſecundo, ergo Angelus ſuas cogitationes & affectus nõ poterit cognoſcere cum non ſint intra tertium genus rerum. Reſpondeo, quòd id quod ſignum exterius efficit reſpectu alterius Angeli, facit ipſamet cogitatio reſpectu ipſiusmet Angeli. Vnde obſerua: qđ nos cognoſcim9 cogitationes noſtras per noticias reflexas. Cognoſcimus enim illas per ſpecies quib9 formauim9 noticias directas. Cogitabam exempli gratia de cœlo, ad formandam illam cœli noticiam, ſpeciem accepi à cœlo, per eãdem ergo ſpeciem formo noticiam reflexam. Sic Angelus cognoſcit ſuas cogitationes reflexiue, per eaſdẽ ſpecies, quibus cogitationes rerum naturalium formauit. Idem intellige de uolitionibus.

Obiectio.

2. obiectio

¶ *Animam ſaluam facere*. i. vitam, vel hominem ſaluum facere. Heb. ſic Iob. 2. animam eius non tangas. Gen. 37. non interficiamus animam eius. i. vitam.

Iob. 2.

Gen. 37.

¶ *Extende manum tuam, & extendit et reſtituta eſt manus eius*. En vides quàm verè ſponſa in canticis dicebat: Manus eius tornatiles, aureę, plenæ hyacinthis. In quo (inquit Rupert.) manus eius tornatiles & aureæ? Nimirum in faciendo miracula, vt conſtanter dicere poſſet: ſi non facio opera patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio & ſi nõ vultis mihi credere, operibus credite, videlicet, quæ feci in vobis, qualia vel quomodo nemo alius fecit. Nemo quippe alius manus in faciendis ſignis vel prodigijs ita tornatiles & ita aureas habuit, id eſt, nemo ita velox, & potens extitit in huiuſmodi, ex omnibus, quicunque mira in hoc mundo ſunt operati. ¶ Qui torno operatur, facilius, citius, atque perfectiꝰ operatur. Sic iſte dilectus, nimirum longè facilius, multo citius, valdè perfectiꝰ, mira quæ voluit operatus eſt, quàm aliquis ex cunctis operarijs virtutum, quicumque à ſeculo fuerunt. Illi namquè multo ſudore, multis orationum atque ieiuniorum impendijs, multo clamore cordis & oris, aliunde, ſcilicet ex Deo, acquirere ſiue obtinere meruerunt, cuiuſlibet (quam vtique in ſemetipſis, vel ex ſemetipſis non habebant) virtutis effectum: hic autem ſolo nutu, ſola voluntate, ſolo imperio, interdum & taciturnus quod voluit operatus eſt. Exempli gratia, cum dixiſſet in nuptijs, implete hydrias aqua, non ſolum non clamauit, aut orauit, ſed nec voce ſua, ſiue labiorũ motu iuſſit ſaltem aut dixit: conuertantur vel conuertimini aquæ in vinum, ſed de hoc omnino tacitus, haurite nunc, inquit, & ferte Architiclino, ſciens & certus, quod ſatis ſenſiſſet natura tacitũ conditoris ſui nutum. Nec mirũ. Ipſe enim erat, & eſt antiquus tornator qui tornauit cœlum & terram, & ſphęrica ſolis & lunę cunctarumque corpora ſtellarum torno ſuo, id eſt, imperio velociſſimo. ¶ Vnde manus eius adeo tornatiles? Nimirum ex eo quod ſunt aureę. Quid eſt aureæ niſi diuinæ? Subſtantia namque verbi incarnati verum aurum eſt, vera diuinitas eſt. & vnde, quòd ita velociter currunt manus eius? Quia quanuis infirmitate carnis obtectæ fuerint, nihilominus tamen tornatiles, vt erant, perſeuerauerunt; & in nullo infirmiores ſiue tardiores effectæ ſunt. Hæc Rupertus. En in hoc loco vides manus eius tornatiles au-

Manus Chriſti tornatiles in miraculis.

Rupert.

Ioan. c. 10

ſimilitudo

Ioan. 2.

Rupert in can. lib. 5. c. 5.

aureas. Extende, inquit, manum tuam, & extendit & restituta est manus eius. Tanta enim vis erat iubentis vt extēdisset illico manum prius mancam, contractam, & immobilem. ¶ *Extende manū tuam.* Hoc facto docuit licere Sabbato sine eiꝰ violatione beneficio iuuare proximum, nephasq; esse illum in calamitate deserere in illa die, cui possis subuenire. Fasque esse seruare vitam hominis in Sabbato, & nephas perdere. Perdit enim vitam alterius, qui cū possit seruare non seruat. Hanc ob causam multos curauit in Sabbato Dominus Iesus. Pharisæi autem legem non intelligentes hinc captabant ansam calumniandi de violato Sabbato, si eo die manum restituisset homini calamitoso, quo lex vetuerat operari. Cum potius eos oporteret misertos hominis interpellare Iesum pro sanatione. Quód veró his atque alijs similibus operibus non violetur Sabbatum ostēdunt Doctores sancti inter quos vide D. Tho. 22.q.122.arti.4. vide etiam Irinçum lib. 4. aduersus hæreses Valentini. cap. 19. & 20. Et summam Reinerinam. 2. par. c. de præcepto 4. c. 20. vsq; ad c. 26.

Licet in festo proximū beneficio iuuare

D. Tho. Irinçus.

¶ *Ipsi autem repleti sunt insipientia & colloquebantur adinuicem quid nam facerent de Iesu.* D. Matthæ. ait: quod exeūtes Pharisæi conciliū faciebant quomodo eum perderent. Miraculum euidentius erat quàm vt negari posset: sensus cōmunis approbabat esse pium quouis tēpore succurrere saluti mortalium. Sed non ferunt mustum Euangelicæ charitatis, assueti vapæ legis Mosaycæ. Quū ex his factis debuerint agnoscere virtutem diuinam, & agnoscere legis auctorem, vertuntur in amentiam. Iamque interseseineunt parricidale cōsiliū, qua via perderent Iesum. Hoc apud religionis proceres licebat Sabbato, quum religio esset homini miserabili salutem conferre Sabbato. ¶ Iam hic vides quàm apté de se ipso Christus dicere poterat quod regius vates de se ad literam retulit Psal. 30: super omnes inimicos meos factus sum opprobrium vicinis meis valdé, & timor notis meis. Qui videbāt me, foras fugerūt à me: obliuioni datus sum tanquàm mortuus, a corde. Factus sum tanquàm vas perditum: quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu. Quę omnia vt modo dicebam in Christum Dominū apté quadrant, aduersus quem à principibus populi & sacerdotibus legimus data ædicta publica, vt si quis eum cōfiteretur, extra synagogam fieret. Et hodie vides intersese inijsse parricidiale cōsilium, qua via eum perderent. De Lazaro quoque legimus quód eum cogitabant interficere, propterea quod à Christo suscitatus Christi gloriam celebrabat. Cœcus natus extra synagogam cū probro eiectus fuit, non nisi quod expertum sanationis beneficium confitebatur, suumq; auctorem nolebat blasphemare. Nicodemus quoque, ob hoc tantum quod legis processum pro Christo requirebat, dicens, non esse consuetudinem legis, quemquam iudicare donec auditus fuerit, & causa examinata, acri obiurgatione, & ironia valdé amara, in concilio publico fuit redargutus. Obliuioni quoque datus fuit, quando propter edictum principum nemo palam quicq; boni loqui audebat, quando ad declinandam persecutionis rabiem in desertis agebat, quando à mané ad vesperam vsque, prædicationis laboribus fatigato, nemo cibum, vel hospitium præbere, ob principū metum audebat. Cęterum vituperationem multorum per circuitum, satis indicant illæ tumultuantis vulgi voces, malus est, & seducit turbas. Nos scimus quia homo peccator est homo vini potator, amicus publicanorum, &c.

Matt. 12.

Psal. 30. Applicatur Christo.

Ioā. 9. Ioā. 11. Ioan. 9. Ioan. 7. Ioan. 7. Ioan. 11. Ioan. 7. Ioan. 9. Matth. 11. Luc. 7.

FACTVM est autē in illis diebus exijt in mōtem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Et cū dies factus fuisset vocauit discipulos suos: et elegit. 12. ex ipsis, quos

quos Apostolos nominauit. Simonem quem cognominauit Petrum, & Andreã fratrem eius, Iacobum & Ioannem, Philippum, et Bartolomæum, Matthæum et Thomam, Iacobum Alphæi, & Simonem qui vocatur Zelotes, et Iudam Iacobi, & Iudam Scariotem, qui fuit proditor.

Matt 10 a. Mar. 3 b

IN diebꝰ illis, &c. Hęc quę hic sequũtur reuera acciderunt ante prædicta. Ordo enim præposterus frequẽs est Prophetis & Euãgelistis vide supra cap. 5. ibi & factum est cum esset in vna ciuitatum.

Quid deprecabatur Christus patrẽ.

¶ *Et erat pernoctans in oratione Dei.* Idest, in oratione qua orabat Deũ, quasi dicat, totam noctem orabat & deprecabatur Deum. ¶ Cæterum quid deprecaretur Deum docet Psal. 139. Quo in Psalmo orat patrẽm vt eum à calumnijs Iudęorũ liberet. Eripe me Dñe ab homine malo, à viro iniquo eripe me. Qui cogitauerũt iniquitates in corde, tota die cõstituebãt prælia. Acuerunt linguas suas sicut serpentes, &c. qui cogitauerũt supplantare gressus meos, &c. iam modo audisti quo modo Scribæ & Pharisęi repleti sunt insipientia, & quomodo consiliũ fecerunt ad perdendum eum. Secessit ergo in montem Dominus Iesus, & totam noctem Deum deprecabatur, vt ab eorũ insidijs liberaretur. Eandem deprecationem docet Psal. 54. Exaudi, inquit, Deus orationem meam, & ne despexeris orationem meã, intende mihi & exaudi me. Cõtristatus sum in exercitatione mea, & conturbatus sum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris. Lege Doctores in hunc Psalmum, & præsertim Casiodorũ. Eandem precationem docet Psal. 108.

Vi. Hilar. & Diony. Carthu. in hunc Psal. 139. & alioś doct.

Psal. 54.

Psal. 108.

Deus, inquit, laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris & os dolosi super me apertum est. Locuti sunt aduersum me lingua dolosa, & sermonibus odij circundederunt me, & expugnauerunt me gratis. *Pro eo vt me diligerent detrahebant mihi, ego autem orabam.* En vides hodie huius rei exemplum si textus contexturam quam Euangelista texit in hoc loco cõsiderare solum velimus. Nam cũ Christum Dominum Pharisæi isti deberent diligere, quòd cæmẽtarium istum, aridam manum habentem curasset, repleti insipientia, colloquebantur inter sese quomodo perderent eum, Christus verò exijt in montem orare pro illis, & vt liberaretur ab eorũ calumnijs. ¶ Exẽplum hic accipe quo modo non statim ad blasphemias conuerti debeas, vbi hominum in quos beneficia collocasti sentiris ingratitudinem. Quomodo nõ statim furere & exclamare debeas, vbi malum acceperis pro bono, quemadmodũ plerique faciunt, non rectè instituti in patientia, & longanimitate Dei. Qui solem suum semper facit oriri super bonos & malos, gratos & ingratos: magis verò ad Deum, nos debemus conuertere vbi hominum per senserimus ingratitudinem. Idque triplici ratione. Primũ quidem, vt nosipsos consolemur in Domino, ne in impaciẽtiã corruentes meritũ perdamus operis boni, quod proximo, licet ingrato, impẽdimus. Cogitare enim debemus quod ad Domini gloriam, ex bono corde & syncera voluntate, hoc aut illud fecimus, tametsi ille cui factũ est non eo animo id acceperit, tametsi pro bono malum reddat: atque ita, cum ab homine nullam viderimus redire gratiam, ad Deum tãto affectuosius cõuersi, ipsum orabimus nostra, quæ ingratis impendimus aspicere, acceptaque & grata habere, vt pro factis ipse nobis retribuat, ob cuius honorem ea fecimus. Secundò, pro illis ingratis ad Deum orabimus, vt beneficium beneficio cumulemus, quemadmodum in cruce Saluator fecit, & Stephanus optimi magistri bonus discipulus, inter volitantes lapides. Tandem vt a calumnia istorum hominũ ingra-

Matth. 5.

Triplici ratione pro ingratis orare debemus.

ingratorum & ab illorum persecutione nos liberet orare debemus, quod fecit hodie Christus. ¶ *Et erat pernoctans in oratione Dei*. Nos etiam hoc exéplo docet vt si quid auspicari velim9, quod fœlix ac faustum esse cupimus, à deprecatione auspicemur, vt Deus nostris cœptis dexter ac fauens aspiret.

¶ *Et cum dies factus fuisset vocauit discipulos suos & elegit 12. ex ipsis, quos Apostolos nominauit: Simonem & Andrā fratrem eius, &c.* ¶ Multa hic occurrunt animaduersione & consideratione digna. Primùm aduerte: quod cum Dominus Iesus ad se vocauit Apostolos, tunc examē apū eduxit ex ore leonis, hoc est, diaboli. In libro Iudicum sacra narrat historia quòd irruit spiritus Domini in Sāson & dilacerauit leonem, quasi hœdū in frusta decerpens, nihil omnino habēs in manu. Et post aliquos dies ecce examen apum in ore leonis erat, ac fauus mellis, quem quum sumpsisset in manibus comedebat in via. Samson (inquit Rupert.) interpretatur sol eorum. Quis autem Christum esse nesciat solem verum, solem eorum qui oculos habent, & in cœlū aspiciunt? Catulus leonis sæuus rugiens, qui occurrit illi, typum prætulit diaboli, qui verè vt catulus leonis sæuus ac rugiens Saluatori nostro occurrit, cum adamatam coniugem accepturus esset. Idest, cum synagogam sua præsentia docturus aduenisset. Vbi primum occurrit illi? In deserto ieiunanti & esurieti. Cum enim ieiunasset 40. diebus & 40. noctibus postea esurijt. Et accedens tentator dixit ei: si filius Dei es dic vt lapides isti panes fiant, &c. Illic occurrentem sibi leonē in frusta decerpsit, nihil omnino habens in manu. Tertiò namq3 tentantem confutauit, non fortitudine, qua in illum poterat vti Deus, sed ratione & scripturarū testimonijs, qualibus & nos vti voluit, cum tentaremur. Reuertens verò Samson, examen, & fauum mellis sumpsit ex ore leonis, quia victo tentatore, Christus regressus in Galileā, in virtute spiritus. 12. Apostolos elegit. Quo modo illi erant in ore leonis? Plane vt taceam quòd erāt omnes secundū

Iudi. 14. Figura.

Rupert. lib. 1. in com. iud. c. 15. Christus Samson.

Leo diabolus.

Matth. 4.

Fauus ex ore leonis Apostoli 12. à Christo vocati. Ephes. 2.

A Adam natura filij iræ, sicut & cæteri, Petrus & Andreas primi Apostolorū, Philippus quoque à Bethsaida erant ciuitate, quam per infidelitatem leo diabolus in ore tenuit, ipso testante Domino, cū dicit: væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in tyro & sydone factæ essent virtutes, quæ in vobis factæ sunt: olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Hæc Rupertus. ¶ Secundo considera, quod Deus in Apostolos & Euāgelij concionatores elegit homines abiectos & humiles quales erant. 12. quos in hoc loco narrat D. Lucas. Cuius mysterij imaginem gerebat, auctore Augustino, asina Balaam quæ ad eius vesaniam cohibendam Dei miraculo locuta est: illud nimirum præfigurans, quia stulta mundi electurus erat Deus, vt confunderet sapientes, pro illo spiritali & vero Israel, hoc est, promissionis filijs. August. tomo. 4. in quæstionibus super numeros q. 50. ¶ Hoc idem mysterium prefiguratum erat Gene. 37. vbi ait scriptura sacra quod Ioseph pascebat gregem patris sui. Et erat cum filijs Balæ & Zelphę vxorum patris sui. Filij enim Liæ despiciebant eos, & reputabant eos quasi seruos: & ideo Ioseph (vt glos. docet) qui erat filius præcipuæ vxoris, adhærebat eis ad eorum solatium. Sic Christus Dominus verus Ioseph qui fideles suos pauit verbo & exemplo. Acto. 1. Cœpit Iesus facere & docere. Hodie ad se vocat. 12. Apostolos homines abiectos & humiles, & à Phariseis contemptos, & in minimo precio habitos. Vide glo. in hunc locum. In sensu literali & in sensu mystico. ¶ Hoc etiam in spiritu significare nobis voluit D Rex Dauid in Psal. 134. cum dixit: Educens nubes ab extremis terræ. Sancti enim Apostoli, atque sancti concionatores & Doctores sunt nubes. Etenim hoc quod scriptum est: veritas tua vsque ad nubes (inquit Origenes) nō potest referri ad inanimales nubes, sed veritas Dei vsque ad illas nubes est, quæ audiunt mādatum Domini, & nouerunt, quo pluuias differant, & à quibus eas suspendāt, de his nubibus dictum est, & mādabo nubibus meis ne pluant super eam imbrē. Moy-

Matth. 11.

Christus elegit abiectos in Apostolos Figura.

Nume. 22.

D. Augu.

Gen. 37. Figura.

Acto. 1.

Glo.

Apostoli, nubes educti ab extremis terræ.

Orige.

Esai. 5.

Deut.32.2 Moyses nubes erat & quasi nubes loquebatur, attende cœlum & loquar, & audiat terra sermonem ex ore meo. Expectentur vt pluuia verba mea. Si nō fuisset nubes nunquam dixisset, expectetur vt pluuia verba mea, & descendant vt ros eloquia mea. Quasi nubes dicebat, vt imbres super gramen, vt pluuia super fœnum, quia nomen Domini inuocaui. Esai.1.1 Similiter Esaias vt nubes loquebatur, audi cœlum, & auribus percipe terram, quoniam Dominus locutus est. Et quia ipse nubes erat, & sciebat alias nubes cō prophetantes sibi, ideo vaticinās aiebat, mandabo nubibus meis, ne pluant super eam imbrem. Si autem iam didicimus qui sunt nubes, videamus quomodo Deus educat nubes ab extremo terræ. Ait Saluator qui vult in vobis esse primus, sit omnium nouissimus. Seruauit hoc mandatū Paulus, & fuit nouissimus in hoc mundo dicens: puto enim Deus nos Apostolos nouissimos ostēdit, quasi mortificatos, quasi spectaculum facti sumus in hoc mundo, Angelis & hominibus. Et educit Dominus nubes ab extremis terrę, non á consulibus, non á iudicibus, non á diuitibus. Matth.5. Beati enim pauperes spiritu quoniá ipsorum est regnum cœlorum. Vides quomodo ab extremis educat Deus has corporeas nebulas? Orig. ho. 5 super Hiere. Hęc Orige. ho. 5. in Hieremiam. ¶ Iam in hoc loco vides nubes, idest, Apostolos electos esse a Domino Iesu, vt per totum terrarum orbem imbrem doctrinæ cœlestis ferant, ab extremis terræ esse deductos, non enim asumpti sunt á consulari dignitate, aut a clara hominum stirpe, aut á rerum humanarum abundantia, sed ab arte seruili & abiecta. Lege de hac re glo. Exo.3. in additione in qua explicantur illa verba: & hoc habebis signum quod miserim te, cum eduxerim populū de AEgypto. ¶ Non ergo Psal.134. immerito regius psaltes prouocat populum Christianum ad Dei laudes in Psalmo illo. 134. quod tanto beneficio Ecclesiam suam affecerit, vt illi, Apostolos & prædicatores, eductos ab extremis terræ, plenos sapiētiæ diuinæ thesauris, contulerit. Laudate, inquit, nomen Domini

A laudate serui Dominū, &c. omnia quæcunquē voluit Dominus fecit in cœlo & in terra, educens nubes ab extremis terræ, fulgura in pluuiam fecit. Qui producit ventos de thesauris suis. De thesauris enim diuinæ sapientiæ eduxit Deus 12. ventos, hoc est, 12. Apostolos, qui discurrere & perflare possent totam terram viuentiū. Euntes (inquit hodie eis, vt Matthæ. cap. 10. narrat) prædicate, dicentes: quia appropinquabit regnum cœlorū. Matt.10. Lege.5. Bruno in hunc Psal.134. Et post eius suscitationem á mortuis, prędicate Euangeliū omni creaturæ. ¶ Iam B verò si quęras quare Dominus homines idiotas, & ignobiles in primores suæ Ecclesiæ elegerit, facilis & prompta respōsio est. Quare idiotas & ignaros elegit Dñs. Nempe hoc magno Dei consilio factum fuisse, vt diuina potentia, incomprehensibilisque Dei sapiētia illustrior in mundo fieret. Voluit enim Dominus ostendere, quod ipse est qui format mōtes, & creat ventum, & annuntiat homini eloquium suum, & qui facit matutinam nebulam. Vt ipsemet ait, per Amos Prophetam. Amos.4. explicatur locus. Ipse enim est qui fecit Apo- C stolos montes Ecclesiæ, & creauit eos vētos, insuflauit enim in faciem eorum & dixit eis accipite Spiritum sanctum, &c. Luc.24. Et aperuit illis sensum vt intelligerent scripturas. Tandem ipse est qui annūtiat homini eloquium suum. Quibus verbis Propheta magnam paucis syllabis auctoritatem diuinitatis Christi astruit, quia solus est Deus qui suum eloquium annūtiando verax sit. Cúm autem annuntiaturus est, magnam plerumque præire finit ignorantiam, vt postquam annuntiauerit, sciat quicumquē ille sit cui annuntiauit, quia nihil habet quod non accepe- D rit. Vnde cūm dixisset Propheta & annuntians homini eloquium suum pulchrē subiungit: faciens matutinam nebulam. Exempli gratia, huic Amos prius quàm annuntiaret eloquium suum, matutinam fecerat nebulam, idest, prius pastorem rusticum quàm illustrem fecit Prophetam. Item & Apostolos prius permisit obcœcatum cor habere, ita vt diceret illis: adhuc & vos sine intellectu estis, Matth.15. quomodo nōdum intelligitis, &c. Hoc verè magnum est, & in laudem sapiētiæ

eius

eius hic decuit commemorari, quòd illis, quibus annuntiando eloquium suū, proposuit ostendere clarum scientiæ solem, prius obducit, vel obduci permittit hebetudinem cordis, & ignorantiā quasi matutinam nebulam, vt cum depulsa nebula solem viderint, non glorientur quasi non acceperint. Hęc Rupert. lib. 2. in cap. 4. Amos. ¶ Præterea ostendit Deus potentiam suam, mūdum ad se trahendo per homines ignaros, & imperitos, & inermes, & pauperes. Modus (inquit Augustinus) quo mundus credidit, si consideretur, incredibilior alijs incredibilibus inuenitur. Ineruditos liberalibus disciplinis, & omnino quātum ad istorum doctrinā attinet, impolitos, non peritos Grammatica, non armatos Dialetica, no Rhetorica inflatos: piscatores Christus cum retibus fidei ad mare huius seculi paucissimos misit, atque ita ex omni genere tam multos pisces & tanto mirabiliores, quanto rariores etiam ipsos Philosophos cœpit. Mundus ergo paucis, obscuris, minimis, ind octis, credidit. Qui propterea numero exiguo ignobilium, infirmorum, imperitorum hominum credidit: quia in tam contemptibilibus testibus multo mirabilius diuinitas seipsa persuasit. ¶ Vide August. 22. de ciuita. cap. 5. ¶ Lege Paul. 1. Cor. 1. dicentem inter alia: *Ea quæ non sunt elegit Deus, vt ea quæ sunt destrueret*, idest, ea quæ pro nihilo habita sunt, & ad nihilum redacta, elegit Deus: vt ea quæ vidētur aliquid esse, destrueret. Vt non glorietur omnis caro in conspectu eius. Id est, vt nullus homo glorietur non ergo glorietur sapiēs in sapiētia sua (ait Dn̄s) quam ego per stultitiam infatuaui: nec fortis in fortitudine sua: quoniam ego quæ infirma sunt elegi, vt confunderem fortia: nec diues in diuitijs suis: quoniā ego quæ nullius erāt momenti elegi, vt confunderem omnem potentiam seculi, sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me. hæc est enim vera & summa sapientia scire Christum & hunc crucifixum. ¶ Reliquum modo est vt consideremus & inquiramus ad quid Dominus Apostolos vocauit. Hoc, admirabili quadam figura docuit nos Ioannes in Apoca. cap. 19. Vidi, inquit, vnum Angelum stātem in sole, & clamauit voce magna dicens omnibus auibus quæ volabant per medium cœli. Venite & cōgregamini ad cœnam magnam Dei, vt manducetis carnes regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & sedentium in ipsis, & carnes omnium liberorum, & seruorum & pusillorum & magnorum. Quam figuram ad hunc modum exponit Rupertus. *Vidi*, inquit, *alium Angelum stantem in sole*. i. vidi Christum manifestatum in Israel, magna Spiritus sancti siue columbæ, & paternæ vocis manifestatione. Quod dicit *stantem in sole*, mirabile quidem, sed non adeò nouum: quia prius quoque in antiquiori scriptura est dictum: in sole posuit tabernaculum suum. i. in manifesto dixit & prędicauit, signis quoque comprobauit se Deum Dei filium, propter homines hominem factum, & verū assumpsisse corpus humanum. ¶ Hoc facere incepit à *clamore vocis magna, vocando aues quæ volabant per mediū cœlum*. i. à vocatione Apostolorum, qua vocauit eos, vt relictis omnibus sequerentur eum. Aues autem hoc loco vitam significant spiritalium, vt illic: homo nascitur ad laborem & auis ad volatum. Et in Euangelio vbicūque fuerit corpus illic congregabuntur & aquilę. Aues ergo quę volabant per medium cœlum, Apostoli sunt: veruntamen per anticipationem. i. non quòd iam antea spiritales fuerint, sed quia per vocationem illam spiritales, & sublimium cognitores mysteriorum effecti sunt. ¶ Vbi nam vel quando Angelus iste huiusmodi auibus dixit *venite congregamini*? Nimirū secus mare Galilęę quando vidit Petrum & Andream retia mittentes in mare & vocauit eos dicēs: venite post me faciam vos fieri piscatores hominum. Similiter cæteros vocando diuersis ex locis, siue negotijs, profecto auibus dixit venite congregamini. ¶ Quo illos venire, quo illos congregari iussit? *Ad cœnam magnā Dei*. Ad cœnam illam quā ipse homo factus nobis fecit, iuxta illam parabolam Euan

D. Augu.

D. Augu. 1. Cor. 1. Explicatur locus Pauli.

Ad quid Dn̄s Apostolos vocauit.

Apo. 19.

Ruper. li. 11. in Apo. c. 19. Explicatur locus Ioannis.

Iob. 5.

Luc. 17.

Matth. 4. Matth. 9.

Euangelij, homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. Et homines quidem excusauerunt. Alius dicens: villam emi, & necesse habeo exire & videre illam: alius iuga boum emi quinque, & eo probare illa: alius vxorem duxi, & ideo non possum venire. Aues autẽ istæ, siue volatilia, quæ sicut non serunt neq; metunt, neque congregãt in horrea, ita, neque villas emunt, neque comparant iuga boum, neque voluptatũ, quæ per vxorem intelliguntur, habent studium. Quod est dicere: cupidi amatores seculi, quales maxime tunc erant Scribæ & Pharisæi vocantem contempserunt: hi autem qui liberum cor à cupiditatibus habere meruerunt, secuti sunt eum.

¶ Quid porro est quod ait: *Vt manducetis carnes regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum & sedentium in ipsis, et carnes omnium liberorum, ac seruorum, et pusillorum, ac magnorum?* videlicet secundum metaphoram qua per aues significãtur Apostoli: congrue vim atque intẽtionem Apostolici designat officij. Quia sicut aues mãducandis carnibus auidè insistunt neq; curant quorum aut qualium, nobilium, aut ignobilium cadauera trãsuorent dũ in campo magno stragem inuenerint occisorum: Ita Apostolorum est auctoritate Euangelica nullam facere, vel habere distinctionem qualiscumque hominum, sed siue Iudæi, siue Græci sint, cunctos indifferenter ad fidem suscipere & in corpus Ecclesiæ traducere: hoc enim est manducare, iuxta quod Apostolo Petro significatum est. Vidit enim in excessu cœlũ apertum & descendens vas quodam, velut linteum magnum. 4. initijs summitti de cœlo in terram, in quo erãt omnia quadrupedia & serpentia terræ, & volatilia cœli Et facta est vox ad eum, dicens: Surge Petre occide & manduca. Nimirum qui illic per quadrupedia & serpentia terrę & volatilia cœli significabantur, hic manifestius exprimũtur homines, & ad fidem Christianam omnes admitti iubentur indifferenter, siue reges, siue tribuni, siue fortes, siue infirmi, siue serui, siue liberi, siue magni, siue pusilli, ad summum, siue Iudæi, siue Græci.

Similitudo

Act. 11.b

A Vnum tamen hic est quod adhuc magis figuratè sit accipiendum, scilicet, quod ait: *carnes equorum.* Neque enim in ista cœna magni Dei, equorum quoque carnes manducantur sic vt hominum, quia non equis sed hominibus prædicatur Christi sacramentum, & exigitur ab illis vt mortificent, & omnino derelinquant malas consuetudines operum carnaliũ. Est autem equus animal bellicũ. Rectè ergo per equos hic intelliguntur qui aliquando Christi fidem impugnauerunt. Qui autem sedent in ipsis reges sunt & potentes huius seculi, qui talium ministerijs abutentes, edictis & proscriptionibus aliquando ferebantur ad necem Christianorũ. Quis nesciat tales quoque ab Apostolis, plerumque reuocatos & conuersos esse ad Christum, & pœnitentiam egisse de sanguine sanctorum quẽ effuderunt? Bene igitur & carnes equorum & sedentium in ipsis manducetis ait: idest, persecutores homines, & agitatores eorum principes, in vnitatem vestri corporis, in societatem transferatis vestre fidei. Hactenus Rupertus.

B

C ¶ *Iacobum Alphai.* Subaudi, filiũ. *Et Simonem qui vocatur.* Vel qui vocabatur.

¶ *Et Iudam Iacobi.* f. filium.

¶ *Qui fuit proditor.* Hunc non per imprudentiam elegit Dominus, sed per prouidentiam. Vt huius exemplo doceret omnes, quàm horrẽdum sit abuti lenitate seruatoris erga nos.

D ¶ *In communi martyrum, & in vigilia omnium sanctorum, et in festo S. Fabiani et Sebastiani.*

ET descendens cum illis stetit in loco cãpestri, et turba discipulorum eius & multitudo

do copiosa plebis ab omni Iudæa, et Hierusalē, et maritima et tyri & sidonis, qui venerant vt audierēt eum, et sanarentur à lāgoribus suis. Et qui vexabantur à spiritibus immundis curabātur, et omnis turba quærebat eū tangere, quia virtus de illo exibat et sanabat omnes. Et ipse eleuatis oculis in discipulos suos, dicebat: beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei. Beati qui nūc esuritis, quia saturabimini. Beati qui nunc fletis quia ridebitis. Beati eritis cū vos oderint homines & cum separauerint vos, & exprobrauerint, et eiecerint nomen vestrum tanquā malum propter filium hominis. Gaudete in illa die, et exultate ecce enim merces vestra multa est in cœlo.

Matt. 5. a
Esai. 65. c

Esai. 61.

ET descendens cum illis stetit in loco campestri & turba discipulorum eius et multitudo copiosa plebis, etc. qui venerant vt audirēt eū.

Vndiq; homines istos traxerat auiditas & fames verbi Dei. Est enim verbū Dei cibus animi, quo qui caret famem maximam eū pati necesse est: quare illud summa auiditate quærere debemus si fame perire nolumus. Quæ omnia sigillatim

A libet pertractare. ¶ Quod verbū Dei sit animi cibus ostendit D. Augustinus sermone. 3. in illa verba Psal. 36. Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Panis, inquit, est verbum Dei qui nunquam ab ore iusti discedit. Nam in capite suo iustus iste tentatus hoc respōdit. Quando enim ipsi Domino esurienti & famem patienti diabolus ait: dic lapidibus istis vt panes fiant: respondit: non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Hæc Augustinus. ¶ Cibus ergo verus animæ est verbum Dei. Quemadmodum enim corpus cibo indiget quo viuat, nutriatur, crescat & conseruetur: sic animus suo certo & definito cibo indiget, vt viuat, nutriatur, augeatur, conseruetur q;. Et sicut corpus eget cibo terrestri, quod terrestre sit: sic animus cibo cœlesti qđ cœlestis & spiritualis sit. Et sicut necesse est vt cibus corporis intret & vniatur ad hæreatque corpori: ita quoque necesse est vt animi cibus reuera intret animum & penetret mentem, illiquē penitus inhæreat. Cum ergo animus ad imaginē Dei factus sit, nullumque sit mediū inter Deum & illum: necesse est vt alimentis diuinis à Deo immediate procedentibus sustentetur. Et quia verbum Dei exoritur de corde Dei, proceditque de eius ore, potestque animi cor intrare, illūque penetrare: ideo necesse est vt verbo Dei animus viuat & nutriatur. Proprium ergo alimentum, proprius cibus, naturaleque animi nutrimentum est hoc diuinū verbum. ¶ Hic est cibus quo Dominus Iesus populum suum reficit, illique conuiuium grande parat. In genesi. cap. 26. sacra narrat historia quòd Isaac fecit cōuiuium magnū Abimelech & socijs eius, & manducauerunt & biberunt. Quam figuram explicans Origenes in Gene. ho. 14. sic ait: Certum est enim quia qui ministrat verbum, sapientibus & insipientibus debitor est: quia ergo sapiētibus cōuiuium exhibet, idcirco dicitur, quia nō paruum sed magnum conuiuium fecit. Et tu si non sis adhuc paruulus & lacte nō indigeas, sed exercitatos habeas sensus

Verbum Dei cibus.
D. Augu. in Psal. 36

Matth. 4.
Deut. 8.

Vi. hęc & alia in theologia naturali titulo. 216. & Vgo. de sancto Vi. 2. par. c. 8. & 50.

Figura. Gen. 26.

Orige.

sus, & eruditione plurima præmissa ad intelligentiā verbi Dei capacior venias, fit etiā tibi conuiuiū magnū. Nō tibi holera languidorū parabitur cibus, nec lacte nutrieris, quo paruuli nutriūtur, sed faciet tibi minister verbi, conuiuiū magnum. Loquetur tibi sapientiā, quæ inter perfectos profertur, sapientiā Dei in mysterio absconditā proferet tibi, quam nemo principū huius seculi cognouit. Reuelabit tibi Christus secundū hoc, quod in eo omnes thesauri sapientię & scientiæ abscōditi sunt. Faciet ergo tibi cōuiuiū magnū & ipse tecū epulabitur: hæc Origenes vide illū. ¶Hinc colliges qd si verbū Dei est animi cibus, quo anima viuit quod peccatores qui verbo Dei carent fame pereunt. Ecce dies venient dicit Dñs per Prophetā: & emittā famē super terrā, non famē panis, neque sitim aquæ, sed famē audiēdi verbū Dñi. Vides (inquit Orige.) quæ sit fames quæ obtinet peccatores? Vides quę sit fames quæ inualescat super terrā? Qui enim de terra sunt & terrena sapiunt, & nō possunt percipere quæ sunt spiritus Dei, famem verbi Dei patiuntur, legis mandata non audiunt, correptiones Prophetarum nesciunt, Apostolicas consolationes ignorant, non sentiunt Euāgelij medicinam. Et ideo de his meritò dicitur quia inualuit fames super eos. Iustis autem & in lege Dñi meditantibus die ac nocte, sapiētia præparat mensam suam, occidit victimas suas, miscuit in cratere vinum suū, & summa voce clamat, nō vt omnes veniant, non vt abundantes, non vt diuites neq; vt sapientes huius mundi diuertāt ad se, sed si qui sunt (inquit) inopes sensu veniant ad me, idest, si qui sunt humiles corde, qui a Christo didicerunt mites esse & humiles corde, quod alibi dicitur, spiritu pauperes, sed fide diuites, isti conueniant ad epulas sapientiæ, & dapibus eius refecti depellant famem quæ inualescit super terram. Genes. 47. sacra narrat historia quod obtinuit fames AEgyptios. Vide ergo ne & tu forte inueniaris AEgyptius & obtineat te fames, ne forte seculi actibus occupatus, aut auaritiæ vinculis strictus, aut luxuriæ effussione resolutus, alienus efficiaris a sapientiæ cibis, qui semper in Dei Ecclesijs exhibentur. Si enim auertas auditum ab his, quæ vel leguntur in Ecclesia, vel disputantur, sine dubio famem verbi Dei patieris. si vero de Abraham stirpe descendas, & nobilitatem Israelitici generis custodias, pascit te semper lex, pascunt Prophetæ, exhibentq; tibi et Apostoli opulenta conuiuia. In finibus quoque Abraham, & Isaac, & Iacob, in regno patris recumbere te inuitabunt Euangelia, vt ibi manduces de ligno vitæ, & bibas vinum de vite vera, vinum nouum cum Christo, in regno patris eius. Ab his enim cibis non possunt ieiunare, nec famem pati filij sponsi, donec cum ipsis est sponsus: Vide Origenem homi. 14. in Genes. ¶Famescit ergo peccator qui nō verbo Dei, animum cibat, & satiat, sed voluptatibus huius mundi caducis & vanis pasci vult. Ideo talibus Esaias ait cap. 55. Quare appenditis argentū non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate? Audite audientes me & comedite bonum: & delectabitur in crassitudine anima vestra. Inclinate aurem vestram & venite ad me: audite & viuet anima vestra. Inuehitur Propheta in eos qui contempta vera doctrina, quæ cibus est animi, & illum satiare potest, dant operam rebus inanibus et superuacaneis, quæ nullā afferunt saturitatem. Et inuitat ad verbum Dei quo delectatur & incrassatur & viuit animus. *Quare*, inquit, *appenditis argentum & non in panibus, &c.* Idest, quare operam vestram insumitis in illis rebus, quæ non possunt valere ad salutem animæ? Quare omne studium impenditis in legendo Cicerone? In euoluendo Platone? In perdiscendis Philosophorū placitis, quorum scripta non possunt explere legentis animum? Quare magnis precijs & labore assiduo comparare vobis studetis eas scientias, in quibus non sunt panes, & sudatis in illis in quibus nulla est saturitas, sacris [illegible] relictis? generaliter autē reprehendit eos qui impendūt laborē in rebus ad salutē nō valituris. *Audite audientes me.* Subaudit

Peccatores verbo Dei carentes fame pereunt.

Amos. 8. c

Orig.

Gen. 47. Figura.

Orig. homi. 14. in Gen.

Esa. 55.

Explicatur locus Esaiæ.

hic debet particula aduersatiua, hoc modo: quin potius, audite me. *Et comedite bonum.* Est hæterosis numeri, bonū pro bonis. Comedite vera bona, quæ docentur & dantur per eū qui est solus & verè bonus. Reliqua autē omnia relinquunt suos studiosos famelicos omnibus philosophicis suis. Non potest Aristoteles aut Plato explere animū hominis, nec quid vis aliud humanū: sed verbum Dei nō vitiatū creditū, & præmāsum ab Ecclesia. *Et delectabitur in crassitudine anima vestra.* Istud partim hic impletur, plenissimè verò in futura vita: hoc adipe & hac pinguedine plena erat anima S. Frācisci: item anima S. Bernardi, pleni sunt & filij Ecclesiæ: qui autē foris sunt vacui, & famelici sunt: maximāq; animi sterilitatē, & cordis ariditatē patiūtur. Sic enim David ait: percussus sum vt fœnum & aruit cor meū, quia oblitus sū comedere panē meū. Quasi dicat, percussus sū vt fœnū quod arescit tempore ardoris, sic ego feruore tētationis: & aruit cor meū defectu deuotionis, siue sterilitate peccati: quia oblitus sum comedere panē meum, hoc est, verbū Dei audire & custodire. ¶ Si igitur Dei verbum cibus est animi sine quo viuere & cōseruari nō potest: si omnes mūdi artes satiare illū nō possunt: si illo deficiente animus famē patitur: auidè igitur hunc cibū tám nobis necessariū quæramus, atq; omnia nostra, libenter pro illo cōparādo, expēdam9. ¶ Gen. 47. narrant eloquia sacra omnia bona sua tā mobilia quā immobilia dedisse AEgyptios Ioseph pro alimēto sibi necessario. Quo datur nobis intelligi (ait Glo.) vt pro diuina sapiētia omnia huius mūdi bona sunt parui pēdēda. Vnde Salo. ait Sapiē. 7. c. Diuitias nihil esse dixi in cōparatione illius: nec cōparaui illi lapidem pretiosum: quoniā omne aurū in cōparatione illius arena est exigua, & tanquàm lutū æstimabitur argentū in conspectu illius. Itē Pro. 17. c. ait: Quid prodest stulto habere diuitias, cū sapientiā emere nō possit: De Anaxagora legitur quòd cū de studio sapientiæ rediret ad terrā suā, & videret suas possessiones dissipatas, risit. Ego, inquit, non essem saluus nisi istæ perissent. Et animaduerte: quòd Ioseph dixit inter alia, AEgyptijs fame pereuntibus: adducite pecora vestra. Vbi ait glos. interlinealis: pecora pro frumēto damus cū bestiales motus à nobis amputamus: vt verbo veritatis vberius vacemus. Ecce in hoc loco vides infinitā multitudinē hominū vndiq; currentē ad audiēdū Dei verbū, fame eius à diuersis locis & regionib9 tractā, quā imitari nos debem9, si peccatorum remissionem, si animi salutem, si vitam sempiternam consequi cupimus.

Psal. 101. *Verbum Dei auide querendū, quod cib9 sit animi.* *Gen. 47.* *Figura. Glo.* *Sapien. 7.* *Pro. 17.* *Anaxago.* *Glo. inter*

¶ *Et qui vexabantur à spiritibus immūdis curabantur.* Tāta erat Christi suauitas, & vis in dicendo, vt solo verbo suo, omnes malignos spiritus, è hominū corporibus, expelleret. Huius rei figurā habes. 1. lib. Reg. vbi enarratur quòd tanta fuit vis & fortitudo Dauid, vt erueret oues ex ore leonū & vrsorū & suffocabat interficiebatq; eos. Tātaq; fuit suauitas in psallendo, vt psalterio suo aut cythara dæmonē agitātē regē Saulē fugaret. Sic Christus Dñs verus Dauid, vi, & fortitudine sua, nos oues paschuæ suæ, de ore leonis, & vrsi, hoc est, dæmonū liberauit, illosq; suffocauit. ¶ Ipse enim secūdū hominē, psalteriū est, quemadmodum & in Psalmo vox ad eum cælica dicit: exurge gloria mea, exurge psalteriū & cythara. Statimq; respōdēs, etiā horā resurrectionis determinādo, exurgā, inquit, diluculo. Tāti ergo artificij melodia. s. Euāgelica doctrina fidiū impulsione, & digitorū motione excitata, habēti aures audiendi dulciter & clarè personat. Son9 fidiū, in illo, ipsa est prolatio vocū, discretio digitorū, pluralitas est Spiritus sancti donorū, quæ vniuersa in illo sunt. Hac ergo vi & suauitate dicēdi, spiritus malignos, qui homines istos miserabiles & infœlices agitabant, è corporibus expellebat: quēadmodū Dauid, leonē & vrsum, spiritumquè malum quo vexabatur Saul. ¶ Quod si adhuc scire velis quid mysticè significet, quòd verbo Dñi qui vexabantur à spiritibus immundis curabātur: Et qd psallente Dauid refocillabatur Saul: & qd eodē percutiēte corruit Philistæ9, audi Rupertum. Quid enim, inquit, per ea

Christi vis & suauitas in dicēdo. *1. reg. 17. e Figura.* *1. Reg. 16.* *Christus psalteriū & cythara Psal. 56.*

ea quę dicta sunt mysticè nobis innuitur nisi, quia desiderabilis & manu fortis Christus, inimicos suos, qui erãt natura filij irę, ad amiciciam pdestinatos, & per prædicationẽ euãgelij requiescere a peccatis, & respirare fecit de sub iugo diaboli, ac deinde superbũ inimicũ qui habebat mortis imperiũ .i. diabolũ, lapide viuo, qui ipse est, percussit, & sicut vulneratum humiliauit. Saul quippe in eo qd David cytharam percutiẽte refocillabatur, & leuiꝰ habebat, & recedebat ab eo spiritus malus: inimicos Dei significat ꝑ parte illorũ qui audita dulcissima prædicatione Christi, ad pœnitẽtiã inuitantis ad fidẽ eius cõuertũtur, & refocillantur, depositis peccatorũ oneribus, & per confessionem recedit ab eis diabolus. Porrò Philistęus quẽ interfecit, cõtra quẽ solũ pręualuit solus David, ipsum significat diabolũ, quẽ solũ verꝰ David Christꝰ superare potuit, quẽ per crucẽ suã vicit & suo sanguine triũphatũ foras misit. Hæc Rupert. ¶ Curẽt igitur prædicatores verbi Dei percutere gladio doctrinæ diabolũ, curẽt vi prędicationis, fugare ab animis hominũ spiritus malignos, vt peccatores dolẽtes & ad se redeũtes curentur: exẽplo Christi, qui virtute sua liberabat omnes, ab omni morborũ genere, quibꝰ tenebant .i. ab omni vitiorũ varietate, & ab omni peccatorũ multitudine quę tãq; spiritus maligni, animos illorũ vexabãt.

Rupert. li. 3. re. c. 2.

¶ *Et omnis turba quærebat eũ tangere, quia virtus ab illo exibat & sanabat omnes.* Omnia miracula quæ Christus faciebat, peragebãtur tãta facilitate, vt alios solo iussu, alios vestis etiã cõtactu subitò redderet sanitati. Quare nil mirũ vt omnes vellẽt eũ tãgere. Erat enim in eo fõs ac plenitudo virtutis diuinæ, quæ proficiscebatur ab eo, nõ secus ac lumẽ a sole, calor ab igni, & ideò salutẽ adferebat omnibꝰ. ¶ Hic imprimis animaduerte nõ sine mysterio maximo accidisse vt Dñs Iesus tot tãtaq; miracula in terris edidisset. Nã cũ in tota prędicatione sua nõ diceret se esse Deũ, quanuis se esse Dñm, se esse magistrũ, pastorẽ, imò Messiã cõfiteretur, ne suũ negotiũ & nõ patris agere videretur: tamen innumeris suis miraculis satis demõstrauit esse verũ Deũ. Quẽadmodũ apud Ioã. ipse significare voluit dicẽs: Opera quæ dedit mihi pater ipsa testimoniũ perhibẽt de me. Pater in baptismo testimoniũ perhibuerat de illo dicẽs, filius meus es tu. Quę vox apud David prædicta inuenitur. Ex inde (inquit Lactan.) maximas virtutes cœpit operari, non pręstigiis magicis, quæ nihil veri ac solidi ostẽtãt, sed vi ac potestate cœlesti, quæ iã pridẽ prophetis nũciãtibus canebãtur. Quæ opera tã multa sunt, vt vnꝰ liber ad cõplectẽda omnia satis nõ sit. Enumerabo illas breuiter & generatim. Virtutes eius fuerũt, quas Appollo portẽtificas appellauit. Quòd quacũq; iter faciebat, ægros ac debiles, & omni morborũ genere laborãtes, vno verbo, vnoq; momento reddebat incolumes, adeo vt mẽbris omnibus capti, receptis repentè viribus roborati, ipsi lectulos suos reportarẽt, in quibus fuerãt paulo ante delati. Claudis verò ac pedũ vitio afflictis, non modo gradiẽdi, sed etiã currẽdi dabat facultatẽ. Tũc quorũ cœca lumina in altissimis tenebris erãt, eor[um] [o]cu[l]os in pristinũ restituebat aspectum. Mutorũ quoq; linguas in eloquiũ, ser[m]o[n]ẽq; soluebat. Itẽ surdorũ patefactis auribꝰ insinuabat auditũ: pollutos & aspersos maculis, repurgabat. Et hæc omnia nõ manibus aut aliqua medela, sed verbo, ac iussione faciebat; sicut etiam Sybilla prædixerat, πάντα λόγῳ πράττων πᾶσάν τε νόσον θεραπεύων. Nec vtiq; mirũ, quod verbo faciebat miracula, cũ ipse esset Dei verbũ, cœlesti virtute, ac potestate subnixũ. Nec satis fuit, qd vires imbecillibus redderet, qd debilibus integritatẽ, qd ægris & languẽtibus sanitatẽ: nisi etiã mortuos suscitasset, velut è somno solutos, ad vitamq; reuocaret. Quę vidẽtes Iudęi, dæmoniata potẽtia fieri arguebãt: cũ multa sic futura, vt facta sũt, arcanæ illorũ literę cõtinerent. Legebãt quippè cùm aliorum prophetarum, tùm Esaiæ verba dicentis: Confortamini manus resolutæ & genua debilia consolamini. Qui estis pusillo animo nolitę timere: Dñs noster iudiciũ retribuet: ipse veniet, & saluos faciet nos. Tũc aperiẽtur oculi cæcorũ, & aures surdorũ audiẽt. Tunc saliet claudꝰ sicut ceruꝰ, & plana erit lingua mutorũ, quia

Ioan. 5.

Psal. 2.

Lactan. 4. de vera sapientia. c. 15.

Esai. 35. a.

Ioã. 4. Miracula Christi satis demonstrabant esse verum Deum.

quia rupta est in deserto aqua, & riu9 in terra sitienti. Ob has ei9 virtutes cũ magna eũ multitudo sequeretur, vel debiliũ, vel ægrorũ, vel eorũ, qui curãdos suos offerre cupiebãt, ascendit in mõtẽ quẽdã desertum, vt ibi adoraret: vbi cũ triduo moratus esset, ac fame populus laboraret, vocauit discipulos suos, quærẽs quãtos secum gestauent cibos. At illi. 5. panes, & duos pisces in pera se habere dixerunt. Afferri ea iussit, ac multitudinẽ per quinquagenos distributam discũbere. Quod cum discipuli facerent, frangebat ipse panem minutatim, carnemque piscium comminuebat: & vtraq; in manibus eius augebantur: & cũ apponere illa populo discipulis imperasset, saturata sunt 5. millia hominum, & insuper 12. cophini de residuis fragminib9 impleti. Quid aut dici, aut fieri potest mirabilius?

¶ Quæro igitur quid hic potuerit ars magica moliri, cuius peritia nihil aliud quã ad circunscribendos oculos valet? Idem secessurus orandi gratia, sicut solebat, in montẽ, præcepit discipulis vt nauiculam sumerent, seq; præcederent. At illi vrgẽte iam vespere profecti, contrario vento laborare cœperunt. Cumq; iam mediũ fretum tenerent, tunc pedibus mare ingressus consecutus est eos: tanquam in solido gradiens, non vt poetæ mentiuntur, Orionẽ in pelago incedẽtem, qui demersa corporis parte humero superemi net vndas. Sed & rursus cũ obdormisset in naui, & ventus vsq; ad extremũ periculũ seuire cœpisset, excitatus ex somno silere ventũ protinus iussit, & fluct9 qui maximi ferebantur, cõquiescere: statimque sub verbo eius trãquillitas subsecuta est. ¶ Miracula ergo Christi tanta erãt vt illũ verũ Deũ, ipso tacente, prædicarent. Transcẽdebant enim omnẽ naturæ virtutẽ. Quapropter cœcus ille lumine suscepto dicebat: à seculo nõ est auditũ, quia quis aperuit oculos cœci nati. Nisi esset hic à Deo non poterat facere quicquã. Eaq; non orãdo sicut alij sancti, sed præcipiendo edebat. Virtus enim ab illo exibat & sanabat omnes: vt in hoc loco Euangelista testatur. Quibus verbis ostẽdere voluit (auctore Cyril.) Christũ Dñm non accepisse alienã virtutẽ, sed cũ

Cyrillus.

A natura De9 esset, propriã & innatã virtutẽ super infirmos ostẽdere volebat. Quapropter quotquot tangebãt illũ, sanabãtur. Qua etiã de causa, tot tãtaq; alia miracula edebat. Vnde D. Chrys. in illa verba Matth. c. 8. eijciebat spiritus verbo, & omnes male habẽtes curauit sic ait: intẽde quantã multitudinẽ curatam trãscurrunt Euãgelistæ, nõ vnũquodq; curatũ enarrãtes: sed vno verbo pelagus ineffabile miraculorũ inducẽtes. Et ex hoc ostendebatur quòd haberet virtutẽ coequalẽ Deo Patri: secundũ illud Ioã. c. 5. quæcũq; pater facit, hæc & filius similiter facit: & ibidẽ: sicut pater suscitat mortuos & viuificat, sic & fili9 hominis quos vult viuificat. ¶ Secũdò, hic obseruare operepreciũ erit, quòd hæc omnia diuina opera quæ Christus in corporib9 hominũ edebat, habuerũt (inquit Lactan.) figurã & significantiã magnã, quorũ vis & potẽtia valebat quidẽ in præsens, sed declarabat aliquid in futurum. *Aperuit cæcorũ lumina*, cœlestis virtus, & lucem vidẽtibus reddidit: sed hoc facto significabat fore, vt cõuers9 ad gẽtes, quæ Deũ nesciebãt, insipientiũ pectora illuminaret luce sapiẽtiæ, & ad veritatẽ contẽplãdã oculos cordis aperiret. Verẽ enim cœci sunt qui cœlestia non videntes & tenebris ignorãtiæ circũfusi, terrena & fragilia venerãtur. *Patefecit aures surdorum*. Nõ vtiq; hactenus vis illa cœlestis operata est, sed declarabat breui fore, vt qui erant veritatis expertes, & audirẽt & intelligerẽt diuinas Dei voces. Verẽ enim surdos dixeris qui cœlestia & vera & facienda non audiũt. *Mutorũ linguas in eloquiũ soluit*: admirabilis etiã cũ fieret potentia, sed inerat virtuti huic alia significatio, quæ ostenderet mox futurũ, vt rerũ cœlestium nuper ignari, percepta sapiẽtiæ disciplina, de Deo, & veritate, dissererẽt. Nã qui rationẽ diuinitatis ignorat, is verẽ elinguis & mutus est, licet sit omniũ disertiss. mus. Lingua n. cũ verũ loqui cœperit. i. veritatẽ maiestatemq; Dei singularis interpretari, tũc demum officio naturæ suæ fungitur: quandiu autem falsa loquitur, in vsu suo non est: & ideo infans sit necesse est, qui diuina proloqui non potest. *Pedes quoque clau-*

D. Chrys. Matth. 8.

B

Ioan. 5. Vi. S. Tho. 3. p. q. 43. ar. 4.

Lactan. li. 4. c. 26.

C

Miracula facta à Christo in corporibus, aliud quid significabant operandũ esse in animis.

D

dorum

dorum ad officiũ gradiendi reformauit. Laudabilis diuini operis fortitudo, sed figurã id cõtinebat, quod cohibitis erroribus vitæ secularis ac deuiæ, iter veritatis aperiretur, per qđ graderétur homines ad Dei gratiã cõsequendã. Is enim verè claudus existimãdus est, qui caligine ac tenebris insipiẽtiæ implicatus, & quo tẽdat ignarus, offẽsibilibus & caducis gressibus per viã mortis incedit. *Item labes maculas inquinatorũ corporũ repurgauit.* Nõ exigua immortalis potentię opera, verũ id protẽdebat hęc vis, qđ peccatorũ cladibus ac vitiorũ maculis inquinatos, doctrina eius purificatura esset, eruditione iustitiæ. Leprosi .n. verè atq; elephãtici debẽt haberi, quos vel infinitæ cupiditates ac scelera, vel insatiabiles voluptates ad flagitia cõpellũt, & dedecorũ maculis inustos, labe afficiũt sempiterna. *Iacentia mortuorũ corpora erexit, eosque nominibus suis inclamatos, à morte reuocauit.* Quid cõgruẽtius Deo, quid miraculo dignius, omniũ seculorũ, quã decursam vitã resignasse, cõpletisq; hominũ tẽporibus, tẽpora adiecisse, arcana mortis reuelasse? Sed hæc inenarrabilis potestas, imago virtutis maioris fuit, quæ demõstrabat, tãtã vim habiturã esse doctrinã suã, vt gẽtes in toto orbe, quæ alienę à Deo, subiectæ morti fuerũt, cognitione veri luminis animatæ ad immortalitatis præmia peruenirẽt. Eos enim rectè mortuos existimaueris, qui datorem vitę Deũ nesciẽtes, atq; animas suas a cœlo in terrã deprimẽtes, in laqueos ęternę mortis incurrũt. Hactenus Lactã. ¶ Quãdo igitur tãta virtus à Chro proficiscitur accedamus omnes lãguidi ad eũ, viua fide illũ tãgam9, & sine dubio sanabimur quacũq; animi ægritudine detẽti simus. Seruator enim est & omnibus saluandis atq; sanãdis venit. Ipse est qui sanat contritos corde: & alligat cõtritiones eorũ. Ipse inquã est qui summè afflictis medetur, & qui veluti chirurg9 alligat vulnera eorũ. Ipse est qui etiã verè pœnitẽtes & vera cordis contritione humiliatos sanat, tanquã bonus ac pius medicus, qui male habentes saluare venit: & peccatores vocare ad pœnitẽtiã. Sanat certè languores peccatorũ tollẽdo, & dolores mali reatus nostri in seipsum assumẽdo. Dolores quoq; vulnera & infirmitates nostras diligẽter curat, ad eũ modũ quo medic9 perit9 iuxta ac diligẽs, loca vulnerũ atq; infirmitatũ solet alligare & fouere emplastris, donec quæ erant infirma ad firmitatem & sanitatem perducat.

Psal. 146.

¶ *Beati pauperes quoniã vestrũ est regnũ Dei.* Totus scopus impresentiarũ Dñi fuit, vt Apostolis suis & qui Apostolicũ institutũ amplexuri essent, sic mundũ relinquerẽt, vt nõ solũ eũ obliuioni traderẽt, verũ vt operã sedulo darẽt, vt mũd9 ipsorum vicissim obliuisceretur. Atque adeò alter ab altero sic esset alienus, ac si duo cadauera essent. Hæc autẽ mũdi abdicatio nõ fit, nisi ea, quibus nos mũdus retinet, omnino relinquamus. Hęc autẽ tria genere bona sunt. Nẽpe honores, voluptates, & diuitiæ. De quibus ait Ioan. in Canoni. sua. Omne quod est in mũdo, cõcupiscẽtia carnis est, & cõcupiscentia oculorũ, & superbia vitæ. Quæ bona ne sua exorbitãtia, vel charitatẽ propellant, vel eius feruorẽ tepefaciãt, præceptorũ lineis ac normis limitantur. Quarè qui præcepta seruat, illis potest bonis vti licitẽ, nã iustitiæ limina nõ egreditur. Attamẽ quia etiã tũc nõ possunt nõ multa a lędæ charitati creare pericula, salutaria Christus hodie adijcere voluit consilia: vt illis prorsus impedimẽtis eiectis expeditiores suã sequeremur crucẽ. Quòd .n. ijs etiã, qui præceptis obtẽperant, possessio seculariũ bonorũ periculosa sit: enarrauit diuinè Christus apud nostrũ Lu. c. 18, in illa parabola triplicis malignæ terrę. Quod enim seminãtis verbũ in terra iactũ sit, legis præcepta designat, humanis mẽtibus suscepta: sed vel superbia vitę eorũ qui secus viã ambulãt, hoc est, cũctis mũdi honoribus inhiant, vel cordiũ ariditas, eorũ qui carnis desiderijs madẽtes in spiritualibus arescũt, vel eorũ sollicitudo qui pũgẽtibus diuitijs implicantur, semen idem salutiferũ, aut dæmonibus exponunt, aut roris inopia exsiccãt, aut denique rerum auaritia suffocant. Hac igitur de causa Christus legifer noster hodie in mõte isto, in locoq; eius cãpestri, non hominum, aut Angelorum, sed os suum aperiẽs, cœpit proferre mu-

Quis fuerit finis Christi, consulẽdo vt sui essent pauperes spiritu.

Ioã. 1 Cano. c. 2 et.

Luc. 18.

stum euangelicæ perfectionis, & statim vt optimus architector, ab ipso legum fine, nempe a beatitudine exorsus, beati, inquit, pauperes, beati mites (vt Matth. ait) beati qui lugent. Quibus veram religioné delineare voluit. In triplici náq; huius mundi sapientes, de suprema fœlicitate versabantur errore, vt. 1. ethi. auctor est Aristo. Alij quippe in diuitijs eá collocabant, alij vero in honoribus, atq; alij in voluptatib9. Eorum ergo vesaniá trina sententia redemptor retundit. Cũ enim totus mortalium orbis fœlicitaté quam nullus non auidé, vbi sita esset scire cuperet. cõmuni omniũ desiderio primo verbo obiam exiuit. Optatis, inquit, beatitudiné cognoscere, quó lex omnis ducit? Beati ergo pauperes. s. spiritu (vt Matth. addit) hoc est, beati pauperes spõtanei. Ac si dicat: tantum abest immodicam rerum abundantiam homines beare: vt iustitia in earum potius vsu moderato consistat: beatitudo vero in earum prorsus neglectu & abiectu. Mox: *beati mites*. nempé qui non satis habent iusto honorum moderamine vti, verùm altiori se obedientiæ religantes, ab eorum tumultu perfugiunt. *Beati qui lugent*: hoc est, non qui voluptatibus submergũtur, fœlices sunt: sed qui legis præscripto eis fruuntur, illi iusti. Qui vero vsq; ad lutũ illas repudiauerint, illi beati. Et vt clari9 ostenderet consiliorũ exercitia ad egregiam mandatorum custodiam magnopere conducere ait: *beati qui esuriunt*. s. iustitiam. Qui enim consilia seruare profitentur, non satis ducunt præcepta iustitię seruare vtcumq;, sed sitiétissimé. Sed iá sigillatim de singulis suo ordine agamus. ¶ *Beati pauperes*. Quasi diceret: infœlices diuites huius seculi & fœlices pauperes qui propter me omnia mundi bona contemnunt. Pulchré profecto D. Chryso. ho. 2. ad populú in omnib9 paupertaté, diuitijs anteponit: & pauperes Christi, diuitibus huius seculi. ¶ Infœlices igitur diuites huius seculi, qui in futuro seculo pauperrimi erũt. Qualis ille cõtẽptor Lazari diues, qui post hác vitá stillá obtinere quærẽs, nec ipsius factus est cõpos, in tá extremá deuenerat paupertaté. ¶ Fœlices & beati pauperes huius seculi propter Christũ, qui futuri seculi diuites sũt: qualis fuit ille Lazarus, in præsenti quidem vita pauperrimus, in futura vero diues. Non auro, & argento, & vlla tali corruptibili & marcescibili materia affluens: sed arcanis illis bonis, quæ neq; oculus vidit, neq; in cor hominis ascenderũt. Hæc náq; veræ diuitię & opulentię: quando & immarcescibilia sint bona, & nullá capiant mutationé. ¶ Infœlices diuites huius seculi, confidentes in incerto diuitiarũ suarũ. Nihil enim tá infidũ quá diuitię: quod sunt veluti fugitiuus seruus & ingratus fidé nõ habẽs, vel si innumera ipsi vincula injicias: ná sic quoq; cũ ipsis vinculis aufugit. Sæpius náq; pessulis & forib9 seruũ hunc: hoc est diuitias, possidẽtes conclu serunt, seruorũ adhibita custodia: ille verò seruis ipsis persuadẽs, cũ ipsis fugit custodibus, tanquá catená eos trahẽs, & nihil profuit custodia. Quid hoc infidelius? Quid vero his, qui circa hũc, studiũ collocát miserabilius? Quádo ré tá labilem omni studio colligere aggrediantur, nec Prophetá audiant dicenté: vę his qui cõfidũt in virtute sua, & in multitudine diuitiarũ suarũ gloriantur. Dic, quare væ? Thesaurizat, inquit, & ignorat, cui congregabit ea. Et quoniá labor quidé certus, fructus vero incertus. Sępius inimicis laboras, & erũnis conficeris. Sæpius post morté tuá ad eos qui te affecerut iniuria, & innumeris circũuenerũt insidijs, hæreditas veniẽs, tibi quidé peccata, possessioné verò alijs præbuit. ¶ Beati verò & fœlices Christi pauperes cõfidẽtes in diuitijs, quas neq; erugo neq; tinea demolitur: neq; predæ patẽt. ¶ Infœlices diuites seculi huius, quibus diuitiæ sunt radix & materia superbię. Qua enim, dic mihi, causa multos diues circũducit sernos, parasitos, adulatores, & reliquá omné põpá? Nõ vtilitatis causa, sed arrogantię solius, vt ex his venerabilior alijs hominibus esse videatur. Beati verò pauperes, qui nihil habẽt elationis: ideoq; meritò pauperes spiritu vocantur, hoc est, pauperes vẽto superbiæ, hoc est, humilẽs corde. Hos. n. exaltat in cœlis Deus. Ná qui se humiliat exaltabitur. ¶ Infœlices diuites huius mũdi, qui comedunt & nõ sen-

Matth. 5. Nota. Aristo. Matth. 5. D. Chryso. homi. 2. ad populum. Quare diuites hui9 seculi infœlices & pauperes fœlices dicantur. 1. Cor. 2. c Similitudo Not. Psa. 48. b

fectiŭs voluptatē: beati pauperes, qui magna cũ voluptate cibis fruũtur. Illi enim repleti comedunt voluptatis appetitu non excitato: hi verò, cum fame mēsam attingant, omni obsonio & condimento, & innumeris ciborum illecebris iucundiorem escam gustabũt, & si omnium vilissima sit. Audiamus scripturam hoc ipsum dicentem: anima saturata calcabit fauum, & anima esuriens amarum etiam pro dulci sumet. Et certè quid fauo dulcius & melle? Sed non iucũdum, inquit, non esurienti. Quid verò amaris iniucũdius? Sed dulcia sunt in pauperie constitutis. Neque in cibis tãtum, sed & in potu idem accidere videre licet ob eãdem causam. Quod Propheta demonstrare volens ideo dicebat: & de petra melle saturauit eos. Postquàm filij Israel sitientes & indigẽtia defatigati, frigidioribus aquis inciderunt, ex potu voluptatem asserere volens, mel aquam appellauit: non tanquàm mutata in mel natura, sed bibentium dispositione fluenta illa melle iucundiora faciente. Multi igitur pauperes sæpe laborantes, & siti ardẽtes, cũ dicta voluptate talia libauere fluenta: diuites vero, vinum suaue, & floris odorẽ, & omnem virtutem habens, quæ in vino optari possit, haurientes: non eãdem sensere delectationem. Hoc & in somno fieri vides. Iucundus (inquit Salo. delicijs enutritus) somnus seruo, siue parũ siue multum comedat. Postquam enim tota die laborauerint, sufficientem laborum suorum retributionem capiunt in dormiendo voluptatem. Sed non sic diuites sed stratis mollibus iacentes, multoties totam noctem ducũt insomnem, & multa machinantes tali non fruuntur voluptate. Cum igitur cum maiori voluptate pauper & dormiat, & bibat, & comedat, fœlicior profectò iudicandus est diuite. Imò hic infœlix & ille fœlix. ¶ Infœlices diuites huius seculi otiosam agẽtes vitam, fœlices pauperes laboriosam & ærumnosam transigentes. Quando illaboriosam vitam egebat Adam, paradyso excidit: quãdo laboriosam Paulus, in labore & ærũna noctem & diem operans: tunc in paradysum raptus est, & tertium in cœlum ascendit. Ne igitur laborem respuamus, nec operationem vituperemus. Etenim ante cœlorum regnũ hic maximum capimus præmium: ex ipsa re voluptatem capientes: non autem voluptatem tantum, sed & quod multò maius voluptate est, purissimam sanitatem. Diuitibus enim in iucunditate multæ ægritudines irruunt: pauperes autẽ à medicorum manibus immunes sunt. Si verò nonnunquàm & in imbecillitatem incidant, breui seipsos instaurant, mollicie omni liberi, & corpora robusta habentes. Magna possessio paupertas, sapienter ipsam ferentibus, thesaurus qui nequeat auferri, baculus firmissimus, inculpabilis possessio, diuersorium ab insidijs tutum. At opprimitur, inquis, pauper: sed maiores insidias diues patitur. Contemnitur pauper & contumelijs afficitur: sed diuiti inuidetur. Non tàm expugnabilis est pauper quam diues, infinitas vndique & diabolo, & insidiatoribus occasiones præbens, omnium seruus propter multam rerum abũdantiam, in multorum necessitate cõstitutus, & multis adulari cogitur, & cum multa illiberalitate seruire. Pauper autem si philosophari sciat, neque ab ipso diabolo expugnari potest. Iob igitur, & ante hoc cum fortis esset, postquam omnia amisit, tũc factus est fortior, & egregiam cõtra diabolum victoriam reportauit. Præterea vero, nec iniuriam pati pauper potest, si philosophari scierit. Quod enim dixi de voluptate, quòd voluptas non in ciborũ apparatu, sed in comedentium affectu sita est: hoc & de contumelia dico, quòd contumelia non à contumeliãtium sententia, sed à patientium affectu cõstituitur, vel destruitur. Verbi gratia, multa quispiam in te fanda, atque nefanda conuicia dixit: si contumelias deriseris, si verba non acceperis, & vulnere superior sis, contumeliam non es passus. Et quemadmodum si corpus adamãtinum haberemus, & si innumeris vndique telis percuteremus, non tamen vulnera reciperemus (Non enim à manu tela torquente, sed à corporibus patiẽtibus vulnera fiunt) Sic & hic non à petulantium insa-

Prou. 27. a
Psal. 80. c
Eccle. 5.
Gen. 3. d
1. Cor. 12.
Similitudo

insania, sed à patientium contumelias imbecillitate, iniuriæ & contumeliæ constituuntur. Si enim philosophari sciamus: ne contumelia affici possumus, nec quicquam graue pati. Aliquis iniuriam intulit, non sensisti neque doluisti? Non es iniuriam passus, sed & magis percussisti, quàm percussus es. Cum enim qui contumeliam intulit, plagam suam ad patientium animam non peruenire videtic, ipse maiorem in modum roditur: & tacentibus contumeliam patientibus, sponte contumeliarum plaga contra mittentē conuersa infertur. In omnibus igitur philosophemur, & nihil nos inopia lædere poterit: quin & maxime adiuuabit & clariores reddet, & omnibus diuitibus copiosiores. Quid enim dic mihi Helia pauperius? Sed propterea omnes diuites vincebat, quoniam pauper hic erat: ipsam verò paupertatem ex mentis opulētia elegit. Quoniam enim omnem pecuniarum copiam animi sui magnitudine esse putauit inferiorem, nec philosophia sua dignam: ideo tantum pauperiē amplexatus est. Quod si magna præsentia putasset, non solam meloten possedisset: sed ita vitę vanitatem condemnauit, & tanquàm lutum proiectū aurum omne despexit, vt præter amictum illum nihil amplius possideret. Ideo rex pauperis indigebat: & verbis nihil plusquā meloten habentis inhiabat, qui tantum habebat auri: adeò splendidior trabea erat melote, & regalibus aulis iusti spelunca. Propterea & in cœlum ascendens, nihil aliud quàm meloten discipulo reliquit. Cum hac, inquit, cum diabolo pugnaui, & tu contra illum armatus hanc capies. Validum enim telum inopia, & inexpugnabile habitaculum, & turris inconcussa. Tanquā maximam hæreditatem Helisæus meloten suscepit. Etenim verè maxima fuit hæreditas omni auro preciosior. Et erat post hac duplex Helias ille, & erat sursum Helias & deorsum Helias. Hæc ex Chryso. ¶ Infœlices denique diuites huius seculi, quoniam impossibile est intrare eos in regnum cœlorum vt Christus ait: beati pauperes quoniam vestrum est, inquit, regnum Dei. Quid habet huius mundi celsitudo cum hac sublimitate conferendum? An non magnificum regnum est: nulli seruire vicio: nullis obnoxium esse cupiditatibus: cōculcasse satanam cum omnibus suis copijs: vicisse mundum cum omnibus suis terroribus & illectamentis: ascitos esse in consortium Dei, ascriptos esse regno cœlestic? ¶ *Vestrum* inquit, *est regnum Dei*. Id est, doctrina Euangelica. Vestrū est regnū Dei, idest, gratia & pax & gaudium in Spiritu sancto. Vestrum est regnum Dei, idest, vester ego sum. Vestrum denique est regnū Dei. i. beatitudo cœlestis. ¶ Contemptoribus enim rerum tēporalium regnum Dei datur quasi iure emptionis. Vnde D. Bernar. ait: pauperibus pariter & martyribus regnum cœlorum promittitur: quia paupertate quidem emitur, sed in passione pro Christo absque omni dilatione percipitur. Matthę. 19. Omnis qui reliquerit domū, &c. centuplum accipiet & vitam æternam possidebit. Et D. Bernar. Quid, inquit, sibi vult quod eadem promissio facta est martyribus, & pauperibus, nisi quia verè martyrij genus paupertas voluntaria est.

¶ *Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini*. Publica omniū opinione res est acerba fames, & egestas res est vel à quisque fugienda: neque quisquā hominum huius seculi non eos beatos prædicat, qui rem familiarem locupleter auxerint, & cōstabilierint, vt liceat affatim frui. Beatum, inquit, dixerunt populum cui hæc sunt. Sed nec opes quālibet aggestæ saturant animum, vt superius diximus, neque fœlicitas hominis, ventris saturitate metienda est. Quos igitur Christus in hoc genere beatos pronūtiat? Beati, inquit, qui nunc esuritis, scilicet, iustitiam. Iusti enim non solum vtcumque præcepta iustitiæ seruant: sed famem à rebus corporeis & perituris transferunt ad expectendam iustitiam euangelicam, vbi semper est quod esuriatur, semper quod sitiatur, & beata satietas est. ¶ Beati ergo vos, ait Christus, qui nunc tenues esuritis, & contenti frugalitate, spernitis opes ac luxum huius mundi: esuritis autem

D. Chrys. | Explicatur locus secūdū diuersas acceptiones huius nominis regnū Dei. | D. Ber. in sermonibus. | Matth. 19. | D. Ber. in sermonibus. | Quid iusti esuriunt. | Psa. 143.

Iusti esuriunt verbum Dei, & obseruantiam mandatorũ, & diuinã sapientiam. Eccle. 24.

autem animi cibum, hoc est, diuinum sermonem: qui vt superius ostendimus animi cibus est. Esuriũt iustitiam euangelicam, quę in obseruantia omniũ mandatorum Dei consistit. Esuriũt denique diuinam sapientiam: quæ apud Ecclesiasticum ait: qui edunt me adhuc esurient: & qui bibunt me adhuc sitient. Viri Apostolici edunt & bibunt diuinam sapiẽtiam, quod perfecta refectio sit. Et tanto plus à comedentibus esuritur, quanto ab esurientibus amplius comeditur. In cibis enim corporalibus appetitus placet: experientia displicet. Vnde regius vates ait: gustate & videte quoniã suauis est Dominus. ¶Viri, inquam, Apostolici esuriunt iustitiam euangelicam, desiderant bonitatem & vitę rectitudinem, sitiunt vehementer aquam illam cœlestem, hoc est, diuinam gratiam: vt fiat in eis fons aquæ viuæ salientis in vitam æternam. Tantoque animi ardore mandata Dei seruare concupiscũt, vt dies noctesque in eis seruandis consumant. Nihil illis suauius, nihil dulcius, nihil iucũdius. Nullus enim thesaurus in hoc mũdo desiderari & quæri tam ardenter potest, quàm iustus hunc thesaurũ iustitię euangelicæ appetit & inquirit: certò sciens quàm verè Salomon diuino afflatus spiritu dixerit: pone thesaurum tuum in pręceptis altissimi, & proderit tibi magis quàm aurum. Huius enim mũdi thesauros qui animum non explent, relinquit homo cum ab hac mortali vita discedit: at hunc thesaurum secum defert. Hos ergo, esurientes iustitiam, beatos & fœlices hic vocat Christus. Beati, inquit, qui nunc esuritis. ¶*Beati qui nunc esuritis*. Meritò viri Apostolici ardẽter seruantes iustitiam euangelicam, hoc est, omnia Dei mandata, beati vocantur in hac vita: quod habeant beatitudinem & fœlicitatem, quæ in via hac qua gradiũtur, haberi potest. Primò propter animi lætitiam & internum gaudium: quod iustitiam & mandatorum ardentem obseruãtiam comitatur. Hinc est enim quod regius Psalmista ait: Iustitiæ Domini rectæ lętificantes corda. Præcepta enim Dei (quibus iustificãtur homines) recta,

Psal. 33. b

Eccle. 29.

Tales beati dicũtur quia saturantur in hac vita beatitudine vię & in futura saturabuntur perfecta beatitudine.

Psal. 18.

A æqua, & iusta sunt. Lętificantque corda eorum qui obseruant ea. Siquidem mẽs ex testimonio bonæ conscietiæ, & obseruatione fideli præceptorum Dei, secura quasi iuge conuium est. E contrariò in iustitiam comitatur miseria, a qua viri sanctitate præstantes omnino immunes sunt: vnde in Prouer. Salo. ait: miseros facit peccatum. Et Augu. in lib. de libero arbi. Tãta, inquit, est beatitudo iustitiæ, vt nemo ab ea nisi ad miseriam possit abscedere. Secundò: quia quanto magis viri iusti esuriunt iustitiam, tanto maiori gaudio perfruũtur operando illam. Vnde Salo. desiderium si compleatur lætificat animam. Tertiò: quia spirituali valetudine & sanitate pollent. Esuries enim iustitię, testis est sanæ mentis, saniq; animi: quemadmodũ appetitus rectitudo, corporalis salutis. Quartò, quia esuriem iustitiæ, sequitur abundantia bonarum actionum. Vnde magis ac magis accrescit lætitia bonis actionibus annexa. Animus enim bonis atq; studiosis operibus abundans similis est arbori habenti fructuum plurimorum copiam: at vero animus his carens, similis est illi arbori, cui apud Matthæ. maledixit Dominus dicens: nusquàm ex te fructus nascatur in sempiternum. ¶Et quemadmodum steriles mulieres ardenti filiorum desiderio tenentur: sic animus hominum piorum, maximo semper appetitu tenetur bonarum operationum. Da mihi (dicebat Rachel) liberos: alioquin moriar. Sic animæ appetitus fructum spiritualium actionum postulat. Vnde D. Bernar. in Can. dicebat: Quàm mitius me priuares, ò amara mors vitæ vsu: quàm fructu, nã vita sine fructu grauior mors. ¶Esuriamus ergo iustitiam quæ animũ explet: leuiter appetamus ista, quibus alitur, & fouetur corpus, in quorũ cura vulgus tam miserè torquetur: & expletos nonũquã magis cruciat saturitas, quàm fames cruciabat, & mox à saturitate recurrit fames subinde sarciẽda. Imitemur pios virosq; Apostolicos, qui paruo contẽti, nec præter necessaria quicquam desiderantes, transferunt famem hanc, à rebus caducis, ad appetendam iustitiam Euangeli-

B C D

Pro. 14. D. Augu.

Pro. 13.

Similitudo

Matth. 21.

Similitudo

Gen. 30.

D. Ber.

gam. Et tunc contingет nobis salubrib9 his delicijs expleri, quas in hac vita & in futura desideramus. Stat enim Christi sententia. Beati qui nunc esuritis: quoniã saturabimini. ¶ Hunc verum animi cibum ardenter expectebat sanctus & pius vates Dauid, non humanarum rerum saturitatem, qua homines peccatores & diuites seculi huius perfruuntur. Et ideo dicebat: de absconditis tuis adimpletus est venter eorum. Saturati sunt filijs: & dimiserunt reliquias suas paruulis suis. Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo satiabor cum apparuerit gloria tua. Quasi diceret: impij homines, & potẽtes huius seculi saturati sunt, & copiosè perfruiti ad omnem plenitudinem, ijs quæ abscondita sunt à conspectu tuo, quæ tu ignoras Domine, quæ tu minime probas: idest, seculi huius delicijs, & temporarijs fœlicitatibus, inquẽ vitijs & concupiscentijs, lasciuijs & luxurijs (quæ tu ignoras ac detestaris) enutrierunt corda sua, & sine freno oblectauerunt semetipsos: vt, quemadmodum in hac vita receperunt bona quę tu non probas, ita in futura bonis illis priuẽtur quæ erunt in conspectu tuo. ¶ Filios in hac vita habent ac filias ad abundantiam, eosq; egregiẽ pulchros, robustos, & benecompositos, & item omnium tẽporalium bonorum abũdantia sunt perfruiti, & veluti satiati: & vsquẽ adeò pleni fuerũt bonis omnibus, vt ea non possent per sese expendere omnia, sed dimiserunt residua prolibus suis. Insuper & doctrinas prauas, & exempla pessima, morientes quasi reliquias malitiarũ suarum reliquerunt suis posteris, quos in rectitudine iustitiæ debuerant instituere. ¶ Ego verò illa omnia quibus illi modo satiantur contemnens atque pro nihilo pendens vniuersa: hoc solum curare volo ac prouidere, vt in iustitia omniquẽ virtutẽ perfectione appaream ante conspectum tuum, & modò semper ante te, in tuo beneplacito conuersando, & post hanc vitam ad tuam præsentiam pertingendo: parum autem est si modo dum illi saturantur ego esuriam: illis deliciantibus, ego lugeam & fleã. Certissima enim fide scio quòd pro hac esurie ventura sit mihi perfecta bonorum omnium satietas, tunc, cum post tenebras vitæ huius manifestauerit se mihi gloria tua, cum tu dabis facie ad faciem contueri magnificam illam gloriam tuam, in qua tecum iubilant omnes sancti tui in æternum.

Psal. 16.

Explicatur locus.

Iacobi. 5.

Luc. 16.

A

¶ *Beati qui nunc fletis: quoniam ridebitis.* Quasi dicat, beati qui vos ipsos orbastis vitro voluptatibus huius mundi, studio pietatis Euangelicæ, præferentes ea quę per temporarias afflictiones perducunt ad æternæ vitæ gaudia, quia veniet tempus, vt versis rerum vicibus, dolor vester vertatur in gaudium, & luctus & lachrymæ in risum. ¶ Primo, hic mecum considera, quòd fletus & luctus qui beatum hominem facit, est gratia vehementer flendi de malo culpæ quod accidit, vel de bono gratię, vel glorię qđ deficit. Quo fit vt peccatores quãdiu in peccatis sunt, hoc lachrymarum dono careant. Nisi enim à reatu culpæ (inquit Gregor.) quo nos ligauimus, misericorditer dimittamur, perfectè flere non possumus, quod in nobis ipsis contra nos metipsos dolemus. ¶ Modò verò audiamus quot modis viri fideles & iusti flere & lugere soleant: idq; suo ordine explicabimus. ¶ Flere ante omnia solent iusti pro pristinis peccatis suis, plorãt dies noctesq; anteactam vitam suam. Sic enim faciebat rex ille eximius qui dicebat: laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Turbatus est a furore oculus meus. Quasi dicat, vt facili9 flectatur ad parcẽdum misericordia tua, vide Domine afflictionem pœnitentiæ meę, quemadmodum gemitibus, atquẽ suspirijs propter peccata mea fatigor: neq; adhuc cessare volo, sed per noctes singulas in amara recogitatione peccatorum fletibus abũdanter madefaciam lectum meum, & lachrymis copiosis humectabo locum quietis meæ, etiam nocte (quæ tamen quietis est tempus) lachrymis non abstinens, & neque lectulo (qui est requiei locus) à fletibus parcens. Caligauit prę fletu & turbatus est ocul9 meus præ nimia indignatione & furore ad-

B

Fletus describitur.

C

Primo iusti flẽt pro peccatis suis.

Psal. 6.

Exponitur locus.

D

Quod fletus iste à Deo sit ostenditur. D. Grego. ho. 8. super Ezech. Figura.

aduersus peccatum. ¶Hic autem fletus donum Dei est, vt auctor est D. Gregor. homi. 8. super Ezech. explicans verba illa: & audiebam sonum alarum, quasi sonũ sublimis Dei. Quid est, inquit, quod alarum sonus in sanctis animalibꝰ quasi sonus sublimis Dei dicitur, nisi quod omnipotens Deus & ipse implet mentes sanctorum cœlesti desiderio, & ipse exaudit impletas? Ipse enim creat in sanctorum cordibus amorem, & ipse ex amantibus cordibus suscipit precem. Negationem suam Petrus fleuit amarè: sed tamẽ illic præmittur, quia Iesus respexit Petrũ. Venit Maria Magdalene post multas maculas culpæ ad pedes Redemptoris nostri cum lachrymis. Sed quis illam infudit intꝰ, nisi qui benignè suscepit foris? Quis illam ad lachrymas vrgebat per cõpunctionis spiritum: nisi qui hanc exterius coram simul recumbentibus recipiebat ad veniam? Redẽptor igitur noster peccatricis mulieris mentem extergebat, cum de culpa compũgeret. Benè ergo iste alarũ sonus quasi sublimis Dei dicitur, quia quidquid in sanctorum virtutibus agitur, eius est gratiæ qui merita largitur. Hæc Grego. Fletus ergo & luctus qui beatum & fœlicem faciũt à Deo sunt. ¶Huius rei imaginem depingere volens Dominus ait in Deut. c. 11. filijs Israel: terra ad quam ingredieris possidẽdam, non est sicut terra AEgypti de qua existi: vbi iacto semine, in hortorum morem aquæ ducũtur irriguæ: sed montuosa est & campestris, de cœlo expectans pluuias, quam Dominus Deus tuus semper inuisit. ¶Flere etiam solent viri præclari & Dei amore feruentes, peccata cæteraque mala proximorũ. Sic plorabat Dauid qui dicebat: exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Quasi diceret: effluxerunt ex oculis meis lachrymæ copiosæ, quasi riuuli per genas decurrentes propter amaritudinem & dolorẽ cordis mei: propterea quod impij calumniatores iustorum & persecutores trãsgressi sunt legem tuam. Perfecta enim charitas, etiam aduersariorum peccata deplorat. Quomodo de Samuele legimus, quod lugebat Saul. Ille enim exitus siue riuos deducebat aquarum, quia non custodisset legem Domini. Charitas enim (vt ait Apostolus) non gaudet super iniquitate, sed deflet magis: quemadmodum super veritate non dolet, sed cõgaudet eidem: & quomodo falsa iustitia habet seueritatem condemnationis, ita vera iustitia benignitatem habet compassionis. Hic ergo verus Dauid de peccatis alienis intelligendus est. Vnde alij sic vertunt: Riui aquarum descendũt ab oculis meis: propter illos, qui non custodiũt legẽ tuam. ¶Eandem ob causam vehementer plangebat Hieremias, qui dicebat: Quis dabit capiti meo aquã, & oculis meis fontem lachrymarum: & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei? quia omnes adulteri sunt: & cœtus præuaricatorum. Quo in loco nota: quòd optatiuo quoniam carent Hebræi, circunlocutione vtuntur. Quis dabit, &c. quod diceremus nos, Oh. Vtinam caput meũ aqua esset. Hebraicè sic, quis det caput meum aquas: & oculum meum venam lachrymæ? Non optat Propheta capiti suo aquam: sed vt totum caput in aquas vertatur. Quibus exaggerare vult malitiam populi sui. ¶D. etiam Paulus vir Apostolicus amarè flebat videns peccatores euacuantes crucem Christi. Vnde in episto. ad Phili. cap. 3. ait: Multi enim ambulant quos sæpè dicebã vobis, nũc autẽ & flens dico: inimicos crucis Christi. Magna profectò merces apud Dominũ est, tristari de lapsis, & de ijs qui crucem Christi euacuant: & ideo flebat Paulus. In Ezech. 9. dicitur: quòd cum Dominꝰ iussisset trucidari habitatores Hierusalem: præcepit vt sex illi viri percutientes ciuitatem, parcerent signatis signo, Tau: quia quanuis ipsi nihil proficiebant: tamen gemebant maleacta illius ciuitatis. Quemadmodum ait Propheta: Tabescere me fecit zelus meus, Quia obliti sunt verba tua inimici mei. Flent igitur pij pro sceleribus proximorum. ¶Tertiò lugere solent viri sanctitate prę stantes propter longam huius vitę peregrinationem. Heu mihi (aiunt cum Dauid) quia incolatꝰ meus prolõgatus est, habi-

Luc. 22. Luc. 7. Figura. Deut. 11. Secundo flent iusti propter delicta aliorum. Psal. 118. Declaratur locus. 1. Reg. 15. 1. Cor. 13. Hiere. 9. Declaratur locus Hiere. Philip. 3. Vi Vgenẽ in hunc locum Paul. Ezech. 9. Psal. 118. Tertiò lugẽt sancti propter lõgã suam peregrinationem. Psal. 119.

habitaui cum habitantibus cedar, multũ incola fuit anima mea. Per cedar, Numades intelligit Dauid, qui nullas fixas sedes habent. Afflictio & dolor est mihi (ait iustus) quòd peregrinatio ista vitæ meæ super terram nimium prolongata sit, propter desiderium eius patriæ quã expecto post finem huius miseriæ. Habitatio mea in hoc mundo, in medio peccatorum est, qui sunt habitatores cedar, idest, viuentes in nigredine, obscuritate, & tenebris infidelitatis, ac peccatorum cæterorum: atque inter hos multum ac diu perdurauit vita mea. Visa est animæ meæ admodum prolixa hæc peregrinatio. ¶ Vnde hic animaduerte, quòd dies huius vitæ quibus viuimus super terram, tametsi breues sint iuxta veritatem, & numero paucissimi: ijs tamẽ qui suam peregrinationem in hac vita intelligunt, longi ac multi nimis videntur, propter tædium præsentis maliciæ, & desiderium patriæ cœlestis, ad quam pergere se cognoscunt. Quemadmodum enim peruersis ac sceleratis hominibus, omnis duratio humanæ vitæ, quantũuis sit diuturna, nimium breuis æstimatur, propterea quod in malicia & delitijs huius seculi oblectantur, & gloriantur, spẽque omnem in hoc mundo habent repositam: ita ijs quibus præsentia vilescunt, & æterna sunt in desiderio, omnis duratio vitæ huius prolixa reputatur. ¶ Quarto, lachrymas fundunt sancti in hac vita, ardenti desiderio patriæ celestis. Quã luctuosum fuerit Israelitis exiliũ Babylonicum, satis ostẽditur Psalmo illo 136. dicebant enim captiui illi: super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus: dum recordaremur tui Sion. Qui Psalmus facilè aptari potest populo fideliũ, in hoc mundo tanquàm in exilio degenti, vbi longè sumus ab illa terra sancta: à loco illo paradysi, vbi erat summa quies atque tranquillitas, vbi erat perpetuum Sabbatum, in perfecta innocentia: cum nunc in medio Babyloniorum, idest, in maxima confusione, in perturbatissimo hoc mũdo, vitam ducamus in medio derisorum & iniquorum, qui de die in diẽ (vt de Loth ait D. Petrus) affligunt animas iustorũ. Ipsi verò sancti iugiter memores sui exilij, & agnoscentes transmigrationis locum, scientes vnde abducti sunt, atque in patriam suam tandem aliquando reditum sperantes, organa suspendunt in salicibus, omnia huius mundi gaudia, delicias omnes & voluptates abijciũt, & abiurant, semper ad patriam illam vnde abducti sunt aspirantes, in omnibus quæcunque in terra captiuitatis blandiuntur renuẽtes consolari, atq; in sola spe, sui ad patriam reditus oblectari proponentes. Vltio autem illa quæ in fine Psalmi ponitur, significat illam grauissimam desolationem & damnationem quam iusto Dei iudicio experientur vniuersi impij & dæmones peruersi, qui in hoc mundo fuerunt iustorum irrisores, quiquẽ filiorum Dei in hoc exilio, quantum potuerũt captiuitatem aggrauare non desierunt. Flere ergo non cessant iusti memores illius cœlestis Sion à qua exulant. ¶ Si Dauid regno pulsus à filio, tàm vehementer dolet quod ablatus sit à sacro cœtu, vt fuerint ei propter hoc lachrymæ suæ panes die ac nocte vt ipse testatur Psal. 41. quid quæso sentire credis sanctos exulãtes à sacro illo cœtu cœlesti, vbi Deus à sanctis adoratur & colitur? Vnusquisque enim illorum ait: fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi vbi est Deus tuus. Ecce lachrymæ in viaticum sunt iusto peregrinanti, ad patriamque tendenti. Et verè dulciores sunt hæc lachrymæ homini totis præcordijs Deum sitiẽti, quas pro absentia & peregrinationis dilatione effuderit, omnibus impiorum delicijs & voluptatibus. Neque potest sæculi conuiuis tàm esse suauis cuiuscunque liquoris per os & guttur ingurgitatio, quàm est peregrinis Dei, per natantes oculos, lachrymarum effusio. Neq; vllus cibus ingrediens in ventrem, tàm potest oblectare voratoris gulam, quàm refocillat mẽtem, vel vnum ex imo corde pro diuina visione suspirium. Et forsi tam iste panis est, de quo alibi conquæritur pœnitens, percussum se esse vt fœnũ & exaruisse corde, eò quod oblitus fuisset comedere panem suum. Et nos itaq; huius

Vita piis lõga videtur propter desiderium æternę, impiis verò breuissima apparet, quãtũuis lõga sit.

Quartò lugent pro dilatione patrię.

Psal. 136. Exponitur Psal. spiritualiter.

2. Pet. 2.

Psal. 41.

Psal. 101.

huius panis nunquam obliuiscamur, interim dum Deo nostro absente, sumus lachrymis ac suspirijs nos ipsos consolantes. ¶ Vt ergo prędicta omnia paucis cōplectamur, flent & lugent in hac mortali vita viri perfecti, tū, propter sua ipsorum peccata, tum, propter proximorum mala, tum propter prolixam suam peregrinationem, tum denique ob ingens quod habent desiderium videndi Deum suum. Vnde sitientes aiunt. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciē Dei? Harum quatuor fletus specierum, gerebant imaginem, quatuor hydriæ illæ, quas vates Helias aqua impleri iussit, & effundi super holocausta: quam effusionem cœlestis ignis est subsecutus. vt in 3. lib. Reg. c. 18. sacra narrat historia.

Psal. illo 41.

Figura.

3 Reg. 18.

¶ *Quoniam ridebitis*. Hæc potissima causa est quare fœlices ac terque quaterque beati appellantur à Christo, qui voluptates omnes propter illum contemnunt: qui lugubrem vitam propter Deū agunt. Nam luctus illorum conuertetur in gaudium: & fletus illorum in perpetuum in futura vita risum. Hoc idem intelligere voluit Dominus apud Ioan. c. 15. tristitia vestra, inquit, conuertetur in gaudium. Hoc etiam mysterium significare voluit in mutatione aquæ in vinum: quam narrat D. Ioan. cap. 2. Hoc denique est quod Abraham diuiti illi aiebat apud Lucam cap. 15. de Lazaro loquens. Nunc hic consolatur, tu verò cruciatis. ¶ Sed obserua, quòd non solum flentes, & lugentes ob amorem Euangelij ob cæterasq; causas quas nuper enarrauimus, in futura vita consolabuntur: sed interim in hac vita, à spiritu cœlesti, secretoque consolatore, consolantur. Hic enim diuinus consolator temporarium iustorum luctum inæstimabili mētis gaudio pensat. Quos mox ad æterna gaudia est translaturus. Humana consolatio frequenter ægritudinem dum mederi studet, exasperat: at spiritus ille verus consolator, sic intus exhilarat animū sibi bene conscium, deque futuræ vitæ premijs certum, vt in atrocissimis etiam corporum afflictionibus sibi gratulentur: tantum abest vt sibi videantur infœlices. Huius mysterij figuram expressit Spiritus sanctus Exod. cap. 15. in aquis Mara, quæ versæ sunt in dulcedinem. Et in olla illa mortifera, de qua filij Prophetarum Helisæo dixerūt: mors in olla vir Dei: quæ, superinfusa farina, salutifera reducta est: vt in lib. 4. Reg. cap. 4. sacra scriptura refert. Hac animi consolatione perfusus Tobias dicebat Dño: post lachrymationem & fletum exultationem infundis. Et D. Grego. luctu suo anima pascitur cum ad superna gaudia flendo subleuatur. Non ergo immeritò Christus Dominus ait: beati qui nunc fletis, quoniam ridebitis. ¶ Fleamus igitur & vehementer lugeamus si peccatores sumus peccata nostra, exemplo Petri, qui fleuit amarè: exemplo Magdalene qui, lachrymis suis cœpit rigare pedes Domini. Si iusti verò, lachrymas etiam fundamus ob aliorum mala: exemplo Christi qui videns ciuitatem Hierusalem fleuit super illam. Vidēs Lazarum mortuū lachrymatus est. Qui denique in cruce cum clamore valido & lachrymis pro peccatoribus precatus est patrē, & exauditus est pro sua reuerentia. Christus, inquit Berna. compatitur & plorat: homo patitur & ridebit. Si iusti, inquam, sumꝰ ploremus miseriam & peregrinationem nostram. In valle enim miseriæ sumus, ait Augusti. in qua eò magis flendum est quo minus flemus. Ascensiones ergo disponamus in corde nostro in hac valle lachrymarum, idest, nihil aliud cogitemꝰ in hac valle lachrymarum quàm quo modo ad Deum ascendamus atque perueniamus. Denique lugeamus & vitam lachrymis, ieiunijs, & vigilijs transigamus desiderio cœlestis Hierusalem: nā cum ad eam peruenerimus, cessabit omnis fletus. Nam tunc absterget Deus omnem lachrymam ab oculis nostris, & nō erit amplius neque luctus, neq; clamor neque vllus dolor. Aufferet enim Dominus Deus omnem lachrymam à facie nostra vt Esai. ait. Fœlices profectò lachrymæ (vt Ber. ait) quas pia manus conditoris absterget. Tunc pleno ore ridebimꝰ. Vnde Iob cap. 8. ait: Deus non proijciet simpli

Quare fœlices vocētur qui flent.

Ioan. 15.

Ios. 2.

Infra. c. 15

Figura. Exod 15.

Figura. 4. reg. 4.

Tobiæ. 8.

D. Grego. in mora.

Matth. 26

Luc. 7.

Luc. 19. Ioan. 11.

Heb. 5.

D. Augu.

Psal. 83.

Apo. 7.

Esai. 25.

Iob. 8.

simplicem, nec porriget manum malignis donec impleatur risu os tuũ, & labia tua iubilo. Hic non pleno ore sed semipleno ridemus, cum in hac vita impleatur illud quod Salomon ait: Risus dolore miscebitur: at in æterna fœlicitate nullus erit luctus nullusquè planctus quoniam priora transierunt. ¶ Quid ergo dic quęso peccator, erubescis (inquit Ambro.) tu peccata tua flere cum Deus Prophetas iusserit flere pro populis? Deniquè & Ezechiel iussus est flere Hierusalem, & accepit librum in cuius capite scripta erãt lamentatio, & melos, & væ; duo tristia & vnum delectabile: quoniam ille saluus erit in futurum, qui in hoc seculo plus fleuerit. Cor enim sapiẽtum in domo luctus, & cor stultorum in domo epularum. Et ipse Dominus ait: beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Vi. Ambro. lib. 2. de pœnitentia. c. 6.

Pro. 14. D. Ambr. Ezech. 2. Eccle. 7.

¶ *Beati eritis cum vos oderint homines, & cum separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tanquàm malum propter filium hominis.* Viri Apostolici persecutioni non cedunt: quia nequè mors nequè vita eos à Christo separare potest. Nihil enim tàm probat iustorum perfectionem quàm persecutio. In igne probatur aurum (ait Sapiens) & argentum: homines veró recep tibiles in camino humiliationis. Et rursum: vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis: & D. Paul. in epistola ad Roma. ait: tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem. Vera profectò sententia ac tali viro digna. Nam sicut ars omnis ex multiplicatis actibus acquiritur: ex pluribus enim actibus fit habitus. Et iuxta antiquum verbum: si crebro ieceris, aliquando scopum attinges: aliquando siquidem cœcus cornicem iaculo confixit: sic assidua tribulatio cum tolerantia patientiam in animo gignit. Et quemadmodum clauus eo fortius figitur, quò vi maiori percutitur: sic patientia in animo iusti eo maior, & perfectior est quò maiori afflictione concutitur. Supra dorsum meum, inquit Dauid, fabricauerũt peccatores: prolongauerunt iniquitatẽ suam. Tunc enim supra dorsum iusti impius quasi fabricat, quãdo magna illum vexatione affligit, & quasi portãda multa imponit: quando illum portare facit grauia & quæ sunt portatu difficilia. Quantumcunquè autem fabricauerint peccatores super dorsum iusti, non succumbet iustus: sed potius tribulatio maior, maiorem patiẽtiam gignit. Ita enim Dominus dorsum illius corroborat, vt nullo pondere premi possit. Tàm magnanimus est iustus vt omnia mundi probra contemnat: omnem calumniam omnem persecutionem pro nihilo pendat. Quemadmodum enim immanis & magna aliqua fera, ad latratum canis lẽta respicit: ita vir magni animi qualis est iustus, vix vel in ipso vultu aliquod iræ vestigium præsefert. Dimittite, inquit Dauid, vt maledicat mihi, forsitan Dominus retribuet mihi benedictionem pro maledictione hac pessima. Filius vteri mei leuauit contra me calcaneum, quanto magis hic alienigena? Hæc igitur iusti tolerãtia illum probatum reddit postquàm transiuit per ignem & aquã: per ignem tanquàm aurum, & per aquã tanquàm vasa testacea. Quos igitur nec cõsumpsit ignis fornacis terræ AEgypti: nec dissoluit aqua maris rubri: hoc est, nec exussit ignis aduersitatis, nec aqua prosperitatis resoluit, tãquam probatos & examinatos suscipiet terra quam fluit lac & mel. Fœlices ergo sunt non quos vulgus fœlices appellat, quibus applaudit populus, qui ad honores prouehuntur, qui magnificis titulis celebrantur, sed quos deriserint homines, quos vt execrabiles è cõtubernio suo eiecerint, in quos Christi causa probra congesserint, & nomen eorum ac memoriam, vel abolere prorsus, vel abominabilem posteris reddere studuerint, idquè nulla ipsorum culpa sed odio filij hominis, cuiꝰ doctrinam & gloriam prædicant. ¶ *Propter filium*, inquit, *hominis*. Odio ergo Christi qui patiuntur, beati impresentiarum appellantur: non illi qui ob sua scelera. Vnde D. Petrus in. 1. Canonica sua. cap. 4. sic ait: Nemo autem vestrum patiatur, vt homiccida aut fur, aut maledi-

Iusti persecutione probãtur. Eccle 7. a. Eccle. 27. a. Rom. 5. similitudo. Psal. 128. similitudo. 2. Reg. 16. Ioan. Nõ ob nostra peccata sed pati propter Christum, eiusquè iustitiã debemus, si beati esse volumus. 1. Pet. 4. Explicat locꝰ Petri.

ledicus, aut alienorum appetitor. Si autem vt Christianus, nō erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine, quoniam tempus est vt incipiat iudicium à domo Dei. Si autem primùm à nobis, quis finis eorum qui nō credent Dei Euangelio? Quasi dicat. D. Petrus. Ne cōmittite vt pœnas detis & affligamini, homicidij, furti, aut alterius peccati nomine, si autem quis ob Christi nomen & quia Christianus est, non erubescat. Tēpus est enim vt incipiat iudicium à domo Dei, hoc est, tēpus est vt per afflictiones inflictas ab impijs & infidelibus, fideles probentur. Quòd si per huiusmodi afflictiones, suos tentare visum est Deo, quid futurum putant infideles qui totam vitam agunt in delicijs? Sic hunc locum interpretatur Basilius Magnus: per κρίμα, & iudicium afflictiones intelligens. ¶Et in cap. 3. idem Petrus sic ait: Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? Vbi, boni, genetiui casus, neutrius generis est. Græcè enim τοῦ ἀγαθοῦ. i. bonitatis. Si ergo bonitatis æmulatores fueritis, nemo nocere vobis poterit. Sed & si quid patimini propter iustitiam, beati. Fœlices ergo à Christo vocantur illi, non qui sua culpa, sed qui ob illum in hac vita à sceleratis hominibus affliguntur. AEmulemur igitur virtutem & tunc nihil nobis nocere poterit vt Petrus ait: nam si verba contumeliosa, si rerum familiarium nocumenta, si tormenta innumera impij homines inferant, minime nocent sed solum patientiam nostram exercent. Si quis autē his victus deficiat, non ille qui malum intulit, sed ipse potius qui malum non pertulit, nocuit. Tentatur omnis domus & quæ supra petram, & quæ super arenam fundata est, sed vniformitas fundamenti coronam perseuerātiæ tribuit: alteram fragilis structura strauit. Non ergo ab afflictionibus quas propter Christum eiusque iustitiam patimur vincamur: si beati esse volumus. Si quid (inquit Petrus) patimini propter iustitiam, beati. Et apud Matth. c. 5. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Et in hoc loco inquit: propter filium hominis.

Cap. 3.

Matth. 5.

¶*Et cum separauerint.* Vel cum segregauerint vos, hoc est, cum excōmunicauerint vos.

¶*Ecce enim merces vestra multa est in cœlo.* Vel premium vestrum multum est in cœlo. i. vitam æternam consequimini pro hac temporali. Quasi diceret Dominus: nequid ob hæc quæ propter me patimini displiceatis vobis, quin potius gaudete, cum hæc vobis acciderint, & exultate. Etenim si non respondebit meritis fauor hominum malorum, tamen manet vos copiosa merces, copiosum stipendium & premium in cœlis benefactorum vestrorum. Homines non poterunt abolere vestra nomina, quæ scripta sunt in cœlis: non suis probris obscurare gloriam vestram, quæ cum mea gloria semper iūgetur. ¶En vides quare qui propter Christum persecutionem patiūtur fœlices in hoc loco dicantur. Nam his ærumnis emunt regnum cœlorum, his laboribus comparant gloriam cœlestem. Regnū ergo cœlorum venale est. Vnde Christus Dominus apud Matthęū aiebat: sedere autem ad dexteram, vel ad sinistram non est meum dare vobis. Vendere potius hoc volebat, quam intuitu consanguinitatis eis darē. Vnde D. Augustinus in persona Domini sic ait: Venale habeo. Quid Domine? Regnum cœlorum. Quo emitur? Paupertate regnū, dolore gaudium, labore requies, vilitate gloria, morte vita. ¶Vides etiam in premium & stipendium nostrorum laborū dari regnum cœlorum. Non ergo est, quare hæretici huius temporis, meritū bonarum actionū negent. Lege Concil. Tridenti. Sessione. 6. can. 32. Si quis, inquit, dixerit hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, vt non sint bona ipsius iustificati merita: aut ipsum iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum cuius viuum membrum est, fiunt: non verè mereri augmētum gratiæ, vitam æternam, & ipsius æternæ vitæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atquē etiam gloriæ augmētum, anathema sit. Sed de hac re passim disserunt Doctores Scholastici.

Quare qui persecutionem tolerit ob Christum dicuntur beati.

Matth. 20.

D. Augu.

Gloria est merces laborum & labores merita.

Cō. Trid.

Secun-

Amos 9. a
Eccle. 51. a
Esai. 65. c

SECVNDVM hæc enim faciebant prophetis patres eorum. Veruntamen væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram. Væ vobis qui saturati estis: quia esurietis. Væ vobis qui ridetis nunc: quia lugebitis et flebitis. Væ cum benedixerint vobis homines, secundũ hæc enim faciebant prophetis patres eorum.

Gen. 47. Vicissitudo iustorũ & impiorũ ostẽditur.

GENE. 47. sacra narrat historia quod Ioseph alebat patrem & fratres omnemqué domum patris sui, præbens cibaria singulis. In toto enim orbe panis deerat & oppresserat fames terram, maximé AEgypti. Mira rerum mutatio: Paulo ante Iacob cũ suis egebat, AEgyptij abundabant. Nũc versa vice Iacob bené habet, AEgyptij egent. Impletum est illud: repleti prius pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt. Itemqué illud esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Eadem rerum mutatio paulo post etiam nobis continget. Beati, inquit, Christus qui nũc fletis quia ridebitis. Beati eritis cum maledixerint vobis homines, quoniam merces vestra copiosa est in cœlo. Et econtra væ vobis diuitibus qui habetis consolationem vestram, &c. Væ vobis qui ridetis nunc: quia lugebitis & flebitis. Hanc rerum mutationem sensit diues ille cui dictũ est: fili recordare quia recepisti bona in vita tua, &c. In die igitur bonorum memor sis malorum & é cõtra. Nunquam credidissent AEgyptij tantam famem futuram, at tunc eam experti sunt. Et impij perpetuam sibi fœlicitatem pollicentur sed falluntur. quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna. Hanc eandem rerum mutationem egregié depingebat olim Esaias in cap. 65. his verbis. Pro eo quod vocaui & nõ respondistis ecce serui mei comedent, & vos esurietis. Ecce serui mei bibent, & vos sitietis. Ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini. Ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis & præ contritione spiritus vlulabitis, vel præ afflictione animi vlulabitis. Sunt autem pulchræ & venustæ Antitheses quæ in hoc loco ponuntur. quibus ostenditur quanta sit fœlicitas piorum qui in Ecclesia Dei sunt, & quanta infœlicitas impiorũ. Quasi diceret Propheta: illi pleni erunt spiritualibus delicijs & vos vacui.

1. Reg. 2.
Luc. 1.
Luc. 19.
2. Cor. 4.
Esai. 65.

¶*Væ vobis diuitibus*. Cur igitur quæris & ardenter concupiscis diuitias, res nimirum mobilissimas, meras vmbras, quæ tibi parituræ sunt perpetuam confusionem & ignominiam? Si quidem homo ardenti siti æstuaret, & relicto pulchro fonte emittẽti fistulis aureis abundantiam gelidarum ac excellentium aquarum ad aquas veneno plenas & salsas se conuerteret, easqué amplecteretur vt ex eis biberet, & sitim sedaret, nonne amens & stolidus censeretur? Quis dubitat? Quemadmodum si fame laborans pulchra poma in arbore pendentia contemneret, atqué ad poma immatura & syluestria ac nociua confugeret. Quanto igitur amentior & insanior iudicandus est ille, qui relictis veris diuitijs, hoc est, relicto Deo, qui est summum bonũ, quod solum satiare potest, inquirit mundi diuitias & voluptates, nullam animi famem nequé sitim extinguentes, perpetuamqué mortem inducentes? Quæramus igitur Deũm toto animo mundiq; diuitijs nequaquam fidamus, ne audiamus id quod modo audierũt diuites isti. Væ, inquit, vobis diuitibus, qui vobis interim placetis, oblectantes animos vestros opibus, honoribus, & illecebris huius mundi, ne cogitatis breui futurũ vt ista vana fœlicitas vobis auferatur, & succe-

Diuitiæ cõtẽnendæ.
similitudo
similitudo

succedat infœlicitas sempiterna. Vbi præ angustia spiritus gementes dicetis intra vos ipsos: quid nobis profuit superbia, & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? transierunt omnia illa tanquã vmbra, & tanquàm nuntius præcurrens, & tanquàm nauis quæ pertrãsit fluctuãtem aquam, cuius cum præterierit non est vestigium inuenire, aut tanquàm auis, quæ trãsuolat in aere cuius nullum inuenitur argumentum itineris illius. Quibus exemplis satis ostendunt quam breuis fuerit in hac mortali vita ipsorũ consolatio: quàm vana, quam incerta. Contemnamus ergo diuitias breui transitu***

Sapien. 5.

Esai. 30.

situras, ne nos in perpetuam ægestatem inducant: neque in illis spem nostram ponamus, ne audiamus illud quod Esai. ait: væ filij desertores habentes fiduciam in vmbra AEgypti. Hoc est, in diuitijs huius mũdi. Et hoc quod hic Dominus ait, væ vobis diuitibus.

¶ *Væ vobis qui ridetis nunc quia lugebitis et flebitis.* Iam hic vides quàm infœlices sunt peccatores, qui nunc ridẽt, deliniti rerum fluxarũ successu, dulciq; fortuna ebrij, quia mox versis rerum vicibus lugebunt & flebunt, ac momentaria voluptas in perẽnem cruciatum cõmutabunt. Extrema enim gaudij luctus occupat ait Salo. in Pro. proijcientur in tenebras longè à vera luce semotas: vbi erit perpetuus fletus, perpetuusque stridor dentium: propterea quia duxerunt in bonis dies suos. Tunc lachrymę nihil profuturæ cadent. Tunc tot erũt lachrymæ quod si vel vnam duntaxat singulis diebus quibus erunt in imis illis sedibus fudissent: multo plures lachrymas funderent, quàm est in mari aqua. Cum hęc finita, illæ verò infinitæ sint. ¶ Minatur Dñs apud Ezechielẽ Ammonitas quòd riserint, quòd saltauerint choreasq; duxerint super ruina Hierusalem dicens: pro eo quod plausisti manu, & percussisti pede & gauisa es ex toto affectu super terram Israel: idcirco ego extendam manum meam super te & interficiam te, & perdam de terra & cõteram. Hoc idẽ in hoc loco minatur Dominus peccatoribus qui in hac vita lætantur videntes

Infœlices sunt peccatores, in hac vita gaudentes & quare.

Pro. 14.
Matth. 8.

Iob. 21.

Ezech. 25.

A pios homines afflictos, pauperes, flentes. Nam mutatis vicibus extẽdet Dominus manum suam super eos & perpetuas pœnas dabunt, in æternumque lugubrem vitam ducent. ¶ *Væ vobis qui ridetis nunc.* Quàm insanum & stultum sit in hac vita, choreas ducere, tempus in risu, cæterisque mundi oblectamentis consumere, satis videre poteris, si alta mente consideres hęc duo: & vbi sis, & quo tendas. ¶ Quod si primum consideres, inuenies te esse in exilio, te esse in valle mi-

Quàm insanum sit in hac vita in choreis aliisque mũdi oblectamentis vitam consumere ostenditur.

B seriæ, te esse in valle lachrymarum, te deniq; esse in regione vmbræ mortis, quæ sigillatim libet explicare. ¶ Quod sis in exilio, docet D. Augusti. Nescimus, inquit, quo fine claudimur in exilio isto. Exules erant à patria filij Iuda & ideo dicebant quo modo cantabimus cãticum Domini in terra aliena. Si ergo viris sanctis, graue est, cantare in terra aliena, etiam canticum Domini: quid quæso, insanius quàm vanis huius mundi canticis oblectari in hoc exilio viuentes? ¶ Quod verò in valle miserię sis, docet idem Au-

Hic sumus in exilio. D. Augu.

Psal. 136.

Hic sumus in valle miseriæ.

C gustinus. In valle, inquit, miseriæ sumus in qua eò magis flendum quò minus flemus, qui deberemus esse in cœlo, vel saltem in terrestri paradyso, qui est locus amœnissimus vsque ad globum lunarem attingens: nunc heu sumus in valle miseriæ plena, vbi interdum infixi sumus in limo profundi vsque ad genua, vbi ventis & grandine, & pluuijs impugnamur, vbi aduersantur nobis quę ad seruiendũ nobis creata sunt. Quędam animalia; vt lupi, leones, serpentes quęrunt nos interficere: & quædam non permittũt nos

D quiescere, nec die nec nocte, vt pulices & similia: quędam volunt nobis oculos eruere: vt culices aliaque id genus, quid ergo in hac tam missera vita ridemus? Quid ingeminamus, tremulos naso crispante cachinnos? vt poeta ait. ¶ Quod autẽ in valle sis lachrymarũ, ostẽdi non est necesse. Nã satis tibi hoc ostẽdẽt, paruuli qui nascũtur. Puer, inquit Augu, à ploratu incipit, nec ridere potest, Propheta calamitatis. Lachrymæ sunt testes miserię: nõdum loquitur & iã prophetat. Erubescãt ergo cãtatrices ibi nõ flere, vbi infãs

Persius.

Hic sumus in valle lachrymarũ. D. Augu.

P qui

qui nō est vnius diei prædicat esse flēdū. ¶ At verò quod sub vmbra mortis viuamus & simus, satis docuit Zacharias apud Luc. dicens, illuminare his, qui in tenebris & in vmbra mortis sedent. Ad idem referre possumus quod Esaias Propheta ait. c. 9. habitantibus, inquit, in regione vmbræ mortis lux orta est eis. Quibus in locis vocatur vmbra mortis non tātum peccatum vt aliàs docuimus, sed, quod ad rem attinet, hæc vita etiam isto nomine gaudet. Tūm quod vita præsens magis mortis quàm vitæ imaginem ferat. Tūm quòd iusti, & qui vita gratiæ viuūt, maximè propinqui sunt morti, hoc est, peccato. Ex omni namq; parte circūstānt pericula spiritualia & laquei mortis. Vnde merito ait Guido Cartusiensis loqueos bibis, comedis, vestis, dormis. Omnia sunt laqueus. Tūm deniq; vmbra mortis hæc mortalis vita appellatur propter propinquitatem quam habent peccatores morti æternæ. Sunt enim huiusmodi homines iuxta inferni fores. Appropinquauerunt enim vsquè ad portas mortis. Ablato enim corpore in puncto ad inferos descendunt. Quid igitur mortales in hac vita quæ imago & vmbra mortis est, hoc est, peccati & inferorum, risum edimus? Quid illum non cōtinemus? Quid tympanum & cytharam tenemus & gaudemus ad sonitum organi, & ducimus in bonis dies nostros non videntes quòd in puncto & momento temporis ad inferos descendemus. Descendent enim corpora nostra in puncto ad infernum, hoc est sepulchrum: & animi nostri ad infernum, hoc est, ad imas illas sedes vbi est æternus planctus & luctus. ¶ Iam verò attendamus quò tendimus & tunc videbimus quàm alienum à ratione sit in vita nimium oblectari. Si quæris quò tendis: ad mortem, ad patibulum, omnes supplicio capitali condemnati sumus ait Seneca. Et diuus Augustinus inquit, nihil aliud est tempus huius vitę quàm cursus ad mortem. In quo nemo paululum stare, vel tardus ire permittitur, sed vrgentur omnes pari motu. Nonne ergo insanus habebitur homo ille, qui morti & patibulo damnatus, vellet cum choreis cæterisquè musicis instrumentis ad pœnam ire? Tales igitur sunt peccatores vitam suam in lætitia & exultatione transigentes. Ad mortem enim & ad suum patibulum ridendo & cantando eunt: similes cygno qui ante mortem vt ferunt canere solet.

Hic sumus in vmbra mortis. Luc. 1.

Esai. c. 9.

Quare hęc vita vocatur vmbra mortis.

Guido Cart.

Psal. 106.

Iob. 21.

In hac vita ad mortem tendimus, sicut damnati ad patibulum.

Seneca

D. Augu.

¶ Pro feria sexta post cineres.

SED vobis dico qui auditis, diligite inimicos vestros bene facite his qui oderunt vos. Benedicite maledicentibus vobis: & orate pro calūniantibus vos. Et qui te percußerit in maxillam, præbe illi et alterā. Et ab eo qui aufert tibi vestimentū etiā tunicā noli prohibere. Omni autē petēti tribue: & qui aufert quæ tua sunt ne repetas. Et prout vultis vt faciant vobis homines, et vos facite illis similiter. Et si diligitis eos qui vos diligunt: quæ vobis est gratia? Nā et peccatores diligentes se, diligunt. Et si benefeceritis his qui vobis benefaciunt: quæ vobis est gratia? Siquidem peccatores hoc faciunt. Et si mutuum dederitis his, a quibus

Matth. 5. E

Matth. 5. f

1. Cor. 6. b

Matth. 5. g

Matth. 5. g

Deut. 15. b

bus speratis recipere: quæ gratia est vobis? Nam & peccatores peccatoribus fænerātur, vt recipiāt æqualia. Veruntamen diligite inimicos vestros: benefacite, & mutuum date: nihil inde sperātes: et erit merces vestra multa, et eritis filij altißimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos.

SED *vobis dico qui auditis, diligite inimicos vestros, &c.* De labijs Ecclesiæ intelligens, Can. 4. ita sponsus sponsam cōmēdat: fauus distillans labia tua sponsa. Propter suauitatem sermonis & congruitatē doctrinæ. Sed profectò multo potius spōsā hoc idē dicere poterit de sponso suo. Fauus distillās labia tua sponse. Fauū enim dulcedinis distillant hodie labia sponsi, quæ non docent quæ legis periti & pharisæi: diliges. s. amicum tuum & odio habebis inimicū tuum, sed vt omnibus nos dulces & suaues nos ipsos exhibeamus: diligite, inquit, inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos, cum alijs quæ in hoc toto Euangelio sequuntur.

Can. 4.

Fauus distillans labia Christi.

¶ *Diligite inimicos vestros.* Fidelibus qui præbent aurē dictis Christi hoc nouum præceptū tradit, veluti mustū Euāgelici vigoris. Nō solū non repēdere malū malo, verū etiā diligere inimicos nostros, benefacere his qui nobis male faciunt, &c. ¶ Nullus ergo homo quantūuis impius sit, odio habendus est. Vnde Boetius sic ait: apud sapiētes nullus prorsus odio locus relinquitur. Nā bonos quis nisi stultissimus oderit? Malos verò odisse ratione caret. Nam si vti corporū langor, ita quoquē vitiositas est, quasi morbus animorum: cū ergo ægros corpore, minimè dignos odio, sed potius miseratione iudi-

Odiū non in natura sed in vitia.

Similitudo

A cemus: multo magis nō insequēdi sunt sed miserēdi, quorū mētes omni lāgore atrocior vrget improbitas. Hæc Boetius. ¶ *Diligite inimicos vestros, &c.* Hic docet Christus suos, sapiēter pugnare cum hominibus sceleratis huius mūdi. Maxima profectò stultitia est velle cū similibus armis & nō cum cōtrarijs pugnare. Nō enim frigida pugnāt frigidis, aut humētia humentibus: sed frigida calidis, & humētia siccis. Nō enim odiū odio, lis lite pugnare debet: sed amore cōtra odiū

Cōtrarijs armis pugnandū est si vincere volumus.

B pugnadū est. Ideo ait Salo. in Pro. c. 26. si esurierit inimicus tuus ciba illū. Māsuetudine cōtra litē. Ideo cōsulebat idem sapiens Eccle. 8. ne litiges cū homine potēte. sapiētia contra stultitiā. vt in Prouer. ne respōdeas stulto iuxta stultitiā suam. Ideo Christus ait: diligite inimicos vestros, &c. Vt vincamus odiū amore, malefacta benefactis, cōuitia & probra sermone amico & salutifero. ¶ *Diligite inimicos vestros, &c.* Deu. c. 21. sacra narrat historia, quòd si vir exisset ad bellū & placuisset ei captiua, quòd duceret eā in domū suā, & raderet capillos, præscinderet

Pro. 26.

Eccle 8.

Pro. 26.

Bo de doctr. cordis c. 54.

Deut. 21.

Figura notanda.

C vngues, fleret mēse vno & tunc fieret vxor illius. Christus Dñs in hūc mūdū venit ad pugnandū cū eius principe diabolo. Nūc (inquit) iudicium est mūdi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras, si viro isto præclaro placet anima aliqua sub vexillo diaboli militans, primùm ducit eam in domū suā, hoc est, in Ecclesiā suā per fidem: deinde radit capillos eius, hoc est, omnia superflua. s. gustus, ieiunium illi præcipiēdo, diuitiarū eleemosynas iniungendo, elationis & superbiæ & vanę glorię hypocrisin, prohibendo.

D Et post hæc præscindit vngues eius, hoc est, crudelitatē. Vt. s. non appetat vindictā. Diligite, inquit, inimicos vestros benefacite his qui oderunt vos, benedicite maledicentibus vobis. Flere eā docet per mensem cū defectus suos ieiunio & fletu & planctu lauat. Et tūc eā Christus in vxorē ducit, cum eaquē dormit & requiescit, plurimum gaudium plurimamquē animi consolationem ei prębendo. ¶ *Benedicite, &c.* Siue bene precemini, male præcantibus vobis.

Dubium quo modo inimicos diligere & orare pro illis debemus, si a sanctis Deus facit vindictã electorũ clamãtium ad se die ac nocte. Infra.c.18

¶*Diligite inimicos vestros, etc. Et orate pro calũniantibus vos.* Dubitare in hoc loco aliquis poterit, quo pacto pręcipit Dñs nõ solum vt diligamus inimicos nostros: sed vt oremus pro his qui nos calũniantur, vt nostris precibus reconcilientur Deo, cõdonatis veris criminibus, qui nos falsis criminibus deferunt apud homines: cum idem Dominus apud hunc eundem Euangelistam. c. 18. dicat, quod Deus faciet vindictam electorum suorũ, clamantium ad se die ac nocte. Ad hoc

Responsio.

aduerte: quod sancti non postulant à Deo vindictam gehennæ de aduersarijs suis, sed vt liberet eos ab illorum violentia, & conuertat malorũ animos, vt mutata voluntate desinant affligere, aut adimat nocendi potestatem, sic enim ait vnus quisiustorum, verte illos, & nõ erũt, scilicet, impij. ¶ Vel quia ad iustos & pios pertinet bona spiritualia & æterna suis persecutoribus optare: & pro his Deo preces fundere: sed quia pœnæ tẽporales sunt medicinę ad vitæ emendationem, atque ad ostensionem diuinæ iustitiæ, ideo ad sanctos bene pertinet petere a Deo hoc modo vindictam de suis persecutoribus, non ira & odio cõmoti sed zelo iustitiæ. Atque hoc modo prædicta contraria non sunt. Lege. 23. q. 4. c. ea vindicta. Hoc zelo iustitiæ cõmotus Dauid dicebat Psal. 53. Deus in nomine tuo saluũ me fac: Deus exaudi orationẽ meã, &c. Quoniã alieni insurrexerũt aduersum me, &c. *Auerte*, inquit, *mala inimicis meis et in veritate tua disperde illos.* Huius versus prima pars sic intelligenda est. Auerte mala à me, in inimicos meos, hoc est, conuerte mala quæ mihi machinantur & retorque super eos. Secundũ quam explicationem alibi præcatur dicens: veniat illi laqueus quẽ ignorat: & captio quam abscondit apprehendat eũ: & in laqueum cadat in ipsum. Et rursum: Gladius eorũ intret in corda ipsorum. Cui expositioni consonat versio Hierony. redde, inquit, malũ insidiatoribus meis. Chaldaica quoq; trãslatio sic ait: fac reuertatur malum ad eos qui me agitant, vel persecũtur. Atq; huic expositioni, satis cõsentit, quod statim Dauid

Pro. 12.

Lege. 23. q. 4. & q. 5. & q. 6. per multa cap.

Psal. 53.

Explicatur locus Psalmi.

Psal. 34.

Ibidem.

D. Hiero.

Caldaica.

subiũgit dicẽs: *& in verit ate tua disperde illos.* i. vt verus appareas in promissis disperge, & extermina eos. ¶ Verũ est tamen quod aliter exponi potest hic versus vt ad rem, (de qua Christus in hoc loco) faciat. Precatur ergo pius & sanctus Propheta vt auertat dñs ab inimicis suis omne malũ: secundũ quod hic Dñs ait: diligite inimicos vestros, &c. orate pro calũniãtibus vos. Auerte ergo mala inimicis meis. i. ab eius mala amoue, malũ cor, malam animã, mala vitia, vt pro malis conferas bona. Vndẽ quod ẽ vestigio subsequitur: *& in veritate tua disperde illos.* De perditione salutari intelligi debet: secundũ quẽ modũ alibi dicitur, increpasti gentes & perijt impius. Tunc enim perit impius quando (iuxta consilium Esaiæ) derelinquit vias suas, & iniquas cogitationes suas,

Psal. 9. Esai. 55.

¶*Et qui aufert quæ tua sunt, ne repetas.* Multum nobis Deus præstat, cũ nocitura petentibus negat, sed multo amplius, cum quæ noceant habentibus aufert. Enim verò seruus Dei tunc debet timere, quum temporale quid percipit: tunc gaudere, cum perdit: quia cui propositum est cœlestia scandere, expeditius proculdubio vacuus quàm onustus gradietur. Medicus sanẽ sanguisugas tumentibus membris apponit, virusque simul ab intimis visceribus sorbere permittit. Diuersæ tamen intẽtionis est medicus & hirudo. Illa siquidem nil aliud gestit, nisi vt sanguinem bibat: iste ad hoc tendit, vt languidus conualescat. Illa satiatur & moritur: ægrotus autem dum perdit sanguinem, recuperat sanitatem. Sic pius & misericors Deus dum quæ nostra sunt à malis nobis auferri permittit, quasi per peccatum alterius nostra peccata tollit. Denique si homo venenum veneno nouit expellere, quid mirum si omnipotens Deus ex alienis vulneribus nouit salutis nobis antidotũ procurare.

Deus dum quæ nostra sunt, à malis auferri permittit, quasi per peccatũ alterius nostrum tollit. similitudo

Petrus Damia.

¶ *Ipse benignus est super ingratos & malos.* χρηστὸσ vox Græca significat cõmodum, humanum, ac facilem ad gratificandum. Id quod prope modum declarat, & benignus.

Eras.

¶*Domi.*

¶ *Domi. 1. post Pente.*

ESTOTE misericordes sicut et pater vester misericors est. Nolite iudicare, et non iudicabimini. Nolite condemnare, et non condemnabimini. Dimittite, & dimittemini. Date et dabitur vobis. Mēsurā bonā, & cōfertā, et coagitatā, & superfluētē dabūt in sinū vestrū. Eadē vero mēsura qua mēsi fueritis, remetietur vobis. Dicebat autem illis & similitudinē. Nunquid potest cœcus cœcum ducere? Nōne ambo in foueam cadent?

ESTOTE misericordes sicut et pater vester misericors est. His verbis nos admonet Dñs, vt Dei largam & omnibus expositā beneficentiam tanquā germani filij referamus. Vt eius exēplo quantū in nobis sit, modis omnibus prodesse studeamus vniuersis: & bonis, quo fiant meliores, & malis, vt nostra mansuetudine prouocētur ad meliorem frugem. Quæ vt melius intelligas, obserua: non tam velle Deū nos punire, quàm misereri, & parcere: ideò Deus nō punit ex animo: sed quia ita exigūt merita nostra. Quod vt significaret aiebat olim per Esaiam: heu consolabor de hostibus meis. Volens clemētissimus Dñs pœnas sumere, prius ingemit, & plorat. Est. n. particula, heu, interiectio dolētis & plorantis. Et in alio loco vt faciat, inquit, opus suū, alienū est opus eius. Punit enim Deus non vt perdat: sed vt saluos faciat. Non enim ex animo perdere vult, sed si

Misericordes & benefici commendātur.

Potiꝰ vult Deus misereri quàm punire.

Esai. 1.

Esai. 28.

A sceleratos in hac vita punit eò est vt conuertātur, aut vt alij Deū timeāt. Hinc est qd Hiere. ait: Quia si abiecit, & miserebitur secūdū multitudinē misericordiarū suarū: non enim humiliauit ex corde suo & abiecit filios hominū. Hinc etiā est vt Ecclesia canat: Deꝰ cui propriū est misereri semper & parcere. Et Abac. cū iratus fueris misericordię recordaberis. Et Dauid: ira in indignatione eiꝰ & vita in volūtate eiꝰ. Quæ loca ostēdūt Dñm misereri nostri nō solū quādo in nos cōfert beneficia, sed etiam quādo nos punit. Et B hoc modo in omnibus suis operibus vtitur misericordia. Quod sentiens Dauid miserationes, inquit, eius super omnia opera eius. Quē locū D. Hiero. ita vertit misericordiæ eiꝰ in omnia opera eiꝰ. Ac si dicat: nullū est opꝰ Dei in quo ille nō vtatur misericordia. Merito ergo d. Pau. Deū, patrem misericordiarū appellat, & Deū totius cōsolationis. Venit ergo filiꝰ Dei ad restituēdū in nobis imaginē & similitudinē Dei, quā ob nostra impia facinora habebamus deformatam, ideo ad eius misericordiā imitādā nos excitat di C cēs: estote ergo misericordes: sicut & pater vester misericors est. Ac si diceret: eū respicite, eius misericordiam imitamini, qui vester pater est: ad cuius imaginem creati estis. Maxima profectò excellētia est referre imaginē & similitudinē Dei: si ergo propriū est Dei misereri semper & parcere, illū imitemur tanquā veri & germani filij, vt similes ei simꝰ. Quā verò propriū sit Dei misericordē esse, nō solū loca superius posita sed etiam docuit nos satis Moyses Exo. 34. qui postquàm (vt creditur à multis) diuinā faciē & essē D tiā vidit, & ex cōsequēti in ea omnes dei perfectiones, nō iustitiæ, nō sapiētiæ, nō omnipotētiæ tā meminit quā misericordiæ dicens: Dñe Deus, misericors & clemēs, patiēs & multę miserationis, qui custodis misericordiā in millia, qui aufers iniquitatē, & scelera, atq; peccata. Quāta verò sit Dei misericordia, nullis verbis explicare possumus: satis nobis sit scire qd misericordia Dñi plena est terra. Et qd miseratio hominis circa pximū suū, misericordia autem Dei super omnem

Thre. 3.

Abach. 3.

Psal. 29.

In omnibus operibus ostendit Deus misericordiam suā.

Psal. 144. exponitur Dauid.

2. Cor. 1.

Exod 34.

Psa 5.

Eccle. 18. carnem: vt Ecclesiasticus ait. c. 18. Si igitur tanta est hæc virtus in Deo, misericordiam sectemur, vt hoc tam excellens in hac vita premium consequamur: népe vt Deo similes simus. ¶ Ex quo fiet, vt à Deo maximé diligamur, similitudo enim, amoris est causa, ideo dicebat maximus ille philosophus omne animal diligere sibi simile. Si ergo in misericordia similes Deo sumus, necesse est vt ab illo diligamur. Quo quid quæso præstãtius? Quid excellentius? Quid denique dignius? ¶ Ex quo secundo collige, omnes viri misericordes, & beneficos erga proximos suos, ius peculiare & certũ habere, ad diuinam misericordiam consequendum. Cuius rei chirographa multa manu Dei scripta habemus. Beati, inquit, misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et rursum ait: In iudicãdo esto pupillis misericors sicut pater, & pro viro matri illorum: & eris tu velut filius altissimi obediens, & miserebitur tui magis quàm mater. Et alibi: ex substantia tua fac eleemosynã: & noli auertere faciẽ tuam ab vllo paupere, ita enim fiet vt à te, nec auertatur facies Dei. ¶ Neque voluit Dominus his modis hominem pium & misericordẽ beare: sed voluit esse illi veluti seruũ. Quod ex duobus sacræ scripturæ testimonijs satis colligi potest. Primum est: fœneratur Domino, qui miseretur pauperis. Alterum est: qui accipit mutuum seruus est fœnerantis. Ergo Deus veluti seruus & captiuus efficitur eius, qui miseretur pauperis. Quo quid rogo in hac vita beatius? Quid fœlicius quàm Deũ habere (si fas est ita dicere) veluti mancipium? ¶ Adde huc, quòd misericordia, multa alia bona secum afferre solet. Affert remissionem peccatorum omnium. Sicut aqua extinguit ignem ita eleemosyna extinguit peccatum. Et rursum: munus absconditum extinguit iras & donũ in sinu indignationem maximam. Denique Dominus vno verbo omnia complectens apud nostrum Luc. ait: Veruntamẽ date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. ¶ Misericordia etiam ita ditat animum, vt bonis quæ

Matth. 5.

Eccle. 4.

Tobiæ. 4.

Pro. 19.

Pro. 18.

Eccle. 3.

Pro. 21.

Luc. 11.

A præstat, non solum possimus Deo soluere omnia debita: sed ex residuis satis possimus viuere vita spirituali. Quod significatum nobis fuit. 4. Reg. 4. in miraculo olei ab Helisæo facto. Vade, inquit, vende oleum, & redde creditori tuo: tu autẽ & filij tui viuite de reliquo. Misericordia qua vtimur in pauperes & soluit Deo creditori pœnas debitas: & diuitijs meritorum replet animum. Hæc atque alia innumera bona, quæ longum esset recensere, secum adducit misericordia in pauperes. Quare non immeritò nos

4. Reg. 4.

B hodie Dominus ad hanc virtutem sectãdam hortatur dicens: estote misericordes sicut pater vester misericors est.

¶ *Nolite iudicare & non iudicabimini, nolite condemnare & non condemnabimini.* His verbis docet Dominus, proximi dicta, factaque, quę quo animo fiãt dubia sunt, in meliorẽ interpretari partem. Syncerus enim animus semper propensior est ad bene opinandũ, quàm ad malè suspicandum. Ne iudicemus igitur quenquam: ita fiet, vt ipsi vicissim

Non temere dicta & facta aliorum iudicanda.

C non iudicemur. Ne condemnemus quẽquam: ita fiet, vt vicissim non condemnemur. Vt hic ait Christus. ¶ Gene. c. 18. sacra narrant eloquia: dixisse Dominum. Descendam & videbo, vtrum clamorẽ qui venerit ad me, opere compleuerint, an non est ita vt sciã. Quo docemur non etiam temerè, ex fama & rumore solo, alios iudicare, aut damnare: vt in hoc loco ait Dominus. ¶ *Nolite iudicare et non iudicabimini, etc.* Dictio Græca non solum iudicare, sed etiam ac

Gen. 18.

D cusare significat. Vt sit sensus: nolite aliquem accusare, nisi & ipsi accusari velitis. Quod si aliquem vestra iam accusatione ad iudicem pertraxeritis, ne curetis eum condemnandum, nisi & ipsi condemnari velitis.

¶ *Dimittite et dimittemini.* Vel absoluite & absoluemini. Quasi dicat, eũ quẽ ad iudicẽ pertraxeritis vobis cõdẽnandũ, absoluẽdũ curate, si & ipsi absolui velitis.

¶ *Date & dabitur vobis.* Hoc verbo hortatur Dominus diuites vt sint benefici & liberales in proximos, si ditiores in hac vita adhuc esse desiderant: vt reuera deside-

Hortatur diuites ad beneficẽtiã si ditiores in hac vita esse cupiunt.

desiderant. Hoc idē erat quod alias multis in locis sacrę paginæ promiserat Dominus, Pro.3. Honora, inquit, Dñm de tua substantia, & de primicijs omnium frugum tuarū da pauperibus: & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redūdabūt. Et c.28. qui dat pauperi non indigebit: qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam. Et hoc est, quod alijs verbis ait idem Salo. c.13. dicens: Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. Sed his Salomonis testimonijs clarius & manifestius est illud Pauli. 1. Timo.4. exerce te ipsum ad pietatē. Nā corporalis exercitatio, inquit, ad modicū vtilis est: pietas autem, ad omnia vtilis est, promissionem habens vitę, quæ nunc est, & futuræ. Nonne vides o diues, qui diuitias tam ardenti desiderio concupiscis, quo pacto ditior esse poteris? Benefico enim omnia promittūtur tā bona præsentia quā futura. Quare si bona illa futura & sempiterna non te ad liberalitatē persuadent, en tibi bona huius vitæ etiā proponuntur, & promittūtur. Idcirco cōsulit sapiens Eccle.11. Da partes septē, necnō & octo: quia ignoras quid futurū sit mali super terrā. Septē. s. dare debemus, vt bona huius vitæ consequamur: quæ in numero septenario significantur: (septenarius enim numerus hedomadā vnā constituit) & rursum: octo partes (qui numerus vno gradu primū numerū excedit) vt æternæ vitæ bona nobis comparemus. Quæ hoc numero designantur. ¶ Hoc idē demonstrare nobis voluit expressē Dñs. 3. Reg. 17. vbi sacra narrat historia, quòd propter misericordiā & beneficentiā qua vsa est cum Propheta Dñi Helisæo vidua illa pauperrima: ex illa die hydria farinę nō defecit, & lecythus olei nō est imminutus, iuxta verbū Dñi. Si ergo hæc vera sunt vt vere sunt, & tu his, ea firmitate fidem adhibes, qua cæteris mysterijs fidei, cur ergo non eris liberalis & magnificus in pauperes? Si enim credis, miror profecto quid sit in causa, vt bona tua alacri animo nō distribuas: si autē non credis, infidelis sanè es, & omni pagano deterior. Age iam & liberalis atque beneficus esto & redibit ad te cum fenore multo tuum beneficium.

Pro.3.a | Pro.28. | Pro.13.c | 1.Tim.4. | Eccle.11. | 3.reg.17.

¶ *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum.* Mensuram bonam, quidam subaudiunt date, & distinguunt post, coagitatam. Hoc est mensuram bonam & confertam date, & coagitatam & superfluentem dabunt in sinum vestrum.

¶ D. Bernard. explicans hunc locum de æterna illa retributione sic ait: Mensuram (ait Dominus) plenam & cōfertam, & coagitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum: plenam, vniuersitate creaturarum, confertam, in interiori homine nostro, coagitatam, in exteriore, superfluentem in Deo ipso. Videbunt enim tunc Deum beati in omnibus creaturis, habebunt eum in semetipsis, & quod his omnibus iucundius est atque beatius, ipsam quoque cognoscent in semeptisa Trinitatem, & gloriam illam sine vllo ænigmate, mundo cordis oculo contemplabuntur. In hoc enim erit vita æterna & perfecta, vt cognoscamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu, & videamus Deum sicuti est. Idest, non modo sicut inest nobis videlicet, aut cæteris creaturis, sed sicut est in semetipso. Tūc enim anima sancta dicere poterit, leua eius sub capite meo & dextera illius amplexabitur me. Transcendet enim anima sancta Christi incarnationem & humanitatem, quæ nimirum leua eius iure vocatur, vt diuinitatem eius, & maiestatem eius quam non incongruè dexteram nominat, sublimius contempletur. Hæc ergo mensura bona, conferta, coagitata, & exuberans refundetur in sinum nostrum si benefici simus, etiam si ab hominibus nulla redeat ad nos beneficij pensatio. Eadem enim mensura qua nos mensi fuerimus nostram erga proximum liberalitatem, referetur nobis præmium. Si contracti parcique fuerimus erga proximum, talem sentiemus remunerationem. Vt in hoc loco ait Dominus. Eadem, inquit, mensura quā mensi fueritis, remetietur vobis.

Primus sensus. | 2. sensus. D. Ber. ser. 4 in festo omnium sanctorū. | Can.2.

¶ *Superfluentem* & effusissimam.

quorum doctrinam sequi debeamus si errare nolumus.

¶ *Nunquid potest cæcus cæcum ducere?* Quorum Doctorum doctrinam si errare nolumus, sequi debeamus: docet Turrecremata lib.4.de Ecclesia.cap.17. præsertim conclusione.5. in materijs & in rebus, inquit, fidei quando diuersæ opiniones, & varia inter Doctores placita sunt, non erit (quantũ videtur) omnino à culpa immunis, qui non nitatur sequi sententiam & opinionem doctiorũ, magisque celebrium, atque expertorum in ea facultate: atque eorum qui vita & moribus sunt alijs præstantiores. Nam alias videtur habere locum quod in hoc loco Dominus ait: nunquid potest cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foueam cadunt? Debent enim quilibet, in huiusmodi adhærere regulariter doctioribus & sapientioribus, & ijs qui sanctorum patrum scriptis magis soliti sunt adhærere. Vnde Ecclesiasti.8. dicitur. *Ne despicias narrationem presbyterorum.* Idest, doctrinam Doctorum seniorum. *Et in prouerbiis eorum conuersare.* i. secundum eorũ doctrinam viue. *Ab istis enim disces sapientiam.* s. diuinorum: cuiusmodi sunt credibilia. *Et doctrinam intellectus*, quæ circa mores versatur: qua fidelium vita adornatur. ¶ Cæterũ si sapis, cõsidera quot sunt Doctores pro vna opinione, quot vero pro alia: quia magis rationi consentaneum est, si cætera sint paria, veriorem esse sententiam illam in qua plures viri doctrina & sanctitate præstantes conueniunt, quàm illa, quam vnus aut alter sequitur: sicut de sententia dicitur, quæ plurium iudicio roboratur. distin.79. si transitus, & extra. de elect. cap. licet. Et hoc est, quod Salomon ait: Ecclesia. 6. in multitudine presbyterorum prudentium sta: & sapiẽtiæ illorum ex corde coniũgere. Ex quo fit vt immunis à peccato non videatur, qui in rebus fidei ac morum, explosa opinione & sententia multorum sapientiũ, opinionem, vnius, aut sententiam paucorum, sequatur: si cætera paria sint. Vnde D. Augusti. ait lib. de doctrina Christiana, cuius verba referuntur in cap. in canonicis. d.19. In his, videlicet scripturis, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures, grauioresquẽ accipiũt, eis, quas pauciores, minorisque auctoritatis Ecclesia tenet. Hæc & alia vide in Turrecre. ¶ *Nunquid potest cæcus cæcum ducere. Nonne ambo in foueam cadent?* Prouerbium antiquum est hoc. Idquẽ maximẽ verum. Ideò alio prouerbio consulebant antiqui sapientes: ne cæcũ ducem, neque amentem cõsultorem adhiberemus. Disce ergo, sed à doctis. Consilium pete, sed à consultis. Non ab hominibus stolidis & insipientibus, qui & aure & mente & oculis (vt alio prouerbio dicitur) cæci sunt. ¶ Obserua hic primùm omnes infideles siue hæreticos cæcos esse. De quibus Paul. in episto. ad Roma. c.11. ait: Quòd si opertum est Euangelium nostrum, in his qui pereũt est opertum, quibus Deus huius seculi excæcauit mentes infidelium, ne illucesceret eis lumen Euangelij gloriæ Christi. Vbi diabolus vocatur Deus huius seculi, & rector tenebrarum harum: sicut Moyses vocatur Deus Pharaonis: & venter est multorum Deus. Princeps ergo iste excæcauit mentes incredulorum. Vt quemadmodum verus Deus lumen restituit seruis suis, vt Tobiæ & cæco sic nato: sic princeps mundi huius eruit oculos mentis eorum, qui ei se tota deuotione tradiderunt. Hos non sequamur. Hos non imitemur. Nam quomodo docebunt alios, qui ipsi tenentur errore? ¶ Deinde nota: omnes etiam peccatores fideles, cæcos in sacra scriptura appellari. Quosdam enim ignorantiæ tenebræ, quosdam verò animi perturbatio, quosdam autẽ cordis malicia excæcauit. Hi ergo omnes indigni sunt vt alijs sint duces. Purus sit ipse ab omni crimine oportet, qui velit alteri præire. Illi ergo qui tales sunt vt verẽ dicere possint: palpauimus sicut cæci parietem, & quasi absquẽ oculis attrectauimus, impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui: indigni omnino sunt vt alijs præsint. Habent enim obscuritatem intellectus à sceleribus productam, adeò vt etiam in luce meridiana non videant: imò dies vertatur illis in noctem, quemadmodum iustis contra, nox

Eccle.8. exponitur locus.

Infideles & hæreticos cæcos esse ostenditur. Rom.11.

Peccatores cæci etiam sunt.

d.79 c. si transitus extra. de elect. c. licet. Eccle.6.

Esai.59.

D.Augu.

Psal. 138. nox vertitur in diem, iuxta id, quod quidam dicebat: nox illuminatio mea in delicijs meis. Quia tenebræ nō obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur. In huiusmodi præsules ignorantes inuehitur Esai. cap. 57. dicens: Speculatores cæci omnes, nescierunt vniuersi. Esai. 57. A Et meritò quidem. Nam si speculator sit cæcus: dux claudus, præco mutus, quis non videt magnam inde oriri perniciē?

Finis capitis sexti.

C A P V T VII.

¶ *Sanatur à Christo Centurionis puer suscitatur filius vnicus.*

¶ *Feria quinta post cineres.*

Matth. 8. a *CVM autem impleßet omnia verba sua in aures plebis intrauit Capharnaum. Centurionis autem cuiusdam seruus male habens, erat moriturus: qui illi erat pretiosus. Et cum audißet de Iesu, misit ad eum seniores Iudæorum, rogās eum vt veniret, et sanaret seruum eius. At illi cum venißent ad Iesum, rogabant eum solicitè, dicentes ei: quia dignus est vt hoc illi præstes, diligit enim gentem nostram: & synagogam ipse ædificauit nobis. Iesus autem ibat cum illis. Et cum iam non longè eßet à domo, misit ad eū Centurio amicos dicens: Domine noli vexari. Non enim sum dignus vt sub tectum meum intres, propter quod & me ipsum non sum dignus arbitratus: vt venirem ad te: Sed dic verbo, et sanabitur puer meus, nam et ego sum homo sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic vade, et vadit: & alio, veni, et venit: et seruo meo, fac hoc, & facit. Quo audito Iesu miratus est: et conuersus, sequentibus se turbis dixit: amen dico vobis, neq; in Israel tantam fidem inueni. Et reuersi qui missi fuerāt, domum inuenerunt seruū qui languerat sanum.*

Matth. 8.

CEnturionis autem cuiusdā seruus. D. Matthæus. cap. 8. ait: quòd accessit ad Iesum, & dixit: Domine puer meꝰ iacet in domo paralyticus. Vide notā, quòd hæc vox, puer, & ætatem significat, & filium: præterea ministrum vt παῖς Græcè. Ex hoc autem loco D. Lucæ constat quem Matthæ. παῖδα. i. puerum vocat, non filium fuisse, sed famulum. δοῦλος enim nihil aliud quàm seruum aut famulum significat. ¶Cæterum ἑκατόνταρχος quem hic Centurionē vocat: (sic enim Græcè sonat, qui centum præsit) Hilario Tribunus dicitur.

¶*Erat moriturus.* Vel agebat animā. Aut erat in periculo mortis. Sic enim periclitabatur de vita, vt iam vicinus esset morti.

¶*Et erat illi preciosus.* ἔντιμος. In precio habitus. Ea enim res discruciabat animum hominis non æstimantis eum ex cōditione, sed ex fide & synceritate morum, & quorundam interim inhumanitatem arguentis, qui seruos non alio habent loco, quàm equos ac boues.

¶*Misit ad eum seniores.* Pudoris erat, non diffidentiæ, quòd Centurio, primū ethnicus, deinde militaris ordinis, per alios Dominum interpellat. Hoc enim hominū genus duobus nominibus execrabantur Iudæi: primùm quod ferè essent incircuncisi, & à lege Mosayca alieni: deinde, quod vitæ genus infame esset vulgo. Ideo Centurio iste subornauit quosdam primores Iudæorum, qui suis verbis rogarent Dominum vt sanaret seruum eius. ¶*Misit ad eum seniores.* D. Matthæus cap. 8. ait: Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad illū Centurio, rogans eum & dicens: Domine puer meus iacet in domo paralyticꝰ. Ex hoc loco, alijsque multis huic similibus, multi in eo errore fuerunt, vt dicerent: Euangelistas cæterosque auctores sacros, & fallere & falli leuibus in rebus, & nihil ad salutem nostram pertinentibus. Vt Hierony. in procemio super epistolam ad Philemonem: Et in cōmentarijs super .5. Micheæ caput testatur. Is autem error quàm sit impius, illo argumēto demonstro: quòd sacrarum scripturarum, magna ex parte labefactatur auctoritas, si hęc opinio vera est. Nam vt Augustinus ait: si in sacro quouis libro, vna quælibet falsitas reperitur, totius libri certitudo interit. Quo vno argumento Augustinus de consensu Euangelistarū lib. 2. cap. 12. satis ostensum ac patefactū esse credit: Prophetarum & Apostolorū scripta nullam omnino habere falsitatē, non solùm eam quæ mentiendo promitur, sed nec eam quidem quę obliuiscendo. Lege Cano. lib. 2. de locis Theologicis. cap. 12. vbi copiosè & eruditè, vt solet omnia, hunc errorem impugnat.

Matth. 8.

Neque Euangelistæ neque cæteri sacri scriptores in aliquo errarunt.

D. Hiero.

epist. 8. & 19. ad Hiero d. 9 c. si ad scripturas. &c. ego solis.

Cano.

¶Cæterum ab hoc argumento quo veritas hæc impugnari potest, facilis est & expedita defensio. Quod enim per amicos aut alios facimus, communi loquendi modo dicimus facere per nos metipsos. Quam phrasim scriptura sacra seruare solet. Vnde D. Matthæus cap. 14. ait: Quòd misit Herodes, & decolauit Ioānem in carcere. Cum dixerit misisse qui caput Ioannis præcinderent, mox tamen subijcit ipsum Herodem amputasse caput. Facit enim qui iubet, & qui per alios facit. Sic hodie verè dici potuit qđ Centurio miserit primores Iudæorum, vt rogarent Iesum, quod veniret, & sanaret seruum eius, & quòd ipse accesserit ad illum: vt Matthæus ait. Accessit enim per nuncios quos misit. Vide Augustinū lib. 2. de consensu Euangelistarum. c. 2. vbi ad hunc modum Euangelistas conciliat. Et rursum ait: Veruntamen nō negligenter intuenda est etiam sancti Euangelistæ altitudo mysticè locutionis, secūdum quam scriptum est in Psalmo: Accedite ad eum, & illuminamini. Proinde quia fidem Centurionis, qua verè acceditur ad Iesum, ipse ita laudauit vt diceret: non inueni tantam fidem in Israel: ipsum potius accessisse ad Christum dicere voluit prudens Euangelista, quàm illos per quos verba sua miserat. Porrò autem Lucas ideo totum quemadmodum gestum esset aperuit, vt ex hoc intelligere cogeremur, quemadmodum

Cōcordatur d. Matth. & D. Luc.

Matth. 14.

D. Aug.

Psal. 33.

eū n

eum accessisse dixerit alius qui mentiri non potuit. Sic enim & illa mulier quæ fluxum sanguinis patiebatur, quamuis fimbriam vestimenti eius tenuerit, magis tamen tetigit Dominum, quam illæ turbæ à quibus premebatur. Vt enim hæc quò magis credit, eo magis tetigit Dominum, ita Centurio quo magis credidit, eò magis accessit ad Dominum. Hactenus Augustinus. [D.Augu.] Exemplo ergo Centurionis accedamus & nos viua fide ad thronum gratiæ Christi: & non erimus cõfusi, neque repulsam patiemur, sed benigne donabit nobis petitiones cordis nostri. Hoc enim est quod regius psaltes, vt modo referebamus, ex hortatur Psalmo illo. 33. [Psal. 33.] Accedite, inquit, ad eum & illuminamini: & facies vestræ nõ confundentur. Idest, non denegabitur vobis petitio. Vbi nota obiter, quod ex more sacræ scripturæ dicimus confundi facies eorum, quibus non conceduntur quę postulant. Vnde. 3. Regum. c. 2. loquẽs pro Adonia ad Salomonem mater sua Bethsabęe, dicebat: petitionẽ vnam paruulam ego deprecor à te, ne confundas faciem meam. [3. Reg. 2.] ¶ *Misit ad eum seniores Iudaeorum, rogans eum, vt veniret, & sanaret seruum eius, &c.* Docet hic locus quàm vtile & sanctum sit sanctos homines precari: quod hæretici negant.

¶ Atque hoc idem ratio postulat. Nam si tanta apud Deum, quanta vix explicari potest, auctoritate valent sancti, prudentissimũ consiliũ est eos, vt pro nobis orent, orare. Ipsa enim natura fert, vt imbecilli à potentibus, pauperes à diuitibus, qui alienati sunt, ab eis qui gratia & auctoritate valent, opem, & auxilium petant: & vt ipse, quem nobis placare volumus, vehementius precibus eorum moueatur, quos diligit, & vehementer amat: quàm eorum, quos non ita diligit. Ideoque in libro Iob scribitur: [Iob. 5.] Voca si est qui tibi respondeat & ad aliquem sanctorũ conuertere. Et alio loco: [Iob 33. Quàm vtile sit aliquem diuum precari.] si fuerit pro eo Angelus loquens vnus de millibus vt annũciet hominis ęquitatem, miserebitur eius Deus, & dicet libera eum, vt non descendat in corruptionem: inueni in quo ei propitier. ¶ Accedit ad hoc, quòd cum tanta beneuolentia Deus sanctos suos prosequatur, tantis honoribus augeat, haberi etiam vult a nobis in honore sic, vt illos obsecremus, precemur, & implo remus: [Deus vult vt sanctos suos obsecremus.] & beneficia per illos nobis collata esse intelligamus. vt in Genesi memoriæ proditum est, [Gen. 22.] Deum Abimelech dixisse: Nunc ergo redde viro vxorem, & orabit pro te quia Propheta est, & viues. Ac postea narratur: orante Abraham, à Deo fuisse Abimelech sanatum, vxoréque & ancillas eius. ¶ Deum etiam Iob [Iob. 42.] amicis imperasse scribitur, vt Iob conuenirent, ac precarentur, vt pro illis Deum oraret. Ipsoque postea precante, Deum illius preces audisse. Quibus fortè argumentis conuictus OEcolampadius concedit, viuos pro nobis orare posse, vita tamen negat defunctos. [Docet sanctos viros etiam vita defunctos implorare] Sed quæram ex eo, vtrum mortui eodem modo, quo ante in nos animati sint, an secus? Si eodẽ modo, cum nostræ illos res attingant, cur rationes nostras, non procurabunt, & fœlicem earum exitum precabuntur? Sin autem secus, cur tàm cito nobis immutati? Cur alienati sunt, cum meliores sint quàm antea? Cur charitatem in nos, & misericordiam abiecerunt? Cum longẽ valentiore virtute, ac pietate prædititi mortui, quàm viui sint? Quæ omnia aduersarijs exponenda fuissent, vt fidem nonnullam facere viderentur. ¶ Sed quis sibi persuadeat sanctos viros in hac calamitosa vita pro nobis precari, cum sibi timere, deq; se debeant esse soliciti: in illa verò fœlicissima, in qua omni vacant formidine, serenissimo sunt, & tranquillissimo animo, nihil res nostras curare, nullas pro nobis preces habere?

¶ Præsertim cum literis sanctis consignatum sit, Oniam summum sacerdotem, & Hieremiam vita vtrumque defunctum, visum fuisse à Iuda Machabæo, precibꝰ pro populo Dei obsecrantem. [2. Mach. 15] Nã quod aduersarij dicunt, plenam nõ esse fidem libris Machabæorum habẽdam: nepharium est, quod summam eis auctoritatẽ Concilium Tridentinum tribuerit. ¶ Iã vero auarus ille crudelissimus de quo mentio fit apud Lucam, [Luc. 16.] fratrum suorũ apud inferos recordabatur, à quibus ma lum,

lum, in quo ipse iacebat depellere cœpiebat: & sancti benignissimi suorum in cœlo memoriam deponent? Neque ad regnum, quod ipsi possident eos peruenire desiderabunt? Nebulonis illius amor erga suos, nullis tormentis exhauriri poterat: sanctorum autem fœlicitas, & immensa gloria ab amore eos suorum auertetet? Quis id credat? Aut non absurdissimum esse iudicet? Et hoc magis, quod exemplum Christi magistri sui, ob eorū semper versetur oculos, qui vt Paulus & Ioānes dicunt: pro nobis semper interpellat, & aduocatus est apud patrem. Cur tantum & tam pium magistri sui studiū non imitabuntur? Aut cur eos negligēt, quos auctori salutis suæ tantæ curæ esse vident? ¶Iacobus item præcipit dicēs: orate pro inuicem, vt salvemini. Quod quidem est charitatis munus, quare sancti illud explebunt in vita beata, quæ charitatem (vt Paul. ait) maximé perficit. ¶Christus etiam apud nostrum Lucam de beatis dicit, sicut Angelos Dei in cœlo futuros: eadem ergo officij munera erga nos præstabunt, quæ Angeli præstare solent: at Angeli Deum pro nobis precantur, & quibuscunqué rebus possūnt res nostras procurant: vt videre est apud Zachariam. cap. 1. & apud Ioānem in Apocaly. cap. 5. & 7. & apud Tobiam. cap. vlt. Quod si Angeli sancti hac in nos sunt charitate, cur eadem viri sancti non erunt, nostræ participes naturę, & qui in eisdem, quibus nos periculis versati sunt? ¶Et Baruch Propheta dicit, Domine omnipotens Deus Israel, audi nunc orationes mortuorum Israel, patriarcharum, scilicet, & prophetarū qui mortui sunt. ¶Hinc est quod iam inde a primis Christianæ Ecclesiæ temporibus, sanctorum cōmunio Christianis imprimis ad credendum proposita sit: vt intelligamus, sanctos in cœlis vitam agētes, præterquam, quod suorum meritorum participes hic fuerimus, nobiscum amore, & charitate esse coniunctos. Nihil enim aliud nobiscum possunt cōmunicare. Nam fide & spe minime nobis similes sunt. Nihil enim iam credūt: quippé qui omnia videant: nihil sperāt cum

Heb. 7.
1. Ioan. 2.
Christus, p nobis sem per interpellat.
Iacobi. 5.
1. Cor. 13.
Infra. 20.
Zacha. 1.
Apo. 5. 7.
Tobi. vlt.
Baruch. 3.
Sancti viri vita defuncti nobiscū amore & charitate cōiūcti sunt.

A omnia fuerint consecuti. ¶Hanc etiā sententiam nostram vehementer confirmat perpetuus Ecclesię mos, Concilij Gangrensis definitio, & vniuersalis sanctorum consensus, quos recensere longū esset. Imitemur igitur vel huius Centurionis exemplum: qui se indignum iudicans tanto beneficio, exorauit primores Iudæorum, vt suis verbis rogarēt Dominum, vt dignaretur adire ædes ipsius, & sanaret seruum eius. Precemur ergo viros pietate ac sanctitate præditos, siue sint viui, siue vita defuncti: vt ad Dominum pro nobis preces fundant. Tanta enim auctoritate apud illum pollent, vt audire mereantur: ego veniam & curabo eum. Quod Matth. dixisse Dominū, testatur.

B

¶ *Dignus est vt hoc illi præstes: diligit enim gentem nostram, et synagogā adificauit nobis.* Et, pro, quia, Hebraismus est vt sæpē annotauimus. ¶ Cæterum hinc disces, quam sanctum ac piū sit Ecclesias ędificare: atq; loca sacra Deo dicata, vbi preces fundamus, erigere. Quaré perperàm Erasmus in annotationibus

C ait: annotandum autem est quam Iudaica commendatio. Amat, inquiunt, gentem nostram, & synagogam ipse ędificauit nobis. Sancta sané commēdatio fuit, & Dei misericordia digna. Quemadmodum nunc temporis esset, ædes sacras struentes Deo commendare. Neque est quare audiamus hęreticos huius temporis templa Deo dicata reprehendentes. ¶ Nam nulla fuit vnquam tàm barbara natio, quæ templa aut aliqua loca non præscriberet: quibus Deū aut Deos suos

D precaretur, votaq; eis, & iusta sacrificia persolueret. Quantis enim templis, aris, & lucis, latini, Gręci atqué adeó Scythæ & barbari omnes abundarint, cūctæ narrant historiæ. Nam si vrbes, oppida & respublica omnis, forum, curiam, & alia sartatecta habent, quibus ciues communiter & ad munia publica vtantur: cur non etiam communem sacrificandi, colendi, venerandiqué Deum, locum habebunt? Et hoc magis, quód præter cæteras res, honos & reuerentia aduersus Deum, omnibus & singulis reipublicæ homi-

Cō. Gangre. c. 20.
1. ratio.
Templa ædificare sanctum & pium esse omni lege ostéditur.

hominibus necessaria sit: à quo maiora beneficia accipiunt, & expectant, & in quo propriæ & cõmunis salutis spes posita esse debet. Nam ædes & sacra tẽpla non eò deferũtur à sanis hominibꝰ, quo in eis includi & coarctari infinitam Dei maiestatem putemus: si enim cœlum & cœli cœlorum te capere non possunt (vt Salomon in tẽplo dedicando dixit) quãto magis domus hæc quã ædificaui? sed eferuntur eò, quò locus aptus precibus, sacrificijs, & alijs obsequijs nostris, pro dignitate reddendis constituatur: ne sacris misceantur & confundantur prophana. ¶ Quis verò tám vecors & stolidus homo hanc mentem, animum, & voluntatem nostram culpet? Vt cõmodis meis inseruiam, ędem ornare, & instruere licet, & vt cultui vacem & reuerentię diuinæ fas non erit? Quæ tanta ista dementia & insania est? Quam Deus per Aggęum valde increpat dicens: nũquid tempus vobis est vt habitetis in domibus vestris laqueatis, & domus ista deserta? Et nunc hæc dicit Dominus exercituum, ponite corda vestra super vias vestras, seminastis multum & intulistis parum, comedistis & non estis satiati, &c. Deinde suadet vt melius sapiant: eosq; ad templum Dei ædificandum hortatur dicens: ascendite in montem, portate ligna, ædificate domũ & acceptabilis mihi erit, & glorificabor dicit Dominus. ¶ Præterea Deus ipse in Exodo dixisse narratur, facient mihi sanctuarium, & habitabo in medio eorum. Quasi dicat: ea lege inter vos habitabo si mihi domicilium inter vos collocetis. Quare Deũ ex vrbibus & republica nostra eijcere videntur, qui templa eius deijcere monẽt. ¶ Sed aduersarij dicunt domicilium, ac sedem gloriæ suæ Deum tantum veteri in instrumento requirere, quòd populꝰ ille, ex rebus his quæ sub sensum cadũt, informandus, & quasi manuducendus erat ad res eas quæ ad animum expectãt cognoscendas. At ego sic existimo multo magis templum in nouum instrumentum cõuenire. Nam si ædes & puluinar Dei in lege veteri exigebatur propter arcam fœderis pro dignitatę collocãdam, quò magis id noua lege, requiri necessarium est, ad sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum, quo infinita Dei maiestas penitus continetur, reuerenter, sanctè & religiosè reponendum? Vbi tantum diuinitatis ærarium, in quo omnes ad vnum eius thesauri recõditi sunt, aduersarij conseruari volunt? Quod ei domicilium dare? Aut quibus eum sedibus ponendum existimant? Huius autem sacramenti percipiendi causa, cõstat templa, quibus Christianorum concio congregabatur, lata lege noua fuisse. Nam templi speciem exprimit cœnaculum illud, in quod Apostolos reuersos fuisse post Christi Ascensionem, Lucas narrat in Actibus dicens: & cum introissent in cœnaculum, ascenderunt vbi manebant Petrus, & Ioannes, & Iacobus, &c. Hi omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu, & fratribus eius. Et cap. etiam sequenti dicit: Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Fractio autẽ panis, Eucharistiæ perceptionem sacris interpretibus significat. De Petro etiam & Ioanne narratur à Luca in templum prædicandi causa ascẽdisse. Quare lex Christi templum nõ improbabat Apostolorum iudicio. Ex epistola etiam Pauli ad Corinthios prima, intelligitur hanc ædem sacram fuisse, quã Eucharistia Christianis diuidebatur. Nam Corinthos reprehendit, quod conuenientibus eis in vnum (ait) nõ est dominicam cœnam manducare: sed vnusquisq; cœnam suam præsumit ad mãducandum. Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? Aut Ecclesiam Dei contemnitis? ¶ Eusebius lib. 2. Eccl. histo. cap. 17. scribit Philonis verba, Apostolorum æqualis, Ecclesiæ mores describentis: ex quibus, ædibus sacris, Ecclesiam religiosè fuisse vsam facilè cognoscitur. Sic enim Philonis verba habent. Est autem in singulis locis consecrata orationis domus, quæ σεμνεῖον, vel μοναστήριον dicitur. σεμνεῖον autem nostra linga significare potest, honestorum virorum conuenticulum, in quo

3. Reg. 8.
2. ratio. Quàm absurdum sit templa reprehẽdere
Aggæi. 1.
3. ratio. Exod. 25.
Responsio hęriticorum.
Redarguũtur hæretici.
Templa fuisse temporibus Apostolorum.
Acto. 1.
Acto. 2.
Acto. 3.
1. Cor 11.
Eusebius Philo.

quo secedentes (inquit) honestę & castæ vitæ mysteria celebrant. ¶ Constat etiam Constantinum Magnum, Christianis omnibus potestatem fecisse publica templa ędificandi: in quibus ad faciendam rem diuinam conciones aduocaret. Pium igitur Ecclesia semper iudicauit vel lata lege noua ædes sacras habere.

¶ *Iesus autem ibat cum illis.* Quod vtique non faciebat (inquit D. Ambros.) quia absens curare non poterat: sed vt formam tibi daret humilitatis imitandę: Ad reguli filium noluit pergere: ne videretur magis diuitijs detulisse: hic ipse perrexit: ne videretur in Centurionis famulo conditionem despexisse seruilem.

D. Ambr.

¶ *Domine noli vexari: non enim sum dignus, vt sub tectum meum intres.* En vides quod in bellicis armis milites Deo placere possunt: vt Diuus Augustinus in epistola ad Bonifacium docet. Cuius verba adducuntur. 23. quęst. 1. c. noli existimare. Noli (inquit) existimare neminē Deo placere posse qui armis bellicis ministrat. In his erat sanctus Dauid, cui Dominus tàm magnum perhibuit testimonium. In his etiam plurimi iusti illius tē poris. In his erat sanctus iste Centurio, qui Domino dixit: Non sum dignus vt intres sub tectum meum. Pacem habere voluntatis est. Bellum autem debet esse necessitatis, vt liberet Deus à necessitate, & conseruet in pace. Non enim pax quæritur, vt bellum exerceatur, sed bellum quæritur, vt pax acquiratur. Hactenus Augustinus. ¶ *Non sum dignus vt sub tectum meum intres.* Quanta puritate Eucharistiæ sacramētum suscipere debeamus, satis hic locus ostendit. Hoc idē etiam D. Paul. docet in. 1. episto. ad Corinthios missa. cap. 11. qui postquam eos acriter obiurgauit, qui absque vllo discrimine sic imparati cœnam dominicā māducarent, vt quosuis corporis cibos: monitum Christi induxit, quo nobis iussit, vt hoc sacramentum, in eius commemorationem celebraremus. Quæ autem sit hæc memoria idem exponit Apostolus dicens, quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annūtiabitis, donec veniat,

Milites etiam in armis bellicis Deo placere possunt.

Psa 88. c

1. Cor. 11. Indignus est sacramento Eucharistiæ immūdus peccator.

A (scilicet ad iudicium). Hoc autem nihil aliud esse voluit quàm vt Dominicæ memores passionis, quæ suæ erga nos eximiæ charitatis documētum fuit, nostrorumque adeò peccatorum expiatio, mūdi curaremus ad sacramētum accedere: nos ipsos iudicantes an in eadem charitate accederemus, ne ab ipso dum veniet iudicaremur. ¶ In cuius testimonium non se antea Christus discipulis suis mā ducandum tradidit, quam eorum lauaret pedes, nos omnes in ipsis cōmonefaciens, ne ad hoc sacramentum nisi ab omnibus prauis affectibus perpurgati accederemus. Quem quidem sensum, Paulus explicans subdit. Quicūque manducauerit panem & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Vbi indignè manducare, & bibere id planè censuit, quod absq; spirituali vita, quam in cruce nobis Christus mercatus est, hoc sacramentum manducare & bibere, quod in alimoniam eiusdem sustētandæ vitę nobis reliquit. Māducare enim & bibere viuorū est: quare mortui ad hanc mensam indignè accedunt, atque adeò rei perinde fiunt corporis & sanguinis, veluti illi impuri qui ceu eius inimici ipsum crucifixerūt. Vnde subnectit. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Hoc est, tentet seipsum iuxta illud 2. ad Corint. 13. vos metipsos tentate an sitis in fide, ipsi vos probate. Sic ergo impresentiarum vos ipsos discutite, an sitis in charitate, cuius sacramentum sumere adornatis. Vestram vos ipsi examinate consciētiā, vt non nisi candidam & nitidam ad suggenda Christi vbera accedatis. Si enim pij homines illi qui Christi cadaueri officium sepulturæ præbuerunt, non nisi in syndone munda illud ausi sunt conuoluere, quanto candidior esse debet eius cōscientia, qui corpus idē viuens sumit: in quod se transformare profitetur? Qua propter benè pronunciat Apostolus eum, qui manducat & bibit indignè, iudicium (hoc est condemnationem) sibi manducare & bibere, nō diiudicans corpus Domini. Hoc est, non discernēs inter corpus eius verum in ara

B

C

D

Ioan. 13.

2. Cor. 13.

crucis

crucis immolatum, atque alia animaliū quæ mensæ prophanæ imponuntur, neque satis perpendens an sit ipse de corpore mystico, quod hoc sacraméto conglutinatur. Et est allusio ad illum infœlicem proditorem, qui impuro animo buccellam sumens, sempiternum sibi interitum consciuit. Et quia non tantum in damnationem æternam, verùm & in infamem corporis mortem impegit, concludit demum Apostolus, ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi, quòd si nos metipsos diiudicaremus non vtique diiudicaremur. Probare ergo debemus iudicareque nos, nostraque delicta castigare, & vindicare, antequàm ad tremendam mensam nos insinuemus. Post hæc ergo Pauli iussa, abeat cum impia sua hæresi Lutherus nam si 1. Cor. 7. idem Apostolus coniugibus consulit vt communi consensu, ad tempus quo orationi vacent, communi thoro qui legitimus est, & licitus, abstineant: quanto magis vt sacramentū charitatis sumamus, debemus nō modo illa crimina, quæ charitati aduersantur, expiare, verùm & leuiora quæ eius feruorem tepefaciunt abstergere. ¶ Laudi appositum est huic Centurioni: (vt in hoc loco videmus) quod se indignum iudicauit cuius ædes Christus intraret, ad sanandum eius puerum: vituperio ergo magno dignus est qui nō cōsciētia pura ipsum in sacramento excipit, quo salus suæ animæ agitur. ¶ Atque parabola illa dominica Matthæ. 22. de rege qui fecit nuptias filio suo, & cum vniuersos ad conuiuium inuitasset, quændam qui ad mensam absque veste nuptiali sedētem videret, ligatis manibus & pedibus iussit eum mitti in tenebras exteriores, accuratissimam præparationem, quam ad hoc sacramentum adferre oportet, designat. ¶ Quòd si ex veteri testamento exempla etiam petere volumus, extat Exo. 30. lex huius nostræ vmbra, vt quoties Aaron & filij eius ingressuri essent tabernaculū testimonij, missa prius aqua lauare suas manus & pedes curarent, ne fortè morerentur. ¶ Et Leuit. 22. omnis homo qui accesserit de stirpe vestra, ad ea quæ consecrata sunt, & quæ obtulerunt filij Israel Domino, in quo est immūdicia, peribit coram Domino. Et vt. 1. Reg. 21. legitur, sacerdos Abimelech, nūquam sanctum panem Dauidi famem cum suis patienti tradere voluit, nisi certior prius factus an sui pueri mundi essent. ¶ Et. c. 6. Oza percussus refertur eo quod arcā sanctuarij temerè tetigisset. Si ergo sancta illa, quæ (vt ad Hebræ. docet Paul.) non animam sed corpus emūdabant, & duntaxat erant nostrorum vmbra, tanta cum religione fas erat tractare, quanto magis hoc sacramentum, vbi Christus ipse immolatur, & sumitur, nephas erit non pro dignitate sumere.

1. Cor. 7. — Matth. 22. — Exod. 30. Figura. — Leui. 22. Figura. — 1. Reg. 21. Figura. — 1. Reg. 6 Figura.

¶ *Dic verbo.* Vel dic verbum. Idest, iube. Sic Gene. 1. dixitque Deꝰ fiat lux. i. iussit Deus. 2. Cor. 4. Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere.

¶ *Nam & ego sum homo sub potestate constitutus, et habeo sub me milites, et dico huic fac hoc et facit, etc.* Discant ergo omnes eam obedientiam maioribus suis exhibere, quam à suis inferioribus desiderant. Vnde Leo Pontifex Maximus, epistola. 82. ad Anastasium Episcopum ait. Qui scit se quibusdam præpositum, non molestè ferat aliquem sibi esse prælatum: sed obedientiam quam exegerit, etiam ipse dependat: & sicut non vult grauis oneris sarcinas ferre, ita non arrideat, alijs importabile pondus imponere. Discipuli enim sumus humilis & mitis magistri dicentis: discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Hæc Leo.

1. q. 6. c. qui scit se. — Matt. 11. d

¶ *Et dico huic vade et vadit.* Latinè diceretur, & tamen cum dico huic vade, vadit.

¶ *Quo audito Iesus miratus est.* Disputant Doctores sancti an in Christo reuera potuerit esse admiratio. Sed imprimis etiam si nullam habuisset interiorē admirationem Christus, verè tamen admiratus dici posset, speciem admirationis exhibendo, quemadmodum Beda libro 2. in Lucam. c. 24. exposuit hunc locum. Notandum, inquit, quia quod miratur Dominus nobis mirandum esse significat, quibus adhuc opus est sic moneri. Omnes enim tales motus cū de Deo dicun-

dicuntur, non perturbati animi signa sunt, sed docentis magistri. Hæc ille. Sic contristatum Herodem Matthæus Marcusque dixerunt: qui tristitiam haberet in vultu. In quem sensum hypocritas tristitiam simulantes tristes quoque appellauit Christus. Vulgata enim dictione rerum vocabula, pro rerum imaginibus vsurpantur. Ad hunc etiam modum intelliges quod Dominus ait: Veruntamē filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra? Non quod ille cuncta sciēs de aliqua re dubitaret, sed vt sua dubitatione figuraret nostram: quia propter multa scandala circa finem seculi pullulantia: hoc erit infirmitas humana dictura. Sic modo Christus qui cuncta nouerat, & qui fidem tam eximiam Centurioni præbuerat, sua apparenti admiratione nostram figurare voluit, vt admiratione sua Iudæis commendaret fiduciā erga Deum: & eis incredulitatem ipsorum, hominis ethnici & militaris, exemplo exprobraret. ❡ Cæterùm an in Christo fuerit admiratio, inter alios, inquirit Doctor sanctus. 3. parte quæst. 15. arti. 8. Admiratio, inquit, propriè est de aliquo nouo, & insolito: in Christo autem non esse poterat quid nouum & insolitum quantum ad sciam diuinam, neq; quantum ad humanam, qua res in verbo cognoscit, vel qua cognoscit res per species inditas, potuit tamē aliquid esse sibi nouum & insolitum secundum sciam experimentalem: secundum quam sibi poterāt quotidie aliqua noua occurrere. Et ideo si de ipso loquamur quantum ad diuinam scientiā & quantum ad beatam vel etiam infusam, admiratio in Christo non fuit. Si autem loquamur de eo quātum ad experimentalem sciētiā, admiratio in illo esse potuit. Et assumpsit hunc affectum ad instructionē nostram, vt. s. doceat esse mirandum, quod etiam ipse mirabatur. Vnde ait D. Augusti. primo super Gen. contra Manichæos, quod mirabatur Dominus nobis mirandum esse significat: quibus adhuc opus est sic moueri. Quare ergo tales motus eius non perturbati animi signa sunt, sed docentis magisterium. Hæc ex illo.

Matth. [illegible] | Luc. 18. | Vi. quod de hoc Augus. scribit lib. 1. contra aduersarium legis, & prophetarum c. 7. | An in Christo fuerit admiratio | Augu.

❡ *Non inueni tantam fidem in Israel.* En vides quàm certa res & indubitata sit, quòd vna fides esse possit perfectior, maiorq; altera. Aliàs enim Dominus nō affirmasset pro certo, quòd hacten9 nec in Israelitica gente tantam fidem compererit. Neque alibi diceret, si habueritis tantam fidem sicut granum synapis. Et rursum: O mulier magna est fides tua. Et ad Petrum: Modice fidei quare dubitasti? Neque Apostoli peterent: Domine adauge nobis fidem. Si ergo magna & parua inuenitur fides in hominibus, certa res erit, quod possit augeri. Quo pacto autem id cōtingat docet Doctor sanctus. 22. q. 5. arti. 4. Potest, inquit, fides in aliquo dici maior, vno modo ex parte intellectus. propter maiorem certitudinē & firmitatem: alio modo ex parte voluntatis, propter maiorem promptitudinē: seu deuotionem, vel confidentiam. Hæc ille. Quod ita esse vel in hoc vno Centurione videri potest. Qui nec Prophetas nouerat, nec Christi doctrinam acceperat, nec miracula viderat: & tamen tàm certus firmusq; erat de Christi potētia, tamquē illi deditus, vt dicere auderet: Domine nihil opus est corporis tui præsentia: tātum verbo iube, & quæ tua potestas est, protinus sanabitur famulus meus. Habes Angelos quibus huiusmodi munera deleges. Quibus auditis ita miratus est Iesus vt affirmare auderet, hactenus non inuenisse tantum fidei in populo suo Israelitico quem docebat, quātum in Centurione. Huius igitur alienigenæ fidem imitemur omnes nos, hanc à Deo summis precibus petamus, si habere volumus multa bona pariter cū illa. Nam huiusmodi fides est principium ex quo iustificari incipimus, fundamētum est cui innititur, & à quo pendet totum animorum nostrorum spirituale ædificium, radix est admirandæ virtutis, ex qua pullulat & oritur quidquid in bonis operibus floridum est, & frugiferū. Initium quidem & ostiū est salutis, quia lumen est, & sydus præfulgidum, quod viam salutis ostendit. Fundamentum est quia nequit absq; illa in altum assurgere, imò neq; consistere spiritalis virtutū &

Vna fides potest esse maior alia | Vi. Hiero. lib. 2. aduersus Rufinum circa principium. | Matth. 17. | Idem c. 15 | Idem c. 14 | Luc. 17. | S. Tho. | Fides commendatur

& gratiarum fabrica: & ipsa omnia incrementa gratiarum, omniaque exercitia & labores militiæ nostræ sustentat. Radix est, quia parens est fœcunda virtutum, & feracissima omnium bonorum operum, & nisi nos nostra libertate & malicia illius obiaremus virtuti, ipsa secum omnia nobis bona afferret, & ad veram iustitiam perduceret. Dum præmonstrat potentiam Dei, salutem animi & corporis ab ipso sperare docet, dum ostendit, eius bonitatem, in amorem ipsius accendit, dum reuelat diuina bona quæ speramus, in spem animos nostros erigit, dum turpitudinem, grauitatem, & reatum peccatorum retegit, in pœnitentiam eorum trahit, dum vtilitatem & suauitatem mandatorum Dei commostrat, ad ea obeunda & opere complenda allicit, & stimulat. Vnde & prudenter illam quidam ducem vocat vitæ, reliqua verò opera, ipsius asseclas. Et Paulus hoc luculenter ostendit pulcherrimo illo iustorum cathalogo, quos in Epistola ad Hebreos, præcellentibus & omnino admirandis operibus ostendit, per fidem claruisse. Idemque facit, dum docet, ideò iuxta prophetam Abacuch, iustum ex fide viuere, quia per fidem promisionum diuinarum, longanimiter fert iustus mala, quæ patitur, & in obseruantia præceptorum diuinorum magnanimiter durat. Et eleganter profectò, vt solet omnia, has diuitias & virtutes fidei, explicat Diuus Augustinus in hæc verba. Nullæ sunt maiores diuitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi huius maior substantia, quàm est fides Catholica, quæ peccatores homines saluat, cæcos illuminat, infirmos curat, Catechumenos baptizat, fideles iustificat, pœnitentes reparat, iustos augmentat, martyres coronat, virgines & viduas, & coniugales casto pudore conseruat, clericos ordinat, sacerdotes consecrat, regnis cœlestibus præparat, in æterna hæreditate cum Angelis sanctis communicat. Hæc ille. ¶ Hanc igitur firmam fidem habeamus si verè fideles esse cupimus. Hanc habuit etiam Chananæa, cui Dominus ait: O mulier magna est fides tua. Hanc habuerunt, inquit Rupertus, beati illi tres pueri, qui ad Nabuchodonosor Regem dixerunt, eadem hora mittendi in fornace ignis ardentis: Ecce enim Deus quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis rex liberare. Quod si noluerit notum sit tibi rex, quia Deos tuos non colimus: & statuam auream, quam erexisti non adoramus. In hoc quippe agnoscitur magnitudo fidei, fortitudo fidei, fortitudo fidelis animi, quòd cum dixissent, potens est Deus eripere nos, addiderunt. Quod si noluerit notum sit tibi rex, quia non colimus, non adoramus deos tuos.

Heb. 11. — Heb. 10. — Abac. 2. — D. Augu. serm. 1. de verbis Apost. — Matt. 15. Exemplũ magnæ fidei. — Rupert. — Dan. 3.

¶ Secundum quorum exemplum, quicunque dicunt, potens est Deus, quem colimus, pascere nos, quoniam & passeres pascit: potens est Deus vestire nos, quoniam & fœnum quod hodie est, & cras in clibanum mittitur sic vestit. Et adijciunt: quod si noluerit pascere, vel vestire nos, nihilominus tibi ò Mammon, nequaquam seruiemus: imò relictis omnibus, ipsum sequemur, non solliciti quid manducemus, aut quid induamur. Nimirum isti magnæ sunt fidei, quia fides illorum in futurum seculum totam se extendit. Sed nos miseri non hanc fidem imitamur, sed illam potius, de qua Dominus apud Matthæum ait: Si enim fœnum quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto vos magis minimæ fidei? Quod si quæras quos vocat Dominus minimæ fidei? audi eundem repertum. Minimæ, inquit, sunt fidei, qui scandalizantur, nisi a cunctis protegantur, vel defendantur aduersis, cunctisque fruantur prosperis, nec putant quod de ipsis Deo cura sit, vel quod vlla sit prouidentia Dei. Et dixerunt

Qui sunt minimæ fidei.

runt (ait Psalmista) quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso? Ecce ipsi peccatores & abundantes in seculo obtinuerunt diuitias. Ergo sine causa iustificaui cor meum, & laui inter innocétes manus meas, & fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis. Tales quippe quoniam de victu vel vestitu nimium sunt soliciti, & murmurant nisi fuerint saturati, in ipsa professione perfectorum, qui relictis omnibus Christum sequuntur, rectè dicútur minimæ fidei, congruitque his illud, quod quibusdam ad se veniétibus ipse dixit: Amé dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus meis, & saturati estis. ¶Certos igitur magnæ fidei, certos minimæ fidei terminos inuenisse nos arbitramur: quia videlicet illa dicit & sentit, simile quid, illi dicto beati Iob: Etiam si occiderit me, in ipso sperabo. Hæc autem tale quid, vt est hoc: timeo & nō possum exire de AEgypto ne aquæ penuriam patiar, & sitiam in deserto. Vide Rupertum in Matth. cap. 6. Centurionis ergo & Chananææ, & trium puerorum cæterorumque martyrum, atque virorum sanctitate præstantium fidem imitemur, vt verè dicere posit Christus non inueni tantam fidem in Israel.

Psal. 72. Psal 58. Ioan. 6. Iob. 13. Exod. 17.

¶Cæterum si adhuc magis ad longum scire desideras, qualis esse debeat hominis Christiani fides, vt laudibus efferri mereatur: lege Diuum Augustinum, libro de spiritu & litera, capit. 32. per totum.

August.

¶*Non inueni tantam fidem in Israel.* Miratur Christus & laudat fidem Centurionis, vt doceat nos, aliorum virtutes non attenuare, sed potius extollere, & miris laudibus celebrare, quanuis nos simus virtutibus præstantiores. Excellebat Christus sanctitate Centurionem, & tamen miratur, & laudat illum.

Aliorum virtutes extollere Debemus etiam si simus illis perfectiores.

¶*Dico autē vobis quód multi ab Oriēte, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Isaac, & Iacob in regno cælorum.* Hæc addit D. Matth. c. 8. quæ subtacuit in hoc loco D. Lucas. ¶Cæterum Centurio iste imago erat gé-

Matth. 8.

A tium, per fidem puram (absque Mosaicę legis obseruatione) venturarum in consortium Euangelicæ gratiæ, sed tamen quodam modo legis commendatione. Lex enim Pedagogus erat ad Christum, & á Iudæis profecta est ad gentes Euangelij prædicatio. Videlicet, in huius rei typum, seniores Iudæorum Centurionis causam commendant Iesu, eumque ad domum illius adducunt, quem é suo templo erát profligaturi. Quod his verbis (quæ refert Matthæus) Dominus Iesus prædicit futurum. Hoc ipsum B multo antè prædixerat Isaias capite vndecimo, & erit (inquit) iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius. Vbi iustitia & fides pro iustis & fidelibus vsurpatur. Vnde Chaldæus Paraphrastes sic habet: & erunt iusti circum circa ei, & agentes fideliter appropinquantes ei. Ita etiam intelligit Diuus Hieronymus, in commentarijs super Isaiam: illud, inquit, dicendum, quód cingulum Domini, quo cinctus est & Hieremias, fides credentium sit. C Fideles ergo & iusti venerunt vndique ex remotisimis orbis partibus, quos Iudæi vt alienigenas abominabantur, & Christo adhæserunt, recubueruntque cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorū, expulsis filijs regni in tenebras exteriores, qui lucem oblatam cernere prius noluerunt.

Isai. 11. Exponitur locus. D. Hier. Iere. 13.

¶ Huius rei figuram gerebant ligna, quæ ex longinco adducebat Salomon, ad ædificandum domum Domini. Vt sacra narrat historia, tertio Regum capite quinto, D misit enim Hiram rex Gentilis, Salomoni ligna cedrina de libano præcisa, & abiegna, quæ in domo Domini ponerentur: quia, scilicet, conuersa gentilitas, misit ad Dominum viros in seculo claros: sed securi increpationis de monte superbiæ deiectos & humiliatos: qui ad normam Euangelicæ veritatis instituti, in ædificio Ecclesiæ pro suo quique merito, vel tempore collocarentur.

Figura. Vid. glosa 3. Reg. 5.

¶ Huius etiam conuersionis gentium, expulsionisq; Iudæorū, imaginē gesserunt Phares & Zara filij Thamar. Narrat

Figura.

Gen. 38.

Narrat enim Scriptura, quòd instante partu, apparuerunt gemini in vtero: atque in ipsa effusione infantum, vnus protulit manum, in qua obstetrix ligauit coccinum dicens: iste egredietur prior. Illo verò retrahente manum, egressus est alter. Quòd primus qui dicitur Zara manum emisit, & obstetrix coccinum ligauit, & ipso manum retrahente, posterior qui vocatur Phares, manum porrexit & nascendo præcesit: significauit, quòd Israel in opere legis manum extenderet: & prophetarum, & ipsius Christi cruore pollutam contraheret. ¶ Populus verò gentium postea prorumperet, vt essent primi nouissimi, & nouissimi primi.

Gloss.

Euangelium fer. 5. post Dominic. 4. Quadragesimæ & Domin. 15. post Pentecost.

ET factum est deinceps ibat Iesus in ciuitatem, quæ vocatur Naim, & ibāt cum eo discipuli eius, et turba copiosa. Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ: et hæc vidua erat: et turba ciuitatis multa cum illa. Quam cum vidisset Dominus misericordia motus super eam, dixit illi, noli flere. Et accessit et tetigit loculum. Hi autem, qui por- A *tabant steterunt, et ait, adolescens, tibi dico, surge. Et resedit qui erat mortuus, et cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ. Accepit autem omnes timor, et magnificabant Deum dicentes, quia Propheta magnus surrexit* B *in nobis: & quia Deus visitauit plebem suam.*

ET factum est deinceps ibat Iesus in ciuitatem quæ vocatur Naim. Ecce Prophetia vatis Baruch cōpleta. Post hæc inquit in terris visus est, & cū

Baruc. 3.

C hominibus conuersatus est. Dominus enim, vt cum hominibus conuersaretur frequenter aliunde aliò commigrabat. Et hoc non vna, sed pluribus de causis. Tum, vt latius spargeretur semen Euangelicæ doctrinæ, manifestareturque diuina veritas quam prædicare venerat. In hoc, inquit, natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. Quare non decebat vt vitam solitariam ageret, sed vt in publicū prodiret, publicèque quæ vera sunt doceret. Hinc fuit quòd eum reuocantibus, placidè respondit in hunc modum,

Quare Christus ibat de ciuitate in ciuitatē. Et quare inter homines est conuersatus.

1. Ratio.
Ioan. 18.

D vt D. Lucas narrat. Quia & alijs ciuitatibus oportet me Euangelizare regnum Dei. Conabantur enim eum remorari, ne relinqueret eorum ciuitatem, sed illic sedem sibi perpetuam deligeret. ¶ Tū etiam, quòd venerit Dominus Iesus, vt homines à sceleribus liberaret, vt autor est D. Paul. prima Epistola ad Timoth. missa. cap. 1. Christus Iesus, inquit, venit in hunc mundū peccatores saluos facere. Quare quanuis (vt D. Chrysost. ait) in eodē loco manendo, posset ad se omnes peccatores trahere, vt doctrinā Euange-

Sup. c. 4.

2. Ratio.

1. Tim. 1.

D. Chrys.

licam audirent: noluit tamen: vt exemplum prædicatoribus præberet, ad perambulandum, requirendumque pereuntem: quemadmodum solet pastor ouem perditam quærere, medicusq; domum ægrotantis adire. ¶ Tum denique, quod de cælo Christus descenderat, vt per ipsum haberemus accessum ad patrem, vt docet D. Paul. in Epist. ad Rom. c. 5. quare decens conueniensque fuit, vt cũ hominibus nimia familiaritate conuersaretur, nimiaque consuetudine hominũ vteretur: vt vel sic, ad illum accedere auderent. Quod ita contigisse docet D. Matth. c. 9. dicens: factum est discumbẽte eo in domo, ecce multi publicani & peccatores discumbebant cum Iesu, & discipulis eius. Quæ verba explicans D. Hieron. in hunc modũ ait: viderant publicanum, a peccatis ad meliora cõuersum, locum inuenisse pœnitentiæ: & ob id etiam ipsi non desperant salutem.

3. Ratio. Rom. 5. Matth. 9. D. Hiero. S Tho. 3. p. q. 40. ar tic. 1.

¶ *In ciuitatem Naim.* Hæc ciuitas duobus fermè passuum milibus abest à monte Thabor, ad plagam australem, haud procul ab Endor.

¶ *Et ibant cum eo discipuli eius.* Quẽadmodum patres illi antiqui non libidinis amore, sed procreandi filios cupiditate, plures habebant vxores: ita spirituales patres (exemplo Christi & discipulorum eius) plures Ecclesias adire debent ad seminandum verbum veritatis, non laudis humanæ cupiditate allecti (sicut Simon Magus, & illi quos Paul. ad Philip. 1. notat, quod per inuidiam & contẽtionem Christum prædicabant.) Sed cupiditate & desiderio propagandi filios spirituales. Lege D. August. lib. 22. contra Faust. c. 47. & 48.

Debet prælules & concionatores per plures Ecclesias prædicare desiderio prolis spiri... Phil. 1. D. Aug. tom. 6.

¶ *Et turba copiosa.* Hæc tan copiosa turba promiscuæ multitudinis, nec familiæ amore detinebatur, nec itineris labore arcebatur à Christi sequela: tanta erat auiditas audiendi verum Salomonem. Et quemadmodum regina Sabbà venit a longinco, vt audiret sapientiam Salomonis, ita isti nullo detinebãtur impedimento quominus sequerentur Iesum habentem verba vitæ æternæ.

Auidè audiendum est verbũ Dei.

¶ *Ecce defunctus efferebatur.* Quæ sit ratio, sanctorum atque fidelium corpora sepeliendi, Docet D. August. lib. 1. de Ciuit. cap. 13. his verbis. Nec ideò cõtemnenda & abijciẽda sunt corpora defunctorum, maximèque iustorum, atque fidelium, quibus tanquam organis & vasis ad bona opera omnia sanctus vsus est spiritus. Si enim paterna vestis & annulus, ac si quid huiusmodi tanto charius est posteris, quanto erga parentes maior extitit affectus: nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ vtique multo familiarius atque coniunctius, quàm quælibet indumenta gestamus. Hæc enim non ad ornamentum, vel adiutorium quod adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinẽt. Vnde & antiquorum iustorum funera officiosa pietate curata sunt, & exequiæ celebratæ, & sepultura prouisa: ipsique dum viuerent, & de sepeliendis, vel etiã transferendis suis corporibus, filijs mandauerunt. Et Tobias sepeliẽdo mortuos Deum promeruisse, teste Angelo, commendatur. Ipse quoque Dominus die tertio resurrecturus & religiosæ mulieris bonum opus prædicat, prædicandũque commendat, quòd vnguentum preciosum super membra eius effuderit, atque hoc ad eum sepeliendum fecerit. Et laudabiliter commemorantur in Euãgelio, qui corpus eius de cruce acceptũ diligenter atque honorificè tegendum sepeliendumque curarunt. Verùm istæ authoritates non hoc admonent, quod insit vllus cadaueribus sensus: sed ad Dei prouidentiam cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere significant, propter fidem resurrectionis astruendam. Vbi & illud salubriter discitur, quanta possit esse remuneratio pro eleemosynis quas viuentibus & sentientibus exhibemus, si neque hoc apud Deum perit, quod exanimis hominum membris officij diligentiæque persoluitur. Hactenus Augustinus.

Ostenditur ratio fidelium corpora sepeliendi. Similitu.

¶ *Ecce defunctus efferebatur.* Propagaturus Euangelium, à miraculis incipit Dominus. Et meritò quidem. Quod doctrina superna probatio-

Quare Christus à miraculis incepit.

bationibus supernaturalibus indigeat, qualia sunt miracula: & præcipuè circa defunctos. Hoc enim solo argumento satis ostensum est Dominum Iesum esse verum filium Dei. Vnde Paulus in Epistola ad Rom. c. 1. ait prædestinatus est filius Dei, ex resurrectione mortuorũ. Vbi magno consensu Græci codices habent ὁρισθέντος. Id est, qui finitus, vel definitus erat: hoc est iuxta Græcorũ scholiorum interpretationem, certo pronũtiatus, demonstratus, ac declaratus est. Hoc ergo argumẽto quod mortuos suscitauit, satis declaratum est, quod erat filius Dei verus.

Rom. 1.

¶ *Filius vnicus matris suæ, & hæc vidua erat.* Erat sanè hoc funus maximè flebile. Primùm, quòd adolescens esset mortuus, & in ipso vitæ flore vitæ exẽptus. Deinde, quod vnicus esset filius, cuius mater mariti solatio orbata, totam vitæ spem collocarat in illo. Hoc enim plurimũ lachrymas augere solet. Hinc est, quod Ierem. c. 6. ait: filia populi mei accingere cilicio, & conspergere cinere: luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum. Et apud Zachariam. c. 12. aspiciẽt, inquit, ad me, quem confixerunt: & plãgent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum vt doleri solet in morte primogeniti. Nihil enim dolentius (inquit Hiero.) quàm vnum, vel solum perdere filium. Denique erat funus lachrymabile, quòd mater adolescentis, destituta, orbataque viro erat. Hinc est, quod Deus viduarum, pupillorum, atque aduenarum misertus in suã tutelam, protectionem, atque defensionem suscipiat. Sic enim ait regius vates: Dominus custodit aduenas, pupillũ & viduas suscipiet. Et Deut. 27. ait idẽ Dominus: maledictus qui peruertit iudiciũ pupilli & viduæ. Et de iudicibus ait: per Esaiam: principes tui infideles, pupillo non iudicant & causa viduæ non ingreditur ad illos. Denique Eccl. ait. c. 35. Nõne lachrymæ viduæ ad maxillam descẽdunt, & exclamatio eius super deducentes eas? A maxilla enim ascendunt vsque ad cælũ: & Dominus exauditor delectabitur in illis, ea propter hoc spectaculũ miseratione dignum erat maximè cum matris lachrymæ conspicerentur, & miserabiles voces, quas impotens dolor solet suggerere, audirentur. Adde huc, quòd viduæ ploratus, & præmaturus adolescentis interitus, prouocabant & reliquos, qui funus officij gratia comitabantur, ad lachrymas. Quare non mirum, quòd clementissimus Dominus misereretur viduæ, seseque illi, quæ cõsolatorem non haberet, efficacem consolatorem præberet, & verbis, & re, opitularetur.

Hoc funus erat flebile ob multas causas.

Ierem. 6.

Zac. 12. e.

D. Hier.

Psal. 145.

Deut. 27.

Esai. 4.

Eccl. 35.

¶ *Misericordia motus super eam.* Disce à Domino Iesu compati miseris, quod proprium est veræ misericordiæ. Sic enim Dominus faciebat cum opus aliquod grande huius virtutis exercere volebat. Hinc est quod alibi ait. Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me. Et in hoc loco suscitaturus adolescentem prius misertus est matris eius. Hinc etiam est, quod opus illud heroicum nostræ redemptionis facturus, prius compatitur hominum miseriæ. Quod testatur Zacharias, dicens: per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto. Hoc idem sanctus ille Iob semper seruabat. Aliàs enim minimè diceret: flebam quõdam super eo qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.

Misericordia habenda erga miseros & afflictos ex Christo.

Marc. 8.

Sup. c. 1.

Iob. 30.

¶ *Noli flere.* His verbis Domini, videntur cõtraria quæ D. Ambros. ait. lib. 2. de pœnitent. c. 10. fleat, inquit, pro te mater Ecclesia, & culpam tuam lachrymis lauet. Videat te Christus mœrentẽ, & dicat tibi beati tristes: quia gaudebitis. Denique in Euangelio hoc motus viduæ lachrymis, filium eius resuscitauit. Hæc Ambros. Si ergo exemplo huius matris flere debet mater Ecclesia super filium spiritu mortuũ, nõ diceret viduæ Dominus noli flere. Adhoc dices, quod non prohibet Dñs lachrymas quæ flectunt diuinam pietatẽ & misericordiã: sed postquã viduę lachrymas cognouit: misertus eius, voluit illis succurrere, & opitulari. Et idcirco ait noli flere. q. d. baste ya, que tu remedio esta en la mano. Non ergo cessemus peccata nostra alio-

Dist. 1. de pœnit. c. fleat.

rumque proximorum flére donec Dominus misertus nostri sese nobis efficacé consolatorem, atq; re & verbis, opitulatorem præbeat.

¶ *Noli flere*. Post Christi aduentũ iam nõ est, cur piorũ fideliũq; hominũ mortem lugeamus: vt D. Basilius his verbis docet. Primum quidem sanctorũ mors, planctu & lachrymis cohonestabatur. Vehementer mortuum Iacob defleuit Ioseph. Et Mosis mortẽ Iudæi haud parum planxerũt. Samuëlem quoq; multis lachrymis ornarunt. Nunc verò morientibus sanctis exultamus. Tristium autem post crucem Domini immutata est natura. Iam non amplius sanctorũ obitus lamentationibus prosequimur, sed tripudijs diuinis circum ipsorum sepulchra veluti choreas ducimus. Somnus autem iustis est mors. Imò magis migratio ad vitam meliorem. Hinc est, quòd martyres exultant, dum trucidantur. Nam desiderium fœlicioris vitæ, iugulationis dolorem extinguit, & emortuum reddit. Pericula non respicit martyr, coronas respicit, plagas nõ horret, sed præmia numerat. Hæc ille. Contemnamus ergo mortem, fideles & iustos a vita discedentes non ploremus, non contemplantes quæ videntur, sed quæ non videntur, quæ enim videntur caduca & vana & temporalia sunt, quæ autem nõ videntur æterna, vt D. Paulus docet.

D. Basil.

Post Christi aduentum sanctorum & piorum mors non est lugenda & quare.

¶ Imo verò, si sapimus eundem Paulũ audiamus præcipientẽ, in omnibus gratias agite. Sed obiecerit aliquis (inquit Basilius) quonam pacto fieri possit, vt anima ob calamitates mœrẽs miserè & sensu ipso doloris acerrimi, quasi quibusdã stimulata aculeis nõ lamentetur: sed pro incommodis, & quæ re vera nemo non deprecetur, a seque recellat, pro his inquã, perinde ac pro bonis agat gratias? Vt vnus aliquis pusio sit intẽpesta morte præreptus, hinc matrẽ super amabili infantulo miserè afflictam, dolores ipsa parturigine tãto acerbiores cõsauciant: quo hac pacto positis lamẽtis possit assumere voces actionis gratiarum, indicese? Quæris quo modo? Si secum expenderit isti, quem ex se genuit filio, Deum esse patrem, multo præ coniuge Germaniorem, ac propriorem, quique illo prudentius nouerit, & tueri infantulum, & eius vitam moderari. Quin igitur Domino, sic prudenti permittimus, suas vt opes dispertiatur, easque proprio dispẽset arbitratu? Sed & ipsi permolestè ferimus, ac si spoliemur proprijs: morientibus insuper condolemus, quasi affectis injuria. Illud velim tecum reputes, nempe puerulum haud quaquam esse mortuum, verius tibi redditũ: neque desijt esse amicus, magis verò abijt peregre, viamque qua nos ingredi necesse est, aliquãdo anteuertit capessere. Quid? Quo primùm die nuntiatum tibi est natum esse filium, si quis te rogasset id quod tibi natum est, cuius inesse censes, aut quale? Quid tu tandem respondisses? Aliud ne aliquid, quàm quòd homo est, quod natum est? Quòd si homo, vtique mortalis. Quid igitur insolens aut admirabile, si qui mortalis erat, mortuus est? Solem hunc, vt oritur, & idem occidit, nõ perspicis? Lunam non vides augescere primùm, dein deliquio deficere? Quin terram ipsam contueris nunc progerminantem, mox veluti marcore flaccescẽtem? Quid eorum quæ circa nos sunt solidẽ consistit? Quid vspiam est, quòd immotam sortiatur, & immutabilẽ naturam? Suspice cælum, ac despice terram: neutrum perẽniter duraturum est. Ait enim Dominus: cælum & terra transibunt. E cælo sydera sident & collabentur, sol obtenebrascet, luna non dabit lumen suum. Quid ergo admirabile videri debet, si nos qui portio qualiscunque sumus mundi, in eorum partem venimus, quæ propria sunt congenita mundo? Hæc tu despiciens, vbi te quoque adorietur aliquid eorum quæ communia cæteris sunt, ferto id velut oculis conniuentibus, nõ quidem citra vllam affectionem, aut sensum doloris (nam quæ tandem debetur merces stupidæ isti, & insensibili indolẽtiæ?) Sed vel cum labore planè intenso, nec vlli explicãdo angore animi, sufferto tamẽ: haud dissimilis generoso cuipiam athletæ, qui specimen suæ fortitudinis ac virilis

D. Basil. Obiectio.

Respons.

Quare filii si moriatur nõ sunt lugẽdi ex Basil.

Similitudo.

lis animi palàm exhibet, nõ aduersarios cædendo solum, sed & constanti ac generoso pectore ferendo plagas ab illis inflictas. Vtque vnus aliquis gubernator sapiẽs si est & interritus, qui nitens peritia, nec mediocri rei nauticæ animum retinet ac seruat rectũ, nulla depressum, aut demersum anxietate, & quauis procella inundanti superiorem. Hæc multaque alia ad rem pertinentia lege apud D. Basilium, hom. 5. in martyrẽ Iulittã. Lege similiter Senecam de remedijs fortuitorum: si afflictos cõsolari desideras.

Similitudo

D. Basil. tomo. 1. ho. 5. in martyrem Iulittã fol. 94.

¶ Præterea, non lugere nec tristari tum pro nostra, quàm pro aliorum morte D. Cyprianus docet his verbis. Quàm præposterum est, quámq; peruersum, vt cũ Dei voluntatem fieri postulemus: quando euocat nos Deus & accersit de hoc mũdo, non statim voluntatis eius imperio pareamus. Obnitimur & reluctamur: & peruicacium more seruorum ad conspectum Domini, cum tristitia & mærore perducimur, exeuntes istinc necessitatis vinculo, non voluntatis obsequio: Et volumus ab eo præmijs cælestibus honorari, ad quem venimus inuiti. Idem: nobis quoque ipsis minimis & extremis quotiens reuelatum est, quàm frequenter atque manifestè de Dei dignatione præceptum est, vt contestarer assiduè, vt publicè prædicarem, fratres non esse lugendos acersione Dominica de seculo liberatos: cum sciamus nõ amitti: sed præmitti recedentes: præcedere, vt proficiscentes & nauigantes solent. Hæc ille.

D. Cypr. serm. 4. de mortalitate.

Vide. 13. q. 2. c. quã præposterum.

Nostra aut aliorũ mors non lugẽda ex Cypriano Idem.

¶ Lugere verò mortuos ex pusillanimitate aliquãdo cõtingere, tradit Chrysost. in Epist. ad Hebræos. Vbicunque, inquit, sepeliamur: Domini est terra, & plenitudo eius: secũdum quod oportet fieri efficiatur. Lugere autem & deplorare & lamentari eos qui ab hac vita decedunt, ex pusillanimitate contingit. Hoc autem ex desperatione futuræ resurrectionis intelligitur. Vnde & Apost. non simpliciter ait: nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini: sed addidit, sicut & cæteri qui spem non habent. Pietatis namque affectu & humanitatis intuitu, mortuos lugere non pro-

D Chrys. 13. q. 2. c. vbicũque. Psal. 23.

Ex affectu pusillanimitatis mortui nõ sunt lugendi, bene tamẽ licet ex affectu pietatis eos lugere.

1. Thes. 4. cap.

A hibemur: sicut nonnullos sanctorũ aliorum exequijs pias lachrymas impendisse legimus. Hinc etiam Anastasius Papa Epist. 2. ad Nerianum docet: quòd qui spem futuræ resurrectionis habent, de mortuis tristari non debent. Habent, inquit, forsitan illi iustã longi doloris excusationem, qui vitam alteram nesciũt: qui de hoc seculo ad melius esse transitũ non confidunt: nos autem qui hoc credimus & docemus tristari nimium de obeuntibus non debemus: ne quod apud B alios pietatis tenet speciem, hoc magis nobis in culpa sit. Nam diffidentiæ quodammodo genus est, contra hoc quod quisque prædicat, quærere iustitiam amans, dicente Apostolo: nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent.

Anas. 13. q. 2. c. habẽt. qui spẽ futuræ resurrectionis habent de morte tristari nimiũ nõ debẽt.

1. Thes. 4. c.

¶ *Noli flere.* Viris perfectis ac sanctitate præstantibus, nihil accidit in hac vita, propter quod lachrymas effundere soleant. ¶ Si enim in hac vita à Deo flagellantur, hoc illis fideliter omnia considerantibus, magis ad profectum quàm C ad lachrymas valet. Quanuis enim longè absint à facinorosis, flagitiosis atque impijs quos Deus calamitatibus ob sua scelera implere solet, tamen cum humiles sint, non vsque adeò se à delictis deputant alienos, vt nec temporalia pro eis mala perpeti se iudicent dignos. Quare cum à Deo flagellãtur æquo animo ferunt. ¶ Si etiam in hac vita bona temporalia amittant, non colacrimãtur: scientes quòd in amissione rerum tẽporaliũ nihil illis perijt. Sed ais. Amisserunt omnia quæ habebant: Nunquid D fidem? nunquid pietatem? nunquid interioris hominis bona, qui est ante Deũ diues? Hę sunt opes Christianorum, quibus opulentus dicebat Paulus. Est autẽ quæstus magnus pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum, sed nec auferre quid possumus, habentes autem victum & vestitum, his cõtenti sumus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueũ diaboli: & desideria multa & inutilia: quæ mergunt homines in interitum &

Iustis nihil mali accidit in hac vita pro quo fleat.

1. Tim. 6.

perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes, errauerunt à fide: & inseruerunt se doloribus multis. Quibus ergo terrenæ diuitię pereunt, si eas sic habebant quemadmodum ab isto foris paupere, intus diuite audierant, idest, si mūdo vtuntur, tanquàm non vtentes: poterunt dicere, quod ille grauiter tentatus & minime superatus: nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factū est, sit nomen Domini benedictum. Præterea, si multi piorum, fame perire se vident, multi etiam alij multorū mortium fœda varietate interire, hoc ægrè nō ferunt, sed in vsus suos piè tolerando vertunt, scientes neminem fuisse mortuum, qui non fuerit aliquando moriturus. Finis autem vitæ, tàm longam quàm breuem vitam, hoc idem facit. Neq; enim aliud melius, aliud deterius, aut aliud maius & aliud breuius est, quod iam pariter non est. Quid autem interest quo mortis genere vita ista finiatur, quando ille cui finitur, iterum mori nō cogitur? Mala mors putanda non est, quam bona vita præcesserit. Neq; enim facit malā mortem, nisi quod sequitur mortē. Non itaq; multum curandum est eis, qui necessario morituri sunt, quid accidat, vt moriantur, sed moriendo quo ire cogantur. Quum igitur Christiani nouerint, longè meliorem fuisse religiosi pauperis mortem inter lingentium canum linguas, quàm impij diuitis in purpura & bysso, horrenda illa genera mortium, quid mortuis obfuerunt, qui benè vixerunt? Nihil ergo est in hac vita quod pios contristet. ¶ *Noli flere.* Minime mirandum quòd qui filium sibi charissimum aut amicum perdit lugeat, fleat, atq; perpetuo lachrymas ex amore fundat. Nam charus filius, & verus amicus dimidium sunt animę. Quare qui illos perdit, viuere non vult. Vnde D. Augustinus lib. 4. confes. loquens de quodam amico suo defuncto: ait. Bene dixit quidam de amico suo, dimidium animæ suę: nam ego sensi animam meam & animā illius vnā fuisse in duobus corporibus: & ideo horrori erat mihi vita, quia nolebam dimidius viuere. Et D. Bernar. super Cantica, loquens de fratre suo Gerardo defuncto: ait. Cum essemus cor vnum & anima vna hanc meam pariter & ipsius animam pertransiuit gladius, & scindens mediam partem locauit in cœlo, partem verò in cœno deseruit. Ego illa portio misera in luto iacens, truncata parte sui & parte potiori. Hæc ille.

Iob.

Vi. D. August. 1. de Ciuit à c. 9. vsq; ad c. 12.

Quare nō esse mirandum quod filij aut amici mors lugeatur.

D. Augus.

D. Bern.

¶ *Adolescens tibi dico.* Adolescens vocatur communi loquendi vsu. Quo pars accipi solet pro toto. Sic Magdalena lachrymas fundens ait. Tulerunt Dominum meum. i. corpus Domini mei. Et alibi ait Dominus cum Lazarum ab inferis reuocare voluit: Lazare veni foras. Cum etiam D. Petrū cæterosq; sanctos in cœlo commorantes præcamur, sic loquimur. D. Petre precare pro nobis. Cū tantum eius anima in cœlestibus sedibus sit. ¶ *Tibi dico surge.* 3. Regum. c. 17. sacra narrat historia quod Elias filiū viduæ Sareptanæ suscitaturus expansit se, atq; mensus est super puerum tribus vicibus. ¶ 4. etiam Regum. cap. 4. traditur, quod Elisæus reuocaturus à mortuis puerum alterum, incubuit super eū, posuitq; os suum super os eius, & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius. Quibus ceremonijs significabatur, resurrectionem mortuorū faciendam esse per contactum Dei cum humana natura. Factus ergo Deus iam homo, alio contactu non indiget: sed sola voce adolescentem suscitat dicens. Tibi dico surge. ¶ *Adolescens tibi dico surge.* His verbis, & hoc themate, exhortandi sunt iuuenes vitæ spiritualis exēpti, ad veram pœnitentiam: qua animus hominis surgit à peccatis. Quod vt commodius fiat, audi tantisper quæ subsequuntur, scripta ex D. Basilio paucis tamen mutatis. Nam quæ ipse de baptismo, nos de pœnitētia quæ suscitat à peccati morte homines referamus. Salomō igitur sapiens, rerum tempora ex ordine vitæ diuidens, ac cuilibet eorum quę geruntur, tribuens ait: omnia tempus habent. Et vnicuiq; rei suum est tempus.

Pars in scriptura pro toto accipitur. Ioh. 21.

Ioh. 11.

3. Reg. 17. Figuræ.

4. Reg. 4.

Quomodo iuuenes sunt hortādi ad pœnitentiam.

Tem

Tempus nascendi, & tempus moriendi. Ego quidem vocẽm hanc mutans: tempus, inquam, moriendi & tempus nascẽdi. Quorsum hic sermo mutatus? Quoniam is quidem de Genesi & morte loquens corporali, Genesim morti, vt par erat præposuit: cum mori non liceat, nisi prius nascamur. Ego verò de spirituali regeneratione orationem facturus, vitæ omnino mortẽ antepono. Nobis enim si carni mortui fuerimus, tum demum spiritu renasci licet, quemadmodum ait Dominus: ego occidam & ego viuere faciam. Igitur moriamur, vti viuamus: carnis affectum, qui legi Dei subdi nequit, extingamus, vt spiritus affectus, per quẽ vita pax que apta est dominari in nobis, roboretur. Cum Christo simul tumulemur: vt cum eo qui primitias surgendi dedit, resurgamus. Tempus itaq; aliud alij accommodatum. Somni proprium, aliud vigiliæ: belli item & pacis. Pœnitentiæ verò tempus, vita hōis tota. Quãdo igitur tu peccator, à prophetis edoctus es: lauamini, mundi estote: per psalmos admonitus: accedite ad eum & illuminamini: per Apostolos item ac Prophetas instructus: pœnitẽtiam agite: denique ab ipso Domino inuitatus, dicente: adolescens tibi dico surge: quid cunctaris, aut quid cõsulis? Quid expectas? cum à puero in doctrina Christi sis imbutus nondum à peccato surrexisti? Per omnem vitam experimentum capis, cõsultas vsque ad senectutem, & quando amicus Dei eris? Anno superiori statutũ ab Ecclesia pœnitentiæ tempus præstolabare, nunc iterum futurum expectas? Vide ne longiorem tibi vitam pollicendo spe decidas: nescis quid crastina sit aduectura: ne tibi quæ non tua sunt, in tua putes esse potestate. Ad vitam te adolescens defuncte vocamus, quid vocationem fugis? Regnum cælorum præparatur. Ipse qui vocat & ait adolescens tibi dico surge, minime fallax est. Quid moraris? Iugum inquam, pœnitentiæ bonum ac leue est, minime obterẽs colla: non vincit, sed probat ceruicem spontẽ ferentem. Subde cor indomitum, sis Christi iumentum: nę ab hoc immunis iugo, neue inconcessam quærens vitæ libertatem, à feris deprehendaris. Memineris quod Propeta ait: bonum est viro si portauerit iugum ab adolescencia sua. Gustate & videte quoniam suauis est dominus. Mellis namque suauitas melius ignorantibus nuntiari, quàm per degustationem non poterit, quod sensus omni sermone sit efficatior. Nisi enim Moyses, & Israel mare transisset, nunquam à Pharaone discessisset. Sic tu nisi per mare pœnitentiæ transieris, nequaquam à diaboli seu a tyrannide liberaberis. Panẽ angelorum populus ille post ingressum deserti accepit: tu autem quomodo viuentem comedes panem, nisi prius ingressus fueris hoc desertum pœnitẽtiæ? Quin & ille per desertum in terram promissionis est ingressus. Tu autem quomodo in paradysum hoc carens penetrabis? Helias item, vim pœnitentiæ supra holocaustorum aram non per ignẽ, sed per aquam sacrificans, ostendit, cum ignis natura aquæ aduersetur. Nam tertiò tunc aqua mysticẽ super aram diffusa, initium excitãdæ flammæ velut oleũ fuit. Accipite, inquit, hydrias, & effundite super holocausta, & super ligna. Deinde ait: iterate, & iterauerunt. Rursus tertiò, Effundite, & ita egerunt. Quæ oratio satis monstrat quemadmodum Deo per pœnitentiam propinqui ac familiares efficimur, & ignis cælestis gratiæ in nobis refulget.

Figura. Figura. Figura. Figura.

¶Non igitur tardes conuerti ad Dominum, qui te vocat dicens: adolescens tibi dico surge. Si enim aurum Ecclesia distribueret, non profectò diceres cras mitte, cras dabis: verum tuam sedulus portionem velociter peteres, differri autem ęgrẽ ferres. Quoniam verò non materiæ alicuius fucum, sed animæ purgationẽ tibi rex munificus pollicetur, moras, excusationesque nectis, impedimenta causasque affers. Debebas ad hoc donum occurrere, O rem admirandam, renouaris, nec conflaris: refingeris, nec cõtereris: curaris, nec dolorem sentis, & tamen hanc gratiã non expendis. Si enim hominum seruus esses, ac libertas omnibus proponeretur, nonne ad constitutũ

Similitudo. Similitudo.

diem instructus venires, aduocatos pretio conductos & iudices solicitares, vt omni conatu libertatē reciperes? Quin alapam quoque, extremam seruorū plagam, pro liberatione omnis in futurum infamiæ ac probri libenter subires. Post quàm verò te seruum non hominū, sed peccati, ad libertatem preco vocat, vt te à seruitute soluat, ac angelorum consortem ciuemque faciat: præterea Dei filium per gratiam factum, cælestium hæredem bonorum constituat: nondū esse tempus hæc dona excipiendi causaris? O iniquas excusationes, O infamem vanamque occupationem. Quo vsque tandē voluptatis, quo vsque vani affectus? Longo nimis tempore mundo viximus. Reliquū vt & nobis ipsis viuamus. Quę nam quæso animę digna compensatio? Quid æquè regno cælorum comparandum? Quis fidelior tibi consiliarius quā Deus? Quis sapiente prudentior? Quis bono vtilior? Quis creatore familiarior? Nec Euæ, serpentis consilio credidisse magis, quam Domini profuit. O sermonem nephandum, sanari curariq; non vacat, ne lucem mihi ostende: ne ad regem regnumque me deducas. Nonne tu hæc, imò absurdiora longè dicere videris? Enim verò si publicis tributis obnoxius esses, debitorum autem remissio reis circunquaque annuntiaretur: dein de quispiam te hoc publico munere priuare conaretur, doleres, clamaresque cō munis gratiæ parte per injuriā priuari. Postquam verò non solùm præteritorū remissio, sed etiam futurorum dona palam proponuntur, non audis, sed ipse te lædis, quantum nec inimici forte læderent. ¶ Sciscitare igitur conscientiam, ingredere in promptuarium animæ secretius, præteritorum memoriam apud te parūper excita. Si enim plura sunt peccata, multitudine ne terrearis. Vbi delictum abundauit, superabundauit & gratia, si eam receperis. Plus enim debenti, plus remittitur, vt vehementius amet. Si autem parua, nec admodū lætalia fuerint delicta, quid de futuro solicitaris quid ad ea emundanda non accedis? Nunc verò tu te considera, in examine

Similitu.

trutinaque tuam esse positam animam: hinc ab angelis, indeà dæmonibus abstrahi meditare. Quibus cordis lancem inclinabis? Quid apud te vincet carnis ne voluptas an vitæ sanctitas, præsentiū oblectatio, an futurorum desiderium? Angeli ne te suscipiant, an retinebūt te, qui te iam impediunt ac detinent? ¶ Si quis medicus commentis ac machinis quibusdam, te iuuenem è sene reddere se recepetit, ad eam profectò diem omni studio venire curares, in qua ętati floridæ te restituendum videres. At nunc cum anima tua, quam omni scelere contaminatam reddidisti, per pœnitentiam renouari nuntietur, tantum despicis beneficium, nec vltro properas, aut id pollicenti fis obuiam. Quando igitur pœnitentia est captiuorum & æris alieni remissio, peccati mors, animę resurrectio, cæli iter, regni cælestis conciliatio, adoptionis gratia: cur moraris, cur non statim à peccato surgis? Noui enim tuam cunctationem, atque pigritiam, quāque rebus dissimulare contendis. Ipsa enim facta, & si taces, contra clamant. Mitte, inquis, supersede: interim carne, ætatisque flore abutar, in luto voluptatis porcorum more volutabor, manus sanguine fœdabo, alienum auferam, dolosé ambulabo, peierabo, mētiar. Tunc deniq; cum satur ero, malis desistam. Pœnitentiam agam, vocationi Christi assentiar, vocem eius audiam. Si ergo ò adolescēs res honesta est peccatum, hoc vsque ad extremum custodi. Si patranti turpis ac nocens, quid in eo perseueras quod pernitiosum est? Quando facultas ætasque viget, te libidinibus tradis. Quando verò membra languent, tunc Deo potissimum offerre studes: cum scilicet ob ingruētem & inualidam senectam his vti non amplius licet: quo maximè tempore, pudicitia seu temperantia vocari nō potest: sed lasciuiendi potius, & luxuriādi adempta facultas. Mortuus enim minimè coronatur. Nec iustus aliquis dicitur, cum malè facere nō licet. Dum itaque potestas adest, dum corpus valet, dum ratio viget, peccato dominare. Virtus enim hæc est, vitatio mali, studiū boni-

Similitu.

al. Vacare autem à malo tantum per se, nec laude, nec vituperatione dignum. Si ætate prohibitus à peccatis desistis, debilitati gratias agendum. Optione nō necessitate bonos laudamus. Quis tibi vitæ terminum fixit? Quis senectutis metam terminauit? Quis apud te tam fide dignus futurorum sponsor? Non vides pueros sæpe numero ab vbere raptos: non ætate floridos mori vides? Nullum certum terminum habet hæc vita. Quid expectas, beneficio febris peccata confiteri, quando nec verba loqui, nec item audire commodè poteris, morbo caput occupante? Non manus ad cælū tollere, non in pedes erigi, non genua adorando flectere, non commodè doceri, non securè ac liberè confiteri, non cū Deo conuenire, non cum aduersario decertare. Hæc itaque animaduertens studeadolescentem istum imitari, qui statim vt audiuit, adolescens tibi dico surge, resedit qui erat mortuus. Tuncque maxima cum omnium lætitia & admiratione traderis matri tuę, hoc est, Ecclesiæ qui pro te vberes lachrymas fundebat. Lege obsecro candide lector hæc, multaque alia, quæ ad pœnitentiā quadrare videntur apud D. Basilium, hom. 13. cuius titulus est exhortatio ad baptismum. ¶ Multis alijs rationibus, præter eas quas sursum ex D. Basilio retulimus, suaderi possūt peccatores vt dicto Christi pareant, conuersionem suam minimè dilatando. Hoc enim vitium dilationis (quo maximè laborāt peccatores) & nocet & nocuit semper differre paratis: vt poeta quidam cecinit. Et rursum: qui non est hodie, cras minus aptus erit. Nō ergo differas de die in diē, subito enim venit ira eius, & in tēpore vindictæ disperdet te. Nihil enim hora mortis incertius, vt docet Dominus apud Matth. c. 19. & apud Luc. c. 12. & Eccles. 9. Nescit, inquit, homo finem suum. Sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues comprehenduntur laqueo: sic capiuntur homines in tempore malo. Quando igitur nescis quo loco te mors expectet: ideo tu eam omni loco expecta, vt Seneca docet. Ne sis similis alijs adolescētibus, de

D. Basil. to. 1. ho. 13. fol. 117.

Multis alijs rationibus suadetur statim à peccati morte surgere.

Eccl. 5.

1. Ratio.
Matt. 19.
Luc. c. 12.
Eccl. 9.

Seneca.

A quibus idem Seneca ait: iuuenes mortē habent à tergo: senes ante oculos. Quod si mortis tanta incertitudo te à peccatis non reuocat, considera obsecro quot quantaque bona ex celeritate conuersionis sequantur. ¶ Primùm si ab adolescentia, peccatis sceleribusque relictis, bonis actionibus studeamus, altius in animis virtus infigitur. Nam quo semel est imbuta recens, seruabit odorem testa diu. ¶ Deinde, quod homini iucundum, atque suaue maximè sit, vitam studiosam agere. Molestum sanè equis est, antequam assuescant, compositè ambulare: ita vt necesse sit, in principio, vinculis pedes illorum constringere: at iam assuefacti non solùm facile sed suaue, atque gratum est. Hoc idem nobis in vita studiosa cōtingit. ¶ Tertio quod qui bonis operibus sanctisque actionibus dat operam, securè profectò viuit. Vnde Sapiens, inquit, in Prouerbijs. c. 15. secura mens, quasi iuge conuiuium. ¶ Quid? Quod maximum sit bonum, diutius, benè viuendo, Deo deseruire. Eam enim ob causam ait D. August. quid differs in crastinum? Longa vita bona erit si ipsa vita sit, vtique si longa erit melius bona erit. Re vera quanto quis longiorem vitam est acturus, tanto magis vt bona illa sit optare ac desiderare debet. Qui enim plus vini possidet, tanto amplius vt bonum ac suaue sit appetere solet, tantoq; magis dolet si corruptum ac fœtidum in suaueque sit. ¶ Præterea, certa res est, & in confesso habita, sanctam studiosamque vitam ab incunabulis inchoatam multo gratiorem, atque acceptiorē Deo esse, illa, quæ à senectute incæpit, si omnia sint paria. Iuuenes enim, qui ab adolescentia sua à peccatis surgunt, & optimis institutis studiosisque actionibus exercentur, ætatis suæ florem Deo offerunt: at senes non florem, sed fæces potius, Deo seruare videntur. Illi sanè implent, quod Dominus in libro Numerorum. c. 18. præcipit dicens: omnia quæ offertis optima & electa erunt. Hi verò, quod, idem Dominus ait per Malachiā Prophetam. cap. 1. Maledictus qui habet in grege suo masculum, & votum faciens

Idem.

2. Ratio.

3. Ratio.

Simile.

4. Ratio.

Prou. 15.
5 Ratio.

D. Aug.

Simile.

6. Ratio.

Num 18.

Malac. 1.

cens immolat debile Domino, qui rex magnus est dicit Dominus exercituum. Tales enim qui tam sero à peccatis volunt surgere, ac sero sapere, debilem hostiam Deo immolare videntur. Si ergo paruulus es, immola Deo sacrificiũ laudis: pueritiam tuam Deo dicando. Placet enim illi paruulorum laus. Dicente Psalmista ex ore infantium & lactentiũ perfecisti laudem. ¶Deinde animaduerte obsecro quàm sanum cõsilium sit, ab adolescentia peccata mittere, & virtuti operam nauare. Nam qui hoc agit, securus mortem obire potest, maximè confisus de sua salute. Quod minime accidit serò pœnitentibus. Vnde D. Augustinus ait: Si quis positus in vltima necessitate voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & hinc vadit, fateor vobis non ei negamus quod petit, sed nõ præsumimus. Pœnitentiam dare possumus, securitatẽ verò non. Nõ dico damnabitur, sed nec dico liberabitur. Vis ergo a dubio liberari? Age pœnitentiam dum sanus es. Si sic agis ego dico tibi, quod es securus: quia pœnitentiã egisti eo tempore quo peccare potuisti. Si vis agere pœnitẽtiã quãdo peccare non potes, peccata te demiserunt, nõ tu illa. Hæc ille. ¶Tandẽ cõsidera, quod qui ab ineunte ætate studiosè vitam agunt: purgatorij pœnas vitare solent: maiorique gloria communiter potiri. Cum in domo patris Christi mansiones multæ sint: & cum reddat Deus vnicuique secundum opera sua. Qui verò seram pœnitẽtiam agunt, vix aut nunquam pœnas illas effugiunt. Si enim seruantur sic tamen quasi per ignem: vt Paulus ait. Multoq; minori beatitudine communiter gaudẽt. Age igitur iã, surge à peccatis, ne moreris, quando hæc aliaque innumera bona ex matura opportunaque pœnitentia sequuntur. Ecce vox Domini vocantis: adolescẽs tibi dico surge. Ecce vox dilecti pulsantis, aperi mihi soror mea. Ne quæso respondeas: expecta, reexpecta: modicũ ibi, modicum ibi. Nã vehemẽter timeo quod si in longum pœnitentiam protraxeris, sponsus transeat: Dicasque pessulum ostij mei aperui dilecto meo, at ille declinauerat. Vir sapiens & iustus procrastinare non vult, ne hoc illi contingat. Sed omni hora, omni tempore suæ peregrinationis finem, aduentumque sponsi expectat maximo cum desiderio. Factus similis Abrahæ qui in ostio tabernaculi sedebat expectans. Factus similis Eliæ qui in ostio suæ speluncæ stabat.

7. Ratio. | D. Aug. | 1. Corin. 13. | Can. 5. | Can. 5. | Gen. 18. | 3. Reg. 19.

¶ *Tibi, inquit, dico surge.* Noli quæso similem esse nuntijs regis Ezechiæ, qui vt sacra narrat historia obnixè præcabantur Rabsacem, vt non loqueretur cum illis Iudaicè, sed Syriacè, hoc est, non propria lingua, sed aliena. Sunt nõnulli qui volunt reprehẽdi peccata, sed non propria, sed aliorum. Lucem prædicationis amant, sed non vt eos, sed alios illuminet. Amant videre Moysem, sed velata facie quemadmodum de populo Israelitico narrat Scriptura. Tibi ergo cum dicitur, surge à peccatis: ne graueris, sed libẽter peccata, quibus mortuus es, audi: & libentius cum ad vitam vocaris surge.

4. Reg. 18.

¶ *Quia Propheta magnus.* Hic est propheta ille magnus, de quo Moses prędixerat dicens: prophetam de gẽte tua, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus.

Deut. 18.

¶ *Ibat Iesus in ciuitatem quæ vocatur Naim, vsque ad finem Euangelij.* Hæc res ita iuxta historiam gesta: modo explicanda est secundum significationẽ spiritualem. Vidua mater, Ecclesię gerit imaginem. Nimirum hæc est illa vidua, quam consolatur Isaias propheta dicẽs: Lætare sterilis quæ nõ paris, exulta quæ non parturis, quoniam plures filij desertæ magis, quàm eius quæ habet virum. Synagoga confidit in sponso suo Mose, lactat filios Abrahæ, pares numero arenæ, quæ est in littore maris. Ecclesia iuxta mundum videtur destituta sponso, qui se subduxit in cælum, ac primùm videbatur sterilis, & absque spe posteritatis, hoc agentibus Iudæis, & huius mundi principibus, vt Iesu, quem extinctum putabant, omnis memoria funditus tolleretur. Hæc vidua quotidie gignit non filios huius seculi, sed filios lucis: neque Mosi gignit, qui terrena docet, sed Christo

Explicatur Euangeliũ iuxta sensum spiritualem. | Vidua est Ecclesia. Isai. 54. | Fidelis est filius Ecclesiæ.

sto qui docet, & promittit cœlestia. Gignit autem non morti, sed immortalitati. Parturit autē quotidie fœtus informes, adhuc & imperfectos, donec hauriant spiritum Euangelicum, & formetur in eis Christus. Vera mater est, & vnicé diligit filios suos, quos magna solicitudine format, & instituit, donec adolescant & corroborentur in viros perfectos. Habet enim & pietas infantiam suam, habet ætatis profectus. Quod si quando cōtigerit aliquem é filijs mori, plorat incōsolabiliter, neq; aliter deflet, quā si vnicum illum habuisset, quem perdidit. Innocentia quæ per baptismum confertur, vita est, peccatū, mors est. Videmus quanto affectu lugent matres corporea funera, sed multo tenerius Ecclesia deflet hominem à baptismo relapsum ad culpam læta lem, magisque solicita est de morte vnius peccatoris, quàm synagoga gaudet de nonaginta nouem iustis. Effertur ergo defunctus à quatuor bajulis, hoc est, huius mundi cupiditatibus, quę Spiritu sancto iam destitutum, iam sui sensu carentem, iam suis vitijs indormientem, deferunt ad sepulchrum æternæ desperationis. Habet autem Ecclesia portas, per quas eijcit mortuos, ne fœtore cadaueris inficiantur & alij. Habet portas, per quas recipiat à Domino reuocatos in vitam. Vt nō parit in vitā, nisi de spiritu Christi: ita non recipit ad vitam, nisi reuocante Christo. Non consistunt bajuli donec peruenerint ad sepulchrum. Etenim qui semel conquieuit in hoc mundo, qui semel sese permisit cupiditatibus noxijs, non desinit infelici profectu semper in deteriora prolabi, donec venerit in profundum malorum, ac traditus fuerit in reprobum sensum. Interim nihil aliud quàm plorat mater, plorat & turba ciuium, dolentes eijci mortuum, quem optant reuiuiscere. Hæ nimirum sunt vota matris Ecclesiæ, hæ lachrymæ, hi gemitus piorū hominum de morte peccatoris dolētium. Adolescens perierat nondum confirmatus spiritu Euangelico, & hoc dignior misericordia, quod quem per spiritum Christi sperant profecturum ad culmen

Innocentia est vita, peccatum est mors.

Bajuli sūt mundi cupiditates.

A Euangelicæ pietatis, nunc vident exanimem ac spiritu vacuum, per immitissimos bajulos efferri ad sepulchri latebras. Sed tamen interim comitatur mater, comitantur ciues (vix enim desperare potest charitas) lachrymis, gemitu, lamentis, declarant quid optēt. Sed quod optant, dare non possunt. Neque retinere valent exanimem, neque excitare possunt mortuum. Hominibus irreuocabiliter mortuus est. Sed bene res habet. Ad Ecclesiæ suæ lachrymas occurrit Iesus. Fœlix semper est securatoris occursus, aspicit viduam suam, semper fœlix clementis obtutus. Nondū respicit mortuum, qui quoniam sibi miser non videtur, nondum dignus videbatur misericordia Iesu, sed impetrat affectus Ecclesiæ, quod deploratus peccator nec optat. Iubet Dominus sisti luctum spem faciens successuri gaudij. Admouet manū loculo, consistunt bajuli. Prima spes ad innocentiam resipiscentis est, nō progredi in malis. Qui desinit esse peior, spem de se præbet, fore vt aliquando fiat melior. Nec hoc contingit, nisi Iesus potenti manu sua dignetur contingere loculum. Illa finem imponit impijs cupiditatibus, vt cesset à malis qui prouehebatur ad sepulchrum. Orat quidem, obsecrat, hortatur, objurgat Ecclesia peccantes, vt doleant, vt resipiscāt, vt cōquiescant à vitijs suis. Sed hæc omnia frustra, nisi Iesus arcana virtute contingeret animum peccatoris mortuum. Iesus enim vita est omnium, etiam mortuorum. Bona spes est rediture vitæ, quū Iesus dignatur loculum contingere: sed nondū redit vitæ vigor, nisi mortuo loquatur Dominus. Ad cuius vnius vocem reuiuiscunt mortui, etiam si sepulti fuerint & quatriduani: ne quis putaret vllos esse peccatores tan deploratos, de quorum salute desperare debeat Ecclesiæ charitas. Lazarus Elatus erat, sepultus erat, iam fœtebat in sepulchro. Flebatur tamen interim, & ad Iesu vocantis vocem prodijt é sepulchro. Maiorem quidem negotio suscitatus est Lazarus: túc enim infremuit Iesus spiritu, lachrymatus est, ac turbauit se, non quod illi diffi-

Occurrit Christus.

Respicit.

Prohibet lachrymas tangit loculū

Vox Christi efficax.

difficilius erat suscitare quatriduo sepultum, quã modo mortuũ, sed vt ostẽderet quã difficilè resipiscãt, atq; de ante actis prauis actionibus doleãt, qui diu vitijs assueuerunt. Aspexit Iesus viduã, & desijt flere: aspiciet & mortuũ, & incipiet viuere. Versus itaque clemẽtissimus Dominus ad eũ qui mortuus iacebat: Adolescens, inquit, tibi dico surge. Non potest non reuiuiscere quisquis audierit sermonem Iesu, etiam si mortuus fuerit. Nam quæ ille loquitur, spiritus sunt & vita. Quid consequutum est? Reuixit innocentiæ, qui erat mortuus peccatis: Erigit sese, qui prius iacebat sui carens sensu: & quod est certissimũ animi correcti documentum, incipit loqui, confitens peccata sua, gratias agens clementiæ diuinæ. Redditur matri rediuiuus. Et qui prius cum ingenti multorum luctu deferebatur ad sepulchrum, nunc maiori omnium gaudio reducitur domum. Habet enim hoc vera pietas, vt chariores etiam illos habeat, qui á magnis criminibus resipuerint ad studium vitæ melioris. In his enim magis elucet diuina bonitas, quàm in his qui nunquã in aliquod crimen elapsi sunt. Gaudet mater recepto filio. Gaudent qui funus ante lugebant. Nec gaudẽt solum, verũ etiam omnes quotquot aderãt huic spectaculo, timor quidam corripuit. Nam ideò palàm malos & insanabiles velut cadauera é suo contubernio eijcit Ecclesia, quo multi vnius exemplo formidẽt peccare. Sed ijdem laudibus vehunt misericordiam Dei, cuius virtute reuiuiscunt mortui.

Erexit se incepit loqui redditur matri gaudent omnes.

Euang. Dom. 2. Aduentus.

Matt. 11.

ET exijt sermo in vniuersam Iudæam de eo, & omnem circa regionem. Et nuntiauerunt Ioanni discipuli eius de omnibus his. Et conuocauit duos de discipulis suis Ioannes: et misit ad Iesum dicens: Tu es qui venturus es: an alium expectamus? Cum autem venissent ad eum viri, dixerunt, Ioannes Baptista misit nos ad te, dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? In ipsa autem hora multos curauit à lãgoribus suis & plagis: & spiritibus malis: et cæcis multis donauit visum. Et respõdens, dixit illis, eũtes renuntiate Ioanni quæ audistis et vidistis, quia cæci vident claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgũt, pauperes Euangelizantur: et beatus est quicunque nõ fuerit scandalizatus in me. Et cum discessissent nuntij Ioannis, cæpit de Ioanne dicere ad turbas. Quid existis in desertum videre? Arundinẽ vento agitatã? Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce qui in veste preciosa sunt, & delicijs, in domibus regum sunt. Sed quid existis videre? Prophetam? Vtiq; dico vobis et plusquã

prophetam. Hic est de quo scriptum est: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te. Dico enim vobis maior inter natos mulierum propheta, Ioanne Baptista, nemo est. Qui autem minor est in regno Dei, maior est illo.

Mala. 3. c.

A

B

E*T nuntiauerunt Ioãni discipuli eius de omnibus his. Et conuocauit duos de discipulis suis Ioannes: & misit ad Iesum dicens: Tu es qui venturus es: an alium expectamus?*

¶ Varij variè hunc locum explicant Doctores. De qua re lege doctorem sanctũ 2.2.q.2.art.7. atque Doctores sacros in hunc locum. Ego verò sententiam Diui Chrysostomi & Theophylati modo sequutus, existimo quod hi discipuli Ioãnis, subinuidentes tanto successui rerũ, quæ gerebãtur à Iesu, ac nomini indiés magis ac magis inclarescenti: Ioannisque, de quo præclarè sentiebant, gloriã velut obscuranti, referunt ad illum in carcere vinctum, omnia quæ dicebat, ac faciebat Iesus. Quod verò non sincero animo, sed inuidia stimulante hæc discipuli Ioannis retulissent: probat Beda, quòd alibi conquerantur dicẽtes: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, ecce hic baptizat: Et omnes veniunt ad eum. Ioannes igitur vt huic affectui discipulorum mederetur, auocauit duos è discipulis suis ad se, eosque misit ad Iesum, qui ex ipso sciscitarentur: Num tu es ille qui dicebatur venturus, an alium expectamus? Ioannes iam toties testificatus fuerat de Christo, quem etiam digito demonstrando dixerat: Ecce agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi. Quibus verbis passionẽ eius, & sacrificiũ quod pro hominum peccatis erat Christus facturus prædixit. De quo item prædicauerat esse verũ filium Dei. Ego, inquit, vidi & testimonium perhibui: quia hic est filius Dei. Nihil autẽ absurdius quã putare, vt tantus propheta (de quo hic Dominus ait esse omnibus prophetis superiorem) iam morti vicinus, dubitare ceperit, aut ignorare, an ipse esset Messias à patribus expectatus. Nec enim vinculis fuit alligatum illius de Christo testimonium, nec carceris tenebræ obscurabant illius de Christo iudicium. Agnouit in carcere, quẽ agnouerat in vtero. Sed vir optimus ita iudicauit expedire, vt hac ratione, suos discipulos, Iesu velut in manum traderet. Non ergo ignorauit D. Ioannes Christum esse Messiam, sed eò interrogat vt discipuli ab illo edocerentur, & in vera fide instruerẽtur, sic Christus suscitaturus Lazarũ ait: vbi posuistis eum? Non quod ignoraret, sed vt circunstantes instrueret a miraculo secludendo omnem suspitionẽ fuci.

D. Th. 2. 2. q. 2. ar. 7.

Quare Ioãnes misit discipulos ad Iesum.

Ioan. 1.

C

¶ Aliqui verò existimant, misisse Ioannẽ discipulos, non vt interrogarent an esset Messias, sed vt suo nomine confiterentur, eum esse Christum. Ait ergo Ioannes. Tu es qui venturus es, id est: ego fateor, quòd tu es verus Messias. Anne alium expectamus? q.d. minimè quidem.

1. Sensus huius loci.

¶ *In ipsa autem hora multos curauit à langoribus suis.* Dominus Iesus primùm illis non respondit: sed ædidit statim coram illis multa miracula, quibus probaret se esse Christum. Nullum testimoniũ certius quàm factorum. Si ergo verus Christianus haberi vis, non verbis sed factis proba. Sunt enim nõnulli (ait Paul.) qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant, cum sint ad omne opus reprobi. Sunt nonnulli qui aiunt Domine Domine aperi nobis: lampade tamen vacua oleo. ¶ Si ergo rex aut princeps es, & verus princeps apud Deũ haberi vis, non id nobilitate generis, non id stemmatibus, sed studiosis actionibus probare contende. Nam stemmata quid faciunt? Quid prodest Christiano longo sanguine censeri? Hoc intelligens rex ille Ezechias non suorum maiorum imaginibus, non sua stirpe, aut sui generis nobili-

D

Non verbis seu factis probat Christus primùm quis sit.

Nullũ testimoniũ certius quam factorum.

Ad Tit. c. 1.

Admonẽtur principes.

4. Re. 20.

nobilitate, sed suis factis Dei pietatem, & misericordiam ad illi ignoscendum prouocat. Memento, inquit, Domine quod ambulauerim coram te in veritate. Ambulare in veritate iuxta idioma Hebrææ linguæ est, rationem vitæ ad veritatem doctrinæ sanctæ dirigere. ¶ Si Dei sacerdos es, & verus sacerdos existimari desideras, non vnctione sacra solũ, non doctrina tantum, sed bonis operibus ostende. In rationali siquidem iudicij, quod olim sacerdotes in pectore portabant, non tantum scriptum erat, doctrina, sed doctrina & veritas. Vt intelligerent sacerdotes, non solum doctrinam, sed opera esse illis necessaria, si Deo placere concupiscunt.

Admonẽtur sacerdotes.

Figura.

¶ Si vir religiosus es, certus sis, nõ sat esse vitam contemplatiuam profiteri: si quando opus fuerit, actiuam vitam non illi adiunxeris. Memineris quòd non solum Cherubim, vt Ezechiel ait, alas habebant quibus volabant, sed similitudo manus hominis apparuit in eis. Quãuis enim contemplando, & orando, ad cælum vsque ascendere videaris: manus adhuc hominis, hoc est, studiosa sanctaque opera tibi per necessaria sunt. ¶ Si Christianus es, da operam virtuti, bonis actionibus incumbe, manus Christi cuius militiam profiteris, habere stude: & tunc te verum perfectumque Christianum esse iudicabimus. Nõ enim sola voce, Iacob, patris benedictionem arripuit, sed manibus etiam Esau. Non ergo sat est, vt te luctatorem siue Christianum esse glorieris, atque iactes: si manus Esau, hoc est, bona opera non habeas. Verus siquidẽ Christianus Christum Dominum imitari debet, qui hodie primùm non respondet: sed factis quis sit ostendit. Opera ergo tua & non tua loquela manifestum te faciant.

Admonẽtur religiosi.

Ezec. 10.

Figura.

Admonẽtur Christiani.

Figura. Gen. 27.

¶ *Tu es qui venturus est, an alium expectamus? In ipsa autem hora multos curauit à languoribus suis, & plagis, & spiritibus malis: Et cæcis multis donauit visum. Et respondens dixit illis. Euntes, renuntiate Ioanni, quæ audistis, & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant,*

¶ Certa res est, quod inter alia signa A quæ de Messia venturo prædixerunt antiqui vates, vnum fuit: quod facturus esset multa miracula. Id aperte Isaias inter cæteros prædixit, cum capit. 35. ait: Deus ipse veniet, & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, tũc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum. Ex quibus manifestũ est, quòd Messias, non solum miracula propria virtute tanquã Deus facturus esset, sed quod Deus etiam foret. Quandoquidem præmissa B Isaiæ verba, de ipso Messia intelligi debere, prisci Iudæorum tradidere. Qui etiam Pharisæos, quos scelestos, vel corruptos moribus vocant, miraculis Messiæ, non credituros fuisse, palàm prædixerunt. Vt Rabbi Moses Hadarsan, in suis commentarijs pulchrè attestatur, super illud Psalm. 74. Signa nostra non vidimus, & iam non est propheta, & nos non cognoscet amplius. Ita dicens: interrogauit Rabbi Natronai. Quid nam illud est, quod scriptum est, signa nostra C non vidimus, non est vltra Propheta, neque nobiscum, qui sciat amplius, vel vsquequo. Respondit ei Rabbaha: hoc dictum est de generatione scelestorũ, qui non credent signis, quæ faciet Messias iustus noster. Sed dicet de illo quod operabitur ea arte magica, & nominibus immunditię. Et quod signa quæ ipse dabit, non erant signa illa, quæ prophetauerunt prophetæ de Messia. Et quod si ipsa erant, latebant eos, & quòd non erat inter eos propheta, qui posset illis veritatem manifestare. Quapropter necesse illi erat probationem suorum verborũ D afferre: alioquin ipsi interficerent eum. Et ideò exclamat propheta, dicens: vsque quo Deus improperabit inimicus, irritat aduersarius nomen tuum in finem? Ac si dicat Deo, quod non patiatur similia verba. Hæc ibi. ¶ Quamuis autem hęc miracula quæ Isaias enarrat, aliaque multa Christum fecisse, recentiores Iudæorum negare non possint, cum ipsius miracula maxima ac manifesta fuerint, conati tamen sunt ea mendacio, atque blasphemia deturpare. Videntes enim ea talia fuisse, quod facultatem omnem creatam

Certum signum veri Messiæ fuerũt miracula hæc. aliaque his similia. Vnde colligitur Christum nostrum esse verũ Messiam.

Rabbi Moses, in Psal. 74.

tam excederent, non ea diabolicæ virtuti, vt patres eorum tribuere ausi sunt, sed diuino nomini, quod Sem hammephoras, id est, nomen expositum nuncupant, tribuerunt. Asserentes eum, nomen illud rectè pronuntiando, miracula illa fecisse. Quomodo autem nomen illud didicerit, ostendere volentes: libellum quendam mendacijs blasphemijsque plenum, non ex Talmud, vnde hæc arcana Catholicæ veritatis excerpsimus, sed ex diabolica suggestione composuerunt. Sed eos prorsus mentiri, ex eo vel potissimum videri potest, quod Apostoli, cæterique eius discipuli, post mortem ipsius, non per sem hammephoras, id est, per nomen Dei expositum, sed in nomine ipsius Iesu Nazareni, teste etiam Talmud, miracula faciebant. In Talmud enim Hierosolymitano, in libro qui auoda zara, id est, seruitus aliena dicitur, sic aduerbum legitur. Dixit Rabbi Iobanā, quod filius filij Rabbi Iehosuæ filij Leui quoddam mortiferum deglutiuerat, coniuratumque illi fuit in nomine Iesu filij Panther, & sanatus est. Cum autem euasisset, dixit pater pueri ei qui eum sanum fecerat, quid super eum dixisti? Ait illi: nomen Iesu Nazareni inuocaui. Dixit pater pueri remissius fuisset ei, si mortuus fuisset, & non audisset verbum hoc. Et sic statim factum est (propter patris scilicet ingratitudinem.) Hæc aliaque similia in illo libro Talmud. Quibus liquet, post mortem Domini nostri Iesu Christi, facta fuisse miracula in nomine eius: vt noster Lucas docet in actis Apostolorum. Filium autem Panther appellabant, quia cum patrem in terris non haberet, idcirco alij ipsum filium Panther, qui secundum quosdā Atauus fuit virginis gloriosæ matris eius, ex linea Nathan filij Dauid: Alij verò, filium Ioseph, qui quidem eiusdem virginis sponsus fuit, vocabant. ¶Contra iuniores autem Iudæorum, qui miracula Christi propria ac diuina virtute fuisse facta, negant: ita ipse apud Oseam septimo capite, ait. Væ eis quoniam recesserunt à me: vastabuntur, quia præuaricati sunt in me: Et ego redemi eos, & ipsi locuti sunt contra me mendacia. Ieremias quoque quinto capite, inquit, quod si etiam viuit Dominus dixerint: Et hoc falsò iurabunt. Domine oculi mei respiciunt fidem. Percussisti eos, & non doluerunt. Attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam, indurauerunt faciem suam super terram, & noluerunt reuerti. Constat ergo ex dictis superius, quod Messias miracula propria virtute facturus erat. Quæ hodie Christus Dominus fecit. Ex quo fit vt ille sit verus Messias quem venturum Iudæi expectabāt. Lege Galatinum, libro octauo, capite quarto.

Oseæ.c.7. Ierem.5. Galatin.

¶ *Ite & renuntiate Ioanni, quæ audistis, & vidistis*. Obserua, quod hæc duo (vt Diuus Bernardus annotauit) vbique pariter vox & signum ad introducendam fidem ex diuina largitate concurrunt: vt latus ad animam per vtrasque fenestras ingressus pateat veritati. Vnde iam primùm veraciter dicere possumus, illud quod in Canticis sponsus ait: vox turturis audita est in terra nostra: flores apparuerunt in terra nostra. Ergo si in terra nostra, & flores apparuerunt & vox turturis audita est, profecto & visu veritas comperta est & auditu. Vox quippe auditur, & flos cernitur. Flos miraculum est. Miracula sanè Christi omnia, instar florum fuere, producentia fructum fidei, addita tamen voci. Et si fides ex auditu, sed ex visu confirmatio est. Sonuit vox, splenduit flos, & veritas de terra orta est, per fidelium confesionem verbo, signoque pariter concurrentibus in testimonium fidei. Testimonia ista credibilia facta sunt nimis, dum flos voci, auri oculus attestatur. Audita visa confirmant, vbi duorum testimonium (auris loquor & oculi) ratum sit. Propterea Dominus in hoc loco ait. Ite renuntiate Ioanni, quę audistis & vidistis (eius nēpe discipulis loquitur.) Nec breuius illis, nec planius intimari fidei valuit certitudo. Eadem sanè in breui etiam

Bernard. Vox & signa simul, gignunt fidem. Ioan. c.2. Psalm.84. Psalm.92.

R vni-

vniuersæ terræ persuasio facta est, & eodem argumenti compendio. Quæ audistis (inquit) & vidistis. O verbum abbreuiatum, attamen viuum & efficax. Haud dubius profecto assero, quod vrribus oculisque percepi. Intonat tuba salutaris, corruscant miracula, & mundus credit. Citò persuadetur, quod dicitur, dum quod stupetur, ostenditur. Habes aurem: quia profecti Apostoli prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Habes in monte stupenda claritate transfiguratum, & nihilominus superna testificante voce. Habes in Iordane similiter & columbam designantem, & vocem testificantem. Itaque hęc duo (vt in principio diximus) vox, & signum: vbique simul ad gignendam fidem diuina liberalitate concurrunt. Hæc ex D. Bernardo, super cantica, sermone sexagesimo nono. ¶ Cæterùm hoc vno argumento, innumerisque alijs, ostendunt Doctores Catholici, & Christum nostrum, esse verum Messiam: & fidem religionemque nostram, veram, firmam, certamque esse. De qua re inter alios lege Ficinum de Christiana religione: & Galatinum de Arcanis Catholicæ veritatis. Et summam virtutum ac vitiorum. c. 3. de fide.

Marc. vlt.

Matt. 17.
Matth. 3.

D. Ber. super cant. serm 69.

¶ *Cæci vident, claudi ambulant, Leprosi mundantur.* Genus humanum cæcum, & claudum, & leprosum, surdumque erat, ante Christi aduentum. Cæcum, inquã, ignorantia. Caligabat enim in qualibet re. Claudum erat, eò quod claudicabat in obseruantia mandatorum. Vnde regius vates ait Psalm. 17. filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis. Leprosum erat, nam culpis innumeris infectum erat. A planta enim pedis vsque ad verticẽ capitis, non erat in eo sanitas. Surdũ erat, obturabat enim aures suas, ne audiret verbum Dei. Sic enim ait Psalmista. Furor illis secundum similitudinem serpentis; sicut aspidis surdæ obturantis aures suas, mortuum denique erat: cum longè à vita Dei abesset. Messias ergo noster venit vt ab his

Genus humanum cæcũ, & claudum, & leprosum ante aduentũ Christi.

Psalm. 17.

Isai. 1.

Psalm. 57.

A omnibus genus hominum liberaret, illique veram medelam afferret. Ideò ait discipulis Ioannis: ite renuntiate Ioanni, quæ vidistis oculis, quæ audistis auribus, cæci visum non solum corporalem, sed spiritualem recipiunt; claudi qui à via Dei deuiabant, rectè incedunt: leprosi & infecti sceleribus emundantur: surdi qui nolebant legem Dei audire, iam illã libenter audiunt, Et qui omnino à vita Dei alienati erant, reuiuiscunt.

B ¶ *Et beatus qui non fuerit scandalizatus in me.* Hebraismus est, *in me.* Id est, per me, hoc est, propter abiectionem meam. Quasi diceret: beatus qui hæc quæ ago ad salutem hominum, sibi non verterit in occasionem offendiculi. Vt enim operum magnitudo nonnullis mouebit inuidiam, ita corporis huius infirmitas, nonnullis erit offendiculo. Hoc dicto Iesus tacitè taxauit inuidiam discipulorum Ioannis, simul subindicans futurum, vt ignominia crucis, qua maximè peragendum erat regni cælorum

C mysterium, multos alienaret à fide: fœlices autem futuros, qui nec inuiderent gloriæ ipsius, nec mortis probro perturbati, resilirent à fide doctrinaque salutifera. ¶ Hic quæri potest, an tempore passionis, Apostoli omnes, resilierint à fide. Qua in re nonnullos in ea sententia esse video, vt existiment partem affirmatiuam. Idque multis argumentis probare contendunt. Primum est: quod per Matthæum Dominus dicit: Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte: Scriptum est enim percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis, id

D est, ab vnitate fidei soluentur. Sic enim glossa interlinearis exponit. ¶ Secundum est, ex eo quod apud Lucam legitur, verba mulierum nuntiantiũ Christi resurrectionem, visa esse Apostolis quasi deliramenta. ¶ Tertium, quod Marcus tradit, Christum exprobrasse omnibus Apostolis incredulitatem & duritiam cordis. ¶ Quartum ex Augustino in illud Psalmi, defecerunt oculi mei, omnes, inquit, discipuli desperauerunt, quod ipse esset Christus.

An omnes Apostoli in morte Christi in fide defecerint.

Matt. 26.

Cap. 24.

Cap. 16.

Psal. 68.

A la-

A latrone Apostoli victi sunt, qui tunc credidit, quando ipsi defecerunt.

Lib.3.summæ.c.61.

¶ Refert etiam cardinalis Turrecremata in hoc idem, Ambrosium, Hieronymum, Gregorium, Isidorum.

¶ Sunt alij (his argumentis contemptis) qui existimant, nó omnes Apostolos in fide tunc defecisse. Nam vt de Petro taceamus cui Dominus pollicitus est dicens: ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: adhuc opinio illa de cæteris apostolis non modo non certa, sed nec probabilis quidem his autoribus videtur.

Matth. vl.

Tú, quòd Matthæus dicat: discipuli abierunt in Galilæam, in montem vbi constituerat illis Iesus: & videntes eum adorauerunt, quidá autem dubitauerút. Quidam, ait, non omnes. ¶ Tum, quòd Marcus affirmet, quod increpauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia ijs, qui viderant eum resurrexisse, nó crediderant.

Marc.16.

Constat autem ex alijs Euangelistis incredulitatem & duritiam cordis, ex ea scilicet causa, quia his qui viderant eum surrexisse, non est creditum, non ad omnes Apostolos pertinere. Petrus namque & Ioannes audito nuntio cucurrerunt ad monumentum: ac Iacobus, iuxta Hebræorum Euágelium, ab hora qua biberat Domini calicem, iurauit, se non commesturum panem, donec Christum videret resurgentem: vt author est D. Hieron. in Cathalogo scriptorum ecclesiasticorum. Nó igitur omnes Apostoli fidei iacturam fecisse credendi sunt: nisi, quod absurdum est omnes infideles fuisse crediderís. Nó enim fides semel à Christiano suscepta, nisi per infidelitatem tollitur. Illud absurdius, hæreseos notam Apostolis vniuersis inurere. Quod qui faciunt, idque sine idoneis & vrgentibus causis: hi non solum illis, sed Christo etiam & Ecclesiæ iniuriæ sunt.

Apostolos omnes fuisse infideles Turrecrem. concedit. 3. li. c. 61. non tamen fuisse hæreticos.

¶ Iam quidem argumenta opposita vno quidem verbo confutabuntur. Si enim quicquam probát, Apostolos in fidei confessione defecisse: aut etiam in fide viua quæ per dilectionem operatur. Huc veró referri potest consuetudo illa Ecclesiæ extinguendi omnes cereos præter vnum. Vide Turrecremata lib.3. suæ summæ. c.61. & Cano lib.4. cap.5. ¶ Sed siue hæc, siue illa opinio vera sit, hoc vnum apud omnes in confesso est: mortem Christi Apostolis omnibus fuisse offendiculo. Qui stat igitur, videat, ne cadat. Quando Apostoli mundi luminaria, ceciderunt: atque ob Christi abiectioné scandalizati sunt. Meritò ergo Christus ait: Beatus qui non fuerit scandalizatus in me.

1. Cor. 10.

¶ *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me.* Hinc collige, quod neque prædicatio Euangelica, neque miracula omnia sola sufficiunt ad credendum. Sed præterea opus est interior causa efficiens: id est, Dei speciale auxilium, mouens animum ad credendum. Audierunt Iudæi Christum, viderunt innumera miracula eius, & tamen scandalizati sunt per mortem Christi.

Vox & signa non sufficiunt ad credendú, sed necessariú quoque est auxilium Dei speciale interius.

Docet id D. Augustin. lib.1. retract. cap.21. & alias sæpé, quin sacræ literæ id quoque docent. Quàm speciosi, inquit, pedes Euangelizátium pacem, Euangelizantium bona: sed nó omnes obediunt Euangelio. Isaias enim dicit, Domine quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatú est? Item nolite murmurare inuicem: nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eú: est scriptum in prophetis, erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me. Et inferius quibusdam discipulis dicentibus, durus est hic sermo, & quis potest eum audire? Propterea (inquit Dominus) dixi vobis, quòd nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo. Et alio loco: cum autem tanta signa fecisset coram eis non credebát in eú: vt sermo scripturę impleretur quem dixit, Domine quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est? Externæ igitur omnes, & humanæ persuasiones, non sunt satis ad credendum, quantumcunque ab hominibus competéter ea quæ sunt fidei proponantur. Sed necessaria est insuper causa interior, hoc est, diuinum quoddam lumen, incitans ad credendum, & oculi quidam interni Dei beneficio ad videndum dati. Viderunt (inquit Moyses)

D. Thom. ad com. 10. lect. 2.

Ad Rom. 10.

Ioan. 6.

Ioan. 12.

ses) oculi tui signa illa portentaque ingentia, & non dedit tibi Dominus cor ad intelligendum, & aures ad audiendum, nec oculos ad videndum. Hoc quoque sua voce dilucidè confirmauit Christus Petro dicens. Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi: sed pater meus qui in cælis est. Certè Petrus audierat Ioannis Baptistæ testimonium, quo aperta voce clamauerat, Christum esse filium Dei. Multa insuper Christi miracula viderat, & tamen post hæc omnia, non aut testimonio, aut authoritati Ioannis, non, miraculis visis, fidei confessionem Christus assignat, sed diuinæ reuelationi. Et ad Thessalonicenses: gratias agimus Deo, quoniam cùm accepissetis à nobis verbũ auditus fidei, accepistis illud, nõ vt verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis. Sunt & alia pleraque sacrarum literarum testimonia in huius rei confirmationem. Vt ad Corinth. nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto. Et cętera quæ sequũtur. Et rursum: inter spiritus charismata Paulus enumerat fidem. Et alibi. Non sumus sufficientes, &c. Et apud Lucam, quædam mulier colens Deum audiuit Paulum, cuius Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur à Paulo. Et illud: erigit mane, mane erigit mihi aurem, Dominus Deus aperuit mihi aurem, vt audiam quasi magistrum. Non ergo satis est audire doctrinam Euangelicam, neque miracula videre, vt quisquis pareat fidei: sed auxilium Dei interius necessarium est. Ideò Christus ait discipulis Ioannis qui audierant & viderant, beatus qui non fuerit scandalizatus in me. Precare igitur Dominum vt tibi adsit, te adiuuet, & faueat, vt credere, aut in fide consistere possis. Quòd si feceris, beatus eris. Non enim offendes in lapidem Sion. ¶ *Et beatus qui non fuerit scandalizatus in me.* Christũ esse lapidem aliàs ostendimus. Item esse lapidem offensionis, vt docet Isaias. cap. 8. Offenderunt enim in eum Iudæi illum reprobantes. Id quod fuerat à regio vate in hunc modum etiam prædictum. lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Quem locum apud Matthæum. c. 21. Christus de se ipso interpretatur. Et D. Petrus. 1. Epist. c. 2. de Christo loquens ait: ad quẽ accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honorificatum. Quapropter idem Apostolus, vt est apud Lucam in actis. c. 4. Pharisæos sacerdotumq; principes allocutus dixit: hic est lapis qui reprobatus est à vobis ædificãtibus, qui factus est in caput anguli. Et non est in aliquo alio salus. Vbi de Christo citatũ à nobis psalmum interpretatur. Hic est lapis ille, à quo, virga percusso exiuit aqua. Vt Moyses in libro Exodi literis consignauit, ex qua biberunt filij Israelis. Tanta fuit aquæ copia & abundantia, vt caneret in hunc modum diuinus psaltes. Qui conuertit petram in stagna aquarum & rupem in fontes aquarum. Esse hanc petram Christi figuram apertè indicat D. Paulus, ita in Epis. 1. ad Corint. dicens: Bibebant autem de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus. Hic ergo lapis scandalum fuit improbis Iudæis, vt Paul. docet. 1. Cor. 1. & in Epist. ad. Ro. c. 9. ait. Offenderunt in lapidem offensionis, sicut scriptum est: Ecce pono in Sion lapidẽ offensionis & petram scandali: & omnis qui crediderit in eum nõ confundetur. Imò fœlix profectò & beatus erit (vt in hoc loco Christus ait) qui non fuerit offensus abiectione & passione eius. Beatus (inquit) qui non fuerit scandalizatus in me.

¶ *Et cum discessissent nuntij Ioannis, Cœpit de Ioanne dicere ad turbas.* Non sine causa Christus Dominus postquàm abierunt discipuli Ioannis, cœpit prædicare laudes illius apud turbam, ne quid ex interrogatione illorum suspicarẽtur, ipsum Ioannem vacillare: dequẽ suo ipsius testimonio, quod prius tulerat de Iesu, iam animo commutato subdubitare. Amolitur igitur ab eo suspicionem inconstantiæ. Et illius de se testimonio fidem & pondus arrogat, sic extollens illius

Marginalia: Matth. 16. — 1. Thes. 2. — 1. Cor. 12. — 1. Cor. 13. — 2. Cor. 3. — Act. 16. — Isai. 50. — Vi. in commen. super Matth. c. 7. & 21. — Dominus fuit petra scãdali Iudæis reprobis. — Psal. 117. — Matth. 21. — 1. Pet. 2. — Act. 4. — Exod. 17. — Psal. 113. — 1. Cor. 10. — 1. Cor. 1. — Ro. 9.

illius eximias virtutes, vt tamen Mesiæ titulum non tribuat, quem aliquandiu quidam illi tribuere cònabantur. ¶ Cæterum illud obserua: quòd prædicat Christus laudes Ioannis, postquam eius discipuli abierunt. Solet enim Dominus suos, non ipsis præsentibus, sed absentibus laudare, ne superbiant. Sic laudauit Centurionem, sic Beatum Iob, sic Ioannem Baptistam modo. Occulta tamē Domini laus maioris habenda est ad honorem iusti, quàm publica mundi, aut dæmonis exprobatio, & persecutio ad eius infamiam & vituperium.

Suos Dominus in absentia laudare solet & quare.

¶ Deinde nota, quàm necessaria fuit tanta Ioannis Baptistæ authoritas, tanta sanctitas, tantaque laus & præconium. Nam cum tūc temporis Iudæorum superbia eo vsq; ipsos excæcasset, vt Mesiam cum pompa & maiestate magna, sicut solent reges huius mundi venturum expectarent, ipse tamen sedens super asinam & pullum esset venturus, vix vnus de populo illum agnosceret: sed omnes vno animo illum contemnerent, vt proceres primoresque Iudæorū fecerunt. Quare operepretium fuit, vt eius præcursor tan stupenda vitæ sanctitate antecederet: vt idem ipse Mesias posset existimari, vt postquam tantam sibi compararet authoritatem, suo testimonio populum ad Christum, vt ad verum Mesiam remitteret. Atque vt hanc authoritatem Christus illi conciliaret, tan egregio laudum Encomio illum ad turbas commendādo extulit, vt in hoc loco narrat Euangelista.

Quare Ioannes tanta polluit sanctitate.

¶ *Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam?* Quasi diceret: si suspicamini Ioannem pridem de me testificatum, nunc vacillanti esse animo: quid igitur olim sic relictis vrbibus concurrebatis in loca deserta, ad illius viri spectaculum: an vt videretis arundinem, quæ vento agitatur, nec sibi constat? ¶ Per arundinem hoc in loco (inquit Gregor.) mentis mobilitas designatur. Ioannes quippe arundo vento agitata non erat: quia eius mētem Spiritu sancto solidam per diuersas partes nullus linguarum flatus inclinabat. Hæc ille. ¶ Cæterum nota, quòd meritò impius ille Rapsaces, vt Isaias narrat. c. 36. comparauit, huius mundi diuitias & potentiam baculo arundineo confracto, cui si innixus fuerit homo intrabit in manum eius, & perforabit eam. Talis est mundus talis est diabolus: qui enim mundo aut diabolo fidit, omnino peribit. Maledictus homo, ait Ieremias, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & a Domino recedit cor eius. Omnis nostra spes vt firma sit, est in Deo figenda & collocanda. Ait enim eodem loco idem propheta: benedictus vir qui confidit in domino, & erit Dominus fiducia eius.

D. Greg. 33. mo. c. 4.

Isai. 36. Diuitiæ & potentia mundi arū dini comparatur & merito.

Ierem. 17.

¶ *Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam?* Ioannes omnisque vir iustus non inconstans sed firmus, stabilis, constansque semper esse dicitur. Quatuor vero sunt (authore D. Bonauent.) quæ hominem inconstantē & arundinem, quæ vento agitatur, facere solent. Primum est stultitia. Stultus (ait Sapiens) sicut luna mutatur. Et in Prouerbijs ait: cor stultorum dissimile erit sibi ipsi. Et Seneca inquit: quid est Sapientia? Idem velle atque nolle. Stultitiæ nihil constat: nihil diu placet ei. Meritò a sanctis comparantur stulti velis naui, quæ omni vento agitantur. Sapientes verò lapidibus quadratis, qui in ædificio stabiles perseuerant. Hinc est, quòd Seneca scribit: primum argumentum mentis compositæ existimo se cum existere, & secum morari. ¶ Secundum quod hominis animum instabilem reddit, peccatum est. Peccatum peccauit Ierusalem propterea instabilis facta est: ait Ieremias Threnor. 1. Cor enim peccatoris, pilæ, simile profecto est: quæ facili impulsu circumuoluitur. Idcirco Isaias capite vigesimo secundo, ait: ponam te quasi pilam, in terram latam & spatiosam. Comparat diuinus vates hominem improbum pilæ siue rotæ, quæ facilè mutatur, & circumuoluitur. Cum enim omnis eius spes, & cogitatio pendeat ex mundo, sit autem mundus inconstantissimus, necesse est eum nullam habere

Inconstantia ex quatuor oritur. De doctri. cordis c. 74.

Eccl. 27. Prou. 15. Seneca.

Idem.

Thren. 1.

Isai. 22.

bere constantiam. At vir verè sapiens & pius, fixus manet, & fortitudine ac tolerantia rerum humanarum septus, nec frangitur, neque expugnatur. Quãdo Deus vult impiorum scelera vlcisci, permittit sæpe vt nullam habeant constantiam. Id intelligens Dauid dicebat in Psalmo: Deus meus pone illos vt rotam. Id est, instabiles & agitatos instar rotæ. Et in Ecclesiastico scriptum legimus: præcordia fatui quasi rota carri. In capite quinto Genesis, vbi nostra versio habet: Egressus Cain à facie Domini, habitauit profugus in terra, &c. Pro, profugo in Hebraico est, Nod, quod propriè significat instabilem, & inconstantem. Tales enim sunt, qui se à Domino separant, & seiungunt. ¶ Tertium quod homines, arundines, quæ vento agitantur, reddit: est impatientia. Hinc est quod Boetius scribit: quis est ille tam fœlix, qui cum dederit impatientiæ manus, statum suum mutare non optet. Meritò patientia gubernaculo nauis comparari, & assimilari à viris eruditis solet. Vnde Salomon in Prouerb. cap. 14. & cap. 16. dicit: qui patiens est, multa gubernatur Sapientia. Et quemadmodum nauis si gubernaculo careat ventis & procellis agitatur, & tãdem velliditur & frangitur: sic cor impatiens tribulatione dissoluitur. Vnde Dominus apud Isaiam: paupercula, inquit, tempestate concussa, absque consolatione erit. Vbi septuaginta pro tempestate concussa, verterunt instabilem. Animum enim hominis impatientis tempestas tribulationis aut tentationis, tanquam nauem absque gubernaculo à sua stabilitate euellit, & ab omni diuina consolatione destruit. ¶ Denique timoris defectus in causa est, vt arundini vento agitatæ similes simus. Timor enim Domini (vt Sapiens ait) super omnia se superponit. Et quemadmodum anchora nauem firmam & stabilem esse facit: sic etiam timor cor stabile reddit. Anchora mentis (inquit Gregorius) est põdus timoris. Diuus ergo Ioannes cum vir sapiens, & iustus & patientissimus esset, atque timore Domini plenus, tam

Psal. 81.
Eccl. 33.
Gen. 5.
Boetius.
Simile.
Prou. 16.
Isai. 54.
Eccl. 25.
Similitu.
Gregor.

A constans fuit, vt nihil fuerit quod eum à virtute dimouere potuerit. Quare meritò Christus eius constantiam, animique firmitatem prædicat. ¶ Stabiles ergo simus in fide. Et non simus sicut paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ: vitam illam expectantes, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo. ¶ Stabiles simus in prospera & aduersa fortuna. Nam præclara (vt Cicero ait) est æqualitas in omni vita, idemque B semper vultus, eadéque frons: vt de Socrate accepimus. ¶ Stabiles simus in desiderijs. Ante omnia cura vt constes tibi, ait Seneca. Adeò sunt aliqui inconstantes, vt in hoc sint stabiles. Vnde poeta: quod petit spernit: repetit quod nuper omisit. Item: diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis. ¶ Stabiles simus in tentationibus exemplo Ioannis cuius constantiam commendat in hoc loco Dominus. Non sic impij non sic: sed tanquam puluis quem proijcit ventus à fa- C cie terræ. Non ergo ventiles te in omnem ventum, vt Salomon ait. ¶ Stabiles denique simus in actionibus. Nam melius est, vt proposita custodias, quàm vt honesta proponas, inquit Seneca. In omnibus ergo virtute constantiæ splendeamus, si imitari Ioannem Baptistam volumus.

¶ *Sed quid existis videre: hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce qui in veste pretiosa sunt, & delicijs, in domibus regũ sunt.* q. diceret Christus. Quid tandem existis visuri? Nunc hominem mollibus vestitum, vt delicijs, aut am- D bitione corrumpi potuerit? At hæc suspicio non cadit in hominem, qui pilis camelorum vestiebatur, qui pellicea zona strinxerat lumbos, qui locustis, & aqua simplici victitabat. Quique hoc victu sustentans vitam, frequenter etiam ieiunabat. Quibus placet vestitus splendidus, quibus cordi sunt ciborum deliciæ, hi captant aulas regum. In hos, qui hæc affectant fortasse cadere potest corruptæ sententiæ inconstantiæ, aut assentationis suspicio. Sed Ioannes desertum prætulit

D. Bonau. de doctr. cordis. c. 74.
Constantia in omnibus habenda.
Ad Ephe. 4.
Tobiæ. 2.
Cicero.
Seneca.
Poeta.
Psalm. 1.
Eccl. 5.
Seneca.

prætulit aulis principum, pilos camelorum prætulit holosericis, & aureis ac gēmatis vestibus. Mel Syluestre & locustas prætulit placentis regum, simplicē aquam prætulit mulso diuitum. Quàm autem nesciat adulari Ioannes, satis clamitat ipse carcer. Non est igitur, quod quisquam suspicetur, illum prius ad gratiam cuiusquam de me tam magnificē testificatum, nunc vertisse sententiam.

¶Interim autem hic considera quòd laudet Christus Dominus Ioannem quod non mollibus vestiretur. Superfluus ergo & delicatus vestimentorum cultus culpa nō caret. Hinc est, quod glossa ait: seruus Dei non debet habere vestimentum ad decorem, vel ad delectationem, sed tantum ad tegendum nuditatem. Et D. Greg. Nemo æstimet in fluxu ac studio pretiosarum vestium peccatum deesse: quia si hoc culpa nō esset, nullo modo Dominus Ioannem de vestimenti sui asperitate laudasset. ¶Caue igitur Christiane, à pretiosis, & à mollibus, & ab extraneis, superfluisque vestimentis, si reprehensione dignus esse non vis. A pretiosis caue. Nam si hoc, (inquit glossa,) culpa non esset sermo Dei non ita vulgariter exprimeret, quod diues purpura & bysso indutus, apud inferos torqueretur. Quare D. Gregorius in hunc modū scribit: nemo pretiosa vestimenta, nisi ad inanem gloriam quærit: videlicet, vt honorabilior cæteris videatur. Nemo vult pretiosis vestibus ibi indui, vbi à nemine potest videri. Caue à mollibus, si à Domino laudari vis. Caue ab extraneis & peregrinis indumentis: cum Dominus apud Sophoniam, cap. 1. minetur dicens: visitabo super omnes, qui induti sunt veste peregrina. Caue denique à superfluis, ne Scribis similis esse videaris: de quibus Dominus ait: attendite à Scribis qui volunt ambulare in stolis. Volebant enim venditare sese nouitate vestis: gaudentes ab ambulare conspicui, magnificis stolis ad terram vsque dimissis.

Glo. Mat. 3. in illud ipse Ioan. habebat vestimentum de pilis camelorum.

A quibus vestibus cauendū.

Inf. c. 16. ibi gloss.

D. Greg.

Soph. 1.

Inf. c. 20.

¶Etsi omnes Christianos moderatus cultus deceat, sed hoc maxime Episcopos & sacerdotes decere res certa est. Oportet enim illos esse ornatos in exterioribus, habitu videlicet, & incessu. Habitu vt nec fulgidis, nec sordidis se vestibus ornent. Vt enim ait Diuus Hieronym. nec affectatæ sordes, nec exquisitæ deliciæ laudes pariunt. Quod tam de vestibus, quàm de cibis intelligendum est. Lege de hac re in. d. 41. & D. Thom. in tractatu de potestate Papæ. q. 70. Et D. Hieronym. ad Nepotianum. de vita clericorum.

¶*Ecce qui in veste pretiosa sunt, & delicijs.* Heb. pro ecce qui vestitu splendido vestiuntur, & in delicijs agunt. *In domibus regum sunt.* Versari solent.

¶*Sed quid existis videre? Prophetā? Vtique dico vobis & plusquam prophetam.* Quare solus Ioannes plusquā propheta vocetur, diximus in commentarijs super cap. 11. Matth. inter explicandum hunc locum. De qua re vide etiam Hieron. q. 1. ad Algasiam.

¶ *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam: qui præparabit viam tuam ante te.* Hic locus nec congruit Hebraicæ æditioni, neque Græcæ, neq; nostræ vulgatæ. Citatur tamen eisdem verbis à tribus Euangelistis quorū ore Spiritus sanctus est locutus, quare certū est ita locutum fuisse prophetam. Singulas partes igitur huius prophetiæ perpēdamus: In Hebræa & in nostra vulgata æditione tantum est: Ecce ego mitto angelum meum: Spiritus verò sanctus ore trium Euangelistarum addit, ante faciē tuam. Ecce, inquit, mitto angelum meū ante faciem tuam: quare verba ista aut negligentia, aut malitia Iudaica intercidisse credendum est. Cæterum licet idē significetur vtrobique, planius tamen lectione Euangelica quæ duas personas planè significat, patrem mittentem, & filium missum, ante cuius faciem, præcursor Ioannes, qui à propheta vocatur angelus, dicitur missus. Secūdam verò partem huius prophetiæ sic præfert & vulgata & Hebræa lectio. *Præparabit viam ante faciem meam.* Tres verò Euangelistæ, *qui præparabit viam ante te.* Vtrūq; sacrū est, sed quod proferūt Euāgelistę sacratius, quod Spiritū sanctū autorē habēt, & quòd duas personas planè sonat

patrem mittentem, & filium missum, & Ioannem præcursorem. Ex quo intelliges in Hebræa æditione duplicem esse lectionem, quarum altera in hoc loco expressa est á D. Hieronymo, altera á sacris Euangelistis, quæ planior est, & magis ob oculos ponit duas personas diuinas.

¶ *Ecce mitto angelum meum qui præparabit viam tuam ante te.* Munus ergo huius diuini atque cælestis nuntij fuit, præparare viam Domino. Huius ergo exéplo præparate vos corda vestra Domino: vt Samuel admonet. 1. Reg. c. 2. Dominus enim venit tanquam vir vagus super terram: & declinans ad manédum. Vt Ieremias ait. c. 14. cuius delitiæ sunt esse cum filijs hominum. Christum ergo hospitio suscipiamus. Quod vt cómodius efficere possimus, primùm Domum nostram, hoc est, cor nostrum ab omni labe peccati emundemus. Hoc enim primum faciebat sanctus Dauid, qui in Psalmo. 76. Dicebat: exercebar & scopebam spiritum meum. Primùm se ipsum (inquit Augustinus) interrogabat: se ipsum examinabat: & se ipsum iudicabat ille qui dicebat: exercitabar. Deinde, scopebat spiritúsuum. Sic nos, primùm nos ipsos interrogemus & examinemus, anteacta scelera memoriæ tradendo: deinde, digna exomologesi & confessione ab illis emundemur. ¶ Emúdata conscientia ab omni spurcicia, deinde illam ornamentis necessarijs ad tátum hospitem suscipiendum præparemus. Quid autem parandum sit signanter. 4. Regum. c. 4. Designatur. Vbi Sunamitis illa viro suo de Elisæo hospite alloquens, dixisse legitur. Animaduerto quód vir Dei sanctus iste est: qui transit per nos frequéter. Faciamus ei cœnaculum paruum, & ponamus in eo lectulú & mensam, & sellam, & candelabrum, vt cum venerit ad nos maneat ibi. Hæc igitur omnia præparanda sunt vero Elisæo Christo Domino. Lectulus præparandus, pax cordis nostri est. Sic enim regius vates ait, & factus est in pace locus eius. Cum enim animus noster pacem Christianam habet, tunc efficitur verus Salomonis lectulus. Sella verò Christo præparanda, iustitia & iudicium esse debet. Sic quoque idem vates inquit: iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ. Nos ergo ipsos examinemus per iudicium, per iustitiam verò castigemus. Beati enim qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore. Custodi ergo iudicium, te ipsum discute: te ipsum argue, si mederi á morbis peccatorum desideras: nam vt sanctus Iob affirmat, qui non amat iudicium sanari non poterit. Et regius vates: honor regis iudicium diligit. ¶ Mensa verò præparanda, vera pœnitentia est. Nam vt D. Bernard. ait: cibus tuus Domine, pœnitencia mea est. ¶ Candelabrum verò parandum, cognitio propria esse dicitur. Est enim cor nostrum veluti domus tenebris plena, quare eget lumine propriæ agnitionis illustrari. Væ ergo illis: Qui hoc tam pretiosum lumen, non in proprijs vsibus, sed in exteris, & alienis con sumunt. Nonne hi sunt de quibus D. Bernard. ait: qui multa scientes, se ipsos nesciunt. Imo vt Greg. affirmat. Graue curiositatis est vitium, quæ dum cuiuslibet mentem: ad inuestigandam vitam proximi exterius ducit, semper ei sua interiora abscódit, vt aliena sciens, se nesciat. Tales Deum hospitem non habent. Nó enim Deus noster similis est noctuę, cui lux odiosa est. Imo magnopere desiderat, vt in mente, animoque tuo, lumen proprię cognitionis accendatur: vt ingressus lumen videat. Quemadmodú ipse in Euangelio ait. Si candelabrú hoc penes te habueris, diabolum qui vmbrá quærit: & in vmbra dormit: vt Iob ait: á te effugere compelles. Fœlix ac nimium fœlix, si illud verbum Abiæ stantis corá Ieroboam, dicere poteris. Apud nos est candelabrum aureum, & lucernæ vt accendantur semper ad vesperam. 2. lib. Paralip. cap. 13. quid Abias in monte, significat, nisi hominem iustum & pium, qui in culmine sanctitatis perseuerat: qui aduersus Ieroboam, hoc est, diabolum constitutus: candelabrum cognitionis ad tenebras suas propulsandas apud se habet: vt inimicus lucis diabolus expellatur.

1. Reg. 2. Quomodo præparandú est cor nostrum Domino. Iere. 14. Prou. 8. Psal. 76. August. Figura notanda. 4. Re. c. 4. Lectulus pax cordis est. Psal. 75. Sella iudicium & iustitia. Psal. 88. Iob. 34. Psal. 48. Mensa est pœnitentia. Bernar. D. Bern. D. Greg. Iob. 40. 2. Par. 13. Figura.

tur, atque lucis amicus Christus Dominus introducatur? Ideò sponsus ait sponsæ suæ in Canticis: reuertere reuertere, vt intueamur te. Quasi sponsus dicat. Reflecte radios tuæ cognitionis exterius diffusos, super te ipsam: vt ego te videã, & tu etiam te intuearis. Non enim vult Dominus declinare ad hospitem, qui foris vagatur. Propterea ad se ipsam reuocat Dominus peccatricem animã apud Isaiam. c. 46. dicens. Redite præuaricatores ad cor. Ad cor reuertitur, qui radios suæ cognitionis super se ipsum reflectit. Reflectit, inquam, vt consideret innumera Dei beneficia erga se exhibita, & gratus sit: vt consideret immensam eius misericordiam, & in illa speret: vt animaduertat infinitam eius iustitiam, & timeat: intueatur vulnera peccatorũ suorum, & doleat: conditionisque suæ vilitatem aspiciat, & humilietur: vt præsentium rerum caducarum vanitatem contempletur: & contemnat eas: Reflectit denique oculos vt finis incertitudinem videat: & solicitus sit, & vigilet, paratusque semper inueniatur. Circa hæc ergo septem versari debet propria cognitio, si verum, aureumque candelabrum, tanto hospiti parare cõcupiscimus. Hãc forte ob causam, septem lucernæ in candelabro templi fuisse, describuntur: & septem oculi super lapidem vnum. His ergo omnibus præparanda est via Domini, instruenda domus nostra interior, apparandum hospitium vero Elisæo: vt similes simus Ioãni Baptistæ, qui adhoc missus est, ante Dominum. Lege de hac re tractatum primum D. Bonauenturæ de doctrina cordis.

Cant. 6.

Isai. 46.

Cognitio propria circa hæc 7. versari debet.

Exod. 25.

Zach. 3.

D. Bona.

¶ *Ecce inquit, mitto angelum meum.* Angelum vocat Ioannem Baptistã. Omnes enim qui à Deo mittuntur, vt eius afferant mandata, angeli dicuntur. Vnde in sacra Scriptura angelus variè sumitur. Nunc pro viro iusto. 1. Cor. 11. Debet mulier velamen habere supra caput suum propter angelos, hoc est, propter homines Christum sectantes. Nunc pro sacerdote: Malach. 2. Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini

Clemens lib. 2. hypot.

2. Cor. 11.

Malach 2.

A est. Nunc pro his, qui à Deo mittũtur, vt in hoc loco vides.

¶ *Dico enim vobis, maior inter natos mulierum propheta Ioanne Baptista nemo est. Qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo.* Variè Doctores sancti hunc locum explicant, quos tu vide. Interim lege quæ annotauimus Matth. 11. inter explicandam hanc literam.

B *ET omnis populus audiens et publicani iustificauerunt Deum, baptizati baptismo Ioannis. Pharisæi autem & legis periti, consilium Dei spreuerunt in semetipsos, nõ baptizati ab eo. Ait autẽ Dominus, cui* C *similes dicam homines generationis huius, & cui similes sunt? Similes sunt pueris sedentibus in foro, & loquẽtibus ad inuicem, & dicentibus cãtauimus vobis tibijs, et non saltastis: lamentauimus, et non plorastis. Venit autem Ioãnes Baptista, ne-* D *que manducans panem, neque bibens vinum: & dicitis, Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans et bibens & dicitis, Ecce homo deuorator, et bibẽs vinũ, amicus publicanorũ & peccatorum. Et iustifica-*

Matth. 6.

ta est sapientia ab omnibus filijs suis.

IVstificauerunt Deum. Hebraismus est. Pro, iustum Deum esse ostenderunt atque ingenuè fassi sunt: Id est, Dei cōsilium probauerunt. Nam sequitur de Pharisæis huius contrarium, consilium, inquit Dei spreuerūt. ¶ Obserua igitur, quòd inter alias acceptiones huius verbi, iustificare, vna est, quòd idem est, quod iustum aliquē esse ostendere, ac probare. Et in hac significatione frequenter vsurpatur à iuris consultis, & pro vocabulo habetur forē si. Idemque est aliquem in foro iustificari, quod absolui à criminibus, de quibus accusabatur, innocentemque & iustum à suo iudice diffiniri, & pronuntiari. Et sic vsus est saluator noster hoc vocabulo, cū apud Matth. dixit: Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Nam cum statim dixisset reddituros rationem omnes homines in die iudicij de omni verbo ocioso, quod locuti fuerint, istis verbis quæ mox subiecit, hoc voluit profectò significare, vnū quemque iuxta verba sua pronuntiandum vel iustum, vel reum. Et ex consequenti, vel absoluendum esse, vel damnandum in die iudicij. Et in hūc sensum pharisæis auaris improperauit, quod se iustificarent coram hominibus, hoc est, iustos ostenderent, pronuntiarent, & iactarent. Et quendam legis peritum Lucas dicit, cum vellet iustificare se ipsum, hoc est, ostēdere se iustum, rogasse Christum, quis esset suus proximus. Et apertissimē Dauid accepit in hac significatione, cum dixit. Iudicate egeno, & pupillo, humilem & pauperē iustificate. Vtq; in eo sensu hoc vocabulo se vsum apertius faceret, subiungit. Eripite pauperē, & egenum, de manu peccatoris liberate. Notabat enim his verbis iudices, qui cum diuites facillimē absoluerent, & liberarent à criminibus eis intentatis, tamen pauperes, à quibus nullum quæstū expectabant, diu patiebantur in carceribus & compedibus esse, neque eos iustos, & innocentes pronuntiabant, & citò expediebant. Et in eundem sensum scripsit Salomon. Qui iustificat impiū, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum. Et Isaias. Væ, prænuntiat illis, qui iustificant impiū pro muneribus, & iustitiam iusti auferunt ab eo. Iustificare impium pro muneribus, & iustitiam iusti ab eo auferre, eos vtique intellexit, qui impiū ob munera ab eo suscepta, iustum & innocentem pronuntiabant: & iustum ab eis calumniosē accusatum, velut reum & nocentem condemnabant. De quibus statim dixerat. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponētes amarum in dulce, & dulce in amarum. Neque alium in sensum dixit Iob. Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me. Idem est etenim, si iustificare me voluero, ac si apertius diceret: Si me voluero pronūtiare, & asserere iustum. Vnde & continenter adidit. Si innocētem ostendero, prauum me comprobabit. Et alibi. Nunquid iustificari potest homo compositus Deo? ¶ Et ideo in hoc loco publicani & peccatores dicuntur Deum iustificasse, quia dum ad prædicationem Ioannis conuersi sunt, & illius baptismo baptizati sunt, Deum multipliciter ostenderūt iustum. Primò enim (vt dicit Ambrosius) in hoc declararunt Deum non ad indignos, sed vel ad innocentes, vel ad iustos munera sua transferre. Secūdò, in hoc apperuerunt, iustū esse Deum tùm in suis præceptis, tùm in pœnis, quas à peccatoribus obstinatis reposcit, & meritò agendam esse pœnitentiam de eorum transgresione. Tertiò, recipientes prædicationē Ioannis, hoc ipso probabant illum esse iustum & veracem, qui iuxta pollicita sua talē & tā sanctum virum ante se miserat. Et, sicut bene dicit Eusebius Emissenus, ipsa confessio peccatorum nostrorum, ipsa spes in Deum ostendunt, & prædicant nō solum Dei misericordiam, sed & Dei iustitiam. In hunc etiam sensum iustificata dicitur, inferius, sapientia ab omnibus filijs

Marginalia: Iustificare aliquē in sacra Scriptura aliquādo idem est quod eum iustum esse ostēdere, ac probare. — Matth. 12. — Inf. 16. — Inf. 10. — Psal. 81. — Pro. 17. c. — Isai. 5. c — Iob. 9. c. — Iob. 4. — D. Ambr. — Eusebius.

lijs suis, quia absoluta est, & iusta pronũtiata, & ostensa iudicio omnium filiorũ suorum, id est, omnium electorum. Omnes quippe, se ei sponte subdentes recipit, & omnes perfidos abijcit, nihilque ab ea prætermissum est, quod ad iustificationem nostram pertineat. Et sic Hierusalem dicitur iustificasse sorores suas, Samariam & Sodomam, quia magnitudine suorum scelerum ostendit eas iustas, siquidem ad eam conferantur.

Ezec. 16.

¶ *Generationis huius.* Vel nationis huius.

¶ *Venit autem Ioannes Baptista, neque manducans panem, &c.* Huiusmodi (inquit D. Chrysost.) est, quòd in hoc loco dicitur: oppositis quibusdam itineribus. Ego & Ioannes ad vos venimus, idemque fecimus quod venatores solẽt facere, qui quando fugacissima captuque difficillima insectantur animalia, non vna via, sed diuersis, & non diuersis solum, sed per contraria plerumque aggrediuntur, vt si alterum effugerint, in alterum incidant. Ioannes per asperrimam, ego vero per communem vitam voluimus vos ad pœnitentiam trahere, sed nihil profuimus: sed potius vos quasi crudelis quædam bestia, contumelijs vtrumque laceratis. ¶ *Venit Ioannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum.* Fuerunt hæretici (vt autor est Epiphanius, hæresi. 47.) existimãtes, Ioannem Baptistam fuisse sanctiorẽ Christo: quòd vinum Ioannes non biberit. Vituperabant enim huiusmodi hæretici vinum, neque licitum esse existimabant illud bibere. Quàm vero longè aberrauerint à veritate satis ostendit suo exemplo Christus Dominus, qui vinum inter conuiuas bibebat. Quod minime faceret: si esset illicitum. Item, scimus Christum Dominum in vltima cœna in suum sanguinem vinũ consecrasse. Laudamus ergo Ioannem quòd vinum non biberit: non tamen proinde illud bibere illicitum esse iudicamus. Vnde D. Hieronym. in Comment. super Epistolam ad Galatas. c. 5. sic ait. Et licet me quidã in eo libro, quem de seruanda virginitate scripsi, reprehendendũ putent: quòd

Chrysost. Matt. 11.

Similitu.

Epiphan.

Error quorundã hæreticorũ vinũ prohibentiũ confũditur.

D. Hier.

A dixerim adolescentulas, ita vinum debere fugere vt venenum, non meæ sententiæ pœnitebit. Opus quippe ibi magis vini, quàm Dei à nobis creatura damnata est: & licentiam tulimus virgini proprio ætatis calore feruenti, ne sub occasione parum bibendi, plus biberet, & periret. Alioquin sciebamus, & in Christi sanguinem vinum consecrari, & Timothæo vinum vt biberet, imperatum. Hæc Hieron. ¶ *Venit Ioannes Baptista neque manducans panem neque, &c.* Dubitant & quærunt aliqui, an Ioannes aliquando panem comederit, aut vinum biberit. Certa res est, quòd nunquam legimus in sacra Scriptura Ioannem aliquando vinum bibisse, aut panem comedisse. Certa etiam res est quòd nunquam vinum biberit: cum Angelus Domini patri suo dixerit: vinum & siceram non bibet. Credibile tamen putant aliqui, eum in pueritia, in domo patris sui Zachariæ panem, vt solent pueri, comedisse: postquàm verò ingressus est solitudinem, locustis & melle Syluestri vescebatur. ¶ *Venit Ioannes Baptista, neque manducans panem neque bibens vinum.* Matthæus refert Christum sic dixisse: Venit Ioannes non manducans, neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax est. D. Augustinus explicans hũc locum Matthæi sic quærit. Ioannis quidem escam & potum nouimus. Non enim dictum est, quòd omnino non biberet, sed quòd vinum & siceram non biberet: bibebat ergo aquam. Cibus autem eius non omnino nullus erat, sed locustæ & mel Syluestre. Vnde ergo dictus est, non manducans neque bibens? Nisi quia illo victu quo Iudæi vtebantur, ille nõ vtebatur? Hoc ergo Dominus nisi vteretur, non in eius comparatione, manducans bibensq; diceretur. Vide Augustinum lib. 16. cõtra Faustum. cap. 31. Adde huc, quod Ioannes dicitur non manducare neque bibere, eò quòd parum, aut nihil manducabat, aut bibebat. Sic enim dicimus de infirmo, non manducare neque bibere, cũ parum aut nihil comedit. Tanta erat abstinen-

An Ioannes aliquãdo panem comederit.

B

Sup. c. 1.

C

Matt. 11.

D. Aug.

D

stinentia D. Ioannis, vt verè de illo dici posset: nihil manducasse, aut bibisse. Parum enim pro nihilo reputatur. ¶ *Venit Ioannes Baptista, neque manducans panem.* An decuerit, vt Christus non austeram, quemadmodum Ioannes: sed communem vitam, vt solent homines, ageret. Quærit D. Thom. 3. p. q. 40. art. 2.

S. Thom.

¶ *Et iustificata est sapientia ab omnibus filijs suis.* Iam hic locus superius explicatus est. Cæterum alij legunt. *Iudicata.* Vt Christus dicat se sapientiã dãnari à suis Iudæis. Vnde filios sapientię vocat Iudæos, qui existimabant se esse sapientes, cum aliàs essent insipientissimi. Vide Matth. 5. in illa verba qui ergo soluerit.

Fer. 5. post Dom. de Paßione, et in festo Mariæ Magdalenæ.

Rogabat autem illũ quidam de Pharisæis, vt mãducaret cum illo. Et ingressus domũ pharisæi discubuit. Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quod Iesus accubuit in domum pharisæi, attulit alabastrum vnguenti: & stãs retro secus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes eius, et vnguẽto vngebat. Videns autem pharisæus qui vocauerat eũ, ait intra se, dicens: hic si esset Propheta, sciret vtique A *quæ & qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est. Et respondens Iesus dixit ad illum, Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait, magister dic. Duo debitores erant cuidam fæneratori: vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta.* B *Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque. Quis ergo eum plus diligit? Respondens Simon, dixit, æstimo quia is cui plus donauit. At ille dixit ei, rectè iudicasti.* C *Et conuersus ad mulierem dixit Simoni, vides hãc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, et capillis suis tersit. Osculũ mihi non dedisti: hæc autem ex quo intraui, non cessauit osculari pedes meos.* D *Oleo caput meum non vnxisti: hæc autem vnguento vnxit pedes meos. Propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniã dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Dixit*

xit autem ad illam, remittuntur tibi peccata. Et cœperunt qui simul accumbebãt, dicere intra se: quis est hic qui etiam peccata dimittit? Dixit autem ad mulierem, fides tua te saluam fecit: vade in pace.

R*Ogabat autem illum quidã de pharisæis vt manducaret cum illo*. Ecce consequutũ est exemplum, in quo res ipsa poneret ob oculos, quod Dominus in superioribus docuerat de pharisæis repellendis & peccatoribus qui Deum iustificarent, recipiendis.

¶Cæterum lege quæ annotabimus inferius.c.24.super illa verba: *coegerunt eũ.*

Obscuritas in Scriptura ex nominum propriorũ æquiuocatione.

¶ *Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix*. In scripturis sacris nomina propria solent magnos ingerere difficultatum scrupulos. Multi enim fuerunt Herodes, multi Nabuchodonosor, multi Assueri, multi Ieconiæ, multi Antiochi, multi Darij, multi Artaxerxes. Quæ nominum æquiuocatio solet conturbare lectorem. Sic nonnulli patres olim vt concordarent Euangelistas suspicati sunt duas fuisse Marias Magdalenas, quemadmodum Ambrosius super hunc locum. Et ipse item D. Hieron. ad Hedibiam recitat quosdam contendere, duas fuisse Magdalenas de eodem vico Magdalo. Item Origenes super Cantica duas fuisse suspicatur. Vnam quæ peccatrix vnguentum super pedes effudit: alterã quæ non peccatrix super caput Iesu, vnguentum effudisse testatur. Et idem, tractatu in Matth.25. & Theoph. in hoc caput Lucæ. & Euthim. Math.26. suspicantur fuisse tres. Sed has sententias refellunt August. Greg. & Beda, nec eas approbat Ecclesiastica consuetudo. Sed in re non necessaria, nobis immorandum non est. ¶*Ecce mulier in ciuitate pecca-*

Aug. lib. 2. de consen. euange. c. 79. tracta. 49 in Ioa. Greg. ho. 33. in euangel. Beda. lib. 3. sup. Lucam.

trix. Heu me, quàm innumeræ sunt mulieres plurimis in ciuitatibus notæ peccatrices, quæ digito ostendi possunt: & de quarum singulis dici, ecce mulier in ciuitate peccatrix. Quæ non solum libidine ardent, sed etiam oculis, delicijs, & impudicis motibus homines in sui amorem inuitant. Quæ si non doleant, si lachrymis pedes Domini non rigauerint, exemplo huius notæ peccatricis, auferet ab eis Dominus omnia corporis ornaměta: & in perpetuo squalore versabũtur. Sic enim Dominus per Isaiam ait de filiabus Sion. Pro eo quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extenso collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & ambulabant, & pedibus suis composito gradu incedebant: decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinẽ earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calciamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & specula, & sindones, & vittas, & theristria. Et erit pro suaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispantici crine caluitium, & pro fascia pectorali cilicium. Hoc enim, quod ad literam impletum est, cum filiæ Sion à Romanis captę sunt, & cum ciuitas euersa est, implebitur in filiabus Ecclesiæ, cũ à morte captæ fuerint. Cæterũ operepretium erit hæc ornamenta explicare, vt locus hic intelligatur. Lunulæ ergo erant ornamenta mulierum habentia figuram lunæ, quibus partes vestium inter se connectebantur. Torques, vel torquis, colli ornamentum, circulus est aureus. Monile ornamentum gutturis est, quod solet de collo puellarum pẽdere: sic dictum, quod virtutis admoneat. Nam olim ob aliquam egregiam virtutem dabatur. Armillæ sunt brachiorum ornamenta instar circulorum, quæ à Prisciano appellãtur brachialia. Mitra est pileus incuruus, & corona muliebris ad capitis ornamentum confecta. Discriminalia sunt instru-

Innumeræ sunt hodie mulieres in ciuitatibus peccatrices, quæ si nõ agant pœnitentiam maximas pœnas dabũt.

Explicatur locus Isaiæ.

Lunulæ.

Torquis. Monile. Collar de oro.

Armillæ. Axorcas o manillas. Mitra Discriminalia.

Partidores de los cabellos. Periscelides.

instrumēta, quibus virgines segregabāt crines in frōte pendētes. Periscelides ornamenta sunt circa crura quibus mulieres gressus suos componere solebant: à περὶ, quod est circum, & σκέλος, crus seu tibia. Muraenulae sunt ornamenta colli flexuosa instar muraenarum, & catenae ex auro, quibus mulieres ornabantur. Olfactoriola sunt fasciculi florum, vel odorum. In aures sunt circuli ex auribus perforatis pendentes. Mutatoria sunt vestium genera quibus humeri & pectora operiuntur. Linteamina sunt vestes tenuissimae ex lino. Acus instrumēta sunt quibus ornatorum crinium compago retinetur, ne capilli ad diuersas partes moueantur. Theristrum vestis est aestati conueniens ex lino delicatissimo confecta. ¶ Hoc est aduertendum, quòd Deus hic reprehendit ornatum nimium lasciuum, & immoderatum, quo vtūtur notae peccatrices. Nam si mulieres ornentur moderatè, & ad bonum finem, non peccant, etiam si inde eueniat, vt aliqui caeca libidine, capiantur, & earum effrenato desiderio inflammentur: quod est etiam de ludis chorearum dicendum.

Murae nulae. Olfactoriola. Mutatoria. Mantellinas. Linteamina. Acus. Theristrū.

¶ *Ecce mulier in ciuitate peccatrix.* Quis quaeso cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Quis sapientiam eius, quae abyssus est multa dimensus est? Nihil profectò abiectius, nihil vilius, in hoc mūdo inueniri aliquid potest, muliere peccatrice: sic enim ait Eccles. cap. 9. omnis mulier quae est fornicharia, quasi stercus in via ab omnibus praetereuntibus conculcabitur. Et tamen pius & misericors Dominus, in hanc tam insignem peccatricem suos fixit oculos (cum nihil in ea spectabile inueniretur) vt eam ad se traheret: vt eam exemplar verae poenitentiae efficeret: luce reque faceret, quasi stellam in firmamento. Quod si huius rei causam quaeras, nullam potiorem inuenies, quàm quae à regio vate redditur. Saluum, inquit, me fecit, quoniam voluit me. Vult enim Dominus ostendere exemplum suae misericordiae in conuersione peccatoris, signum suae sapientiae, insigne suae bonitatis. Vult, inquam, ostendere glo-

Eccl. 9. Dei immēsa sapiētia & misericordia relucet in magnis peccatoribus conuersis. Psalm. 17.

A riam gratiae suae. Vult denique vt intelligamus, omnia bona nostra à sua voluntate, tanquam à primo fonte & origine pendere. Et ex consequēti, quòd omnia bona nostra ab illo dimanant, ab illo pēdent, ab illo petenda sunt: vt sic magis humiles, magis soliciti, magis grati, magis denique timidi simus. Magis inquā humiles, intelligentes paupertatem & indigentiam nostram: magis soliciti, videntes quanto in periculo versamur: magis grati, cognoscentes quanta beneficia ab illo accipimus: magis timidi ac meticulosi, scientes infirmitatem nostram. B Ecce ergo haec insignis in ciuitate peccatrix à Dei misericordia, bonitate, sapiētia, atque gratia tracta, in exemplū nobis proponi, vt non desperemus de Dei misericordia & pietate qui pro sua bona voluntate insignes peccatores ad se trahere consuescit.

Quū omnia bona nostra à Deo pendeāt oportet vt simus humiles, soliciti, grati, & timidi.

¶ *Vt cognouit quod Iesus accubuit in domo Pharisaei.* Obserua quod non mā ducat Dominus in domo Simonis Magi, aut Simonis Cyrinaei, aut Scariotis: C sed in domo Simonis Leprosi, Mariam sanat, accumbit, & manducat. Nō enim cum Simoniacis, neque cum eis qui inuiti legem Dei seruant, neque cum inuidis, sed cum poenitentibus, & infirmis vescitur Dominus. Vide Vgonem Card. in Luc. c. 7. ¶ *Vt cognouit quòd Iesus accubuit in domo Pharisaei.* Ardor animi huius peccatricis pudorem omnem excusserat: quum non esset ignara, quanto fastu soleat Pharisaicum genus auersari peccatores, quum ipsorū multi grauioribus intus maderent vitijs.

Quare in domo Simonis Leprosi manducat Dominus & non in domo Simonis Magi, aut Cyrinaei, aut Scariotis. Vgo Car.

D ¶ *Attulit alabastrum vnguenti.* En attulit Magdalena secum delicias suas, pristinae vitae, quam oderat, monumētā Omnia quibus antè male placuerat sibi & mundo, in Christum, cuius amore flagrabat effusura. Attulit autem delicatū vasculum vnguentarium, quod alabastrum vnguenti vocat Euangelista. Alabastrum enim, vasis genus erat, ex alabastrite lapide torno excauatum, ad conseruanda vnguenta maximè idoneum. Alabastrum verò dictum videtur ab à priuatiua particula, & λαμβάνω. Id est

depre-

deprehendo. Erant enim vascula sine ansis, quæ propter summam leuitatem vix comprehendi, tenerique poterant. Erat autem vnguentum quod attulit eximiú, magnoque emptum. Olim autem qui voluptatibus carnis seruiebant, vnguentis impendio delectabantur, præsertim in conuiuijs. Vide autem sanctam huius peccatricis (vt ita dicam) improbitaté, non solum ausa est domum ingredi pharisæi, verumetiã ingessit sese, vt erat ornata, conuiuio. ¶ *Attulit alabastrũ vnguenti.* Muneribus, voluit prudens ista, ac sancta (vt ita loquar) peccatrix, Dei iram & indignationem placare. Et meritò quidem. Nam nihil magis Deum ad pietatem & misericordiam prouocat, quàm munera illi oblata, quàm opera pietatis. Hinc est, quòd apud antiquos commune prouerbiũ erat: muneribus vel dij capiuntur. Et quod scripsit Ouidius: munera crede mihi capiunt homines que deosque. Placatur donis Iupiter ipse datis. Et Dominus Exod. 23. & 34. ait: non apparebis in conspectu meo vacuus. Sed ais, pauper & mendicus ego sum, quare nec sacrificijs, nec eleemosynis peccata mea, quæ innumera sunt, redimere possum. Nec de hoc maxime anxius & solicitus sis: sed offer pro paupertate tua Domino: qui viduæ nummulos omnibus diuitum muneribus prætulit. In muneribus enim res præstantissima mens & animus est. Nõ enim in amicorum muneribus tã spectatur rei missæ pretium, quàm mittẽtis animus: vt Xerxes ille aquam manibus haustam, à rustico libenter accepit. ¶ *Attulit alabastrum vnguenti.* Tu hic mecum considera prudentiam huius peccatricis: qui non alia munera, sed odorem suauissimum ac fragrantissimum Domino suo attulit: quod sciret nihil illi magis fætere, quàm peccatum. Tanta est enim peccati deformitas & fœditas, vt nihil apud Deum magis fœtidum magisque abominabile sit. Hinc fuit quod in Exodo cap. 30. ait Dominus Moysi: pones altare contra velum, & adolebit incensum super eo Aarõ suaue fragrans. Vret Thymiama sempiternum coram Domi

Muneribus placandus est Deus.

Ouidius.

Exod. 23. & 34. c.

Nihil Deo magis fætet quàm peccatum.

Exod. 30. Figura.

A no in generationes vestras. Non enim ferre potest Dominus peccatorum nostrorum fætorem, & ideò vult vt semper sit coram se odor suauissimus. Vt hac figura tem hanc significaret. Hoc etiam idem indicare atque ostendere voluit, Deut. cap. 23. cum præcepit, vt latrina esset extra castra. Habebis, inquit, locum extra castra, ad qué egrediaris ad requisita naturę, Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum: vt sint castra tua sancta: & nihil in eis appareat fœditatis. B Non enim vult Dominus vt inter suos sit aliquis peccati fœtor, sed odor suauissimus bonæ vitæ, si ab eo benedici volumus. Memineris Iacob, qui (vt sacra narrat historia) vt patris benedictionem arriperet, fragrantissimis Esau vestimentis indutus est. Vnde pater eius ait: ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Ager (inquit Gregorius) mundus est: & quia electorum populus in toto mundo virtutibus redolet: odor filij odor est agri pleni. C Aliter enim redolet flos vuæ: quia magna est virtus & opinio prædicatorum, qui inebriant mentes audientium. Aliter flos oliuæ: quia suaue est opus misericordiæ, quod refouet & lucet. Aliter flos rosæ: quia mira est fragrantia, quæ rutilat, & redolet, ex cruore martyrum. Aliter flos lilij: quia candida vita carnis de incorruptione virginitatis. Aliter flos violæ: quia magna est virtus humilium: qui vltima loca tenentes per humilitatem se à terra in altum non subleuant: & cœlestis regni purpuram in mẽte seruant. Aliter redolet spica, cum ad D maturitatem perducitur: quia bonorũ operum perfectio, ad satietatem eorum qui iustitiam esuriũt, præparatur. Quia ergo electorum populus per mundum sparsus, virtutibus suis, omnes qui intelligunt, replet odore bonæ opinionis: rectè dicitur: odor filij mei sicut odor agri pleni. Sed quia virtutes ex se nõ habet, rectè additur: cui benedixit Dominus. Demus igitur operam, vt virtutum ornamentis vestiti simus, si Christi bonus odor esse volumus. Quales sunt viri pietate præstantes, vt D. Paul. affirmat. 2. ad Cor.

Deut. 23. Figura.

Non vult Deus vt inter suos sit aliquid peccati fætor, sed odor bonæ vitæ.

Gen. 27. Figura.

D. Greg.

Glo. ordi.

2.Cor.2. Cor. 2. Christi, inquit, bonus odor sumus Deo. Hoc igitur vnguento suauissimo significare voluit peccatrix ista, & se fuisse sceleribus plenam, fœdam, atq; fœtidam: & veram pœnitentiam ac nouam vitam, suauissimum odorem esse apud Deum. ¶ Præterea, portauit oleũ, quia medicinam in tali vulnere à super no medico perquirebat.

¶ *Et stans retro secus pedes eius.* Nota hic quod triclinium dicebatur locus in quo discumbebant, & cœnabant, à tribus lectis quos in eo sternebant, nomen habens. Nam tres mensas in conuiuio apponere veteres solebant, & cubantes cœnare. Aliquando tamen triclinium accipitur pro ipsis lectis, & reliquo discubitus apparatu. Hoc ergo triclinium more veterum in edito & alto erat: quare non mirum quod Maria stans attigerit pedes à tergo, lectis patẽtibus in quibus discumbebatur. Quoniam autem lecti triclinij prohibebant, quominus coram sese prouolueret ad pedes Iesu, stetit à tergo. Verum est tamen, quòd etiã si per lectos liceret, erubesceret Maria coram oculis Domini apparere: vt statim dicemus. ¶ *Et stans retro.* Plurimæ sunt virtutes quæ veram pœnitentiam animique dolorem, comitantur. Pudor, humilitas, sanctum silẽtium, fides, spes, charitas. Quarum imaginem in huius notæ peccatricis pœnitudine inuenies. Erubuit ergo primùm, coram Domino comparere: & ideò pudore plena stetit à tergo. Non immemor primi parẽtis, qui pudibundus, coram Domino apparere non audens: absconditse. Pudeat ergo nos exemplo huius peccatricis, nostrorum scelerum nostræque vitæ tam turpiter actæ: vt posthac melius sapiamus. Animaduertentes nullum fructum percepisse ex præteritis peccatis. Quem ergo fructum habuistis (inquit D. Pau.) in his in quibus nunc erubescitis? ¶ Pudorem siue pudicitiam sectemur: nã pudor qui timor est iustæ vituperationis, affectus est honestissimus. Pudicitia verò quæ à pudore originem trahit, animi virtutem significat: quæ (authore Cypriano) est ornamentum nobilium: exaltatio humilium: nobilitas ignobilium: pulchritudo vilium: Solamen mœrentium: augmentum omnis pulchritudinis: Decus religionis: minoratio criminum: multiplicatio meritorum: creatoris omnium Dei amica. Quod intelligens sancta ista mulier quæ fuerat in ciuitate peccatrix, edocta iam, & illuminata à Domino: verecundia ornata, stetit à tergo secus pedes Domini, meritò timens iustam vituperationem. ¶ Væ filiabus Israel, quæ erubescere nollunt: Nam auferetur ab illis pluuia cœlestis. Vnde Hierem. polluisti terram in fornicationibus tuis, quam ob rem prohibitę sunt tibi stillæ pluuiarum, frons mulieris meretricis facta est tibi, & noluisti erubescere. Ergo saltem à modo voca me. ¶ Præterea. Meritò stetit hæc peccatrix à tergo, vt omnia sua crimina, omnia scelera, atque peccata, super humeros scapulasque Christi proijceret. Ad hoc enim in mundum venit, vt omnia peccata nostra ipse perferret in corpore suo super lignum, vt D. Petrus author est: & ante Petrum Isaias, qui olim prædixerat hoc ipsum. Verè, inquit, langores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Quos langores & dolores vocat propheta, peccata appellat Diuus Petrus. Meritò etiam stetit retro secus pedes eius, nam ad pedes tendit semper, citam veniam qui requirit. Et bene stãs: quia non cadit, qui ad pedes Christi meruit peruenire. Stans retro secus pedes eius: vt Christi vestigijs innixa, percurreret per viam vitæ, quæ per viam cucurrerat mortis. ¶ Cæterum non solum pudore perfunditur Magdalena, sed humilis effecta ad pedes Domini deprimitur, sese vilem & abiectam dijudicans. Nonne vides caput diaboli scabellum pedũ Domini iam effectum? Secũdum quod pater olim promiserat filio suo dicens. Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. Nonne vides Dagon iacentem super faciem suam in terra coram arca Domini? Nõne intueris statuam illam magnam, statuam sublimem Nabuchodonosor, hoc est, diaboli, cuius caput erat aureũ, &

Marginalia: Triclinium quid. — Plurimæ virtutes verũ animi dolorẽ comitantur. — Pudor in pœnitẽte. Gen. 3. — Rom. 6. Pudor habendus & pudicitia. — Cypr. de 12 abusionibus. — Hier. 3. — 1. Pet. 2. — Isai. 53. — Humilitas habenda à pœnitẽte. — Psal. 110. — 1. Reg. 5. Figura. — Dan. 2. Figura.

& pectus argenteum, percussam à lapide Christo & contritam iuxta pedes eius? Nonne conspicis mulierem illam, imaginem gerentem illius quam D. Ioan. vidit: circundatam purpura, & coccino, & inauratam auro, & lapide pretioso, & margaritis, habentem poculum aureum in manu sua plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius, iam ad pedes Domini demissam, vt os eius obterat, corpus pedibus suis conculcet, manus pessundet atque si vellit abscindat? En denique paua illa, vario pennarum fulgore conspicua: quæ olim ab amatoribus mundi laudata, expandebat colores: nunc inspiciens pedes suos, hoc est, vilitatem suam ad pedes Domini prona iacet. Reuera nunc etiam contigit, quod olim propheta prædixerat his verbis: Ecce ascendet Dominus super nubẽ leuem, & ingredietur AEgyptum, & cõmouebuntur simulachra AEgypti à facie eius. Ascendit enim Dominus super nubem leuem, hoc est, super humanam naturam sine vllo peccatorum pondere, & ingressus est AEgyptum, hoc est, mundum, & ceciderunt idola ad pedes eius, cecidit Magdalena, idolum vanitatis, cecidit Matthæus idolum auaritię, cecidit Paulus idolum superbiæ. ¶ Nos igitur exemplo Magdalenæ ad pedes Domini procidamus: ibi sint nostri gemitus: ibi nostræ lachrymæ. Ibi enim aptissimus est locus ad Dei misericordiam captandam. Venite ergo adoremus & procidamus ante Deum: ploremus coram Domino, qui fecit nos: quia ipse est Dominus Deus noster, nos autẽ populus eius, & oues paschuę eius. ¶ Primo Regum. c. 25. sacra narrat historia, quod abigail, vt iram Dauidis placaret, cecidit ad pedes eius, & adorauit super terram. Quapropter nõ solum placatus est Dauid, sed ait: benedicta tu quæ prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem, & vlciscerer me manu mea. Si ergo tu vis Dominum, mitem, placidum & tranquilliorem reddere, humilia & deprime te ipsum. Si ab illo benedici desideras, pedibus eius inuolue te ipsum. ¶ Vt Ruth illa Gentilis nuberet Patriarchæ Booz ab illoq; bene-

Apoc. 17. Figura.

Similitu.

Isai. 19.

Psal. 94.

1. Reg. 25. Figura.

Ruth. 3. Figura.

A diceretur venit abscondite & ad pedes eius se proiecit: vt narrat Scriptura. Si ergo peccator idolis, hoc est, vitijs seruiens, pauperem & mendicam vitã agẽs à Deo benedictionibus, hoc est, diuitijs spiritualibus repleri desiderat: si nõ mẽdicare, spicasq; remanentes solum colligere concupiscit: si Deo in gloria perpetuò coniungi appetit: vilescat, deprimatur, proijciat se ad pedes eius. ¶ Imitetur figulum, qui vt vas aliquod elegans fingat, prius massam luti conculcat, pessundat, ac reuoluit. Intra ergo tu in lutũ (vt naum ait ciuitati Niniuitarum) & calca, subigens tene laterem. Cognosce te ipsum, deijce animi elationem, humiliare sub potenti manu Dei, depone superbã mentem, si à Deo protegi atq; ab inimicis tuis, hoc est, peccatis, atq; dæmonibus liberari vis. Si deniq; Christi bonus odor esse affectas, humilitatem ama: vt dum fuerit rex in accubitu suo Nardus tua det odorem suauissimum. Væ illis, qui peccare non verentur: nã per peccatũ esse desinunt scabellum pedum Dñi. C Sic enim plorãdo Ierem. ait: quomodo obtexit caligine in furore suo Dñs filiã Sion: proiecit de cælo in terrã inclytam Israel, & nõ est recordatus scabelli pedũ suorum. Vi. glo. Thren. & Orig. hom. 23. in Matth. ¶ *Secus pedes eius*. Ambos Dñi pedes amplectitur Maria, ambos vngit vnguẽto magno pretio comparato: ambos osculatur, super ambos lachrymas fundit. Duo sunt pedes Dei: (inquit Bernar.) misericordia & iudiciũ. His circuit & perambulat iugiter spirituales mẽtes exultans vt gigas ad currendã viam: si tamen tales sunt de quibus merito dicat: D Habitabo in illis, & deambulabo in eis. Hos ergo pedes primò vngit anima peccatrix illo primo vnguẽto quod dicitur cõpunctionis. Deniq; Maria quæ peccatrix erat, vnxit pedes Iesu. Nec mediocre sanè vnguentum hoc videatur, de quo scriptũ est: Et domus impleta est ex odore vnguenti. Nec mirum, cum etiam in cœlestibus sentiatur huiusmodi vnguenti fragrantia, veritate attestante, quæ ait: gaudium est coram angelis Dei super vno peccatore pœnitentiã agente.

Similitu.

Naum. 3.

Can. 1.

Thren. 2. Ibi glos. Origen.

Duo sunt pedes Domini, qui vngẽdi & amplectãdi sunt. Psal. 18.

Ioan. 12.

Luc. 15.

Psal. 50. De hoc vnguento dicitur cor contritum & humiliatum Deus non despicies. in carnis ergo assumptione duos illos pedes ad hoc Christus accepisse cognoscitur, id est, misericordiam & iudicium, vt peccator ad pedes, id est, ad humanitatem accedat. Nisi enim pes ille, quem diximus misericordiam ad hominem assumptum pertineret, Paulus de illo non diceret: tẽtatum autem per omnia pro similitudine absque peccato, vt misericors fieret. Heb. 4. Et nisi iudicium æque ad hominem pertineret, ipse homo Deus de se ipso non dixisset: & potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Ioan. 5. Itaque ad hos pedes viri doloris & scientis infirmitatem, peccator accedere non dubitans, fidenter loquitur. Nunc autem cum fiducia accedimus ad thronum gratiæ. Heb. 4. Non enim habemus Pontificem qui non sciat compati infirmitatibus nostris. Ad hos ergo pedes hæc peccatrix accessit veniam consecutura. Bernar. Hæc ex Bernardo in sermonibus paruis, sermone. 56. ¶ Nos etiam qui peccatores sumus non vnum, sed ambos Domini pedes, hoc est, misericordiam & iustitiam amplexemur si à peccatis liberari desideramus. Misericordiam: vt ne tantorum scelerum pondere grauati desperemus. Iustitiam: ne de maxima Dei misericordia confisi, à peccatis surgere negligamus. Sperare ergo veniam & timere diuinam seueramque Domini iustitiam debemus: Psal. 146. quia beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius, vt eruat à morte animas eorum. Si enim peccator sis, & solùm Dei iudicium terribilemque iram venturam consideras, deficies, penéque desperabis: atque dices Psal. 89. quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Si veró solam misericordiam: tunc laxabis habenas virtutis remisséque vitam studiosam agendo in peiora crimina incides. Spera igitur & time: & tunc dices Psal. 102. cum regio vate misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Et cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in loco Psal. 118. peregrinationis meæ. Hoc est iustitia & misericordia in loco peregrinationis meæ. Vide quid de hac re scribat D. Bernardus in sermone de Magdalena.

¶ *Secus pedes eius.* Bené quidem atque feliciter Magdalenæ semper fuit cum Domini pedibus, Nam ibi vitam inuenit. Vitam inquam suam: nam ad pedes Domini remissa sunt ei peccata multa. Vitam Lazari fratris sui: quem Dominus lachrymis huius sanctæ peccatricis commotus à mortuis suscitauit. Vitam eiusdem vitæ, hoc est, Christi, postquam é sepulchro gloriosus surrexit. Ad pedes Domini hæc mulier confugiens, illum aduocatum, atque patronum, aduersus pharisæum illum, aduersus Martham sororem suam, aduersus Iudam inuidum ac traditorem inuenit. ¶ *Secus pedes eius.* Stat hæc peccatrix ad pedes Domini quasi aduentum eius in mundum ad sanandas animas, redimendaque peccata gratulans.

¶ *Lachrymis cœpit rigare pedes eius.* Non mirum, quod tali sagitta percussa vberes lachrymas fuderit hæc mulier. Christus sagitta, qua percutitur peccator & trahitur. Posuit me (inquit Dominus de se ipso loquens) quasi sagittam electam. Isai. 49. Hac saggita vulnerata sponsa, hoc est, anima Deo deuota, dicebat in Canticis: percusserunt me, & vulnerauerunt me. Can. 5. Hac sagitta vulneratus Petrus fleuit amare. Matt. 26. Hac hodie percussa Magdalena fluuios perfundit lachrymarum: erãt enim eius lachrymæ veluti sanguis cordis vulnerati, qui per oculos fluebat. Quàm beatum est hac sagitta transfigi. Vtinam Domine Iesu animam meam hac sagitta transfigeres vt tui amore percussa, diceret cum sponsa: adiuro vos filiæ Hierusalem si inueneritis dilectum meum, vt nunties ei, quia amore langueo. Can. 5. Fuit hæc sagitta diuina qua transfixa est Magdalena, abscondita in carne humana quo est pharetra, de qua in illo Isaiæ loco dicit: in pharetra sua abscondit me. ¶ *Stans retro lachrymis cœpit rigare pedes eius.* Audierat peccatrix ista, sæpé Isaiam dicentem lauamini, mundi estote, auferte mala cogitationum vestrarum ab oculis meis. Isai. c. 1. Et venite & arguite me dicit Dominus.

minus, si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealuabuntur. Audierat Dominum sæpius prædicantem: nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Ideo sese prouoluens ad pedes Iesu, lauando illos suis lachrymis, animam suam abluere curauit. Audierat multoties Ieremiam clamantem: laua à malitia cor tuum Hierusalem, vt salua fias. Et ideo hæc mulier innumeris sordibus (vt August. ait) inquinata, ad fontem pietatis anxia currens, Domini vestigia lachrymis rigans, est mundata. Venit cum fonte lachrymarum ad fontem misericordiarum, vt cum largo fletu, largam misericordiam impetraret. Prouoluta ergo ad pedes Domini, flendo dicebat cum esdra: Deus meus confundor, & erubesco leuare faciem meã ad te; quoniam iniquitates meæ multiplicatæ sunt super caput meum: & delicta mea creuerunt vsque ad cælum. Et cum Dauid Domine ante te est omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Fateor Domine quod iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Fateor quod creuerint peccata mea super multitudinem arenæ maris. Idcirco sto prope fontem aquæ: hic expectabo sponsam Domini mei, egredientem ad hauriendam aquã. Expectabo, inquam, dimissis iniquitatibus meis, & abluta fonte lachrymarum mearum, vt efficiar sponsa Domini mei Isaac, & ornata inauribus & armillis aureis, & relicta patria, relictis antiquis parentibus ad illum confugiam. Expectabo donec egrediatur diabolus ante pedes eius, vt non iam habitaculum dæmoniorum, sed habitaculum Dei, & tẽplũ Spiritus sancti perpetuò sim. Hæc, aliaque multa animo suo voluendo flebat. Et lachrymarum imbre pedes Domini tacita rigabat: & sic veniam omnium suorum scelerum consecuta est. ¶Vt hinc discas quanta sit vis lachrymarum, quanta vis veræ pœnitentiæ. O lachryma humilis (inquit Hieronym.) tua est potentia, tuum regnum, tribunal iudicis non vereris, amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis: non est qui te accedere vetet, si sola intraueris, vacua non reddibis, magis crucias diabolum, quàm pœna infernalis. Quid plura? Vincis inuincibilem, ligas omnipotentem: inclinas filium virginis. Nemo ad Deum (inquit Chrysostom.) aliquando flens accessit, qui non quod postulauit acceperit. Nullus ab eo beneficia dolenter optauit, qui non impetrarit. Ipse enim est, qui consolatur flentes, dolentes curat, pœnitentes informat. Sicut post vehementes imbres, mundus aer ac purus efficitur, ita & post lachrymarum pluuias, serenitas mentis sequitur, atque tranquillitas. Tanta est vis lachrymarum, vt his armis Iacob munitus, vicerit angelum. Sic enim ait Oseas propheta. cap. 12. Iacob in fortitudine sua directus est cum angelo. Et inualuit ad angelum & confortatus est. Fleuit & rogauit eum. Si Deum lenire vis ora illum: Si verò illum vincere, lachrymas cum Iacob funde. Nam oratio (authore Hieronymo) Deum lenit, sed lachryma cogit. Lachrymæ Ezechiæ, coegerũt Dominum, vt sentẽtiam reuocaret. Lachrymæ Danielis, intelligentiam arcanorum ac mysteriorum consecutæ sunt. Ego Daniel lugebam diebus trium hebdomadarum, panem desiderabilem non comedi. Lachrymæ huius peccatricis veniam à Domino omnium suorum criminum impetrarunt. Nihil tam arduum tam difficile, tamque impossibile, videri poterat, quod illa suis lachrymis non obtineret. His omnium delictorum suorum condonationem, his vitam fratris, his Dominum suscitatum videre, obtinuit. Lachrymas igitur fundamus, lachrymas amemus: si Deum lenire atque vincere cupimus. *Stans retro lachrymis cœpit rigare pedes eius.* Numer. 29. Legimus præcipisse Dominum in solemnitatibus mensis septimi inter alia sacrificia offerri hircum pro peccato. Quid quæso in tantis solemnitatibus Domine agit sacrificium pro peccato? Quid inter epulas lachrymæ peccatricis? Nonne nosti Domine inter gaudia tristem fore peccatorum recordationem? Nullum

Marginalia: Isa. 1. — Ierem. 4. — August. — 2. Esdr. 9. quid ad pedes Domini Magdalena intra se dicebat. — Psal. 37. — Psal. 117. — Gen. 24. Figura. — Abacuc. — quanta sit vis pœnitentiæ & lachrymarum. — Hieron. — Chrysost. in serm. quodam. — Idem super Matt. — Oseæ. 12. — D. Hiero. super Isa. — Dan. 10. — Num. 29.

lum gaudium, nulla solemnitas est ô homo in qua non grata Domino sit memoria peccatorum. Non putes te Deo ingratã facere rem, si inter epulas lachrymas fundas. Si antè quam comedas pro peccatis suspires: Si lugeas ea in præcipuis Domini festiuitatibus. Vbique decent, vbique nitent, vbique acceptæ sunt lachrymæ pro peccatis. Fleuit hæc peccatrix & interepulas lachrymas fudit, sed nunquid hac de causa repulsa est? Absit sed recepta, sed maximè commendata. ¶ *Lachrymis*. En rerum ordo mutatur. Pluuiam terræ cælum dat semper, ecce nunc rigat terra cælum. Imò super cælos & vsque ad ipsum Dominum imber humanatum prosilit lachrymarum: vt iuxta Psalmistam, & de aquis fletuum illud cantetur: Et aquæ quæ super cælos sunt laudent nomen Domini. O quanta vis in lachrymis peccatorum, quæ omnem abluũt culpam, gehennam extingunt, latam diuina promulgatione flectunt sententiam. ¶ *Lachrymis cœpit rigare pedes eius*. Aspicis hoc in loco apertissimè pœnitentiam complecti fletum & planctum. Quid respondebit ad hunc locum Philippus Melanchthon hæreticus huius temporis, cum cæteris hæreticis, qui hæc irrident, asserentes solũ terrores, quos incutit cõsciẽtia peccati, & fiduciam in Deum absoluere pœnitẽtiã? Vbi inuenerũt in sacris literis talem pœnitentiam? Quis vnquam ex Catholicis Doctoribus talia scripsit? irrident insani homines fletum, & planctum, & ciliciũ, cum hic habeamus planctum & fletum Magdalenæ. Et apud Isaiam nos Dominus ad hoc inuitet & vocet. Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa, ad fletum & ad planctum, ad caluitium, & ad cingulum sacci. Et apud Ioelem cõuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu & plantu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Hoc intelligens Dauid dicebat in Psalmo: laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, & lachrymis meis stratum meum rigabo. Et in alio Psalmo ostendens corpus suum esse assiduis lachrymis & mœroribus consum ptum dicebat: percussus sum vt fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Et paulo post: quia cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam. Plus est hoc, quàm terrores conscientiæ, quos dicunt hæretici. Lege veteres omnes patres antiquos, & videbis omnes hos in hãc sententiam coincidere. Sed de hac re nos aliás sæpe diximus.

Omni tẽpore grata est pœnitentia.

Psal. 148.

Impugnatur Melanchton.

Dolor necessarius in pœnitẽtẽtia ad remisionẽ peccatorũ

Isai. 22.

Ioel. 2.

Psalm 6.

Psal. 101.

¶ *Et capillis capitis sui tergebat*. Obserua quod Magdalenæ capillis capitis sui tergebat pedes Christi pauperis. At capilli capitis Absalon semel in anno tondebantur: & ducentis siclis vendebantur pondere publico. Vt sacra narrat historia. 2. libro. Regum, capite. 14. quod mysterio non vacat. Illi enim capillos suos vendunt, qui suorum bonorum superflua minimè pauperibus erogare volunt: sed potius diu seruare, vt magno vendant. Ex quo meritò fit, vt illis contingat, quod Absalon: qui suis capillis implicatus, & in quercu suspensus tribus lanceis percussus interijt: vt 2. Regum. cap. 18. scribitur. Sic isti in inferni patibulo suspensi, tribus lanceis, hoc est, tribus supplicijs transfigentur, hoc est, supplicio ignis, supplicio & pœna vermis sempiterni, & supplicio carentiæ visionis diuinæ, vt glossa exponit. Qui verò de rebus sibi non necessarijs, sed superfluis, pedes Domini Iesu, hoc est, pauperes sustentant, atque aluũt, per Magdalenam pedes Domini suis capillis tergentem significantur: & ideò audient quantumuis peccatores sint, remittuntur tibi peccata tua. Vide Vgonem Card. in Luc. cap. 7. ¶ *Et capillis capitis sui tergebat*. Vacat ab excusatione paupertas, inhumanitas veniam non habebit: quia in totum sibi natura sufficit ad obsequium creatoris.

2. Re. 14. Quid significet capillis tergere pedes Domini exemplo Magdalenæ & capillos capitis vẽdere exẽplo Absalon. 2. Reg. 18.

¶ *Et vnguento vngebat*. Ad intelligentiam scripturarum, hanc regulam inter aliás obseruabis. Si apud vnum Euangelistam aliquid factum narratur, quod videtur ab alio Euangelista etiam recitatum, secundum tamen aliquam sui partem alteri repugnans, vt omnino solui non

Regula necessaria ad concordantiam Euangelistarum.

non possit, iam nihil aliud intelligatur, quàm vtrumque in diuersis locis, aut temporibus, factum esse, & ita vtrumque Euangelistam verum dixisse. Nihil enim obest veritati Euangelicæ, si vnus commemorat quod alter tacet. Vnde etiam atque etiam retinendum est, sæpè Christum diuersis temporibus, & dixisse eadē, & fecisse similia. Matth. 12. Scribis & Pharisæis petentibus signum de cælo, respondit: Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Hæc & alibi, alioque tempore Christum dixisse ad Scribas & Pharisæos, patet ex c. 16. apud eundem Matth. Sic etiam intelligere licet Mariam Magdalenam bis vnxisse pedes Iesu, semel hodie in domo pharisæi, cuius nomen Simon, vbi remittuntur ei peccata antequam Lazarus esset mortuus: vt patet ex hoc loco: & ex c. 11. Ioannis, vbi scribitur. Erat autē quidam languens Lazarus a Bethania de castello Mariæ & Marthæ sororum eius. Maria autem erat, quę vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis suis. Et iterū in domo Simonis Leprosi, qui (vt aliqui existimant) alius fuit à Simone Pharisæo: quod accidit Lazaro iam mortuo, ante sex dies Paschæ. Passim huius regulæ reperies exempla. Lege si libet Driedonem de dogmat. lib. 3. cap. 4.

Matt. 12.

Matt. 16.

Ioan. 11.

Driedo.

¶ *Lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes eius, et vnguento vngebat.* Omnia quondam inhonestæ voluptatis instrumenta vertit hæc peccatrix in obsequium illius qui solus est amandus. Lachrymis rigat pedes illius, salubriter fœdans oculos quos olim ad turpitudinem solita est stibio depingere: Lachrymarū imbre lotos pedes non aliquo linteo, sed capitis sui capillis extergebat, quos ante hac consueuerat ad carnis voluptatem vngere, tingere, comere, auro intertexere. Nec his contentus mirus peccatricis amor, lotis, & extersis Iesu pedibus, defigebat oscula. Habes hic imaginem peccatoris per vim doloris, & potentiam ardoris, & efficatiam fidei irrū-

Omnia quōdā voluptatis instrumenta vertit modo Magdalena in obsequium Christi.

A pentis in regnum cælorū. Quare si peccatrix es imaginem hanc tuam imitare. Tu ipsa proprij facti iudex esto crudelior. Imprimis omnis cura vitæ huius interimenda tibi est. Deinde lugubris tibi accipienda est vestis, & mēs & membra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt. Defluant oculi lachrymas, qui masculū non simpliciter aspexerunt. Pallescat facies quæ quondam vicit impudicē. De B nique totum corpus incuria maceretur, cinere aspersum, & opertum cilicio perhorrescat, quia malè sibi de pulchritudine placuit. Cor verò sit liquescens sicut cera, ieiunijs inquietans seipsum, & cogitationibus ventilans, quare sit ab inimico subuersum. Sensus denique omnis crucietur, vt omnia improbitatis arma in obsequium Domini conuertantur. Lege D. Ambros. in Epistola ad corruptam quandam, vbi hæc multaque alia te docebit. ¶ Si peccator es, lachrymas cum Magdalena funde. Nam lachrymæ (authore Bernardo) vinum sunt angelorum C quia in illis odor vitæ, sapor gratiæ, gustus indulgentiæ, sanitas redeuntis innocentiæ, reconciliationis iocunditas, & serenæ conscientiæ suauitas. Si peccator es, lachrymis riga pedes Domini. Nam lachrymæ, aqua sunt Angelorum ex diuersis florum odoribus distillatæ. Fluunt enim à fide, à spe, ab amore, ab animi interna deuotione. Denique si peccator es, totum te ipsum in holocaustum offer Deo. 3. Regum. capit. 18. Scriptum inuenimus Eliam prophetam super holocaustum ter aquam fundere iu- D sisse: atque post precationem cecidisse ignem Domini & vorasse holocaustum. Tu ergo offer te ipsum Domino vt admonet Diuus Paulus in Epist. ad Romanos. capit. 12. dicens: obsecro vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra, hostiā viuentē, sanctam, Deo placentē, rationabile obsequium vestrum. Et non solum semel aut bis, sed ter aquam lachrymarum funde. Memor enim tuorum delictorum lachrymare: exēplo regis Ezechię,

Quomodo pœnitētia Magdalenæ est imitanda ab aliqua peccatrice.

Quomodo est à peccatore imitanda pœnitentia eiusdem. Bern. sup. can.

3. Re. 18. Figura.

Ad Roma. c. 12.

Isai.38.
Flere debemus memores nostrorū peccatorum, memores mortis Christi, memores patriæ cælestis.
Ioa.20.
Vi.glo.or.
Psal. 41.

qui dicebat recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. & cui Dominus ait: audiui orationem tuam & vidi lachrymam tuam. Memor passionis mortisque Christi plange: exẽplo Mariæ qui stabat ad monumentum foris plorans. Memor denique patriæ cœlestis à qua exularis: exempo Dauidis qui dicebat: fuerunt mihi lachrymæ meæ, panes die ac nocte dum dicitur mihi vbi est Deus tuus? Et subdit. Transibo in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei. Sic enim holocaustum tuũ acceptissimum erit Domino: quale fuit huius peccatricis qui hodie ob scelera sua amarè fleti post verò apud sepulchrum plangere non cessat. Tandem in solitudine vitam totam lachrymando duxit.

¶ *Osculabatur pedes eius.* Præcesserant interuenientes lachrymæ, vt deuota oscula sequerentur: quia lacrymæ satisfactionis, oscula reconciliationis indicia portant. ¶ *Lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabitur pedes eius, & vnguento vngebat.* Animaduerte obsecro, quod inter hæc omnia Magdalenæ munera, munus linguæ aut loquelæ minime refertur. Sed hoc non absre accidit: nã sat erant gemitus qui loquebantur, sat lachrymæ, sat oscula, sat vnctio, quæ vices verborum gerebant: sanctum erat hoc silentium, sancta hæc taciturnitas. Tantus enim erat animi dolor & angustia, vt eam loqui non sinerent. Sic de matre Samuelis sacra refert historia quod loquebatur in corde suo, tantumque labia illius mouebantur, & vox penitus nõ audiebatur: & hoc ex multitudine doloris & mœroris. Tu ergo intra in cubiculum cordis tui, & affige animam tuam, & dicito Domino. Domine ante te omne desiderium meum & gemitus meus à te non est abscõditus: præ dolore tace, suo tempore te ipsum coram sacerdote accusando, locuturus.

Sanctum silentium.

1.Reg. 1.

Psalm.37.

¶ *Pharisæus autem.* Hactenus habuisti imaginem peccatricis per pœnitentiæ vim irrumpentis in regnum cælorum. Nunc è diuerso accipe typum Iudæi, qui per arrogantiam & incredulitatem se reddit indignum oblata Dei benignitate. Pharisæus qui Iesum ad conuiuium vocauerat, conspiciens hæc quæ superius retulimus, quum fauere debuerit mulieri tanto affectu ingerenti, tanta modestia deijcienti sese, tot indicijs testantem vitæ prioris pœnitudinẽ, quum amare debuerit Iesu mansuetudinem, nullum hominem abse repellẽtis: prouocatur ad vtriusq; calumniam. Nõ enim nouum recensque est ab improbis hominibus virtutem, calumniam pati. Audi ergo quid iste cogitabat intra sese.

¶ *Hic si esset propheta, sciret qua & qualis esset hæc mulier, quia peccatrix est.* Leuit.13. legimus hominem iudicari mundum, si totum corpus eius scabie esset infectum: non autem si alternatis partibus alteram sanam, atque alteram morbosam haberet: vt ostendat nobis Dominus hominem deterius aliquando curari, & periculosiori morbo laborare, qui nonnulla bona opera mixta malis habet, quàm qui omnia mala. Quoniam qui mixta habet in bonis fidere solet, & mala nõ curat propter bona. Nolite (ait Ieremias.c.7.) confidere in verbis mendacibus, dicentes templum Domini, tẽplum Domini est. Putabant enim Iudęi omnia tuta (vt Isaias habet) si boues mactarent, suffitum apponerent, Kalendas & alias solemnitates seruarent, manusq; ad cælum extenderent. Sed quoniã manus fœdatas habebant innocentũ cruore, audierunt omnia hæc odisse animam Dei. Sic inter Christianos sunt multi criminosi & vitijs onusti, qui securè degũt postquam omni die sacrum audierint, horarias preces persoluerint, statutis diebus ieiunauerint, quorum typum gerit pharisæus iste leprosus, qui se sanũ arbitrabatur, cũ leprosus esset, & Christũ non prophetã iudicabat, & peccatricẽ morbosam, qui cum se soluendo non esse arbitraretur, parabolam audiuit quæ eum debitorem arguebat: illos verò peccatores peccatrix illa adumbrabat, qui in se nihil præter mala cognoscunt: qui se intus erubescentes facilè omnia pecca-

Leu.13.
Figura.

Duo genera peccatorum sunt quorũ vnũ difficilius medetur, altero.

Ierem.7.

peccata suo omnipotenti medico ostendere non vereantur. ¶ *Hic si esset propheta, sciret quæ & qualis esset mulier quæ tangit illum, quia peccatrix est.* Pharisæus murmurat Magdalena tacet, Christus eam defendendo loquitur. Tu ergo si Deum protectorem & aduocatum habere vis, tace. Nouit enim Dominus causam tuam, scit optimé stillum cœlestis curiæ, te ab omni hominum calumnia defendet, si tacueris. Sanctum enim silentium, pretium & merces est huius cœlestis aduocati. Audi quid Moyses affirmet Exodi. 14. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Reuela ergo tu Domino viam tuam, & spera in eo: & ipse faciet. Obmurmurat alibi Martha sorori Mariæ, Maria tacet, & Christus eam subleuat ac defendit: rursum apud Marcum inuenimus Iudam Iscariotem obstrepentem, atque dicentem: vt quid perditio hæc? Poterat enim vnguentum istud venundari multo & dari pauperibus. Et tamen aduersus illum, Maria tacente, eius piam sedulitatem tuetur Dominus. Tu ergo tace, & Dominus pugnabit pro te. Hac doctrina instructus Iob dicebat capite tertio. Nonne dissimulaui? Nonne silui? Nonne quieui? Quasi diceret: Nonne dissimulaui iniurias mihi illatas non eas vindicando? Nonne silui opprobria pro opprobrijs nó respódendo? Nonne quieui alios non molestia afficiendo? Discamus igitur à Magdalena taciturnitatem, si sapere cupimus. Quam plures vidi (inquit Ambros.) loquendo peccatum incidisse, vix quenquam tacendo. Ideoque tacere nosse difficilius est, quá loqui. Scio loqui plerosque, cum tacere nesciant. Rarum est tacere quenquam, cum sibi loqui nihil prosit: Sapiens est ergo qui nouit tacere. Et idem: silendi patientia, opportunitas loquendi, & cótemptus diuitiarum, sunt maxima fundamenta virtutum. ¶ *Hic si esset propheta sciret vtique, qualis est mulier quæ tágit eum.* Pharisæe erras, stercora contingunt, sed non inquinant solem. Medicú cum tangit vulnera putredo nó polluit. Iudicem quanuis tangat reus maculare

Christus aduocatus est tacentium.

Exod. 14.

Marc. 14.

Iob 3. Gloss.

Bonau. de doct. cord. c. 6.
D. Ambr. lib. 1. de off.

Ambr. ibi.

A non potest. Sic peccator cum dolet cum supplicat, cum tangit Deum, non ipsum sordidat: sed ipse & peccato caret omni, & rapit subito sanctitatem.

¶ *Duo debitores erant cuidam fæneratori.* Obserua quod in sacra Scriptura duo sunt genera parabolarum: aliud quod argumentum sumit à similibus. Per similitudinem enim explicare & significare solet Spiritus sanctus mysteria cœlestia. Quemadmodum rethores, persuadere aliquid volentes, vtuntur huiusmodi dialecticorum regula: sicut illud,

B ita & illud. Huius generis sunt parabolæ septem, quas refert Matth. c. 13. parabolæ scilicet de zizania, de sinapi & fermento, de thesauro abscondito in agro, de sagena, de rege rationem ponente cú seruis suis, &c. Huius ergo generis est parabola, quam modo assumit saluator contra Simonem istum: qui despiciebat nó solum pœnitentem mulierem peccatricem, sed etiam reprehendebat Dominú eam suscipientem. Est autem hæc parabola de fœneratore, cui duo erant debi-

C tores, & cum donasset debitum vtrisque plus est ab eo dilectus cui plus donauit. Ex qua concluditur Mariam plus dilexisse Christum: per quem nouerat plura sibi remissa esse peccata, cui auté minus remittitur minus diligit. Aliud est genus parabolarum procedens per dissimilitudinem: arguméto sumpto per locú à minus inesse ad magis inesse affirmádo: aut à magis inesse, ad minus inesse, negando: secúdum has regulas: si hoc, quáto magis & hoc: aut si non illud, quáto minus istud. Huius generis sunt parabo-

D læ de iniquo iudice, de petente tres panes, de villicó iniquitatis, &c. De quibus suis locis dicemus.

¶ *Aquá pedibus meis non dedisti.* Mos erat Iudæis ante prandium pedes lauare & ideo Christus reprehendit Simonem in hoc loco. 1. Tim. 1. D. Paul. laudat viduá quæ sanctorú pedes lauat. Et Genesis. 18. Abrahá ait Angelis: lauétur pedes vestri. Hinc fuit quod Christus cœna facta. i. parata lauit pedes suorú. ¶ *Aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, &c.* Solent homi-

Duo genera parabolarum in sacra Scriptura.

Matth. 13.

Infra 18. & 11. & 16.
Dei. lib. 3. c. 3.
Mos erat Iudæis ante prandiú pedes lauare.
1 Tim. 1.
Gen. 18.
Ioan 13.

homines circumstantias bonorum operum suorum Deo obiectare, ac si ipse nõ eas videat: ieiuno (ait alibi Pharisæus) bis in sabbato, decimas do omnium quę possideo. Cum tamen ipse Deus nihil horum omittat: & per singula laudet. Non considerauit hæc sancta peccatrix sui operis substantiam, aut qualitatem, quæ tamen singula Christus pharisæo enumerat, & quod similia nõ fecerit arguit. Aquam (inquit) pedibus meis non dedisti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos. Sic etiam Genes. 22. non solũ Dominus obedientiam Abrahæ, quando tentauit eum commendat, sed tanti facit: vt nomen quo laudet nõ inueniat. Non dicit, quia voluisti immolare filiũ mei causa, sed quia fecisti rẽ hanc. Quã quæso Domine? Non inuenio nomen, operi dignum. Et non pepercisti vnico filio tuo. Quia ille ista pertransierat ne impedirent, Deus recordatur vt remuneret. Oleaster. Gen. 22.

Inf. 18.

Mos est Dei omnia bona opera iustorũ cum suis omnibus circunstantijs ponderare & laudare.

Gen. 22.

Oleaster.

¶ *Aquam pedibus meis non dedisti: hæc autẽ lachrymis rigauit pedes meos. Osculum mihi non dedisti, hæc autem ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos.* Non temere (inquit Bern.) assurgat anima ad os serenissimi sponsi, sed ad pedes serenissimi Domini mecũ pauida iaceat, & cũ publicano terram tremens non cœlum aspiciat. Non tibi ô quæcunque es talis anima, ille locus vilis, aut despicabilis videatur. Vbi hæc sancta peccatrix peccata deposuit, induit sanctitatem. Ibi AEthiopissa mutauit pellem, & in nouum restituta candorem. Iam tunc fiducialiter, veraciterque respondebat, exprobrantibus sibi verbum, Nigra sum, sed formosa, filiæ Hierusalem. Miraris qua nam id arte potuerit, vel quibus obtinuerit meritis? Paucis accipe. Fleuit amare, & de intimis visceribus longa suspiria trahens salutaribus intra se succussa singultibus, felleos humores euomuit. Cælestis medicus celeriter subuenit: quia velociter currit sermo eius. Viuus est enim sermo Dei & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti: pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus, compagum quoque

D. Bern. De osculo pedis & manus & oris Domini. Hoc est de triplici animæ profectu.

Can. 1.

Psal. 147.

Heb. 4.

A ac medullarum, & discretor cogitationum. Huius ergo beatæ pœnitentis exẽplo prosternere, & tu o misera, vt delicias esse misera, prosternere tu in terrã; amplectere pedes, placa osculis, riga lachrymis, quibus tamen nõ illum laues, sed te, & fias vna de grege tonsarũ, quæ ascendunt de lauacro: ita sanè vt suffusum pudore ac mœrore vultum, non antea sustollere audeas, quam audias & ipsa, dimittuntur tibi peccata tua: quam audias cõsurge cõsurge captiua filia Siõ
B consurge, excutere de puluere. ¶ Sumpto itaque ad pedes primo osculo, osculũ ad manum accipies. Post acceptã enim remissionem peccatorum: dignos facies fructus pœnitentiæ, hoc est, opera pietatis exerce. Sanè accipiendo hoc donum osculare manum: hoc est, nõ tibi, sed nomini eius da gloriam. Da semel, & da iterum, tum pro donatis criminibus, tũ pro collatis virtutibus. Quod si hæc feceris, iam summum illud quodcũque est summæ dignationis & miræ suauitatis osculum credo non negabitur sic affecto.
C Hæc via: hic ordo. Primò ad pedes procidimus, & ploramus coram Domino, qui fecit nos, ea quæ fecimus nos. Secũdo manum quærimus subleuantis & roborantis genua dissoluta. ¶ Postremo cũ ista multis precibus & lachrymis obtinemus, tum demum audemus forsitan ad ipsum os gloriæ caput attollere (pauens & tremens dico) non solum speculandum, sed etiam osculandum: quia spiritus ante faciem nostram Christus Dominus: cui adhærentes in osculo sancto, vnus spiritus ipsius dignatione efficimur.
D Tibi Domine Iesu; tibi meritò dixit cor meum, exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. Nempe auditam fecisti mihi manè misericordiam tuam, cum iacenti primũm in puluere, tuaque deosculanti reuerenda vestigia, quod malè vixeram remisisti. Porro in progressu diei lætificasti animã serui tui, cum deinde in osculo manus etiã benè viuendi gratiam indulsisti. Et nũc quid restat ô bone Domine, nisi vt iam in plenitudine lucis, in feruore spiritus, ad oris quoque osculum dignanter admittens,

Christus aduocatus est sanctorum.

De osculo manus.

Psalm. 94.

De osculo oris.

D. Ambr. lib. 1. de ...

Psalm. 26.

Ambr. lib.

mittens,

mittens, adimpleas me lætitia cum vultu tuo. Indica mihi ô suauissime, ô serenissime, indica mihi vbi pascis, vbi cubas in meridie. Lege D. Bernar. sermo. 3. & 4. super cantica. Vbi ad longũ de his tribus osculis edisserit. Cæterum certa res est, atque nobis omnibus comperta: hanc sanctam mulierem triplicem hûc animæ profectum, sub nomine triũ osculorum significatum, habuisse. Primò osculata est pedes Domini, cum humiliata, peccata sua defleuit: deinde osculata est manus eius, gratias & agendo pro tantis muneribus ab eo acceptis: cõsuetudinem hominum secuta: qui solent offensorum Dominorum osculari pedes, cum ab ipsis veniam petunt, manus verò cum ab eis munus accipiunt. Tandẽ osculata est os eius, cum in vasta solitudine vitam agens: Deum inter angelorum choros sæpe sæpius cõtemplata est.

Psalm. 25. Can. 1.

¶ *Hac autem vnguento vnxit pedes meos.* Sunt multi qui quàm primùm peccatum reliquerint, statim se omnino mũdos arbitrantur, parùm curantes an malus peccatorum odor adhuc in eis perseueret. Audi quid de Magdalena beatus dicat Abbas in sermone de Magdalena. Interstitij, inquit, morositas inter pedes debet esse & caput: quia profectò difficillimus & præsumptuosus saltus est, à vestigijs ad verticem Domini transuolare. Neque enim eadem quæ vnxit pedes vnxit & caput, cum illa meretrix nihil horum fecisse legatur. Secundum illud Prouer. 12. verte impios & non erunt. Vngit ergo Maria sanctum Domini verticem profectò iam electa, iam familiaris effecta, longèque à peccatricis illius obuoluta vestigijs, quàm infœlix ille septenarius confundebat. Leuit. enim. 15. dicitur, quod si mundus fuerit fluens à fluxu suo, numerabit sibi septem dies. Qui locus docet non statim peccatoré se mundum arbitrari, sed tempus statutum spectare & curare an malus peccatorum odor adhuc in eo perseueret.

Non solũ peccator debet peccatum relinquere, sed curare ne odor peccatorũ in eo perseueret. D. Ber. ser. de Magda. Prou. 12. Leuit. 15. Figura.

¶ *Hac autem vnguento vngit pedes meos.* Vnguentum illud pietatis imaginẽ refert. Tunc pietas vngit pedes Christi cum pauperes laborantes, cum fide-

Vnguentum pietatem significat.

A les afflictos reficit. Cæterùm lege si vis apud Guillermum Parisiensem, tom. 1. innumeras laudes pietatis.

¶ *Remittuntur ei peccata multa.* Genesis. 2. dictum est Adæ, in die quo comederis ex eo morte morieris. Mirum valde videtur, quod tã leue (vt videtur) Adæ delictum, tam grauis sequatur pœna. Cum videamus alia multa grauissima delicta parua pœnitentia condonari: quemadmodũ in Magdalena hodie, & in Dauid, & in latrone videmus. Quo B nos vult Dominus docere, vitandam esse cum præsumptione desperationem. In punitione graui Adæ, docuit nullũ peccatum in eum commissum esse leue: in condonatione verò grauium, nullo modo esse desperandum. Omnia etiam leuia grauissimè punit, & omnia etiam grauissima facillimè condonat. Quis nõ timebit peccata quæ fecit, cum videat leuissimum vt videtur peccatum, tanta seueritate puniri? Quis autem desperabit, videns tam grauia, tanta celeritate condonari? ¶ *Remittũtur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Græca le-C ctio sic habet, ἀφέωνται αἱ ἁμαρτίαι αὐτῆς αἱ πολλαί, ὅτι ἠγάπησεν πολύ. Græcè, ὅτι, idẽ est quod Latinè, quòd, quoniam, quamobrem. Quarè sic verti potest locus iste. *Remittũtur ei peccata multa quamobrem dilexit multum.* Sicque concludit Christus suo ordine atq; applicat parabolam. Quod si quis ad hunc modum vertat. *Remittuntur ei peccata multa, quòd dilexit multum.* Subaudiendum est aliquid de more scripturæ: adhunc modum. *Remittuntur ei peccata multa.* Subaudi vnde factũ est, *quòd di-D lexit multũ.* Sic Psal. 139. & in libro tuo omnes scribẽtur dies formabũtur, & nemo in eis. Vbi dies, est in accusatino pluralis, vt constat ex Græco, ἡμέρας πλάσθησονται, καὶ οὐθεὶς ἐν αὐτοῖς. Id est, per dies formabuntur homines, & nemo erit formatus in eis qui non sit scriptus in libro tuo. Sic etiam Psal. 44. Sagittæ tuæ acutæ (populi sub te cadent) in corda inimicorum regis. Subaudi infigentur: Sic Marc. c. 16. dicitur: & valde manu vna

Gen. 2. Quare Deus leuia grauiter punit & grauia facilè condonat. Nota.

sabbatorum (cum adhuc tenebræ essent, addit Lucas) orto iam sole venit Maria Magdalena ad monumentum. Vbi supplenda est copulatiua, & in hunc modũ, valde mane & orto iam sole venit Maria. Bis enim venit & cum adhuc tenebræ essent, & orto sole: sic modo ait ergo Dominus: dimittũtur ei peccata multa, ex quo factum est, quòd dilexit multum, siue quod dilexerit multum, vel quod diligat multum. Apud Hebræos enim, vt sæpe admonuimus vnum tempus pro alio sumitur. Sic sumitur præteritum pro præsenti cum Dominus dixit Magdalenæ existimanti non amplius se visuram Domino: noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem, id est, nondum ascendo. Sic etiam sumi potest præteritum pro futuro loco Paulo ante explicato, & valde mane vna sabbatorum orto iam sole venit Maria ad monumentum, id est, iam iam orituro sole. Si autẽ vertas vt nostra æditio habet: adhuc idẽ sensus educi potest. Nam particula, *quoniam*, aliquando vsurpatur pro, *ideo*. Sic aliqui explicant locum illũ psalmi: ego clamaui, quoniam exaudisti me Deus, id est, ideoque exaudisti me Deus. Vult ergo Dominus dicere. Quòd Magdalenæ sunt multa debita, hoc est, peccata dimissa. Quapropter, quasi pro tanto beneficio grata, maximo amore Christum prosecuta est. Atque ad hunc modũ explicando locum istum, omnia sibi consonant. ¶ *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Si autẽ huius loci communem Doctorum sensum prosequamur: multa nobis hic dicenda occurrunt. ¶ Primũ obserua, peccatũ in scriptura sacra bifariam accipi: vno modo pro pœna criminibus debita: alio modo pro culpa. Quod enim peccati vox pro pœna peccati vsurpetur, illa demõstrant, nõ ego operor illud: sed quod habitat in me peccatum. Et rursum: sancta ergo est & salubris cogitatio pro defunctis exorare: vt à peccatis soluantur. Vbi pœnas purgatorias pro culpis debitas, peccata sine dubio appellauit. Simile est illud: peccata tua eleemosynis redime. Pœnas autem Daniel pecunia redimendas existimabat: nam culpas aut pœnitentia diluit, aut certè sine argento gratia resoluit. Sine pretio enim remittitur culpa, quanuis non sine dispositione. Ad hunc ergo modum & ad hũc sensum accipiendo peccatum, explicant aliqui hunc locum, & doctè quidem. Remittuntur, inquit, ei peccata multa, quoniam dilexit multũ. Quo loco multorum peccatorũ pœnas (aiunt isti) multa Dominus peccata vocat. Nam culpas antè fuisse remissas, qui superiores lachrymas considerauerit, is vocare in dubium non poterit. Et quæ dilexerat, & ingemuerat, ea certè culparum veniam fuerat consecuta. Sed cui in præsenti dicitur, remittuntur tibi peccata, vade in pace, ei plenissima indulgentia conceditur, omniumque pœnarum persolutio. In pœnis verò locum habet, vt maiori dilectioni maior remissio pœnæ respondeat, minorique etiam minor: nam culpæ, vel simul remittũtur omnes, vel nullæ. ¶ Alio modo idque proprisimè peccatum pro culpa vsurpatur: neq; huius rei exẽpla ponere necesse habemus, cum passim innumera occurrant. 2. Corinth. 4. eum qui non nouerat peccatũ, id est, culpam, pro nobis peccatũ fecit, id est, peccati nostri expiationem victimam & piacularem hostiam fecit. Appellat enim primo loco peccatũ culpã, & in secũdo hostiam pro culpa. Sic etiã accipitur. Oseæ. 4. peccata populi mei comedent, id est, hostiam oblatam pro peccato. Primò ergo in loco peccatum pro culpa sumitur. Quo pacto etiam in hoc loco accipi & merito quidem, potest. Affirmat ergo Christus prædictis verbis, illi remissas fuisse multas culpas, quoniam dilexit multũ. Est enim amor, ignis verus omnem peccatorum rubiginem consumens. Quo grauius peccauit Magdalena, hoc sibi magis displicuit, Ac Christum cuius gratuita clementia liberata est à peccatis, vehemẽtius amauit. Cæterum quid ex ista explicatione colligatur audi in sequenti consideratione.

¶ *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ex hac Christi doctrina

Ioan. 20. Psalm. 16. Peccatũ bifariam accipitur in sacra Scriptura. Rom. 7. 2. Mac. 12. Dan. 4. 2. Cor. 4. Oseæ. 4.

ctrina apertè colligunt Doctores sancti definiuntque patres in Concilio Tridétino congregati, dilectionem Dei esse dispositionem ad iustitiam, remissionéque peccatorum. Cum enim Magdalenæ Christus dixit, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, ostédit profectò dilectione Dei se disposuisse ad iustitiam. Non enim eius dilectio alio modo quàm vt dispositio, causa potuit esse remissionum peccatorum. ¶ Et cum alias discipulis suis dixit: si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eũ veniemus & mansionem apud eum faciemus, apertè indicauit, dilectioné sui esse causam, vt à patre & ab ipso diligamur, & vt ad nos veniant, & mansionem apud nos faciant per gratiam, & vt tandem se nobis manifestent. ¶ Hoc idem Paulus nobis significauit illis verbis. In Christo Iesu, neque circuncisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur. Ideo namque fidem per charitatem operantem, valoris alicuius apud Christũ Iesum asseruit, quia fides tunc viuificat hominem, cum ei adiungitur dilectio. Nam si posset viuificare peccatorem fides sine dilectione, & dilectio dispositio ad iustitiam nõ esset, valeret aliquid apud Christum etiam illa fides, quæ non operatur per charitatem. Lege D. August. Epist. 106. & 21. de Ciuit. c. 26. & D. Bernar. serm. 24. super Can. quibus adiecit calculum suum Innocentius. 3. Absolutè affirmans non nisi per charitatem, & in charitate crimina dimitti. Quod si per charitatem, & in charitate crimina dimittuntur, est ergo & dilectio Dei dispositio ad obtinendũ remissionem peccatorum. Et si pœnitétia, & propositum seruandi mandata diuina, dispositiones sunt ad iustitiam, vt Doctores fatentur, erit & dilectio Dei. Quandoquidem & hæc, dilectio quædã Dei sunt, aut certè non sunt sine illa.

Dilectio Dei est dispositio ad gratiam & remissionem peccatorum.

2. Testam. Ioan. 14.

3. Test. Galat. 5. & 6.

D. Aug. D. Bern.

c. maiores, lib. de baptismo, & eius esse.

¶ Ex his firmare possumus, dilectionem Dei super omnia, dispositionem esse ad iustitiam assequendam. Cum enim per multæ dilectiones Dei possint esse, ac verè sint in peccatoribus, quæ non sufficiunt ad producẽdum eos ad iustitiam, non est credendum minoribus dilectionibus attribui remissionem peccatorum. Et cui alij dilectioni imputat Christus remissionem multorum peccatorum Magdalenæ? Equidem dilectio multa, dilectio est Dei super omnia, neque dilexisset illa multum, nisi dilexisset Deum super omnia. Et dilectio est super omnia, quæ causa esse potest obseruantiæ sermonum Christi, & aduentus patris & filij ad nos. Quare necesse est verba Christi pauloante citata, si quis diligit me sermonem meum seruabit, de huiusmodi dilectione interpretari, & eam fateri dispositionem esse ad iustitiam, & ex consequenti gratiam gratum facientem antecedere. ¶ Sed ais, quid ergo sibi vult Paulus cũ dicit: charitatem Dei diffundi in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis? Si est dilectio Dei super omnia in nobis ante gratiam gratum facientem, erit & ante illapsum gratificum, & non per Spiritum sanctum illa nobis diffundetur, sed causa potius erit, vt nobis ille donetur. Quod quidem aduersatur Gregorio dicenti: qui ergo mente integra Deũ desiderat, profectò iam habet quẽ amat. Posset ne quisquam Deum diligere, si eum quem diligit non haberet? D. August. etiam tracta. 75. in Ioannem in eundem sensum dicit. Quomodo diligimus, vt Spiritum sanctum accipiamus: quem nisi habeamus diligere non valemus? Verum hæc facile est diluere. Multa nobis communicat & impartitur Spiritus sanctus ante suum illapsum gratificum. Et dum ad dilectionem Dei adiuuat: iam aliquo modo eum intra nos habemus nobis cooperantem, & nostram infirmitatem adiuuantem. Gratiam verò gratis datam ad huiusmodi dilectionem necessariam nõ negamus. Bona voluntas qua diligitur Deus, in homine non potest esse, ait Augustinus, nisi in quo operatur, & velle. ¶ Adhuc tamen vrgeri possumus, quia Ioannes dicit. In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos. Si enim dilectio ipsius nostram ante-

Dilectio Dei super omnia dispositio est ad gratiã.

Dilectio multa dilectio est Dei super omnia.

Obiect. 1.

Greg. ho. 30 in Euã.

D. Aug.

Obiect. 2. 1. Ioan. 4.

antecedit, prius igitur ipse nos iustificat, quàm nos eum diligamus, quia non diligit non iustificatos. At hæc, Ioannes non dicit de dilectione qua nos Deus iustificat, sed de dilectione qua pater misericordiarum ante omnia nostra merita, & ante omnem dilectionem nostrã nos ita amauit, vt filium suum ad nos redimẽdum mittere decreuerit. Vnde & statim adiunxit. Et misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. ¶ Secũdò respõdemus, quod prior est dilectio, qua Deus adiuuare nos vult, ad se diligẽdum, quàm dilectio nostra, prior etiã est dilectione nostra, dilectio, qua ab æterno voluit Deus iustificare, quẽmcũque iustificat: sed prior est dilectio nostra, quã illa Dei æterna dilectio habeat actum in nobis sibi respondentem, hoc est, iustificationem nostram. Quemadmodum cum Deus auget nobis gratiã, propter nostram in illum dilectionem, aut tandem largitur beatitudinem, & prius ad se sic diligendum nos iuuat, sed prior est nostra dilectio augmento gratiæ, & collatione beatitudinis, ità prorsus cum nos iustificat, quia nos eum diligimus, prior est nostra dilectio iustificatione nostra, licet non sit prior voluntate iustificandi nos: neque prior auxilio Dei communicato nobis ad ipsum diligendum. ¶ Verum illud superest inquiramus, an hæc dilectio Dei connumerãda veniat inter dispositiones necessarias ad iustificationem. Qua in re illud pro certo definimus. dilectionem Dei necessariam esse ad nostram iustificationem. Vt omnes Theologici tractatores confitentur. Quorum doctrina confirmata non solum est ab Augustino, & Bernardo superius citatis. Sed à Concilio Tridentino statuente, necessarium esse Spiritus sancti auxilium, vt diligamus Deũ sicut oportet, vt iustificationis gratia nobis conferatur. Non tamen perinde certum est, & incontrouersum, qualis, & quanta debeat esse hæc dilectio Dei, quã necessariam esse affirmamus ad iustificationem nostram. Sed cum diuinæ in nos miserationis viscera attentius aliqui secum perpendunt, tuto, & indubitanter

Resp. 1.

Resp 2.

An dilectio Dei super omnia sit dispositio necessaria ad gratiam.

Ses. 6. can. 3.

Quæ dilectio Dei sufficiat, vt quis dignè præparetur ad gratiam.

A affirmare audent, eam Dei dilectionem, ad gratiam, necessariam esse, & sufficere, quæ satis est, vt de lætalibus eius offensis doleamus, & mandata ipsius seruare proponamus. Quod colligi putant, ex verbis Christi. Si quis diligit me, sermonẽ meum seruabit, & pater meus diliget eũ, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Hæc verba palam indicare videtur, illam dilectionem Christi satis esse, vt diligamur à patre cœlesti, & in ipsius gratia simus, quæ satis est, vt sermonem illius seruemus. Et quidem talis B omnis dilectio (inquiunt isti) actu vel virtute est dilectio Dei super omnia. Quia qui omnia ipsius mandata seruare proponit, nimirum Deum super omnia, & illum omnibus antefert. Sed verbum hoc, super omnia, in doctoribus antiquis non legitur, cum exigunt amorem Dei ad iustificationem. Et siue sit ea dilectio, dilectio Dei super omnia, siue non, parũ referre aiũt isti, modo sciamus hoc quod planissimum est, quodq; omnibus potest securè tradi, sufficere ad iustitiam diligere Deum sic, vt de ipsius offensis doleamus & mandata illius velimus seruare. ¶ *Remittitur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ex isto loco probare contendunt aliqui Theologici tractatores dilectionem Dei, sine aliqua formali & expressa pœnitentia posse peccata dimittere. Nam si causa remissionis peccatorum (vt in hoc loco apparet) est amor, ille per se solus sufficiet. Sed non vident isti, neq; considerant: quòd prius Euangelista narrauerit pœnitentiam huius peccatricis, prius, inquam, tradiderit D lachrymas eius, quas effudit super pedes Domini. Quare certa res esse debet, sine animi dolore impiũ non iustificari. Hoc enim tanquam medium necessarium ad animi salutem, vbique gentium postulatur à Domino. Act. 3. pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra. Ezech. 18. Si impius egerit pœnitẽtiam ab omnibus peccatis suis, vita viuet & non morietur. Non proponitur aliud peccatori medium. Vnde, cap. firmiter. de summa Trinita. dicitur. Si quis post baptismum prolapsus fuerit in peccatum:

Ioan. 14.

Vega.

An sola charitas sine pœnitentia sit causa nostræ iustificationis.

Act. 3.

Ezech. 18.

c. Firmiter.

tam: per veram semper potest pœnitentiam reparari. Apoc.cap.2. Memor esto vnde excideris,& age pœnitentiam, sin autem veniam tibi cito,& mouebo candelabrum tuum de loco suo. Apostolus etiam ad Ephes. 4. & ad Col. 3. Vos autẽ non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis (sicut est veritas in Iesu) deponite vos veterẽ hominem, scilicet per odium peccati: & induite nouum, scilicet, per amorem boni. Eccles. 21. Fili peccasti non adijcias iterum, sed de pristinis precare, vt tibi dimittantur. Quæ tractat D. August. 1. lib. de nup. & concupis. c. 26. Lucæ. c. 5. etiã ait Dominus: nõ egent qui sani sunt medico: sed qui male habent: non enim veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Et cap. 15. gaudium erit super vno peccatore pœnitentiam agẽti. Hoc idem definitur Concil. Trid. sess. 6. c. 14. Ioelis. c. 2. etiam ait Dominus. Conuertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio, & fletu, & plantu, & scindite corda vestra, &c. Conuertimini ad Dominum, quia benignus & misericors est, & præstabilis super malitia. Isai. 56. ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, contritum corde, & tremẽtem sermonẽ meũ? Luc. etiam. cap. 13. ait Dominus nisi pœnitentiam habueritis omnes similiter peribitis. Neque opus est afferre in hanc rem testimonia sanctorum quę plurima sunt: satis est illud celebre testimonium. D. August. quicunque suæ voluntatis arbiter est nouam vitam inchoare non potest, nisi veteris pœniteat. Vid. Roffensem, art. 5. & de pœn. dist. 1. Si ergo vbique Dominus à peccatore exigit virtutem hanc pœnitentiæ: non est quare dicamus per solam charitatem aliquem posse iustificari. Vtrumque ergo necessariũ est in peccatore, & diligere & dolere: neque vnũ sine altero acceptat Dominus: neque vnum absque altero in hac peccatrice inuentum est: neque inueniri potest, si peccator iustificari vult. Vtrumque enim est medium necessarium, sine quo finis consequi non potest: quemadmodũ spes & baptismus. Quare ad prouidentiam Dei expectat facienti quod in se est, suggerere pœnitentiam, vtpote medium necessarium ad salutem. Verũ est quod ignorantia in eiusmodi medijs excusat ne homo peccet, non tamen iustificabitur sine illis. Quare non admittendum est posse peccatorem exire in dilectionem Dei super omnia sine pœnitentia, neque eum posse suis viribus sine Dei speciali auxilio, talem actionem elicere. ¶ *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Quod remissa fuerint ei peccata multa, quòd dilexerit multũ, quod ad pedes Domini confessa fuerit omnia sua scelera, opus Dei fuit, gratia Dei fuit, magnificentia Dei fuit. D. August. explicans illud Psalmi, confessio & magnificentia opus eius, sic ait. Quid magnificentius, quàm iustificare impium? Sed opus fortasse hominis pręuenit istam magnificentiam Dei: vt cũ fuerit peccata confessus iustificari mereatur. Descendit enim de templo iustificatus Publicanus, magis quàm ille Pharisæus: quia neque oculos audebat ad cælũ leuare, sed percutiebat pectus suũ dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Hæc est magnificentia Domini: iustificatio peccatoris: quoniam qui se humiliat exaltabitur, & qui se exaltat humiliabitur. Hæc est enim magnificentia Domini: quoniam cui plurimum dimittitur: plurimum diligit. Hæc magnificẽtia Domini: quoniam vbi abũdauit peccatum: superabũdauit & gratia. Sed fortasse ex operibus. Non, inquit, ex operibus: ne forte quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum: creati in Christo in operibus bonis. Iustitiam enim homo non operatur, nisi iustificatus. Credens autem in eum qui iustificat impiũ: à fide incipit: vt bona opera non præcedentia, quod meruit: sed consequentia quod accepit, ostendant. Vnde ergo illa confessio? Nondum quidem opus est iustitiæ: sed delicti improbatio. Sed quo modo se habeat nec in ipsa de te homo glorieris: vt qui gloriatur in Domino glorietur. Quid autem habes quod non accepisti? Non ergo sola magnificentia qua iustificatur impius, sed & confessio & magnificentia opus eius. Hæc Augustinus.

Apoc. c. 2. Ad Ephes. 4. Colos. 3. Eccl. 21. D. August. Luc. 5. Luc. 15. Con. Tri. Ioel. 2. Isai 56. Luc. 13. D. Aug. Roffens. Conc.

Iustificatio impij opus Dei est. D. Aug. Psal. 110. Exponitur locus Psalmi. Luc. 18. Ibidem. Rom. 5. Ephes. 2. Rom. 4. 1. Cor. 1. 1. Cor. 4.

ſtinus. Improbatio ergo delicti & dilectio Dei ſuper omnia, & iuſtificatio opus Dei ſunt.

¶ *Quoniam dilexit multum*. Obſeruã obſecro & alta mente conſidera quod ſi Dominus de hac peccatrice ait, quando primò conuerſa eſt: dilexit multum: & quando in virtute proficiebat, Maria optimam partem elexit: quid quæſo diceret quando perfecta & omnibus numeris abſoluta fuit? Quando in ſolitudinẽ ducta colloquebatur cum angelis, verſabatur in cælis, ore ad os loquebatur cũ dilecto ſuo?

Inſpiciamus hoc exemplar pœnitentiæ ſi audire volumus remittuntur tibi peccata tua.

¶ *Remittuntur tibi peccata tua*. Si ergo tu peccator hoc idem audire deſideras, inſpice & fac ſecundum exemplar quod tibi in hoc loco à Domino monſtratum eſt. En vides quàm breui temporis momento peccatrix iſta omnia probra diluit. Quin & calumniantibus Iudæis, quòd illam admiſiſſet tantamque præbuiſſet fiduciam, Chriſtus illis quidem ſilentium impoſuit, hanc verò malis omnibus liberatam, comprobatoque illius ſtudio, ita domum remiſit dicens: remittuntur tibi peccata tua, vade in pace. Quid ita tandem? Quoniam feruenti animo, & flagranti corde, ardentique acceſsit fide, ſanctoſque illos ac ſacros attigit pedes, ſolutis capillis, fontibus lachrymarum ex oculis emiſsis, vnguẽto profuſo. Etenim per quæ deceperat homines (vt ſuperius diximus) per eadem parauit remedia pœnitentiæ: per quæ auocarat oculos intemperantium, per hæc emiſit lachrymas: per capillos arte compoſitos multos illexerat ad peccatum, per eoſdẽ, pedes abſterſit Ieſu. Vnguento multos ineſcarat: per hoc pedes illius lauit. Pro inde tu ſi audire vis, remittuntur tibi peccata tua, quibus rebus prouocaſti Deum, per has rurſum facito propitium. Prouocaſti illum pecuniarum rapina, per eaſdem illum reconcilia, quumque & rapta reſtitueris illis quos iniuria affeceras, & alia inſuper addideris, dicito iuxta Zachæum: reddo ſi quid rapui, quadruplum. Prouocaſti linguæ maledicentia, multis contumelia affectis: viciſsim lingua placato, puras emittens preces, benedicens maledicentibus, laudans vituperantes, gratias agẽs injuriam inferentibus. Hæc non egent multis diebus annis ve, ſed ſolo animi propoſito. Vnico die perficiuntur. Diſce de à malo, virtutem amplectere, deſiſte à prauitate. Lege D. Chryſoſt. in oratione de beato Philogonio. tom. 3.

Nota. Cum multæ virtutes conueniãt ad remiſsionẽ peccatorũ ſingulis tribuitur talis remiſsio.

¶ *Fides tua te ſaluam fecit*. Cum in vera pœnitentia inueniantur ſimul fides, ſpes, amor, dolor, propoſitum ſeruandi mandata, atque alia quæ ſuperius explicuimus: hinc eſt quod Dominus in ſcriptura ſacra ſingulis ſalutem & remiſsionem peccatorum tribuit. Fides, inquit, tua te ſaluam fecit. Spe ſalui facti ſumus ait Paulus: remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum: pœnitemini, & conuertimini vt deleantur peccata veſtra. Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata. ¶ *Fides tua te ſaluam fecit*. Fœlix ac nimium fœlix hæc mulier, quam Dominus tanto amore proſecuta eſt: vt illã ſeruauerit, atque in ſponſam duxerit. Si videris in numero captiuorum (ait Dominus Deut. 21.) mulierem pulchram, & adamaueris eam, voluerisque habere vxorem: introduces eam in domum tuã. Quæ radet cęſariem, & circuncidet vngues, & deponet veſtẽ in qua capta eſt: Sedenſque in domo tua flebit patrem & matrem ſuam, & poſtea erit vxor tua. Chriſtus Dominus victor eſt. Qui in hunc mundum egreſſus eſt in ſalutẽ populi ſui. Egreſſus, inquã, eſt fortiſsimus iſte armatus, vt adoriatur diabolum: & armis armatum vinceret: domum ipſo profligato occuparet. Vidit autem inter animas captiuas hanc peccatricem: pulchram quidem, quod ad imaginem Dei condita eſſet: captiuã tamen, quod multis criminibus multiſque vitiorum generibus inſeruiret. Nam vt D. Ioannes affirmat: qui facit peccatum ſeruus eſt peccati. Hanc igitur Chriſtus hodie charam habuit: hanc in ſuam ſpiritalem ſpõſam elegit: hanc viua ardentique fide aliiſque chariſmatibus adornauit. Prius tamẽ depoſuit veſtes quibus capta fuit: prius, inquam, ad pedes Domini lachrymas fundendo, omnia vitia, omniaque peccata

Rom. 8. c. Acto. 3. Matt. 19. Fœlix Magdalena quam Dominus in ſponſam duxit. Deut. 21. Figura. Ioan. 8.

peccata deposuit. Prius rasit cesariem, & circuncidit vngues, hoc est, superflua omnia posuit: & tandem doluit quod Patrem habuisset diabolum, quod matrem habuisset impiorum consortium & congregationem: & sic sponsa Christi facta, audire meruit: fides tua te saluam fecit.

Vid glos. Deut. 21. Sensum moralem explicante.

CAP. VIII.

Parabola de semine, item sedatur mare.

ET factum est deinceps, et ipse iter faciebat per ciuitates & castella prædicans, et Euangelizans regnum Dei: et duodecim cum illo, & mulieres aliquæ quæ erant curatæ à spiritibus malignis, & infirmitatibus, Maria quæ vocabatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant; et Ioanna vxor Chusæ procuratoris Herodis, & Susanna et aliæ multæ quæ ministrabant ei de facultatibus suis.

Marc. 16.

PEr ciuitates & castella. Vetusti codices habent per ciuitatem & castellum numero singulari, nimirũ Græcis ad verbum redditis, κατὰ πόλιν καὶ κώμην. Verum id perinde valet Græcè ac si dicas. oppidatim & castellatim, id est, per singulas ciuitates & castella. Vnde interpres non perperam mutauit numerum.

Erasmus.

A § *Prædicans & Euangelizans regnum Dei.* En vides impletum quod idem Dominus apud Isaiam, capit. 61. prædixerat de seipso. Spiritus Domini super me. Ad annuntiandum mansuetis misit me, vt mederer contritos corde: & prædicarẽ captiuis indulgentiam, & clausis apertionem, vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo nostro, vt cõsolarer omnes lugentes: vt ponerem fortitudinem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere: oleũ B gaudij pro luctu: pallium laudis pro spiritu meroris. Quod vaticinium superius cap. 4. explicuimus.

Vaticiniũ Isa. impletum. Isai. 61.

§ *Et ipse iter faciebat per ciuitates & castella prædicans & euangelizans regnum Dei: & duodecim cum illo.* More aquilæ (inquit Beda) prouocantis ad volandum pullos suos Dominus pedetentim discipulos suos ad sublimia erigit. Siquidem primùm docet in synagogis, & miracula facit, ex his duodecim quos Apostolos nominat, elegit: ppst modum omnes, prædicãs secum ducit. Vt in hoc C loco narrat D. Lucas. *Et duodecim* (inquit) *cum illo.* Non docentes aũt prædicantes, sed instruẽdi ab eo. Instruit enim Apostolus Dominus, Apostolicosq; cõcionatores, quo pacto prædicare atque euangelizare regnum Dei debeant. Exemplum enim dabat illis, vt quemadmodũ ipse prædicauit, ita & ipsi prædicarent. § Primum ergo munus prædicatoris euãgelici est, per diuersa loca euangelizare regnum Dei: non solum vt plures lucretur, sed vt multa dedicet loca Deo. Ob hanc enim causam Dominus (vt author est Gregorius Nazianzenus) oppidatim D & castellatim prædicabat. Atque in hũc sensum explicat Rupertus illa verba Domini apud Matthæum, cap. 5. quicumq; te (inquit) angariauerit mille passus, vade cum illo alia duo. Hic primùm sciendum, quia mille passus sabbatizantem lex sacra concedit. Quod autem aut qua le esse debet spiritualis viri sabbatum, nisi secreta & quieta meditatio rerum spiritualium? Forte & tu o anima magni Apostoli, siue cuiuscunque viri Apostolici, sabbatizare vis. Expoliasti te tunica tua,

Beda.

Primum munus cõcionatoris euãgelici per diuersa loca prędicare.

Greg. Nazian.

Rupertus supe. Matth. 5.

Cant. 5.

nus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen eius, & vocem quam audiui: sicut citharedorum, citharizantium in citharis suis. In citharis sonantibus delectationis est suauitas: ita promissio gratiæ, pacis, remissionis peccatorum, gloriæ & beatitudinis sempiternæ, denique regni cælestis, quæ voce sanctorum Apostolorum, aliorumque concionatorum fit: bene operantes mulcet: atque maxime delectat. Vide Rupertum lib. 9. in Apocalypsin. ¶ Denique si Euangelicus prędicator es, omnia huius mūdi bona, contemne, & pauperem Christum sequere: non enim tibi deerit, qui tibi necessaria subministret. En vides in hoc loco quomodo mulieres aliquot comitabantur Iesum: & ei, atque discipulis suis ministrabant de facultatibus suis: ne quid deesset rerum necessariarum assidue vagis, & Euangelico negotio dumtaxat intentis.

Rupert.

¶ *Maria quæ vocabatur Magdalena, à qua septem dæmonia exierant.* Certa res est, atque perspicua in sacra Scriptura numerum determinatum pro indeterminato vsurpari: vt inter alios docet Diuus Augustinus, libro tertio, de doctrina Christiana, capite. 35. sicut, septies in die laudem dixi tibi, nihil est aliud, quàm, semper laus eius in ore meo. Et Prouerb. Septies enim cadit iustus & resurget: impij autem corruent in malum. q. d. frequenter discrimini obijcitur, & euadit periculum iustus: vt Psalm. 33. multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus: impij verò primo quoque periculo solent corruere. Vel multoties peccat iustus: emendabit se tamen. Item Genes. quarto, ait Lamech vxoribus suis. Septuplum vltio dabitur de Cain: de Lamech vero septuagies septies, id est, scitote quòd grauissimè punietur à Domino, ille qui Cain interfecerit: multò autem grauius qui me. Quasi diceret (vt aliqui volunt) si Deus affirmauit se grauissimè puniturum eum, qui occiderit Cain: multo magis est eum puniturus, qui me interfecerit, qui neminem occiderim: sed nec vulnerauerim quidem. Vbi vides numerum certum pro incerto poni more Hebræorum. Sic etiam Matthæi. 18. non dico tibi vsque septies: sed vsque septuagies septies. Sic in hoc loco numerus certus pro incerto accipitur cum Euangelista ait: à qua septem dæmonia exierant. Innumera enim vicia ab animo Mariæ exierant, propter amaritudinem & lachrymas eius, vt superiori capite docuimus. Quàm vero solacer habeatur numerus iste septenarius in sacra Scriptura, docet inter alios Diuus Cyprianus, libr. 1. aduersus Iudæos, capit. 20. & in sermone de Spiritu sancto. ¶ Cæterum ex hoc loco probatur in cap. sunt plures. de pœnitentia, distinctione tertia, vnum crimen sine alio non dimitti. Sunt, inquit, plures quos peccasse pœnitet, sed non omnino, reseruantes sibi quædam de quibus delectentur; non animaduertentes Deum simul mutum & surdum à dæmonio liberasse. Per hoc docet nos nunquam nisi de omnibus sanari. Si enim vellet peccata ex parte reseruari, habenti septem dæmonia potuit proficere sex expulsis. Expulit autem septem; vt omnia crimina simul eijcienda doceret. Vide locum.

Numerus certus pro incerto frequēs in sacra Scriptura. Regula. D. Aug. Psal. 118. Prou. 24. Psal. 33. Vatablus Glossa. Gen. 4. Vatablus. Vatablus. Matt. 18. D. Cypr. Vnum peccatum nō dimittitur sine altero. De pœnit. di. 3. D. August. lib. de pœnit. c. 9. Matt. 12.

¶ *Quæ ministrabant ei de facultatibus suis.* Quamuis Diuus Paulus maluit laborare manibus suis, quàm ex alieno viuere. Tamen æquum esse docuit, vt qui seminarent cibum animi spiritualem, ab his, quibus laborarent, subsidio rerum corporalium quoties opus esset subleuarentur. Sed vt hanc liberalitatem Christus doceret, esse oportere non extortam, sed vltroneam, admisit quidem in comitatum suum mulieres aliquot, sed vltro sequentes. Cæterum, nec accersiuit vllam, nec à quoquam aliquid petijsse legitur, quo magis pudefaceret illorum impudentiam, qui cum non laborent Euangelio, tamen Euangelij nomine extorquent ab inuitis, non solum quod satis est ad necessitatem: verum etiam, quod superat ad

ad luxum. Nusquam autem deficiet bonorum spontanea liberalitas eum, qui syncero animo totus est in Euangelico negocio. Ecce hic ait D. Lucas, quod mulieres multæ ministrabant Christo, & duodecim Apostolis de facultatibus suis. ¶ Discant igitur Christiani concionatoribus Euangelicis necessaria subministrare, exemplo istarum mulierum, exemplo etiam Cyri Regis, qui volentibus ædificare templũ Domini, pecunias aliaque dona præbere iussit: vt sacra narrat historia. Sancti enim prædicatores templum Dei verũ, suis concionibus ædificant: quare digni sunt, vt ab omnibus honorentur. ¶ Discant etiam ipsi concionatores non propter pecuniam solum prædicare: ne de illis dicatur, quod Michæas, ait. cap. 3. sacerdotes eius in mercede docebant: & prophetæ eius in pecunia diuinabant. Vide ibi D. Hieronymum. Gloriam igitur Dei & salutem animorum præcipuè quærant: si veri sacerdotes, si Euangelici prædicatores esse volunt.

Admonentur fideles vt prædicatoribus necessaria subministrent. Esdræ. 1. Vid. Bedã ibi lib. 2. Admonentur prædicatores gloriam Dei imprimis quærere. Mich. 3. D. Hiero.

Dominica in sexagesima.

CVM autẽ turba multa conueniret, & de ciuitatibus properarent ad eum: dixit per similitudinem. Exijt qui seminat, seminare semen suũ, & dum seminat, aliud cecidit secus viam, et conculcatum est, et volucres cœli comederunt illud. Et aliud

Matt. 13. Marc. 4.

A *cecidit supra petram: et natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas: et simul exortæ spinæ suffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum.*

B *Hæc dicens clamabat: qui habet aures audiendi audiat. Interrogabant autem eum discipuli eius quæ esset hæc parabola. Quibus ipse dixit. Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis: vt videntes non*

Isai. 6. Matt. 13. Marc. 4. Ioan. 12. Acto. 28.

C *videant, & audientes non intelligant. Est autem hæc parabola, semen est verbum Dei. Qui autem secus viã hi sunt qui audiunt, deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant.*

Rom. 11.

D *Nam qui supra petram: qui cum audierint cum gaudio suscipiunt verbum, et hi radices non habent: quia ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Quod autẽ in spinas cecidit hi sunt qui audierũt, et solicitu-*

Qui.

citudinibus, & diuitijs, et voluptatibus vitæ, euntes suffocantur, & non referunt fructum. Quod autem in bonam terram: hi sunt qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent: et fructum afferunt in patientia.

C*Vm autem turba multa conueniret, & de ciuitatibus properarent ad eum.* Sicut gaudet medicus (inquit Chrysostom.) quãdo eum ægrotantium multitudo prosequitur: sicut lætatur rex, quando eum magni exercitus manus armata circundat: sic exultat sacerdos, quando eum audientium populus magnus auscultat. Et ideò Christus Dominus (vt alius Euangelista narrat) ascendit in nauem, vt audiret eũ populus & videret, & visus delectaret auditum, & auditus visum.

D Chry. ho. 31. in opere imperfecto super Matth.

¶ *Dixit per similitudinem.* E naui igitur velut é Cathedra docebat promiscuam multitudinem, multa illi loquens per inuolucra similitudinum. Obserua hic, quòd mos erat Christi, mysteria cælestia similitudinibus & ænigmatibus prædicare. Quo magis inanimis audientium excitaret discendi studium: & altius insideret animo quod ænigmate fuisset infixum. Illuminaturus dominus cæcum à natiuitate, sputum commiscuit pulueri. Quo facto significare voluit sputum, hoc est, diuinam sapientiam miscendam esse terrenis comparationibus, vt cæcus homo illuminetur. Per ea etiam quæ facta sunt (ait Diuus Paulus) inuisibilia conspiciuntur. Sunt enim visibilia omnia veluti liber in quo legimus inuisibilia mysteria, sunt imagines referentes diuinam imaginem. Sic etiam similitudines quibus Dominus vtebatur erant visibiles figuræ, Dei arcana præ se ferentes & significantes.

Quare Christus similitudinibus vtebatur.

Ioan. 9.

Rom. 1.

¶ *Exijt qui seminat seminare semen suum.* Prædicatores esse agricolas, quorum est agrum Ecclesiæ præparare, & facere sementem diuinam, vel ex hoc loco facilè ostendi poterit. Operemur ergo dilectissimi (ait Diuus Augustinus) in isto agro quod nobis creditum est, nobis datum est, plantare, rigare, arare, sementem facere: sed Dei est incrementum dare. Vt docet Paulus. Ego, inquit, plantaui, apollo rigauit: Deus autem incrementum dedit. Et Paulo post. Dei enim sumus cooperarij, Dei agricultura, Dei ædificatio estis. Et alibi: cooperatores mei estote fratres, & intendite eos qui sic ambulant, sicut habetis formam nostram. Tempus est, operemur, laboremus, quinque illa iuga boum, quæ ille inuitatus in Euangelio dum ad cœnam venire nollet, probare se vellet, dixit, & propterea se à cœna excusauit, quoniam sibi ea, non agriculturæ Dominicæ comparauit: nos ea ipsa quinque iuga in agro Dominico iungamus, terram durissimam sulcis spiritualibus exatemus, semen verbi Dei proijcientes, quascunque spinas malarum cupiditatum inueniremus, euellamus, eradicemus, diuino igne succendamus, vt in tali opere laborantes, à vero patre familiâ mercedem recipiamus condignam. Sed ais, quæ sunt illa quinque iuga boum? Quinque sensus corporis sunt, &c. Et ista quinque iuga terram versant, quando suis officijs deseruientes, animum carnemque peractam, aut vberes fructus si eos cælestis infuderit, aut aridas spinas si sicca terra remanserit, & eorum opus in posterum subsequetur. Lege Augustinum in sermone de quarta feria, cap. 11.

Prædicator agricola appellatur & quare. Vi. Brunonem super Epist. Pau. 1. Corint. 9. Aug. ser. de 4. fer. 1. Cor. 3.

Phi. 3.

D. August. tom. 9.

¶ *Semen suum.* Explicat Dominus quid per semen intelligatur. *Semen*, inquit, *est verbum Dei.* In Scriptura sacra verbum Dei, nunc ros, nunc pluuia, nunc imber, nunc laqueus, nunc tuba, nunc thesaurus vocatur. Deuteronomij capite trigesimo secundo, ait Moyses, imo per ipsum Moysem Dñs. Audiat terra verba oris mei. Crescat in pluuiam

Verbum Dei multis comparatur in sacra Scriptura. Deut. 32.

doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum, Et Ecclesiasticus. Et ipse, inquit, tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ. Amos vero ait: nunquid cadet auis in laqueum terræ, absque aucupe? Nunquid auferetur laqueus de terra antequam quid cæperit? Si clanget tuba in ciuitate, & populus non expauescet. Comparat propheta verbum Dei laqueo quo capiuntur aues: & meritò. Nam sicut aues errantes laqueo extento capiuntur, sic animi hominum errantes, & per vanitates, & insanias falsas volitantes, verbo Dei illaqueantur. Et quemadmodum laqueus de terra ab aucupe non aufertur, donec auem vagam capiat: sic tanta est Dei potentia, vt non sinat verbum suum ad se vacuum redire. Vt idem Dominus ait Isai. capit. 55. hoc ergo est quod ait. Nunquid cadet auis in laqueum terræ absque aucupe? Nunquid auferetur laqueus de terra antequam quid cæperit? Rursum, comparat Amos idem verbum Dei, tubæ clangenti. Nam in die iudicij sic terribiliter in toto audietur orbe, sicut tuba clangens in ciuitate, quam cum populus audierit, sine dubio expauescit. Lege Rupertum Abbatem, lib. 2. in Amos prophetam. cap. 3. ¶ Quod vero Thesauro comparetur certa res est. Desiderabilia (inquit regius vates) super aurum & lapidem preciosum multum. Et filius eius ait Sapientiæ, capit. 7. Diuitias nihil esse duxi in comparatione illius, nec comparaui illi lapidem pretiosum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua. Tantum ergo Thesaurum, in corde custodiamus exemplo Dauid, qui dicebat. In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Hoc etiam Thesauro nobis à Deo commisso negotiemur: ne cum Dominus venerit, illum à nobis auferat. Ex quo fiet, vt incidamus in errores plurimos. Reuelatur enim ira Dei de cælo super omnem impietatem, & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem in iniustitia detinēt: quia quum Deum cognouissent non sicut Deum glorificauerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Et rursum idem Paulus ait. 2. Thess. 2. eò quod charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent: ideò mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio. ¶ Denique in hoc loco verbum Dei semen appellatur: ex quo fit, vt sit initium salutis nostræ audire verbum Dei. Sine fide enim impossibile est placere Deo: fides autem ex auditu: auditus autē per verbum Dei. Igitur, vt quis cognoscat Deum, & cognoscendo amore prosequatur, necesse est, vt verbum Dei audiat. Lege Casianum super Euangelia, lib. 11. cap. 40. Væ illis qui semen Dei, hoc est verbum, in terram cordis sui recipere nollunt: quum de huiusmodi hominibus conqueratur Deus Psalmo. 49. in hunc modum. Tu vero odisti disciplinam & proiecisti sermones meos retrorsum. Retrorsum proijcit sermones, non qui non audiunt, sed qui audiunt, & cōtemnunt. Casianus loco statim adducto, cap. 41.

¶ *Et dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est.* Ex hac similitudine colliges: quod nos Dominus (vt August. annotauit) atque pater familias noster passim, & sine vlla discretione cuiuslibet glebæ, semen verbi sui iacere præcipit. Non ergo nos aut timor spinarum, aut saxa petrarū, aut durissima via perterreat: dum tamen seminantes verbum Dei, ad terram bonam tandem peruenire possimus. Accipe verbum Dei, Omnis ager, omnis homo, siue sterilis siue fæcūdus. Ego spargam, tu vide quo modo accipias: ego erogem, vide quales fructus reddas. Melius est enim, vt de accepto tu pro te rationem reddas, quàm nobis non erogantibus iustè dicatur: serue nequam & piger, tu erogares, ego veniens cum vsuris exigerem. Si vero te infæcundam, aut spinosam, vel siccam sentis, recurre ad creatorem tuum. Hoc enim nunc agitur, vt innoueris, vt fæcūderis, vt irrigeris ab illo, qui posuit desertum in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarum, & habitare fecit illic esurientes, & constituerunt ciuitatem habitationis, & seminauerunt agros

Marginalia: Eccl. 39. / Amos. 3. / Isai 55. / Rupertus / Psal. 18. / Sap. 7. / Psal. 118. / Ad Rom. c. 1. / 2. Thes. 2. / Casianus. / Psal. 49. / D. Aug. / Matt. 25. / Psal. 106.

agros, & plantauerunt vineas, & fecerunt fructum frumenti. Ex qua terra? Ex illa sterili, spinosa, & inaquosa, & tu qui accedis ad Christum terra es spinosa, & arida. Vnde probamus, quia talis es? Recole illam sententiam quam in primis parentibus accepisti, & inuenies quid inde traxisti. Spinas, inquit, & tribulos pariet tibi. An respondebis non te esse terram spinosam? Si spinas non haberes capiti creatoris tui coronā spineam non imponeres. Hæc atque alia his similia lege apud Augustinum in illo sermone de quarta feria. cap. 2. ¶ Cæterum, vt redeamus vnde digressi sumus sine discrimine verbum Dei, omnibus proponamus. Mitte panem tuum super transeuntes aquas: quia post tēpora multa inuenies illum ait sapiens, Ecclesiast. 11. q. diceret (inquit Hiero.) in quocunque homine illam aquā videris, de qua dicitur: flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ: ne te pigeat panem sapientiæ, panem rationalem, panem præstare sermonis. Si enim hoc frequenter feceris, inuenies te non incasum doctrinarū iecisse sementem. Tale quid & in Isaia dictum puto: beatus qui seminat super aquam: vbi bos & asinus calcant: quod ille magister beatitudine dignus habeatur, qui super irriguum pectus seminat audientium, tam ex Iudæis, quàm ex gētium populo congregatum. ¶ Et rursum idem Sapiens ait. Qui obseruat ventum non seminabit: & qui aspicit nubes non metet. Id est, qui tātum eo tempore Dei verbum prædicat, quo populus libenter auscultat, & secunda aspirat aura rumoris, is sator negligens, & ignauus agricola est. In ipsis enim prosperis dum nescimus aduersa consurgunt. Sed opportune importune, suo tenore, Dei sermo est prædicandus: nec fidei tempore aduersariarum nubium consideranda tempestas. De qua in prouerbijs dicitur: sicut pluuia vehemens & inutilis: sic qui derelinquunt sapientiam, & impietatē laudant. Absque consideratione ergo nubium & timore ventorum, in medijs tēpestatibus seminandum est. Nec dicendum, illud tempus commodum, hoc in-

Gen. 3. | Sine discrimine verbū Dei est prædicandum. | Ecclesi. 11. | D. Hier. | Ioan. 7. | Isai. 32. | Ecclesi. 11. | Prouerb.

A vtile: cum ignoremus quæ via, & quæ voluntas sit spiritus vniuersa dispensantis. Hæc Hieronymus. Omnibus ergo & omni tempore verbum Dei prædicandum est: Dominus autem diriget sementem suam. Tanta est misericordia, & virtus eius, vt non sinat verbum eius redire ad se vacuū. Sic enim ait in Isaia, cap. 55. Et quomodo descendit imber, & nix de cælo, & illuc vltra non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: sic B erit verbum meum quod egredietur de ore meo. Non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud. ¶ *Aliud cecidit secus viam, & conculcatum est: & volucres cæli comederunt illud.* Via (inquit Chrysostomus) est mundus iste per quem omnes transeunt, qui nascuntur. Via enim & peregrinatio, & transitus est omnibus, qui & à Deo exierunt, & ad Deum festinant. Vnde & propheta dicebat: quoniam incola sum C apud te in terra, & peregrinus sicut patres mei. Sicut ergo viator in via nihil solicitus est, nisi quod necessarium habet ad vsum: ita & homo in hoc transitu mundi, nihil debet esse solicitus, nisi quod opus habet ad vsum. Qui autem suam spem ponit in mundo, & delectatur in eo, est similis homini desperato, qui non habet neque patriam, neque domum, neque familiam ad quam festinet: sed in quocunque loco inuentus fuerit, ipse locus Domus eius est. Quæ est ergo terra secus viam? Homo D secundum istum mundum viuens, qui omnia ea sapit quæ mundi sunt, & nihil quod Dei est: sed hoc solum diebus ac noctibus cogitat: hoc concupiscit, quod pertinet ad bene manducandum & bibendum, & spurcitiam corporis exercendam. Talibus si loqui volueris de spiritualibus rebus, non intelligunt verbum, nec sentiunt verbi dulcedinem. Neque enim est possibile, vt inter tantas amaritudines vitiorum sentiatur dulcedo sermonum. Sicut qui in magno vase aceti modicam

D. Hiero. | Isai. 55. | Via est mūdus. | Psal. 38. | Similitu. | Similitu.

dicam guttam mellis immiſceat, etiam mel perdit & acerbitas aceti non mutatur: ſic homini in hac malorum multitudine conſtituto, ſi collocutus fueris iuſtitiæ verbum, & verbum perdis, & ille non temperatur in concupiſcentia mundialium rerum. Neque enim habet bonum in ſe. Nam homo illud concupiſcit, quod iam habet expertum in ſe, & ſcit eſſe bonum. Ecce ſi oſtendis leoni viridem herbam, aut campum bene florentem, non excitat eum concupiſcentia, quia non habet hoc in natura, vt herbas manducet. Et è contra, ſi oſtendas boui carnes, non concupiſcit, quia non eſt bouis natura, vt manducet carnem: ſic & homini mundiali, ſi de bono cæleſti loquaris, non excitatur in concupiſcentia boni. Sed quemadmodum, ſi pluuia ſuper lapidem cadat, deſuper quidem ſudat, ab intus autem ſiccus eſt, quia non deſcendit humor in eum: ſic & tali homini quando loqueris verbum Dei, tantummodo ſonus verbi deſuper percutit aures eius carnales, in cor autem eius nihil deſcendit. Et meritò iacentia ſuper lapidem ſemina verbi rapiunt volatiles dæmones. Dic mihi, cuius culpa eſt, rapientium dæmonum ſemina, aut hominum durorum non abſcondentium ea in ſulcis pectoris ſui? Puto non eſſe culpam rapientium dæmonum. Ille enim latro qui parietem perforat, in ſecreta domus parte ingreditur: qui autem inuenit foris expoſitum, & proiectum, quo modo quaſi latro culpetur? Sic & diabolus, ſi poterit introire in ſecreta pectoris tui, vt à te nolente raperet verbum, benè culparetur: nūc autem quod à te neglectum, & contemptum, hoc ille diripit. Denique ſciens propheta hominum abſcondentium eſſe culpam, dicebat: in corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Si ergo abſconderis verbum in ſulco pectoris tui, germinat tibi timorem, timor liberat te à peccato. Si autem foris id in ſuperficie carnalium aurium dimiſeris, quo modo timor tibi germinatur? Si autem timor in te natus non fuerit, quomodo ſal-

Similitu.

Similitu.

Similitu.

Similitu.

Pſal. 118.

A nus fies, quum ſit ſcriptum: timor Domini expellit peccatum, qui autem ſine timore eſt, non poteſt iuſtificari.

¶ Caue igitur ne animus tuus via ſit. Nā tunc verbum ſeminatum à Deo conculcabitur, & à volucribus cęli comedetur. Audi quid Dominus per Hieremiam huiuſmodi hominibus comminatur. Super montes, inquit, aſſumam fletum ac lamentum, & ſuper ſpecioſa deſerti planctum: quoniam incenſa ſunt, eò quod non ſit vir pertranſiens, & non audie-B runt vocem poſſidentis. Et dabo Ieruſalem in acerbos arenæ, & ciuitates Iuda dabo in deſſolationem. Quis eſt vir Sapiens qui intelligat hoc, & ad quem verbum oris Domini fiat, vt annuntiet iſtud: quare perierit terra & exuſta ſit quaſi deſertum, eo quod non ſit qui pertranſeat? Et dixit Dominus. Quia dereliquerunt legem meam, quam dedi eis, & non audierunt vocem meam, & non ambulauerunt in ea: & abierunt poſt prauitatem cordis ſui. Ecce ego cibabo populum iſtum abſynthio: & potum C dabo eis aquam fellis. Cuſtodiamus ergo verbum Domini, à vana mundi via nos ipſos ſeparemus, & elongemus, ne in mala quæ incidit populus ille Iudaicus incidamus. Deſolatus enim fuit, quod abierunt poſt prauitatem cordis ſui: & ideò non cuſtodierunt verbum, neque legem Domini. ¶ *Aliud cecidit ſecus viam.* Hæc eſt via illa de qua Iob aiebat olim: venerunt latrones & fecerunt ſibi viam per me. Tunc latrones ſibi viam faciunt per medium cordis, quando animus qui deberet eſſe hor-D tus concluſus, prauis deſiderijs, iniquis cogitationibus, & aſsiduis maliſque affectibus ſe terendum & conculcandum exponit. Semen ergo in viam hanc cadens, omnino conculcatur. Claude ergo cor tuum ne via fiat, nam vbi non eſt ſepes diripietur poſſeſſio Eccleſ. capit. trigeſimo. ¶ *Aliud cecidit ſecus viam & conculcatum eſt.* Peccatores viuentes in impietate ſua, & luxurioſi: indigni ſunt verbo Dei, atque myſterijs cæleſtibus. Nam conculcant illa. Propterea dicebat aliàs Dominus; nolite dare

Eccleſ. 1.
Chryſoſ. homi. 31. in Matth. in imperfecto.
Hier. 9.

Iob. 19.

Eccl. 30.
D. Bona. de doctr. cor. c. 5.

Matth. 7.

sanctum canibus, neque margaritas vestras mittatis ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & canes conuersi dirumpant vos. Eam ob causam Dominus discipulis suis, qui non erant dilaceraturi, neque conculcaturi has diuinas & cælestes margaritas, exposuit parabolam: turbis vero minime: quod canes & porci essent. Lege D. Chrysost. homil. 24. in Matthæum. ¶ Cæterum obserua, quòd contingit seminatoribus, quod accidere solet piscatoribus. Qui licet non intendant sagena sua colligere nisi bonos pisces, colligunt tamen nonnunquam pisces pestilentes. Simili ergo modo seminator licet non intendat semen in terram iactare malam: tamen semen cadit secus viam, & inter spinas, & inter petrosa. Hoc idem contingit seminatoribus Euangelicis.

¶ *Volucres cæli comederunt illud.* Quod exponens Dominus ait: deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum. Contendit enim diabolus semina bonorum cælestium è corde rapere. Sciens, quod modica sementis detractio, non modicum sit messis detrimentum. Quod facit, cum dat operam, vt Dei verbum non prædicetur, aut ob huius mundi sectatoribus non audiatur, aut auditum statim obliuioni tradatur. Quod etiam facit, quum sementem corrumpit: hoc est, quum verbum Dei doctrinamque cælestem & salutarem irrideri, aut persequi eius seminatorem procurat. Quod Ioanni Baptistæ accidisse sacra narrat historia. Inuidet enim diabolus hominum saluti, & ideò impijs suggestionibus obsistit, ne salutem assequantur. Quemadmodum enim filius hominis nihil non agit, vt peccatores adducat ad salutem: ita ille nihil intentatum relinquit: vt quoscunque potest pertrahat in exitium. Hic igitur post iactum verbum, subitò aduolans sublegit, prius quàm inhærescat animo, vt nihil iam referat audisse.

¶ *Et aliud cecidit supra petram: & natum aruit.* Homines enim diuino timore carentes multi sunt: qui cum audiunt Dei verbum delectatur quidem:

A quibus si locutus fueris de gloria sanctorum, & de beatitudine gloriæ regni cælestis, statim gaudent, & exultant: sed ne credas gaudio eorum, nam cum viderint alios in hac vita prosperari, scandalizantur: dicentque illud Psalmi, non scit Deus, & non est scientia in excelso. Quoniam ecce peccatores abundantes in seculo obtinuerunt diuitias. Et dixi: ergo sine causa iustificaui cor meum: & laui inter innocentes manus meas: & castigatio mea in matutinis. Pene emoti sunt pedes mei, & effusi sunt gressus mei. Ecce ergo quo pacto superueniente tentatione offendunt, & scandalizantur: qui antea lætabantur: quod non habebat cor eorum humorem, hoc est, timorem Dei. Facile enim est, rebus prosperis audire, & seruare doctrinam Euangelicam, cæterùm nisi penitus imbiberis affectum veræ pietatis, vbi res aduersæ robur illud desiderant euangelici pectoris, tunc euanescit illa temporaria sanctimoniæ species. Lege Chrysostom. homil. 31. in Matthæum. ¶ *Et aliud cecidit supra petram, & natum aruit: quia non habebat humorem.* Quid hac similitudine sibi voluit Christus, inferius docuit dicens, qui autem supra petram: hi sunt qui cum audierint cum gaudio suscipiunt verbum, & hi radices non habent: quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Læditur (inquit Iob) quasi vinea in primo flore botrus eius, & quasi oliua proijciens florem suum. Quæ verba exponens Diuus Gregorius sic ait. Si florentem vineam per inæqualitatem aeris, immoderatum frigus attigerit, protinus ab omni humore viriditatis arefacit. Et sunt nonnulli, qui post peruersa itinera, sanctas vias sectari appetunt, sed prius quàm in eis desideria bona roborentur, quædam illos præsentis seculi prosperitas accipit, quæ eos rebus exterioribus implicat, & eorum mentem dum a calore intimi amoris retrahit, quasi ex frigore extinguit, & quicquid in eis de virtutum flore apparere videbatur, interficit. In terrenis quippe actibus valde frigescit animus, si nec dum fuerit

Psal. 72.

B

Chrysost. homi. 31. in Matth. in opere imperfecto.

C

Iob. 15.

D.Greg.

D

rit per intima dona solidatus. Nonnunquam vero florentem vineam non frigus, sed æstus arefacit. Quumque immoderato calore tãgitur, discusso flore, botrus tabescit. Et plerumque cõtingit, vt hi, qui ad bona opera recta intentione non veniunt, quum placere se hominibus vident, ad exercenda hæc eadem opera vehementius accendantur, humanis placitura oculis, agere anxiè studeãt, & quasi in sancto studio feruescãt. Quid itaque istos nisi in flore æstus contigit, quos humanæ laudis appetitio à fructu alienos fecit? Vnde bene subditur. Et quasi oliuã proijciens florẽ suum. Oliua quippe cum in flore est, si immoderata nebula tangitur, à plenitudine fructuũ vacuatur. Et quoties inchoantes quiq; bona opera, laudari ab aspicientibus cœperint, atque in suis laudibus delectari, fit caligo intelligentiæ in cogitatione, vt iam discernere nequeant qua intẽtione, & fructum perdant operis velut ex nebula fauoris. Vnde bene per Salomonem dicitur: mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt. Florent quippe vineæ, quum mentes fidelium bona opera proponunt. Sed fructus nõ pariunt, si ab eo, quod proposuerint, aliquibus victi erroribus infirmantur. Non ergo intuendũ est, si vineæ floreant, sed si flores ad partum fructuum conualescant, quia mirũ non est, si quis bona inchoet, sed valde mirabile est, si intentione recta in bono opere perduret. Hæc Gregor. hoc ergo est quod Christus Dominus ait hac similitudine seminis cadentis in terra petricosa.

Cen. 7.

¶ *Ad tempus credunt & in tempore tẽtationis recedunt.* Perseuerantia tam necessaria est, vt qui illam non habuerit nõ seruabitur. Qui enim perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit. Vnde Dauid ait, omnis gloria eius filiæ regis ab intus in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus. Fimbriæ (inquit Casiodorus) sunt finitima vestium, quæ in stamine colligatæ tanquam capillorum segetes dependent, per quas hominum vita significatur extrema, hæc non deaurata, sed nunc

Perseuerãtia cõmendatur.

Psal. 44.

Casiador.

Fimbria vita hominũ extrema.

A illi esse aurea profitetur, quia in fine tota perfectio est, vbi charitas non tanquã deaurata cõspicitur, sed iam plenissima tanquam aurea reperitur. Hæc Casiodorus. Perseueremus igitur vsque ad finem vitæ in fructu bonorum operum: constãter simus in tribulationibus: tẽtatio nos non apprehendat: vt semen, hoc est, doctrina cœlestis fructus vberrimos ferat. Non ad exortam malorum procellã deficiamus: sed semper obtemperemus sermoni diuino, & sic benè cœpta non deseremus.

B ¶ *In tempore tentationis recedunt.* Non est quare viri fideles tentationi subcumbant: non est quare à procella aduersitatis vincantur: cum verbũ Dei audientibus tam necessaria esse soleat tẽtatio, quàm semini iacto, gelu post immissam pluuiam, vt egregiè docet D. Gregor. lib. 29. Mora. c. 25. & 26. & 27. terra, inquit, cum compluitur, iactata in eam semina feracius rigantur. Sed rursum si illam pluuia immoderatius irrigat, in culmi pinguedinem, frumẽti virtutem mutat. Sin verò iactatum semen

Gregor.

C post pluuiam gelu premitur, quo foris citius apparere repellitur, eo intus fœcundius radicatur, & quo vetatur progredi: cogitur multiplicari, quia quum ab immaturo ortu restringitur, ex conceptionis suæ tarditate laxatum ad fructum vberius impletur. Sic ergo Dominus miro modo nostri pectoris terrã ad suscipienda verbi semina, & prius per occultæ gratiæ pluuiam infundit, & post modum ne in conceptis virtutibus immoderatius profluat, disciplina intimæ dispensationis premit, vt quàm acceptæ

D gratiæ pluuia irrigat, etiam disciplinæ rigor astringat, ne si aut antequam debet, aut plusquam necesse est conceptas virtutes proferat, fruges in herbam vertat. Vide Gregor. capitulis superius adductis.

¶ *Aliud cecidit inter spinas.* Meritò Dominus diuitias appellat spinas. Tum, quia quemadmodum spina acuta ita carnem penetrare solet, vt vix eradicari possit: sic diuitiarum immoderata cupido vix ex animo euelli potest, si semel inualescat. Tum, quòd sicut spinæ ignem accen-

Quare diuitiæ comparentur spinis.

tendunt: sic diuitiarum nimius & inordinatus affectus ignem æternum diuitibus parat, quod in diuite epulone videre est. Tum etiam, quòd sicut si manu comprimantur spinę, manum pungunt: ita si diuitiæ nimium custodiantur animum compungunt, atque ictum sempiternum inferunt. Lege Theophilatum in Matth. cap. 13. ¶ Contemnamus ergo diuitias quæ animum affligunt, quæ vndique odium & inuidiam nobis compũgentem acquirunt. Quandiu enim Iacob in domo Labã soceri sui pauper erat nemo inuidebat: at quum diues factus est, tam socer eius, quam filij soceri sui odio maximo illum prosequebantur, vt sacra insinuat historia. Inuidia ergo semper comitatur diuitias & gloriam. Quare merito illas Christus cõparat spinis. ¶ *Et simul exorta spinæ suffocant illud.* Semen quod inter spinas cecidit, & ab spinis suffocatur notat illos (vt Christus ait) qui postquam acceperunt semen sermonis Euangelici, nullum inde fructum referunt veræ pietatis, propterea quod affectus ille vitæ melioris, solicitudinibus huius mundi, diuitijs, ac voluptatibus vitæ præsentis suffocatur & obruitur. Sermo diuinus ait diuitibus, vt erogare velint pauperibus bona sua, & tamen solicitudo & immoderatus affectus diuitiarũ incitat vt rapiãt aliena. Quod exemplo Achab regis, atque impiæ Iezabelis, rapientium vineã Naboth, probari facile potest, si sacra illa narretur historia. Si ergo diues es, totus animus tuus (inquit Chrysost.) in illis est, de quibus solicitus es. Opera bona cupiditas diuitiarum te facere non sinit. Quomodo autem sinat te tua fœnerare, quæ cõpellit te aliena colligere? Item si verbũ Dei venerit in periculum, tu propter voluptatem diuitiarũ, aut quia times perdere quæ habes, aut quæ non habes cõcupiscis acquirere, veritatem fidei tuæ palam non confiteris. Vides quomodo solicitudo, & voluptas diuitiarum suffocant verbum & fructificare non sinunt? ¶ Si ergo volumus vt sermo diuinus fructum referat veræ pietatis, has spinas & tribulos euellamus é terra cordis nostri,

Theoph.

Gen. 31.

3. Re. 21.
Chrysost.

Chrysost.
hom 31.
in Matth.
in imperfecto.

A

ne autem continget nobis, quod D. Paulus ait. Terra, inquit, venientem sæpius super se bibens imbrem, & germinans herbam opportunam ijs à quibus colitur, accipit benedictionem a Deo, quæ autem profert spinas, & tribulos, reproba est, & maledicto proxima cuius finis ad combustionem. Sic nostra terra (inquit Origenes) id est, nostrum cor, si suscipiat frequenter venientem super se pluuiam doctrinæ legis, & attulerit fructum operum, accipiet benedictiones à Deo. Si vero nõ opus spirituale, sed spinas & tribulos, id est, solicitudines seculi habeat, aut voluptates & diuitiarũ cupiditates, reproba est, & maledicto proxima, cuius finis erit ad exustionem. Propterea vnusquisque auditorum cum conueuit ad audiendum suscipit imbrẽ verbi Dei, & siquidem fructum attulerit operis boni, benedictionem consequetur. Si verò susceptum verbum Dei contempserit, & frequenter audita neglixerit, ac solicitudini se rerum secularium libidinique subiecerit, tanquã qui spinis suffocauerit verbum maledictionem pro benedictione conquiret, & benedictionis finem, finem exustionis inueniet. Hęc Origines. ¶ Eradicemus igitur ex animis nostris vanas huius mundi solicitudines & voluptates. Nã semẽ Dei, hoc est verbum Dei, non capit animus, huius seculi ardore & amore plenus. Ideo enim alibi Dominus dicebat: nemo ponit vinum nouum in vtres veteres. Vinum siquidem nouum, hoc est, doctrinam cælestem & euangelicum sermonem nõ capit vter vetus, hoc est, cor solicitudinibus huius seculi & voluptatibus diuturnis deditum. Lege si vis D. Hierony. in illa verba Psalmi. 118. quia factus sum sicut vter in pruina iustificationes tuas non sum oblitus.

B

C

D

¶ *Quod autem in spinas cecidit: hi sunt qui audierunt & à solicitudinibus vitæ euntes suffocantur.* Non ergo immeritò alibi dicebat Dominus nolite solici ti esse. Solicitudo enim nimia trifariam illicita esse potest. Primùm si huius mundi bona quæ vana & caduca sunt tanquam finem nobis à natura præfixum

Heb. 6

Orig. ho. 16. super Leuit.

Marc. 2.
Vinũ nouũ est verbum Dei vter vetus est cor. vitiis & cupiditatibus also duis plenum.

Matth. 6.
Solicitudo vitæ trifariam esse potest illicita.

D. Aug.

quæramus. Vnde D. August. in libr. de operibus Monachorum, sic ait. Cum Dominus dicit: Nolite soliciti esse dicentes quid manducabimus. Hoc dicit, vt non ista intueantur, & propter ista faciant quicquid in Euangelij prædicatione facere iubentur. ¶ Deinde illicita potest esse solicitudo comparandi res temporales: quando propter eas parandas, tantũ desiderium & studium in animis insit, vt à præceptis diuinis adimplendis, atque à rebus spiritualibus, quibus præcipuè inseruiendum est, retrahamur. Quã ob causam in hoc loco Dominus ait, quod solicitudo seculi suffocat verbum. ¶ Tandẽ hæc solicitudo vana & reprehensione digna merito est: quando quis est tanto timore correptus, vt intelligat, quod nisi anxius, ac nimius solicitus sit, in solicitandis rebus temporalibus, ad victum sibi necessaria deficient. Nõ animaduertens, quanta bona corporis, & animi, illi Dominus sine aliqua sua solicitudine & cura contulerit: nõ curans intueri, quot animalibus, quot auibus, & volucribus cæli, quot denique plantis, subueniat quotidie Dominus, sine humano labore & opere: non considerans, diuinã & immensam Dei prouidentiam, ob cuius ignorantiam, barbari, & infideles, tam anxiè res huius mundi procurant. Non ergo soliciti simus: sed intelligamus, nos esse peregrinos super terram: atque ad patriam cælestem properare: & tunc affectus noster vitæ melioris, qui ex iacto semine natus in animis nostris est, non obruetur à spinis. Lege S. Thom. 2. 2. q. 55. artic. 6. ¶ *Quod autem in spinas: hi sunt qui audierunt & voluptatibus vitæ euntes suffocantur.* Eleganter quidem & grauiter appellatur voluptas à Platone malorũ esca, quod ea homines capiantur velut hamo pisces sibi ipsis interitum molientes, vbi pabulum inuenire existimabant. Antisthenes socraticus voluptatẽ esse omnium malorũ causam in hũc modũ ostẽdebat: Omnia mala proueniũt ex corruptione iudicij, cùm autem voluptas sit huius corruptionis causa, apertè colligitur eam esse omnium malorum fontem, & causam præcipuam. Neque

S. Tho. 2. 2. q. 55. ar. 6.

Voluptates mundi fugiendæ.

A opus est, vt Plato, aut Socrates, aut quis alius philosophorum eam esse omnium vitiorum caput affirmet: quum in hoc loco Dominus eam spinis comparet: eãque Dei verbum, hoc est, originem nostræ perpetuæ salutis, suffocare & obruere prædicet. Contemnamus igitur pestiferas voluptates, & delicias lutum putemus si volumus fructu bonarum operationum, æternas voluptates adipisci. Delicatus es frater, inquit D. Hieronym. in quadam Epistola, si & hic vis gaudere B cum seculo, & postea regnare cum Christo. Væ huiusmodi hominibus de quibus dici potest illud Isaiæ. Mulieres dominatæ sunt eis. Mulieres moraliter sunt voluptates, quæ tanquam blandissimæ dominæ animum à virtute detorquent, & omnes constantiæ neruos elidunt. Nã dominante voluptate temperantiæ nullus est locus, nec in regno voluptatis virtus potest consistere: cum illa suffocet diuinum sermonem, qui initium est omnium virtutum.

D. Hiero.

Isai. 3.

C ¶ *Aliud cecidit in terram bonam: & ortum, fecit fructum centuplum.* Terra autem bona (inquit Chrysost.) sunt qui abstinent se à diuitijs malis, & secundum vires suas faciunt bona, & est fructus eorum trigesimus. Si autem omnia bona sua contemnant, & accedant ad seruiendum Deo, habent sexagesimum. Si autẽ & infirmitas corporis eis contigerit, & fideliter sustinuerint, habent centesimũ & terra bona est. Nam & Iob ante tentationem trigesimum habuit in facultatibus suis iuste viuendo: post damna substantiæ & filiorum, sexagesimum: post D plagam autem corporis centesimum fecit. Hæc ille hom. 31. in Matth. ¶ En vides impleri, quod olim scriptum fuit de manna. Quia secundum tempus illud, si quis id ita sumpsisset, vt præceperat Deus, nutriretur ex eo: si quis vero contra præceptum Dei, & contra statutum diuinitus modum voluisset assumere, non frueretur eo, vt vitali cibo, sed vermes ebullirent ex eo. Et ita fiebat, vt vna atque eadem species mannæ alijs quidẽ vermes & putredines generaret, alijs vero salubrem cibum conferret, & vitæ ne-

D. Chry.

D. Chry. in imperfecto.

Orig. ho. 3. super nume. Figura.

cessa-

cessarium. Igitur & nostrum manna verbum Dei est, & apud nos ergo (vt in hoc loco docet Dominus) sermo Dei alijs efficitur ad salutem, alijs cedit ad pœnam. Et propter hoc arbitror quod ipse Dominus & saluator, qui est viuum Dei verbum, dicebat: in iudicium ego veni in hunc mundum, vt non videntes videāt, & videntes cæci fiant. Iusti ergo & pij homines audiunt verbum Dei corde bono, & simplici, audiūt corde recto & parato, vt quasi in terra bona fructificent. Hæc Orig. ¶ Si ergo vis vt semen, hoc est, sermo diuinus referat fructum salutiferum, collige illud, & reconde memoriæ, antequam vitiorum ardor ascendat in animam. Manna enim manè colligebatur, antequam sol exardesceret. Nam orto sole, & incalescente liquefiebat, vt sacra narrat Scriptura. Collecto igitur hoc cælesti manna recondamus in arca testamenti, hoc est, in mysterio incarnationis. Arca verò hæc ferenda est vectibus duobus, hoc est, duobus instrumentis veteri, scilicet, & nouo. Et tunc nobis, hanc diuinam arcam ferentibus, cōtinget: quod olim filijs Israel: qui ingressi Iordanem, arca duce, & præuia, diuisæ sunt aquæ. Aquæ enim inferiores currebant, superiores verò ad modum muri stabant. Sic nobis huius mundi aquæ, hoc est, voluptates, diuitiæ, honores, quę veluti aquæ decurrunt, atque dilabuntur, fugient, & fluent ab animis nostris: aquæ verò superiores, hoc est, voluptates cælestes, & delectationes supernæ, velut muri stabunt: sicque transibimus securi in terram nobis ab æterno promissam, in terram, inquam, lacte & melle cælesti abundantem. ¶ *Aliud cecidit in terram bonam & ortum fecit fructum centuplum.* Beatus profectò vir, qui non abijt in consilio impiorum & in via peccatorum non stetit, & in Cathedra pestilentiæ nō sedit, nam talis terra bona in hoc loco vocatur. Talis in lege Domini meditatur die ac nocte, & in illa est voluntas eius. Ex quo fit vt sit tanquam lignū quod plantatū est, secus decursus aquarum: Quod fructū dabit in tēpore suo: & folium eius nō defluet, & omnia quę-

Io. 9.

Vide etiā Pagn. lib. 10. cap. 5. per totū.

Figura.

Exod. 16.

Iosue 3. Figura.

Vide. D. Aponium libr. 2. in cant.

Psalm. 1.

A cunque faciet semper prosperabuntur. Benedictus talis profectò vir (qui vt Ieremias ait) confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit cum venerit æstus. Et erit foliū eius viride, & in tempore siccitatis non erit solicitum, nec aliquando desinet facere fructum. Fœlix sanè talis terra quæ semen iactum accipit: & acceptum retinet. Fœlix inquam homo ille qui corde

B syncero, attento, et vacuo accipit sermonem salutiferum, & acceptum recondit memoriæ, ac penitus in intimos demittit affectus, sic vt nullo malorum incursu possit dimoueri à semel cœpto studio pietatis. Nam talis fructū plurimū proferet bonarum actionem, fructum inquam dabit sanctarum operationum, & in tempore retributionis fructum accipiet suæ prioris iustitiæ, mercedem retributionis æternæ. Vt ergo hæc omnia, quæ referuntur in hoc primo psalmo, de nobis prædicentur, in lege Domini sit

C voluntas nostra, & in ea meditemur assiduè. Tale enim est ingenium (vt August. ait) naturæ nostræ, vt torpescat si vsus desiterit lectionis. Quia sicut ferrum nisi vsum fuerit eruginem generat, ita & anima nisi frequentius, diuinis exerceatur lectionibus, nascentur illi peccata. Hinc est vnde in Psalmo illum dicit beatum, qui die nocteque legem Domini meditatur. Hæc ille.

¶ *Quod autem in terram bonā: hi sunt qui in corde bono et optimo audiētes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia:* Quando igitur per patientiam

D pij atque viri virtute præstantes, & verbum Dei memoriæ retinentes, salutiferum referunt fructum, non immeritò tā frequenter patiētiæ virtus nobis in Scriptura sacra commendatur. Obsecro vos (inquit Paul.) in Domino, vt dignè ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate & patiētia. Et rursum: patientes estote ad omnes: & alibi. Homo Dei sectare patientiam. Item. Per patientiam curramus ad propositū nobis certamen. ¶ Sectemur igitur hanc tam insignem

Ierem. 17.

D. August. 9. vc. & no. testa. mixtim. c. 20.

Patientiā commēdatur.

Ephes. 4.

1. Thes. 4.
1. Tim. 6.
Heb. 12.

nem virtutem, nam hæc est quæ glorio se de persecutoribus huius mundi, de principibus tenebrarum harum, de nobis ipsis triumphare solet: vt omnibus perspicuum ac manifestum est. Hæc est quæ homines ditat spiritualibus diuitijs, quibus comparat regnum beatorũ. Hæc est quæ hominum Deique iram mitigat. Patientia (inquit Sapiens) lenitur princeps. Et D. Bernar. ait. Vapulem sane vt malé operans, si mihi flagella in meritum computentur: forsitam miseretur flagellato, qui in me non inuenit meritum quod remuneret. Hæc virtus est, quę par pari refert: nã Christo tale quid reddit quale ab illo accepit. Christus (inquit Petrus) passus est pro nobis vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Quid retribuam Domino (dicebat olim regius vates) pro omnibus quę retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam. Vult enim Dominus, vt pro illo patiamur quemadmodum pro nobis ipse libenti animo passus est. Quod significare volens, postquam de pisce asso comedit, sumpsit reliquias, & eas discipulis suis edendas dedit: vt Lucas narrat. Passio enim Christi per piscem assum significata, nobis imitanda est: vt vnusquisq; nostrum cum Paulo dicere posit: adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea. Christus ergo pro nobis passus est, quid iam reliquum est, nisi vt illi compatiamur: & coaffligamur? Hoc qui facit, adimplet id quod deerat afflictionibus Christi, non ex parte Christi, sed ex parte sua. Quanquam enim redimendis hominibus sufficientes fuerint afflictiones Christi, vnum tamen ex parte nostra illis deest, vt scilicet pro Ecclesia & nobis inuicem patiamur: per multas enim tribulationes oportet ingredi in regnum cælorum. Patientia ergo est, quæ Christũ imitatur: & vestigia illius, tolerando multa pro eius amore, sequitur. ¶ Hæc etiam virtus tanta est, vt hominem pene martyrem faciat. Greg. sine ferro vel flãmis martyres esse possumus, si patientiam in animo veraciter conseruamus. Induamur igitur hac veste purpurea, quæ maximé decet electos Dei.

Prou. 25. D. Bern. 1. Pet. 2. Psal. 129. Luc. vlt. Figura. Coloss. 1. D. Greg.

A Induite vos (inquit Paulus.) Sicut electi Dei, viscera misericordiæ, benignitatẽ, humilitatem, modestiam, patiẽtiam. Vltimo loco patientia numeratur, quod ea sit quæ ordinet ac protegat virtutes omnes. Hæc est purpura illa de qua Salomõ ait: in Prouer. cap. vlt. byssus & purpura indumentum eius. Denique quãdo hæc virtus tam insignis sit, vt animum hominis perficiat: illam totis viribus comparare curemus. Patientia (inquit D. Iacobus) opus perfectum habet. Id est, gaudium & alacritatem annexã. sicut Apo-B stoli ibant gaudentes á conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Item, tãta est virtus patientiæ, vt illa vir pius, affligentibus se, bene ex animo velit & faciat. Tanta est eius excellentia, vt efficiat: ne vir iustus in tormentis deficiat: vitamq; fœliciter finiat, atque consumet. Per patientiam igitur iusti referunt fructum centuplum quo beati atque fœlices inter cælestes animas efficiuntur. Nemo, qui hac virtute præditus non sit, fructũ C afferet. Quod significare voluit Dominus exemplo vitis & palmitis. Quemadmodum enim palmes fructum ferre nõ potest, nisi prius ab illo quod superfluũ est amputetur: sic nisi á nobis falce tribulationis superflua vitæ & redundantia abscindantur, & auferantur, fructum salutiferum referre non poterimus. Patiẽtia ergo nobis necessaria est. De cuius bono lege D. Cyprianum sermone tertio. Interim tamen audi quid inter aliã de illa scribat. Patientia est quæ nos Deo D & commendat & seruat. Ipsa est quæ irã temperat, quæ linguam frænat, mentem gubernat, pacem custodit, disciplinã regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendiũ simultatis extinguit, coercet potentiam diuitum, inopiam pauperum refouet: tuetur in virginibus beatam integritatem, in viduis laboriosam castitatem, in coniugatis & maritatis indiuiduam charitatem: facit humiles in prosperis, in aduersis fortes, cõtra injurias & contumelias mites: docet delinquentibus cito ignoscere, si & ipse delinquas, diu & multum rogare:

Col 3. Prou. vlt. Iaco. 1. Acto. 5. D. Cypr. serm. 3. de bono patientiæ.

gare: tentationes expugnat, persecutiones tolerat, passiones & martyria cõsummat. Ipsa est quæ fidei nostræ fundamenta firmiter ponit: ipsa est quæ incrementa spei sublimiter prouehit: ipsa actum dirigit, vt tenere possimus viam Christi, dum per eius tolerantiam gradimur: ipsa efficit, vt perseueremus filij Dei, dum patientiam patris imitamur. Hæc Cyprianus.

¶ *Et hæc dicens exclamabat: qui habet aures audiendi audiat.* Id est, audiat is cui à Deo donatum est, vt audita intelligat. Lege Deut. 29. quod testimonium retulimus Matth. 13. Itaque hinc colliges nõ solum oportere, vt expositor mysteriorum Dei, spiritum cælestem habeat, vt abscondita quæque quæ ad regnum Euangelicum pertinent populo exponat: sed eodem spiritu donari necesse est auditores, vt audita intelligant. Dicere autem non esse in Ecclesia homines carnales, prorsusque ad cælestem philosophiam per se capessendam plane ineptos (vt affirmant hæretici) est manifestò scripturæ contradicere, & sensibus repugnare. Ob id enim quasi hos, à rectè dispositis, secernens redemptor noster, dicebat hodie, quum à promiscuis turbis audiretur, qui habet aures audiendi audiat. Id est, qui habent sapientiam discernendi, vt Theophylatus exponit, quam vt non omnes habent, non omnibus debet patere cælestis philosophia. Sed inferius de hoc errore latius dicemus: cum exponamus verba illa: vobis datum est nosse mysteria regni Dei.

Deut. 29. Matt 13. Theoph.

¶ *Interrogauerunt eum discipuli eius, quæ esset hæc parabola.* Exod. 16. sacra narrat historia quod Iudæi viso manna interroganter dixerit: quid est hoc? Tu ergo vide si non ipsa nominis, hoc est, verbi Dei virtus: ad discendum te prouocat, & quum audis legem Dei recitari, inquiras semper, & interroges, & dicas doctoribus, quid est hoc? Hoc enim est quod indicat manna. Tu ergo si vis manducare manna, id est, si cupis suscipere verbum Dei, scito illud minutum esse, & valde subtile, sicut semen coriandri. Habet enim in se aliquid holeris, quo nutrire & recreare possit infirmos, quia qui infirmus est holera manducat, habet aliquid rigoris, & ideò vt pruina est. Candoris autem & dulcedinis habet plurimum. Quid enim candidius? Quid splẽdidius eruditione diuina? Quid dulcius quid ve suauius eloquijs Domini, qui sunt super mel & fauum? Hæc autẽ nisi Deo reuelante intelligere non possumus. Quare exemplo Apostolorũ interrogemus Dominum humiliter & dicamus. Quid est hoc? edissere obsecro nobis parabolam istam: hinc est, quod Christus Dominus aiebat: confiteor tibi pater rex cæli & terræ, quia abscõdisti hæc à prudentibus, & sapientibus, & reuelasti ea paruulis. Probus enim auditor, ac sapiens cui à Deo donatum est, vt intelligat mysteria cælestia, quæ intellexit, nulla intelligentia remoratus, mentis ea thesauro statim commendauit: si qua verò ardua videntur, sæpe, ac multum inuestigans, atque interrogans, tandem assequitur, venatrices apprimè canes imitatus, quæ huc atque illuc percurrunt feras quærentes. Sic affectum sapientem esse propheticus quoque sermo denotat, dicens: conquirens quære, & apud me habita. Conquisitio autem hæc est. Humilis scilicet deprecatio. Quemadmodum D. Ioannes lachrymis & precibus obtinuit, vt ei liber signatus aperiretur. Abscondit enim Dominus mysteria sua à sapientibus, & reuelat paruulis. Cadentis enim aperiuntur oculi, sicut Balaam. In iudicium enim venit Dominus, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant. Audiamus igitur verbum Dei syncero corde deinde memoriæ commendemus, posthęc meditemur in illo: quod si non intellexerimus non proinde illud reijciamus: sed quò minus illud cæperimus eo magis admiremur: & quo magis admirati fuerimus, eo magis pulsemus: vt liber signatus nobis aperiatur.

Exod. 16. Orig. ho. 7. super Exod. Figura. Pagninus. Matt. 11. Similitu. Pagninus. Isai. 21. Figura. Num. 22.

¶ *Vobis datum est nosse mysteriũ regni Dei.* Id est, obscura quæque, quæ ad regnum Euangelicum pertinent. ¶ Vobis, inquam, tanquam domesticis amicis datum est nosse mysteriũ regni Dei. Habent aulæ regum arcana sua, quæ cælantur

Vatablus.

tur plebeis,& ab aulæ consortio alienis. Habet & Euangelij regnum sua secreta non temere cuiuis proferenda: sed ita proponenda, vt ab alijs tantum cernantur, qui sunt aulæ domestici: cæteris, inuoluta parabolis, vt qui indigni sunt videntes non videant, & audientes non intelligant. ¶ *Interrogauerunt eum quæ esset hæc parabola. Quibus ipse dixit vobis datum est nosse mysterium regni Dei.* Ex hoc loco edocemur sine diuino numine, neque intelligere, neque interpretari posse sacras Scripturas, quod oratione assidua optinetur. Magnus ergo error eorum est, qui sine Spiritus sancti peculiari dono scripturam sacram existimant se posse, vel intelligere, vel interpretari. Quod vtique donum, quanto magis sacris literis intelligendis, atque interpretandis opus est: tanto rarius, difficiliusque contingit. Nam eruditionem, verborum copiam, multarum linguarum peritiam, hominum diligentia præstat. At si spiritus quidam peculiaris nõ tam ob ipsius qui percipit, quàm ob ecclesiæ vtilitatem, gratuita Dei miseratione donatus, sacrorum librorum interpreti desit, ieiuna erunt & frigida omnia quamlibet elaborata, & diu ante excogitata & inuenta fuerint. Imò falsa erunt in interpretatione pleraque humano sensu intelligentiaque traducta. Nam interpretationem Scripturæ, prophetiam & inspirationem Dei credit Clemens Alex. lib. 1. stromma. Et Aposto. in priori ad Corinth. Epistola inter reliqua Spiritus sancti dona commemorat; dicens, alij gratia sanitatũ, alij prophetia. Nec philosophiam, sed prophetiam vocat donũ interpretandi & intelligendi Scripturã. Videlicet, quòd sacris literis explicãdis eodem spiritu opus sit, quo ipsæ sunt cõditæ, diuino vtique atque prophetico. Id quod Petrus posteriori sua Epistola confirmat, inquiens. Habemus firmiorẽ propheticum sermonẽ, cui bene facitis. Attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco: hoc primum intelligentes quòd omnis prophetia Scripturæ, propria interpretatione non fit. Nõ enim voluntate humana allata est aliquãdo prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Hoc autem, quemadmodum ante nos viri clarissimi intellexerunt, eum habet sensum: benè quidem facitis prophetis attendentes: sed id primum intelligite, diuinas prophetias humana & propria interpretatione non intelligi. Spiritu enim sancto locuti sunt sancti Dei homines, & animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Quis enim cognouit sensum Domini? Atq; id ipsum Isaias significauit inquiens: Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum qui lapsus est, verbo. Erigit mane, mane erigit mihi aurem: vt audiam quasi magistrum. Et apud nostrum Lucam: aperuit Dominus discipulis sensum, vt intelligerent scripturas. Quo testimonio probat Hilarius in Psalm. 115. Scripturarum intelligentiam donũ Dei esse. Quod si scripturarum intelligentia donum Dei est, scripturas autem interpretari nemo, nisi qui intelligit, potest: conficitur vtique sacrarum literarũ interpretationem veram, esse donum Dei. ¶ Hoc intelligens regius vates oratione petebat hoc donum: dicens. Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam. Et rursum: reuela oculos meos & considerabo mirabilia de lege tua. Quasi dicat: amoue ab oculis meis velamen literæ: vt spirituali sensu legis tuæ, videá aliud agi, aliud significari. Non absre nobilis ille eunuchus Euangelicus, cum in manibus haberet Isaiam prophetam, & Philippus Domini discipulus ab eo sciscitaretur, vtrum intelligeret quod legebat, respondit: Et quo modo possum intelligere, si non aliquis ostenderit mihi? Rogauitque Philippum, vt currum secum conscenderet: qui per Spiritum sanctũ interpretatus est ei locum Isaiæ de Christo. Cuius eunuchi personam, Christianè satis, non veritus est in se transferre D. Hieronym. in Epistola ad Ambrosiũ. Ego, inquit, vt de me loquar, neque sanctior sum, hoc eunucho, neque studiosior. Ostendens ibi neminem per se ipsum posse arcana scripturæ rimari. Constans est Pauli sententia: animalis homo quan-

Marginalia: Erasmus. — Sine Dei auxilio nemo potest sacrã Scripturã intelligere, aut interpretari, quod oratione assidua obtinetur. — Clemens Alex. — 1. Cor. 12. — 2. Pet. 1. — Isai 50. — Luc. vlt. — D. Hilar. — Psal. 118. — Ibidem. — Act. 8. — D. Hiero. — 1. Cor. 2.

quantumuis sit humanis adminiculis, & naturæ & artis dotibus ornatus, nō percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Vnde B. Bernard. ad fratres de monte Dei: quo spiritu (inquit) factæ sunt scripturæ eo legi debent, & ipso etiam intelligendæ sunt. Nunquam ingredieris in sensum Pauli, donec vsu bonæ intentionis in lectione eius, & studio assiduæ meditationis spiritum eius imbiberis. Nunquam Dauid intelliges, donec experientia ipsorum Psalmorum affectu induaris. Hactenus Bernar. Quare erroneum sanè est asserere, quod diuina Scriptura in omnibus adeò clara est, vt se ipsam possit exponere, & per se ipsam posit intelligi. Est enim tot inuolucris & obscuritatibus immersa, vt intelligi non posit, nisi ab ijs quibus est datum nosse illam. De qua re vide Ayalam, assertione. 3. & 5.

D. Bern.

Ayala.

¶ Quo etiam fit, vt execrandum, atque sacrilegum sit illorum institutum, qui scripturam omnibus peruiam esse voluerunt, ab omnibus tractari debere, malè docuerunt. Non enim est omnium sacrā Scripturam interpretari, neque cū fructus vtilitate legere. Nam si spiritualis homo per se solus potest cognoscere sensum Dei (vt diximus) cum non omnes spirituales sint, neque omnes habeant donum istud intelligentiæ: teste Paulo 1. Cor. c. 12. Spiritu sancto diuidente singula dona prout vult: imò multis in Ecclesia lacte opus sit, propter eorum ruditatem & imbecillitatem, vt idem Paul. de Corinthis dicit, nihil illis proderit indifferenter in toto scripturæ campo spaciari, nisi forte vt laqueos sibi parent, quibus miserè capiantur, & magnam iniuriam verbo Dei irrogent, illotis (quod aiunt) manibus ipsum contrectando, & preciosissimam margaritam pedibus, id est, corruptis affectibus conculcando. Adde: quod paruulis & rudibus (vt ipsa natura docet) cibaria per parentes debent ministrari, & non ipsi sibi captare, alioquin solidum & difficilis concoctionis obsonium pro leui cibario perniciosa ignorantia sibi desument, vel auiditatis indiscretione, addent crudum super indigestum, in suæ salutis incōmodum.

1. Co. 12.

A Satiusque eis esset fame torqueri, quàm malè saturari. Si enim omnibus indifferenter data esset scriptura, vt in eius intelligentia versarentur frustra positi essent (vt diximus) in Ecclesia Dei gradus donorum: vt alij sint pastores: doctores, alij prophetæ, ac subinde alij auditores. Sed contra dicit Paulus qui hos gradus velut membra diuersa corporis in Ecclesia coaptat, & omnia omnibus necessaria esse prædicat: quare necessario conuincitur, vt in Ecclesia debeant esse qui

B per alios, & nō per se proficiant & intelligant: quod Christus Redemptor noster subindicauit, quum panes turbis in deserto per manus Apostolorum voluit impartiri, & seorsum absque turbæ arbitris, illis aperiebat regni cęlorum mysteria. Atque hodie audis quid illis dicat: vobis, inquit, datum est nosse mysteriū regni Dei cæteris autem in parabolis. Semper Deus prohibuit rude vulgus & carnales homines à scrutinio suorū mysteriorum. Vnde Exod. 19. daturus sacrosanctam legem suam, iubet Moysi, vt po-

Exod. 19. Figura.

C pulum contineat ab ascensu montis. Cōstitues (inquit) terminos populo per circuitum, & dices ad eos: cauete ne ascendatis in montem, ne tāgatis fines ipsius. Omnis qui tetigerit mōtem, morte morietur. Manus non tanget eum, sed lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis, siue iumentū fuerit, siue homo. Hæc verba per allegoriam tractans magnus ille Nazianzenus. 2. lib. suæ Theologiæ hoc modo nos instruit: verbum Dei ab hæreticis carnalibus & rudibus hominibus abhorret, ac tantum solidis ac lapideis inscribi dignatur, nimirum quod

Greg. Nazian.

D lex partim in aperto est, partim inuolucris tegitur, ita vt & vulgus infra montem manens quod intelligat habeat, & electis ac in montis verticem progressis, quo exerceantur non desit. Hæc ille. Nec ad aliud propositum sancti Apostoli, & successores eorum, à Christo appellantur sal, & mundi lux, nisi quia per eos cibaria populorum debent condiri: & doctrina sua tenebras ignorantiæ aliorū dispellere. Præterea obserua, quòd mos Dei antiqua fuit non omnibus omnia

Ayala.

sua

Mos Dei est nō omnibus sua omnia mysteria aperire.

Hil. super 2. Psalm. Orig. hom. 5. in numeros.

sua mysteria aperire. Scribunt enim nō modo celebres Hebræorum Doctores, sed ex nostris Hilarius & Origenes, Moysen non legem solum, sed secretiorem legis enarrationem in monte diuinitus accepisse: præceptum autem eiá Deo, vt legem quidē populo scriberet, legis autem occulta mysteria ipse ministro suo Iosue, hic deinceps succedentibus sacerdotibus primoribus magna silentij religione reuelaret. Hic etiam vides quo pacto Christus Dominus mysteria multa regni cælestis committere non voluit cæcis turbis: sed verbo tenus solis Apostolis. Amat enim natura celari, vt porphyrius scribit, nec diuina mysteria Deus patitur in aures vulgi introire pollutas. Aurum & gemmas in altissimas terræ latebras natura condidit. Ita magno habētur in pretio: vilescerent, si essent exposita. Basilius in lib. de Spiritu sancto, cap. 29. & Origenes, hom. 5. in numeros, ob id asserunt Moysen non esse passum, vt omnia, quæ erant in templo, omnibus essent peruia, quod sciret, res vsu tritas, expositas esse cōtemptui: quod verò sepositum est & rarum, huic coniunctam esse summam admirationem & reuerentiā.

Lib. 7. histo. tripar. c. 2.

D. Basil. Origenes

Cano.

Non licet mentiri, licet tamen veritatem aliquádo occultare.

D. Aug. Matth. 7.

Ioan. 16.

¶ *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis.* Hoc exemplo docet nos Christus licere aliquando veritatem occultare. Vnde D. August. 2. lib. de sermone Domini in mō te, exponens illud Euangelicum, nolite sanctum dare canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos: ait. Quia Dominus quanuis nihil mentitus sit, vera tamen aliqua occultare se ostendit dicens: adhuc multa habeo vobis dicere, sed adhuc non potestis illa portare. Non ergo licet mentiri, licet tamen aliquando veritatem celare.

Quare Christus per parabolas & obscuro sermone prædicabat mysteris fidei. Ioan. 18.

¶ *Cæteris autem in parabolis.* Quærere solent sancti cum Dominus affirmet apud Ioannem, cap. 18. quod palam locutus fuerit, & in occulto locutus fuerit nihil: quare sæpè inuolucris, & similitudinibus, atque parabolis, & ænigmatibus loquebatur turbis: cum idem sit ac si in occulto loqueretur. Nō est sané hæc obscuritas in scripturis euentu aut casu aliquo, sed diuino procurata consilio. Tū, quod ea nostra exerceatur ignauia, humiliatur superbia, & augetur diligentia. Studiosius capimus quę venamur: & magis hærent quæ cum labore cognoscuntur: & ex scripturæ difficultate multas intelligentias pro morum institutione nanciscimur. Vnde D. Gregor. super Ezech. hom. 6. inquit magnæ vtilitatis est ipsa obscuritas eloquiorum Dei, quia exercet sensum, vt fatigatione dilatetur, & exercitatus capiat, quod capere non potest otiosus. Habet quoque maius aliquid: quia si Scripturæ sacræ intelligentia incunctis esset aperta, vilesceret, quę in quibusdam locis obscurioribus tanto maiori dulcedine inuenta reficit, quanto maiori labore fatigat animum quæsita. Tum etiam, his similitudinibus & obscuritatibus vtebatur Dominus, quod auditores indigni essent, aut nō idonei, ad tanta mysteria capessendum. Et tamen satius erat eis, vel sic inuolucris parabolarum doctrinam salutiferā audire, quā omnino ea priuari. Mysteria tamen harum similitudinum Christus Dominus discipulis aperiebat, & exponebat: vt per eos deinde ad alios qui idonei & digni essent, deuenirent. Cuius exemplum secutus Paulus dicebat discipulo suo Timothæo. Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erūt alios docere. Quod signatum profectò est Num. cap. 4. Vbi præcipitur vt filij Aaron inuoluerent vasa sanctuarij, quæ Leuitæ inuoluta portarent. D. Thom. 3. part. q. 42. art. 3. quē etiam lege. 12. q. 101. artic. 2. ad primum argumentum.

1. Causa.

D. Greg.

Ayala. 2. Causa.

2. Tim. 2.

Num. 4.

D. Tho.

¶ *Vt videntes non videant: & intelligentes non intelligant.* En vides, quod ab his abstulit Dominus notitiam veritatis propter innumera sua peccata. Quanuis ergo nulli hominum in hac vita iudiciū atque vim discernendi habenti, via salutis sit clausa: cum nemini Dominus arbitrij libertatem tollat: nemini quæ ad salutem sunt necessaria neget, neminé ad bonum operandum impossibilitet, neminem fallat, nec errorem per se in animum immittat: sed velit omnes homines

Quanuis nulli dum viuit clausa sit via salutis & iudiciū discretionis habeat: tamen multoties propter sua peccata multa bona ab eis Dominus aufert.

1. Tim. 2. Matt. 11. Isaias. Apoc. 3. Matth. 7.

mines saluos fieri, vocet omnes laborantes & oneratos, vt ab illo reficiantur: hortetur omnes, vt ad eũ conuertantur: stet semper ad ostium & pulset: atq; suadeat vt petant si vellint accipere: pulsent si vellint, vt illis apetiatur salutis ianua: tamen aliquando ob suũ obstinatum animũ ob sua innumera scelera, atq; crimina ab eis aufert cognitionẽ veritatis, vt in hoc loco vides. Aufert miracula. Væ tibi Corozaim, vę tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Aufert doctorẽ & prædicatorẽ. Ecce dies veniunt (inquit Amos, siue Dñs per Amos) & mittã famem in terram, non famem panis, nec sitim aquæ, sed audiendi verbũ Dei. Aufert gratiã & auxilium, quod electis suis solet præstare, vt defacto conuertantur, cuius enim vult miseretur, & quem vult indurat, vt Paul. ait. Et rursum: erudire Hierusalẽ (ait Dñs per prophetã) ne forte recedat anima mea à te, ne fortè ponam te desertã terram inhabitabilẽ. Aufert deniq; angelorum custodiam. Curauimus Babylonẽ & non est sanata: derelinquamus eã: & eamus vnusquisque in terram suã: quoniã peruenit vsque ad cęlum iudiciũ eius. Quare ne in has erumnas deueniamus, curandum est, vt reuertamur à vijs nostris pessimis: nam quantumuis scelerati simus, possumus ad Deũ conuerti: possumus quod ad nos attinet facere: neque misericors Dñs aufert fauorem eũ, absq; quo homo studiosè agere nequit: ne cum Dñs pro tribunali sedeat, illi peccata sua peccator retorqueat. Medi. de pœnit. q. 11.

Matt. 11. Amos. 8. Rom 9. Hier. 6. Hier. 51. Medina.

¶ *Est autem hac parabola.* Est, pro, *Significat.* Heb. sic alibi petra autem erat Christus.

¶ *Qui autem secus viam.* Vel. *Illa autẽ* (subaudi. *Semina seminata secus viam significant eos qui.*

¶ *Nam qui super petram.* Vel. *Qua autem* (subaudi. *Semina iacta sunt super petram significant eos qui.*

¶ *Et hi, radices non habẽt. Et,* p, *at,* heb.

¶ *Euntes.* Vel sequentes (illas)

¶ *Et non referunt fructum.* Græcè τελεσφορεῖν fructum perfectum & absolutum suo tempore proferre, significat.

A

¶ *Fructũ afferunt in patientia.* Vel per patientiam. Nullo enim malorũ incursu possunt iusti dimoueri à semel cæpto studio pietatis. *Vel fructum afferunt in patientia.* Illam, scilicet, alios docendo.

Nemo autẽ lucernã accendẽs, operit eã vase, aut subtus lectum ponit, sed supra cãdelabrũ ponit, vt intrantes videant lumen. Nõ enim est occultum quod nõ manifestetur: nec abscõditũ quod non cognoscatur: et in palam veniat. Videte ergo quid audiatis. Qui enim habet dabitur illi: et quicunq; nõ habet, etiã quod putat se habere auferetur ab illo.

B C

Nemo autẽ. Parabolã modo prædictã seminantis, Iesus dignatus est suis discipulis priuatim explanare: vt quod tũc priuatim audiebãt, post, suo tempore, sine metu persecutionis palã omnibus prædicarent. Si quidem intelligentia sacræ doctrinæ lumẽ est, hoc qui impartit, non ideo impartit vt seruetur absconditũ, sed vt multis præluceat. Ideò ait Dñs. Nemo vero cũ lucernã accendit, eam operit vase, aut sub lectũ reponit, sed imponit cãdelabro, vt qui domum intrant videant lumen. ¶His verbis ac sequentibus docet Dominus non debere prædicatores euãgelicos, aut ob metũ persecutionis, aut ob aliud cõmodum temporale abscondere verbũ Dei: docet etiam in eo munere non debere esse negligentes: ne quod habet auferatur ab eo. Quod verò prædicatores mysteriorum Christi ob persecutionem à prædicatione cessare non debeant, ostendit suo exemplo Diuus Paulus: qui in Epistola ad Thessalon. missa. capit. 2. inquit. Ausi sumus in Deo nostro loquẽdo ad

Lumen, intelligẽtia est doctrinæ sacræ.

D

Nõ debẽt prædicatores ob metum persecutionis abscõdere veritatem Euangelii cum successum lucrie

Ad Thess. 2.

ad vos Euangeliũ Dei in magno certamine. Signũ ergo (inquit Ambr.) deuoti & fidelis prædicatoris hoc dicit esse, si in pressura loqui verbum Dei non timeat: inanem illũ significans: qui terrore præsenti formidinem patitur prædicandi. Non ergo timeamus eos qui occidere possunt corpus, animam autem nõ possunt occidere: ne similes simus Petro, ad prunas, metu mortis lumen diuinum abscondenti, imo neganti: cum illud nõ ancillæ solum, sed toti domui pontificis deberet manifestare.

D. Ambr. ibi. — Ioan. 18.

¶ *Nemo lucernam accendens: operit eã vase, sed super candelabrum, &c.* In Zacharia Propheta legimus: vidi & ecce cãdelabrum aureum totum, & lampas super eum: & septem lucernas super illud. Candelabrum (inquit Hiero.) de auro purissimo ecclesiastici viri Ecclesiam intelligunt: quæ in scripturis sanctis, sensum ac mentem magis quàm verba perquirit. Quod autem in sensu aurum accipiatur: posteriora & humeri columbæ in 67. Psalmo ostendunt: quæ dicuntur auri virore seu fulgore radiare. Lampadem & ipsi Christum intelligunt, quod luceat in Ecclesia: qui de se ipso dicit: nemo lucernam accendit & ponit eam sub modio: hoc est, sub mensura legis: sed super candelabrum, id est, Euangelij libertatẽ: vt luceat cunctis qui sunt in domo. Lucernas septem, & effusoria earũ, & ipsi gratias sancti Spiritus intelligunt: per quas oleũ, misericordiæ Dei cunctarũq; virtutũ ecclesia suscipit. Hæc ille. ¶ Hæc est lampas illa, & lucerna, à qua tanquã à luci fonte, omnia Ecclesiæ candelabra accenduntur. Hæc dicit (inquit Ioãnes) qui tenet septẽ stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorũ aureorum. Præsules enim & concionatores doctrinæ cœlestis, stellæ sunt, & cãdelabra aurea, mundum illuminantia. Vos (inquit) estis lux mundi. In medio illorũ ambulat Christus Dñs lampas excellentissima, singula cãdelabra incendens, vt luceant omnibus qui in domo Ecclesiæ sunt. Sic enim appellat Ecclesiam D. Paul. priori ad Tim. epist. c. 3. inquiens: hæc tibi scribo, vt scias quomodo debeas in domo Dei conuersari, quæ est ecclesia Dei viui.

Lucerna & lampas Christus. — Zacha. 4. — Figura. — D. Hiero. — Candelabrum Ecclesia, vel Euangelij libertas. — Psalm. 67. — Math. 5. — 7. Lucernæ dona sancti Spiritus. — Apoc. 2. — Præsules & concionatores stellæ & cãdelabra sunt in ecclesia. — Math. 5. — Ecclesia domus Dei vocatur. — 1. Tim. 3.

¶ *Nemo lucernam accendens.* Vnusquisque prædicatorum verbi Dei lucerna est posita à Deo, vt sua doctrina luceat & resplendeat in Ecclesia Dei. Et quẽadmodũ lucerna ardet, & lucet: sic verus Euangelicusq; cõcionator nõ solũ debet lucere, sed ardere. Ideo D. Ioan. lucerna ardẽs & lucẽs appellatur. Est enim (inquit Bern.) tantũ lucere, vanũ: tantũ ardere, parum, ardere & lucere perfectũ. Audi quid dicat Scriptura sapiens permanet vt sol, stultus autẽ vt luna mutatur. Quia enim splendet luna sine feruore, modo plena, modò exigua, modo nulla videtur. Mutuatũ siquidem lumen nunquã permanet in eodẽ statu, sed crescit, deficit, extenuatur, adnihilatur, & penitus nõ cõparet. Sic sic qui cõscientias suas in alienis labijs posuerũt, modo magni, modo parui sunt: modo nulli, secũdũ quod adulantiũ linguis, vel vituperare placuerit, vel laudare. At verò solis splendor igneus est, & cũ feruet acrius, etiam oculis luci lior exhibetur. Sic sapientis ardor internus, foris lucet: & si non ei datur vtrũq;, curat semper ardere magis, vt pater suus, qui videt in abscõdito reddat ei. Væ nobis si luxerimus tantum. Nã lucemus quidẽ, & magnificamur ab hominibus, sed mihi pro minimo est, vt ab humano iudicer die. Qui enim iudicat me Dñs est, qui feruorẽ ab omnibus exigit: splendorẽ verò non ita. Ignẽ (inquit) veni mittere in terram: & quid volo nisi vt accendatur? Hoc nẽpe cõmune mãdatũ: hoc est, quod exigitur ab vniuersis, nec vlla si deesse contigerit admittitur excusatio. Cæterũ singulariter Apostolis, & apostolicis viris dicitur: luceat lux vestra corã hominibus: nimirũ tanquã accensis: & vehementer accẽsis: & quibus nõ timeatur a flatu quolibet, aut impulsione vẽtorũ. D. Ioan. Euãgelicus prædicator, lucerna erat ardens & lucẽs. Vnde nõ ait Euãgelista, lucẽs & ardens: quia Ioannis ex feruore splendor, nõ feruor prodijt ex splendore. Sũt enim qui non eo lucent, quia feruent, sed magis feruent vt luceant. Ac isti plané non feruent charitatis spiritu, sed studio vanitatis. D. Bernard. in sermone. 1. de sancto Ioanne Baptista. Studeant er-

Prædicator lucerna est quæ ardore & lucere debet. — Ioan. 5. — D. Bern. — Eccles. 27. — Luc. 12. — Math. 5. — Ioan. 5.

go prælati studeant concionatores sermonis diuini, non solum lucere doctrina, sed ardere charitate: vt sic cum animarum vtilitate luceant in domo Dei, vt sic libere in publicũ prodire: & mysteria Christi prædicare omnibus audeat.

¶ *Non est occultum quod non manifestetur.* Hic subaudire debes, quæ ante hæc verba Dominus dixerat (vt narrat D. Matth. cap. 10.) postquam enim Dominus prædixerat persecutionem, quã Apostoli propter prædicationem Euangelij erant passuri, concludit: *ne ergo timueritis eos.* Nihil enim est opertũ quod non reueletur, vel reuelabitur. ¶ *Nihil est occultum quod non manifestetur.* Vel manifestari debeat. q. d. nihil est occultũ in prophetis de me: quod non sit manifestandum à vobis. *Neque absconditũ sub.* In prophetis, de me *quod non veniat in palam.* Orationes sunt istæ defectiuæ, quæ suppleri debent.

Matt. 10.

¶ *Videte ergo quid audiatis.* Vel quomodo audiatis. Id est, habete rationem doctrinæ quam auditis.

¶ *Qui enim habet dabitur illi.* Id est, qui constanter retinet doctrinam auditã copiosius dabitur illi.

¶ *Et quod putat se habere: auferetur ab illo.* Id est, etiam quod initio accepit auferetur ab illo. Auide igitur accipiamus intelligentiam mystici sermonis, ac veluti thesaurum diligenter reponamus in animo, vt dignos nos esse declaremus quibus plura committantur: quãdoquidem quod datum nobis est, haud indiligenter seruamus. Si quidem habenti dabitur, qui verò sua negligentia perdidit quod habebat, ei non solum nihil addetur, verumetiam hocipsum quod habere videbatur, auferetur ab eo: quoniam negligenter habebat thesaurum Euangelicum, quo quanto ditior es, tanto magis cupis ditescere. Caueamus igitur, ne simus in Euangelij prædicatione secordes, & negligentes: ne auferatur à nobis regnum Dei, hoc est, doctrina cælestis & detur genti ferenti fructum centesimũ.

A

Venerunt autem ad illũ mater & fratres eius: et non poterãt adire eũ præ turba. Et nũtiatum est illi, mater tua & fratres tui stãt foris volentes te videre. Qui respondens dixit ad eos, mater mea et fratres mei: hi sunt qui verbum Dei audiunt & faciunt.

Matt. 12. Marc. 3.

B

Fratres eius. Id est, cognati eius. Hebr. sic Genes. 13. ait Abraham conso brino suo Loth: ne quæso sit iurgiũ inter me & te. Fratres enim sumus. Et. c. 24. reduxit, inquit, omnẽ substantiam: & Loth fratrem suum. Et. c. 29. ait Labã cõ sobrino suo Iacob. Nũ, quia frater meus es, gratis seruies mihi? Tobiæ. c. 8. ait Tobias. Et nunc Domine tu scis, quia nõ luxuriæ causa, accipio sororem meam coniugem. Sororem vocat quod esset eiusdem tribus.

Gene. 13. Fratres in scriptura vocantur cognati. Genes. 24. & 29. Tob. 8.

C

¶ *Mater mea hi sunt: qui verbum Dei audiunt & faciunt.* Obserua hic: quòd nascitur Christus in anima quæ audit: conuertimini ad me: & conuertitur ama: re flendo pristina peccata. In quem sensum moraliter explicat D. Hiero. Psal. 81. quod incipit fundamenta eius in montibus sanctis: in hunc modum. Si enim Siõ interpretatur specula, anima autem nostra non aliter nisi semper sublimiora cõsiderat, vera Ecclesia, verũ templũ Christi non est, nisi anima humana. Ecclesia Christi non est alia, nisi anima credentiũ in Christum. Vos, inquit, estis templum Dei & spiritus Dei habitat in vobis. *Fundamenta eius in montibus sanctis:* Hoc est, Dei fundamenta non sunt, nisi in mõtibus sanctis, in dogmatibus animę credẽtis. *Diligit Dominus portas Sion.* Habet Sion nostra plurimas portas: quas si aperuerimus, ingreditur ad nos sponsus, & dormit nobiscũ. Deniq; ipse dicit. Ecce ego sto ante ostium & pulso. Si quis mihi aperuerit, intrabo & cœnabo cũ ipso. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* Ciuitas nõ est vnum ædificium, sed in multis

Nascitur Christus in anima peccatrice, quãdo ad eum cõuertitur. A D. Hie. explicatur Psal. 81.

1. Cor. 3.

D

Apoc. 3.

tis ædificijs consistit. Sic & Sion nostra, nisi plures virtutes habuerit, ciuitas Dei non erit. *Memor ero Raab & Babylonis scientium me.* Illa quæ quondam erat in latitudine peccatorum, ascendit posteà in memoriam Dei. *Nunquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea.* Rem vobis miram loquor, sed veram. Sion nostra in qua aliquotiens alienigenæ sunt, & Tyrus, & AEthiopes: illa specula, illa meretrix, illa Raab, illa Babylon, illa quæ diuaricauit pedes suos omni transeunti secundum Ezechiel, illa meretrix, si voluerit, virgo repente efficitur. Virgo fit, & concipit filium Dei, & generat. A timore tuo Domine concepimus, & parturiuimus, spiritum salutis tuæ fecimus super terram. Videte ergo, quoniam illa meretrix à Deo concepit, & parturiuit saluatorem. Spiritum salutis tuæ fecimus super terram. Ergo anima nostra illa Raab, illa meretrix, potest concipere, & parere saluatorem. *Et homo natus est in ea.* Si volumus, quotidie nascitur Christus. Per singulas virtutes nascitur Christus. Si enim Christus Dei virtus & Dei sapientia est: quicunque virtutem facit, virtutem generat. *Et ipse fundauit eam altissimus.* Ipse qui nascitur in te: ipse fundamentum dat Sion tuæ. *Dominus narrabit in scriptura populorum.* Manifestum est, quoniam quod Dominus loquitur in Scriptura, nulli ita loquitur quo modo Sion. Hæc D. Hieron. Merito ergo in hoc loco Dominus ait, Mater mea hi sunt qui verbum Dei audiunt & faciunt. ¶ Nascitur etiam Christus in Bethleem Iudæ. Bethleem domus panis interpretatur. Panis autem animæ, fidei nostræ fortitudo est. Non ergo in huiusmodi corde (inquit Bernard.) nascitur Christus, cui deest fidei fortitudo, vtique panis vitæ: Scriptura teste: quoniam iustus ex fide viuit, quod videlicet animæ vera vita (quæ ipse est) non nisi per fidem (scilicet viuam) interim habitet in cordibus nostris. Alioquin quomodo in illo nascitur Iesus, quo modo filius oritur illi, quandoquidem vera omnino certaque sententia est, quod is tantù qui perseuerauerit vsque in finè saluus erit.

Ezech. 16.

Isai. 26.

Quid sit nasci Christum in Betlileem Iudæ.

Abac. 2.

Matt. 10.

Obserua tamen, quod nô simpliciter in Bethleem, sed in Bethleè Iudæ nascitur Iesus Christus filius Dei. Præoccupemus igitur faciem Dñi in confessione, vt sanctificati pariter & parati inueniamur & nos Bethleè Iudæ, atque ita nascentem Dominù videre mereamur in nobis. Cæterùm, si qua anima eo vsque profecerit (quod quidè est multum ad nos) vt sit fecunda virgo, sit stella maris, sit plena gratia, & superuenientem habens in se Spiritum sanctû, puto quod nô modo in ea, sed ex ea quoque nô dedignabitur nasci. Nemo sane id sibi arrogare præsumat, nisi quos ipse speciali designatione tâquã digito monstrauerit, dicens: Ecce mater mea & fratres mei. Lege D. Bern. serm. 6. in vigil. Natiuit. Dñi. Cæterù vide, quæ in hæc verba ait Richard. super Psal. 28. Vide etiam Vgonem de sancto Vict. 2. p. lib. 3. de anim. c. 47. ¶ *Mater mea: hi sunt qui verbum Dei audiunt, & faciunt.* Genes. 24. Sacra narrat historia, quod vt Rebecca efficeretur sponsa Isaac, ex quibus ortus est Iacob, suspendisse prius seruû Isaac inaures ad ornandam faciem Rebeccæ, & armillas posuisse in manibus eius. Qua figura datur intelligi, quæ sint necessaria, vt anima sponsa sit Dei, materque Christi. Primum, vt audiat verbû Dei: deinde vt bonis operibus adornetur. Per inaures enim verba diuina margaritis omnibus pretiosiora significantur. Per armillas vero opera sancta. Hi ergo concipiunt & pariunt Iacob, id est, Christum qui inaures habent suspensas, & armillas in manibus, hoc est, qui audiunt verbum Dei & faciunt. Beati profecto sunt huiusmodi homines, nã quemadmodum Rebecca prius inaures & armillas accipit: deinde vasa aurea & argêtea & vestes: sic illi qui prius Dei verbo, atque sanctis operationibus sunt adornati: postea multis charismatibus multisque muneribus donantur. ¶ *Mater mea: hi sunt qui verbum Dei audiunt & faciunt:* Docet hic locus sermonem Euangelicum rem esse pretiosiorem, cura rerum domesticarum. Docet non agnoscêdã esse cognationè carnis quoties animorum saluti consulitur. Ideò respô-

dit

D. Bern.

Figura. Gen. 24.

D. August. tomo. 10. ser. 2. p. 2. do. in 40. serm. 15

dit his qui nunciarant matrem & cogna tos adesse: mater mea & fratres mei: hi sunt qui audiunt verbum Dei.

Dominica. 2. post Epiphaniam.

Factum est autem in vna dierum: et ipse ascendit in nauiculam, & discipuli eius: et ait ad illos, trãsfretemus trans stagnum. Et ascenderunt. Et nauigantibus illis obdormiuit: & descẽdit procella venti in stagnum, et complebantur, et periclitabantur. Accedentes autem suscitauerunt eum dicẽtes: praeceptor perimus. At ille surgens increpauit vẽtum, & tempestatem aquae: et cessauit: et facta est tranquillitas. Dixit autem illis, vbi est fides vestra? Qui timentes mirati sunt ad inuicem dicentes, quis putas hic est, quia & ventis & mari imperat, et obediunt ei?

Matth. 8. Marc. 4.

F*actum est autem in vna dierum.* Inter alia quae hic Dominus suos docere vult, illud est vnum, in omnibus tumultibus, quibus hic mundus coorturus sit aduersus profectum Euangelicum, non opostere, nec despõdere animum, nec suis quenquam viribus fidere: sed ab ipsius auxilio pendere. Nec huius operam in illis periculis defuturam, si A modo nos non deficiat fiducia: si precibus ex animo fusis illius praesidium imploremus. Nos praeterea docere vult, vt in tentationibus & periculis non deficiamus: sed illum cum fiducia inuocemus: si ab omni periculorum procella liberari volumus.

¶ *Nauigantibus illis obdormiuit.* Mirum sane est, quod Christus Dominus in tempestate dormiat periclitantibus suis. Sed audi quid ipse dilectus dicat Can. 5. Ego, inquit, dormio & cor meũ vigilat. B Ad tempus enim permittit vt exoriatur tribulationis & tentationis procella, & tunc obdormire dicitur: sed cor suum vigilat, prouidendo, scilicet, tempus, quo suis in periculo positis, subueniat. Hoc idem est, quod regius vates Psal. 120. affirmat, vt spem nostram in periculis erigat, inquiens: Ecce nõ dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel. Dominus custodit te, Dominus protectio tua super manum dexteram tuã. Per diem sol non vret te, neque luna per noctem. Dominus custodit te ab omni malo. ¶ C *Nauigantibus illis obdormiuit & descẽdit procella venti.* Obdormiente Domino statim oritur tempestas. Item obdormiente Ionas sopori graui postquam fugerat a facie Domini, facta est tẽpestas magna in mari. Quibus rebus nos Dominus admonere vult, ne dormiamus, ne sopore deprimamur, si obrui nolumus malorum procella. Sunt nonnulli Ionae personã agentes: qui postquam Dei mandata contemnentes, recesserunt a facie eius: erroris multorumque vitiorum sopore torpent: quibus non sufficit fugisse a facie Dei, D sed quadam vecordia mentes illorũ obrutae, ignorant iracundiam Dei, & quasi securi dormiunt, & profundissimũ somnum roncho nare sonant. Hi postea malorum tempestate, & totius mundi contra se saeuiente naufragio, compellũtur sentire Deum: & reuerti ad eum quem fugerant: excitati a somno erroris & vitiorum. Dormit Ionas, & ob peccata sua oritur tẽpestas magna: dormit Christus in nobis, & ob peccata nostra oritur tẽpestas. Nõ igitur dormiamus, si multa mala pati nolumus: nõ inquã, peccatis seruiamus,

Cant. 5. Psal. 120. Ionae. 1. Figura. Vt ibi. D. Hieron.

mus, si à tentationis procella obrui nõ volumus. Vigilate inquit & orate: vt non intretis in tentationẽ. Vigilant Apostoli & excitant Christum, & liberati sunt à procella postquam eum deprecati sunt. ¶ Præterea, si pacem perpetuã, tranquillitatem sempiternam, quietem, prosperitatem, ac æternam desideras securitatẽ: patienter huiusmodi ærumnas, & tempestates, & miserias fer. ¶ Nam & qui tempore hyemis vadit ad balneas, prius asperitatem frigoris nudus patiẽter excipit, quia eum sequutura calefactio consolatur. Ita certa spes rem vincit instantem, vt illud quodãmodo esse incipiat quod futurũ est, & desinat esse quod præsens est. ¶ Sic etiam pretiosior salubritas est, quæ post langoris recuperatur incommodum. & à qualibet parte, ex maiori sæpe laboris necessitate, ad maiorem solet fœlicitatem veniri. ¶ Sic qui literæ scientiam desiderat habere, si discendi non susceperit tædia, peritiæ gaudia adipisci non poterit. Nec cuiuslibet eruditionis quisquam habere poterit gloriã, nisi animi æstus ante fuerit perpessus. ¶ Agricola quoque de vbertate frugum lætari non poterit, nisi prius terram multo labore confecerit: & tanto magis prosperitatis spem congerit, quanto se amplius desudasse cognouerit: & de labore impenso sperat vbertatis augmentum. Quid quod in creaturis penè omnibus, ita esse cognoscimus: illic maiorem fructum gigni, vbi onerosæ acerbitatis causa præcesserit? Nam & æstatis & autumni temporibus, quæ tempora ministra sunt frugum, sterilitatem nimiam nonnunquam hyemis lenitas intulit, cum fœcunditatem maximam frigoris sæpè præstiterit austeritas. Et quicquid clementia veris resoluit, spem vbertatis amisit. Arbores etiam ipsæ tanto numerosiore grauantur fructu, quanto acerbioris frigoris violentia reprimuntur: cum præcoces flores opportuna castigatio refrenando ad periculum festinare non patitur, vtile impedimentum pruinæ: & quod reprimit non obfocat, sed includit. At verò, si paulo clementior vis extiterit imbrium, quanto luxurians prius indisciplinata festinatione, tanto post fructibus deseruntur, cum futuræ vires importuno tempore consumuntur. ¶ Semina quoque ipsa terræ iacta atque commissa, quanto glaciali frigore arcente tardius surgunt in frugem, vtili radice proficiunt, tanto postmodum amplioribus fructibus prægrauata curuantur. Nauigantibus quoque ipsis longæ serenitatis spem pollicetur, nimis valida & diuturna tempestas. Quæ cum ita sint, æquanimiter ferre conuenit, etiam si nos tribulationum ac dolorum asperioris hyemis procella concusserit: tanto ampliorem æstatis fructum delaturi, quanto presenti frigore vitam habere contigerit acriorem. Nec vlla nos insurgentis pelagi debet terrere tẽpestas: cum ventura nostra sit etiam nunquam finienda tranquillitas. Domini enim est vox illa, dicentis: Beati estis cum maledixerint vobis homines & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos: gaudete & exultate, quia merces vestra copiosa est in cælis. Quisquis enim mercedis & beatitudinis suæ causas non cum ingenti gaudio suscipit, certum est eum aut infidelitate, aut imperitia laborare. Optandum est etiam quanuis sit amarum, quod lucrum parit: & cum lætitia maiori sumendum, quicquid ampliorem generat mercedem. Nec congestio laboris vitanda est, quæ est augmentatio commodorum. Sic namque negotiatorum auiditas, amplioris quæstus causa, nec maria pertimescit, nec terrena discrimina: quæ interdum etiam causæ solent esse damnorum: & propter maioris lucri spem, nauigationis & peregrinationis incommoda libenter assumit. Quia quãuis magnus, facile contemnitur labor, vbi non tan laboris quãtitas, quàm eius vtilitas cogitatur. Et si id fieri propter temporalia & incerta lucra cõspicimus? quid nobis propter æterna, & sine vlla ambiguitate ventura, sit agendum cogitemus. Vide D. Hiero. in Epist. ad virginem in exilium missa. Patienter igitur tribulationis procellam toleremus, sperantes in Dño, & non timẽtes, ne ab illo merito

Marginalia: Marc. 14. — Similitu. Multis similitudinibus hortamur ad patientiam in tribulationũ procella, & excitatur fiducia nostra. — Similitu. — Similitu. — Similitu. — Similitu. — Similitu. — Similitu. — Similitu. — Matth. 5. — Similitu. — D. Hiero. tom. 4.

merito audiamus quid timidi estis modicæ fidei. Vbi est fides vestra? Nam ipse est qui stare facit procellam maris in auram, & silere facit fluctus eius. Ipse est, qui deducit suos in portum voluntatis eorum. Ipse est, qui imperat ventis, & mari, & obediunt ei. Quando denique nullum pené sciamus fuisse sanctorum, qui procellosum huius temporis agonẽ absque tribulationis tempestate transierit: & tantorum odia insectationemque pertulerit, & tandẽ eos dominus ad perpetuam, magnamque animi tranquillitatem perduxerit: non est, quare despõdeamus animum: sed potius, in eum fidamus, eum precemur, & tunc ad iussum eius, consequetur in animis nostris, pax, & tranquillitas magna.

Psal. 106.
Ibidem.

¶ *Suscitauerunt eum, dicentes, præceptor perimus.* Alius Euangelista ait discipulos dixisse: Domine salua nos, perimus. Quoties igitur cõtinget & nos periclitari, quoties in nostris animis abdormierit Iesus, vellicemus eum pijs votis, expergefaciamus eũ assiduis precibus, dicamus cum regio vate: exurge, quare obdormis domine? Exurge ne repellas in finem. Dicat, inquam, vnusquisque nostrum in periculo positus: *Saluũ me fac Deus: Quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.* Tribulationes, inquam, plurimæ & angustiæ intolerabiles me affligunt, & iam occupauerunt vniuersum cor meum, tanquã si aquæ per os copiosè ingrediantur ad suffocandum cor, & extinguendum animã. Saluum ergo me fac. In tantis enim tribulationibus sic consisto, quo modo is qui in profundo aquarum vsque ad os ascendẽtium consistit: quare periclitatur vitã mea, nisi tu auxiliator cælestis accurras. Saluum me fac, *Quoniam infixus sum in limo profundi & non est substantia.* Sum enim ad modum eius, qui secundũ corpus in limoso luto infixus est, in profundo aquarum (ita vt mouere se non possit, aut enatando periculum euadere) ita nunc ego in profundo tribulationum hæreo infixus: ita vt per me non videam euadendi viam: & non est in vlla firma substantia, nihil est solidũ vbi sub-

In tribulationibus orandum.
Psalm. 43.
Psalm. 68.

A

sistam, non est vbi firmum possim ponere vestigium pedis mei, sed continuo immergor profundius: quoque amplius laboro, eo in figor altius: sicut is qui in limoso profundo consistit, quo plus laborat corpore, vt se extricet, eo magis ac magis cœno infigitur. *Saluum me fac quoniam veni in altitudinem maris & tepestas demersit me.* Insta igitur, clama, assiduis precibus expergefac eũ, & illico tempestas vertetur in tranquillitatẽ. Non enim dabit Dominus in æternum

Titil.

B

fluctuationem iusto, vt regius vates psallit Psalm. 54. iacta ergo cogitatum tuum in Domino. Si quid tibi curæ est: si tibi pro re qualibet solicitudo est, Deum precare & ipse faciet. Ipse non patietur te in perpetuum periclitari: neque sinet cadere in perditionem. ¶ *Præceptor perimus.* Obserua hic: quod quemadmodũ nemo potuit ædificare Ecclesiam nisi Christus: ita nemo eam potest conseruare ne pereat, nisi Christus. Super hãc petram, inquit, ego ædificabo Ecclesiam meam. Is ergo qui ædificauit: etiam con-

Psalm. 54.
Titil.
Matt. 16.

C

seruat & gubernat. Ego (inquit) vobiscum sum, vsque ad consummationem seculi. Quare quando Ecclesia fuerit in magno periculo constituta, Christus Dominus qui conseruator est eius, assiduis precibus est expergifaciendus. Nam nisi ille custodierit illam frustra vigilabit, qui vellit eam custodire.

Matt. 28.
Psal. 126.

¶ *Increpauit ventum & tempestatem aquæ, et cessauit.* Increpare, hoc in loco significat coercere & compescere. Quẽadmodum in Psalm. 105. increpuit mare rubrum & exiccatũ est. Et apud Isaiã,

Psal. 105.

D

c. 17. Increpabit eum, & fugiet procul, id est, Deus coercebit sennacheribũ, qui se in fugam conuertet.

Isai. 17.

¶ *Quis putas hic est, quia et ventis et mari imperat, et obediunt ei?* Non sine magna causa putandum est, voluisse Dominum ædere miracula, in omnibus etiam rationis expertibus creaturis. Cũ enim Dei sapientia sit, cuius semper fuit disponere omnia suauiter: disposueritque miracula & signa ædere, vt virtutem suam diuinam esse ostenderet, idque ad hominũ salutem: consentaneũ

Quare Christus in omnibus creaturis etiam irrationabilibus edidit miracula.

& æquum fuit, vt non solum in hominibus, sed in omnibus alijs creaturis, miracula faceret. Hinc fuit quod hodie imperauit ventis & mari & statim obedierunt iussis illius. Sed interim obseruaquod non ait Euangelista eum turbasse aeré, aut diuisisse aquas maris: sed quid sit? Quod imperauit ventis, & mari, & quod tunc facta est tranquillitas magna. Non enim æquum erat, vt qui omnia in statum pacis, & tranquillitatis, reuocare venerat, turbaret aerem, aut commoueret, & diuideret aquas. Hinc est, quod D. Paulus in Epistola ad Hebræos missa ait: non accessistis ad tractabilem montem, & accessibilem ignem, & turbinē, & caliginem, & procellam. Sed accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Hierusalem cælestem, & ad testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem melius loquentem quàm Abel. Lege D. Tho. 3. part. quæst. 44. art. 4. ad. 3. *Quis putas hic est, quia & ventis & mari imperat, & obediūt ei?* Non mediocris pudor est (inquit Ambros.) imperio Dei insensibilia elementa parére, & homines non obedire, quibus sensus ab ipso tributus est authore. Audi ergo ò homo quid Dauid in Psal. 148. dicat. Præceptum posuit, & nō præteribit. Et rursum: Idem Psalmista ait: terminum posuisti: quem non transgredientur. Audi quid alius propheta affirmet: stellæ, inquit, vocatæ sunt, & dixerunt: adsumus. Audi denique quid isti hodie admiratione & timore correpti, dicant: quis putas hic est? Quia & ventis & mari imperat, & obediunt ei. Obediamus ergo & nos iussis Domini, exemplo surdorum inanimorumque elementorum, exēplo etiam illius qui dicebat: nonne Deo subiecta erit anima mea?

Hebr. 12. D. Thom. Ambros. lib. exam. Psal. 148. Baruch. 3. Psalm. 61.

Textus.

ET nauigauerūt ad regionem Gerasenorum, quæ est contra Galilæam, et cū de naui egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam qui habebat dæmoniū iam temporibus multis, et vestimento nō induebatur, neq; in domo manebat, sed in monumentis. Is vt vidit Iesum, procidit ante illum: et exclamans voce magna dixit, quid mihi et tibi est Iesu fily Dei altißimi? Obsecro te ne me torqueas. Præcipiebat enim spiritui immūdo, vt exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat illum, & vinciebatur catenis, et compedibus custoditus: & ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deserta. Interrogauit autem illum Iesus dicens: quod tibi nomen est? At ille dixit, legio, quia intrauerunt dæmonia multa in eum. Et rogauerunt illum ne imperaret illis, vt in abyssum irent. Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte: Et rogabant eum, vt permitteret eis in illos ingredi. Et permisit illis. Exierunt ergo dæmonia ab homine, et intrauerunt in porcos: & impetu abijt grex perpraceps

ceps in stagnum, & suffocatus est. Quod vt viderũt factum qui pascebãt, fugerũt: & nuntiauerunt in ciuitatem, et in villas. Exierunt autem videre quod factũ: et venerunt ad Iesum, & inuenerunt hominem sedentẽ à quo dæmonia exierant, vestitum, atque sana mẽte, ad pedes eius, et timuerũt. Nũtiauerunt autem illis et qui viderant, quomodo sanus factus esset à legione. Et rogauerunt illum omnis multitudo regionis Gerasenorum vt discederet ab ipsis: quia magno timore tenebantur. Ipse autem ascendẽs nauim, reuersus est. Et rogabat illum vir à quo dæmonia exierãt, vt cum eo esset. Dimisit autem eum Iesus, dicens, redi in domum tuã, & narra quanta tibi fecit Deus. Et abijt per vniuersam ciuitatem, prædicans quanta illi fecisset Iesus.

A*D regionem Gerasenorum.* Hæc terra erat pars Arabiæ inferioris sita è regione Galilææ.

§ *Occurrit illi vir qui habebat dæmonium iam temporibus multis, &c.* Certa res esse debet quod dæmones subintrare possunt hominum corpora, tam secundum essentiam suam, quàm secundum virtutem & operationem. En vides hominem intra suum corpus habẽtem dæmonium, à quo maximè vexabatur. Et tandem eiectum fuisse à corpore. Vides etiam illud in porcos subintrasse. Certa etiam res esse debet dæmones illabi non posse animabus. Nullus enim spiritus illabi potest alteri spiritui, dicente Augustino, singulis spiritibus inest terminus, quo à se inuicem distinguntur: & vnus in alio nõ est. Ergo nec animabus, cum spiritus sint. Accedit, quod illabi animis nostris proprium est Dei. Dicente Augustino, illabi menti, illi soli possibile est, qui creauit: qui natura subsistẽs incorporeus captabilis est suæ facturæ. Et Beda explicans verba illa Petri Ananiæ dicta, Cur impleuit Sathanas cor tuum? Sic inquit: notandum, quòd mentem hominis iuxta substantiam nihil implere possit, nisi creatrix Trinitas: quia tantummodo secundum operationem, & voluntatis instinctum anima de his quæ sunt creata impletur. Implet verò Sathanas cor alicuius, non quidem ingrediens, neque introiẽs aditum cordis (siquidem potestas hæc solius Dei est) sed callida & fraudolenta deceptione, animam in effectum malitiæ trahẽs, per cogitationes & incentiua vitiorum, quibus plenus est. Impleuit ergo Sathanas cor Ananiæ non intrando, sed malitiæ suæ virus inserendo. Istorum sententiã approbant inter alios, sententiarum Magister. Et Doctor Sanctus. 3. p. q. 8. art. 8. ad argum. 1. Deus ergo qui esse & essentiam animorum nostrorum conseruat intimè illis illabitur, id est, penitus illos intrat. Dæmones vero non ita sed insinuatim animi astantes, vbique suggerunt cogitationes turpes. Vide de hac re D. Thom. 2. d. 8. art. 5. ad 3. Et adde. § Obserua etiã, quòd diabolus vltor est Dei. Sic enim in sacra Scriptura vocatur. Psalmo enim octauo ait Regius propheta: vt destruas inimicum & vltorem. Hoc igitur vltore vtitur Deus cum punire vult impios, aut cum probare iustos & pios. Vnde Psalmista inquit Psalm. 77. misit in eos iram indigna-

Dæmones secundum essentiam suam, & secundũ operationem subintrãt corpus hominis.

Non tamẽ illabi possunt animabus.

De eccle. dog. c. 82. in tom. 3.

Vi. Magis. 2. dis. 8. c. vlt.

Beda.

Magister. S. Thom.

Diabolus vltor Dei dicitur. Psalm. 8.

Psalm. 77.

dignationis suæ, indignationem, & iră, & tribulationem, immissiones per angelos malos. Vtitur ergo Deus (inquit Augustinus) angelis malis ad puniẽdos malos: sicut in istis omnibus de quibus loquitur Psalmus: sicut in rege Achab: quem fallaciæ spiritus ex Dei voluntate seduxit: vt caderet in bello. Vtitur etiă illis ad probandos iustos, sicut fecit in Iob. Verum est tamen quod ille vir, Dei dono iustus, & fortis, & pie peritus, non ait: Dominus dedit, diabolus abstulit: sed Dominus dedit, Dominus abstulit. Optimè sciens diabolum etiam quod facere de istis elementis poterat: (ignem, scilicet, de cælo immittendo, &c.) non tamen seruo Dei: nisi Domino volente, & permittente fuisse factam malitiam diaboli, confidebat, quoniam quis illa in se probando vteretur, sciebat. In filijs vero diffidentiæ tanquam in suis mancipijs operatur: quemadmodum homines in pecoribus suis: & illic tamen quătum iusto Dei iudicio finitur. Hęc ex Augustino. Iusto ergo Dei iudicio homo iste non ab vno solum, sed à multis dæmonibus vexabatur, quibus vtebatur Deus vt se, suamque iniuriam vlcisceretur: atque vindicaret. ¶Nos ergo iam nõ ambulemus, sicut & gentes ambulant: in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum: qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitię, in operationem immunditiæ omnis. Si enim nos vitijs tradiderimus, tradet nos Dominus Sathanæ: quemadmodum traditus est vir iste, quemadmodum traditus est Saul de quo ait Scriptura sacra: Spiritus Domini malus corripiebat Saulem. Et quemadmodum traditi sunt Alexander & Hymenæus. Est enim diabolus semper promptus, atque paratus ad Dei iniurias vindicandum. Et quemadmodum vir iste à Domino destitutus, atque vindici traditus, agebatur nudus in deserta loca: sic tu Sathanæ traditus, gratia sancti Spiritus destitutus, atque vestimentis eius denudatus, patebis leonũ & luporum incursibus. Quemadmodũ enim olim, Hebræorum castra, nubes cõtra solis ardorẽ tegebat: sic Ecclesia Dei, Spiritus sancti gratia protegitur: & est ei in tabernaculum diei ab æstu persecutionum, & in securitatem & absconsionem à turbine & à pluuia: à quibus omnibus nudus, atque destitutus est peccator ille, qui ob sua scelera traditus est Sathanæ. Vnde subdit statim Euangelista.

D. Aug. | 3. Reg. 22. | Iob. | Ephes. 2. | Ephes. 4. | 1. Reg. 16. | 1. Tim. 1. | Exod. vlt. Figura. | Isaiæ. 4.

¶*Et vestimẽto non induebatur*. Hic est primus peccati fructus: quod hominem spoliat vestimentis suis, omnibusque bonis, vt modo dicebamus. Hinc de Israelitis in idolatriam prolapsis dicit scriptura: videns ergo Moyses populum, quòd nudatus esset, spoliauerat enim eum Aaron propter ignominiam sordis, & inter hostes nudum constituerat. Et rursum ait Dominus de eadem gente apud Ezechiel. c. 16. nuda eras: (scilicet ornamentis virtutum) & confusione plena. Et in Apoc. c. 3. nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Falsò se diuitem putat peccator sola fide instructus, cum bonis operibus spiritualibus, quæ verè sunt diuitiæ, planè indigeat: cæcusque sit non animaduertens, in quibus ambulat, peccati vias & semitas. Nudus denique: id est, bonis omnino operibus spoliatus. Beatus ergo est qui vigilat, & custodit vestimenta sua ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius: vt idem Ioannes ait Apoc. c. 16. vis scire quæ vestimenta iubeat custodire? Nimirum ea, quæ induere nos Paulus admonet in Epist. ad Coloss. c. 3. Induite ergo vos sicut electi Dei sancti & dilecti viscera misericordiæ, benignitatem sanctitatem, modestiam, patientiam, &c. sanctis enim operibus Christianorum fidem oportet indui, quibus exuti, nudi, id est, Dei gratia destituti apparent, & cum his exclusis sordida sint & immunda nostra omnia, tũc apparet turpitudo nostra. Si ergo hæc vestimenta custodieris, fœlix sanè ac beatus es: sin autem infœlix ac miser. Suadeo ergo tibi si nudus es, à Deo emere aurum ignitum probatum, vt locuples fias & vestimentis albis induaris. Eme, inquam, pretio piæ confessionis, & iugi memoria & dolore propriæ fragilitatis, aurum ignitum, id est, feruorem charitatis præssurarum

Peccator nudus esse dicitur. | Exod. 32. | Ezech. 16. | Apoc. 3. | Apoc. 16. | Coloss. 3. | Gega? | Apoc. c. 3.

rum flamma tanquam igni probatum, eme ergo huiusmodi aurum vt locuples fias, & vt candore innocentiæ induatis, vt non appareat confusio & turpitudo nuditatis tuæ.

Gagne.

¶ *Neque in domo manebat, sed in monumentis.* Olim dæmones pro sua virili contendebát persuadere homines, quod animæ defunctorum in dæmones cóuertebantur. Et ideò legio ista dæmoniorũ vagabatur in monumentis mortuorum. D. August. lib. 9. de Ciuit. Dei. c. 11. ait: Platonicos in ea fuisse opinione, vt dicerent: animas hominum dæmones esse post corpora: & ex hominibus fieri lares, laruas, & manes. Lares, si meriti boni sint: Lemures seu laruas, si mali: manes autem Deos dicunt, sed incertum est, bonorum eos, seu malorum esse meritorũ.

Quare in monumentis habitabat homo iste.

D. Augus.

¶ Cæterum hoc facto dæmon iste significare nobis volebat: perpetuam peccatoris domum, esse sepulchrum. Sepulchra eorum, inquit regius vates, domus eorũ in æternum erit. Non enim redibunt amplius de sepulchris in quibus eorum corpora posita fuerint, sed in eis permanebunt quasi in domibus hæreditarijs, resoluendi in cinerem, atque putredinem, donec veniat consummatio sæculi: & tunc corporibus resumptis perpetuò in sepulchris infernalibus habitabunt.

Domus perpetua peccatoris est sepulchrum infernale.

Psalm. 48.

¶ Quærebant sanctæ ac piæ mulieres Christum, in monumento: & ait illis angelus Domini: scio quod Iesum crucifixum quæritis, surrexit non est hic. Si ergo Christum, aut verè Christianum, atque pium, iam vita functum quæsierit, non in monumentis quæras: sed in cælis. At si peccatorem mortuum, inuenire laboras, in sepulchro inuenies. Nam sepulchra eorum domus eorum in æternum. Perpetuò enim apud inferos habitabunt: inibique pœnas perpetuasq; supplicia dabunt impij. Domus enim iustorum cælum est: domus verò impiorum, atque sepulchrum monumentumq; eorum, infernus est. Is ergo est secũdus peccati fructus, quòd peccatorem è domo cęlesti eijciat: atque in inferis tanquã in proprio monumento, perpetuò inhabitare atque vagari faciat. Caueamus igi-

A tur à peccatis, ne in huiusmodi monumẽtis in æternum moremur.

¶ *Quid mihi & tibi est Iesu fili Dei altissimi?* Nonnulli sunt, qui ex hoc loco contendant dæmones cognouisse Christum Dominum esse verum Deum. ¶ Et quod apud Marcum. c. 1. vnus illorum exclamando dixerit: quid nobis & tibi Iesu Nazarene? Venisti perdere nos? scio quod sis sanctus Dei. Quo in loco illud annotandum, quòd non est in textu Græco simpliciter sanctus, sed ὁ ἅγιος. Vt certum & insignem intelligamus. Proinde dilucidius erat, noui te, qui sis, nempe sanctus ille Dei. Ideo Theophilactus hæc verba explicans ait: quod peculiariter sanctus appellatus est, non vt cæteri.

An dæmones cognouerint Christum esse Deũ. Marc. 1.

B

¶ Deindè apud Luc. cap. 4. habes: quod exibant dæmonia à multis clamantia & dicentia. Quia tu es filius Dei, & increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant illum esse Christũ. ¶ Accedit quod Christus Dominus miracula ædebat in suæ doctrinæ confirmationem. Cũ ergo dæmonibus perspicuum certumque sit, neminem miracula operari posse, nisi solũ Deum, inde fit consequens, certò sciuisse illos, Christi doctrinã fuisse à Deo. Quare etiam colligitur, eos cognouisse Christum esse verum Deum. ¶ D. tamen Augustinus in quæstionibus ex nouo & veteri testamento. cap. 66. hanc quæstionẽ disputans: duo concludit: primum: dæmones cognouisse eum esse verum Messiam. Nam omnia signa videbant in eo, quæ dixerant futura esse prophetæ, vt quod ex semine Dauid, de virgine venturus esset Redemptor Israel. ¶ Secundum: eos ignorasse mysterium diuinitatis eius. Quod probare nititur illo testimonio Pauli in priori ad Cor. cap. 2. quẽ nemo, inquit, principum huius seculi cognouit, si enim cognouissent, nunquã Dominum glorię crucifixissent. Sunt autem isti principes quos alio loco significauit Apostolus dicens: nõ est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinẽ, sed aduersus principes, & potestates huius mundi, aduersus tenebrarum harum rectores. Quod si de his principibus in illo loco priori, loquitur Paulus: & non de

Luc. 4.

C

Augus.

D

1. Cor. 2.

Ephes. 6.

de primoribus Iudęorum (vt contendũt alij) de quibus loquitur Petrus Acto.3. dicens scio quod per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri) certo consequitur eos non cognouisse Christum esse Deum. Deinde id cõstat: Nam quęrit quãuis captiosé, diabolus à saluatore dicens, si filiu Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Videns enim aliquando diuinam virtutem, aliquãdo hominis infirmitatem, ambigens quid verum esset, torquebatur. Hæc ex Augustino. Vide D. Chrysost. in imperfecto, hom. 5. & super Matth. hom. 13. & D. Hierony. in c. 4. Matthæi. His locis Doctores isti sancti docent diabolum non intellexisse Christum Dominum esse filium Dei. Cuius rei argumentum sumi potest ex verbis illis, quæ refert D. Matth. cap. 27. Sedente enim Pilato pro tribunali, misit ad eũ vxor eius dicens: nihil tibi & iusto illi. Multa enim passa sum per visum hodie propter eum. Vbi postquam dæmon cõiecturis existimauit eum esse filiũ Dei; conabatur eius mortem impedire. ¶ Cęterum his non obstat, quod in hoc loco diabolus appellet Christum filium Dei altissimi, nam & si id dicebat: aliud tamẽ intelligebat. Est enim mendax & pater mendacij. ¶ Ad secundum testimoniũ ex Marco adductum, fateor illum intellexisse esse verum Messiam, ideò appellauit eum sanctum Dei peculiariter. ¶ Ad testimonium vero tertium ex Luca adductum, eodem respondetur modo. ¶ Cæterùm, si Dominus tunc temporis non sinebat ea loqui, neque sinebat ea prædicare quod certo scirent eum esse Christum; multis rationibus id factum esse credimus. Prima, quia non est accepta laus in ore peccatoris. Secũda, vt nos doceret, atque nobis ostenderet, dæmones non esse audiendos etiam cum vera prædicant: sed tunc maximé esse cauendos. Tertia, quod dæmonia illa præripiebãt Apostolorum laudem, & munus, quibus commissum erat officium annuntiandi Euangelium. Vide D. Chrysost. in Epist. ad Corinth. 1. cap. 12. hom. 29. Explicantem verba illa Pauli, & nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto. ¶ Ad vltimum tandem argumentum. Illud primum dicendum occurrit dęmones ignorare, an sit angelus aliquis superior tantæ virtutis, vt illa miracula ædere possit: quare ex illis colligere certo non poterant diuinam potentiam, atque naturam Christi. Deinde dicimus per malos & scelestes homines Deum fecisse aliquando miracula in protestationem cælestis doctrinæ. Cum ergo Christus Dominus miracula non fecerit ad probandum se esse filium Dei: sed in vtilitatem Ecclesiæ & probationem, atque confirmationem suę doctrinę: hinc fuit, quod ex factis miraculis nõ poterant dęmones certo intelligere eum esse verum Deum. ¶ *Quid mihi & tibi est.* Græcismus. Pro, *quid mihi tecu est:* id est, quid est propter quod tecũ diceptare debeã? ¶ *Obsecro te ne me torqueas.* Hic vides quod maligni spiritus dolore & tristitia afficiantur. Sic Apoc. c. 20. ait Ioannes quod diabolus est missus in stagnum ignis: vbi & bestia & pseudopropheta torquebuntur die ac nocte. Sic animus diuitis dicebat, crutior in hac flamma. Vnde illud obserua: quod in voluntate sunt actus eliciti quos nolitiones & volitiones appellamus: ex volitione autẽ boni conuenientis dimanat delectatio, ex nolitione veró mali disconuenientis oritur dolor, atque tristitia. Dolor ergo iste & tristitia in dæmonibus, & in animabus inuenitur. Iussio ergo Domini vrgebat hunc dæmonem, vt relinqueret hominem, quẽ diu vexauerat: & ideó maximo dolore, ac tristitia tenebatur. Hinc intelliges, quod sicut maius gaudiũ est in cælo omnibus angelis, de vno peccatore pœnitentiam agente, atque ab animo suo legionem dęmoniorum, hoc est, omnia vitiorum genera Dei iussu eijciẽte, quàm de nonaginta nouem iustis, quibus non est opus pœnitentia: ità maius dolor & tristitia est in inferno omnibus dæmonijs de vno peccatore à sua ditione & potestate ablato, quàm de pluribus alijs iustis qui nunquam in suam seruitutem venerũt. Vnde fit, vt pro sua virili diabolus conetur redire in domum suam. Quod si videat esse locum, nec alio

Marginalia: Acto. 3. — Matth. 4. — D. Chrys. — D. Hier. — Matt. 27. — August. — Quare Christus non sinebat dæmones prædicare eum esse Christum. — D. Chrys. — Dolor est in spiritibus malignis. Thos 3. p. q. 64. art. 1. — Apoc. 20. — Luc. 15. — Matt. 12.

alio quoquam occupatum, non contentus ipse remigrare solus, asciscit septem alios spiritus deteriores se, imò septem alias legiones, simulque ingressi domū habitāt ibi. Fitque, vt homo grauius discrucietur, quàm antea discruciabatur, Sic multoties euenit multis peccatoribus (quorum imaginem gerit vir iste dæmoniacus) seruientibus vicijs & cupiditatibus dæmoniacis: vt liberentur Dei iussu & gratia, ab illis: tunc torquetur & discruciatur maximè dæmon, ex eorum liberatione: quare conatur totis viribus redire in animum pristini peccatoris: quod si semel admittatur, dat operā diabolus, vt peccator ille, superet suis vitijs pristinam impietatem. Vnde prodigiosa quædam cæcitas, & septuplo miserabilior, pristina cæcitate, capit animū eius; & ob id, longè attrocius post discruciatur, quàm ante discruciabatur. Quare si semel à vitijs omnibus liberati fuerimus, clamemus semper ad Dominū, ne maioribus criminibus, iterum prolapsi, occupemur. Non enim dormit malignus spiritus, sed vigilat maximè discruciatus, quòd ab eius ditione educti sumus: & translati in regnum filiorū Dei. Vt ergo ostenderet legio ista dæmoniorum quanto dolore teneretur, quod exire cogebatur ab homine isto misero, dicebat vocem contendendo: obsecro te ne me torqueas. Inuitus itaque spiritus ille relinquebat suam veterem possessionem: quin & illud etiam metuebat, iam adesse diem quo forent æternis supplicijs addicendi, malorum omnium, quibus hic affligunt homines, penas daturi. Has preces non extorserat malefactorū pœnitentia, sed supplicij metus.

¶ *Interrogauit autem illum Iesus dicens, quod tibi nomen est?* Non esse interrogandos dæmones admonemur Deut. c. 18. Non inueniatur (inquit) in te qui ariolos sciscitetur: neque phitones consulat. Cum enim dæmones hominum interitum intendant ex suis respōnsis, non sunt interrogandi, quamuis aliquando vera prædicent. Vnde D. Athanasius explicans locum illum Lucæ. cap. 4. Increpauit illum dicens. Obmutesce: inquit.

Deut. 18. An liceat dæmones interrogare. D. Athan. Luc. 4.

A Quamuis vera fateretur dæmon, cōpescebat tamē Christus eius sermonem, ne simul cum veritate etiam suam iniquitatem promulget, vt nos etiā assuefaciat, ne curemus de talibus: & si vera loqui videatur, nephas est enim à diabolo vel le instrui astāte nobis diuina Scriptura. ¶ Sed ais. Cum Christus Dominus peccatum non fecerit, neque inuentus fuerit dolus in ore eius, & hodie à dæmone interrogauerit, qui vocaretur, illeque respōderit, legionem vocari: licitum ergo

B erit aliquando dæmonem interrogare, ab illoque expectare responsum. Cui argumento satisfacit Beda, inquiens. Non velut inscius Dominus inquirit, sed vt confessa peste quam tolerabat, virtus curantis gratior emicaret. Aliud autem est inquirere aliquid à dæmone sponte occurrenti, quod aliquādo ob proximorū vtilitatem licet: maximè quando vi diuina ad verum dicēdum compelli potest: aliud verò dæmonem inuocare ad occultorum cognitionem, & notitiam acquirendam: quod non licet.

C ¶ *Atille dixit legio: quia intrauerat multa dæmonia in eo.* Legio, militare vocabulū est. Legiones (inquit Vegetius) Romani habent, in quibus singulis, sena millia, interdum amplius, militare consueuerunt. Alij volunt, singulas continere sex mille, sex centa, sexaginta sex milites. Militari ergo vocabulo significauit non ab vno dæmonio teneri hominem, sed innumera dæmoniorum multitudine. ¶ Hinc disce nullum magnum peccatum esse sine magna vitiorum caterua. De huiusmodi magnis peccatoribus ait

D Isaias. c. 5. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis. Quibus verbis eos improbat, & infælices vocat: qui magna vitiorum caterua comitati in peccatis perseuerant, & nouas indies inuentiones admittendi flagitia inquirunt. Ideò vias peccādi funibus comparat, quia vt funes nectuntur ex filis: & ita producuntur, & dilatantur: sic peccatores peccatis peccata addentes, iniquitatem propagant, & longissimam efficiunt. Lapis in gurgitem proiectus multos facit vndarum circulos; qui quo plures sunt eò maiores

1. Pet. 2. Beda. Luc. 8. D. Thom. 2. 2. q. 95. art. 4. Legio quid. Vege. lib. 2. de re milit. c. 2. Nullum magnum peccatum est sine magna vitiorum caterua. Isai. 5. Similitu.

iores efficiuntur, & latius dilatantur. Nā vnus exortus alterum maiorem excitat, post quē alius oritur multo maior, quorum vltimus maximus est omniū, à prioribus omnibus commitatus. Eodem modo se habent peccata, nam ex vno alterū grauius oritur, ex quo alterum grauius producitur: donec ad aliquod omnium grauissimum peruenias quod magna vitiorum caterua stipatur. Et vt funes facile ex filis nectuntur, & texuntur, sed fortiter astringunt: sic peccata facilè admittuntur, sed fortiter ligant. Caue igitur scelera perpetrare, si funes peccatorum multorum texere non vis: quibus astringaris. Si magna vitiorum stipante caterua, in inferos præcipitem abire nō libet. ¶ Disce etiam ex hoc loco, nullum esse animi morbum tam sæuum, nullam tantam criminum multitudinem, quin cedat ad iussum Domini Iesu, quin Dei misericordia mederi non possit, & ab animis nostris expelli. Non ergo est quare desperemus, quātumuis grauissimis criminibus, atq; innumeris sceleribus pleni simus. Non est quarē cum desperato Cain dicamus. Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear. Quanuis enim iniquitates nostræ supergrediantur capita nostra, sperandum nobis est. ¶ *At ille dixit legio.* Ex hoc loco colligere possumus in dæmonibus ordines esse, atque alios alijs præesse: vt nobiscum pugnent quemadmodum in legione militari id contingere videmus. Vnde Paul. in Epistola ad Ephes. cap. vlt. ait: non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinē (id est, aduersus mortales homines, quo modo Christus ait Petro. Caro & sanguis non reuelauit tibi, id est, nullus hominū) sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum: contra spiritualia nequitię in cælestibus (id est, contra spirituales nequitias in cælestibus, quia in aëre quod cælum dicitur habitant & dæmones.) ¶ Prætetea gloss. 1. Cor. c. 15. ait. Quandiu durat mundus: & angeli angelis & homines hominibus, & dæmones dæmonibus præsunt. ¶ Cæterum nos miseri quorum vita, perpetua pugna est. Et qui non neq;

Genes. 4.

Ordines & præbdētia in dæmonibus inueniuntur.

Ephes. vl.

Tho. 1. p. q. 109. art. 1. & 2. & q. 114. ar. 2

A biscum solum, aut cum alijs hominibus pugnamus: sed quod terribilius est, habemus Coryceos alios inuisibiles, semper excubias agentes: circumeuntes terram, & perambulantes eam, vt Iob cap. 1. dicitur. Quique omnium discutiunt ingenium, scrutantur affectus, considerant mores: & vbique tendunt insidias, vbique laqueos, querentes supplantare gressus nostros. Quare si ab his innumeris legionibus liberari cupimus, primū, vocem contendentes, dicamus cum regio vate Domino Deo nostro. Iudica Domine nocentes me expugna impugnantes me. Apprehende arma, & scutum: & exurge in adiutorium mihi. Effunde fra meam, & conclude aduersus eos qui persequūtur me: dic animæ meæ, salus tua ego sum. Scio enim Domine quod patres illi antiqui & si milites essent veterani, quod non in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum nō saluauit eos. Sed dextera tua & brachium tuum. Quare neque ego in arcu meo sperabo: neque gladius meus saluabit me. Deinde à tanto propugnatore arma mutuare debemus, si legiones has debellare volumus. Ea enim sunt baculus & pera cum lapidibus atque funda. His enim prēmuniti constantes stabimus aduersus Goliath, atque legiones eius: descendereq; poterimus securi cum illo ad singulare certamen: quo deuicto fugient omnes eius satellites, atque cohortes. ¶ Accipiamus igitur armaturam Dei: vt possimus resistere in die malo (id est in tempore difficili, quoties obruerint tentationes.) Et in omnibus perfecti, stare. (Id est omnibus perfectis, atque confectis, quibus ad hoc bellum opus est, stare & subsistere possimus.) Stemus ergo succincti lumbos nostros in veritate, & induti loricā iustitiæ, & calciati pedes in præparationem Euangelij pacis in omnibus sumentes scutum fidei, in quibus possimus omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumamus & gladiū spiritus quod est verbum Dei. Sic enim expugnare facilè poterimus satellites & legiones inimicorum nostrorum inuisibilium qui nobiscum in terra nostra versantur;

Iob. 1.

Psal. 139.

B

Psalm. 34.

Psalm. 43.

C

Figura.
1. Reg. 17.

Ephes. 6.

D

Baruch. 3.

santur: vt Baruc. c. 3. ait. Quid est, inquit, Israel quod in terra inimicorum es?

¶ *At ille dixit legio. Quia intrauerant multa dæmonia in eo.* Multa ergo dæmonia si volunt, esse possunt in eodem loco: imbique operari. Vt ex hoc loco constat. Item multi angeli Lazarum portabant in sinum Abrahæ, vt idem Lucas narrat. c. 16. multi similiter angeli Christo ministrabant peracta tentatione, vt refert Matthæus. Possunt ergo si volunt boni angeli pro comitatu honorificentiori simul in cælum animum viri iusti portare. Sicut etiam possunt ex malitia sua dæmones multi concurrere simul, vt magis ac magis hominem torqueant: quod in isto misero homine videmus. Quo autem pacto intelligatur Doctor Sanctus qui. 1. p. q. 52. art. 3. affirmat esse non posse plures angelos in eodem loco, docet Caietan ibi.

Multi dæmones esse possunt in eodem loco.

Infra. 16.

Matth. 6.

Vi. Abul. in Matth. q. 136.

¶ *Et rogauerunt eum, ne imperaret illis, vt in abyssum irent.* Orant omnes isti vt si vitari non possit, quin eijcerentur, saltem ne iuberentur abire in abyssum tartari, quem locum scirent sibi destinatum in extremo die. Sic enim olim prædixerat Isaias cap. 30. præparata est enim ab heri Tophet à rege præparata, profunda & dilatata, nutrimentum eius ignis, & ligna multa, flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam. Tophet erat locus prope Hierosolymam in valle filiorū Hennon, quo cadauera & alia immunda proijciebantur. Sed hic non de hoc loco ait Isaias, quoniam nō in eo sepultus est sennacheribus vt literę diuinæ aperte indicant. Præterea hæc quæ hic de Tophet dicuntur, loco illi, qui est prope Hierosolymam conuenire non possunt, sed inferno pro quo hic accipitur, & de quo Isaias in præsenti loquitur. Ait igitur propheta hunc locū præparatum à rege, hoc est, à Deo, ab heri, hoc est ab initio mundi; & esse profundum, & capacissimum, iuxta id quod supra dixerat idem propheta; dilatauit infernus animam suam. Præterea dicit esse igneum significās dæmonum cruciatus, & æternum, quia Deus accendit flatu suo Pyram, quemadmodum ignis Sulphure

Infernus præparatus ab initio dæmonibus Isai. 30.

A iniecto ardet, & alitur. Post diem ergo iudicij improbi dæmones in cæcas & æternas tenebras, & in abyssum & voraginē illam igni inextinguibili plenam relegabuntur. Timebant ergo isti ne in hunc locum sibi ab initio mundi destinatum deijcerentur: ideò orant Christum Dominum ne in illum abire iuberentur. Si ergo nos sapimus, timeamus in abyssum tartari, ob scelera nostra abire: vt saltem isto timore correpti, resipiscamus. Timor enim initium est nostræ salutis. A

B timore, inquit, tuo concepimus, & parturiuimus spiritum salutis. ¶ Cæterū hęc omnium est sententia doctorum, quòd aer iste, qui cælum & terram medius diuidens inane appellatur: sit plenus malignis spiritibus quos ideò spirituales nequitias in cælestibus existētes vocat Paulus. Quemadmodū enim aer plenus est atomis, sic etiā dæmonibus est repletus. Vt ergo liberius possint hominibus nocere, ideò renuunt in abyssum detrudi: ideò orant ne in tartarum mittantur: tāta est illorum in homines sæuitia, atque

C odium intestinum.

Isai. 26.

Ephe. vlt.

¶ *Et rogabant eum vt permitteret eis in illos ingredi. Et permisit.* Hic vides quàm ligata sit atque exigua potestas dæmonis. Non enim nisi permissus immigrare poterat in porcos illos. Hinc est etiam quod Domino idem Sathanas ait. Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet: nisi in faciē benedixerit tibi. Formidari ergo diabolus non debet (vt Greg. ait) qui nihil nisi permissus valet. Sola ergo vis illa timenda est, quæ cùm hostem sæuire permise-

D rit, ei ad vsum iusti iudicij, & iniusta illius voluntas seruit. D. Grego. 2. mo. c. 9. & 10. ¶ *Et rogabant eum vt permitteret eis in illos ingredi.* Tanta est nocendi libido impijs spiritibus, vt cum nobis nocere non permittuntur, res nostras familiares perdere conentur: idque à Deo impetrare tentent.

Potestas diaboli exigua.

Iob. 1.

Nō est formidandus diabolus sed vis diuina timēda.

Domin. 23. post Pent.

Matth. 9. Marc. 5.

ET ecce venit vir cui nomen Iairus, & ipse princeps synagogæ erat: & cecidit ad pedes Iesu, rogans eum vt intraret in domum eius, quia vnica filia erat ei ferè annorum duodecim, et hæc moriebatur. Et cōtigit: dum iret, à turbis comprimebatur. Et mulier quædam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogauerat omnē substantiam suam, neque ab vllo potuit curari: accessit retro, & tetigit fimbriā vestimenti eius, et confestim stetit fluxus sanguinis eius. Et ait Iesus, quis est qui me tetigit? Negantibus autem omnibus dixit Petrus, et qui cum illo erāt, præceptor, turbæ te comprimunt et affligunt, et dicis, quis me tetigit? Et dixit Iesus, tetigit me aliquis: nam et ego noui virtutem de me exisse. Videns autem mulier, quia nō latuit, tremens venit, et procidit ante pedes eius: & ob quam causam tetigerit eū,

A *indicauit coram omni populo, et quemadmodum confestim sanata sit. At ipse dixit ei, filia, fides tua saluam te fecit: vade in pace. Adhuc illo loquente, venit quidam ad principem synagogæ, dicens ei, quia mortua*

B *est filia tua, noli vexare illum. Iesus autem audito hoc verbo respōdit patri puellæ, noli timere: crede tantum, & salua erit. Et cum venisset domum, non permisit intrare secum quemquam, nisi Petrum et Iacobum & Ioannem et patrem, et matrem*

C *puellæ. Flebant autem omnes, & plangebant illam. At ille dixit, nolite flere: non est mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum, scientes quòd mortua esset. Ipse autem tenens manum eius clamauit, dicens: puella surge. Et reuersus est spiritus*

D *eius: et surrexit continuò. Et iussit illi dare manducare. Et stupuerunt parentes eius, quibus præcepit ne alicui dicerent quod factum erat.*

(?)

Ecce

ECce sese obtulit in his duobus miraculis Christo Dño occasio, qua declarauit quã esset expositus omnibus ad subueniendũ, diuitibus simul ac pauperibus, bonis ac malis, quantoq; minus haberent fiduciæ qui apud Iudęos videbãtur religionis proceres, qualis fuit Princeps iste synagogæ, quã hi, qui in plebe habebantur cõtemptissimi, qualis habebatur mulier ista quæ omnem substantiam erogarat in medicos.

¶Nobis etiam sese offert occasio qua explicemus Dei virtutẽ & potentiã: qua solo verbo suscitat hominem peccatorem à peccati morte, cuius imaginem gerit puella ista, & solo tactu medetur sceleratis hominibus, iã diu suis vitijs operã dãtibus. Aperiamus igitur librũ hunc scriptũ intus & foris: & videbimus vera esse quę modo proposuimus.

¶ *Ecce vir cui nomen Iarius: & ipse princeps synagogæ erat: cecidit ad pedes Iesu, rogans eum.* Hinc discant proceres Ecclesiæ quam vim habeant preces eorum pro filijs suis spiritualibus ad Deũ fusæ, si cũ humili corde fundãtur. Orat princeps iste synagogæ cadẽs ad pedes Iesu, & impetrat statim quod optat. Verẽ ergo Salomõ olim affirmarat Eccles. c. 35. Cũ dixerat: qui adorat Deũ, in oblectatione suscipietur: & deprecatio illius vsq; ad nubes propinquabit. Oratio humiliãtis se, nubes penetrabit, & donec propinquet nõ consolabitur, & nõ discedet donec altissimus aspiciat, & Dñs non elongabit. Quem locũ de precibus prælatorum explicat glossa. Meritò ergo monet D. Iacobus in sua Epist. c. 5. infirmatur, inquit, quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eũ, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eũ Dñs. Hoc est, eriget eũ Dñs quẽadmodũ erexit puellã istam. ¶Discamus hinc etiã pro inuicẽ humiliter Deũ precari, si ab infirmitate qua laboramus sanari volumus. Quod & idẽ Iacobus statim admonet. Dicẽs: orate pro inuicẽ vt saluemini. Id est, vt sanemini. Nã Græcẽ est ἰαθῆτε. Multũ enim valet deprecatio iusti assidua. Quo in loco pro, assidua, Græcẽ est, ἐνεργουμένη. i. efficax. Deprecatio enim iusti ex animo profusa, plurimum prodest. Qualis fuit Eliæ, qui homo erat similis nobis passibilis, & oratione orauit, vt nõ plueret super terram, & non pluit annos tres, & mẽses sex. Et rursum orauit, & cœlum dedit pluuiã. Qualis fuit Iacob, qui inualuit ad angelũ & confortatus est, eò quod rogauerit eũ. Vt Oseas testatur. c. 12. Qualis fuit Abrahę, Iob, Danielis, aliorũq; iustorũ quos sacra narrat historia. Qualis deniq; fuit proceris huius. Humilis, scilicet, fidelis, & ex animo diffusa.

¶Disce hinc quarẽ nõnulli prælati & sacerdotes pro nobis orantes nõ exaudiantur. Nimirum, quod eorum preces, neq; humiles, neque fideles, neque efficaces sunt. Quãdo enim fidelis (inquit Bern.) & humilis, & feruens oratio fuerit, cælũ sine dubio penetrabit. Vnde certum est, quod vacua redire non possit. At iniquorum sacerdotum preces, cum neque humiles, neque feruidæ sint, nõ mirũ quod cælum non penetrent. Plus enim placet Deo (inquit Aug.) latratus canum: mugitus boum, grunitus porcorũ, quã cantus clericorũ luxuriantiũ. De huiusmodi Ecclesiæ primoribus ait Isai. cap. 1. Audite verbum Domini principes sodomorũ, cum extenderitis manus vestras, auertã oculos meos à vobis. Si enim manus sacerdotum fuerint coinquinatæ, si opera illorum fuerint impia, quo modo Deus eos pro nobis precantibus audiet? Ponunt enim nubem ne transeat illorũ oratio. Vt enim nubes radiorum solis splendorem impedit: sic peccatum sacerdotũ ob suam caliginem est impedimentum ne à Domino exaudiantur.

¶ *Rogans eũ vt intraret in domum eius, quia vnica filia erat ei ferè annorũ. 12. & hæc moriebatur.* Rogabat princeps iste, vt dignaretur adire domũ suam, ac subuenire filiæ morienti. Sic vocari solet medicus: veni, experire quid possis. Fidẽ aliquã nonnullãq; fiduciã habebat princeps iste, nõ tñ absolutã atq; plenã. Adhuc. n. ignorabat Christi naturã esse diuinã. Quarẽ eũ pcatur, vt adire vellit ædes suas. Quãto plenior fides, atq; fiducia cẽturionis, qui negauit esse op9 præsentia corporis, sed simplici dicto sanare posse, quẽ vellet. Dñe, inquit, nõ sum dignus, vt intres sub tectũ meũ, sed tãtũ dic

X verbo,

Quantam vim habeant preces prælatorum & sacerdotũ.

Eccl. 35.

Iacob. 5.

3. Reg. 17.

Oseæ. 12.

Gen. 2.

Iob 42.

Dan. 6 & 9.

Quare preces nõnullorum sacerdotũ inefficaces sint.

D. Bern.

D. Aug.

Isai. 1.

Thre. 3.

Matth. 8.

verbo, & sanabitur puer meus. Quanto plenior fides huius mulieris, quæ destituta auxilio hominũ, confugit ad opem diuinã, mira concepta fiducia de Iesu, si quicquam possit illius contingere, fore vt sanaretur. Vnde principi exanimato ad nuntium, qui nũtiarat filiam suã iam esse mortuam, ait Dñs, noli timere crede tantũ. At huic mulieri fides tua te saluã fecit. Quanto plenior fides Chananææ, cui Dñs admiratione plenus dixit, ò mulier magna est fides tua fiat tibi sicut vis. Nõ est ergo quare proceres Ecclesię, pauperes & ignobiles fideles contẽnant prę se: cũ istorũ sint multi qui illos in fide & in bonis actionibus longe superent atque excellant. Ideo Paul. scribẽs ad Philip. dicebat. in humilitate, superiores sibi inuicẽ arbitrantes. Quasi diceret: nolite inflari & extolli, sed vnusquisq; quã tũuis de primoribus sit, alterũ quãtũuis contemptibilẽ, præstãtiorẽ se existimet. Nõ ergo tibi placeas, aut alterũ cuius virtutẽ ignoras despicias. Neq; de aliquo tibi ignoto temere sentẽtiã feras: quoniã nemo scit, quid sit in homine: nisi solus ille qui nouit corda filiorũ hominũ. En vides principẽ synagogæ a centurione, à muliere ista, à Chananæa imo à latrone in cruce pendente in fiducia superatum. Narrat D. Greg. de quodã Dei viro, nomine constantio: quod vir quidã, fama tanti viri cõmotus, inuiserit eũ: cuius contemptibilẽ personã à lõge intuẽs, inquit, ego quidẽ grandẽ hominẽ credidi, iste nihil habet de homine. Cui vir sanctus: tu solus, inquit, es, qui apertos in me oculos habuisti. Qualis enim quisque apud se lateat, contumelia illata probat. Non ergo contemnamus vnum ex his pusillis qui in Christũ credũt, nã hi sunt, qui solent, primates Ecclesię præcedere in regno Dei. Hos enim humiles, pauperculos & tremẽtes sermones Dñi solet ipse respicere: quemadmodũ ipsemet apud Isaiam testatur. ¶ *Contigit dum iret.* En vides quàm esset expositus Christus omnibus ad subueniendũ, diuitibus simul ac pauperibus, infirmis in fide, & roboratis in fide. Omnibus æquo animo subuenit. Ideo statim vt rogatus est ab isto principe, surrexit ac secutus est eũ: & inter eun-

Matt. 15.

Phi. 2.

2. Par. 6.

D. Greg.

Isai. 66.

A dũ sanauit pauperẽ mulierẽ à profluuio sanguinis. Discamus igitur omnibus ex æquo succurrere. Si concionator es, omnes cælesti doctrina instrue: omnibus tã sapientibus, quã insipiẽtibus Euangeliũ Dei prædica, exẽplo Pauli, qui tã Græcis quã Barbaris cõcionabatur: omnib9 prodesse desiderans. Vnde Orig. de illo ait: velut multarũ diuitiarũ cupidus Paulus: ex multis rationabilibus possessionibus redditus desiderat cõgregare: ex Græcis, Barbaris: sapiẽtibus, & rudibus, atq; in-B doctis: dũ alijs sapientiã loquitur: alijs Christũ prædicat crucifixum: alios ex lege & prophetis docet: alios ex Euãgelio. Affert autẽ hos omnes fructus ad aream Dei. Sic igitur fac, quando omnibus debitor es, tã sapientibus, quã insipiẽtibus, tã diuitibus, quã pauperibus. Si pastor es gregis Dñi, expositus es nõ vt te ipsum pascas: sed vt omniũ tã agnorũ, quã arietũ, quã ouiũ Dñi, salutẽ procures. Ne de te dicatur illud quod apud Ezechielem Dñs ait: væ pastoribus Israel qui pasce-C bãt semetipsos, nõne greges à pastorib9 pascuntur? Quod infirmũ fuit nõ consolidastis, & quod ægrotũ nõ sanastis, quod confractũ est nõ alligastis, & quod abiectũ est nõ reduxistis, & quod perierat nõ quæsistis, sed cũ austeritate imperabatis eis & cũ potẽtia. Si rex aut princeps aut Dñs es, omnibus tibi subditis ex æquo prouide: tã diuitibus, quã pauperibus, tã nobilibus quã ignobilibus. Quẽadmodũ enim sol omnes illuminat, omnes suo calore fouet, sic cõcionatores sua doctrina, sic prælati sua cura pastorali, sic principes seculi, sua administratione omni-D bus succurrere, omnibus subuenire debent. ¶ *Et mulier erat quedã in fluxu sanguinis ab annis duodecim.* Mulier ista gerit imaginẽ peccatoris fœdo & abominabili morbo peccatorũ iam diu laborantis. Inundant enim ex animo eius, atque profluũt quotidie peccata, atq; scelera innumera. De huiusmodi peccatoribus ait Dñs apud Oseã. c. 4. maledictũ & mẽdaciũ, & homicidiũ & furtum & adulterium inundauerunt (instar, scilicet, diluuij) & sanguis sanguinem tetigit. Instar enim profluuij sanguinis, sic peccatum, peccatũ tangit. Profluit enim ab animo homi-

Omnium salus procuranda exemplo Christi.

Origenes.

1. Cor 1.

Rom. 1.

Ezech 34.

Similitu.

Hæc mulier imago est peccatoris iam diu in peccatis existentis.

Oseæ. 4.

hominis impij, praua cogitatio, & ex praua cogitatione, prauum desideriũ: & ex prauo desiderio prauũ opus: ex prauoq; opere praua inueterataq; consuetudo, & libido peccandi, & tandẽ ex ista, desperatio oriri solet. Atq; cum impius in hoc profundũ malorũ venit, tunc contẽnit: vt Salo. ait Prou. 18. ¶ *Et mulier erat quędam in fluxu sanguinis ab annis duodecim.* Morbos varios quos homines patiũtur esse flagella docet D. Hieronym. in Nahum. c. 3. de quibus ait ibi propheta. Vox flagellorũ, & vox cõmotionis rotarũ. In corporis, malis inquit Hieronym. flagellum diaboli intelligitur. De hoc flagello ad iustum dicitur: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Licet ergo nonnulli hæc ex corrupto aere, vel ex corporũ diuersitate accidere suspicetur, nos tamen qui legimus & febrẽ imperatã, & mulierem per. 18. annos à diabolo ligatã, Dño medicante curatã: scimus hæc omnia flagella esse Niniue.

Prou. 18.

Morbi varii flagella sunt

Psalm. 90.

Luc. 4.

Vi. Hier.

¶ *Quæ in medicos erogauerat omnẽ substantiã suam, nec ab vllo potuit curari.* Addit Matthæus. *Sed magis deterius habebat.* Tres sunt peccatoris inueterati medici: qui nõ solũ nõ illi medẽtur, sed magis peccandi consuetudinẽ augẽt. Honor, voluptas, & diuitiæ. ¶ Pollicetur honor peccatori thronũ excelsum & eleuatũ, & subito eũ in profundũ inijcit. Iob. 30. Eleuasti, inquit, me, & quasi super vẽtũ ponẽs elisisti me valdẽ. Quod si dum peccator viuit, ab honore nõ ceciderit, tandẽ in vitæ fine in perpetuã ignominiã deueniet. Vnde idẽ Iob. c. 20. inquit, si ascenderit vsq; ad cælũ superbia eius: & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquiliniũ in fine perdet. Et qui eũ viderãt dicent, vbi est? ¶ Diuitiæ etiã salutẽ animi pollicẽtur. quod solẽt medici: hoc est animi saturitatẽ promittũt, & tamẽ perpetuã famẽ æternãq; sitim præbent. Vt in diuite illo quẽ refert Lucas videre est: qui frustra in inferno blandus factus ac mendicus miserabili voce clamabat: pater Abrahã miserere mei, & mitte Lazarũ vt intingat extremũ digiti sui in aquã, vt refrigeret linguã meã, quia crucior in hac flãma. ¶ Voluptates deniq; nõ animi langoribus medentur: nã & si dulcedinẽ promittant, fellis amaritudinẽ & acerbitatẽ conferũt. Fauus distillans (inquit Salo.) Labia meretricis, nouissima autẽ illius amara quasi absynthiũ. Et rursum in alio loco ait. Omnia quæ desiderauerũt oculi mei nõ negaui eis, nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur. Cumq; me cõuerterẽ ad opera manus meæ, vidi in omnibus vanitatẽ & afflictionẽ animi. Non ergo est quare hos tã nocẽtes medicos consulamus: nõ est quare fidẽ pollicitis eorum adhibeamus, cũ potius morbũ animi augeãt, quã deleant. Verus medicus Christus est: cõfugiamus igitur ad illũ, tanquã ad verã animi medicinã, eũ fide viua cũ dolore coniuncta tangamus, si profluuiũ peccatorum sisti desideramus. ¶ *In medicos erogauerat omnem substãtiam suam: nec ab vllo potuit curari.* Opẽ quã pollicebantur medici nõ solũ non attulerũt: Sed morbo addiderant aliud malũ, paupertatẽ scilicet. Sed ad opẽ diuinã mulier ista, confugiens salutẽ consecuta est. Quæramus ergo Deũ toto animo, humanoque auxilio nequaquã fidamus. Maledictus enim vir, vt ait Ierem. qui confidit in homine, & ponit carnẽ brachiũ suum. Et à dño recedit cor eius. Erit enim quasi myricæ in deserto, & nõ videbit cũ venerit bonũ: sed habitabit in siccitate in deserto in terra salsuginis & inhabitabili. E contra verò, benedictus vir qui confidit in Dño: & erit Dñs fiducia eius. Et erit quasi lignũ quod transplantatur super aquas: quod ad humorẽ mittit radices suas: & non timebit cũ venerit æstus. Et erit foliũ eius viride: & in tẽpore siccitatis nõ erit solicitũ: nec aliquãdo desinet facere fructũ. Hæc mulier quàm diu in hominibus, & nõ in Deo confiderat, maledictionibus, hoc est morbo & ærumna & paupertate repleta est: postquã vero ad opẽ nõ humanã, sed diuinã confugit, miramq; fiduciã de Iesu concepit, bene dictionibus est dotata. Nã nõ solũ sanata est à profluuio sanguinis, sed audire meruit cõfide filia fides tua te saluã fecit. Vade in pace. ¶ Hoc idẽ intelligẽs Dauid dicebat in Psalmo: nolite cõfidere in principibus, in filijs hominum, in quibus nõ est salus. Quæ verba explicans D. Aug. miratur

Tres sunt mali medici animæ.

Iob. 30.

Iob. 20.

Luca. 16.

Prou. 5.

Eccles. 2.

Non in hominibus, sed in Deo spes nostra ponenda.

Ierem. 17.

Psal. 145.

D. Aug.

miratur & merito quidé filiorũ hominũ. Fratres, inquit, magnũ negotiũ hic accipimus: diuina vox est: & desuper sonat nobis. Nimio enim modo: nescio qua infirmitate humana anima quando fuerit tribulata hic desperat de Dño: & vult præsumere de homine. Dicitur homini in afflictione aliqua cõstituto: est quidá homo magnus: per qué possis liberari: arridet, gaudet, & erigitur. Quod si dicatur illi liberat te Deus, quasi desperatione frigescit. Promittitur auxiliũ mortalis: & gaudes: promittitur immortalis & tristis es? Promittitur tibi quod liberet te tecum liberandus: & tanquam aliquo magno auxilio exultas. Promittitur ille liberator qui liberatore non indiget: & quasi ad fabulá desperas. Væ talibus cogitationibus, lõge peregrinátur: veré misera & magna mors est in eis: appropinqua o anima incipe quærere & agnoscere eũ a qua facta es. Nõ enim deseret opus suũ: si ab opere suo non deseratur. Monet enim nos iam impletus Spiritu sancto ille: & dicit quasi de longe remotis & longe peregrinantibus & nondum vel de Deo sperantibus: nolite confidere in principibus & in filijs hominũ in quibus non est salus. Hæc August. De huiusmodi hominibus non in Deo, sed in hominibus fiduciá suá ponentibus ait Dñs apud Isaiam. c. 30. Væ filij desertores, vt faceretis cõsiliũ, sed nõ ex me: & os meũ non interrogastis sperátes auxiliũ in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciá in vmbra AEgypti. Filios desertores appellat Deus eos, qui eo contépto ad humana remedia confugiunt. Vbi aspicis? quám grauiter delinquant ij, qui in periculis, & ærumnis & necessitatibus Deũ non consulant, neque ad ipsum confugiunt, sed in hominibus totá spé suam ac fiduciam reponũt. Vult Deus, vt in ipso spei nostræ ancoram constáter figamus: & nõ in vmbra AEgypti, hoc est, in hominum fauoribus, opibus & potentia. Vt enim nihil est fugacius vmbra, nihil inconstantius: sic res humanæ nihil habent soliditatis, nihil perpetuitatis, nihil firmitatis. Cur igitur quæris & ardenter concupiscis res mobilissimas, meras vmbras, quæ tibi pariant

Isai. 30.

A confusioné & ignominiá? Nonne amens & stolidus censeretur qui fame laborás, pulchra poma in arbore pendentia contemneret, ad eorũq; fallacé vmbrá confugeret? Quanto igitur amentior & stolidior iudicandus est ille, qui relicto vero Deo, qui est summa illa & sempiterna substantia, quæ sola satiare potest, inquirit mundi potentiá, fauoré, & diuitias, fugaces vmbras nullá animi famé, nec sitim, extinguentes, in illisq; totá menté, curam & cogitationé figit & collocat? Quæramus igitur Dñm Iesum toto corde: in humanoq; auxilio, aut sapientia, aut arte nequaquá totam spem nostram

Simile.

B collocemus. ¶ *Accessit retro & tetigit fimbriam vestimenti eius: et confestim stetit fluxus sanguinis eius.* Vel isto exéplo disces quá vtiles, atq; proficui sint hominibus morbi, & paupertas, aliaq; missa á Deo flagella. Ná illis, ad Deũ confugientibus & fiduciá totá suá in illũ constituẽtibus, subuenit diuina virtus. Abrahá, inquit Hiero.) tentatur in filio, & fidelior inuenitur. Ioseph in AEgyptũ venditur,

Quam vtiles sint afflictiones ostéditur

D. Hiero. ad Marce.

C vt patré pascat & fratres. Ezechias vicina morte terretur, & fusus in lachrymas, quindecim annorũ spatio protelatur ad vitá. Petrus Apostolus Dñi passione concutitur, & amariter flens, audit: pasce oues meas. Paulus Lupus rapax & Beniamin adolescentior in ecstasi cæcatur vt videat, & repentino tenebrarum horrore circundatur, Dñm vocat quem dudũ, vt hominé persequebatur. Ita & nũc in hac muliere. Profluuiũ sanguinis patiebatur, omnẽ substantiá suam in medicos erogarat, morbus indies augeba-

D tur, paupertate iá premebatur, fiducia plena, abresit á tergo (pudor enim obstabat, quo minus prodiret illi in cõspectu; ac morbũ pudendũ aperiret) & attigit extremam horam vestis illius, & protinus sensit abisse morbũ: ac sisti profluuiũ sanguinis. Flagello isto traxit illá Dominus ad se. Sic enim solet Dñs homines ad se trahere, flagellãdo. Iuxta illud Osææ c. 11. in funiculis Adá traham eos. Quemadmodum etiá ad se traxit filios Israel. Nõ enim tá miraculis á Moyse factis aut monitis cõmoti sunt, quá persecutione Pharaonis. Clamauerunt ad Dominũ, & Dñs

Osææ, 11.

Verecundia cōmendatur quæ initium salutis est.

Ambros.

Ezech, 36.

Ierem. 8.

Prou. 2. c.

Lib. 2. de offic.

Dñs exaudiuit eos. ¶ *Accessit retro.* Pudor obstitit quo minus prodiret illi in conspectum: ac morbum pudendū aperiret. Cuius exēplo tu si peccator es, & ab isto tan pestifero morbo sanari à Dño appetis: primum erubesce, verecundare, te deniq; pudeat peccati. Vnde D. Ambr. de morte Abel, & Cain, ait. Erubescere debemus, & condēnare peccatū, non defendere: quoniam pudore culpa minuitur: defensione cumulatur. Ideo Dñs aiebat apud Ezech. c. 36. Confundimini, & erubescite, sup vijs vestris domus Israel: hæc dicit Dñs Deus in die qua mūdauero vos, ex omnibus iniquitatibus vestris. Et terra deserta fuerit exculta, quę quōdā erat desolata, dicēt, terra illa inculta, facta est vt hortus voluptatis. Erubescētia ergo initiū est nostrę salutis. Infelices illi qui erubescere nesciunt. Nam cadēt in perpetuā confusionē, curabāt (inquit Dñs) contritionē filiæ populi mei cū ignominia dicētes, pax, pax, & nō erat pax. Confusi sunt: quia abominationē fecerunt: quin potius confusione nō sunt cōfusi, & erubescere nescierūt: quā ob rem, cadent inter ruentes, in tēpore visitationis suæ corruent. Infeliciores autē illi qui nō solū in malo non erubescunt, sed potius peccata sua tanquā optimē facta defendūt: qui lætantur cū male fecerint & exultāt in rebus pessimis. Si ergo peccator es, verecūdia & pudore perfundere: & tange Christi fimbriā: & à peccatis mūdaberis: si iustus es, verecundiā ama, & nō peccabis. Tacebat in periculis Susanna (inquit Ambro.) & grauius verecūdiæ quā vitæ dānum putabat: nec arbitrabatur periculo pudoris tuendam salutem: soli Deo loquebatur, cui poterat casta verecundia loqui: refugiebat ora intueri virorum. Hæc illæ. Si ergo hāc virtutem amplexati fuerimus peccare recusabimus, timentes à Dño exprobrari. Verecundia enim timor est turpitudinis exprobrabilis. Quod si peccauerimus, & scelera nostra instar profluuij sanguinis ab animis nostris fluant, pudeat nos peccasse: & tunc abibit morbus, si simul Deū viua fide tangamus, vide quæ annotauimus sup. c. 7. in illa verba, & stans retro.

A ¶ *Et tetigit fimbriam vestimenti eius. & confestim stetit fluxus sanguinis eius.* En vidēs, quod nō sola diuina virtute Christus Dñs miracula ædebat: sed etiā natura eius humana, instrumentū erat coniūctū veluti manus quæ instrumentū est artificis, isto ergo diuino instrumēto diuina virtus opera hæc tam mira faciebat. Hinc ergo fuit quod ad tactū eius mulier ista sanata est. Imò quotquot tangebāt eū (plena & perfecta fiducia) salui fiebant. Vt Marcus narrat. c. 6. Lege de hac q. gloss. Mar. 5, in fin. cap. & Doctorē sanctum. 3. p. q. 43. art. 2.

Gloss. D. Tho.

B ¶ *Et tetigit fimbriā vestimenti eius et confestim stetit fluxus sanguinis eius.* Vestimētū Christi est humana natura. De qua Isai. 63. quare, inquit, rubrū est indumentū tuū? Et Apoc. 19. & vestitus erat veste aspersa sanguine. Habitu inquit Paul. inuentus, vt homo. Fimbria vestimenti huius fuit passio. Si ergo peccator fide viua tetigerit Christi passionē stabit profluuiū omniū peccatorū, sanguis ergo, hoc est, peccatū sanguinē Christi tangat, & sistet. Si enim sanguis hircorū & cinis iuuēcæ aspersus (inquit Pau.) inquinatos sanctificat, ad emūdationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctū seipsum obtulit immaculatū Deo: emūdabit conscientiā nostrā, ab operibus mortuis ad seruiendū Deo viuenti? Hircus Christus est: quod carnē innocentē, similē tamen nostræ assumpserit, de peccatoribus natus: Hoc est, de Dauide, Salomone, &c. Iuuenca Christus est: quod iugū peccati nō traxit. Si horū igitur sanguis animaliū, potest (inquit Pau.) emūdare peccata populi iuxta carnis purificationē: quāto magis sanguis Christi emūdabit conscientiā nostrā qui verus hircus veraque iuuēca est?

Indumentum Christi natura humana. Isai. 63. Apoc. 19. 1 h. 2.

Heb. 9.

C

Figura.

D ¶ *Et tetigit fimbriam vestimenti eius: et confestim stetit fluxus sanguinis.* Hoc testimonio alijsq; huic similibus contendere poterūt aliqui nullū esse crimē nulluque scelus ad sacram synaxim accedere in peccato. Nō enim (dicere poterūt) maioris dignitatis existit Christus sub velamine & specie sacramenti, quā sub propria: sed peccatoribus corpus Christi tangentibus, delictum non erat: imo

An liceat accedere ad Eucharistiam in peccato.

imo salutem, animi & corporis cõseque bantur: vt in Magdalena, & in hac muliere, atq; in multis alijs quos narrant Euãgelistæ videre est: ergo nec peccatores sumentes sacrosanctum Christi corpus in Eucharistia in crimine erunt: maximè ad salutem consequendã accedẽtes. Hoc tamen argumentũ non obstat, quin grãde peccatum sit cum animi immunditia hoc sacramentum tangere, quare neganda est illa collectio. Dispar enim iã ratio est. Nã Christus dum vitã hanc mortalẽ agebat, non se tangendũ prębebat, insignum spiritualis vnionis ad ipsum: sicut in sacramẽto se tãgendũ exhibet: & ideò peccatores tunc tẽporis illũ tangentes nullum falsitatis crimen incurrebant, sicut in hoc sacramẽto. Præterquã quod tunc similitudinem gerebat carnis peccati, vt cum eo possint peccatores cõuersari. At similitudinẽ illã peccatricis carnis in resurrectione exutus, tãgi se à Magdalena prohibuit ob defectũ fidei, quo circa ipsum laborabat: secundum illud Ioan. 20. Noli me tangere nõdum enim ascendi ad patrem meũ (scilicet in corde tuo) interprete August. Emundemus igitur conscientiã nostrã, si dignè corpus Christi tangere in hoc sacramento volumus. Nam cibus est animi, cibus autem vitam præsupponit. Quare vitam spiritualẽ prius habere necesse est. Lege D. Thom. 3. p. q. 80. art. 4. ad. 1. argum.

Ioan. 20.

D. Thom.

¶ *Turba te comprimunt & affligunt: & dicis quis me tetigit?* Obserua (inquit D. Bonau.) quod Iesus, id est, salus animę nostrę pręmitur, cõprimitur & opprimitur. Præmitur prauis cogitationibus: cõprimitur peccatorũ delectationibus: opprimitur verò consensum illis præbẽdo liberũ nostrũ arbitriũ. Atq; tunc oppressus Christus ab anima egreditur. Quare magna diligentia curandũ est, vt turbæ cogitationũ, atq; delectationũ præmentes & cõprimentes Christũ, baculo timoris ab animis nostris expellãtur. In timore enim Dñi declinat omnis à malo, vt salo. Ait Prou. 15. Et rursum ait: timor Dñi expellit peccatũ. Eccl. 1. Tali baculo caruit homo ille, qui in porta Samariæ à turba cõpressus & conculcatus fuit. Tali

Christus quãdo premitur, quã do cõprimitur, quã do opprimitur.

Prou. 15. Ecclesi. 1.

A baculo caruit dina filia Iacob, quã curiositas, nõ necessitas egredi fecit ad videndũ mulieres illius regionis. Quapropter à Sichẽ filio Emor oppressa fuit vt sacra narrat historia Gen. 34. ¶ Prætereà nota, quòd nihil magis vndiq; premit & affli ctat Deũ, quã peccatorũ cõfertissima frequentia. Vnde de hoc conqueritur Isai. c. 63. dicens: In dilectione sua ipse redemit eos, & portauit eos, ipsi autẽ ad iracũdiã prouocauerũt: & afflixerunt Spiritũ sancti eius. Siue vt alij codices habẽt: spi B ritum sanctũ eius. Nostris sanè malis, atque peccatis Spiritũ sancti, hoc est, Christi (vt Hiero. exponit) affligimus. Nostro ruinq; scelerũ frequentia Spiritũ sanctũ premimus atq; contristamus. Ideò Pau. in Epist. ad Eph. c. 4. præcipit: nolite contristare Spiritũ sanctũ Dei. Id est, nolite illũ aduersus vos irritare, & facere, vt in stat contristati te habeat. In quo signati estis in die redẽptionis. i. cuius gratia & charismate signati estis in baptismo. Qui dies redemptionis meritò appellatur, quod in baptismo particeps homo fiat C redẽptionis per Christũ factæ. Omnis ergo amaritudo, & ira & indignatio, & clamor & blasphemia, omnisq; alia confertissima vitiorũ turba tollatur à nobis: si Dei spiritum premere & affligere nolumus. Quod si contigerit adesse in animis nostris talẽ peccatorũ turmã, affligamur cõtristemur, magno dolore premamur: vt Spiritus sanctus, qui afflictus abierat, redeat. Exẽplo Dauidis, qui in Psal. 37. dicebat. Afflictus sum & humiliatus sum nimis rugiebam à gemitu cordis mei. Siue prægemitu cordis mei. Domine ante te omne desideriũ meũ & gemitus meus D à te non est absconditus.

Gen. 34.

D. Bonau. de doctr. cor. c. 10.

Isai. 63.

D. Hiero.

Ephes. 4.

Psalm. 37.

¶ *Tremens venit & procidit ad pedes eius, & ob quã causam tetigerit eũ indicauit corã omni populo.* Suo exẽplo nos docet mulier esta quo pacto prodire debemus in conspectum Dei, & illi confiteri munera, atque beneficia ab eo accepta. Cũ timore. s. & tremore. Cũ humilitate & animi deiectione. Sic sanctꝰ ille senior Tobias hortatur omnes nos dicens in. c. 13. ipse castigauit nos propter iniquitates nostras, & ipse saluauit nos propter mise-

Cum tremore prodire debet peccator in conspectum Dei & illi confiteri beneficia ab eo accepta.

Tob. 13.

misericordiam suam. Aspicite ergo quæ fecit nobiscum, & cum timore & tremore confitemini illi. En vides hanc mulierem morbo incurabili castigatam à Dei misericordia sanatam: nunc cum tremore magno & humilitate confitentem coram omni populo Dei beneficium. Sic etiam hortatur Apostolus ad Philippenses scribens. cap. 2. cum metu & tremore vestram salutem operamini. Cum metu salus nostra operāda semper est si in morbos pristinos redire nolumus. Nam (sicut ait Seneca) & putata repullulant vitia, & effugata redeunt: & reaccenduntur extincta: & sopita iterum atque iterum excitantur. Beatus ergo vir qui semper est pauidus (vt Salomon ait Prouer. 28.) ne scilicet Dominum offendat. Qui verò mentis est duræ, corruet in malum. Quare qui se existimat stare videat ne cadat. Cum tremore etiam salus nostra operanda est. Quod admonet etiam regius vates. Psalm. 2. seruite Domino in timore: & exultate eum cum tremore. In quibus vltimis verbis duo coniungit Psalmista, quę pariter in nobis erga Deū adesse debent. Exultare enim nos oportet, & gaudere plurimum, & lætari de beneficijs à Dei misericordia acceptis, lætari, inquam, nos oportet in bonitate Dei: neque morosus ipse est Dominus, vt seruis suis prohibeat gaudere. Imo locis plus mille, per seruos suos Apostolos & Prophetas, atque etiam per os suum, letari monet & gaudere semper. Gaudete (inquit ipse) quia nomina vestra scripta sunt in cælis. Non tamen inepta esse debet nostra exultatio, sed cum debita ex intimo cordis affectu reuerentia, omnique grauitate, maturitate, & morum honestate: quod est cum tremore exultare. Non enim intelligendus est tremor iste secundum seruilem affectum. Tremor enim non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem, quāto magis & tremorem eiusmodi. Significat autem in proposito totius affectus reuerentiam, & attentissimam mentis solicitudinem, atque diligentiam, quam merito in nobis efficere debet consideratio diuinæ potentiæ, diuinæq; maiestatis.

Phil. 2. | Seneca. | Prou. 28. | 1. Co. 10. | Psalm. 2. | Luc. 10.

A Exultabat mulier ista quod à morbo tā pudēdo & insanabili, solo tactu fimbriæ curata esset: tremebat etiam considerando Dei infinitam potentiam immensamque virtutem, & ita exultabat cum tremore: sic operata est salutem animi & corporis, quapropter audire meruit: filia fides te saluam fecit. ¶ Hinc colliges, quàm verè olim apud Isaiam dixerat: ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementē sermones meos. Vbi obserua, quod contritum spiritu in hoc loco non est illa B vox, quæ est cap. 61. vt mederer contritis corde. Et Psal. 146. qui sanat cōtritos corde. Secundum illas autem scripturas fornicatores, adulteri, superbi, & breuiter quicunq; in animo grauiter vulnerati sunt, & mole peccatorum toti confracti, dicuntur contriti corde. Alia est vox apud Hebræos hoc loco posita quæ deducitur à radice, Caha, id est, dolere, contristari infirmari. Contritū ergo spiritu hoc loco, idē est, quod dolentē & humiliantem se propter peccata agnita, & C ex animo dolentem: vt nō sufficiat quis dolor sed vehemens, qui totum hominē humiliet & cōterat. Huiusmodi vox est Psal. 108. & compunctum corde mortificare, id est, cui ex animo dolet, quod vulneratus est. Hunc ergo cōtritum corde respicit Dominus. Præterea respicit trementem sermones eius. Id est, qui aduerbum eius, reuerētia quadam contremiscit. Qualis fuit mulier ista quæ ad verbū Christi dicentis quis me tetigit? Tremēs cecidit ad pedes eius: & professa est corā omni populo, quam ob causam contigisset eum. D

¶ *At ipse dixit ei filia fides tua te saluam fecit.* Non ergo extorsit Dñs confessionem ab hac muliere, vt eam traduceret: sed vt ostenderet Iudæis quantum posset certa fides. Ideò consolans mulierem trepidam & obiurgationē expectātem, ait. filia fides tua te saluam fecit: vade in pace. Quo dicto significare voluit Pharisæis & Scribis, quāto plus valuerit semper apud Deum fides viua, certaque fiducia in eius bonitate, quàm sola obseruantia ceremoniarū. Cuius rei præclarā

Isai. 66. | Isai. 61. Contritū corde bifariam accipitur in sacra Scriptura. | Psal. 149. | Plus valuit semper fides viua apud Deum quā obseruantia sola ceremoniarum.

& æquum fuit, vt non solum in hominibus, sed in omnibus alijs creaturis, miracula faceret. Hinc fuit quod hodie imperauit ventis & mari & statim obedierunt iussis illius. Sed interim obserua; quod non ait Euangelista eum turbasse aerẽ, aut diuisisse aquas maris: sed quid ait? Quod imperauit ventis, & mari, & quod tunc facta est tranquillitas magna. Non enim æquum erat, vt qui omnia in statum pacis, & tranquillitatis, reuocare venerat, turbaret aerem, aut cõmoueret, & diuideret aquas. Hinc est, quod D. Paulus in Epistola ad Hebræos missa ait: non accessistis ad tractabilem montem, & accessibilem ignem, & turbinẽ, & caliginem, & procellam. Sed accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Hierusalem cælestem, & ad testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem melius loquentem quàm Abel. Lege D. Tho. 3. part. quæst. 44. art. 4. ad. 3. *Quis putas hic est, quia & ventis & mari imperat, & obediũt ei?* Non mediocris pudor est (inquit Ambros.) imperio Dei insensibilia elementa parẽre, & homines non obedire, quibus sensus ab ipso tributus est authore. Audi ergo ô homo quid Dauid in Psal. 148. dicat. Præceptum posuit, & nõ præteribit. Et rursum: Idem Psalmista ait: terminum posuisti: quem non transgredientur. Audi quid alius propheta affirmet: stellæ, inquit, vocatæ sunt, & dixerunt: adsumus. Audi denique quid isti hodie admiratione & timore correpti, dicant: quis putas hic est? Quia & ventis & mari imperat, & obediũt ei. Obediamus ergo & nos iussis Domini, exemplo surdorum inanimorumque elementorum, exẽplo etiam illius qui dicebat: nonne Deo subiecta erit anima mea?

Hebr. 12. D. Thom. Ambros. lib. exam. Psal. 148. Baruch. 3. Psalm. 61.

Textus.

ET nauigauerũt ad regionem Gerasenorum, quæ est contra Galilæam, et cũ de naui egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam qui habebat dæmoniũ iam temporibus multis, et vestimento nõ induebatur, neq; in domo manebat, sed in monumentis. Is vt vidit Iesum, procidit ante illum: et exclamans voce magna dixit, quid mihi et tibi est Iesu filij Dei altissimi? Obsecro te ne me torqueas. Præcipiebat enim spiritui immũdo, vt exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat illum, & vinciebatur catenis, et compedibus custoditus: & ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deserta. Interrogauit autem illum Iesus dicens: quod tibi nomen est? At ille dixit, legio, quia intrauerunt dæmonia multa in eum. Et rogauerunt illum ne imperaret illis, vt in abyssum irent. Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte: Et rogabant eum, vt permitteret eis in illos ingredi. Et permisit illis. Exierunt ergo dæmonia ab homine, et intrauerunt in porcos: & impetu abijt grex perpræceps

ceps in stagnum, & suffocatus est. Quod vt viderũt factum qui pascebãt, fugerũt: & nuntiauerunt in ciuitatem, et in villas. Exierunt autem videre quod factũ: et venerunt ad Iesum, & inuenerunt hominem sedentẽ à quo dæmonia exierant, vestitum, atque sana mẽte, ad pedes eius, et timuerũt. Nũtiauerunt autem illis et qui viderant, quomodo sanus factus esset à legione. Et rogauerunt illum omnis multitudo regionis Gerasenorum vt discederet ab ipsis: quia magno timore tenebantur. Ipse autem ascendẽs nauim, reuersus est. Et rogabat illum vir á quo dæmonia exierãt, vt cum eo esset. Dimisit autem eum Iesus, dicens, redi in domum tuã, & narra quanta tibi fecit Deus. Et abijt per vniuersam ciuitatem, prædicans quanta illi fecisset Iesus.

AD regionem Gerasenorum. Hæc terra erat pars Arabiæ inferioris sita é regione Galilææ.

§ *Occurrit illi vir qui habebat dæmonium iam temporibus multis, &c.* Certa res esse debet quod dæmones subintrare possunt hominum corpora, tam secundum essentiam suam, quàm secundum virtutem & operationem. En vides hominem intra suum corpus habẽtem dæmonium, á quo maximé vexabatur. Et tandem eiectum fuisse á corpore. Vides etiam illud in porcos subintrasse. Certa etiam res esse debet dæmones illabi non posse animabus. Nullus enim spiritus illabi potest alteri spiritui, dicente Augustino, singulis spiritibus inest terminus, quo á se inuicem distinguntur: & vnus in alio nõ est. Ergo nec animabus, cum spiritus sint. Accedit, quod illabi animis nostris proprium est Dei. Dicente Augustino, illabi menti, illi soli possibile est, qui creauit: qui natura subsistẽs incorporeus captabilis est suæ facturæ. Et Beda explicans verba illa Petri Ananiæ dicta. Cur impleuit Sathanas cor tuum? Sic inquit: notandum, quòd mentem hominis iuxta substantiam nihil implere possit, nisi creatrix Trinitas: quia tantummodo secundum operationem, & voluntatis instinctum anima de his quæ sunt creata impletur. Implet verò Sathanas cor alicuius, non quidem ingrediens, neque introiẽs aditum cordis (siquidem potestas hæc solius Dei est) sed callida & fraudolenta deceptione, animam in effectum malitiæ trahẽs, per cogitationes & incentiua vitiorum, quibus plenus est. Impleuit ergo Sathanas cor Ananiæ non intrando, sed malitiæ suæ virus inserendo. Istorum sententiã approbant inter alios, sententiarum Magister. Et Doctor Sanctus. 3. p. q. 8. art. 8. ad argum. 1. Deus ergo qui esse & essentiam animorum nostrorum conseruat intimé illis illabitur, id est, penitus illos intrat. Dæmones vero non ita sed in ianua animi astantes, vbique suggerunt cogitationes turpes. Vide de hac re D. Thom. 2. d. 8. art. 5. ad 3. Et adde. § Obserua etiã, quòd diabolus vltor est Dei. Sic enim in sacra Scriptura vocatur. Psalmo enim octauo ait Regius propheta: vt destruas inimicum & vltorem. Hoc igitur vltore vtitur Deus cum punire vult impios, aut cum probare iustos & pios. Vnde Psalmista inquit Psalm. 77. misit in eos iram indigna-

Dæmones secundum essentiam suam, & secundũ operationem subintrãt corpus hominis. Non tamẽ illabi possunt animabus.

De eccle. dog. c. 82. in tom. 3. Vi. Magis. 2. dis. 8. c. vlt. Beda.

Magister. S. Thom.

Diabolus vltor Dei dicitur. Psalm. 8.

Psalm. 77.

dignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immissiones per angelos malos. Vtitur ergo Deus (inquit Augustinus) angelis malis ad puniēdos malos: sicut in istis omnibus de quibus loquitur Psalmus: sicut in rege Achab: quem fallaciæ spiritus ex Dei voluntate seduxit: vt caderet in bello. Vtitur etiā illis ad probandos iustos, sicut fecit in Iob. Verum est tamen quod ille vir, Dei dono iustus, & fortis, & pie peritus, non ait: Dominus dedit, diabolus abstulit: sed Dominus dedit, Dominus abstulit. Optimè sciens diabolum etiam quod facere de istis elementis poterat: (ignem, scilicet, de cælo immittendo, &c.) non tamen seruo Dei: nisi Domino volente, & permittente fuisse factam malitiam diaboli, confidebat, quoniam quis illa in se probando vteretur, sciebat. In filijs vero diffidentiæ tanquam in suis mancipijs operatur: quemadmodum homines in pecoribus suis: & illic tamen quā tum iusto Dei iudicio sinitur. Hęc ex Augustino. Iusto ergo Dei iudicio homo iste non ab vno solum, sed à multis dæmonibus vexabatur, quibus vtebatur Deus vt se, suamque iniuriam vlcisceretur: atque vindicaret. ¶ Nos ergo iam nō ambulemus, sicut & gentes ambulant: in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum: qui desperātes, semetipsos tradiderunt impudicitię, in operationem immunditiæ omnis. Si enim nos vitijs tradiderimus, tradet nos Dominus Sathanæ: quemadmodum traditus est vir iste, quemadmodum traditus est Saul de quo ait Scriptura sacra: Spiritus Domini malus corripiebat Saulem. Et quemadmodum traditi sunt Alexander & Hymenæus. Est enim diabolus semper promptus, atque paratus ad Dei iniurias vindicandum. Et quemadmodum vir iste à Domino destitutus, atque vindici traditus, agebatur nudus in deserta loca: sic tu Sathanæ traditus, gratia sancti Spiritus destitutus, atque vestimentis eius denudatus, patebis leonū & luporum incursibus. Quemadmodū enim olim, Hebræorum castra, nubes cōtra solis ardorē tegebat: sic Ecclesia Dei, Spiritus sancti gratia protegitur: & est ei in tabernaculum diei ab æstu persecutionum, & in securitatem & absconsionem à turbine & à pluuia: à quibus omnibus nudus, atque destitutus est peccator ille, qui ob sua scelera traditus est Sathanæ. Vnde subdit statim Euangelista.

¶ *Et vestimēto non induebatur.* Hic est primus peccati fructus: quod hominem spoliat vestimentis suis, omnibusque bonis, vt modo dicebamus. Hinc de Israelitis in idolatriam prolapsis dicit scriptura: videns ergo Moyses populum, quòd nudatus esset, spoliauerat enim eum Aaron propter ignominiam sordis, & inter hostes nudum constituerat. Et rursum ait Dominus de eadem gente apud Ezechiel. c. 16. nuda eras: (scilicet ornamentis virtutum) & confusione plena. Et in Apoc. c. 3. nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Falsò se diuitem putat peccator sola fide instructus, cum bonis operibus spiritualibus, quæ verè sunt diuitiæ, planè indigeat: cæcusque sit non animaduertens, in quibus ambulat, peccati vias & semitas. Nudus denique: id est, bonis omnino operibus spoliatus. Beatus ergo est qui vigilat, & custodit vestimenta sua ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius: vt idem Ioannes ait Apoc. c. 16. vis scire quæ vestimenta iubeat custodire? Nimirum ea, quæ induere nos Paulus admonet in Epist. ad Coloss. c. 3. Induite ergo vos sicut electi Dei sancti & dilecti viscera misericordiæ, benignitatem sanctitatem, modestiam, patientiam, &c. sanctis enim operibus Christianorum fidem oportet indui, quibus exuti, nudi, id est, Dei gratia destituti apparent, & cum his exclusis sordida sint & immunda nostra omnia, tūc apparet turpitudo nostra. Si ergo hæc vestimenta custodieris, fœlix sanè ac beatus es: sin autem infœlix ac miser. Suadeo ergo tibi si nudus es, à Deo emere aurum ignitum probatum, vt locuples fias & vestimentis albis induaris. Eme, inquam, pretio piæ confessionis, & iugi memoria & dolore propriæ fragilitatis, aurum ignitum, id est, feruorem charitatis pressurarum

rum flamma tanquam igni probatum; eme ergo huiusmodi aurum vt locuples fias, & vt candore innocentiæ induatis: vt non appareat confusio & turpitudo nuditatis tuæ.

Gagne.

¶ *Neque in domo manebat, sed in monumentis.* Olim dæmones pro sua virili contendebāt persuadere homines, quod animæ defunctorum in dæmones cōuertebantur. Et ideò legio ista dæmoniorū vagabatur in monumentis mortuorum. D. August. lib. 9. de Ciuit. Dei. c. 11. ait: Platonicos in ea fuisse opinione, vt dicerent: animas hominum dæmones esse post corpora: & ex hominibus fieri lares, laruas, & manes. Lares, si meriti boni sint: Lemures seu laruas, si mali: manes autem Deos dicunt, sed incertum est, bonorum eos, seu malorum esse meritorū.

Quare in monumentis habitabat homo iste.

D. Augus.

¶ Cæterum hoc facto dæmon ille significare nobis volebat: perpetuam peccatoris domum, esse sepulchrum. Sepulchra eorum, inquit regius vates, domus eorū in æternum erit. Non enim redibunt amplius de sepulchris in quibus eorum corpora posita fuerint, sed in eis permanebunt quasi in domibus hæreditarijs, resoluendi in cinerem, atque putredinem, donec veniat consummatio sæculi: & tunc corporibus resumptis perpetuò in sepulchris infernalibus habitabunt.

Domus perpetua peccatoris est sepulchrum infernale. Psalm. 48.

¶ Quærebant sanctæ ac piæ mulieres Christum, in monumento: & ait illis angelus Domini: scio quod Iesum crucifixum quæritis, surrexit non est hic. Si ergo Christum, aut verè Christianum, atque pium, iam vita functum quæsieris, non in monumentis quæras: sed in cælis. At si peccatorem mortuum, inuenire laboras, in sepulchro inuenies. Nam sepulchra eorum domus eorum in æternum. Perpetuò enim apud inferos habitabunt: inibique pœnas perpetuasq; supplicia dabunt impij. Domus enim iustorum cælum est: domus verò impiorum, atque sepulchrum monumentumq; eorum, infernus est. Is ergo est secūdus peccati fructus, quòd peccatorem è domo cœlesti eijciat: atque in inferis tanquā in proprio monumento, perpetuò inhabitare atque vagari faciat. Caueamus igi-

A tur à peccatis, ne in huiusmodi monumētis in æternum moremur.

¶ *Quid mihi & tibi est Iesu fili Dei altissimi.* Nonnulli sunt, qui ex hoc loco contendant dæmones cognouisse Christum Dominum esse verum Deum. ¶ Et quod apud Marcum. c. 1. vnus illorum exclamando dixerit: quid nobis & tibi Iesu Nazarene? Venisti perdere nos? scio quod sis sanctus Dei. Quo in loco illud annotandum, quòd non est in textu Græco simpliciter sanctus, sed ὁ ἅγιος: Vt certum & insignem intelligamus. Proinde dilucidius erat, noui te, qui sis, nempe sanctus ille Dei. Ideo Theophilactus hæc verba explicans ait: quod peculiariter sanctus appellatus est, non vt cæteri.

An dæmones cognouerint Christum esse Deū. Marc. 1.

B

¶ Deindè apud Luc. cap. 4. habes; quod exibant dæmonia à multis clamantia & dicentia. Quia tu es filius Dei, & increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant illum esse Christū. ¶ Accedit quod Christus Dominus miracula ædebat in suæ doctrinæ confirmationem. Cū ergo dæmonibus perspicuum certumque sit, neminem miracula operari posse, nisi solū Deum, inde fit consequens, certò sciuisse illos, Christi doctrinā fuisse à Deo. Quare etiam colligitur, eos cognouisse Christum esse verum Deum. ¶ D. tamen Augustinus in quæstionibus ex nouo & veteri testamento. cap. 66. hanc quæstionē disputans: duo concludit: primum: dæmones cognouisse eum esse verum Messiam. Nam omnia signa videbant in eo, quæ dixerant futura esse prophetæ, vt quod ex semine Dauid, de virgine venturus esset Redemptor Israel. ¶ Secundum: eos ignorasse mysterium diuinitatis eius. Quod probare nititur illo testimonio Pauli in priori ad Cor. cap. 2. quē nemo, inquit, principum huius seculi cognouit, si enim cognouissent, nunquā Dominum gloriæ crucifixissent. Sunt autem isti principes quos alio loco significauit Apostolus dicens: nō est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinē, sed aduersus principes, & potestates huius mundi, aduersus tenebrarum harum rectores. Quod si de his principibus in illo loco priori, loquitur Paulus: & non de

Luc. 4.

C

August.

D

1. Cor. 2.

Ephes. 6.

de primoribus Iudęorum (vt contendũt alij) de quibus loquitur Petrus Acto.3. dicens scio quod per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri) certo colligitur eos non cognouisse Christum esse Deum. Deinde id cõstat: Nam quęrit quàm is captiosè, diabolus à saluatore dicens, si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Videns enim aliquando diuinam virtutem, aliquando hominis infirmitatem, ambigens quid verum esset, torquebatur. Hæc ex Augustino. Vide D. Chrysost. in imperfecto, hom. 5. & super Matth. hom. 13. & D. Hierony. in c. 4. Matthæi. His locis Doctores isti sancti docent diabolum non intellexisse Christum Dominum esse filium Dei. Cuius rei argumentum sumi potest ex verbis illis, quæ refert D. Matth. cap. 27. Sedente enim Pilato pro tribunali, misit ad eũ vxor eius dicens: nihil tibi & iusto illi. Multa enim passa sum per visum hodie propter eum. Vbi postquam dæmon cõiecturis existimauit eum esse filiũ Dei; conabatur eius mortem impedire. ¶ Cęterum his non obstat, quod in hoc loco diabolus appellet Christum filium Dei altissimi, nam & si id dicebat: aliud tamẽ intelligebat. Est enim mendax & pater mendacij. ¶ Ad secundum testimoniũ ex Marco adductum, fateor illum intellexisse esse verum Messiam, ideò appellauit eum sanctum Dei peculiariter. ¶ Ad testimonium vero tertium ex Luca adductum, eodem respondetur modo. ¶ Cæterũm, si Dominus tunc temporis non sinebat ea loqui, neque sinebat ea prædicare quod certo scirent eum esse Christum: multis rationibus id factum esse credimus. Prima, quia non est accepta laus in ore peccatoris. Secũda, vt nos doceret, atque nobis ostenderet, dæmones non esse audiendos etiam cum vera prædicant; sed tunc maximè esse cauendos. Tertia, quod dæmonia illa præripiebãt Apostolorum laudem, & munus, quibus commissum erat officium annuntiandi Euangelium. Vide D. Chrysost. in Epist. ad Corinth. 1. cap. 12. hom. 29. Explicantem verba illa Pauli, & nemo potest dicere Dominum Iesum nisi in Spiritu sancto. ¶ Ad vltimum tandem argumentum. Illud primum dicendum occurrit dęmones ignorare, an sit angelus aliquis superior tantæ virtutis, vt illa miracula ædere posit: quare ex illis colligere certo non poterant diuinam potentiam, atque naturam Christi. Deinde dicimus per malos & scelestes homines Deum fecisse aliquando miracula in protestationem cælestis doctrinæ. Cum ergo Christus Dominus miracula non fecerit ad probandum se esse filium Dei: sed in vtilitatem Ecclesiæ & probationem, atque confirmationem suę doctrinę: hinc fuit, quod ex factis miraculis nõ poterant dęmones certo intelligere eum esse verum Deum. ¶ *Quid mihi & tibi est.* Græcismus. Pro, *quid mihi tecu est?* id est, quid est propter quod tecũ diceptare debeã? ¶ *Obsecro te ne me torqueas.* Hic vides quod maligni spiritus dolore & tristitia afficiantur. Sic Apoc. c. 20. ait Ioannes quod diabolus est missus in stagnum ignis: vbi & bestia & pseudopropheta torquebuntur die ac nocte. Sic animus diuitis dicebat, crutior in hac flamma. Vnde illud obserua: quod in voluntate sunt actus eliciti quos nolitiones & volitiones appellamus: ex volitione autẽ boni conuenientis dimanat delectatio, ex nolitione verò mali disconuenientis oritur dolor, atque tristitia. Dolor ergo iste & tristitia in dæmonibus, & in animabus inuenitur. Iussio ergo Domini vrgebat hunc dæmonem, vt relinqueret hominem, quẽ diu vexauerat: & ideò maximo dolore, ac tristitia tenebatur. Hinc intelliges, quod sicut maius gaudiũ est in cælo omnibus angelis, de vno peccatore pœnitentiam agente, atque ab animo suo legionem dęmoniorum, hoc est, omnia vitiorum genera Dei iussu eijciẽte, quàm de nonaginta nouem iustis, quibus non est opus pœnitentia: ita maior dolor & tristitia est in inferno omnibus dæmonijs de vno peccatore à sua ditione & potestate ablato, quàm de pluribus alijs iustis qui nunquam in suam seruitutem venerũt. Vnde fit, vt pro sua virili diabolus conetur redire in domum suam. Quod si videat esse locum, nec ab alio

Marginalia: Acto. 3. — Matth. 4. — D. Chrys. D. Hier. — Matth. 27. — Quare Christus non sinebat dæmones prædicare eum esse Christum. — D. Chrys. — Dolor est in spiritibus malignis. Thom. 1. p. q. 64. art. 1. — Apoc. 20. — Luc. 15. — Matt. 12.

alio quoquam occupatum, non contentus ipse remigrare solus, asciscit septem alios spiritus deteriores se, imò septem alias legiones, simulque ingressi domū habitāt ibi. Fitque, vt homo grauius discrucietur, quàm antea discruciabatur. Sic multoties euenit multis peccatoribus (quorum imaginem gerit vir iste dæmoniacus) seruientibus vicijs & cupiditatibus dæmoniacis: vt liberentur Dei iussu & gratia, ab illis: tunc torquetur & discruciatur maximè dæmon, ex eorum liberatione: quare conatur totis viribus redire in animum pristini peccatoris: quod si semel admittatur, dat operā diabolus, vt peccator ille, superet suis vitijs pristinam impietatem. Vnde prodigiosa quædam cæcitas, & septuplo miserabilior, pristina cæcitate, capit animū eius; & ob id, longè attrocius post discruciatur, quàm ante discruciabatur. Quare si semel à vitijs omnibus liberati fuerimus, clamemus semper ad Dominū, ne maioribus criminibus, iterum prolapsi, occupemur. Non enim dormit malignus spiritus, sed vigilat maximè discruciatus, quòd ab eius ditione educti sumus: & translati in regnum filiorū Dei. Vt ergo ostenderet legio ista dæmoniorum quanto dolore teneretur, quod exire cogebatur ab homine isto misero, dicebat vocem contendendo: obsecro te ne me torqueas. Inuitus itaque spiritus ille relinquebat suam veterem possessionem: quin & illud etiam metuebat, iam adesse diem quo forent æternis supplicijs addicendi, malorum omnium, quibus hic affligunt homines, penas daturi. Has preces non extorserat malefactorū pœnitentia, sed supplicij metus.

¶ *Interrogauit autem illum Iesus dicens, quod tibi nomen est?* Non esse interrogandos dæmones admonemur Deut. c. 18. Non inueniatur (inquit) in te qui ariolos sciscitetur: neque phitones consulat. Cum enim dæmones hominum interitum intendant ex suis responsis, non sunt interrogandi, quamuis aliquando vera prædicent. Vnde D. Athanasius explicans locum illum Lucæ. cap. 4. Increpauit illum dicens. Obmutesce: inquit.

Deut. 18.
An liceat dæmones interrogare.

D. Athan. Luc. 4.

A Quamuis vera fateretur dæmon, cōpescebat tamē Christus eius sermonem, ne simul cum veritate etiam suam iniquitatem promulget, vt nos etiā assuefaciat, ne curemus de talibus: & si vera loqui videatur, nephas est enim à diabolo vel se instrui astāte nobis diuina Scriptura. ¶ Sed ais. Cum Christus Dominus peccatum non fecerit, neque inuentus fuerit dolus in ore eius, & hodie à dæmone interrogauerit, qui vocaretur, illeque respōderit, legionem vocari: licitum ergo

B erit aliquando dæmonem interrogare, ab illoque expectare responsum. Cui argumento satisfacit Beda, inquiens. Non velut inscius Dominus inquirit, sed vt confessa peste quam tolerabat, virtus curantis gratior emicaret. Aliud autem est inquirere aliquid à dæmone sponte occurrenti, quod aliquādo ob proximorū vtilitatem licet: maximè quando vi diuina ad verum dicēdum compelli potest: aliud verò dęmonem inuocare ad occultorum cognitionem, & notitiam acquirendam: quod non licet.

C ¶ *At ille dixit legio: quia intrauerāt multa dæmonia in eo.* Legio, militare vocabulū est. Legiones (inquit Vegetius) Romani habent, in quibus singulis, sena millia, interdum amplius, militare consueuerunt. Alij volunt, singulas continere sex mille, sex centa, sexaginta sex milites. Militari ergo vocabulo significauit non ab vno dæmonio teneri hominem, sed innumera dæmoniorum multitudine. ¶ Hinc disce nullum magnum peccatum esse sine magna vitiorum caterua. De huiusmodi magnis peccatoribus ait

D Isaias. c. 5. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis. Quibus verbis eos improbat, & infælices vocat; qui magna vitiorum caterua comitati in peccatis perseuerant, & nouas indies inuentiones admittendi flagitia inquirunt. Ideò vias peccādi funibus comparat, quia vt funes nectuntur ex filis: & ita producuntur, & dilatantur; sic peccatores peccatis peccata addentes, iniquitatem propagant, & longissimam efficiunt. Lapis in gurgitem proiectus multos facit vndarum circulos; qui quo plures sunt eò maiores

1. Pet. 2.

Beda. Luc. 8.

D. Thom. 2. 2. q. 95. art. 4.
Legio quid.
Vege. lib. 2. de re milit. c. 2.

Nullum magnum peccatum est sine magna vitiorum caterua.
Isai. 5.

Similit.

iores efficiuntur, & latius dilatantur. Nã vnus exortus alterum maiorem excitat, post quẽ alius oritur multo maior, quorum vltimus maximus est omniũ, à prioribus omnibus commitatus. Eodem modo se habent peccata, nam ex vno alterũ grauius oritur, ex quo alterum grauius producitur: donec ad aliquod omnium grauissimum peruenias quod magna vitiorum caterua stipatur. Et vt funes facilè ex filis nectuntur, & texuntur, sed fortiter astringunt: sic peccata facilè admittuntur, sed fortiter ligant. Caue igitur scelera perpetrare, si funes peccatorum multorum texere non vis: quibus astringatis. Si magna vitiorum stipante caterua, in inferos præcipitem abire nõ libet. ¶ Disce etiam ex hoc loco, nullum esse animi morbum tam sæuum, nullam tantam criminum multitudinem, quin cedat ad iussum Domini Iesu, quin Dei misericordia mederi non possit, & ab animis nostris expelli. Non ergo est quare desperemus, quãtumuis grauissimis criminibus, atq; innumeris sceleribus plenissimus. Non est quare cum desperato Cain dicamus. Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Quamuis enim iniquitates nostræ supergrediantur capita nostra, sperandum nobis est. ¶ *At ille dixit legio.* Ex hoc loco colligere possumus in dæmonibus ordines esse, atque alios alijs præesse: vt nobiscum pugnent quemadmodum in legione militari id contingere videmus. Vnde Paul. in Epistola ad Ephes. cap. vlt. ait: non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinẽ (id est, aduersus mortales homines, quomodo Christus ait Petro. Caro & sanguis non reuelauit tibi, id est, nullus hominũ) sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum: contra spiritualia nequitię in cælestibus (id est, contra spirituales nequitias in cælestibus, quia in aëre quod cælum dicitur habitant & dæmones.) ¶ Prætèrea gloss. 1. Cor. c. 15. ait: Quandiu durat mundus: & angeli angelis & homines hominibus, & dæmones dæmonibus præsunt. ¶ Cæterum nos miseri quorum vita, perpetua pugna est. Et qui non nobiscum solum, aut cum alijs hominibus pugnamus: sed quod terribilius est, habemus Coryceos alios inuisibiles, semper excubias agentes: circumeuntes terram, & per ambulantes eam, vt Iob cap. 1. dicitur. Quique omnium discutiunt ingenium, scrutantur affectus, considerant mores: & vbique tendunt insidias, vbique laqueos, querentes supplantare gressus nostros. Quare si ab his innumeris legionibus liberari cupimus, primũ, vocem contendentes, dicamus cum regio vate Domino Deo nostro. Iudica Domine nocentes me expugna impugnantes me. Apprehende arma, & scutum: & exurge in adiutorium mihi. Effunde frameam, & conclude aduersus eos qui persequũtur me: dic animæ meæ, salus tua ego sum. Scio enim Domine quod patres illi antiqui & si milites essent veterani, quod non in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum nõ saluauit eos. Sed dextera tua & brachium tuum. Quare neque ego in arcu meo sperabo: neque gladius meus saluabit me. Deinde à tanto propugnatore arma mutuare debemus, si legiones has debellare volumus. Ea enim sunt baculus & pera cum lapidibus atque funda. His enim prẹmũniti constantes stabimus aduersus Goliath, atque legiones eius: descendereq; poterimus securi cum illo ad singulare certamen: quo deuicto fugient omnes eius satellites, atque cohortes. ¶ Accipiamus igitur armaturam Dei: vt possimus resistere in die malo (id est in tempore difficili, quoties obruerint tentationes.) Et in omnibus perfecti, stare. (Id est omnibus perfectis, atque confectis, quibus ad hoc bellum opus est, stare & subsistere possimus.) Stemus ergo succincti lumbos nostros in veritate, & induti loricã iustitiæ, & calciati pedes in præparationem Euangelij pacis in omnibus sumentes scutum fidei, in quibus possimus omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumamus & gladiũ spiritus quod est verbum Dei. Sic enim expugnare facilè poterimus satellites & legiones inimicorum nostrorum inuisibilium qui nobiscum in terra nostra versantur,

Margin notes: Genes. 4. — Ordines & præeminẽtia in dæmonibus inueniuntur. — Ephes. vl. — Tho. 1. p. q. 109. art. 1. & 2. & q. 114. ar. 2. — Iob. 1. — Psal. 139. — Psalm. 34. — Psalm. 43. — Figura. 1. Reg. 17. — Ephes. 6.

Baruch. 3. santur: vt Baruc. c. 3. ait. Quid est, inquit, Israel quod in terra inimicorum est?

¶ *At ille dixit legio. Quia intrauerant multa dæmonia in eo.* Multa ergo dæmonia si volunt, esse possunt in eodem loco: inibique operari. Vt ex hoc loco constat. Item multi angeli Lazarum portabant in sinum Abrahæ, vt idem Lucas narrat. c. 16. multi similiter angeli Christo ministrabant peracta tentatione, vt refert Matthæus. Possunt ergo si volunt boni angeli pro comitatu honorificentiori simul in cælum animum viri iusti portare. Sicut etiam possunt ex malitia sua dæmones multi concurrere simul, vt magis ac magis hominem torqueant: quod in isto misero homine videmus. Quo autem pacto intelligatur Doctor Sanctus qui. 1. p. q. 52. art. 3. affirmat esse non posse plures angelos in eodem loco, docet Caiet. ibi.

Multi dæmones esse possunt in eodem loco.

Infra. 16.

Matth. 6.

Vi. Abul. in Matth. q. 136.

¶ *Et rogauerunt eum, ne imperaret illis, vt in abyssum irent.* Orant omnes isti vt si vitari non possit, quin eijcerentur, saltem ne iuberentur abire in abyssum tartari, quem locum sciunt sibi destinatum in extremo die. Sic enim olim prædixerat Isaias cap. 30. præparata est enim ab heri Tophet à rege preparata, profunda & dilatata, nutrimentum eius ignis, & ligna multa, flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam. Tophet erat locus prope Hierosolymam in valle filiorũ Hennon, quo cadauera & alia immunda proijciebantur. Sed hic non de hoc loco ait Isaias, quoniam nõ in eo sepultus est sennacheribus vt literę diuinæ apertè indicant. Præterea hæc quæ hic de Tophet dicuntur, loco illi, qui est prope Hierosolymam conuenire non possunt, sed inferno pro quo hic accipitur, & de quo Isaias in præsenti loquitur. Ait igitur propheta hunc locũ præparatum à rege, hoc est, à Deo, ab heri, hoc est ab initio mundi; & esse profundum, & capacissimum, iuxta id quod supra dixerat idem propheta: dilatauit infernus animam suam. Præterea dicit esse igneum significãs dæmonum cruciatus, & æternum, quia Deus accedit flatu suo Pyram, quemadmodum ignis Sulphure

Infernus præparatus ab initio dæmonibus Isai. 30.

A iniecto ardet, & alitur. Post diem ergo iudicij improbi dæmones in cæcas & æternas tenebras, & in abyssum & voraginẽ illam igni inextinguibili plenam relegabuntur. Timebant ergo isti ne in hunc locum sibi ab initio mundi destinatum deijcerentur: ideò orant Christum Dominum ne in illum abire iuberentur. Si ergo nos sapimus, timeamus in abyssum tartari, ob scelera nostra abire: vt saltem isto timore correpti, resipiscamus. Timor enim initium est nostræ salutis. A B timore, inquit, tuo concepimus, & parturiuimus spiritum salutis. ¶ Cæterũ hęc omnium est sententia doctorum, quòd aer iste, qui cælum & terram medius diuidens inane appellatur: sit plenus malignis spiritibus quos ideò spirituales nequitias in cælestibus existẽtes vocat Paulus. Quemadmodũ enim aer plenus est atomis, sic etiã dæmonibus est repletus. Vt ergo liberius possint hominibus nocere, ideò renuunt in abyssum detrudi: ideò orant ne in tartarum mittantur: tãta est illorum in homines sæuitia, atque C odium intestinum.

Isai. 26.

Ephe. vlt.

¶ *Et rogabant eum vt permitteret eis in illos ingredi. Et permisit.* Hic vides quàm ligata sit atque exigua potestas dæmonis. Non enim nisi permissus immigrare poterat in porcos illos. Hinc est etiam quod Domino idem Sathanas ait. Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet: nisi in faciẽ benedixerit tibi. Formidari ergo diabolus non debet (vt Greg. ait) qui nihil nisi permissus valet. Sola ergo vis illa timenda est, quæ cum hostem sæuire permiserit, et ad vsum iusti iudicij, & iniusta illius voluntas seruit. D. Grego. 2. mo. c. 9. & 10. ¶ *Et rogabant eum vt permitteret eis in illos ingredi.* Tanta est nocendi libido impijs spiritibus, vt cum nobis nocere non permittuntur, res nostras familiares perdere conentur: idque à Deo impetrare tentent.

Potestas diaboli exigua.

Iob. 1.

Nõ est formidandus diabolus sed vis diuina timẽda.

D

(K)

Domin. 23. post Pent.

Matth. 9. Marc. 5.

ET ecce venit vir cui nomen Iairus, & ipse princeps synagogæ erat: & cecidit ad pedes Iesu, rogans eum ut intraret in domum eius, quia vnica filia erat ei ferè annorum duodecim, et hæc moriebatur. Et cõtigit: dum iret, à turbis comprimebatur. Et mulier quædam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogauerat omnẽ substantiam suam, neque ab vllo potuit curari: accessit retro, & tetigit fimbriã vestimenti eius, et confestim stetit fluxus sanguinis eius. Et ait Iesus, quis est qui me tetigit? Negantibus autem omnibus dixit Petrus, et qui cum illo erãt, præceptor, turbæ te comprimunt et affligunt, et dicis, quis me tetigit? Et dixit Iesus, tetigit me aliquis: nam et ego noui virtutem de me exisse. Videns autem mulier, quia nõ latuit, tremens venit, et procidit ante pedes eius: & ob quam causam tetigerit eũ, A *indicauit coram omni populo, et quemadmodum confestim sanata sit. At ipse dixit ei, filia, fides tua saluam te fecit: vade in pace. Adhuc illo loquente, venit quidam ad principem synagogæ, dicens ei, quia mortua* B *est filia tua, noli vexare illum. Iesus autem audito hoc verbo respõdit patri puellæ, noli timere: crede tantum, & salua erit. Et cum venisset domum, non permisit intrare secum quemquam, nisi Petrum et Iacobum & Ioannem et patrem, et matrem* C *puellæ. Flebant autem omnes, & plangebant illam. At ille dixit, nolite flere: non est mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum, scientes quòd mortua esset. Ipse autem tenens manum eius clamauit, dicens: puella surge. Et reuersus est spiritus* D *eius: et surrexit continuò. Et iussit illi dare manducare. Et stupuerunt parentes eius, quibus præcepit ne alicui dicerent quod factum erat.*

(?)

Ecce

Ecce sese obtulit in his duobus miraculis Christo Dño occasio, qua declarauit quã esset expositus omnibus ad subueniendũ, diuitibus simul ac pauperibus, bonis ac malis, quantoq; minus haberent fiduciæ qui apud Iudęos videbãtur religionis proceres, qualis fuit Princeps iste synagogæ, quã hi, qui in plebe habebantur cõtemptissimi, qualis habebatur mulier ista quæ omnem substantiam erogarat in medicos.

¶ Nobis etiam sese offert occasio qua explicemus Dei virtutẽ & potentiã: qua solo verbo suscitat hominem peccatorem à peccati morte, cuius imaginem gerit puella ista, & solo tactu medetur sceleratis hominibus, iã diu suis vitijs operã dãtibus. Aperiamus igitur librũ hunc scriptũ intus & foris: & videbimus vera esse quę modo proposuimus.

¶ *Ecce vir cui nomen Iarius: & ipse princeps synagogæ erat: cecidit ad pedes Iesu, rogans eum.* Hinc discant proceres Ecclesiæ quam vim habeant preces eorum pro filijs suis spiritualibus ad Deũ fusæ, si cũ humili corde fundãtur. Orat princeps iste synagogæ cadẽs ad pedes Iesu, & impetrat statim quod optat. Verè ergo Salomõ olim affirmarat Ecclesi. c. 35. Cũ dixerat: qui adorat Deũ, in oblectatione suscipietur: & deprecatio illius vsq; ad nubes propinquabit. Oratio humiliãtis se, nubes penetrabit, & donec propinquet nõ consolabitur, & nõ discedet donec altissimus aspiciat, & Dñs non elongabit. Quem locũ de precibus prælatorum explicat glossa. Meritò ergo monet D. Iacobus in sua Epist. c. 5. infirmatur, inquit, quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eũ, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eũ Dñs. Hoc est, eriget eũ Dñs quẽadmodũ erexit puellã istam. ¶ Discamus hinc etiã pro inuicẽ humiliter Deũ precari, si ab infirmitate qua laboramus sanari volumus. Quod & idẽ Iacobus statim admonet. Dicẽs: orate pro inuicẽ vt saluemini. Id est, vt sanemini. Nã Græcẽ est ἰαθῆτε. Multũ enim valet deprecatio iusti assidua. Quo in loco pro, assidua, Græcẽ est, ἐνεργουμένη. i. efficax. Deprecatio enim iusti ex animo profusa, plurimum prodest. Qualis fuit Eliæ, qui homo erat similis nobis passibilis, & oratione orauit, vt nõ plueret super terram, & non pluit annos tres, & mẽses sex. Et rursum orauit, & cœlum dedit pluuiã. Qualis fuit Iacob, qui inualuit ad angelũ & confortatus est, eò quod rogauerit eũ. Vt Oseas testatur. c. 12. Qualis fuit Abrahę, Iob, Danielis, aliorũq; iustorũ quos sacra narrat historia. Qualis deniq; fuit proceris huius. Humilis, scilicet, fidelis, & ex animo diffusa.

¶ Disce hinc quarè nõnulli prælati & sacerdotes pro nobis orantes nõ exaudiantur. Nimirum, quod eorum preces, neq; humiles, neque fideles, neque efficaces sunt. Quãdo enim fidelis (inquit Bern.) & humilis, & feruens oratio fuerit, cælũ sine dubio penetrabit. Vnde certum est, quod vacua redire non possit. At iniquorum sacerdotum preces, cum neque humiles, neque feruidæ sint, nõ mirũ quod cælum non penetrent. Plus enim placet Deo (inquit Aug.) latratus canum: mugitus boum, grunitus porcorũ, quã cantus clericorũ luxuriantiũ. De huiusmodi Ecclesiæ primoribus ait Isai. cap. 1. Audite verbum Domini principes sodomorũ, cum extenderitis manus vestras, auertã oculos meos à vobis. Si enim manus sacerdotum fuerint coinquinatæ, si opera illorum fuerint impia, quo modo Deus eos pro nobis precantibus audiet? Ponunt enim nubem ne transeat illorũ oratio. Vt enim nubes radiorum solis splendorem impedit: sic peccatum sacerdotũ ob suam caliginem est impedimentum ne à Domino exaudiantur.

¶ *Rogans eũ vt intraret in domum eius, quia vnica filia erat ei ferè annorũ. 12. & hæc moriebatur.* Rogabat princeps iste, vt dignaretur adire domũ suam, ac subuenire filiæ morienti. Sic vocari solet medicus: veni, experire quid possis. Fidẽ aliquã nonnullãq; fiduciã habebat princeps iste, nõ tñ absolutã atq; plenã. Adhuc. n. ignorabat Christi naturã esse diuinã. Quarè eũ p̃catur, vt adire vellit ædes suas. Quãto plenior fides, atq; fiducia cẽturionis, qui negauit esse op9 præsentia corporis, sed simplici dicto sanare posse, quẽ vellet. Dñe, inquit, nõ sum dignus, vt intres sub tectũ meũ, sed tãtũ dic verbo,

Marginalia: Quantam vim habeant preces prælatorum & sacerdotũ. — Eccl. 35. — Iacob. 5. — 3. Reg. 17. — Oseæ. 12. — Gen. 2. — Iob 42. — Dan. 6 & 9. — Quare preces nõ nullorum sacerdotũ inefficaces sint. — D. Bern. — D. Aug. — Isai. 1. — Thre 3. — Matth. 8.

verbo, & sanabitur puer meus. Quanto plenior fides huius mulieris, quæ destituta auxilio hominũ, confugit ad opem diuinã, mira concepta fiducia de Iesu, si quicquam posset illius contingere, fore vt sanaretur. Vnde principi exanimato ad nuntium, qui nũtiarat filiam suã iam esse mortuam, ait Dñs, noli timere crede tantũ. At huic mulieri fides tua te saluã fecit. Quanto plenior fides Chananææ, cui Dñs admiratione plenus dixit, ò mulier magna est fides tua fiat tibi sicut vis. Nõ est ergo quare proceres Ecclesiæ, pauperes & ignobiles fideles contẽnant præ se: cũ istorũ sint multi qui illos in fide & in bonis actionibus longe superent atque excellant. Ideo Paul. scribẽs ad Philip. dicebat. in humilitate, superiores sibi inuicẽ arbitrantes. Quasi diceret: nolite inflari & extolli, sed vnusquisq; quãtũuis de primoribus sit, alterũ quãtũuis contemptibilẽ, præstãtiorẽ se existimet. Nõ ergo tibi placeas, aut alterũ cuius virtutẽ ignoras despicias. Neq; de aliquo tibi ignoto temere sentẽtiã feras: quoniã nemo scit, quid sit in homine: nisi solus ille qui nouit corda filiorũ hominũ. En vides principẽ synagogæ à centurione, à muliere ista, à Chananæa imo à latrone in cruce pendente in fiducia superatum. Narrat D. Greg. de quodã Dei viro, nomine constantio: quod vir quidã, fama tanti viri cõmotus, inuiserit: eũ cuius cõtemptibilẽ personã à lõge intuẽs, inquit, ego quidẽ grandẽ hominẽ credidi, iste nihil habet de homine. Cui vir sanctus: tu solus, inquit, es, qui apertos in me oculos habuisti. Qualis enim quisque apud se lateat, contumelia illata probat. Non ergo contemnamus vnum ex his pusillis qui in Christũ credũt, nã hi sunt, qui solent, primates Ecclesiæ præcedere in regno Dei. Hos enim humiles, pauperculos & tremẽtes sermones Dñi solet ipse respicere: quemadmodũ ipsemet apud Isaiam testatur. ¶ *Contigit dum iret.* En vides quàm esset expositus Christus omnibus ad subueniendũ, diuitibus simul ac pauperibus, infirmis in fide, & roboratis in fide. Omnibus æquo animo subuenit. Ideo statim vt rogatus est ab isto principe, surrexit ac secutus est eũ: & inter eundũ sanauit pauperẽ mulierẽ à profluuio sanguinis. Discamus igitur omnibus ex æquo succurrere. Si concionator es, omnes cælesti doctrina instrue: omnibus tã sapientibus, quã insipiẽtibus Euangeliũ Dei prædica, exẽplo Pauli, qui tã Græcis quã Barbaris cõcionabatur: omnibꝯ prodesse desiderans. Vnde Orig. de illo ait: velut multarũ diuitiarũ cupidus Paulus: ex multis rationabilibus possessionibus redditus desiderat cõgregare: ex Græcis, Barbaris: sapiẽtibus, & rudibus, atq; indoctis: dũ alijs sapientiã loquitur: alijs Christũ prædicat crucifixum: alios ex lege & prophetis docet: alios ex Euãgelio. Affert autẽ hos omnes fructus ad aream Dei. Sic igitur fac, quando omnibus debitor es, tã sapientibus, quã insipiẽtibus, tã diuitibus, quã pauperibus. Si pastor es gregis Dñi, expositus es nõ vt te ipsum pascas: sed vt omniũ tã agnorũ, quã arietũ, quã ouiũ Dñi, salutẽ procures. Ne de te dicatur illud quod apud Ezechielem Dñs ait: væ pastoribus Israel qui pascebãt semetipsos, nõne greges à pastoribꝯ pascuntur? Quod infirmũ fuit nõ consolidastis, & quod ægrotũ nõ sanastis, quod confractũ est nõ alligastis, & quod abiectũ est nõ reduxistis, & quod perierat nõ quæsistis, sed cũ austeritate imperabatis eis & cũ potẽtia. Si rex aut princeps aut Dñs es, omnibus tibi subditis ex æquo prouide: tã diuitibus, quã pauperibus, tã nobilibus quã ignobilibus. Quẽadmodũ enim sol omnes illuminat, omnes suo calore fouet, sic cõcionatores sua doctrina, sic prælati sua cura pastorali, sic principes seculi, sua administratione omnibus succurrere, omnibus subuenire debent. ¶ *Et mulier erat quedã in fluxu sanguinis ab annis duodecim.* Mulier ista gerit imaginẽ peccatoris fœdo & abominabili morbo peccatorũ iam diu laborantis. Inundant enim ex animo eius, atque profluũt quotidie peccata, atq; scelera innumera. De huiusmodi peccatoribus ait Dñs apud Oseã. c. 4. maledictũ & mẽdaciũ, & homicidiũ & furtum & adulterium inundauerunt (instar, scilicet, diluuij) & sanguis sãguinem tetigit. Instar enim profluuij sanguinis, sic peccatum, peccatũ tangit. Profluit enim ab animo homi-

Matt. 15.
Phi. 2.
2. Par. 6.
D. Greg.
Isai. 66.
Omnium salus procuranda exemplo Christi.
Origenes.
1. Cor. 1.
Rom. 1.
Ezech. 34.
Similitu.
Hæc mulier imago est peccatoris iam diu in peccatis existentis.
Oseæ. 4.

hominis impij, praua cogitatio, & ex praua cogitatione, prauum desideriũ: & ex prauo desiderio prauũ opus: ex prauoq; opere praua inueterataq; consuetudo, & libido peccandi, & tandẽ ex ista, desperatio oriri solet. Atq; cum impius in hoc profundũ malorũ venit, tunc contẽnit: vt Salo. ait Prou. 18. ¶ *Et mulier erat quedam in fluxu sanguinis ab annis duodecim.* Morbos varios quos homines patiũtur esse flagella docet D. Hieronym. in Nahum. c. 3. de quibus ait ibi propheta. Vox flagellorũ, & vox cõmotionis rotarũ. In corporis, malis inquit Hieronym. flagellum diaboli intelligitur. De hoc flagello ad iustum dicitur: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Licet ergo nonnulli hæc ex corrupto aere, vel ex corporũ diuersitate accidere suspicẽtur, nos tamen qui legimus & febrẽ imperatã, & mulierem per. 18. annos á diabolo ligatã, Dño medicante curatã: scimus hæc omnia flagella esse Niniue.

Prou. 18.

Morbi varii flagella sunt

Psalm. 90.

Luc. 4.

Vi. Hier.

¶ *Que in medicos erogauerat omnẽ substantiã suam, nec ab vllo potuit curari.* Addit Matthæus. *Sed magis deterius habebat.* Tres sunt peccatoris inueterati medici: qui nõ solũ nõ illi medẽtur, sed magis peccandi consuetudinẽ augẽt. Honor, voluptas, & diuitiæ. ¶ Pollicetur honor peccatori thronũ excelsum & eleuatũ, & subito eũ in profundũ inijcit. Iob. 30. Eleuasti, inquit, me, & quasi super vẽtũ ponẽs elisisti me valdẽ. Quod si dum peccator viuit, ab honore nõ ceciderit, tandẽ in vitæ fine in perpetuã ignominiã deueniet. Vnde idẽ Iob. c. 20. inquit, si ascenderit vsq; ad cælũ superbia eius: & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquiliniũ in fine perdet. Et qui eũ viderãt dicent, vbi est? ¶ Diuitiæ etiã salutẽ animi pollicẽtur: quod solẽt medici: hoc est animi saturitatẽ promittũt, & tamẽ perpetuã famẽ æternãq; sitim præbent. Vt in diuite illo quẽ refert Lucas videre est: qui frusta in inferno blandus factus ac mendicus miserabili voce clamabat: pater Abrahã miserere mei, & mitte Lazarũ vt intingat extremũ digiti sui in aquã, vt refrigeret linguã meã, quia crucior in hac flãma. ¶ Voluptates deniq; nõ animi langoribus medentur: nã & si dulcedinẽ promittant, fellis amaritudinẽ & acerbitatẽ conferũt. Fauus distillans (inquit Salo.) Labia meretricis, nouissima autẽ illius amara quasi absynthiũ. Et rursum in alio loco ait. Omnia quæ desiderauerũt oculi mei nõ negaui eis, nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur. Cumq; me cõuerterẽ ad opera manus meæ, vidi in omnibus vanitatẽ & afflictionẽ animi. Non ergo est quare hos tã nocẽtes medicos consulamus: nõ est quare fidẽ pollicitis eorum adhibeamus, cũ potius morbũ animi augeãt, quã deleant. Verus medicus Christus est: cõfugiamus igitur ad illũ, tanquã ad verã animi medicinã, eũ fide viua cũ dolore coniuncta tangamus, si profluuiũ peccatorum sisti desideramus. ¶ *In medicos erogauerat omnem substãtiam suam: nec ab vllo potuit curari.* Opẽ quã pollicebantur medici nõ solũ non attulerũt: Sed morbo addiderant aliud malũ, paupertatẽ scilicet. Sed ad opẽ diuinã mulier ista, confugiens salutẽ consecuta est. Quæramus ergo Deũ toto animo, humanoque auxilio nequaquã fidamus. Maledictus enim vir, vt ait Ierem. qui confidit in homine, & ponit carnẽ brachiũ suum. Et à dño recedit cor eius. Erit enim quasi myricæ in deserto, & nõ videbit cũ venerit bonũ: sed habitabit in siccitate in deserto in terra salsuginis & inhabitabili. E contra verò, benedictus vir qui confidit in Dño: & erit Dñs fiducia eius. Et erit quasi lignũ quod transplantatur super aquas: quod ad humorẽ mittit radices suas: & non timebit cũ venerit æstus. Et erit foliũ eius viride: & in tẽpore siccitatis nõ erit solicitũ: nec aliquãdo desinet facere fructũ. Hæc mulier quàm diu in hominibus, & nõ in Deo confiderat, maledictionibus, hoc est morbo & ærumna & paupertate repleta est: postquã vero ad opẽ nõ humanã, sed diuinã confugit, miramq; fiduciã de Iesu concepit, benedictionibus est dotata. Nã nõ solũ sanata est à profluuio sanguinis, sed audire meruit cõfide filia fides tua te saluã fecit. Vade in pace. ¶ Hoc idẽ intelligẽs Dauid dicebat in Psalmo: nolite cõfidere in principibus, in filijs hominum, in quibus nõ est salus. Quæ verba explicans D. Aug. miratur

Tres sunt mali medici animæ.

Iob. 30.

Iob. 20.

Lucæ. 16.

Prou. 5.

Ecclesi. 2.

Non in hominibus, sed in Deo spes nostra ponenda.

Ierem. 17.

Psal. 145.

D. Aug.

miratur & meritò quidé filiorũ hominũ. Fratres, inquit, magnũ negotiũ hic accipimus: diuina vox est: & desuper sonat nobis. Nescio enim modo: nescio qua infirmitate humana anima quando fuerit tribulata hic desperat de Dño: & vult præsumere de homine. Dicitur homini in afflictione aliqua cõstituto: est quidã homo magnus: per qué possis liberari: arridet, gaudet, & erigitur. Quod si dicatur illi liberat te Deus, quasi desperatione frigescit. Promittitur auxiliũ mortalis: & gaudes: promittitur immortalis & tristis es? Promittitur tibi quod liberet te tecum liberandus: & tanquam aliquo magno auxilio exultas. Promittitur ille liberator qui liberatore non indiget: & quasi ad fabulã desperas. Væ talibus cogitationibus, lõgé peregrinãtur: veré misera & magna mors est in eis: appropinqua o anima incipe quærere & agnoscere eũ a qua facta es. Nõ enim deseret opus suũ: si ab opere suo non deseratur. Monet enim nos iam impletus Spiritu sancto iste: & dicit quasi de longe remotis & longé peregrinantibus & nondum vel de Deo sperantibus: nolite confidere in principibus & in filijs hominũ in quibus non est salus. Hæc August. De huiusmodi hominibus non in Deo, sed in hominibus fiduciã suã ponentibus ait Dñs apud Isaiam.c.30. Væ filij desertores, vt faceretis cõsiliũ, sed nõ ex me: & os meũ non interrogastis sperãtes auxiliũ in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciã in vmbra AEgypti. Filios desertores appellat Deus eos, qui eo contẽpto ad humana remedia confugiunt. Vbi aspicis, quàm grauiter delinquant ij, qui in periculis, & ęrumnis & necessitatibus Deũ non consulant, neque ad ipsum confugiunt, sed in hominibus totã spẽ suam ac fiduciam reponũt. Vult Deus, vt in ipso spei nostræ ancoram constãter figamus: & nõ in vmbra AEgypti, hoc est, in hominum fauoribus, opibus & potentia. Vt enim nihil est fugacius vmbra, nihil inconstantius: sic res humanæ nihil habent soliditatis, nihil perpetuitatis, nihil firmitatis. Cur igitur quæris & ardenter concupiscis res mobilissimas, meras vmbras, quæ tibi pariant confusioné & ignominiã? Nonne amens & stolidus censeretur qui fame laborãs, pulchra poma in arbore pendentia contemneret, ad eorũq; fallacé vmbrã confugeret? Quanto igitur amentior & stolidior iudicandus est ille, qui relicto vero Deo, qui est summa illa & sempiterna substantia, quæ sola satiare potest, inquirit mundi potentiã, fauoré, & diuitias, fugaces vmbras nullã animi famé, nec sitim, extinguentes, in illisq; totã mentẽ, curam & cogitationé figit & collocat? Quæramus igitur Dñm Iesum toto corde: in humanoq; auxilio, aut sapientia, aut arte nequaquã totam spem nostram collocemus. ¶ *Accessit retro & tetigit fimbriam vestimenti eius: et confestim estitit fluxus sanguinis eius.* Vel isto exẽplo disces quã vtiles, atq; proficui sint hominibus morbi, & paupertas, aliaq; missa à Deo flagella. Nã illis, ad Deũ confugientibus & fiduciã totã suã in illũ constituẽtibus, subuenit diuina virtus. Abrahã, inquit Hiero.) tentatur in filio, & fidelior inuenitur. Ioseph in AEgyptũ venditur, vt patré pascat & fratres. Ezechias vicina morte terretur, & fusus in lachrymas, quindecim annorũ spatio protelatur ad vitã. Petrus Apostolus Dñi passione concutitur, & amariter flens, audit: pasce oues meas. Paulus Lupus rapax & Beniamin adolescentior in ecstasi cæcatur vt videat, & repentino tenebrarum horrore circundatur, Dñm vocat quem dudũ, vt hominé persequebatur. Ita & nũc in hac muliere. Profluuiũ sanguinis patiebatur, omné substantiã suam in medicos erogarat, morbus indies augebatur, paupertate iã premebatur, fiducia plena, abresit à tergo (pudor enim obstabat, quo minus prodiret illi in cõspectu; ac morbũ pudendũ aperiret) & attigit extremam horam vestis illius, & protinus sensit abisse morbũ: ac sisti profluuiũ sanguinis. Flagello isto traxit illã Dominus ad se. Sic enim solet Dñs homines ad se trahere, flagellãdo. Iuxta illud Osææ c.11. in funiculis Adã trahã eos. Quemadmodum etiã ad se traxit filios Israel. Nõ enim tã miraculis à Moyse factis aut monitis cõmoti sunt, quã persecutione Pharaonis. Clamauerunt ad Dominũ, & Dñs

Isai.30.

Simile.

Quam vtiles sint afflictiones ostẽditur

D. Hiero. ad Marce.

Osæe, 11.

Dñs exaudiuit eos. ¶ *Accessit retro.* Pudor obstitit quo minus prodiret illi in conspectum: ac morbum pudendũ aperiret. Cuius exẽplo tu si peccator es, & ab isto tan pestifero morbo sanari à Dño appetis: primùm erubesce, verecundare, te deniq; pudeat peccati. Vnde D. Ambr. de morte Abel, & Cain, ait. Erubescere debemus, & condẽnare peccatũ, non defendere: quoniam pudore culpa minuitur: defensione cumulatur. Ideo Dñs aiebat apud Ezech. c. 36. Confundimini, & erubescite, sup vijs vestris domus Israel: hæc dicit Dñs Deus in die qua mũdauero vos, ex omnibus iniquitatibus vestris. Et terra deserta fuerit exculta, quę quõdã erat desolata, dicẽt, terra illa inculta, facta est vt hortus voluptatis. Erubescẽtia ergo initiũ est nostrę salutis. Infelices illi qui erubescere nesciunt. Nam cadẽt in perpetuã confusionẽ, curabãt (inquit Dñs) contritionẽ filiæ populi mei cũ ignominia dicẽtes, pax, pax, & nõ erat pax. Confusi sunt: quia abominationẽ fecerunt: quin potius confusione nõ sunt cõfusi, & erubescere nescierũt: quã ob rem, cadent inter ruentes, in tẽpore visitationis suæ corruent. Infeliciores autẽ illi qui nõ solũ in malo non erubescunt, sed potius peccata sua tanquã optimẽ facta defendũt: qui lætantur cũ male fecerint & exultãt in rebus pessimis. Si ergo peccator es, verecũdia & pudore perfundere: & tange Christi fimbriã: & à peccatis mũdaberis: si iustus es, verecundiã ama, & nõ peccabis. Tacebat in periculis Susanna (inquit Ambro.) & grauius verecũdiæ quã vitæ dãnum putabat: nec arbitrabatur periculo pudoris tuendam salutem: soli Deo loquebatur, cui poterat casta verecundia loqui: refugiebat ora intueri virorum. Hæc illæ. Si ergo hãc virtutem amplexati fuerimus peccare recusabimus, timentes à Dño exprobrari. Verecundia enim timor est turpitudinis exprobrabilis. Quod si peccauerimus, & scelera nostra instar profluuij sanguinis ab animis nostris fluant, pudeat nos peccasse: & tunc abibit morbus, si simul Deũ viua fide tangamus, vide quæ annotauimus sup. c. 7. in illa verba, & stans retro.

Verecundia cõmendatur quæ initium salutis est.

Ambros.

Ezech, 36.

Ierem. 11.

Prou. 2. c.

Lib. 2. de offic.

A ¶ *Et tetigit fimbriam vestimenti eius. & confestim stetit fluxus sanguinis eius.* En vides, quod nõ sola diuina virtute Christus Dñs miracula ædebat: sed etiã natura eius humana, instrumentũ erat coniũctũ veluti manus quæ instrumentũ est artificis, isto ergo diuino instrumẽto diuina virtus opera hæc tam mira faciebat. Hinc ergo fuit quod ad tactũ eius mulier ista sanata est. Imò quotquot tangebãt eũ (plena & perfecta fiducia) salui fiebant. Vt Marcus narrat. c. 6. Lege de hac q. gloss. Mar. 5, in fin. cap. & Dctorẽ san B ctum. 3. p. q. 43. art. 2. ¶ *Et tetigit fimbriã vestimenti eius et confestim stetit fluxus sanguinis eius.* Vestimẽtũ Christi est humana natura. De qua Isai. 63. quare, inquit, rubrũ est indumentũ tuũ? Et Apoc. 19. & vestitus erat veste aspersa sanguine. Habitu inquit Paul. inuentus, vt homo. Fimbria vestimenti huius fuit passio. Si ergo peccator fide viua tetigerit Christi passionẽ stabit profluuiũ omniũ peccatorũ, sanguis ergo, hoc est, peccatũ: sanguinẽ Christi tangat, & sistet. Si enim sanguis hircorũ & cinis iuuẽcæ aspersus (in- C quit Pau.) inquinatos sanctificat, ad emũdationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctũ seipsum obtulit immaculatũ Deo: emũdabit conscientiã nostrã, ab operibus mortuis ad seruiendũ Deo viuenti? Hircus Christus est: quod carnẽ innocentẽ, similẽ tamen nostræ assumpserit, de peccatoribus natus: Hoc est, de Dauide, Salomone, &c. Iuuenca Christus est: quod iugũ peccati nõ traxit. Si horũ igitur sanguis animaliũ, potest (inquit Pau.) emũdare peccata populi iuxta carnis purificationẽ: quãto D magis sanguis Christi emũdabit consciẽtiã nostrã qui verus hircus veraque iuuẽca est? ¶ *Et tetigit fimbriam vestimenti eius: et confestim stetit fluxus sanguinis.* Hoc testimonio alijsq; huic similibus contendere poterũt aliqui nullũ esse crimẽ nullũque scelus ad sacram synaxim accedere in peccato. Nõ enim (dicere poterũt) maioris dignitatis existit Christus sub velamine & specie sacramenti, quã sub propria: sed peccatoribus corpus Christi tangentibus, delictum non erat: imo

Gloss. D. Tho.

Indumentum Christi natura humana. Isai. 63. Apoc. 19. 1 h. 2.

Heb. 9.

Figura.

An liceat accedere ad Eucharistiam in peccato.

imo salutem, animi & corporis cōsequebantur: vt in Magdalena, & in hac muliere, atq; in multis alijs quos narrant Euāgelistæ videre est: ergo nec peccatores sumentes sacrosanctum Christi corpus in Eucharistia in crimine erunt: maximè ad salutem consequendā accedētes. Hoc tamen argumentū non obstat, quin grāde peccatum sit cum animi immunditia hoc sacramentum tangere, quare neganda est illa collectio. Dispar enim iā ratio est. Nā Christus dum vitā hanc mortalē agebat, non se tangendū præbebat, in signum spiritualis vnionis ad ipsum: sicut in sacramēto se tāgendū exhibet: & ideò peccatores tunc tēporis illū tangentes nullum falsitatis crimen incurrebant, sicut in hoc sacramēto. Præterquā quod tunc similitudinem gerebat carnis peccati, vt cum eo possint peccatores cōuersari. At similitudinē illā peccatricis carnis in resurrectione exutus, tāgi se à Magdalena prohibuit ob defectū fidei, quo circa ipsum laborabat: secundum illud Ioan. 20. Noli me tangere nōdum enim ascendi ad patrem meū (scilicet in corde tuo) interprete August. Emundemus igitur conscientiā nostrā, si dignè corpus Christi tangere in hoc sacramento volumus. Nam cibus est animi, cibus autem vitam præsupponit. Quare vitam spiritualē prius habere necesse est. Lege D. Thom. 3. p. q. 80. art. 4. ad. 1. argum.

Ioan. 20.

D. Thom.

¶ *Turba te comprimunt & affligunt: & dicis quis me tetigit?* Obserua (inquit D. Bonau.) quod Iesus, id est, salus animę nostrę pręmitur, cōprimitur & opprimitur. Præmitur prauis cogitationibus: cōprimitur peccatorū delectationibus: opprimitur verò consensum illis præbēdo liberū nostrū arbitriū. Atq; tunc oppressus Christus ab anima egreditur. Quare magna diligentia curandū est, vt turbæ cogitationū, atq; delectationū præmentes & cōprimentes Christū, baculo timoris ab animis nostris expellātur. In timore enim Dñi declinat omnis à malo, vt salo. Ait Prou. 15. Et rursum ait: timor Dñi expellit peccatū. Eccl. 1. Tali baculo caruit homo ille, qui in porta Samariæ à turba cōpressus & conculcatus fuit. Talī

Christus quādo premitur, quā do cōprimitur, quā do opprimitur.

Prou. 15. Ecclesi. 1.

A baculo caruit dina filia Iacob, quā curiositas, nō necessitas egredi fecit ad videndū mulieres illius regionis. Quapropter à Sichē filio Emor oppressa fuit vt sacra narrat historia Gen. 34. ¶ Prætereà nota, quòd nihil magis vndiq; premit & affligat Deū, quā peccatorū cōfertissima frequentia. Vnde de hoc conqueritur Isai. c. 63. dicens: In dilectione sua ipse redemit eos, & portauit eos, ipsi autē ad iracūdiā prouocauerūt: & afflixerunt Spiritū sancti eius. Siue vt alij codices habēt: spiritum sanctū eius. Nostris sanè malis, atque peccatis Spiritū sancti, hoc est, Christi (vt Hiero. exponit) affligimus. Nostro ruinq; scelerū frequentia Spiritū sanctū premimus atq; contristamus. Ideò Pau. in Epist. ad Eph. c. 4. præcipit: nolite contristare Spiritū sanctū Dei. Id est, nolite illū aduersus vos irritare, & facere, vt instar contristati se habeat. In quo signati estis in die redēptionis. i. cuius gratia & charismate signati estis in baptismo. Qui dies redemptionis meritò appellatur, quod in baptismo particeps homo fiat redēptionis per Christū factæ. Omnis ergo amaritudo, & ira & indignatio, & clamor & blasphemia, omnisq; alia confertissima vitiorū turba tollatur à nobis: si Dei spiritum premere & affligere nolumus. Quod si contigerit adesse in animis nostris talē peccatorū turmā, affligamur cōtristemur, magno dolore premamur: vt Spiritus sanctus, qui afflictus abierat, redeat. Exēplo Dauidis, qui in Psal. 37. dicebat. Afflictus sum & humiliatus sum nimis rugiebam à gemitu cordis mei. Siue prægemitu cordis mei. Domine ante te omne desideriū meū & gemitus meus à te non est absconditus.

Gen. 34.

D. Bonau. de doctr. cor. c. 10.

Isai. 63.

D. Hiero.

Ephes. 4.

Psalm. 37.

D ¶ *Tremens venit & procidit ad pedes eius, & ob quā causam tetigerit eū indicauit corā omni populo.* Suo exēplo nos docet mulier ista quo pacto prodire debemus in conspectum Dei, & illi confiteri munera, atque beneficia ab eo accepta. Cū timore. s. & tremore. Cū humilitate & animi deiectione. Sic sanctus ille senior Tobias hortatur omnes nos dicens in. c. 13. ipse castigauit nos propter iniquitates nostras, & ipse saluauit nos propter mise-

Cum tremore prodire debet peccator in conspectum Dei & illi confiteri beneficia ab eo accepta.

Tob. 13.

misericordiam suam. Aspicite ergo quæ fecit nobiscum, & cum timore & tremore confitemini illi. En vides hanc mulierem morbo incurabili castigatam à Dei misericordia sanatam: nunc cum tremore magno & humilitate confitentem coram omni populo Dei beneficium. Sic etiam hortatur Apostolus ad Philippenses scribens. cap. 2. cum metu & tremore vestram salutem operamini. Cum metu salus nostra operãda semper est si in morbos pristinos redire nolumus. Nam (sicut ait Seneca) & putata repullulant vitia, & effugata redeunt: & re accenduntur extincta: & sopita iterum atque iterum excitantur. Beatus ergo vir qui semper est pauidus (vt Salomon ait Prouer. 28.) ne scilicet Dominum offendat. Qui vero mentis est duræ, corruet in malum. Quare qui se existimat stare videat ne cadat. Cum tremore etiam salus nostra operanda est. Quod admonet etiam regius vates. Psalm. 2. seruite Domino in timore: & exultate eum cum tremore. In quibus vltimis verbis duo coniungit Psalmista, quę pariter in nobis erga Deũ adesse debent. Exultare enim nos oportet, & gaudere plurimum, & lætari de beneficijs à Dei misericordia acceptis, lætari, inquam, nos oportet in bonitate Dei: neque morosus ipse est Dominus, vt seruis suis prohibeat gaudere. Imo locis plus mille, per seruos suos Apostolos & Prophetas, atque etiam per os suum, letari monet & gaudere semper. Gaudete (inquit ipse) quia nomina vestra scripta sunt in cælis. Non tamen inepta esse debet nostra exultatio, sed cum debita ex intimo cordis affectu reuerentia, omnique grauitate, maturitate, & morum honestate: quod est cum tremore exultare. Non enim intelligendus est tremor iste secundum seruilem affectum. Tremor enim non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem, quãto magis & tremorem eiusmodi? Significat autem in proposito totius affectus reuerentiam, & attentissimam mentis solicitudinem, atque diligentiam, quam merito in nobis efficere debet consideratio diuinæ potentiæ, diuinæq; maiestatis.

Phil. 2. Seneca. Prou. 28. 1. Co. 10. Psalm. 2. Luc. 10.

A Exultabat mulier ista quod à morbo tã pudẽdo & insanabili, solo tactu fimbriæ curata esset: tremebat etiam consideran do Dei infinitam potentiam immensamque virtutem, & ita exultabat cum tremore: sic operata est salutem animi & corporis, quapropter audire meruit: filia fides te saluam fecit. ¶ Hinc colliges, quàm verè olim apud Isaiam dixerat: ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementẽ sermones meos. Vbi obserua, quod contritum spiritu in hoc loco non est illa B vox, quæ est cap. 61. vt mederer contritis corde. Et Psal. 146. qui sanat cõtritos corde. Secundum illas autem scripturas fornicatores, adulteri, superbi, & breuiter quicunq; in animo grauiter vulnerati sunt, & mole peccatorum toti confracti, dicuntur contriti corde. Alia est vox apud Hebræos hoc loco posita quæ deducitur à radice, Caha, id est, dolere, contristari infirmari. Contritũ ergo spiritu hoc loco, idẽ est, quod dolentẽ & hu- C miliantem se propter peccata agnita, & ex animo dolentem: vt nõ sufficiat quis dolor sed vehemens, qui totum hominẽ humiliet & cõterat. Huiusmodi vox est Psal. 108. & compunctum corde mortificare, id est, cui ex animo dolet, quod vulneratus est. Hunc ergo cõtritum corde respicit Dominus. Præterea respicit trementem sermones eius. Id est, qui aduerbum eius, reuerẽtia quadam contremiscit. Qualis fuit mulier ista quæ ad verbũ Christi dicentis quis me tetigit? Tremẽs cecidit ad pedes eius: & professa est corã omni populo, quam ob causam contigis- D set eum.

¶ *At ipse dixit ei filia fides tua te saluam fecit.* Non ergo extorsit Dñs confessionem ab hac muliere, vt eam traduceret: sed vt ostenderet Iudæis quantum posset certa fides. Ideò consolans mulierẽ trepidam & obiurgationẽ expectãtem, ait. filia fides tua te saluam fecit: vade in pace. Quo dicto significare voluit Pharisæis & Scribis, quãto plus valuerit semper apud Deum fides viua, certaque fiducia in eius bonitate, quàm sola obseruantia ceremoniarũ. Cuius rei præclarã

Isai. 66. Isai. 61. Contritũ corde bifariam accipitur in sacra Scriptura. Psal. 149. Plus valuit semper fides viua apud Deum quã obseruantia sola ceremoniarum.

& æquum fuit, vt non solum in hominibus, sed in omnibus alijs creaturis, miracula faceret. Hinc fuit quod hodie imperauit ventis & mari & statim obedierunt iussis illius. Sed interim obseruas quod non ait Euangelista eum turbasse aeré, aut diuisisse aquas maris: sed quid ait? Quod imperauit ventis, & mari, & quod tunc facta est tranquillitas magna. Non enim æquum erat, vt qui omnia in statum pacis, & tranquillitatis, reuocare venerat, turbaret aerem, aut cómoueret, & diuideret aquas. Hinc est, quod D. Paulus in Epistola ad Hebræos missa ait: non accessistis ad tractabilem montem, & accessibilem ignem, & turbiné, & caliginem, & procellam. Sed accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Hierusalem cælestem, & ad testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem melius loquentem quàm Abel. Lege D. Tho. 3. part. quæst. 44. art. 4. ad. 3. *Quis putas hic est, quia & ventis & mari imperat, & obediunt ei.* Non mediocris pudor est (inquit Ambros.) imperio Dei insensibilia elementa parére, & homines non obedire, quibus sensus ab ipso tributus est authore. Audi ergo ò homo quid Dauid in Psal. 148. dicat. Præceptum posuit, & nó præteribit. Et rursum: Idem Psalmista ait: terminum posuisti: quem non transgredientur. Audi quid alius propheta affirmet: stellæ, inquit, vocatæ sunt, & dixerunt: adsumus. Audi denique quid isti hodie admiratione & timore correpti, dicant: quis putas hic est? Quia & ventis & mari imperat, & obediunt ei. Obediamus ergo & nos iussis Domini, exemplo surdorum inanimorumque elementorum, exéplo etiam illius qui dicebat: nonne Deo subiecta erit anima mea?

Hebr. 12. D. Thom. Ambros. lib. exam. Psal. 148. Baruch. 3. Psalm. 61. Textus.

ET nauigauerűt ad regionem Gerasenorum, quæ est contra Galilæam, et cű de naui egressus esset ad A *terram, occurrit illi vir quidam qui habebat dæmoniű iam temporibus multis, et vestimento nõ induebatur, neq; in domo manebat, sed in monumentis. Is vt vidit Iesum, procidit ante illum: et exclamans voce magna* B *dixit, quid mihi et tibi est Iesu filij Dei altißimi? Obsecro te ne me torqueas. Præcipiebat enim spiritui immũdo, vt exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat illum, & vinciebatur catenis, et compedibus* C *custoditus: & ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deserta. Interrogauit autem illum Iesus dicens: quod tibi nomen est? At ille dixit, legio, quia intrauerunt dæmonia multa in eum. Et rogauerunt illum ne imperaret* D *illis, vt in abyssum irent. Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte: Et rogabant eum, vt permitteret eis in illos ingredi. Et permisit illis. Exierunt ergo dæmonia ab homine, et intrauerunt in porcos: & impetu abijt grex per præ-*

ceps

ceps in stagnum, & suffocatus est. Quod vt viderũt factum qui pascebãt, fugerũt: & nuntiauerunt in ciuitatem, et in villas. Exierunt autem videre quod factũ: et venerunt ad Iesum, & inuenerunt hominem sedentẽ à quo dæmonia exierant, vestitum, atque sana mẽte, ad pedes eius, et timuerũt. Nũtiauerunt autem illis et qui viderant, quo modo sanus factus esset à legione. Et rogauerunt illum omnis multitudo regionis Gerasenorum vt discederet ab ipsis: quia magno timore tenebantur. Ipse autem ascendẽs nauim, reuersus est. Et rogabat illum vir à quo dæmonia exierãt, vt cum eo esset. Dimisit autem eum Iesus, dicens, redi in domum tuã, & narra quanta tibi fecit Deus. Et abijt per vniuersam ciuitatem, prædicans quanta illi fecisset Iesus.

A*D regionem Gerasenorum.* Hæc terra erat pars Arabiæ inferioris sita è regione Galilææ.

§ *Occurrit illi vir qui habebat dæmonium iam temporibus multis, &c.* Certa res esse debet quod dæmones subintrare possunt hominum corpora, tam secundum essentiam suam, quàm secundum virtutem & operationem. En vides hominem intra suum corpus habẽtem dæmonium, à quo maximè vexabatur. Et tandem eiectum fuisse à corpore. Vides etiam illud in porcos subintrasse. Certa etiam res esse debet dæmones illabi non posse animabus. Nullus enim spiritus illabi potest alteri spiritui, dicente Augustino, singulis spiritibus inest terminus, quo à se inuicem distinguuntur: & vnus in alio nõ est. Ergo nec animabus, cum spiritus sint. Accedit, quod illabi animis nostris proprium est Dei. Dicente Augustino, illabi menti, illi soli possibile est, qui creauit: qui natura subsistẽs incorporeus captabilis est suæ facturæ. Et Beda explicans verba illa Petri Ananiæ dicta. Cur impleuit Sathanas cor tuum? Sic inquit: notandum, quòd mentem hominis iuxta substantiam nihil implere possit, nisi creatrix Trinitas: quia tantummodo secundum operationem, & voluntatis instinctum anima de his quæ sunt creata impletur. Implet verò Sathanas cor alicuius, non quidem ingrediens, neque introiẽs aditum cordis (siquidem potestas hæc solius Dei est) sed callida & fraudolenta deceptione, animam in effectum malitiæ trahẽs, per cogitationes & incentiua vitiorum, quibus plenus est. Impleuit ergo Sathanas cor Ananiæ non intrando, sed malitiæ suæ virus inserendo. Istorum sententiã approbant inter alios, sententiarum Magister. Et Doctor Sanctus. 3. p. q. 8. art. 8. ad argum. 1. Deus ergo qui esse & essentiam animorum nostrorum conseruat intimè illis illabitur, id est, penitus illos intrat. Dæmones vero non ita sed in ianua animi astantes, vbique suggerunt cogitationes turpes. Vide de hac re D. Thom. 2. d. 8 art. 5. ad 3. Et adde. § Obserua etiã, quòd diabolus vltor est Dei. Sic enim in sacra Scriptura vocatur. Psalmo enim octauo ait Regius propheta: vt destruas inimicum & vltorem. Hoc igitur vltore vtitur Deus cum punire vult impios, aut cum probare iustos & pios. Vnde Psalmista inquit Psalm. 77. misit in eos iram indigna-

Dæmones secundum essentiam suam, & secundũ operationem subintrãt corpus hominis.

Non tamẽ illabi possunt animabus.

De eccle. dog. c. 82. in tom. 3. Vi. Magis. 2. dis. 8. c. vlt.

Beda.

Magister. S. Thom.

Diabolus vltor Dei dicitur. Psalm. 8.

Psalm. 77.

dignationis suæ, indignationem, & iră, & tribulationem, immissiones per angelos malos. Vtitur ergo Deus (inquit Augustinus) angelis malis ad puniẽdos malos: sicut in istis omnibus de quibus loquitur Psalmus: sicut in rege Achab: quem fallaciæ spiritus ex Dei voluntate seduxit: vt caderet in bello. Vtitur etiã illis ad probandos iustos, sicut fecit in Iob. Verum est tamen quod ille vir, Dei dono iustus, & fortis, & pie peritus, non ait: Dominus dedit, diabolus abstulit: sed Dominus dedit, Dominus abstulit. Optimé sciens diabolum etiam quod facere de istis elementis poterat: (ignem, scilicet, de cælo immittendo, &c.) non tamen seruo Dei: nisi Domino volente, & permittente fuisse factam malitiam diaboli, confidebat, quoniam quis illa in se probando vteretur, sciebat. In filijs vero diffidentiæ tanquam in suis mancipijs operatur: quemadmodum homines in pecoribus suis: & illic tamen quãtum iusto Dei iudicio finitur. Hęc ex Augustino. Iusto ergo Dei iudicio homo iste non ab vno solum, sed à multis dæmonibus vexabatur, quibus vtebatur Deus vt se, suamque iniuriam vlcisceretur: atque vindicaret. ¶ Nos ergo iam nõ ambulemus, sicut & gentes ambulant: in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum: qui desperãtes, semetipsos tradiderunt impudicitię, in operationem immunditiæ omnis. Si enim nos vitijs tradiderimus, tradet nos Dominus Sathanæ: quemadmodum traditus est vir iste, quemadmodum traditus est Saul de quo ait Scriptura sacra: Spiritus Domini malus corripiebat Saulem. Et quemadmodum traditi sunt Alexander & Hymenæus. Est enim diabolus semper promptus, atque paratus ad Dei iniurias vindicandum. Et quemadmodum vir iste à Domino destitutus, atque vindici traditus, agebatur nudus in deserta loca: sic tu Sathanæ traditus, gratia sancti Spiritus destitutus, atque vestimentis eius denudatus, patebis leonũ & luporum incursibus. Quemadmodũ enim olim, Hebræorum castra, nubes cõtra solis ardorẽ tegebat: sic Ecclesia Dei, Spiritus sancti gratia protegitur: & est ei in tabernaculum diei ab æstu persecutionum, & in securitatem & absconsionem à turbine & à pluuia: à quibus omnibus nudus, atque destitutus est peccator ille, qui ob sua scelera traditus est Sathanæ. Vnde subdit statim Euangelista.

D. Aug. — 3. Reg. 22. — Iob. — Ephes. 2. — Ephes. 4. — 1. Reg. 16. — 1. Tim. 1. — Exod. vlt. Figura. — Isaia. 4.

¶ *Et vestimẽto non induebatur.* Hic est primus peccati fructus: quod hominem spoliat vestimentis suis, omnibusque bonis, vt modo dicebamus. Hinc de Israelitis in idolatriam prolapsis dicit scriptura: videns ergo Moyses populum, quòd nudatus esset, spoliauerat enim eum Aaron propter ignominiam sordis, & inter hostes nudum constituerat. Et rursum ait Dominus de eadem gente apud Ezechiel. c. 16. nuda eras: (scilicet ornamentis virtutum) & confusione plena. Et in Apoc. c. 3. nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Falsò se diuitem putat peccator sola fide instructus, cum bonis operibus spiritualibus, quæ verè sunt diuitiæ, plané indigeat: cæcusque sit non animaduertens, in quibus ambulat, peccati vias & semitas. Nudus denique: id est, bonis omnino operibus spoliatus. Beatus ergo est qui vigilat, & custodit vestimenta sua ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius: vt idem Ioannes ait Apoc. c. 16. vis scire quæ vestimenta iubeat custodire? Nimirum ea, quæ induere nos Paulus admonet in Epist. ad Coloss. c. 3. Induite ergo vos sicut electi Dei sancti & dilecti viscera misericordiæ, benignitatem sanctitatem, modestiam, patientiam, &c. sanctis enim operibus Christianorum fidem oportet indui, quibus exuti, nudi, id est, Dei gratia destituti apparent, & cum his exclusis sordida sint & immunda nostra omnia, tũc apparet turpitudo nostra. Si ergo hæc vestimenta custodieris, fœlix sané ac beatus es: sin autem infœlix ac miser. Suadeo ergo tibi si nudus es, à Deo emere aurum ignitum probatum, vt locoples fias & vestimentis albis induaris. Eme, inquam, pretio piæ confessionis, & iugi memoria & dolore propriæ fragilitatis, aurum ignitum, id est, feruorem charitatis præssurarum

Peccator nudus esse dicitur. — Exod. 32. — Ezech. 16. — Apoc. 3. — Apoc. 16. — Coloss. 3. — Gagal. — Apoc. c. 3.

rum flamma tanquam igni probatum, eme ergo huiusmodi aurum vt locuples fias, & vt candore innocentiæ induaris, vt non appareat confusio & turpitudo nuditatis tuæ.

Gagne.

¶ *Neque in domo manebat, sed in monumentis.* Olim dæmones pro sua virili contendebãt persuadere homines, quod animæ defunctorum in dæmones cõuertebantur. Et ideò legio ista dæmoniorũ vagabatur in monumentis mortuorum.

Quare in monumentis habitabat homo iste.

D. August. lib. 9. de Ciuit. Dei. c. 11. ait: Platonicos in ea fuisse opinione, vt dicerent: animas hominum dæmones esse post corpora: & ex hominibus fieri lares, laruas, & manes. Lares, si meriti boni sint: Lemures seu laruas, si mali: manes autem Deos dicunt, sed incertum est, bonorum eos, seu malorum esse meritorũ.

D. Augus.

¶ Cæterum hoc facto dæmon iste significare nobis volebat: perpetuam peccatoris domum, esse sepulchrum. Sepulchra eorum, inquit regius vates, domus eorũ in æternum erit. Non enim redibunt amplius de sepulchris in quibus eorum corpora posita fuerint, sed in eis permanebunt quasi in domibus hæreditarijs, resoluendi in cinerem, atque putredinem, donec veniat consummatio sæculi: & tunc corporibus resumptis perpetuò in sepulchris infernalibus habitabunt.

Domus perpetua peccatoris est sepulchrum infernale. Psalm. 48.

¶ Quærebant sanctæ ac piæ mulieres Christum, in monumento: & ait illis angelus Domini: scio quod Iesum crucifixum quæritis, surrexit non est hic. Si ergo Christum, aut verè Christianum, atque pium, iam vita functum quæsieris, non in monumentis quæras: sed in cælis. At si peccatorem mortuum, inuenire laboras, in sepulchro inuenies. Nam sepulchra eorum domus eorum in æternum. Perpetuò enim apud inferos habitabunt: inibique pœnas perpetuaq; supplicia dabunt impij. Domus enim iustorum cælum est: domus verò impiorum, atque sepulchrum monumentumq; eorum, infernus est. Is ergo est secũdus peccati fructus, quòd peccatorem è domo cęlesti eijciat: atque in inferis tanquã in proprio monumento, perpetuò inhabitare atque vagari faciat. Caueamus igitur à peccatis, ne in huiusmodi monumẽtis in æternum moremur.

¶ *Quid nobis & tibi est Iesu fili Dei altissimi?* Nonnulli sunt, qui ex hoc loco contendant dæmones cognouisse Christum Dominum esse verum Deum. ¶ Et quod apud Marcum. c. 1. vnus illorum exclamando dixerit: quid nobis & tibi Iesu Nazarene? Venisti perdere nos? scio quod sis sanctus Dei. Quo in loco illud annotandum, quòd non est in textu Grę co simpliciter sanctus, sed ὁ ἅγιος. Vt certum & insignem intelligamus. Proinde dilucidius erat, noui te, qui sis, nempe sanctus ille Dei. Ideo Theophilatus hæc verba explicans ait: quod peculiariter sanctus appellatus est, non vt cæteri.

An dæmones cognouerint Christum esse Deũ. Marc. 1.

¶ Deindè apud Luc. cap. 4. habes: quod exibant dæmonia à multis clamantia & dicentia. Quia tu es filius Dei, & increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant illum esse Christũ. ¶ Accedit quod Christus Dominus miracula ædebat in suæ doctrinæ confirmationem. Cũ ergo dæmonibus perspicuum certumque sit, neminem miracula operari posse, nisi solũ Deum, inde fit consequens, certò sciuisse illos, Christi doctrinã fuisse à Deo. Quare etiam colligitur, eos cognouisse Christum esse verum Deum.

Luc. 4.

¶ D. tamen Augustinus in quæstionibus ex nouo & veteri testamento. cap. 66. hanc quæstionẽ disputans: duo concludit: primum: dæmones cognouisse eum esse verum Messiam. Nam omnia signa videbant in eo, quæ dixerant futura esse prophetæ, vt quod ex semine Dauid, de virgine venturus esset Redemptor Israel. ¶ Secundum: eos ignorasse mysterium diuinitatis eius. Quod probare nititur illo testimonio Pauli in priori ad Cor. cap. 2. quẽ nemo, inquit, principum huius seculi cognouit, si enim cognouissent, nunquã Dominum glorię crucifixissent. Sunt autem isti principes quos alio loco significauit Apostolus dicens: nõ est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinẽ, sed aduersus principes, & potestates huius mundi, aduersus tenebrarum harum rectores. Quod si de his principibus in illo loco priori, loquitur Paulus: & non de

August.

1. Cor. 2.

Ephes. 6.

de primoribus Iudęorum (vt contendũt alij) de quibus loquitur Petrus Acto. 3. dicens scio quod per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri) certo consequitur eos non cognouisse Christum esse Deum. Deinde id cõstat: Nam quęrit quãuis captiose, diabolus à saluatore dicens, si filiu Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Videns enim aliquando diuinam virtutem, aliquando hominis infirmitatem, ambigens quid verum esset, torquebatur. Hæc ex Augustino. Vide D. Chrysost. in imperfecto, hom. 5. & super Matth. hom. 13. & D. Hierony. in c. 4. Matthæi. His locis Doctores isti sancti docent diabolum non intellexisse Christum Dominum esse filium Dei. Cuius rei argumentum sumi potest ex verbis illis, quæ refert D. Matth. cap. 27. Sedente enim Pilato pro tribunali, misit ad eũ vxor eius dicens: nihil tibi & iusto illi. Multa enim passa sum per visum hodie propter eum. Vbi postquam dæmon cõiectutis existimauit eum esse filiũ Dei; conabatur eius mortem impedire. ¶ Cęterum his non obstat, quod in hoc loco diabolus appellet Christum filium Dei altissimi, nam & si id dicebat: aliud tamẽ intelligebat. Est enim mendax & pater mendacij. ¶ Ad secundum testimoniũ ex Marco adductum, fateor illum intellexisse esse verum Messiam, ideò appellauit eum sanctum Dei peculiariter. ¶ Ad testimonium vero tertium ex Luca adductum, eodem respondetur modo. ¶ Cæterùm, si Dominus tunc temporis non sinebat ea loqui, neque sinebat ea prædicare quod certo scirent eum esse Christum: multis rationibus id factum esse credimus. Prima, quia non est accepta laus in ore peccatoris. Secũda, vt nos doceret, atque nobis ostenderet, dæmones non esse audiendos etiam cum vera prædicant: sed tunc maximè esse cauendos. Tertia, quod dæmonia illa præripiebãt Apostolorum laudem, & munus, quibus commissum erat officium annuntiandi Euangelium. Vide D. Chrysost. in Epist. ad Corinth. 1. cap. 12. hom. 29. Explicantem verba illa Pauli, & nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto. ¶ Ad vltimum tandem argumentum. Illud primum dicendum occurrit dęmones ignorare, an sit angelus aliquis superior tantæ virtutis, vt illa miracula edere posit, quare ex illis colligere certo non poterant diuinam potentiam, atque naturam Christi. Deinde dicimus per malos & scelestes homines Deum fecisse aliquando miracula in protestationem cælestis doctrinæ. Cum ergo Christus Dominus miracula non fecerit ad probandum se esse filium Dei: sed in vtilitatem Ecclesiæ & probationem, atque confirmationem suę doctrinę: hinc fuit, quod ex factis miraculis nõ poterant dęmones certo intelligere eum esse verum Deum. ¶ *Quid mihi & tibi est.* Græcismus. Pro, *quid mihi tecu est*: id est, quid est propter quod tecũ diceptare debeã? ¶ *Obsecro te ne me torqueas.* Hic vides quod maligni spiritus dolore & tristitia afficiantur. Sic Apoc. c. 20. ait Ioannes quod diabolus est missus in stagnum ignis: vbi & bestia & pseudopropheta torquebuntur die ac nocte. Sic animus diuitis dicebat, crucior in hac flamma. Vnde illud obserua: quod in voluntate sunt actus eliciti quos nolitiones & volitiones appellamus: ex volitione autẽ boni conuenientis dimanat delectatio, ex nolitione verò mali disconuenientis oritur dolor, atque tristitia. Dolor ergo iste & tristitia in dæmonibus, & in animabus inuenitur. Iussio ergo Domini vrgebat hunc dæmonem, vt relinqueret hominem, quẽ diu vexauerat: & ideò maximo dolore, ac tristitia tenebatur. Hinc intelliges, quod sicut maius gaudiũ est in cælo omnibus angelis, de vno peccatore pœnitentiam agente, atque ab animo suo legionem dęmoniorum, hoc est, omnia vitiorum genera Dei iussu eijciente, quàm de nonaginta nouem iustis, quibus non est opus pœnitentia: ità maior dolor & tristitia est in inferno omnibus dæmonijs de vno peccatore à sua ditione & potestate ablato, quàm de pluribus alijs iustis qui nunquam in suam seruitutem venerũt. Vnde fit, vt pro sua virili diabolus conetur redire in domum suam. Quod si videat esse locum, nec ab alio

Marginalia: Acto. 3. — Matth. 4. — D. Chrys. D. Hier. — Matt. 27. — Quare Christus non sinebat dæmones prædicare eum esse Christum. — D. Chrys. — Dolor est in spiritibus malignis. Thom. 1. p. q. 64. art. 3. — Apoc. 20. — Luc. 15. — Matt. 12.

alio quoquam occupatum, non contentus ipse remigrare solus, asciscit septem alios spiritus deteriores se, imò septem alias legiones, simulque ingressi domũ habitãt ibi. Fitque, vt homo grauius discrucietur, quàm antea discruciabatur. Sic multoties euenit multis peccatoribus (quorum imaginem gerit vir iste dæmoniacus) seruientibus vicijs & cupiditatibus dæmoniacis: vt liberentur Dei iussu & gratia, ab illis: tunc torquetur & discruciatur maximè dæmon, ex eorum liberatione: quare conatur totis viribus redire in animum pristini peccatoris: quod si semel admittatur, dat operã diabolus, vt peccator ille, superet suis vitijs pristinam impietatem. Vnde prodigiosa quædam cæcitas, & septuplo miserabilior, pristina cæcitate, capit animũ eius; & ob id, longè attrocius post discruciatur, quàm ante discruciabatur. Quare si semel à vitijs omnibus liberati fuerimus, clamemus semper ad Dominũ, ne maioribus criminibus, iterum prolapsi, occupemur. Non enim dormit malignus spiritus, sed vigilat maximè discruciatus, quòd ab eius ditione educti sumus: & translati in regnum filiorũ Dei. Vt ergo ostenderet legio ista dæmoniorum quanto dolore teneretur, quod exire cogebatur ab homine isto misero, dicebat vocem contendendo: obsecro te ne me torqueas. Inuitus itaque spiritus ille relinquebat suam veterem possessionem: quin & illud etiam metuebat, iam adesse diem quo forent æternis supplicijs addicendi, malorum omnium, quibus hic affligunt homines, pœnas daturi. Has preces non extorserat malefactorũ pœnitentia, sed supplicij metus.

¶ *Interrogauit autem illum Iesus dicens, quod tibi nomen est?* Non esse interrogandos dæmones admonemur Deut. c. 18. Non inueniatur (inquit) in te qui ariolos sciscitetur: neque phitones consulat. Cum enim dæmones hominum interitum intendant ex suis responsis, non sunt interrogandi, quamuis aliquando vera prædicent. Vnde D. Athanasius explicans locum illum Lucæ. cap. 4. Increpauit illum dicens. Obmutesce: inquit.

Deut. 18. An liceat dæmones interrogare.

D. Athan. Luc. 4.

A Quamuis vera fateretur dæmon, cõpescebat tamẽ Christus eius sermonem, ne simul cum veritate etiam suam iniquitatem promulget, vt nos etiã assuefaciat, ne curemus de talibus: & si vera loqui videatur, nephas est enim à diabolo vel le instrui astãte nobis diuina Scriptura. ¶ Sed ais. Cum Christus Dominus peccatum non fecerit, neque inuentus fuerit dolus in ore eius, & hodie à dæmone interrogauerit, qui vocaretur, illeque respõderit, legionem vocari: licitum ergo

1. Pet. 2.

B erit aliquando dæmonem interrogare, ab illoque expectare responsum. Cui argumento satisfacit Beda, inquiens. Non velut inscius Dominus inquirit, sed vt confessa peste quam tolerabat, virtus curantis gratior emicaret. Aliud autem est inquirere aliquid à dæmone sponte occurrenti, quod aliquãdo ob proximorũ vtilitatem licet: maximè quando vi diuina ad verum dicẽdum compelli potest: aliud verò dæmonem inuocare ad occultorum cognitionem, & notitiam acquirendam: quod non licet.

Beda. Luc. 8.

C ¶ *At ille dixit legio: quia intrauerat multa dæmonia in eo.* Legio, militare vocabulũ est. Legiones (inquit Vegetius) Romani habent, in quibus singulis, sena millia, interdum amplius, militare consueuerunt. Alij volunt, singulas continere sex mille, sex centa, sexaginta sex milites. Militari ergo vocabulo significauit non ab vno dæmonio teneri hominem, sed innumera dæmoniorum multitudine. ¶ Hinc disce nullum magnum peccatum esse sine magna vitiorum caterua.

D. Thom. 2. 2. q. 95. art. 4.

Legio quid.

Vege. lib. 2. de re milit. c. 2.

Nullum magnum peccatum est sine magna vitiorum caterua.

D De huiusmodi magnis peccatoribus ait Isaias. c. 5. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis. Quibus verbis eos improbat, & infælices vocat; qui magna vitiorum caterua comitati in peccatis perseuerant, & nouas indies inuentiones admittendi flagitia inquirunt. Ideò vias peccãdi funibus comparat, quia vt funes nectuntur ex filis: & ita producuntur, & dilatantur; sic peccatores peccatis peccata addentes, iniquitatem propagant, & longissimam efficiunt. Lapis in gurgitem proiectus multos facit vndarum circulos, qui quo plures sunt eò maiores

Isai. 5.

Similitu.

iores efficiuntur, & latius dilatantur. Nã vnus exortus alterum maiorem excitat, post quẽ alius oritur multo maior, quorum vltimus maximus est omniũ, à prioribus omnibus commitatus. Eodem modo se habent peccata, nam ex vno alterũ grauius oritur, ex quo alterum grauius producitur: donec ad aliquod omnium grauissimum peruenias quod magna vitiorum caterua stipatur. Et vt funes facile ex filis nectuntur, & texuntur, sed fortiter astringunt: sic peccata facilè admittuntur, sed fortiter ligant. Caue igitur scelera perpetrare, si funes peccatorum multorum texere non vis: quibus astringaris. Si magna vitiorum stipante caterua, in inferos præcipitem abire nõ libet. ¶ Disce etiam ex hoc loco, nullum esse animi morbum tam sæuum, nullam tantam criminum multitudinem, quin cedat ad iussum Domini Iesu, quin Dei misericordia mederi non possit, & ab animis nostris expelli. Non ergo est quare desperemus, quãtumuis grauissimis criminibus, atq; innumeris sceleribus pleni simus. Non est quarè cum desperato Cain dicamus. Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear. Quãnuis enim iniquitates nostræ supergrediantur cãpita nostra, sperandum nobis est. ¶ *At ille dixit legio.* Ex hoc loco colligere possumus in dæmonibus ordines esse, atque alios alijs præesse: vt nobiscum pugnent quemadmodum in legione militari id contingere videmus. Vnde Paul. in Epistola ad Ephes. cap. vlt. ait: non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinẽ (id est, aduersus mortales homines, quo modo Christus ait Petro. Caro & sanguis non reuelauit tibi, id est, nullus hominũ) sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum: contra spiritualia nequitię in cælestibus (id est, contra spirituales nequitias in cælestibus, quia in aëre quod cælum dicitur habitant & dæmones.) ¶ Præterea gloss. 1. Cor. c. 15. ait. Quandiu durat mundus, & angeli angelis & homines hominibus, & dæmones dæmonibus præsint. ¶ Cæterum nos miseri quorum vita, perpetua pugna est. Et qui non nobiscum solum, aut cum alijs hominibus pugnamus: sed quod terribilius est, habemus Coryceos alios inuisibiles, semper excubias agentes: circumeuntes terram, & perambulantes eam, vt Iob cap. 1. dicitur. Quique omnium discutiunt ingenium, scrutantur affectus, considerant mores: & vbique tendunt insidias, vbique laqueos, querentes supplantare gressus nostros. Quare si ab his innumeris legionibus liberari cupimus, primũ, vocem contendentes, dicamus cum regio vate Domino Deo nostro. Iudica Domine nocentes me expugna impugnantes me. Apprehende arma, & scutum: & exurge in adiutorium mihi. Effunde framean, & conclude aduersus eos qui persequũtur me: dic animæ meæ, salus tua ego sum. Scio enim Domine quod patres illi antiqui & similites essent veterani, quod non in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum nõ saluauit eos. Sed dextera tua & brachium tuum. Quare neque ego in arcu meo sperabo: neque gladius meus saluabit me. Deinde à tanto propugnatore arma mutuare debemus, si legiones has debellare volumus. Ea enim sunt baculus & pera cum lapidibus atque funda. His enim prẽmuniti constantes stabimus aduersus Goliath, atque legiones eius: descendereq; poterimus securi cum illo ad singulare certamen: quo deuicto fugient omnes eius satellites, atque cohortes. ¶ Accipiamus igitur armaturam Dei: vt possimus resistere in die malo (id est in tempore difficili, quoties obruerint tentationes.) Et in omnibus perfecti, stare. (Id est omnibus perfectis, atque confectis, quibus ad hoc bellum opus est, stare & subsistere possimus.) Stemus ergo succincti lumbos nostros in veritate, & induti loricã iustitiæ, & calciati pedes in præparationem Euangelij pacis in omnibus sumentes scutum fidei, in quibus possimus omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumamus & gladiũ spiritus quod est verbum Dei. Sic enim expugnare facilè poterimus satellites & legiones, inimicorum nostrorum inuisibilium qui nobiscum in terra nostra versantur;

Marginal notes: Genes. 4. — Ordines & præeminentia in dæmonibus inueniuntur. — Ephes. vl. — Tho. 1. p. q. 109. art. 1. & 2. & q. 114. ar. 1. — Iob. 1. — Psal. 139. — Psalm. 34. — Psalm. 42. — Figura. 1. Reg. 17. — Ephes. 6.

Baruch. 3.

santur: vt Baruc. c. 3. ait. Quid est, inquit, Israel quod in terra inimicorum es?

¶ *At ille dixit legio. Quia intrauerant multa dæmonia in eo.* Multa ergo dæmonia si volunt, esse possunt in eodem loco: imbique operari. Vt ex hoc loco constat. Item multi angeli Lazarum portabant in sinum Abrahæ, vt idem Lucas narrat. c. 16. multi similiter angeli Christo ministrabant peracta tentatione, vt refert Matthæus. Possunt ergo si volunt boni angeli pro comitatu honorificentiori simul in cælum animum viri iusti portare. Sicut etiam possunt ex malitia sua dæmones multi concurrere simul, vt magis ac magis hominem torqueant: quod in isto misero homine videmus. Quo autem pacto intelligatur Doctor Sanctus qui. 1. p. q. 52. art. 3. affirmat esse non posse plures angelos in eodem loco, docet Caiet. ibi.

Multi dæmones esse possunt in eodem loco.

Infra. 16.

Matth. 6.

Vi. Abul. in Matth. q. 136.

¶ *Et rogauerunt eum, ut imperaret illis, ut in abyssum irent.* Orant omnes isti vt si vitari non possit, quin eijcerentur, saltem ne iuberentur abire in abyssum tartari, quem locum sciunt sibi destinatum in extremo die. Sic enim olim prædixerat Isaias cap. 30. præparata est enim ab heri Tophet à rege præparata, profunda & dilatata, nutrimentum eius ignis, & ligna multa, flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam. Tophet erat locus prope Hierosolymam in valle filiorũ Hennon, quo cadauera & alia immunda proijciebantur. Sed hic non de hoc loco ait Isaias, quoniam nõ in eo sepultus est Sennacheribus vt literæ diuinæ apertè indicant. Præterea hæc quæ hic de Tophet dicuntur, loco illi, qui est prope Hierosolymam conuenire non possunt, sed inferno pro quo hic accipitur, & de quo Isaias in præsenti loquitur. Ait igitur propheta hunc locũ præparatum à rege, hoc est, à Deo, ab heri, hoc est ab initio mundi; & esse profundum, & capacissimum, iuxta id quod supra dixerat idem propheta: dilatauit infernus animam suam. Prætereà dicit esse igneum significās dæmonum cruciatus, & æternum, quia Deus accedit flatu suo Pyram, quemadmodum ignis Sulphure

Infernus præparatus ab initio dæmonibus Esai. 30.

A iniecto ardet, & alitur. Post diem ergo iudicij improbi dæmones in cæcas & æternas tenebras, & in abyssum & voraginẽ illam igni inextinguibili plenam relegabuntur. Timebant ergo isti ne in hunc locum sibi ab initio mundi destinatum deijcerentur: ideò orant Christum Dominum ne in illum abire iuberentur. Si ergo nos sapimus, timeamus in abyssum tartari, ob scelera nostra abire: vt saltem isto timore correpti, resipiscamus. Timor enim initium est nostræ salutis. A

B timore, inquit, tuo concepimus, & parturiuimus spiritum salutis. ¶ Cæterũ hęc omnium est sententia doctorum, quòd aer iste, qui cælum & terram medius diuidens inane appellatur: sit plenus malignis spiritibus quos ideò spirituales nequitias in cælestibus existẽtes vocat Paulus. Quemadmodũ enim aer plenus est atomis, sic etiã dæmonibus est repletus. Vt ergo liberius possint hominibus nocere, ideò renuunt in abyssum detrudi: ideò orant ne in tartarum mittantur: tãta est illorum in homines sæuitia, atque

C odium intestinum.

Isai. 26.

Ephe. vlt.

¶ *Et rogabant eum vt permitteret eis in illos ingredi. Et permisit.* Hic vides quàm ligata sit atque exigua potestas dæmonis. Non enim nisi permissus immigrare poterat in porcos illos. Hinc est etiam quod Domino idem Sathanas ait. Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet: nisi in faciẽ benedixerit tibi. Formidari ergo diabolus non debet (vt Greg. ait) qui nihil nisi permissus valet. Sola ergo vis illa timenda est, quæ cum hostem sæuire permiserit,

D ei ad vsum iusti judicij, & iniusta illius voluntas seruit. D. Grego. 2. mo. c. 9. & 10. ¶ *Et rogabant eum vt permitteret eis in illos ingredi.* Tanta est nocendi libido impijs spiritibus, vt cum nobis nocere non permittuntur, res nostras familiares perdere conentur: idque à Deo impetrare tentent.

Potestas diaboli exigua.

Iob. 1.

Nõ est formidandus diabolus sed vis diuina timẽda.

(¢)

Domin. 23. post Pent.

Matth. 9. Marc. 5.

ET ecce venit vir cui nomen Iairus, & ipse princeps synagogæ erat: & cecidit ad pedes Iesu, rogans eum vt intraret in domum eius, quia vnica filia erat ei ferè annorum duodecim, et hæc moriebatur. Et cõtigit: dum iret, à turbis comprimebatur. Et mulier quædam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogauerat omnẽ substantiam suam, neque ab vllo potuit curari: accessit retro, & tetigit fimbriã vestimenti eius, et confestim stetit fluxus sanguinis eius. Et ait Iesus, quis est qui me tetigit? Negantibus autem omnibus dixit Petrus, et qui cum illo erãt, præceptor, turbæ te comprimunt et affligunt, et dicis, quis me tetigit? Et dixit Iesus, tetigit me aliquis: nam et ego noui virtutem de me exisse. Videns autem mulier, quia nõ latuit, tremens venit, et procidit ante pedes eius: & ob quam causam tetigerit eũ, A *indicauit coram omni populo, et quemadmodum confestim sanata sit. At ipse dixit ei, filia, fides tua saluam te fecit: vade in pace. Adhuc illo loquente, venit quidam ad principem synagogæ, dicens ei, quia mortua* B *est filia tua, noli vexare illum. Iesus autem audito hoc verbo respõdit patri puellæ, noli timere: crede tantum, & salua erit. Et cum venisset domum, non permisit intrare secum quemquam, nisi Petrum et Iacobum & Ioannem et patrem, et matrem* C *puellæ. Flebant autem omnes, & plangebant illam. At ille dixit, nolite flere: non est mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum, scientes quòd mortua esset. Ipse autem tenens manum eius clamauit, dicens: puella surge.* D *Et reuersus est spiritus eius: et surrexit continuò. Et iußit illi dare manducare. Et stupuerunt parentes eius, quibus præcepit ne alicui dicerent quod factum erat.*

(?)

Ecce

ECce sese obtulit in his duobus miraculis Christo Dño occasio, qua declarauit quá esset expositus omnibus ad subueniendū, diuitibus simul ac pauperibus, bonis ac malis, quantoq; minus haberent fiduciæ qui apud Iudęos videbátur religionis proceres, qualis fuit Princeps iste synagogæ, quá hi, qui in plebe habebantur cōtemptissimi, qualis habebatur mulier ista quæ omnem substantiam erogarat in medicos.

¶Nobis etiam sese offert occasio qua explicemus Dei virtuté & potentiā: qua solo verbo suscitat hominem peccatorem à peccati morte, cuius imaginem gerit puella ista, & solo tactu medetur scelera tis hominibus, iá diu suis vitijs operá dátibus. Aperiamus igitur librū hunc scriptū intus & foris: & videbimus vera esse quę modo proposuimus.

Quantam vim habeant preces prælatorum & sacerdotū.

¶ *Ecce vir cui nomen Iairus: & ipse princeps synagogæ erat: cecidit ad pedes Iesu, rogans eum.* Hinc discant proceres Ecclesiæ quam vim habeant preces eorum pro filijs suis spiritualibus ad Deū fusæ, si cū humili corde fundátur. Orat princeps iste synagogæ cadés ad pedes Iesu, & impetrat statim quod optat. Verè ergo Salomō olim affirmarat Eccles. c. 35. Cū dixerat: qui adorat Deū, in oblectatione suscipietur: & deprecatio illius vsq; ad nubes propinquabit. Oratio humiliātis se, nubes penetrabit, & donec propinquet nō consolabitur, & nō discedet donec altissimus aspiciat, & Dñs non elongabit. Quem locū de precibus prælatorum explicat glossa. Meritò ergo monet D. Iacobus in sua Epist. c. 5. infirmatur, inquit, quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eū, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eū Dñs. Hoc est, eriget eū Dñs quéadmodū erexit puellá istam. ¶Discamus hinc etiá pro inuicé humiliter Deū precari, si ab infirmitate qua laboramus sanari volumus. Quod & idé Iacobus statim admonet. Dicés: orate pro inuicé vt saluemini. Id est, vt sanemini. Ná Græcé est ἰαθῆτε. Multū enim valet deprecatio iusti assidua. Quo in loco pro, assidua, Græcé est, ἐνεργουμένη. i. efficax. Deprecatio enim iusti ex animo profusa, plurimum prodest. Qualis fuit Eliæ, qui homo erat similis nobis passibilis, & oratione orauit, vt nō plueret super terram, & non pluit annos tres, & mēses sex. Et rursum orauit, & cœlum dedit pluuiá. Qualis fuit Iacob, qui inualuit ad angelū & confortatus est, eò quod rogauerit eū. Vt Oseas testatur. c. 12. Qualis fuit Abrahę, Iob, Danielis, aliorūq; iustorū quos sacra narrat historia. Qualis deniq; fuit proceris huius. Humilis, scilicet, fidelis, & ex animo diffusa.

Eccl. 35. — Iacob. 5. — 3. Reg. 17. — Oseæ. 12. — Gen. 2. — Iob 42. — Dan. 6 & 9.

Quare preces nōnullorum sacerdotū inefficaces sint.

¶Disce hinc quarè nōnulli prælati & sacerdotes pro nobis orantes nō exaudiantur. Nimirum, quod eorum preces, neq; humiles, neque fideles, neque efficaces sunt. Quādo enim fidelis (inquit Bern.) & humilis, & feruens oratio fuerit, cælū sine dubio penetrabit. Vnde certum est, quod vacua redire non possit. At iniquorum sacerdotum preces, cum neque humiles, neque feruidæ sint, nō mirū quod cælum non penetrent. Plus enim placet Deo (inquit Aug.) latratus canum: mugitus boum, grunitus porcorū, quá cantus clericorū luxuriantiū. De huiusmodi Ecclesiæ primoribus ait Isai. cap. 1. Audite verbum Domini principes sodomorū, cum extenderitis manus vestras, auertá oculos meos à vobis. Si enim manus sacerdotum fuerint coinquinatæ, si opera illorum fuerint impia, quo modo Deus eos pro nobis precantibus audiet? Ponunt enim nubem ne transeat illorū oratio. Vt enim nubes radiorum solis splendorem impedit: sic peccatum sacerdotū ob suam caliginem est impedimentum ne à Domino exaudiantur.

D. Bern. — D. Aug. — Isai. 1. — Thre 3.

¶ *Rogans eū vt intraret in domum eius, quia vnica filia erat ei ferè annorū. 12. & hæc moriebatur.* Rogabat princeps iste, vt dignaretur adire domū suam, ac subuenire filiæ morienti. Sic vocari solet medicus: veni, experire quid possis. Fidé aliquá nonnullāq; fiduciá habebat princeps iste, nō tñ absolutá atq; plená. Adhuc. n. ignorabat Christi naturá esse diuiná. Quaré eū pcatur, vt adire vellit ædes suas. Quāto plenior fides, atq; fiducia céturionis, qui negauit esse op9 præsentia corporis, sed simplici dicto sanare posse, quē vellet. Dñe, inquit, nō sum dignus, vt intres sub tectū meū, sed tátū dic

Matth. 8.

verbo, & sanabitur puer meus. Quanto plenior fides huius mulieris, quæ destituta auxilio hominū, confugit ad opem diuinā, mira concepta fiducia de Iesu, si quicquam possit illius contingere, fore vt sanaretur. Vnde principi exanimato ad nuntium, qui nūtiarat filiam suā iam esse mortuam, ait Dñs, noli timere crede tantū. At huic mulieri fides tua te saluā fecit. Quanto plenior fides Chananææ, cui Dñs admiratione plenus dixit, ô mulier magna est fides tua fiat tibi sicut vis. Nō est ergo quare proceres Ecclesię, pauperes & ignobiles fideles contēnant prę se: cū istorū sint multi qui illos in fide & in bonis actionibus longe superent atque excellant. Ideo Paul. scribēs ad Philip. dicebat. in humilitate, superiores sibi inuicē arbitrantes. Quasi diceret: nolite inflari & extolli, sed vnusquisq; quā tūuis de primoribus sit, alterū quātūuis contemptibilē, præstātiorē se existimet. Nō ergo tibi placeas, aut alterū cuius virtutē ignoras despicias. Neq; de aliquo tibi ignoto temere sentētiā feras: quoniā nemo scit, quid sit in homine: nisi solus ille qui nouit corda filiorū hominū. En vides principē synagogæ a centurione, à muliere ista, à Chananæa imo à latrone in cruce pendente in fiducia superatum. Narrat D. Greg. de quodā Dei viro, nomine constantio: quod vir quidā, fama tanti viri cōmotus, inuiserit eū: cuius cōtemptibilē personā à lōge intuēs, inquit, ego quidē grandē hominē credidi, iste nihil habet de homine. Cui vir sanctus: tu solus, inquit, es, qui apertos in me oculos habuisti. Qualis enim quisque apud se lateat, contumelia illata probat. Non ergo contemnamus vnum ex his pusillis qui in Christū credūt, nā hi sunt, qui solent, primates Ecclesię pręcedere in regno Dei. Hos enim humiles, pauperculos & tremētes sermones Dñi solet ipse respicere: quemadmodū ipsemet apud Isaiam testatur. ¶ *Contigit dum iret.* En vides quàm esset expositus Christus omnibus ad subueniendū, diuitibus simul ac pauperibus, infirmis in fide, & roboratis in fide. Omnibus æquo animo subuenit. Ideo statim vt rogatus est ab isto principe, surrexit ac secutus est eū: & inter eum-

Matt. 15.

Phi. 2.

2. Par. 6.

D. Greg.

Isai. 66.

A dū sanauit pauperē mulierē à profluuio sanguinis. Discamus igitur omnibus ex æquo succurrere. Si concionator es, omnes cælesti doctrina instrue: omnibus tā sapientibus, quā insipiētibus Euangeliū Dei prædica, exēplo Pauli, qui tā Gręcis quā Barbaris cōcionabatur: omnib9 prodesse desiderans. Vnde Orig. de illo ait: velut multarū diuitiarū cupidus Paulus: ex multis rationabilibus possessionibus redditus desiderat cōgregare: ex Gręcis, Barbaris: sapiētibus, & rudibus, atq; in-B doctis: dū alijs sapientiā loquitur: alijs Christū prædicat crucifixum: alios ex lege & prophetis docet: alios ex Euāgelio. Affert autē hos omnes fructus ad aream Dei. Sic igitur fac, quando omnibus debitor es, tā sapientibus, quā insipiētibus, tā diuitibus, quā pauperibus. Si pastor es gregis Dñi, expositus es nō vt te ipsum pascas: sed vt omniū tā agnorū, quā arietū, quā ouiū Dñi, salutē procures. Ne de te dicatur illud quod apud Ezechielem Dñs ait: væ pastoribus Israel qui pasce-C bāt semetipsos, nōne greges a pastoribus pascuntur? Quod infirmū fuit nō consolidastis, & quod ęgrotū nō sanastis, quod confractū est nō alligastis, & quod abiectū est nō reduxistis, & quod perierat nō quæsistis, sed cū austeritate imperabatis eis & cū potētia. Si rex aut princeps aut Dñs es, omnibus tibi subditis ex æquo prouide: tā diuitibus, quā pauperibus, tā nobilibus quā ignobilibus. Quēadmodū enim sol omnes illuminat, omnes suo calore fouet, sic cōcionatores sua doctrina, sic prælati sua cura pastorali, sic prin-D cipes seculi, sua administratione omnibus succurrere, omnibus subuenire debent. ¶ *Et mulier erat quædā in fluxu sanguinis ab annis duodecim.* Mulier ista gerit imaginē peccatoris fædo & abominabili morbo peccatorū iam diu laborantis. Inundant enim ex animo eius, atque profluūt quotidie peccata, atq; scelera innumera. De huiusmodi peccatoribus ait Dñs apud Oseā. c. 4. maledictū & mēdaciū, & homicidiū & furtum & adulterium inundauerunt (instar, scilicet, diluuij) & sanguis sāguinem tetigit. Instar enim profluuij sanguinis, sic peccatum, peccatū tangit. Profluit enim ab animo homi-

Omnium salus procuranda exemplo Christi.

Origenes.

1. Cor 1.

Rom. 1.

Ezech 34.

Similitu.

Hæc mulier imago est peccatoris iam diu in peccatis existentis.

Osee. 4.

hominis impij, praua cogitatio, & ex praua cogitatione, prauum desideriũ: & ex prauo desiderio prauũ opus: ex prauoq; opere praua inueterataq; consuetudo, & libido peccandi, & tandẽ ex ista, desperatio oriri solet. Atq; cum impius in hoc profundũ malorũ venit, tunc contẽnit: vt Salo. ait Prou. 18. ¶ *Et mulier erat quedam in fluxu sanguinis ab annis duodecim.* Morbos varios quos homines patiũtur esse flagella docet D. Hieronym. in Nahum. c. 3. de quibus ait ibi propheta. Vox flagellorũ, & vox cõmotionis rotarũ. In corporis, malis inquit Hieronym. flagellum diaboli intelligitur. De hoc flagello ad iustum dicitur: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Licet ergo nonnulli hæc ex corrupto aere, vel ex corporũ diuersitate accidere suspicẽtur, nos tamen qui legimus & febrẽ imperatã, & mulierem per 18. annos à diabolo ligatã, Dño medicante curatã: scimus hæc omnia flagella esse Niniue.

Prou. 18.

Morbi varii flagella sunt

Psalm. 90.

Luc. 4.

Vi. Hier.

¶ *Quæ in medicos erogauerat omnẽ substantiã suam, nec ab vllo potuit curari.* Addit Matthæus. *Sed magis deterius habebat.* Tres sunt peccatoris inueterati medici: qui nõ solũ nõ illi medẽtur, sed magis peccandi consuetudinẽ augẽt. Honor, voluptas, & diuitiæ. ¶ Pollicetur honor peccatori thronũ excelsum & eleuatũ, & subito eũ in profundũ inijcit. Iob. 30. Eleuasti, inquit, me, & quasi super vẽtũ ponẽs elisisti me valdẽ. Quod si dum peccator viuit, ab honore nõ ceciderit, tandẽ in vitæ fine in perpetuã ignominiã deueniet. Vnde idẽ Iob. c. 20. inquit, si ascenderit vsq; ad cælũ superbia eius: & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquiliniũ in fine perdet. Et qui eũ viderãt dicent, vbi est? ¶ Diuitiæ etiã salutẽ animi pollicẽtur: quod solẽt medici: hoc est animi saturitatẽ promittũt, & tamẽ perpetuã famẽ æternãq; sitim præbent. Vt in diuite illo quẽ refert Lucas videre est: qui frustra in inferno blandus factus ac mendicus miserabili voce clamabat: pater Abrahã miserere mei, & mitte Lazarũ vt intingat extremũ digiti sui in aquã, vt refrigeret linguã meã, quia crucior in hac flãma. ¶ Voluptates deniq; nõ animi langoribus medentur: nã & si dulce-

Tres sunt mali medici animæ.

Iob. 30.

Iob. 20.

Luc. 16.

A dinẽ promittant, fellis amaritudinẽ & acerbitatẽ conferũt. Fauus distillans (inquit Salo.) Labia meretricis, nouissima autẽ illius amara quasi absynthiũ. Et rursum in alio loco ait. Omnia quæ desiderauerũt oculi mei nõ negaui eis, nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur. Cumq; me cõuerterẽ ad opera manus meæ, vidi in omnibus vanitatẽ & afflictionẽ animi. Non ergo est quare hos tã nocẽtes medicos consulamus: nõ est quare fidẽ pollicitis eorum adhibeamus, cũ potius morbũ animi augeãt, quã B deleant. Verus medicus Christus est: cõfugiamus igitur ad illũ, tanquã ad verã animi medicinã, eũ fide viua cũ dolore coniuncta tangamus, si profluuiũ peccatorum sisti desideramus. ¶ *In medicos erogauerat omnem substãtiam suam: nec ab vllo potuit curari.* Opẽ quã pollicebantur medici nõ solũ non attulerũt: Sed morbo addiderant aliud malũ, paupertatẽ scilicet. Sed ad opẽ diuinã mulier ista, confugiens salutẽ consecuta est. Quæramus ergo Deũ toto animo, humanoque C auxilio nequaquã fidamus. Maledictus enim vir, vt ait Ierem. qui confidit in homine, & ponit carnẽ brachiũ suum. Et à dño recedit cor eius. Erit enim quasi myricæ in deserto, & nõ videbit cũ venerit bonũ: sed habitabit in siccitate in deserto in terra salsuginis & inhabitabili. E contra verò, benedictus vir qui confidit in Dño: & erit Dñs fiducia eius. Et erit quasi lignũ quod transplantatur super aquas: quod ad humorẽ mittit radices suas: & non timebit cũ venerit æstus. Et erit foliũ eius viride: & in tẽpore siccitatis nõ erit solicitũ: nec aliquãdo desinet D facere fructũ. Hæc mulier quàm diu in hominibus, & nõ in Deo confiderat, maledictionibus, hoc est morbo & ærumna & paupertate repleta est: postquã vero ad opẽ nõ humanã, sed diuinã confugit, miramq; fiduciã de Iesu concepit, benedictionibus est dotata. Nã nõ solũ sanata est à profluuio sanguinis, sed audire meruit cõfide filia fides tua te saluã fecit. Vade in pace. ¶ Hoc idẽ intelligẽs Dauid dicebat in Psalmo: nolite cõfidere in principibus, in filijs hominum, in quibus nõ est salus. Quæ verba explicans D. Aug. miratur

Prou. 5.

Eccles. 2.

Non in hominibus, sed in Deo spes nostra ponenda.

Ierem. 17.

Psal. 145.

D. Aug.

miratur & merito quidé filiorũ hominũ. Fratres, inquit, magnũ negotiũ hic accipimus: diuina vox est: & desuper sonat nobis. Nouo enim modo: nescio qua infirmitate humana anima quando fuerit tribulata hic desperat de Dño: & vult præsumere de homine. Dicitur homini in afflictione aliqua cõstituto: est quidá homo magnus: per qué possis liberari: arridet, gaudet, & erigitur. Quod si dicatur illi liberat te Deus, quasi desperatione frigescit. Promittitur auxiliũ mortalis: & gaudes: promittitur immortalis & tristis es? Promittitur tibi quod liberet te tecum liberandus: & tanquam aliquo magno auxilio exultas. Promittitur ille liberator qui liberatore non indiget: & quasi ad fabulá desperas. Væ talibus cogitationibus, lõge peregrinátur: veré misera & magna mors est in eis: appropinqua o anima incipe quærere & agnoscere eũ a qua facta es. Nõ enim deseret opus suũ: si ab opere suo non deseratur. Monet enim nos iam impletus Spiritu sancto ille: & dicit quasi de longe remotis & longe peregrinantibus & nondum vel de Deo sperantibus: nolite confidere in principibus & in filijs hominũ in quibus non est salus. Hæc August. De huiusmodi hominibus non in Deo, sed in hominibus fiduciá suá ponentibus ait Dñs apud Isaiam. c. 30. Væ filij desertores, vt faceretis cõsiliũ, sed nõ ex me: & os meũ non interrogastis sperátes auxiliũ in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciá in vmbra AEgypti. Filios desertores appellat Deus eos, qui eo contépto ad humana remedia confugiunt. Vbi aspicis? quàm grauiter delinquant ij, qui in periculis, & ęrumnis & necessitatibus Deũ non consulant, neque ad ipsum confugiunt, sed in hominibus totá spẽ suam ac fiduciam reponũt. Vult Deus, vt in ipso spei nostræ ancoram constáter figamus: & nõ in vmbra AEgypti, hoc est, in hominum fauoribus, opibus & potentia. Vt enim nihil est fugacius vmbra, nihil inconstantius: sic res humanæ nihil habent soliditatis, nihil perpetuitatis, nihil firmitatis. Cur igitur quæris & ardenter concupiscis res mobilissimas, meras vmbras, quæ tibi pariant

Isai. 30.

confusioné & ignominiá? Nonne amens & stolidus censeretur qui fame laborás, pulchra poma in arbore pendentia contemneret, ad eorũq; fallacé vmbrá confugeret? Quanto igitur amentior & stolidior iudicandus est ille, qui relicto vero Deo, qui est summa illa & sempiterna substantia, quæ sola satiare potest, inquirit mundi potentiá, fauoré, & diuitias, fugaces vmbras nullá animi famé, nec sitim, extinguentes, in illisq; totá menté, curam & cogitationé figit & collocat? Quæramus igitur Dñm Iesum toto corde: in humanoq; auxilio, aut sapientia, aut arte nequaquá totam spem nostram collocemus. ¶ *Accessit retro & tetigit fimbriam vestimenti eius: et confestim ſtetit fluxus sanguinis eius.* Vel isto exéplo disces quá vtiles, atq; proficui sint hominibus morbi, & paupertas, aliaq; missa á Deo flagella. Ná illis, ad Deũ confugientibus & fiduciá totá suá in illũ constituẽtibus, subuenit diuina virtus. Abrahá, inquit Hiero.) tentatur in filio, & fidelior inuenitur. Ioseph in AEgyptũ venditur, vt patré pascat & fratres. Ezechias vicina morte terretur, & fusus in lachrymas, quindecim annorũ spatio protelatur ad vitá. Petrus Apostolus Dñi passione concutitur, & amariter flens, audit: pasce oues meas. Paulus Lupus rapax & Beniamin adolescentior in ecstasi cæcatur vt videat, & repentino tenebrarum horrore circundatur, Dñm vocat quem dudũ, vt hominé persequebatur. Ita & nũc in hac muliere. Profluuiũ sanguinis patiebatur, omné substantiá suam in medicos erogarat, morbus indies augebatur, paupertate iá premebatur, fiducia plena, abresit á tergo (pudor enim obstabat, quo minus prodiret illi in cõspectu, ac morbũ pudendũ aperiret) & attigit extremam horam vestis illius, & protinus sensit abisse morbũ: ac sisti profluuiũ sanguinis. Flagello isto traxit illá Dominus ad se. Sic enim solet Dñs homines ad se trahere, flagellãdo. Iuxta illud Osææ c. 11. in funiculis Adá trahá eos. Quemadmodum etiá ad se traxit filios Israel. Nõ enim tá miraculis á Moyse factis aut monitis cõmoti sunt, quá persecutione Pharaonis. Clamauerunt ad Dominũ, & Dñs

Simile.

Quam vtiles sint afflictiones ostéditur

D. Hiero. ad Marce.

Osæx. 11.

Dñs exaudiuit eos. ¶*Accessit retro.* Pudor obstitit quo minus prodiret illi in conspectum: ac morbum pudendũ aperiret. Cuius exẽplo tu si peccator es, & ab isto tan pestifero morbo sanari à Dño appetis: primùm erubesce, verecundare, tandem deniq; pudeat peccati. Vnde D. Ambr. de morte Abel, & Cain, ait. Erubescere debemus, & condẽnare peccatũ, non defendere: quoniam pudore culpa minuitur: defensione cumulatur. Ideo Dñs aiebat apud Ezech. c. 36. Confundimini, & erubescite, sup vijs vestris domus Israel: hæc dicit Dñs Deus in die qua mũdauero vos, ex omnibus iniquitatibus vestris. Et terra deserta fuerit exculta, quę quõdã erat desolata, dicẽt, terra illa inculta, facta est vt hortus voluptatis. Erubescẽtia ergo initiũ est nostrę salutis. Infelices illi qui erubescere nesciunt. Nam cadẽt in perpetuã confusionẽ, curabãt (inquit Dñs) contritionẽ filiæ populi mei cũ ignominia dicẽtes, pax, pax, & nõ erat pax. Confusi sunt: quia abominationẽ fecerunt: quin potius confusione nõ sunt cõfusi, & erubescere nescierũt: quã ob rem, cadent inter ruentes, in tẽpore visitationis suæ corruent. Infeliciores autẽ illi qui nõ solũ in malo non erubescunt, sed potius peccata sua tanquã optimẽ facta defendũt: qui lætantur cũ male fecerint & exultãt in rebus pessimis. Si ergo peccator es, verecũdia & pudore perfundere: & tange Christi fimbriã: & à peccatis mũdaberis: si iustus es, verecundiã ama, & nõ peccabis. Tacebat in periculis Susanna (inquit Ambro.) & grauius verecũdiæ quã vitæ dãnum putabat: nec arbitrabatur periculo pudoris tuendam salutem: soli Deo loquebatur, cui poterat casta verecundia loqui: refugiebat ora intueri virorum. Hæc ille. Si ergo hãc virtutem amplexati fuerimus peccare recusabimus, timentes à Dño exprobrari. Verecundia enim timor est turpitudinis exprobrabilis. Quod si peccauerimus, & scelera nostra instar profluuij sanguinis ab animis nostris fluant, pudeat nos peccasse: & tunc abibit morbus, si simul Deũ viua fide tangamus, vide quæ annotauimus sup. c. 7. in illa verba, & stans retro.

Verecundia cõmendatur quæ initium salutis est.

Ambros.

Ezech. 36.

Ierem. 11.

Prou. 2. c.

Lib. 2. de offic.

A ¶*Et tetigit fimbriam vestimenti eius. & confestim stetit fluxus sanguinis eius.* En vides, quod nõ sola diuina virtute Christus Dñs miracula ædebat: sed etiã natura eius humana, instrumentũ erat coniũctũ veluti manus quæ instrumentũ est artificis, isto ergo diuino instrumẽto diuina virtus opera hæc tam mira faciebat. Hinc ergo fuit quod ad tactũ eius mulier ista sanata est. Imò quotquot tangebãt eũ (plena & perfecta fiducia) salui fiebant. Vt Marcus narrat. c. 6. Lege de hac q. gloss. Mar. 5, in fin. cap. & Doctorẽ sanctum. 3. p. q. 43. art. 2. ¶*Et tetigit fimbriã*

B *vestimenti eius et confestim stetit fluxus sanguinis eius.* Vestimẽtũ Christi est humana natura. De qua Isai. 63. quare, inquit, rubrũ est indumentũ tuũ? Et Apoc. 19. & vestitus erat veste aspersa sanguine. Habitu inquit Paul. inuentus, vt homo. Fimbria vestimenti huius fuit passio. Si ergo peccator fide viua tetigerit Christi passionẽ stabit profluuiũ omniũ peccatorũ, sanguis ergo, hoc est, peccatũ sanguinẽ Christi tangat, & sistet. Si enim sanguis hircorũ & cinis iuuẽcæ aspersus (in-

C quit Pau.) inquinatos sanctificat, ad emũdationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctũ seipsum obtulit immaculatũ Deo: emũdabit conscientiã nostrã, ab operibus mortuis ad seruiẽdũ Deo viuenti? Hircus Christus est: quod carnẽ innocentẽ, similẽ tamen nostræ assumpserit, de peccatoribus natus: Hoc est, de Dauide, Salomone, &c. Iuuenca Christus est: quod iugũ peccati nõ traxit. Si horũ igitur sanguis animalis, potest (inquit Pau.) emũdare peccata populi iuxta carnis purificationẽ: quãto

D magis sanguis Christi emũdabit consciẽtiã nostrã qui verus hircus veraque iuuẽca est? ¶*Et tetigit fimbriam vestimenti eius: et confestim stetit fluxus sanguinis.* Hoc testimonio alijsq; huic similibus contendere poterũt aliqui nullũ esse crimẽ nullũque scelus ad sacram synaxim accedere in peccato. Nõ enim (dicere poterũt) maioris dignitatis existit Christus sub velamine & specie sacramenti, quã sub propria: sed peccatoribus corpus Christi tangentibus, delictum non erat:

Gloss. D. Tho.

Indumentum Christi natura humana. Isai. 63. Apoc. 19. 1 h. 2.

Heb. 9.

Figura.

An liceat accedere ad Eucharistiam in peccato.

misericordiam suam. Aspicite ergo quæ fecit nobiscum, & cum timore & tremore confitemini illi. En vides hanc mulierem morbo incurabili castigatam à Dei misericordia sanatam: nunc cum tremore magno & humilitate confitentem coram omni populo Dei beneficium. Sic etiam hortatur Apostolus ad Philippenses scribens. cap. 2. cum metu & tremore vestram salutem operamini. Cum metu salus nostra operāda semper est si in mores pristinos redire nolumus. Nam (sicut ait Seneca) & putata repullulant vitia, & essugata redeunt: & reaccenduntur extincta: & sopita iterum atque iterum excitantur. Beatus ergo vir qui semper est pauidus (vt Salomon ait Prouer. 28.) ne scilicet Dominum offendat. Qui vero mentis est duræ, corruet in malum. Quare qui se existimat stare videat ne cadat. Cum tremore etiam salus nostra operanda est. Quod admonet etiam regius vates. Psalm. 2. seruite Domino in timore: & exultate eum cum tremore. In quibus vltimis verbis duo coniungit Psalmista, quę pariter in nobis erga Deū adesse debent. Exultare enim nos oportet, & gaudere plurimum, & lætari de beneficijs à Dei misericordia acceptis, lætari, inquam, nos oportet in bonitate Dei: neque morosus ipse est Dominus, vt seruis suis prohibeat gaudere. Imo locis plus mille, per seruos suos Apostolos & Prophetas, atque etiam per os suum, letari monet & gaudere semper. Gaudete (inquit ipse) quia nomina vestra scripta sunt in cælis. Non tamen inepta esse debet nostra exultatio, sed cum debita ex intimo cordis affectu reuerentia, omnique grauitate, maturitate, & morum honestate: quod est cum tremore exultare. Non enim intelligendus est tremor iste secundum seruilem affectum. Tremor enim non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem, quāto magis & tremorem eiusmodi? Significat autem in proposito totius affectus reuerentiam, & attentissimam mentis solicitudinem, atque diligentiam, quam merito in nobis efficere debet consideratio diuinæ potentiæ, diuinæq; maiestatis.

Phil. 2. Seneca. Prou. 28. 1. Co. 10. Psalm. 2. Luc. 10.

A Exultabat mulier ista quod à morbo tā pudēdo & insanabili, solo tactu fimbriæ curata esset: tremebat etiam considerando Dei infinitam potentiam immensamque virtutem, & ita exultabat cum tremore: sic operata est salutem animi & corporis, quapropter audire meruit: filia fides te saluam fecit. ¶ Hinc colliges, quàm verè olim apud Isaiam dixerat: ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementē sermones meos. Vbi obserua, quod contritum spiritu in hoc loco non est illa B vox, quæ est cap. 61. vt mederer contritis corde. Et Psal. 146. qui sanat cōtritos corde. Secundum illas autem scripturas fornicatores, adulteri, superbi, & breuiter quicunq; in animo grauiter vulnerati sunt, & mole peccatorum toti confracti, dicuntur contriti corde. Alia est vox apud Hebræos hoc loco posita quæ deducitur à radice, Caha, id est, dolere, contristari infirmari. Contritū ergo spiritu hoc loco, idē est, quod dolentē & humiliantem se propter peccata agnita, & C ex animo dolentem: vt nō sufficiat quis dolor sed vehemens, qui totum hominē humiliet & cōterat. Huiusmodi vox est Psal. 108. & compunctum corde mortificare, id est, cui ex animo dolet, quod vulneratus est. Hunc ergo cōtritum corde respicit Dominus. Præterea respicit trementem sermones eius. Id est, qui aduerbum eius, reuerētia quadam contremiscit. Qualis fuit mulier ista quæ ad verbū Christi dicentis quis me tetigit? Tremēs cecidit ad pedes eius: & professa est corā omni populo, quam ob causam contigisset eum.

Isai. 66. Isai. 61. Contritū corde bifariam accipitur in sacra Scriptura. Psal. 146.

D ¶ *At ipse dixit ei filia fides tua te saluam fecit.* Non ergo extorsit Dn̄s confessionem ab hac muliere, vt eam traduceret: sed vt ostenderet Iudæis quantum posset certa fides. Ideò consolans mulierem trepidam & obiurgationē expectātem, ait. filia fides tua te saluam fecit: vade in pace. Quo dicto significare voluit Pharisæis & Scribis, quāto plus valuerit semper apud Deum fides viua, certaque fiducia in eius bonitate, quàm sola obseruantia ceremoniarū. Cuius rei præclarā

Plus valuit semper fides viua apud Deum quā obseruantia sola ceremoniarum.

3. Reg. 1. Figura notanda.

habes figuram. 3. Reg. 1. Vbi sacra narrat historia, quod Rex Dauid senuerat, habebatque ætatis plurimos dies: cumque operiretur vestibus non calefiebat. Quæsierunt ergo ei serui eius adolescentulã speciosam in omnibus finibus Israel, & inuenerunt Abisach sunamitem, & adduxerunt eam ad regem: dormiebatque cum rege, & calefaciebat eum. Deus ergo est ille Rex Dauid qui habet ætatis plurimos dies, imo æternitatis. Quemadmodum Daniel affirmat: aspiciebam, inquit, donec throni positi sunt & antiquus dierum sedit. Cumque operiretur vestibus ille antiquus Dauid, non calefiebat inquit. Planè calor eius charitas, vel amor eius est, sanctus eius spiritus est. Nunquid ab isto calore suo vnquam senex iste, vel antiquus refriguit? Non vtique sibi, sed nobis: quos inter ipsumque, propter peccatum primi hominis paries inimicitiarum consurrexit. Nam in illo calor æternus, hoc est, Spiritus sanctus consubstãtialis & coæternus est. Verùm vbi primus homo contra illum peccauit, calor amoris eius intrinsecus à genere humano iustè se abscondit. Operiebatur vestibus, honorabatur ceremonijs legalibus, at verò lex nihil ad perfectum adduxit: sacerdotium legis nullo modo pro hominibus Deo sacrificando satisfacere potuit: itaque cũ operiretur vestibus, non calefiebat. Id est, cum seruiretur illi prioris testamenti cæremonijs carnalibus, seruientes sibi in gratia per spiritum reconciliationis recepit: Dixerũt ergo ei serui sui, quæramus Domino nostro regi adolescentulam virginem, & stet coram rege, & foueat eum, dormiatque in sinu suo, & calefaciat Dominum nostrum Regem. Quæsierunt ergo adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel, & inuenerũt Abisach sunamitem & adduxerunt eam ad Regẽ. Serui isti Dauid, prophetæ Dei sunt, virgo hæc adolescentula, fides est. Viderunt serui isti, quod humano genere nõ calefieret, aut repropitiaretur Deus legalibus ceremonijs coopertus, idcirco quæsierunt hanc virginem, hanc adolescentulam, id est fidem: planè si sensum

Dan. 7.

Heb. 7.

A eorum intelligas, si spiritum eorum in literis ipsorum perspicias, inuenies quia victimas, & holocausta Iudæorum veluti vestes inutiles fastidiuit, & fidem per quam Abraham, cæterique Patriarchæ iustificati sunt, studiosissime perquirat. Nam sicut pannus menstruatæ, omnes iustitiæ nostræ, iustus autem, inquit, ex fide viuit. Vbi autem inuenerunt eam? In Suna, quod interpretatur captiuitas, siue mortificatio, vel certè despectio. Vnde & ipsa fides Sunamitis dicitur, id est, B captiua siue mortificata, vel certè despecta. Eorum namque est fides, qui in hoc seculo peregrinantur, manẽtem hic non habentes ciuitatem, sed futuram inquirentes, propter quod, huic mũdo despecti sunt, tota die mortificantur, quorum principes, vel patres secundum eandem fidem Abraham, Isaac, & Iacob, fiterũt, peregrinando propter fidem, & confitẽdo, quia peregrini & hospites sunt super terram. Illis vtique serui isti Dauid Sunamitem hanc inuenerunt, viderunt enim C quia non ex operibus legis, sed ex fide iustificati sunt. Rupert. lib. 3. Reg. cap. 2. ut ergo Dominus ostenderet his pharisæis quantum possit certa fides, quantoque potius illi esset fidendum quàm ceremonijs: in medium adduxit hanc mulierem, dixitque illi: filia fides tua te saluam fecit vade in pace.

Isai 64. Heb 10. Abac. 2.

2. Cor. 5. Heb. 13. Rom. 8.

Rupert. 3. Re. c. 2.

¶ *Filia.* Maxime nos hoc verbum consolari debet. Filiam vocat Deus animam etiã si in mortali peccato sit: nõ aspiciẽs rem præsentem sed futuram, non intuẽs quod est, sed quod erit. Prætereà obserua quod appellat Deus animam pecca- D tricem, filiam: vt hoc verbo eam filiam efficiat. Quemadmodum solẽt reges virum aliquem nobilem, marchionẽ, aut comitem, aut ducem facere, eum sic vocando. ¶ *Filia.* Si ergo Domine nos sumus filij ergo heredes. Fateor (inquit dominus) quod si filij ergo hęredes. Sed animaduertite quod quemadmodũ vos rectè colligitis, quod si filij ergo hæredes, sic ego deinde colligo: quod si hæredes ergo humiles, ergo mites, ergo morigeri & obedientes omnibus mandatis meis. Ergo patientes, ergo libenter tolerantes

Anima peccatrix vocatur à Deo filia, & quare.

Conditiones quas habere debent filii & hæredes Dei.

rantes propter me mundi flagella. Sed ais, vnde hæc omnia inferuntur? Quod scilicet sitis hæredes Dei. Transit enim omnis hæreditas cum omnibus suis oneribus: vt legibus imperatorijs sancitum atque statutum est. Hoc enim accidisse Christo, omnibus nobis satis compertũ est. Erat enim verus filius Dei, quare hæres eius factus est. Atque ex consequenti onera omnia hæreditatis acceptare voluit. Humiliauit namque semetipsum factus obediens, vsque ad mortem, mortẽ autem crucis. Eisdem ergo oneribus, & nos cælestem hæreditatem suscipere debemus. Primum ergo humiles nos esse oportet. Nam ait Dominus: nisi conuersi fueritis, & efficiamini, sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Deinde obedientes: nam Dominus hãc ob causam cuidam adolescentulo dixit: si vis ad vitam ingredi serua mandata. Tandem patientes: nam beati qui persecutionem patiũtur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cęlorum. Sed nos miseri filiorum nomine gaudemus hæreditatem cælestem gaudenter acceptamus: at onera subire nolumus.

Phi. 2. Matt. 18. Matt. 19. Matth. 5.

§ *Fides tua te saluam fecit.* Multæ virtutes sunt necessariæ ad animi salutem, vt cap. præcedenti annotauimus. Multę ad impij iustificationem conueniunt: neque vna sine altera sufficit. Concurrunt humilitas, fides, spes, charitas, dolor, &c. Quemadmodũ enim in periculoso morbo, non vna simplex medicina, ad salutẽ inferendam satis est: sed multæ commixtæ, sunt necessariæ: quemadmodum etiã ad lapidem maximum voluendum non vnius hominis vires, sed multorum exiguntur: sic etiam ad salutem animi parãdam, multæ medicinales virtutes postulantur: ad cor lapideum conuertendum multæ spirituales vires concurrere debent. Quod verum esse in Magdalena vidimus: & in hac muliere profluuium sanguinis patiente experimur. Pudor fecit in hac muliere, & in illa peccatrice, vt non auderent prodire in conspectũ Domini: sed vt starent retro. Confidẽtia vero vt diceret hæc mulier: Si tetigero tãtum fimbriam vestimẽti eius salua ero.

Cum multæ virtutes inueniantur in iustificatione impii, quæritur quare non fidei tribuitur salus.

Similitu.

A Fides & charitas in causa fuerunt, vt tangeret Christum. Fide enim & charitate tangitur Dominus. Humilitas docuit, vt non auderet eius pedes, sed tantum fimbriam vestimenti eius attingere. Denique has virtutes omnes comitata est quædam reuerentia, quæ tremere eam faceret ad pedes Domini accidens: audito illo sermone quis me tetigit? Hęc omnes virtutes multæq; aliæ ad salutẽ profluuij sanguinis, quam anima peccatrix patitur, cõueniunt. Sed ais: quare si hæc ita sunt vt verè sunt: Christus Dominus
B salutem huius mulieris potius fidei tribuit quam alijs virtutibus? Quod in ea, magis fides, quàm cæteræ virtutes resplẽduerit. Solet enim in peccatoribus singulis, quando conuertuntur vna virtus plus alijs relucere: cui peculiariter salus animi tribuitur. Splenduit in Magdalena charitas, & ideò Dominus dixit: remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Resplenduit in conuersione Petri dolor, plusquam cæteræ virtutes: & idcirco dolori assignata est remissio. Egressus inquit, foras fleuit amarè.
C Luxit in Paulo timor, & ideo timori ascripta est salus. Timore enim correptus dixit: Domine quid me vis facere? Eam ergo ob causam ait Dominus Centurioni non inueni tantam fidem in Israel, & Chananææ, O mulier magna est fides tua: & huic mulieri: fides tua te saluam fecit. Quod in his potius fides resplenduit quam cæteræ omnes virtutes. Quãuis omnes fuerint connexæ, & vna sine altera in animi salute non inueniatur.

Obiectio. Respons. Sup. c. 7. Infra. 22. Act. 9. Matth. 8. Matt. 15.

§ *Noli timere tantum crede.* Non sine causa putandum est (vt annotauit Chrysost.) quod Christus in principio suæ pręD dicationis, ab infirmis quos curabat, fidẽ non exigeret: post verò eam postularet. Matthæus. cap. 4. narrat, quod obtulerunt ei, omnes male habentes, & curauit eos. Sic Marci. 1. dicitur: & curauit multos, & cap. 3. Multos enim sanabat: ita vt irruerent in eum: vt illum tangerent, quotquot habebant plagas. Sicut nouitius medicus (inquit Chrysost.) intrans in ciuitatem, & volens ostentationes dare artificij sui, omnes venientes ad se curat:

Chrysost. Matth. 4. Marci. 1. Marci 3. D. Chrys.

ret: & non tantum cogitat de mercede accipienda, quantum de opinione sua commendanda. Cum autem manifesta fuerit fama eius bona, tunc secundum laborem suum incipit exigere, & mercedem. Sic & Dominus incipiens prædicare, non secundũ iudicium quosdam, sed omnes indifferenter sanabat: postquam vero illum omnis Iudæa cognouit, beneficia sanitatum digno pretio fidei venũdabat, dicens vnicuique, fiat tibi secundum fidem tuam. Hæc ille. Eam igitur ob causam à principe isto exigit fidem dicens, noli timere: tantum crede, & salua erit. Prætereà Rupertus Abbas huius rei causam quærens, cur, scilicet, Christus Dominus tanto opere requireret fidem, ait. Causa siue intentio dignationis eius non parui pendenda hæc est, curare antidoto competenti stultitiam antiquam nimiæ credulitatis, qua creditum est diabolo loquenti per serpentem, ac dicenti. Scit enim Deus quod in quocũque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij scientes bonum & malum. Credidit mulier diabolo plusquam Deo, quod taliter deberet illuminari: credamus & nos ècontra veritati si veraciter volumus illuminari, & sanari. Hinc fuit quod cæcis quibusdam dixit Dominus, creditis quia possum facere hoc vobis. Statimque: secundum fidem vestram (ait) fiat vobis. Et in hoc loco crede tantum & salua erit.

Chrysost. in imperfecto, ho 8 in fine. Rup li. 8. in Matth. cap. 9.

Genes. 3.

Matth. 9.

¶*Flebant autem omnes. At ille dixit nolite flere: non est mortua puella, sed dormit.* Obserua, quod puerorum atque iuuenum vitam aliquando aufert Dominus, non tam ob culpam aliquam: quàm vt illis suscitatis glorificetur Dominus, commendeturque sanctus aliquis propheta, aut Christus Dominus. Quod in puero ab Helia suscitato videre est. 3. Regum. 17. & in iuuene viduæ filio, & in puella ista, atq; in Lazaro denique: quibus suscitatis maximè commẽdatus fuit Christus Dominus, & tunc viuentibus & posteris. Lege August. lib. 2. ad Simplicianum. q. 5. ¶*Flebant autem omnes, & plangebant illam. At ille dixit nolite flere non est mortua puella.* Vera mors est animi mors, quarè cum homo in peccato sit, flere, & plangere, & orare maximũ est pietatis opus. Non ergo vita corporis functos, tam plangere debemus, quàm vita animi. Cum illi verè mortui dicendi sint. Ideò Paulus in posteriori Episto. ad Cor. c. 12. ait: timeo enim ne forte cũ venero, non quales volo inueniam vos, & ego inueniar à vobis, qualem non vultis, ne forte contentiones, emulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones sint inter vos, ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex his, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quã gesserunt. Hoc igitur vt prædiximus verum & perfectum pietatis opus est, flere & lugere eos, morte eius qui mortuus est, & perditione eius, qui periit: & tunc demum sanctum erit etiam: manducare, epulari, & gaudere, cum reuixerit, cum inuentus fuerit, vt de filio prodigo sanctus Lucas narrat. Lege Rupertum, lib. 8. de operibus Spiritus sancti. c. 13. Is fletus est quem commendat Paul. cum ait: flere cum flentibus. Nunquid Apostolus (inquit Bernard.) præcipit flere rerum amissionem, intermissionem voluptatũ, filiorum mortes, morborum instãtiam, grauitatem inopiæ? absit. Plorandi enim sunt qui taliter plorant. Religiosa enim tristitia, aut alienum luget peccatũ, aut proprium. Beati quorum luctus in hac intentione versatur, quia consolatoriam possunt in hac expectare dulcedinẽ. O quam leni spiritu imbutus est spiritus illius, qui nouit in spiritu lenitatis & affectuosis visceribus, inuiscerare sibi peccatorem, donec vitæ reddatur. De hac compassionis mamilla lac consolationis effunditur, & hoc lacte pascit Apostolus illos qui solido cibo vesci non possunt. Hæc Bern. serm. de Magdalena.

Quare sæpe moriuntur paruuli.

3. Reg. 17.

D. August.

Vera mors Est peccatũ & ideo peccatores lugendi sunt, & non vita mortali functi.

2. Co. 12.

Luc. 7.

Ruper.

D. Bern. Ad Rom. 12.

¶ *Nolite flere non est mortua puella, sed dormit.* Inter rationes alias, quibus persuaderi possumus, vt mortuos non plangamus, vna & altera à Seneca assignatur. Tum, quòd mortuis lachrymæ gratæ non sunt: tum etiam, quod cha-

Quare vita functi non sunt lugendi.

ros

ros in vsumfructum dũtaxat accepimus: quorum proprietas apud Deum qui illos ad vsum contulit, permansit. Quare poterit illos é medio tollere quando libuerit. Lege Senecam lib. ad Polibium consolatio, & lib. de cõsolatione ad Martiam. c. 10. ¶ Cæterũ quàm grauiter Deũ offendant viri Christiani mortuos immoderaté lugentes, docet Tertulianus lib. de patientia. Ne illa quidem (inquit) impatientiæ species excusatur in amissione nostrorum, vbi aliqua doloris patrocinatur adsertio. Præponendus est enim respectus denuntiationis Apostoli, qui ait: ne contristemini dormitione cuiusquam: sicut nationes quæ spe carẽt & merito. Credentes enim resurrectionem Christi, in nostram quoque credimus, propter quos ille & obijt, & resurrexit. Ergo cum constet de resurrectione mortuorum, vacat dolor mortis, vacat & impatientia doloris. Cur ergo doleas, si perisse non credis? Cur impatienter feras abisse, quem mox subsequeris? Cæterum & impatientia in huiusmodi & spei nostræ male ominatur, & fidem præuaricatur. Et Christum ledimus cum euocatos quosque ab illo, quasi miserandos non æquanimiter accipimus. Cupio, inquit, Apostolus recipi iam & esse cum Domino. Hæc illæ. Ad nos igitur sermo iste: nolite flere non est mortua puella sed dormit. ¶ Hoc idem monet D. Basilius, hom. de gratiarum actione his verbis. Ac veluti personæ simulatitiæ fictio ad tragædos peculiariter pertinet, simul & scæna omnis qua cum ad theatrũ prodeunt expectandi: ita & tu quidem non indecorum esse existimas, si habitus ipse consentaneus lugenti sit & concolor, vestis, vt sit fusca, atraué, squalens coma, tenebris adoperta domus, fæda sordicie ac puluere, ipse cãtus insuauis & inamænus, alẽs semper mæroris vulnus animæ impressum, iugiterque nouans. Hæc tu istis facienda permitte, quibus spes seculi venturi nulla est. Nam & de his qui in Christo obdormierunt, edoctus es, quia corpus quidem hoc seminatur in corruptione, surget incorruptibile: seminatur infirmitate, surget in virtute: seminatur

Seneca.

Impatienter mortẽ alicuius plangere, peccatum est.

Tertul.

Basilius.

Similitu.

A corpus animale, surget corpus spirituale. Qua igitur fles gratia? An quia immutandus est mortuo & innouandus habitus? At qui mihi vide, vt ne te ipsum lugeas, quasi per illius mortem, auxiliari quodam subsidio tuæ ipsius vitæ sis destitutus. Ait enim Psalmographus: bonũ est sperare in Domino, quàm sperare in homine. Neu illius sortem lamentare quærulus, quasi indigna quædam passus sit. Aliquando enim post, é cælo clangens tuba eundẽ expergefactura á somno est: ipsumque videbis tribunali Christi adstantẽ. B Viles igitur hasce, nec quicquam habentes viro erudito dignũ mittito voces: heu inopia, nec prius expectata mala. Illam item: quis hæc putasset aliquando contingere debuisse? Rursus hanc: quãdo expectassem charissimũ hoc caput á me debuisse terra tegi? Sanẽ hæc si contingat audire nos ab vno aliquo proferre, subpudescere nos conuenit & aspergi rubore, qui ex memoria rerum, cum præteritarum, tum, ex præsentium doctrice experientia edocti sumus C naturalium eiusmodi affectionum vices necessarias. Si quæ igitur mortes intempestiuæ inciderint, aut vllæ aliæ fortuitæ rerum vices & aduersæ insperatò contingere solitæ, nulla nos vnquã consternatione debent percellere, neutiquam exterrere, qui á puerili ætate sumus eruditi sermone pietatis. Exempli gratia: erat mihi filius, & is adolescens, facultatumque meatum hæres vnicus, solamen senectæ, generis mei decus & gloria, coæuorum flos, columen & firmamentum familiæ, & in ea consistebat ætate quæ D nulli non gratiosa est maximé & apprimé amabilis. Is é vita sublatus mihi perijt: terra deniq; & puluis factus est. Is, inquam, qui Paulo ante iucunda auditu depromebat oculis sui genitoris spectaculum factus iucundissimum. Quid mihi faciendum censetis? Vestem ne disrũpam? Totam ne humo patiar me volutari? Deum querula voce obtestabor? Fortuitum hunc casum indignẽ & iniquo feram animo? me ne his qui adsunt, exhibere debeam talem cuiusmodi esse solet vnus aliquis é pueris, qui inter plagarũ impres-

Psal. 117.

impressionem, vocem quantam maximã potest, edit, & eiulat, trepidat & intremiscit? An perpensa potius eorum quę fiūt, necessitate (cum mortis lex nemini vitabilis, per omnẽ ætatem æquis grassetur passibus, dissoluatque ac demoliatur succedaneo ordine quę composita sunt omnia) ob id quod contingit nihil designabo operis quod alienū sit & aborrens ab auitaindole? Sed neque patiar me ab integritate mẽtis dimoueri, quasi qui præceps abierim subitario hoc inopino vulnere deiectus, iam pridem probè institutus, quia mortalis qui eram, filium haberem morti itidem obnoxium, quodque nihil in humanis rebus consistens sit & duret stabiliter, neque quicquam rei peculiaris consueuerit vsquequaque persistere apud suum possessorẽ. Quin & amplissimæ quondam vrbes nominis quoque splendore præcelebres, cum ob iuculentam ædificiorum molem, tū propter robur viresque incolarum, denique præcellentes reliqua omni rerum exuberanti opulentia per regionẽ, perque forum, in solis nunc dirutis & ruinosis ruderibus insignia præferunt exoletæ illius & veteris suæ amplitudinis atque authoritatis. Nauis insuper crebertimè seruata & maris exempta periculis, cum decies quidem millies veloci nauigatione permensa sit æquor, onera verò merciū præteruexit negotiatoribus nulli numeranda, vno tandem assultu aspirantium ventorum pessum ijt, ac suppressa demū est. Atque adeo plerunque accidit, vt exercitus ipsi post partas in conflictu ex hoste victorias, calculo illius dextimæ prosperitatis in diuersum verso, miserabili prorsus sint facti spectaculo, & fabula vulgi. Gentes porro aliquot integræ, insulæ item ad eximiam vsque ad præeminentem potentiam progressæ, post multa sibi terra marique erecta trophęa, post opes confestim aggestas & cumulatas ex hostium exuuijs manubijsue, vel tempore tandem attritæ sunt & absumptæ, aut certè in captiuitatem adductæ pretio libertatis miserabilem mercati sunt seruitutem. Vtque compendio absoluã, quodcunque possis afferre, quod in maximis, nec vlli tolerandis malis numerari debeat: nullum vspiam reperias, cuius non in superioris æui hominibus antecesserit exemplum. Sanè quemadmodū rerum grauium pondera appendendo libræ momentis discernimus, vtque de auro purum ne sit & excoctum, an secus, experimẽtum capimus affrictu lapidis: itidem & memoria repetentes mensurã modumque rerum nobis à Domino pręscriptum, nulla in re a temperie & moderata sobrietate excidere potuerimus.

Similitu. | Similitu. | Similitu. | ὁμοίωσις. elegans. Is lapis χρυσίτις, dicitur.

Hæc D. Basilius. Tandem mortuos lugere nimium non debemus: quod mors illorum, si in Domino mortui sunt, somnus quidam suauis sit: qualis fuit mors istius puellæ: de qua Dominus ait: non est mortua puella, sed dormit. Si mortuos plorantes consolari vellis, lege etiã Gersonem. 4. part. tract. 61. per totum. Et Vgonem Cardinalem in Leuit. cap. 10.

Gerson. Vgo.

¶ *Et deridebant eum.* Mos est impiorū dicta & facta iustorum irridere. De quibus ait Iob cap. 30. Et mandebāt herbas & arborum cortices, per herbam tenera bene inchoantium vita significatur: per cortices arborum operationes iustorum ad superna tendentes. Herbas ergo & arborum cortices mandūt reprobi, quia prauis irrisionibus in nonnullis exteriora opera, in nonnullis autem per spẽ virentia corda dissipant. Lege Gregor. exponentem prædicta verba Iob.

Impii irridẽt pios. Iob. 30.

¶ Cæterum, fœlix homo ille qui propter Christum irridetur ab impijs. Quis mihi det (inquit Berhar.) gloriari in voce illa: quoniam propter te sustinui opprobrium operuit confusio faciẽ meã. Gloria mihi est consortem fieri Christi, cuius illa vox est: opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Contemnamus ergo irrisiones illorum, qui dicūt bonum malum, & malum bonum, ponẽtes lucem tenebras, & tenebras lucem. Nobis enim si studiosi fuerimus pro minimo est, vt ab illis iudicemur. Lege Bernard. 2. lib. de consideratione.

Irrisiones impiorum contemnẽdæ. Psalm. 68. Ibidem. Isai. 5. Bernar.

¶ *Ipse autem tenens manum eius clamauit dicens, puella surge: & reuersus est spiritus eius, et surrexit continuo.* Ecce dedit voci suæ vocem virtutis. Hac suscitauit

Vis vocis Christi ostẽditur.

tauit adolescentem filium vnicum matris suæ, hac suscitauit Lazarum, hac excitauit hanc puellam. Hac quotidie excitat animos nostros vita Dei functos. Nemo facilius expergiscitur ad vocem excitantis, quàm ista puella, atque cæteri omnes reuixerunt ad vocem appellantis. Non enim solum redit anima in domicilium vnde fuerat egressa, verumetiã vt alacris vegetaque surgit & ambulat. Non solum, inquam, gratia Dei redit in animum peccatoris pristinum suum habitaculum: sed ambulat coram Domino in veritate. Obserua quod Christi pectus erat veluti officina omnium pharmacorum, hoc est, omnium gratiarum. Quare verba eius singula, medicamentum erant singulare, præsentissimumq; remedium ad medendum omnibus. Vnde meritò ait Salomon. c. 16. neque herba, neque malagma sanauit illos. sed sermo tuus Domine qui sanat omnia. D. Ioannes, Apoc. c. 22. se vidisse affirmat in medio plateæ ciuitatis, & ex vtraq; parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per singulos menses reddens fructus suos, & folia ligni ad sanitatem gẽtium. Lignum hoc vitæ Christus est: De quo, sapientiæ nomine Salomõ ait: lignum vitæ est omnibus apprehendentibus eam. Hoc lignũ affert fructus duodecim, quando ex obseruata duodecim Apostolorum fide & doctrina, vnicuiq; pro eo fructus reddit æternæ beatitudinis: hos autem reddit per singulos menses, id est, perpetuò. Et folia ligni sunt ad sanitatem gentium. Verba Christi sunt hæc folia ligni quibus sanabat omnes infirmos, excitabat mortuos, consolabatur afflictos, medebatur animis languentibus. ¶ *Et tenens manum eius clamauit dicens: puella surge. Et reuersus est spiritus eius: et surrexit continuo. Et iussit illi dare manducare.* Puella ista imaginẽ gerit peccatoris qui in peccatũ aliquod recens, lapsus est: quem à peccato excitat Dominus, eo modo quo excitauit hanc puellã. Quod vt ex suis radicibus intelligas, audi quæ sequuntur. Vir pius & studiosus hominem habet exteriorẽ, atque hominem interiorem. De hoc D.

Christi pectus pharmacopolium quoddam erat spirituale.

Sap. 16.

Apoc. 22.

Christus lignum vitæ. Figura.

Cagn.

Puella ista figura est peccatoris.

Homo duplex interior & exterior.

A Paul. ait: condelector legi Dei secundũ hominem interiorem. De vtroque verò homine alibi ait idem Apostolus: & si is qui foris est homo noster corrumpatur: Is tamen qui intus est renouatur de die in diem. Habent homines hi vitas suas: primus corporalem, secundus spiritualem: Primus humanam, secundus diuinam: primus naturalem, secundus supernam, atque cælestem. Et vt vno verbo dicam quicquid in homine extero à natura collatum inuenitur, hoc idem in homine interno à Deo donatum reperietur. B Si anima totum corpus informat, sic etiam Dei gratia totam animam: præbetque illi esse quodam supernum & diuinum. Si homo exterior quinque sensibus donatus est: eisdẽ homo interior est adornatus. Habet enim suum peculiarẽ gustum, quo verbis diuinis recreatur, atque refocillatur. Fructus (inquit sponsa) eius dulcis gutturi meo. Et rursum, Psalmographus ait: gustate & videte, quoniã suauis est Dominus. Habet aures, atque oculos quibus audit, atq; videt. De quibus idem Psalmista loquitur, cum in Dei C nomine Ecclesiæ ait: audi filia, & vide, & inclina ad me aurem tuam, & obliuiscete populum tuum & domum patris tui. Habet similiter olfactum quo Dei miracula, Christi vitam, sanctorum exempla odoratur sagacissimè. In odorẽ, inquit, vnguentorum tuorum currimus. Habet denique tactum quo Deum tangit ac tactum detinet. Tenui, inquit, eum & non dimittam. ¶ Præterea, si in exteriori homine naturales vires, quibus à sibi contrarijs & aduersarijs defenderetur, posuit D parens natura: in interno homine vires supernaturales, quas virtutes vocamus, collocauit parens Deus, vt inimicis inuisibilibus resistere, atque illos expugnare & propellere possit. Tandẽ, si homo iste exterior & si animam, sensus viresque corporeas habeat, adhuc illis vti non potest, neque dimoueri absque Dei auxilio generali de quo Christus dicebat: pater meus vsque modo operatur, & ego operor: sic etiam neque homo internus, sine Dei speciali auxilio & adiutorio credere, aut amare, aut aliquid boni superni facere

Rom. 7.
2. Co. 4.

Gratia est veluti anima hominis interioris.

Homo interior suos sensus spirituales habere dicitur.

Can. 2.
Psalm. 33.

Psalm. 70.

Can. 1.

Can. 3.
Homo interior suas vires habet quas virtutes vocamus.

Ioa. 5.
Homo interior auxilio speciali egei, vt operet.

Ioan. 15. facere potest. Sine me (inquit Christus) nihil potestis facere. Quando igitur animus hominis interior hæc omnia bona cælestia possidet, tunc filius Dei & est, & meritò appellari potest. Ita vt titulos insigniaque omnia veri filij Dei suscipiat. Nam si Dei verbum, verus appellatur, atque naturalis filius Dei. iustus etiam per gratiam, eodem nomine gaudet: quod affirmat D. Ioannes. cap. 1. inquiens: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et alio in loco ait: Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur & simus. Si Christus Dominus est lux vera huius mundi: iustus vocatur similiter lux mundi. Vos, inquit, estis lux mundi. Si Christus nominatur vitis: iusti vocantur palmites: si Christus, Deus verus dicitur: ipsi ob gratiam quam habent, dij appellantur: ego dixi dij estis & filij excelsi omnes. Tūc ergo infirmatur anima quæ filia Dei est: quando venenum aliquod edit, & intra se retinet. (Voluptas enim venenum est, quo piscatur diabolus filios Dei. Voluptas (inquit Plato) est malorum esca: tunc verò moritur, quando venenum in stomacho retentum, cor attingit: quando (inquam) voluptas quæ in memoria retinetur, voluntatem & consensum cōtingit: tunc de illa dici potest: Domine filia tua, modo defuncta est. Quòd tunc re vera vitam spiritualē amittat: amittit enim gratiam: amittit spirituales sensus, amittit vires, hoc est charitatem aliasque virtutes quatuor infusas: amittit Spiritus sancti charismata: auxilium denique peculiare, quo in via Dei mouebatur, & ambulabat. Atque ita misera quasi cadauer iacet, quasi corpus exanime & exangue cum lineamentis Christianæ fidei. Iacet enim mortua cum sola fide, spe, atque charactere in baptismate impresso. ¶ Hinc ergo intelligant peccatores omnes se esse verè mortuos. Sic enim eos Christus appellat apud Matth. c. 8. Accessit Philippus (vt author est Clemens Alexandrinus) & ait Domino. Domine permitte me primum ire, & sepelire patrem meum. Iesus autē ait illi: sine mortuos, sepelire mortuos suos. Et D. Paul. in priori Epistola ad Timot. cap. 5. ait: vidua quæ in delicijs est viuēs mortua est. ¶ Quid igitur faciendum, vt anima, vita Dei functa excitetur? Primùm necesse est, vt veniat Dominus, & imponat super eam manum suam. Imponere manū in sacra Scriptura, idem est, quod castigare, & punire. Sic enim Dominus ait cum filiam Sion mortuam iacere vidit: vindicabor de inimicis meis: & conuertam manum meam ad te. Et alibi ait: adhuc manus eius extensa. Solet ergo Dominus cum aliquem peccatorem excitare vult: primum illum aut amissione rerum temporalium, aut infamia aliqua, aut morbo, aliaue tribulatione percutere. Cuius rei figuram habes. 4. Reg. c. 4. Vt enim Elisæus suscitaret filium Sunamitidis paulo ante defunctum: prius pręmisit seruum suum, qui baculo suo puerum tangeret: sic etiam Dominus priusquam expergefaciat peccatorem, ad vitamque spiritualem reducat: illum baculo aduersitatis ferit. Et quemadmodum solet figulus vas confractum quod paulo ante formarat cōminuere, atque subigere, vt iterum illud fingat: sic solet Dominus. Ipse enim figulus hominum est: dicente Psalmista: qui fingit sigillatim corda eorū. Et alius Propheta: sicut vas in manu figuli, ita & vos in manu mea. Vas ergo fractum, hoc est, peccatorem conterit Deus aduersis, vt illum excitet: subigit malis, vt ad se redeat: pinsit tribulationibus, vt illum iterum fingat. Ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius: & vt faciat opus suum peregrinum est opus eius. ¶ Deinde solet Dominus puellam, hoc est, animam defunctam, manu sua tāgere, & voce sua vocare. Solet inquam illam, sua vi & iuuamine peculiari, iuuare: sicque illam ad vitam reuocat. Quemadmodum reuocauit puellam. Tenens (inquit Euangelista) manū eius clamauit & dixit, puella surge: & reuersus est spiritus eius. Sicut enim Leæna filios suos dormientes clamoribus & rugitibus suscitat: sic Leo verus de tribu Iuda, voce sua & clamore suo, hoc est, peculiari auxilio suo animos ad vitam spiritualem

Marginalia (left): Ioan. 15. — Iustus titulis multis insignitur. Ioan. 1. — 1. Ioa. 3. — Matth. 5. — Ioan. 15. — Psalm. 81. — Quando anima infirmari incipit. — Plato. — Quando anima moritur. — Omnes peccatores sunt mortui. — 3. Stromate. — Matth. 8.

Marginalia (right): 1. Tim. 5. — Quo pacto soleat Deus excitare peccatorem. — Imponere manum quid in sacra Scriptura. — Isai. 1. — Isai 9. — 4. Reg. 4. Figura. — Similitu. — Psalm. 32. — Ierem. 18. — Psalm 29. Isai. 28. — Auxilium Dei necessarium, vt quis à peccatis excitetur. — Similitu.

Section letters: A, B, C, D

tualem reducit. Et non solum redit anima, hoc est Dei gratia, in domiciliũ vbi fuerat egressa, verumetiam, vt alacris vegetaque ambulat in via Domini: cibaturque spirituali cibo, hoc est Eucharistiæ sacramento. ¶ *Puella surge*. D. Marcus. cap. 5. sic refert. Thalita, cumi, quod est interpretatum, puella, tibi dico, surge. D. Hieronymus de optimo genere interpretandi hunc nodum suis aduersarijs opponit. Dominus, inquit, tãtum dixit: Thalita cumi, puella surge, quare igitur Euangelista de suo adiecit, tibi dico, cum Hebraicé tantum sit, puella surge? Qui nodus sic est dissoluendus. Primum dices ex D. Hieronymo, interpretis esse non semper verbũ verbo reddere. Multoties enim Aquila Iudæus, Symmachus & Theodotio perspicuitatis causa verba addere sunt soliti. Quod sæpe fecisse D. Hieronymum, ipsemet confessus est. Vnde in Epistola ad Suniam & fretellam, & alijs locis, & in præfatione in Iob ait: rusticum esse interpretem, qui semper verbum verbo reddat. Maioris ergo explicationis causa addit interpres, tibi dico. Secundò respondendum est, id quod mihi magis persuassum est: dixisse, scilicet, Dominũ Hebraicé omnia illa, puella, tibi dico, surge. Noluisse tamen Marcum Euangelistam Hebræo incognito sermone referre, nisi tantum duo verba Thalita cumi, cætera quæ non dixit Hebraicé, ne grauis esset auditoribus, dixisse Græcé ea lingua quam omnes intelligebant. Dixit ergo Christus Dominus illa, & quæ Euangelista postea addidit. Quod si Lucas solum retulit: puella surge: & non omnia illa, puella tibi dico, surge. Quid tum? Quod siluit Lucas, addidit Marcus.

Marc. 5.

Hieron.

¶ *Quibus præcepit ne alicui dicerent, quod factum erat.* Quo nos docere voluit, vt in leuioribus erratis sufficere secretam correptionem. Puella enim mortua, vt modo diximus, designat hominẽ per imbecillitatem collapsum in culpã. Mors adhuc erat recens, cadauer nondũ prodierat in publicum. Itaque exclusa turba, res paucis testibus peracta est. Vt hac figura doceret in similibus peccatis

In leuioribus peccatis sufficit secreta correptio

A sufficere, vt diximus, secretam monitionem. Vnde Christus Dominus si peccauerit in te frater tuus corripe eum inter te, & ipsum solum. ¶ *Quibus præcepit ne alicui dicerent, quod factum erat.* Quasi cupiens hoc miraculum paucis esse cognitum. Quo etiam nos instrueret, atque doceret, non venandam esse ab hominibus benefactorum gloriam, sed à Deo. Hanc ob causam etiã cæcis quibus oculos aperuerat dixit: Videte ne quis sciat. Et leproso curato. Vide nemini dixeris: B eandem etiam ob causam ædito miraculo de quinque panibus, compulit discipulos statim ascendere nauiculam. Fugiamus igitur exemplo Christi & venari non curemus ab hominibus gloriam: quoniam omnis illa vana & caduca est: imo nihil prorsus est. Dicente Domino: si ego gloriam meam quæro gloria mea nihil est. Stultum sanè est, mundi gloriam quæ nihil est, aut veluti punctũ est, sempiternæ gloriæ anteponere. Stultum est (inquit Gregor.) inde transitoria quærere, vnde æterna possumus habere. Item D. Bernardus sic ait: non tutum C sanè, sed stultum est ibi thesaurum tuũ recondere, vbi non vales resumere cũ volueris. Si ponis in os meum non in tua, sed in mea potestate, cum vtique pro meo libitu, vel te laudare possim, vel derogare tibi. Sanum vas & inconcussum est conscientia, & seruandis secretis idoneum, nullis patens insidijs, nulli violentiæ cedens, nulli quippe oculo, vel manui accessibilis, excepto dumtaxat spiritui, qui scrutatur etiam profunda Dei: quicquid ibi reposuero securus sum, quia non perdam, seruabit viuo, defun D cto restituet. Nam quocunq; vado ipsa mecum iter facit, secum ferens depositũ quod seruandum acceperat: viuo adest, mortuũ sequitur vbique gloria, vel confusio inseparabilis pro qualitate deposita. Hęc Bernard. Contemnamus ergo ab hominibus captare gloriam benefactorum, vt à Deo illam venemur. Quoad fieri possit nesciat sinistra nostra quid faciat dextera nostra si premium pro studiosis actionibus amittere nolumus.

Matt. 18.

Non venanda est ab hominibus gloria, sed à Deo cum bonum facimus.

Matt. 10.

Matth. 8.

Matt. 14.

Ioan. 8.

D. Greg.

Bernard.

CAP.

CAP. IX.

Instruuntur Apostoli ad docendum et turba cibantur pane.

Matt. 10. Marc. 6.

CONVOCATIS autem Iesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem, et potestatem super omnia dæmonia, et vt langores curarent. Et misit illos prædicare regnum Dei: et sanare infirmos. Et ait ad illos, nihil tuleritis in viam, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam: neque duas tunicas habeatis. Et in quācunque domum intraueritis, ibi manete, & inde exeatis. Et quicunque non receperint vos: exeuntes de ciuitate illa, etiam puluerem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos. Egressi autem circumibant per Castella euangelizantes & curātes vbique.

Matt. 10. Mar. 6. Act. 13.

A *Conuocatis autem Iesus duodecim Apostolis.* Hactenus Dominus per se gessit Euāgelij negotium, duodecim Apostolos interim varijs modis instituens velut post acceptum Spiritum sanctum in prędicandi munus successuros, Eoque factorum ac sermonum suorū perpetuos testes esse voluit. Verùm vt interim ipsi quoque specimē aliquod sui darent in tanti muneris functionem, & viuo adhuc Domino sui periculum facerent: cōuocauit eos omnes in vnum, ne quid in prędicatione discordarent. B Vt etiam hoc exemplo omnes cōcionatores Euangelicos instrueret, atq; doceret, ne in doctrina dissentirent: sed omnes idem saperent, idem sentirent, eadem docerent. Discordia enim in prædicatione maximé nocet auditoribus, ideo D. Paulus in Epistola ad Philip. c. 2. ait: si qua ergo cōsolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus (id est, si mecum aliquam Spiritus sancti communicationem accepistis) si C qua viscera miserationis, implete gaudium meum (id est, consumate & perficite gaudium meum) vt idem sapiatis, vnanimes, id ipsum sentientes: nihil per contentionem, neque per inanem gloriam. Si enim diuisi sint prædicatores Euāgelici opinionibus & affectionibus, & negotium Euangelij per contentionem, & per vanam gloriam tractent, nihil omnino proficient. Hoc idem hortatur idem Paul. in Epistola ad Rom. c. 15. inquiens, Quæcunque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, id est, ad D nostram instructionē scripta sunt. Deus autē det vobis id ipsum sapere in alterutrum secundum Iesum Christum. (Id est, mutuo inter vos & vnanimiter, idem sentire: neque de hoc, aut illo digladiari.) Vt vnanimes, vno ore honorificetis Deum & patrem Domini nostri Iesu Christi.

Non debent prædicatores Euangelici in prædicatione discordare. Philip. 2.

Rom. 15.

¶ *Dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia & vt langores curarent.* Dedit Dominus Apostolis virtutem ædendi miracula ne prædicatio humilium & idiotarum careret autoritate. Hæc

1. Ratio. Quare dedit Apostolis Christus authoritatem faciendi miracula.

Hæc fuerũt propugnacula argẽtea, quæ ędificauit Deus primitiuæ Ecclesiæ, vt illis sese ab hostib9 spiritualib9 defẽderet ac protegeret. Hoc est, quod Can. c. 8. significatur his verbis: soror nostra paruula est. Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est? Si murus est, ędificemus super eam propugnacula argentea. Soror paruula Ecclesia est Apostolorum, atque aliorum fidelium tunc temporis existentium: Ecclesia illa murus profecto fuit: id est, ita fortis, vt tormenta & opprobria sustinere posset. Quemadmodum murus erat ille cui Dñs olim dixerat: ego quippe dedi te hodie in ciuitatẽ munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum, & bellabunt aduersum te, & non præualebunt, quia tecum ego sum. Propugnacula verò quæ Dñs ædificauit super eam: miracula fuerunt, quæ imo argentea dicuntur, quia adiuncta erant eloquijs Dñi & prædicationi Euangelij: eloquia enim Dñi eloquia casta, argentũ igne examinatũ. Non enim dedit Dñs Apostolis virtutem miraculorum, nisi vt eorũ prædicatio haberet authoritatem. ¶ Hæc miracula etiam figurata fuerũt in muneribus quæ dedit Abraham seruo suo danda vxori copulandæ filio suo Isaac. Genes. enim. c. 24. sacra refert historia, quod seruus Abraham tulit decẽ camelos de grege Dñi sui, & abijt, ex omnibus bonis eius portãs secum: & tandem ea cõtulit Rebeccæ. Seruus hic, chorus Apostolorũ erat (inquit Ruper.) qui sapiẽter pro re & tempore, sic abijt, scilicet, cum decem camelis, ex omnibus bonis Domini sui portãs secum. Præsentibus namq; honoribus debebat instrui puella, vt non paruas viri, aut soceri sui sciret, speraretque diuitias. Ex præsentium, scilicet, gloriosa testificatione miraculorum cognouit ipsa, quæ petebatur Christo, sponsa, quòd verè magnus, & potens, diuesq; esset ille, in cælo & in terra. Quid porro (quæres) sibi voluerũt decem cameli, quos tulit de grege Dñi sui? Ea nimirum quæ grauiora erant legis, qualia delinquentes illi menthæ, & aneti decimatores, rectè tali elogio denotati sunt, vt diceretur de illis, culicem liquantes, & camelum glutientes. Idcirco rectè decem sunt cameli: quia videlicet decem præceptis, quæ in tabulis scripta sunt digito Dei, continetur omnis vera iustitia legis, quam solam seruari oportet in Euangelio Christi: reiectis omnibus iustitiis carnis, quas Apostolus detrimentum facit pro Christo, & arbitratur vt stercora. Lege Rup. in Gen. li. 9. c. 40. Ecce hanc figurã ad verbũ impletam hodie. Conuocatis enim duodecim Apostolis dedit illis Dñs virtutẽ ædẽdi miracula & misit illos prædicare regnũ Dei. Cõgruebat etiã, vt qui sua doctrina mittebãtur ad expellẽdũ dæmonia ex animis hominũ, potestatẽ haberẽt ea expellẽdi ex illorũ corporibus. Congruebat, inquã, vt qui regnum Dei prædicarent, haberent ius in impios dæmones, hostes Dei. Ad id enim Apostoli missi sunt, vt absorberent diabolum qui per peccata mentes hominum contriuerat. Quod significare volens Propheta Isaias, cap. 14. Dæmonum cætui, sub figura Philistææ alloquens ait: ne læteris Philistæa omnis tu, quoniam contrita est virga percussoris tui. De radice enim colubri egredietur regulus: & semen eius absumens volucrem. In quibus verbis (inquit Vgo de sancto Victore) quatuor hominis status notantur: videlicet ante lapsum & peccatum, lapsus eius, redemptio, diaboli interitus. Virga est rectitudo primi parentis ante peccatũ, percussor est, ipse parẽs: cuius inuidia ipse diabolus percutiebatur. Sed hæc virga contrita est, quoniam per peccatum, rectitudo hominis est amissa. Quia ergo virga. i. rectitudo percussoris diaboli contrita est, lætabatur diabolus. Ostendens autẽ nõ esse ei lætandũ, & volens propheta humanũ genus cõsolari; de quo quia illud in carcere detinebat diabolus exultabat: insultans contra ipsum humani generis inimicũ ait: ne læteris Philistęa. Quæ potionẽ interpretatur, diabolũ notat: qui potione superbiæ inebriatus à natiuo sensu & cælesti gloria cecidit: qui quod humanũ genus teneat, propterea exaltari nõ debeat, notatur cũ dicitur: de radice colubri egredietur regulus. Coluber genus humanum

Marginalia: Can. 8. Nota. — Hier. 1. — Figura notanda. Genes. 24. — Rupert. — Matt. 23. — 2. Ratio. Quare Apostolis data est potestas ædẽdi miracula. — Isai. 14. — Vgo.

est: cui mors per serpentem illata est. Hic est serpens de quo legitur, quod virga de manu Moysi proiecta, versa est in serpentem: cuius caudam dum Moyses apprehendit, in virgam serpens redijt. Virga genus est humanum: quod erat ante peccatum quasi virga propter bonæ voluntatis & operis rectitudinē: de quo dicitur: redemisti virgam hæreditatis tuæ, &c. Hæc erat in manu Moysi, id est, in Christi manu: ante peccatum, virga: propter rectitudinem in primis parētibus. Mox autem propter peccata eiecta de manu Dei in serpentem vertitur. Quia genus humanum tunc & mortale per naturam, & tortuosum factū est per maliciam. Sed quia in nouissimis diebus ad immortalitatem & bonitatē per gratiam redijt: quasi apprehensa cauda in pristinam rectitudinem virga conuertitur. Ex huius colubri radice, id est, ex principio generis humani egreditur regulus. Id est, Christus, quia Christus inter mortales, ita superior fuit, sicut regulus rex serpentum dicitur: Cuius semen, id est, Apostoli absorbebit volucrem, id est, diabolū. De istis volucribus dicitur. Et volucres cæli comederunt illud. Confundatur ergo, & timeat diabolus, quia semen reguli, id est, Apostoli Christi absorbebit volucrem, id est, diabolum in membris Dominicis dissipabit, Domino ei dicente. Macta & manduca. Hactenus Vgo. Si ergo Apostoli mittebantur, vt absorberent dæmones hostes & inimicos Dei æquum erat, vt ius & potestatē in illos haberent.

Vgo. 3. p. tit. 48.

¶ *Et vt langores curarent.* Decebat etiā vt qui mittebantur ad prædicandum eā doctrinā, quæ sanatura erat omnes morbos animorum, virtutes haberent sanandi morbos corporum. Vt exēplo sui magistri verè langores nostros ipsi ferrent, & dolores nostros ipsi portarent. Simulque consentaneum & æquum erat, vt ad Euangelij professionem homines beneficijs potius quam terroribus allicerētur. De qua re alias prolixius diximus.

Apostolos mittendos ad prædi-

¶ *Et misit illos prædicare regnum Dei.* Apostolos mittendos ad prædicandum regnum Dei, præuiderat olim Zachar. c. 1. Vidi, inquit per noctem, & ecce vir ascendēs super equum rufum, & post eū equi rufi, varij, & albi. Et dixi, qui sunt isti Dñe mi? Et respondit vir qui stabat inter myrteta, & dixit. Isti sunt quos misit Dñs, vt perambulent terrā. Quæ verba exponens D. Hiero. sic ait: noctem in qua cernitur visio, obscuritatē mysticæ visionis intelligunt Ecclesiarū magistri. Posuit enim Deus tenebras latibulū suū. Vir autem qui ascendebat super equum rufum, Dñs atq; saluator est: qui dispensationem nostræ carnis assumēs audit in Isaia: quare rubra sunt vestimenta tua? Hic qui nūc captiuo populo rufus ostēditur: in Apocalypsi Ioannis in candidis vestibus & in candido equo sedere describitur. At equi rufi, varij, & albi Apostoli sunt & Apostolici viri, qui totū orbē rufi, & varij & albi peragrasse memorantur: quorum alij martyrio coronati sunt. Et appellātur rufi. Alij operibus & doctrina & varietate signorū, varij nuncupantur. Alij virginitatis integrorūq; dogmatum, & puri cordis, quod cernit Deū, premia susceperunt. Denique interrogat propheta eundē virū & angelum qui stabat inter myrteta: qui respōdit ei & dixit: hi sunt quos misit Dñs, vt perambulent terram. A Dño enim missi sunt Apostoli, vt totū orbem Euangelica prædicatione complerent. qui postquam explеuerūt opus reuersi sunt ad magni cōsilij angelum, qui stabat inter eos: & dixerūt ad eum quod Zacharias addit: perambulauimus terram, & ecce omnis terra habitatur & quiescit. Quæ ante deserta erat à Deo, nunc habitatio eius est: quiescit à bellis: à vitiorū prælijs atque peccatis: quia hæreditatē Dñi suscepit reuertentis ad patrem atque dicentis: pacem meam do vobis: pacem relinquo vobis. Hæc ex Hieron. imo paucis mutatis. Ecce visionem hanc Zachariæ hodie adimpletā. Misit enim Dominus Apostolos suos vt regnum Dei prædicarent per ciuitates illas, missurus eosdem post resurrectionem suam in totū orbē. ¶ Hoc idem alia visione significare nobis voluit idem propheta Zacharias. c. 6. dicens: & vidi & ecce quatuor quadrigæ egre-

candū regnum Dei præuideat Zach. c. 1. Figura. Vi. etiam in hæc verba gloss. D. Hiero.

Psalm. 17.

Isai. 63.

Apoc. 3. & 6.

Equi rufi Hispanè alazanes dicuntur.

Ioan. 14.

Zach. 6. Figura.

ægredientes de medio duorum montiũ in quadriga prima equi rufi: in quadriga secunda equi nigri, & in quadriga tertia equi albi, & in quadriga quarta equi varij & fortes. Et dixi ad Angelum qui loquebatur in me: quid sunt hæc Domine mi? Et respondit Angelus & ait ad me: isti sunt quatuor venti cæli qui egrediuntur, vt stent coram dominatore omnis terræ. Et dixit: ite & perambulate terram, & perambulauerunt terram. Legi (inquit Hieron.) in cuiusdam volumine quatuor quadrigas in quibus sunt equi rufi & nigri & albi & varij ac fortes, quatuor Euangelia intelligenda, & equos, Apostolos per diuersitatem colorum diuersas gratias possidentes: quorũ alij rufi sunt in martyrio: alij obscuri & nigri, & Christi mysteria cognoscentes: de quibus dicitur in Psalmis: caligo sub pedibus eius: & posuit tenebras latibulum suũ. Alij albi gratia virginali, alij varij & fortes, habentes gratiam curationũ diuersarumq; virtutũ. Hæc quadrigæ quatuor siue currus missi sunt in quatuor ventos cæli, id est, ad cardines mundi, & vniuersum orbem terrarum: vt explerent Domini voluntatem: quibus postea infertur ab Angelo: ite & perambulate terram, & incunctis terrarum finibus Euangelium seminate. Hæc D. Hieron. ¶ Hi sunt Angeli quos misit Dñs, fecitque spiritus suos: fecit etiã ignẽ vrentem. Pro qua re maximas agit gratias regius vates Psal. illo. 103. dicens: Benedic anima mea Dño. Qui facis angelos tuos spiritus & ministros tuos ignem vrentẽ. Id est, qui facis nuncios tuos Apostolos, scilicet, qui nomen tuũ vbiq; gentium annuntiabunt, spirituales in intelligentia, ac si dicat: licet eorum excedas subtiles considerationes, tamen erunt in intelligentia spirituales. Vnde per Iohelem prophetam dicitur: Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Angeli quippe nuntij interpretantur. Et eosdẽ Angelos existentes ministros tuos in administrando alijs præcepta tua, facis ignem vrentem, id est, comparabiles igni, in ea natura qua ignis vrit. Sicut enim ignis vrendo sordes auri, vel argenti expiat & consummit, ita & ipsi doctrinæ suæ castigatione peccantes vrendo, eorum sordes peccatorum destruent. Hæc Sanctus Bruno, in hunc locum.

D. Hiero. — Psalm. 17. — Vid. Rup. & gloss. in prædicta verba Zachar. — Apostolos missos ad prædicandum fecit Deus spiritus suos, fecit etiã ignẽ vrentem. — Psal. 103.

¶ *Et misit illos prædicare regnum Dei.* Omnes duodecim Apostolos misit. Itaque Iudam misit, vt prædicaret verbum Dei, & multos ad fidem traheret: itaque (inquam) Apostolorum nullus inutilis fuit, sed vtilissimi omnes: ita vt & Iudas dicere tunc posset: annunciaui, & locutus sum, & multiplicati sunt super numerum. Vnde optimè dicebat sponsa in Cãticis & sterilis non erat in eis. Vt hinc discas quanta sit sapientia & potentia Dei, qui malis prædicatoribus & iniquis cõcionatoribus bene vtitur: vt ad seper os illorum prædestinatos ad fidem & gratiã trahat. Malos igitur & impios exemplo Christi tolerare debemus, quando illis ad vtilitatem nostram vtitur Deus. De qua re vide Aug. lib. 18. de Ciuit. Dei. c. 49. Habuit (inquit Aug.) Dñs inter Apostolos vnum, quo malo vtens bene, & suæ passionis dispositum impleret, & Ecclesiæ suæ tolerandorum malorum præberet exemplum. Si ergo Dei concionator & preco factus es, tibi caue si sapis. Castiga corpus tuum & in seruitutem redige: id est, tibi subige corpus tuum, & si quando in serui morem contumacis lasciuere inceperit, castiga illud: ne cũ alijs prædicaueris ipse reprobus efficiaris. Sic enim faciebat Paulus, vt ipse testatur in priori ad Cor. epis. c. 9. omni enim vitio curet carere, qui regnũ Dei prædicare solet. Vt enim tuba dũ sonitũ emittit manibus tenetur, sic contio manibus, hoc est concionatoris operibus sustentatur. Voces enim & actiones simul iũctæ harmoniã & concentũ excellentem efficiũt. Opus est vt & tuba sonet, & manus sint ad eã tenendã eleuatæ. Quod si hæc ita non fiant, peribit miser concionator, perpetuasq; pœnas dabit: quales dedit concionator Iudas, quem hodie Dominus misit ad prædicandum regnũ Dei.

S Bruno. — Iniquis cõcionatoribus bene vtitur Deus. — Psalm. 39. — Can. 4. — D. August. — 1. Cor. 9. — Similitu.

¶ *Et ait ad illos nihil tuleritis in viam, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam.* Causas ob quas hoc ad tempus, præcepit Apostolis Dñs: assignant sancti. Prima, vt ostenderet, alimenta & ad vitã corporis necessaria,

Assignatur causa huius præcepti. Prima.

ab illis deberi, quibus regnũ Dei prædicabant. Vt D. Hiero. docet. Secunda, ne remoraretur illos ab Euãgelico negotio solicitudo rerũ ad prędictã vitã corporis sustentandã, necessariũ. Vt D. Greg. vult. Tertia, vt totam spẽ suam in Deũ collocarent: Vt Cyril. tangit. Quarta vt prouidentia tanti magistri ostenderetur cũ nihil illis aliquando deesset. Vnde apud eũdem Lucã. c. 22. idẽ Dñs ait: quãdo misi vos sine bacculo, & pera & calciamẽtis: nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt, nihil. Tandẽ, vt ista non haberẽt in superfluos vsus, aut propter ista prędicarent regnũ Dei. ¶ Hic obserua, quod hæc mandata data in hoc capite discipulis, & Matth. 10. & Mar. 6. licet fuerint præcepta, nõ tamẽ data fuerũt in perpetuũ, sed (quod superius diximus) ad tempus illud, quo mittebantur in Iudæã, ante Christi passionẽ, ad verbũ Dei prædicandũ: Indigebãt enim, adhuc quasi paruuli & rudes, sub Christi cura viuentes, aliquibus peculiaribus præceptis, quibus instruerentur, quæ accipere solent subditi a suis prælatis. Maxime quod paulatim exercitandi erant, vt rerũ omniũ temporalium solicitudinem abdicarent, vt redderentur idonei ad Dei verbũ per vniuersum terrarũ orbẽ prædicandũ. Hæc autem temporalia præcepta, imminẽte passione abstulit Dñs: iã in illis, sufficienter exercitatis Apostolis. Vnde dixit eis: quãdo misi vos sine sacculo. Sed nũc qui habet sacculũ tollat similiter & peram. Quasi iã immineret tẽpus perfectæ libertatis quo suo vnusquisq; illorũ dimitteretur arbitrio. Secũdò dicere possumus (vt Aug. ait) hæc nõ fuisse præcepta, sed concessiones. Concessit enim, vt possent abire ad prædicandũ regnũ Dei, sine pera, baculo, auro & pecunia, tanquã potestatẽ habentes accipiendi, ad vitã necessaria, ab auditoribus. Vnde subdit: dignus est enim operarius cibo suo. Quasi illis diceret: anda no cureys de lleuar nada, q̃ no os faltara lo necessario, q̃ pues lo trabajays, ellos os lo darã como es razõ. Quare nõ peccarẽt Apostoli, ad vitã necessaria secũ ferendo ne essent oneri auditoribus: Quẽadmodũ nõ peccauit Paulus nõ accipiẽdo cibũ à Corinthijs quibus prædicabãt: sed laborabat manibus suis, vt inde vitã sustentaret. Sed ais. Marcus. c. 6. scribit: quod Dñs præcepit eis ne quid in via tollerẽt. Nõ ergo fuit concessio, sed peculiare præceptũ. Hoc tñ argumentũ nõ conuincit. Nã aliquando præceptũ in Scriptura sacra, nõ eo rigore sumitur, quo ibi, hoc est præceptum meũ, vt diligatis inuicẽ: sed sumitur pro admonitione aliqua. Vt est illud Mar. c. 7. pręcepit, inquit, eis vt nemini dicerẽt. Et capite superiori: præcepit (inquit Lucas) ne alicui dicerẽt quod factum erat. Graue profecto & durũ videretur esse, dicere: illos peccasse, quod diuulgassent miracula, tã pręclara à Christo facta. Fuit ergo potius ibi datũ documẽtũ: quo docere voluit, vt D. Greg. ait: vitandas esse humanas laudes, neque venandã esse ab hominibus benefactorũ gloriã. Vt. c. pręcedẽti annotauimus. Sic modo non ista interdixit Dñs: sed ob causas in principio assignatas monere voluit, vt nihil portarent in viã. Lege Beatũ Antoni. 1. p. suæ sum tit. 15. c. vni. §. 5. & 4. p tit. 12. c. 4. §. 24 ¶ Cæterũ vide, quæ annotauimus Matth. 10. inter explicandum literã istorũ verborũ. ¶ *Nihil tuleritis in viã.* Obserua quod filijs Israel pręcepit Dñs, vt secũ tollerẽt ex AEgypto alimẽta, & vasa argẽtea & aurea. Apostolis verò, vt nihil tollerẽt in viã. Vtrũq; diuino cõsilio factũ est. Quod in solitudine futura esset penuria rerũ ad vitã necessariarũ, ideò Iudæis præcepit, vt secũ illa afferrẽt: quod verò in ciuitatibus harũ rerũ esset abundantia, ideò Apostolis mandauit ne aliquid secũ portarent. Lege Tertulianum aduersus Marcionem. lib. 4.

Secunda. — Tertia. — Quinta. — Luc. 22. — Quinta. — Hoc mandatum si fuit præceptum obligãs, illud fuit ad tẽpus. — Luc. 22. — Dici põt non fuisse illis impositum præceptum. — 2. Cor. 4. — Obiectio. Marc. 6. — Responsio Præceptũ in sacra Scriptura quomodo accipitur. Marc. 7. — Sup. c. 8. — D. Greg. — Vi. etiam D Thom. opus. 142. c. 18.

¶ *Neque duas tunicas.* Lege binas tunicas, id est, singuli duas. ¶ *Et inde ne exeatis.* Græcè. Et inde exite. Quam versionẽ habẽt emẽdati codices. & hãc explicabo. ¶ *Et in quãcunque domũ intraueritis ibi manete: & inde exeatis.* I. illic manete & illinc exite. Hebra. Dicendi forma, qua monet Apostolos, vt vnis tantũ vtantur ædibus. Quasi diceret: vbicunq; cognoueritis esse dignos regno Dei, ad illos diuertite, ne subinde aliunde alio demigrantes, delicias quæsisse videamini. Sed contenti his, quæ illic repereritis, tã diu

diu manere apud illos, donec Euangelij profectus hortabitur vos vt alio proficiscamini.

¶ *Puluerem excutite pedum vestrorum.* q.d. sicubi euenerit, vt nemo vos recipiat, agnoscite dignitatẽ vestri muneris, neq; conemini inuitis obtrudere, quod ab omnibus oportet expeti, cõtinuo relinquite ciuitatẽ illã, adeo nihil ab illis accipientes, qui reijciunt vestrã prædicationẽ, vt etiã puluerẽ, qui forte pedibus vestris hæsit, excutiatis in illos, testificantes quod gratis illis annuntiaueritis regnum Dei, & quod ipsi se reddiderint indignos tanto munere gratis oblato. ¶ Cæterum, mysticé hæc verba explicat D. Hieron. in Ezech. c. 42. vbi propheta vidit pauimentum atrij exterioris vino stratũ lapide. Nimirum vt nec æstatis puluere, nec luto hyemis sacerdotũ vestigia polluerentur. Vnde & Dñs (inquit Hieron.) ascensurus ad patrem Apostolorũ lauat pedes: vt mundatis purgatisq; vestigijs, scandant regna cælorũ, & imperat Apostolis, vt in quamcunq; ingressi fuerint ciuitatem, & non susceperint eos: excutiant pedum suorum puluerem, quo scilicet, nihil munerum terrenorum ab eis apud se remanere patiatur. Hæc ille. Adde his: quod excutiendi sunt ab Apostolicis prædicatoribus, etiam peccatores renuentes suscipere verbum Dei. Tales enim pulueri comparantur Psalm. 1. nõ sic impij non sic: sed tanquã puluis quẽ proijcit ventus a facie terræ. Et merito quidem. Puluis enim ascẽdit sursum, sed fauore venti, sic impius ad dignitates aliquando euehitur, sed per medium vanitatem. Puluis est terra in aere, sic peccator terra est elata in medio aere constituta. Puluis ascendens obcæcat oculos, sic impius lædit iustos. Puluis coinquinat, sic nefarius homo sermonibus suis impuris, moribúsque deprauatis alios cõtaminat, illisque tetram maculam, atque labem inurit. Hic ergo puluis excutiẽdus est à pedibus Apostolicorum virorũ, cũ resistat veritati: cum non recipiat Euangelium: cum sese indignum reddat regno Dei gratis oblato. ¶ *Circuibant per Castella.* Vel obibant vicatim.

D. Hiero.

Per puluerem munera intelliguntur.

Per puluerem impij significantur.

Psalm. 1.

Vdiuit autem Herodes Tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo: et hæsitabat eò quod diceretur à quibusdã, quia Ioãnes surrexit à mortuis, à quibusdã verò, quia Elias apparuit. Ab alijs autem, quia propheta vnus de antiquis surrexit. Et ait Herodes: Ioannem ego decollaui, quis est autẽ iste de quo ego talia audio? Et quærebat videre eum.

Matt. 14. Marc. 6.

HErodes Tetrarcha. Lege quæ annotauimus Matt. c. 1. explicãdo literã illã in diebus Herodis regis.

¶ *Audiuit omnia quæ fiebant ab eo.* Lege quæ facta erant ab eo. Prædictis rebus adeo celebris facta est fama Iesu, vt rumor omnium quæ gesserat, permanarit ad Herodem Tetrarcham. Cum enim Iesum ignoraret, & audiret esse quendã, qui iussu propelleret dæmones, fugaret morbos, restitueret mãcos, & cõtractos, mundaret leprosos, excitaret mortuos: hæsitabat, hoc est, erat ancipitis perplexiq; animi quisnã esset hic subito exortus. ¶ Illud autẽ considera, quod rumor iste omniũ quę gerebat Dñs, ad aures huius tyranni peruenit post mortem Ioannis. In vltimo. s. anno prædicationis Christi. Vt hinc colligas pessimorum principũ morẽ: qui vt tyrannidẽ suam conseruẽt, auriculas asininas, hoc est, prolõgas, & asininarũ instar prominentes habeãt: ad salutẽ vero animi sui, aut nullas, aut paruissimas. Habẽt, inquã, iniqui principes, vbiq; sub asculatatores ac coryceos, à se dimissos, per quos quæcunque per omnem regionẽ vel fiunt, vel dicuntur, cognoscant, nimirum illis vtentes aurid vice: vt sic rebus omnibus citò compertis suam tyrannidem exerceãt at qui vera il-

Tyranni oblongas habent aures ad tyrannidem suam conseruandã. breues autem ad salutem animi parandam.

re illis prædicent, qui sibi salutaria monita præbeant nullos aut paucos habet. Sero aut nunquam quæ ad animi salutē expectant, audiunt. Celebrem illam niniuem iam Ionas prædicatione sua repleuerat: antequam ad aurem regis preconium cæleste perueniret. Ad malū ergo, principes iniqui, aures midæ olim tyranni habent: ad bonum verò, aures habent & non audiūt, stolidiq; sunt. Quos regius vates hortatur dicens: & nunc reges intelligite erudimini qui iudicatis terram seruite Dño in timore & exultate eum cum tremore. Obserua illud verbum, & nunc, dixerat superius: tunc, loquetur ad eos in ira sua: propterea modo ait: & nunc reges intelligite: quasi diceret: non satis crassi & tardi ad intelligendum, neque sero sapiatis, sed iam iā arrigite aures & intelligite: stote soliciti de vestra salute, ne subito veniat ira Dei & pereatis miserabiliter. Miser iste Herodes attentas habebat aures ad audiendū quæ ad suam tyrannidem conseruandā pertinebant: at rumor verbi Dei, atque celebris fama Christi sero ad eū peruenit. Atque non solum sero resipiscere noluit, sed Christū illusit: quapropter miserabili perpetuoq; damnatus exilio, grauiterq; cruciatus interijt. Vt adimpleretur quod in prædicto Psalm. 2. regius vates prædixerat de illo, atque de cæteris Iudæorū primoribus: tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos. Et hoc illi accidit: quod noluit apprehēdere disciplinā: siue (vt alia versio habet) quia noluit osculari filium. Id est, amplecti filium Dei toto mentis affectu, aut illi subditum esse. (Osculū enim manuum in Palæsthina, signū subiectionis erat,) ideo iratus est Dñs, & miser homo miserabiliter perijt, vt iam diximus. Apprehendite ergo reges & iudices terræ disciplinam, siue obsculamini filium, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.

Ionæ. 3.

Psalm. 2.

Psalm. 2.

¶ *Et ait Herodes: Ioānē ego decollaui.* Herodes sibi metuens si Ioannes reuixisset, quem occiderat, & incredibile ducens, vt homo semel extinctus reuiuisceret dicebat: Ioannē ego decollaui. Quo

A sublato, putabat neminem superesse, qui magnum aliquid auderet. ¶ Sed interim obserua obsecro, atq; alta mente considera Dei iudicia. Qui reges impios suscitare solet ad suorum afflictionem & pœnam. Suscitauit Pharaonem, vt filios Israel premeret: suscitauit hunc Herodē, vt Ioanné decollaret, atque filium eius Christum illuderet: suscitauit alterum Herodem, vt innocētes interficeret: suscitauit Romanos, vt Hierusalem obsiderent. Secundum illud quod prædixerat Abacuc. c. 1. Ecce, inquit, ego suscitabo B Chaldæos, gentem amaram & velocem, ambulantem super latitudinem terræ, vt possideat tabernacula non sua. Appellat Propheta Romanos, nomine Chaldæorum & Babyloniorū. Quo loquendi modo vsus est, etiā D. Petrus, salutat, inquit, vos omnis Ecclesia in Babylone (id est, in Roma) collecta. Quod si huius rei causam scire desideras audi quid Rupertus dicat. Interdū (inquit) expedit populo Dei, vt qui malus est, fiat etiam potens, fitque in manu Dei virga furoris, & baculus indignationis, & inde cōmoda illa C prouenjunt, quæ Salomon loquitur in parabolis, pestilente flagellato, stultus sapientior erit: si autem corripueris sapiētem, intelliget disciplinam. Impios ergo reges non facit Deus esse malos, sed cum mali sint, in regiā potestatē eos aliquādo suscitat, quia sic expedit. Lege Rupertū Abbatē. lib. 1. in Abacuc. c. 1. Suscitauit ergo Deus impiū Herodē, vt Iudæi humiliores facti emendarentur, vt D. Ioannes gloriosus martyr efficeretur, vt pro nobis Christus Dñs illuderetur. Suscita- D uit Romanos, vt impij Iudæi punirētur: vt saltem pœnæ formidine reliqui ad se redirent. Suscitauit Pharaonem, vt afflicti filij Israel clamarent ad Dominum, & Dominus exaudiret eos.

Suscitat Deus impios reges ob populorum atque suorū vtilitatem.

Abac. 1.

1. Pet. 5.

Rupert.

Prou. 19.

Rupert.

¶ *Et quærebat videre eum.* Non quærebat Herodes occasionem vidēdi Christum, vt melior fieret, sed vt suæ satisfaceret curiositati: itant, si videretur, idem huic faceret, quod fecerat Ioanni. Iesus autem cum hæc non ignoraret, non fecit illi sui copiam. Non enim in hoc venerat, vt miraculis suis pasceret oculos

Quare quærebat Herodes videre Christū.

los impiorũ principum, sed vt simplices ad salutem adduceret: nec placebat decollatio, qui sibi destinarat sublime crucis vexillum. ¶ Hoc morbo curiositatis laborat omne genus hominum. Curiosum (inquit Aug.) genus hominũ ad cognoscendum vitam alienam, desidiosum ad corrigendum suam. Curiositate (quæ est quædam inuestigatio superflua ad se non pertinentium) laborant reges: vt in hoc impio Herode videre est, qui non vt studiosior efficeretur, sed vt suæ satisfaceret curiositati Christum videre desiderabat. Et in Dauid Rege, qui numerare fecit omnes tribus Israel à Dan vsque Bersabeth, vt sciret numerum eius. Laborant sacerdotes, qui dimissis Euangelijs (inquit Hieronym.) & prophetijs, videmus comœdias legere, & amatoria bucolicorum versuum verba cantare. Laborant Theologi quorum nonnulli nugas tenent, & fonte veritatis amisso opinionum riuulos consectantur. Laborãt Philosophi, qui desertis virtutibus, & nescientes quis sit Deus, & quanta sit maiestas semper eodem modo manentis naturæ, magnum aliquid se agere putant, si vniuersam istam corporis molem, quã mundum nuncupamus, curiosissimè perquirant. Vnde etiam tanta superbia gignitur, vt in ipso cælo de quo sæpè disputant, sibimet habitare videantur. Laborant isti liberalium artium cõsectatores, quorum exercitatio molestos, intempestiuos, verbosos sibi placentes facit, & ideò non discentes necessaria, quia superuacua didiscerunt. Quid horũ ad virtutem viam sternit syllabarũ enarratio, verborum diligentia, & fabularum memoria, & versuum lex, & modificatio? Quid ex his metum demit, cupiditatem frænat? Musica monstrat mihi qui sunt modi flebiles, monstret potius quomodo inter aduersa non emittam flebilem vocem. Metiri me Geometer docet latifunda, potius doceat, quo modo metiar quantum homini satis sit: docet quomodo nihil perdam ex finibus meis: at ego discere volo, quomodo totus hilaris amittam. Scis rotunda metiri, si artifex es, metire hominis animum: dic quàm

Aug. 10. confes. Omne hominum genus morbo curiositatis laborare ostenditur.

4. Re. 24.

D. Hie. in Episto de duobus filiis.

Ibidem.

Aug. lib. de mor. ecclesiæ.

Sene. in libro. de. 7. liberalibꝫ artibus.

Idem.

A magnus, dic quàm pusillus sit. Scis quæ recta sit linea, quid tibi prodest, si quid in vita rectũ sit, ignoras? Hoc scire quid proderit vt solicitus sim, cum Saturnus & Mars, ex contrario stabunt: aut cũ Mercurius vespertinum faciet occasum vidẽte Saturno: potius quã hoc discam, vbicunque ista sint, prospici esse, nec posse mutari. ¶ Hoc etiã morbo curiositatis laborant pauperes artifices: quorũ multi potius furari, quã laborare manibus volunt: de quibus D. Paul. in priori Episto. B ad Thes. c. 3. ait. Si quis non vult operari nec manducet. Audiuimus enim inter vos quosdam ambulãtes inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes. f. de aliorum negotijs. Hi similes sunt locustis in vere, similesque oratori illi, de quo Domitius Afer aiebat: illũ non agere, sed satagere. Sic isti (inquit Paul.) nihil operis agunt, sed satagunt μηδὲν ἐργαζομένους, ἀλλὰ περιεργαζομένους. Hi, inquã, sunt similes Deo illi, nomine momus, quem Hesiodus fingit, nocte matre, somno patre genitum. Huic Deo mos est, ipsum C quidẽ nihil operis facere: sed aliorũ Deorum opera curiosis oculis contemplari: & si quid est omissum aut perperam factum: id summa libertate carpere. Poetæ vnum confinxere momũ: qui tamẽ vnus tantum erat: nec (quod solet dici) vltra crepidam: Paulus autem non vnum, aut duos notat momos: sed audiuimus, inquit, quosdã curiosè agentes: serpentis oculi: & quibus vix ipse momus satisfaciat. Sine proposito multi vagantur (inquit Seneca) quærentes negotia: nec destinauerunt quid agãt: sed in quæ incurrerint. Inconsultus illis vanusq; cõcur-D sus est: qualis formicis per arbusta repẽtibus: quæ in summũ acumen deuenientes, in imum inanes aguntur. Quorundã quasi ad incendium currentium misereberis: vsque eò impellũt obuios, & se aliosque præcipitant: deinde domum cum superuacua redeuntes lassitudine, iurant necisse, quare, vbi, fuerint: postero die erraturi per eadem illa vestigia. Ex hoc malo dependet illud temerarium vitium, auscultatio, & publicorum secretorum inquisitio, & multarum rerũ

Idem.

1. ad Thes. 3.

Similitu.

Similitu. Hesiodus.

Similitu.

 sciẽ-

scientia, quæ neque probè narrantur, neque tuto audiuntur. Hos notat D. Paul. de his ait. Nihil operantes, sed curiosè agentes. ¶ Denique hoc curiositatis morbo laborare solēt viduæ illæ: de quibus idem Apostolus scribit in priori Epistola ad Tim. cap. 5. simul autem & otiosæ: discunt circuire domos: non solum otiosæ, sed & verbosæ, & curiosæ. loquentes, quæ non oportet. Cum enim fœminarũ virtus sit (teste Philosopho) corporis quidem, forma & proceritas: animi verò, pudicitia: & operandi studium: quantum quæso dedecus est, ipsas quidem nihil operis agere: sed otiosas, domus scrutari alienas: & quæ alibi secreta resciūt, alijs hæc ipsa effutire: indecorè loquentes de nuptijs, de dissidijs, de peccatis vitijsque domesticis aliorum? Tu ergo vir pietate præstãs, fuge hoc curiositatis vitium: noli plus sapere quam oportet sapere: sed audi potius Salomonem tibi his verbis admonentem Eccl. 3. Altiora te ne quæsieris: & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Deus illa cogita semper, & in pluribus operibus eius nõ fueris curiosus: non est enim tibi necessarium ea quæ abscondita sunt videre oculis tuis, in superuacuis rebus noli scrutari multipliciter, & in pluribus operibus eius non eris curiosus: Plurima enim super sensum ostēsa sunt tibi. Multos enim supplantauit suspitio illorum, & in vanitate detinuit sensus illorum. Huius rei imaginem habes Num. c. 4. Vbi Dominus præcepit dicens: alij nulla curiositate videant quæ sunt in sanctuario priusquam inuoluantur: alioqui morientur. Vasa aurea & alia quæ erant in sanctuario, mysteria Christi repræsentabãt: hæc non studio curiositatis scrutanda sunt: sed potius studio pietatis sub inuolucris fidei videnda. Quia ergo Herodes hoc vitio laborabat, noluit Christus coram illo miracula aliqua ædere: imo ne illi modo sui copiam facere. Quod faceret si studio & desiderio suæ salutis eum videre & audire desideraret. Illam ergo ad vos ô reges & principes terræ verba mea & sermonem meum dirigere libet. Si nõ studio curiositatis, sed vt meliores efficiamini audire Deum cupitis: atque ab illo discere quonã modo vos ipsos, subditosque vestros regere debeatis: Ecce ipse, vobis, Dauid regem proponit: cuius vestigia sectantes securabimini. Legite Psalmum centesimum. Vbi officio pij sanctique principis functurum se pollicetur, nempe se victurũ innocenter, perambulabam (inquit) in innocentia cordis mei in medio domus meæ. Non proponebam ante oculos meos rem iniustã. Et malos oppressurum: his verbis. Faciẽtes præuaricationes odiui. Non adhæsit mihi cor prauum: declinantem à me malignum non cognoscebam: detrahentē secretò proximo suo, hunc persequebar. Superbo oculo & insatiabili corde cum hoc non edebam. Et tandem pollicetur, se bonos euecturum. Oculi mei (inquit) ad fideles terræ vt sedeant mecũ ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat. Huius ergo regis exemplo ô vos reges & principes terræ, date operam, vt inculpate & perfectè viuatis. Quod si intelligere vultis quid vobis agendum: viuite innocenter, malos opprimite, & bonos euehite. Lege glossam in hunc Psalmum.

1. Tim. 5. — Aristot. — Eccles. 3. — Num. 4. Figura. — Psal. 100. — Officium pij regis est innocēter viuere, malos opprimere, & bonos euehere. Exemplo Dauid. — Vi. gloss. Psal. 100.

Dom. 6. post Pentecost.

Et reuersi Apostoli, narrauerũt illi quæcunque fecerunt: & assumptis illis secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaidæ. Quod cum cognouissent turbæ, secutæ sunt illum: et excepit eos et loquebatur illis de regno Dei: et eos qui cura indigebant sanabat. Dies autē cœperat declinare. Et accedentes duodecim dixerunt

Matth. 14. Marc. 6.

Ioan.6.

runt illi: Dimitte turbas vt euntes in Castella villasq; quæ circa sunt, diuertant & inueniant escas: quia hic in loco deserto sumus. Ait autem ad illos. Vos date illis mãducare. At illi dixerũt: nõ sunt nobis plusquã quinque panes & duo pisces: nisi forte nos eamus & emamus in omnem hanc turbam escas. Erant autem fere viri quinque millia. Ait autem ad discipulos suos: Facite illos discumbere per conuiuia quinquagenos: et ita fecerunt. Et discumbere fecerũt omnes. Acceptis autẽ quinque panibus et duobus pisci bus: respexit in cælum et benedixit illis: et fregit & distribuit discipulis suis, vt ponerent ante turbas, & mãducauerunt omnes et saturati sunt. Et sublatum est quod superfuit illis, fragmẽtorum cophini.12.

Reuersi Apostoli narrauerunt illi quæcũque fecerint. Non dubiũ quin Christus reuocauerit illos ad modestiam, ne quid successu taliũ rerum insolescerent. (Vt capite sequenti, id fecisse narrat Lucas, cum iterum reuersi sunt a prædicatione.) Nam certum est miracula geri virtute Dei, non hominum: nonnunquam autem edi per homines, non destinatos æternæ vitæ: solã autem animi pietatem hominem reddere beatum, siue miraculorum virtus adsit pro temporis ratione, siue non adsit.

§ *Et assumptis illis secessit seorsum in locum desertum.* Multis de causis hoc fecisse Dominum docent sancti. § Prima est, vt miraculo quinque panum ibi edito, doceret illos, quo pacto deberent cibo sermonis Euangelici, quem ab ipso didicissent, pascere multitudinem. § Secunda secessit in locum desertum cum illis, vt paulisper requiescerent ab itineris labore. Vt ait Marc. Nam tantus erat illic confluxus hominum, vt non vacaret illis, vel cibum capere. § Tertia ratio fuit, quod nunciatum fuit ei Herodem decollasse Ioannem, Quod cum audisset (inquit Matthæus) successit inde in locum desertum seorsum. Quo facto docere voluit Ecclesiam suam, vt cum á tyrãnis persecuta fuerit, & in vltimas angustias coacta, organa sua suspendat, hoc est á diuinis cesset. Quod fecerũt filij Israel cum in Babylonem captiui ducti sunt, In salicibus in medio eius suspenderunt organa sua: & petentibus Babylonicis, vt more consueto canerent, responderunt: quo modo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Horum exemplum Ecclesia secuta, aut cessare á diuinis omnino solet: aut homines interdiceret eos à certis sacramentis, omnibusque diuinis officijs Ecclesiasticaq; sepultura seperando. Tũc impletur, quod ait Dominus per Isaiam.c.5. nubibus mãdabo ne pluant super eam imbrem. Prælatis enim & sacerdotibus tũc præcipit Ecclesia, ne imbre cælesti hoc est sacramentis diuinisque laudibus populum irrigent. § Secessit præterea Christus cum suis in desertum locum: vt illos doceret, ab hominibus huius mundi fugere tanquam a pestifero malo. Ideo illis alibi dicebat: cauete autem ab hominibus. Quæ verba explicans Chrysost. ait: ita Dominus dixit: attẽdite vobis ab hominibus: quasi á quibusdam pessimis malis & super omnia malis: ostendere volens, quia præ omnibus malis homo est pessimum malum.

1. Causa. Quare Christus secessit cũ suis in desertum locum.

2 Causa. Marc.6.

3. Causa.

Matt. 14.

Psal 136.

Isai.5.

4. Causa.

Matt.10. D. Chrys.

enim, quod in Euangelio sanato cuidam Dominus dixit: Surge, tolle grauatum tuum & vade in domũ tuam: nisi quod per grauatum voluptas corporis designatur? Et iubetur vtique vt hoc sanus portet, vbi infirmus iacuerat: quia nimirum omnis, qui adhuc vitijs delectatur, infirmus iacet in voluptatibus carnis. Sed sanatus hoc portat, vbi infirmus iacuerat, quia diuino adiutorio ereptus à vitijs, eiusdem carnis contumelias postmodum tolerat in cuius prius desiderijs requiescebat. De hoc lectulo ait Iob. c. 33. increpat quoq; per dolorem in lectulo: & omnia ossa eius marcescere facit. Quia enim in hac vita omnis nostra, quam in vitiorum voluptatibus parauimus, requies turbatur: ideò rectè dicitur increpat quoque per dolorem in lectulo. Id est, in præsentis vitæ requie, vel tentationis stimulis, vel flagelli afflictione Dominus conturbat electos suos. Per noctem verò & tenebras peccata, atque ignorantiæ & errores intelligũtur. Nox, inquit Paulus) præcessit, dies autẽ appropinquauit: & Ioan. c. 1. Tenebræ eam nõ comprehenderunt. Anima ergo in tenebris peccatorum existens, quæ à natura habet quosdã igniculos dilectionis Dei, imperfectaque desideria: si quærat illum in lectulo suo, hoc est, in requie voluptatum carnalium, aut in requie pecuniarũ ac diuitiarum, nõ inueniet. Quod si per vicos & plateas, hoc est, inter hominum vanam multitudinem inuestiget, neq; etiam inueniet. Sed si transmigrauerit in pœnitentiæ desertum inueniet illũ. In hunc ergo locum transmigremus exẽplo huius multitudinis: & illum facilè inueniemus. Tu fili hominis (ait Dominus Ezechieli) fac tibi vasa transmigrationis & transmigrabis de loco tuo ad locum alterum. Vasa sunt corpora nostra: habemus (inquit Paulus) thesaurum in vasis fictilibus: locus noster hic mundus est, in quo nati & nutriti sumus. Transmigrare nos ergo oportet à mundi voluptatibus & delicijs, à mundi desiderijs in quibus nutriti sumus, in locum desertum, hoc est, in pœnitentiam. Obliuiscere (inquit Dominus) populum tuum, &

Ioan. 5. | Iob. 33. | Vi. Greg. 23. mor. c. 23. & 24. | Rom. 13. | Ioan. 1. | Ezech. 12. | 2. Cor. 4. | Psalm 44.

A domum patris tui, & concupiscet rex decorem tuum. Exemplo Abrahæ, qui relicta patria & cognatis domum quæsiuit in alio loco & inuenit.

§ *Et excepit eos & loquebatur illis de regno Dei. Et eos qui cura indigebant sanabat.* Considera obsecro Christi humanitatem & benignitatẽ qui videns istorum auiditatẽ, prodijt è latebris, in quas secesserat, & adeò non repulit eos, vt vltro etiam iret obuiam. Interim docens discipulos suos, à secessu breui statim redeundum ad Euangelicam functionem. B Iam hic vides quàm verè regius vates dixerit Psalm. 93. Quia non repellet Dominus plebem suam, & hæreditatem suã non derelinquet. Considera præterea eius misericordiam: qui non solum fit obuiam eis, vt benignè recipiat: sed, vbi vidit tãtam vim virorum, mulierum, ac puerorum varijs ex locis pedibus tanto itinere peruenisse in desertũ, velut oues huc & illuc balantes, pastore destitutas, tactus misericordia, primum animos illorum pauit, multa loquens illis de regno Dei, tum eos qui morbis, alijsq; cor- C poris malis tenebantur, sanat. Et tãdem eos cibo reficit. Si ergo peccatores sumus eamus ad eum: nã ipse minimè nos repellet, sed potius benignè suscipiet. Conuertimini, inquit, ad me, & ego conuertar ad vos. Si ignorantes sumus eamus ad eum, & tanquam verum pastorem nostrũ sequamur. Nam ipse pascet nos verbo Dei, quo ignorantiæ tenebræ expellantur: si pauperes verò, adhuc illius vestigia sectemur, nam pater est qui D aperiet manum suam, & implebit nos suis benedictionibus. Omnes vocat, omnes excipit, omnes docet, omnes deniq; sustentat: propterea apud Matthæum dicebat: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiã vos. §*Et loquebatur illis de regno Dei.* Id est, de rege à Deo misso. Quasi dicat: dicebat se esse Messiam regem olim ab eo promisso. Res pro persona hic accipitur. De acceptione huius nominis regnũ Dei, aut regnum cælorum satis apud Matthæum diximus.

§ *Qui cura indigebant.* Operarios, id est,

Christi benignitas notãda & misericordia. | Psalm. 93. | Zach. 1. | Psal. 144. | Matt. 11.

est, curatione. Cum de morbis loquatur, qui curatione indigebant, Latinius dicetur: & vox Græca accommodatius exprimetur.

Cibus nõ deficiet his qui toto pectore vacat Euãgelicæ doctrinæ.

§ *Vos date illis manducare.* His verbis ostendere voluit Christus non defecturũ cibum, his qui toto pectore vacãt Euãgelicæ doctrinæ. Curemus ergo nos diligẽter Christum sequi, vacemus toto corde verbo Dei, & ecõtra ipsi cura erit de nobis. Pater noster est: quarè nõ obliuiscetur filiorum. Nunquid (ait ipse) obliuisci potest mulier infantem suũ, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit ego tamen non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te. Perpẽde quæso, & altè considera immensam Dei misericordiam: & admirare diuini numinis summam ac infinitam erga homines pietatem. Aspicis hic viros iustos & pios qui se diuinæ misericordiæ cõmittunt, nunquam à Deo vero patre derelinqui, etiam quando magis derelicti, & in maiori necessitate constituti, atq; positi videntur. Deus enim ille misericordiæ parens, suorum salutẽ tutissima custodia tegit, ac munit, nec eos nunquam negligit, aut derelinquit: sed potius eos in manibus suis descriptos habet. Quæ domi alicuius personæ, quem diligit, habet in tabula imaginem pictam, memor est eius quandiu eam videt: sed cum discedit à loco, vbi est imago, fieri potest, vt eius, cuius est imago obliuiscatur. At si eam habet in manibus descriptam, nunquam illi excidet eius memoria. Hac ergo similitudine vtitur Deus, vt ostendat, nunquam se esse oblitum suorum, cum eos habeat in manibus suis sculptos, & non blandis penicillis, sed duris clauis, quibus eius manibus fuerunt crudeliter vulneratæ, & transfixæ. Descripsit nos non attramẽto nostro, sed sanguine suo. Ideo post resurrectionem loca clauorũ in manibus habere voluit, vt Ioãnes narrat. cap. 20. Auido ergo pectore Christũ sequamur, nihil timẽtes cum ille sit qui pascit, ille qui reficit, ille qui refocillat & recreat suos, ille qui illis, de ad vitam necessarijs prouidet. Cuius rei exemplũ habemus. 3. Reg. 17. in Elia, & 4. Reg. 4. in Elisæo.

Isai. 49.

Similitu.

Ioan. 20.

3. Re. 17.
4. Reg. 4.

Præsulũ munus est de bonis suis subleuare necessitatem sui gregis.

Secundò his verbis: *Vos date illis manducare*: Subindicare voluit Dominus, & hoc esse nonnunquam Apostolici muneris, de suis facultatibus, quã nis exiguis, subleuare necessitatem sui gregis. Nec deerat animus Apostolis, sed dolent deesse facultatem. Et imo respondent: non esse illis, nisi quinque panes. Discant præsules Ecclesiæ, qui Apostolorum successores sunt: necessitatẽ suorum subditorum subleuare. Ne audiant & iure optimo: væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: nonne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini: & quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis. Sunt enim nonnulli qui cuticulam curant, & qui fortunas suorũ subditorum comedunt, & absumunt, relicta illorum cura: & qui sui gregis necessitati non succurrunt, quanuis facultas supersit. Lege in decretis. d. 39. vbi dicitur: debent prælati subditis non solum spiritualia, sed etiam carnalia subsidia ministrare, exemplo Christi qui turbas sequentes nõ solum verbo docebat, sed etiam corporalibus alimentis reficiebat: vt autem prælati hæc omnia plenè perficere possint: secularium negotiorũ oportet eos habere solertiam: vt eorum cautela & Ecclesiæ seruentur indemnes: & cuique necessaria pro suo modo ministrentur. Vide locum. Et dist. etiam. 42. Admoneantur Episcopi & Ecclesiastici viri, vt hospitales sint, exemplo Abrahæ, & Loth, qui per hospitalitatem Deo placuere: & angelos hospitio meruerunt recipere: item testimonio Hieronymi dicentis, quod aliena rapere conuincitur, qui vltra necessaria, sibi retinere probatur. Testimonio etiam Pauli scribentis ad Timothæum: exerce te ipsum ad pietatẽ. Nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis est, pietas autem vtilis est ad omnia: habens promissionem vitæ quæ nunc est, & futuræ. Ab hac quisquis alienus fuerit in sacerdotem ordinari nõ poterit lege. d. illam.

Ezech. 34.

Dist. 39.

Dist. 42.

Hiero. in reg. monacho. c. de paupert.
1. Tim. 4.

§ *Non sunt nobis plusquam quinque panes.* Perpẽde hic primum quod panibus Apostolorum reficit Dominus vires suorum.

Doctrina & fides Ecclesiæ his Apostolorum panibus significata in Christo & Apostolis habet fundamentū.

rum. Vt hoc facto doceat cibum Ecclesiæ, hoc est doctrinam & fidem Ecclesiæ non inniti reuelationibus alijs, præter eas quas Apostoli & Prophetæ authores, videlicet, canonicorum librorum, ediderunt. Suis enim panibus, sua, inquam, doctrina cibat Dominus Ecclesiam suam. Id quod Paulus confirmat, quo loco ait fideles esse super ædificatos, super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Non ergo fundatur Ecclesia, aut cibatur peculiaribus reuelationibus Brixidæ, aut Catharinæ senensis. Nihil enim refert Ecclesiæ ea credere an non. Fundamenta enim Ecclesię in montibus sanctis. Id quod Psalmista explicaturus statim adiungit, Dominus narrabit in scripturis populorum: & principum horum qui fuerunt in ea. Scripturæ ergo priuatæ non sunt fidei Ecclesiasticæ fundamenta, sed scripturæ populorum, quas nobis principes Ecclesiæ tradiderunt: significatæ in his panibus Apostolorum. Lege S. Thom. 1. p. q. 1. art. 8. ad. 2.

S. Thom.

¶ Secundò obserua, quod non fit hic mentio aliqua potus, sed solum cibi, quo refectus est populus. Vt hac figura significaret Dominus populum suum cibandum esse solo pane consecrato: cuius imaginem gerebat hoc miraculū quinque panum, quibus turbas satiauit. Hoc idem olim significare volens Dominus legitur Gen. 14. quod Melchisedech sacerdos typus & vmbra Christi panem & vinum offerebat: tamen in esu agni paschalis, aut in manna, quibus in figuram huius sacramenti populus pastus est, nulla fuit facta mentio vini, sed tantum cibi. Præterea in veteri lege (inquit D. Thom.) qui animalia sacerdotibus in sacrificium offerebant, partem eorum quandoque sumebant, de liquidis autē libaminibus oblatis, vt de vino, & oleo, vt legitur Leuitici 23. nihil populus resumebat, sed in solū vsum sacerdotum cedebat. Adde quod & si panes propositionis, qui erāt super altare in templo, populus semel in hebdomada ederet, tamen sacrificiorum sanguinem, vt Leui. 3. & infra sæpe legitur, solus sacerdos tractabat liniens altaris cornua.

Quare hic non fit mentio potus, sed solum cibi.

Gen. 14. Figura.

Vid. Thom. 4. d. 11. q. 2. art. 1. Figura.

Leuit. 23. Figura.

¶ *Non sunt nobis plusquam quinque panes.* Poterat Christus nouos condere panes, noluit tamē, sed veteres multiplicauit. Quo significare voluit, vt nouitatum traditionem qualem solent inducere hæretici euitemus. Veterem doctrinam patrumque antiquorum, atque Apostolorum traditiones & dogmata sequamur: & sequētes verbis exornemus, explicemus, atq; exponamus. Hoc enim est, quod D. Paulus monet Timothæo in priori Epistola. c. 6. O Timothæe, inquit Paulus, depositum (id est doctrinam Euāgelicam) custodi, deuitans prophanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ. Quæ verba explicans Vincentius Lirinen. Vir grauissimus sic ait: Depositum inquit, id est, quod tibi creditum est, non quod à te inuentum: quod accepisti, non quod excogitasti: rē non ingenij, sed doctrinæ: non priuatæ vsurpationis, sed traditionis publicæ: rē ad te perductam, non à te prolatam: in qua non author esse debes sed custos: nō institutor, sed sectator: non ducens, sed sequens. Aurum accepisti, aurum redde: nolo mihi pro alijs alia subijcias. *Custodi*, propter inimicos, propter fures. *Custodi* etiam diligenter, sedulò, fideliter, vt suo tempore cum oportuerit quibusque oportuerit reddas. *Deuitans prophanas vocum nouitates* id est, sententiarum, dogmatum, rerum, quæ sunt vetustati contrariæ. Nulla quippe hæresis, nisi sub certo nomine, certo loco, certo tēpore, emersit. Nec quisquam hęresim instituit, nisi qui se prius ab Ecclesiæ Catholicæ, & antiquitatis consensione discreuerit. Hoc ergo apud omnes Hæreticos legitimum fuit, atque solemne, vt prophanis nouitatibus gaudeant: antiquitatis scita fastidiant. Contra verò Catholicorum hoc proprium, deposita sanctorum patrum, & commissa seruare, damnareque prophanas nouitates. Ita enim in Concilio Ephesino, omnium patrum vna fuit vox: vt quod erat antiquitus traditum teneretur: quod adinuentum nuper exploderetur. Hactenus Vincentius. Quod significare volens in hoc miraculo Dominus non nouos creauit, sed veteres

Quare Christus non creauit nouos panes, sed veteres multiplicauit.

1. ad Tim. 6.

Explicat locus. Depositū quid.

Vincent. Lirin.

res panes multiplicauit. Sic nos non patitur antiquam doctrinam mutare nouam ingerendo, sed antiquam exornando & explicando multiplicare debemus. Vnde idem Vincentius sic ait: esto ô Doctor quasi Beseleel, & pretiosas diuini dogmatis gemmas exculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adijce splendorē, gratiam, venustatem, intelligatur te exponēte illustrius, quod antea obscurius credebatur. Eadem tamen, quæ didicisti, doce: vt cum dicas noue, non dicas noua. Sed forsitam dicet aliquis, nullusne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur intelligentiæ? Habeatur planè & maximus. Sed ita tamen vt verè profectus sit ille fidei, non permutatio. Si quidem ad profectum pertinet, vt in semetipsa vnaquęque res amplificetur. Ad permutationem verò, vt aliquid ex alio in aliud transuertatur. Imitetur animarum ratio rationem corporum: quæ licet annorum processu numeros suos euoluāt & explicent, eadem tamen, quæ erant, permanent. Parua lactentium membra, magna iuuenum: eadem ipsa sunt tamē. Quot paruulorum artus tot virorum. Et si quæ illa sunt, quæ æui maturioris ætate pariuntur, iam in seminis ratione proserta sunt: vt nihil nouum postea proferatur in senibus, quod non in pueris iam ante latitauerit. Quod si humana species in aliquam deinceps non sui generis vertatur effigiem, aut certè addatur quippiam membrorum numero, vel detrahatur, necesse est, vt totum corpus, vel prodigiosum fiat: vel etiam intercidat, vel certè debilitetur. Ita etiam sacrarum literarum intelligentia sequatur has decet progressuum leges, vt annis, scilicet, consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur ætate: incorrupta tamen illibataque permaneat. Et paulo post. Quodcunque igitur, ait, in Ecclesiæ paradyso Dei agricultura patrum labore satū est, hoc idem filiorum industria colatur, floreat, maturescat, proficiat, perficiatur. Et priscα illa cœlestis philosophiæ dogmata à posteris excurentur, limentur, poliātur. Sed nefas est, vt commutentur, detruncentur, mutilentur, humanorumque ingeniorum quasi extranea additamenta recipiant. Accipiant licèt euidentiam, lucem, distinctionem, sed retineant necesse est, plenitudinem, integritatem, proprietatem. Hactenus ille. ¶ *Non sunt nobis, nisi quinque panes.* Quinque panibus satiauit Dominus atque refecit totā hanc multitudinem. Totidem cibat idē Dominus animas suorum. Pane, scilicet, lachrymarum: cibabis nos, inquit, pane lachrymarum. Pane verbi Dei: meus, inquit, cibus est, vt faciam voluntatem patris mei. Pane sacræ synaxis. Ego sum panis vitæ qui de cælo descendit, si quis manducauerit ex hoc pane viuet in ęternum. Pane angustiæ. 3. Reg. 22. & 2. Paralip. 18. Sustentatur Michæas, pane angustiæ: pane denique consolationis. Hoc pane sustentatus est Elias, & ambulauit 40. diebus, & 40. noctibus, vsque ad mōtem Dei Oreb. Hi sunt panes de quibus in figura dicebat olim Dominus, ecce ego pluam vobis panes de cælo.

¶ *Facite illos discumbere. Et discubuerunt omnes.* Perpende obsecro, atque altamente considera fiduciæ vim. Audierant non esse Apostolis, nisi quinque panes & duos pisces. Quod vix paucis Apostolis sufficiebat in cœnam, videbant immensam hominum multitudinem, vndique conglomeratam, & tamen Apostoli ad iussum Domini iubent populum per soladitia discumbere, tametsi nihil viderent aparatus. Atque simili fidutia & simplicitate obtemperat & populus: nō dubitat, non turbatur sed confidit. Vt istorum exemplo discamus fidutiam habere in Domino dum in necessitate & angustia positi sumus. Dicamusq; cum regio vate Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paschuæ ibi me collocauit. Inter alias virtutes, quas prædixerat Dominus per Isaiam populum suum habiturum, vna erat, certa in eum fidutia. Sedebit (inquit) populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. Omnium iudicio etiam Ethnicorum pulcherrima res est animum habere pacatum: verum hoc illis solis contingit, qui studēt quotidie expurgare conscientias suas, tales sedent in

Marginalia: Exod. 36. — Similitu. — Quinque panibus sustētatur iustus. — Psalm. 79. — Ioan. 4. — Ioan. 6. — 3. Re. 22. — 2. Par. 18. — 3. Re. 19. — Exod. 16. — In angustia & necessitate positi fidemus in Domino si ab illa liberari volumus. — Psalm. 22. — Isai. 32.

in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ. Hanc vim veræ fiduciæ habuit vidua illa Sarepthana, cui (vt sacra Scriptura narrat) dixit Elias: affer mihi obsecro buccellam panis in manu tua. Quę respōdit viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quātum pugillus capere potest farinæ in hydria: en colligo duo ligna, vt ingrediar & faciam illud mihi, & filio meo, vt comedamus & moriamur. Ad quam Elias ait, noli timere sed vade, & fac sicut dixisti: verūtamen mihi primūm fac de ipsa farinula, subcinericium panem paruulum, & affer ad me: tibi autem & filio tuo facies postea. Hæc autem dicit Dominus, hydria farinæ non deficiet, nec lechytus olei minuetur vsque ad diem in qua Dominus daturus est pluuiam super faciem terræ. Quæ abijt & fecit iuxta verbum Eliæ: & comedit ipse, & illa & domus eius, & ex illa die hydria farinę non defecit. Tantam vim atque virtutem habuit huius mulieris fiducia, vt ita certo fidem adhibuerit verbis & promissis Eliæ, ac si rem factam iam videret. Exemplo ergo huius multitudinis, exemplo item huius viduæ, in Deo certam fiduciam habeamus, cum ad angustias redacti fuerimus: nam ipsa fiducia liberabimur. Habe fiduciam in Domino (ait Salo.) ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ, in omnibus vijs tuis cogita illum, & ipse dirigeт gressus tuos: hoc idem monet Dominus apud Isaiam. c. 57. qui habet fiduciam mei hæreditabit terram.

3. Reg. 17.

Prou. 3.

Isai. 57.

§ *Acceptis autem quinque panibus.* Obserua quod prius panes accipit, deinde frangit, post vero discipulis dat: & per eos demum, multitudini apponit. Quo facto docere voluit neminem ad sacerdotium summum aspirare debere qui diuinis disciplinis non sit eruditus. Vnde in veteri testamento inter cætera ornamenta pontifex rationale gerebat in pectore, in quo scribebatur, manifestatio, & veritas. Hinc etiam vectes quibus arca portabatur, iugiter annulis erant inserti: vt cum arca esset portanda nulla esset, vel fieret mora de intromittendis vectibus. Quia prædicatores per quos Ecclesia circumfertur: sacris literis semper debent insistere: ne tunc quærant discere, cum ex officio alios debeant docere. Hinc etiam Dauid prius ex gratia Spiritus sancti donum scientiæ percepit, & postea administrationem regni assecutus est. Hinc etiam cum de quinque panibus hodie quinque millia hominum vellet reficere: prius panes accipiens fregit, & postea discipulis dedit: & per eos demum turbis apposuit: quia sacramenta legis & prophetarum prius differēdo exposuit: & postea eorum scientiam discipulis dedit: & per eos tandem illam fidelibus dispensauit. Sed de hoc aliás diximus. Vi. in decretis. dist. 36. c. qui Ecclesiasticis. Vbi ad longum multis exēplis, atque testimonijs hoc ostenditur & probatur. Petrus enim cum rectoribus Ecclesię scriberet ait; parati esse debitis reddere rationem omni poscenti vos de ea quæ in vobis est spe & fide. Et Paulus ad Timothæum scribens inquit. Attende lectioni & exhortationi, & doctrinæ. Ex quibus omnibus colligitur, quod non sufficit prælatis bona conuersatio, & morum honestas, nisi addatur sciētia doctrinæ. Vnde sacerdotes ingressuri templū tabernaculi, prius lauabantur in labio æneo, quod fecerat Moyses ex speculis mulierum. Hinc etiam in Canticis canticorum oculi, per quos Ecclesiæ prælati intelliguntur, assimilantur columbis, quę residētiuxta fluenta plenissima. Lege quæ D. Hieron. ait in illa dist. 36. cap. si quis vult.

Oportet vt præsules diuinis disciplinis sint eruditi.
Figura. Exod. 28.
Figura. Exod. 25.

1. Reg. 1.
Dist. 36.
1. Pet. 3.
1. Tim. 4.
Exod. 38.
Figura.
Can. 5.
Orig. ho. 6. ad c. 8. Leuitici.

§ Secundo hic nota, quod dedit Christus panes Apostolis multiplicatos, vt ipsi populo traderent. Quo etiam docere voluit, ad Episcopos Apostolorum successores pertinere pascere populum, nō ad laicos: quantumque doctos. Veniam (inquit Dominus Moysi) ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum. Descende & contestare populum, ne forte velit transcendere terminos, & pereat ex eis plurima multitudo. Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominū, sanctificentur: & ascēdes tu & Aaron tecū. In hāc ergo formam Christus per Episcopos

Ad Episcopos pertinet & non ad laicos panem doctrinæ populo distribuere.
Exod. 19.

copos

copos & sacerdotes populum Christianum instituit, nec plebæi ascendere ad consultandum cum sacerdotibus debet: sed præscriptis terminis contineri. Sed ais, Moyses sacerdos non erat, & tamen ille regebat & docebat populū, religionisque quæstiones finiebat. At primum nego Moysen sacerdotem non fuisse. Moyses, inquit, & Aarō in sacerdotibus eius: Psalmo. 98. Item non modo obtulit Deo munera, & immolauit: verumetiā Aaron & filios eius consecrauit. Sacerdos igitur erat. Deinde dato mihi legislatorem alium, dato ducem, & prophetam á Deo constitutum, dato hominem, cuius verbis Deus tantum authoritatis dederit, tunc ego fortasse dicam eiusmodi virum etiam si laicus sit docere posse populum, atque cum sacerdotibus consulendum. Sed illud vni Moysi concessum est. Transferri itaq; passim in alios non debet. Solius enim sacerdotum & Ecclesiasticorum non laicorum munus, hoc est. Vnde Aggæi. c. 2. dicitur: interroga sacerdotes legem. Et Malachiæ. c. eodem. 2. Labia sacerdotis custodient scientiam, & legē requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum est. Neque in veteri testamēto solum ea præscripta forma est, sed in nouo etiam asseruatur. Cuius rei testis est Paul. ad Ephes. 4. inquiens. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores & doctores. Quo loco Paulus, cum Apostolos, Prophetas, Euāgelistas, quasi in tres classes distribuisset, pastores tamen & Doctores seuerè sanè, atq; prudenter re ipsa confusos, sola cogitatione distinxit, vt ijdem esse in Ecclesia, qui & pascerent & docerent intelligerētur. Et rursum ad Timothæum & Titum non alios Episcopos, alios Doctores, sed eundem Episcopum doctoremque præscripsit. Ac per Ieremiam Dominus. Dabo, inquit, pastores: qui pascent vos sciētia & doctrina. Doctrina igitur Euangelica á pastoribus Ecclesiæ expectāda est, quos & Episcopos esse & Doctores tradidit Paulus. Quod significare volens Dominus, panes ab eo fractos discipulis

Moyses fuit sacerdos. Psalm. 98.

Egge. 2. Malac. 2.

Ephes. 4.

1. Tim. 3. Tit. 3.

Ierem. 3.

A suis tradidit, vt per manus illorum populus cibaretur. Accedit adhęc, quod Apostolus ad Rom. 10. Cælos esse intellexit Apostolos, cùm eis illud aptauit in omnem terram. Apostolorum ergò & eorū qui apostolis successere, proprium erit illustrare cæteros, ac vi sua populum continere. Quod si cæli illustrationes tollas, quibus omnia, quæ terra parit, maturata pubescunt: infœcūda hæc maneat necesse est, ac verè iuxta nomen suum arida. Atque etiam, si tenebræ operient terram, & caligo populos, non has alij discutient, quàm quibus á Christo dictum est, vos estis lux mundi. Qui verò, quod superiorum est munium inferioribus in Ecclesia tribuūt, hi similes sunt, vt si qui aut in terra vim illustrandi ponant, aut in pedibus vim cernendi.

B

Rom. 10.

Isai. 60. Matth. 5.

¶ *Et benedixit illis*. Hebraismus est. Pro gratijs actis multiplicauit illos. Vide Matth. 14. ibi, & benedixit. Vnde Ioannes volens explicare hanc benedictionē ait: accepit Iesus panes, & cum gratias egisset distribuit discumbentibus. ¶ Hoc erat proprium & peculiare priuilegium Christi, quatenus homo erat, vt nihil absolutè vellet, quod non efficeretur: & ideò antequam miracula ædidisset gratias agebat: tanquam si iam essent ędita. Hinc fuit quod suscitaturus Lazarum, quasi si iam esset excitatus, ait. Gratias tibi ago pater, quia semper me audis. Conuersurus panem in corpus suum & vinū in sanguinem agit gratias: quasi iam perfecto miraculo. Multiplicaturus hodie panes, prius gratias agit: quasi si iam fuissent multiplicati. Alij sancti post suscepta á Deo beneficia, illi gratias agunt: at Christus antequam ea á patre acciperet, certus de beneficio suscipiendo patrem benedicebat: hoc est, gratias agebat.

Benedicere. i. gratias agere Matt. 14. Ioan. 6.

C

Christus quatenus homo nihil absolutè volebat quod non efficeretur. Ioan. 11.

D

¶ *Distribuit*. Distribuendo panes multiplicati sunt. Tu ergo distribue bona tua pauperibus & multiplicabuntur: quamuis oppositum tibi videatur. Semē enim ab agricola sparsum tandem multiplicatur. Panes quinque distribuit Christus, & tādem duodecim cophinos fragmentos plenos collegit.

¶ *Et comederunt*. Non dubium quin panis

nis iste diuinis manibus multiplicatus iucundissimè huic multitudini saperet. Nihil enim à manibus solius Dei dimanat quod non sapidum, non iucundum, non suaue ac dulce sit. Ioannes. c. 2. Narrat Christum aquam in vinum conuertisse. Quod simul atque gustauit Architriclinus, qui conuiuio curando præfectus erat: admiratus ait. Omnis homo primùm bonum vinum ponit, & cũ inebriati fuerint: tunc id quod deterius est. Tu autẽ seruasti bonum vinum vsq; adhuc. Filijs etiam Israel petentibus in deserto panes, misit Dominus mãna de cælo, cibum scilicet, tam suauem, vt de illo dicatur Sap. 16. Pro quibus Angelorum esca nutristi populum tuum, & paratum panem de cælo præstitisti sine labore omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem, substãtiam enim tuam, & dulcedinem tuam, quam in filios habes ostendebas. Panes similiter isti à Christo multiplicati, tam suaues erant gustui, vt meritò panes Angelorum vocari ac dici possent.

Nihil à manibus solius Dei dimanat quod non suaue dulceque sit. Ioan. 2. Sap. 16.

¶*Et saturati sunt.* Quid rogo in causa est, vt quinque panibus tãta hominum multitudo satiaretur, nunc autem, vel homo vnus innumeris panibus non saturatur? Quod scilicet panes isti erãt in manibus Domini, at diuitum panes in manibus diaboli. Quod enim de manu Dei procedit, multiplicatur: secus autẽ quod e st manibus diaboli. Dante te (inquit Dauid) illis, colligent: ex quo fiet, quod non dante illis Domino, dispergent. Hinc est, quod idem Psalmista inquit: diuites eguerunt & esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuẽtur omni bono. Sicut enim fluit cera à facie ignis, sic peccatorũ diuitiæ liquefiunt, quod non de manu Domini illas accepe rint. Edent autem pauperes Christi & saturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirũt eum. Inquiramus ergo ex toto pectore Dominum, & nihil nobis deficiet: inquirentes enim Dominum non minuentur omni bono. Vt modo diximus.

Panes pauci in manu Christi multos satiant multi vero panes in manu peccatoris paucis non sufficiunt. Psal. 103. Psalm. 33. Similitu. Psalm. 21.

¶*Et sublatum est quod superfuit illis:*

Tam alienus est Christus à prodigalitate quàm ab auaritiæ vitio. Vt peculiariter discant viri Ecclesiastici & Apostolici viri non prodigos esse, sed liberales: intelligentes quod quicquid habẽt (vt ait Hieron.) pauperum sit. Et quod pars sacrilegij sit, res pauperum non pauperibus dare. Clamant (inquit Bernard.) nudi, clamant famelici, & in hunc modum conquerũtur. Nobis fame & frigore laborantibus miserabiliter, quid conferunt tot mutatoria, vel extensa in perticis, vel plicata in manticis. Nostrum est quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur quod inaniter expenditis, & nos Dei plasmatio, & Christi nos sanguine redẽpti sumus. Vos ergo fratres mei videte quale sit peccatũ, de fraterna portione pascere oculos vestros: vita vestra cedit vobis in superfluas copias. Nostris necessitatibus detrahitur, quicquid accedit vanitatibus vestris. Idem. O vanitas vanitatum, sed non vanior, quàm insanior. Fulget Ecclesia in parietibus, & in pauperibus luget. Lapides suos induit auro: & filios suos nudos deserit. De sumptibus egenorum seruit oculis diuitum. Inueniunt curiosi quo delectẽtur, & non inueniunt miseri quo sustentẽtur. Et si deuotio in talibus possit Deo accepta esse, curiositas tamen vel superbia ex qua multi talia faciunt, Deo detestabilis est. Curent igitur Ecclesiastici viri exemplo Apostolorum pauperes alere: curent colligere fragmẽta ne pereãt; hoc est, bona quæ illis superunt in pios vsus seruare. Ne de singulis illorum dicatur quod Isaias ait: In terra sanctorũ inique egit, & videbit gloriam Domini. Quæ verba exponens Bernardus ait. Timeant clerici, timeant ministri Ecclesiæ, qui in terris quas possident tam iniqua gerunt; vt stipendijs, quæ sufficere deberent, minime contenti, superflua quibus egeni sustentandi essent, impie sacrilegeque retinent, & in vsus superbiæ, atque luxuriæ, victum pauperum consummere non verentur. Duplici profecto iniquitate peccantes; quod & aliena diripiunt, & sacris in suis vanitatibus & turpitudi-

Ecclesiastici non debẽt esse prodigi. Hiero. Bernard. Idem. Isaia 26. Idem Bern.

pitudinibus abutūtur. ¶ Deinde hic mecum perpende Dei magnificentiam: cuius est, plus multo conferre quàm nos, aut sperare, aut recipere possimus. Dilata, inquit, os tuum & adimplebo illud. Postula, inquam, quæcunque volueris, & quantacunque volueris, & ego abundanter tibi tribuam: iuxta desiderium: imò vltra desiderium cordis tui: tantum postula, tantum quid velis indica, imo & quicquid volueris pete, & ego absq; tuo labore abundantissime tuis votis satisfaciam, si te modo in veritate fidelem inueniam. Hoc est, quod his verbis: *Dilata os tuum & implebo illud*, nobis Dominus significare voluit. Quod vt adhuc magis ac magis explicemus, obserua: quod in ista oris dilatatione & impletione duo accipimus. Primo facilitatem qua Dominus pollicetur populo suo bonorum impetrationem, si fidelem sibi præstiterint seruitutem. Quid enim facilius quā os aperire, quid facilius quā os dilatare? Secundò intelligimus abundantiam omnis boni, quam seruis fidelibus promittit Dominus, ego, *inquit*, *implebo illud*. Quid amplius volumus, quàm vt impleatur os nostrū? Mira verò est in hoc sermone emphasis. Non enim dicis extēde ad opus manus tuas, & ego implebo eas, sed dilata tantū os tuū. Neque rursus dicitur, aperi os tuū, & ego in illud inijciam aliquid, vel non sinam illud vacuum, sed ait, dilata, id est, late aperi, & ego totum implebo, quantumcunque tu dilataueris. Iuxta cōmunem autē modum loquendi, dicuntur dilatare homines os suum, quando magnū aliquid & quasi incredibile proferunt. Veluti si quis historiam aliquam narrans, loquatur aliquid incredibile, aut quod non videatur verisimile, dicimus illum dilatare os suum, id est, late aperire. Ita in oratione postulādo dilatat os suū, qui magnum aliquid, & quod secundum humanum iudicium non ita videatur impetrabile, postulat. Vult ergo Dominus his verbis nobis dicere. Popule meus, tā tum fidelis esto, & ego quicquid postulaueris, quantumuis magnum, quantūuis videatur humanam facultatem exce

Tanta est Dei liberalitas & magnificētia vt plus det quàm sperare, aut recipere possimus.

Psal. 80.

A dere, opportuno tempore prestabo tibi. Si quidem apud me nō est impossibile, neque difficile omne verbum. Implebo autem, id est, copiosissime & abundāter supra quàm petere possis, faciam. Cui consonat quod Paulus Apostolus ait, ei autem, qui potēs est omnia facere super abundanter, quàm petimus, aut intelligimus. Cui etiam consonant quæ in hoc miraculo enarrantur: multitudo ista cibari cupiebat, & non solum refecta est, sed saturata, non solum saturata, sed ex reliquijs fragmentorum impleti sunt, atque asseruati duodecim cophini.

Luc. 1.

Ephes. 3.

B

¶ In his omnibus quæ in hoc miraculo & Euangelio narrat Lucas latet Doctrinæ secretioris imago. Habent Apostoli commeatum, sed Iesu. Is, vt vilis est ac plebeius, ita pusillus est. Multiplex enim Moysi Doctrina, varia, & opipara est philosophorum eruditio: At simplex [illegible] bre uis est sermo Euangelicus, sed qui sufficiat reficiendis animabus omnium gentium. Si quemadmodum oportet, & tradatur & accipiatur. Apostolicis vi[illegible] is creditus est sermo, quo saginantur animæ: sed hunc nō apponūt populo, nisi prius à Christo consecratum ac fractum. Tum enim demum verus est fructus Euangelicæ prædicationis, si doctor, quod habet sibi creditum donum eruditionis, non arroget sibi: nec veluti de suo teme re promat, sed Christo reddat consecrā dum. Alioqui inanis erit opera do cētis, nisi ille sermonem benedixerit, ni[illegible] fregerit, nisi distribuendum tradider[illegible] suis manibus. Efficax est enim, quicqu[illegible] id ab illis manibus proficiscitur. Ille e[illegible] qui pascit, ille, qui reficit, qui satiat. Episco pi nihil aliud sunt, quam ministri, ac dispensatores liberalitatis alienæ. Pop[illegible] ulus interim per sodalitia discūbit [illegible] nihil hæsitans, nihil murmurans [illegible] significans in cætu Ecclesiastico oporte[illegible] esse modestiam, ac simplicem ani[illegible] duciam, & abesse discordiam, a[illegible] multum omnem. Quin & illud [illegible] hi considera mysterij: Dominus [illegible] sus, primum docuit, ac sanauit, de[illegible] pauit. Est autem sermo diuinus an[illegible] ci[illegible] bus,

Summa quadam totū Euāgeliū mysticè explicatur.

C

D

cibus, sed huius aliqua portio non negatur etiam impijs & catechuminis. Est enim medicina mentium, & refectio imbecillium. Idem enim agit salutaris doctrina in animis peccatorum, quod Iesus verbo, contactuque suo faciebat, in morbis corporum. Sed est panis mysticus, qui non datur nisi iam doctis, ac sanatis. Hic nimirum est cælestis ille panis corporis Dominici, qui non datur his, qui nondum recepti sunt per baptismum in corpus Ecclesiæ, ne his quorum animus adhuc tenetur aliquo graui crimine, veluti morbo capitali. Hæc omnia mysteria in his quæ Lucas narrat latent: quæ diffusius inter explicandum Euangelium explanauimus.

In Cathedra S. Petri, et in festo Apostolorum Petri, & Pauli.

Matt. 16.

ET factũ est cum solus esset orans: erãt cum illo et discipuli: & interrogauit illos, dicens: quem me dicunt esse turbæ? At illi responderũt, & dixerunt, Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij autem quia vnus propheta de prioribus surrexit. dixit autem illis, vos autẽ quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Christum Dei. At ille increpans illos, præcepit ne cui dicerent hoc: dicẽs, quia oportet filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus, et principibus sacerdotum, et Scribis, et occidi, et tertia die resurgere.

QVem me dicunt esse turbæ? Quoniam Dominus sic temperarat omnia dicta factaque, vt nunc promeret indicia diuinæ virtutis, nunc ostenderet veritatem humanæ naturæ, variabant hominum de illo opiniones. Quoniam autem oportebat apud eos, per quos statuerat mundum innouare, concordem & consentientem esse de ipso professionem: cum solus erat orãs cũ discipulis suis, percõtatus est illos, quid de se sentiret populus, aut quem esse dicerent. ¶ Cæterum nota Mattheũ. c. 16. narrare, sic Christum interrogasse discipulos. *Quem dicunt homines esse filium hominis.* Retulit Matthæus verba. Lucas verò sententiam verborum. Verba ergo Matthæi operæpretium erit exponere. Per homines (in sacra Scriptura) solent intelligi peccatores, terrena solum sapientes & inquirentes: per filios hominum verò, pij atque electi, qui spem suã collocant in cælis. In quem sensum explicat D. Aug. illa verba Psalm. 35. homines & iumenta saluabis Domine: quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus. Filij autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt. Homines (inquit Aug.) cum iumentis gaudẽt in re: filij autem hominum gaudent in spe. Illi præsentia bona sectantur cum iumentis: isti futura bona sperant cum angelis. Quare ergo cum distinctione, illi vocantur homines: & isti vocantur filij hominum? Nam & quodam loco sic ait Scriptura. Quid est homo quoniam memor es eius, aut filius hominis quoniam visitas eum? Quid est homo quod memor es eius? Memor es quasi absentis: filium autem hominis visitas præsentem. Quid est memor es hominis? homines & iumenta saluos facies Domine:

Matt. 16.

Quid per homines. & quid p filios hominũ aliquãdo in sacra Scriptura intelligatur. D. Aug. Psal. 35.

Psalm. 8.

ne: quia & ipsis malis das salutem: & ipsis qui non desiderant regnum cælorū. Tuetur enim illos, & non ipsos deserit, secundum modum suum, tāquam pecora sua: & non illos deserit: tamen tanquā absentium eorum memor est. At verò quem visitat filius hominis est, & dicitur ei: filij autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt. Et si vultis discernere ista duo genera hominum: duos homines primo attendite: Adam & Christum: audi apostolum, sicut enim in Adā omnes moriuntur: sic & in Christo omnes viuificabuntur. Nascimur de Adam, vt moriamur: resurgemus per Christum vt semper viuamus. Quando portamus imaginem terreni hominis homines sumus: quando portamus imaginem cælestis hominis, filij hominis sumus: quia Christus filius hominis est. Etenim Adā homo erat, sed filius hominis non erat: ideo illi pertinent ad Adam qui desiderant carnalia bona: & salutem istam temporalem. Hortamur illos, vt filij sint hominum: qui sub tegmine alarū eius sperant: & misericordiam illam desiderent: quæ in cælo est: & quæ annuntiata est per nubes. Hæc August. Si ergo per homines peccatores intelliguntur, & mundi vanitatibus deseruientes: per filios autem hominum, qui cælestia appetunt: facilè intelligimus quid his verbis: *quem dicunt homines esse filium hominis?* Interrogare voluerit. Quasi quæreret: quē dicunt peccatores esse iustum? Quē existimant terreni esse cælestem? Quem putant mortales esse immortalem? Lege quæ in hæc verba etiam annotauimus. Matth. 16.

Psalm. 35.

1. Cor. 15.

¶ *At illi dixerunt: Ioannem Baptistā, alij Eliam.* Vulgus suo more vacillat, nec sibi constat. In quod congruit illud Homericū. Claudicat incessu, pedibusque vacillat vtrisque. Crassum enim vulgus, quoniā præpostere iudicat, nimirū ex his quæ maxime sensibus corporis obuia sunt, æstimans omnia, passim & labitur, & errat, ac falsis bonorum & malorum simulachris deluditur: inuersosque silenos miratur, ac suspicit, Illique ferè semper pessima pro optimis placent. Huius suffragijs Menandrum aliquoties superauit Philemon. Euripides cum quinque & septuaginta tragædias scripserit, in solis quinque vicit. Nec aliud est hodie quoq; populi de sacris concionatoribus, iudicium: quàm quod Plinius ætate sua de recitatoribus fuisse scribit: si quādo transibis, inquit, per Basilicam, & voles scire quo modo quisque dicat, nihil est quod tribunal ascendas, nihil quod prebeas aurem, facilis diuinatio, scito eū pessime dicere, qui laudabitur maxime. Quapropter Socrates in Critone Platonis, illud imprimis vult esse sapienti fixū decretumque, ne quid opinione vulgi commoueatur, imo suspectum habeat, quicquid senserit vulgo vehementer arridere. Scitū est illud Antisthenis apud Diogenem Laertium, cui cum dixisset quispiam, multi te laudāt. Quid, inquit, mali feci? Huic simillimum, quod Plutarchus in Apophthematis refert De phocione, cui dicenti cū populus Atheniensis præter morem alacribus studijs assentiretur, conuersus ad amicos, quid hoc, inquit, est rei? Nunquid imprudens perperam?

Vulgus suo more vacillat.

Homerus.

Antisth.

Plutarch.

¶ *Vos autem quem me esse dicitis.* Scire libet Domine quid interroges, & quos interroges, vt respondere possimus. Si enim quæris quis, quatenus homo, es, facilis est, & in promptu responsio. Si verò quatenus Deus & homo es, quæras quis sis: quis quæso erit mortaliū omniū, qui tibi respondere posit? Memineris, quod de diuina tua natura ait Isaias propheta. c. 53. Generationem, inquit, eius quis enarrabit? Non enim sine causa, cū te Dñe vidit idem vates sedentē in throno, vidit etiā duos angelos velantes duabus alijs suis, faciem tuā, alijsq; duabus, pedes tuos: nimirum significare volētes, faciem tuam, hoc est, diuinā essentiam tuam, nobis esse incognitam, neque à nobis contemplari in hac vita, aut intueri posse: similiter pedes tuos, hoc est, humanitatem tuam, insertam & ineffabili modo vnitam verbo, nos etiam latere. Si enim D. Ioannes ille, qui erat lucerna ardens & lucens in Ecclesia tua, & qui a te magnificis encomijs euectus est, indignū sese

Perperditur Christi hæc interrogatio.

Isai 53.

Isai. 6.

sese iudicauit, & imperitum, quo soluere possit corrigiã huius calciamenti, id est, vt capere & intelligere possit mysteriũ vnionis humanæ naturæ cũ diuina: qui, rogo, poterit mortalis ac rudis homo, tãtum mysterium percipere ac calere, vt tibi, quis sis, respõdere possit? Si ergo hoc interrogas, rem profectò difficillimam interrogasti. Sed quæro domine quos, hac tam arduam, tamque difficilem quæstionem, rogas? Petrum videlicet, Ioannẽ, Iacobum & Andræã. Si de piscibus hamo capiendis, aut de retibus resarciendis esset quæstio, facilis esset illis respõsio. Cũ autem de re tam excellenti sit: difficilis profectò & impossibilis. Si verò nos interroges & dicas: vos autem quẽ me esse dicitis? Respondebimus, oculos noctuæ habere omnes nos: quare si scrutati fuerimus tantam maiestatem opprimemur à gloria. Quis enim mortaliũ respondere poterit his, quæ nec oculus vidit, nec in cor hominis ascenderunt? Ita res habet viri Christiani, non posse, scilicet, mortales omnes suis viribus res supernas, mysteriaque cælestia cognoscere: egent enim lumine atq; oculis cælestibus, vt ea intueri cõtemplariq; possint: egent superna reuelatione & illustratione. Idcirco ardenter regius vates, eam à Dño exorare contendebat, inquiens: reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Et rursum ait. Da mihi intellectum, vt discã mandata tua. Alias enim hoc erit impossibile. Lucem enim habitat Deus inaccessibilem, quẽ nullus hominũ vidit, sed neque videre potest. Posuit enim tenebras latibulum suum. Ostende mihi faciem tuã (dicebat Moyses) cui Dñs. Non poteris videre faciem meam. s. vita hac mortali qua viuis: alia vita superna & excelsa opus est. Nõ enim videbit me homo & viuet. Hoc est nemo viuens hanc vitam temporariã & caducam poterit assequi meam essentiam, & quid sim ego. Si enim rerũ creatarum naturas ac proprietates nõ nisi per effectus intelligere possumus, quomodo diuinarum rerum naturam sola nostræ mentis vi, & perspicacitate rimabimur? Quàm magnificata sunt opera tua Domine (dicebat rex Dauid) nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ: vir stultus (licet videat hæc) non intelliget hæc: si ergo Dñe quæ in terra sunt tanto cũ labore cognoscimus, quæ in cælis sunt quis inuestigabit? Quare ergo ais, vos autem quẽ me esse dicitis? Si enim solum de his, quæ foris nobis apparent, interrogas: facile tibi dicemus: quod homo mortalis, similis nobis sis. Si autem aliud velis, non nos, sed patrem tuum cælestem, interroga: aut in animis tam apostolorũ, quàm nostris, oculos supernos imprime: vt quæstioni huic difficillimæ facere satis possimus. Quod ita factum esse, ex Christi verbis, post responsionem Petri prolatis apertè cognoscitur. Beatus, inquit, es Simon Barjona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis es. Audiamus igitur, quid Petrus cæteris ardentior, atque à patre cælesti illuminatus, omnium nomine respondit.

Prou. 25. — Lumen supernũ est necessariũ ad rimandũ mysteria fidei. — Psal. 118. — 1. Tim. 6. — Psal. 17. — Exod. 33. — Psal. 91. & 103.

§ *Christum Dei.* D. Matthæus ait Petrum respondisse: *Tu es Christus filius Dei viui.* Non suspitionẽ profert, sed certa & indubita sententia profitetur, illum esse Messiã à prophetis promissum, quẽ Deus vnxit omnibus dotibus cęlestibus. Profitetur præterea, illum singulari ac naturali quodam more esse filium verũ Dei. ¶ Illud autem alta mente & attento animo considera Petrum solum respondisse: & si omnes apostolos interrogauerit Dñs. Vt eo facto significaretur nobis ad Petrum, ad eiusque successores expectare, definire, quæ fidei sunt. Vnde Maximus in Epistola missa Orientalibus ait. Omnes fines orbis terræ qui Dominum sincerè receperũt, & vbiq; terrarũ catholici verã fidẽ confitentes, in potestatem Romanorũ pontificũ tanquã in solẽ respiciunt, & ex ipso lumine Catholicæ & apostolicæ fidei respiciunt veritatẽ. Nec immeritò: quia Petrus legitur primò perfectam fidẽ fuisse confessus, Dño reuelãte, cũ dicit Matth. 16. Tu es Christus filius Dei viui. Hæc ille. Vid. quæ de hac quæst. annotauimus sup. c. 5. in illa verba duc in altum. Addit præterea D. Matth.

Matth. 16. — Ad Petrũ atque ad Petri successores pertinet definire quæ sunt fidei.

§ *Beatus es Simon Barjona, quia caro*

Matth. 16.

Matt. 16. Ecclesia vocatur etiam beata, in Petro gerente eius figuram & quare.

& sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Quia Petrus caput erat primatumq; gerebat in ecclesia (vt Aug. super Ioan. ait) figura erat & imago totius ecclesię: quare his verbis tota etiã beatificatur ecclesia: quod carnis & sanguinis, id est, hominũ doctrinã superans mysteriorum fidei reuelationem acceperit. Quorum fundamentum atq; initiũ est fides Christi. Hac sanè supposita, facilè cætera creduntur. Et ideo in hoc loco petra nuncupatur. Super hanc petram, inquit, ædificabo ecclesiam meam, id est super hanc professionem fidei quam tu professus es de me ædificabo ecclesiam meam. Beata es ergo ecclesia quæ Dei munere attigisti, quod caro & sanguis tibi conferre non potuit. De quo D. Paul, in priori ad Corint. Epist. c. 2. oculus nõ vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽdit: quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illũ: nobis autẽ reuelauit Deus per spiritũ suum. Quid verò præparauerit diligentibus illũ, docent Græca scholia: Christum videlicet, & nostrã per eius incarnationem salutem. Et rursum: ibidem, Paulus præmiserat: loquimur Dei sapientiam in mysterio: quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante secula in gloriam nostram, quam nemo principum huius seculi cognouit. Pro hoc tã maximo beneficio, Christus Dñs gratias maximas egit patri, inquiens: confiteor tibi pater Dñe cœli & terræ, quia abscondisti hæc à prudentibus, & sapientibus, & reuelasti ea paruulis. Et apostolus ait: nolite timere pusillus grex, quia cõplacuit patri vestro dare vobis regnũ. Atq; hanc fortè ob causam beatum, fœlicemque vocauit Petrum gerentem imaginẽ ecclesiæ, quando hodie professus est illum: non tamen Mattham, quamuis dixerit: ego credo, quod tu es Christus filius Dei viui. Addit deinde Christus apud Matt. ¶ *Et ego dico tibi, quia tũ es Petrus.* Gen. 32. sacra narrat historia, quod vir luctabatur cum Iacob, vsque mane. Dixitque ad eum. Dimitte me, iam enim ascẽdit aurora. Respondit: non dimittam te nisi benedixeris mihi. Ait ergo: quod nomen est tibi? Respondit: Iacob. At ille, nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel: quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis cõtra homines præualebis? Interrogauit eum Iacob: dic mihi quo appellaris nomine? Respondit: cur quæris nomen meum? Et benedixit ei in eodẽ loco. Iacob igitur iste expressam imaginem gerebat Petri. Nox erat in mundo, tenebrę errorum operuerant vniuersam terram, ignorabãt homines Christum: nam alij dicebant esse Ioannem Baptistam qui reuixerat. Sic enim suspicati sunt Herodiani: alij Eliam, quod is raptus esset, & ideo nunc suspicabantur apparere iuxta prophetam Malachiæ: alij Hieremiam: quod is typum gereret Christi, quodq; de illo dictum esset: ecce constitui te hodie super gentes & reges, vt euellas & plantes, quæ vere erant in Christo complenda. Hac igitur nocte luctatur Petrus cum Deo, vt reuelet illi mysteria sua: appropinquante iam aurora non dimittit illum donec benedicat eum: mutetque nomen suum in aliud: & denique dicat illi quod est nomen eius. Quod factum fuisse narrat Diuus Matthæus. Benedixit enim vir iste cœlestis Petrũ dicens: Beatus es Simon Barjona: aperit ei nomen suum: nam interrogatus Petrus quis esset filius hominis ait: tu es Christus filius Dei viui: si vir qui luctabatur cũ Iacob dixit illi: nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum sed Israel: Christus hodie ait Simoni: & ego dico tibi, quia tu es Petrus. Si Iacob factus est princeps illius veteris ecclesiæ: Petrus factus est caput recentis. Si Iacob tam potens ac fortis fuit, vt non possent inimici & hostes eius aduersus eum præualere: tam fortis ac potẽs fuit Petrus, vt portæ inferi præualere non potuerint, neque aliquando poterunt aduersus eum: neque aduersus suam ecclesiam: dicente Domino portæ inferi non præualebũt aduersus eã. ¶ *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.* Multis de causis ostenditur à sanctis Petrum singulari quadã prærogatiua post Christũ dictũ esse fundamẽtũ ecclesiæ vt in hoc loco vides. Singulariter enim Chri-

Margin notes: 1 Cor. 2. — Ibidem. — Matt. 11. — Luc. 12. — Ioan. 11. — Genes. 32. Figura notanda. — Iacob figura Christi. — Hiere. 1. — Matt. 16. Quare Petrus vocatur peculiariter fundamentum ecclesiæ.

Christus Petro loquitur: & ego dico tibi, quia tu es Petrus & super hanc Petrã ędificabo Ecclesiam meã. In quæ verba D. Hiero. sic ait: tu mihi dixisti tu es Christus filius Dei viui: & ego dico tibi sermone non casso, & nullum opus habẽte, sed dico tibi quia meum dixisse fecisse est: quia tu es Petrus. Sicut enim lumẽ Apostolis donauit, vt lumen mundi appellarentur, & cætera, quæ à Dño dicta sunt vocabula: ita & Simoni, qui credebat in petram Christum, petræ largitus est nomen: ac secundum metaphoram petræ, recte dicitur ei ædificabo Ecclesiã meã super te. Et hoc est, quod sequitur. Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Hæc Hieron. ¶ Prima ergo causa ob quam iure optimo vocatur Petrus petra & fundamentũ Ecclesiæ, ea est: quod ille tam magnificam precęteris apostolis confessionem de Christo emiserit, dicẽs: tu es Christus filius Dei viui. Confessio certè omni laude dignissima, in qua totius Ecclesiæ fides offertur, vt inquit August. Christum enim & Deum verum ac hominem verum confitetur, vt inquit glossa. Confessio certè salutifera, ac necessaria, absq; qua nullus cælorũ regnũ ingreditur, vt eadem inquit gloss. Hanc rationem attingit B. Maximus in sermone apostolorum Petri & Pauli, qui incipit. Gloriosissimos Christianæ fidei principes. Ita dicens: hic est Petrus, cui Christus Dñs cõmunionẽ libenter indulsit. Vt enim sicut apostolus Paulus edocuit, Petra autẽ erat Christus: ita per Christũ Petrus factus est petra, dicẽte enim Domino: tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã. Nam sicut in deserto iussu Dominico sitienti populo aqua effluxit ẽ petra, ita vniuerso mũdo perfidiæ ariditate lassanti, de ore Petri fons salutiferæ cõfessionis emersit. Hæc ille. ¶ Secundò, fundamentũ Ecclesiæ Petrus merito nũcupatur, quod primus in nationibus fidei iecerit fundamenta. Vt autor est Ambro. c. fidelior. 50. d. l. quæ Anacletus ait. c. in nouo. d. 21. ¶ Tertiò eò dictus est Ecclesię fundamentũ quòd constantiam habuerit singularem, ac insuperabilem fidei firmitatem. Cõmune

D. Hiero. *1. Causa.* *August.* *Gloss.* *B. Maxim.* *Figura.* *2. Causa.* *3. Causa.*

A erat (inquit Leo papa) omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, & diuinæ protectionis auxilio pariter indigebant: quoniam diabolus omnes cupiebat eludere, & tamen specialis à Dño Petri cura suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa nõ fuerit in Petro. Ergo omniũ fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas quæ per Christum Petro attribuitur, per Petrum B apostolis conferatur. ¶ Quartò B. Petrus conuenientissimè Ecclesiæ dicitur fundamentum: quoniam aliorum omnium factus est firmamentum. Tu (inquit Dominus) aliquando conuersus confirma fratres tuos. Quorum verborum explicationem. Vi. in. c. fidelior. d. 50. ex Ambr. item Leo papa explicans locum præsentem ait: *Ego dico tibi*. Hoc est, sicut tibi pater meus manifestauit diuinitatẽ meã: ita & ego notam facio tibi excellentiam tuam: *quia tu es Petrus*, id est, cum ego C sim inuiolabilis petra: ego lapis angularis, qui facio vtraq; vnum: ego fundamẽtum, præter quod nemo potest ponere aliud: tu quoq; petra es, quia mea virtute solidaris: vt quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia: *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiã meam: & portæ inferi non prænalebunt aduersus eam*: super hanc, inquit, fortitudinem æternum extruam templũ, & Ecclesię meæ cælo inserenda sublimatas: in huius fidei firmitate consurget. Hęc ille. ¶ Quintò ita vocatur ob eius Cathedræ insuperabile magisteriũ. D Cathedræ Petri (inquit Hier.) cõmunione consocior: super illam petram Ecclesiã fundatã scio: quicunq; extra hãc domũ agnũ comederit, prophanus est: qui in arca non fuerit, peribit regnante diluuio. d. 24. q. 1. c. quoniã vetus. l. etiã. c. in sede. & c. hæc est fides. Mitto alias causas quas doctores sacri assignare solent breuitatis gratia. ¶ Sed ais: fundamentum inquit apostolus, nemo potest ponere aliud præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Quomodo ergo Petrus fundamentum decipitur e sed

Sermo. 1. consecrationis suæ tractans illud. Luc. 22. ecce Simon sathanas expetiuit vos. *4. Causa.* *Luc. 22.* *Serm. 3. ordinationis suæ* *5. Causa.* *1. communionẽ consortior.* *Obiectio. 1. Cor. 3.*

sed facilis est respõsio. Nam Christus est primum & præcipuum fundamentum Ecclesiæ, à quo tota Ecclesia pendet: & propter hoc nemo potest aliud ponere, nihilominus apostoli secundario dicuntur fundamenta: & inter eos singulariter D. Petrus. Vnde Augustinus ait: vt noueritis quod fundamentum Christus est primum & maximum. Fundamentũ, inquit apostolus, nemo potest ponere aliud præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Quomodo ergo fundamenta prophetæ & apostoli? & quo modo fundamẽtum Christus Iesus quo vlterius nihil est? Quo modo putamus, & nisi quemadmodũ aperte dicitur sanctus sanctorum, sic figuratè fundamentũ fundamentorum? Si ergo sacramẽta cogites, Christus sanctus sanctorum: si gregem subditum cogites, Christus pastor pastorum: si fabricam cogites, Christus fundamentum fundamentorum. Hæc August. in Psalm. 86.

Aogust.

¶*Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Quid mirum quod portæ inferi non possint præualere aduersus Ecclesiam, cum iam in perfecta ætate sit: quæ Dei gratia, & diuino adiutorio destrui non potuerit, cũ erat in ætate puerili: vt ipsamet confitetur. Psalm. 128. Sæpe inquit expugnauerunt me à iuuentute mea dicat nunc Israel: sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi. Nullæ sané vires tartarei valuerunt illam omnino de medio delere. Aliquando enim Ecclesia erat (inquit August.) in solo Abel: & expugnatus est à fratre malo & perdito Cain. Aliquando in solo Enoch Ecclesia erat: & translatus est ab iniquis. Aliquando in sola domo Noe Ecclesia erat: & pertulit omnes qui diluuio perierunt: & sola arca natauit influctibus, & euasit ad siccũ. Aliquando in solo Abrahã Ecclesia erat: & quanta pertulit ab iniquis nouimus. In solo filio fratris eius Loth: & in domo eius in Sodomis Ecclesia erat: & pertulit Sodomorum iniquitates quousq; eũ Deus de medio ipsorum liberauit: cæpit esse & in populo Israel Ecclesia: pertulit Pharaonem & AEgyptios. Cæpit & in ipsa Ecclesia, id est, in populo Israel numerus sanctorum: Moyses & cæteri sancti, pertulerunt iniquos Iudæos populũ Israel. Ventum est & ad Dominum nostrum Iesum Christum: prædicatum est Euangelium. Dixit in Psalmis: annuntiaui, & locutus sum: multiplicati sunt super numerum. Quid est super numerũ? Non solum illi qui crediderunt, & qui pertinent ad numerum sanctorum: sed & super numerum intrarunt multi iusti, sed plures iniqui: & pertulerunt iusti iniquos, Pertulerũt iusti innumeros hæreticos, & hodie perferunt: pertulerunt iusti innumeros peccatores & quotidie perferunt: sed stat sentẽtia quod omnes hæc portæ inferi non præualere poterunt aduersus eam: multis machinis eã impetit Satanas, atque vsque ad mundi finem & consummationem impetet: cõcitabitque in eam impiorum spirituum cohorte, sed Dei præsidio stabit semper ædificium inexpugnabile.

Matthæus Si cum Ecclesia erat olim in ætate puerili portæ inferi non potuerunt contra illam, multo minus modo poterunt. Psal. 128.

Genes. 4.

Genes. 5.

Gen. 19.

Psalm. 39.

¶*Et tibi dabo claues regni cælorum.* Tibi inquam dabo. Conuenit enim vt illic primus sit autoritate, qui primus est fidei professione, & charitate. *Tibi*, inquam, *Dabo*. Quia piscator, quia ignobilis, quia pauper, quia idiota. Nam infirma mundi ego elegi, vt confundam fortia, & stulta, vt confundam sapientes, & ignobilia & contemptibilia, & ea quæ non sunt: vt ea quę sunt euacuẽ. Si enim eligerem oratorem cui traderem claues Ecclesiæ, diceret orator: eloquẽtiæ meę merito electus sum. Si eligerem senatorem: diceret senator, dignitatis meæ merito electus sum. Si eligerem deniq; imperatorem: diceret imperator, potestatis meæ merito electus sum. Tibi ergo idiotæ & piscatori primo dabo claues: vt manifestum fiat quod ego sum, qui facio. Potest senator gloriari de semetipso, potest orator, potest imperator, non potest, nisi de me piscator. *Tibi*, inquam *Dabo*, & non Ioanni, *Tibi*, & nõ Iacobo. Quia non appetis dignitatem hanc, quia non illam à me ambitiosé petis sicut illi: nã ad dignitates regni mei vocandi & eligendi sunt homines, humiles, nihil de se præsumentes, intelligentesq;

Matthæus Quare Petro potius quam aliis datæ sunt claues totius Ecclesiæ.

Lege Augustin. de verb. Dñi, sermo. 27. & 22. de ciuit. c. 5.

tesq; non ad principatum, sed ad seruitu tem vocari. ¶ Hinc discamus qui sunt ecclesiæ magistratibus digni: nempe illi qui intelligunt non ad principatum Ecclesiæ, & si præsint, vocati: sed ad seruitutem eius, principes gentium (inquit Christus) dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos benefici vocatur: vos autem non sic: sed qui maior est in vobis fiat sicut minor. Qui vocatur ergo ad Episcopatum (inquit Origenes) non ad principatum vocatur, sed ad seruitutem totius Ecclesiæ. Si vis credere de scripturis, quia in Ecclesia seruus sit omnium qui præest, suadeat tibi ipse Saluator & Dominus, qui talis tantusque factus est, in medio discipulorum nō quasi discumbens, sed quasi ministrans. Accipiens enim linteum postquā exutus est vestimentis præcinxit se, & mittēs aquā in peluim cœpit lauare pedes discipulorum, & detergere linteo quo erat præcinctus. Et docens quales oportet esse principes tanquam seruos, ait. Vos vocatis me magistrum & Dominum, & bene dicitis, sum etenim. Si ergo Dominus & magister vester laui vobis pedes, & vos debetis alterutrum lauare pedes. In seruitutem igitur vocatus Ecclesiæ princeps, vt possit ex seruitute ista ire ad solium cœleste, sicut scriptum est, sedebitis super thronos. 12. iudicantes. 12. tribus Israel. Audi vero & Paulum tam præclarum virum dicentem, qui seruus fuerit omnium credentium, ego enim sum (ait) minimus apostolorum, non sum dignus vocari apostolus, quia persecutus sum ecclesiam Dei. Porrò, si hoc nō videtur approbare seruitutem eius, sed tantum humilitatem: audi eum dicentem: facti sumus paruuli in medio vestrum, quasi si nutrix foueat filios suos, cum possemus graues esse, vt Christi apostoli. Imitatores ergo nos esse expedit humilium ipsius Domini sermonum, atque factorū, & apostoli eius, & facere quod factum est à Moyse, vt etiam si vocatur aliquis ad principatum dicat, prouide aliū quē mittas. Deo dicit, non sum dignus ante heri & nudius tertius, exilis vocis sum, & tardi linguis. Et quia Deo dixit humilter, exilis vocis sum & tardi linguis, audit à Deo, quis dedit os homini? Et quis fecit surdum & mutum, videntem & cæcum? Nonne ego Dominus Deus? Crede Deo, conserua te ei. Licet subtilis vocis sis, tardæque linguæ, trade te sermoni Dei. Dices postea, os meum aperui, & attraxi spiritum. Hæc Origenes hom. 6. in Isaiam. De eo quod scriptum est, quē mittam & quis ibit nobis. Humili ergo Petro & nihil de se præsumenti, & non duobus fratribus ait Dñs: tibi dabo claues, regni cælorum. ¶ Tradit denique Petro claues Ecclesiæ, quod ipse (vt supetius dicere incipiebamus) primus inter omnes Ecclesiæ proceres emiserit magnificam illam confessionem tu es Christus filius Dei viui. Cuius rei habes imaginem Genesis. c. 41. Vbi sacra narrat historia: Pharaonem interrogasse somniū, quod ante acta nocte somniarat: neque fuerit, qui interpretaretur: interrogatus demum Ioseph, somnium regi declarauit, atque aperuit. Cuius gratia dixit illi Pharao: quia ostendit tibi Deus omnia quæ locutus es, tu eris super domū meā. Sic modo, Christus Dominus interrogat mysterium & arcanum illud, diuinum, quod nec oculus vidit, nec in cor hominis ascendit: & respondent huius mundi sapientes: alij, illum esse Ioannem Baptistam, alij vero esse Eliam, alij vero vnū ex primoribus prophetarum: interrogat verò Petrum, in Ioseph figuratū: & aperit mysterium dicēs: tu es Christus filius Dei viui, cui Dominus: Beatus est Simō Barjona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi: sed pater meus qui in cælis est. Ostendit, inquam, tibi Deus omnia quæ locutus es. Quapropter tibi dabo claues regni cælorum. Hoc est, tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cūctus populus obediet: vno tantum regni solio te præcedam. ¶ *Tibi dabo claues regni calorum & quodcunque ligaueris.* Obserua quod his verbis non est Petro data potestas, sed tantum promissa. Vnde D. Hiero. In hæc verba: tu es Petrus, &c. ait: Consideret qui hæc quærit, Petro illam benedictionem, & beatitudinem, atque potestatem & ædificationem super

Marginalia: Matt. 20. — Origenes. — Ioan. 13. — Matt. 19. — 1. Co. 15. — 1. Thes. 2. — Exod. 4. — Psal. 118. — Figura. Genes. 41. — Hic solum promittitur plena potestas Petro: Io. vero vit. Adimpletur promissio.

super eũ Ecclesiæ in futuro promissam, non in præsenti datam. Obserua secundò, quod hæc potestas plena iurisdictionis in vtroque foro, data est Petro, cum ei dicitur Ioan. vlt. Simon Ioannis diligis me? Pasce oues meas: pascere enim propriè est regiæ potestatis. Vnde olim reges pastores dicebantur. Pascere (vt inquit glossa) est oues credentes in Christo, ne à fide deficiant, confortare: terrena subsidia, si necesse est, subditis prouidere: & exempla virtutum cum verbo prædicationis impẽdere: aduersarijs obsistere: errantes subditos corrigere. Ex quo fit, quod hic (vt modo diximus) plena potestas iurisdictionis data sit Petro. Vnde B. Gregorius, inquit, quod cura totius Ecclesiæ & principatus Petro committitur. Eo ergo tempore, quo saluator noster inter homines visibilis conuersabatur, per se ipsum rexit Ecclesiam. Nõ enim necessarium, aut decens, aut vtile erat: quod ipse tunc temporis alium sui loco pastorem poneret: sed solum quando post resurrectionem præsentiam suã corporalem ac visibilem ab Ecclesia esset subtracturus, quod solent prælati, quando per lõgum tempus ab Ecclesijs suis abesse statuunt: loco enim sui, vicarios generales eligunt: & relinquunt.

Ioan. vlt.

Pascere oues quid.

D. Greg.

¶ Lege quæ annotauimus superius. c. 5. in illa verba & magnificabant Deũ, qui talem, scilicet, potestatem dedit hominibus. ¶ *Claues regni cælorum*. Vel hoc solo testimonio cõfutari potest error eorũ qui existimarunt in Petro, aut in eius successoribus, ex sui ordinatione nõ esse potestatem aut iurisdictionem coactiuã, sed illam ab imperatore dimanare. Tibi, inquit, dabo claues. Claues ait in plurali, quod scilicet, illi contulerit (vt cõmunis est sanctorum sententia) non solũ clauem in foro conscientiæ, sed clauẽ etiã in foro exteriori. Et addit: quodcunque ligaueris super terram: siue in foro conscientiæ, siue exterioris iudicij, ligatum erit & in cælis. Cum autem non volentes solum, sed etiam inuiti ligari soleant; manifestè fit in clauibus Petro, atque eius successoribus datis, datam fuisse vim & iurisdictionem coactiuam. ¶ Præterea.

Potestas & iurisdictio coactiua est data Petro atque eius successoribus.

1. Ratio.

2. Ratio.

A apud Matth. cap. 18. ait Dominus si peccauerit in te frater tuus corripe eum inter te & ipsum. Si autem te non audierit dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus: Amen dico vobis quæcunque alligaueritis (gloss. vinculo anathematis) super terram, erunt ligata & in cælo. Vnde D. Hiero. potestatem attribuit apostolis, vt sciant qui à talibus damnantur, humanã sententiam diuina sententia roborari.

Matt. 18.

Hiero. in gloss.

B ¶ Adde huc, quod in huius potestatis significationem Petrus exemit gladium. & abscidit aurẽ serui pontificis. Vnde Gregor. tollit (inquit) Petrus autem: quare Petrus? Quia ipse est qui accepit claues regni cælorum. Ille enim condẽnat qui & absoluit: quoniam ligandi & soluẽdi, idem adeptus est potestatem. Tollit autem aurem male audientis; tollit autem gladio spirituali aurem interiorem malè intelligentis. ¶ Hoc idem significatũ est per duos illos gladios de quibus apostoli, ecce duo gladij hic: quibus Christus ait. Satis est. Potestas enim spiritualis, & temporalis duo sunt gladij: vt D. Bernard. exponit. In Petro ergo atque in eius successoribus iurisdictio coactiua est, quæ per gladios significatur.

3. Ratio.

Habetur 10. c. si Petrus. 24. q. 1.

4. Ratio.

Luc. 22.

C ¶ Denique Dominus ait Petro: pasce oues meas, officium autem hoc sine vi coactiua, ritè exerceri non potest. hæc ergo potestas, data est à Christo. Quid enim sit pascere in præcedenti consideratione diximus, glossam referentes. ¶ Tandem hanc potestatem habere satis Paulus ostendit cum ait. In virga veniã ad vos, an in charitate & spiritu mãsuetudinis? Qua vsum fuisse satis demonstrauit tradendo fornicatorem quendam Sathanæ in interitũ carnis, vt spiritus eius saluus fieret.

5. Ratio.

6. Ratio.

1. Cor. 4.

D ¶ Hãc iurisdictionem confitentur omnia concilia: in quibus hæretici excommunicantur. Hanc proclamat omnis cõsensus sanctorum: hanc tota Ecclesia suscipit.

7. Ratio.

¶ Hãc esse in principe Ecclesiæ, ratio postulat. Cum enim summi Pontificis potestas, præstantior sit omni seculi potestate: omnisque secularis respublica aptè gubernatori nequeat sine potestate coactiua: inde fit, quod in republica spirituali,

8. Ratio.

rituali, sit etiam eadem potestas: absque qua regi commode non potest.

In festo vnius martyris.

Dicebat autē ad omnes. Si quis vult post me venire abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suā saluam facere perdet illam. Nam qui perdiderit animā suam propter me: saluam faciet illam. Quid enim proficit homo si lucretur vniuersum mundum, seipsum autem perdat, et detrimentum sui faciat? Nam qui me erubuerit, et meos sermones, hunc filius hominis erubescet cum venerit in maiestate sua, et patris & sanctorū angelorum. Dico autem vobis verè, sunt aliqui hic stantes qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei.

Matt. 10. & 16. Marc. 8. Inf. 14. & 17. Ioan. 12.

Matt. 10. Marc. 8. 2. Tim. 2.

Matt. 16. Marc. 9.

Postquam Dominus Petrum ad mētionem mortis inhorrescentem, & ad diuersa consilia cohortantem cōpescuisset, cœpit in hoc Euāgelio & suos discipulos ad imitationem suæ mortis adhortari, dicens: sic visum est patri, hac via perueniendum est ad gloriam. Quare si quis voluerit esse particeps meæ fæ-

A licitatis, debet imitator esse mortis. Hic est scopus huius Euangelij.

¶ *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum.* Id est, quisquis voluerit esse discipulus meus, & accedere ad Euangelij prędicationem, se totum abnegare necesse est, & omnibus huius vitæ curis semel renuntiet oportet, opibus, voluptatibus, honoribus, affectibus, denique vitæ ipsi. Hinc collige, quòd quisquis seipsum sequitur, hoc est, appetitus, & affectus suos deprauatos, Christum nō sequatur.

Ostēditur quid sit abnegare nos ipsos.

B Ipse enim in hoc loco ait: si quis vult venire post me abneget semetipsum. Væ illi qui ducem sequitur appetitum. Est appetitus veluti coruus, qui ei, á quo nutritur, oculos eruit. Sed qui appetitu ducitur, suam cæcitatem & perniciem non intuetur. Vt enim ceruus fœminæ cupiditate incensus accurrit ad absconditum venatorem rugitum ceruæ fingentem, ductusque appetitu dum existimat se ad desideratam ceruam festinare, currit velocissimè ad mortem ipsam, & ad venenatam venatoris sagittam recipiendam. Sic qui indomito appetitu ducuntur,

Similitu.

C quanto celerius ad res desideratas contendunt, tanto perniciosius ad mortem ipsam amplectendam accurrunt. Fugiamus igitur nos ipsos si Christum sequi volumus, fugiamus vana nostra desideria, si illum imitari concupiscimus. In libro Iosue scriptum legimus, fugisse Israelitas vt vincerent, & hac fuga de rege Hai ciuitatis victoriam reportasse. Fugiebant ab inimicis, relinquebant ciuitatē, & se in solitudinem recipiebant, & erat Iosue cum fugientibus. Hai, idem est quod Chaos, siue confusio. Vis vincere

Iosue. 8. Figura.

D tuorum appetituum confusionem? Fuge ab illis, non sequaris illos, fuge à te ipso, & vinces te ipsum: fuge à mundi confusione, derelinque mundum, & vinces eum, & erit tecum Iosue, hoc est, Iesus, cuius ille Iosue imaginē gerebat. Quid igitur facimus? Cur non fugimus mundum, cur in eo detinemur, cur cupiditatibus obtemperamus? Audiamus Christum dicentem: egredimini de Babylone, fugite à Chaldæis. Et in hoc loco si quis vult, inquit, venire post me abne-

Isai. 48.

2. Petri. 1. get semetipsum. Et Apostolorum princeps, per hoc, inquit, efficiemini diuinæ consortes naturæ, fugientes eius, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem. Et Ioannes in Apoc. facta est, inquit, Babylon habitatio dæmoniorum. Apoc. 18. Et paulo post: & audiui aliam vocem de cælo dicentem: exite de illa populus meus. Fugiamus igitur à nobis ipsis, nã in hac re egredi est vincere, fugere est triumphare. Egrediamur igitur & fugiamus, vt consequamur victoriam, vt non solum de hostibus extraneis, sed etiam de nobis ipsis honorificé triumphemus. Dauid ille regum illustrissimus in tertio psalmo, Deum in hunc modum alloquitur: quoniam tu percusisti omnes aduersantes mihi sine causa, dentes peccatorũ contriuisti. Quibus verbis cum alijs concinit victoriam, quam de hostibus suis reportauit. Et in principio psalmi hæc verba literis mandauit: Psalmus Dauid, cum fugeret à facie Absalõ filij sui. Hæc est psalmi descriptio: parauit Absalon bellum aduersus patrem suum regẽ omni virtute ac laude præstantẽ, per summum scelus voluit ius diuinũ & humanum violare & peruertere, atque de regni pernicie & ignominia cogitare: quoniam ad principatum, & ad falsæ inanisque mundi gloriæ cupiditatem incredibiliter exardebat. Cum autem Dauid intelligeret filium suum contra eum surrexisse & coniurasse, aufugit, & hũc psalmum literis mandauit. Quid est hoc rex illustrissime? Canis victoriam tuam, & in principio, statim in frontispicio psalmi ais te fugisse. Non hęc videntur inter sese cohærere, nempe fugere, & superare. Si psalmum tuæ victoriæ componeres, quando cum magno triumpho ingressus est Hierosolymam pro victoria, quam de Goliath fortissimo Philisthinorum mirabiliter reportasti, nulla occurreret dubitatio. Solent enim victores carmina, atque cantica suarum victoriarum canere, memoriæ prodere, & literis consignare. At cum dicas psalmum hunc composuisse, cum fugeres à facie Absalon filij tui, videris à te ipso dissentire. Hæc sunt quæ prima fronte se offerunt. Sed si ea voluerimus altẽ perpendere, & attẽtius intueri, videbimus aperté nullam hic esse repugnantiam. Omitto illam interpretandi rationem quam literalem vocant: venio ad moralem. Per hunc Absalon filium Dauidis intelligitur appetitus, qui ab eo generabatur. Quid est fugere Dauidẽ à filio suo, qui contra eum insurgebat, eique bellũ parabat, nisi fugere ab appetitu, á turbido motu, á confusione, à peccandi occasione, & á mundi vanitate? Hæc est illustrissima victoria, excellentissimus triũphus, præstantissimum monumentum, & amplissimum rerum gestarum trophæum. Quæ potest esse glorioſior victoria, quàm vincere ipsum? Atque in hoc bello a se ipso fugere, & seipsum vincere, & carnem, dæmonem, & mundum superare. Vincere alios est humanum, at vincere hominem seipsum est diuinum. Hæc inquam, hæc est victoria illa, quæ gloriam illam consequitur, quæ viget memoria omnium seculorum, quam posteritás alit, quam omnes intuentur & admirantur. Hanc poscit á nobis Dominus in hoc loco dicens: vt abnegemus nos ipsos: sicque de nobis victoriam reportantes Christum sequemur.

Psalm. 3.

¶ *Si quis vult post me venire.* Hoc testimonio satis ostenditur quod aliás prolixius demonstrauimus neminem esse cogendum ad fidem suscipiendam. Si quis, inquit, vult.

¶ *Abneget semetipsum.* Non solum præcipit vt abnegemus patriam, facultates, parentes, sed nos ipsos. Quod mirũ profecto videri alicui poterit. Nam propensio atque naturalis inclinatio, ad malum non est: alioquin Deus ad malum profecto stimularet atque homines induceret. Quod falsum atque impium esse cõfitentur sancti omnes: Deus enim intentator malorum est. Præterea Deo autore nemo fit deterior. Inest autẽ nobis quædam animi propensio ad facultates comparandas: aliás enim minimé regius vates in illo Psalmo. 8. qui incipit Domine Dominus noster, gratias Deo immensas ageret pro bonis homini collatis. Inest, inquam, animi inclinatio & amor tantus

Cum inclinatio in nobis sit ad diligendum mundi res, cognatos, & nos ipsos, quæritur, quare Deus præcipiat hæc abnegare.

Psalm. 8.

tus erga parentes, vt non in hominibus solum, sed in brutis animalibus inueniatur. Dijs enim & parētibus nemo potest reddere condignum. Inest denique vis quædam naturalis quo omne animal diligat se ipsum, nemo enim carnem suam odio habet: nemo inquam potest (vt D. Thom. author est) seipsum non diligere. Quare igitur in hoc loco Dominus ait: vt quisquis voluerit illum sequi, se totū abneget, & omnibus huius vitæ opibus, voluptatibus, honoribus, cognatis, affectibus, denique vitæ ipsi, semel renū tiet? Quod non modo, solum id admonet: sed olim in lege illa, quæ vmbra erat futurorum, idē præcepisse legimus. Præcepit primum Abrahæ, vt egrederetur de terra sua, & de cognatione sua. Præcepit deinde, vt immolaret filium suum Isaac: iussit denique vt seipsum abnegaret: ac circunciderei præputium carnis suæ. Ad hæc, fateor: (vt à facultatibus & opibus incipiamus) non nobis licere quæ ad vitam sunt necessaria renuntiare, cætera vero mundi bona, quæ potius oneri & impedimento nobis esse solent ad comparanda cęlestia bona, ad vacandum Deo, ad incumbēdum prædicationi Euangelicæ, sanctum est abnegare. Quantum vero ad parentes attinet eos honorare, ac diligere tenemur sicut cæteros proximos, id enim & ratio postulat, & ad id inclinatio naturalis instigat & trahit omnes nos. Cæterum si nobis obstaculo sunt, vt Dei voluntatem non faciamus, abnegandi & renūtiandi sunt: qui enim amat patrē aut matrem plusquam Deum non est illo dignus. Natura enim amanda, sed peccatum fugiendum est. Præterea, nec nos ipsos præcipimur abnegare, quatenus rationis sumus participes, atque Deo seruimus, sed carnem nostram aduersantem spiritui, concupiscentias animalis hominis insurgētes aduersus rationem, appetitus effrenes, & rebelles, parere nolentes diuinis legibus & pręceptis: abnegare & renūtiare oportet. Quemadmodum enim quis equum suū diligit, quod sibi necessarius ad iter peragendum sit: & idcirco illi cibum & potum præstat: tamen ne segnis vecorsque efficiatur calcaribus percutit, & ne à recta via aberret fræno vtitur, quo illū dirigat: sic vir pius & iustus carnem suā diligere & nō odire debet: seipsum amare & nō odio prosequi, calcaribus tamē & fræno vti debet, vt caro in via Dei festinet, nec à vero Deo illi aberrare & deuiare contingat. Quod si non fecerit sed carnem, appetitus, desideria, segnescere, aut sine fræno aberrare permittat, tunc indignus est nomine Christiani, indignus vt Christum sequatur, & vt cum illo perpetua resurrectione fruatur: de qua paulo ante Christus Dominus loquebatur. Euangelica ergo disciplina minime contradicit inclinationibus naturæ, sed potius eas dirigit. Diuina namque sapiētia sal est condiens omnes animi & corporis propensiones illasque perficiens. Obserua autem interim, quid cum Abraham Dominus fecerit: si pro illo facultates aliquas quas in patria possidebat reliquit, dedit illi Dominus terram promissionis, manantem lacte & melle. Si cognatos, multiplicauit Deus semen suum, sicut stellas cæli: si seipsum circuncidit, & abnegauit, contulit illi Dominus seipsum: ego, inquit, ero merces tua magna nimis. Vt hinc discamus, quām verū sit quod Dominus ait: centuplum in præsenti vita accipiet.

Similitu.

¶ *Et tollat crucē suam & sequatur me.* D. Paulus in Epistol. ad Ephes. cap. 3. ait: huius rei gratia flecto genua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi, vt det vobis secundum diuitias gloriæ suæ virtutem, vt possitis comprehendere cū omnibus sanctis: quæ sit latitudo & longitudo: sublimitas & profundū. In quæ verba sic August. ait: sciendum, quia in his verbis figura & mysterium crucis ostenditur. Qui enim, quia voluit mortuus est: & quo modo voluit mortuus est: nō frustra ergo mortis tale genus elegit: in quo latitudinis huius, & longitudinis, & altitudinis magister tibi existeret, qui dixerat: tolle crucem tuam & sequere me. Tollitur crux, cum spiritu facta carnis mortificatur. Quandiu ergo euacuatur corpus peccati: quandiu exterior homo corrumpitur: & interior renouatur de

Ephes. 3.

August.

Exponitur locus Pauli.

de die in diem: tempus est crucis. In cuius ergo potestate erat mori, vel nō mori: & sic vel non sic mori: non frustra crucem elegit: vbi te huic mundo crucifigeret. Nam latitudo in cruce est transuersum lignum, vbi figuntur manus quod ad bona opera pertinet: quia ibi manus extenduntur. Longitudo est ab ea parte ligni, quæ ab ipso transuerso ad terram tendit: & ab ipso vsque ad terram conspicua est: ibi corpus crucifigitur & quodammodo stat: quæ statio perseuerantiā significat. Altitudo autem in ligno est, quod ab eodem trāsuerso sursum caput versus eminet: per quod signatur supernorum expectatio. Profundum vero est in ea parte ligni quæ non apparet quæ fixa terræ occultatur, vnde totum illud surgit: quod profunditatem significat gratuitæ gratiæ: in quę multorum ingenia conteruntur id vestigare conantia. Hæc Aug. vide glos. ad Ephes. 3.

¶ *Et tollat crucem suam.* Tres sunt (inquit Vgo) siquidem cruces, prima latronis desperantis: secunda, orantis & dicētis, memento mei Domine dum veneris in regnum tuum: tertia autem Christi Primus meruit crucem: sed non profuit ei ad salutem. Secūdus verò meruit: sed tamen ad salutem profuit. Tertius non meruit crucem, portauit eam tamē: sed nobis profuit. His tribus assimilari possunt tres species hominum: quorum hi primi sunt qui portant crucem, mortificando carnem: & tamen nō prodest eis, quia non pœnitent. Sunt autem alij qui mortificant carnem, & prodest eis ad salutem: orant & exaudiuntur, audiunt etiam quod dicitur: hodie mecum eris in paradyso. Quādo autem hoc audiūt? Cum Euangelium legentes dicunt: beati pauperes spiritu, quoniam ipsorū est regnum cælorum. Sunt etiam alij liberi à pœna peccati, nullis criminibus implicati: subtrahentes se à peruerso opere, ab otioso sermone, ab immunda cogitatione: in quorum manibus labor est assiduus, oratio in lingua, puritas in mēte, portātes aliena peccata quasi sua. Hi sunt qui portant crucem: non pro suis, sed pro peccatis alienis. Prima igitur

Vgo.

Tria genera hominum significata per tres cruces.

Luc. 23.

Matth. 5.

A crux diaboli, secūda cuiuslibet iusti, tertia verò Christi. Prima malitiæ, secunda pœnitentiæ, tertia iustitiæ. In vnaquaque, quatuor sunt dimensiones. In cruce etiam diaboli est altitudo. Qua extollitur super omne quod colitur. Profundum est desperatio: de qua dicitur, peccator cum in profundum malorum venerit cōtemnit. Latitudo in carnalibus qui latam & spatiosam viam sequūtur: longitudo verò pertinacia. In cruce verò iusti profundum est humilitas: longitudo, assiduitas laboris: altitudo, contē-

B platio: latitudo oratio: quæ non tantū latitudine sua complectitur amicū, sed etiam inimicum. Crux autē Christi habet profundum timoris, altitudinē spei, latitudinem charitatis, longitudinem perseuerantiæ. In prima cruce crucior, ad secundam tendo, pro tertia suspiro. Primam timeo, secundam quæro, tertiā desidero. In prima pœna tantum, in secūda pœna cum venia, in tertia gloria. Ad crucem malitiæ pertinet pœna, ad crucem pœnitentiæ pertinet venia, ad crucem verò iustitiæ gloria. Timeo igi-

C tur pœnam, quæro veniā, desidero gloriam. Sed forsitam quæris: vtrum reperire possis mensuras vtriusque crucis? Dominicæ crucis profundū habet beatus Iob, altitudinem Dauid, latitudinē Petrus, longitudinem Naboth. De profundo timoris dicitur: erat vir rectus & timens Deum. De altitudine spei dicitur a Dauide, in te Domine speraui non confundar in æternū. Petrus verò ostendit nobis latitudinem charitatis, dicēs, Ante omnia mutuam in vobis charitatem continuam habentes: quia charitas

D operit multitudinem peccatorum. Audis latitudinem cum dicit: operit multitudinem peccatorum. Hoc est etiam latum mandatum, vt qui diligit Deum diligat & fratrem suum. De longitudine verò scriptum est. Cū Achab rex Israel vineam Naboth vertere vellet in hortum: quod ille moraliter intelligēs, mori maluit, quam consentiret vt labor excolēdæ carnis verteretur in hortum voluptatis: voluit esse in bono perseuerantiæ mensuram longitudinis terminum mortis.

Iob. 1.
Psal. 30.

1. Pet. 4.

3. Re. 21.

mortis. Supra profundum igitur timoris, altitudo spei locatur: ne per timorē ad desperationem animus perducatur. Post spem charitas, post charitatem perseuerantia ponitur: vt qui sperat, amet: qui amat, in hoc quod amat perseueret. Hæc Vgo. Si ergo ire post Christum volumus non primam, sed secundam, aut tertiam crucem tollamus, & sequamur illum. Vtraque enim illarum nostra est: & ideò ait Christus, tollat crucem suam & sequatur me. ¶*Et tollat crucem suam & sequatur me.* Hypochrytæ crucē portant, sed quia non sequūtur Dominum infælices & miseri profectò sunt. Vnde Vgo sic inquit: væ portantibus crucem: non sicut Saluator suam, sed sicut Cyrineus, alienam. Væ cytharedis cytharizātibus non velut illi de Apocalypsi in cytharis suis: sed verè vt hypocritæ in alienis. Væ semel & iterum pauperibus superbis, portantibus crucem Christi, nō sequentibus Christum, qui cuius passionibus participantur, humilitatem sectari negligunt. Duplici contritione conterūtur, qui huiusmodi sunt. Quia hic pro temporali gloria se affligunt, & in futuro pro interna superbia ad æterna suppli cia protrahentur. Laborant cū Christo sed nō cū Christo regnabunt: sequuntur Christū in consequētur in gloria. De torrēte in via bibūt, sed non exaltabunt caput. In via lugēt, sed non cōsolabūtur in patria. & merito. Quid enim facit superbia sub pannis humilitatis Christi? Nunquid non habet quo se palliet humana malitia, nisi vnde inuoluta fuit infantia Saluatoris? Et quomodo inter præsepiū Domini simulans arrogātia se coarctat, & pro vagitibus innocentiæ malū murmurat detractionis? An non illi superbissimi in Psalmo: quorū prodijt ex adipe iniquitas eorum: multo citius sunt redempti ab iniquitate: quam isti qui latent sub sanctitate aliena? Certè minus est impius confitens impietatem quam mentiens sanctitatem: quia mēdacium addens geminat impietatem. Hęc Vgo. ¶*Et sequatur me.* Non ait Dominus, & sequatur Adā sed quid ait? Et sequatur me. Sequendus ergo & imitandus est

Vgo d' sancto Victo. 2. p. institu. monasticæ de claustro animæ. c. 23.

Hypocrytæ infælices sunt & si crucem portent.

3. p. ex misce. 2. lib. 4. tit. 28.

Sequēdus est Christus non Adā.

A Christus nō Adam. Vnde D. August. sic dicit. Quamuis in Adam simus carnaliter nati, non ipsum tamen debemus sequi, sed Iesum Christum Dominum nostrum, in quo renati sumus per baptismum, & viuimus. Quid est sequi Adā: nisi carnalibus concupiscentijs & desiderijs morte nos perpetua occidi? Et quid est sequi Christum, nisi carnales concupiscentias ac desideria in nobis mortificare, & cum ipso qui pretio sui sanguinis nos redemit fœliciter regnare? Et sicut quādo in Adam fuimus, om B nes in illo cecidimus, ita iam in Christo cæpimus esse, vt spiritualiter omnes cū illo resurgamus, & vt totum dicam, Adā nobis abstulit paradysum, & Christus donauit regnū cęlorum, & corpus suum pro nobis peccatoribus tradidit. Christus enim mortuus est pro peccato: sed nostro non suo, vnusquisque autē nostrū non pro omnium moritur peccato, sed suo. Quid est peccato mori, nisi opera maligna in nobis damnare, & hoc miserabile seculum fugere? Vt sicut homo mortuus in sepulchro, nulli detrahit, ne C mini violentus existit, neminem calumniatur, neminem opprimit: non inuidet bonis, non insultat malis: non luxuriæ carnis seruit, non bibendo magis ac magis sitim in se accendit: non odiorum flamma inardescit, non potentibus, aut diuitibus huius seculi, vt multi nostris temporibus faciunt, adulatur: non inquieta curiositate rapitur: non turbæ maximè sibi astantis curam gerit: nō auro argentoque siue pallio circundatus distenditur, non salutationibus potentum delectatur: non cum superbia in D flat, non ambitio huius seculi necat: nō vana gloria turpiter iactat, non aurum siue armillæ, atque omnes huius seculi falsæ diuitiæ inflamant: non rabies insani furoris exagitat, non equorum crassitudo & amor inuitat: non pulcherrima species fœminarum auidum reddit, non histrionum miserabilium verba risum excitant: non contentiones huius seculi perturbant, nō audacia extollit: nō gaudia huius seculi delectant, non iracundum animositas: non suspiciosum peruersitas,

uersitas, non verbosum vanitas: non risorem malignitas, non mobilem instabilemq; huius seculi versatis amor facit. Hæc & alia huiusmodi enumerãdo protelaui, vt intelligat dulcissima fraternitas tua, quatenus homo carne mortuus nec facere potest ista quæ dixi, nec pati, & vt his talibus nõ torqueamur, sed studeamus quãtum possumus cũ Dei adiutorio corpora nostra cum vitijs & concupiscentijs mortificare, & induamus nouum hominem qui secũdum Deum creatus est, in iustitia & veritate sanctitatis, nec humanis laudibus delectemur, nec detractoribus libenter aurem præbeamus, nec adulatoribus nostris credamus, nec discordes simus, sed magis eos quos valemus ad concordiam prouocemus, quia secundum Euangelium beati pedes qui ad pacem currunt. Hæc August. lib. de salutaribus documẽtis. c. 15. & 16. Si ergo hæc fecerimus non Adã, sed Christum sequemur, non veterem hominem, sed nouum imitabimur. Præcedet magister Christus, sequemur & nos, qui volumus esse discipuli.

¶ *Et sequatur me.* Quo pacto, inquies, Dominus, in hoc loco præcipit, vt sequamur illum: cum dicat Sapiẽs, Eccl. c. 2. Quid est homo, vt sequi possit regẽ factorem suum. q. d. nihil profecto est homo, vt sequi possit regem factorem suum. Si enim non potest consequi (ait Vgo) facturam: multo minus factorem sequi poterit. Si non potest inuestigare quod factum est: eum qui fecit quo modo poterit comprehendere? Quid est homo, vt sequi possit regem factorem suũ? Regem suum & factorem suum. Idem ipse qui rex est, factor est. Factor est quia creauit: rex quia gubernat in eo quod creauit: & dirigit ad quod creauit. Creauit enim in magno bono, & dirigit ad summum bonum. Quis est qui sequitur factorem suum? Qui viuit vt factus est: qui incedit secundum quod institutus est: Qui seruat bonum quod creatus accepit: & quod natura contulit impollutum custodit. Iste sequitur factorẽ suũ. Et quis est qui sequitur & regem suum? Qui tendit ad quod dirigitur: qui festinat peruenire quo inuitatur: qui legibus bene præsidentis obtemperat: qui iubentis imperio expontanea se ad omnia voluntate inclinat. Iste sequitur regem suum. Sed quis est homo qui Deo respondere possit? Quis sufficiens inuenietur reddere vicem Deo? Si ipse præcedit, & tu sequeris ergo aliud illius est, aliud tuum. Imò si ipse bonum inchoat: tu consomas: quod minus est illius est, & quod maius est, tuum est. Si Deus præcedit bonum inchoando, tu subsequeris perficiendo: iam non solũ æqualis Deo, sed maior inueniris. Sed forte ipse præcedit ostendendo, tu sequeris imitando. Et vbi quod dicitur: misericordia eius præueniet me: & subsequetur? Vbi est: ex ipso, & per ipsum & in ipso sunt omnia? Vbi est: quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, vt quid gloriaris quasi non acceperis? Nam si ostendere illius est, tuum sequi: iam aliquid habes quod non accepisti, neque ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia: sed quædam hominis sunt, quæ ex ipso non sunt: si aliqua potest per se homo quæ per ipsum nõ sunt. Sed nõ adhoc illuminat sapientia, vt sic sentiat homo: aut sic dicat quasi ex se aliquid habere possit homo: qui neq; hoc habere à se potuit quod est homo. Quid ergo dicit? Quid est homo, vt sequi possit regem factorẽ suum? Quam longè enim putas homo est à Deo, vt pertingat vbi ille est? Quid enim est pertingere vbi ille est: nisi esse quod ille est? Et quid est Deus? Aut homo quid est? Videte quàm longè sunt. Deus iustus est, & beatus: homo iniustus & miser. Videte quantum distant iustus & iniustus: miser & beatus. Non potest autem esse cũ beatitudine miseria: nec ad beatitudinem peruenire iniustitia. Iustitia via est: beatitudo patria. Peccati autem seruus iustus esse non potest: nisi fuerit à peccato liberatus. Videte ergo, quod non potest homo sequi regem factorem suum: nisi prius visitetur à rege factore suo. Non potest homo ad illum ire: sed ille potest, si voluerit, ad hominem venirẽ. Propterea rex & factor hominum venit ad hominem. Venit ad id quod

Eccles. 2.

Vgo de S. Vict.

quis est qui Christum Deũ & regem sequitur? Ille. s. qui viuit, vt factus est.

Psalm. 58.
Rom. 11.
1. Cor. 7.

quod homo erat: & factus est ipse quod non erat. Factus est homo pro homine: assumens nostram miseriam retinens suam iustitiam. Et apparuit inter Deum & homines mediator Dei & hominum homo Deus. Appropinquans hominibus Deus per miseriam: nec recedens à Deo homo per iustitiam. Ita Deus descendit ad vnum: & homo ascẽdit ad vnum: & in vno duo inuenta sunt alterum ex nostro, alterum ex suo. Erant quippe tria quædam. Deus erat, iustus & beatus: & homo erat, miser, & iniustus: & quia hæc conuenire non potuerunt, posuit se in medio homo Deus coniungens miserum & iustum. Vt per iustitiam, miseriam vinceret: & iustitiam ad beatitudinem repararet. Igitur cum esset nobiscum Emanuel per iustitiam quam ad nos attulerat: & per miseriam quàm à nobis assumpserat, redire cœpit vnde venerat. Vt in homine per iustitiam, miseriam vinceret: & hominem cum iustitia per miseriam ad beatitudinem reuocaret. Tenuit igitur iustitiam & sustinuit miseriam quousque miseriam vinceret: & iustitiam coronaret. Et cucurrit & præcessit nos. Passus pro nobis, & exemplum relinquens nobis, vt sequamur vestigia eius. Liberans nos à seruitute peccati, vt & nos in miseria, iustitiam habeamus, & per miseriam cum iustitia ad beatitudinem transeamus. Promittens nobis quod accepit: si patimur quod sustinuit. Vt regnemus cum ipso, si patimur pro ipso. Ita igitur verbum incarnatum factor, & rex noster. Quia sequi ipsum non potuimus in sua maiestate, præcessit nos in nostra humilitate: & de nostro viam strauit, vt ad sua perueniamus. Sed nec sic quidem sequi eum posset homo: nisi adiutus esset ab ipso: quia nec iustus homo per mortem ad vitam curreret, nisi ille qui peccatori dedit iustitiam etiam patienti constantiam daret. Rectè igitur qui sapientiam contemplatus fuerat: & qui per se nihil sit homo agnouerat: dixit: quid est homo vt sequatur regem factorem suum? Hæc Vgo. Quanuis igitur suis viribus miser

A homo sequi non poterat regem & factorem suum, iustus iam factus & adiutus à Deo homine illum sequi potest, illum imitari potest.

Vgo de S. Victo. ho. 10. in Eccle. in hæc verba.

¶ *Et sequatur me*. Sequi debemus Christum non ob bona huius mundi: sed eius amore commoti. Sequebantur filij Israel Dominum ab AEgypto egressi, non tam eius amore, quàm ob pascua sua: & ideò reprobati sunt. Vnde Osæas ait, capit. 13. iuxta pascua sua adimpleti sunt, & saturati sunt: & eleua-

Sequẽdus Christus ob eius amorem & non ob bona temporalia.

Osæ. 13.

B uerunt cor suum, & obliti sunt mei. Quibus verbis Dei bonitatem commendat: & illorum ingratitudinem dãnat. Quod facit etiam regius vates Psalmo. 77. & manducauerunt, inquit, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati à desiderio suo. Et addit: in omnibus his peccauerunt adhuc, & non crediderunt in mirabilibus eius. Pascua igitur sua vocat propheta, ea quæ desiderauerunt, propter quæ murmurauerunt, & de Deo male loquuti sunt. Exempli gra-

Psal. 77.

C tia, quando dixerunt, quis dabit nobis carnes ad vescendum? Recordamur piscium, quos comedebamus in AEgypto gratis. In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cæpæ, & allia, anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi man. Quia taliter & talia desiderauerunt, & desiderantes, vsque ad Nauseam impleti sunt, rectè pascua sua hæc dicta sunt, neque enim Deum propter ipsum, sed propter ista sequuti sunt. Cæterùm, qui Deum sequuntur propter

D ipsum, non hæc talia dicuntur pascua ipsorum: sed sermo Dei, cibus, vel pascua ipsorum est, iuxta illud Deuteronomij octauo. Quia non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Omnino delictum est, propter prædicta pascua Deum sequi qualia homines illi in deserto quærebant: idcirco tales vituperans Christus in Euangelio ait: amen amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.

Deut. 8.

Ioan. 6.

Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Similiter & omnes se existiment vituperari quicunque altari Christi præsto sunt, non propter dilectionem Dei, atque sacramentorum, quæ concelebrant: sed propter hoc solum, vt de altaris sumptibus viuant. Ab huiusmodi hominibus fugit Dominus, etiam si illum sequatur: quemadmodum fugit à turba Iudæorũ volenti illum regem cõstituere: quod illam panibus & piscibus refecerat. Lege Rupertum lib. 6. in Osæam: in principio, & in Ioannem, lib. 6. ¶ *Abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Vide Anselmũ egregie edisserentem de his tribus, lib. de mensuratione crucis per totum.

Rupert.

Anselm.

¶ *Qui enim voluerit animam suam saluam facere: perdet illam. Nam qui perdiderit animam suam propter me: saluam faciet illam.* His verbis monet Dominus non esse quare metuamus nobis exitium. Nam sic perire, seruari est. Quisquis enim Christi causa vitæ iacturam fecerit, is vitã suam in tuto collocauit. Contra, qui resiliens ab Euangelico negotio voluerit seruare vitam corporis, is perdet animæ suæ vitam, quæ vera denique vita dicenda est. Huius seruandæ gratia rerum omnium iacturam accipere prudentis est. Anima ergo in hoc loco pro vita vsurpatur de more scripturæ. ¶ Ostendit hic locus pulchrè quidẽ, non solũ nihil iacturæ esse perdere propter Deum, sed lucrosum valdè. Sũt multi qui se perdere putant, quod sibi propter Deum auferunt, nempe quod pauperibus tribuunt, quod sibi propter ieiunia subtrahunt: quod falsum esse multis in locis scriptura testatur. Qui dat pauperibus nunquam egebit: & in hoc loco qui perdiderit animã suam propter me: saluam faciet illam. Et mirum valde est, quod gratissimus sit homo illi qui cum decem, docuerit viginti lucrari, & ingratus sis ei, qui perdendo miseram vitam, quæ vix est vnius diei, lucrari te docet sempiternam. Sic Leuitici decimo nono. Præcipit Dominus eijcere trium priorum annorum fructus, vt sequentibus annis multiplicet eos tibi.

Lucrosum valdè est perdere propter Deum.

Prou. 28.

Leuit. 19.

¶ *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me. Nam qui perdiderit animã suam propter me, saluam faciet illam.* De duplici cruce, duplicique martyrij genere, libet in hoc loco disserere. Quorum vnum exhibetur, cum sæuit tortorum immanitas: alterum occultius quidem est, sed nihilominus fortem animũ postulat, multaque diuinitus armatura communitum. Martyr vt ijs quoque notum est qui Græcè nesciũt, testem sonat. Et quamquam omnis piorum vita testimonium reddat Deo: martyrioque suo, illum glorificet, ac Christũ filium eius: Nullum tamen est illustrius testimoniũ apud homines quàm sanguinis, hoc est, vitæ propter Deum contemptæ, & mortis fortiter toleratæ. Reddiderunt & miracula testimonium diuinæ potentiæ, præsertim apud incredulos, nam his propriè data sunt signa, quemadmodũ scribit Beatus Apostolus, sed semper efficacius fuit sanguinis profusi testimonium. Quot morbos insanabiles verbo sanarat Dominus? Et tamen pauci credebant in eum, & audiebat: in Beelzebub eijcit dæmonia. Cæterum vbi ventum est ad sanguinem, ibi deiectum est Satanæ regnũ, ibi subactus est mundus. Vita Domini qui summus fuit martyr, quique hodie pugnat & vincit in martyribus, plurimis fuit offendiculo. Non iam loquor de pharisæis, sed ipsis etiã cognatis fuit detestabilis: cum dicerent illum in furorem versum: sed mors illius non solum pijs, sed impijs etiam fuit admirabilis, nec alibi magis verum fuit, quod Dei virtus in infirmitate perficitur. Ibi fracta est Satanæ tyrannis, ibi deuicti sunt inferi, ibi triumphatum est de Zabulo, ibi deiectus orcus, cælum apertum. Nimirum hoc erat quod instanti mortis tempore deprecabatur Dominus: Pater clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. Quid homine mortuo contemptius? Quis enim vel Cæsarem mortuum metuat? Sed Christi morte quid efficacius? Velum templi scissum est à summo vsq; ad imum: terra

De duplici genere martyrii, scilicet, sanguinis, & sine sanguine. Ex Cypr. martyr, i. testis.

Nullũ excellentius testimoniũ quàm sanguinis. Idque probatur.

Matt. 12.

2. Co. 12.

Ioan. 17.

terra concussa est, saxa discissa sunt, apecta sunt monumenta, reuixerunt sepultorum corpora, sol medio die obtexit faciem suam. Nunquam per omnem vitam magis declarauit potentiam suam, mox refractis omnibus mortis repagulis viuum se discipulis exhibuit. Nimirum hoc erat sacrosancti sanguinis illud efficax testimonium, qui solus potuit dirimere maceriem quæ Deum ab hominum genere separabat. Neque enim sanguis hircorum, &c. Potuit peccatum abolere. Vmbræ erant illi & typi futurorum, nec vllus hominis sanguis poterat tollere peccatum mundi, præter vnici illius agni sanguinem, cui Baptista tribuit testimonium, dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Plus est tollere peccatum quàm peccata: & peccatum non huius aut illius, sed mundi: corpus enim peccati mundum vniuersum occuparat, hoc per Christum esse sublatum; sanguis ipsius pro nobis effusus reddit euidens testimonium: melius pro nobis loquens, vt inquit Apostolus, quàm sanguis Abel. Si quidem ille clamans de terra loquebatur vindictam, at Christi sanguis de cruce clamans, pacem loquitur, & reconciliationem. Quin idem sanguis quoniam à nobis bibitur, si modo digné bibitur, clamat in cordibus nostris verba pacifica, & solatij plena. Quemadmodum igitur ille suo mirabili testimonio clarificauit patrem in hoc mundo, atque etiam in cælis, ita testimonium illius, quodammodo consummatur testimonio sanctorum, quasi sit vna passio Domini & seruorum. Id nequis existimet parum religiosé dictum, Beatus Paulus nobis patrocinatur, ita scribens Colossen. Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia. Quis enim nescit fratres, quæ vberum prouentum effudit Ecclesiæ seges, Apostolorum ac cæterorum martyrum sanguine irrigata? Quo plus sanguinis effusum est, hoc magis ac magis efflorsuit multitudo fidelium, hoc latius sparsit

Ioan. 1. Græca editio habet peccatum mundi.

Heb. 12.

Colos. 1.

suas propagines illa beata vitis, à Christo stirpe surgens, & occupans orbem vniuersum, quacunque patet ab Oriente ad occidentem, ab aquilone vsque ad austrum. Qui naturæ causas scrutantur, narrant adamantem nulla chalybis duritie cedentem, hircino sanguine maceratum, ictum malleorum dissilire. Nullus autem adamas corde saxeo peccatorum durior: hoc igitur cor ferreum, cor saxeum, cor plusquam adamantinum, emollit sanguis Christi, & huius martyrum qui suppleront quod illius passionibus deerat. ¶ Nec tamen statim martyr est, qui occiditur; occiduntur & sicarij: non supplicium facit martyrem, sed causa. Quod si qui leguntur sibi fortiter consciuisse necem, aut infirmitas erat, morte querens dolorum finem, aut ambitio, aut dementia. Nec hoc est testimonium præbere Deo, id facere quod & Deo displicet, & gentium etiam legibus prohibetur. Plurimum interest, inter barbaricam immanitatem, & martyrum modestissimam constantiam, in se imbecillem, in Christo fortem. Sunt qui certis artibus corpus stupefaciunt ne sentiant cruciatus, hoc modo se quidam malefici muniunt aduersus carnificum manus. Sunt & affectus impotentes, qui sensum adimunt animo, ita vt vel mortem impauidi perferant. Sed placidum illud ac mansuetum, illud humiliter sublime, & sublimiter humile, nō videmus, nisi in Christi martyribus. Non obtuentur trucibus oculis carnificem, non minantur tyranno, magis dolent de illorum cæcitate, quam de suis afflictionibus. Scilicet, clamat, & in illis Christus, pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Non aliud spectant quam in cælum, vbi spem omnem habent repositā. Sic ipse Dominus velut agnus sine voce ad mactationem ductus est: & si quam ædidit vocem, ea magis declarauit animum mitem ac placidum, quàm vllum potuisset silentium. Quàm blanda oratione compellat Iudam proditorem? Quā placidé respondit cæsus alapa? Quam nihil ferocius loquitur Annæ & Cai-

Similitudo

Non supplicium facit martyrem sed causa.

Mansuetudo maxima notatur in martyribus, ac pietas erga tyrannos.

Infr. 23.

phæ? Quam trāquillè respondit Pilato? Denique cum pharisæi veluti victores mouerent capita sua, amarissimis conuicijs in illum debacchantes, ille mitissimus clamat. Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Non igitur mori per se testimonium est, sed sic mori est testimonium præbere Deo. ¶ Hic Dominus quemadmodum, & in cæteris omnibus sese formam nobis exhibuit. Cum enim instaret extremus actus martyrij quem aiunt in fabulis oportere esse optimum, secessit, abiecit sese in terram, prolixè atque etiam frequenter, ac sanguineo sudore madescens, nostræ naturæ in se expressit imbecillitatem, ante testatus animi tædium, ac tristitiam vsque ad mortē ne nos in desperationem caderemus, si cum omnia mortem præsentem intentant, horrorem naturæ senserimus. Nisi enim adesset sensus dolorum, nihil haberet admirabile martyrium: sed superare dolorem, corona dignum est. Horrere mortem naturæ est: vincere naturā animi fortitudine, gratiæ est. Omnia potest Paulus, sed in eo qui eum corroborat. Sed quibus præsidijs vincitur naturæ infirmitas? Si nos totos humi prosternamus, hoc est, si nihil omnino tribuamus viribus nostris, si vigilemus & oremus instanter, si nostram voluntatem diuinæ voluntati submittamus, dicamusque illa ex animo, ex toto corde. Transeat hic calix si fieri potest, sed fiat non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Qui enim se totum tradit diuinæ voluntati, non alio spectans, quàm ad illius opē, is demum firmus est, & inuictus. Hoc autem fieri non potest, nisi adsit vera ac viuida fides, nihil hæsitans, nihil disquirens: ne cogitans quanta sit tyranni sęuitia, quanta hominis imbecillitas, sed quanta sit Domini virtus, qui certat ac vincit in membris suis. Ergo vt à digressione reflectamus ad id quod erat institutum, quemadmodum Domini mors potētior erat quàm vita, ita voluit martyrum suorum mortem esse potentem. Quid enim infirmius quàm vinciri, dānari, cædi, cruciari, occidi, & ad carnificum arbitrium præbere corpus? Hæc

Quare Christus ante mortem sanguinē ex animi anxietate sudat, quare prolixè precatur.

Manifestum [illegible]

A speciei interdum misericordiam mouet etiam sæuissimis tyrannis. Verum iam vbi ad monumenta martyrum pellantur morbi, rugiunt dæmones, terrentur monarchæ, coruscant miracula, concidunt idola, tunc apparet quàm sit efficax ac potens martyrum sanguis. Iam non est par omnium martyrum in tormentis alacritas, quemadmodum nec omnes eodem genere mortis defunguntur. Tres illi beati pueri in medijs flammis inuenere refrigerium, & septi innocuo elemento velut in conclaui canebant hymnum Domino. Daniel item B intra noxam leonum sodalitio est vsus. Beatus Andræas, vt habet humana quidem historia, sed satis probatæ fidei, gaudens sibique gratulans ibat ad crucem. Est igitur & illud veri martyris, hoc quoque totum arbitrio Dei committere. Nouit ille quid expediat nobis, & quid ad ipsius gloriam maximè conducibile sit. Tantum illud assiduè cogitandum est, siue viuimus, siue morimur, Domini sumus. Nec sibi quisquam displiceat si corpore pariter & animo sen-C tiat grauem ac diutinam molestiam, tantum fidat ei cui certat, is non patietur tentari supra id quod potest, sed faciet etiam cum tentatione prouentum. Quosdam electos patitur interdum in tormentis deficere, vt agnoscant imbecillitatem suam, atque eosdem post fortissimos reddit in certamine. Hac dispensatione Petrus ter abnegauit Dominum, vt edoctus, quàm nihil posset suis viribus, confirmaret fratres suos. Quomodo autem confirmaret? Vt sibi diffisi fiduciam omnem collocarent in Do-D mino. Hæc Diuus Cyrillus de prima cruce primoque martyrij genere piorū, qui perdere vitam suam libentissimè voluerunt propter Dominum: vt illam in perpetuum seruarent in cælis.

¶ De secundo verò martyrij genere nunc disputandum est, quod occultum quidem est, & omnium temporum commune. Et si enim deficiant Nerones & Diocletiani. Nunquam tamen defutura sunt certamina, nunquam martyria, quibus homines pij glorificent

Martyris veri est, totum suum negocium Dei arbitrio committere.

Quare patitur Christus interdum suos in tormentis deficere.

ficent Deum. Ecclesia quidem adhuc in hoc exilio militans, peculiaribus gaudijs applaudet ijs: qui in professione nominis Iesu, animas suas fideliter deposuerunt: sed cœleste theatrum, angelorum myriades, atque omnes beati applaudunt omnibus qui synceram fidem, & charitatem inuictam, quam habent erga Dominum Iesum, integritate vitæ testificantur: nec solum professione fidei, quæ iuxta Paulum ore fit ad salutem, glorificatur Deus, verum etiam confessione commissorum. Nisi enim piorum vita cederet in gloriam Dei Christus non diceret: vt videant opera vestra bona & glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Nec D. Paulus, empti enim estis precio magno glorificate & portate Deum in corpore vestro. Sicut enim imperator sibi placet de milite strenuo, sic existimans, illius virtutem ipsi decori & ornamento esse: sic Deus gloriatur in his quos redemit, quos lauit, quos sanctificauit. Si vitæ sancti Monia declararint Domini gratiã in ipsis non fuisse vacuam. In libro Iob gloriatur Dominus de seruo suo Iob, quod esset pius & iustus ac timens Deũ. Imo in peccatorum confessione glorificatur maxime Deus. Gaudium, inquit, est in cælo super vno peccatore pœnitentiam agenti, quàm super nonaginta nouẽ iustis, qui non indigent pœnitentia. Hæc cum ita sint conemur assiduis exhortationibus excitare fidelium animos, vt tota etiam vita martyrium, hoc est, testimonium reddat Deo. quod adeò negligendum non est, vt nisi ea præcesserit, martyrium quod sanguine perhibetur non sit martyrium. Frustra enim carnifici præbueris ceruicem, nisi prius occideris membra quæ sunt super terram, hoc est, affectus qui militant aduersus spiritum: odium, inuidiam, auaritiã, superbiam, quibus quicunque seruit Deum quodámodo abnegauit, & Christum ore profitens, vita Satanam Deum confitetur. Nec hic sermo debet videri durior: nam quicquid homo Deo anteponit, sibi Deũ facit. Nec possumus duobus seruire Dominis, vnus enim est

Vita piorum cedit in gloriã Dei.
Matth. 5.
1. Cor. 6.

Cõfessione peccatorum glorificatur Deus.
Luc. 15.

A Deus ex toto corde, ex tota anima diligendus. Nec quis itaque sic sibi blandiatur. Sum peccator, amo pecuniam, seruio libidini, studeo honoribus, indulgeo vindictę, deditus sum voluptatibus, sed Christum non abnegaui. At reclamat tibi Paulus: profitẽtur se nosse Deũ factis autẽ negãt: factis ergo tibi Paulus ait, abnegasti: reclamat tibi Dominus ipse. Non potes duos Dominos colere: cũ ergo tot vitijs seruias, gloriaris quod Thus idolis non obtuleris? Si quis miles iuratus in verba Cæsaris profugeret

Ad Tit. 1.
Luc. 16.

B ad Turcam, & ex illius arbitrio faceret ea, quæ sciret ingratissima Cæsari, nonne comprehensus ad supplicium raperetur, vt desertor, vt periurus, vt perfuga? Quis autem audiret eum ita se defendẽtem: non sum desertor, non abnegaui Cæsarem? An non mox audiret quid refert, si lingua tacuit re ipsa abnegasti, & plusquam abnegasti, qui non solum deserueris militiam, verum etiam ad tyrãnum & hostem imperatoris tui irreconciliabilem transfugeris. Meritò fideliũ aures abominantur apostatæ vocabulũ,

C verum hoc non ibi tantum execrandũ est, cum incenso thusculo, aut scripto libello renuntiatur professioni nominis Christi, sed vbicunque cõtemptis Christi legibus, obtemperatur Satanæ. Nec enim refert quid sonet lingua, quæ si sonet Christum, cum animus sit deditus criminibus, non est professio, sed hypocrisis, abnegatura Christum si metus vrgeat, qui premit thurificatos aut libellatos. Christum ergo semel professi tota vita reddamus illi testimonium, & vndique glorificemus illum, obedientes il-

D lius præceptis, vt in hoc cognoscant homines quod verè fidimus illi, quod ex animo diligimus illum, & quod non simulatè ad sacrum lauacrum addiximus nos illius militiæ. Beatus Apostolus prædixit, nulli piè viuere volenti in Christo Iesu defuturam persecutionem: & in hoc loco Dominus ait: tollendam esse crucem ab illo qui post eum venire vellit. Si deest tyrannus, si tortor, si spoliator, non deerit concupiscentia, martyrij materiam quotidianam

Hoc secũdũ genus martyrii nunquam Christiano deerit.

nam nobis exhibens. Postremò, hæc ipsa mala quæ secum defert vita mortalium, quæque pijs cum impijs communia sunt, martyrij coronam nobis parabunt, si placide, si cum gratiarum actione pertulerimus. Neque priuati sunt martyrij gloria, quicunque violenta morte consummati non sunt. Quis autem ausit vel Abraham Patriarcham, vel huius filium Isaac, vel beatum Iob eximere è martyrum numero? quæ carnifice grauius torserunt corpus, quàm Patriarchæ mentem torquebant naturæ affectus, quum incunctanter ad Dei iussum appareret immolare filium vnicũ & vnicè charũ, in quo tota spes erat illi posteritatis? quid defuit Isaac martyrio, qui nihil obmurmurans passus est se colligari & imponi busto? Nec expauit in ceruicem vibratam machæram? Cuius autem martyrium audebimus conferre cum his quæ passus est Iob? Quod siquis aut desidit sermoni nostro, certè beati Pauli verbis non poterit defidere. Is scribens ad Hebræos orsus ab Abel vsque ad Gedeonem, ingentem sanctorum Cathalogum recéset, in quo plures sunt, qui non defuncti sunt morte violenta, imo pauci sunt qui sic mortui sunt, & tamen de omnibus pronuntiat, & hi testimonio fidei probati inuenti sunt, perspicuè declarans etiam vita bona peragi martyrium fidei. Ecclesiæ quidem vsus discernit illos cognominibus, martyres appellans eos qui violenta morte decesserunt, confessores qui constanter in cruciatibus ac minis mortis professi sunt nomen Domini Iesu, parati mortem appetere, vel potius martyrij supremam coronam ambientes, apud Deum tamen & quicunque carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs, quicunque Christo verè commortui sunt, eique in baptismo consepulti sunt, vt iam non sibi viuant, neque mundo cui semel mortui sunt, sed ei qui pro ipsis est mortuus, martyres sunt, nec martyrum corona fraudabuntur. In summa ergo quisquis verè Christianus cuiusque status, aut ordinis habet certamina sua, habet crucem suam, quam si patienter tollit, si constanter sustinet, testimonio suo glorificat Dominum, tantum ne sibi vindicet laudem bonorum operum, hoc enim non est glorificare Deum, sed clarificare seipsum. Habet vnusquisque fidelium agones suos, habet aduersarium Zabulon, habet Agonothetam Deum, habet theatrum, non solum Ecclesiæ & Angelorum, sed & infidelium, quemadmodum dicit Paulus ad Corinthios. Spectaculum facti sumus mundo, & angelis, & hominibus. Si vincimus, gloriantur angeli, gloriantur & fidelium Ecclesiæ, gloriatur & ipse Christus in membris suis. Sin vincimur ignauia nostra, triumphat Satanas, cum angelis suis, insultant nobis increduli, ac Deum contumelijs afficiunt, dicentes. Ecce qui iactant se redemptos à tyrannide Satanæ, qui prædicant se mortuos mundo, nihilominus vincuntur à cupiditatibus suis quã nos, quos dicunt adhuc teneri sub regno Satanæ. Quid prodest illis baptismus? Quo dicunt exui veterem hominem cum actibus suis, & indui nouum, qui secundum Deum creatus est. Cur semper in ore habent, Euangelium, Euãgelium? Cum tota vita discrepet ab Euangelij præceptis? Quanto creditis pudore suffunditur Ecclesia, cum hæc ingeruntur ab hostibus, nec habet quo refellat opprobria? Itaque fratres dilectissimi, si verè diligimus Deum, si quotidie petimus ex animo: sanctificetur nomen tuum, summo studio aduigilemus, ne cubi polluamus nomen illius, sed è morte & vita glorificemus illum, iuxta Beati Pauli monita viuentes, sine querela, vt simplices filij Dei, sine reprehensione, in medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos luceamus, sicut luminaria in mundo verbum vitæ continentes ad gloriam Christi Iesu regis, & Agonothetæ nostri, qui suum esse ducit quicquid in membris ipsius geritur. ¶ Si ergo à Satana tentaris obijce tentatori clypeum scripturarum, in quibus tibi loquitur Deus, non minore fide, quam si tibi coram ore

Abraham Isaac & Iob martyres dici possunt.

Heb. 11. vita studiosa christiani martyriũ est.

1. Cor. 4.

Phil. 2.

ad

ad os loqueretur. Ex his torrentibus sume tibi lapides, quibus deijcias superbū Goliath. Habes exemplum à Domino tuo, sic ille prostrauit Zabulon, nec deijcias animum si sæpius inuadat, ac subin de maioribus machinis aggrediatur, nihil potest aduersus eum qui tecum est. Dic illud Ioannis, maior est qui in nobis est, quàm qui in isto mundo. Succurrat illud Domini dictum, confidite quoniā ego vici mundum. His rationibus si Christi miles fuerit exercitatus ad conflictum, indies comperiet suum antogonistam debiliorem. ¶Nec tamen remittendæ sunt excubiæ, si quando hostis simulauit tranquillitatem, sed obseruans illius insidias, dicat cum beato Abacuc, super custodiam meam stabo, & gradū figam super petram, omni custodia seruans cor meum, ne qua pateat additus obambulanti quærentique quem deuoret. Tutissimum autem cordis monimentum est, sobrietas, cum instanti oratione, iugique scripturarum meditatione. Omnis enim scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguēdum, ad corripiendum, ad erudiendū, iniustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instrutus. Ex hac igitur colligendæ sunt sententiæ quas ad manum & velut in procinctu habeas, vt his protinus serpentem caput erigentem deijcias: nullus est enim animorum morbus, cui non præsens remedium diuina Scriptura suppeditet: hinc comparanda sunt exempla piorum, sed præcipuè Christi, quibusquisque vel animet, vel consoletur. Hæc ex Diuo Cypriano, in lib. de duplici martyrio desumpsimus, & decerpimus: reliqua lege apud illum.

Ioan. 16.

Abac. 2.

¶. Armatura nobis necessaria, ieiunium, oratio, & lectio scripturarum. 2. Tim. 3.

¶*Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem donec videāt regnum Dei.* q. d. ne dubitetis olim futurum, quod dico, scilicet, denuo me venturum, deposita carnis infirmitate & proferentem vniuerso mundo maiestatem meā; illud vobis affirmo pro certo, sunt hi inter vos astantes quidam qui non exhibunt ex hac vita, nisi prius viderint aliqua ex parte maiestatem regni Dei: quod nunc latet, olim patefiet omnibus. Loquitur enim de gloria transfigurationis visa à Petro, Ioanne, & Iacobo. Vnde vt præstaret Dominus quod erat pollicitus die ab hoc sermone fermè octauo, selegit è duodecim tres & conscendit in montem & transfiguratus est ante eos, vt statim narrat Lucas. Lege Hilarium. lib. 11. de Trinitate.

¶Diuus Hieronymus super Matth. c. 16. Hæc verba explicans sic ait. Terrorem Apostolorum spe medicari voluerat promissorum, dicens: filius hominis venturus est in gloria patris sui cum angelis suis. Insuper authoritate iudicis addita, & reddet vnicuique secundum opera sua. Poterat Apostolorum tacita cogitatio, istius modi scandalum sustinere. Occisionem & mortem nunc dicis esse venturam: quod autem promittis te affuturum in gloria patris cum angelorum ministerijs, & iudicis potestate, hoc indies erit, & in tempora longa differetur. Præuidens ergo occultorum cognitor quid possent obijcere: præsentem timorem, præsenti compensat præmio. Quid enim dicit? Sunt de hic stantibus qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei. Vt qualis est postea venturus, ob incredulitatem vestram præsenti tempore demonstretur. Hæc Hieron.

D. Hilar. D. Hiero.

In die Transfigurationis, et Dominica secunda Quadrag.

FActum est autē; post hæc verba ferè dies octo, & assumpsit Petrū, & Iacobū, et Ioannem, et ascendit in montem vt oraret. Et facta est dum oraret, species

Matt. 17. Marc. 9.

vultus eius, altera: et vestitus eius albus & refulgens. Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses et Elias, visi in maiestate: & dicebant excessum eius, quem completurus erat in Hierusalem. Petrus verò et qui cum illo erant, grauati erant somno. Et euigilantes, viderunt maiestatem eius, & duos viros qui stabant cum illo. Et factum est: cum discederent ab illo, ait Petrus ad Iesum, præceptor, bonũ est nos hic esse: & faciamus tria tabernacula, vnum tibi, & vnum Moysi, & vnũ Eliæ, nesciens quid diceret. Hæc autem illo loquẽte, facta est nubes, et obũbrauit eos: et timuerunt intrantibus illis in nubem. Et vox facta est de nube, dicens, hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Et dum fieret vox, inuẽtus est Iesus solus. Et ipsi tacuerunt, et nemini dixerũt in illis diebus quicquam ex his quæ viderant.

F*Actum est autem post hæc verba, ferè dies octo.* Vide quæ annotauimus Matth. 12. in illa verba: tribus

A diebus & tribus noctibus. Et Matth. 17. ibi post dies sex. ¶ *Et Assumpsit Petrum & Iacobum & Ioannem.* Transfiguratus est Christus coram discipulis suis, vt specimen præberet illius gloriæ, quam in illa æterna beatitudine tam oculis corporis quam oculis mentis sumus contemplaturi. Tunc enim humana natura, corporeis oculis Christi humanitatem, & mentis oculis eius diuinitatem contemplari valebit. Considera obsecro (inquit Bruno) quanta tunc lætitia esse poterit videntibus Deum, cum & corporeis oculis videant Christi humanitatem in vno loco manentem: & mentis oculis contemplentur eius diuinitatem omnia continentẽ. Neuter visus erit otiosus, vterq; videbit illud bonũ in quo multum valeat delectari: & quo videndo nequeat satiari. Hæc sanctus Bruno serm. 3. de Trinit. ¶ Transfiguratur peculiariter coram his tribus discipulis in signum & argumentum quod eos plus cæteris omnibus diligeret. Nobis enim maxime charis secreta nostra aperire & reuelare solemus. ¶ Hos præterea solum admisit (inquit Orig.) vt qui soli tunc possent eius gloriam capere, & contemplari, & Moysen quirent & Eliam in gloria apparentes pernoscere: & audire hos colloquentes, & vocem cælitus editam. Sed Iesum arbitror, vel priusquam montem conscenderet, quo & discipuli ad se concesserũt, de cælesti beatitudine disserendo hos instruxisse. Hæc Origenes. Non ergo omnes admisit cum esset sese in eminentissimo monte transfiguraturus, quod ad tantum mysterium nõdum essent capaces. Eandem ob causam, neque multitudini post gloriam suæ resurrectionis apparere voluit, vt solebat cum in mũdo mortalis viuebat: sed solis discipulis per dies quadraginta apparuit, alijsque tãto mysterio dignis, atque capacibus. Vide Origenem, lib. 2. contra Celsum. ¶ Præterea hos elegit, quia alta mysteria non sunt omnibus explicanda, neque exponenda immediatè: sed per maiores tanquã per cælos, ad minores tanquã ad terram dimanare atque deuenire æquum & consenta-

Bruno.

Orig.

sentaneum est. Et ideò Dominus Iesus (vt Chrysost. ait) tres discipulos assumpsit ad tantum sacramentum, tanquam cæteris præstātiores, atque potiores. Nam Petrus excellens fuit in dilectione erga Christum, atque in potestate sibi cōmissa: Ioannes verò in priuilegio amoris, quo à Christo vnicè diligebatur ob puritatem virginitatemque suam. Atq; ob prærogatiuā Euangelicæ doctrinæ qua cæteris fuit excellsior: Iacobus autem ob martyrij præeminētiam. Mortuus enim est pro Christo ante omnes discipulos, Lege D. Thom. 3. p. q. 45. art. 3. ad 4. Et Abulens. quæstionibus in Matth. c. 17. Alias autē causas huius rei passim apud Doctores inuenies. ¶ *Ascendit in montē*, D. Petrus hunc montem sanctum vocat, quod ibi maiestas & gloria Domini visa est. Cum essemus (inquit) cum ipso in monte sancto. Eandem ob causam olim dixerat Dominus Moysi cū ei apparuit in rubo: ne appropies huc: sed solue calciamentum tuum: locus enim in quo stas, terra sancta est. Propter præsentiam scilicet, meam.

Chrysost.

D. Tho.
Abulē.

2. Pet. 1.

Exod. 3.

¶ *Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & ascendit in montem.* In montem tribulationum & laborum ascendere debent pij & iusti, si transfigurari volunt: si Dei præsentia frui desiderāt: per multas enim tribulationes oportet nos adire regnum Dei. Obserua tamen, quod à Domino ducuntur à Domino trahuntur. Eius enim gratia adiuti, omnia possunt æquo animo ferre: etiā si intolerabilia & impossibilia sibi videātur. Impossibile videbatur Moysi eum posse tantam hominū multitudinem liberare à ditione Pharaonis; idcirco dicebat. Quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de AEgypto? Cui Dominus ait: ego ero tecum.

In montē tribulationis ascendere debemus, si transfigurari in cælo volumus.

Exod. 3.

¶ Sed ais maximas ego Deo gratias ago quod mundi diuitias contempserim, quod mundum persecutorem non habeam, omnia pacata & plana mihi sunt: montem quo iter faciam, & ascendā nō habeo: in tuto omnia mihi sunt posita. Si mundum fugisti, si eius diuitias, voluptates, honores, & dignitates contem-

A nendo superasti: nonne te ipsum, quo quo te vertas, quo quo vadas, tecū fers? Nōne carnis tuæ pronitatē ad malū tecū portas? vicisti ne te ipsum? Superasti mōtē concupiscentiæ tuæ? Minime quidē. Quid enim tibi proderit mundi montē superare, si secūdum carnem vitam tuā instituis? Si enim secundum carnem vixeritis (ait Paulus) moriemini. Genes. c. 31. Sacra narrat historia fugisse Iacob à socero suo Laban, secum tamen attulit vxorem cæcam, hoc est, liam. Quantū-

Rom. 8.
Gen. 31.
Figura.

B uis tu mundum, insidiasque diaboli fugias: tecum carnem tuam cæcam, pronamque ad peccandum, iter impedientem, afferes. Plus multo nocuerunt, dānumque intulerūt Absalon filio Dauid, pretiosi capilli capitis sui, quàm milites exercitus patris sui. Si enim desideria carnis tuæ immoderata (quæ tecum semper affers) sequaris, in pace tibi videbuntur, atque in tuto esse omnia; ibis tamen in preceps non ductus à Christo, sed deductus à concupiscentia tua in imas sedes: vbi perpetuus dolor, perpetuus labor, & erumna. ¶ *Assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem, et ascen-*

2. Re. 18.
Figura.

C *dit in montem.* Discant præsules, discant sacerdotes non ducere sibi subditos per vallem voluptatum, sed per pœnitentię montem ad beatitudinem. Intelligant subditi non esse ducēdos per prata amæna delitiarum, sed per montes asperos ieiuniorum & vigiliarum. Intelligant, inquam, non æquum esse velle, vt eorum præsules, atque sacerdotes portent peccatum eorum, dicentes quod olim dicebat peccator Saul Samueli: porta, inquit, quæso peccatum meum: & quia

Præsulis optimi est subditos per montē pœnitentiæ ad cœlum ducere.

1. Re. 15.
Figura.

D noluit, apprehendit Saul summitatem pallij eius, quæ & scissa est. Sunt enim peccatores multi nolentes pro innumeris peccatis ac sceleribus suis, aut aliquid pati, aut proximis suis satisfacere, aut assueta relinquere: sed liberè ab omnibus volunt absolui: quod si præsules eorum vt par est, id efficere nolunt: pallium eorum, obmurmurando ac maledicendo scindunt: ac sicut pestiferi canes dilacerant. Volunt, inquam, vt secū res agatur, sicut olim cum puero Samuele:

1. Reg. 3. Figura.

actum est. Vocabat Dominus Samuelē: ille autem currebat ad sacerdotem suū Heli, & dicebat. Ecce ego: vocasti enim me. Cui Heli respondebat. Reuertere & dormi. Præcipit Dominus peccatoribus vt euigilent, vocat eos vt pœnitentiam agant: ducere vult illos ad montem hūc excelsum, vt tandem beatitudine sempiterna fruantur: & tamen illi ad sacerdotes, confessoresque suos accedentes, volunt vt illis somnus præcipiatur non vigilia: voluptas carnis, non mortificatio quæ mons altus & excelsus est. Quibus væ perpetuum minatur Ioannes Apoc. cap. 8. inquiens. Væ habitantibus in terra. Fœlices ac beati illi qui duci volunt in montem hunc excelsum mortificationis, semper in corpore suo mortificationem Domini nostri Iesu Christi portantes. In hoc enim monte conspiciunt Dominum transfiguratum, in hoc monte intuentur pulchritudinem & venustatem Dei, in hoc monte recipiunt Spiritus sancti charismata, & nostræ æternę hæreditatis pignora & arrhas. In hoc monte libant vinum illud cœleste, & exemplum sumunt illarum diuinarum voluptatum, ac gustare incipiunt quàm dulcis ac suauis est Dominus. Quod intelligens D. Paulus Colossenses suadet, ac maxime commendat, vt conscendant in hunc montem mortificationis. Mortificate, inquit, corpora vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam (scilicet veneream) libidinem (scilicet contra naturam) concupiscentiam malam, & auaritiam quæ est simulacrorum seruitus, propter quæ venit ira Dei in filios incredulitatis, nunc autem deponite vos omnia, iram, indignationē, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro: nolite mentiri inuicem: expoliantes vos veterem hominē cum actibus suis, & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitionē (id est, ad cognoscendum quæ non agnoscuntur, nisi per reuelationem.) Secundum imaginem eius qui creauit illum. Id est, secundum imaginem Dei. Imago hæc consistit in memoria, intellectu, & volūtate. Qui ergo hæc tria Deo consecrat

Apoc. 8.

2. Cor. 4.

In monte mortificationis pii vidēt Dominū trāsfiguratū.

Ad Col. 3.

A quotidie nil volendo, nil memorando, nil cogitando nisi quod ad honorē Dei, suamque salutem pertinet: iste renouatur de die in diem, atque in monte sancto mortificationis transfiguratur. Ducant ergo prælati omnes suos in hunc montem conscendant ipsi in hunc pœnitentiæ & mortificationis montem, ibi coram sibi subiectis transfigurentur: ne de illis dicatur, quod olim per Osæam aiebat Dominus impijs sacerdotibus. Audite hæc sacerdotes, quia vobis iudicium est.

B Quoniam laqueus facti estis speculationi: & sicut rete expansum super Thabor. Quasi dicat: fuistis scandalo populo meo, & animabus, qui per diuinam contemplationem in Deū transfigurari & eleuari deberēt: autores multorum peccatorum, quos vestro exemplo & doctrina ad Dei amicitiam reuocare debueratis. Mons iste Thabor est in Galilæa, rotūdus & sublimis, super quē retia & laqueos expandebant, qui auibus insidias moliebantur. In quo hodie transfiguratus est Dominus. Lege D. Hieron. & gloss. in hunc locum Osææ.

Debent prælati cōscendere in montē pœnitentiæ, & ibi transfigurari.

Osææ. 5.

D. Hiero. Glossa.

C ¶ *Ascendit in montem vt oraret.* Hinc intellige non satis esse in montem mortificationis ascendere, nisi mortificationi adiungatur precatiō. In hoc orandi exercitio solent viri virtute præstantes transfigurari spiritualiter. Ibi enim recipere solent nouum spiritum, nouam lucem, nouam vitæ animique puritatem, & integritatem, nouum cordis ardorē, nouasque animæ vires. Ita vt dicere possint viuo ego iam non ego, sed viuit in me Christus. Tāta est hæc vis orationis, tanta virtus & potentia, vt hominem in

D Christi speciem & imaginem transformet, in Dei formam, atque gratiam vertat. In cuius manifestum argumentum hodie inter precandum subito mutata est facies Christi, in aliam speciem maiestatis & gloriæ plenam: ac vestimenta eius niueo candore relucebāt: vt in hoc loco D. narrat Lucas. Atque hoc idem alibi significare voluit: cū enim in baptismo deprecaretur descendit Spiritus sanctus per se quidem inuisibilis, sed tūc circūdatus specie visibili colūbæ, quod hæc

Tanta est vis orationis vt homines transfigurēt.

Gala. 2.

Luc. 3.

Tanta est vis orationis, vt gratiam & pacem in animo infundat.

hæc auis innocentiæ symbolum, olim ramum oliuæ detulerat in arcam, iræ diuinæ placatæ signum, ac finiēdi diluuij pignus. Inter orandum vir Christianus & inter preces ad Deum fundendum, recipit columbæ spiritum, hoc est gratiā, pacem, & gaudiū in Spiritu sancto. Precare igitur, ora assidue, quādo tanta est orationis virtus. Vnde Cassiodorus sic ait: oratio serenat cor, abstrahit á terrenis, mundat á vitijs, subleuat ad cælestia, reddit capacius, & dignius ad accipienda bona spiritualia. Hæc ille. ¶ Harum autem duarum virtutum hoc est orationis & mortificationis imagines gerebāt altaria illa duo olim in templo posita, altare, scilicet, incensi, orationem: altare vero sacrificij, mortificationem. Si ergo vis esse templum Dei viui, hæc duo altaria ædificentur in anima tua. Altare incensi, hoc est, orationis, in parte superiori: ita vt semper adimpleas quod Dauid ait: meditatio cordis mei in conspectu tuo semper: altare vero sacrificij, hoc est mortificationis in parte inferiori: adimplendo quod Paul. ait: mortificate membra vestra. Hæ etiam virtutes significantur per myrrham & incensum de quibus Can. 4.

Casiodor. — Figura. Exod. 30. 2 Par. 4. & 8. — Psalm. 18. — Coloss. 3. — Can. 4.

¶ *Et facta est dum oraret species vultus eius, altera: & vestitus eius adhuc albus, et refulgens.* Vel fulgurans. En vides iam impletū quod in Psalm. 92. Regius vates prædixerat: Dominus (inquit) regnauit, decorem indutus est: visurus etiā impletum quod statim addit: indutus est Dominus fortitudinem & præcinxit se. In quæ verba Casiodorus ait. Decorem, inquit, induit: id est pulchritudinē suæ maiestatis ostendit: sicut in Euangelio legitur: quando transfiguratus est in monte Thabor, coram discipulis suis, & resplenduit facies eius vt sol: vestimēta eius facta sunt alba vt nix: qualia fullo non potest facere super terram. Indutus est Dominus fortitudinem: quando in passione sua Iudæis quærentibus se tenere respondit: ego sum: at illi abierunt retrorsum: & terrore magno perculsi; qui ad vim faciendam venerant, corruebant. Hæc Casiodorus. Amicis ergo decorem, inimicis fortitudinem ostendit: his præcinxit se, vt quasi expeditus & promptus esset subiugādo sibi mundū. Vide glossam. ¶ Cæterum transfigurari, atque hoc decore fulgere voluit Christus: tum, vt Petri sententiā confirmaretur: qui dixerat, tu es Christus filius Dei viui. Vt autor est Leo Papa. Tum etiam, vt Apostoli qui Christi diuinitatem videre non poterant oculis corporeis, saltem viderent gloriam humanitatis deificatæ: & maiestatem corporis quo diuinitas tegebatur cognoscerent: vt idē Leo testatur. Tum denique, vt de hac gloria vere dicere, atque exclamare posset Ioānes: vidimus, inquiēs, gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti á patre plenū gratiæ & veritatis. ¶ Obserua tamen, quod in hac gloriosa transfiguratione: noluit Dominus suam diuinam naturam, suāque gloriam essentialē, nobis legitime certantibus promissam, ostēdere: quod hæc, tam excellit ac superat omnem sensum, vt explicari hominum, aut angelorum linguis minime possit. Audiui, inquit, Paulus arcana Dei, quæ non licet homini loqui. Gloriam solum corporis accidentalem, hoc est, claritatem & pulchritudinem, atque decorem eius demōstrare libuit: facta est, inquit, species eius altera, & D. Matth. resplenduit facies eius, sicut sol. Quod non sine magna causa factum fuisse intelligūt sancti. Nam corpus hoc quod corrūpitur, est, quod nobis per viam Dei currere volentibus impedire & obstare solet, corpus est, quod retardare facit: imo quod aggrauare solet animam, & deprimere sensum multa cogitantem, vt Salomon testatur: quapropter merito D. Paulus exclamabat: infœlix ego homo, quis me liberabit á corpore mortis huius? Vt ergo excitaretur ad obediendum rationi, atque ad seruiendum spiritui, proponit illi Dominus premium suum, proponit illi gloriam, & claritatem, & fulgorem, quibus est induendus in die resurrectionis. Hoc eodem premio proposito incitat hoc corpus ad laborem D. Paulus, dicens: saluatorem expectamus Dominū nostrum Iesum Christum qui reformabit,

Prophetia Dauid impleta Psal. 92. — Casso in Psalm. 92. — Ioan. 18. — Quare transfiguratus est. — Leo. — Ioan. 1. — quare nō gloriam essentialē, sed solum gloriam corporis ostendit. — 2. Cor. 12. — Sap. 9. — Rom. 7. — Philip. 3.

bit, vel vt Græcè dicitur, transfigurabit, corpus humilitatis nostræ, configuratū corpori claritatis suæ, secundum operationem virtutis suæ, qua etiam possit subijcere sibi omnia. ¶ *Et facta est species eius, altera: & vestitus eius.* Christus Dominus nunc exaltabatur à patre, nunc humiliabatur. Quod ipse affirmat Psalm. 87. Exaltatus autem humiliatus sum, & conturbatus. Exaltatus est à patre in baptismo, exaltatus in hoc monte ac gloria indutus, & ab his temporibus quibus exaltatus est concitati sunt aduersus eum Scribarum & Pharisæorum animi, qui ipsum odio implacabili prosequebantur: donec tandem in crucem, mortem sané maximè infamem, & ignominiosam eum adegerunt. Exaltatus est in hoc monte: & vt humilitatem suam ostenderet, loquebatur cum Moyse & Elia, de excessu quem completurus erat in Hierusalem. Exaltatus est cum in Hierosolymam introiuit, summa cum gloria & maiestate, ipse in asino sedens, turbis illi pium o sanna acclamantibus, & benedictus qui venit in nomine Domini, eleuata voce canētibus. Humiliatus autem & conturbatus est post Paulum. Nam ex tunc consummatus est furor Iudæorum, vt illum irreuocabili sententia, quocunque tandem mortis genere auferrent de medio: quo modo & post paululum vbi aduenisset statuta hora, in manus eorum traditus, verè multum cōturbatus fuit, vt diceret, tristis est anima mea, vsque ad mortem, & humiliatus valde, nimirum (iuxta Apostoli vocem) vsque ad mortem crucis. ¶ *Et facta est species eius altera:* Nemo (inquit Hiero.) putet pristinam eum formam & faciem perdidisse: vel amisisse corporis veritatem, & assumpsisse corpus, vel spirituale, vel aereum: sed quo modo transformatus sit & facies eius & species eius facta sit altera: Euāgelista Matthæus demonstrat, dicens. Et resplenduit facies eius sicut sol: vestimenta autem eius facta sunt alba, sicut nix. Vbi splendor faciei ostenditur & candor describitur vestium: non substantia tollitur, sed gloria commutatur. Resplenduit facies eius sicut sol. Certè transformatus est Dominus in eam gloriam, qua venturus est postea in regno suo. Transformatio splendorem addidit, faciem non subtraxit. Esto corpus spirituale fuerit: nunc & vestimenta mutata sunt? Quæ in tantum fuere candida, vt alius Euangelista dixerit, qualia fullo super terram nō potest facere. Quod autem fullo super terram potest facere, corporale est, & tactui subiacet, & non spirituale & aereum: quod illudat oculis, & tantum in phantasmate conspiciatur. Lege Hiero. Matth. 17. ¶ *Et vestitus eius adhuc albus, & refulgens.* In veste Christi alba & fulguranti, declaratur gloria sanctorum. Viri enim iusti & sancti ornamētum & vestis sunt, & Christi & Ecclesiæ eius. Vnde Isaias cap. 49. ait leua in circuitu oculos tuos & vide, omnes isti congregati sunt venerunt tibi. Omnibus his velut ornamēto vestieris. Et quemadmodum ornamēto ornatur Christus: sic gloria ornat sanctos. Illi sunt vestis illa de qua regius vates ait Psalm. 44. astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate. Vide D. Thom. 3. p. q. 45. art. 2. ad. 3. Vestitus Christi est albus. Hic enim color est Deo dicatus propter magnam participationem lucis qua eminet. Ipse enim est lux vera & ipse lucem habitat inaccessibilem. Et iusti qui sunt vestis eius hac albedine sunt decorati. Vnde Apoc. 7. dicitur: quod datæ sunt illis singulæ stolæ albæ. Iusti enim veste talari alba, hoc est æterna Dei claritate fruūtur. Vestitur ergo Christus iustis, & iusti vestiuntur Dei clara visione.

¶ *Erant autem Moyses & Elias.* Eo enim saluator noster, inquit, D. Hieron. non ob differentiam virginitatis & nuptiarum, vt quidam putant, sed ob ieiuniorum consortia, Moysem & Eliā trāsfiguratos in monte secum ostēdit in gloria. Quamquam Moyses & Elias typum propriæ legis prophetarumque mōstrauerint: sicut manifestè scriptura testatur: dicebant ei exitum quem completurus erat in Hierusalem. Passionem enim Domini nō virginitas & nuptiæ, sed lex nuntiat & prophetæ. ¶ Hinc colliges quanta

Marginalia: Psalm. 87. Christus nunc exaltatus nūc humiliatus & conturbatus. — Matt. 21. — Matt. 26. Philip. 2. — Non est facies Christi mutata neq; amissa est corporis veritas. — D. Hiero. — Per vestē fulgurantē gloria sanctorū significatur. — Isai. 49. — Psalm 44. — D. Tho. — Apoc. 7. — quare apparuerūt Moses & Elias.

Ieiunium commendatur.

quanta sit virtus ieiunij, quæ transformare solet animum hominis in speciem & similitudinẽ Dei. Quod si sacras Scripturas legeris: quàm omnipotens sit ieiuniũ inuenies. In Exodo aduersus Amalech, oratione Moysi, & totius populi, vsque ad vesperam ieiunio dimicatum est. Iesus filius naue stationem imperauit soli & lunæ: & inediam plusquam vnius diei, victoris exercitus protelauit. Saul (sicut in regnorũ libro primo scribitur) maledictus, inquit, qui ederit panem vsque ad vesperam donec vlciscar me de inimicis meis, & nõ gustauit omnis populus eius, & tota terra prandebat. Tantique fuit autoritas stationis semel Domino destinatæ, vt Ionatham, qui causa victoriæ extiterat, deprehenderet sors: & ignorantiæ crimen declinare non posset, patrisque in se concitaret manum, & vix populi precibus saluaretur. Elias quadraginta dierum ieiunio præparatus, Deum vidit in mõte Oreb, & audit ab eo: quid tu hic Elia? Multo familiarior ista vox, quàm illa in Genesi: Adam vbi es? Illa enim pastum terrebat, & perditum: hæc ieiunanti famulo blandiebatur. Daniel & tres pueri reuelationem merentur ieiunio: & pasti leguminibus pulchriores sunt & prudentiores his, qui de mensa regis carnibus vescebantur. Deinde scriptum est, quod Daniel tribus hebdomadibus ieiunauerit: panem suauem non comederit: caro & vinum non intrauerit os eius: oleo vnctus non sit, & venerit ad eũ angelus, dicens: Daniel homo miserabilis es. Qui Deo miserabilis apparuerat post ieiuniũ leonibus in lacu fuit horribilis. Quàm pulchra res, quæ placat Deum, leones mitigat, dæmones terret. Lege de hoc D. Hieronymum, libr. 2. aduersus Iouinianum. Apparuerunt igitur hi duo viri Moses, scilicet, & Elias, simili maiestate colloquentes cum eo. Tum, quod similes ei fuerãt in ieiunio: tum etiam, quod lex, cuius typum gerebat Moses, figuris adumbrarat Iesum, prophetiæ verò, quarum personam agebat Elias, designant. Horum cum Iesu colloquiũ quid aliud est quàm veteris ac noui testamen

A ti consensus? Alias verò huius rei causas lege apud D. Chrysostomũ, & alios sanctos: quas refert Doctor sanctus. 3. p. q. 45. art. 3. ad. 3. ¶ *Erant autem Moyses & Elias visi in maiestate.* Illud intuere quod in lege vultus Moysi glorificatur, licet velamine contegatur. Manus intra sinum missa leprosa facta est. In quo forma totius legis plenissimè designatur. In vultu enim sermo legis in manu opera signantur: quia ergo ex operibus legis nullus erat iustificandus, nec aliquem ad perfectum poterat adducere

D. Thom.

Nota.

B lex: manus leprosa fit: & in sinum reconditur: tanquam nihil perfecti operis habitura. Facies ergo glorificatur, sed velamine tegitur: quia sermo eius habet scientiæ gloriam, sed occultam. Vnde Psalmista ait: incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Facies ergo Moysi habet gloriam, manus contumeliam. Nihil ergo in lege gloriosum habet Moyses, nisi solam faciem. In Euangelio autem totus glorificatur. Vnde hodie ait Matthęus, quod apparuerũt Moyses & Elias, & Lucas ait: erant autẽ Moyses & Elias, visi in maiestate. Hic non dicitur, quia vultus eius glorificatus est: sed quia totus apparuit in gloria & in maiestate loquens cum Iesu: vbi completur quod ei promissum est in monte Sina, posteriora mea videbis. Vidit enim quod in posterioribus diebus facta sunt & gauisus est: quia non solum vultu glorificatus descendit de monte, sed totus glorificatus ascendit ex monte, & cum de quo dixerat Deuteron. 18. Prophetã suscitabit vobis Deus vester ex fratribus

Psal. 50.

C

Deut 18.

D vestris, sicut me, ipsum audies: Nunc adesse cernebat, & fidem facere sermonibus suis. Et ne cunctaretur in aliquo, audit patrem dicentem: hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Moyses dixit: illum audietis: pater dicens: ipsum audite: præsentẽ ostendit. Gaudet etiam Moyses, quia & ipse nunc quodammodo velamen deponit conuersus ad Dominum, cum euidẽter quæ prædixit implentur: vel cum tempus aduenit, vt per spiritum quę obtexerat reuelentur. Lege glossam in Exodo

do. c. 34. ¶ *Erant autē Moyses & Elias.* Coram his duobus, atque coram tribus discipulis Petro, scilicet, & Ioanne & Iacobo transfiguratur Dominus, atque in medio illorum positus radios suæ claritatis & fulgoris emittit: illosque gloriosos reddit. Vt ostendat se esse fontem legis Mosaycæ, prophetiæ, fidei, gratiæ & gloriæ. Vt ostendat inquam se esse, qui in monte Sina legem populo & Moysi dederat: & qui in mundum modo factus homo venerat: secundum illud quod apud Isaiam ipse olim dicebat: nō à principio (inquit) in abscōdito locutus sum, ex tempore antequam fieret (scilicet, lex vetus) ibi ego eram, & nunc Dominus Deus misit me & spiritus eius. Vt ostendat se esse, qui olim Eliæ fugienti ab impia Iezabele dixerit: quid hic agis Elia? Egredere & sta in monte coram Domino, & ecce Dominus transit. Et tandem ait Dominus ei: vade & vnges Elisæum Prophetam pro te. Vt denique ostēdat se esse fontem fidei, cuius typum gerebat Petrus qui dixerat: tu es Christus filius Dei viui: fontem gratiæ, cuius imaginem gerebat Ioannes, Christo maxime gratus: vt id. ex eius nomine constat: fontem coronæ cælestis, cuius figuram gerebat Iacobus primus inter Apostolos martyr.

Quare in medio Moysis & Eliæ, & Petri & Ioannis & Iacobi transfiguratus est Christus.

Isai. 48.

3. Re. 19.

¶ *Et dicebant excessum eius, quem completurus erat in Hierusalem.* Non sine magno mysterio actum esse credendum est, vt inter tantas delicias & glorias colloquerentur de mortis genere, quā iuxta prophetiam ab ipsis olim proditā Dominus completurus esset Hierosolymę. Quid, inquies, conuentio passionis ad transfigurationem? Si enim musicæ suauitas & melodia inter gemitum & planctum ad rem nō agit, neque fletus & plātus inter gaudium & alacritatem aget. Sed in huius mundi festiuitatibus & solemnitatibus reuera ita res habet, non tamen in Dei festis & solemnitatibus: in quibus diuinę consolationes ad labores huius mundi ferendos conceduntur: & gaudium ad tristitiam, requies ad tormētum, & transfiguratio ad crucem disponit. Quare si iustus es, & diuinas cœlestesque consolationes accepisti, præpara animum tuum ad bellum & tentationem. Et quemadmodum viator cauponam ad ientandum intrans, inter ientandum de via & itinere cogitat, ita vt corpus in caupona, animus in itinere sit: sic vir pius & virtute præstans, in medio transfigurationis & consolationis diuinæ, de tentatione, & lucta ventura cogitare debet, & animum tunc ad ferendā crucem sibi propositam pręparare: sciēs quod nemo potest esse Christi verus discipulus, nisi sumpserit crucem suam, & sequatur eū. Christus proposito sibi gaudio sustinuit crucem, iustus idem faciat: proponat sibi gaudium illud sempiternum & sustinere poterit crucem suam: rursum si gratia, & pace, & gaudio in Spiritu sancto sit cor eius in hac vita plenū, proponat sibi crucem venturam, erumnas, & labores sibi à Deo paratos: Et æquo animo cum venerint, eos tolerare poterit: certo sciens, ad hoc esse vocatū à Deo: nempe ad certamen, ad luctam, & tentationem. ¶ *Dicebāt excessum eius quem completurus erat in Hierusalem.* Moyses & Elias dicebant excessum amoris & dilectionis diuinæ erga homines, quem ostendit peculiariter in mortis genere: dicamus & nos & explicemus hūc incredibilem & admirabilem amoris excessum. Excessus sanè amoris fuit, vt ille qui in forma Dei erat, & non rapinā arbitrabatur esse se æqualem Deo, semetipsum vellet exinanire formam serui accipiendo: Excessus grandis amoris fuit, vt quē cæli & terra capere non possunt, non horruisset virginis vterum. Excessus dilectionis fuit, inter homines. 33. annis tanquam peregrinū habitare: æquo animo pro illis innumeros tolerando labores. Ille tamen tam grandis, tamque excessiuus amoris excessus fuit quem cōpleuit Hierosolymæ, vt humano ingenio, aut angelorū linguis explicari, aut ponderari non possit. Cōsidera obsecro, atque cum tribus discipulis in hortum ingressus, alta mēte perpende metamorphosin illam, & admirabilem transformationem illius, qui erat speciosus præ filijs hominum, qui erat candidus & rubicun-

Simile.

Excessus amoris Christi erga homines ostenditur.

Iof. c. 11. Psalm. 44. Can. 5.

bicundus & electus ex millibus, qui in monte isto tam gloriosus apparuit, vt resplenderet facies eius sicut sol: considera, inquam dissimilem speciem & figurā ab amore fuerit versus. Factus, inquit, in agonia prolixius orabat: corripuerat enim illum vehemens quidam angor, qui feré solet accidere iam mortem animo contuentibus. Solet autem hic affectus esse nonnunquam ipsa morte grauior: & ideò prostratus in terram pauore plenus vehementius orabat: porro tātus angor corripuit illum, vt toto corpore guttæ sanguineæ defluerent in terrā. Non iam splendorem & claritatem, vt in monte hoc, sed sanguinem desudat: non iam vestimenta eius facta sunt alba sicut nix, sed sanguinolenta, plus multò quàm olim vestis Ioseph gerentis imaginem Christi: non iam resplenduit facies illa, quam desiderant angeli prospicere, & intueri: sed potius abscondita est sine specie, sine decore aliquo: aut aliqua venustate & pulchritudine. Sed si ad comprehensionem, ad alapas, ad flagella, ad illusionem, ad spineam coronam, ad crucem denique deueniamus, quis non mirabitur excessum amoris eius? Quòd manus aut pes pro seruanda capitis vita, vitam periculo exponat, natura incitat, experientia docet, ratio postulat: quòd vero caput pro manu, mirabile sanè est: quòd verò pro pede mirabilius, quòd autem pro vnguibus pedum, caput vitā lubentissimè mortis periculo ponat, inauditum, atque insolitum, & incredibile omnibus merito esse debet. At sic Deus dilexit peccatores, qui vngues cōtemptibiles sunt corporis Christi, vt pro illorum salute, filium suum, caput scilicet, totius Ecclesiæ, libenter dederit opprobrijs, contumelijs, irrisionibus, crucis denique probro afficiendum. Quis audiuit hæc? Quis nisi lumine fidei sit donatus credet hæc? Iure optimo olim cæcum pingebant amorem, qui Dominum gloriæ & maiestatis, ita in passione transfigurauit: vt non esset ei species neque decor, vt vates quidam prædixerat.

Luc. c.22.

Similitu.

Isai.53.

¶Vel vna sanè gutta sanguinis pro totius mundi remedio sat erat, vt D. Anselmus ait: voluit tamen Dominus totum liberaliter fundere, vt dilectionis suæ excessu & magnitudine: ad eum toto corde totoque animo diligēdum incitaret.

D. Ansel.

A

¶Cætera quidem omnia fecit Deus in pondere, numero, & mensura: nō sic autem in effusione sanguinis. Ibi enim nō numerum seruauit, vt centum, aut mille guttas funderet: non pondus, vt pro nostra indignitate per vncias libraret: non mensuram, vt vnum vel alterum calicem propinaret: sed totum dedit: totū fudit: vt copiosa esset apud eum redemptio. Vt in virtute effusi sanguinis iustitiæ nostræ desc indignæ præmium eminentissimum, quod in cor hominis non ascēdit: pondus gloriæ immensum, quod auris non audiuit: & mensurā superēffluentem, quam oculus non vidit: longè actis prius peccatis omnibus, sortirentur. Effundendus igitur erat sanguis non de capite tantum, aut de manibus, aut pedibus tantum: sed de his totoque residuo corpore. Quod præuidens Isaias ait: nō erat ei species neq; decor: reputauimus eū quasi leprosum & percussum à Deo & humiliatum. Haud dubium propter plagarum multitudinem. Vnde sicut à planta pedis, vsque aduerticem capitis non erat in populo sanitas mentis, ita in Christo non fuit sanitas corporis in cruce pendenti. Nam verè langores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Vt idem Isaias autor est. Hunc ergo excessum dicebant Moyses & Elias.

B

Isai.53.

C

Isai.1.

Isai.53.

¶In primo libro Regum scriptum legimus quod fugit Dauid à facie Saul, & venit ad Achis regem Geth: dixeruntque serui Achis ad eum, nunquid non iste est Dauid rex terræ? Nonne huic cātabant per choros, dicentes: percusit Saul mille, & Dauid decem millia? Posuit autem Dauid sermones istos in corde suo, & extimuit valde a facie Achis: & immutauit os suum coram eis, & collabebatur inter manus eorum, defluebantque saliuæ eius in barbam. Et ait Achis ad seruos suos: vidistis hominem insanum, quare adduxistis eum ad me? An desunt nobis furiosi, quod introduxistis istum, vt fureret me præsente: hiccine

1. Re. 21.
Figura.

D

cine ingredietur domum meam? Dauid typum gerebat Christi. Dauid enim idē est quod dilectus, Christus autem verus est Dauid. Hic est (inquit hodie pater eius) filius meus dilectus. Achis verò imaginem ferebat infidelitatis Iudæorum: nam Achis idem significat quod, quo modo est? Iudæi ergo erant qui dicebant: quo modo potest hic nobis dare carnem suam ad manducādum? Et rursum aiebant: nōne hic est Faber & filius Fabri? Venit Dauid ad Regem Achis & noluit illum recipere: Venit Dominus Iesus ad Iudæos, & illum contempserūt. In mundum venit (inquit Ioan.) & sui eum non receperūt. Odio maximo prosequuntur satrapæ Regem Dauid, voluntque illum interficere dicentes: nonne est iste Dauid? Odio intestino prosequuntur Iudæi Christum dicentes, hic est hęres venite occidamus eum. Transfiguratur Dauid mortis timore correptus coram Achis, atque seruis eius: transfiguratur Christus coram Pilato atque Iudæis, ita vt non esset ei decor, neque species. Ita, inquam, vt Petrus discipulus eius rogatus an illum agnosceret, respondérit: non noui hominē. Quid quęso ais o Petre? Nonne cognoscis hominem, qui te non iam piscium, sed hominum piscatorem fecit? Nonne cognoscis eum de quo paulo ante professus fueras esse Christum filium Dei viui? Nonne cognoscis eum, qui hodie in hoc mōte Thabor coram te transfiguratus est: cuius facies resplenduit, sicut Sol, & cuius vestimenta facta sunt alba sicut nix? Nonne iste est cui attestando dicebas: & si opportuerit me mori tecum nō te negabo? Quare modo ais non noui hominem? Reuera dicere poterat Petrus non agnosco hominem: in tantum enim facies eius, & color eius optimus mutatus est: vt nemo possit illum agnoscere. Cęterum ò Petre hęc tua excusatio, te à culpa aliàs non excusat: tu enim plus multo es modo transfiguratus, atque in alium mutatus animi tui vultus, quā Christus, & tamen te Christus Dominus agnouit, te Christus Dominus respexit, vt Euangelista testatur. Irridebat Achis Dauidē;

Ioan. 6. Matt. 13. Ioan. 1. Matt. 21. Matt. 26. Matt. 26.

A & illum, furiosum hominem & mentis inopem appellabat: irridebant Iudęi & illudebāt Christum, & eum in furorem versum esse dicebant: immutauit Dauid os suum coram Achis, transfiguratus est Christus corā Iudæis: defluebant saliuæ in barbam Dauid, at Iudæi expuebāt in faciem Christi, vt Matthæus narrat. De hac ergo secunda metamorphosi colloquebantur in monte Thabor Moyses & Elias. Lege quæ in hunc locum annotauimus. Matth. 17. ¶ *Dicebant excessum eius.* Excessum vt diximus mortem intel B ligit: nam Græcè est, ἔξοδον, id est, exitū. Excessus verò & exitus sæpe sæpius pro morte vsurpantur. Cicero. 1. de legibus. Certè non longè à tuis ædibus in ambulās post excessum suum Romulus Iulio proculo dixerit se Deum esse.

Matt. 26. Excessus pro morte sumitur. Cicero.

¶ *Et euigilantes viderunt maiestatem eius.* Quæri hic potest quo modo Dominus in tantam gloriam & maiestatē versus: à tribus discipulis cognitus fuerit: post resurrectionem verò, cum in eodē corpore surrexerit splendore & gloria pleno, à quibusdam qui eum nouerant, C Vtriusque sexus hominibus, agnitus nō fuerit? Ad quod Diuus Augustinus respōdet: quod tres isti discipuli ante quorum oculos transfiguratus est in monte isto, illum agnouerunt, quia cum illo in montem ascenderunt, & cum illo erant cum mutata est species eius, & transfigurata: ideo ipsum esse certissimè retinebant. Si tamen aliunde venisset non eū agnoscerent: quia ergo post resurrectionem aliunde venerat ea gloria & splendore & fulgore ornatus Christus, ideò multi qui eum mortalem viderant, mo- D do eum non agnoscebant. Sed ais: corpus ipsum erat in quo resurrexit. Quid hoc ad rem? Nam illud vtiq; ipsum corpus erat, in quo in monte transfiguratus est, & ipsum erat iuuenis in quo natus est: & tamen si quis eum repente iuuenē vidisset, qui non nisi infantulum nosset, nō vtique agnosceret. An verò ad lineamenta mutanda nō potest celeriter Dei potestas, quod potest per annorum moras hominis ætas? Lege August. Epistola 59. in solutione octauæ quæstionis.

August.

¶ Cæte-

qui non dormit in secularibus, nō vigilat in diuinis.

¶Cæterùm obserua: quod de his discipulis hic dicitur. Erant (inquit) grauati somno, & euigilantes viderunt maiestatem eius. Grauabatur & reprimebatur in ipsis quod erat ex ipsis, vt ad ea quæ mundi sunt, cæci & hebetes, tantum ad cognoscenda quæ Dei sunt spiritu euigilarent excitati Domino. Bene euigilat, qui Dei considerat maiestatem, qui audit arcana verba, quæ non licet homini loqui.

Gilleber-

¶*Cum discederent ab illo.* Vel discedere inciperent ab illo. Petrus metuens ne pariter discederet totum illud iucundum spectaculum, dixit ad Iesum, præceptor, bonum est nos hic esse.

¶*Bonum est nos hic esse faciamus tria tabernacula.* His verbis docemur vitam solitariam quærere. Vide Matth. 17. in hunc locum. ¶*Bonum est nos hic esse: & faciamus tria tabernacula, vnum tibi, vnum Moysi, & vnum Eliæ, nesciēs quid diceret.* Cum istis Christus videri voluit hodie, quibus in reuelationibus erat visus: cum illis loqui, qui eum fuerant locuti: cum eis gloriam suam communicare, á quibus Dominus gloriæ nūcupabatur, cum principibus suis: quorum alter populi informator aliquando, alter reformator quandoque: alter initiator veteris testamenti, alter consumator noui. Igitur & Petrus meritum contuberniū Christi sui agnoscēs indiuiduitate eius, suggerit consilium: Bonum est nos hic esse. Bonum planè, vbi Moyses scilicet, & Elias. Et faciamus tria tabernacula, vnum tibi, vnum Moysi, & vnum Eliæ. Sed nesciens quid diceret. Quomodo nesciens? Non sanè simplici errore, sed ratione qua defendimus in causa nouæ prophetiæ, gratiæ, Ecstasin, id est, amentiam conuenire. In spiritum enim homo constitutus, præsertim cum gloriam Dei conspicit, vel cum per ipsum Deus loquitur, necesse est excidat sensu, obūbratus scilicet virtute diuina, de quo inter nos & Psychicos quęstio est. Interim facile est amentiam Petri probare. Quomodo enim Moysem & Eliam cognouisset, nisi in spiritu? Nec enim imagines eorū, vel statuas populus habuisset & similitudines: lege prohibente, nisi quia in spiritu viderat: & ita quod dixisset in spiritu, non in sensu cōstitutus, scire non poterat. Hæc ex Tertul. lib. 4. aduersus Marcionem.

quare Christus cum Moyse & Elia apparere voluit.

ψυχικός Psychicos est Paulo 1. Cor. 2. idē quod animalis, qui animum, hoc est, affectus sequitur humanos.

Tertul.

¶*Hæc autem illo loquente, facta est nubes, & obumbrauit eos.* Obserua quod cū Deus hominibus loquebatur, aut nube, aut caligine, aut operimento aliquo tegebatur prope semper. Vnde Regius vates ait, nubes & caligo in circuitu eius. Cū etiā in tabernaculo loquebatur, propitiatorium quo responsa dabat Moysi, opertū erat, tum duabus alis Cherubin expansis: tum etiam nube quadam, vt si ex alarum Cherubin contactu, aliquid propiciatorij videri posset, nube omnino operiretur. Vnde Leuit. c. 16. ait Dominus: in nube apparebo super oraculū, quo tegitur arca. Tum denique tegebatur fumo thimiamatis é prunis thuribuli emisso, cum summus sacerdos semel in anno intrabat sancta. Sic enim Dominus ait Leuit. c. 16. Assumpto thuribulo, quod de prunis altaris impleuerit, & hauriens manu compositum thymiama in incensum, vltra velum intrabit in sancta: vt positis super ignem aromatibus, nebula eorum & vapor operiat oraculum, quod est supra testimonium, & nō moriatur. Similiter si Moysi, aut Aaron, aut Annæ extra propitiatorium loquebatur: nube quadam tegebatur. Vt videre est Exod. 33. Num. 12. & 14. & 16. Cū verò in monte Sinai legē Dominus ferre voluit, nubes densissima operuit mōtem: vt sacra narrat historia Exod. c. 19. Sed ais: quid quæso in causa fuit, vt tūc temporis nube, aut caligine, aut fumo opertus Dominus, & non in aliqua omnibus manifesta effigie hominibus loqueretur? Nempe, vt ab illis idolatriæ, cui proni erant, occasionē & prętextum tolleret. Cū illū coopertū caligine audiebant Deū verum esse credebāt. Si autē similitudinē & effigiē aliquā corpoream vidissent: illam in ligno, aut lapide fingētes, tanquam Deum coluissent. Hāc huius rei causam fuisse affirmat Moyses

Psalm. 96.

Leuit. 16.

Leuit. 16.

Exod. 33. Num. 12. 14. & 16. Exod. 19. quare Deus opertus nube aut caligine loquebatur hominibus.

Deut.4. Deuteron.c.4. Custodite igitur solicite animas vestras. Non vidistis aliquam similitudinem in die qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis: ne forte decepti faciatis vobis sculptã similitudinem, aut imaginem masculi, vel fœminæ: & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus. Eandem igitur ob causam, & in baptismo Christi, & in transfiguratione, apparuit Dominus nube coopertus. Erat enim populus adhuc rudis, erant etiam Apostoli adhuc infirmi, & ideo noluit illis præbere idolatriæ occasionem. ¶Præterea quæ non apparent maiori pretio, & veneratione habentur, quam quę sensibus sunt obuia. Idcirco etiam nubibus tectus loqui voluit Dominus & responsa dare hominibus. ¶*Facta est nubes.* Nubes insignia erant Dei. Quemadmodum enim reliquos sanctos certis signis cognoscimus: Petrum, scilicet per claues, Paulum per ensem, D. Catharinam per rotam: sic olim per nubes & fulmina & fulgura Deum agnoscebant. Vnde Dominus ait Moysi Exod. 19. Iam nunc veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum. Vt ergo ostenderet Deus Christum Dominum verum esse Deum, ideo eum nube splendida insigniuit. Eandem etiam ob causam cum assumptus est in cælum, nubes suscepit eũ & abstulit ab oculis discipulorum: vt D. Lucas in actis refert.

Abulens. c.17. super Matth. Nubes & fulgura in signia Dei

Exod. 19.

Acto. 1.

¶*Et intrantibus illis in nubem.* Subaudi Moyse, & Elia. Id est, dum autem Moyses & Elias ingrediũtur in nubem, euanescentes ab oculis discipulorum (ęquum enim erat, vt apparente luce veritatis Euangelicæ, caderent vmbræ & obscura figurarum ænigmata) vox patris sonuit de nube dicens: hactenus Iudæi suspexerunt Moysem & Eliam: qui vaticinati sunt de filio meo: magni fuerunt illi, sed serui mei: Hic autem est ille filius meus ipsum igitur audite.

¶*Et facta est vox de nube dicens: hic est filius meus dilectus.* Et si omnes fateamur quod Pater & Filius, & Spiritus sanctus eandem habeãt naturam diuinam, non tamen fatemur eandem Trinitaté natam de Virgine, sed tantummodo filium. Nec eandem Trinitaté descendisse in specie columbæ super Iesum baptizatum: aut die Pentecostes post Ascensionem Domini, sonitu facto de cælo quasi ferretur flatus vehemens, & linguis diuisis velut ignis, sedisse super vnum quenque eorum, sed tantummodo Spiritum sanctum: nec eandem Trinitatem dixisse de cælo: tu es filius meus, siue cum baptizatus est à Ioanne, siue hodie in monte quando cum illo erant tres discipuli, aut quando sonuit vox dicens: & clarificaui & iterum clarificabo: sed tantũmodo patris vocem fuisse ad filium factam, quãuis Pater & filius & Spiritus sanctus sicut inseparabiles sunt, ita inseparabiliter operentur. Sed in hac re nonnulli perturbantur, cum audiunt Deum patrem, & Deum filium, & Deum Spiritum sanctum, & tamen hanc Trinitaté non tres Deos, sed vnum Deum, & quẽadmodum id intelligant quærunt: præsertim cum dicitur inseparabiliter operari Trinitatem in omni re quam Deus operatur, & tamen quandam vocem patris sonuisse, quæ vox filij non sit: in carne autem natum & passum, & resurrexisse, & in cælum ascendisse non nisi filium: in columbæ autem specie venisse non nisi Spiritum sanctum: intelligere volunt, quomodo & illam vocem quæ non nisi patris fuit Trinitas fecerit, & illam carnem in qua non nisi filius de Virgine natus est, eadẽ Trinitas creauerit, & illam columbæ speciem in quã non nisi Spiritus sanctus apparuit, illa ipsa Trinitas operata sit: alioquin non inseparabiliter Trinitas operatur, sed alia pater facit, alia filius, alia Spiritus sanctus. Certa res est (inquit Diuus Augustinus) quod in ea voce, cum Iesus in monte coram tribus discipulis præfulgens apparuit, & in illa, vbi super baptizatum columba descendit, & in illa vbi ad patrem de sua clarificatione clamauit, eique responsum est. Et clarificaui, & iterum clarificabo: patris persona osten-

Ioan. 12.

quæritur quomodo hæc vox sit patris cum tota Trinitas inseparabiliter operetur.

D. Augus. Respõsio ad quæst.

ostendatur. Non quia fieri potuit vox sine opere filij & Spiritus sancti (Trinitas quippe inseparabiliter operatur) sed quia ea vox facta est, quæ solius personam patris ostenderet: sicut humanam formam illam factam ex virgine Maria Trinitas operata est, sed solius filij persona est. Visibilem namque solius filij personam, inuisibilis Trinitas operata est. Cogimur ergo, non nisi patris vocem accipere, vbi dictum est, hic est filius meus dilectus. Neque enim Iesus etiam Spiritus sancti filius, aut etiam suus filius credi aut intelligi potest: & vbi sonuit, & clarificaui & iterum clarificabo, non nisi patris personam fatemur. Responsio quippe est ad illam domini vocem qua dixerat, pater clarifica filium tuum, quod non potuit dicere, nisi Deo patri tantum, non & Spiritui sancto, cuius non est filius. Hæc ex Augustino.1.de Trinitate, cap.4.& 5.&. 2. de Trinitate, cap. 10. ¶ D. Bonauentura.2.sententiarum, distinctio.10. quæst. vltima, ait: quod angelus imperatus à Domino formauit hanc vocem: hic est filius meus dilectus, & locutus est in persona patris. An vero huiusmodi apparitiones visibiles, & locutiones fiant semper mediante ministerio angelorum incerta res est apud Augustinum, libro.3. de Trinitate. D.tamen Gregor. affirmat omnes fieri mediante rationali aliqua creatura. Vide Bonauenturam in quæstione illa.

D.Bonau.

¶ *Hic est filius meus.* Non perhibet pater hoc testimonium, vt ostendat se filio maiorem esse: nam & prophetæ ei testimonium perhibuerunt, quos maiores illo esse non potest ab aliquo dici: sed testimonium perhibuit, vt ostenderet per sonarum distinctionem, contra Sabellianos existimantes nō alium, sed eundem filium esse, qui est pater. Augustinus, lib. 2. contra Maximinum. cap.13. ¶ Item, isto testimonio probare cōtendit Diuus Hilarius, Christum Dominum non filiū adoptiuum, sed verum ac naturalem esse. Pater (inquit) de cælo loquitur: & ita loquitur. Hic est filius meus. Quid sibi

Quare pater hoc testimoniū perhibuit

August.

A vult non cognominum, sed pronominum fides? Cognomina enim nominibus adduntur. Pronomina verò obtinēt in se nominum virtutem. Proprietatis autem significatio est: vbi &, *hic est*, dictum esse auditur: & *meus est*. Et intellige, quæ sit veritas & ratio dictorum. Le geras filios genui & exaltaui. Sed non le geras filios meos. Genuerat enim eos sibi per diuisionem gentium: & plebem hæreditatis in filios. Ne igitur per communionē adoptiuæ hæreditatis cognomētum filij, vnigenito Deo adderetur:

B naturæ veritas per significationem proprietatis ostensa est. Assignetur sanè hoc communionis in Christo nomen vt filius sit: si de quoquam dictum reperietur. *Hic est filius meus*. Sin vero proprium ac singulare ei est: *Hic est filius meus*: quid calumniam Deo patri professæ de filio proprietatis afferimus? An ne tibi in eo quod dicitur: *Hic est*: non hoc significari videtur: alios quidem cognominatos ab eo in filios: sed hic filius meus est? Donaui adoptionis plurimis

Christum Dei filiū esse, nō adoptione sed natura, hoc testimonio probat D. Hilarius. Esai.1.

C nomen: sed iste mihi filius est. Ne quæras alium: ne non hunc esse credas: hunc ego tanquam indice digito, ac verbi significatione contingo qua dico: & *meus est*: & *hic est*, & *filius est*. Quid post hæc intelligentiæ poterit esse, ne nō esse credatur? Et hæc quidem paternæ vocis significatio eo fuit: ne qui adimplendā omnem iustitiam baptizādus esset quid esset ignoretur. Sed vt qui ad sacramentum salutis nostræ homo cernebatur: Dei voce nosceretur Dei filius. Et quia in fidei huius confessione credentium

D vita esset: non enim alia æternitatis vita est: nisi Iesum Christum vnigenitum Deum sciamus esse Dei filium: vox de celsis rursum ab Apostolis iteratæ huius significationis audietur: vt id firmius crederetur ad vitam: quod non credidisse mors esset. Namque cum hodie Dominus in monte maiestatis suæ habitu constitisset Moyse, atque Elia assistentibus: & ad visionis ac vocis fidē tribus columnis Ecclesiarum testibus assumptis: hæc vox de cælo paterna est:

Hic est filius meus dilectus: in quo bene complacui: hunc audite. Non ad confirmationem honoris claritas conspecta satis fuerat: voce designatur. *Hic filius meus est.* Apostoli gloriam Dei non ferunt: & mortales oculi hebetantur ad visum: & costernata ad metum Petri & Iacobi & Ioannis fides concidit. Adest autem autoritatis paternæ professio & filius hic per proprietatem significantis ostenditur. Neque solum veritatis filij per hoc quod &, *hic*, & *meus est*, intimatur: sed additur *hunc audite*. Testimonium quidem patris é cælo est: sed testimonium filij confirmatur in terra: nam audiendus ostenditur. Et quamquam ambiguitas per professionem paternam non relinquatur; tamen & filij de se professio: de se credenda decernitur: & eo vsque veritas in eo filij docetur: vt paternæ vocis confirmatio audiendi á nobis filij postulet assequelam. Igitur, quia paternæ voluntatis hæc vox est: vt filius audiatur: audiamus filium de se quid sit ipse profitentem. Omnis inquit plantatio quam non plantauit pater meus cælestis: eradicabitur. Et illud. Domum patris mei domum negotiationis. Rursum ait: nec enim misit Deus filium suum in hunc mundum: vt iudicet mundum: sed vt saluus fiat mundus per eum. Vel iterum. Tu credis in filium Dei? Quid ergo tunc agimus concedentes tantùm Iesu Christo nomen adoptionis: per quod & in patre sibi Deo nuncupando temerariæ eum arguimus præsumptionis? Paterna de cælo vox est. Hunc audite. Audio. Pater gratias ago tibi. Audio. Dicitis, quia blasphemaui quoniam dixi filius Dei sum. Si non credo nominibus, si naturam vocabuli non intelligo; quid credendum & intelligendum sit; quæro. Non mihi relinquitur alia suspicio. Authoritas de cælo paterna est, Hic est filius meus. Professio filij de se est. Domus patris mei: & pater meus. Professio nominis salus est: cum interrogatio fidem postulat dicens. Tu credis in filium Dei? Proprietatis nomina

Matt. 15.
Ioan. 2.
Ioan. 3.
Ioan. 9.
Ioan. 11.
Ioan. 10.

A sequuntur, vbi meus est. Tibi quæro hæretice vnde alia præsumptio sit? Adimis patri fidem: filio professionem: nominibus naturam: vim verbis Dei aufers: ne sint quod enuntiant. Impietatis tuæ sola impudentia est: vt mentitum de se Deum arguas. ¶ Quamquam igitur sola simplex confessio naturæ nomina ostendat: vt de quo dictum est. Hic est filius meus. Et ad quem dictum est. Pater meus: hoc sint quod nuncupantur: tamen ne aut adoptionis nomen B in filio sit: aut honoris in patre: videamus quæ proprietates per filium ad filij nomen adiectæ sint: ait. Omnia mihi tradita sunt à patre meo: & nemo nouit filium nisi pater, neque patrem quisquam nouit nisi filius: & cui voluerit filius reuelare. Ad id quod dictum est: Hic est filius meus. Et pater meus. Vtrùm ne sibi conuenit, nemo nouit filium nisi pater: neque patrem quisquam nouit nisi filius? Non enim nisi per mutuam testificationem cognosci, C vel per patrem filius, vel per filium pater potuit. Vox é cælis est: sermo etiam filij est. Tam ignorabilis est filius quam & pater. Omnia ei tradita sunt: & in omnibus nihil intelligitur exceptum. Si potestas exæquata est: si secretum cognitionis æquale est: si natura in nominibus est: quæro quomodo quod vocantur non sunt: quorum & vis in potestate & difficultas in cognitione non differt. Non fallit itaque in vocabulis Deus: nec strau pater mentitur, aut filius. Et accipe quæ in his fides nominum sit: ait enim. Opera enim quæ D dedit mihi pater, vt perficiam ea: ipsa opera quæ facio, testimonium perhibent de me: quoniam pater misit me: & qui misit me pater: ipse testificatus est de me. Vnigenitus Deus non nominis tantum testimonio, sed etiam veritatis docet se esse filium. Opera enim eius quæ facit testantur à patre missum. Sed opera non sufficiunt incredibilibus ad testimonium: quod se pater miserit: sequitur namque. Et qui misit me pater ipse testificatus est de me neque

Proprietates ad filij nomen adiectæ.
Ioan. 10.
Matt. 11.
Ioan. 5.

que vocem eius audistis, neque figuram eius vidistis. Quarto quod testimonium patris de eo fuerit. Reuolue Euangelica volumina & totum eorum opus recense. Da testimonium patris præterquã quod auditum est. Hic est filius meus dilectus in quo complacui. Et tu es filius meus. Hoc Ioannes licet non ignarus audiuit. Tamen ad doctrinam nostram paternæ vocis testimonium mittitur: nec hoc sufficit. Ioannes quidem dignus in deserto hac voce est. Sed & Apostoli non fuerunt huius testimonij authoritate priuandi. Eadem de cælo ad eos vox adest. Sed accipiunt plus Ioanne. Ioannes enim iam ab vtero prophetans non eguit hac voce: Hunc audite: audiant plane: nec quemquam præter hunc audiant: nisi eum qui audiret ut doceret. Si nullum aliud patris de filio testimonium existat in libris quam quod hic filius tuus sit: testimonij huius veritas est. Vt opera ipsa patris quæ gerit: veritatem testimonij huius affirment. Quid infertur calumnia vt adoptio nominis sit: vt mendax Deus sit: vt nomina inania sint, testatus est pater de filio. Operibus suis filius testimonio se patris exequat. Cur nõ videatur esse in eo quod est filij veritas quæ & dicitur & probatur? Non est per Deum patrem filij nomen in Christo ex adoptione bonitatis. Neque sanctitate meruit hoc nomen. Sicut plures post confessionem fidei, Dei filij sunt: proprietatis enim in his nulla est significatio. Nominis namque tantum quod Deo dignum est: indulta dignatio est. Aliud est: hic est: Et hic meus est: & hunc audite: in hoc veritas est natura est: fides est. Hæc ex Hilario.

D. Hilar. libr. 6. de Trin.

¶ *Hic est filius meus.* Obserua, quod fundamentum nostræ salutis est cognitio Dei, & Iesu Christi filij eius. Hæc est, inquit, vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Et ideo pater perhibet hoc tam celebre testimonium de filio. Sine enim huius cognitione iustitia nulla est. Gentiles enim non iusti erant, quod parebant institutis hominũ. Aliud enim est inquit Lactantius ciuile ius,

Christi cognitio necessaria ad salutem.

Ideo pater præbet hoc tã celebre testimonium.

Ioan. 17.

Lactant.

quod pro moribus vbique variatur: aliud est vera iustitia, quam vniformem ac simplicem proposuit omnibus Deus: quem qui ignorat, & ipsam iustitiam ignoret necesse est. Sed putemus fieri posse, vt aliquis naturali & ingenito bono veras virtutes capiat: qualem fuisse Cimonem Athenis accepimus, qui egentibus stipem dedit: & pauperes inuitauit, & nudos induit. Tamen cum illud vnum, quod est maximum, deest, agnitio Dei: iam illa bona omnia superuacua sunt, & inania, vt frustra in his assequendis laborauerit. Omnis enim iustitia eius similis est humano corpori caput non habenti: in quo tametsi membra omnia, & locis suis constent, & figura, & habitudine, tamen quoniam deest id quod est omnium principale: & vita & omni sensu caret. Itaque membra illa formam tantummodo membrorum habent, vsum non habent: tam scilicet, quam caput sine corpore: cui similis est, qui cum Deum non ignoret, viuit iniuste. Id enim solũ habet, quod est summum, sed frustra: quoniam virtutibus tanquam membris caret. Itaque vt sit viuum ac sensibile corpus, & agnitio Dei necessaria est quasi caput, & omnes virtutes quasi corpus. Ita fiet homo perfectus ac viuus, sed tamen summa omnis in capite est, quod quamuis constare non possit sine omnibus, sine quibusdam tamen potest. Et erit quidem animal vitiosum ac debile, sed tamen viuet: sicut & is qui Deum nouit, & in aliqua re peccat. Dat enim veniam peccatis Deus. Itaque sine membris aliquibus viui potest, sine capite nullo modo. Hæc res efficit, vt philosophi, etiam si natura boni sunt, tamen nihil sciant, nihil sapiant. Omnis doctrina & virtus eorum sine capite est: quia Deum nesciunt, qui est virtutis ac doctrinæ caput: quem qui non agnoscit, licet videat, cæcus est: licet audiat, surdus: licet loquatur, elinguis est. Cum verò conditorem rerum parentemque cognouerit, tunc & videbit, & audiet, & loquetur: habere enim caput cœpit, in quo sunt sensus omnes collocati, hoc est

Similitu.

Simile.

oculi, aures, & lingua. Nā profectò is videt qui veritatem, in qua Deus est, vel Deum in quo veritas est, oculis cordis aspexerit: is audit, qui diuinas voces, ac præcepta vitalia pectori suo affigit: is loquitur, qui cælestia disserens, virtutem ac maiestatem Dei singularis enarrat. Quare non est dubium, quin impius sit, quisquis Deum non agnouerit: omnesque virtutes eius, quas habere, aut tenere se putat, in illa mortifera via reperiūtur, quæ est tota tenebrarum. Quapropter nihil est, quod aliquis sibi gratuletur, si has inanes virtutes adeptus est: quia non tantum miser, qui bonis præsentibus careat, sed etiam stultus sit necesse est, qui labores in vita sua maximos suscipiat in casum. In Dei ergo agnitione & cultu, rerum summa versatur: in hoc spes omnis, & salus hominis: hic est sapientiæ gradus primus, vt sciamus quis sit nobis verus pater, eumque solum pietate debita prosequamur, huic pareamus, huic deuotissime seruiamus: in eo promerendo actus omnis, & cura, & opera collocetur. Hæc Lactan. Duo ergo necessaria sunt nobis ad salutem æternam parandam & cognoscere Deum filiumque eius Iesum Christum, cuius defectu in perpetuas tenebras præcipitati sunt Philosophi illi: & Christū audire, Christi præceptis parere: cuius defectu multi fidelium damnantur quotidie. Eā ob causam non solum pater ait: hic est filius meus dilectus; sed addit: ipsum audite. Quid enim (inquit August.) nobis prodesset, si videretur, quemadmodum visus est modo, & non audiretur? Ipsum (inquit) audite. Obserua, quod non Moyses, non Elias iubentur audiri, & si visi sunt in maiestate: sed solus Christus audiendus à nobis est. Vnde D. Hiero. ait: in comparatione gloriæ Euangelicæ, obumbratur gloria legis: vt orto sole lumen obtunditur lunæ, cum tamen suo tempore magnum habeat fulgorem: hoc ostendit Dominus cum ascendens montem solus, splendore solis visus est radiasse: cum tamen Moyses & Elias visi in gloria, referantur, & ideò vox desuper patris ipsum solum præcepit audiri. Hæc ille.

Lactan. li. 6. de vero cultu. c. 9.

To. 9. de ver. Dom. in Lu. ser. 24. in principio.

Nō sat est Christum cognoscere, sed oportet illum audire.

D. Hiero. in 2. Cor. c. 3.

¶ *Hic est filius meus dilectus. Ipsum audite.* Hic præcipit nobis pater, vt verba Ecclesiastæ filij Dauid regis Hierusalem audiamus. Ipse est enim (inquit Hiero.) pacificus & dilectus Dei patris, & Ecclesiastes noster, id est, Ecclesiam congregans, qui medio pariete destructo & inimicitias in carne euacuans, fecit vtraqȝ vnum, dicens: pacem meam do vobis, & pacem meam relinquo vobis. De quo pater ad discipulos: hic est, inquit, filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui hunc audite, qui est caput omnis Ecclesiæ: nequaquam ad synagogam Iudæorum, sed ad gentium multitudinem loquens rex Hierusalem, viuis lapidibus extructæ: non illius de quo ipse ait: Hierusalem, Hierusalem quæ occidis prophetas. Et ecce, relinquetur vobis domus vestra deserta, sed illius per quā iurari vetat, quia sit ciuitas magni regis. Hic est filius Dauid, ad quem cæci in Euangelio clamabant: miserere nostri fili Dauid, & omnis turba consona voce resonabat: O sanna filio Dauid. Denique non ad eum fit verbum Dei, sicut ad Hieremiam & ad cæteros prophetas: sed quia diues est & rex & potens: ipse est siquidem verbum & sapientia cæteræque virtutes, verba loquitur ad Ecclesiæ viros, verba insinuat Apostolis, de quibus cantatur in Psalmo: in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Huius ergo cælestis Ecclesiastæ & concionatoris nostri filij Dauid Regis Hierusalem verba audire præcipit nobis pater, cum hodie ait: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui ipsum audite, Audiamus ergo quid ad nos omnes loquatur. ¶ *Vanitas inquit vanitatū et omnia vanitas.* Id est, cælum & terra, maria, & omnia, quæ in hoc circulo continentur, & si bona per se sunt, tamen ad Deum comparata, vana omninò & nullius momenti sunt. Et quomodo, si igniculum lucernæ videns contentus essem eius lumine, & postea orto sole non cernerem quod lucebat: stellarum quoque lumina, iubare viderem

Christus est noster Eccles. & concionator datus à patre, cuius verba audire debemus, licet vanitas vanitatum. D. Hiero.

Matt 23.

Psalm. 18.

Eccles. 1.

Similit.

viderem solis abscondi. Ita aspiciens elementa & rerum multiplicem varietatē: admiror quidem operum magnitudinē, recogitans autem omnia pertransire: & mundum suo fine senescere, solumque Deum illud semper esse quod fuerit: cōpellor dicere non semel sed vis: vanitas vanitatum & omnia vanitas. *Quid habet amplius homo de vniuerso labore suo quo laborat sub sole.* Frustra enim in mūdi istius labore homines desudant, congregantes diuitias, erudientes liberos, ambientes honores, ædificia construentes, & in medio opere subita morte subtracti audiunt. Insipiens hac nocte aufe retur anima tua a te, quæ autem parasti, cuius erunt? Maxime cum ex omni labore nihil secum ferant, sed nudi in terram redeant de qua sumpti sunt. Hæc atque omnia alia quæ ab Ecclesiaste nostro in illo libro prædicantur audire debemus. De quibus lege D. Hieron. c. 1.

Lucæ. 12.

¶ *Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam.* Quod se in hoc monte paululum extra ipsum hominē extulit Christus, fulgore luminis eius pene obcæcati Apostoli in terram (quippe homines) ceciderunt, periclitati vitam, nisi eis Dominus compresso rursum maiestatis suæ honore vt misericors subuenisset, secundum illam sententiam: nemo vidit Deū & vixit. Ambros. lib. de fide contra Arrianos. cap. vlt.

Quare ceciderunt Apostoli.

Ambros.

¶ *Et dum fieret vox, inuentus est Iesus solus.* Et dum ædita est vox, vel voce iam edita repertus est Iesus solus, ne suspicarentur in alium quam in ipsum eius vocis testimonium pertinere.

¶ *Nemini dixeritis visionem hanc donec filius hominis a mortuis resurgat.* Hæc dixisse Christum refert Matth.

Matthi.

¶ Hoc autem illis præcepit (vt autor est Chrysost.) ne videretur Christus per potentiam subiugare sibi populum, & nō per fidem. Lege illum Homil. 54. super Matth. in opere imperfecto. In die (inquit) iudicij Deus manifeste veniet, Deus noster & non silebit: ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius tēpestas valida. Manifestē, inquit, nō iam cælatus in corpore sicut antea, vt vix eū

D. Chrys.

Psalm. 49.

etiam boni cognoscerēt: sed manifestus in gloria, vt etiam mali eum cōintuentur. Inuiti: vt qui contempserunt eum in humilitate, cognoscant eum in potestate. Et qui scire noluerunt quam dulcis est misericordia eius, sentiant quam grauis est ira ipsius. Deus noster & non silebit. Non dixit & silebit, ostendens, quia ipse quidē de se tacebit, sed ipsa gloria eius de ipso loquatur. Aliquando transfiguratum eum in monte videntes Apostoli, acceperunt mādatum ne cui dicerēt, ne videretur Christus per potentiā subiugare sibi populum: & non per fidem, tunc autem, iam nemo tacebit, quia nō est venturus adhuc tentare fideles, sed iā perdere infideles. Tunc prædicatores ne cessarij non erunt. Nam & si vox omniū taceat, visio ipsa clamabit, sicut ipse de secundo suo aduentu dicit. Sicut fulgur exit ab Oriente, & apparet vsque ad Occidentem, sic erit aduetus filij hominis. Hæc Chrysost. ¶ Prætereà noluit Dominus ante mortem suam prædicari diuinam maiestatem suam: siue ne qua res impediret illud sacrificium, quando restituendum erat genus humanum: siue ne frustra prædicaretur, quod nullus esset crediturus. Simul autem ipsa re nos docuit, si quid in nobis magnificum fuerit celandum potius esse, quam iactandum: & si quam habemus a Deo donatā virtutem, eam factis esse declarandam potius, quam prædicatione. ¶ Tandem nota: quod non est dicenda visio ei, in quo nondum Christus resurrexit. Non licet eidici, qui non est raptus in paradysum, in locum deliciarum, in locum de quo Petrus dixit: bonum est nos hic esse, bene exuscitatur, quem non homo tāgit, vt euigilare faciat, sed Christus.

Matt. 24.

Gillibert.

FActum est autem in sequenti die, descendentibus illis de mōte, occurrit illi turba multa. Et ecce vir de turba clamauit, dicens, magister,

Matt. 17.
Marc. 9.

ster, obsecro te respice in filium meum, quia vnicus est mihi. Et ecce spiritus apprehendit eum, & subito clamat: & elidit, & dissipat eum cum spuma, et vix discedit dilanians eum. Et rogaui discipulos tuos, vt eijcerent illud: & non potuerunt. Respondens autem Iesus, dixit, ò generatio infidelis et peruersa, vsque quo ero apud vos & patiar vos? Adhuc huc filium tuũ. Et cum accederet elisit illum dæmonium, et dissipauit. Et increpauit Iesus spiritũ immũdum, et sanauit puerum. Et reddidit illum patri eius. Stupebant autẽ omnes in magnitudine Dei: omnibusq; mirantibus, in omnibus quæ faciebat, dixit ad discipulos suos, ponitè vos in cordibus vestris sermones istos, filius enim hominis futurum est, vt tradatur in manus hominum. At illi ignorabant, verbum istud, & erat velatum ante eos, vt non sentirent illud: et timebant eum interrogare de hoc verbo.

A D*Escendentibus illis de monte occurrit illi turba multa.* Obserua, quod in montem cum tribus ascendit, inibi orat & transfiguratur, at descendenti de monte occurrit illi ingens hominum multitudo. Montem sanè perfectionis pauci sunt qui attingũt: viam tamen regiam mandatorum multi sunt qui sequuntur: multi qui occurrunt in hac via Christo, multi qui desiderio videndi eum, Dei legem seruant.

¶ *Magister obsecro te respice in filiũ meum, quia vnicus est mihi.* Si peccator B es anima tua male à dæmonio torquetur: quare occurre Christo, & cũ lachrymis dicito ei: obsecro te respice in me: quia anima mea vnica est. Tunc respicit te Dominus quemadmodum respexit Petrum: & quemadmodum respexit Dauid his verbis precantem, respice in me & miserere mei. Caue ergo tibi, quia anima tua vnica est. ¶ Habes præterea ex hac historia argumentum quod fides etiam aliena prosit homini. Sic prosit fides Chananææ, filiæ suæ: fides Centurio C nis seruo: fides portantium Paralyticũ, illi. Nemo igitur preces aliorum contẽnat, sed totis viribus quærat. Multum enim valet deprecatio iusti assidua, vt Iacob ait. c. 5. sed de hoc alias diximus.

Præcare pro anima tua, quia vnica est.

Fides aliorum prodest homini.

Matt. 15. Matth. 8. Matth. 9. Iac. 5.

¶ Habes etiam si parens es, in hoc parente exemplum imitatione dignum. Quãta scilicet cura & solicitudine procurare debeas salutem spiritualem filiorũ: quãta diligẽtia, ne suis deprauatis moribus iram Dei prouocent: ne tradantur Satanæ qui illos elidat in terram, corripiat, ac miseris vexet modis in hoc mundo. D Vtinam (inquit Quintilianus) non ipsi liberorum mores deperderemus: ante enim palatum eorum instituimus quàm mores. Cum Antiochus filius Seleuci regis incidisset in grauem langorem, ex velano amore nouercæ: & hoc deprehẽderetur à medicis, pater coniugem sibi concessit (calido videlicet medici consilio adhoc inductus: simulauit enim adolescentem in vxorem medici deperire) tribuens fortunæ quod in amorem incidisset: pudori imputans, quod dissimulare esset paratus vsque ad mortem. Sed hæc

Quintil.

Exemplũ.

hæc misericordia crudelitas erat: & filij dispendium. Non vident huiusmodi parentes sine disciplina enutrientes filios, & suis desiderijs illos relinquentes, quantum prouocent iram Dei, dimittentis illos dæmonis potestati. Prouerbium est, adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit non recedit ab ea. Quien malas mañas ha, tarde o nunca las perdera. Quare magna cum diligentia educandi & moribus instituendi sunt filij: quod si à vitiorum impetu & vi corripiantur, & vexentur, occurrant parentes Christo, eum obnixe precentur, vt oculis suæ misericordiæ illos respiciat. Obsecro, inquit, te respice in filium meum. Quod si non fecerint non solum in Dei iram, sed etiam in filiorum iracundiam iure optimo incidere merentur. Narrat Boetius de quodã Lucretio Zenonis discipulo; sine disciplina enutrito: consumente bona parẽtis in alea, & cum meretricibus: sæpe tamen à patre de plurimis periculis & angustijs redemptus. Tandem captus, parentis penuria redimi nõ potuit. Qui cum ad mortem duceretur: querula voce à patre osculum petijt: quo accedente, morsu acutissimo ac tenacissimo nasum secuit dicẽs: tu iram filij super te prouocasti: eo quod noueras me iniquè agere ne corripuisti. Corripiant ergo parentes pueros suos ne à dæmone corripiantur: qui parcit virgæ, odit filiũ suũ, ait Salom. Prouerb. c. 13. & rursum. cap. 23. inquit, noli subtrahere à puero disciplinam. Si enim percusseris eum virga, non morietur.

Prou. 22.

Boetius.

Exemplũ notandũ.

Prou. 13. & 23.

¶ *Quia lunaticus est: & sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam.* Hæc refert Matth. At vero Marcus ait: *Attuli filiũ meum ad te habentem spiritum mutum.* Omnis langor, inquit, Origenes & omnis infirmitas, quam sanauit Saluator tunc in populo, referuntur ad infirmitates spirituales animarum secundum differentias passionum, vt solutos quidem animo, & iacentem habentes animam, super corpus, paralyticos animo existimemus: cæcos autem animo esse, qui mẽte sua non considerant quod iustum est, vel iniustum: surdos autem animo qui

Matth.

Marcus.

Origenes

Omnis lãgor corporis designat langorem certũ animæ.

A non sunt ad susceptionem salutarit verborum parati, secundum ea, conueniẽs est, vt de lunatico requiramus. Est ergo passio hæc mutatio à melioribus ad deteriora, quia nihil differt à sanis qui patitur hoc, in tempore quando non operatur in illo ipsa mutatio. Labet autẽ iuuenis infirmitas animæ in quibusdã hominibus, qui frequenter existimantur sani esse in castitate, vel misericordia, & viuere secundum iustitiæ voluntatem: aliquando autem quasi quadam correptione spiritus à passionibus comprehenduntur, & cadũt ab eo statu boni in quo B stare putabantur, & transuertuntur ad seductionem seculi huius, & ad cæteras concupiscentias carnales. Forsitan non peccabis si huiusmodi homines dixeris (vt ita dicam) spiritualiter lunaticos esse, qui deijciuntur à spiritualibus nequitijs in cœlestibus, & male habẽt frequẽter in tempore quo comprehẽsi fuerint passionibus animæ suæ, & cadunt in ignem incendij, quando adulterantes (sicut ait Osæas) fiunt sicut clibanus ignis C ardens. Huiusmodi autem homines interdum cadunt in aquam, quando rex omnium qui sunt in aquis draco deijcit eos à libertate animæ in profundum fluctuum maris, id est, in mala pessima vitę istius humanæ, quę mari assimilatur. Cõmendat autem hanc nostram de lunatico interpretationem, quod dicit sapientia, de constantia quidem iusti, sapiens sicut sol permanet. De inconstantia autẽ peccatoris ita, insipiens autem sicut luna immutatur. Et est videre in talibus D impetus quosdam quasi operum bonorum subrepere, ita vt subrepere possint ab hominibus laudes, ab eis tamen hominibus, qui nesciunt occultam inconstantiam cordis eorum. Vides autẽ eos minui iterum: & quod videbatur in eis lumen, inuenitur non esse lumen diuinum, sed nocturnum & lunare: & tãdiu minui, vt nec videatur lumen esse omnino quod existimatur lumen. Si autem etiam mutum (vt Marcus ait) & surdum dæmonium intelligi moraliter oportet, dicimus quoniam ipse impetus irrationabilis, qui boni speciem videtur habere,

Lunatici spiritualiter qui dicantur.

Osæas. 7.

Mutũ dæmoniũ habere quis dicatur.

re, mutum & surdum dæmonium est dicẽdus, quod à verbo expellitur Christi solius: quoniam ille qui talis est nec videt iustum, nec iniustum, quemadmodũ cæcus: nec recipit admonitionem discipulorum Christi, quemadmodũ surdus: Ideo opus est ei Christi sermone, vt qui faciebat irrationabili prolatione, quæ putaretur à videntibus bona, iam de cætero sine ratione non agat. Hæc Orig. homil. 4. in Matth.

¶ *Et ecce spiritus apprehendit eum, & subito clamat, & elidit, & dissipat eum cum spuma, & vix discedit dilanians eũ.* Hic satis apertè vides quãto odio homines prosequatur diabolus. Qui non solũ corpora, sed animas etiam tenere conatur: vt corripiat eas, ac miseris vexet modis, atque dilaniet: elidatq; in infernũ. Quod intelligens Dauid obnixè à Domino auxilium postulat in Psalm. 75. Dicens: vt quid Domine repellis in finem iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ. Memor esto congregationis tuæ quam possedisti ab initio. Leua manus in superbias eorum in finem, quanta malignatus est inimicus in sancto? Quibus verbis conqueritur Dauid de dæmonibus sæuissimis, qui hæreditatem Domini non solum corporaliter vexãt, sed spiritualiter infestant: precaturque Dominum, vt eos superbissimos in infernum detrudat. Leua, inquit, manus tuas in superbias eorum in finem. Id est leua potẽtiam tuam qua funditus vertas hostes istos superbissimos. Quanta malignatus est inimicus in sancto. Multa enim imo innumera mala inimicus diabolus machinatur in Ecclesiam tuã, & in animas fidelium. Multa illis infert mala, apprehendit eas, elidit, dissipat ac dilaniat. Huius vastationis habes imaginem. 1. Machab. 1. Ibi narrat scriptura, quod ascendit Antiochus in Hierosolymam cũ multitudine graui, & intrauit sanctificationem cum superbia, & accepit altare aureum, & candelabrum luminis, vniuersa vasa eius, & mensam propositionis, & libatoria, & phialas, & mortariola aurea & velum & coronas, & ornamentum aureum quod in facie templi erat, & comminuit vniuersa. Ecce quanta malignatus est inimicus in sancto. Per Antiochũ qui interpretatur paupertatis silẽtium, diabolus significatur, qui homines mutos facit: quemadmodum fecit lunaticũ istum. Qui pauperes & miseros reddit. Diabolus ergo est qui templum Domini contaminat & omnia vasa eius destruit. Qui Ecclesiam Dei dissipare conatur: qui altare, id est, sacerdotes, qui candelabra, id est, prædicatores, qui cætera denique vasa sacra, id est, cæteros Ecclesiæ magistratus vexare multis modis nõ cessat. Diabolus est inimicus ille, qui corripit quotidie Christianorum animas: & ab illis omnia virtutum ornamenta, atque vasa aurea aufert. Vsquequo ergo Deus improperabit inimicus irritat aduersarius nomen tuũ in finem? Vt quid auertis manum tuam & dexteram tuam de medio sinu tuo in finem? Sic ergo & nos exemplo Dauidis, atque viri huius, Deum precari debemus: vt nos à tan sæuissimo hoste dilaniante Ecclesiam, animasque fidelium, liberet: quod si illi fidamus, faciet. ¶ *Et ecce spiritus apprehẽdit eum, & elidit, et dissipat eum.* Certa res est, quòd homines à dæmonibus corporaliter vexẽtur: vt in hoc loco vides. Certa etiam res est, quòd spiritualiter similiter impugnentur ab eis, vt D. Paul. in Epistola ad Ephes. c. 6. affirmat. Duo tamen sunt animaduertenda circa impugnationem hanc malignorum spirituum: & ipsa impugnatio quæ ex dæmonũ nequitia proficiscitur: inuident enim hominibus, & ideo eorum salutem pro sua virili impediri nituntur. Ideoque ad ministerium hoc ministros deputant & eligunt. Et Dei ordo, qui ordinatè nouit malis vti, ad bonum illa ordinando. Lege S. Thom. 1. p. q. 114. art. 1. Et Ioan. Gersonem. 4. p. Dominica. 3. quadragesimæ, tractatu. 32.

¶ *Et elidit et dissipat eum cum spuma.* In hac historia vides quẽadmodum disponit clemens, & benignus, & hominũ amator Deus inter supplicia quibus peccatores punit, etiam visitationis suæ miscere pietatem, nec immoderata pœna miseros premere. Semper talis est Deus noster

Odiũ dæmonis in homines.

Psalm. 75.

1. Mach. 1. Figura.

Vgo Car. Psalm. 73.

Homines quare à dæmonibus & corporaliter, & spiritualiter vexẽtur.

Ephes. 6.

D. Thom. Ierson.

Inter supplicia miscet Deus misericordiã & pietatem suã. Ex Orig. hom. 1. in Ezechiel.

noster, excruciat nocētes, sed quasi pius pater tormentis clemētiam sotiat. Si autem vis agnoscere vera esse quæ dicimus vide quid acciderit lunatico isti, eliditur à dæmone, cruciatur, & dilaniatur, adest Christi misericordia: quæ illum liberat. Hoc idē videre licebit in AEgypti fame. Si enim voluisset interficere tantum AEgyptios & punire cruciatos in septemnali fame, fecisset vtique quod voluerat, & neque Ioseph in AEgyptū descendisset, nec Pharao vidisset somnium de his quæ AEgypto fuerant euētura, nec regi fuisset ostensum à principe vinatiorum, esse quendam qui posset regi somnium interpretari. Nunc verò, vt cernis Deus flagellat quasi pater: parcit autem non solum Israel, verùm & AEgyptijs, cum alieni sint ab eo, propter propriam mansuetudinem. Et manifestum est, quod boni Dei opus super eos exerceatur, dum Ioseph descendit in AEgyptum, dum Pharao somnijs admonetur, dum princeps vini interpretem indicat, dum interpres disserit visa, atque ita vbertatis tempore frugibus cōgregatis in posterioris famis penuria vincitur. Ex quibus indicatur Deum nō tantummodo punire peccantes, verum & misericordiam miscere supplicijs. Quod si adhuc dubitas audi voces tormenta patientium quomodo sacratim, & in cruciatibus suis clementiam Dei eloquātur. Cibabis nos pane lachrymarum & potabis nos in lachrymis & in mensura. Misericordia quippe Dei in pondere. Si non esset vtile conuersioni peccantium adhibere tormenta peccātibus, nunquam misericors & benignus Deus, pœnis scelera puniret; sed quasi indulgentissimus pater, adhoc corripit filium, vt erudiat, quasi prouidētissimus magister: ita seueritate frontis lasciuum discipulum castigat, ne amari se sentiens pereat. Vide Salomonem sapientissimū omnium, quid de Dei correptionibus suspicetur. Fili noli esse pusillanimis in disciplina Dei, neque deficias correptus ab eo. Quem enim diligit Dominus corripit, flagellat autem omnem filium quē recipit. Nullus est enim, inquit Apostolus, filius qui cum peccauerit non flagelletur à patre. Et adhoc mirabiliter addidit dicens: in disciplina perseuerate. Tanquā filijs nobis offert se Deus. Quis enim filius quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes adulteri, & non filij estis. Sed si forsitam aliquis qui ipso nomine iræ offensus criminetur eā in Deo: Cui respondebimus non tam iſā esse iram Dei, quàm necessariam dispensationem. Audi quod sit opus iræ Dei, vt arguat, vt corrigat, vt emendet. Domine ne in ira tua arguas me, neque in furore corripias me. Qui hæc loquitur scit furorem Dei non esse inutilem ad sanitatem, sed adhoc adhiberi, vt curet ægrotantes, vt emendet eos, qui sermonem eius audire contempserunt. Idcirco deprecatur ne talibus remedijs emendetur, ne cum pœnali medela recipiat pristinam sanitatem, quasi si seruus iam inter flagella positus Dominum precaretur, repromittens ei se imperata facturū & dicat, Domine ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me. Omnia quæ Dei sunt bona sunt, & metemus corripi. Ausculta quid dicat. Arguam eos in auditu angustiæ eorū. Ideò audiuimus ea quæ de tribulatione sunt, vt emendemur. In maledictis quoque Leuitici scriptum est: si post ista nō obedierint, neque cōuersi fuerint ad me apponam eis plagas septem super peccata eorum. Si autem post hæc conuersi non fuerint emendabo eos. Omnia Dei quæ videntur amara esse ad eruditionem & remedia proficiunt. Medicus est Deus, pater est Deus, Dominus est non asper, sed lenis est Dominus. Si veneris ad eos qui puniti sunt secundum eloquia scripturarum, cōpone scripturas scripturis, vt & te Apostolus docet: & videbis ibi dulcissima esse vbi & amarissima existimantur. Scriptum est in propheta, non vindicat bis in id ipsum in iudicio. Vindicauit semel in iudicio per diluuium, vindicauit semel in iudicio super AEgyptum, & sexcenta millia Israelitarum. Noli existimare quòd hæc vltio pœna tantum fuerit peccatoribus, quasi post mortem

Marginal notes: Psalm. 79. — Prou. 3. Heb. 12. — Psalm 6. & 37. — Naū. c. 1.

mortem & supplicia iterum ad supplicia excipiendi sint. Puniti sunt in praesenti, ne in futuro iugiter punirentur. Cerne pauperem in Euangelio, squalore & penuria premitur, & postea in Abrahæ sinu recumbit. Recipit mala sua in vita sua. Vnde scis an receperint qui in diluuio sunt necati mala sua in vita? Vnde nosti utrum ne restituta sint Sodomæ, & Gomorrhæ mala sua in vita sua? Audi testimonium scripturarum. Vis testamenti veteris testimonium discere? Vis noui edoceri? Restituetur Sodoma in antiquum & adhuc dubitas an bonus sit Dominus puniens Sodomitas? Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorræorum in die iudicij, dicit Dominus miserans Sodomitas. Benignus ergo est Deus, clemens est Deus. Qui solem suum veré oriri facit super bonos & malos, & pluit vere super iustos & iniustos, non solum hunc quem oculis cernimus solem, sed & illum solem qui oculis mentis aspicitur. Ego malus eram & ortus est mihi sol iustitiæ. Ego malus eram, & venit super me pluuia iustitiæ. Bonitas Dei est etiam in his quæ amara existimantur. In captiuitate constitutus erat propheta Ezechiel, & cerne quæ videat: ne dolores sentiat captiuitatis. Deorsum videt labores, sed sursum eleuans oculos apertos suspicit cælos, cernit sibi reserata cælestia, videt similitudinem gloriæ Dei, videt quatuor animalia. Lunaticus etiam iste vexatur à dæmone, sed statim sanatus est a Christo & traditus patri. Vide Origen. homil. 1. in Ezech.

Iosue 16. | Mattt. 10. | Matth. 5. | Ezech. 1.

¶ *Et rogaui discipulos tuos, vt eijcerent illud & non potuerunt.* Ob infirmam adhuc fiduciam discipulorum non est sanatus puer iste. Ob eandem in naui periclitantes dormiente Domino dicebant Domine salua nos perimus. Dormitare enim tunc dicitur Christus quando nos in eius fide tepescimus inquit Cassiodorus, in quo enim non dormit fides, vigilat Christus. Nam si nos ab eius contemplatione discedimus: ipse quoque à nostra defensione subtrahitur: sicut in illa naui factum est: quando negligentibus discipulis Dominus dormiebat. Sed vbi

Cassiodor. Psal. 120.

A fides eorum excitata est, Dominus quoque de somno surrexit: & statim ab eis pericula marina submouit. Fidamus igitur Christo, & tunc & à periculis & à dæmonum impugnatione liberare nos ipsos, atque fratres nostros poterimus. Vera enim fiducia est quæ facit Ecclesiam mulierem illam fortem, cuius de vltimis finibus pretium est, & in qua confidit cor viri sui, hoc est, Christi. At infirma fides, & fiducia discipulorum, & incredulitas patris pueri cæterorumque Iudæorum B astantium, in causa fuit: vt puer non curaretur. Quare in hac turba, gerenti imaginem infirmæ mulieris, non poterat confidere cor Christi, quod fortis in fide non erat. Ideo meritò exclamauit, dicens, ó generatio infidelis & peruersa quandiu ero apud vos & patiar vos? O natio inquam diffidens, minimeque simplicis animi, quandiu versabor apud vos, & ista patiar? Nondum hoc efficio, vt mihi fidatis? Adeo vobis obstat huius corporis imbecillitas? ¶ Absente Christo fides nostra minuitur, præsente vero coroboratur, quare illum precemur, vt semper ani- C mis nostris adsit. Discesserat ab Apostolis & discessit ab eis fidei robur, astat modo, & confirmatur eorum fiducia.

Prou. 31.

¶ *O generatio infidelis & peruersa.* O natio diffidens & distorta. Quanto iure nos etiam vocare potest nationem peruersam, qui illi parere nolumus.

¶ *Et increpauit Iesus spiritum immundum, et sanauit puerum. Stupebant autem omnes in magnitudine Dei.* Ad hoc Christus in mundum venit, vt spiritum immundum ab hominibus eijceret: sic- D que esset rex noster, & princeps noster. 2. Reg. c. 5. Narrat scriptura sacra, quod Dauid eiecit cæcos & claudos ab arce Sion, & habitauit in ea: & vocauit eam ciuitatem Dauid. Bene sané Dauid eiectis cæcis & claudis habitauit arcé Sió, & ciuitatem suam nominauit: quia cum Christus malignos spiritus de anima expulerit: habitat ibi, quæ merito ars Sió, id est, speculationis vocatur. Vt de ea recte dicatur: factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion. Ibi confregit arcum scutum, gladium, & bellum. Eiecto

Christus ab animis nostris eiicit immundum spiritum, vt in illis regnet. | 2. Reg. 5. Figura. | Psalm. 75.

cto spiritu immundo ab anima hominis tunc fit in ea pax Christi: quoniam ipse (vt ait Apostolus) Deus non est dissensionis sed pacis. Propter quod plerisque in locis Christum appellat, idem Apostolus Deum pacis. Ibi confringitur & comminuitur potētia arcus, scutum, gladius & bellum principis tenebrarum, quando per Christum ita deuincitur, vt nihil iam damnationis sit ei qui in Christo Iesu, vt nihil illi, nisi propria sua voluntate nocere possit, vt nullum in eum habere imperium.

1. Cor. 14.

¶ *Obstupebant autem omnes in magnitudine Dei*. Ob magnitudinem Dei. Id est, quam ostendebat Deus per Christum suum.

¶ *Accesserunt discipuli* (inquit Matthæus) *ad Iesum secreto & dixerunt quare nos non potuimus eijcere illum? Dixit illis Iesus: propter incredulitatē vestrā.* His verbis clare Dominus ostēdit, quod sicut fides nos potentes aduersus omnes insidias spiritus maligni facit: ita diffidētia impotentes. Data erat potestas Apostolis eijciendi dæmonia. Et tamen imbecillitas fidei eorum partim fuit in causa, vt non eijceretur ab illis. Nam morbi vis erat atrox: & patris erat vacillans fides videndo morbi diuturnitatem, & atrocitatem, apostolorum vero fides nō erat tam pollens, vt par esse posset vtrique difficultati. Erat enim nonnihil diluta humanis affectibus, & inanis gloriæ fermento vitiata. Si ergo tu vis diaboli insidias superare ne diffidas: Christo fide, & potens eris. Frustra enim vt Salo. ait: iacitur rete ante oculos pennatorū. Frustra enim spiritus malignus laqueos mortis tendit ante oculos eorum, qui pennas habent firmæ fidei, & charitatis. Facile enim laqueos qui in terra tendūtur cauent. Quod hac firma fiducia caruit pater iste & caruerunt Apostoli nō poterunt à laqueo maligni spiritus puerum istum liberare. Nec nos etiam à laqueis quos quotidie tendit eripere nos ipsos valebimus. Anima tamen veri fidelis eripietur à laqueo venantiū, laqueus conteretur, & illa, manus dæmonis effugiet. Fidebat Dauid, & ideo dicebat anima nostra, sicut passer erepta est de laqueo venantium, laqueus contritus est & nos liberati sumus. Fidebat & dicebat: in te Domine speraui non confundar in æternum. Quoniam refugium meum & firmamentum meum es tu. Et rursum: tu es expectatio mea & spes mea à iuuentute mea. Fidebat & fiduciæ vi Goliath gigantem vincebat. Diffidebat Petrus, & in mari mergi incipiebat: fidebat & super fluctus ambulabat. Fidebāt Apostoli & dæmonia subijciebantur illis: diffidebant forsitam timētes ne qua culpa sua perdidissent potestatem ædendi miracula: & non potuerunt dæmoniū hoc eijcere. Diffidebat pater huius pueri & salutem filij impetrare non potuit: at postquam Christo fidit, atque dixit: credo Domine sanatus est puer. Meritò Ioannes ait: hæc est victoria quæ vincit mundum fides nostra. Quod enim impossibile iudicat mundus: facile apud Deum esse iudicat fides; quod fieri non posse existimant homines infideles, & qui mundi cupiditatibus sunt addicti, id nomine Christi fieri posse iudicant iusti firmam fidem, atque confidentiam habentes in Deo. Sicque fides illorum vincit mundum. Neque hoc mirū est, quod fides fortes, diffidentia impotētes & debiles faciat: quis enim eo infirmior, quā qui se ipso constat? Omnis caro fænum, ait Isaias. Econtra quis fortior ac potentior eo cum quo Deus est? Omnia possum (inquit Paulus) in eo qui me confortat: in Deo meo (dicebat Dauid) trāsgrediar murum. Fides autem Deo innititur. Quid igitur mirum eum nihil non posse qui nititur omnipotenti? Qualis verò esse debeat ac quanta fides ista quæ omnia potest, explicat statim Christus apud Matthæum inquiens.

Fides nos potentes ac diffidētia impotentes & debiles facit.

Prou. 1.

Psal. 123.

Psal. 70.

1. Ioan. 5.

Isa. 40.

Phi. 4.

Psalm. 17.

¶ *Amen dico vobis si habueritis fidem sicut granum synapis, dicetis monti huic, transi hinc & transibit.* Quasi diceret: si habueritis fidem similem grano synapis, quod cum sit contemptum ac minutum, tamen attritum exerit acrimoniam naturæ suæ, & humo conditum emergit in arborem spatiosam, nihil esset tam arduum quod non illico dicto conficeretur.

Quæ fides sit quæ cōparetur grano synapis. 1. Cor. 12. & 13.

tur. ¶ Fides hic non pro dono credendi, quo gaudent fideles omnes, sed pro dono peculiari. De quo D. Paulus ait. In priori Epistola ad Cor. c. 12. Alij quidē per spiritum datur sermo sapientiæ, alteri fides in eodem spiritu. Vbi fides pro constanti in Deum fiducia vsurpatur: quippe quæ montes transferre potest. Hæc est fides illa de qua idem Paulus in eadem Epistola. c. 13. inquit. Et si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero nihil sum. Non enim de vulgari fide hic loquitur Paulus, sed vt inquit Theophylatus, syncera & integra. Hæc est ergo fides synapis grano comparata nō ob sui exilitatem, sed ob vim & acrimoniam, qualis est in modico synapis grano. Et hác interpretatur Origenes in hūc Pauli locum, solidam, atque integram fidē. Qui, inquit, habet fidem sicut granum synapis, ὁλημέχει τὴν πίστιν. Id est, solidā integramque fidem habet. Et Gennadius Græcus hunc locum de perfecta fide intelligi, & tamen à charitate distingui docet, dicens. Quod verò in Euangelijs maximum esse Dominus asserit, scilicet, montes per fidem transferre id sine charitate nihil esse dicit Paulus. Videāt ergo (vt obiter id dicamus) qui fidē absque operibus satis esse putant, quiq; eā à charitate non distingunt, quam rectè sentiant. Sed iam ad propositum & institutum redeamus. In Dei Ecclesia inquit Paulus diuisiones donorum sunt: sed idē spiritus. Quasi diceret vnus fons ascendit de terra, sed diuiditur in quatuor flumina. Vnus est aer, qui sonat per organa: sed soni diuersi sunt: ita vt quo minores sunt in lōgitudine: eo vox sit acutior clariorque. Idem est medicus & eadem est medicina: sed diuersa impartitur genera sanitatis. Idem est sol, & tamen diuersa gignit, imo & contraria, cū hæc arefaciat, illa vero liquefaciat, alia verò producat. Sic in Ecclesia vnus est diuinus spiritus, qui tamen diuersa largitur munera. Alijs sapientiam per quā, vt August. ait, in se diuina cognoscimus & contemplamur: alijs scientiam quæ per bonas actiones ad Deum tendimus.

Origenes

Gennad.

Similitudines.

August.

A Alijs fidem, hoc est, firmam perfectamque fiduciam: qua sancti possunt ædere miracula. De hac ergo in hoc loco ait Dominus. Amen dico vobis si habueritis fidem, sicut granum synapis. Tātam autem fidem aliquē habere, videtur quidem facile, est tamen excellum valde (inquit Euthim.) Nascitur siquidem ex libertate ad Deum. Rursum talis libertas est ex mente placide composita. Est autem magni certaminis explacabilitate acquirere talem erga Deum libertatē, vt credat illum daturum quicquid po-

1. Cor. 12.

Euthim.

B stulabitur. Petite, inquit, & dabitur vobis. Addit verò Matthæus.

Matth. 17.

¶ *Hoc autem genus non eijcitur, nisi per orationem & ieiunium.* Quasi dicat hoc genus dæmoniorum, quo puer ille tenebatur, non eijcitur nisi fides eijcientis, precatione & ieiunio patientis confirmetur. Tenax erat mali vis, & iā multo tempore versum erat in naturam. Aduersus huiusmodi vitia pugnandum est ieiunijs, quæ corpus attenuatum spiritui subijciunt, & deprecatione, quæ diuinum impetrat subsidium. Nonit ipse

C Iesus solus quare hoc genus dæmonij, exigit orationem & ieiunium, vt egrediatur. Vis tamen diuina his alligata regulis, non est: quare regulariter hoc intelligendum est. Ipse enim Dominus sine concursu orationis & ieiunij curauit illum. ¶ Cęterùm hoc sermone docuit Iesus atrocia diuque cōsueta animi vitia, remedijs grauioribus oportere propelli. Si ergo iam diu in peccatis verfaris & sanari desideras, ieiunijs precationes efficaces, atque assiduas anecte: non enim sanat oculum (inquit Hieron.) quod cal-

Ieiunium & oratio commēdātur.

Hier. sup. Marc.

D caneo adhibetur, ieiunio passiones corporis, oratione pestes sanandæ sunt mētis. Hæc ergo sunt duæ alæ animi degētis in vitijs, quasi iam in naturam versis. Oratio scilicet & ieiunium. Bonum & salutare ieiunium (ait Bernard.) quo redimuntur æterna supplicia, dum remittuntur peccata. Non solum autem ablutio est peccatorum, sed etiam extirpatio vitiorum, non solum obtinet veniam, sed meretur gratiam, non solum delet peccata præterita quæ commisimus, sed

Ber. serm. 38.

Psal. 125.

etiam

etiam repellit futura quæ committere poteramus. ¶ Ieiunium, mors culpæ (inquit Ambros.) excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum est castitatis. Hoc gradu ad Deum citius peruenitur. Hoc gradu, antequā curru, Elias ascendit. Oratio verò (vt Augustinus ait) refectio est ieiuniorum: duritiam cordis emollit: austeritatem temperat: ieiunium dulcificat. Sicut enim sine potu non est plena refectio, sic & ieiunium sine refectione orationis nō potest animam perfectè nutrire. Et quanto grauiori tumultu carnalium rerum premimur, tanto orationi insistere ardētius debemus. Inquit D. Gregor. His ergo efficacissimis remedijs, atrocia animi vitia diuque consueta propellamus. His vsi sunt Niniuitæ, & misertus est Dominus illorum. Bona ergo est oratio cum ieiunio: vt Angelus testatus est Tobiæ, quæ hoc genus dæmoniorum eijcere potest.

D. Ambr.

August. in quodam sermone.

Grego. in hom.

Ionæ. 3.

Tobię. 12.

¶ *Stupebant autem omnes in magnitudine Dei: omnibusque mirantibus in omnibus quæ faciebat, dixit ad discipulos suos. Ponite vos in cordibus vestris sermones istos. Filius enim hominis futurū est, vt tradatur in manus hominum.* Cum huiusmodi factis indies claresceret fama Iesu, discipulorum animos tentabat quędam humana gloria, quod talem haberent Dñm, in cuius nomine patrarent ipsi miranda. Vt autem reuocaret eos ab hoc affectu ad contēplationem humilitatis, qua post erant offendendi, ait illis: *ponite vos in cordibus vestris.* Nitebatur enim Dñs Iesus iterādo & inculcādo eis, quod tradēdus, esset in manus hominū, & occidēdus: præmunire animos eorū, ne supra modū cōturbarētur morte sua. Vos, inquit delectat miraculorū gloria: sed magis refert vt hos sermones, à quibus abhorret animus vester, infigatis cordibus vestris. Hoc enim oportet maxime meminisse, quod oportebit omnes imitari. De gloria ego videro. Futurum est enim, quod iam dixi, & iterū dico, vt filius hominis, cuius gloria vos nūc delectat, mox capiatur & tradatur in manus hominum, & affligatur multis modis, & morte demū afficiatur. ¶ Obserua quod

A semper Dñs prosperis miscet tristia. Post gloriam enim suæ transfigurationis, meminit suæ passionis. Post celebrē istā lunatici curationē, mortis suę mentionem facit. Vt hinc intelligamus rerū humanarū celerē esse cōmutationē: neq; sperandū, vt res perpetuo secundæ sint, verum vtcunq; Deo libitū fuerit, ita vel secundus rebus attollimur, vel aduersis affligimur. Meritò olim in prouerbio erat: cū Deo quisq; gaudet & flet. Et rursum: omniū rerū vicissitudo est. Et nūc huic, nūc Iupiter illi, nūc lęta immittit nūc tristia.

quare Dominus prosperis semper miscet tristia.

B Et quēadmodū mare habet accessus & recessus æstuarios, ita nihil est in rebus humanis perpetuū: volubilis est mūdus, volubile est cœlū. Aliàs alij sunt ventorū flatus. Meritò olim fortuna æstuaria appellabatur. Siue fortuna euripus. Quod vicisim nūc huic fauere soleat, nūc illi. De qua Boetius. Ex æstuantis more fertur euripi. Nullū autē mare crebrius, aut celerius recurrit quā Euripus. Pindarus in Pythijs, hym. 3. Metaphorā sumpsit à ventis. Oportet inquit, vbi contigerit à dijs, frui.

Boetius.

Pindarus.

C Cæterū aliàs alij sunt vētorum flatus. Fœlicitas autē mortaliū nō venit diu māsura. Hoc significare volens Dñs ait apud Isaiā. c. 65. & erunt cāpestria in caulas gregū, & vallis Achor in cubile armentorū populo meo, qui requisierūt me. Quibus verbis propheta vult spirituale Ecclesię fertilitatem significare. Caulæ sunt stabula, in quibus oues recōduntur. Achor vallis est, vbi Iosue iussit, vt Achā propter furtū lapidibus obrueretur. Et quoniā ibi turbatus est populus, appellatus est locus ille Achor, hoc est, turbatio.

Isai. 65.

D Nō enim solū viri iusti in cāpestriū planicie, in gaudio & quiete versantur, sed aliquando in turbine & calamitate: vt tristia cū lætis misceantur, & harmoniam, atq; sonorum concentum efficiant. Vt enim in musica non omnes voces sunt acutæ, neque omnes graues, neque omnes circumflexæ, sed ex vocū varietatē suauis cōsonantia efficitur: sic temperata vitæ Christianæ harmonia ex diuersitate & mistione gaudij & afflictionis componitur.

Similitu.

Finis capitis noni.

CAPVT X.

Conditiones docendi verbi præscribuntur & legis peritus Christum tentat.

In festo Euangelistarum.

POsthac autẽ designauit Dominus & alios. 72. & misit illos binos ante faciẽ suam, in omnem ciuitatem, et locũ quo erat ipse venturus. Et dicebat illis messis quidem multa: operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem. Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neq; peram, neque calciamenta: et neminem per viam salutaueritis. In quamcunque domum intraueritis, primũ dicite, pax huic domui. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos reuertetur. In eadem autem domo manete edentes et bibentes A *quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et quamcunque ciuitatem intraueritis: & susceperint vos: mãducate quæ apponuntur vobis: et curate infirmos qui in* B *illa sunt, & dicite illis, appropinquauit in vos regnũ Dei. In quamcunque autẽ ciuitatem intraueritis, & non susceperint vos, exeuntes in plateas eius, dicite, et iam puluerem qui adhæsit nobis de ciuitate vestra, ex*C *tergimus in vos, tamen hoc scitote: quia appropinquauit regnum Dei. Dico vobis, quia Sodomis in die illa remissius erit, quam illi ciuitati.*

Matth. 9. — Matt. 10. Marc. 6. — 4. Reg. 4. — Matt. 10. Deut. 24. 1. Timo. 5. — Actor. 13.

P*Osthac autem designauit Dominus, & alios. 72. & misit illos binos ante faciem suam.* Ecce iã incipit adimpleri quod D Dominus per Isaiam. cap. 66. promiserat dicens: ponam in eis signũ, & mittam ex eis qui saluati fuerint, ad gentes in mare, in Africam, tenentes sagittam in Italiam & Græciam, ad insulas longé, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam, & annuntiabunt gloriam meam gẽtibus. Misit enim Christus non solum Apostolos, sed septuaginta & duos discipulos ad prædicandum modo in omnem ciuitatem quo erat ipse venturus: & post resurrectionem per vniuersum orbem: & quo-

Isai. 66. — Explicatur locus.

quoniam adhoc munus fuerunt desig-nati, ideo ait: & ponam in eis signum & mittam ex eis. De his concionatoribus dicitur in Psalmo: annuntiabunt cæli iustitiam eius populo qui nascetur, quem fecit Dominus. Ecce eunt cæli, annuntiant cæli, & in omnem terram exire incipit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Ecce annuntiare incipiūt cæli isti Dei iustitiam, tenentes sagittas, hoc est, Dei verba, quibus corda fideliū transfigant, & eos in diuinum amorem excitent: de quibus sagittis regius vates ait, sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum. Ac si diceret: verba Apostolorum, atque discipulorum Christi, quos ob innocentiam paruulos appello, dura hominū corda traiecerunt, & amore in Christum vulnerarunt. Verbis ergo diuinis discipuli Christi, viri sanè diuini, modo mittuntur, vt annuntient populo illi nouo (qui adhuc est nasciturus, qui est per Apostolicam doctrinam, in baptismate & fide viua generandus) iustitiā Dei, iustitiam veram, quæ coram Deo iustificat, quæ est ex fide viua in patrem & filium eius: illi inquam, populo, quem tu pater ab æterno prędestinasti, & præordinasti facere in tempore suo, & quē item perficies, aptabisque tibi in tempore definito, regeneraturus illum ex aqua & Spiritu sancto, vt fiat tibi in populum electum, in Ecclesiam sanctam, in qua habites, & modo per gratiam, & in futuro per gloriam. ¶Cæterum non immerito Apostoli, atque cæteri Domini discipuli, cæli vocantur à Psalmista: cū cælorum naturam adhuc in terra viuentes habeant. Dei enim si rite consideres, magnificētia, magis in cælis elucet, quā in terra, ob illorum admirabilē pulchritudinem, excellentes influxus, & actiones: & quod sint ampliores toto orbe terrarum, illustriores, & præstantiores, positi in sublimi, ornati innumerabilibus astris, quæ globosa & rotunda, splendidissimo candore fulgentia, circulos suos, orbesque conficiunt admirabili celeritate, ordine, & constantia. Apostoli ergo, cæterique viri Apostolici meritò cælis comparantur, ob excellentem charitatem, & contemplationem, animiq; præstantiam, & altitudinem: ardēt enim charitate, splendent sapientia, & adhuc in terra constituti se ferunt in sublime, iamque in cælis quodammodo habitāt. Ita enim ait D. Apostolus: nostra enim conuersatio in cælis est. Quemadmodū enim rota, vt Diui Hilarij similitudine vtar, licet in terra voluatur, tamen magna ex parte dum steterit, est à terra eleuata, parua autem pars in terra consistit, sic licet pars corporis sit ambulans in terra, anima tamen viri Apostolici, quæ maior est pars hominis, conuersatur in cælis. Hi sunt qui à Deo, sicut cæli gubernantur, & in quos influit diuina virtus: suamque vim imprimit, diuinosque influxus: vt lationibus suis mundus iste inferior spiritualis gubernetur. Hi sunt qui aguntur à primo illo supremoque motore, & hodie mittuntur ad illuminandum cælesti sua sapientia, mentes hominum. Hi sunt, qui innumeris astris, hoc est, charismatibus decorati, annuntiare proficiscuntur gloriam Dei. De his Isaias ait: annuntiabunt gloriam meam gentibus. Hoc est, me ipsum, vel regnum cæleste. Et regius psaltes cæli enarrant gloriam Dei: vt modo dicebamus. Hi sunt cæli quos modo creauit Dominus: de quibus idem Isaias ait: siue Deus pater alloquens filio suo: posui verba mea in ore tuo, vt plantes cælos, & fundes terram. Verba, quæ loquitur Christus patris sunt. Ipse enim apud Ioannem, sermo, inquit, quem audistis, non est meus, sed eius qui misit me patris. Christus constituit alterum mundum, constituit cælos, id est, Apostolos: constituit. 72. discipulos in terra vitam cælestem imitantes. Quos modo instruxit ad munus Euangelicæ prædicationis & binos mittit in omnem ciuitatem, in quā ipse decreuerat venire: quo suo lumine & prædicatione præpararent animos in aduentum Domini. Vt autē redderet causam, quare auxisset numerum istorum cælorum, hoc est, istorum cælestiū prædicatorū adiūgit. ¶*Messis quidem multa, operarij autem pauci.* Mundus messis, prædicatores vero operarij vocan-

Psalm. 21. — Psalm. 63. — quare apostoli & Christi discipuli appellentur cæli. — Lege etiā sum. Ant. 3. p. ti. 18. c. 1. — Phil. 3. Simile. — Isai. 66. — Psalm. 18. — Isai. 51. — Ioan. 14.

Cum prędicatores operarii sint nō debent esse pigri & negligentes.

vocantur à Christo. Non ergo otiosi esse debent, non negligentes & pigri cōcionatores euangelici, sed soliciti cum tam pauci sint: tamque copiosa sit messis. Multi sunt qui concionatorum & operariorum nominibus gaudere volunt: at nihil minus, quàm munus suum curant. Similes pueris Abrahæ, qui spectant cū asino, nec ascendunt cum Isaac in montem, portantes paleas, & stimulum, quæ ad asinum pertinent: non ignem & gladium, quæ necessaria sunt sacrificio. Sunt enim nonnulli concionatores nimis se indulgentes, qui cum asino expectant: qui tarditatem, inquam, semper amant, portātes secum stimulum carnis suæ, & paleas leuitatis. At veri operarij, atque concionatores, similes Abrahæ, hoc est, patri multarum gentium, sunt: gignunt enim innumeram prolem spiritualem: hi sunt, qui vbique cum Christo pro nobis immolato ascendunt: hi sunt, qui prædicant Christum & hunc crucifixum, hi sunt qui secum portant & ignem charitatis, & gladium spiritus, quod est verbum Domini. Hi sunt, quorum singulis ait Dominus illud Exod. c. 23. sex annis seminabis terram tuam, anno autē septimo, dimittes eam. Sex diebus operaberis, septimo die cessabis. Apostolicus enim concionator semper laborat, semper incumbit negotio Euangelij: donec veniat Sabbathum, hoc est, requies illa sempiterna: donec veniat. 7. dies, hoc est, tempus mortis, vbi requiescet à laboribus suis. De huiusmodi operario ait Salomon in Prouer. cap. 10. qui congregat in messe, filius sapiens est. Cōgregat enim Christo animas fidelium, & ideò merito sapiens filius appellatur. At de pigro & tardo operario addit statim: qui autem stertit æstate: filius confusionis. Qui enim hoc tempore acceptabili, ocio vacat: neque negotio euangelico sibi commisso incumbit, confundetur in die tribulationis. Tales enim Deo maximè displicent: sicut enim acetum dentibus, & fumus oculis: sic piger his qui miserunt eum, ait idem Salomon. Quemadmodum enim acetum dentibus, & fumus contrarius est oculis, ita concionator negligens, & piger, insuauis est prælatis, ad prædicandum mittentibus illū: cum socordia sua negotium euangelicū non fiat.

Figura. Gen. 22.

Exod 23. Figura.

Prou. 10. D. Hiero.

Prou. 10. Simile.

¶ *Rogate ergo Dominum messis vt mittat operarios.* Græcè est, ὅπως ἐκβάλλῃ. Id est, vt extrudat, siue eijciat operarios, vt intelligamus aut inuitos mittendos, aut celeriter extrudendos. Singula tamen verba consideratione digna sunt.

¶ *Rogate ergo.* Ad nos omnes pertinet verbum istud. Nā & si certa res sit, quod omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus erit: vt Paul. ait: at quomodo inuocabunt in quem non crediderūt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo audient sine prædicante? Quomodo verò prædicabūt nisi mittantur? Cum ergo fides donū & munus Dei sit: hæc autem gignatur ex auditu, auditus autem fit per verbum Domini; obnixè eum precemur vt emittat, etiam si nolint, prædicatores suos Euāgelicos in messem suam: hoc est, in gentes quæ nomen suum nondum inuocauerunt: vt conuertātur, & à peccatis omnibus emūdentur. Ad nos, inquam, fideles, pertinet verbum istud. Vt incessanter Deum rogemus, ne concionatores suos à nobis auferat, qui nos moneant, hortentur, excitent, reprehendant, qui euellant peccatorum radices, atque virtutes cælestes sua doctrina plantent: qui nos pascant pane superno. Multoties enim aufert dominus, siue non mittit in messem suam operarios, ob messis, hoc est, populi fidelis culpam. Ecce dies venient dicit Dominus Deus, & emittam famem super terram: non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem audiendi verbum Domini. Et commouebuntur aquæ de mari, vsque ad mare: & ab Aquilone, vsque ad Orientem: circuibunt quærentes verbum Dñi, & non inuenient. In die illa deficiēt virgines pulchræ: & iuuenes in siti. Vetus narrat historia, tā Latina, quā Græca, & omnium gentium barbararū, nihil fame durius, quæ sæpe compellit obsessos humanis vesci carnibus, & in suam sęuire naturam: ita vt nec parētes paruulis parcant liberis, & maritalis affectus

Omnes ad monemur ac deprecādū Deū vt mittat operarios. Rom. 10.

Obscelera nostra solet Deus auferre prędicatores. Amos. 8.

Explicatus locus.

fectus dudum amatæ vxoris membra dilaceret. Si hoc facit fames corporum, quid de fame dicendum est animarum? *Mittit ergo Dominus famem in terram*, super eos qui terrena sapiunt: *& famem non panis, sitimque non aquæ, sed audiendi verbum Domini*, quando propter peccata populi doctrina deficit in Ecclesijs: *& à mari vsque ad mare*, id est, à salsis & amarissimis fluctibus, vsque ad mare perueniunt. non occurrentes fluminibus, non dulcissimis & varijs fontibus: sed rursus ad amara currentes: *& ab Aquilone, vsque ad Orientem*, cupiẽtes Aquilonem delerere, qui est ventus durissimus: & peruenire ad Orientem, quem reperire non poterunt. quia non recto pergũt itinere, sed de vijs circũmeunt callibus: viamque regiam non tenentes, curuis ducuntur anfractibus. *Tunc deficiunt animæ virginales*, quas incorruptas Apostolus nominat: & cupit æternam pudicitiam possidere, scribẽs ad Corinthios: despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Timeo autem ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, ita corrũpantur sensus vestri, & excidãt à simplicitate, quæ est in Christo. Et si essent omnes virgines pulchræ & bonæ, nunquã dixisset Propheta: deficient virgines bonæ. sed ad distinctionem malarum virginum bonas posuit, quæ sunt sanctæ corpore & spiritu. Malæ virgines quinque sunt stultæ, quæ lampadibus suis oleum non parauerunt: bonæ & speciosæ virgines sunt illæ, quæ lumen habuerunt virtutum: & sponsæ thalamum ingressæ sunt. *Deficient autem virgines* (ait Propheta) quia verbum Domini nõ inuenient. Ex quo intelligimus quando doctrina non fuerit in Ecclesia: perire pudicitiam, castitatem mori: omnes abire virtutes, quia non comederunt verbum Domini: quod qui comederit saginatus eius cibo, audiet per Salomonem: iustus comedit & replet animam suam: Venter autem impiorum insaturabilis. D. Hieron. Hæc in hunc locum Amos: Quando igitur verbũ Dei cibus est animæ, deprecemur Deum vt emittat operarios concionatoresque Euangelicos: qui nobis panem nostrum largiantur ne fame pereamus.

2. Co. 11.

Matt. 25.

Prou. 13.

D. Hiero.

¶ *Rogate ergo.* Ad discipulos, atque ad prædicatores omnes, peculiariter attinet sermo iste. Vult enim Dominus vt prædicatores sui tanto zelo, atque amore prosequantur fideles, vt Deum ex animo precentur, vt mittat eos, aut alios ad prædicandum. Cum late sparsus sit Euangelij rumor, & plures sint accensi auiditate doctrinæ, paratique sint ad recipiendam diuinam gratiam: & tantum desint qui colligant homines, vltro properantes ad regnum cælorum: debent euangelici prędicatores (qui vere amãt, vereque quærunt non quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi) rogare, vt emittat operarios in messem suam ne pereat: vt prouideat messi, atque gregi suo. Ob id precabatur Moyses dicens: prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis, hominem qui sit super multitudinem hãc: & possit exire & intrare ante eos, & educere eos, vel introducere, ne sit populus Domini sicut ouis, absque pastore. Cuius preces exauditæ sunt a Domino. Vnde statim ait Dominus illi: tolle Iosue virum, in quo est spiritus Dei: & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, vt audiat eum omnis synagoga filiorum Israel. Ob eandem causam orabat Isaias Dominum atque dicebat: Ecce ego, mitte me. Non temeritate & arrogantia se vltro obtulit: sed zelo Dei, & charitate in populum, inflammatus: sese prædicationi exhibuit: non timens veritatem proferre, quanuis deuenisset in rerum omnium certamen & discrimen: quemadmodum re vera deuenit: nam vitam propter Deum periculis obtulit. Sic ergo concionatores Euangelici postquam se à peccatis purgatos & emundatos esse senserint: rogent Dominum messis, vt emittat illos in messem suam: intelligentes quàm copiosa sit messis, quàm verò pauci veri operarij, qui pro Christi gloria, atque animarum salute, veritatem detegant, & si videant aliquas sibi indè procellas esse subeundas.

Veri Euangelicique prædicatoris est Deũ rogare, vt mittat cõcionatores etiam inuitos, in populum suum.

Num. 27.

Isai. 6.

¶ Imitentur D. Ioannẽ Baptistã, qui hoc preca-

Apoc. 14.

precabatur. Sic enim de illo loquens ait Ioannes in Apoc. Et alius, inquit, angelus exiuit de téplo clamans voce magna ad sedétem super nubem. Mitte falcem tuam & mete, quia venit hora vt metatur, quoniam aruit messis terræ. Et misit qui sedebat super nubem, falcem suam in terram: & demessuit eam. Angelus ergo iste de quo Malachias ait: Ecce ego mitto angelum meum. Precabatur vt Christus manifestaretur & prædicaret, mitteretque prædicatores in messem suam, & exauditus est. Lege huius loci expositionem apud Rupertum, in commentarijs suis.

Malac. c. 3.

¶*Vt mittat operarios*. Græcè, vt superius annotauimus, est verbum quod significat extrudere, & eijcere, vt intelligamus operarios se ipsos respicientes inuitos subire debere tantum prædicationis pondus & munus. Si ergo sapis time, te ad concionandum inuitari: maxime si peccator es. Equum enim est, vt qui se peccatorem cognoscit, tátam dignitatem refugiat: ne audiat id, quod dicitur in Psalmo: quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meú per os tuum. Et id quod dicitur in Ecclesiast. co: non est speciosa laus in ore peccatoris: & in Psalmo: rectos decet collaudatio. Ideo in Canticis: benedicite omnia opera Domini Domino, & laudate Dominum de cælis. Non dicitur benedicite, vel laudate peccatores Dominú. Inuitantur ad diuinas laudes concinendas, bestiæ & vniuersa pecora, serpétes & volucres pénatæ: dracones & omnes abyssi & multa alia: at peccatores sub nomine peccatorum non inuitantur, quod sint multo peiores serpentibus, & ea scelera & maleficia concipiant, vt belluas immanes immanitate superent. Et quanuis aliquando clament, dominúq; laudent, animo tamen silent, iuxta id quod dictum est in Psalmo: quoniam tacui: inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die. Clamabat tota die, & clamans tacebat. Quia non ex intimo cordis clamabat. Qui flagitijs pascuntur, & de sua conuersione nequaquam curant, loquentes silent, & clamantes non exaudiuntur: ideò debent munus concionandi refugere. Nam cum alijs prædicauerint ipsi reprobi efficientur. Eam ob causam, Isaias cum intellexisset ex illa cælesti visione, qua Dominum vidit sedentem super thronum, se ad concionandum inuitari: Væ mihi, inquit, quia vir pollutus labijs ego sum: & volebat se ob linguæ pollutæ impedimentum excusare à táti muneris functione: at postquam ab angelo purgatus est libenter ob Dei gloriam & populi emolumentum se obtulit mittendum. Peccatoribus huiusmodi loquitur Dominus apud Isaiam. cap. 32. dicens: confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate. Dicite: pusillanimes cófortamini. Quasi diceret: qui antea opera Dei non faciebatis, qui antea non eratis veri operarij, quod manus habetitis languidas & remissas, erigite eas, & roborate, atque ad virtutis actiones extendite, & qui erroribus & superstitionibus claudicabatis, estote fortes, via recta incedite, & ad veram Dei gloriá tendite. Et postquam cóforaueritis manus vestras dissolutas, & genua debilia roboraueritis, tunc sumite munus dicendi: túc dicitur tunc prædicate: pusillanimes confortamini. Perpende. Non dicit, vos iacentes in vitijs, alios ad virtutem excitate: sed surgite à vitijs, incumbite fortiter in virtutes, & sic concionamini, & alios ad easdem virtutes sectandas admonete. Nam quanuis oratores omnes dicendi artificio superes, quid tibi prodest ad beatitudinem consequendam, si nolueris á sceleribus se iungi, & à vitijs separari. Hæc est causa cur multi concionatores non persuadeant, cum dicant apté ad persuadédum. Quia sunt ab omni charitate, virtutisque actionibus destituti. Vt enim nihil prodest militibus oppugnare vrbé multo puluere sulphureo, si machinę, quas nostri arcabuzes & bombardas vocant, non habeant pilas, quas proijciant, quibus muros contundát & euertát, & hostes interficiát: quia tunc nihil aliud efficiunt, quàm consumere puluerem frustra, & aerem sonitu implere: sic concionatores, nec muros super-

Peccator inuitus debet subire munus prędicandi. & quare.
Psalm. 49.
Ecclesi. 5.
Psalm. 32.
Dan. 3.
Psal. 169.
Psalm. 31.
Isai. 6.
Isai. c. 32.
Simile.

superbiæ auditorum, nec pinnas vanitatis eorũ euertunt, nec animi hostes vulnerant, nec denique aliquid persuadẽt, quia sunt à virtute nudati. Concionari sine bonis operibus, est vrbem oppugnare sine pilis, est consumere verba: replere aerem tonitruis & clamoribus, & tandem nihil efficere. Menander dicebat, vt refert Plutarchus in politica ad Trajanum, mores dicentis esse qui persuadeant, non verba. Quamquam Plutarchus dicat, Rethoricam etiam si non suadendi sit opifex, esse tamen adiutricem, quod nos etiam fatemur: dicit enim Isaias, vt virtutẽ amplectamur: & sic alios ad eandem cohortemur. Si ergo sceleribus implicatus es, inuitus & timidus si ad hoc munus inuitaris accede: & precare Dominum, vt extrudat & emittat nõ te sed operarios suos, hoc est, alios, qui verbo & opere laborent: qui manus dissolutas, & genua debilia non habeant: quod si noluerit, & adhuc, te inuitum emittere voluerit ad concionandum, roga illum, vt te operarium faciat: & tum eijciat, tanquam si quis eijceret ouẽ inter lupos. ¶Cæterum, etiam si sanctitate & sapientia sis præditus, adhuc inuitus & extratus ad tantum munus accede: vt quantum ad te attinet timeas caueasq; tibi: quasi indignum & insufficientem te ipsum judicans tantæ dignitatis. Sic Moyses humiliter se excusabat, dicens: obsecro Domine mitte quem missurus es. q. d, mitte alium qui hoc munere dignus sit. Et Hieremias, a. a. a. Domine nescio loqui. Quod si adhuc noluerit Dominus ne timeas, nam ipse tecum erit: sic enim dixit Moysi: ego ero tecum: sic, timenti Hieremiæ: ne timeas quia ego tecum sum. Sic coram Isaia, quando os eius emundatum est, ait tota Trinitas: quem mittam? Et quis ibit nobiscũ? Sic hodie Dominus misit. 72. discipulos ante faciem suam in omnem locum quo erat ipse venturus. Quod si ille ierit nobiscum, eamus, emittamur, non timeamus: nam ipse dabit os, & sapientiam: ipse ponet verba sua in ore nostro. Timentes nostram imbecillitatem, dicamus: mitte Domine quem missurus es: sed audientes, quis ibit nobiscum? Vnusquisque piorum dicat: ecce ego mitte me.

Menãder. | Exod. 4. | Hier. 1. | Isai. 6.

A ¶*Vt mittat operarios*. Veri ergo atque Catholici concionatores sunt qui mittuntur à Deo: falsi verò non mittuntur, sed ipsi sua sponte eunt. Omnis enim homo qui à se ipso loquitur, & non accepit os & sapientiam à Deo, mendax est. Tales fuerunt olim falsi illi prophetæ: de quibus Dominus apud Hieremiam ait: non misi eos, & non præcepi eis: neque loquutus sum ad eos: visionem mendacem & diuinationem fraudulentam: & B seductionem cordis sui prophetant: falsò vaticinantur in nomine meo. & apud Ezechielem ad hunc modum ait idem Dñs: væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum: & nihil vident. Quasi vulpes in deserto prophetæ tui Israel erant. Non ascendistis ex aduerso: neque opposuistis murum pro domo Israel: vt staretis in prælio in die Domini. Vident vana, & diuinant mendacium: dicẽtes, ait Dominus: cum Dominus nõ miserit eos. Lege totum illud. c. ¶Tales C etiam sunt hæretici, qui non à Deo, sed à diabolo mittuntur, vt decipiant homines miseros. Isti sunt non prædicatores Euangelici, sed prædones dæmoniaci, non pastores ouium pascentes eas cibo pastuque cælesti: sed lupi graues & rapaces, non parcentes gregi: non operarij, sed quæstuarij, quæ sua sunt quærentes, non quæ Iesu Christi. Isti sunt, qui sese in lucis angelos transformant: cum sint tenebrarum ministri: hi ergo (vt ait Paulus) quomodo prædicabunt, nisi mittantur? ¶Mittuntur tamẽ à Domino aliqui, D nunc per inspirationem internam à Domino ipso immediate factam: sic missus est Isaias, qui de se ipso ait: & nunc Dñs misit me & spiritus eius: vt aliqui volũt. Sic Christus dñs quatenus homo, missus est à patre: vt alij explicãt eundem Isaiæ locũ. Sic missus est Ioannes, ad quẽ factũ est verbum Dñi in deserto. Huius autẽ missionis signũ, aliquãdo est, sacræ Scripturæ testimoniũ: quale attulit Ioannes, rogatus à Iudæis, quis esset: Ego, inquit, vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias pro-

Veri concionatores mittuntur à Deo falsi verò non mittũtur. | Hier. 14. | Ezec. 13. | Bifariam contingit mitti à domino. | Isai. 48. | Ioan. 1.

propheta. Quandoq; autem huius missionis signum est veritas, quæ annuntiatur. Hinc est, quod Deuter. c. 18. dicitur, quia hoc habebit signũ: quod in nomine Dñi propheta prædixerit, & non euenerit, hoc Dñs non est locutus. Aliquando denique huius missionis signum est, miraculorum donum: quale dedit Dñs Moysi, cum misit illum, vt prædicaret Pharaoni. ¶ Verum est tamen hæc duo vltima signa non sufficienter monstrare diuinam missionem: præsertim cũ quis contra vniuersalem Ecclesiæ fidem aliquid docet. Dicitur enim Deut. c. 13. in hunc modum. Si surrexerit in medio tui propheta, & prædixerit signum, atque portentum & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi eamus & sequamur Deos alienos, non audies verba illius. ¶ Alio verò modo mittuntur aliqui à Dño, cũ à primoribus Ecclesiæ, vices Dei gerentibus, munus accipiũt cõcionandi. Misimus (inquit Paul.) cum illo fratrem nostrum cuius laus est in Euãgelio per omnes Ecclesias. ¶ De his igitur qui à Deo ad prædicandum mittuntur ait Paulus: quomodo prædicabunt nisi mittantur? Sicut scriptum est: quàm speciosi pedes Euangelizantium pacem. Quo in loco ecclypsi vtitur Paulus. Quare subaudiẽdum est coniungẽdo præcedentibus, sed missi sunt & prædicauerunt, sicut scriptum est, quàm speciosi pedes. Quod Pauli testimonium statim explicabimus.

(Deut. 18. — Deut. 13. — 2. Cor. 8. D. Thom. Rom. 10. — Rom. 10.)

¶ *Vt mittat operarios.* Non ait vt mittat prædicatores: sed quid ait? Vt mittat operarios. Perpauci sunt qui opere se exhibeant prædicatores, quanuis mittãtur, quanuis quasi tuba, multi exaltent vocem suã, & pro suggestu dicant: quod apertius significarat Christus paulò ante dicens: operarij autem pauci. Tales meritò comparãtur ranis Ægypti: qui sua loquacitate replẽt populi aures, proclamant, vocẽ contendunt, tantumque prædicatoris, & non operarij nomine gaudere volunt: nihil minus curantes, quàm animarum vtilitatem: in lege prohibitum erat, in templo nemus plãtare: sic isti qui solum folijs verborũ delectãtur ab Ecclesia eijciantur. ¶ Imo quod

(Multi concionatores, sed pauci operarii. — Lege D. Hiero. Eccles. c. 10. — Deut. 16.)

A deterius est, multi sunt qui ab Ecclesiæ proceribus mittũtur: qui ab illis munus Euangelicæ prædicationis accipiunt: & neque sibi neque Ecclesiæ prodesse volunt: sed ocio vacant: vt superius annotauimus. Audi ergo tu quisquis es, quid D. Aug. de veris operarijs, atq; de otiosis prædicatoribus docet, in lib. contra Manichæos. Olim (inquit) iussus est frater præmortui fratris vxorem ducere: vt non sibi, sed illi suscitaret sobolem: eiusque nomine vocaret quod inde nasceretur: B quod si recusaret: discalciatus vno pede conspui solebat in faciem. Nunc Euangelij quisque prędicator, ita debet in Ecclesia laborare, vt defuncto fratri, id est, Christo suscitet semen: qui pro nobis mortuus est: & quod suscitatum fuerit, eius nomen accipiat. At verò, qui electus ab Ecclesia ministerium Euangelizandi renuerit: ab Ecclesia ipsa dignè meritoq; contemnitur. Qui enim & sibi prodest & Ecclesiæ, bene intelligitur vtroque pede calciatus. Vnde illud: quã C speciosi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona. Qui enim lucrãdorum curam refugit aliorum: discalciati illius non figuratum significauit, sed in se impletum portauit opprobriũ. Hęc Aug. ¶ *In messem.* Finis ergo & scopus prędicatorum & operariorũ commodũ & vtilitas populi, qui messis est Domini: esse debet. Ideo enim mittuntur vt corda credentium fructificantia, falce prædicationis metant, & in horreum Ecclesiæ congregent. Non enim mittuntur, vt quæ sua sunt quærant, sed quæ Iesu Christi. Sunt enim nonnulli, qui non tã D populi quàm suum commodũ in prædicatione procurent: quemadmodũ enim nõ omnes milites (inquit Aug.) propter salutem reipublicæ militant, sed propter illa quæ accipiunt: sic & non omnes propter salutem Ecclesiæ ministrant Deo, sed propter hæc temporalia, quæ tanquam annonam & stipendia consequantur, aut propter hoc & propter illud. Simplici ergo corde tantũ modo propter regnũ Dei debemus operari bonum ad omnes: quod si fecerimus nõ duobus Dominis, sed vni Deo seruiemus

(D. Aug. — Deut. 25. D. Aug. Figura. — 8. q. 1. olim iussus. Finis prædicatoris, est vtilitas populi — Aug. lib. 2. de serm. Domini in monte.)

mus: cuius est bonis operarijs de necessarijs ad vitam prouidere. ¶D. Paulus in Epistola ad Philip. c. 1. & 2. Quatuor esse prædicatorū genera docet: alij sunt qui ob Christi gloriam animarumque commodum Euangelium annuntiant: alij vero qui suam vtilitatem præcipuè quærunt: alij autem qui per contentionem: alij deniq; qui ob inuidiam Euangeliū prædicant: primi veri sunt pastores: secundi, mercenarij: reliqui vero latrones & fures vocari possunt. Istorum typos & imagines gerebāt olim vxores Iacob. Contendebant enim aliquando duæ illæ sorores, quæ vxores erant Iacob de prolis numero: adeo vt diceret Rachel Iacob viro suo da mihi liberos alioquin moriar. Cumque ambæ parere desinerent: ancillas adhibebant. Vnus igitur erat pater Iacob, quatuor autem erant vxores, præ se ferentes quatuor concionatorum ordines: Rachel, quæ vix duos peperit filios, eos designat qui Christum ob gloriam eius, & credentium cōmoditatem docent, atque prædicant. Lia verò eos, qui intuitu mercedis præcipuè verbum Dei populo suggerūt: qui mercenarij potius quàm veri ac proprij pastores & operarij dici debent. Et quemadmodum Rachel paucos, lia vero plures generauit: eoque dolet Rachel: sic multò plures sunt prædicatores suā vtilitatē curantes, quàm qui solum Christi gloriam & messis profectum quærunt: multò plures mercenarij quā pastores. At vero Bala & Celpha illos præfigurāt, qui, vel ex inuidia, volentes sibi discipulos facere plures quàm faciūt alij excellentiores illis concionatores: vel ex contentione, vt veris prædicatoribus inimicos auditores faciant: verbum Dei prædicant. Omnes tamen eundem habent maritum, videlicet Iacob: eundem habent Christū, eandemq; prædicant veritatē. Sed quid mea refert (inquit Paul.) dummodo Christus annuntietur, quacunq; id ex causa fiat. Quid enim? dum omni modo Christus annuntietur, siue per occasionem, siue per veritatem. Possibile est autē, vt & filij ancillarū & matres, liberi fiant: & Christū omnes eodē

4. Sunt genera prædicatorū.

Figura.

Gen. 30.

Phil. 1.

A animo & cōcordi volūtate annūtiēt: vt & mercenarij & fures fiāt veri pastores.

¶ Ite: Hos Euangelicos operarios euntes prospiciēs olim Isaias, lætus dicebat: quam pulchri pedes super montes annūtiantis & prædicantis pacē, annuntiātis bonū, prædicantis salutē, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus. Quē locū breuibus explicare libet. *Quàm pulchri pedes*: membrū accipitur pro persona. q. d. quàm chari & accepti erunt auditoribus, ij, qui huc illuc mittentur ad Euangelizandum. *Super montes* (inquit) vt significaret Apostolos & Christi discipulos non priuatis hominibus & in eorum proprijs domibus inter priuatos parietes Euangeliū prædicaturos: sed esse ascensuros in montes, vt possent ab omnibus audiri. Esse, inquā, omnibus concionaturos, tam nobilibus, quàm obscuro loco natis, & nuntiaturos esse vniuerso mundo Euangelium. Poteris hic per mōtes altitudinē virtutum intelligere: ad quam oportet Christi concionatores ascendere. *Annuntiantis inquit, & prædicantis pacem*: id est, pedes annuntiantiū & prædicantiū pacem: sic Paul. ad Rom. 10. Pacē verò vocat nō mundi, sed pacē Christi. Quę triplex est: prima quā Christus fecit inter homines & Deū. De qua D. Paulus in posteriori Epistola ad Cor. c. 5. inquit. Deus erat in Christo mundū reconcilians sibi, & posuit in nobis verbū reconciliationis. Et rursum ait: pacē habeamus per Iesum Christū ad Dñm. Secunda: quæ cū omnibus hominibus habenda est. De hac idē Apostolus sic loquitur. c. 12. Epist. ad Rom. si fieri potest, quod ex vobis est, cū omnibus hominibus pacē habentes. Tertia: qua quisque cū animi tranquillitatē habet. Pax multa (inquit Dauid) diligentibus legē tuā, Dñe. Hoc triplex genus pacis ante Christi aduentū rarum erat. Si enim fuisset, non Apostoli cæteriq; Dñi discipuli, illud tanquam rem nouam & insolitā nūtiassent. Pax enim hæc sine charitate esse non potest. Ita ait alio loco Isaias: non est pax impijs dicit Dominus: quod de vera & spirituali pace est intelligendum. At de tempore Christi dici-

B

C

D

Isai. 52.
Rom. 10.
Nahum. 1.
Locus ita exponitur

Rom. 10.

Triplex pax Christi.

2. Cor. 5.

Ibidem.

Ad Rom. 12.

Psal. 118.

Isai. 48.

Psalm. 71. dicitur in Psalmo: orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis. *Annuntiantis, inquit, bonum.* Quibus verbis significare voluit propheta antea bonũ quod annuntiaturi erant Apostoli ignotum fuisse: disserebant philosophi de bono, sed non inueniebant, quoniam illud nõ in summo, sed in imo quærebant, & sic in tenebris & erroribus inextricabilibus versabantur. Bonum igitur quod verè & realiter bonum est, annuntiauerũt Apostoli, quod antea ignorabatur à mũdo, licet essent nonnulli sancti qui illud non ignorabant. Sed hi nomine mundi non comprehenduntur. Hoc est illud bonum de quo Christus apud hunc eundem Euangelistam ait: super omnia bona sua constituet eum. Luc. 12. *Prædicantis, inquit, salutem*, scilicet animæ, per peccatorum remissionem. *Dicentis Sion*: (datiui casus est, Sion, additur enim ei in Hebræo litera, Lamed, nota datiui) *regnauit Deus tuus.* Non iam (dicent Apostolici prædicatores) peccatũ regnabit in vestro mortali corpore, neque dominabitur vobis diabolus, sed pœnitentiã agentes regnabit verus Deus in vobis, Rom. 6. per quem abijcietis affectus peccatorũ, & sequemini ductum & imperium sancti Spiritus. *Regnabit, inquã, Deus tuus.* Non enim amplius regnabit Moyses cũ ceremonijs suis, sed Christus in Ecclesia sua in æternum regnabit. His ergo prædicatoribus modo alloquitur Christus, & ait illis: *Ite*: & prædicate, scilicet, euangelium, hoc est, bonum Dei nuntium, continens pacem, peccatorum remissionem, & vitam sempiternam: *Ite*: igitur, mei vnius præsidijs freti. Fremẽt potentes ac mali aduersus doctrinam vestram, his, vos nudos & inermes obijcio: vt studeatis omnibus prodesse: annuntiando illis pacem, remissionem peccatorum, ac regnum cæleste, beatitudinẽque illam diuinam: quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: præparatam electis & me diligentibus. ¶ *Ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos.* Obserua hic primò quod homines impios & sceleratos non dignatur Dominus homines vocare sed

Homines impij non homines, sed feræ vocantur in sacra scriptura.

A lupos. Et meritò quidem. Nam hominis nomine gaudere indignus profectò est peccator omnis. Homines enim appellare solet scriptura, qui eo munere fungũtur, cuius colendi efficiendique causa Deus eos creauit, eisque naturam rationis participem dedit. Formauit enim Deus hominem, & sui sanctissimi numinis similem fecit, vt pestiferas voluptates contemneret: ipsum Deum summè coleret, eiusque amore ardentissimè fragraret, & in beatissimis sedibus quo sempiterno frueretur. Ex quo efficitur vt illi qui vitijs imbuuntur, & in erroribus B & vanitatibus versantur quales erant Apostolorum persecutores, & sunt iustorum detractores & calumniatores immemores extremi iudicij, obliti æternitatis, summam fœlicitatem in mundi opibus collocantes, indigni sunt qui homines appellentur. Græci appellant hominem ἄνθρωπον, quasi sursum vergentem & contemplantem. Nam reliqua animantia terræ prona sunt, ventrique obtemperantia, solus homo est erectus, & ad cælum, eiusque contemplationem quasi ad propriam patriam eleuatus. Vnde C apertè concluditur eos nomine hominum priuari, qui non in sublime feruntur, sed terrena tantum intuentur. Socrates apud Platonem in Cratylo, existimat dici ἄνθρωπον, quasi ea quæ aspicit contemplantem: cum cætera animalia altitudine & excellentia contemplationis careant: quæ etiam ratio conuenit huic nostræ interpretationi. Prior tamẽ nominis deriuatio est Lactantij Firmiani. c. 1. lib. 2. diuinarum institutionum. D Homines ergo impij & scelerati homines appellari non merentur, sed secundum diuersos eorum mores sic diuersa animalium nomina sortiuntur. Vt annotauimus superius. c. 3. in illa verba: genimina viperarum. Et Matth. 7. in illa, nolite dare sanctum canibus. In hoc loco Apostolorum persecutores vt vides, lupi vocantur: contrà verò pij & innocentes, agni, & columbæ, & hic & alibi appellantur. Ait ergo Dominus, his ita explicatis. ¶ *Ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos.* q. d. persecutores vestri potius

Ad quid Deus hominem cõdidit.

Quare homo appelletur Anthropos à Græcis.

Matth. 7.

tius

ctus lupi appellādi sunt quàm homines, vos vero & agni & oues meæ. Quare aduersus omnes iniurias seruate mansuetudinem: & ita velitis omnibus prodesse bonis, nec à malis lacessiti, referatis iniuriam. Satis est vobis ijs rebus instructos esse, quibus possitis de omnibus bene mereri. Aduersus hominum iniurias volo vos prorsus inermes esse, nec alio vincere præsidio quàm tolerantiæ. Poterā alioqui vos reddere formidabiles ac metuendos, sed non expedit Euangelio. Neque enim violentia violentiam, iniuria iniuriā, superbia superbiam, extinguit: sed mansuetudo, lenitas, placabilitas. Scio pharisæos & homines huius mundi, (quos lupos modo vocabam) præsidijs feroces, multa dira molituros esse in vos. Sed aduersus hæc omnia non alius objiciendus est clypeus, quàm patiētia. Agni enim & oues estis: ac illud verè dicere continget quod olim regius Dauid vestro nomine decantabat: quoniā propter te mortificamur tota die, æstimati sumus velut oues occisionis. ¶ *Ecce ego mitto vos sicut agnos*. Agno & oue ad prospiciendum sibi nihil stultius, animalia sunt prorsus inermia, atque iniurijs omnibus exposita: à solius pastoris cura & defensione pendentia: hominibus tamen nullum animal commodius oue & agno: tales ergo vos esse ait Christus, videlicet vt à me solo pendeatis: nō vestra quæratis cōmoda, non aduersa extimescatis, sed tantum aliorum commoditatibus inseruiatis. Animaduerte obsecro, qui sint verè agni & oues Christi. Talis erat D. Paulus, tales cæteri Christi discipuli, qui ob prædicationem Euangelij, aliorumque salutem, nulla non pericula & labores subierunt. Ter (inquit Paul.) virgis cæsus sum, semel lapidatus sum: Quinquies, quadragenas (scilicet plagas) vna minus accepi. Vult igitur Christus his verbis, vt qui Apostolorum officium gerunt, parati sint omnibus succurrere, omnia perferre, etiam animam tradere pro ouibus. Vt hinc discas quā pauci, veri pastores & concionatores sint. ¶ Deinde vult vt Christianus homo paratus sit omnibus benefacere, omniaq; aduersa perferre. Denique vult, vt talē conuersationem habeant fideles etiam ad exemplum vitæ, quo possint agnosci inter lupos & impios. ¶ *Ecce ego mitto vos*. Ego, inquam, qui vici mūdum: ego cui pater omnia in manus dedit: non est igitur quòd timeatis, si enim mittimini velut agni inermes simplices & innoxij in medium luporum, à me mittimini. ¶ Dici non potest, quantum hominem consoletur illud, cum scit Deum se habere, atque ab illo mitti, imo potius extrudi & expelli, atque eijci in medium luporum: hoc est, impiorum atque scelestorum hominum. Sic Moses lætus accesit AEgyptum, cum audisset ego ero tecum. Sic Petrus se misit in mare, cum audisset Christum dicentem: ego sum: vt superius annotauimus. Est igitur sensus: ego mitto vos, qui diligo, qui omnia possum: quicquid vobis aduersi contigerit, cogitate non sine bona mea volūtate contingere ad vestram salutem. Deinde nulla tentatio tam grauis erit: vnde non possim eruere: quod in Iob, Iacob, Ioseph, Dauid, tentationibus, videre licebit. ¶ *Ecce ego mitto vos, sicut agnos*, subaudi, emittit quis *inter lupos* vel in medio luporum, q. d. non mitto vos, vt malis luporum irretiti, in lupos vertamini: sed ideo mitto vos in medio luporū, vt lupi vestra lenitate declinati vertātur in agnos. Non est magnū vlcisci malos, sed illorum animos in bonum vertere, maximum est, ac difficillimum. Ego igitur qui mitto vos in medio impiorū hominum, faciam vt vestra lenitate mansuescant. Quod factum iam hodie videmus & experimur. Varijs enim moribus homines in vna eademque Ecclesia ex lupis in agnos conuersi sunt. Quod multo antea prædixerat Isaias. c. 11. & c. 65. Habitabit, inquit, lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit: vitulus & leo & ouis, simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Quem locū enarrat & explicat D. Gregor. in hom. 16. in Ezechielem. & rectè quidem. Nā Christi doctrina & Apostolorum prædicatione reges & priuati, diuites & pauperes, Iudæi & Gentiles, in vno ouili Ecclesiæ con-

Psalm. 43.

Agni & ouis conditiones, & cur his cōparentur Apostoli.

2. Cor. 11.

Ioan. 16.
Ioan. 13.
Non est cur timeamus si à Christo mittimur.

Exod. 4.

Matt. 14.

Oues mittuntur & agni, hoc est, prædicatores, vt lupos vertant in agnos.

Isa. 11. 65.

Explicatur locus D. Greg.

congregati sunt: & qui antea tyranni erant, infideles, superbi, & elati, recepto Euangelio cum agnis, hoc est, cum humilibus & pauperibus commorátur. Et hoc est, lupos cum agnis & leones cum ouibus habitare: quod figuratum fuisse didiscimus in illa animalium varietate, quæ fuit D. Petro in linteo ostẽsa: quod multo ante fuerat adũbratũ in animalium multitudine, quæ fuerunt in Noe arca congregata. Fuit enim arca illa Ecclesiæ imago & figura apertissima. Non igitur loquitur propheta de lupis & agnis, sed de his qui per lupos & agnos & oues intelliguntur. Ecce inquit mitto vos sicut agnos inter lupos: & alibi ecce mitto vos, sicut oues in medio luporũ. Hoc ipsum erat quod. c. 65. prædixerat idem Isaias. Lupus & agnus (inquit) pascentur simul, & leo & bos comedent paleas. Non ergo timere debent sancti Dei prædicatores cum à Deo mittuntur. Securi enim valde sunt, atque sub eius prouidentia tuti: siquidem Deus oues suas inter lupos cõseruat. Sic magnum illud & ferocem Nabuchodonosor regẽ, per has oues in mansuetudinem ouis cõuertit: sic per Hester non solum Iudæos à perditione saluauit, sed & lupum Assuerũ conuertit: sic per Apostolos, per Christi. 70. discipulos, per Euangelicos prædicatores homines alias feroces, barbaros, immorigeros, & crudeles ad suum ouile perduxit: & eos æterna fœlicitate donauit. ¶ Quod miserit Dominus discipulos, sicut oues inter lupos: vt de lupis, agnos & oues facerent, docet etiam August. disputatione. 2. contra Fortunatũ.

Acto. 10. Figura.

Genes. 7. Figura.

Isai. 65.

Prouidentia Christi erga suos.

¶ *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calciamenta.* Summa paupertate voluit Christus, vt Apostolici viri emerent regnum cælorum. Beati inquit, pauperes spiritu, quoniam ipsorũ est regnum cælorum. Et hodie discipulis suis, vt cælum compararent, dicebat, ne vellent sacculum portare nec peram. Modo intelliges quid Isaias voluerit dicere. c. 55. illis verbis: omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate: emite. Si Deus, inquies, inuitat pauperes ad has aquas potandas, si modo dixit: qui non habetis argentũ properate quomodo statim ait emite? Ita enim ait qui non habetis argentum properate, emite: & paulo post: emitte absque argento, & absque vlla commutatione. Ad emendas mundi possessiones (vt tibi respondeamus) opus est auro & argento, ad emendum verò regnum cælorum nullis talibus diuitijs opus est: sola enim paupertate spiritus emitur. Hæc admirabilis Apostolorum paupertas vicit mundum. Petenti claudo eleemosynam respondit D. Petrus: argentũ & aurum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi do: in nomine Iesu Christi Nazaræni, surge & ambula. Et sanus factus est statim: & stupuerunt Iudæi, ex quibus multi crediderunt, vt in actis Apostolorũ sacra historia testatur. Emerunt quidem Christi discipuli has aquas nullo auro & argẽto, sed pretio propriæ voluntatis. Simoni autem eas auro emere volenti respondit Petrus, vt Lucas in actis commemorat: pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donũ Dei existimasti pecunia possideri. Nos igitur sumus pretium quo hæc salutares aquæ emuntur. Disponamus nos ipsos ad eas, tribuamus nos ipsos Deo, & eas nobis donabit. ¶ Sed quoniam diuites, auro, & argento, & mundi opibus affluentes, solent esse potius diuitiarum quàm sui, & potius ipsi possidentur à diuitijs, quam ab ipsis diuitiæ, ideò consultum est ad perfectionem aspirantibus, diuitias relinquere, vt ita magis sui sint, & liberi remaneant. Cum autem sui, atque liberi, extiterint, opus est seipsos dare pro Christo. Igitur non sumus prorsus liberi, nisi impedimenta omnia pro nostra liberatione relinquamus. Relictis autẽ rebus nostris, pro earum pretio nos ipsos accepimus, qui talibus implicari nostri omnino nõ eramus, vt rursus nos ipsos pro Christo demus, nõ quod tãti valeamus, sed quod plus dare nõ possumus. Et hoc est pretium, quod Deus præcipuè exigit à nobis. Est enim Christus thesaurus absconditus, pro quo homo debet vendere vniuersa quæ habet. De quo loquitur Christus apud Matth. Christus ergo Dominus

Sũma paupertate voluit Christus vt apostolici viri emerẽt regnũ cælorum.

Isai. 55. Exponitur locus.

Acto. 3.

Acto. 8.

1. Co. 12.

Matth. 13.

minus mandauit Apostolis, vt nihil secum ferrent: sicque liberi manentes se ipsos Deo traderent: atque hoc precio aquas cælestes emerent.

¶ *Nolite portare sacculum.* Id est crumenam. Sacculus & sacellus diminutiua sunt à nomine saccus. Quibus significantur Marsupia. Cicer. 2. de finibus, ius & sacculos abstulerit. ¶ *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calciamenta.* Lege quæ annotauimus Matth. 10. inter explicandum hoc præceptum ad liberam: & quæ superius tradidimus capite nono: in illa verba, nihil tuleritis in viá, neque virgam, neque peram. ¶ His ergo verbis docet Dominus peculiarem prouidentiam quam habet erga operarios suos: ideo præcipit eis, vt expediti eant ad negotium euangelicum, neque crumenam, neque peram, neque calciaméta portantes. Nũquam illis deerit quod naturæ necessitati satis sit. Ac ne detecto quidem etiam præcipit, sint soliciti. Ná nunquam deerunt qui illos excipiant, tantum præstét se puros & incorruptos ministros euágelicæ prædicationis. Hoc idem significare volens olim sapiens loqués de vera sapiétia ait: lógitudo dierũ in dextera eius, & in sinistra illius diuitiæ & gloriæ. Hoc enim duplici bonorũ genere inuitat diuina sapientia eos, qui portant eam per mundum vniuersum: inuitat, inquam, eos: & bonis, diuitijsq; sempiternis, quæ in dextera sua habet: & bonis diuitijsque temporalibus, quæ in sinistra. Nõ enim sinit Dominus suos operarios euangelicos fame perire: si enim de necessarijs ad vitam vermibus & formicis prouidet, quo pacto fame perire sinet eos, qui dies noctesque negotio euangelico incumbunt? Quando misi vos (inquit) sine sacculo & pera nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt. Nihil: si Dauid Psalm. 33. affirmare audet quod nihil deerit timentibus Dominum: quo nam quęso pacto, quæ sunt naturæ necessaria deerunt non solum timentibus Deum, sed à mane, vsque ad vesperam messem Domini metentibus: & illam tribulo prædicationis iudicij, mortis, & inferni, terentibus atque triturantibus? ¶ Si idem regius vates, ait Psalm. 36. Iunior fui, etenim senui, & nõ vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem: quo nam modo derelinquet Dominus, ac sinet famescere eos, qui non solum iusti sunt: sed qui per totum terrarum orbem iustitiam ferũt? Digni sané sunt huiusmodi operarij cibo suo. ¶ Adde præterea his: quòd Christus Redemptor noster, eò quod laborauerit in messe Domini mercedem ab illo accepit: non gloriam, non gratiá, quæ iure deitatis sua erant: non temporalia huius mundi bona, quæ contempserat: sed ipsam messem, quá expurgauit, quá messuit: quod Isaias testatur inquiens: ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo. De hoc enim premio loquitur. Cooperarijs ergo Christi dabit etiam pater condignam mercedem. Si enim dignus est operarius mercede sua: digni profecto erunt Euangelici operarij suo premio. De quo etiam intelligi potest prædictus Isaiæ locus. Ecce inquit, merces eius cum eo, & opus illius coram illo. Id est, præsentem habet mercedem quam dabit operarijs pro opere suo. ¶ Obserua igitur & alta mente cósidera triplex bonorum genus, quod suis operarijs præbet Dominus: primum est bonorum spiritualium. Præbet enim Dominus illis, gratiam, sapientiam, pacem, victoriam propriæ concupiscentiæ, spirituales cõsolationes, diuitias omnes spei, denique cætera alia bona quibus consequi possint æternum illud summumque bonũ, ab æterno illis paratum. Secundum vero genus bonorum est: ipsa messis. Fideles enim per Apostolos ad Deum cõuersi: & qui semine doctrinæ, atque prædicationis ab illis gignebantur, præmium & merces satis condigna erant sui laboris. Tertium denique bonorum genus pro mercede operis, euangelicis prædicatoribus datum esse scimus, huius mũdi diuitias. ¶ Has prædicatoribus & etiá peccatoribus præbet Dominus: magna tamen cum differentia: pijs enim & iustis atque euangelicis operarijs, huius mundi diuitias concedit Dominus, ad mensuram tamen: concedendo, scilicet, quæ

Prouidentia peculiaris Dei erga prædicatores suos, vt nihil illis de naturæ necessariis desit.

Prou. 3.

Luc. 22.

Psalm. 33.

Psalm. 36.

Merces data operario Christo.

Isai. c. 40.

Triplex genus bonorũ quod præbet dominus veris prædicatoribus in hac vita.

Dona temporalia & bonis & malis concedit Dñs cum duplici tamen differẽtia qua primas concedunt peccatores in fus.

quæ non ad luxum, sed quæ ad naturæ necessitatem necessaria sunt. Peccatoribus autem, atque huius mundi amatoribus permittit Dominus, vt ad pompam regalem, ad vitæque superfluitatem diuitias quærant: qui miseri & infelices non intelligunt, quantum animi saluti noceat hęc diuitiarum superfluitas: quẽadmodum enim cibus necessarius naturæ, corporis salurem conseruat: superfluus verò nocet: & quemadmodum etiã sanguis, sedes est atque fons humanæ vitæ, exuperantia tamen sanguinis causa mortis esse solet: sic diuitiarum abundãtia nimia, saluti animæ nociua & mortifera inuenitur. Præbet ergo Dominus tanquam medicus prudentissimus suis operarijs, ad mensuram, temporalia bona, quibus tãtum naturæ necessitati succurrant: sicque in vita, atque salute spirituali conseruentur: peccatoribus autẽ permittit, vt illa, pro suo luxu & libitu acquirant: quod in detrimentum animi sui, & in maximũ periculum salutis suæ spiritualis, illis esse, experimur. Secunda verò differentia, in ista bonorum partitione, & diuisione inæquali, esse solet: quod sancti prædicatores, atque Euangelici operarij, paucis huius vitæ bonis, quæ de manu Domini ad vitam sustentandam accipiunt, tam contenti, tamq; animo satiati sunt: vt non solum quicquam præterea desiderent, sed omnibus imperatoribus ditiores, & feliciores, se esse existiment: istorum omnium nomine, aiebat Euangelicus ille operarius: nihil habentes & omnia possidentes. Et meritò quidem. Nam animo tam satiati & contenti erant, ac si mundus, mundique diuitiæ omnes, in sua essent ditione & potestate. Hac ergo animi tranquillitate, minime gaudent huius seculi diuites: crescit enim amor & desiderium insatiabile nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Et quemadmodum viatores prudentes, curant, vt nummi quos ferunt, aurei sint, & non æꝛei, vt sic ditiores, & ad iter expeditiores inueniantur: sic Dominus curat, vt prædicatores sui, quos ad concionãdum populo, per totum orbem terrarum mittit: leuiori bonorum temporalium onere interfaciant: cũ hoc tamen, ditiores se esse omnibus mundi diuitibus reputant & existimant: propterea igitur Dominus præcipit hodie suis, vt ne de victu, ne de vestitu, ne de tecto sint soliciti: cum suum sit prouidere de omnibus his.

Simile. Simile. 2. Cor. 6.

¶ *Et neminem per viam.* Id est, inter eũdum *Salutaueritis.* Hyperbolica locutio est ista, quæ frequẽs est in sacra Scriptura, vt latius ostendimus in commentarijs nostris in Matth. c. 19. explicantes ad literam locum illum: facilius est camelum intrare per foramen acus, quàm diuitem in regnum cælorum. In hoc ergo loco, vbi Christus prohibet Apostolis, ne quem salutent in via, hortari vult, vt nihil committant, quod ob humanos affectus Euangelicũ negotium vllis dispendijs remoretur. ¶ Vnde hic notabis, quod præcepta omnia Christi quæ dure sonare videntur & esse contra humilitatis officia, ciuiliter sunt interpretãda secundum rationes & causas, aut secundũ tropos & metaphoras ad mysticum quẽdã sensum sunt intelligẽda. Quod enim in hoc loco saluator discipulis iubet: neminem salutaueritis in via: durum & superbum, nec mansueti & humilis Domini præcepto conuenire videtur, cũ iste communis gratiæ sit vsus. Nam & Gentiles cum Christianis habent huiusmodi officiorum commercia. Proinde considerandum est quod Dominus, hoc præcepto nõ simpliciter voluit hunc vsum humanitatis auellere. Nec hoc solum dixerit neminem salutaueritis, sed adiecit; in via. Vt hac hyperboli significetur (inquit Ambros.) non salutationis officium, aut sedulitas, sed obstacolum impediendæ deuotionis auferri, vt quando diuina mandantur, paulisper sequestrentur humana: vt dum sumus in terra in executione diuini ministerij, non retardemur cõfabulatione alicuius obuij. Sic & Elias cum mitteret puerum suum, qui baculum ipsius poneret super corpus mortui pueri mandauit ei ne quem salutares in via. Si occurrerit, inquit, tibi homo non salutes ei: & si salutauerit te quispiam, nõ respondeas ei. Quasi dicat

Hyperbolica locutio est ista de more Scripturę. Nota. D. Ambr. 4. Reg. 4.

ca, hoc [illegible] ad finem. Ve corriendo no te detengas en nada, hac hyperboli voluit vt non remoraretur in aliquo. Hoc idem voluit Christus. Lege quæ annotauimus Apoc. 11. in illa verba surge, & metiri templum Dei. Procul enim debet esse à concionatoribus & prælatis omnis desidia. Maxima enim diligentia est necessaria in illis: & hæc sola præcipitur his verbis Christi, non prohibetur vrbanitas.

Non de mundi pace, sed de cælesti loquitur Christus.

¶ *In quacunque domum intraueritis primùm dicite pax huic domui.* Non de pace, quæ à mundo datur: sed de cælesti pace loquitur Christus. Pax enim quæ datur à mundo, quæ in bonis externis consistit, non est vera nec solida. Fieri enim potest, vt sceleratus & impius pace externa huius mundi gaudeat: veram tamen tranquillitatem animi non habet, dicente Isaia. c. 48. non est pax impijs. In animo enim impiorum nulla est pax, nulla quies, nulla tranquillitas. Gignūtur enim ex appetitione impia turbidi & concitati animorum motus auersi à ratione, inimici pacis vitæque trāquillæ: qui animum inflamant bello intestino, & quodam furore, à pace & temperantia plurimum dessidente. Ex quo efficitur, vt impij in medio pacis, etiam sine pace viuant. Contra verò pius ac iustis homo, in medio externarum persecutionum, in pace cōsistit: iuxta id quod ait apud Ioannem ipsa veritas. Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis. Vbi vides, pios & iustos inter labores & calamitates in pace quiescere, animique trāquillitatem non amittere. Xenophō dicebat: pacem videri esse maximū hominibus bonum: bellum, maximum malū. Hæc enim pax est illa εὐθυμία, hoc est animi tranquillitas, quam Democritus dixit esse summam mundi fœlicitatem. Sed hi adhuc in tenebris versabantur, nec vera animi pace gaudebant. Vera, & dulcis, ac cælestis pax est ea, quā Christus attulit mundo, quam precari vult discipulos suos toti familię: in quamcūque domum fuerint ingressi. De qua idē Dominus apud Ioannem: pacem meam

Isai. 48.

Ioan. 16.

Xenophō.

Democritus.

Ioan. 14.

A do vobis: pacem relinquo vobis. De ea regius vates multò antea fuerat his verbis vaticinatus. Venite & videte opera Domini quæ posuit prodigia super terram, auferens bella, vsque ad finem terræ. De hac ergo cælesti pace, quæ per gratiam in hac vita possidetur, ait Dominus discipulis suis: in quamcunque domum intraueritis; primùm dicite pax huic domui. Hoc salutandi modo vsus est idem Dominus post suā resurrectionem: hoc eodem vsi sunt Apostoli scribentes fidelibus: hoc vti & nos debemus

B si euangelij prædicatores videri volumus.

Psalm. 45.

¶ *Quod si ibi fuerit filius pacis.* Hebraismus. Pro, dignus pace. Et Matth. c. 10. Et si quidē (inquit) fuerit domus illa digna, &c. Sic dicitur filius nuptiarū, filius mortis, id est, dignus morte. ¶ *Quod si ibi fuerit filius pacis, requiescet pax vestra super eum.* Hoc est, si ibi fuerit homo mitis, auidusque mansuetæ doctrinæ proderit illi vestra precatio: & amplectetur hospitem bene ominantem.

Filius pacis quid.

Prędicatorum precatio filiis prodest pacis.

C Fœlices profectò illi, qui hac diuina pace sunt digni: & qui mites auidoíq; mā suetæ doctrinæ se præbent: nā illis quod optant eueniet: illis, inquam, proderit prædicatorum precatio. Tales erant tēpore Apostolorum omnes electi: de quibus olim dicebat Isaias aperite portas, & ingrediatur gens sancta, custodiens veritatem. Verba sunt Dei alloquentis Apostolis, vt portas Ecclesiæ militantis aperiant, quo gens sancta ipsam introeat, quæ custodiat veritatem. Deinde

D addit Propheta: vetus error abijt, seruabis pacem: pacē, quia in te sperauimus. Verba sunt fidelium qui relicta infidelitate, & recepto Euangelio, has voces emittunt. Vetera enim transierunt, vt ait D. Paulus, ecce facta sunt omnia noua. Et tu Domine seruabis nobis pacem, pacem, inquam, illam, de qua dixisti requiescet pax vestra super eum. Est enim repetitio Hebraica multum vehementiæ adferens: pax ergo gratiæ, ideò dicitur, pax, pax, quia firma & vera, atque solida est, quę quiescens super cor viri fidelis beatum & fœlicem illum facit.

Isai. 26.

2. Cor. 5.

¶ Sin

¶ *Sin autem ad vos reuertetur.* q. d. si illi non prosit vestra precatio, ne pœniteat bene precatos fuisse: nam non vobis peribit merces oblati officij.

¶ *In eadem autem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt.* Quasi diceret; nec est quod à quoquam supplices rogetis hospicium, aut impudenter cuiquam vos ingeratis. Res enim tanta nec est obtrudenda inuitis, nec vlli tamen non offerenda. Qui verò libenter ac promptè vos receperit, apud illū manete, non affectantes vitæ delitias, sed pro necessitate corporis edentes ac bibentes, quæ apud illos fuerint.

¶ *Dignus est enim operarius mercede sua.* Vide Matth. 10. quæ ibi annotauimus, & D. August. lib. 2. de consen. Euāgelistarum. c. 30. vbi ostendit ex Paul. 1. Cor. 9. necessaria alimenta deberi prędicatoribus, & ex isto loco.

Tom. 4. Aug.

¶ *Et curate infirmos, qui in illa sunt.* De hac potestate curandi infirmos, Vide quæ annotauimus. c. prçcedenti. Ibi, dedit illis potestatem super omnia dæmonia, & vt langores curarent.

¶ *Et dicite illis: appropinquauit in vos regnum Dei.* Id est, accessit in regionem vestram promissus à Deo Messias. Res pro persona, regnum pro rege in hoc loco accipitur. De acceptione huius nominis regnum Dei, diximus apud Matth. c. 13. exponēdo literam. Accipitur enim aliquando pro rege, qui caput est huius regni: Solent enim capita regni regnū vocari: vt simile est regnum cælorū homini regi. Sic accipitur in hoc loco. Aliquando accipitur pro doctrina Euangelica. Vide ibi.

¶ *In quamcunque autem ciuitatem intraueritis, & non susceperint vos, exeuntes in plateis eius, dicite, etiam puluerē, qui adhæsit nobis de ciuitate vestra, extergimus in vos.* Si quam, inquam, ciuitatem fueritis ingressi, in qua nemo sit qui vos recipiat, nolite illic supplices ambire hospitiū: sed prodite in plateas eorum, atque ibi publicè palamque dicite: gratis obtulimus vobis nuntium æternæ salutis: quoniam autem spernitis officium nostrum, nihil volumus à

A vobis beneficij. Ecce etiam puluerem, qui adhęsit pedibus nostris, extergimus in vos, testimonium à nobis oblati, & à vobis spreti fœlicissimi nuncij, qui nolētibus ingeri non debet. ¶ Cæterum iure optimo puluerem, aiunt, extergimus in vos. Hoc est puluerē extergimus in pulverem. Peccatores enim omnes qui indigni sunt pace Euangelica, & nuntio æternæ salutis, pulueri, stipulæ, fauillæ meritò comparantur in sacra Scriptura: quēadmodū dicitur in Psalmo: nō sic impij nō sic, sed tāquā puluis quē proijcit ventus à facie terræ. Puluis ascendit sursum, sed fauore venti, sic impius ad dignitates aliquando euehitur, sed per medium vanitatis. Puluis est terra in aere, sic peccator terra est elata in vano aere constituta. Puluis ascendens obcæcat oculos: sic impius lædit iustos, contemnit & persequitur prædicatores. Puluis coinquinat, sic nepharius homo sermonibus suis impuris, moribusque deprauatis alios contaminat, illisque tetram maculam, atque labem inurit. Hi indigni sunt regno cælorum, indigni pace cælesti: digni verò, vt in eos, qui pulueres sunt: puluis illos significans, proijciatur.

Peccatores pulueri comparantur.

Psalm. 1.

B

C

¶ *Tamen scitote hoc, quia appropinquauit regnum Dei.* Idest, illud scitote, quod siue receperitis, siue non receperitis, in proximo est vobis regnum Dei: si receperitis veniet vestro bono: sin minus, veniet vestro malo. Hac vindicta vos eritis (inquit Christus) contenti, sicubi spreuerint vos. Veniet illis vltio suo tempore. Nam illud affirmo vobis. *Illud* (inquam) *dico vobis quia Sodomis in die illa remissius erit, quàm illi ciuitati.* Quæ tantam Dei benignitatem gratis oblatā spreuerit. Omnes mirantur seuerā Dei vindictam in Sodomos, sed hoc illos subleuat, quod non fuerint tot modis prouocati ad pœnitentiam: & Iudęi sibi placentes execrantur illorum memoriam, quos ira Dei horrendo exemplo funditus sustulit: sed horribilior vindicta manet ipsis, si tot beneficijs, tot miraculis prouocati, neglexerint, ac spreuerint Dei bonitatē. Quo sensu intellige, quod in threnis Hieremias aiebat olim. Maior,

D

Thre. 4.

ior, inquit, effecta est iniquitas filiæ populi mei, peccato Sodomorum. Nempe, quod Sodomis nõ missi fuerunt prophetæ, non prædicatores, non est illis data lex aut notitia Dei, quemadmodum Iudæis: & tamen hi perseuerarunt in iniquitatibus & sceleribus suis, contemptis Prophetis, contempta lege, contempto denique rerum omnium conditore sibi cognito. Et sic maius crimen & scelus istorum fuit, quám illorum, ob istarum rerum causam. Ad hunc sensum ait Ezechiel. c. 16. Samaria dimidium peccatorum tuorum nõ peccauit: sed vicisti eas, scilicet, Sodomam & Samariam, sceleribus tuis: & iustificasti sorores tuas, id est, iustiores te esse ostendisti. Si conferátur eorum scelera cum tuis, vix mediũ ęquabunt malefactorum tuorum. Non id ait Propheta quod peccata Samariæ, in se grauiora & maiora non fuerint, peccatis Iudæorũ: sed quod Iudæi legem & Prophetas habuerint, & illos nõ receperint: ideó maioris sceleris arguuntur. ¶ Cæterum hoc idem dici potest de multis Christianorum ciuitatibus. Sed de hoc aliás dicemus.

Ezech. 16.

VÆ tibi Chorozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere sedentes pœniterent. Verumtamen Tyro & Sidoni remißius erit in iudicio, quã vobis. Et tu Capharnaum, vsque ad cœlum exaltata, vsque ad infernũ demergeris.

Matt. 11.

VÆ tibi Chorozaim, quia si in Tyro. Nos nos sumus ad quos hęc possunt referri. Si enim Deus de Chorózaim & Bethsaida tam grauiter quæritur, quanto grauius de nobis quæri potest? Prædicauit nobis, traxit nos sua gratia, & benignitate, ad fidem suam: expectat á nobis, vt virtutem colamus, & eum ipsum ardenter amemus: nos vero sceleribus implicamur: & eum ipsum á quo tanta tamq; innumera beneficia accepimus, negligimus, & contẽnimus. Nos sumus ciuitas sua, pro qua acerbissimos cruciatus tulit: pro qua, se hostium iniurijs obiecit: pro qua, summa charitate inflammatus vitam profudit: pro qua, se morti crucis obtulit: nos summus, quibus legem suam, fidem, charismata innumera, medicamenta salutaria, hoc est, sacramenta gratis tradidit. Quid ergo debuit amplius facere populo Christiano, & non fecit? Et tamen in imis volutamur, in peccatis sordescimus minimé resipiscimus, minimé dolemus. Si hæc tanta amoris & dilectionis signa facta fuissent in barbaris nationibus, forsitan pœnituissent: imò iá olim resipuissent: & in cilicio & cinere sedentes agerent pœnitentiam peccatorum suorum: cum nos interim erectis aduersus Deum ceruicibus, nobis ipsis placeamus. O cęcum nostrum iudicium, O ingratitudinem incredibilem, & effrenatam nostrã cupiditatem: qui Deum optimum maximũ comtemnimus, & in rebus caducis beatitudinem collocamus. Nos ergo sumus quibus hęc dicũtur: væ tibi Bethsaida væ tibi Chorozaim.

Ad nos hæc verba execrãtis pertinent

¶ *In cilicio & cinere sedentes pœniterent.* In fauilla & cinere (inquit Hiero.) pœnitentiam agere, est cõtemplata sum ma essentia, nihil aliud quám fauillam, cineremq; se cognoscere. Vnde hic Dominus ciuitati reprobæ dicit: si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis: olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. In cilicio quippe asperitas, & compunctio peccatorum, in cinere autem puluis ostenditur mortuorum. Et idcirco vtrumque hoc adhiberi ad pœnitentiam solet, vt in compunctione cilicij, cognoscamus quid per culpam fecimus, & in fauilla cineris perpendamus, quod per vitium facti sumus. Considerentur ergo in cilicio

D. Hiero. quid cilicium & cinis significent.

cio pungentia vitia, consideretur in cinere per mortis sententiam, subsequens iusta pœna vitiorũ. Quia enim post peccatum carnis contumeliæ surrexerunt, videat homo in asperitate cilicij superbiendo quid fecit, videat in cinere vsq; quo peccando peruenit. Lege, si libet, D. Hieron. lib. 1. in lamentationes. c. 3. vbi exponens illud, ponet in puluere os suum, si forte sit spes: Hæc ait ferè ad verbum. Lege etiam quæ in hæc verba annotauimus. Matth. 11. ¶ Quare autem Deus non fecerit miracula: nec miserit Tyro & Sidoni prædicatores: cum sciret, quod pœniterent docet August. lib. de bono perseuerantiæ. c. 9. refert enim hoc ad prædestinationem.

D. Hiero. D. Aug.

¶ *Veruntamen Tyro & Sidoni, remissius erit in iudicio, quàm vobis.* Si ergo remissius agetur in iudicio cum Sidonijs, quàm cũ Iudæis nolentibus agere pœnitentiã: iam inde fit contra Iouinianum vnum scelus esse grauius alio: & nõ esse omnia peccata paria. De qua re elegantissime disputat D. Hiero. lib. 2. contra Iouinianum, & D. Thom. 1. 2. q. 63. artic. 2. & Archiepiscopus Florent. 1. part. suæ summæ, tit. 9. per omnes. §. ¶ Si enim omnia peccata essent paria, vt stoici & hæretici existimabant, non diceret Dominus apud Ioannem: qui tradidit me tibi, maius peccatum habet. Deinde: nõ est æqualis damnatorũ pœna: vt in hoc loco Christus disertissimè exprimit, ergo non etiam est æqualis illorum culpa. Pręterea, alio in loco disparitate reatus, iudicij, concilij, & gehennæ ignis, hoc ipsum ostẽdit his verbis. Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit cõcilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Graue si quidem est reũ esse iudicij, grauius concilij, grauissimũ gehennæ ignis. Aliàs etiam palam docuit, peccatum ex malitia, grauius esse puniendum, quàm peccatum ex ignorãtia. Et vt ostenderet etiam eos grauioribus pœnis esse multãdos, qui maiora dona à Deo acceperunt, & ingrati illis fuerunt, subdidit statim. Omni autem cui multum datum est, multum queretur

D. Hiero. D. Tho. Archi. Floren. Quod peccata non sint paria ostenditur. Ioan. 16. Matth. 5. Luc. 12.

A ab eo, & cui commendauerunt multum plus petent ab eo. Et hoc est, quod & Salomon olim docuerat dicens: iudicium durissimum in his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. Et post paululum. Fortioribus enim fortior instat cruciatio.

Sap. 6.

¶ Hinc colliges, quod remissius erit nõ solum Tyro & Sidoni, sed etiam Iudæis (cæteris paribus) in iudicio, quàm nobis Christianis nolentibus agere pœnitentiam. Quod eleganter ostẽdit D. Paulus in Epistola ad Heb. Præcipuè verò B in illis verbis. Videte ne recusetis loquẽtem. Si enim illi non refugerunt recusantes eum, qui super terram loquebatur, multo magis nos, qui de cælis loquẽtem nobis, auertimus. Id est, videte ne loquentem ad vos Iesum recusetis & auersemini: loquitur enim vobis per Euangelium, per proposita premia, per suos ministros & prædicatores. Si enim antiqui patres non effugerunt, subaudi; vindictam Dei, Mosen recusantes, & C auersantes, qui super terram loquebatur: multò minus nos qui de cælo loquẽtem nunc in suo Euangelio Christum auersamur, effugiemus. D. Petrus idem ipsum manifestè docet his verbis. Si enim refugientes coinquinationes mũdi in cognitione Domini nostri, & saluatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora Deteriora prioribus; melius enim erat illis, nõ cognoscere viã iustitiæ, quàm post agnitionẽ retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato. Contigit D enim eis illud veri prouerbij, canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti. Paulus etiam Heb. 10. ait: irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus, vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, & in quo sanctificatus est spiritui gratiæ contumeliam fecerit? ¶ Quæcunque etiam probant maiora fuisse cæteris paribus peccata Iudæorum, quàm Gentilium, (quia sicut

Mitius punientur Gentiles & Iudæi, qui sub lege degebant quã fideles, in iudicio cæteris paribus. Heb. 12. 2. Pet. 2. Heb. 10.

Psal. 147. cut regius vates ait, non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis) stabiliunt nostram hanc sententiam. Si enim propter beneficium præcellentioris legis, & perfectioris pastoris, inducitur maius vinculum ad obseruantiã mãdatorũ, multo magis hoc fiet Sap. 6. ꝓpter beneficiũ iustificationis. Et si peccata principũ & primorũ grauiora sunt, iuxta illud, potentes potẽter tormẽta patiẽtur, & si peccata sacerdotũ & Ecclesiasticorũ, maioris sunt reatus apud Deũ, Luc. 20. iuxta verbũ Christi, hi accipient damnationẽ maiorẽ, erũt igitur & peccata fideliũ, qui iustitiã in baptismo acceperunt, cæteris paribus culpabiliora. Quandoquidem omnia principum & Ecclesiasticorum beneficia, antecellit gratia iustificationis. Acceptarũt doctrinam istã, & docuerunt concorditer omnes Ecclesiastici Doctores, tam antiqui, quàm recentiores: inter quos vnus est D. Hiero. D. Hiero. Gal. 5. Sic inquiens: in illa verba Pauli, manifesta sunt autem opera carnis, in eo fornicator maioris est criminis, quia tollit membra Christi, & facit ea membra meretricis. Erũt quippe duo in carne vna. Qui non est fidelis, neque credit in Christo, sua membra facit membra meretricis: qui credit, & fornicatur, Christi mẽbra facit membra meretricis. E contrario infidelis in fornicatione sua, vtrum violet an ædificet tẽplum idolo, nescio. Per vitia quippe maxime dęmones colũtur. Hoc vnũ scio, quod qui post fidem Christi fornicatur, violat tẽplũ Dei. In illa etiã verba, si Ecclesiã nõ audierit sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus, sic scribit. Quãdo autẽ dicitur sit tibi, sicut Ethninus & Publicanus, ostenditur maioris esse detestationis, qui sub nomine fidelis agit opera infideliũ, quã hi qui apertè Gentiles sunt. Si ergo maiora sunt cæteris paribus peccata fideliũ, quã infideliũ, & iustorũ quã peccatorũ, tantoq; vnũquemque apud Deum grauioris esse delicti & criminis reum, quanto maioris erat meriti antequã caderet: inde colligi potest, quod mitius agetur cum Gentilibus, atque cum Iudæis, sub antiqua lege degẽtibus, quàm cũ fidelibus quæ tanta sibi collata beneficia spreuerunt.

Matt. 18.

A In communi vnius Martyris.

Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit me spernit. Qui autem me spernit: spernit eũ qui misit me. Reuersi sunt autem 72. cũ gaudio dicẽtes, Domine etiam dæmonia in nomine B *tuo subijciũtur nobis. Et ait illis: videbã Sathanã sicut fulgur de cælo cadentẽ. Ecce dedi vobis potestatẽ calcãdi supra serpentes et scorpiones: & supra omnẽ virtutẽ inimici: et nihil vobis nocebit. Verũtamen in hoc nolite gaudere: quia spiritus* C *subijciuntur vobis. Gaudete autem, quia nomina vestra scripta sunt in cælis.*

Matt. 10. Ioan. 13.

¶ *Qui vos audit, me audit.* Audiẽdũ esse Concilium generale in nomine Christi congregatũ, his verbis docet Dñs. De qua re lege quæ annotauimus Matth. 23. in illa verba super Cathedram Moysi. ¶ *Qui vos audit me audit: qui vos spernit, me spernit.* Tanti facit Deus iustos suos, vt aliàs affirmet: quod qui D eos receperit, recipit illum. Et in hoc loco, qui eos audierit, audit illũ. Et alibi asseueret, quòd qui tangit illos, tangat pupillã oculi sui. Qui benedixerit tibi (ait Isaac filio suo Iacob) benedictionibus repleatur: & qui maledixerit tibi, sit maledictus. Has duas sententias viri iusti: in hoc locó cõprobat verus Isaac, benedicẽs discipulis suis, quorũ typum gerebat Iacob: qui vos audit, inquit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.

Quanti faciat Deus iustos. Matt. 10. Zach. 2. Gen. 27.

¶ *Qui vos audit, me audit.* Hic vides quanti habendi sint prædicatores sunt enim fontes paradysi, per quos effundit

Christi prædicatores audiẽdi, & quare, sunt fõtes, sũt os domini, angeli, cæli, nubes.

Dñs in Ecclesiam aquam sapientiæ suæ: sunt os per quod loquitur Dñs: sunt angeli ab illo missi, vt suo nomine salutem nobis annuntient: sunt cæli, per quos Deus optimus maximus influit in hunc mundum minorem: sunt nubes per totũ mundum volantes pluuiam salutarem mundo spirituali afferentes. Illos ergo audiamus: nam qui illos audit, Christũ loquentem audit: ponit enim verba sua in ore ipsorum. Sicut enim alloquens pater apud Isaiam, filium suũ, ait: posui verba mea in ore tuo, vt plãtes cælos, & fundes terrã, & dicas ad Siõ: populus meus es tu. Ita filius posuit verba sua in ore discipulorum, vt Euangelizarent Sion: plãtarentque ecclesiã, nouumque mundũ fundarent. Quare sicut qui audit Christũ, audit patrem per illũ loquentem: sic qui audit Apostolos, cæterosque euãgelicos prædicatores ab illo missos, Christum audit. Ego dabo, inquit, vobis, os & sapientiam. Et rursum: non estis vos qui loquimini. Quanuis ergo prædicator peccator sit, noli curare: illum nomine Christi, & ore Christi loquentẽ audi. Non enim refert, quod per calamũ ferreũ, aut aureum, tabellio literas & verba scribat & depingat: dum tamẽ graphicẽ sint elemẽta formata. Siue per iniquos, siue per pios prædicatores, scribat typographus, & scriptor Deus, verba sua in corde tuo, nomine cures: dũ tamen verba eius salutaria, & cælestia, in illo imprimantur. ¶Fateor esse nonnullos concionatores quorum barba dimidia derasa est, & vestis vsque ad nates præcisa: hi, fortes sunt in sermone: in opere verò debiles, opprobrioq; pleni. Hoc enim significant præcisæ vestes & rasæ dimidiæ barbæ: fulgent quidem doctrina, quam tamen fædat vilis eorum & turpis vita. Hi quidem, & si digni sunt vt suspensa ad collũ mola demergantur in inferno, audiendi tamen sunt: omnia quæ dixerint nobis facere debemus: cũ per os Iudæ atq; illorũ, Deus vt diximus, loquatur. ¶*Et qui vos spernit: me spernit.* Siue qui vos reijcit, reprobat, auersatur, me reijcit, me reprobat, & deniq; auersatur. ¶Quanta verò mala sequantur ex contẽptu & persecutione prędicatorũ, quos nobis mittit Dñs, suis contẽptoribus, docet & minatur Hiere. c. 18. Dixerũt venite & cogitemus aduersus Hieremiam cogitationes: venite & percutiamus eũ lingua, hoc est, illũ accusemus, aut per calumniã eius nomẽ deferamus: & non attẽdamus ad vniuersos sermones eius. Attende Dñe ad me: nũquid redditur pro bono malũ, quia foderunt foueã animæ meæ? Recordare quod steterim in conspectu tuo, vt loquerer pro eis bonum, & auerterẽ indignationẽ tuã ab eis. Propterea da filios eorum in famem, & deduc eos in manus gladij. Fiant vxores eorum absque liberis, & viduæ, & viri earũ interficiantur morte: iuuenes eorum confodiantur gladio in prælio, audiatur clamor de domibus eorũ. Quanta mala euenerint Iudæis, quod non audierint, sed potius spreuerint prædicatẽ Hieremiã, scimus: quanta maiora, quod non audierint Christũ Dñm, cuius imaginẽ gerit Hieremias, nõ ignoramus. Innumera ergo mala spernẽtibus prædicatores Dei, semper contingunt. Memineris Regis Achab, qui in bello perijt: quod nõ audierit Michæã prophetã in nomine Dñi vera dicentem. illumq; spreuerit, imo in carcerem miserit, ibique pane tribulationis & aqua angustiæ sustentare fecerit. Audiamus igitur euangelicos cócionatores, & nõ illos contẽnamus: cum in hoc loco apertẽ asseueret Dñs, quod qui illos audit, ipsum audiat: & qui illos reijciat, & reprobet, ipsum reijciat & reprobet. Et Ezechieli idẽ Dñs dicat: fili hominis, vade & ingredere ad domum Israel, & loqueris verba mea ad eos: non enim ad populũ profundi sermonis & difficilis linguæ tu mitteris ad domũ Israel, neque ad populos multos & ignoti sermonis, quorũ nõ possis audire sermones: & si ad illos mitterẽ te, ipsi audirẽt te. Domus autẽ Israel nolũt audire te, quia nolũt audire me. Audiamus, inquã, libẽter eos: & nõ auersemur: nec similes simus senioribus Iudęorũ, qui (vt in actis Apostolorũ refertur) vocauerũt Petrũ & Ioãnẽ, & denuntiauerunt, ne omnino loquerẽtur, nec docerent in nomine Iesu. Nam

profe-

Esai. 51.

Infra. 21.

Prędicator & si peccator sit etiam est audiẽdus.

Simile.

2. Reg. 10.

Figura.

Matth. 18.

Matth. 23.

Multa mala sequuntur spernẽtibus prædicatores. Hier. 18.

3. Reg. vltimo.

Ezech. 3.

Acto. 4.

profecto si Dei verbum contemnimus, & spernimus: si Apostolicos concionatores reijcimus: auferet illos Dominus à nobis. Quod maximum malum erit: grauissimaque pœna: vt ex facto Ionæ, missi ad Niniuem, & fugientis in Tharsis à facie Domini, facilè intelligi potest. Grauissimè enim tulit, vt vellet Dominus a populo atque gente sua, auferre verbum suum: & dare Niniuitis, hoc est, Gentilibus. Intelligebat enim vir pius, quantum esset, & quam graue malũ diuino verbo priuari: quo cibatur anima, sanatur infirmus peccator, fugantur vitia, atque Deus optimus maximus cognoscitur. Hac ergo inter alias, pœna affi ciemur, si prædicatores spreuerimus: si illos perturbare (vt solent nonnulli sacerdotes) tentemus. ¶ *Et qui vos spernit, me spernit.* Hic Dominus, verbis Isaiæ. c.33. loquitur, iuxta translationem. 70. Apud Isaiam enim loquitur Deus: qui vos reprobant, vos non reprobant: & illa quæ Deus loquitur de se, Christus de se loquitur in hoc loco dicẽs: & qui vos spernit, me spernit. Et interpretatur locum Isaiæ, ac si diceret Dominus per Isaiam: qui vos reprobant: vos nõ reprobãt, sed eum qui misit vos. Sic Christus: qui vos reprobat, me reprobat, & qui me reprobat, reprobat eũ qui misit me. ¶ *Qui vos spernit: me spernit.* Non ad Apostolos tantum, sed ad primores Ecclesiæ omnes, hæc verba dicuntur. Nam si solis Apostolis (inquit August.) dixit, qui vos spernit, me spernit, spernite nos. Si autẽ sermo eius peruenit ad nos, & vocauit nos, & in eorũ loco constituit nos, videte ne spernatis nos, ne ad illũ perueniat iniuria quã nobis feceritis. Si enim nos nõ timetis, timete illũ qui dixit, qui vos spernit me spernit. Primores ergo & Ecclesiæ pastores non spernendi, sed audiendi: non reijciendi, sed obediendi sunt. Obedite (inquit Paul.) præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim peruigilant, quasi rationẽ pro animabus vestris reddituri: vt cum gaudio hoc faciãt & non gementes: hoc enim non expedit vobis. Vnde Greg. obedire, inquit, præcipimur: nõ discutere vitã præsidentiũ:

Iona. 1.
Isai. 33.
Prælati obediẽdi & nõ spernendi.
De verbis Dñi, serm. 24.
Heb. 13.
Gregor.

A quos qui spernit, Deũ spernit. Sæpè nãque aliquid à maioribus dissimulatione agitur, vel præcipitur, quod à subditis error putatur. Quod bene bobus calcitrantibus illa inclinata arca testamenti præsignauit: quã quia casurã credens leuites erigere volens (secundũ Iosephum Oza nõ erat sacerdos) mox diuinã vltionẽ excepit. Quid est enim Ecclesiæ pastor nisi arca testamẽti, in qua virga est: lex, & manna? Hæc gestata à bobus lasciuientibus inclinatur, quia nõ raro is qui B bene præest: dum subditorũ confusione concutitur: sicut de vtero legimus Rebeccæ: ad dispensationis condescensionem ex dilectione permouetur: iuxta illud: propter duritiam vestram concesit vobis Moyses dare libellũ repudij, sicq; quod condescensio est: ab imperitis casus putatur. Qui ergo quasi adiuuãs manum extendit: vitam illico perdit. Hinc & Dauid statim à corde suo percutitur cũ oram clam percidit vestis Saul Christi Dñi. ¶ Suscepimus (inquit Aug.) onus quod nec executere possumus nec debe C mus: iubemur loqui, & tacere non possumus. Super custodiam vestram stamus. Abac. 2. & recedit sæpè somnus ab oculis nostris. Obedite igitur vos: vt cũ gaudio hoc faciamus. Quando facimus ista cũ gaudio? Quãdo videmus oues in verbis nostris proficere. Quis enim non eligeret tacere, nec reddere rationem de vobis? Quando ergo laborat agricola in agro cum gaudio? Quãdo vidẽt in arbore fructũ: & in arca prospicit vbertatẽ: non sine causa laborauit: dorsum curua D uit: manus attriuit: frigus & caumata tolerauit. Obedite igitur ijs qui præsunt: quoniã & si quod docent non faciũt: nõ inde sunt contemnendi. Sicut enim Dominus asinam loqui fecit: & per Baalam benedictiones spirituales populo suo largitus est: multo magis per sacerdotes fideles, etiam si praui sint. Obediamus ergo illis, vt cum gaudio hoc faciant, & nõ gementes. Hoc enim nõ expedit nobis, vt Paul. ait: Gemunt enim tristãturque maximè, ob rebellionẽ & inobediẽtiã nostrã. Sic gemebat Paul. quando dicebat: filioli mei, quos iterum parturio, donec

2. Reg. 6.
Figura.
Heb. 9.
Gen. 25.
Matt. 19.
2. Re. 24.
D. Aug.
Abac. 2.
Gen. 32.
Simile.
Num. 22.
Figura.
Heb. 13.
Gal. 4.

formetur Christus in vobis. Tristabatur & flebat Hieremias, qui dicebat: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei? Causam verò rationemq; huius gemitus subdit Apostolus, hoc enim non expedit (inquit) vobis. Quod enim inobedientia nostra sit causa gemitus prælatorum, nõ expedit nobis. Deus enim vindicabit & vlciscetur pro illis. Irritauerunt (inquit David) Moysen in castris Aaron sanctũ Dñi: aperta est terra & deglutiuit Datã: & operuit super congregationem Abyron. Et Isaias ipsi autem ad iracundiam prouocauerunt eum, & afflixerunt Spiritum sanctum eius. Et sequitur: & conuersus est eis in inimicum, & ipse debellauit eos.

Hier. 9. Psal. 105. Isai. 63. S. Thom. Heb. 13.

¶ *Reuersi sunt autem. 72. cum gaudio dicentes, Domine etiam dæmonia in nomine tuo subijciuntur nobis. Et ait illis. Videbam Sathanam, sicut fulgur de cælo cadentem.* Dominus Iesus quo muniret suorum animos aduersus morbum inanis gloriæ, qui sanctis etiam solet obrepere, proponit illis hoc exemplũ Luciferi, qui ob superbiam à fœlicitate tãta subito deiectus esset. His ergo verbis dicere voluit: non nouum est subijci dæmonia in nomine meo, nã olim me spectante decidit eorum princeps. Nec vos ó discipuli mei debetis gloriari vestra hac potentia, quod vobis dæmonia subijciantur, sed quia nomina vestra scripta sunt in cælo, vt vnde ille cecidit per superbiam vos ascendatis per humilitatẽ.

¶ Obserua, quod in hoc loco vult reuocare Dominus suos, ab vna specierũ arrogantiæ. Quatuor, inquit, D. Gregor. sunt species, quibus omnis tumor arrogantiũ demõstratur, cum bonum aut à semetipsis habere se æstimant, aut si sibi datum desuper credunt, pro suis se hoc accepisse meritis putant, aut certé cum iactant se habere quod non habẽt, aut despectis cæteris singulariter videri appetunt habere quod habẽt. ¶ A semetipso enim bonũ se habere iactabat, cui per Apostolum dicitur: quid autem habes, quod non accepisti? Si autem ac-

quatuor species arrogantiæ ex Grego.

1 Species. 1. Cor. 4.

A cepisti, quid gloriaris quasi nõ acceperis? ¶ Rursum ne dari nobis bonum gratiæ pro nostris præcedentibus meritis crederemus, idem Apostolus admonet dicens: gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est, nõ ex operibus, vt ne quis glorietur. Qui etiã de semetipso ait: qui prius fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus: sed misericordiam consecutus sum. Quibus verbis aperté declarat quod gratia non pro meritis tribuatur, dũ ex se ipso docuit, & quid de malitia meruit

2 Species. Ephes. 2. 1. Tim. 1.

B & quid de beneuolentia accepit. ¶ Rursum nonnulli iactant se habere quod nõ habent, sicut diuina voce per Prophetã de Moab dicitur: superbiam eius, & arrogantiam eius ego noui, & quod non sit iuxta eũ virtus eius. Et sicut angelo Ecclesiæ Laudicææ dicit testis fidelis & verax, quia dicis quod diues sum & locupletatus, & nullius egeo, & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. ¶ Rursum: nonnulli, despectis cæteris, videri appetunt singulariter bonum habere quod ha-

3. Species. Hiere. 48. Apoc. 3. 4. Species

C bent. Vnde & Pharisæus idcirco de templo, absque iustificatione descẽdit: quia bonorum operum meritum sibi quasi singulariter tribuens, oranti Publicano se prætulit. Sancti quoque Apostoli ab hoc elationis vitio reuocantur, qui de prædicatione redeuntes, cum elati dicerent: Domine in nomine tuo etiam dæmonia nobis subiecta sunt: ne de hac miraculorum singularitate gauderent, illico eis respondit Dominus, dicens: videbam Satanam, velut fulgur de cælo cadentem. Ipse quippe singulariter ela-

Infr. 18.

D tus, dixerat: super astra cæli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis: similis ero altissimo. Et mirè Dñs vt in discipulorum cordibus elationẽ premeret, mox iudiciũ ruinæ retulit, quod ipse magister elationis accepit: vt in authore superbiæ discerent, quid de elationis vitio formidarent. In hac itaque arrogantię quarta specie crebrò humanus animus labitur: vt id quod habẽt, habere se singulariter glorietur. In quã tamen similitudini diabolicæ

Isai. 14.

bolicæ vicinius appropinquat: quia quisquis bonum se habere singulariter gaudet, quisquis videri sublimior cæteris quærit, illum videlicet imitatur, qui despecto bono societatis angelorum, sedem suam ad Aquilonem ponens, & altissimi similitudinem superbè appetens, per iniquum desiderium quasi ad quodam culmen conatus est singularitatis erumpere. Hæc Gregor. 23. mo, c. 7.

Greg. 23. mo. c. 7.

¶ Hoc ergo exemplo edocemur, vt à iactantiæ & arrogantiæ vitio fugiamus, si à cælestibus sedibus deijci nolumus. Nō te extollas (inquit sapiens) in cogitatione animæ tuæ, velut taurus, ne forte elidatur virtus tua per stultitiā & folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquaris velut lignum aridum in eremo. Arrogans enim omnis, amens est, & rationis expers, alios præ se contemnēs: & sicut taurus impetens illos suorum verborum iactantia: quo fit vt virtus eius, hoc est, subtilitas ingenij eius, elidatur per stultitiam elationis: quæ profecto & folia verborum & fructus operū suorum perdit: relinquitque illū velut lignum aridum sine virore dilectionis.

Eccl. 6. Arrogantia fugienda.

Gloss.

¶ Prorumpit enim arrogans aliquando in contumelias aliorum, iactando se ipsum: vt Pharisæus ille superius memoratus, iactatque se aliquando, proferendo aliquid, quod contra Dei gloriam sit: vt rex ille Tyri, de quo Ezechiel Propheta olim aiebat. Eleuatum est cor tuū & dixisti: Deus ego sum. Tantum ergo scelus vitemus. ¶ Illud saltē intelligētes, quod nihil magis pacē inter homines potest, aut solet turbare, quàm hoc arrogantiæ & iactantiæ vitium. Quid enim quęso in sublimibus olim pacem Dei turbauit, nisi Satanæ arrogātia? Idcirco Satanas iste sub nominibus (inquit Rupert.) arguitur hominum, qui terram turbauerunt, videlicet sub Assur, Pharaonis, Regisque Tyri, & Nabuchodonosor Regis Babylonis, diciturque illi. Nunquid iste est vir, qui conturbauit terram, qui concussit regna, qui posuit orbem desertum, & vrbes eius destruxit? Item. Tu enim terram dispersisti, tu populum occidisti, & cætera huiusmodi. Alioquin si non secū

Ezec. 28.

Arrogantia in cælis, & in terra pacē semper perturbauit. Rupert.

Isai. 14.

A dum horum similitudinē de ipso est sentiendū, quæ ita turbauerit Angelos per semetipsum, sicut turbauit gentes per talium superbias hominum, tyrannidem in populos arripientium, vt quid nominibus & rebus gestis denotatur illorum? non ergo dubium, quin iam tunc propter illum motæ fuerint virtutes cœlorū, quæ & vltimo iudicio cōtra eum mouēdæ sunt. Motus ille quantus fuerit vt tādem rueret ille de cœlo proiectus, ipse qui proiecit illum Deus, Dei verbū, breuiter innuit dicēs. Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem. Quo modo cadit fulgur? Vtique motis atq; collisis nubibus tanto cum fragore, id est, tonitru, vt concuti machina cæli, & terra tremere videatur. Tūc fulgur excusum breui lucet, statimque disparet. Itaque dum dicit, sicut fulgur, mirandū innuit motum virtutum cælestium, magnūq; prælium angelorum Michaele principe contra illum, magnūque super hæc omnia verbi omnipotentis, quod ipse est, tonitrum: ad excutiendum illum, vt de cælo caderet cum vana luce sua, protinus extinctus est miser, eoque proiecto, serenitas pacis cælo rediret. Notum est cur ita taliter illius Satanæ mentionem fecerit, videlicet propter gaudium incōsultum discipulorum. 72. quos ipse miserat, quique reuersi, Domine (inquiūt) & etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo. Idcirco tale illis obiecit vt cauerent exemplum, ne & ipsi per vanā gloriam seducti exciderent, & abirent retrorsum. Hæc Rupertus. Non ergo nos in hoc vitio, quo pax Dei turbatur, incidamus: si de cælo tanquam fulgura præcipitari nolumus. Si virtutibus & ingenio & scientia alios præstas, ne superbiaris, ne iactes te ipsum, & tunc exultaberis. Vnde Chrysostomus. Si vis, inquit, sublime ostendere virtutis, noli sapere sublime, & tunc illud, quod egeris, esse monstrabis excelsius. Noli te putare quicquam fecisse, cum feceris, & plenissime cuncta fecisti. Hæc ille. Multi sunt viri præstantes, & religione pollentes, qui hoc morbo sacro laborant. Qui ideo sacer morbus ab antiquis

B

C

Ruper. lib. 1. de vict. v. Dei, c. 22.

D

Chrys. sup. Matt.

Heraclitus arrogantiam sacrū morbum vocabat.

propheta. Quandoq; autem huius missionis signum est veritas, quæ annuntiatur. Hinc est, quod Deuter. c. 18. dicitur, quia hoc habebit signũ: quod in nomine Dñi propheta prædixerit, & non euenerit, hoc Dñs non est locutus. Aliquando denique huius missionis signum est, miraculorum donum: quale dedit Dñs Moysi, cum misit illum, vt prædicaret Pharaoni. ¶ Verum est tamen hæc duo vltima signa non sufficienter monstrare diuinam missionem: præsertim cũ quis contra vniuersalem Ecclesiæ fidem aliquid docet. Dicitur enim Deut. c. 13. in hunc modum. Si surrexerit in medio tui propheta, & prædixerit signum, atque portẽtum & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi eamus & sequamur Deos alienos, non audies verba illius. ¶ Alio verò modo mittuntur aliqui à Dño, cũ à primoribus Ecclesiæ, vices Dei gerentibus, munus accipiũt cõcionandi. Misimus (inquit Paul.) cum illo fratrem nostrum cuius laus est in Euãgelio per omnes Ecclesias. ¶ De his igitur qui à Deo ad prædicandum mittuntur ait Paulus: quomodo prædicabunt nisi mittantur? Sicut scriptum est: quàm speciosi pedes Euangelizantium pacem. Quo in loco ecclypsi vtitur Paulus. Quare subaudiẽdum est coniungẽdo præcedentibus, sed missi sunt & prædicauerunt, sicut scriptum est, quàm speciosi pedes. Quod Pauli testimonium statim explicabimus.

(Deut. 18.) (Deut. 13.) (2. Cor. 8. D. Thom. Rom. 10.) (Rom. 10.)

¶ *Vt mittat operarios.* Non ait vt mittat prædicatores: sed quid ait? Vt mittat operarios. Perpauci sunt qui opere se exhibeant prædicatores, quanuis mittãtur, quanuis quasi tuba, multi exaltent vocem suã, & pro suggestu dicant: quod apertius significarat Christus pauló ante dicens: operarij autem pauci. Tales meritò comparãtur ranis Ægypti: qui sua loquacitate replẽt populi aures, proclamant, vocẽ contendunt, tantumque prædicatoris, & non operarij nomine gaudere volunt: nihil minus curantes, quàm animarum vtilitatem: in lege prohibitum erat, in templo nemus plãtare: sic isti qui solum folijs verborũ delectãtur ab Ecclesia eijciantur. ¶ Imo quod

(Multi concionatores, sed pauci operarij.) (Lege D. Hiero. Ecclesi. c. 10.) (Deut. 16.)

A deterius est, multi sunt qui ab Ecclesiæ proceribus mittũtur: qui ab illis munus Euangelicæ prædicationis accipiunt: & neque sibi neque Ecclesiæ prodesse volunt: sed ocio vacant: vt superius annotauimus. Audi ergo tu quisquis es, quid D. Aug. de veris operarijs, atq; de otiosis prædicatoribus docet, in lib. contra Manichæos. Olim (inquit) iussus est frater præmortui fratris vxorem ducere: vt non sibi, sed illi suscitaret sobolem: eiusque nomine vocaret quod inde nascere-

(D. Aug.) (Deut. 25. D. Aug. Figura.)

B tur: quod si recusaret; discalciatus vno pede conspui solebat in faciem. Nunc Euangelij quisque prędicator, ita debet in Ecclesia laborare, vt defuncto fratri, id est, Christo suscitet semen: qui pro nobis mortuus est: & quod suscitatum fuerit, eius nomen accipiat. At verò, qui electus ab Ecclesia ministerium Euangelizandi renuerit: ab Ecclesia ipsa dignè meritoq; contemnitur. Qui enim & sibi prodest & Ecclesiæ, bene intelligitur vtroque pede calciatus. Vnde illud: quã

C speciosi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona. Qui enim lucrãdorum curam refugit aliorum: discalciati illius non figũratum significauit, sed in se impletum portauit opprobriũ. Hęc Aug. ¶ *In messem.* Finis ergo & scopus prędicatorum & operariorũ commodũ & vtilitas populi, qui messis est Domini: esse debet. Ideo enim mittuntur vt corda credentium fructificantia, falce prædicationis metant, & in horreum Ecclesiæ congregent. Non enim mittuntur, vt quæ sua sunt quærant, sed quæ Iesu Christi. Sunt enim nonnulli, qui non tã

(8. q. 1. olim iussus. Finis prædicatoris, est vtilitas populi.)

D populi quàm suum commodũ in prædicatione procurent: quemadmodũ enim nõ omnes milites (inquit Aug.) propter salutem reipublicæ militant, sed propter illa quæ accipiunt: sic & non omnes propter salutem Ecclesiæ ministrant Deo, sed propter hæc temporalia, quæ tanquam annonam & stipendia consequantur, aut propter hoc & propter illud. Simplici ergo corde tantũ modo propter regnũ Dei debemus operari bonum ad omnes: quod si fecerimus nõ duobus Dominis, sed vni Deo seruiemus:

(Aug. lib. 2. de serm. Domini in monte.)

mus: cuius est bonis operarijs de necessarijs ad vitam prouidere. ¶D. Paulus in Epistola ad Philip. c. 1. & c. 2. Quatuor esse prædicatorũ genera docet: alij sunt qui ob Christi gloriam animarumque commodum Euangelium annunciant: alij vero qui suam vtilitatem præcipuè quærunt: alij autem qui per contentionem: alij deniq; qui ob inuidiam Euangeliũ prædicant: primi veri sunt pastores: secundi, mercenarij: reliqui vero latrones & fures vocari possunt. Istorum typos & imagines gerebãt olim vxores Iacob. Contendebant enim aliquando duæ illæ sorores, quæ vxores erant Iacob de prolis numero: adeo vt diceret Rachel Iacob viro suo da mihi liberos alioquin moriar. Cumque ambæ parere desinerent: ancillas adhibebant. Vnus igitur erat pater Iacob, quatuor autem erant vxores, præ se ferentes quatuor concionatorum ordines: Rachel, quæ vix duos peperit filios, eos designat qui Christum ob gloriam eius, & credentium cõmoditatem docent, atque prædicant. Lia verò eos, qui intuitu mercedis præcipuè verbum Dei populo suggerũt: qui mercenarij potius quàm veri ac proprij pastores & operarij dici debent. Et quemadmodum Rachel paucos, lia vero plures generauit: eoque dolet Rachel: sic multò plures sunt prædicatores suã vtilitatẽ curantes, quàm qui solum Christi gloriam & messis profectum quærunt: multò plures mercenarij quã pastores. At vero Bala & Celpha illos præfigurãt, qui, vel ex inuidia, volentes sibi discipulos facere plures quàm faciũt alij excellentiores illis concionatores: vel ex contentione, vt veris prædicatoribus inimicos auditores faciant: verbum Dei prædicant. Omnes tamen eundem habent maritum, videlicet Iacob: eundem habent Christũ, eandemq; prædicant veritatẽ. Sed quid mea refert (inquit Paul.) dummodo Christus annuncietur, quacunq; id ex causa fiat. Quid enim? dum omni modo Christus annuncietur, siue per occasionem, siue per veritatem. Possibile est autẽ, vt & filij ancillarũ & matres, liberi fiant: & Christũ omnes eodẽ

4. Sunt genera prædicatorũ.

Figura.

Gen. 30.

Phil. 1.

A animo & cõcordi volũtate annũtiẽt: vt & mercenarij & fures fiãt veri pastores.

¶ Ite: Hos Euangelicos operarios euntes prospiciẽs olim Isaias, lætus dicebat: quam pulchri pedes super montes annũtiantis & prædicantis pacẽ, annuntiãtis bonũ, prædicantis salutẽ, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus. Quẽ locũ breuibus explicare libet. *Quàm pulchri pedes*: membrũ accipitur pro persona. q. d. quàm chari & accepti erunt auditoribus, ij, qui huc illuc mittentur ad Euangelizandum. *Super montes* (inquit) vt significaret Apostolos & Christi discipulos non priuatis hominibus & in eorum proprijs domibus inter priuatos parietes Euangeliũ prædicaturos: sed esse ascensuros in montes, vt possent ab omnibus audiri. Esse, inquã, omnibus concionaturos, tam nobilibus, quàm obscuro loco natis, & nuntiaturos esse vniuerso mundo Euangelium. Poteris hic per mõtes altitudinẽ virtutum intelligere: ad quam oportet Christi concionatores ascendere. *Annuntiantis inquit, & prædicantis pacem*: id est, pedes annuntiantiũ & prædicantiũ pacem: sic Paul. ad Rom. 10. Pacẽ verò vocat nõ mundi, sed pacẽ Christi. Quę triplex est: prima quã Christus fecit inter homines & Deũ. De qua D. Paulus in posteriori Epistola ad Cor. c. 5. inquit. Deus erat in Christo mundũ reconcilians sibi, & posuit in nobis verbũ reconciliationis. Et rursum ait: pacẽ habeamus per Iesum Christũ ad Dñm. Secunda: quæ cũ omnibus hominibus habenda est. De hac idẽ Apostolus sic loquitur. c. 12. Epist. ad Rom. si fieri potest, quod ex vobis est, cũ omnibus hominibus pacẽ habentes. Tertia: qua quis secũ animi tranquillitatẽ habet. Pax multã (inquit Dauid) diligentibus legẽ tuã Dñe. Hoc triplex genus pacis ante Christi aduentũ rarum erat. Si enim fuisset, non Apostoli cæteriq; Dñi discipuli, illud tanquam rem nouam & insolitã nũtiassent. Pax enim hæc sine charitate esse non potest. Ita ait alio loco Isaias: non est pax impijs dicit Dominus: quod de vera & spirituali pace est intelligendum. At de tempore Christi

B

C

D

Isai. 52.
Rom. 10.
Nahum. 1.
Locus iste exponitur

Rom. 10.

Triplex pax Christi.

2. Cor. 5.

Ibidem.

Ad Rom. 12.

Psal. 118.

Isai. 48.

Psalm. 71. dicitur in Psalmo: orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis. *Annuntiantis, inquit, bonum.* Quibus verbis significare voluit propheta antea bonū quod annuntiaturi erant Apostoli ignotum fuisse: disserebant philosophi de bono, sed non inueniebant, quoniam illud nō in summo, sed in imo quærebant, & sic in tenebris & erroribus inextricabilibus versabantur. Bonum igitur quod verè & realiter bonum est, annuntiauerūt Apostoli, quod antea ignorabatur à mūdo, licet essent nonnulli sancti qui illud non ignorabant. Sed hi nomine mundi non comprehenduntur. Hoc est illud bonum de quo Christus apud hunc eundem Euangelistam ait: super omnia bona sua constituet eum. *Prædicantis, inquit, salutem,* scilicet animæ, per peccatorum remissionem. *Dicentis Sion*: (datiui casus est, Sion, additur enim ei in Hebræo litera, Lamed, nota datiui) *regnauit Deus tuus.* Non iam (dicent Apostoli & prædicatores) peccatū regnabit in vestro mortali corpore, neque dominabitur vobis diabolus, sed pœnitentiā agentes regnabit verus Deus in vobis, per quem abijcietis affectus peccatorū, & sequemini ductum & imperium sancti Spiritus. *Regnabit, inquā, Deus tuus.* Non enim amplius regnabit Moyses cū ceremonijs suis, sed Christus in Ecclesia sua in æternum regnabit. His ergo prædicatoribus modo alloquitur Christus, & ait illis: *Ite*: & prædicate, scilicet, Euangelium, hoc est, bonum Dei nuntium, continens pacem, peccatorum remissionem, & vitam sempiternam: *Ite* igitur, mei vnius præsidijs freti. Fremēt potentes ac mali aduersus doctrinam veram, his, vos nudos & inermes obijcio: vt studeatis omnibus prodesse: annuntiando illis pacem, remissionem peccatorum, ac regnum cæleste, beatitudinēque illam diuinam: quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: præparatam electis & me diligentibus. ¶ *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.* Obserua hic primò quòd homines impios & sceleratos non dignatur Dominus homines vocare sed

Luc. 12.

Rom. 6.

Homines impij non homines, sed feræ vocantur in sacra scriptura.

A lupos. Et meritò quidem. Nam hominis nomine gaudere indignus profectò est peccator omnis. Homines enim appellare solet scriptura, qui eo munere fungūtur, cuius colendi efficiendique causa Deus eos creauit, eisque naturam rationis participem dedit. Formauit enim Deus hominem, & sui sanctissimi numinis similem fecit, vt pestiferas voluptates contemneret: ipsum Deum summè coleret, eiusque amore ardentissimè fragraret, & in beatissimis sedibus quo sempiterno frueretur. Ex quo efficitur vt illi qui vitijs imbuuntur, & in erroribus & vanitatibus versantur quales erant Apostolorum persecutores, & sunt iustorum detractores & calumniatores immemores extremi iudicij, obliti æternitatis, summam fœlicitatem in mundi opibus collocantes, indigni sunt qui homines appellentur. Græci appellant hominem ἄνθρωπον, quasi sursum vergentem & contemplantem. Nam reliqua animantia terræ prona sunt, ventrique obtemperantia, solus homo est erectus, & ad cælum, eiusque contemplationem quasi ad propriam patriam eleuatus. Vnde apertè concluditur eos nomine hominum priuati, qui non in sublime feruntur, sed terrena tantum intuentur. Socrates apud Platonem in Cratylo, existimat dici ἄνθρωπον, quasi ea quæ aspicit contemplantem: cum cætera animalia altitudine & excellentia contemplationis careant: quæ etiam ratio conuenit huic nostræ interpretationi. Prior tamē nominis deriuatio est Lactantij Firmiani. c. 1. lib. 2. diuinarum institutionum. Homines ergo impij & scelerati, homines appellari non merentur, sed secundum diuersos eorum mores sic diuersa animalium nomina sortiuntur. Vt annotauimus superius. c. 3. in illa verba: genimina viperarum. Et Matth. 7. in illa, nolite dare sanctum canibus. In hoc loco Apostolorum persecutores vt vides, lupi vocantur: contrà verò pij & innocentes, agni, & columbæ, & hic & alibi appellantur. Ait ergo Dominus, his ita explicatis. ¶ *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.* q. d. persecutores vestri potius

B

C

D

Ad quid Deus hominem cōdidit.

Quare homo appelletur Anthropos à Græcis.

Matth. 7.

tius

tius lupi appellādi sunt quàm homines, vos vero & agni & oues meæ. Quare aduersus omnes iniurias seruate mansuetudinem: & ita velitis omnibus prodesse bonis, nec à malis lacessiti, referatis iniuriam. Satis est vobis ijs rebus instructos esse, quibus possitis de omnibus bene mereri. Aduersus hominum iniurias volo vos prorsus inermes esse, nec alio vincere præsidio quàm tolerantiæ. Poterā alioqui vos reddere formidabiles ac metuendos, sed non expedit Euangelio. Neque enim violentia violentiam, iniuria iniuriā, superbia superbiam, extinguit: sed mansuetudo, lenitas, placabilitas. Scio pharisæos & homines huius mundi, (quos lupos modo vocabam) præsidijs feroces, multa dira molituros esse in vos. Sed aduersus hæc omnia non alius obijciendus est clypeus, quàm patiētia: Agni enim & oues estis: ac illud verè dicere continget quod olim regius Dauid vestro nomine decantabat: quoniā propter te mortificamur tota die, æstimati sumus velut oues occisionis. ¶ *Ecce ego mitto vos sicut agnos*. Agno & oue ad prospiciendum sibi nihil stultius, animalia sunt prorsus inermia, atque iniurijs omnibus exposita: à solius pastoris cura & defensione pendentia: hominibus tamen nullum animal commodius oue & agno: tales ergo vos esse ait Christus, videlicet vt à me solo pendeatis: nō vestra quæratis cōmoda, non aduersa extimescatis, sed tantum aliorum commoditatibus inseruiatis. Animaduerte obsecro, qui sint verè agni & oues Christi. Talis erat D. Paulus, tales cæteri Christi discipuli, qui ob prædicationem Euangelij, aliorumque salutem, nulla non pericula & labores subierunt. Ter (inquit Paul.) virgis cæsus sum, semel lapidatus sum: Quienquies, quadragenas (scilicet plagas) vna minus accepi. Vult igitur Christus his verbis, vt qui Apostolorum officium gerunt, parati sint omnibus succurrere, omnia perferre, etiam animam tradere pro ouibus. Vt hinc discas quā pauci, veri pastores & concionatores sint. ¶ Deinde vult vt Christianus homo paratus sit omnibus benefacere, omniaq; aduersa perferre. Denique vult, vt talē conuersationem habeant fideles etiam ad exemplum vitæ, quo possint agnosci inter lupos & impios. ¶ *Ecce ego mitto vos*. Ego, inquam, qui vici mūdum: ego cui pater omnia in manus dedit: non est igitur quod timeatis, si enim mittimini velut agni inermes simplices & innoxij in medium luporum, à me mittimini. ¶ Dici non potest, quantum hominem consoletur illud, cum scit Deum se habere, atque ab illo mitti, imo potius extrudi & expelli, atque eijci in medium luporum: hoc est, impiorum atque scelerarorum hominum. Sic Moses lætus accessit AEgyptum, cum audisset ego ero tecum. Sic Petrus se misit in mare, cum audisset Christum dicentem: ego sum: vt superius annotauimus. Est igitur sensus: ego mitto vos, qui diligo, qui omnia possum: quicquid vobis aduersi contigerit, cogitate non sine bona mea volūtate contingere ad vestram salutem. Deinde nulla tentatio tam grauis erit: vnde non possim eruere: quod in Iob, Iacob, Ioseph, Dauid, tentationibus, videre licebit. ¶ *Ecce ego mitto vos, sicut agnos*, subaudi, emittit quis *inter lupos* vel in medio luporum, q. d. non mitto vos, vt malis luporum irretiti, in lupos vertamini: sed ideo mitto vos in medio luporū, vt lupi vestra lenitate declinati vertātur in agnos. Non est magnū vlcisci malos, sed illorum animos in bonum vertere, maximum est, ac difficillimum. Ego igitur qui mitto vos in medio impiorū hominum, faciam vt vestra lenitate mānsuescant. Quod factum iam hodie videmus & experimur. Varijs enim moribus homines in vna eademque Ecclesia ex lupis in agnos conuersi sunt. Quod multo antea prædixerat Isaias. c. 11. & c. 65. Habitabit, inquit, lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit: vitulus & leo & ouis, simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Quem locū enarrat & explicat D. Gregor. in hom. 16. in Ezechielem, & rectè quidem. Nā Christi doctrina & Apostolorum prædicatione reges & priuati, diuites & pauperes, Iudæi & Gentiles, in vno ouili Ecclesiæ con-

Psalm. 43.

Agni & ouis conditiones, & cur his cōparentur Apostoli.

2. Co. 11.

Ioan. 16.
Ioan. 13.
Non est cur timeamus si à Christo mittimur.

Exod. 4.

Matt. 14.

Oues mittuntur & agni, hoc est, prædicatores, vt lupos vertant in agnos.

Isa. 11. 65.

Explicatur locus D. Greg.

congregati sunt: & qui antea tyranni erant, infideles, superbi, & elati, recepto Euangelio cum agnis, hoc est, cum humilibus & pauperibus commoratur. Et hoc est, lupos cum agnis & leones cum ouibus habitare: quod figuratum fuisse didiscimus in illa animalium varietate, quæ fuit D. Petro in linteo ostēsa: quod multo ante fuerat adumbratū in animalium multitudine, quæ fuerunt in Noe arca congregata. Fuit enim arca illa Ecclesiæ imago & figura apertissima. Non igitur loquitur propheta de lupis & agnis, sed de his qui per lupos & agnos & oues intelliguntur. Ecce inquit mitto vos sicut agnos inter lupos: & alibi ecce mitto vos, sicut oues in medio luporū. Hoc ipsum erat quod. c. 65. prædixerat idem Isaias. Lupus & agnus (inquit) pascentur simul, & leo & bos comedent paleas. Non ergo timere debent sancti Dei prædicatores cum à Deo mittuntur. Securi enim valde sunt, atque sub eius prouidentia tuti: siquidem Deus oues suas inter lupos cōseruat. Sic magnum illud & ferocem Nabuchodonosor regē, per has oues in mansuetudinem ouis cōuertit: sic per Hester non solum Iudæos à perditione saluauit, sed & lupum Assuerū conuertit: sic per Apostolos, per Christi. 70. discipulos, per Euangelicos prædicatores homines aliàs feroces, barbaros, immorigeros, & crudeles ad suum ouile perduxit: & eos æterna fœlicitate donauit. ¶ Quod miserit Dominus discipulos, sicut oues inter lupos: vt de lupis, agnos & oues facerent, docet etiam August. disputatione. 2. contra Fortnnatū.

Acto. 10. Figura.

Genes. 7. Figura.

Isai. 65.

Prouidentia Christi erga suos.

¶ *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calciamenta.* Summa paupertate voluit Christus, vt Apostolici viri emerent regnum cælorum. Beati inquit, pauperes spiritu, quoniam ipsorū est regnum cælorum. Et hodie discipulis suis, vt cælum compararent, dicebat, ne vellent sacculum portare nec peram. Modo intelliges quid Isaias voluerit dicere. c. 55. illis verbis: omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate: emite. Si Deus, inquies, inuitat pauperes ad has aquas potandas, simodo dixit: qui non habetis argentū properate quomodo statim ait emite? Ita enim ait qui non habetis argentum properate, emite: & paulo post: emitte absque argento, & absque vlla commutatione. Ad emendas mundi possessiones (vt tibi respondeamus) opus est auro & argento, ad emendum verò regnum cælorum nullis talibus diuitijs opus est: sola enim paupertate spiritus emitur. Hæc admirabilis Apostolorum paupertas vicit mundum. Petenti claudo eleemosynam respondit D. Petrus: argentū & aurum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi do: in nomine Iesu Christi Nazaræni, surge & ambula. Et sanus factus est statim: & stupuerunt Iudæi, ex quibus multi crediderunt, vt in actis Apostolorū sacra historia testatur. Emerunt quidem Christi discipuli has aquas nullo auro & argēto, sed pretio propriæ voluntatis. Simoni autem eas auro emere volenti respondit Petrus, vt Lucas in actis commemorat: pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donū Dei existimasti pecunia possideri. Nos igitur sumus pretium quo hæc salutares aquæ emuntur. Disponamus nos ipsos ad eas, tribuamus nos ipsos Deo, & eas nobis donabit. ¶ Sed quoniam diuites, auro, & argento, & mundi opibus affluentes, solent esse potius diuitiarum quàm sui, & potius ipsi possidentur à diuitijs, quam ab ipsis diuitiæ, ideò consultum est ad perfectionem aspirantibus, diuitias relinquere, vt ita magis sui sint, & liberi remaneant. Cum autem sui, atque liberi, extiterint, opus est seipsos dare pro Christo. Igitur non sumus prorsus liberi, nisi impedimenta omnia pro nostra liberatione relinquamus. Relictis autē rebus nostris, pro earum pretio nos ipsos accipimus, qui talibus implicari nostri omnino nō eramus, vt rursus nos ipsos pro Christo demus, nō quod tāti valeamus, sed quod plus dare nō possumus. Et hoc est pretium, quod Deus præcipuè exigit à nobis. Est enim Christus thesaurus absconditus, pro quo homo debet vendere vniuersa quæ habet. De quo loquitur Christus apud Matth. Christus ergo Dominus

Súma paupertate voluit Christus vt apostolici viri emerét regnū cælorum.

Isai. 55. Exponitur locus.

Acto. 3.

Acto. 8.

1. Co. 12.

Matth. 13.

minus mandauit Apostolis, vt nihil secum ferrent: sicque liberi manentes se ipsos Deo traderent: atque hoc precio aquas cælestes emerent.

¶ *Nolite portare sacculum.* Id est crumenam. Sacculus & sacellus diminutiua sunt à nomine saccus. Quibus significantur Marsupia. Cicer. 2. de finibus, ius & sacculos abstulerit. ¶ *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calciamenta.* Lege quæ annotauimus Matth. 10. inter explicandum hoc præceptum ad literam: & quæ superius tradidimus capite nono: in illa verba, nihil tuleritis in viã, neque virgam, neque peram. ¶ His ergo verbis docet Dominus peculiarem prouidentiam quam habet erga operarios suos: ideo præcipit eis, vt expediti eant ad negotium euangelicum, neque crumenam, neque peram, neque calciamẽta portantes. Nũquam illis deerit quod naturæ necessitati satis sit. Ac ne de hoc quidem etiam præcipit, sint soliciti. Nã nunquam deerunt qui illos excipiant, tantum præstẽt se puros & incorruptos ministros euãgelicæ prædicationis. Hoc idem significare volens olim sapiens loquẽs de vera sapiẽtia ait: lõgitudo dierũ in dextera eius, & in sinistra illius diuitiæ & gloriæ. Hoc enim duplici bonorũ genere inuitat diuina sapientia eos, qui portant eam per mundum vniuersum: inuitat, inquam, eos: & bonis, diuitijsq; sempiternis, quæ in dextera sua habet: & bonis diuitijsque temporalibus, quæ in sinistra. Nõ enim sinit Dominus suos operarios euangelicos fame perire: si enim de necessarijs ad vitam vermibus & formicis prouidet, quo pacto fame perire sinet eos, qui dies noctesque negotio euangelico incumbunt? Quando misi vos (inquit) sine sacculo & pera nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt. Nihil: si Dauid Psalm. 33. affirmare audet quod nihil deerit timentibus Dominum: quo nam quæso pacto, quæ sunt naturæ necessaria deerunt non solum timentibus Deum, sed à mane, vsque ad vesperam messem Domini metentibus: & illam tribulo prædicationis iudicij, mortis, & inferni, terentibus atque triturantibus? ¶ Si idem regius vates, ait Psalm. 36. Iunior fui, etenim senui, & nõ vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem: quo nam modo derelinquet Dominus, ac sinet famescere eos, qui non solum iusti sunt: sed qui per totum terrarum orbem iustitiam ferũt? Digni sanè sunt huiusmodi operarij cibo suo. ¶ Adde præterea his: quòd Christus Redemptor noster, eò quod laborauerit in messe Domini mercedem ab illo accepit: non gloriam, non gratiã, quæ iure deitatis sua erant: non temporalia huius mundi bona, quæ contempserat: sed ipsam messem, quã expurgauit, quã messuit: quod Isaias testatur inquiens: ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo. De hoc enim premio loquitur. Cooperarijs ergo Christi dabit etiam pater condignam mercedem. Si enim dignus est operarius mercede sua: digni profecto erunt Euangelici operarij suo premio. De quo etiam intelligi potest prædictus Isaiæ locus. Ecce inquit, merces eius cum eo, & opus illius coram illo. Id est, præsentem habet mercedem quam dabit operarijs pro opere suo. ¶ Obserua igitur & alta mente cõsidera triplex bonorum genus, quod suis operarijs præbet Dominus: primum est bonorum spiritualium. Præbet enim Dominus illis, gratiam, sapientiam, pacem, victoriam propriæ concupiscentiæ, spirituales cõsolationes, diuitias omnes spei, denique cætera alia bona quibus consequi possint æternum illud summumque bonũ, ab æterno illis paratum. Secundum vero genus bonorum est: ipsa messis. Fideles enim per Apostolos ad Deum cõuersi: & qui semine doctrinæ, atque prædicationis ab illis gignebantur, præmium & merces satis condigna erant sui laboris. Tertium denique bonorum genus pro mercede operis, euangelicis prædicatoribus datum esse scimus, huius mũdi diuitias. ¶ Has prædicatoribus & etiã peccatoribus præbet Dominus: magna tamen cum differentia: pijs enim & iustis atque euangelicis operarijs, huius mundi diuitias concedit Dominus, ad mensuram tamen: concedendo, scilicet, quæ

Prouidentia peculiaris Dei erga prædicatores suos, vt nihil illis de naturæ necessariis desit.

Prou. 3.

Luc. 22.

Psalm. 33.

Psalm. 36.

Merces data operario Christo.

Isai. c. 40.

Triplex genus bonorũ quod præbet dominus veris prædicatoribus in hac vita.

Dona temporalia & bonis & malis concedit Dñs cum dupli ci tamen differẽtia qua primas concedunt peccatores in fus.

quæ non ad luxum, sed quæ ad naturæ necessitatem necessaria sunt. Peccatoribus autem, atque huius mundi amatoribus permittit Dominus, vt ad pompam regalem, ad vitæque superfluitatem diuitias quærant: qui miseri & infelices non intelligunt, quantum animi saluti noceat hæc diuitiarum superfluitas: quẽadmodum enim cibus necessarius naturæ, corporis salutem conseruat: superfluus verò nocet: & quemadmodum etiã sanguis, sedes est atque fons humanæ vitæ, exuperantia tamen sanguinis causa mortis esse solet: sic diuitiarum abundãtia nimia, saluti animæ nociua & mortifera inuenitur. Præbet ergo Dominus tanquam medicus prudentissimus suis operarijs, ad mensuram, temporalia bona, quibus tãtum naturæ necessitati succurrant: sicque in vita, atque salute spirituali conseruentur: peccatoribus autẽ permittit, vt illa, pro suo luxu & libitu acquirant: quod in detrimentum animi sui, & in maximũ periculum salutis suæ spiritualis, illis esse, experimur. Secunda verò differentia, in ista bonorum partitione, & diuisione inæquali, esse solet: quod sancti prædicatores, atque Euangelici operarij, paucis huius vitæ bonis, quæ de manu Domini ad vitam sustentandam accipiunt, tam contenti, tamq; animo satiati sunt: vt non solum quicquam præterea desiderent, sed omnibus imperatoribus ditiores, & feliciores, se esse existiment: istorum omnium nomine, aiebat Euangelicus ille operarius: nihil habentes & omnia possidentes. Et meritò quidem. Nam animo tam satiati & contenti erant, ac si mundus, mundique diuitiæ omnes, in sua essent ditione & potestate. Hac ergo animi tranquillitate, minime gaudent huius seculi diuites: crescit enim amor & desiderium insatiabile nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Et quemadmodum viatores prudentes, curant, vt nummi quos ferunt, aurei sint, & non ærei, vt sic ditiores, & ad iter expeditiores inueniantur: sic Dominus curat, vt prædicatores sui, quos ad concionãdum populo, per totum orbem terrarum mittit; leuiori bonorum

Simile. *Simile.* *2. Cor. 6.* *Simile.*

A temporalium onere itẽ faciant: cũ hoc tamen, ditiores se esse omnibus mundi diuitibus reputant & existimant: propterea igitur Dominus præcipit hodie suis, vt ne de victu, ne de vestitu, ne de tecto sint soliciti: cum suum sit prouidere de omnibus his.

¶ *Et neminem per viam*. Id est, inter eũdum *Salutaueritis*. Hyperbolica locutio est ista, quæ frequẽs est in sacra Scriptura, vt latius ostendimus in commentarijs nostris in Matth. c. 19. explicantes ad literam locum illum: facilius est camelum intrare per foramen acus, quàm diuitem in regnum cælorum. In hoc ergo loco, vbi Christus prohibet Apostolis, ne quem salutent in via, hortari vult, vt nihil committant, quod ob humanos affectus Euangelicũ negotium vllis dispendijs remoretur. ¶ Vnde hic notabis, quod præcepta omnia Christi quæ dure sonare videntur & esse contra humilitatis officia, ciuiliter sunt interpretãda secundum rationes & causas, aut secundũ tropos & metaphoras ad mysticum quẽdã sensum sunt intelligẽda. Quod enim in hoc loco saluator discipulis iubet: neminem salutaueritis in via; durum & superbum, nec mansueti & humilis Domini præcepto conuenire videtur, cũ iste communis gratiæ sit vsus. Nam & Gentiles cum Christianis habent huiusmodi officiorum commercia. Proinde considerandum est quod Dominus, hoc præcepto nõ simpliciter voluit hunc vsum humanitatis auellere. Nec hoc solum dixerit neminem salutaueritis, sed adiecit; in via. Vt hac hyperboli significetur (inquit Ambros.) non salutationis offi- D cium, aut sedulitas, sed obstaculum impediendæ deuotionis auferri, vt quando diuina mandantur, paulisper sequestrentur humana: vt dum sumus in terra in executione diuini ministerij, non retardemur cõfabulatione alicuius obuij. Sic & Elias cum mitteret puerum suum, qui baculum ipsius poneret super corpus mortui pueri mandauit ei ne quem salutaret in via. Si occurrerit, inquit, tibi homo non salutes ei: & si salutauerit te quispiam, nõ respondeas ei. Quasi di-

Hyperbolica locutio est ista de more scripturæ. *Nota.* *D. Ambr.* *4. Reg. 4.*

B C

ce, hou... ad pue-rum. Ve corriendo no te detengas en nada, hac hyperboli voluit: vt non remoretur in aliquo. Hoc idem voluit Christus. Lege quę annotauimus Apoc. 11. in illa verba surge, & metiri templum Dei. Procul enim debet esse à concionatoribus & prælatis omnis desidia. Maxima enim diligentia est necessaria in illis: & hæc sola præcipitur his verbis Christi, non prohibetur vrbanitas.

¶ *In quacunque domum intraueritis primùm dicite pax huic domui.* Non de pace, quæ à mundo datur: sed de cælesti pace loquitur Christus. Pax enim quæ datur à mundo, quæ in bonis externis consistit, non est vera nec solida. Fieri enim potest, vt sceleratus & impius pace externa huius mundi gaudeat: veram tamen tranquillitatem animi non habet, dicente Isaia. c. 48. non est pax impijs. In animo enim impiorum nulla est pax, nulla quies, nulla tranquillitas. Gignūtur enim ex appetitione impia turbidi & concitati animorum motus auersi à ratione, inimici pacis vitæque trāquillæ: qui animum inflamant bello intestino, & quodam furore, à pace & temperantia plurimum dessidente. Ex quo efficitur, vt impij in medio pacis, etiam sine pace viuant. Contra verò pius ac iustis homo, in medio externarum persecutionum, in pace cōsistit: iuxta id quod ait apud Ioannem ipsa veritas. Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis. Vbi vides, pios & iustos inter labores & calamitates in pace quiescere, animique trāquillitatem non amittere. Xenophō dicebat: pacem videri esse maximū hominibus bonum: bellum, maximum malū. Hæc enim pax est illa εὐθυμία, hoc est animi tranquillitas, quam Democritus dixit esse summam mundi fœlicitatem. Sed hi adhuc in tenebris versabantur, nec vera animi pace gaudebant. Vera, & dulcis, ac cælestis pax est ea, quā Christus attulit mundo, quam precari vult discipulos suos toti familię: in quamcūque domum fuerint ingressi. De qua idē Dominus apud Ioannem: pacem meam do vobis: pacem relinquo vobis. De ea regius vates multo antea fuerat his verbis vaticinatus. Venite & videte opera Domini quę posuit prodigia super terram; auferens bella, usque ad super terram. De hac ergo cælesti pace, quæ per gratiam in hoc vita possidetur, ait Dominus discipulis suis: in quamcunque domum intraueritis, primùm dicite pax huic domui. Hoc salutandi modo vsus est idem Dominus post suam resurrectionem: hoc eodem vsi sunt Apostoli scribentes fidelibus: hoc vti & nos debemus si euangelici prædicatores videri volumus.

Non de mundi pace, sed de cælesti loquitur Christus.

Isai. 48.

Ioan. 16.

Xenophō.

Democritus.

Ioan. 14.

Psalm. 45.

¶ *Quod si ibi fuerit filius pacis.* Hebraismus. Pro, dignus pace. Et Matth. c. 10. Et siquidē (inquit) fuerit domus illa digna, &c. Sic dicitur filius nuptiarū, filius mortis, id est, dignus morte. ¶ *Quod si ibi fuerit filius pacis, requiescet pax vestra super eum.* Hoc est, si ibi fuerit homo mitis, auidusque mansuetæ doctrinæ: proderit illi vestra precatio: & amplectetur hospitem bene ominantem. Fœlices profectò illi, qui hac diuina pace sunt digni: & qui mites auidiq; mansuetæ doctrinæ se præbent: nā illis quod optant eueniet: illis, inquam, proderit prædicatorum precatio. Tales erant tēpore Apostolorum omnes electi: de quibus olim dicebat Isaias: aperite portas, & ingrediatur gens sancta, custodiens veritatem. Verba sunt Dei alloquentis Apostolis, vt portas Ecclesiæ militantis aperiant, quo gens sancta ipsam introeat, quæ custodiat veritatem. Deinde addit Propheta: vetus error abijt, seruabis pacem: pacē, quia in te sperauimus. Verba sunt fidelium qui relicta infidelitate, & recepto Euangelio, has voces emittunt. Vetera enim transierunt, vt ait D. Paulus, ecce facta sunt omnia noua. Et tu Domine seruabis nobis pacem, pacem, inquam, illam, de qua dixisti requiescet pax vestra super eum. Est enim repetitio Hebraica multum vehementiæ adferens: pax ergo gratiæ, ideò dicitur, pax, pax, quia firma & vera, atque solida est, quę quiescens super cor viri fidelis beatum & fœlicem illum facit.

Filius pacis quid.

Prędicatorum precatio filiis prodest pacis.

Isai. 26.

2. Cor. 5.

¶ Sin

¶ *Sin autem ad vos reuertetur.* q.d. si illi non prosit vestra precatio, ne pœniteat bene precatos fuisse: nam non vobis peribit merces oblati officij.

¶ *In eadem autem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt.* Quasi diceret; nec est quod à quoquam supplices rogetis hospicium, aut impudenter cuiquam vos ingeratis. Res enim tanta nec est obtrudenda inuitis, nec vlli tamen non offerenda. Qui verò libenter ac promptè vos receperit, apud illũ manete, non affectantes vitæ delitias, sed pro necessitate corporis edentes ac bibentes, quæ apud illos fuerint.

¶ *Dignus est enim operarius mercede sua.* Vide Matth. 10. quæ ibi annotauimus, & D. August. lib. 2. de consen. Euãgelistarum. c. 30. vbi ostendit ex Paul. 1. Cor. 9. necessaria alimenta deberi prędicatoribus, & ex isto loco.

Tom. 4. Aug.

¶ *Et curate infirmos, qui in illa sunt.* De hac potestate curandi infirmos, Vide quæ annotauimus. c. prędecenti. Ibi, dedit illis potestatem super omnia dæmonia, & vt langores curarent.

¶ *Et dicite illis: appropinquauit in vos regnum Dei.* Id est, accesũt in regionem vestram promissus à Deo Messias. Res pro persona, regnum pro rege in hoc loco accipitur. De acceptione huius nominis regnum Dei, diximus apud Matth. c. 13. exponẽdo literam. Accipitur enim aliquando pro rege, qui caput est huius regni: Solent enim capita regni regnũ vocari: vt simile est regnum cælorũ homini regi. Sic accipitur in hoc loco. Aliquando accipitur pro doctrina Euangelica. Vide ibi.

¶ *In quamcunque autem ciuitatem intraueritis, & non susceperint vos, exeuntes in plateas eius, dicite, etiam puluerẽ, qui adhæsit nobis de ciuitate vestra, extergimus in vos.* Si quam, inquam, ciuitatem fueritis ingressi, in qua nemo sit qui vos recipiat, nolite illic supplices ambire hospitiũ: sed prodite in plateas eorum, atque ibi publicè palamque dicite: gratis obtulimus vobis nuntium æternæ salutis: quoniam autem spernitis officium nostrum, nihil volumus à

A vobis beneficij. Ecce etiam puluerem, qui adhęsit pedibus nostris, extergimus in vos, testimonium à nobis oblati, & à vobis spreti fœlicissimi nuncij, qui nolẽtibus, ingeri non debet. ¶ Cæterum iure optimo puluerem, aiunt, extergimus in vos. Hoc est puluerẽ extergimus in puluerem. Peccatores enim omnes qui indigni sunt pace Euangelica, & nuntio æternæ salutis, pulueri, stipulæ, fauillæ merito comparantur in sacra Scriptura: queadmodũ dicitur in Psalmo: nõ sic impij nõ sic, sed tãquã puluis quẽ proijcit ventus à facie terræ. Puluis ascendit sursum, sed fauore venti; sic impius ad dignitates aliquando euehitur, sed per medium vanitatis. Puluis est terra in aere, sic peccator terra est elata in vano aere constituta. Puluis ascendens obcæcat oculos: sic impius lædit iustos, contemnit & persequitur prædicatores. Puluis coinquinat, sic nepharius homo sermonibus suis impuris, moribusque deprauatis alios contaminat, illisque tetram maculam, atque labem inurit. Hi indigni sunt regno cælorum, indigni pace cælesti: digni verò, vt in eos, qui pulueres sunt: puluis illos significans, proijciatur.

Peccatores pulueri comparantur.

Psalm. 1.

B

C

¶ *Tamen scitote hoc, quia appropinquauit regnum Dei.* Id est, illud scitote, quod siue receperitis, siue non receperitis, in proximo est vobis regnum Dei: si receperitis veniet vestro bono: sin minus, veniet vestro malo. Hac vindicta vos eritis (inquit Christus) contenti, sicubi spreuerint vos. Veniet illis vltio suo tempore. Nam illud affirmo vobis. *Illud* (inquam) *dico vobis quia Sodomis in die illa remissius erit, quàm illi ciuitati.* Quę tantam Dei benignitatem gratis oblatã spreuerit. Omnes mirantur seuerã Dei vindictam in Sodomos, sed hoc illos subleuat, quod non fuerint tot modis prouocati ad pœnitentiam: & Iudęi sibi placentes execrantur illorum memoriam, quos ira Dei horrendo exemplo funditus sustulit: sed horribilior vindicta manet ipsis, si tot beneficijs, tot miraculis prouocati, neglexerint, ac spreuerint Dei bonitatẽ. Quo sensu intellige, quod in threnis Hieremias aiebat olim. Maior,

D

Thre. 4.

ior, inquit, effecta est iniquitas filiæ populi mei, peccato Sodomorum. Nempe, quod Sodomis nō missi fuerunt prophetæ, non prædicatores, non est illis data lex aut notitia Dei, quemadmodum Iudæis: & tamen hi perseuerarunt in iniquitatibus & sceleribus suis, contemptis Prophetis, contempta lege, contempto denique rerum omnium conditore sibi cognito. Et sic maius crimen & scelus istorum fuit, quàm illorum, ob istarum rerum causam. Ad hunc sensum ait Ezechiel. c. 16. Samaria dimidium peccatorum tuorum nō peccauit: sed vicisti eas, scilicet, Sodomam & Samariam, sceleribus tuis: & iustificasti sorores tuas, id est, iustiores te esse ostendisti. Si conferátur eorum scelera cum tuis, vix mediū ęquabunt malefactorum tuorum. Non id ait Propheta quod peccata Samariæ, in se grauiora & maiora non fuerint, peccatis Iudæorū: sed quod Iudæi legem & Prophetas habuerint, & illos nō receperint: ideò maioris sceleris arguuntur. ¶ Cæterum hoc idem dici potest de multis Christianorum ciuitatibus. Sed de hoc aliàs dicemus.

Ezech. 16.

VÆ tibi Chorozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere sedentes pœniterent. Verumtamen Tyro & Sidoni remißius erit in iudicio, quā vobis. Et tu Capharnaum, vsque ad cœlum exaltata, vsque ad infernū demergeris.

Matt. 11.

VÆ *tibi Chorozaim, quia si in Tyro.* Nos nos sumus ad quos hęc possunt referri. Si enim Deus de Chorozaim & Bethsaida tam grauiter quæritur, quanto grauius de nobis quæri potest? Prædicauit nobis, traxit nos sua gratia, & benignitate, ad fidem suam: expectat à nobis, vt virtutem colamus, & eum ipsum ardenter amemus: nos vero sceleribus implicamur: & eum ipsum à quo tanta tamq; innumera beneficia accepimus, negligimus, & contēnimus. Nos sumus ciuitas sua, pro qua acerbissimos cruciatus tulit: pro qua, se hostium iniurijs obiecit: pro qua, summa charitate inflammatus vitam profudit: pro qua, se morti crucis obtulit: nos summus, quibus legem suam, fidem, charismata innumera, medicamenta salutaria, hoc est, sacramenta gratis tradidit. Quid ergo debuit amplius facere populo Christiano, & non fecit? Et tamen in imis volutamur, in peccatis sordescimus minimè resipiscimus, minimè dolemus. Si hæc tanta amoris & dilectionis signa facta fuissent in barbaris nationibus, forsitan pœnituissent: imò iā olim resipuissent: & in cilicio & cinere sedentes agerent pœnitentiam peccatorum suorum: cum nos interim erectis aduersus Deum ceruicibus, nobis ipsis placeamus. O cęcum nostrum iudicium, O ingratitudinem incredibilem, & effrenatam nostrā cupiditatem: qui Deum optimum maximū comtemnimus, & in rebus caducis beatitudinem collocamus. Nos ergo sumus quibus hęc dicūtur: væ tibi Bethsaida væ tibi Chorozaim.

Ad nos hæc verba execrātis pertineat

¶ *In cilicio & cinere sedentes pœnitērent.* In fauilla & cinere (inquit Hiero.) pœnitentiam agere, est cōtemplata summa essentia, nihil aliud quàm fauillam, cineremq; se cognoscere. Vnde hic Dominus ciuitati reprobæ dicit: si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis: olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. In cilicio quippe asperitas, & compunctio peccatorum, in cinere autem puluis ostenditur mortuorum. Et idcirco vtrumque hoc adhiberi ad pœnitentiam solet, vt in compunctione cilicij, cognoscamus quid per culpam fecimus, & in fauilla cineris perpendamus, quod per vitium facti sumus. Considerentur ergo in cilicio

D. Hiero. quid cilicium & cinis significent.

cio pungentia vitia, consideretur in cinere per mortis sententiam, subsequens iusta pœna vitiorũ. Quia enim post peccatum carnis contumeliæ surrexerunt, videat homo in asperitate cilicij superbiendo quid fecit, videat in cinere vsq; quo peccando peruenit. Lege, si libet, D. Hieron. lib. 1. in lamentationes. c. 3. vbi exponens illud, ponet in puluere os suum, si forte sit spes: Hæc ait fere ad verbum. Lege etiam quæ in hæc verba annotauimus. Matth. 11. ¶ Quare autem Deus non fecerit miracula: nec miserit Tyro & Sidoni prædicatores: cum sciret, quod pœniterent docet August. lib. de bono perseuerantiæ. c. 9. refert enim hoc ad prædestinationem.

D. Hiero.

D. Aug.

¶ *Veruntamen Tyro & Sidoni, remissius erit in iudicio, quàm vobis.* Si ergo remissius agetur in iudicio cum Sidonijs, quàm cũ Iudæis nolentibus agere pœnitentiã: iam inde fit contra Iouinianum vnum scelus esse grauius alio: & nõ esse omnia peccata paria. De qua re elegantissime disputat D. Hiero. lib. 2. contra Iouinianum, & D. Thom. 1. 2. q. 63. artic. 2. & Archiepiscopus Florent. 1. part. suæ summæ, tit. 9. per omnes. §. ¶ Si enim omnia peccata essent paria, vt stoici & hæretici existimabant, non diceret Dominus apud Ioannem: qui tradidit me tibi, maius peccatum habet. Deinde: nõ est æqualis damnatorũ pœna: vt in hoc loco Christus disertissimè exprimit, ergo non etiam est æqualis illorum culpa. Prętereà, alio in loco disparitate reatus, iudicij, concilij, & gehennæ ignis, hoc ipsum ostẽdit his verbis. Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit cõcilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Graue si quidem est reũ esse iudicij, grauius concilij, grauissimũ gehennæ ignis. Aliàs etiam palam docuit, peccatum ex malitia, grauius esse puniendum, quàm peccatum ex ignorãtia. Et vt ostenderet etiam eos grauioribus pœnis esse multãdos, qui maiora dona à Deo acceperunt, & ingrati illis fuerunt, subdidit statim. Omni autem cui multum datum est, multum queretur

D. Hiero. D. Tho. Archi. Floren. Quod peccata non sint paria ostenditur. Ioan. 16.

Matth. 5.

Luc. 12.

A ab eo, & cui commendauerunt multum plus petent ab eo. Et hoc est, quod & Salomon olim docuerat dicens: iudicium durissimum in his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. Et post paululum. Fortioribus enim fortior instat cruciatio.

Sap. 6.

¶ Hinc colliges, quod remissius erit nõ solum Tyro & Sidoni, sed etiam Iudæis (cæteris paribus) in iudicio, quàm nobis Christianis nolentibus agere pœnitentiam. Quod eleganter ostẽdit D. Paulus in Epistola ad Heb. Præcipuè verò in illis verbis. Videte ne recusetis loquẽtem. Si enim illi non refugerunt recusantes eum, qui super terram loquebatur, multo magis nos, qui de cælis loquẽtem nobis, auertimus. Id est, videte ne loquentem ad vos Iesum recusetis & auersemini: loquitur enim vobis per Euangelium, per proposita premia, per suos ministros & prædicatores. Si enim antiqui patres non effugerunt, subandi; vindictam Dei, Mosen recusantes, & C auersantes, qui super terram loquebatur: multò minus nos qui de cælo loquẽtem nunc in suo Euangelio Christum auersamur, effugiemus. D. Petrus idem ipsum manifestè docet his verbis. Si enim refugientes coinquinationes mũdi in cognitione Domini nostri, & saluatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora Deteriora prioribus; melius enim erat illis, nõ cognoscere viã iustitiæ, quàm post agnitionẽ retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato. Conti D git enim eis illud veri prouerbij, canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti. Paulus etiam Heb. 10. ait: irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus, vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, & in quo sanctificatus est spiritui gratiæ contumeliam fecerit? ¶ Quæcunque etiam probant maiora fuisse cæteris paribus peccata Iudæorum, quàm Gentilium, (quia sicut

Mitius punientur Gentiles & Iudæi, qui sub lege degebant quàm fideles, in iudicio cæteris paribus. Heb. 12.

2. Pet. 2.

Heb. 10.

Psal. 147. cut regius vates ait, non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis) stabiliunt nostram hanc sententiam. Si enim propter beneficium præcellentioris legis, & perfectioris pastoris, inducitur maius vinculum ad obseruantiã mãdatorũ, multo magis hoc fiet Sap. 6. ꝓpter beneficiũ iustificationis. Et si peccata principũ & primorũ grauiora sunt, iuxta illud, potentes potẽter tormẽta patiẽtur, & si peccata sacerdotũ & Ecclesiasticorũ, maioris sunt reatus apud Deũ, Luc. 20. iuxta verbũ Christi, hi accipient damnationẽ maiorẽ, erũt igitur & peccata fideliũ, qui iustitiã in baptismo acceperunt, cæteris paribus culpabiliora. Quandoquidem omnia principum & Ecclesiasticorum beneficia, antecellit gratia iustificationis. Acceptarũt doctrinam istã, & docuerunt concorditer omnes Ecclesiastici Doctores, tam antiqui, quàm recentiores: inter quos vnus est D. Hiero. D. Hiero. Gal. 5. Sic inquiens: in illa verba Pauli, manifesta sunt autem opera carnis, in eo fornicator maioris est criminis, quia tollit membra Christi, & facit ea membra meretricis. Erũt quippe duo in carne vna. Qui non est fidelis, neque credit in Christo, sua membra facit membra meretricis: qui credit, & fornicatur, Christi mẽbra facit membra meretricis. E contrario infidelis in fornicatione sua, vtrum violet an ædificet tẽplum idolo, nescio. Per vitia quippe maxime dęmones colũtur. Hoc vnũ scio, quod qui post fidem Christi fornicatur, violat tẽplũ Dei. In illa etiã verba, si Ecclesiã nõ audierit sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus, sic scribit. Matt. 18. Quãdo autẽ dicitur sit tibi, sicut Ethnicus & Publicanus, ostenditur maioris esse detestationis, qui sub nomine fidelis agit opera infideliũ, quã hi qui apertè Gentiles sunt. Si ergo maiora sunt cæteris paribus peccata fideliũ, quã infideliũ, & iustorũ quã peccatorũ, tantoq; vnũquemque apud Deum grauioris esse delicti & criminis reum, quanto maioris erat meriti antequã caderet: inde colligi potest, quod mitius agetur cum Gentilibus, atque cum Iudæis, sub antiqua lege degẽtibus, quàm cũ fidelibus quæ tanta sibi collata beneficia spreuerunt.

A In communi vnius Martyris.

QVi vos audit, me audit: & qui vos spernit me spernit. Qui autem me spernit: spernit eũ qui misit me. Reuersi sunt autem. 72. cũ gaudio dicẽtes, Domine etiam dæmonia in nomine B *tuo subyciũtur nobis. Et ait illis: videbã Sathanã sicut fulgur de cælo cadentẽ. Ecce dedi vobis potestatẽ calcãdi supra serpentes et scorpiones: & supra omnẽ virtutẽ inimici: et nihil vobis nocebit. Verũtamen in hoc nolite* C *gaudere: quia spiritus subyciuntur vobis. Gaudete autem, quia nomina vestra scripta sunt in cælis.* Matt. 10. Ioan. 13.

¶ *Qui vos audit, me audit.* Audiẽdũ esse Concilium generale in nomine Christi congregatũ, his verbis docet Dñs. De qua re lege quæ annotauimus Matth. 23. in illa verba super Cathedram Moysi. ¶ *Qui vos audit me audit: qui vos spernit, me spernit.* Tanti facit Deus iustos suos, vt aliàs affirmet: quod qui D eos receperit, recipit illum. Et in hoc loco, qui eos audierit, audit illũ. Et alibi asseueret, quòd qui tangit illos, tangat pupillã oculi sui. Qui benedixerit tibi (ait Isaac filio suo Iacob) benedictionibus repleatur: & qui maledixerit tibi, sit maledictus. Has duas sententias viri iusti in hoc loco cõprobat verus Isaac, benedicẽs discipulis suis, quorũ typum gerebat Iacob: qui vos audit, inquit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Quanti faciat Deus iustos. Matt. 10. Zach. 2. Gen. 27.

¶ *Qui vos audit, me audit.* Hic vides quanti habendi sint prædicatores sunt enim fontes paradysi, per quos effundit

Christi prædicatores audiendi, & quare, sunt fontes, sunt os domini, angeli, cæli, nubes.

Dñs in Ecclesiam aquam sapientiæ suæ: sunt os per quod loquitur Dñs: sunt angeli ab illo missi, vt suo nomine salutem nobis annuntient: sunt cæli, per quos Deus optimus maximus influit in hunc mundum minorem: sunt nubes per totū mundum volantes pluuiam salutarem mundo spirituali afferentes. Illos ergo audiamus: nam qui illos audit, Christū loquentem audit: ponit enim verba sua in ore ipsorum. Sicut enim alloquens pater apud Isaiam, filium suū, ait: posui verba mea in ore tuo, vt plātes cælos, & fundes terrā, & dicas ad Siō: populus meus es tu. Ita filius posuit verba sua in ore discipulorum, vt Euangelizarent Sion: plātarentque ecclesiā, nouumque mundū fundarent. Quare sicut qui audit Christū, audit patrem per illū loquentem: sic qui audit Apostolos, cæterosque euāgelicos prædicatores ab illo missos, Christum audit. Ego dabo, inquit, vobis, os & sapientiam. Et rursum: non estis vos qui loquimini. Quanuis ergo prædicator peccator sit, noli curare: illum nomine Christi, & ore Christi loquentē audi. Non enim refert, quod per calamū ferreū, aut aureum, tabellio literas & verba scribat & depingat: dum tamē graphicē sint elemēta formata. Siue per iniquos, siue per pios prædicatores, scribat typographus, & scriptor Deus, verba sua in corde tuo, nomine cures: dū tamen verba eius salutaria, & cælestia, in illo imprimantur. ¶Fateor esse nonnullos concionatores quorum barba dimidia derasa est, & vestis vsque ad nates præcisa: hi, fortes sunt in sermone: in opere verò debiles, opprobrioq; pleni. Hoc enim significant præcisæ vestes & rasæ dimidiæ barbæ: fulgent quidem doctrina, quam tamen fœdat vilis eorum & turpis vita. Hi quidem, & si digni sunt vt suspensa ad collū mola demergantur in inferno, audiendi tamen sunt: omnia quæ dixerint nobis facere debemus: cū per os Iudæ atq; illorū, Deus vt diximus, loquatur. ¶*Et qui vos spernit: me spernit.* Siue qui vos reijcit, reprobat, auersatur, me reijcit, me reprobat, & deniq; auersatur. ¶Quanta verò mala sequantur ex contēptu & persecutione prędicatorū, quos nobis mittit Dñs, suis contēptoribus, docet & minatur Hiere. c. 18. Dixerūt venite & cogitemus aduersus Hieremiam cogitationes: venite & percutiamus eū lingua, hoc est, illū accusemus, aut per calumniā eius nomē deferamus: & non attēdamus ad vniuersos sermones eius. Attende Dñe ad me: nūquid redditur pro bono malū, quia foderunt foueā animæ meæ? Recordare quod steterim in conspectu tuo, vt loquerer pro eis bonum, & auerterē indignationē tuā ab eis. Propterea da filios eorum in famem, & deduc eos in manus gladij. Fiant vxores eorum absque liberis, & viduæ, & viri earū interficiantur morte: iuuenes eorum confodiantur gladio in prælio, audiatur clamor de domibus eorū. Quanta mala euenerint Iudæis, quod non audierint, sed potius spreuerint prædicātē Hieremiā, scimus: quanta maiora, quod non audierint Christū Dñm, cuius imaginē gerit Hieremias, nō ignoramus. Innumera ergo mala spernētibus prædicatores Dei, semper contingunt. Meminetis Regis Achab, qui in bello perijt: quod nō audierit Michæā prophetā in nomine Dñi vera dicentem: illumq; spreuerit, imo in carcerem miserit, ibique pane tribulationis & aqua angustiæ sustentare fecerit. Audiamus igitur euangelicos cōcionatores, & nō illos contēnamus: cum in hoc loco apertē asseueret Dñs, quod qui illos audit, ipsum audiat: & qui illos reijciat, & reprobet, ipsum reijciat & reprobet. Et Ezechieli idē Dñs dicat: fili hominis, vade & ingredere ad domum Israel, & loqueris verba mea ad eos: non enim ad populū profundi sermonis & difficilis linguæ tu mitteris ad domū Israel, neque ad populos multos & ignoti sermonis, quorū nō possis audire sermones: & si ad illos mitterē te, ipsi audirēt te. Domus autē Israel nolūt audire te, quia nolūt audire me. Audiamus, inquā, libēter eos: & nō auersemur: nec similes simus senioribus Iudęorū, qui (vt in actis Apostolorū refertur) vocauerūt Petrū & Ioānē, & denuntiauerunt, ne omnino loquerētur, nec docerent in nomine Iesu. Nam profe-

Esai. 51.
Infra. 21.
Prędicator & si peccator sit etiam est audiēdus.
Simile.
2. Reg. 10. Figura.
Matth. 18.
Matth. 23
Multa mala sequuntur spernētibus prædicatores. Hier. 18.
3. Reg. c vltimo.
Ezech. 3.
Acto. 4.

profecto si Dei verbum contemnimus, & spernimus: si Apostolicos concionatores reijcimus: auferet illos Dominus à nobis. Quod maximum malum erit: grauissimaque pœna: vt ex facto Ionæ, missi ad Niniuem, & fugientis in Tharsis à facie Domini, facilè intelligi potest. Grauissimè enim tulit, vt vellet Dominus a populo atque gente sua, auferre verbum suum: & dare Niniuitis, hoc est, Gentilibus. Intelligebat enim vir pius, quantum esset, & quam graue malū diuino verbo priuari: quo cibatur anima, sanatur infirmus peccator, fugantur vitia, atque Deus optimus maximus cognoscitur. Hac ergo inter alias, pœna affi ciemur, si prædicatores spreuerimus: si illos perturbare (vt solent nonnulli sacerdotes) tentemus. ¶ *Et qui vos spernit, me spernit.* Hic Dominus, verbis Isaiæ. c.33. loquitur, iuxta translationem. 70. Apud Isaiam enim loquitur Deus: qui vos reprobant, vos non reprobant: & illa quæ Deus loquitur de se, Christus de se loquitur in hoc loco dicēs: & qui vos spernit, me spernit. Et interpretatur locum Isaiæ, ac si diceret Dominus per Isaiam: qui vos reprobant: vos nō reprobāt, sed eum qui misit vos. Sic Christus: qui vos reprobat, me reprobat, & qui me reprobat, reprobat eū qui misit me. ¶ *Qui vos spernit: me spernit.* Non ad Apostolos tantum, sed ad primores Ecclesiæ omnes, hæc verba dicuntur. Nam si solis Apostolis (inquit August.) dixit, qui vos spernit, me spernit, spernite nos. Si autē sermo eius peruenit ad nos, & vocauit nos, & in eorū loco constituit nos, videte ne spernatis nos, ne ad illū perueniat iniuria quā nobis feceritis. Si enim nos nō timetis, timete illū qui dixit, qui vos spernit me spernit. Primores ergo & Ecclesiæ pastores non spernendi, sed audiendi: non reijciendi, sed obediendi sunt. Obedite (inquit Paul.) præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim peruigilant, quasi rationē pro animabus vestris reddituri: vt cum gaudio hoc faciāt & non gementes: hoc enim non expedit vobis. Vnde Greg. obedire, inquit, præcipimur: nō discutere vitā præsidentiū:

Ionæ. 1.

Isai. 33.

Prælati obediēdi & nō spernendi.

De verbis Dni, serm. 24.

Heb. 13.

Gregor.

A quos qui spernit, Deū spernit. Sæpè nāque aliquid à maioribus dissimulatione agitur, vel præcipitur, quod à subditis error putatur. Quod benè bobus calcitrantibus illa inclinata arca testamenti præsignauit: quā quia casurā credens leuites erigere volens (secundū Iosephum Oza nō erat sacerdos) mox diuinā vltionē excepit. Quid est enim Ecclesiæ pastor niū arca testamēti, in qua virga est: lex, & manna? Hæc gestata à bobus lasciuientibus inclinatur: quia nō raro is qui B bene præest: dum subditorū confusione concutitur: sicut de vtero legimus Rebeccæ: ad dispensationis condescensionem ex dilectione permouetur: iuxta illud: propter duritiam vestram concesit vobis Moyses dare libellū repudij, sicq; quod condescensio est: ab imperitis casus putatur. Qui ergo quasi adiuuās manum extendit: vitam illico perdit. Hinc & Dauid statim à corde suo percutitur cū oram clam percidit vestis Saul Christi Dñi. ¶ Suscepimus (inquit Aug.) onus quod nec executere possumus nec debe C mus: iubemur loqui, & tacere non possumus. Super custodiam vestram stamus. Abac. 2. & recedit sæpè somnus ab oculis nostris. Obedite igitur vos: vt cū gaudio hoc faciamus. Quando facimus ista cū gaudio? Quādo videmus oues in verbis nostris proficere. Quis enim non eligeret tacere, nec reddere rationem de vobis? Quando ergo laborat agricola in agro cum gaudio? Quādo videt in arbore fructū: & in arca prospicit vbertatē: non sine causa laborauit: dorsum curua D uit: manus attriuit: frigus & caumata tolerauit. Obedite igitur ijs qui præsunt: quoniā & si quod docent non faciūt: nō inde sunt contemnendi. Sicut enim Dominus asinam loqui fecit: & per Balaam benedictiones spirituales populo suo largitus est: multo magis per sacerdotes fideles, etiam si praui sint. Obediamus ergo illis, vt cum gaudio hoc faciant, & nō gementes. Hoc enim nō expedit nobis, vt Paul. ait: Gemunt enim tristāturque maximè, ob rebellionē & inobediētiā nostrā. Sic gemebat Paul. quando dicebat: filioli mei, quos iterum parturio, donec

2. Reg. 6. Figura.

Heb. 9.

Gen. 25.

Matt. 19.

2. Re. 24.

D. Aug.

Abac. 2. Gen. 31.

Simile.

Num. 22. Figura.

Heb. 13.

Gal. 4.

bolicæ vicinius appropinquat: quia quisquis bonum se habere singulariter gaudet, quisquis videri sublimior cæteris quærit, illum videlicet imitatur, qui despecto bono societatis angelorum, sedem suam ad Aquilonem ponens, & altissimi similitudinem superbè appetens, per iniquum desiderium quasi ad quodam culmen conatus est singularitatis erumpere. Hæc Gregor. 23. mo. c. 7.

Greg. 23. mo. c. 7.

¶Hoc ergo exemplo edocemur, vt à iactantiæ & arrogantiæ vitio fugiamus, si à cælestibus sedibus deijci nolumus. Nõ te extollas (inquit sapiens) in cogitatione animæ tuæ, velut taurus, ne forte elidatur virtus tua per stultitiã & folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquaris velut lignum aridum in eremo. Arrogans enim omnis, amens est, & rationis expers, alios præ se contemnẽs: & sicut taurus impetens illos suorum verborum iactantia: quo fit vt virtus eius, hoc est, subtilitas ingenij eius, elidatur per stultitiam elationis: quæ profecto & folia verborum & fructus operũ suorum perdit: relinquitque illũ velut lignum aridum sine virore dilectionis.

Eccl. 6. Arrogantia fugienda.

Gloss.

¶Prorumpit enim arrogans aliquando in contumelias aliorum, iactando se ipsum: vt Pharisæus ille superius memoratus, iactatque se aliquando, proferendo aliquid, quod contra Dei gloriam sit: vt rex ille Tyri, de quo Ezechiel Propheta olim aiebat. Eleuatum est cor tuũ & dixisti: Deus ego sum. Tantum ergo scelus vitemus. ¶Illud saltẽ intelligẽtes, quod nihil magis pacẽ inter homines potest, aut solet turbare, quàm hoc arrogantiæ & iactantiæ vitium. Quid enim queso in sublimibus olim pacem Dei turbauit, nisi Satanæ arrogãtia? Idcirco Satanas iste sub nominibus (inquit Rupert.) arguitur hominum, qui terram turbauerunt, videlicet sub Assur, Pharaonis, Regisque Tyri, & Nabuchodonosor Regis Babylonis, diciturque illi. Nunquid iste est vir, qui conturbauit terram, qui concussit regna, qui posuit orbem desertum, & vrbes eius destruxit? Item. Tu enim terram dispersisti, tu populum occidisti, & cætera huiusmodi. Alioquin si non secũdum horum similitudinẽ de ipso est intendendũ, quæ ita turbauerit Angelos per semetipsum, sicut turbauit gentes per talium superbias hominum, tyrannidem in populos arripientium, vt quid nominibus & rebus gestis denotatur illorum? non ergo dubium, quin iam tunc propter illum motæ fuerint virtutes cœlorũ, quæ & vltimo iudicio cõtra eum mouẽdæ sunt. Motus ille quantus fuerit vt tãdem rueret ille de cœlo proiectus, ipse qui proiecit illum Deus, Dei verbũ, breuiter innuit dicẽs. Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem. Quo modo cadit fulgur? Vtique motis atq; collisis nubibus tanto cum fragore, id est, tonitru, vt concuti machina cæli, & terra tremere videatur. Tũc fulgur excussum breui lucet, statimque disparet. Itaque dum dicit, sicut fulgur, mirandũ innuit motum virtutum cælestium, magnũq; prælium angelorum Michaele principe contra illum, magnũque super hæc omnia verbi omnipotentis, quod ipse est, tonitrum: ad excutiendum illum, vt de cælo caderet cum vana luce sua, protinus extinctus est miser, eoque proiecto, serenitas pacis cælo rediret. Notum est cur ita taliter illius Satanæ mentionem fecerit, videlicet propter gaudium incõsultum discipulorum. 72. quos ipse miserat, quique reuersi, Domine (inquiũt) & etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo. Idcirco tale illis obiecit vt cauerent exemplum, ne & ipsi per vanã gloriam seducti exciderent, & abirent retrorsum. Hæc Rupertus. Non ergo nos in hoc vitio, quo pax Dei turbatur, incidamus: si de cælo tanquam fulgura præcipitari nolumus. Si virtutibus & ingenio & scientia alios præstas, ne superbiaris, ne iactes te ipsum, & tunc exultaberis. Vnde Chrysostomus. Si vis, inquit, sublime ostendere virtutis, noli sapere sublime, & tunc illud, quod egeris, esse monstrabis excelsius. Noli te putare quicquam fecisse, cum feceris, & plenissime cuncta fecisti. Hæc ille. Multi sunt viri præstantes, & religione pollentes, qui hoc morbo sacro laborant. Qui ideo sacer morbus ab antiquis appel-

Ezec. 28.

Arrogantia in cælis, & in terra pacẽ semper perturbauit. Rupert.

Isai. 14.

Ruper. lib. 1. de vict. v. Dei. c. 22.

Chrys. super Matt.

Hiraclitus arrogantiam sacrũ morbum vocabat.

appellabâtur, vel quod id mali summos plerúq; viros consequi soleat, vel quod sola mors remedium adferat. ¶ *Videbam Satanam, sicut fulgur de cælo cadentē.* His verbis docere voluit Christus, se nō solum hominem esse: verumetiam verbum patris ab æterno fuisse. Quod his verbis explicat Rupertus. Simulq; hæc dicens, antiquitatem suam paucis credulo auditori suauiter insinuat verbis. Quam enim antiquus est, qui illud videbat? Nimirum secundum hominem qui videbatur, cum hæc diceret, paulo plus quàm triginta annorum erat. Porro longé ante triginta annos, imò ante omnes annos: & ante creationē solis, cuius circuitus annum efficit, Satanas ille cecidit. Igitur qui illud videbat, longé ante suæ carnis annos erat. Et verum est, nam in principio verbum erat, in principio verbum Deus ipse erat. Sed & hoc attendendum, quia nec ita dixit, vidi Satanā, sed videbam, ait, Satanam de cælo cadētem. Recte quidem dixisset, & verum esset dixisse, vidi: sed videbam verbum imperfecti temporis, quamuis præteriti, plus continet, & maiorē sensum importat auri bene audienti. Denique vidi Satanam de cælo cadentem, dicere posset Michael quoque, & quiuis alius angelorum, quibus vtique videntibus ille cecidit, nec solum videntibus, verumetiam cum illo præliantibus. At vero nullius eorum est dicere, videbam, sed tantum vidi cadentem. Hic solus est, qui non solummodo tunc vidit cadentem dum caderet, sed etiam videbat cadentem antequā caderet, sed & antequā idē formaretur, aut fieret. Fiebat nāq; per ipsum, sicut & omnia per ipsum facta sunt, nec poterat Deus verbū ignorare, quid de illo esset futurum, præsertim cū ipsum, sit verbum quod homines facit Prophetas, id est præscios futurorum. Hoc planè sciendum & confitendum, quia dum fieret ille angelus, dum formaretur ille lapis magnus, & præpararentur foramina eius, sicut in eum per Prophetam dicitur. Aurum opus decoris tui, & foramina tua in die qua conditus es, præparata sunt. Cum, inquam, præpararentur foramina eius, videbat verbum Deus, quòd in eisdem foraminibus ligaturas auri nō esset recepturus lapis rebellis & durissimus. Hoc vt manifestius dictum sit, dū ingenio, intellectu, memoria, plenaque & perfecta rationalitate magnificè insigniretur, videbat verbū Deus, quòd creatoris sui dilectionem, qua ad illū solum deberet astringi, nullo modo esset recepturus. Melius ergo & magnificentius videbam, ait, cadentem, subauditur, etiam antequam caderet. Nam angelorū quoque posset quiuis dicere, vidi cadētem, & subaudiretur, dum caderet. Ad summum, & illud inferre liber, quia solus ille videbat, securus sui. Angeli autē viderūt in magno terrore positi. Sic enim ad B. Iob ait ipse Dñs. Cum sublatus fuerit, timebunt angeli, & territi purgabuntur. Hæc Rupertus. ¶ *Videbam Satanā.* In Scriptura sacra quare diabolus sic vocetur, & quare in hoc loco etiā vocetur Satanas, docet idē Rupertus his verbis. Rectè inquit, diabolus vocatꝰ est. Quod vocabulum primus edidit per scripturā Dauid, loquens in spiritu. Constitue super eum peccatorē & diabolus stet à dextris eius. Diabolus nāq; Hebraicè deorsum fluens, siue clausus ergastulo interpretatur. Porro vocabulū Satanas, quod interpretatur aduersarius, cuius propter causam nominis cecidit, & factus est diabolus antiquior, scriptura libri Iob primitus edidit. Quodā (inquit) die cum venissent filij Dei, vt adsisterent corā Dño, adfuit inter eos etiā Satā. Ex quo superbire cæpit, ex eo Satan est. s. Dei aduersarius, & ex quo propter eandē superbiā proiectus cecidit, ex eo dicitur & est diabolus. Tunc namq; deorsum fluxit, & ergastulo clausus est, quia videlicet in grāde chaos cecidit, lōgè à sublimitate Dei, & quasi in ergastulo tenetur, dum in aere depressus impossibile sētit esse, vt rursus ascēdat illuc vnde cecidit. Imo futurū esse nō ignorat, vt adhuc inferius præcipitetur, tradaturq; inferno inferiori, seq; adhoc in die iudicij reseruari. Nec verò loco tātūmodo deorsum fluxit, sed etiā intentione semper deorsum fluit. Sēper enim vilissima quæq; appetit, tā vilis

Marginalia: His verbis insinuat Christus se esse Deum. — Ioan. 1. — Ezec. 28. — A — B — C — D — Iob. 41. — Rup. lib. 1. de vict. v. c. 23. — Quare vocetur diabolus & satanas. Docet Rupertus. — Psal. 108. — Iob. 1.

vilis nunc nebulo quàm gloriosus Archangelus primùm extitit. Quod perpēdat qui potest, ex eo quod in Scriptura sacra spiritus immundus vocari consueuit. Græcè quoque diabolus idem sonat quod & Latinè criminator, siue accusator, & hic sensus veraciter illi congruit duplici causa. Nam & omne crimen suū refert semper, & ab initio retulit in Deū; sese iustum, Deum verò audens dicere iniustum, & fictis criminibus innocentiam accusat electorum. Vnde & in Apocalypsi angelica voce dicitur. Proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri, die ac nocte. Hæc Rupertus.

Apoc. 12.

De vict. v. lib. 5. c. 26

¶ *Videbam Satanam, sicut fulgur de cælo cadentem.* Multi peccati fructus annumerantur à sanctis. Sed inter alios, hic vnus assignatur, quod statim sequatur pœna, licet non sentiatur semper. Peccauit Adam & statim descendit Dominus, vt illum è paradyso eijceret. Peccauit Cain & statim eiecit illū Dn̄s à facie sua. Vnde antequam occidisset fratrē suū dixerat illi Dn̄s. Cur concidit facies tua nonne si bene egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatum tuū aderit? Vbi peccatū pro pœna peccati vsurpatur. Id est, sin autem malè, pūnitio in foribus præsto est. Peccauit Lucifer in cælo & illi statim affuit Dn̄s vt iudex. Videbam, inquit, Satanam, sicut fulgur de cælo cadētem. Caueamus igitur à peccato, cū sciamus imminere punitionē, atque Dei iudiciū peccantibus: quod si iam peccauimus resipiscamus, condignamque pœnam de nobis ipsis sumamus statim: nam etiā si peccatum occultum sit, nisi continuo doleamus, erumpet in magnum malum. ¶ *Videbā Satanam sicut fulgur de cælo cadentem.* Cum angelus ceciderit, priusquam Adā & Eua formarentur, quærendū videtur, cur Moyses mandauerit literis hominis casum, angeli autem ruinā tacuerit. Ratio esse videtur, quia cum hominis peccatum esset delendum, hominumq; genus Christi morte restaurandum, peccatum autem angelorum non esset dimittendum, voluit vir sanctus illud solū re-

Peccato sua pœna præsto adest.

Genes. 3.

Gen. 4.

quare Moyses non meminit ruinæ Satanæ.

A cēsere, quod erat curandū: vt nobis ostēderet non esse necesse ex professo ea scelera narrare, quæ incurabilia & inexpiabilia videntur. ¶ *Videbam Satanam.* q. dicat (vt volunt aliqui) sciebam cum misi vos ad prædicandum Euangeliū meū ruituras esse vires Satanæ. Aliter superius nos exposuimus. Quanuis, scilicet, miracula ædatis multa cauete ab insolētia, ne sicut Lucifer à sede cæli depellamini: quem ego videbam cadentē. Hæc est stella illa de qua Ioa. Apoc. c. 8. ait: & B cecidit de cælo stella magna ardēs, sicut facula. Quem locum de diabolo imprimis expositū inuenies in Comment. nostris super Apocalypsin.

¶ *Sicut fulgur de cælo cadentem.* Satanam eiusque sectatores angelos in cælo cōditos fuisse docet hic locus: docet itē & affirmat consensus Christianorū asserentium Satanam cęterosq; angelos malos è cælo decidisse. Docet etiam Isaias. c. 14. Qui illum in spiritu prospiciens dicebat. Quomodo cecidisti de cælo Lucifer qui mane oriebaris. ¶ An vero in C cælo empyreo conditi fuerint incertū est. Strabus, & Beda, & sentētiarū Magister, in ea sententia sunt vt existiment: eos in hoc cælo fuisse creatos. Sic enim ait strabus in illa verba Genes. c. 1. in principio creauit Deus cęlum & terram, cælū non visibile firmamentum hic appellat: sed empyreum, id est, igneum, vel intellectuale, quod non ab ardore, sed ab splendore dicitur. Quod statim factum, angelis est repletū. Hoc idē docet Beda, quē refert, & cuius sententiā sequitur Magister. 2. d. 2. ¶ Sed ab hac secunda regula D excludēdi sunt motores orbiū, qui apud suos, quo moturi erant orbes producti, atque creati sunt. Motus enim cæli statim à principio incępit: si ergo producti sunt motores orbiū, inde fit consequēs, quod non cælo empyreo, sed iuxta suos orbes conditi fuerint, quos statim mouere debuerāt. ¶ Imo etiā existimo. Nullū esse incommodum asseuerare, quod superiores angeli habentes virtutem eleuatam & vniuersalē supra omnia corpora, in supremo creaturarū corpore fuerint conditi: alij verò virtute & natura

Vbi Satanas creatus est.

Isai. 14.

Strabus Beda Magister.

2. dist. 2.

inferiores, in inferioribus corporibus, hoc est, in superiori parte aeris. Vt Aug. existimauit. 3. super Genes. ad literam. Lege Doctorem sanctum. 1. p. q. 61. art. 4. ad. 2.

1. p. q. 61. ar. 4. ad. 1.

¶ *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit.* Olim post diluuium dixit Dominus Noe & filijs eius: sit terror vester super omnia animalia terræ. Quo verbo priuilegium primo homini concessum renouauit, & confirmauit, nempe dominium super omnia animantia. Maxime tamen hæc promissio, peracto diluuio peccatorum & tenebrarum, & facta pace per Christum cum Deo, in Ecclesiæ fidelibus impletur, quibus dicitur hodie. Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes. Et alibi: serpentes tollent; & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Hinc Paulo nihil nocuit vipera quæ manum ipsius momorderat. Hãc securitatem fidelium Isaias etiam prædixit cum diceret. Habitabit lupus cũ agno. Non nocebunt neque occident in vniuerso monte sancto meo. ¶ Adde his: quod Dominus dedit potestatem suis super spirituales serpentes & scorpiones: superque omnem virtutem Satanæ. De quibus, ait Dauid Christo, atque vnicuique suorum discipulorum: super aspidẽ & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Hoc idem erat, quod olim minatus fuit Dominus serpẽti dicens: ipsa conteret caput tuum. Per caput serpentis, potentiam, potestatem, & omnẽ vim intelligimus diaboli. Hoc igitur verbo nihil aliud vult, quàm diabolum aliquando à muliere & semine eius, id est, à Christo atque Apostolis & fidelibus eius conculcãdum. Atq; adeò hoc verbo homini promittit auxilium cõtra hostem suum. Dat enim Dominus filijs suis, vt possint draconem & basiliscum conculcare. Vt in hoc loco vides. Ecce inquit dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, &c. Ingens igitur consolatio nobis hoc verbo datur, quid enim magis consolatur, quàm cognoscere Deum benè nobis velle: & dare virtutem vt hostem vincamus. Ecce impletũ vides, quod olim Isaias prædixerat. cap. 11. Delectabitur inquit, infans ab vbere super foramen aspidis, & in cauernam reguli qui ablactatus fuerit manum suã mittet. Infans (inquit Hieron.) qui malitia paruulus est, mittet manum in foramine aspidis, & de obsessis hominũ corporibus fugat dæmones. Qui autẽ ablactatus est, & nequaquam lacte nutritur infantiæ, sed iam solido vescitur cibo: iste in reguli cauernam mittet manum, hoc est, in ipsius Satanæ habitaculum, & inde eum extrahit. Vnde & Apostolis in hoc loco potestas data est, vt calcarent super serpentes & scorpiones, & super omnem fortitudinem inimici. Nocere autem & occidere nequaquam poterũt venenata prius animalia eos qui habitauerint in monte sancto Dei, quod interpretatur Ecclesia: de quo in Euangelio dicitur: non potest ciuitas abscondi super montem posita. Ac ne hoc putemus dici de monte Sion, iuxta Hebræorum errorem, sequenti versiculo euangelicæ prædicationis sacramenta monstrãtur. Quia repleta est terra sciẽtia Domini. Hæc D. Hiero.

Gen. 9. Potestas super omnia animãtia data est & primo homini olim & à Christo suis fidelibus.

Marc. 16.

Acto. 28.

Isai. 11.

Potestas calcandi serpentes spiritualesdata est à Christo fidelibus.

Psalm. 90.

Genes. 3.

Locus Isaiæ. 11. exponitur.

D. Hie. in Isai. c. 11.

Matth. 5.

¶ *Gaudete & exultate quoniam nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Aduerte: quod nominatim scribi in aliqua magna republica summæ dignitatis habetur. Ita constat apud Romanos in vsu fuisse: vbi electissimi viri, patres conscripti dicebantur. Quorum nomina erant conscripta, tanquam reipublicæ gubernatores. Et ciuem scribi Romanum, hoc est, ciuitate donari magno pretio emebatur inter Romanos. Vt patet Acto. 22. vbi tribunus dixit Paulo, ego multa summa hanc ciuilitatem consequutus sum. Paulus vero ait se natum ciuem Romanum, quoniam eius pater eam ciuilitatem emerat. Sic cõscribi in ciuitate Dei maximi honoris & dignitatis est. Vt in hoc loco insinuat Dominus dicens: gaudete & exultate, quoniã nomina vestra scripta sunt in cælis. Sed notandum hic etiam: duas esse ciuitates in quibus scribuntur ciues: ciuitas Dei & ciuitas Babylonis. Ciuitas quidem Dei fundata est in

Act. 22.

Aug libro 14. de ciu.

in amore Dei, vsque ad cōtemptum sui. Ex amore enim Dei omnes oriuntur virtutes, iuxta illud, 1. Cor. 13. Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, nō facit perperam. Ciuitas Babylonis fundata est in amore inordinato sui, vsque ad contemptum Dei. Ex quo amore omnia vitiorum genera dimanant: iuxta illud. 2. ad Timot. 3. Erunt homines se ipsos amantes. Et addit vitia, quæ inde sequūtur: cupidi, elati, & singula vitia sunt tanquam vici & angiportus ciuitatis Babylonis: Sicut virtutes omnes sunt vici ciuitatis Dei. Gaudeant igitur fideles & iusti omnes qui patres conscripti nominantur, quando eorum nomina scripta sunt in ciuitate Dei. *Gaudete autē quod nomina vestra scripta sunt in cælis.* Non vult Dominus suos gloriari, quod spiritus subijciantur illis: cum fiant ista etiam per reprobos: sed de hoc gaudere vult, quod nomina illorum scripta sint in cælis, id est, quod prædestinati sint, & ad gloriam præordinati. Liber vitæ est Dei præscientia, & prædestinatio, qua Deus electos ad salutem ab æterno venturos cognouit, ac ut peruenirent prædestinauit. Hos, quos Christus dicit scriptos esse in cælis; dixit Isaias scriptos esse in vita in Hierusalem. Vbi aspicis Hierusalē accipi pro cælis: & Ecclesia triumphante. Notus est hic liber ex diuinis literis, vbi sunt scripta nomina sanctorum. Hic est liber ille, secundum aliquos, de quo dicebat Moyses: si non dimittis populo noxam hanc, dele me de libro, quē scripsisti. De eo dicitur in Psalmo: deleantur de libro viuentium, & cum iustis nō scribantur. Et apud Danielem: Saluabitur populus tuus, omnis qui inuentus fuerit scriptus in libro. Et in Apoc. non intrabunt in eam, nisi qui scripti fuerint in libro vitæ agni. Et fortasse de hoc libro intelligitur id, quod Christus inductus à Propheta dicit in Psalmo: in capite libri scriptum est de me. ¶ Reproborū verò nomina in terra scripta sunt, quemadmodum ait Ieremias: recedentes à te in terra scribentur. Id fortasis voluit significare Christus quando Scribis & Pharisæis, mulierem in adulterio deprehensam adducentibus, vt ipsum tentarent, in terra scribebat, significans eos nō esse in cælis scriptos cum iustis, sed in terra cum impijs. ¶ Fœlices profectò illi, terq; quaterque beati, qui in hoc libro vitæ scripti sunt: meritò tales maximas gratias Deo agere quotidie debent, pro tā admirabili tam grādiq; beneficio. Quales suo, atque illorum nomine agebat Paulus ad Ephes. scribens in hunc modum. Benedictus, inquit, Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in Christo: sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem: vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum, per Iesum Christū, in ipsum. Hoc idem Dei munus cœlesteque beneficiū extollere, ac verbis efferre volens regius vates, olim aiebat Psalmo. 64. Beatus, quem elegisti, & absumpsisti. Habitabit in atrijs tuis. ¶ Hoc ergo, iure optimo appellari ab omnibus potest beneficium beneficiorum, atque gratia gratiarum. Gratia inquam gratiarū, quod nullis præcedentibus meritis & obsequijs, sed sola Dei gratuita liberalitate ac magnificentia hominibus conceditur. Beneficium, inquam, beneficiorum, non solū quod cæteris omnibus Dei muneribus maius ac præstātius hoc beneficium sit: sed quod omnium aliorum sit causa, sit fons, & origo. Quemadmodum idē Dominus apud Ieremiam id asseuerat, atq; testatur inquiens. In charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te miserans. Id est, ad gratiam & amicitiam meam te vocaui: qua consequi perpetuam gloriā æternamque fœlicitatem posses. Sed clarioribus, atque expressioribus verbis, hoc idem D. Paulus in Epistola ad Romanos significauit dicens. Quos prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui: vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit, hos, & vocauit, & quos vocauit: hos & iustificauit, quos autē iustificauit: illos & glorificauit. Quod si huius causam, atque rationem quæras: facilè illam tibi reddemus. Deus enim cum omnia gubernet, diuinaque sua

Marginalia: 1. Cor. 13. — 2. Tim. 3. — De quo vult Dns, vt fideles gloriētur. — Liber vitæ est diuina prædestinatio & præscientia. — Isai. 4. — Exod. 32. — Psalm. 68. — Dan. 12. — Apoc. 21. — Psalm. 39. — Fœlices qui in libro vitæ sunt scripti. — Ephes. 1. Pro beneficio prædestinationis maximas Deo gratias agere debemus. — Psalm. 64. — Prædestinatio est omniū maximum beneficium. — Iere. 31. — Rom. 10.

sua prouidentia regat, disponatque prudétissimus gubernator omnia suauiter: postquam aliquem ad gloriam fœlicitatemque suam eligere destinauit, curat illi de necessarijs ad finem hûc consequédum prouidere. Quemadmodum enim prudens prouidusque pater, qui destinauit filium ad sacerdotium, aut ad militiam, aut iuris peritiam, curat diligenter ab infantia illum, vel in rebus sacris, aut exercitio militari, aut literario occupare: sic prudentissimus ęternusque pater, postquam aliquem nostrum ad beatitudinem destinauit: contendit illum per viam iustitiæ (quæ in finem optatũ perducit) dirigere atque manuducere: ne suo fine & desiderio frustretur. Pro hoc ergo tam inæstimabili beneficio, dies noctesque gratias referre Domino debent, qui in se tanti muneris signa habere persentiunt. Pro hoc, inquã, veré gaudere debent: Quemadmodum admonet in hoc loco Christus. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subijciuntur: gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cælis. ¶Itaq; liber hic, qui nomina electorum continet, in ea domo est, in qua mãsiones multæ sunt. Scripta sunt autem nõ aureis literis: quomodo nomina illorum centũ patrum conscriptorum, qui olim erant apud Romanos: sed scripta sunt spiritu Dei viui: quam scripturam nulla delebit obliuio: quoniam in memoria æterna erunt iusti. Propter quod gaudere in hoc loco docet Dominus: & D. Paul. ad Philip. cap. 4. postquam enim præmiserat: etiam rogo & te germane compar, adiuua illas quæ mecum laborauerunt in Euangelio cum Clemente, & cæteris coadiutoribus meis: quorum nomina sunt in libro vitæ. Addit: gaudete in Domino semper iterum dico gaudete. Quasi diceret: proinde gaudete in Domino semper (quia iam leua eius sub capite vestro) & iterum dico gaudete (quia dextera illius amplexabitur vos) non pro eo quod vobis spiritus subijciuntur: sed quod nomina vestra scripta sunt in cælis. Gaudete, quia vocati estis ad palmã æternæ retributionis nunc dormientes ad pedes Booz: inde collocãdi inter spõsi amplexus. Quod si non addidisset, in Domino: impossibile videbatur semper gaudere: quandiu homo natus de muliere: breui victurus est tempore: multis replendus interim miserijs. At gaudium de conscientia optima: gaudium de spe vitæ æternæ nobis inuitis nemo tollet à nobis.

De libro vitæ lege S. Tho. 1. p. q. 24.

Ioan. 14.

Psal. 111.

Philip. 4.

Can. 1.

Ruth. 3.

Iob. 14.

Ioan. 16.

In communi martyrum, & in festo Beati Francisci, & D. Matthiæ.

IN ipsa hora exultauit in Spiritu sancto, & dixit: Confiteor tibi pater, Domine cæli & terræ, quod abscõdisti hæc à sapientibus & prudentibus et reuelasti ea paruulis. Etiam pater: quoniã sic placuit ante te. Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Et nemo scit quis sit filius nisi pater: & quis sit pater nisi filius, et cui voluerit filius reuelare.

Matt. 11.

IN *ipsa hora exultauit in Spiritu sancto*. Superiora loquutus Dominus mox cæpit exultare Spiritu sancto, ac de successu Euangelij patri gratias agere, nos interim instruens exemplo suo, vt si quid fæliciter cesserit nobis conantibus, exultemus non humano affectu, sed gaudio spirituali: non nobis arrogãtes vllam glorię portionem, sed gaudentes illustrari gloriam Dei, gaudentes de profectu proximi: gaudentes defecisse Satanam qui in mundo præualebat. ¶De hac spirituali piorum lætitia atque de

Qualis esse debeat letitia iustorum, atque prædicatorum.

Isai.29. de causa eius, prædixerat olim Isaias in hunc modum. Audient in die illa surdi verba libri, & de tenebris & caligine oculi cæcorum videbunt. Et addent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in sancto Israel exultabunt, quoniam defecit qui præualebat, consummatus est illusor. Et succisi sunt omnes, qui vigilabant super iniquitatem, qui peccare faciebant homines in verbo, & arguentem in porta supplantabant: ecce Apostoli atque discipuli Domini mites & pauperes missi sunt ad prædicandum Euangelium, quo apertæ sunt aures surdorum, & oculi cæcorũ illuminati: qui modo gaudent & exultãt in Spiritu sancto, exemplo Christi: quod defecerit fortis Satanas: quod vires suorum, in nomine Christi confractæ fuerint: quod ille singularis illusor consummatus fuerit & subiectus: quod succisi fuerint falce euãgelij homines nefarij, qui moribus pestilentibus alios incitabant ad vitia sectanda: iudicemque decipiebant. ¶ De hac eadem Apostolorum, atque discipulorũ alacritate, atque causa eius, idem vates ait cap. 9. Lætabũtur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta prǽda. Iugum enim oneris eius superasti. Quibus verbis prædicit vates Apostolorum gloriam & lętitiam, ob admirabilem victoriam de dæmone reportatam. Cũ fideles inquit, fuerint de vniuerso orbe congregati, exultabunt Apostoli sicut messores congregata messe, de qua superius Dominus: messis quidem multa operarij autem pauci. Et animaduerte. Non dicit, lætabuntur coram mũdo, sed coram te, nam hic afflictionibus opprimuntur iusti, & coram mundo abiecti & calamitosi videntur, & corã Domino incredibili voluptate & gaudio afficiuntur de animarum profectu, de illustratione gloriæ Domini, & de victoria reportata de Satana. Exẽplo Christi magistri sui instructi, qui de successu prædicationis suorum exultauit Spiritu sancto: gratiasque patri egit. Quod vt significaret vates ait: sicut exultant victores capta præda. Prędam appellat homines, quos Apostoli à dæmonis potestate eripuerant. Et vt explicaret huius gaudij vltimam causam cõcludit. Iugum enim oneris eius superasti, id est, diaboli: qui prius exultabat in mundo, & grauissimo seruitutis iugo omnium colla premebat. ¶ Eidem collegio Apostolico idem vates alloquens ait: triturabis montes & comminues, & colles quasi puluerem pones. Ventilabis eos, & ventus tollet eos: & tu exultabis in Domino, & in sancto Israel lætaberis. Quibus verbis, vt Hieron. vult, significat Propheta, quod prædicatio Euangelica conterat aduersarias potestates, & spiritualem nequitiã eleuantem se contra scientiam Dei, quæ pro varietate superbiæ, montes appellãtur & colles. Item Paulus aliquis aũt Petrus, hoc est, vir Ecclesiasticus & Apostolicus turbabit & cõminuet & quasi puluerẽ ponet, hoc est, penitus euertet mõtes, & colles, hoc est superbos quosque. Euertet, inquam, magno ipsorum bono (est enim non comminatio, sed beneficij significatio) vt deposita superbia suscipiant Euangelium Christi in mansuetudine: pro qua re exultabũt in Domino. Quod hodie adimpletum vides. Exultauit in Spiritu sancto Christus: exultauerunt in illo discipuli ab illo edocti ob successum Euangelij. ¶ *Exultauit in Spiritu sancto.* Exultant & gaudẽt pij, exultant & gaudent impij. At illi, in Spiritu sancto: hi verò, in mundi vanitatibus. Discrimen est tamẽ quod gaudium piorum perpetuum est: semper gaudete. Inquit Paulus. Nam memores sunt viri iusti, quod diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, siue prospera, siue aduersa: quare semper gaudent in Domino. Quorum lætitia in præsenti vita inchoata, in perpetuum erit duratura. At impij ducunt in bonis dies suos, & tamen in puncto ad infernum descendũt, perpetuas pœnas ibi daturi: perpetuas lachrymas effusuri. Meritò Iob gaudiũ eorum puncto comparauit dicens. Gaudium hypocritæ ad instar puncti. In pũcto enim (inquit Gregor.) stylus mox vt ponitur, leuatur, nec mora vlla agitur, vt per exprimendam lineam trahatur. Gaudium itaque hypocritæ ad similitudinem

Marginalia: Exponitur locus. — Isai. 9. — Explicatur locus. — Isai. 41. — D. Hiero. — Discrimẽ inter gaudiũ iustorum & impiorum. — 1. Thes. 5. — Iob. 11. — Iob. 20. Exponitur locus.

dinem puncti est, quia apparet ad momentum; sed disparet in perpetuum, & sicut stylus in puncto, dum ponitur leuatur, sic hypocrita præsentis vitæ gaudia dum tangit, amittit. Hæc ille. Gaudium ergo hypocritæ ad instar puncti, inquit Iob. Si ascenderit vsque ad cælum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, (constitutus scilicet in magna aliqua dignitate) quasi sterquiliniū in fine perdetur: & qui eum viderant, dicent: vbi est? Velut somnium auolans non inuenietur: transiet sicut visio nocturna. Vos ergo iusti exultate in Domino: & gaudete in illo semper: nam gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Extrema enim huius gaudij non luctus, sed gaudium occupabit sempiternum.

D. Grego. li. 15. mo. c. 2.
Iob. c. 20.
Psalm. 32.
Phil. 4.
Prou. 14.

¶ *Confiteor tibi pater.* Hebraismus est iste, pro laudo te pater. Vel gratias ago tibi pater. Sic Psalm. 9. Confitebor tibi Domine in toto corde meo, id est, celebrabo, & laudabo te Domine, & Psalm. 110. Confitebor tibi Domine in toto corde meo in consilio iustorum, id est, eucham te Domine laudibus coram publico rectorum cætu. 2. Paral. 20. Confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia eius, id est, celebrate Domino, vel laudem & gloriam date Domino. Sic passim in Psalmis vsurpatur. Cōfiteri pro laudare. Quod vt clarius explicaret Salomō ait Eccles. 51. Confitebor tibi Domine rex & collaudabo te. Et Daniel. 2. Tibi cōfiteor, teque laudo: Deus patrum nostrorū. ¶ *Confiteor tibi pater; quod abscondisti hac à sapientibus.* Id est, laudo (inquit) te pater, atque gratias ago, quod hæc tam sublimia mysteria celaueris eos, qui iuxta mundum, atq; iuxta suam sententiam, sapientes habentur ac prudentes. ¶ Hi sunt sapientes illi, de quibus olim Propheta dicebat, væ qui sapiētes estis in oculis vestris. Tales erāt Scribæ & Pharisæi, qui prudentiam & sapientiam sibi arrogabant: & mundi sapientia, atque legis peritia instructos se esse existimantes, erant vera sapiētia priuati. De his ait Apostolus atque de alijs huiusmodi. Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Hi Christum contemnētes indigni fuerunt, vt à Christo instruerentur de mysterijs cælestibus. Ac proinde infœlices. Cum scriptum sit; beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eū. Infœlices, inquā, cum eam ob causam, omnes Iudæi infideles, suorum maiorum sectatores, vsq; ad hanc diem in erroribus apertissimis versentur: & mala pro bonis amplectantur. Vt nostris oculis adimpletum videamus, quod olim Isaias prædixerat de illis dicens. Peribit enim sapientia à sapiētibus eius, hoc est, Iudæi nullam habebunt veram scientiam, nec verum scripturarum intellectum, qualem habuerāt Apostoli, atque alij fideles ab illis edocti. Vbi illud animaduerte, non dicit peribit sapientia à sapientibus, sed à sapientibus eius, vt significet istorum Pharisęorum, atque populi Iudaici scientiā perdendam esse. Verum est tamen, quod D. Paulus hunc locum citat in Epistola. 1. ad Cor. in hunc modū: scriptum est: perdam sapientiam sapientium & prudentiam prudentium reprobabo: secutus nimirum non Hebraicā veritatem, sed septuaginta. Hoc tamen sensu: quasi dicatur futurum, vt sapientia Pharisaica confundatur. Pharisęi visi sunt hactenus præ cæteris sapere, futurum est, vt eorū sapientia reprobetur. Quo in loco sapiētia eodem modo accipitur, quo mandata & doctrinæ hominum. Et quod Isaias de pharisaica sapientia dixit, Paulus etiā ad Græcorum sapientiam retulit: & sapientiam huius mundi, ibi vocat sapientiam stoicam & platonicam. Hanc sapiētiam dicit esse vanam, quia nullum poterat bonum efficere, nec præstare fœlicitatem illam, quam docet Euangelium: & quæ in solo Christo crucifixo posita est. De his ergo sapientibus vanis loquēs Dominus ait: Confiteor tibi pater Domine rex cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus. Ab his abstulit Deus veram sapientiam, quę Christum docet: cæteraque arcana cælestia: & contulit idiotis hominibus. Et profecto grande miraculū ædidit Deus in populo illo, secundum consequentia textus Isaiæ; vt vno eodemque tempore,

Confiteri quid in sacra Scriptura.
Psal. 9. & 110.
2. Par. 20.
Eccles. 51.
Dan. 2.
Isai. 5.
Abstulit Dñs mysteria sua Iudæis qui sapientiā, & prudentiam sibi arrogabāt
Rom. 1.
Psalm. 93.
Isai. 29.
1. Cor. 1.
V. D. Hieron. Isai. 29.

re, & arderet templum Hierusalem: & omnis magistrorum scientia tolleretur: vt non inueniant quem quotidie in lege sua indefesso ore perlegunt: sed clausit Dominus oculos eorum: siue oculos suos & prophetarum suorum, per quos videre solebant. Facti sunt similes construentibus arcam Noe: ipsi vero perierunt: ostenso alijs vitæ fonte: quoniam ipsi prius clauserunt oculos: & velauerunt faciem Christi ne viderent eũ, aut viderentur ab eo. Hæc dicta sint quantum attinet ad Iudæos sapientes in semetipsis à quibus abstulit Deus ob illorum arrogantiam & superbiam veram sapientiam, veramque suorum arcanorũ cognitionem, & dedit illam humilibus & ignorantibus, vt inferius dicemus.

Gen. 7. figura.

Luc. 22.

§ *Confiteor tibi pater, quia abscondisti hæc à sapientibus.* Minime mirandũ est, quod noluerit Dominus huius mundi sapientibus suam sapientiam infundere, neque mysteria sua propalare. Nam mundi sapientia & Dei sapientia maxime inter se differunt: atque inuicem aduersari non desinunt: neque vsque ad seculi finem desistent. Sapientia, inquam, diuina, quam Deus paruulis ac humilibus confert, hoc maxime differt à sapiẽtia seculi (inquit Rupertus) quod illa peruertit, ac destruit, hæc autem rectum tenet, atque custodit in homine ordinẽ primæ conditionis. Recolit enim hæc, imo nunquã obliuiscitur, quod illa scire, vel reminisci dedignatur, scilicet, quod dixerit Deus: faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostrã, vt præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs, omnique reptili. Ac deinceps, eadem scriptura referente, formauit hominem de limo terræ. Hæc ista recolens semperque memoria tenens, ita seruat eundem conditionis ordinem, vt animam sursum subleuet ad imaginem Dei, corpus verò humiliet in terram, cuius de limo Deus illud formauit. Quatenus Deo spiritus hominis subditus sit, corpus vero spiritui. E contrà seculi huius sapientia, sic eundem ordinem peruertit, vt inflatum sensum hominis faciat immemorẽ Dei, corpus autẽ in ma-

Mundi sapientia & Dei sapiẽtia maxime differunt sibique aduersantur semper. Rupert.

Genes. 2.

A gno habeat, seu facultates corporis, qualia sunt diuitiæ, principatus, & claritudo generis, sicque Deo rebellis spiritus hominis, spiritui verò dominetur vilior portio carnis. Ab hac parte iudicium rationis, nec Philosophos huius mundi sernit dicentes enim se esse sapiẽtes, stulti facti sunt. Etenim seruierunt creaturæ, potiusquàm creatori. Vnde & tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, vt contumelijs afficerent corpora sua in semetipsis. Illa ergo B sapientia multo peruerso ordine quasi manibus ambulans, pedes sursum attollit, & caput per terram trahit. Hæc autẽ recte incedens, pedibus terram premit, facie cælo intendit. Tam diuersis imo contrarijs vultibus nunquam pax aut concordia conuenire potuit, sed semper inuicem aduersantur, & aduersari non desinent, vsque in finem seculi. Est autẽ summa illius iactantia, pares homines etiam cum iniuria potuisse supergredi, summa huius laus, subueniendo paribus C aut etiam minoribus, iniuriam non solũ non facere, verumetiam æquanimiter pati. Summum vtriusque certamen, in passione Christi filij Dei sic vniuerso spectatum est orbi, vt tam nobiliter nusquã hæc Dei sapientia per patientiam vicerit, nusquam tam ignobiliter sapientia seculi stulta conuicta sit. Hæc Rupert. Si igitur Dei sapientia & seculi sapientia inter sese tam cõtrariæ sunt, quid mirum, quod Deus pater & rex cæli & terræ, voluerit, sapientiam suam, atq; suorum mysteriorum cognitionem, à seculi sapientibus absconderet. Cum non idonei, imo indigni sint tanti muneris atq; D beneficij. At simplicibus, & ijs, qui à seculi vana sapientia sunt auulsi, reuelat Deus mysteria sua: quod apti atque idonei sunt, vt illa imbuantur atquẽ instruãtur. Hinc est quod Isaias ait. c. 28. quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus. Quasi diceret: paruulis non mundi sapiẽtibus reuelabit Dominus sua diuina mysteria, sicut enim paruuli idonei sunt, vt paulatim doceantur à magistris, sic homines humiles, & simplices

Rom. 1.

Nota.

Rupertus lib. 1. de ope. Spiritus sancti. c 2.

Isai. 28.

plices apti sunt, vt à Deo instruantur, & erudiantur. Nihil enim contrarium, nihil aduersum inuenit Doctor Deus in animis eorum, quale in mundi sapientibus inueniri solet. ¶ Non igitur glorietur sapiens, iam inter nos à paruulis, hoc est, ab Apostolis illuminatus, in sapientia sua: nec fortis in fortitudine sua: nec diues in diuitijs suis: sed in hoc glorietur: qui gloriatur: scire & nosse Deum. Nam neque iurisperitia, neque aliqua rerum naturalium cognitio, beare hominem potest: sed diuina sapientia. Vnde Salomon in Prouerbijs ait. Beatus homo qui inuenit sapiētiam, & qui affluit prudentia. Melior est acquisitio eius negotiatione auri & argenti: primi & purissimi. Pretiosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur: huic non valent comparari. Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius diuitiæ & gloriæ. Si ergo humana sapientia non beatum, imo potius superbum, & arrogantem, indignumque cælestibus arcanis reddere solet, nō est quare in illa gloriemur: sed in vera atque à Deo, nobis, prædicatione paruulorum, prædicata reuelataque sapientia, quæ fœlices facit. Ob hanc enim nobis detectam, gratias maximas Christus Dominus patri suo agit dicens: confiteor tibi pater.

Ierem. 9.

Prou. 3.

¶ *Et reuelasti ea paruulis.* Id est, detexisti ea humilibus, idiotis, ac iuxta mundi iudicium imprudētibus. Humiles & idiotas, paruulos vocat Christus. Hos docuit suam sapientiam: his detexit sua mysteria, reiectis elatis sapientibus. Volens per humilitatem euehere homines ad veram sublimitatem, & per imbecillitatem vincere mundi potentiam. Hoc est, quod etiam D. Paul. ait in priori Epistola ad Cor. c. 1. quæ stulta sunt mundi elegit Deus: vt confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ea quæ non sunt (id est, quę nihili habentur) vt ea quæ sunt destrueret (id est, vt quæ mūdi habentur in pretio) destrueret. Elegit enim Deus illiteratos piscatores ad munus & negotium Euangelicum, vt confunderet sapientes & prudentes illos, de quibus Baruc. c. 3.

Qui vocentur in hoc loco paruuli & quare his voluerit Deus detegere sua mysteria.

1. Cor. 1. Exponitur locus.

Baruc. 3.

A ait. Filij Agar exquisierūt prudentiam, quæ de terra est. Prudentiam & sapientiam inquam, quæ nō est de sursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica, vt Iacob ait. Elegit similiter homines imbecillos & plebeios: in quorum typum dicitur. 3. lib. Regum. c. 20. Ego tradē eos in manu tua, per pedissequos principum prouinciarum. Et in Prouerbijs. c. 9. Sapientia misit ancillas, vt vocarent ad arcem. Hos ergo elegit vt sua prædicationis vi confunderet huius mūdi potentes. Secundum illud quod prę-

Iaco. 3.

3. Re. 20.

Prou. 9.

B dixerat Isaias incuruabitur omnis sublimitas hominum & humiliabitur altitudo virorum. Denique elegit homines nihili habitos, vt quos mundus in pretio habet destrueret. Sic etiam prophetarat idem vates. c. 23. Dominus exercituum cogitauit hoc, vt detraheret superbiam omnis gloriæ, & ad ignominiam deduceret omnes inclytos terræ. Reliquus (inquit) est paruulus & pascit oues. Mitte (inquit Samuel) & adduc eum. Paruulus erat Dauid inter fratres suos septem

Isai. 2.

Isai. 23.

1. Re. 16. Figura.

C videlicet, & tamen illis à Deo reiectis, electus est, vt pasceret gregem Domini: vt interficeret gigātem: vt illi Deus sua arcana detegeret: incerta inquit & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Paruulus ergo ille imaginem gerebat vniuscuiusque Apostolorum, atque discipulorum Domini, qui abiecti & humiles erant, & iuxta mundi opinionem ignorantes, & tamē reiectis sapientibus & potentibus & diuitibus huius seculi, eos in pastores suæ Ecclesiæ elegit: eis dedit potestatem super omnem vim inimici: eis

Psal. 50.

D detexit occulta sapientiæ suæ. Hoc idem significatum nobis etiam fuit in Amalechitę seruo: quem Dominus eius, lassatum reliquit in via. Hunc Dauid cibo reficit: ducem sui itineris facit: hostē persequitur: epulantem reperit: funditus interimit, & cum præda ad sua reuertitur. Is ergo, qui Amalechitam sequi non valuit, refectus cibo, dux Dauid efficitur: quia is quem indignum mundus deseruit, non solum conuersus Domino hospitium præparat: sed etiā etiā vsque ad aliena corda deducit iuxta illud: in idu-

D. Greg. Figura.

idumæam extendam calceamentũ meũ: mihi alienigenæ amici facti sunt. Stulti igitur electi sunt, & imbecilles: sed indu ti virtute ex alto, natura adamantis indu cti sunt. Hi sunt qui in admirationé fa cti sunt. Videntes (inquit Lucas) princi pes sacerdotum, & sapientes illius popu li, Petri constantiam, & Ioannis: comper to quod homines essent sine literis, & idiotæ, admirabantur. Et merito quidé. Nam quid imbecillius Petro: qui ad vnã ancillæ vocem timuit? Et tamen tanta post, Dei fortitudine indutus est, vt ce sus vires principum comprimeret.

Psal. 107. Acto. 4. Matt. 26.

Quid infirmius fœmina? Ipsa tamen sa pientes omnes Maxentij ad palmã mar tyrij perduxit. Isti sunt paruuli illi qui vocantur sal terræ: per quod ostendit Dominus omnium hominum infatuatã esse naturam: vnde electi sunt, vt in orbé missi, sale sapientiæ suæ omnem mundũ respergerent: ne de cætero ea quæ car nis sunt, saperent. Isti sunt vasa illa noua atque recentia in quibus ad sanandas aquas misit Elisæus sal. Isti luminaria sunt mundi, & cæli per quos cælorũ fa bricator intonuit: quo tronituo omnis mundus tremuit. Ea propter agit Domi nus immensas, atque ingentes Deo gra tias dicens, confiteor tibi pater.

Matth. 5. 4. Reg. 2.

¶ *Ita pater. vere*, aduerbium est confir mantis. Sané pater. Subaudi, sic fecisti, *Quia sic placitum est ante te.* Græcé: Quia sic fuit bona voluntas coram te. ¶ *Ita pater, quia sic placitum est ante te.* Sic profecto factũ est pater, quia sic pla cuit æterno tuo consilio. Hoc est, quod D. Paul. ait in priori illa Epist. ad Cor. cap. illo primo superius allegato. Nam, quia in Dei sapientia non cognouit mũ dus per sapientiam Deum: placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos face re credentes. Quasi diceret Paulus: quia mundi sapientes non cognouerunt Deũ in Dei sapientia: hoc est, per ea quæ sa pientissimé fecerat: non cognouerunt, inquam, Deũ, per ea quæ facta sunt: per hoc pulcherrimum mundi spectaculum summa conditum sapientia: non cogno uerunt causam in suo effectu: ideo pla cuit ei per stultos (mundi, scilicet, iudi-

1. Cor. 1. Explicatur locus. Glo. inter

A cio) prædicatores: & per prædicationé, quæ iuxta mundi iudicium stulta existi matur: saluos facere credentes. ¶ Huius rei causam inferius addit Paulus dicens. Vt non glorietur omnis caro in conspe ctu eius. Vt, scilicet, nullus homo glorie tur, & existimet se vocatum vel ob scien tiam, vel ob natalium claritatem, vel for titudinem, vel existimationem, & autho ritatem. Præterea, si per mundi sapiétes, potentes atque diuites, Deus mundum a principio ad se traxisset, existimarent hi, ob suam sapientiam, potentiam, atq; diuitias, homines fuisse conuersos. Ne ergo homo aliquis gloriaretur, placuit Deo per idiotas & contemptibiles atq; abiectos homines, quibus sua mysteria detexit: seruare mundum. Verum est ta men, quod ne aliquibus videretur non esse à Deo, humanarum rerum sapientiã, & prudentiam, potentiam, ac dignitaté, & si à principio placuit illi per paruulos hoc est, idiotas, & ignobiles, mundum il lustrare: post veró, plures singulari inge nio, eruditione, dicendi vi, rerum ac ver borum copia multa præditos, elegit ad munus prædicationis. Vt enim ait Glos sa. Nisi fideliter præcederet piscator, nõ humiliter sequeretur orator. ¶ Adde his, quod ideó placuit Deo à principio per paruulos mundum illuminare quod ad gloriam maximã & ad laudem Dei per tineret per homines humiles, & nihili habitos, homines sublimes & illustres ad se trahere. ¶ *Ita pater, quia sic placitum est ante te.* Nemo ergo discutiat (inquit Gregorius) cur stante Iudaico populo, dudum in infidelitate gentilitas iacuit, & cur ad fidem gentilitate surgente, Iu daicum populum infidelitatis culpa pro strauit. Nemo discutiat cur alius traha tur ex dono, alius repellatur ex merito. Si enim gentilitatem miraris assumptã, ipso concedente pacem, quis est qui cõ demnet? Si Iudæam obstupescis perdi tam, ex quo absconderit vultum suum, quis est qui contempletur eum? Itaque consilium summæ & occultæ virtutis, satisfactio sit apertæ rationis. Vnde, & in Euangelio hoc Dominus cum de hu ius rei causa loqueretur, ait: Confiteor tibi

B C D

Causa qua re placuit Deo per paruulos mundum ad se trahere.

Gloss.

Temere discutitur quare hũc Deus trahat, illum repellat, cum de bene placito eius ratio non reddatur.

tibi pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita pater. Atque mox tanquam rationem quandam absconsionis ac reuelationis adiungens, ait: quia sic fuit placitum ante te. Quibus nimirum verbis exempla humilitatis accipimus, ne temere discutere superna consilia de aliorũ vocatione, aliorum verò repulsione præsumamus. Cũ enim intulisset vtrumque non mox rationem reddidit, sed sic Deo placitum dixit: Hoc videlicet ostendens, quia iniustum esse non potest quod placuit iusto. Vnde & in vinea laborantibus mercedem reddẽs, cum quosdam operarios inæquales in opere, æquaret in prẽmio, & plus in mercede quæreret, qui labori amplius insudasset, ait: nonne ex denario conuenisti mecum? Volo autem & huic nouissimo dare, sicut & tibi, an nõ licet mihi quod volo facere? In cunctis ergo quæ exterius disponuntur, aperta causa rationis est occultæ iustitia voluntatis, vnde Iob ait. Ipso enim concedente pacem, quis est qui condemnet? Ex quo absconderit vultum suum, quis est qui contempletur eum? Hæc Gregor. Non enim condidit Deus hominem, vt facta sua examinaret: sed vt illum tanquam Dominum suum maximo honore prosequeretur. Non illum condidit vt suorum operum esset iudex, sed vt seruus perpetuus eius esset. Domini enim est seruo prouidere, at serui est, non examinare Domini sui opera: sed fideliter ministrare. Psalm. 149. Beneplacitum est Domino in populo suo, & exaltauit mãsuetos in salutem. Quare ergo hunc trahat, illum non trahat, noli iudicare si nõ vis errare. Sed dices mihi: quid adhuc conqueritur. Volũtati eius quis resistit? O homo tu quis es, qui respõdeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorẽ, aliud verò in contumeliam? Vt Paulus ait. Rom. 9.

Matt. 20.

D. Greg. 25. mo. c. 17.

Psal. 149.

Rom. 9.

¶ *Omnia mihi tradita sunt à patre meo.* q. d. nulla est authoritas quam mihi non tradiderit pater, ne quid timeatis mundum, scientes vos habere potẽtem Dominum. Hoc idẽ erat quod olim monebat Isaias. c. 8. Apostolorum choro cæterisque fidelibus alloquens. Timorem eius ne timeatis, neque paueatis, Dominum exercituum ipsum sanctificate, ipse pauor vester, ipse terror vester: & vt intelligeremus quem vocaret Dominum exercituum, ait D. Petrus in priori sua Epistola. c. 3. Timorem autem eorum ne timueritis & non conturbemini. Dominum Christum sanctificate. Quasi diceret: Dominus Christus est Dominus ille exercituum, Dominus fortis & potens cui omnis authoritas tradita est à patre, quare non est cur mundum timeatis. Et cap. 41. Ne timeas, quia ego tecum sum, ne declines, quia ego Deus tuus. Cõfortaui te & auxiliatus sum tibi, & suscepit te dextera iusti mei. Ecce confundentur & erubescent omnes, qui pugnãt aduersum te. Erunt quasi nõ sint, & peribunt viri qui contradicunt tibi. Noli timere vermis Iacob: ego auxiliator sum tui. Ego posui te quasi plaustrum triturans nouum, habens rostra serrantia. Vbi per Iacob intelligit chorum Apostolorum aliorumque fidelium, quos appellat vermes, sicut in hoc loco appellauit paruulos, quia erant in hoc mundo abiecti & contempti, magistrum suum imitantes, qui de se ipso dicit in Psalmo: ego sum vermis & non homo opprobrium hominum, & abiectio plebis: quem Psalmum intelligi de Christo Euangelistæ testantur. Hunc etiam Apostolorum senatum atque primitiuam Ecclesiam fecit Deus plaustrum nouum & dentatum ad triturandam mundi superbiam, & elatos ac potentes homines superandos & humiliandos, & ad fidei horreum ducendos. Hos ergo monet, & hortatur ne timeãt; cum Dominum qui cum illis est, habeãt tam potentem, vt data sit ei à patre omnis authoritas omnisque potestas: qua potest suos ab omni mundi potestate & vi, ac tyrannide eripere. Vnde, & in. c. 43. ait. Noli timere, quia redemi te. Meus es tu. Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te. Cũ ambu-

Non est quare iusti timeãt mundum scientes habere dominum potentem. Isai. 8.

1. Pet. 3.

Isai. 41.

Exponitur locus.

Psalm. 21.

Isai. 43.

Isai. 43. ambulaueris in igne, nō cōbureris, & flāma non ardebit in te, quia ego saluator tuus. Si ergo tu iustus, & pius es, & fiducialiter agis, nō timeas mundi mala: sed dicito cum regio vate non timebo mala quoniā tu mecū es: tu, inquam, mecū es, cui omnia tradita sunt a patre. Si verò peccator es, time nō mundū solū, sed Dominū tuū tā potentē: qui potest animam tuā mittere in gehennam ignis. Quis te non timebit ó rex gentium, &c.

Psalm. 22.

Hiere. 10.

¶*Nemo scit quis sit filius nisi pater: & quis sit pater nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Nō solū hoc ineffabile generationis diuinæ mysteriū, atq; diuinarū personarū arcanū, nullus & si sapientissimus in mūdo sit, suo ingenio scire, atque cognoscere potest: sed neq; alia nostræ fidei arcana, nisi illi à Christo Dño detecta fuerint. Hoc erat quod aiebat olim Isai. c. 29. & erit vobis visio omniū, sicut verba libri signati, quem cum dederit scienti literas, dicet: lege istum, & respondebit: non possum, signatus est enim & dabitur liber nescienti literas, diceturq; ei, lege, & respondebit: nescio literas. Nullus ergo siue sapiens siue ignarus, scire potest, quis sit filius, aut quis sit pater, aut intelligere alia fidei nostræ secreta: nisi hoc sit illis datum desuper. Librū enim mysteriorū Dei solus Christus aperire potest. Sic enim ait D. Ioannes in Apoc. quis est dignus aperire librum & soluere signacula eius? Et nemo poterat nec in cælo, nec in terra, nec subtus terrā, aperire librū, nec videre eū. Et vnus de senioribus dixit mihi: ne fleueris, ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum & soluere septem signacula eius. Et paulo post inquit: leonem, illū librū aperuisse. Leo de tribu Iuda, ipse est Christus Iesus Dñs & Deus noster, qui, (vt ait noster Euangelista) aperuit discipulis sensum vt intelligerēt scripturas, & ipse eas aperuit earūq; sensum doctoribus Catholicis & sanctis reserauit. Hic est liber de quo filius Dei dicit in Psalmo: in capite libri scriptū est de me, hoc est, in summa totius sacræ Scripturæ. Hūc librū dicit Ezechiel scriptū esse intus & foris, propter duos sensus literalē & spiritualē, quod etiā (vt inquit Nazianzenus) fuit designatū in tabulis legis ex vtraq; parte conscriptis. Mysteria ergo cælestia diuinarū personarū, atque omnia alia, quę fides nostra docet, nemo scire posset nisi Christus reuelasset, & aperuisset, siue ore tenus, siue scripto.

Nullum fidei mysteriū humanā ratione demonstrari pōt sed per reuelationē Iesu Christi cognoscitur.

Isai. 29.

Apoc. 5.

Luc. 24.

Psalm. 39.

Ezech. 2.

Nazianz.

¶Cæterum addit D. Matthæus dixisse Christū post prędicta, hęc quę sequūtur.

Matth. c. 11.

¶*Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Atlantē Mauritanę regem fingebant antiqui, humeris cælum sustinuisse: quod cum iam esset fessus, nec ferre posset tantū pōdus; adijsse Herculē fertur, qui, vt Atlas refocillaretur tantisper, cælum suis humeris succūbente pondeti Atlante libenter sustinuit. Reuera omnes tā pij quā impij, tā iusti quā peccatores, Atlātes sunt: omnes laborāt, omnes mundū suis humeris portant: omnes sunt onerati. Iusti ergo & virtute præstātes onerati sunt pōdere afflictionū, tētationū atque ęrumnarū: si ergo lassati estis, ne pōderi succūbatis, venite ad Christū, verū Herculē & ipse recreabit vos: ipse suis humeris pondus vestrum imponet: iacta inquit Dauid cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem iusto. Lege quæ circa hoc annotauimus Matth. cap. 11. ¶Impij verò pōdere maximo peccatorū onerati sunt. Peccatum enim tantum onus, tamq; graue est, vt nullum in hac mortali vita maius excogitari possit. Aliàs enim non dixisset Isaias. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate. Neq; Zacharias plūbi talento peccatum comparasset dicens: ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier vna sedens in medio amphoræ, & dixit: hæc est impietas. Neque rex ille Dauid pondere peccatorū grauatus plorando dixisset: iniquitates meæ supergressæ sunt caput meū, & sicut onus graue grauatę sunt super me: & paulo post. Miser factus sum & curuatus sum, vsque in finem. Et alio loco exclamauit propheta: filij hominum vsque quo graui corde. Vt enim nauigia nimis onusta pondere premuntur, & naufragium faciunt: sic animi nostri peccatorum pondere succumbunt, & in medijs fluctibus corruunt: priusque in ipso cur-

Omnes tā iusti quam peccatores onere premūtur, & ideo egent Christo summe.

Iusti onerē afflictionum præmuntur.

Psalm. 54.

Impii onere peccatorum grauantur.

Isai. 1.
Zach. 5.

Psalm. 37.

Psalm. 4.

Simile.

obr[r]u[u]ntur, quàm portum conspicere potuerunt. De cuius pondere illud etiam intelligitur, quod in hunc modũ Dominus per Ieremiam ait. Ne portetis onus & ne inferatis per portas Hierusalem in die sabbati. Hierosolymæ portæ sensus nostri sunt: per quos in ciuitatem regiam, hoc est, in animam nostram ad imaginẽ Dei factã sarcinas grauissimas ferimus, cum deliberatè peccatis assentimus. Impij ergo omnes qui tanto peccatorũ onere laboratis, qui Atlantes estis, qui mundũ humeris imparẽ sustinetis: venite ad Christum verũ Herculẽ, & ipse portabit peccata vestra in humeris suis super lignũ: ipse est enim qui labores nostros libenter feret, & dolores nostros libenter sustinebit. Stat enim sententia venite ad me oẽs qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiã vos. ¶ Vẽdite peccatores Christo onus hoc peccatorũ, & ipse vobis maxima cõferet beneficia. Suscipietis enim de manu Dñi duplicia, pro omnibus peccatis vestris: vt Isaias testatur, suscepisse fideles omnes, ad Dñm per pœnitentiã cõuersos. Suscipietis, inquã, duplicia. s. beneficia: hoc est, gratiam & gloriam. Suscipietis duplicia: hoc est, innumera beneficia: nẽpe liberationem à peccato, completionẽ malitiæ & iniquitatis, gratiã, gloriã, aliaq; charismatum dona: pro omnibus peccatis vestris: hoc est non obstantibus omnibus peccatis vestris, quoniam ab ipsis redimemini.

Ierem 17. Figura.

1. Pet. 2.

Isai. 40. Exponitur locus.

Numerus finitus pro infinito.

¶ *Discite à me quia mitis sum.* Mitis propriè dicitur lenis, clemẽs, mansuetus. Cuius contrariũ est immitis, hoc est, asper, sæuus, crudelis. Discamus igitur à Christo Dño mites & mansuetos esse: quod si fecerimus cedemus improbitatibus, non resistemus in malo, sed vincemus in bono malũ quod mansuetorũ est. Non nos rancor & ira afficiet, sed omnia ęquanimiter sustinebimus: nõ irritabimus neque irritabimur, nõ nocere, nec dãnificare cogitabimus: quod propriũ est mitiũ. Sũt (inquit Bern.) quidã mites, sed quãdiu nihil dicitur vel agitur, nisi pro eorũ arbitrio. Patebit autẽ quã lõgè sunt à vera mansuetudine, si leuis oriatur occasio. Verã ergo & omnibus numeris absolutã, Christi mansuetudinem discamus.

Addit. D. Matth. c. 11.

August. de S. D. in monte.

D. Hie. in gl. Matt. 5.

Bern. sup. Cant.

A ¶ Ad quã sectandã innumera sunt, quæ nos incitare possunt. Incitat natura ipsa, quæ hominẽ, animal nõ ferox, nõ immite, sed masuetũ fecit: vt eius exterior species ostendit. Incitat exemplar hominis qui Deus est: cuius mãsuetudo & benignitas tanta est, vt verbis explicari minime possit. Fac (inquiunt. 3. pueri) nobiscũ iuxta mansuetudinẽ tuã. Incitat Christus Dñs, cuius peculiare ornamentũ mãsuetudo fuit. Propter veritatẽ, inquit Dauid, & mãsuetudinẽ & iustitiã deducet te mirabiliter dextera tua. Hoc ergo ornamẽto decorari voluit suos, Dñs: ideo in hoc loco ait: discite à me, quia mitis sum, & c. Et D. Paul. in ea quæ ad Ephes. scribit Epist. c. 4. obsecro vos, inquit, vt digne ambuletis, vocatione qua vocati estis: cũ omni humilitate & mansuetudine. Incitat etiã, huius virtutis vis, quæ tãta est, vt animũ hominis defendat ab omniũ hostiũ incursu. Est enim antemurale quodã animæ, leniter excipiens lapides conuitiorũ. Et quẽadmodũ vasa aliqua vitrea, fœno inuoluta conseruantur, minimeq; frãgũtur: sic hominis anima mãsuetudine & lenitate prædita, conseruatur, ne ab inimicorũ ira confringatur.

B

C

Multa sũt quæ nos ad mansuetudinẽ excitant.

Dan. 3.

Psalm 44.

Ephes. 4.

Simile.

Simile.

¶ Quod si hæc nõ satis sunt, vt te ad mansuetudinis virtutẽ trahant, audi quæ sequũtur. Mansuetudo enim, hominis animum gaudio & lætitia inenarrabili implet. Mãsueti inquit Psalmista, hæreditabũt terrã & delectabũtur in multitudine pacis. Est enim mãsuetudo veluti mollissima culcitra in lectulo conscię floribus & lilijs referto, quo animus cũ Deo suo requiescit. Est lectulus ille de quo spõsa in canticis ait. Lectulus noster floridus. ¶ Mansuetudo, proximorũ gratiã acquirit. Fili, in mãsuetudine opera tua perfice, & super gloriam hominũ diligeris. Et alibi ait Dñs: vt adamantẽ & silicẽ dedi faciẽ tuã. Quẽadmodũ enim adamas ferrũ ad se trahit vi quadã innata, sic mansuetudo corda hominũ. ¶ Hęc etiã virtus tãta est vt quicquid vellit, impetrare soleat à Deo. Iudith. 9. humiliũ & mansuetorum tibi placuit semper deprecatio. ¶ Tanta, inquã, est, vt digna sit Dei colloquio & allocutione. Loquebatur. n. dñs cum Moyse, qui mansuetissimus fuit, facie

D

Psalm.

Similitu.

Can. 1.

Eccles. 3.

Ezech. 3. Similitu.

Iudith. 9.

Exod. 33.

cie ad faciem, ficut homo loqui folet ad amicum fuum. ¶Digna eſt, vt qui illam habet, Deum patronum ac defenſorem habeat. Qualem habuit olim Moyſes ad uerſus Mariam ſororem ſuam: quam cũ audiſſet Dominus obmurmurantem ira tus eſt valde. Erat enim (inquit Scriptura) Moyſes mitiſſimus. Quapropter Maria apparuit candens lepra. ¶Denique hæc virtus tam potens eſt, vt in iudicio, pro tribunali Chriſto ſedente illam poſſidentem liberet à Dei ira, defendatque à diaboli accuſationibus, & calumnijs. Cum exurgeret (inquit rex Dauid) in iudiciũ Deus, vt ſaluos faceret omnes mãſuetos terræ. Et Iſaias: arguet in æquitate pro manſuetis terræ. Hanc ergo tam præclaram tamque inſignem virtutem, à Chriſto præceptore, alacri animo, magnaque auiditate diſcamus: ſi volumus cætera eius arcana, atque reliquas eius vias, ab illo audire. Sic enim Pſalmiſta ait: docebit mites vias ſuas. Et in hoc loco paruulis, hoc eſt manſuetis detegit myſteria ſua. Propterea dicit, diſcite à me quia mitis ſum. ¶*Diſcite à me, quia mitis ſum.* Tã mitis erat Chriſtus, vt merito de illo dici poſſet, quod ulim in Prouerbio erat: mitior columba. Quantum enim, etiam in diuinis literis, laudetur colũbinæ ſimplicitas & manſuetudo nõ ignoramus. Nã hoc eſt coluba in auibus quod ouis in quadrupedibus. Ipſa nulli animantiũ meditatur noxã, nec aliunde præſidium habet aduerſus miluios, quã à celeritate volandi. Meritò igitur Chriſtus Dñs colũbæ cõparatur: nã eius ſimplicitas atq; manſuetudo tanta fuit, vt colũbæ manſuetudinẽ ſuperarit. Quod vt pater ſignificaret, voluit, vt columbæ ſpecies ſuper illũ à baptiſmate lauacroque aſcendentẽ appareret. Pro illoque beata virgo offerret (quantũ coniectare licet) duos pullos colũbarũ. Nulli enim hominũ Chriſtus meditatus eſt nocumẽtũ aliquod, nulli damnũ machinatus: nõ contendet (inquit Iſaias de illo loquẽs) neq; clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocẽ eius, arundinẽ quaſſatã non confringet. & linũ fumigans non extinguet. Quibus verbis modeſtia, & colum

Num. 12. Pſalm. 75. Iſai. 11. Pſalm. 24. Matth. Chriſtus mitior columba. Matth. 3. Iſai. 42. Matt. 12.

A bina Chriſti manſuetudo, atq; humanitas, circa infirmos & imbecilles ſignificatur. Nõ regerebat cõuitia, nõ reprecabatur male precantibus: nõ referiebat ferientẽ. Totus ex patris nutu pendebat. Quod in ſe erat ſtudebat bene mereri de omnibus, nocere nemini. Hoc ergo ſolũ ſi ab illo didicerimus, ſentiemus cõſidere omnes mundi tumultus, quibus nũc ſine fine iactamur. Patiemuſq; quietẽ & tranquillitatem animis noſtris, quæ nos etiã in medijs malorũ circunfrementiũ B procellis comitabitur. Mitis ac manſuetus animus fons eſt omnis trãquillitatis humanæ: quare hunc fontẽ quæramus ſi rectẽ ſapimus: hũc petamus: atq; toto animi deſiderio inueſtigare curemus. Diſcamus à tanto præceptore hanc animi manſuetudinẽ & trãquillitatẽ: cuius tanta atq; tã magna eſt, vt iure optimo in eũ etiã dicatur hyperbole illa prouerbialis, (ſine hyperbole tamẽ) oleo tranquillior. Adeò leni minimeq; iracundo ingenio erat præditus. Eſt autem vſque C adeò trãquilla olei natura, vt mare quoque rẽ omniũ ſeuiſſimã trãquillet. Atq; ob id vrinantes, aiũt, oleũ ore ſpargere, quod mitiget elementi naturã aſperam, lucẽque deportet. Præterea nec motũ, aut percuſſum ſtrepit, quẽadmodum humores reliqui, nec luctatur cũ igni, ſed tacite paſcit. Hæc omnia inueniri in Chriſto Dño certo ſcimus. Tanta enim erat tranquillitas eius, vt mare ſeuiſſimũ tentationũ atq; perſecutionũ ſedare eſſet potẽs. Præterea nec iniurijs cõmouebatur, nec percuſus ſtrepebat: nec cũ furore incẽſo inimicorũ ſuorũ luctabatur, D ſed ſua animi lenitate vincebat, olei in morẽ. Ex Chriſto ergo diſcamus quę res ſola verẽq; trãquillet animũ, & quo fonte naſcatur totus iſte mortaliũ tumult9. Nimirũ hic eſt elatus ac ferox animus, ſibi fidens, Deo parum fidens. Hinc ſcatet ambitio, ſtudiũ pecunię, vindictę libido ſimultas, liuor, bella, ſeditiones, impietates in Deũ: quib9 rebus quid eſſe põt tumultuoſius, aut quid turbulẽtius? Quod ſi volumus ſemel ab omnibus mali liberari, fontem illorũ tollamus, accipiamus doctrinam Chriſti, imitemur vitã eius.

Chriſtus oleo tranquillior. Pli. lib. 2. & Plutarchus in li. de cauſis naturalib.

Discamus ab eo, quod mitis sit. ¶ *Discite à me, quia mitis sum et humilis corde.* Prima rudimenta quæ in schola Christi docentur sunt mãsuetudo & humilitas. De mansuetudine diximus: reliquũ est, vt de humilitate dicamus. ¶ Humilitas ergo (authore Bernardo) est virtus qua quis verissima sui ipsius cognitione, sibi vilescit. Hæc (authore D. Benedicto.) duodecim habet gradus in scala illa quã olim apparuit Iacob figuratos. Et quorũ typum gerunt stellæ illæ duodecim coronæ mulieris, quam D. Ioannes conspexit amictam sole, lunamque habentem sub pedibus suis. Hæc est, quæ docet hominem corde & corpore humiliari defixis in terram oculis: non esse facilem ad risum: vt paucis & sine clamore verbis loquatur: vt non interrogatus taceat: vt instituti sui opera & monita teneat: vt se omnibus viliorem credat, atque confiteatur: ad omnia munera indignum & inutilem se esse existimet: peccata sua cõfiteatur: pro obedientia si opus fuerit aspera & dura patienter ferat: cum obediẽtia maioribus se subdat: propriam volũtatem & appetitum implere non delectetur: Deum timeat memorque sit omnium mandatorum suorum. ¶ Hanc ergo tam præclaram admirabilemque virtutem Christus non sine maxima causa in hoc loco, atque vbique commendat. Quod per virtutem humilitatis, nostræ salutis obstaculum, atque impedimentum amoueatur. Impeditur enim homo ne cælestia cõsequatur animi elatione, atque terrenæ magnificentiæ immoderato appetitu: quare vt hunc obicẽ Christus Dominus ẽ medio auferret, externã celsitudinem contemnendam monstrauit per humilitatis exempla. Quo fit vt humilitas sit velut dispositio quædã necessaria qua liberẽ possimus accedere ad cælestia spiritualiaq; bona. ¶ Discamus igitur a Christo humiles esse corde si eius discipuli esse volumus: si regnũ cælorum ingredi: nisi conuersi fueritis (inquit ipse Magister) & efficiamini, sicut paruuli, id est, humiles non intrabitis in regnum cælorum. Sine humilitate enim nemini potest esse salus, vt Gratianus ait. de pœnit. d. 1. §. taciturnitas. Discamus à tanto magistro humilitatẽ: quam suo exẽplo semper docuit. Fuit enim in cõceptu suo minimus omniũ, vt docet Magist. 3. sent. d. §. paruulus (inquit Isaias) datus est nobis. De humili virgine nasci voluit. Humilẽ habuit domum quia diuersoriũ: humilẽ lectum quia præsæpium: humilem vestem, quia pannis est inuolutus humilibus. Per angelum natiuitatẽ suã annũtiauit pastoribus. Sacramenta humilitatis suscepit, hoc est, circuncisionẽ atque baptismũ. Parẽtibus humiliter fuit subditus. Paruulum amplexatur. Paruulos non vult prohiberi a discipulis ad se venire: quãdo prædicabat, aut docebat gloriam suã non quærere affirmabat: imo suã doctrinã non esse suã dicebat. Quando miracula ædebat hanc virtutem demonstrabat inquiẽs leproso: vide nemini dixeris. Et rogãtibus, vt sanaret surdũ & mutũ idẽ præcepit. Cẽsum soluere voluit: discipulorũ pedes lauit: traditorem osculo excepit: cũ Samaritana loquitur: ad pedes sibi sedente Maria de cælorum disputat regno: humiles piscatores elegit: denique humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad mortẽ, mortẽ autẽ crucis. ¶ Quod si necessitas, aut Christi perpetuũ humilitatis exemplũ nõ trahit nos ad hanc virtutẽ habendã, saltem cõmoditates innumeræ, quas secũ humilitas affert mouere nos, atq; conuincere debent. Humilitas enim Deo atq; hominibus redolet. Dũ esset rex in accubitu suo nardus mea (hoc est humilitas) dedit odorẽ suũ. Impetrat quæ vult a Deo, Respexit, inquit, in orationẽ humilium. Hominẽ ab omni culpa omniq; pœna liberum reddit. Humiliatus sum (ait Dauid) & liberauit me. Illũ in hac vita maxime exaltat. Nõne cũ esses paruulus in oculis tuis: caput in tribubus Israel constitui te? Moyses etiam humilis, factus est dux populi. Humilis Hieremias, qui dicebat a. a. a. Domine Deus, &c. Constitutus est super gentes & regna. Dauid minimus inter fratres vngitur in regẽ. Humilitas hominẽ ad gloriã inducit. Recũbe in nouissimo loco, &c. & tunc erit tibi gloria ait Christus. Dei angelorũq; conspe-

Marginal notes (left): D. Matth. c. 11. — Benedict. in regula. — Gene. 28. Figura. — Apoc. 12. — duodecim gradus humilitatis enarrãtur De quibus lege Bern. — Quare Christus tanto opere cõmendauit humilitatẽ. — Tria sunt quæ incitãt ad humilitatẽ. — Matth. 18. — Gratian.

Marginal notes (right): Exemplum Christi excitat ad humilitatẽ: Isai 9. Sup c 2. — Sup. c. 2. — Mar. 9. — Ioan. 8. — Matth. 8. — Mar. 7. — Matt. 21. — Ioa 13. — Matt. 26. — Ioa 4. — Luc. 10. — Matth. 4. — Philip. 2. — Fructus humilitatis excitãt ad hãc virtutẽ cõparandam. Can. 1. — Psal. 101. — Psal. 114. — 1. Reg. 15. — Hier. 1. — 1. Reg. 16. — Luc. 14.

Genes. 18. conspectu dignum facit. Abrahæ siquidem in valle mambre tres illi viri, id est, angeli apparuerunt. Sapienten reddit: Proue. 11. Vbi humilitas ibi est sapientia. Et in hoc loco gratias agit Christus patri, quod sua mysteria detexerit paruulis. Vnde egregie D. Grego. ait. Grego. in pastora. Pupilla oculi nigra videt. Albuginem patiés nihil videt: quia humanæ cogitationis sensus, dum se stultum peccatoremq; intelligit, cognitionem intimæ claritatis apprehendit. Si autem candorem sapientiæ, aut iustitiæ sibi attribuit, à luce se supernæ claritatis excludit: & eo claritatem veri luminis nequaquam penetrat, quò se apud se per arrogantiam exaltat. d. 49. hinc etenim paragrapho albuginé. Humilitas à laqueis tentationum liberat. Vnde Antonio exclamáti quis istos euadet laqueos? Quibus mundum viderat plenum: responsum est, sola humilitas. Nutrit humilitas dilectionem. Sicut enim cinis conseruat ignem (ait Chrysost.) ita humilitas D. Chris. dilectionem aliasque virtutes. Perijt omne quod agitur (inquit Greg.) si non caute in humilitate custodiatur. D. Grego. Figura. In cuius figuram, omnia vasa quæ ostédit, omnesque thesauros, Ezechias oratoribus regis Babylonis, asportauit & perdidit postea. Triúphat etiam hæc virtus de omnium hominum hoste. Est enim funda illa, qua, lapidibus Dauid Goliad perdidit. Figura. 1. Reg. 17. Si ergo tanta tam innumeraque bona ex illa sequuntur non est quare nó illam discamus: non illam amemus: nó illá summis precibus, plurimisq; lachrymis à Deo petamus.

D. Matt. ¶ *Iugum enim meum suaue est & onus meum leue.* Nó ergo est quod fideles metuant iugum Christi. Nam & si durú & graue videatur incredulis: tamen ijs qui toto pectore fidunt bonitati diuinę, qui conceperunt ignem charitatis Euangelicæ, molle & commodum est iugú eius, leuis est sarcina eius. Siquidem illud reddit suaue certa spes premiorum, hanc leuem efficit amor ineffabilis in Deum. Certa spes premiorú reddit iugum Christi suaue, amor in Deum reddit onus leue. Quid autem non dulce amanti, si mens bene sibi conscia, & omni solicitudine vacés, si certa fiducia de premijs ętern næ vitæ? Quid exorietur quod talé animum conturbet, aut commoueat? ¶ Sed

A nos miseri mundi, atque diaboli iugum grauissimum portantes grauia efficimus (inquit Chrysost.) quæ Christus leuia cóstituit: & quæ ille suauia promulgauit, D. Chrys. nos facimus amara peccádo. Quod si laboriosum aliquid esset in præceptis decenter & meritò virtútem labor comitaretur: præmia enim postposita sunt post laborem. Nunc verò infœlix anima, nec hanc quidem reuerentiam diuinis legibus dabit, vt sileat & quiescat, ne ad pręuaricationem laborádo perueniat, quáuis sint aliqua in quibus paululum laboris est adhibendum, in his dumtaxat, in B quibus Paulus dixit: nam quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum æternæ gloriæ pondus operatur in nobis. 2. Cor. 4. Vides ergo etiam quicquid in præsenti est, leue esse, etiam si tribulatio sit. Quo modo leue? Quia immensum pondus futuræ gloriæ leuem facit præsentis temporis tribulationé, etiam si sensibus nostris grauius videatur. Denique & ipse causas in consequentibus exponit, vt omne id dici leue debeat, quicquid passio præsen-C tis temporis intulerit. Ait enim non respicientibus nobis quæ vidétur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna sunt. Ibidem. Chrys. lib. 1. de compunct. cordis. ¶ Quanuis ergo ita sit quod omnis qui pie viuere volunt in Christo persecutionem patiantur: quáuis audiamus Apostolum dicere. 2. Tim. 3. 2. Cor. 6. In omnibus cómendantes nos metipsos tanquam Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, D in plagis, &c. Adhuc stat sententia quod iugum Christi suaue est pié in illo viuere volentibus: & sarcina mandatorum suorum leuis. Nam & si omnia illa, quæ Paulus commemorabat, multaque alia, quę alibi cómemorat, grauia & aspera videbantur: tamen aderat ei profectò (inquit Aug.) Spiritus sanctus, qui in exterioris hominis corruptione interiorem renouaret de die in diem, & gustata requie spirituali in affluentia delitiarum Dei, in spe beatitudinis futuræ omnia August. præsentia deliniret aspera, & omnia grauia releuaret. Ecce quám suaue iugú

Christi portabat, & quàm leuem sarcinam, & omnia illa quæ superius enumerata dura, & immania omnis auditor horrescit, leuem tribulationem diceret, intuens interioribus & fidelibus oculis, quanto pretio temporalium emenda sit futura vita, non pati æternos labores impiorum, & sine vlla solicitudine perfrui æterna fœlicitate iustorum. Secari & vri se homines patiuntur, vt dolores non æterni, sed aliquando diuturnioris vlceris acriorum dolorum pretio redimantur, in languida, & incerta vacationis breuissimę, atque vltima vita. Immanissimis bellis miles atteritur, pluribus fortasse annis in laboribus inquietus, quã in otio quieturus. Quibus tempestatibus & procellis, quàm horribili & tremendæ sæuitiæ cæli & maris importuni sunt mercatores, vt diuitias ventosas acquirant, maioribus quàm quibus acquisituri sunt periculis & tẽpestatibus plenas. Quos æstus, quæ frigora, quæ pericula, ab equis, à fossis, à præcipitijs, à fluminibus, à feris perferunt venatores, quem laborem esuriẽdi & sitiendi, quãtas vilissimi & sordissimi cibi & potus angustias, vt bestiam capiant, & interdum nec ipsius bestiæ carnes, propter quam hæc tanta festinent, epulis necessarias. Quanquam & si aper ceruusque capiatur, magis suaue sit venãtis animo, quia captus est, quam comedentis palato, quia coctus est. Quantis cruciatibus prope quotidianarum plagarum tenera puerorum ætas subditur? Quantis etiam scholis vigiliarum, & abstinentiæ molestijs exercentur. Non propter discendã sapientiam, sed propter opes honoresque vanitatis, vt numeros, & literas, & dissertas fallacias eloqui discant? Sed in his omnibus qui hæc non amant eadem grauia patiuntur. Qui verò amant, eadẽ quidem, sed non grauia pati videntur. Omnia enim sæua & immania, prorsus facilia, & propè nulla efficit amor. Quãto ergo certius ac facilius ad veram beatitudinem charitas facit, quod ad miseriam quantum potuit cupiditas fecit. Quàm facilè toleratur quælibet aduersitas temporalis, vt æterna pœna vitetur, æterna requies comparetur. Non immerito ille vas electionis cum ingenti lætitia dixit, non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriã quæ reuelabitur in nobis. Ecce vnde illud iugum suaue est & sarcina leuis. Et si angusta est paucis eligentibus, facilis tamen omnibus diligentibus. Dicit Psalmista. Propter verba labiorũ tuorũ ego custodiui vias duras. Sed quæ dura sunt laborantibus, eisdem ipsis mitescunt amantibus. Propter quod ita diuinę pietatis dispensatione actum est, vt interior homo qui renouatur de die in diem, nõ adhuc sub lege positus, sed iam sub gratia exoneratus sarcinis innumerabilium obseruationum, quod erat reuera graue iugũ sed duræ ceruici conuenienter impositum, facilitate simplicis fidei, & bonæ spei, & sanctæ charitatis, quicquid molestiarum exteriori homini forinsecus intulisset ille princeps qui missus est foras, interiori gaudio leue fieret. Nihil enim tam facile bonæ voluntati est, quã ipsa sibi, & hæc sufficit Deo. Quamlibet ergo sæuiat iste mundus verissimè angeli nato Domino clamauerunt, gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, quia qui natus erat suaue iugum est & sarcina leuis. Et sicut dicit Apostolus fidelis Deus qui nos non sinit tentari supra quod possumus ferre, sed facit cum tentatione exitum, vt possimus sustinere. Hæc Aug. ¶ Pij ergo & fideles, hæc omnia optime intelligẽtes, libenter se iugo suaui Christi subdere volunt: libenter & alacriter sarcinam legis eius leuem portant: libenter fiunt equitatus Domini. De quo ipse ait: equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea. Alebat AEgyptus olim equos pulcherrimos, qui Salomoni adducebantur, vt in curribus iungerẽtur. Habet ergo verus Salomõ equitatũ suũ spiritualem pulcherrimũ. De quo in. 4. lib. Regũ, ait Scriptura sacra: & aperuit Dominus oculos pueri & vidit. Et ecce mons plenus equitibus erat, & currus ignei in circuitu Helisæi, qui descenderant ad eum. Et in Propheta Abacuc manifeste legimus de equitatu Domi-

Marginalia: Simile. Simile. Simile. Simile. Simile. Simile. — Rom. 8. Psalm. 15. 2. Cor. 4. Supr. 2. D. Aug. serm. 9. de verb. Do. Iusti sunt equitatus Christi. Cant. 1. 4. Reg. Abacuc.

Domini, & quod ascendat equos suos. Nunquid in fluminibus (inquit) iratus es Dñe, aut in fluminibus furor tuus, aut in mari indignatio tua? Qui ascendes equos tuos & quadrigæ tuæ saluatio. Sunt ergo equi Domini (inquit Origenes) quibus ascendit & equitatus eius. Quos ego non alios esse puto, quã illas animas quæ frænum disciplinæ eius accipiunt, & iugum portãt suauitatis eius, & quæ spiritu Dei aguntur, & in hoc est eis salus. Hoc idem significare volens, idem Dominus ostendit Ioanni in Apocalypsi, equum album, & qui sedebat super eum vocabatur fidelis & verax. Ecclesia ergo Catholica equus iste est & albus dicitur, quod non habeat maculam, neque rugam, quam sibi ipse sanctificauit lauacro aquæ. Hoc ergo equo albo vehitur Christus, qui fortis & verax est, & verbum Dei appellatur. Beatæ profecto sunt illæ animæ quæ dorsum suum curuauerunt, vt suscipiant sessorem verbum Dei super se, & fræna eius patiuntur, vt quocunque ipse voluerit flectat eas, & agat habenis præceptorum suorum: quia iam non propria voluntate incedunt: sed ad omnia ducuntur, & reducuntur voluntate sessoris. Fœlix talis equitatus, pulchrior sane ac fortior diaboli equitatu. Fœlix, inquam, Ecclesia quæ ceruicem suam iugo Christi subiecit. De qua ait idem Salomõ: ceruix tua sicut redimicula. Quo in loco obedientia sponsæ ceruix appellatur. Ceruix ergo eius (inquit Origenes) speciosa facta est, sicut redimicula, & merito. Quam enim prius præuaricationis inobedientia turpem fecerat, nunc obedientia fidei speciosam fecit & pulchram. Ceruix ergo tua speciosa facta est sicut redimicula. Redimicula hic dicit constrictiones, vel connexiones monilium, quæ in ceruicibus sedere solẽt, ex quibus deducitur & descendit per omne collũ reliquus ornatus. Ipsi ergo ornamẽto quod ceruicibus & collo imponi solet, ceruicẽ sponsæ comparauit. Quod dictum ita aduertimus. Ceruicẽ diximus subiectionẽ, & obedientiam dici, pro eo quod quasi iugum Christi suscipiat, & fidei eius obedientiam præbeat. Hæc Orig. Nullũ ergo ornamentum pulchrius quam obedientia fidelium, qua subijciuntur iugo ac legi Christi.

Origenes

Apoc. 6.

Cant. 5. Collũ tuũ sicut monilia.

Orig. in cant. ho. 2.

¶ *Iugum enim meum suaue est & onus meum leue*. Lex Dei eiusque præcepta omnia, suauia dulciaque sunt iustis virtuteq; præstantibus: amara vero impijs sceleribusque scatentibus. Hoc (inquit Aug.) significat quodam loco scriptura sacra: vbi quidã ait: se accepisse librum: & liber ipse dulcis erat (inquit) in ore meo: & amarus in ventre meo. Quid est hoc: nisi quia præcepta summa quæ accipiunt spirituales, non accipiunt carnales quorũ venter adhæsit in terra: & de quibus gaudent spirituales adhærentes Deo: contristantur carnales? Liber iste quid habet? Vende omnia quæ habes & da pauperibus, quàm dulcis est in ore Ecclesiæ, id est, in sanctis, quæ os sunt Ecclesiæ. Ab omnibus enim viris spiritualibus factũ est. At verò carnali cuicunque dixeris fac hoc: facilius à te tristis recedit: sicut ille diues a Dño cui dictum est: vende omnia quæ habes & da pauperibus: quam facit quod dictum est: quare autem tristis recessit: nisi quia liber ille dulcis est in ore; & in ventre amarus? Dedisti nescio quid auri & argenti: ventũ est ad hunc articulum: vt nisi perdas forte aliquod peccatum cõmittas: iniuriã forte inferas Ecclesiæ: blasphemare cogaris. Positus itaq; in angustijs: aut damno pecuniæ: aut damno iustitiæ: dicitur tibi: perde potius pecuniã, ne perdas iustitiam: tu autẽ cui non dulcis est in ore iustitia: sed adhuc in illis membris infirmus es: quales in ventre deputat Ecclesia: contristatus eligis aliquando magis amittere aliquid de iustitia, quã vel nũmum de pecunia: & percutis te damno grauiore: implens saccellum tuũ: & exinaniens cor tuum. Hæc ex Aug. in Psal. 43. explicanti illa verba adhæsit in terra venter noster. At verò charitate flagranti, tam suauis videtur lex Domini tamq; lata via mãdatorũ eius, vt dicere audeat cum Dauid: statuisti in loco spatioso pedes meos. Quæ verba exponens D. Aug. in hunc modũ scribit. Certe angusta via est:

Lex Dei dulcis viris spiritualibus, amara carnalibus. August. Ezech. 3. Apoc. 10. figura.

August in Psalm. 43. Via Dei quæ arcta est peccantibus, lata est amanti bus. D. Aug.

est: laborãti angusta est: amanti lata est. Eadem quæ angusta est: lata fit. In spatioso, inquit, posuisti pedes meos: ne angustati pedes mei irent in se: & incurrendo in se deijcerent me. Ergo quid ait: posuisti in spatioso pedes meos: planè fecisti mihi facilem iustitiam: quæ mihi erat aliquando difficilis. Hæc Augustinus in Psalm. 30. ser. 1. in fine. Tollamus igitur iugum hoc tam suaue: comedamus hunc cælestem librum tam dulcem, hãc viam tam latam tamque spatiosam sequamur: si fælices esse cupimus. Sed heu nos miseros. Nam multi inter nos sunt (inquit August.) qui durissimum & amarissimum auaritiæ iugum, cum multis laboribus volunt ferre, & dulce iugum Christi, & onus eius leue dissimulant humeris suis imponere: malunt cum multis peccatis sub sarcina graui succumbere, quàm iugũ Christi, quod eos potest in cęlum eleuare, suscipere. Vos vero fratres, nobiscum sapienter & fideliter cogitantes, dirumpatis à ceruicibus vestris durum & asperum diaboli iugum, & iugum Christi suauissimum, vestris humeris imponentes, secundum Apostolum, conuersationem vestram leuantes in cælum, vt cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos cum ipso appareatis in gloria. August. fer. 5. post Dom. passionis, serm. 1. ¶ Quod si semel iugum Domini tollerimus, ne illud quæso abijciamus, ne iugo diaboli subijciamur: contingatque nobis quod olim filijs Israel, qui cum nollent Deum in regem, constituit eis Dominus Saulem in regem, qui eos comprimebat. Lege. 1. Reg. cap. 8.

August. in Psalm. 30.

D. Aug.

Philip. 3.

Figura. 1. Reg. 8. Beda lib. 2. in Samuelem.

¶ *Et onus meum leue.* Aliena sarcina (inquit Aug.) premit & aggrauat te: Christi autem sarcina subleuat te. Alia sarcina pondus habet: Christi sarcina pẽnas habet. Nam & aui si pẽnas detrahas: quasi onus tollis: & quo magis onus abstuleris, eò magis in terra remanebit. Quam exonerare voluisti, iacet: non volat, quia tulisti onus: redeat onus, & volat. Talis est Christi sarcina. Portent illam homines non sint pigri: non attendantur illi qui ea ferre nolunt. Ferant illam qui volunt & inuenient quàm sit leuis: quam

D. Aug. Christi sarcina habet pennas. Simile.

A suauis, quàm iucunda, quàm rapiens in cælum & a terra eripiens. Hæc illæ. Et D. Bernardus graue onus inquit, iniquitas sedens super talentum plumbi. Sub hac gemebat sarcina qui dicebat: iniquitates meæ super gressæ sunt caput meũ: & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Quod ergo onus Christi, quod onus leue? Vt quidem ego sentio, onus beneficiorum, dulce onus, sed ei qui sentit, ei qui experitur, alioquin si non inuenias, si non aduertas, graue omnino & periculosum. Oneriferum animal homo tempore suæ mortalitatis. Si adhuc portat peccata sua, onus est graue: sed si sanum sapiat, non minus grande onus inueniet hanc ipsam exonerationem quam diximus. Onerat nos cum exonerat Deus, onerat beneficio, cum exonerat peccato. Vox onerati: quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Vox onerati: exi à me, quia homo peccator sum Domine. Vox onerati: semper enim quasi tumentes super me fluctus, timui Deum. Semper (inquit) timui: sicut ante, sic post acceptam indulgentiã peccatorum. Beatus homo qui ita semper est pauidus, nec minori angitur solicitudine, ne fortè obruatur beneficijs, quã peccatis. Hæc Bernardus.

D. Aug. in Psalm. 39. ibi diuidã ... Psalm. 37.

Onus Christi leue quid sit.

B

Duplex onus.

Psal. 115.

Luc. 5.

Iob. 31.

C

D. Ber. in Psalm qui habitat serm. 15.

Dominica. 12 post Pentecost.

ET cõuersus ad discipulos suos dixit. Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis quod multi prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderũt: & audire quæ auditis et non audierunt. Et ecce quidam legis peritus surrexit, tentans illum

Matt. 13.

D

Matt. 22. Mar. 12.

illũ, & dixit: magister quid faciendo vitam æternã possidebo? At ille dixit ad eũ: in lege quid scriptum est? Quo modo legis? Ille respondens dixit. Diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum sicut te ipsum. Dixitque illi, rectè respondisti: hoc fac et viues. Ille autem volens iustificare se ipsum dixit ad Iesum. Et quis est meus proximus. Suscipiens autẽ Iesus dixit. Homo quidã descẽdebat ab Hierusalem in Hierico, et incidit in latrones, qui etiã despoliauerunt eum: & plagis impositis abierunt semi viuo relicto. Accidit autẽ, vt sacerdos quidam descenderet eadem via: & viso illo præteriuit. Similiter et leuita cum esset secus locum & videret eum pertransijt. Samaritanus autem quidã iter faciens venit secus eũ: et videns eũ, misericordia motus est. Et appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum et vinũ: et imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, et curam eius egit. Et altera die protulit duos denarios: et dedit stabulario, et ait. Curam illius habe: et quodcumque supererrogaueris, ego cum rediero reddã tibi. Quis eorum trium tibi videtur proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit. Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Iesus. Vade, & tu fac similiter.

Deut. 6.

Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Non solum beati sunt fideles, quod aduentu Christi, filij Dei facti sunt: sed quod tãto beneficio fuerint affecti, vt oculis suis cernerent Dei verbum, quod perspexerint gloriam eius. Quod beneficium volens efferre D. Ioannes ait. c. 1. Verbum illud, de quo superius tanta dixi, caro factũ est: & vidimus gloriam eius. Oculi debiles & infirmi solis lucem videre minime possunt: tunc eam videbunt cum in nube, vel opaco aliquo resplenderit sol. Ante diuinam verbi incarnationem hominum mentes imbecilles erãt: minimeque intueri poterant lucem illam diuinam in se ipsã: quare vt à nobis facilius cerni contemplarique posset: nube nostræ carnis se texit. In cuius typum olim visa est gloria Domini in nube. Respexerunt (inquit Moyses) ad solitudinem & viderũt gloriam Domini in nube: hoc est verbum Dei in carne. Hæc est gloria de qua D. Ioan. ait: vidimus gloriam eius. Et ob quam Christus in hoc loco discipulos

Beati dicuntur fideles non solum quod filii Dei facti sunt, sed quod hoc munere fuerint donati quod Deum in carne viderint. Simile.

Exod. 16.

Ioan. 1.

Exod. 33. fœlices vocat. Hanc gloriam olim Moyses videre cupiens dicebat: ostende mihi gloriam tuam: sed eam videre non meruit: imo responsum est ei à Domino: posteriora mea videbis. Id est, vmbras & figuras per quas hæc gloria mea significabitur. Vnde Moyses cæterique prophetæ in imaginibus hanc gloriam futurã intuebantur, inter quos vnus fuit Isaias; de quo D. Paulus ait. Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam eius. At Apostoli reuelata facie gloriã Dei speculati sunt: vt idem Apostolus affirmat. Et vt Dominus in hoc loco testatur. ¶ *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* Meritò beati, omnes nos qui sub lege gratiæ viuimus, & fœlices dici possumus. Quod iã aduenisse videamus autorem illius virtutis & gratiæ, quæ causa fuit, vt opera cuiuscunque mortalium post hominis lapsum Deo essent grata. Iuxta illud quod Paulus scribit in Epistola ad Hebræos. c. 9. mortem scilicet Christi, intercessisse in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento: vt remissionem, inquit, accipiãt, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis. Vnde quod ait Ioannes de plenitudine eius nos omnes accepimus, ad vniuersos mortales à præuaricatione Adæ, vsque ad finem mundi refertur. ¶ Beati omnes nos, qui iam non latorem legis Moysen, sed factorem gratiæ & veritatis Iesum Christum videmus & habemus: secundum illud quod addit idem Euangelista dicẽs, Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Enim vero, Moyses non condidit, sed dedit legem, quam Deus condiderat, quæ per se non iustificabat. Gratia autem per quã illa iustificabat, per Iesum Christum nõ solum data, sed facta est. Et pariter veritas: nempe, lex Euangelica, quam non tãtum ipse dedit, sed fecit, quæ idcirco veritas dicitur: quod illa Mosayca erat eius vmbra. Et hoc est, quod ait Paulus in Epistola ad Galat. cap. 2. si ex lege est iustitia, Christus gratis mortuus est (id est sine causa.) ¶ Fœlices etiam nos qui videmus scriptorem legis nostræ, non in tabulis lapideis qualis fuit Moyses, sed

2. Cor. 12.
2. Cor. 3.
Vi. S. Th. in Ioan. c. 2.

quare beati dicũtur fideles sub lege gratiæ viuentes.

Heb. 9.

Ioan. 1.

Gal. 2.

A in cordibus nostris: secundũ illud quod prædixerat eius nomine Hieremias. c. 31. his verbis. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam. Lex enim Euangelica nõ fuit primò tradita in scripto, sed diuino Christi ore viua viuificanteque voce vsq; ad audientium corda penetrante, vbi adiutricem gratiã, qua illam impleamus instillat. Vnde. 2. Cor. 3. Paulus ait. Epistola estis Christi ministrata à nobis, & scripta, non attramento, sed spiritu Dei viui, B nõ in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. ¶ Beati, inquam, oculi nostri: qui vident atque oculis fidei intuentur conditorem perfectorum sacramentorum: quæ, gratiæ non solũ signa sunt, vt veteris legis sacramenta, sed causæ. Quapropter iure optimo lex nostra, lex gratiæ vocatur, quod tam multis abundet instrumentis & medicamentis, quibus illam suis cultoribus, atque professoribus impartiatur. ¶ Beati deniq; oculi nostri, qui vident iam diuinum ianitorem aperientẽ suis, cælorum fores. Olim C enim ad hunc modum homines de hominibus vita functis loqui solebant: descendam ad filium meum lugẽs in infernum. Infernus domus mea est. Quantũuis enim essent tunc Deo grati, ad limbũ nihilominus descendebant, vt illic Christi aduentum prestolarentur. At nos iam non ita loquimur. Sed cum Paulo dicimus: voluntatem habemus peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominũ. Et rursum cupimus dissolui & esse cum Christo: quasi inter egressum huius vitæ & ingressum cæli nulla intersit mora, ni D si quam nostra fecit culpa. Vnde Christus ad latronem. Hodie mecum eris in paradyso. ¶ *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis.* Beati siquidem sunt fideles omnes, qui pie viuunt sub duce secundoque homine cęlesti Christo: imo multò beatiores hominibus in statu innocẽtiæ degentibus. Vbi enim abundauit delictum, superabundauit & gratia. Quare licet in illo primo fœlicique statu per diuinam cõtemplationem homines plurimum mererentur, hoc tamẽ status nõster illi præstat, quod sub Christo duce mere-

Hier. 31.

2. Cor. 3.

Gen. 37.
Iob. 17.

Philip. 1.

Luc. 23.

Multo beatiores sũt fideles Christiani, hominibus sub statu innocẽtiæ viuentibus & quare.

Rom. 5.

meremur, tollentes, scilicet, crucem nostram, atque illum sequentes, illic enim nulli essent langores neque agones aduersus hostem, nos verò sudoribus plurimis, & ærũnis, atque laboribus exhaustis gloriosa præmia, diuina ope suffulti, promeremur, vt tanquam palmites per baptismum in Christo plantati fructus gloriæ proferamus: alij, scilicet, virginitatis lauream gestantes, qui contra concupiscentiam carnis luctati sunt, alij verò, prædicationis & doctrinæ: atque alij, palmam martyrij ferentes, qui gloriosè de hostibus fidei triumpharunt. De quibus Dauid. Euntes, inquit, ibant, & flebant mittentes semina sua. Veniẽtes autem venient cum exultatione portãtes manipulos suos. Quæ quidem præmiorum insignia nõ fuissent, nisi propter casum Adæ Deus factus esset homo, qui ab illa nos culpa liberans, tam ingentia nobis donaret auxilia. In hac ergo parte præstat status noster statui illi fœlici primorum parentum: quare beati dignè vocamur à Christo Domino quod illũ vidimus: quod illi credimus: quod sub statu eius & ditione viuimus. ¶ *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis*. Non ergo solum beati oculi Apostolorum, sed aliorum Iudæorum videntium Deum hominem iam factum. Quod intellige quantum est ex parte muneris. Nõ enim Dei dona hominem beatum faciunt nisi illis benè vtatur. Paul. ad Heb. c. 12. ne quis desit gratiæ Dei, id est, ne quis à gratia Dei deficiat atque destituatur. Quid amplius (inquit Dominus) debui facere vineæ meæ quod non feci. Dona ergo atque munera diuina quantum est ex parte sua nos beatos, atque fortunatos reddunt: at si illis male vtimur minime. Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt, (bibebant autem de spirituali, consequente eos, petra: petra autem erat Christus) sed nõ in pluribus eorum, beneplacitum est Deo. Ita positus fuit Christus Dominus in

Psal. 125.

Dona Dei nos beatos reddunt quantum est ex parte sua.

Heb. 12.

1. Cor. 10.

A ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, vt dixit Simeon. ¶ Cæterum, si vis lege Bernard. serm. vltimo, de Ascensione, hæc verba explicantem.

¶ *Dico enim vobis quod multi prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis & non viderunt, & audire quæ auditis & non audierunt*. Ostendunt hæc verba quanto desiderio aduentus Christi flagrarent prophetæ & patres, atque reges antiqui. Lege diuinas literas, & videbis quàm ardentibus suspirijs ab imo B pectore eductis, petebãt antiqui patres, aduentũ Christi saluatoris nostri: in quo omnis eorum spes erat constituta. Apud Isaiam dicebant: vtinam dirumperes cælos, & descenderes. Et rursum: rorate cæli desuper & nubes pluant iustum aperiatur terra & germinet saluatorem. Ac si diceret: ardenter desideramus diuini seruatoris aduentum. Ideo emittite vos ò cæli rorem illum, qui terram præ nimia siccitate sterilem humectet, & frugiferam reddat. Veniat iam Christus, qui terram infæcundam, qui peccatores sine virtute nullũ fructum pietatis ac reli- C gionis ferentes fæcũdet. Et nubes pluãt iustum, nimirum illum, qui homines iustificet in scientia sua, & iniquitates illorum ipse portet: qui sit nostra sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio. Pluant igitur nubes iustum & aperiatur terra & germinet saluatorem. Terra illa sanctissima consentiat & dicat: ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbũ tuum, & sic germinet, & pariat saluatorem Christum verum Deum & hominẽ. Reges item illi antiqui dicebant cũ Da- D uid rege. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Et eius filius Salomon in Canticis facit congregationem fidelium loquentem, & his verbis Christi aduentum desiderantem: osculetur me osculo oris sui & rursum: quis mihi det te fratrẽ meũ, sugentem vbera matris meæ, id est, vtinam nascaris homoque efficiaris, vtarisque eisdem cibis, quibus alij homines vtuntur. ¶ Hinc colliges, quod olim Dei amici & venerabiles illi viri (inquit Chrysost.) etiam ante Christi incarnationem

Sup. c. 2.

Ostẽditur quã ardenter optabant antiqui patres uidere Christi aduentum.

Isai. 64.

Isai. 45.

Isai. 53.

1. Cor. 1.

Psalm. 84.

Can. 1.

Can. 8.

D. Chrys.

Omnes prophetæ & patriarchæ cognouerunt Christum ante eius incarnationé quá uis eum in carne non viderunt. Ioan. 8. Matt. 22. Psal. 109.

tionem ipsum cognouerunt, & patriarcham eius præuidisse aduentú ipse Christus nominatim testatur. Abrahá pater vester exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauisus est. Et quod Dauid Iudæos arguens, inquit: quomodo Dauid in spiritu Dominum ipsum vocat, dicés: dixit Dominus Domino meo, sede á dextris meis? Et frequenter in eos inuectus, Mosi meminit: & quod reliqui prophetæ eandem habuissent cognitioné, Apostolus Petrus, omnes prophetas a Samuele cognouisse eum, & eius aduentú multo ante tempore dixisse, his verbis attestatur: & omnes prophetæ á Samuele, & deinceps qui locuti sunt, annuntiauerunt dies istos. Iacob autem & patri quéadmodum auo & apparuit Deus, & locutus est, multa & magna eis se daturú bona pollicitus, quæ quidem re executus est. Adhæc obiecerit quispiam: quo igitur pacto multi prophetæ (ait Christus) cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierút? Nunquid non fuerunt eius cognitionis participes? Fuerunt sané. Quod hac eadem particula, ex qua nonnulli ea cognitione priuatos fuisse prophetas arbitrati sunt, manifestum facere tentabimus: multi, inquit, cupierunt videre quæ vos videtis: nouerunt ergo ipsum ad nos venturum, & quæ fecit, facturú. Nisi enim nouissent, nullo pacto videndi flagrassent desiderio. Nemo enim quod ignorat, cupere potest. Nouerunt igitur ipsum Dei filiú ad humanú genus descensurú. Sed quæ nam sunt quæ neque viderút, neq; audierút? Ea quæ núc vos & videtis, & auditis. siquidem & vocem eius illi audierút, & ipsum viderút, non tamen in carne, neque cum hominibus conuersantem, neque nobiscú tam familiariter liberéq; loquentem. Quod significauit cú non simpliciter dixit, cupierút videre me, sed quæ vos videtis: neq; audire me, sed quæ vos auditis. Ita que licet non ipsius aduentú in carne conspicati sunt, viderút tamen ipsum futurú, quem cupiebant, & in quem credebant. Hæc Chrysost.

Actor. 3.

Obiectio.

Respons.

D. Chrys. hom. 7. in Ioan.

¶ *In lege quid scriptum est? Ille respondens dixit diliges Dñm Deum tuú. etc. Hoc fac & viues.* Hic vides quantus error fuerit eorú, qui existimarunt legem veterem malam fuisse, á principeq; tenebrarú latam. Hic enim docet Christus quod si hæc præcepta legis custodiret legisperitus ille vitam æternam consequeretur. Et Matth. 19. ait. Si vis ad vitá ingredi serua mandata. Et statim refert mandata quæ scribútur Exo. 20. Et Mar. 7. bene irritú fecistis mandatú Dei propter traditionem vestram. Moyses enim dixit: honora patrem tuú & matrem tuá. Vbi vides mandatú Moysi, Dei mandatú núcupari. Tam innumera sunt in noua lege testimonia hanc veritatem confirmantia, vt longú sit illa recensere. Vide quæ annotauimus. c. 2. in illa verba, vt circúcideretur puer: ratione tertia ob quam Christus circúcidi voluit. ¶ Cæterum quisquis ideo negat vtrumq; testamentum ab vno Deo esse posse, quia nó eisdem sacramentis tenetur populus noster, quibus Iudæi tenebátur, vel adhuc tenentur: potest dicere non posse fieri, vt vnus pater familias iustissimus, aliud imperet eis, quibus seruitutem duriore vtilem iudicat, aliud eis quos in filiorú gradum adoptare dignatur. Si auté præcepta vitæ mouent, quòd in veteri lege minora sunt, in Euangelio maiora, & ideo putantur non ad vnú Deú vtraq; pertinere. potest qui hoc putat perturbari, si vnus medicus alia per ministros suos imbecillioribus, alia per semetipsum valentioribus præcipiat ad reparandam vel obtinendam salutem. Vt enim ars medicinæ cum eadem maneat, neq; vllo pacto ipsa mutetur, mutat tamé præcepta languentibus, quia mutabilis est nostra valetudo: ita diuina prouidentia cum sit ipsa omnino incommutabilis, mutabili tamen creaturæ varié subuenit, & pro diuersitate morborum, alijs alia iubet aut vetat, vt á vitio vnde mors incipit, & ab ipsa morte ad naturam suá & essentiam, ea quæ deficiunt, id est, ad nihilum tendunt, reducat & firmet. Hęc Aug. de vera religione. cap. 17.

Lex vetus sancta fuit atque á Deo lata.

Matt. 19. Exod. 20. Mar. 7.

Simile.

Simile.

D. Aug.

¶ *In lege quid scriptum est? Hoc fac & viues.* Nostrum ergo est legem diuinam ad

Nō nostrū est de legibus diuinis iudicare, sed illas scire & seruare.
D. August. d. 4. c. in istis.

ad salutem necessariam cognoscere: nostrum est illa seruare si viuere volumus: non tamen est nostrum de illa iudicare cum a Deo lata sit. Vnde D. Aug. in lib. de vera religione. c. 31. adhunc modum ait. Sicut in istis temporalibus legibus, quanquam de his homines iudicent cū eas instituunt, tamen cum fuerint institutæ atque firmatæ, nō licebit iudici de ipsis iudicare, sed secundum ipsas. Conditor tamen legum temporalium, si vir bonus est & sapiens, illam ipsam consulit æternam, de qua nulli animæ iudicare datum est: vt secundum eius incōmutabiles regulas, quid sit pro tempore iubendum vetandumque discernat. Æternam igitur legem mundis animis fas est cognoscere, iudicare autem non fas est. Hæc ille. Iam in hoc loco vides quod nō interrogatus est legisperitus iste, quid de lege sentiret: hoc enim non eius erat, sed quid scriptum esset in lege, quod scire atq; cognoscere ad illum pertinebat. Hoc igitur compertum sit nobis atque exploratum, ad nos non attinere de legibus diuinis iudicare, sed solum eas memoria tenere, atque seruare.

Deute. 6.

¶ *In lege quid scriptum est? Quomodo legis? ille respondens dixit. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum sicut te ipsum.* Iuxta septuaginta hæc citantur, vno verbo mutato in aliud. Pars verò illa: *& proximum sicut te ipsum.* Hebraicé non est (inquit Leon Castro) ne putet quisquam quidquid Hebraicé non est, ex lectione Ecclesiastica esse expungendum. Imò verò ex lectione Euangelica Hebræa lectio est castiganda. Cæterum iudicio meo totum hoc testimonium quod legisperitus iste allegauit ex lege, non sumpsit ex vno loco legis, sed primum illud præceptum *diliges Dominum Deum tuum.* Ex Deut. c. 6. desumptum est: secundum verò præceptum *diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Ex Leuit. c. 19. Vnde vbi dicitur in nostra vulgata, *Diliges amicū tuum sicut te ipsum*: Lxx (inquit glossa) dicunt; *diliges proximum tuum sicut te*

Cast. 691.

A *ipsum.* Et ita hūc locum vertit Vatablus. Lxx. sic habet. ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν. Quare nō est quare dicamus delendam esse vocem illam, *et proximū sicut te ipsum,* nam licet non sit Deut. c. 6. Est tamen desumpta ex Leuit. cap. 19.

Deuter. 6.
Leuit. 19.

¶ *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, et ex tota mente tua, et ex omnibus viribus tuis.* Pro confirmatione dicti (vt D. Hieronymus ait in Iob. c. 3.) solent in scripturis sententiæ iterari. Vt, quia timor quem timebā euenit mihi: & quod verebar accidit. Et D. Basilius in homilia, quomodo baptizatur aliquis in baptismate quod est in Euāgelio Domini nostri Iesu Christi, ait. Cum sciret Apostolus tautologiam vtilem esse audientibus ad certitudinem, veritatisque persuasionem firmiorem, per eorundē resumptionem illis inculcat. Vt, si commortui fuerimus, & conuiuemus: si sustinuerimus & conregnabimus, hæc ille. Huius documenti est optimum exemplū quod hic Dominus ait. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis. Et apud Matth. qui dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio: qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis: qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Huiuscemodi innumera exempla vel vnicus Psalmus. 118. suppeditabit. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota mente tua, etc.* Lege quæ annotauimus Matth. c. 22. Vbi multa de his duobus præceptis diximus quæ superuacaneum esset repetere. Lege si libet etiā D. Thom. 2. 2. q. 44. art. 4. & 5. Quibus addes quæ sequuntur ex D. Bernardo.

Quare in sacra scriptura sententiæ iterantur.
D. Hiero. Iob. 3.
D. Basil.

B

2. Tim. 2.

C

Matth. 5.

D

¶ *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua, et ex omni bus viribus tuis.* Vt ergo intelligamus modum hunc triplicem diligendi Deū: prius à Christi amore erga nos, exordiamur. Dilexit igitur nos (inquit Bernar.) dulciter, sapienter, fortiter. Dulce nempe dixerim, quod carnem induit: cautū, quod culpam cauit: forte, quod mortē sustinuit. Plenum prorsus omni suauitatis dulcedine, videre hominem hominis condi-

quali ac quātoamore nos est prosecutꝰ Christus.
Bernar.

conditorem. At dum naturam prudenter selegit à culpa, etiam potenter mortem protulit à natura. In carnis assumptione condescendit mihi, in culpæ vitatione consuluit sibi, in mortis susceptione satisfecit patri, amicus dulcis, consiliarius prudens, adiutor fortis. Ergo nisi amasset dulciter, non me in carne requisisset illa magestas. Sed iunxit affectioni sapientiam, qua tyrannum deciperet: iūxit & patiētiam, qua placaret offensum Deum patrem. Hi sunt modi dilectionis Christi. Disce ergo ô Christiane à Christo, quemadmodum diligas Christū. Disce amare dulciter, amare prudēter, amare fortiter. Dulciter, ne illecti: prudēter, ne decepti: fortiter ne oppressi ab amore Domini auertamur. Ne mundi gloria seu carnis voluptatibus abducaris, dulcescat tibi præ his sapiētia Christus. Ne seducaris spiritu mendacij & erroris, lucescat tibi veritas Christus. Ne aduersitatibus fatigeris, confortet te virtus Dei Christus. Zelum tuum inflammet charitas, informet scientia, firmet constantia. Sit feruidus, sit circunspectus, sit inuictus. Nec temporem habeat, nec careat discretione, nec timidus sit. Et vide ne forte tria ista tibi, & in lege tradita fuerint, dicente Deo: diliges Dominū Deū tuū ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua. Mihi videtur (si alius competentior sensus in hac trina distinctione non occurrit) amor quidem cordis ad zelum quendam pertinere affectionis, animæ verò amor ad industriam seu iudicium rationis, virtutis autem dilectio ad animi posse referri constātiam vel vigorem: dilige ergo Dominum Deum tuum toto & pleno cordis affectu: dilige tota rationis vigilantiā & circunspectione, dilige & tota virtute, vt ne mori pro eius amore pertimescas. Quoniā fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Sit suauis & dulcis affectui Dominus Iesus, cōtra male vtiq; dulces vitæ carnalis illecebras, & vincat dulcedo dulcedinem, quemadmodum clauum clauus expellit. Sed sit nihilominus intellectui præuia lux, & dux rationi, non solum ob cauendas hæreticæ fraudis discipulas, & fidei puritatem ab eorum versutijs custodiendam, verùm vt cautus quoque sis nimiam & indiscretam vehementiam in tua cōuersatione vitare. Sit etiam fortis & constās amor tuus, nec cedens terroribus, nec succumbens laboribus, ergo amemus affectuosè, circunspectè, & validè, scientes amorem cordis, quem affectuosum dicimus, absque eo qui dicitur animæ, dulcem quidem, sed seductibilem: istū verò absque illo qui virtutis est, rationabilē esse, sed fragilē. Amorē cordis habebant discipuli, non tamen mentis: cū de Christi discessu contristabantur. Vnde Christus: si diligeritis me gauderetis vtique, quia vado ad patrem. Quid ergo? Non diligebant, de cuius discessione dolebant? sed diligebant quodammodo & non diligebant. Diligebant dulciter, sed minus prudēter. Diligebant carnaliter, sed non rationabiliter. Denique diligebant toto corde, non tamen tota anima, dilectio eorum contra salutem eorum. Vnde & aiebat: expedit vobis, vt ego vadam. Culpans consilium, non affectum. Dulciter & sapienter diligebat Petrus cum dicebat. Et si oportuerit me mori tecum non te negabo: sed non fortiter. Erat tota anima doctus diligere, sed adhuc infirmus, non plane illa fortis vt mors dilectio, cum Christum negauerit. Fuit autem postea cum indutus virtute ex alto, tanta tandem cœpit virtute diligere, vt in Concilio prohibitus prædicare nomen sanctum, constanter prohibētibus responderet. Obedire oportet magis Deo quàm hominibus. Tunc demū tota virtute dilexit, cum nec vitæ suæ pepercit pro dilectione. Maiorem siquidē charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Ergo non abduci blanditijs, nec seduci fallatijs, nec iniurijs frangi, toto corde tota anima, tota virtute diligere est. Vi. Bern. serm. 20. super cant. ¶ *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, etc.* Quod diligendus sit Deus, scimus: quot etiam modis diligendus, nō ignoramus. At quo nam pacto hūc amorem assequi & legitimè præstare possimus, hoc à me scire

Marginalia: Christi amor qualiter est à nobis imitandus. — Can. 8. — Ioan. 14. — Ibidem. — Acto. 5. — Ioan. 15. — Bern. ser. 20. super Can. — quo pacto assequi poterimus Dei amorem.

A simili docetur quod diligendus est Deus.

scire forsitan quis desiderat. Audiat ergo quisquis ille sit, quid D. Basilius scribat. Sane (inquit) quæ ad Deum charitas est, ea non in doctrinæ præceptis posita est. Neq; enim aut luce gaudere, aut vitam diligere, aut eos charos habere, à quibus geniti, educatique sumus, à quoquã didicimus. Sic igitur ac multo etiã magis, nulla charitatis in Deum externa est disciplina: sed simul atque constitit animal illud (de homine loquor) insita ei naturalis etiam quædam rationis est vis, quę in se ipsa amandi necessitudinis initia continet. Eã vbi schola diuinorũ præceptorum excepit, & diligenter excolere, & scienter alere, & Dei munere ad maturitatem vsque perducere cõsueuit. ¶ Cum igitur præceptum nobis sit vt charitatem in Deum habeamus, in ipso confestim ortus nostri initio vim quandam nanciscimur, per quam nostra pte sponte ad ipsum diligendũ impellimur. Ad quam quidem rem confirmandam nihil est cur argumenta foris petamus, cum per se quisque, atque adeò in se ipso facillimè possit illud intelligere. Nã & rerum pulchrarum natura appetentes sumus, & item sponte nostra quicquid necessitudine aliqua, propinquitateque coniunctum nobis est diligere, & iis, quicunque bene de nobis meriti sunt, charitatem omnem præstare consueuimus sine præuia doctrina. Verum quid est quæso pulchritudine diuina admirabilius? Quæ notio Dei maiestate excogitari gratiosior potest? Quod eiusmodi desiderium, quis secum comminisci queat, cuiusmodi est illud, quod animæ vitiis omnibus perpurgatæ diuinitus ingeneratur? Adeo vehemens, adeoque intolerandum? Quæ verè syncereque dicere illud possit. Ego amore langueo. Et, vulnerata charitate ego sum. Inexplicabiles prorsus, nec vlli pro dignitate enarrabiles quæ è fulgurantissimo fonte illo diuinæ pulchritudinis intermicant ac prosiliunt fulgetræ. Nulla eas oratio digne repræsentet, nullus percipiat auditus, licet Luciferi prænitidum iubar, licet lunæ splendorem, licet solis radiantissimam claritatem dicas, obscura ista sunt, si cum eius fulgore comparentur, & nullius prorsus pretii, si horum similitudine gloriam illam velis exprimere: plusquam à vera luce distant, si cum ea conferantur, quàm distet profunda nox, & cæcæ noctis tenebræ à clarissima luce meridiana. Tantæ istius pulchritudinis dignitatem nemini licet corporis oculis contemplari. Si quidem animo tantum & cogitatione vtcunque apprehenditur. Ea si quando sanctorum virorum quempiam circunfulsit, intolerabilem illorum in animis defixum desiderii aculeum reliquit, quippe qui, cũ vehementer eos vitæ huius tederet, in voces illas dirrumpere soliti essent: Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est: &, quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Et, dissolui & esse cũ Christo melius est. Et, sitiuit anima mea ad Deũ fontem viuum. Et, nũc dimittis seruum tuum Domine. Vehementer enim vitã hanc veluti tetrum quendam carcerem abhorrebant, vsque adeo difficiles ad cohibendum animis erant ii, quorum mẽtes Dei amor perstrinxerat. Cum enim inexplicabili intuendæ diuinæ pulchritudinis cupiditate flagrarent, illud exoptabant, vt æquata infinito sempiternæ vitæ curriculo, sibi iucunditatis Domini contemplandæ facultas præberetur. Sic igitur, duce natura, sua sponte hominum animi ad rerum pulchrarum expetitionem excitantur. Illud autem propriè verèque pulchrum est, atque expetendum & amabile quicquid est bonũ, at bonus est Deus: quod autem bonum est, id ab omnibus expetitur: ergo Deũ expectunt omnia. Ex quo sanè colligitur, quicquid rectè facimus voluntate nostra, eius faciendi vim, nos natura etiã in nobis insitam habere, eos modo, quorum rectam rationem non penitus vitiositas deprauarit. Quamobrem necessarium à nobis veluti æs alienum charitas erga Deum requiritur, qua carere malũ est, malorum omniũ longè grauissimũ. Etenim alienatio à Deo, auersioque, cuicumodo ea contigerit, malũ est, omnibus quæ in gehenna expectantur intolerabilius, veluti oculo priuatio luminis, etiam

1. Ratio, qua excitamur ad diligendũ Deũ, quæ sumitur ab eius infinita pulchritudine.

Cant. 2.

Fulgetræ, id est, fulgura.

Psal. 119.
Psalm. 41.
Philip. 1.
Psalm. 41.
Luc. 2.

Vt æs alienum à nobis erga Deũ charitas requiritur.

Alienatio à Deo malorum omnium grauissimum.

2. Ratio, qua excitamur ad Dei amorem sumitur à creatione & generatione.

A simili argumentū.

Argumentum à minori.

etiam si dolor non adsit, itemque animā ti ademptio vitæ. ¶ Quòd si ijs etiā, qui geniti sunt, naturalis erga eos, qui ipsos genuere, charitas inest, quod ex ea animi affectione comprobatur, quam, cum brutas animantes, tum ipsos etiam homines, ipsa prima ætate aduersum matres habere animaduertimus, ne quæso id committere velimus nos, vt aut rationis inopia pusiones istos, aut immanitate feras bestias antecedere videamur, qui & alieno scilicet ab eo, vnde conditi sumus animo simus ac voluntate, nullaque aduersus illum charitate propensi: quem profectò, vt ex eius bonitate non nosceremus, at certè ob id vnum, quòd is est, qui nos procreauit, mirabiliter diligere, & charitate summa complecti deberemus, perpetuoque de eius memoria non secus pendere, quàm de parentum suorum teneri infantes soleant. ¶ Inter eos autem ad quos diligendos natura incitamur, sine dubio is præstat, qui bene etiam de nobis meritus est. Atque hæc animi affectio non hominum peculiaris est modo, verùm ipsis etiam, cum omnibus ferè animantibus cæteris cōmunis est, vt videlicet eos diligant, à quibus beneficium acceperunt. Cognouit enim, inquit Isaias, bos possessorē suum, & asinus præsepe Domini sui. Nolim autem id dictum esse de nobis, quod sequitur, Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Nam de cane compluribusque alijs animalibus quid attinet commemorare, quàm insignem beneuolentiam declarent & gratitudinem in eos, á quibus ipsis alimenta præbentur? Quod si natura nobis tributum est, vt ad complectendos beneuolentia, atque amore eos excitemur, qui bene de nobis meriti sunt, neque labor est vllus, quem, vt illis pro collatis in nos officijs gratiam referamus, non libenti animo excipiamus, quæ nam obsecro inueniri orationis facultas potest, quæ data nobis a Deo beneficia dignè satis queat explicare? Quæ quidem numero adeò sunt multa vt numeri vim omnem effugiant: vt verò ac magnitudine tanta, vt vel vnicum modo ex ijs idoneū sit, propter quod nihil non subeamus, vt illius voluntati obsequamur. Ac nimirū hoc loco missa faciam cætera, quæ quanuis, si per se singula considerentur, magnitudine, ac dignitate mirabiliter excellunt, illorum tamen, quæ ampliora sunt, claritate maiore, non secus ac stellæ eximio splendore radij solis offusæ, ab ea quam ipsa seorsum essent habitura, lucis suæ dignitate decifcunt. Neque enim vacat omisis his, quæ amplitudine præstant, ex ijs, quæ sunt minutiora, Dei erga nos benignitatem vt metiamur. Nulla sit igitur mentio solis exortuum, missæ fiāt lunæ conuersiones, aeris multiplex contēperatio, quatuor temporum vicissitudines, aquæ cum cælestes, tum etiam terrestres, mare ipsum vnà cum vniuersa tellure, terrestria, aquatiliaque animantia, nihil de tot volucrum generibus dicatur, taceantur innumerabiles inter se animalium differentiç. Quid quòd hęc omnia in famulitium obsequiumue hominis ordine decentissimo condita sunt? illud quidem certè prætermitti, etiam si maxime velimus, non potest (quamquā beneficium est eiusmodi, vt cum á cordato modo, hac dicendi facultate prædito viro, silentio præteriri nō queat, tum multo minus ita verbis explicari, vt illius magnitudinē oratio consequatur, quod videlicet cum ad imaginem, ac similitudinem suam hominē Deus procreasset, eique honorem illum habuisset, vt se ipsi noscendum tradidisset, ac rationis participem effectum mirabiliter vnum præ cæteris animantibus honestasset, eamq; esset facultatem largitus, quæ se incredibili rerum, quæ in paradyso essent, pulchritudine intuenda, summa cum iucūditate oblectaret, eorumque omnium, quæ in terris cernerentur, imperium detulisset, postea serpētis fraude delusum, atque in peccatum prolapsum, & ex peccato inde in mortem, & in ea deinceps quæ adiuncta sunt morti, ne vtiquam neglexit, sed legem, qua se tueretur, dedit, angelos custodiæ ac defensionis causa adhibuit, prophetas ad vitia reprehendenda, ac magisterium & doctrinam virtutis, misit, malitiæ omnis impetus supplitijs

Similitu.

3. Ratio, sumitur à beneficiis acceptis.

Isai. 1.

Deū à nobis maxime debere diligi confirmat exemplis.

Collatio elegans.

plitiis denuntiandis repressit. Vicissimque rerum bonarum studia pollicitationibus alacritatemque vtriusque instituti excitauit, & exitus sæpènumero in diuersis hominibus ad reliquorum commonefactionem ante declarauit. Cumque hæc & huiusmodi omnia ab ipso nobis præstita essent, & nos tamen nihilominus obstinati eius imperio, obsequi recusaremus, nequaquam eo tamen est aspernatus, nec auersari voluit. Ea enim diuina est bonitas, vt neutiquam nos potuerit destituere: neque illud ardentem eius erga nos charitaté retinxit, quod optimé de nobis meritum spretis delatis ab ipso nobis honoribus in contumelia habueramus. Sed contra reuocati sumus à morte, & ad vitam denuo ab ipso Domino nostro Iesu Christo restituti. Qua in re auget miraculi magnitudinem beneficij modus. Siquidem cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens: & infirmitates nostras tulit, & langores portauit, & pro nobis vulneratus est, vt nos liuore eius sanaremur: & à maledicto nos redemit, factus ipse pro nobis maledictum, & ignominiosissimam mortem sustinuit, vt nos ad gloriosam denuo vitam reuocaret. Neque verò satis hoc illi fuit, quod ademptam nobis vitam reddidisset, quin & diuinæ naturæ consortium dignitatemque est elargitus, locaque in quibus perpetua frueremur quiete, præparauit, vbi quæ futura est lætitiæ magnitudo, ea cogitatione à nemine potest comprehendi. Porro ipse adeo bonus est, vt neque gratiam sibi pro his vllam referri postulet, ac satis habet, si pro ijs, quæ largitus est, à nobis modo diligatur. Quæ omnia quandocumque mecum ipse considero terribilis me quidem cum mentis consternatione horror inuadit, metuentem videlicet, ne si aliud agendum in rebus futilibus ac vanis animum occupauero, à Dei charitate deiectus, Christo dedecori sim. Qui enim assiduè nunc suis nos artificijs circunuenire, & mundialis istius vitæ illecebris inescans omni conatu efficere studet, vt datorum nobis à Deo beneficiorum, Deique ipsius memoriam ex animis nostris reuellat, is, vbi hinc migrauerimus, cum animarum nostrarum exitio nobis insultans, vehementissiméque insectans, contemptionem Domino nostram contumeliosè exprobrabit, contumaciaque ac defectione ab ipso nostra, gloriandi materia aduersus illum vtetur, quod videlicet cum nos ipse neque crearit, neque pro nobis mortem subierit, sibi tamen, spretis, contemptisque Dei præceptis, obsequentes habuerit. Equidem ego istam futuram aduersum Dominum contumeliosam opprobationem, & insolentem hostis gloriationem, grauiora lógé esse statuo, quã ea, quæ sunt in gehenna supplicia, materiá videlicet nos aduersario Christi, gloriosius aduersus illũ efferendi extitisse qui conciliandæ nobis causa salutis, & mortuus sit, & resurrexerit. Cui etiã vel hac gratia maiorem in modũ debitores sumus, sicut scriptum est. Hæc Basilius.

Phil. 2. — Isai. 53. — Gal. 3.

¶ *Diliges Dominum Deum tuum.* De effectibus amoris lege S. Tho. 12. q. 28. per omnes articulos. ¶ *Diliges proximũ tuũ sicut te ipsum.* Lege D. Basilium. lib. Reg. fusius disputa. interro. 3. ¶ *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Multi vnũ corpus sumus ait Paul. quare singuli sumus mẽbra huius corporis cuius Christus est caput. Similitudine ergo membrorũ intelligere licebit, qualis debeat esse amor proximorũ. Septé sunt quæ in membris corporis considerare, atque animaduertere possumus. ¶ Primum est, quod membrum non sibi appropiare solet munus & officium sibi à natura collatum, sed cæteris membris gratis communicat. Oculus enim non sibi sed membris omnibus deseruit: pedes non sibi deambulant, sed totum corpus secum portant. Sic tu, si proximus es, munus tibi à Deo collatum libenter communicare proximo debes. Multi enim (inquit Paulus) corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Et rursum ait. Necessitatibus sanctorum communicantes. ¶ Secundum in membris consideratione dignum est, quod

D. Basil. lib. regul. fusius dispu tatarum interroga tione. 2.

Rom. 12. Qualis esse debeat amor erga proximũ ostẽditur similitudine mẽbrorum corporis.

Rom. 12. — Ibidem.

vnum membrorum, alteri non inuidet, etiam si illius munere non sit prædi- tum: sic tu, in humilitate constitutus, sublimiori non inuideas, si verum Christi membrum esse desideras. ¶Tertium est, quòd inferiora membra, & abiectiora, plus multo honorari solét, quàm præstantiora. Vnde Paulus in priori Epistol. ad Cor. c. 12. sic ait. Quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circundamus, & quæ inhonesta sunt nostra abundantiorem honestatem habent. Sic tu, si membrum Christi es, non debes proximos, qui ignobiliores & infirmiores vidétur, despicere. Nam vt Ambrosius ait: non est fraternus amor, nisi mutuis se præueniant obsequijs. Adde his, quæ D. Chrysost. ait. Quemadmodum enim homo intelligit, quod membrũ sui corporis præstantius sit alio, atque honorabilius: quod verò sit inhonestum & abiectum: ipsa tamen membra non se ipsa cognoscunt, neque discernunt an honorabiliora, an contemptibilia sint: sic discrimé atque differentiam inter fidelem, & fidelem, atque inter pium & pium, Christus solus cognoscit: cuius membra nos omnes sumus. Ipsis autem fidelibus concessum non est, vt cognoscant discrimen inter se: ne sanctiores superbiant, contemnantque alios præ se. Si ergo membrum Christi verum es, iudiciũ tui relinque: te ipsum cæteris non præferas, cum non fas tibi sit, dignitatem tuam cognoscere, sed hoc soli Christo sit datum atque concessum. ¶Quartum est, quod membrum si aliquid intra se suscipiat cæteris cõmunicet: quod si quid sibi superfluũ retineat, ad nocumentum damnumque suum retinet. Cum illud materia alicuius apostematis, aut malę valetudinis sit. Sic hoc idem infidelibus contingit nam diuitiæ superfluaque alia bona quę proximis non communicantur, conseruantur sané in malum Domini sui, vt Salomon testatur Ecclesiastici. cap. 5. ¶Quintum est: quòd alterum membrorum, sibi fieri reputat, quod alteri fit, siue illud bonum siue malum sit. Si enim iniuria afficitur pes, tu statim ais: iniuria & contumelia me affecisti: si autem calciamenta pedibus donentur, tu statim dicis: gratias ago quod me calciasti. Hoc ergo tibi contingere debet cum proximo tuo, si verum Christi membrum haberi vis. De prosperis eius, ita gaudere, atque de aduersis ita contristari, ac si illa tibi contigerint. ¶Sextum etiam est: quod si alterum membrorum ab altero læsum fuerit, se de illo non vindicat: sic tu si à proximo tuo læsus, aut offensus forsitan fueris, neque te ipsum vindicare, neque vindictam appetere licitum est. Ideo enim Paulus ait in Epistola ad Romanos nulli malum pro malo reddentes. ¶Tandem hoc in membris nostris experimur, quod alterum pro altero, periculo se exponat. Quemadmodum pes pro oculo, & manus pro capite, sic ergo tu, quisquis sis, pro spirituali proximi salute, salutem corporalem libenter exponere debes: exemplo Christi capitis tui qui vitam suam pro animi tui vita alacriter expendere voluit. Ecce ergo habes qualiter proximum, sicut te ipsum diligere tenearis. Lege Bonauenturá de doctrina cordis, cap. 70. exponens illud: sanctorum, scilicet, communionem. ¶*Et proximum tuũ sicut te ipsum.* Obserua, quod peccator diligens proximum suum sicut se ipsum peccatorem, non implet hoc præceptum: nam potius odit proximum sicut se ipsum. Qui enim diligit iniquitatem odit animam suam ait regius psaltes. Peccator inquam peccando se malum potius quam bonũ, infirmum potius quàm sanum, mortuum potius quàm viuum, seruum potius quàm liberum, in statu latronum potius quàm regum vult esse. Quo fit, vt se ipsum odio potius quam amore prosequatur. Peccatum enim, malum quodam est animi, quare peccatum Amans, malum Amat. Qua in re, se ipsum viliorem æstimat rebus suis omnibus. Cui D. Augustinus dicere solebat: bona vis habere & malus vis esse. Peccatũ, animi langor & infirmitas quædã est, quare peccatũ volens: potius malam, quàm bonam valetudiné vult. Imo peccatum non solum langor est, sed mors

[Margin: 1. Co. 12. — D. Ambr. — D. Chrys. — Ec lesi. 5. — Rom. 12. — 1. Pet. 3. — Bonauen. — Qui diligit proximũ, sicut se ipsum peccatoré nõ implet hoc præceptum. — Psalm. 10. — D. Aug.]

mors etiam animæ, vocatur. Alias enim Diuus Augustinus nō diceret: differebā viuere in te, & non differebam in memetipso mori. Quod verò peccator seruus sit peccati, testatur Scriptura sacra: testatur Bernardus inquiens. An non seruus, cui dominatur iniquitas? Quod autem in statu latronum sit, certa atque indubitata res est: cum inferni patibulo adiudicatus assignatusque sit. Si ergo hæc ita sunt, vt reuera sunt: diligens peccator, proximū sicut se ipsum, potius odit quàm diligit: potius illum, malum, infirmum, mortuum, seruum atque latronē esse desiderat, quàm bonū, sanum, viuū, liberum, atque in regali aula enutritū. Qui enim in statu gratiæ sunt constituti, in cælorum regnum ascripti sunt: qui verò in statu peccati in inferorum ciuitatem.

D. Aug. D. Bern.

¶ *Hoc fac & viues*. Animaduerte obsecro, atque mecum hic perpende, quod non dixit legisperito Dominus, serua præcepta ceremonialia, aut iudicialia, & viues: sed quid ait? Hoc fac & viues, id est, hæc præcepta moralia serua & viues. Quo significare voluit, solum præcepta moralia perpetuò duratura: cætera vero abolenda esse. Hoc idem inuere volens Dominus, olim scripsit digito suo præcepta moralia in tabulis lapideis: reliqua verò in papyro, aut membranis scripsit Moyses: item præcepta moralia ore suo prædicauit Dominus audiente populo: cætera verò prædicauit Moyses.

¶ *Hoc fac et viues*. Seruantibus legem non seruientibus sub lege Christus in hoc loco vitā promittit. Aliud est enim seruare legem aliud seruire sub lege. Seruat legem & facit quæ lex præcipit, qui spiritu & voluntate eam implet. Seruit sub lege, qui inuitus & non nisi timore pœnæ legem implet, sicut seruus. Is autem cum nihil nisi seruus sit, ad hæreditatem non admittetur, iuxta illud: seruus non manet in domo in æternum. Vides igitur quod omnis seruitus, excepta Dei seruitute, vana est, &c. Quid igitur facies vt viuas? Quo tenertas vt lex tibi vtilis sit? Necesse est enim legem impleri. Accede ad Christum eius seruituti te addicito, sicque hausto Spiritu sancto: charitas diffundetur in corde tuo, qua repletum cor tuum seruabit libenter Dei legem, & tunc viues. Si ergo vis ad vitam ingredi serua manda: si vitam æternám assequi affectas, hoc fac, & viues.

Legē seruare & seruire sub lege quid. Ioan. 8.

A

Matt. 19.

¶ *Hoc fac et viues*. Nec enim cognitio legis dat vitam, sed obseruatio. Vnde Paulus non enim auditores legis iustificabuntur apud Deum, sed factores. Da mihi liberos, alioquin moriar ait Rachel: quæ pulchros habebat oculos. Nō ergo satis est mysteria legis cognoscere, sed necesse est in bonis operibus fructificare.

Rom. 2. Gen. 30. Figura.

B

¶ *Ille autem volens iustificare se ipsum dixit*. Ex hoc loco docet August. lib. de spiritu & litera. cap. 26. quod in sacra Scriptura, iustificare, vsurpatur pro declarare se ipsum iustum. In qua significatione etiam accipitur apud Matth. c. 11. Iustificata est sapientia à filijs suis. Id est, pronuntiata est esse iusta: calumniantibus eam interim Iudæis. Et in hac significatione explicat Aug. illum locum Pauli ad Rom. c. 2. non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Id est, iusti declarabuntur, & habebuntur. Atque secundū hāc acceptionem vocabuli, facilè est conciliare hoc testimonium Pauli: cum illo, qui habetur tertio capite. Ex operibus, inquit, legis non iustificabitur omnis caro. Nam iste locus accipiendus est de iustificatione qua ex impio quispiam fit iustus: ille vero, factores legis iustificabuntur, de acceptatione diuina qua eum qui iam iustus est propter obseruationem legis acceptat ad vitam.

August. Iustificare quid in sacra Scriptura. Matt. 11. Rom. 2. Rom. 3.

C

D

¶ *Suscipiens autem Iesus dixit*. Suscipiens in hoc loco positum est pro excipiens & succedens, vice respondendi. ad eūdem modum Virgilius, ait, excipit Ascanius. Et Xenophon. καὶ ὁ κῦρος ὑπολαβὼν εἶπεν. Id est. Et Cyrus suscipiens dixit. Ne quidem commissum est interpretis vitio, sed scioli cuiuspiam, cui visum est suscipiēs hoc loco nihil significare, vertere suscipiens, in, suspiciens, vt in aliquibus codicibus leges, quasi Iesus

Suscipiens positū pro excipiens & succedens.

 respon-

responsurus homini suspexerit in cælū.

¶ *Et quis est meus proximus? Suscipiens autem Iesus dixit homo quidā, ect.* Iudæi proximi nomen ferme interpretabātur de suæ gentis hominibus, existimātes sibi fas esse odisse exteros nec in hos quicquam conferre beneficij. Iesus itaque sciens animū hominis: respondet huiusmodi similitudine, rem totam, mystica quadam imagine depingens ac ponens ab oculos, docensque, Dei præceptū de diligendo proximo non esse circunscribendū arctis finibus cognationis ac gentis, sed latius ad omnes homines esse proferendum, cum sæpenumero fiat, vt quā genere proximus est, alienior sit affectu, quàm hostis. Audiamus igitur quid Christus proponat.

Iudæi hominem solū suæ gentis proximum esse putabant, sed falsò vt hic ostēdit Christus.

¶ *Homo quidam descendebat à Hierusalem in Hierico: & incidit in latrones, qui etiam dispoliauerunt eum, &c.* Tales sunt omnes peccatores fideles, qui quāuis habeant fidem dispoliati sunt à gratia, atque dilacerati à dæmonibus. Vt enim qui loca deserta, sed à latronibus habitata, noctu penetrant, non valēt hostiles insidias effugere, sic qui per huius mundi deserta, nocte suorum scelerum sine lumine diuinæ gratiæ iter faciunt, non possunt quandiu à Deo sunt seuocati, bonorum direptionem, malorumque omnium impetum declinare. Talis fuit iste, qui descendens à Hierusalem in Iericho, incidit in latrones: qui eum spoliauerunt, & plagis vulneratum semiuiuū reliquerunt. Sed fuit à cælesti medico curatus, & in diuersorium, hoc est, in Ecclesiam Catholicam adductus. Qui ergo est Hierosolymę colonus, qui requiescit in visione spiritualis pacis, nō existimet se esse omnino securum, potest enim descendere in Ieticho, & qui descendit, & iacet mortiferis vulneribus traiectus, non adhibeat suis sceleribus desperationem, potest enim Hierosolymam ascendere. Id fuit nobis in illa scala demonstratum, quam vidit in somnis Iacob stātem super terram & cacumen illius tangebat cælum, per quam ascendebant angeli & descendebant. Qui in imo iacet, possunt ascendere: qui verò summitatē

Peccatores similes sunt huic homini dispoliato à latronib9. Simile.

Gen. 28. Figura.

A tenent, possunt præcipitari. Est enim tēpus quo fideles multi sunt virtutum opibus locupletes, iustitiam & pietatem colentes: at irruentes in eos diabolus, mūdus & caro, hominum hostes, eos omnibus virtutum ornamentis spoliant, atque pestilentibus vlceribus saucios deformant: sed Christo aduениente, suo fauore & auxilio, sanantur: æternamque beatitudinem consequuntur. Est enim verus Samaritanus iste qui venit ad alligandum vulnera nostra. Quemadmodū olim prædixerat Isaias. c. 61. Spiritus inquit, Domini super me ad annuntiandum pauperibus misit me, vt mederer contritis corde. Lege quæ superius. c. 4. annotauimus inter explicandum hoc vaticinium Isaiæ. ibi. Vt mederer contritis corde. Consideratione secunda. Omnia enim ad rem faciunt.

B

Isai. 61.

¶ *Accidit autem vt sacerdos quidam descenderet eadem via & viso illo præterijt. Similiter & Leuita, etc. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum: et videns eum misericordia motus est, ect.* Hoc exemplo edocemur non oportere (inquit Chrysostomus) fratres lapsos negligere, neque contemnere, verum prospicere quidem illis ante peccatum, cæterū etiam post peccatum multam erga illos præstare curam. Itidem faciunt & medici: præscribunt enim ac præcipiunt hominibus quæ possunt illorum sanitatem tueri, omnemq́ue morbum excludere, cæterum vbi neglexerint præscripta, & in valetudinem aduersam incident, non negligunt eos ipsi, sed tunc maxime multam adhibent solicitudinem, quo illos morbo leuent. Itidem & Paulus fecit, qui eum qui stuprum commiserat, post illud peccatum quod ne inter gentes quidem inueniebatur, non contempsit: verum etiam auersantem nolentemq́ue confiteri peccatum, sed subducere se parantem ac resilientem, reduxit ad sanitatem: & ita reduxit, vt coniungeret corpori Ecclesiæ: neq; dixit apud sese, quid amplius? Quæ vtilitas? Stuprum commisit, peccatum perpetrauit, ne vult desistere à lasciuia, verum sibi placet, & immedicabile

C

Edocemur hoc exemplo qua cura prospicere debeamus saluti spirituali fratris. Simile.

D

1. Cor. 5.

rabile vulnus reddidit. Sinamus igitur illud ac deseramus. Nihil horum dixit, sed propter hoc ipsum maximè multā vsus est erga illum solicitudine, quod ad non referendam malitiam videbat illum esse delapsum, neque cessauit terrere, minari, punire, tum per sese, tum per alios complures, nihil non faciens, nihil non tentans, donec illum ad agnitionē peccati perduxisset, ad sensum iniquitatis, postremò donec ipsum liberasset ab omni nota. Hoc sanè facito tu quoque, imitare Samaritanum istum, qui in hoc Euangelio tantam erga vulneratum pręstitit solicitudinem. Etenim hic præterijt Leuita, præterijt Pharisæus, ac neuter deflexit ad iacentem, sed inclementer crudeliterque relicto seminece abierunt. Samaritanus autem quispiam, qui nulla ex parte illi coniunctus erat, non prætercurrit: sed accurrens misertus est, instillauit oleum & vinum, imposuit asino, duxit ad diuersorium, pecuniam partim dedit præsentem, partim pollicitus est, pro eius qui nihil ad ipsum pertinebat curatione, ne dixit apud sese: quæ mihi cura est istius? Samaritanus sum, nihil mihi cum illo, procul absumus à ciuitate, & ille ne ingredi quidem potest. Quid autem si ferre non possit viæ longitudinem, mortuum adferam? Capiendus sum ob cædem, obnoxius ero homicidio. His sanè de causis multi sæpe prætereuntes ac videntes homines vulneratos, prætereunt, non quod grauētur tollere pecunijsque parcant, sed metuentes ne & ipsi pertrahantur in iudicium, tanquam cædis rei: verùm humanus ille ac mitis nihil horum metuit, sed his omnibus contemptis imposuit eum asino, & in diuersorium perduxit, neq; quicquā harum rerum expectabat, non periculū, non pecuniarum impēdium, non aliud præterea quicquam. Quòd si Samaritanus adeò humanus mitisq; fuit erga hominem ignotum, quam habituri sumus nos veniam si proprios fratres neglexerimus in malis grauioribus? Ne igitur dissimulemus talem tragædiam calamitatemque, neque prætereamus inclemēter tam miserabile spectaculum. Quin

Allegoria parabolæ.

A etiam si alij hoc fecerint, tu ne feceris. Ne dixeris apud temetipsum homo sum mūdanus, vxorem & liberos habeo, ista sacerdotum sunt, ista monachorum. Neque enim Samaritanus ille hæc dicebat; vbi nūc sacerdotes? Vbi nunc Pharisæi? Vbi Iudæorum doctores? Sed perinde quasi venatum quempiam maximū natus esset, ita lucrum arripuit. Et tu igitur cum videris aliquem egentem curatione, vel corporis, vel animi: ne dicito apud te ipsum, quare ille & ille eum nō B curauerunt, sed à morbo libera. Ne petas ab illis causas negligentiæ. Si inueneris aurum iacens, non dicis apud te ipsum, quare illi aut illi hoc non sustulerunt, sed festinas ante alios rapere. Itidē & de fratribus collapsis cogita, putatoque te thesaurum reperisse, nimirum occasionem illis medendi. Etenim si instillaueris illi velut oleum sermonis doctrinam, si obligaueris humanitate temperantiaque vulneratum, si sanaueris, ille te faciet ditiorem quouis thesauro. Qui C enim eduxerit pretiosum ex indignitate, tanquam os meum erit, inquit, ille. Quid huic poterit æquiparari? Quod neque ieiunium, neque humi peractæ cubationes, neque peruigilia, neque aliud quippiam potest efficere, efficit fratris procurata salus. Cogita quàm multa tuū os frequenter peccauerit, quàm multa verba obscæna protulerit, quàm multa conuicia, quā multa maledicta euomuerit, & omnino suscipies collapsi curam. nam hoc vno benefacto omnem illam delere maculam poteris, & quid dico delere? Facies vt sit os tuū, sicut os Dei. D Quid huic bonori possit æquiparari? Si vnum quempiam eduxeris, inquit, vt os meum erit os tuum, purum, sanctumq;. Ne igitur negligamus fratres, neq; prętereūtes dicamus, quam multi sunt alij qui possint istis mederi, sed curā habeamus illorum, exemplo istius Samaritani. Lege Chrysostomum orationem quintā aduersus Iudæos.

Omnium est prodesse proximo.

Simile.

Hier. 15.

Chrysost. orat. 5. aduersus Iudæos.

¶ *Accidit autem vt sacerdos quidā descenderet eadem via: & viso illo præterijt.* Hoc exēplo reprehenduntur sacerdotes nō curātes prouidere de bonis ad

 vitam

Sacerdotũ & præsulum est consulere cõmodis non solum spiritualibus, sed etiam corporalibus subditorum.

vitam corporalem necessarijs proximis suis: contēti prouisione bonorũ spiritualium. De qua re alias diximus: lege in decretis. d. 39. c. 1. & 2. & d. 42. Vbi edocētur nõ solum debere spiritualia, sed etiá carnalia subsidia ministrare proximis exemplo Christi. Item monentur, vt hospitales sint. Ridiculum sané est, in hoc, sacerdotes vinci, non solum à secularibus fidelibus, sed etiam ab infidelibus: quorum imaginem gerit Samaritanus iste. Lege etiam. 14. q. 5. c. denique. vbi. Ambros. ait: sacerdotis est nulli nocere, prodesse velle omnibus: posse autem solius Dei est.

c. 9. lib. 3. de offic.

¶ *Alligauit vulnera eius infundens oleum & vinum.* Hoc exemplo admonētur prælati quo pacto mederi debeant vulneribus subditorũ. Zelus enim iustitiæ miscendus est oleo misericordiæ. Vnde in illum locum Iob. c. 36, non te superet ira: ait glos. Si ira correctionem superat antè opprimit, quàm corrigat: & sub specie zeli iustitiæ, furor est. Zelus ergo iustitiæ quasi ignis ardere debet de oleo misericordiæ. Et sicut ignis lampadem destruit nisi adsit oleũ: sic iustitiæ zelus cor hominis dissipat, nisi ad sit oleũ misericordiæ. Prius enim fleuit Christus destructionem Hierusalem, quam zelo iustitiæ se facturum prædixerat, vt D. Lucas. c. 20. narrat. Vnde D. Gregor. lib. 20. mor. c. 6. in hunc modum ait. Disciplina vel misericordia multum destruitur, si vna sine altera teneatur, sed circa subditos inesse debet rectoribus & iusté consolans misericordia, & pié sæuiens disciplina. Hinc est, quod semiuiui huius vulneribus qui à Samaritano in stabulum ductus est, & vinum adhibetur & oleũ: vt per vinum mordeantur vulnera, per oleum foueantur: quatenus vnusquisq; qui sanandis vulneribus præest, in vino morsum districtionis adhibeat, in oleo mollitiem pietatis. Per vinum mundantur putrida, per oleum sananda fouentur. Miscenda ergo est lenitas cum seueritate, faciendumque quoddam ex vtraque temperamentum, vt neq; multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate soluantur. Hoc nimirũ

Zelus iustitiæ miscendus est oleo misericordiæ à prælatis. Iob. 36. glos.

Simile.

Inf. c. 20.

illa tabernaculi arca significat in qua cũ tabulis virga simul & manna est, quia cũ Scripturæ sacræ scientia est in boni rectoris pectore, si est virga districtionis: sit & manna dulcedinis. Hinc etiam Dauid ait. Virga tua & baculus tuus ipsa me cõsolata sunt. Virga etenim percutimur, & baculo sustētamur. Sit ergo districtio iustitiæ quæ feriat: sit & consolatio baculi quæ sustentat. Sit itaque amor, sed non emolliens. Sit rigor, sed non exasperans: sit zelus, sed non immoderate sæuiens. Sit pietas, sed non plusquam expediat parcens. Intueri libet in Moysi pectore misericordiam, simul cum seueritate sociatam. Videamus amantem pié, & districté seuientem. Certé cum Israeliticus populus ante Dei oculos pene inuenniabilem contraxisset offensam: ita vt eius rector audisset: descende, peccauit populus tuus, ac si ei diuina vox diceret: qui in tali peccato lapsus est, meus non est. Atque subiungeret: dimitte me vt irascatur furor meus contra eos: faciamque te in gentem magnam: ille semel & iterum pro populo cui præerat obicem se ad impetum Dei irascētis opponens ait: aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quē scripsisti. Pensemus ergo quibus visceribus eũdem populum amauit, pro cuius vita de libro vitæ deleri se petijt. Sed tamen iste qui tanto amore eius populi cõstringitur contra eius culpas pensemus quanto zelo rectitudinis accendatur. Mox enim, vt culpæ veniam ne deleretur obtinuit, zelo rectitudinis succensus inquit: ponat vir gladium super femur suum, ite & redite de porta vsque ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem, vxorem, & amicum & proximum suum. Cecideruntque in illo die quasi viginti tria millia hominum. Ecce qui vitam hominum etiam cum sua morte petijt, paucorum vitá gladio extinxit. Intus arsit igne charitatis: foris accensus est zelo seueritatis. Tanta fuit pietas, vt se pro illis coram Domino morti offerre non dubitaret: tanta seueritas, vt eos quos diuinitus feriri timuerat, ipse iudicij gladio feriret.

2. Par. 5.

Psalm. 22.

Exod. 32.

Ibidem.

Ibidem.

Exod. 32.

ret. In regimine ergo vtrumque Moyses miscuit, vt nec disciplinæ deesset miseri cordia, nec misericordiæ disciplina. Vnde in Iob iuxta vtramq; virtutem dicitur: cumq; sederem quasi rex circunstante exercitu, eram tamen mærentium cõsolator. Sedere quippe circũstante exercitu, vigor est disciplinæ regiminis, mærentium vero corda consolari est ministerium pietatis. Hæc Greg. Vi. in decretis totam. d. 45. & peculiariter. c. discipli na. ¶ Administratio ergo ad quam Ecclesiæ primores vocantur tyrannica non est, neque qua seruus ministrat Domino suo: sed qua Dominus & præsidens, intẽdit commoditatibus subditorum, quã medicus intendit saluti infirmantium, pater correctioni filiorum, pastor curæ gregis, rector regimini populi, & gubernator nauis directioni. Hæc ergo administratio non excludit iurisdictionem coactiuam in prælatis Ecclesiæ: vt aliqui hæretici impie machinati sunt, sed potius illam includit. En Samaritanus noster infudit non solum oleum, sed etiam vinum. Quo intelligeremus ad primores Ecclesiæ vtrumq; pertinere & oleũ misericordiæ & vinum disciplinæ. ¶ Cæterum quamuis hæc ita sint, satius est errare in misericordia remittendi, quã in seueritate vlciscendi. Vnde D. Chrysost. explicans illud Matthæi. c. 23. alligãt autem onera grauia & importabilia: sic inquit, tales sunt sacerdotes etiã nunc, qui omnem iustitiam populo mandant, & ipsi nec modicam seruant: videlicet non vt faciẽdo sint, sed vt dicendo appareãt iusti. Tales sunt qui graue pondus venientibus ad pœnitentiam imponunt: quia dicunt & non faciunt: & sic dum pœna præsentis pœnitentiæ fugitur, cõtẽnitur pœna peccati futura. Sicut enim si fascem super humeros adolescẽtis quẽ non potest baiulare posueris, necesse habet, vt aut fascem reijciat, aut sub ponde re confringatur, sic & homo cui & graue pondus pœnitentiæ imponis: aut pœnitentiam reijciet, aut suscipiens dum sufferre non potest scãdalizatus amplius peccat. Deinde & si erramus modicam pœnitentiam imponentes, nõne melius

Iob. 29.

Lege etiã Turrecr. lib 2. summæ de Eccles. c. 47.

Chrysost. Matt. 23.

Simile.

A est propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem? Vbi enim paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus, vt quid sacerdos eius austerus vult apparere. Hæc Chrysost. Vino ergo pœnitentiæ & iustitiæ, & oleo misericordię medenda sunt peccatorũ vulnera: quod si modus in his adhibendis nõ seruetur, melius est, nimiam adhibere misericordiam, quãm immoderatam iustitiam.

Lege. 26. q. 7. præsertim. c. alligant.

B ¶ *Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Hierico, &c.* Hac parabola Dominus taxauit Iudæorum arrogantiam, qui sibi videbantur abunde diligere Deum, quod illius templum adirent, quod immolarent victimas, quod illius præcepta circumferrent in fimbrijs vestium, quod Deum ac Dominum semper haberent in ore: cum Deus & si hæc sancta essent, occulto tamen synceræ puræque mentis affectu magis delectetur. Cæterum erga proximum nullo charitatis affectu tangebantur, sibi propriẽ viuentes, & inuidẽtes etiam quibus oportebat opitulari. Quod si quid officij præ

Explicatur tota parabola.

C stabant, non præstabant nisi sui generis hominibus, cum oporteat omnem hominem esse proximum homini, si quando res poscat subsidium. Sacerdos & Leuita genere proximus erat vulnerato: sed Samaritanus genere hostis, charitate proximus erat. Iudaica religio gentẽ discernit: Euangelica pietas, nescit huiusmodi discrimina gestiens omnibus benefacere, nullo personæ delectu. Quẽadmodum ipse Dominus venit seruandis omnibus, aliquando Iudæis probri

D gratia dictus Samaritanus, sed non offendit vniuersas nationes orbis ignominia vocabuli, cum rem nominis experiantur salutarem. Samaritanus enim Syris custodem sonat. Erat nimirum verus pastor, qui nihil è suis perire patiebatur, quamuis morbidum, quamuis confractum aut erraticum, sed omnes optabat fieri participes salutis æternæ, quod quidem in ipso fuit. Vniuersum genus humanum, malitia Satanæ spoliatum innocentiæ vestibus, satiatum omni vitiorum genere, abiectũ,

destitutum, semiuiuum, ac desperationi proximum, descendens de cælo visere dgnatus est: quoque facilius opitulari posset, assumpta hominis natura proximè accessit ad hominem, videns ac visus, audiens & auditus, contrectans & contrectatus: ac misertus nostræ calamitatis, nostra peccata sustulit in corpore suo, de suo dependit quod nos commerueramus: ac nostri curam egit, qui nullum peccatorem, quamuis humilem, aut abiectum auersatus est. Cum interim sacerdos fastuosus prætereat morientem, cum leuita negligat deploratum, pergens qua cœperat ne quid dispendij capiat in rebus huius mundi, dum proximo subuenit. Habet autem hic Samaritanus hospites suos, quibus ipse proficiscens in cælum, saucium curandum committit, promisso in cælis præmio, si quid ex abundantia charitatis supra quā præceptum erat, impenderint sanando misero. Hi nimirum sunt Apostoli, & Apostolorum successores, per quos etiam hodie curat genus humanum, & à latronū violentia colligit in Ecclesiæ diuersorium, vbi sanantur peccatorum vulnera. Cum igitur iuxta doctrinam Euangelicam amandus sit etiam inimicus, cum iuxta scribæ professionem amandus sit etiam Samaritanus Iudæo, si benefecerit: tamen Iudæi qui memoriter tenebant: diliges Deum tuum supra omnia: diliges proximum tuum æque ac te ipsum: in vno Christo violabant vtrumq; præceptum, & Deum afficientes contumelia, cuius verbis diffidebant, cuius miracula calūniabantur fieri virtute Beelzebub (pater enim Deus erat in filio Deo) & proximum bene merentem oderant, ei machinantes exitium, qui salutē gratis adferebat omnibus. Vtrumq; autem præceptum implerit, qui in Christo & Deum diligit supra omnia, & hominem optime meritum, vt seipsum. Diligitur autem in mēbris suis, in quibus & offenditur, & afficitur ignominia, & occiditur. Lege Diuum Augustinum. 3. libro Hypognosticon contra Pelagianos. Et de verbis Domini, serm. 37. & in lib. 2. quæstionum Euangeliorum. quæstione. 19. & tractatu. 43. super Ioannē.

Aug. to. 7. Aug. tom. 10. Aug. to. 4. Aug. to. 9.

¶ *Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi.* Id est, eum proximum suum rectè agnouisse, & proximi officio erga eum functum.

¶ *Vade.* Imperatiuus loco aduerbij hortantis more Hebraico, agedum.

In Assumptione B. Mariæ.

A

Factum est autem dum irent, & ipse intrauit in quoddam castellū: et mulier quadam Martha nomine, excepit illum in domum suam, & huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedēs secus pedes Domini, audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium: quæ stetit et ait. Domine non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi vt me adiuuet. Et respondens dixit illi Dominus. Martha Martha solicita es, et turbaris erga plurima. Porro vnum est necessarium, Maria optimā partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

B C D

Mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam, & huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini audiebat

diebat verbum illius. Hoc dicto docent omnes sancti duplicem fidelium vitam, actiuam, scilicet, & contemplatiuam. Par est enim omnium iustorum pietas in Dominum, sed diuersa vitæ ratio, diuersa pietatis functio, quemadmodũ in vno corpore sunt vsus membrorum varij, & in corpore Iesu, quod est Ecclesia, varia sunt dona spiritus. Ad vitam contemplatiuam quam Maria sequebatur hortatur, & incitat sponsus in Canticis dicens: adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas, ceruosque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam donec ipsa velit. Et rursum ad vitã actiuam reuocat spõsa dilectum his verbis. Veni dilecte mi egrediamur in agrum, commoremur in villis, mane surgamus ad vineas. Hoc idem significatum nobis fuit olim in arca Noe, in qua erãt homines & aues. Homo enim natus est ad laborem, & auis ad volandum. Sic in Ecclesia Christi sunt, qui contendunt commodis proximorum exemplo Marthæ, & qui vacant Deo volando per contemplationem exemplo Mariæ. Has duas vitas significare volens Dominus Ezechieli, ostendit illi, in manu viri calamũ mensuræ sex cubitorum & palmo. Per calamum (inquit Gregorius) Scriptura sacra designatur. Qui calamus mensuræ esse dicitur: quia in ipsa omnem vitæ nostræ actionem metimur: vt & scilicet videamus, vel quantum proficimus, vel quantum longè à profectu distamus. Nam sæpe aliquid agentes, iam cuiusdam meriti esse nos credimus, sed cum ad verba Dei recurrimus, præcepta sublimia audiuimus: ibi cognoscimus quantum à perfectione minus habeamus. Calamus ergo mensuræ est, quia per manus scribentium vita mensuratur auditorum. Qui calamus in manu viri esse dicitur: siue quia sacrum eloquium in potestate est mediatoris Dei & hominis Christi Iesu, seu certe quia hoc quod scribi voluit, operãdo compleuit. Idem verò calamus sex cubitorũ & palmo esse describitur. Duæ etenim vitæ sunt, in quibus nos omnipotens Deus per sacrum eloquiũ erudit. Actiua videlicet, & contemplatiua.

Duplex vita actiua & contemplatiua. De quibus disserit S. Thom. 2. 2. q. 179 180 & D. Aug. de ver. D. ser. 26. & 27. & tract. vlt. super Ioan.
Can. 3.
Can. 7.
Gen. 7. Figura. Iob. 5.
Ezec. 40.
D. Greg.
Figura.

A Et per sex cubitos quid aliud quàm actiua vita exprimitur, quia sexto die perfecit Deus omnia opera sua. Palmus verò qui super sex cubitos esse dicitur, iam de septimo est, sed tamẽ cubitus nõ est. Actiua ergo vita signatur per sex cubitos, contemplatiua per palmum: quia illam opere perficimus, de ista vero etiã cum cor tendimus vix parum aliquid attingere valemus. Actiua enim vita est, panem esurienti tribuere, verbo sapientiæ nescientem docere, errantem corri- B gere, ad humilitatis viam superbientem proximum reuocare, infirmantis curam gerere, quæ singulis quibusque expediunt dispensare, & cõmissis nobis quali ter subsistere valeant prouidere. Contẽplatiua verò vita est, charitatem quidẽ Dei & proximi tota mente retinere, sed ab exteriore actione quiescere, soli desiderio conditoris inhærere: vt nil iã agere debeat, sed calcatis curis omnibus, ad videndam faciem sui creatoris animus inardescat: ita vt iam nouerit carnis corruptibilis pondus cum mœrore portare, C totisque desiderijs appetere illis hymnidicis angelorum choris interesse, admisceri cælestibus ciuibus, de æterna in cõspectu Dei incorruptione gaudere. In palmo itaque manus & digiti tendũtur, sed parum quid de mensura cubiti per palmum coniungitur, quia quantolibet amore animus ardeat, quantalibet virtute se in Domino & cogitatione tetenderit nõ iam quod amat perfectè videt: sed adhuc inchoat videre quod amat: quia sicut fortissimus prædicator dicit: videmus nunc per speculum in ænigmate, D tunc autem facie ad faciem. Et nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. De septimo ergo cubito palmum tangimus, qui in hac vita positi contemplationis intimæ sola initia degustamus. Actiua autem vita, quia perfectè teneri potest, & sexto die homo est conditus: qui bona debet operari: sex cubitos calamus habet. Benè has vtrasque vitas duæ istæ mulieres signauerunt: Martha videlicet & Maria, quarum vna satagebat circa frequẽs ministerium, alia verò sedebat ad pedes

1. Cor. 13.

 Dei,

Gen. 29. Figura.

Dei, audiebat verba de ore eius. Has vtrasque duæ Beati Iacob mulieres signauerunt: lya videlicet & Rachel. Lya quippe interpretatur laboriosa, Rachel vero ouis, vel visum principium. Actiua autem vita laboriosa est: quia desudat in opere. Contemplatiua verò simplex ad solum videndum principium anhelat: videlicet ipsum qui ait: ego sum principium: propter quod & loquor vobis. Beatus autem Iacob Rachel quidem cõcupierat, sed in nocte accipit Lyam, quia videlicet omnis qui ad Deum conuertitur, contemplatiuam vitam desiderat, quieté æternæ patriæ appetit: sed prius necesse est, vt in nocte vitę presentis operetur bona quæ potest, desudet in labore, id est, lyam accipiat, vt post ad videndum principium in Rachel amplexibus requiescat. Erat autem Rachel vidẽs & sterilis. Lya autem lippa sed fæcũda. Rachel pulchra & infæcunda. Quia contẽplatiua vita speciosa est in animo: sed dũ quiescere in silentio appetit, filios non generat ex prædicatione. Videt & non parit: quia quietis suę studio minus se in aliorum collectione succendit. Et quantum introrsus conspicit: aperire alijs prędicando non sufficit. Lya verò lippa & fæcunda est, quia actiua vita dum occupatur in opere, minus videt: sed dum modo per verbum, modo per exemplum ad imitationem suam proximos accendit, multos in bono opere filios generat. Etsi contemplatione mentem tendere non valet, ex eo tamen quod agit exterius, gignere sequaces valet. Hæc Grego. homil. 14. in Ezech. Vi. eundem lib. 6. mor. c. 28. & Rupertum, lib. 7. in Genes. c. 31.

Ioan. 8.

Gregor. Rupert.

Ezech. 1. Figura.

¶ Has easdem vitas bene ac breuiter Ezechiel propheta exprimit, cum volantia animalia contemplatus ait: & similitudo manus hominis subtus pennas eorũ erat. Quid enim per pennas animalium, nisi contemplationes possumus sentire sanctorum: quibus ad summa transuolant, & terrena deserentes, sese in cælestibus librant? Quid per manus nisi operationes accipimus? Quia cum in proximi amore se dilatant, bona quæ præualent, etiam corporaliter administrant. Sed

A manus eorũ sub pennis sunt, quia actionis suæ opera virtute contemplationis vincut. Easdem etiam vitas spiritualiter Dominus significare volẽs ait apud Iob c. 5. ingredieris in abũdantia sepulchrũ, sicut infertur aceruus tritici in tempore suo. Quid enim sepulchri nomine, nisi contemplatiua vita signatur: quæ nos quasi ab hoc mũdo mortuos sepelit, dũ à terrenis desiderijs susceptos in intimis abscondit? Ab exteriori quippe vita, mortui, etiam sepulti per contemplationem fuerant, quibus Paulus dicebat: mortui

Iob. 5.

Colos. 3.

B enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. ¶ Actiua quoq; vita sepulchrum est, quia à prauis nos operibus mortuos tegit, sed contemplatiua perfectius sepelit, quia à cunctis mundi actionibus funditus diuidit. Quisquis ergo iam in se cõtumelias carnis edomuit, superest vt mentẽ per studia sanctæ operationis exerceat, & quisquis iam mentem per sancta opera dilatat, superest vt hanc vsque ad secreta intimæ contemplationis studia extendat. Neque enim

C perfectus prędicator est, qui vel propter contemplationis studium operanda negligit, vel propter operationis instantiã contemplanda postponit. Hinc est enim quod Abraham coniugem mortuam in sepulchro duplici sepelit, quia nimirum perfectus quisque prædicator extinctã à præsentis vitæ desiderijs animam suã, sub bonæ operationis tegmine & contẽplationis abscondit, vt à carnali concupiscentia, sub actiua contemplatiuaque vita quasi insensibilis lateat, quæ prius mundi desideria sentiens mortaliter vi-

D uebat. Hinc est, quod humani generis redemptor per diem miracula in vrbibus exhibet, & ad orationis studium in monte pernoctat: vt perfectis videlicet prædicatoribus innuat, quatenus nec actiuã vitam amore speculationis funditus deserant, nec contemplationis gaudia penitus operationis nimietate cõtemnãt, sed quieti contemplantes sorbeãt, quod occupati erga proximos loquentes refundant. Speculando quippe in Dei amorem surgitur, sed prædicando ad proximi vtilitatem reditur. Vnde apud Moysen

Gen. 23. Figura. Vid. Vgo de S. Vict. 3. p misc. 2. lib. 2. ti. 27.

Num. 19. Figura.

Moysem dum in sacrificio vacca mactatur, offerri cum hysopo lignoque cedrino bis tinctus coccus praecipitur. Vaccã quippe mactamus, cum carnem à lascivia suae voluptatis extinguimus, quam cum hysopo lignoque cedrino ac cocco offerimus: quia cum maceratione carnis sacrificiũ fidei, spei & charitatis adolemus. Hysopus quippe interna nostra mundare consueuit. Et per Petrum dicitur: fide mundans corda eorum. Lignũ cedrinum nulla putredine deficit: quia spem caelestium terminus nõ consumit. Vnde & per Petrum dicitur: regenerauit nos in spem viuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis in haereditatem incorruptibilem & incontaminatã & immarcessibilem. Coccus verò rubro colore flamescit: quia quem implet charitas, incendit. Vnde & in Euangelio veritas dicit ignem veni mittere in terrã. Sed bis tinctus coccus offerri praecipitur: vt videlicet ante interni iudicis oculos, Charitas nostra, Dei & proximi dilectione coloretur: quatenus cõuersa mẽs, nec sic pro amore Dei quietem diligat, vt curam proximi vtilitatemq; postponat: nec sic pro amore proximi occupatione inseruiat, vt quietem funditus deserens ignem in se superni amoris extingat. Quisquis ergo semetipsum Deo iam sacrificium obtulit, si perfecta desiderat, curet necesse est, vt non solum ad operationis se latitudinem, verũ etiam ad culmina contemplationis extendat. Haec Greg. lib. 6. mo. c. 24. & 25. ¶ Quid quod Moyses crebro intrat in tabernaculum, & exit à tabernaculo: nisi quod is qui intus in contemplationem rapitur: foris infirmantium negotijs vrgetur. Intus arcana Dei considerat, foris onera carnalium portat. Qui de rebus dubijs semper ad tabernaculum recurrit: coram testimonij arca Dominum consulit: exemplum praebens doctoribus: vt cum foris ambigunt quod disponant, ad mentem quasi ad tabernaculum semper redeãt: & velut coram arca testimonij Deũ consulãt. Sed de his in quibus dubitãt apud se: intus sacri eloquij paginas requirant. Vnde Matth. c. 14. scribitur, vt superius

Acto. 15.

1. Pet. 1.

Luc. 12.

Gregor. Figura.

Matt. 14.

A iam diximus, quod Christus in monte orationi inhaeret: miracula in vrbibus exercet: imitationis viam bonis rectoribus externens: vt si iam summa contemplando appetunt: necessitatibus tamen infirmantium compatiendo misceãtur. Quia tunc ad alta charitas mirabiliter surgit, cum ad ima proximorum misericorditer se attrahit. Et quomodo benigne descendit ad infima, valenter recurrit ad summa. Haec Glossa. numer. 7.

Glossa.

B ¶ Si ergo sapimus hanc duplicem vitam amplectemur, imitemur Iacob: vtamur consilio Rebeccae: discedamus ab Esau, eamus cum Iacob, diuertamus ad domũ Laban. vt ibidem Lyae & Rachelis vtamur coniugio: vt literis & ouium gregibus ditati reuertamur ad patriam. Si verò reuertentibus nobis occurrerit Esau, si amplexabitur stringens colla nostra & osculatus fleuerit: caueamus nobis ne decipiamur. Si dixerit nobis, gradiamur simul: ne cõsentiamus, ipse enim cum impetu graditur: paruulos autem nostros & ouium greges suauiter oportet incedere. Rebecca, multa patientia interpre

Gen 27. Figura.

Vita actiua & contemplatiua ditatur anima.

Gen. 33.

C tatur. Consilium siquidem Rebeccae est exhortatio patientiae: vt ab his in quibus animae periculum times, cedens declines. Duo enim Rebecca praecepit Iacob: vt discederet ab Esau & seruiret Laban. Hoc idem praecepit Dauid: diuerte (inquit) à malo: & fac bonũ. Per Esau verò designatur carnalis affectus. Ab Esau igitur discedit: qui carnalibus desiderijs non consentit. Cum Iacob verò graditur qui contra vitia luctando, ambulans in via immaculata, in lege Domini meditatur die ac nocte. Laban siquidem seruiunt qui Deo obediunt. Haec

Psalm. 33.

D enim tria fecit Iacob (vt D. Ambros. ait) obediuit matri, cessit fratri, seruiuit auunculo. Quàm dulce est commorari in domo Laban etiam laboranti? Nihil est amanti difficile, nihil est graue desideranti venire in amplexus Rachelis: videntur enim pauci dies laboris prae amoris magnitudine. Recepit ergo Iacob Rachel & Lyam, id est, actiuam vitam & cõtemplatiuam. Ditatur autem liberis & gregibus ouium: dum bonis operibus abun-

D. Ambr.

abundat & multitudini simplicium cogitationum. Sed huic reuertenti ad patriam, quem prius fugerat frater occurrit. M. ca res etiam perfectus, quandoque blanditur affectus carnis. Ecce quomodo Iacob ambulat cum Esau, amplexatur, & stringit, osculatur & plorat. Ambulatio spiritualis Iacob & carnalis Esau est animi voluntas: amplexus voluptas, strictio cupiditas, osculum adulatio: fletus carnalis affectio. Ambulat itaq; pedibus, amplectitur brachijs, manibus stringit, labijs osculatur, oculis plorat. Duo pedes quibus Esau ambulat, id est, carnalis affectus cum animo spirituali: sunt leuitas & vanitas voluntatis. Duo brachia: delitiæ & diuitiæ voluptatis. Duæ manus quibus stringit: sunt rapacitas & tenacitas cupiditatis. Duo labia sunt captatio beneuolentiæ & ostensio carnalis amicitiæ, quæ pertinent ad adulationem. Duo oculi sunt societas & consanguitas: quæ respiciunt carnis affectionem. Hæc sunt quæ blandiuntur nobis ambulantibus in via Domini. Igitur si occurrerit tibi Esau: roga vt discedat: fuge peruersum fratrem: vt habeas pacé. Vade cum Iacob: cum eo enim paruuli ambulant. Qui enim vitia supplantant: humilitatis societatem semper amant. Hæc Vgo de Sancto Victore. ¶ Cæterũ, si Iacob imaginem gerentem nostræ vitæ sequi non libet, cum illoque ditescere: saltem nostrum Emanuelé imitemur, cibo quo ille reficiebatur, reficiamur: si vita cælesti viuere volumus. Scriptum est enim apud Isaiam de illo: butyrũ & mel comedet. Butyro ergo & melle vires animi reficiãtur. Butyrum est (vt omnes nouimus) pinguedo ex carne veniẽs. Mel dulce de rore cæli descẽdens. Quid igitur per butyrum accipimus nisi refectionem boni operis quod per corpus exprimitur? Et quid per mel, nisi eá quæ dono gratiæ desuper infunditur dulcedinem contemplationis? Ipse ergo butyrum & mel comedit qui in homine assumpto & desuper plenitudinem spiritus accepit: & sicut homo subter per carnem opera virtutum exhibuit. Butyrum enim & mel comedere est, cor in affectu

Vgo. de claustro animæ. c. 9.

Vicꝫa acti ua & contemplatiua reficitur anima

Isai. 7.

A pietatis, & foris per bona opéra, & intus per contemplationé exercere. Sed alius ad refectionem comedit, alius ad delectationem. Qui in plenitudine virtutis, vel nondum habita, vel amissa defectũ patitur, is cibo indiget, vt refectione roboratus solidetur. Qui autem in plenitudine sua defectum siue diminutioné nõ recipit: is cibum ad refectionem non requirit. Nos igitur qui puri homines sumus, & per accessum téporis ad augmentum virtutis proficimus: pro necessitate nostri defectus, butyrum & mel non solum ad delectationem, sed etiam ad refe-B ctionem manducamus. Butyrum, vt in nobis per opera pietatis foris exerceatur amor proximi. Mel vt per contemplationem veritatis intus nutriatur amor Dei. Lege Vgonem de sancto Victore, ex miscella. lib. 1. tit. 2. ¶ Hac ergo cythara composita ex ligno & cordis vtamur si Domino psallere volumus. Hoc fauo cõdito ex cera & melle cibemur si scire volumus, quã suauis sit Dominus. Hac denique virga partim decorticata, partim non, exéplo Iacob vtamur si diuites effi-C ci desideramus. ¶ Obserua tamen quod prius Martha excipit Dominum Iesum in domum suam, postea Maria sedet ad pedes eius, vt audiat verbũ cæleste. Quo significare nobis voluit Spiritus sanctꝰ, per actiuam vitam eundum esse ad contemplatiuam. Prius enim Iacob duxit in vxorem Lyam, quàm Rachelem. Post Lyę ergo amplexus, ad Rachelem Iacob peruenit: quia perfectus quisque anté actiuæ vitæ ad fœcunditatem iungitur, & post contemplatiuæ ad requiem copulatur. Igitur dum repente quis omis-D sis his gradibus, festinando ad arcem cõtemplationis, Rachelem præripere contendit, bené nonnunquam cum illo agitur, vt prius Lyæ teneatur nuptijs, videlicet protractus foras, ad actiones laboriosas frequentis ministerij. Qui si contra quid musitet, vel querulo gestu strideat, dicit ei sancta Scriptura: non est in loco nostro consuetudinis, vt minores ante tradamus ad nuptias. Id est, non ita se habet ordo, vt ad contemplatiuã, quæ minus operando minor est, ante vsum actiuæ

Vgo de S. Vict.

Simili.

Gen. 30.

Per vitam actiuã eundum est ad cõtemplatiuam.

Gen. 29.

Figura.

actiuæ vitæ quisque prosiliat: imple heb domadam dierum huius copulæ, & hãc quoque poteris obtinere. Nam sicut sex diebus cuncta Deus operatus est, & in septimo requieuit: sic prius oportet quemque in sex prædictis misericordiæ operibus exerceri, vt tunc demum iure in cõtemplatiua Sabbatizare possit. Gregor. 6. Mor. cap. 28. Rupertus in Genes. lib. 7. cap. 31. ¶ Quanto veró præstantior sit vita Mariæ, hoc est, contemplatiua: quãtumque excellat vitæ Marthæ, hoc est, actiuæ: facilè ostendi potest. Contemplatiua enim Deo intendit, actiua vero proximo. Contemplatiua ait: mihi adhærere Deo bonum est. Hoc vnum est mihi necessarium. Vnum hoc petij à Domino & hoc requirã. Actiua verò, solicita ero circa pauperum ministerium. Vnde Isidorus de summo bono ait. Actiua vita mundanis rebus bene vtitur: cõtemplatiua verò mundo renuntians: soli Deo viuere delectatur. Contemplatiua plus multo videt quàm actiua. Hæc enim lippa est, illa vero oculos habet linceos. Hinc est, quod Lya lippis erat oculis: Rachel verò minime. Vnde D. Gregorius, inquit, mens quæ contemplando otia appetit, plus videt, sed pauciores filios Deo generat: qui verò ad laborem prædicationis se dirigit, minus videt & amplius parit. Cõtemplatiua pulchrior est actiua: erat enim Rachel decora facie, & venusto aspectu. Vnde Salo. De sapientia loquens in prouerbijs sic ait: viç eius viæ pulchræ. Et in can. c. 5. Sponsa respondet. Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Contemplatiua multò securior est quàm actiua. Frustra enim iacitur rete ante oculos pennatorum ait idẽ Salomon. Quæ verba exponens glossa inquit: facilè euadit laqueos in terris, qui oculos habet in cælis. Contemplatiua quieta est, & tranquilla: at actiua inquieta & solicita. Illa sedet ad pedes Domini, ista verò solicita est: illa non patitur a Domini pedibus diuelli: ista sursum ac deorsum circum agitur. Vnde glossa. Maria, inquit, sedet, quia contemplatiua paccatis vitiorum tumultibus optata iam in Christo mentis quiete fruitur: Martha stat, quia laborioso actiua desudat incertamine. De prædictis tribus vitæ contemplatiuæ conditionibus, hoc est, pulchritudine, securitate, & quiete intelligens Isaias ait Dei nomine. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. De securitate autem huius vitæ ait Spiritus sanctus Deuter. 33. Amantissimus Domini habitabit confidenter. Vir enim contemplationi deditus, amantissimus Domini vocatur. Contemplatiua permanet, actiua tandẽ cessat. De illa enim Dominus ait: quæ non auferetur ab ea in æternum. Contẽplatiua, inquit glossa. Hic incipit & in cælesti patria perficietur: quia amoris ignis, qui hic ardere inchoat, cum ipsum quẽ amat viderit, in amore amplius ignescit: actiua cum corpore deficit: quia in ęterna vita panem non porriget esurienti: quia nemo esuriet, nec cætera opera pietatis aget: quia non erunt necessaria. Cõtẽplatiua Deo familiarior est: cuius imaginem gerebat Ioannes discipulus ille, quẽ diligebat Iesus: & qui supra pectus Domini in cœna recubuit. Contemplatiua pretiosior est, quod rarior sit quam actiua. Actiua (inquit Isidorus) communis multorum est, contemplatiua verò paucorum. Huius figuram gerebat arca Noe: de qua dicitur in cubito consumabis summitatem eius. In principio tamẽ lata erat. Trecentorum, inquit, cubitorũ erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo. Quem locum exponẽs D. Grego. in hunc modum scribit. Videmus multos in Ecclesia superbire & lasciuire, & terrenis rebus inhiare, irasci, rixari, & proximum lædere: sed quia Ecclesia tolerat eos, vt conuertantur: quasi in arcæ latitudine bestiæ fuisse dicũtur. Videmus alios aliena non rapere, illatã iniuriam æquanimiter portare, rebus proprijs contentos esse, humiliter viuere: sed quia iam pauci sunt, angustatur arca. Alios videmus etiam possessa relinquere, nullum terrenis rebus studiũ dare, inimicos diligere, carnẽ domare, omnes motus ratione premere, per cælestę desiderium contẽplationis penna subleuari:

Marginalia: D. Greg. Ruper. — Contemplatiua multo præstatior est vita actiua. — Psalm. 72. — Psalm. 26. — Isidor. — D. Greg. — Prou. 3. — Can. 5. — Prou. 1. — Glossa. — Isai. 32. — Deut. 33. — Glossa. — Ioan. vlt. — Isido. lib. de summo bono. — Gen. 6. Figura. — D. Greg.

uari: sed quia valde rari sunt, id arca iuxta cubitum ducitur, vbi homines & volatilia continentur. Contemplatiua vitę cælesti similior est. Ibi enim (vt August. ait) vacabimus & videbimus, videbimus & amabimus, amabimus & laudabimus. Loquitur de illa cælesti patria. At in hac mortali vita viri contemplatiui etiā vacant & vident quod Dominus ipse est Deus. Vacate (inquit) & videte quoniā ego sum Deus. Denique cum contēplatiua sit finis actiuæ, præstantior profectò illa erit. Qui prius (inquit Isidorus) in hac vita proficit bene ad contemplationem conscendit. His ergo satis constat vitam contemplatiuam superiorem esse actiua. 2. Reg. c. 17. sacra narrat historia Sobi, Macher, & Berzellai, regem Dauid muneribus honorasse. Obtulerūt enim ei inter alia, stratoria & tapetia & vasa fictilia. Nos igitur vero Dauid Christo eadē munera offeramus. Per stratoria quæ primo loco à Spiritu sancto ponuntur quietem contemplationis intellige. Primum ergo posuit quod præcæteris diligit. Vnde regius vates inquit: diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Dominus enim portas Sion super omnia tabernacula Iacob diligit: quia etiam ipsum initium supernæ contemplationis omnibus operibus bonæ conuersationis iusti amando anteponit. Per Sion namque intelligitur superna contemplatio: per portas Sion: eiusdem contemplationis inchoatio. Per Iacob effector boni operis. Per tabernacula: quælibet fabrica bonæ conuersationis. Sic & tapetia quia domum in qua extenduntur ornatam reddunt, sanctę conuersationis honestatem figurare possunt. Vasa fictilia, nostra fragilia significant corpora, quæ tunc Christo offerimus cum eius obsequijs ea mancipamus. Vgo de Sancto Victore. 2. part. serm. 60. institutionis monasticæ. De hac superexcellentia vitę contemplatiuę lege quæ D. Hieron. annotauit threnorum. cap. 3. in illa verba sedebit solitarius, & tacebit quia leuauit se super se.

Vt lib. de ciuit. Dei.

Psalm. 45.

Libr. de summo bono.

2. Re. 17. Figura.

Stratoria contēplatio.

Psalm. 86.

Sion.

Tapetia.

Vasa fictilia.

Vgo.

¶ *Et huic erat soror nomine Maria: quæ etiam sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius.* Iam in superioribus satis de vtraque vita diximus nunc operæpretium est de singulis separatim & sigillatim nonnulla differere. Maria ergo quæ feriata à negotijs domesticis, assidebat ad pedes Domini Iesu, audiēs sermones illius, quibus à Deo rapiebatur, vt oblita cæterorum nō posset auelli, imaginem gerit vitæ contemplatiuæ vt superius docuimus. Hæc vita est Margarita illa pretiosa, pro qua emenda, dan da sunt omnia huius mundi bona. Qui enim cælestis vitæ dulcedinem in quantum possibilitas admittit, perfectè cognouerit: ea quæ in terrenis amauerat, libenter cuncta derelinquit: in comparatione eius vilescunt omnia, deserit habita, congregata dispergit, inardescit in cælestibus animus, nihil in terrenis libet; deforme conspicitur quicquid de terrenæ rei placebat specie, quia sola pretiosę Margaritæ claritas fulget in mente. De cuius dilectione rectè per Salomonem dicitur: fortis est vt mors dilectio: quia videlicet sicut mors corpus interimit, sic ab amore rerum corporalium æternę vitæ charitas occidit. Nam quem perfectè absorbuerit, ad terrena foris desideria velut insensibilem reddit. Greg. ho. 11. super Euangelia. ¶ Hanc ergo Margaritam pretiosam Maria inuenit, hanc amplexata est, pro illa comparanda omnia terrena contempsit: illam tam fortiter tenuit, vt ab illa nūquam diuelli potuerit. Hanc nos emamus, & non angeli non Archāgeli vocabimur: sed Seraphinorum nomine gaudebimus: atq; apud illos in cælesti patria Deo in perpetuum fruemur. Sunt nonnulli (inquit Greg.) qui supernæ cōtemplationis facibus accensi, in solo conditoris sui desiderio anhelant: nihil iam in hoc mundo cupiūt, solo æternitatis amore pascuntur, terrena quæque abijciunt, cūcta temporalia mente transcendunt, amant & ardent, atque in ipso suo ardore requiescunt: amando ardent, loquendo & alios accēdunt, & quos verbo tangunt, ardere protinus in Dei amore faciunt. Quid ergo istos nisi Seraphin dixerim, quorum cor in igne conuersum lucet & vrit: quia & men-

Vita contemplatiua Margarita est pretiosa.

Can. 8.

Gregor.

Viri contemplatiui inter seraphinos collocantur in cælo.

mentium oculos ad superna illuminât, & eos compungendo in fletibus vitiorum rubiginem purgant? Qui ergo ita ad amorem sui conditoris inflammati sunt, quo nisi inter Seraphin numerum sortem suæ vocationis acceperunt? Gregor. hom. 34. in Euangelia. ¶ Vitam hanc Mariæ non modo Dominus solũ approbauit, sed olim etiam, cum septimam diem, in qua requieuit ab omni opere quod patrarat, sanctificauit. Ideoq; vir omnis spiritualis (inquit Rupertus) non vno die hebdomadis, sed omni tempore Sabbatizare satagit, semper intẽtus verbo Dei, iuxta Psalmistam qui de hoc sabbato loquitur: imo per quem loquitur ipse sabbatorum Dominus: vacate (inquiens) & videte, quoniã ego sum Deus. Vacate namque à seculi actibus, & in sancto & quieto studio videte, quoniã Dominus est Deus, illius inchoatio sabbati est, quam & contemplatiuam vitam dicimus, quam optimam partem esse testatur ipsa veritas. Maria (inquiens) optimã partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Cuius suauitatem iam in præsenti suis amatoribus dulciter aspirantem, sciens idem Dominus alibi loquitur: venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meũ super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Ruper. 2. in Genes. c. 19. ¶ Hanc vitam præcipué agere homines, cum primo cõditi sunt, volebat Dominus: ideo tunc temporis in illo terreno paradyso omnia animantia illis ad nutum seruiebant, cibumque ad vitam necessariam sine aliquo labore terra illis administrabat. Post peccatum vero, Marthæ vitam suscepit homo, dum vestimẽtum ex folijs consuit, dum in sudore vultus sui quæsiuit panem suum, dum erga plurima distrahi & occupari cæpit. De qua re lege Damascenum lib. 2. Orthodoxæ fidei. c. 11. ¶ Hanc ergo vitam tam pretiosam teneamus, si primorum parẽtum vitam illam ante peccatum actam: exprimere volumus. Quid enim tã proprium homini quàm Deo conditori & autori suo ac glorificatori vacare? Quid

Vitam cõtemplatiuã approbauit dñs cum diem 7. sanctificauit.

Psal. 45.

Matt. 11.

Rupertus.

Damasce.

Vita contemplatiua est maxime propria homini.

A tam proprium sponsæ, quàm dilecto soli intendere, & liberé in amoris se exercere negotio, ac iuxta pedes eius sedere & audire verbum supernum? Martha solicita erat & turbata erga plurima. Maria tamen optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Optima pars contẽplationis & dilectionis est vsus, propria sane nobis. Nam & si illa sunt opera charitatis quæ exhibebat Martha: ibi tamen seruit charitas necessitati, non charitas sibi. In subleuandis alienis necessitatibus

B bonum opus, sed molesta causa. Bona enim misericordia: sed molesta miseria. Bona curatio, sed circa quem versatur non bonus langor. Bonus etiam huiusmodi compassionis affectus: sed non bona compassionis occasionem ministrans alterius passio. Fraternis in necessitatibus charitas intuetur cui cõdoleat, quò moueatur ad miserationem, quid amouere nitatur. At cum dilecti contemplãtur virtutes, totum placet totũ delectat, totum allicit: nihil ibi videt quod horreat, sed cui dulciter adhæreat. Hic pro-

C prius amoris vsus est, hoc eius officium, vt totus sit in amando. Sic est plane cum vna & indiuidua iucunditas omnia conuoluit & complectitur: officium, finem, & causam. Officium amor est: causa visio: finis vtrumque. Neque vllus esse potest beatior finis quam ipsa visio & dilectio Dei. Omnia ad hunc finem sanctorũ vota suspirãt. Finis iste ipse sibi finis est, se ipso contentus, in melius aliquid expectationem porrigere non valẽs. Hoc est illud vnum quod necessarium dicitur, quod à Maria non tollitur: in quo

D Psalmista gratulatur: mihi (inquit) adhęrere Deo bonum est. Hic est ille mentis excessus, qui vsque ad tertium cælũ Paulum rapuerat. Hæc ebrietas temulento similem Annæ vultum expresserat. Hoc musto madebant Apostoli cum illos vehemens replerat spiritus, & illius, quod nouum pollicitus est Iesus, vini virtutẽ primo sensere. Hoc vino infusus Noe spiritualis passus est soporis excessum, & carnis curam post habuit, totus factus in spiritu, posteriora contemnẽs, quem anteriora tenebant ex integro. Talem sibi

Psal. 72.
2. Cor. 12.
1. Reg. 1.

Acto. 2.

Matt. 26.

Genes. 9.

appre-

apprehensæ iugitatem præsentiæ sponsa polliceri videtur cum dicit: tenui illũ nec dimittam. Quid enim præclarũ, quid spirituale, quid sponsa dignum diceretur, si ad fidem, si ad iustitiam, si ad humilitatem, ad continentiam, ad beneficentiam, & ad reliquas virtutes id referre quod ait, non dimittam illum? Nam nec his vacua credenda est etiam cum dilectum quæ siuit. Denique & communes huiusmodi virtutes, & ita habentibus cõmode, vt caruisse nefas credatur. Eximium ergo & singulare quippiam hæc indicat intentio, per quam dilectum & comprehensum applaudit, & non dimittẽdum præsumit. Fortè primitiæ aliquæ sunt futuræ contemplationis & gloriæ, propter quod adiungit: donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ, in illam cælestem Hierusalem quæ mater est omnium nostrum, cuius muros salus occupat, & portas laudatio, cuius in pacẽ positi sunt fines. In illum locum lucis & lætitiæ, laboriosæ vitæ huius non possunt introduci virtutes: quæ si ingrediuntur per meritum, tamen excluduntur per vsum. Cælestem ergo aliquam affectionem & supermundanum saporem in dilecto experta, non iactando, sed gratulãdo dicit: non dimittam illum, donec introducam in domum matris meæ. Hanc ergo vitam eligamus quæ Dominum tenet, quæ non dimittit, quæ optima est, quæ non auferetur à nobis in æternum: quę deniq; propria nobis est ad id enim conditi sumus, vt illã agamus. Lege Gilibertum Abbatem super Cant. sermo. 10. Lege præterea quæ Doctor Sanctus docet. 1. 2. q. 3. art. 5.

Cant. 3.

¶ *Sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius*. Humilitas ergo est, quæ vitam Mariæ impetrat, humilitas quæ sapientiam cælestem audit, quę verbum Dei recipit. Quãto humilius (inquit Augustinus) sedebat Maria, tanto amplius capiebat. Confluit enim aqua ad humilitatem vallis de supercilio montis. Bona ergo via humilitatis (vt ait Bernardus) qua veritas inquiritur, charitas acquiritur, generationes sapientiæ percipiuntur. Ptholomeus Philosophus dicebat: inter sapientes sapientior est qui humilior existit. Alius item sapiens cum intelligeret Alexandri superbiã, ait illi: Deus præsto est largiri sapientiam, sed non habes vnde eam recipias. Lege quæ superius annotauimus in illa verba: quia sum humilis corde. Humiles ergo simus, ad pedes Domini sedeamus, si sapiẽtiam cælestem & audire & parare nobis, inardescimus. Bonum (inquit Hieremias) est viro si portauerit iugum ab adolescentia sua: sedebit solitarius & tacebit, quia leuauit se super se. Ponet in puluere os suum. Ille quippe (inquit Hiero.) in puluere ponit os suũ qui humiliter sentiẽs, fragilem se cognoscit: & de puluere se factum, iterum in puluerem reuersurũ fatetur. Is ergo aptus est, vt theoricam, id est, contemplationem Dei, eleuatus super se, attingat: is sedet ad pedes Domini: qui cum Abrahamo ait: loquar ad Dominum meum cũ sim puluis & cinis.

humilitas vitam Mariæ hoc est sapientiã impetrat.
De verb. Dom.
lib. de 12. gradibus humilitatis.
Ptolomeus
Thre. 3.
D. Hiero. Thre. 3.
Gen. 18.

¶ Hinc colliges homines inquietos & superbos, ineptos esse ad diuina mysteria inquirendum & contemplãdum: aptos vero, ad errores gignendum. Vnde D. Gregor. ait: sunt nonnulli inquieti spiritus, qui dum plus exquirunt contemplãdo quàm capiũt, vsque ad peruersa dogmata erumpunt: & dum veritatis discipuli esse humiliter negligunt, magistri errorum sunt. His consulendum est, vt vitam contemplatiuam non sequantur, sed actiuam. Vnde Dominus per semetipsum dicit, si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eũ, & proijce abs te. Bonũ est tibi cum vno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis. Duæ quippe vitæ actiua, scilicet, & contemplatiua, quasi duo oculi habentur in facie. Dexter namque oculus vita contemplatiua est, sinister actiua. Qui ergo non sedent cum Maria iuxta pedes Domini, id est, qui inquieti & superbi sunt, vitam contemplatiuam quæ mentem quietam & cor humile postulat, nõ sequantur: si in maximos errores labi nolunt. Hos enim contemplatiua vita vltra modũ & vires assumpta cogit à veritate cadere, quos in statu suæ rectitu-

D. Greg.
Matt. 18.

rectitudinis humiliter poterat actiua so la custodire. Quibus rectè hoc quod præfati sumus, veritas dicit: si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum & proijce abs te. Bonum tibi est cũ vno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Ac si apertè dicat: cum ad contemplatiuam vitam idoneus non sis, aut quia inquietus, aut quia superbus, aut quia indiscretus sis, solam securius actiuam tene: exerce te ipsum in pietatis operibus. Melius enim tibi est per solam actiuam in regnum cælorum intrare quàm vtramque secutus condemnari.

Matt. c.5.

Vi. Greg. lib. 6. mo. c. 26.

A vita cõtemplatiua nullus est reuocãdus vi.

¶ *Domine non est tibi cura, &c.* Obserua, quòd & si conquesta fuerit Martha de Maria, nec eam Dominus surgere coegit, neq; surgere vetuit, illius volũtati relinquens vtrum horum duorũ potius elegisset. Quo exemplo docet, viros cõtemplatiuos rogari quidem posse, vt à contemplatione discedant: cogi tamen non posse. Hoc idem erat quod in Canticis sponsus dicebat: adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas, ceruosq; camporum: vt non suscitetis, neq; euigilare faciatis dilectã, quousq; ipsa velit. Per ceruos & capreas Apostoli intelligũtur: cerui namq; & capreę munda animalia & innocua sunt: quę cum multã ab alijs persecutionem patiantur, nullam tamẽ alijs persecutionem faciunt: præter hoc quod cerui serpentes interficiunt: quod quidem Apostolis cõuenire maxime videtur, qui vitia & malignos spiritus persequentes, aliam discordiam habere nesciunt, cum ipsos suos diligant inimicos. Sunt autem cerui agiles ad currendũ: tales fuerunt Apostoli, qui paruo tẽpore totum mundum peragrarũt. Capreæ vero acutũ visum habere perhibentur: sed acutiorem Apostoli qui Deũ ipsum cũctaq; inuisibilia contẽplantur. Per Apostolos ergo adiurat Ecclesiã suam Dñs, vt non suscitet dilectam. Tunc enim anima sancta Deo per fidei sacramẽta despõsata, dormire dicitur, cũ terrenorũ omniũ oblita quasi suauissimo somno in sola Dñi contẽplatione insoporata quiescit. A tali igitur somno eã suscitare, & à

Can. 3.

Cerui & capreæ in Ecclesia sunt Apostoli & quare.

A tanta quiete separare, & ad mundi curas reuocare peccatũ est, nisi forte ipsa velit alio zelo cõmota & nõ aliqua vi: sed fratrũ precibus inclinata, vt pro multorũ salute ecclesiastica regimina aliquando suscipiat. Hæc ex sancto Brunone in lib. de nouo mundo. c. 6. vbi disserit de animalibus nouis. ¶ *Dñe non est tibi cura quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi vt me adiuuet.* Sic Exod. 4. non acquieuit sanctus Moyses Deo quousq; ei sociũ in legatione daret. B Qui principibus ministrãt societatẽ abhorrent: nolentes consortẽ habere, & si detur ægrè ferũt. Non sic autẽ ministri Dei, sed quia reputant se ministerio Dei impares: socios nõ solũ ferunt, sed postulant. Sic Martha postulabat. Cũ enim imparẽ ministerio Christi se sentiret, conqueritur apud Dñm. Dñe, inquit, nõ est tibi curæ, &c. Serui principũ, quoniam nõ tã bonũ principis ministeriũ, quã propriã voluntatẽ quærũt, nolũt consortiũ. Serui verò Dei, quia nõ quod suum est, C sed quod Dei, cupiũt: socios administrãdũ desiderant & petũt. Considera quod sanctus Moyses Dño dicat Num. 11. non possum (inquit) solus ferre populũ hũc vniuersum, quia supra vires meas est. Meminisse etiã oportet, principes dare socios suis ministris, quando alter ad ministeriũ non sufficit. Exo. 31. legis: dedisse Dñm artifici Beseleel, spiritu Dei & sapientia pleno, sociũ ad opificiũ tabernaculi. Dedi (inquit) ei sociũ Ooliab filium Achisamech. Hinc est, quod Elias clamabat: Prophetas tuos occiderũt, & remãsi ego solus. ¶ *Martha Martha solicita es, &c.* D Redarguit Dñs Martham, & commẽdat Mariã; quoniã Martha seruiebat illi in ijs, quibus ipse nõ delectabatur, neq; in cibo & potu: Maria verò in audiendis verbis illius, quod illi maxime cordi erat. E contra verò, principes mundi optimè operas soluunt illis, qui suis cupiditatibus deseruiunt (sicut Pharao bene fecit Abraham propter vxorem suam, quã sibi acceperat Genes. 12.) non tamen tã benè ijs, qui communitati in bello, aut in alijs, quæ sunt communitatis. ¶ *Martha Martha solicita es, &c. Maria* opti-

S. Bruno.

Exod. 4. Hominũ piorũ est socios petere quo melius Deo ministrent.

Num. 11.

Exod. 31.

3. Re. 19.

Quare Dominus redarguit Martham.

Gen. 12.

Seruorum est in omnibus dominos suos pios & fideles referre, maximè in iis, quæ domini maxime diligunt.

Abac. 1.
Leuit. 19.

optimam partem elegit. Et si serui in omnibus quoad possunt debeant Dominũ suum referre, in his tamẽ præcipuè quę maxime diligit, & in eo potiora sunt. Vt si sit misericors & pius, in misericordia & pietate: si iustus, in iustitia: si mũdus, in mundicia: & quia Deus maxime mũdiciam diligit, mundi (ait quidam) sunt oculi tui, ne videant malum, idcirco cupit suos maxime mundiciam sequi. Ideo etiam Leuit. 19. hortatur suos, vt sancti sint: quia ipse sanctus est. Huius rei habes in hac reprehensione Marthæ, & defensione Mariæ optimũ exemplũ. Quoniam Maria Dño in ijs, quæ ipse maxime diligebat ministrabat, & ipsi assimilari volebat, ideo magis cõmendatur quã Martha: quæ ministrabat in ijs, quibus Dominus minus curabat: qualia erant, cibus & potus. Si vis ergo à Dño cũ quo viuis diligi, cura scire quibus maxime afficitur, & in his illi ministrare satage, modo bona sint. Quemadmodum ij, qui vitiosum colunt Dominum: in vitijs illi administrãt, vt gratiores illi fiãt. Vt si est gulæ deditus, in cibo & potu, si auarus in augendis diuitijs, si verò virtute delectatur in his quæ virtutis sunt: quemadmodum in mundicia si sit mundus. Ait ergo Dominus Marthæ. Martha Martha, tu quidem solicitudine torqueris apparandi conuiuij, ac tumultuaris distraherisque circa plurima. Cæterum vnum est præcipuè necessarium, quod semper agendum erat, si liceret. Peragito tu functionem tuã, qualis qualis erit apparatus. Maria delegit partem longè potiorem, mihique gratiorẽ, quæ oblita eorum quæ sunt corporis, tota est in his quæ sunt animi. Non est autem æquum, vt auellatur ab optimis quæ delegit, ac protrudatur ad inferiora ministeria. Grata est mihi tua pietas, quę mihi meisque pro tempore parat conuiuium, sed suauius reficior ab his, qui sermones meos traijciunt in viscera animarum suarum, vt salui fiant. Hic est enim cibus qui me vnicè pascit: hic est potus qui me vnicè reficit. Qui curat ea quæ sunt corporis, in varias curas distrahitur, & horũ officiorum tunc erit finis, cum apparente immortalitate cessabũt necessitates, quibus nunc humanæ naturæ discruciatur imbecillitas. Cæterum compendium facit, qui curis huiusmodi proiectis, totus rapitur ad cælestia, semet in vnum colligens, sed quod est vnum omnibus cæteris præstantius, cuius fælicitas nõ eripietur, sed augebitur, cum abolebitur quod imperfectum est, & aperietur quod perfectũ est. Nec interim vt ociosis obmurmurandum est, qui requieti à corporalibus ministerijs, ideò vacant doctrinæ cęlesti, inhærentes vestigijs meis, diu discẽtes quod doceant, ac penitus transmittẽtes in affectus animi quod alijs præscribant; quo pluribus prodesse queant ad comparandam salutem æternam. Rem mihi maxime gratã. Nec interim tamen carituri sunt sua mercede, qui quod tu facis, pio studio pro tempore subueniũt corporali necessitati tractantiũ rem Euãgelicam, qui pascunt famelicos, qui vestiunt nudos, qui visunt ægrotos, qui adeunt vinctos, qui tecto iuuant vagos, & hospitij egentes. Erunt & illi consortes Euangelici præmij, sed quemadmodũ in corpore plus agit oculus otiosus: quàm manus assiduè varijs ministerijs seruiens: ita qui toti vacant his, quę proxime pertinent ad æternam salutem, tamen si videantur à corporalibus officijs feriari, plus tamen agunt, quia rem præcipuè necessariam agunt. Nec decet alteros alteris obmurmurare, quando pro suo quisque dono, quod accepit à Deo, mihi seruit in mẽbris meis. Ex his vides quantum commendata sit Maria: quod ei functioni dabat operam, quæ vitam Domini sui magis exprimebat: magisq; illi grata erat. ¶ *Martha Martha solicita es, & turbaris erga plurima.* I. turbaris circa multa: vel tumultuaris circa plura. Id est, velut turbulẽta & irrequieta ad plurima raperis. Hinc colliges nimiã curam ac solicitudinem, nimiasque in rebus humanis occupationes, impedimentum esse maximũ ad vacandũ Deo. Quare si superna bona, in quæ tẽdimus, considerare volumus: à mũdi solicitudinibus tãtisper cessandũ est. Sapientiã (inquit Solo.) scribe in tempore vacuitatis:

Simile.

Nimia cura in rebus humanis impedimẽtum est ad vacandum Deo.

&

Eccl. 38. & qui minoratur actu, sapientiam percipiet: quia sapientia replebitur. Cui sententiæ concordant ac cõsentiunt philosophi, atque sapientes antiqui omnes, dicentes: animi trãquillitate & quiete homines sapientes fieri: atque non solũ trãquillitate interiori passionum, sed etiam exteriori, vacando à turbulentis huius mundi negotijs. Quemadmodum igitur in aqua dum tranquilla est & quieta, omnia sicut in speculo videri possunt: sic anima apta est ad contemplandũ intuendumque cælestia, in tranquillitate posita. Eam ergo ob causam diabolus pro sua virili hominũ animos distrahere, ac turbare, in pluraque negocia rapere conatur: vt sic distracti, Deo vacare minime valeant. Cuius rei imaginẽ habes Exo. 5. Vbi sacra narrat historia: quod volẽtibus filijs Israel sacrificare Dño, dixit illis Pharao: vacatis ocio, & idcirco dicitis: eamus, & sacrificemus Dño. Ite ergo & operamini, paleæ nõ dabuntur vobis, & reddetis cõsuetum numerũ laterũ. Heu quantã hominũ multitudinem suffocatam, atq; distractã, occupatamq; in huius mũdi vanitatibus, angustijs, anxijsq; curis, habet princeps huius mundi. Quã tam habet per totum orbẽ dispersam ad quærendas paleas: vt ædificẽt domus luteas. Quibus nec hora aut momentũ datur ad vacandũ Deo: vt operibus Pharaonis instent. Vocat Dñs ad conuiuium: & alius dicit villã emi, & necesse habeo exire & videre illam. Alius verò, iuga boum quinq; emi, & eo probare illa: alius autem vxorẽ duxi: & ideo non possum venire. Variæ diuersæq; huius mundi occupationes in causa sunt, vt homines inuitati ad cœnã cælestẽ venire contemnãt. Quod vt verissimum esse credas audi D. Bernardũ Eugenio Pontifici dicentẽ in hũc modũ. Vereor (inquit) ne in medijs occupationibus (quoniã multæ sunt) dũ diffidis finẽ, frontem dures, & ita sensim te ipsum quodammodo sensu priues iusti vtilisque doloris. Multo prudentius te illis subtrahas vel ad tempus, quàm patiare trahi ab ipsis, & duci certè paulatim quo tu non vis. Quæris quo? Ad cor durum. Ne pergas quærere quod illud

Simile.

Exod. 5. Figura.

Luc. 14.

Lib. 1. de consider.

A sit, si non expauisti, tuum hoc est. Solum est cor durum, quod semetipsum non exhorret, quia nec sentit. Quid me interrogas? Interroga Pharaonem. Nemo duri cordis salutem vnquam adeptus est, nisi quem forte miserans Deus, abstulit ab eo, iuxta prophetam, cor lapideũ, & dedit cor carneum. Quid ergo cor durum? Ipsum est quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia est, ad cõsilia infidum, ad iudicia sæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, in humanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorũ obliuiscẽs, præsentium negligens, futura non prouidens. Et vt in breui cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est quod nec Deum timet, nec hominem reuereetur. En quo trahere te habent hæ occupationes maledictæ, si tamen pergis vt cæpisti, ita dare te totum illis, nil tui tibi relinquens. Perdis tempus, & si licet nũc alterum me tibi exhibere Iethro, tu quoque in his, stulto labore cõsumeris, quæ non sunt nisi afflictio spiritus, euisceratio mentis, euacuatio gratiæ. Nã fructus horum quid nisi aranearũ telæ? Hactenus Bernardus. En vides qualiter D. Bernardus appellet occupationes pontificis (alias iustas & necessarias si moderatæ sint) nempe maledictas, stultas, affligẽtes spiritum & eneruantes mentem & euacuantes gratiam. Tales enim sunt quæ immoderatæ & nimiæ sunt. Tales, quæ nullum tempus ad Deo vacandum relinquunt: tales, quæ omnino irrequietam trahunt animam. ¶ *Martha Martha solicita es & turbaris erga plurima porrò vnum est necessarium.* i. vno est opus. Docet hic locus quæ ratio tenenda sit à viris paupertatẽ Euangelicã profitentibus in accipiẽdis hospitibus. De qua re quid Diuus Basilius scribat audiamus. Iam cum inanis gloria, & quælibet in quacũque re ostẽtatio, prorsus interdicta Christianis hominibus sit: tum verò ijs, qui seruãdi causa præcepti Dominici ad omne sese humilitatis genus abiecerũt, mirabiliter quælibet fugiẽda inanis gloriæ signi-

B

C

D

Quæ ratiõ tenẽda sit religiosis in accipiẽdis hospitibus. D. Basil.

significatio est. Sed quoniam videmus eos, qui in ciuili vitæ genere versantur, humilitatis paupertatem fugere, veluti rem ignominiosam, ob eamque causam quotiescunque, aliquis ipsis suscipiẽdus hospes sit, epularum & copiam & magnificentiam studiosius consectari: equidem metuo ne ad nos quoque furtim se illiusmodi pestis insinuet, nẽ verò planẽ ij esse conuincamur, quos tantopere cõmendatæ à Christo paupertatis pudeat. Vt igitur si vasa argentea, vel âne purpura prætexta, aut mollia stragula, & pellucida amicula foris accessita compararemus ex decoro nostro non esset: sic indecorum prorsus fuerit, si noua, & à cõmuni victus nostri ratione longẽ abhorrentia escarum genera excogitare velimus. Illud enim circuncursare nos, vt ea peruestigemus, quæ non ad necessarium vitæ vsum requiruntur, sed ad explendam miseram libidinem, ambitionemque anxiẽ solita sunt inueniri: prꝑterquã quod fœdũ ac turpe est, & ab instituto nostro alienum, exemplo etiã apprimẽ nocet: quando videlicet, qui luxu diffluunt ac delicijs, & vitam beatam ventris voluptatibus finiunt, nos quoque in earũdem rerum, quibus inhiant ipsi, curis solicitudinibusque versari animaduertant. Si enim res damnanda ac fugienda indulgentior ille est deliciarum luxus, nullo pacto amplecti & diligere debemus. Siquidẽ de ijs, quæ iudicata sunt praua, nullo vnquam tempore videri nobis debet expediẽs & commodũ. Qui luxuriosẽ viuunt, & optimis vnguentis delibuti incedunt, & vinũ percolatũ bibunt, incusantur à scriptura. Et vidua in delicijs viuens mortua dicitur. Et diues ille propter delicias, quas in hac vita fuerat sectatus, delicijs paradysi priuatus est. Quid ergo nobis cũ apparatibus sumptuosis? Accesit ad nos hospes aliquis? Si frater est, & idem nobiscũ viæ institutũ habet, is domesticam suam mensam agnoscet: quippe cum, quæ domi reliquerat, ea inuenturus sit apud nos. At defatigatus ex itinere? Eatenus cum eo prolixius liberaliusue agatur, quatenus ad recreandam eius lassitudinem sit satis. Accesit alius à communi vulgarique viuẽdi cõsuetudine? Hic discat ex factis, quę ratio illi persuadere non potuit, formulam & adumbrationem hinc mutuetur vitæ frugalioris. Insideát in eius animo monumenta, quæ ipsi memoriam excitent mensæ Christianorum, neque pudendæ propter Christum paupertatis. Quòd si his minime ille permouebitur, ac potius ridiculo habebit, prorsus iterũ nobis molestus non erit. Nequaquã Dominus Marthæ illud laudi tribuit, quod in apparatione rerum multarum occuparetur, sed, solicita es, inquit, & turbaris circa plurima. Porrò paucis est opus, vel vno potius, ac paucis quidem, quod pertinet ad apparatum: vno verò, nempẽ fine ipso, vt videlicet necessitati fiat satis. Ipse autem Dominus, prorsus non nescis, cuiusmodi mensam quinque illis milibus apposuerit, neque non similiter votum Iacob ad Deum scis: si dederis mihi panem, inquit, ad vescendum & vestimentum ad induendum: non autem dixit, si dederis mihi affluentiam opũ, aut magnificentiam. Quid vero sapientissimus vir Salomon? Diuitias & paupertatem ne dederis mihi, inquit, sed tribue tantum victui meo necessaria, ne forte repletus, mendax efficiar, & dicam, quis me videt? Aut egestate compulsus, furer, & periurem nomen Dei mei. Sic ille diuitias saturitatem, egestatẽ verò summam rerum ad vitam necessariarum inopiam definiuit: nimirum ex eo, quod dicit necessaria, medium quid inter egestatem & abundantiam rerum ad vsum necessariarum declarans. Hæc Basil. lib. regularum fusius disputatarum interrogatione. 20.

Gen. 28.

Prou. 30.

Basilius.

¶ *Vnum est necessarium.* Triplex in sacra Scriptura legitur vnitas. Prima qua homo secum debet esse vnitus. De qua dicitur in Psalmo: Dominus autẽ assumpsit me. Pro quo versio D. Hieronym. ex Hæbraico habet: Dominus autẽ collegit me, hoc est, congregauit & vniuit. Et in Psalmo. 81. vbi nostra versio habet, lætetur cor meum, vt timeat nomẽ tuum, potest verti ex Hebraico, vni, vel vnitum fac cor meum, pro quo D. Hierony-

Triplex vnitas legitur in Scriptura

Psalm. 26.

Psalm. 81.

ronymus vertit: vnicum fac cor meum. Altera vnitas est, qua omnes inter nos debemus esse concordes, quam docet Apostolus Paul. ad Ephes. scribens, vt simus soliciti seruare: de qua dicitur in actis Apostolorum: multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna. Hanc præcepit Christus inquiens: hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Tertia vnitas est, qua viri iusti & pij sunt Deo coniuncti, de qua ait Apostolus: qui adhæret Deo vnus spiritus est. Hæc est vnitas quã Maria Magdalena amplectebatur. Hoc est vnum illud de quo Christus hic ait: vnũ est necessarium, Maria optimã partẽ elegit. Erat enim Deo vnita, & vnus spiritus cum eo. Hãc vnionẽ & concordiã nobis tribuit Christus, quapropter eũ Apostolus ad Ephesios pacẽ nostrã appellat. Et in Epist. ad Romanos, iustificati, inquit, ex fide pacẽ habemus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum.

Ephes. 4. Act. 4. Ioan. 15. Ephes. 2. Rom. 5.

¶ *Maria optimam partem elegit.* Liquido patet Christum Dominum vitã contemplatiuam vitæ actiuæ præferre. Ex quo colliges contra Iouinianũ & Lutherũ non omnes esse pares in meritis, neque in gratia. De qua re alias diximus.

¶ *Intrauit Iesus in quoddam castellum & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suã, &c.* Hoc Euãgeliũ ab Ecclesia canitur in assumptione Virginis gloriosæ. Quarè non absre erit, illud mysticè explicare. ¶ Illud imprimis animaduerte, quod sunt plura mysteria, quæ plenius silendo, quàm loquendo laudamus. Ideò Seraphin quos vidit Isaias caput & pedes Dñi tegebãt, significantes sublimia esse diuina mysteria, nostrumque intellectum transcendentia. In Psalm. 64. vbi communis versio habet: Te decet hymnus Deus in Siõ, habet versio D. Hiero. ex Hebræo: tibi silentium laus Deus in Sion. Quasi dicat: tam excelsa & transcendẽtia sunt mysteria tua summe Deus, vt melius silentio quàm pleno ore laudentur. Hac ratione ductus dicebat Isaias generationẽ eius quis enarrabit? Cũ aliquid laudibus efferimus, significamus nos illud mente cõprehendere. At cum diuina mysteria excedant nostrum intellectum, plus ea aliquando silẽtio quàm verbis extollimus: ostendentes nos ea nequaquã posse verbis explicare. Eam ob causam Apostolus in 2. ad Corinth. cum dixisset se audisse arcana verba, subiunxit nõ licere ea homini loqui. Et in prima ad eosdẽ, quod oculus, inquit, non vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se. Et ad Romanos scribens ait: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quã incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius, & hoc existimo significatum fuisse velo illo, quo arca testamenti tegebatur. Timantes egregius pictor, nisi nos fallunt veteres historiæ, cũ luctuosissimã cædem Iphigeniæ pingeret, lachrymas & mœrorem cæterorum expressit, vultũ autem Agamennonis patris eius velo cooperuit. Intellexit insignis artifex nulla re posse melius summum patris dolorẽ & luctũ exprimere, quàm illum nõ exprimendo. Hinc ergo possumus intelligere quare nobis Euangeliũ non explicuerit B. Virginis natiuitatem, & assumptionẽ: quoniã hæc & similia mysteria plus Euangelistæ laudãt silentes, & admirantes, quã loquentes. Præter hoc, quod tanta fuit virginis humilitas, vt credere facile possimus, eam voluisse: vt Euangelistæ suarũ laudũ præcones nõ essent. Perfectus enim humilis laudes fugit: sicut ẽ contra arrogãs, illas semper captat. Vt in Pharisæo illo, quem Euangelista refert, videre est.

Mysticè de Virgine Maria totũ Euãgelium exponitur. Mysteria multa plus silẽtio laudãtur quã verbis. Isai. 6. Psalm. 64. Isai. 53. 2. Cor. 12. 1. Cor. 2. Rom. 11. Timantes. 1. Ratio quare Euãgeliũ laudes Mariæ tacet. 2. Ratio.

¶ *Intrauit Iesum in quoddam castellum.* Græcè εἰς κώμην τινὰ. Id est, in oppidulum, siue vicum quendam, ne quis imaginetur arcem potentẽ, quæ nũc castella vulgo vocãtur. Mũdus ergo iste oppidulo merito cõparatur nã vicus quidã est illius ciuitatis cælestis quæ amplissimã & explẽdidissima est. Cuius plateæ & muri sunt ex auro purissimo, &c. Cũ ergo verbũ caro factum est, & habitauit inter nos vicum hunc vilem & paruum intrauit. Opportunè satis hoc in loco mihi prophetica exclamatio assumẽda videtur. O Israel quã magna est domus Dei, & ingẽs locus

Burg. lib. scru. scrip. part. 2. dist. 2. c. 2. Mũdus oppidulo cõparatur. Baruc. 3.

locus possessionis eius? An non ingens, cuius comparatione castellum dicitur & oppidolum terræ huius spatiosissima latitudo? An non ingens Patria, & regio inæstimabilis, quando ab ea saluator adueniens, cum ingrederetur orbem terræ introiret vicum? Festinemus in illam ingredi requiem fratres: in illam, inquam, beatitudinis amplitudinem: vbi nemo alium coangustat: vbi possimus cum omnibus sanctis comprehendere quænam sit longitudo, & latitudo, & sublimitas, & profundum. Neque id desperemus, quandoquidem ipse cælestis habitator patriæ etiam & creator, nostri huius oppiduli angustias non refugit.

D. Bern. serm. 2 de assumpt.

¶ *Mulier quædam.* Virgo sanctissima est mulier ista quæ excepit Christum in domum suam, vt conterat caput serpentis. Hæc est mulier illa quæ inimicitijs opposita est serpentis. *Ponam, inquit, inimicitias inter te & mulierem*: non certe pono dicit, ne ad Euā hoc pertinere videretur. Verbum promissionis est, quod transmittitur in futura. *Ponam, inquit, inimicitias inter te & mulierem.* Illam vtique mulierem, quæ Dominum excipiat in domum suam, quæ Dominum cōcipiat, quæ saluatorem parturiat, non quę generet fratricidam. *Ponam, inquit, inimicitias inter te & mulierem*, id est, suscitabo mulierem quæ repudiata facilitate credendi, non solum te non audiat, si aut suauitatem pomorum pro adapertione monstraueris oculorum, aut dijs similem esse promiseris, sed etiam ipso Gabriele deferente verbum, rationem de promissionis exigat nouitate, dicēdo: quemadmodum erit istud, quoniam virum non cognoui? Inter te ergo & mulierem istā perpetuas inimicitias ponā. Et addit Dominus: *Ipsa tuum calcabit caput.* Quis ambigit, quod præter Dominum nostrum caput serpentis nemo calcauit? Ipse enim solus super dracones & scorpiones ambulauit: ipse captiuam duxit captiuitatē. Nam quod subditur: *& tu eius obseruabis calcaneum.* Ad quē alium credimus pertinere? Calcaneus quidem pars extrema vestigij est. Et Dominus post Ioannis baptismum, post die-

Locus Genesis exponitur.

A

rum quadraginta ieiunium, cum ab eodem serpente tentaretur, tertiæ illius dolositatis iam victor, exclamat. Vade retro Satana. Quid aliud nisi à tergo positum, vel relictum, iubet suum obseruare calcaneum? Vi. Hiero. de viro perfecto. Hæc ergo diuina mulier iam olim promissa, excepit verbum in vterum suum.

Matth. 4.

D. Hiero.

¶ Fœlix mulier quæ iam non exploratores Hierico, sed potius fortissimum illū exploratorem stulti illius qui verè vt luna mutatur, non legatos Iesu filij Naue, sed ipsum magis suscipere meruit verum Iesum filium Dei. Fœlix mulier, inquā, cuius domus saluatore suscepto, inuenta est munda quidem, sed plane nō vacua. Quis enim vacuam dixerit, quam salutat angelus gratia plenam? Neque hoc solum: sed adhuc quoque in eam superuenturum asserit Spiritum sanctum. Ad quid putas, nisi vt eam etiam superimpleat? Ad quid nisi vt adueniente iā spiritu plena, sibi eodem superueniente, nobis quoque superplena & supereffluens fiat? Vtinam fluant in nos aromata illa, charismata, scilicet, gratiarum, vt de plenitudine tanta omnes accipiamus. Ipsa namque mediatrix nostra, ipsa est per quam suscepimus misericordiam tuam Deus, ab eius domo, hoc est, vtero egressam. Ipsa mulier per quam & nos Dominū Iesum in domos nostras excipimus.

Figura.

B

C

Bernard. serm. 2.

¶ *Mulier quædam.* Hæc est fœlix atque beata illa mulier, de qua Paul. ad Galat. 4. scribens ait: quando venit plenitudo temporis misit Deus filium suum, factū ex muliere, factum sub lege: vt eos qui sub lege erāt redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Quo in loco obserua (inquit Hiero.) quod quomodo Iesus sub lege factus est, vt eos qui sub lege erāt redimeret: sic propter illos qui nati erāt ex muliere, ex muliere nasci voluit. *Factū, inquit, ex muliere.* Et quę mulier illa? Sūma Dei sapientia nullā in massa humani generis inuenit viā, per quā vt disposuerat æterno suo consilio in mūdū veniens, eius subueniret lutuosæ perditioni, donec ad hanc de qua Apostolus loquitur ventum est. Tādiu igitur Christus non venit in vicum mundi huius, quan-

Gal. 4.

D

Loco Pauli explicatur.

D. Hiero.

D. Aug.

quandiu hæc mulier non venit: quæ fecit sola confusionem in domo regis Nabuchodonosor. Ipsa est virga vigilans siue amigdalina, de qua in numeris: siue nucea, quæ conquassauit capita serpentis. Sola hæc fuit mulier, patuit qua ianua Læthi: per quam vita redijt. *Factũ, inquit, ex muliere.* Mulier est: sed quę angelos vincit puritate, sanctos superat charitate. Carnalis Eua carnaliorũ filiorum mater est: spiritualis Eua, spiritualium & regeneratorum mater est: & qui nõ ex sanguinibus, sed ex Deo nati sunt. Carnalis Eua vmbra est, & idolum: spiritualis Eua, lux est & veritas. Imo mater est ineffabilis verbi: quæ omnẽ sanctificationem, omnemq; gratiam cælum & terram vniuersaq; replentẽ, in suo sancto virginaliq; gremio conclusit: facta terra cæloq; capacior: quippe quæ Deũ cuius magnitudinis nõ est finis, intra domum suam, hoc est, vterum suũ excepit. Virgo sancta, quia tu tota sancta es: & largitrix vitæ & gratiæ. Tu virgo tuo modo semper sanctificata, sicut Christus homo semper sanctificatus. Tu es ancilla & libera Dei mater: sicut Christus Dominus in æternitate liber, & pro nobis exinanitus, forma serui accepta. Ita virgo plusquam beata angelis sanctior: qui te sanctitate expoliant: nisi pœnitentiá agant, conspuantur, pessundentur, vitá ducemque fugiant. *Factum, inquit, ex muliere.* Et ipsa est quam pręparauit Dominus filio Domini mei. Ipsa est ferculũ illud, quod fecit sibi rex Salomon ex lignis Sethin, &c. ferculum, inquam, maiestatis Dei capax: ac proinde latius cælo: vbi speciosus præ filijs hominum posuit tabernaculum suum. Artifex eius Salomon fuit. Finis vero in quem factum est: vt idem sapientissimus Salomon vnigenitusque Dei filius exciperetur in eo, atque requiesceret in illo. Qui creauit, inquit, me requieuit in tabernaculo meo. Materia autem ex qua fabricatum est hoc ferculum, perpetua incorruptibilisque fuit: de lignis videlicet Sethin. Forma denique, sanẽ capacissima nempe rotunda. *Factum ex muliere.* Videlicet illa, quæ sole amicta est, & sub cuius pedibus supposita luna. Nimirũ hæc mulier est, quæ velut alterum solem induit sibi. Quemadmodum ille super bonos & malos indifferenter oritur: sic ipsa quoque præterita non discutit merita: sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu. Nam defectus omnes sub ea & quicquid fragilitatis seu corruptionis est, excellentissima quadam sublimitate præcæteris omnibus excedit & supergreditur creaturis, vt merito sub pedibus eius luna esse dicatur. Denique misit Deus in oppidulum mundi huius filiũ suum factum ex muliere illa forti & virtute prædita, quam fœlicissimus Ioseph vir sponsusque eius inuenit. Propter quod vir sanctus & iustus mercẽ habuit gemmis procul petitis pretiosiorẽ. Quis enim illo beatior, quis ditior, quis maiori laude dignior: qui tantam mulierem, tanta pietata, pulchritudine & prudentia plenam, in sponsam nactus est? Hæc ergo fortis mulier, hæc virago est, quæ excepit, quando venit plenitudo temporis, filium Dei in domum suam. Hæc est, cui tuto credebat cor sponsi eius. Hæc est, quæ veluti altera Martha manum suam extendebat pauperibus: illamque egenis præbebat. Hæc, quæ veluti altera Maria os suum aperiebat sapientię: & in cuius lingua semper inueniebatur lex clementiæ. Hæc, quam omnes filij eius spirituales quotidie laudant, quotidie beatissimam prædicant. Hæc inquá, quę omnes filias cęlestis Hierusalem opibus & diuitijs diuinis excellit. Hanc ergo in locis publicis omnes, laudibus efferamus: hanc mirificis encomijs celebremus, quæ talem ac tantum suscepit hospitem in domum suam.

¶ *Martha Nomine.* Merito virgo sanctissima Martha ab omnibus vocari potest: cum rem significationemque huius nominis expresserit. Martha enim Hebraice idem est quod prouocans, aut Syriacẽ dominatrix. Hæc igitur virgo fuit quæ sua profundissima animi humilitate, Deũ vt in suam domum veniret prouocauit. Quanto enim maior erat, tãto sese abie-

Figura. Iudit. 14. Num. 17. Figura. Sedulius. Dionys. Gen. 24. Can. 3. Figura. Eccl. 24. Exod. 25. 3. Re. 10. Prou. 31. Merito virgo vocatur Martha & quare. Io. Gers.

abiectiorem & humiliorem omnibus reputabat. Quare merito facta est nouissima prima, quæ cum prima esset omniũ, sese nouissimam faciebat. Meritò facta est omnium domina, quæ se non solum Dei, sed omnium hominum exhibebat ancillam. Nos igitur æmulemur hãc virtutem, si Deum ad nos trahere, illumq; prouocare, vt ad nos veniat, mansionẽque apud nos faciat, affectamus. Et interim hanc tam magnificam mulierẽ magnificemus. Quæ mater Domini facta, facta est domina mundi, regina cælorum, princeps prouinciarum, ac domina gentium. Scitote quoniam Dominus ipse est Deus: scitote quoniam hæc insignis mulier mater est Domini Dei, quare ipsa erit Domina Dei: qui illam creauit, qui illam innumeris charismatibus repleuit. Iure ergo Martha vocari potest, iure Maria, id est, domina, nomine gaudet: iure denique diademate & corona duodecim stellarum decoratur: quæ solem iustitiæ regem regum & Dominum dominantium induit, suscepit hospitio, atque hominem factum ex suis visceribus cibum ad vitã necessariũ exhibuit.

D. Bern.

¶ *Excepit illum in domum suam.* Illud imprimis intelligere oportet, animam nostram domum in scriptura sacra nuncupari. Sic enim sapiens admonet: nisi tenueris te instanter in timore Domini: cito subuertetur domus tua, hoc est, animæ ædificium. Primò ergo sanctissima virgo verbum Dei suscepit in domum suam, hoc est, in animam suam per gratiam. Habitu enim in ventre matris illũ suscepit: actu verò quando rationis vsu prædita fuit. Tunc enim excepit Dominum in domum suam dicens cum propheta. Pars mea Dominus propterea expectabo illum. Bonus est Dominus sperantibus in se animæ quærenti eum. Excepit ergo Iesum in animam suam, illum toto corde diligendo: illius mandata sectãdo: bonis studiosisq; actionibus operam dando, virtutibus instãdo: domum cælestem intra pectus suum extruendo. Cuius primum fundamentum fuit profunda humilitas, quam Dominus primò respexit: intantumque hoc tam præclarum & mirificum ædificium, atque domus in dies creuit, vt nullum illo nobilius, nullum illo splendidius: nullũ dignius tanto hospite Deo in mundo reperiri potuerit. Quid enim, inquit Ambrosius, nobilius matre Domini? Quid splẽdidius ea quam splendor elegit paternæ gloriæ? Quid castius ea quæ corpus Christi, sine contagione corporis generauit?

Anima nostra dom9 vocatur.

Eccles. 27.

Primò Maria excepit Christum in domum animæ.

Threnõ 3.

D. Ambr. lib. de virgi.

¶ Secundo animaduerte corpus hoc nostrum mortale & corruptibile etiam in sacra pagina domus nomine vocari. Sic appellat D. Paulus in posteriori ad Cor. Epistola. c. 5. dicens: scimus quod si terrestris domus nostra dissoluatur, id est, corpus: habemus in cælis domum non manu factam. In domum etiam hanc suscepit nostra diuina ac beata Martha Iesum quãdo factus est homo. Ex quo colliges quã insignis & pretiosa fuerit hæc domus quæ talem ac tantum meruit habere hospitem. Nemo sanæ mentis vinũ suauissimum & fragrantissimum maximaque redolentia plenum: aut balsamũ pretiosum in vase immundo: nemo gemmas lapidesq; pretiosos in annulo æneo, aut plumbeo, sed aureo includere solet: quare rationi maximè consentaneũ est, quod nec magnus Dominus eligeret habitare in domo lutea, immunda, & inornata, sed in domo pulcherrima, præclarisque ornamentis ornata. Sapientissimus igitur Dei filius vicum huius mundi ingredi volens, prius ædificauit sibi domum, hoc est, virginis vterum, domũ inquam, omnibus numeris absolutam, domum tam firmã, vt nec ventus superbiæ, nec pluuiæ tentationum, nec flumina voluptatum, vel leuiter dimouere eã possent, à firmo fundamento, hoc est, Deo. Hæc est domus illa de qua (inquit August.) per Salomonem dicitur: sapientia ædificauit sibi domum, excidit colũnas septem. Namq; virginalis huius domus columnis fulcita est. Quia veneranda hæc mater Domini, septem Spiritus sancti donis dotata fuit. Quam talẽ vtique æterna sapientia ædificauit, vt digna omnino esset ex qua ipse carnem assumeret, in inæstimabile pretium salutis humanæ. Hæc domus est de qua Ecclesia

Corpus nostrũ domus vocatur.

2. Cor. 5.

Simile.

D. Aug. in serm.

Prouer. 9.

sia Catholica publicè cantat: domus pudici pectoris, templum repente fit Dei. Hæc est domus, quam pro asylo, & tutissimo omnium miserorum refugio, Christus in cælo longè præclariorem quàm olim Romulus in latino cõstituit. In hãc cælestem domum vnigenitus Dei filius intrauit. In hanc ingressus est rex Israel, vt mutaret habitum suum. De hac Euãgelista ait, mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suã, hoc est, in domum misericordię: quia excepit hæc mulier patrem misericordiarũ. In hanc ergo domum peccatores omnes cõfugiamus: hoc asylum adeamus securi, si à miseria liberari inardescit animus. Quia igitur domus hæc plena est misericordia (ait Bernard.) & nil miseris misericordia dulcius, aut nil crebrius inuocatur: ideo frequenter, imò cõtinuè in nostris miserijs quibus pleni sumus, recurrendum est: & ipsa inuocanda, vt nobis subueniat.

D. Bern.

¶*Excepit illum in domum suam.* In die cõceptionis Beata hæc Virgo, cuius imaginem gerebat Martha, excepit verbũ in anima sua prius enim illud concepit mente quàm vẽtre. In die vero incarnati verbi excepit illud in corpore suo, vt nunc exposuimus: in die autem mortis suæ excepit illud in domum suam. Hoc est in animam & corpus. Tunc impletũ reuera fuit quod olim Dominus per Aggæum prophetam prædixerat: implebo domũ istam gloria. Si enim de singulis Christum diligentibus, dum in hoc mortali corpore vitam degũt, ait Dominus: pater meus diliget eũ & ad eũ veniemus & mãsionẽ apud eũ faciemus: & rursum scriptura testatur: quod qui manet in charitate in Deo manet & Deus in eo. Quid quęso dicere licebit de illis, in beatitudine degentibus: vbi iã vident Deũ facie ad faciẽ, vbi Deo, mente & affectu fruuntur: vbi bonũ illud immẽsum, omniũque bonorũ fons & origo excipitur ab eis? Quid de B. Virgine? Quæ illũ maximo amore & charitate est semper prosecuta quanta gloria quęso exciperet eũ in domũ suã. ¶ Sed quid obsecro retribuit illi Dominus pro eo quod toties ex-

In die conceptionis excepit virgo Christum in domũ mentis, in die Incarnationis in domũ vẽtris, in die assumptionis in domũ animæ & corporis.

Aggæi. 2. Ioan. 14. 1. Ioan. 4.

A ceperit illũ hæc beata, ac fœlix Martha in domũ suã? Nempe quod in die assumptionis suæ, maximo cũ gaudio & alacritate, maxima cũ maiestate exceperit illã Dominus in domũ suã, hoc est, in sedes illas cælestes, in domum illã patris sui vbi mansiones innumeræ sunt. ¶ Primũ quãto comitatu excepta fuerit, docet Gregorius ille magnus his verbis: glorificemus Virginẽ quam hodie paradysus excepit gaudens: quã angeli cũ laudibus prosequuntur: quã angelorũ chorus veneratur, scilicet, vt magistrã eorũ: quã martyres beatificant candidati, vt martyrũ ducẽ: quã sanctorũ confessorũ frolatus concelebrat numerus: cui hodie sacrarũ Virginũ cũ suis Psalmis victricibus exultãs occurrit exercitus: hęc est enim in cuius vtero Ecclesia coniuncta est fœdere sempiterno. Hæc ille. ¶ In huius figurã legimus. 2. lib. Reg. c. 6. Regẽ Dauid arcam Domini excepisse, atque in Hierusalem cũ choris septẽ introduxisse, magno cũ gaudio ingentique lætitia. Nã verus Dauid excepit verã arcã testamenti, in cælestẽ Hierusalẽ, magna cũ alacritate, & exultatione, septẽ beatorũ ordinibus comitatus: magnaque stipatus sanctorum multitudine. Comitatus, inquã, patriarchis, quales fuerunt Abrahã, Isaac, & Iacob. Comitatus prophetis, quales fuerunt Isaias, Hieremias, & Ezechiel. Stipatus Apostolis, qualis fuit Iacobus ille maior, associatus innumeris martyribus: hoc est Ioanne Baptista, innocentibus, Machabæis. Circundatus confessoribus, sanctisque virginibus, atque omni denique multitudine angelorũ. Vnde D. Hieron. ait: credendũ est festiuæ genitrici Dei obuiã aduenisse militiã, eãque ingẽti lumine circunfulsisse, & ad thronũ eã cũ laudibus & canticis perduxisse: cælestemque Hierusalẽ tunc ineffabili lætitia exultasse. ¶ Quantæ verò admirationi hæc tã præclara exceptio virginis in domũ filij, fuerit omnibus angelis: vel ex illorũ quæstionibus, atque interrogationibus, satis colligi à nobis potest. Primũ de tanta eius maiestate & gloria admiratus Spiritus sanctus rogat nomine primæ Hierarchiæ, beatorũ cateruam.

Maximo commitatu excepta fuit maria indomum cælestem.

In ser. qui intitulatur Greg. magno.

B

2. Reg. 6. Figura.

C

D. Hier in serm.

D

Maxima cum admiratione omnium Hierarchiarum assumpta fuit.

Cãt. 3.

Quæ est, inquit, ista quę sic ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij? Admiratur Spiritus sanctus (vt inquit D. Hier.) quia admirātes facit, scilicet, angelos in eius assumptione. Et bene, *quasi virgula fumi*, quia gracilis & delicata, quia diuinis extenuata disciplinis, & concremata intus inholocaustum incendio pij amoris, & desiderio charitatis. *Vt virgula, inquit, fumi ex aromatibus:* nimirum, quia multis repleta est virtutum odoribus: manans ex ea fragrabat suauissimus odor, etiam spiritibus angelicis. Ascendebat autem Dei genitrix de deserto præsentis seculi, virga de radice Iese olim exorta: sed mirabantur electorum animæ prægaudio, quæ nam esset quæ etiam meritorum virtutibus angelorum vinceret dignitatē. Admiratur ergo Spiritus sanctus nomine primæ militiæ cælestis intuēs virginem ascendentem de hoc mundo plenam myrrha mortificationis, thure orationis, vniuersoque puluere omniū virtutum & gratiarum. Quibus respondet Isaias. Hæc, inquit, est illa virga quam olim prædixeram de radice Iese egressuram: hæc est de qua flos Christus omniū Dominus, moderator & redemptor in mundum ascendit. O virgo virga sublimis (inquit Bernar.) in quātum sublime verticem sanctum erigis? vsque ad sedētem in throno, vsque ad Dominum maiestatis. Virgo verè planta cælestis, planta pretiosior cunctis: sanctior vniuersis: ò verè lignum vitæ: quod solum dignū fuit portare pondus salutis. ¶ Admiratur & stupescit secunda cælestium angelorum hierarchia, & interrogat: quæ est, inquit, ista quæ progreditur quasi aurora consurgens pulchra vt luna, electa vt sol: terribilis vt castrorum acies ordinata? Progreditur vltra nos omnes, graditur veluti noui diluculi aurora rutilans. Nam sicut aurora medium inter diē & noctē obtinet sic ista medium inter viatorum statum, qui in caligine huius mūdi sunt: & statum comprehensorum, qui gaudent & perfruuntur illa luce sempiterna, tenet. Est enim virtute præstātior

D. Hie. in serm.

Isai. 11.

D. Ber.

Admiratur. 2. hierarchia. Can. 6.

A omnibus viatoribus, & perfectione propinqua comprehensoribus. *Pulchra siquidē vt luna*, cum peccatores omnes in tenebris existētes illuminet, sicut luna noctem. *Electa vt sol*, cum iustos omnes atque pietate pollentes, qui dies vocari meritò possent, claros & lucidos reddat. Cum in hanc inferiorem Ecclesiam sua virtute influat. *Pulchra, inquam, vt luna*, imo pulchrior (inquit Hiero.) quam luna, quia iam sine defectu sui coruscat, cælestibus illustrata fulgoribus. *Electa vt sol*, fulgore virtutum, quia ipse elegit

B eam sol iustitiæ vt nasceretur ex ea. *Terribilis vt castrorū acies ordinata.* Terribilis omnibus dæmonibus, plus omnibus sanctis, virtutibus cunctis armata, atque munita. ¶ Quibus respondet regius vates inquiens, hæc illa est de qua olim ego vaticinatus fueram in hunc modū: astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circundata varietate. Non illa est quæ sedet à dextera Dei, nam solus filius eius est, qui sedet ad dexteram patris: quod Deus verus sit, quod homo verus sit, potestatem habens iudicandi omnes

C homines. Non inquam illa est, quæ stat à dextris virtutis Dei, sed solus filius eius qui semper promptus paratusque stat, ad suis martyribus subueniendum. Sic enim Prothomartyr Stephanus dixit, Ecce video cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei. Nec solum illa est à dextris Dei, nam sancti omnes coram Deo in cælis sunt. Sed sola illa astat à dextera Dei, sola illa præsentissima est Deo, sola est apud filium in cælestibus sedibus: illa præomnibus exaltata: illa, Dei amore & cognitione cæteris omni-

D bus propinquior, firmior, atq; stabilior. Hæc ergo est regina quæ recta semper firmaque stetit, quæ nunquam in malū aliquod inclinata, post filium suum potioribus in gloria sedibus gaudet. Vestitu deaurato sapientiæ & charitatis circunamicta, omniumque virtutum varietate distincta atque exornata. ¶ Demum & tertia hierarchia obstupefacta de tanta gloria & maiestate, rogat: quæ est ista quæ ascendit de deserto delicijs affluēs, innixa supra dilectum suum? *De deserto ascen-*

Hiero.

Psalm. 44. Christus sedet & stat, sancti sunt corā Deo, sola virgo astare dicitur & quare.

Acto. 7.

Admiratur. 3. hierarchia. Can. 6.

ascendit: quod de hoc seculo quod virtutibus desertum & desolatum est, ascẽdat. Ascendit autem super Cherubin, *de liliys*, hoc est, heroicis virtutibus, atque nobilissimis affluens, vt D. Ber. exponit. *Innixa supra dilectum suum*, hoc est, super filium suum, quem hospitio in hac mortali vita suscepit. Cui sancta illa Iudith respondens ait: ego illa sum mulier quæ olim gerebam imaginem & typum huius gloriosæ, atque præclaræ mulieris, modo ascendentis de deserto. Nam quemadmodum interfecto per me superbissimo illo Holoferne populi Dei hoste & inimico: mihi obuiam occurrit cum summa lætitia tota ciuitas Hierusalem, cum pontifice maximo, congratulans de parta victoria, & dicens: tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, benedicta eris in æternum. Sic beatissima ista virgo, pulcherrima corpore, sed multo pulchrior mẽte: & admirabilis in omnium oculis: parta victoria de humani generis hoste reuertitur modo in supernam Hierusalem cum Pontifice maximo, hoc est, Dei verbo: qui egressus est obuiam ei, cũ omni caterua cælesti, congratulans & dicẽs; tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri. ¶ Quod vero hospes Dominus susceperit in domũ suam virginem resumpto post mortem corpore, & sancti astruunt, & rationi maxime consonum esse existimamus. Illa est enim de qua in spiritu Psalmista forsitan dicebat Domino: Psalm. 131. Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ. Corpus Virginis sanctissimæ, arca vera fuit sanctificationis, in qua, loco virgæ fuit reconditum sceptrum diuinitatis: loco legis, anima sapiẽtia & scientia plena: loco autem manna, dulcedo carnis. Hortatur ergo regius vates Christum, vt resuscitet à mortuis nõ solum seipsum, sed arcam etiam sanctificationis, hoc est, corpus matris. Hoc idẽ D. Augustinus testatur his verbis. Putredo & vermis opprobrium sunt humanæ conditionis, à quo Mariæ excipitur natura, quam Iesus de ea assumpsisse probatur. Idem: thronum Dei, thalamũ Domini, tabernaculum Christi, id est, corpus virginis necesse est ibi esse, vbi ipse est. Hunc thesaurum congruentius est cælo seruari, quàm terra. Hoc idem affirmat confirmatque ratione D. Bernard. multique alij sancti quos longum esset recensere. ¶ His ita constitutis facile respondere possumus tribus quæstionibus illis regis Dauid quas legimus in Psalm. Prima est: quis ascendet in montem Domini? Secunda verò, quis stabit in loco sancto eius? Tertia autem: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Difficile sanè est ascendere: difficilius perfectiusque est stare. Difficillimum autem, atq; perfectissimũ habitare & quiescere. Ascendebant Apostoli in cælum dũ in hac vita mortali commorabantur. Conuersatio enim illorum in cælis erat: sed neq; stabant, neque habitabant, nedum quiescebant: sed sicut angeli quos Iacob suspexit, ascendebant & descendebãt. Nũc Paulus rapiebatur in tertium cęlum vbi videbat arcana Dei: nunc descendebat in terram vt doceret quomodo cõiuges, viduæ & virgines se gererent, quæ ratio in escis habenda esset: atque alia his similia. Sancti verò qui iam perpetua fœlicitate fruuntur, & ascenderunt in cælum, & stant iam fixi in perpetua continuaq; dilectione Dei: non tamen quiescunt: cum adhuc appetant corpora sua: quorũ votum & desiderium in vniuersali generalique suscitatione mortuorum adimplebitur. Virgo autem sanctissima quæ iam in cælum ascendit, & quę iam stat in perpetua charitate fixa in patria cælesti, non solum iam habitat in tabernaculo filij sui, sed quiescit in monte sancto suo: cũ in anima & corpore sit gloria & beatitudine plena. Illa est, quæ verè dicere potest illud quod spõsus in Canticis ait: comedi fauum cũ melle meo. Alij enim sancti qui corporis expertes in cælis sunt, mel tantum dici possunt: at Christus mater que eius, & si qui alij sunt cum corpore, fauus cum melle sunt. Comedit ergo mater fauũ cum melle suo eò quod cum corpore & anima Deo in beatitudine perfruitur.

¶E

Marginalia: Bernar. — Iudith. Figura. Mariæ. — Iudit. 15. — Maria assumpta fuit cum corpore. — Psal. 131. — D. Aug. — Idem. — Psalm. 23. Psalm. 14. — Beata virgo post filium ascẽdit & stat & habitat & quiescit simul in cælo. — Gen. 28. — 1. Cor. 7. & 8. — Can. 5. — Lege S. Thom. in can. c. 5.

¶ *Et huic erat soror nomine Maria.* Quod in Virgine Maria fuerint vita actiua & contemplatiua quarum typum gerebant hæ duæ sorores, omnis Ecclesia vno ore confitetur. Illa enim offerebat Domino semper, quod nobis omnibus Ecclesiasticus præcipit. c. septimo. Datum, inquit, brachiorum tuorũ, & sacrificiũ sanctificationis offeres Domino. Datum brachiorum appellat actiuam vitã, quæ, brachijs, labori & operi corporali instat: sacrificium vero sanctificationis appellat vitam contemplatiuam: quæ otio spirituali dat operam. Hoc ergo sacrificium sanctificationis datumq; brachiorum offerebat Domino beata Virgo: nunc manibus opera pietatis exercẽdo, nunc lectioni, meditationi & considerationi rerum diuinarũ vacando. Lætabor (inquit vates) & partibor sichimã: sic sancta virgo lætabor (dicebat) & partibor sichimam. Sichima, labor interpretatur. Laborem suum partiebatur Maria, modo operibus actiuæ vitæ, modo operibus contemplatiuæ occupata. Ad hanc duplicem vitam illã incitabat spõsus in Canticis. c. 8. Pone me (inquit) vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum. Semper Deipara virgo filium in corde habebat: semper illum, quasi sigillum, atque signaculum animo indelebiliter impressum gestabat: sic vt toto corde totaq; mente diligeret: semper illum contemplabatur, atque in memoria sculptum habebat. Et rursum: illum, quasi sigillum, aut signaculum super brachium suum gerebat, omnem vitam suam actiuam, secundum doctrinam eius, atque exemplum instituẽdo: vt in omnibus pietatis operibus, quæ exterius agebat, Christus reluceret. Intelligens enim quod empta erat pretio magno glorificabat semper atq; portabat Deum in corpore suo: Dominumque Iesum Christum induebat: superbrachiumque ponebat: vitam omnẽ suam dignam Christo agendo: moresq; omnes & conuersationem totam secundum eius præcepta & exempla instituendo. ¶ In lib. Geneseos. cap. 24. Sacra narrat historia Eliezer dedisse Rebeccæ armillas aureas appendentes decem siclos auri. Christus enim Dominus cuius figurã agebat Eliezer, veræ Rebeccæ armillas contulit, quando eam, vita actiua decorauit: vitaque contemplatiua adornauit, per aurum significatam. Appendere autem. 10. Siclos auri, armillæ dicuntur: eò quod hæc duæ vitæ, decem præceptis legis continentur: omnisque nostra operatio siue sit interna siue externa, ad Deum & ad proximum per decem decalogi præcepta ordinata est. Vtramq; ergo vitam & Marthæ & Mariæ, Dei mater excellentiori modo quàm cæteri sancti amplexata est. Multæ enim filiæ congregauerunt sibi diuitias meritorũ nũc vitam actiuam agentes, nũc contemplatiuã: Maria vero, supergressa est vniuersas. Iam vero tempus est, vt sigillatim de vtraque Mariæ vita dicamus.

¶ *Quæ etiam sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius.* Sanctissima Maria sub vmbra illius quem desiderabat, sedit & fructus eius dulcis fuit gutturi eius. Fructus enim arboris huius, fructus erat honoris & honestatis, dulcis sanè gutturi virginis. Exultationes enim Dei erant in gutture eius. Tunc exultabat guttur, hoc est spiritus eius in Deo salutari suo cum audiebat verbum ipsius ad pedes eius sedens: cum humilis (inquã) facta in oculis suis, Dei arcana contemplabatur: cum spiritus eius, & si in corpore, nihil de corpore portans, extra se & in Deũ totus absortus erat: cum in atrijs domus Domini, & in extremis maris habitabat: cum liquefiebat anima eius, rapiebatur transformabatur & vnus spiritus fiebat cum Domino Deo suo: cũ denique moriebatur Rachel hoc est ratio, in partu Benjamin qui contemplationis typum ferebat: tunc inquam exultabat spiritus eius: ita vt sæpe diceret quã magna multitudo dulcedinis tuæ Domine quam abscondisti timentibus te. Nõ explicat virgo beata, neque exponit nobis quanta erat hęc dulcedo, & meritò: nam nec oculus vidit neque auris audiuit, neque in cor hominis ascendit quanta fuerit hæc multitudo dulcedinis quam ex assidua contẽplatione percipiebat. Quare si

In virgineerat vita actiua & contemplatiua.
Ecclesi. 8.
Explicatur locus.
Psalm. 59.
Can. 8.
I. Cor. 6.
Rom. 13.
Gen. 24. Figura.
Vi. Bonau. de doctri. cord c. 38.
De vita cõtẽplatiua Mariæ virginis.
Can. 2.
Ecclesi. 28.
Psal. 149.
Gen. 35.

re si rapta in hanc maiestatis caliginem, sentiens sibilum auræ tenuis interrogaretur quanta quæso ò virgo multitudo dulcedinis tuæ sedens iuxta pedes Domini tui & audiens verbum illius? Responderet. Nescio. Anima mea côturbat me propter quadrigas Aminadab. Id est, propter raptus tales. Et rursum diceret. Ad nihilum redacta sum & nesciui. Fit enim collustratio spiritus, non sine quadam interpositione: qualem suo modo sentit oculus, pelliculis palpebrarum tenuibus interpositis, ad radios solis nitidissimos, incidentes super oculos. Videt itaque solem oculus in suo lumine, sed quid sit non datur inspici medio prohibente. Tolle pelliculam vel aperi, & protinus aspicies. ¶ Verte ergo rogo oculos mecum ad Mariæ pulchritudinê & perpende altaque mente considera qualis fuerit status sui spiritus dum in hac vita mortali morabatur: quàm sublimê positus in arce contemplationis: quàm eleuatus à terra, quâtis irradiatus fulgoribus à filio suo qui illuminat mirabiliter à môtibus æternis: vnde turbati sunt omnes insipientes corde qui dicût in corde suo saltem re & opere non est Deus. Si erat, vt mulier illa quam Ioannes vidit, amicta sole iustitiæ, & sub pedibus eius luna totius varietatis ac defectionis creaturarum: & in capite eius pulcherrima spiritualium syderum in æternitate splendêtium corona: quid inde de eius vita contemplatiua colligi potest? Si potes considera. Nonne lumen illud immensum, aliquoties in oculos mentis eius scintillabat, intuendum se inde præbês qualiter in via vidisse Moyses & Paulus æstimantur? Nonne, sicut in rimula quadam exilis corruscationis dum oculos ferit emicans flamma, mox disparens, ita fulgurabat in mête Mariæ splendor diuinæ gloriæ? Nonne cernebat eam quandoque quemadmodum aliquis nostrum videre solet nascentem per nebulam lunã? Fallor si non tot vicissitudines illæ euntis & redeuntis sponsi, hoc significare vellint. Modo tenetur: modo videtur: mox disparet: modo stat post parietem, nihilominus respicit per fenestras, prospicit per

Can. 6.
Psalm. 72.
Similitu.
Psalm. 75.
Psalm. 13.
Apoc. 12.

A cancellos. Hoc est, prospici se facit, sed per transitum irradiando & illuminando in sponsæ suæ domo: referens simile quid pastorile, illi quod Poeta fingit (si pie dici potest) & fugit ad salices, & se cupit ante videri. Quod idem insinuat nobis per mysticas corruscationes & scintillationes visio illa tota Ezechielis de animalibus & rotis. ¶ Gaude ergo & lætare virgo Maria (inquit Bern.) & maximas gratias age quæ partem optimam elegisti. Beati enim oculi qui vidêt quæ B tu vides, & aures quæ merentur audire quæ tu audis. Beata sanê quæ venas susurri diuini percipis in silentio, in quo vtique bonum est homini Dominum expectare. Simplex esto, non tantum sine dolo & simulatione, sed absque multiplicitate occupationum, vt tecum sit sermonicatio eius, cuius & vox dulcis, & facies decora. Hæc ille.

¶ *Optimam partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea in æternû.* Deû solum elegit virgo beata, quæ optima pars est, reiectis atque contemptis omnibus alijs mundi bonis. Quid mihi (dicebat ipsa) est in cælo & à te quid volui super terrã? Defecit caro mea, & cor meû: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Hanc partem & si cumulate suscepit Maria dum in terris commorabatur, cumulatissimê suscepit cum in cælum euecta est. Cuius rei habemus imaginem præclaram in libro Esther. c. 2. & 5. Indignatus enim rex Assuerus aduersus reginam Vasthi, ê domo sua eiecta, quæri iussit puellas virgines & speciosas: vt quæcunque inter omnes, oculis eius placuisset, regnaret loco Vasthi. Inter cæteras ergo puellas adducta est Hester traditaque est Egæo Eunucho, vt seruaretur in numero fœminarum. Erat enim formosa valdê, & incredibili pulchritudine: omniumque oculis gratiosa & amabilis videbatur. Cum autê venisset tempus singularum per ordinê puellarû, vt intrarent ad regem: cæteræ, quicquid postulabant ad ornatum pertinês, accipiebant: & vt eis placuerat composítæ: de triclinio fæminarum ad regis cubiculum transibant. Euoluto autem têpore

Poeta.
Ezech. 1.
D. Bern.
D. Ber. in serm. 2.
Psalm. 72.
Esther. 2. & 5.
Figura. Notanda.

pore per ordinem, instabat dies, quo Esther deberet intrare ad regem. Quæ non quęsiuit muliebrē cultum: sed quęcunque voluit Egæus custos virginum: hæc ei ad ornatum dedit. Ducta itaque est ad cubiculum regis Assueri: & adamauit eam rex, plusquam omnes mulieres, & posuit diadema regni in capite eius. Fecitque eam regnare loco Vasthi. Et iussit conuiuium præparari per magnificū, cūctis principibus, & seruis suis pro nuptijs Esther: & dedit requiem vniuersis prouincijs: ac dona largitus est iuxta magnificentiam principalem. Reginæ autem Hesther dimidiam regni sui partem pollicitus est. ¶ Repudiata ergo synagoga, cuius figura erat regina Vasthi, propter inobedientiam suam, misit Dominus per totum orbem terrarum, angelos de cælo, Apostolos omnes, cæterosque prædicatores Euangelicos, vt quærerent ei virgines speciosas, hoc est, animas fidei integritatem habentes, cæterisque virtutum ornamentis decoratas. Inter illas igitur inuenta est ab Angelo Gabriele virgo gloriosa, cuius typum ferebat Esther, tam pulchra, atque decora, vt de illa cantet vniuersa fidelium Ecclesia, pulchra es & decora filia Hierusalē. Hæ omnes virgines traditæ sunt Spiritui sancto à quo custodirentur, virtutúmque ornamentis varijsq; charismatibus ornarentur atque vngerentur. Ingressæ igitur sunt per ordinem innumeræ fidelium animæ ante virginem hanc sanctā in regnum cælorum, aliæ alijs, quæ sibi magis placebant, virtutibus inductæ atque ornatæ. Alię (inquam) misericordia & pietate vestitæ: aliæ castitate & virginitate decoratæ: aliæ incredibili fiducia & fide cæteras præexcellentes. Tandem tempus adfuit quo ducta est regina cęlorum ad cubiculū regis Assueri, hoc est, ad aulam Dei, ad domum regis regum, & Domini dominantium: quæ minime quæsiuit hanc, vel illam virtutem qua honestaretur: sed totam sese Spiritus sancti beneplacito, atque libito, commisit, qui illam tanta virtutum varietate, tanta gratiarum diuersitate composuit, ac decorauit: vt incredibili pulchritudine omniumque oculis gratiosa & amabilis in patria illa cælesti videretur. Hanc, in regiam supernam ingressam, adamauit rex cęlestis plusquam omnes animas sanctas. Hanc, astare fecit à dextera sua vestibus aureis indutam, varietate donorum circumamictam: posuitque diadema super caput eius dicés. Veni de libano spōsa mea, veni de libano coronaberis. Fecitque eam regnare loco synagogæ, quę regem spernendo & crucifigendo, reginæ dignitatem amiserat. Cæterum quæ copia dicendi, quæ vis ingenij, quæ eloquentiæ magnitudo, explicare aut enarrare poterit, per magnificum illud regis cælestis conuiuium: quod, cælestis curiæ principibus, omnibusque beatitudinis consortibus, parare atque apponere iussit: in die, qua, æterna charitate coniunctus est, cum pulcherrima atque venustate præclarissima sponsa sua Esther? Tūc fecit Dominus in monte illo cælesti omnibus populis conuiuium pinguium, cōuiuium vindemiæ, conuiuium pinguiū medulatorum & vindemiæ defecatæ. Conuiuium, inquam, delicatissimū vbi appositi sunt cibi exquisitissimi, vinaq; fragrantissima, atque purissima: quibus satiati sunt omnes conuiuæ, omnes principes illi superni qui congregati sunt ad conuiuium hoc, ad cœnamque hanc magnam Dei. Hæ adipes, hoc nectar, hæc ambrosia, hæc pabula, spiritualia erant, non corporis alimenta. In die hac dedit Dominus requiē vniuersis prouincijs. Quare securi possumus adire omnes nos qui laboramus, & onerati sumus, ad regem hunc: nam ipse, merito suæ matris dabit requiem animabus nostris. Dona præterea largitus est rex noster Assuerus iuxta magnificentiam principalem. Assumpta enim regina cælorum in altum: largitus est, & quotidie largitur sponsus eius, innumera charismatum dona hominibus. Denique rex Assuerus qui quondam huic cælorum reginæ dimidiā sui regni partem promiserat, hodie pollicitationem adimpleuit: cæteros enim sanctos, secundum propriam virtutem, intrantes in gaudium Domini sui, constituit Dominus in regno illo beatorum,

super

Psalm. 44.

Cant. 4.

Isai. 25.

super vnam aut alteram ciuitatem: at reginam nostram super dimidiam sui regni partem constituit: quę non auferetur ab ea in æternum.

Lege glo.

CAPVT XI.

¶ Orandi formam Christus præscribit.

Matth. 6.

ET factum est cum esset in quodam loco orans, vt cessauit dixit vnus ex discipulis eius ad eum. Domine doce nos orare, sicut docuit Ioãnes discipulos suos. Et ait illis cum oratis dicite, pater sanctificetur nomẽ tuum, adueniat regnũ tuũ. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis peccata nostra, si quidem & nos dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem.

Fiat volũtas tua, sicut in cælo & in terra. Quotidie

Ipsi.

HAc imagine Mariæ optimam partem eligentis cum Dominus Iesus docuisset, magnam rem agere, qui toti vacarent doctrinæ cælesti, quam nemo synceriter potest tractare, nisi semet excutiat ab omnibus huius mundi cupiditatibus & curis: supererat, vt & orandi formulam præscriberet. Est enim precatio veluti purissima victima religionis Euangelicæ, ad quam Iesus frequenter secessit, suosque discipulos consuefecit. Estque precatio secretus ille congressus, qua mens humana discussis omnibus curis & phantasmatibus rerum terrenarum, velut subuecta in cælum, cum Deo miscet colloquiũ. Quid ergo de illa Iesus præscripserit audiamus.

¶ *Et factum est cum esset in quodam loco orans.* Ex more suo secessit Christus cum discipulis suis in locum ab hominum frequentia & tumultu separatũ orandi gratia. ¶ Libet in hoc loco quando impræsentiarum alia commodior se se non offert, laudes solitudinis, atque secessus ab hominum caterua, contexere: vt intelligamus quis sit locus ad preces fundendas aptior, quis ad secreta cælestia discendum commodior: quis denique ad omnia virtutum opera, ob Dei solum gloriam & amorem peragendũ, securior. ¶ Audiamus illum summũ secretorum Dei conscium, & prophetam eximiũ Dauid: cui Dominus incerta & occulta sapientiæ manifestauit. Audiamus primum quid dixerit: audiamus deinde quid fecerit. Ipse enim contristatus in exercitatione sua, & conturbatus à voce inimici, & à tribulatione peccatorũ, dixit. Cor meum conturbatum est in me: & formido mortis cecidit super me. Timor & tremor venerunt super me, & cõtexerunt me tenebrę: & dixi. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo: & requiescam? Et deinde subiecit, & ait. Ecce elongaui fugiens & mansi in solitudine. Ecce, inquit, elongaui ab omni occasione & circunstantia peccatorũ: mundum istum mente & corpore fugiens. Et mansi perseueranter: non in ciuitate: sed in solitudine. Ille enim fugiens se elongat (vt D. Gregor. ait) qui à turba desideriorum terrenorum, in altam Dei contẽplationem se subleuat: manet verò in solitudine, qui perseuerat in remota mentis intentione. Vnde idem propheta, vt Dei virtutem, & gloriam, videre mereretur, se solitudinis locũ petijsse testatur, dicens. In terra deserta, & inuia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi: vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam. Solitudo namque est via, quæ ducit ad vitam: vbi pro terrenis cælestia, pro transitorijs

Solitudo locus aptior ad orandũ & ad cætera spiritualia exercitia, quàm ciuitas.

Psalm. 54.

D. Greg.

Psalm. 62.

Solitudinis laus.

Gen. 28.
Gen. 4.
Sap. 4.
Gen. 18.
Gen. 32.
Exod. 3.
Hier. 9.
Threni. 3.
3. Reg. 19.

torijs mutantur æterna. Hæc est locus A pœnitentiæ, vita iustitiæ, semita gratiæ, scala gloriæ. Hæc est, inquam, Scala illa, quam vidit Iacob in solitudine, in terra stantem & cælum tangentem: quę homines vehit in cælum, & angelos ad nostrum recipit auxilium. Hæc est virtutum nutrix, patientiæ custos, purissimæ simplicitatis magistra, & fraudulentæ duplicitatis ignara. Hæc est quies laborantium, consolatio mærentium, & in ęstu refrigerium. In qua est turris Dauid ædificata cū propugnaculis: ex qua mille clypei pendent: & omnis in ea armatura fortium. In qua est campus diuini certaminis, Angelorū spectaculum, & palestra viriliter dimicantium luctatorum. In qua Adam tandiu saluus fuit, quandiu solus mansit. Data verò ipsi in auxilium muliere, mox cecidit. Vnde raptus est Enoch in solitudinem paradysi: ne malitia immutaret cor eius. In qua Abraham dum solus sederet sub tusilicē mambre, tres vidit & vnum adorauit. In qua Iacob, dum præmisis omnibus, solus manet: benedictione simul & nominis mutatione fœlix efficitur: plus assecutus vno momento solus quanto vitæ suæ cursu & tempore comitatus. Moyses cum minasset gregē ad interiora deserti, Dominum in ardenti rubo videre & audire meruit, dicētem sibi: solue calciamenta de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est. Cui nunquam, nisi cum solus esset Dominus apparuit. Dauid ad deserta fugiēs, Saulis euasit insidias. Hieremias poscens aquam dari capiti suo, & oculis suis fontem lachrymarū, vt lugeret interfectos populi sui: locum quoque vbi se tam sancto possit in opere liberius exercere postulat dicens. Quis dabit me in solitudine diuersorium viatorum. Tanquam hoc ei in ciuitate facere non vacaret: hoc modo indicans quàm impedirent socij gratiā lachrymarū. Quin etiam cum dixisset: bonum est præstolari cum silentio salutare Dei, addidissetque: bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua: adiecit & ait. Sedebit solitarius & tacebit: quia leuauit se supra se. Elias in monte ad ostium speluncæ, solus, Dominum transeuntem agnouit. Et Helileus duplicem eius spiritū, dum tolleretur, accepit. Ioannes Baptista ab vtero Spiritu sancto repletus, nec mirabili natiuitate, nec parentum sanctitate securus: frequentiam hominum tanquam periculosam, fugiens: solitudinis deserta petijt: vbi quid virtutis, quidue meriti acquisierit: baptismus Christi, & pro iustitia mors suscepta monstrauit. Talis enim factus est in solitudine, vt dignus esset la- B uantem omnia Christum, solus lauaret & pro veritate nec carcerem, nec mortē declinare. Quid plura? Iesus Christus Dominus noster, cuius virtus nec secreto iuuari, nec publico poterat impediri: ductus est in desertum, non dubiū quin à spiritu suo, vt tentaretur à diabolo. Christus idem relictis turbis ascēdit in montem solus orare. Hodie etiam secessit in locum à turba semotum cū discipulis suis orandi gratia. In deserto etiā turbas pauit: suo exemplo nobis quantū solitudo prosit insinuans. Sancti etiā & venerabiles patres, Paulus, Antonius, C Hilarion, duo Macharij, Eulalius, Arsenius, Euagrius, Basilius, Benedictus, & cæteri nobis innumerabiles, quantū in solitudine profecerint: vos ipsi considerate. Et probabitis suauitates psalmodiorum, studia lectionum, feruores orationum, subtilitates meditationum, excessus contemplationū, baptismata lachrymarum: magis nulla re quam solitudine posse iuuari. Hinc est, quod de peccatrice anima, quam cupit ad se Dominus reuocare, propheta ait. Adducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor eius. D De ea verò quæ carnis vinculis absoluta, æterna gaudia intrare meruit in Canticis dicitur: quæ est ista quæ ascēdit de deserto delicijs affluens, innixa super dilectum suum? Quæ non inuenitur per vicos & plateas ciuitatis: sed in solitudine.

4. Reg. 2.
Matth. 3.
Matth. 4.
Matth. 14.
Marc. 6.
Matt. 15.
Marc. 8.
Oseæ. 2.
Can. 6.

¶ *Erat orans.* Non explicat Euangelista ad quem Christus preces suas dirigebat. Certa tamen & indubitata res est quod Deum cæli terræque conditorem precabatur. Vt ex formula orandi quam statim

Non aliū Deū quā Deum cōditorem mundi atque veteris testamēti Christus precabatur.

statim discipulis tradidit apertè colligitur. Quo argumēto apertè probat & colligit Tertullianus non alium esse Deum genitorem Christi, alium verò Deū mūdi cōditorem, vt male Marcio existimabat. Lege Tertul. lib. 4. aduersus Marcionem. ¶ *Erat orans.* De orationis materia lege inter alios Doctorem sanctū, 2. 2. q. 83. & 3. p. q. 21. B. Antoni. 4. p. tit. 5. c. 8. & 23. q. 4. c. obtineri. Et S. Tho. in opusc. 3. per multa capita etiā lege. ¶ *Erat orans.* Deum, scilicet, quare disce, quod quemadmodum Deus solus adorandus est, ita ille solus, tanquam fons bonorū omniū, ac largitor præcipuè precandus. Immola Deo (inquit regius vates) sacrificiū laudis: & redde altissimo vota tua: & inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. q. d. in tempore tribulationis, ex corde fideli inuoca me in auxilium, & postula in fide nihil hæsitans: certissimo persuasum habēs, quod ego solus sum, qui tibi possum ferre auxiliū, etiam in desperatissimis rebus, & quod bonus sum, qui non possim, aut nolim derelinquere piè clamātes, aut fideliter postulantes abijcere: & si tu hoc feceris, si me sic inuocaueris, ego te exaudiam, & eruam, atque liberabo de tribulatione de qua clamasti ad me, vel temporaliter liberando, vel certè consolationem internam & virtutem ad ferendum donando in confortatione spiritus. Et tu me hac in re glorificabis maximèque honorabis, magis quàm si milia hircorum, aut vitulorum mihi contulisses. Honorem enim permaximum fieri mihi puto, cum in tribulatione ad me fidenter, & absque hæsitatione clamāt homines. Nam hoc ipso, me & summe potentem, et summè bonum protestantur. Non enim inuocarent, nisi summe potentem crederent, qui possem ferre auxilium: neque iterum, nisi optimum, qui non possem iusta ac pia vota abijcere.

Sicut solus Deus est adorādus, sic solus est præcipuè orandus. Psalm. 49.

Exponitur locus.

¶ Hoc intelligens vates ille nomine Daniel, non regem Babylonis, sicut constitutum, atque sancitum erat, precari voluit: sed solum Deum suum: potiusque vitam leonibus exponere decreuit, quā alium, quàm Deum verum, aut adorare, aut precibus aliquid ab eo impetrare. Erat enim regis edictum, vt nihil à quoquam Deo peteretur, quàm à rege solo.

Dan. 6.

¶ Ista quæ diximus, scilicet, adorari & inuocari, nulli sancti, vel homines, vel angeli, exhiberi sibi volunt (inquit Augustinus) quod vni Deo deberi norunt. Apparuit hoc in Paulo, & in Barnaba cum commoti miraculis, quæ per eos facta sunt, Lycaonij tāquam dijs immolare & inuocare voluerunt: cōcisis enim vestimentis suis, confitentes & persuadentes se Deos nō esse, ista sibi fieri vetuerunt. Apparuit & in angelis, sicut in Apocalypsi legimus, angelum se adorari prohibentem, ac dicentem adoratori suo, conseruus tuus sum & fratrum tuorum. Ista sibi planè superbi spiritus exigerunt à mundi primordio. Inuocandos enim & adorandos se esse ab hominibus, post Adæ peccatum pro sua virili procurarunt. Hinc fuit, vt Saulem incitarent, illiq; suggererent, vt adiret Phytonissam: quæ suis incantationibus Samuelem suscitaret: vt Samuelis imagine illusus Saul, diabolum & adoraret & deprecaretur. Hinc etiam fuit, vt in deserto filios Israel persuaderent, vt eos sub vituli aurei figura, & adorarent & inuocarent: hinc denique fuit, vt eosdem traherent: vt illis, filios suos immolarent: sic enim ait scriptura sacra. Immolauerunt filios suos dæmonijs, & dijs quos ignorabant. Videns autem diabolus (vt Augustinus ait) templa dæmonum deseri, & in nomen liberantis mediatoris currere genus humanum: hæreticos mouit, qui sub vocabulo Christiano, doctrinæ resisterent Christianæ. Quæ inter alia docet non illos, sed solum Deum mundi gubernatorem, atque opificem esse inuocandum. Quod suo exemplo & hodie, & aliàs sæpe Christus ostendit. Idque, orandi formulam tradendo discipulis, manifestè docuit. Deum ergo solum, tāquam potentem vota nostra, atque desideria implere, inuocemus, precemur, atque ad illū manus tēdamus. Ille enim solus est, qui gratiā & gloriā cæteraq; oīa bona dare potest. Reliquos verò sanctos qui precati fuerimus, eò fit, vt pro nobis

Vid. Aug. lib. 11. contra Faust. c. 1.

Act. 14.

Apoc. 19. & 22.

1. Reg. 28.

Psal. 105.

Aug. lib. 18. de ciu. c. 51.

Sanctique modo orādi & inuocandi.

miseris atque indignis intercedant: sicque preces nostrę suū sortiantur effectū. ¶ *Erat orans.* Quàm decens: quàmq; rationi consentaneum fuerit, Christū Dominum, quatenus homo erat, preces ad Deū patrē fundere, docent Doctores sancti. Tū, vt suis precibus, nobis, aliàs indignis beneficiorū Dei, mereretur. Tum etiam, vt suo exēplo discipulos suos, cæterosq; omnes fideles ad precationis studiū excitaret. Certò sciens, his armis aduersarium inimicumq; nostrū diabolū deuinci. His enim deuictus est Pharao: qui diaboli imaginē portabat. Exod. 14. Ideò enim apud Matth. c. 26. ait. Vigilate & orate vt non intretis in tentationē. Tum quoq;, vt Pontificis munere fungeretur. Cuius est, precationes pro populo sibi cōmisso fundere. Omnis enim Pontifex (inquit Paul.) ab hominibus assumptus, pro hominibus cōstituitur, in his quæ sunt ad Deū. Et rursum ait. Talis decebat vt esset nobis Pōtifex sanctus & innocens, impollutus, segregatus, & excelsior cælis factus. Tum denique, vt ostenderet se verum hominē. Ideò dicebat apud Ioannē. c. 11. Pater, gratias ago tibi quoniā audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis. Perspicuum est enim, nō vt verbum ante incarnationem, sed vt hominem, quando factus est homo, orare pro se atq; pro nobis. Quēadmodū igitur (inquit Cyril.) quando per carnem miracula efficiebat (sputo enim cæcū curauit: & manu extensa, feretroq; tacto vnigenitū viduæ filium è mortuis reuocauit: & voce instrumētis corporis emissa, Lazare, dixit, veni foras) non ipsi vt homini hæc, sed vt Deo attribuimus. Sic quando humano more aliquid de seipso dicit, aut facit quod alienū à Deitate sua videatur, carni ad ipsum accommodare debemus. Sic enim singula factorū atque dictorum cōgrue distribuentes, à vera cognitione salutaris non aberrabimus. Lege de hoc Cyrillum: Thesauri. lib. 10. c. 2. ¶ *Erat orās.* Orabat Christus pro se, & pro nobis omnibus. Pro se deprecabatur corporis sui gloriam: pro se petebat, bona corporis, quæ externa nominantur: pro se postulabat à malis præsentibus liberari. Non autem orabat pro bonis animi, quibus plenus erat, adipiscendis. Pro nobis verò orando petebat, tam bona, quæ sunt animi ornamēta, hoc est, virtutes & gratiam: quàm bona externa ad vitam degēdam necessaria. His enim omnibus indigemus. Prętetea, Dominum obsecrabat, vt nos à malis, quibus vndiq; cincti atque obsessi sumus, liberaret.

Quare Christus orabat. — *Exod. 14. Figura. Matt. 26.* — *Heb. 5.* — *Heb. 6.* — *Ioa. 11.* — *D. Bon. 3. sen. d. 17. q. 1. 2. disputation. & S. Tho. 3. p. q. 21. art. 1.* — *Cyril.* — *Quid pro se atq; pro nobis christus in oratione petebat.*

¶ *Domine doce nos orare.* Oratio (autore Damasceno) petitio quædam est decētium Deo. Orabant autem & frequēter & prolixe pharisæi, sed tristes, & in publico. Orabant & discipuli Ioannis. Orabant & Samaritani in monte suo. Habebat & Ethnicorum religio suas preces. Quoniam autem nec idem ritus orandi omnibus erat, nec eadem petebant: cupiunt Apostoli sibi formam à Christo præscribi. Ideò aiunt. Domine quoniam tui sumus discipuli, par est, vt ex tuo prę scripto faciamus omnia. Doce igitur & orandi formam, sicut Ioannes cum viueret docuit discipulos suos. ¶ Antequam Christum docentem audiamus, quid à Deo sumus postulaturi, operæpretium existimaui, cōditiones præscribere, quas habere debeamus: si quod in oratione poscimus consequi volumus. ¶ Prima igitur conditio sit, vt petentes fiduciam consequendi quod petimus habeamus. Postulet (inquit Iacobus) in fide, nihil hæsitans. Et Christus Dominus omnia (inquit) quæ orantes petitis, credite quod accipietis, & fiet vobis. ¶ Secunda conditio est, vt humiles accedentes humiliter Deum precemur. Oratio enim humiliantis se penetrat nubes, & donec propinquet non consolabitur, & non discedet donec altissimus aspiciat: ait Salomon Ecclesi. 35. Hoc intelligens sanctus Abraham dicebat. Loquar ad Dominum meum cum sim puluis & cinis: tantam vim ac fortitudinem habuit huius patriarchæ humilitas vt Dominum teneret. Quod egregiè annotauit Rupert. his verbis. Dixit enim Abraham absit à te vt rem hanc facias, & & occidas iustum cum impio, fiatq; iustus sicut impius. Non est tuū hoc qui iudicas

Dur. 3 di. 17. q. 2. Oratio quid autore Damasc. — *Omnis religio preces fundit* — *Conditiones orationis impetrantis quod postulat. 1. Conditio fiducia. Iaco. 1. Mar. 11. 2. Humilitas.* — *Eccl. 35. Gen. 18.* — *Rupert.*

dicis omnem terram. Ergo consulebat Dño fidelis famulus, quatenus sic ageret, & sic iudicaret, vt de suis ipse iudicijs digne laudaretur. Proinde Dominus Deus monitorē hominē nō aspernatus, & quodammodo arguentē non dedignatus, singulis eius concedit propositionibus, dimittam, inquiens, omni loco, propter quinquaginta: nō delebo, si inuenero ibi. 45. nō percutiā propter. 40. nō faciā si inuenero ibi. 30. non interficiā propter. 20. non delebo propter. 10. fortis enim erat vera fortitudine homo, qui fortissimū Dñm tenebat. Fortis, inquā, & fortiter seipsum cōfringēs, qui dicebat: loquar ad Dñm meū cū sim puluis & cinis: & ne quęso (inquit) indigneris Dñe, si adhuc loquar: & quia semel cœpi, loquar ad Dñm meū: & obsecro ne irascaris dñe, si adhuc loquar semel. Hęc enim fortitudo vera est. s. spiritus humilitatis, & mens subdita iustitiæ Dei quam vates Isaias deplorās in hominibus defecisse, ait. Non est, qui consurgat & teneat te. Humiles ergo simus humiliter Deū precemur: si illū iratū detinere cupimus: si quod postulamus impetrare desideramus. Lege Rup. lib. 6. in Genes. c. 4.

Isai. 64.

¶ Tertia cōditio est, vt à Deo honesta petamus. Petitis (inquit Iacobus) & nō accipitis eò quod male petatis. Ideo enim exauditus est Salo. 3. Reg. 8. quod petierit nō diuitias, non potentiā, nō honoris gradus amplissimos: sed honesta rationi que maxime consentanea: quę in illo capitulo videre poteris. ¶ Quarta est, vt attētē Deū precemur. Psallā spiritu (inquit Paulus) psallam & mente: orabo spiritu orabo & mente. Spiritū vocat sermonē externū & vocē quæ aere ac spiritu constat. Sic enim sermonē definit Lactātius. Sermo, spiritus est cū voce aliquid significante prolatus: mens autem intentionem significare potest: sicut Græcum, νόος, τὸν σκόπον. i. intentionē significat. Orare ergo debemus ait Paulus: non solū sermone, sed etiā animo & intētione. Sic enim attentē deprecabimur. Et D. Cyprian. quando statis, inquit, ad orationē, vigilare & incūbere ad preces toto corde debetis. Cogitatio tūc carnalis, &

3. Honesti petitio. Iaco. 4.

3. Reg. 8.

4. Attētio

1. Cor. 4.

Lactant.

De conse. d. 1. c. quādo.

A secularis hominis abscedat. Et Eccles. c. 10. Muscæ, inquit, morientes perdunt suauitatem vnguenti. Hoc est orationis ¶ Quinta conditio & si nō necessaria sit, tamen maximi momenti à sanctis existimatur ad impetrādū quod volumus. Videlicet, vt immunes à peccato mortali simus. Si iniquitatē, inquit Dauid) aspexi in corde meo non exaudiet Dñs: scilicet ex iustitia. Et Dñs apud Isaiā affirmat, dicens. Cum multiplicaueritis orationes vestras nō exaudiā vos. Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Hoc est opera

Eccl. 10.

5. Immunitas à peccatis.

Psalm. 65.

Isai. 1.

B vestra sceleribus coinquinata sunt. Solue ergo colligationes impietatis, &c. & tunc exaudieris. Lege glos. & Rupert. in hæc verba. Et de vict. Verb. Dei. c. 21. & 22. Et apud Hieremiā. Repulit Dñs altare suum, maledixit sanctificationi, tradidit in manus inimici muros turriū eius. Vnde D. Hieronymus. Mysticē, inquit, repulit Dominus altare suū, quando peccatis nostris exigentibus quasi ingratam despicit aram cordis nostri, & auertit faciem suā à nobis, vnde salui fieri debueramus, sicut scriptū est: ostende nobis faciem tuā & salui erimus, nec preces nostras attendit neque oblationes recipit.

Thren. 2.

D. Hiero.

C Maledixit sanctificationi suæ, quando Christianū nomen in quo gloriabamur pollutum duxerit, quia facinora nostra hoc promeruerūt. Hāc ob causam idem vates ait. Scrutemur vias nostras, & quæramus & reuertamur ad Dñm: leuemus corda nostra cū manibus ad Dñm in cælos. Nos iniquē egimus & ad iracundiā prouocauimus, propterea tu inexorabilis es. Hinc enim Ioānes ait (inquit Hiero.) Si cor nostrū nō reprehēderit nos fiduciā habemus ad Dñm: & quicquid petierimus ab eo accipiemus. Acsi diceret: si quod præcipit facimus: id quod petimus, obtinemus. Valde nāq; apud Dñm vtraq; hæc sibi necessario congruunt, & vt oratione operatio: & operatione fulciatur oratio. Hinc & modo Hiere. ait. Scrutemur vias nostras, &c. Vias etenim nostras scrutari, est cogitationū interna discutere. Cor verō cum manibus leuat, qui orationem suā operibus roborat. Nā quisquis orat, sed operari dissimulat:

Psalm. 79.

Thren. 3.

D D. Hiero. 1. Ioa. 3.

cor leuat, & manus non leuat. Quisquis vero operatur & non orat, manus leuat & cor non leuat. Iuxta ergo Ioannis vocem, tunc cor fiduciam in oratione accipit, cum sibi vitæ prauitas nulla contra dicit, & bonorum operum ratio orationi concinit. Hæc D. Hiero. Thren. 3. ¶ Quandiu vixit Pharao non clamauerunt filij Israel. Illo tamen mortuo clamauerunt & exauditi sunt, quandiu sumus sub peccato obmutescimus & si voce clamare videamur. Mortuo tamē peccato clamantes audimur. Vi. Rupert. in Exod. c. 11. ¶ Præterea Psal. 5. ait Dauid. Mane exaudies vocem meam, id est, quādiu in tenebris erroris sum non me exaudis: sed mane, id est, statim vt tenebræ fugere cæperint exaudis. Vi. ibi Hieron. ¶ Quinta conditio, vt ex animo & cum animi feruore deprecemur. Clamauit ad me (inquit Dñs) & ego exaudiam eū. Multum clamas (inquit Greg.) qui multum amat. Exemplum habes in Moyse dicente: Domine, aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ. ¶ Sexta conditio, vt cum lachrymis Deū obsecremus. Audiui, inquit, orationem tuā, & vidi lachrymas tuas. Vnde D. Hiero. explicans illud Psal. 5. Intellige clamorem meum sic ait. Clamor in scripturis non vocis, sed cordis est. Denique ad Moysen dicitur: quid clamas ad me, cum Moyses ante non clamasset. Et Apostolus: clamātes in cordibus nostris, Abba pater. Vtiq; qui clamat, nō in corde clamat sed in lingua clamat. Et quomodo dicit Apostolus: clamantes in cordibus nostris? Quando igitur gemitus noster, & consciētia deprecatur, istū clamorem intelligit Deus. Vnde dicit Hieremias: nō sileat pupilla oculi mei. Videte quid dicat, nō taceat pupilla oculi mei, & aliquando pupilla oculi clamat ad Deum. Vtique si clamat, lingua clamat, non pupilla oculi. Sed quomodo clamamus in cordibus nostris quando cū gemitu Dominum deprecamur: sic quando lachrymas ad Deum fundimus, eo tēpore pupilla oculi nostri clamat ad Dominum. Hæc D. Hiero. quem lege super totum psalmum. Hoc rectè intelligens Anna Tobiæ vxor, lachrymas fundebat, cum Deum deprecabatur: & ideo exaudita est. Christus etiam Dominus ideo in cruce positus exauditus est à patre, quia preces supplicationesque cum lachrymis obtulit. Glossa, oratio Deū lenit: lachryma cogit: hæc vngit, illa pungit. ¶ Septima conditio, vt cum pudore & verecundia petamus. Exēplo Publicani, qui nec oculos ad cælum leuabat. Cuius rei typum gerebat Hester regina: quæ pretiosis vestimentis ornata, Assuerum conueniens: vt illum turbatum vidit, corā eo cecidit & corruit, & in palorem color eius mutatus est. ¶ Octaua conditio est: vt perseuerantes, atque cōstantes simus in precibus: exemplo Apostolorum, de quibus in actis scribitur: quod erant perseuerantes in oratione cū Maria matre Iesu. Vnde D. Hiero. ait, Importuna in Euāgelio mulier meruit audiri, scilicet, Chananæa. Sed de hoc inferius disseremus cum de amico postulāte tres panes agamus. ¶ Nona cōditio, vt orationi eleemosynas ieiuniaq; iungamus. Hoc genus (inquit Dñs) dæmoniorū non eijcitur, nisi in ieiunio & oratione. Et rursum Tobiæ. c. 12. dicitur. Bona est oratio cū ieiunio & eleemosyna. Sic enim Daniel, sic cęteri sancti orare solebant. Qui enim solum orant: bonis tamen operibus, hoc est, ieiunijs & eleemosynis non dant operam: habent quidē (vt Ber. ait) vocem Iacob, manus autem Esau. Qui vero opera studiosa precibus iungunt similes sunt Moysi leuāti manus suas. Tūc enim vincebatur Amalech. Vi. Orig. homil. 11. in Exod. Vincitur diabolus cum legem per Moysen significatā seruamus, & cum pauperibus manus extendimus, & cū oramus. ¶ Decima conditio esse solet, vt simul cū alijs fidelibus Dominum deprecemur, nam tunc facilius exaudiemur. Vbi enim fuerint (ait Dñs) duo, vel tres congregati in nomine meo. s. ad aliquid boni postulandū: ibi sum in medio eorū. Prōptus. s. paratusq; ad exaudiendū. De qua re latius inferius: cū causas, quare dicimus, pater noster, & nō pater meus qui est in cælis, tradiderimus. ¶ Vndecima, vt sine tedio & anxietate precemur.

Marginalia: Figura. — Psalm. 5. — 5. Feruor. — Psalm. 90. — Exod. 32. — 6. Lachrymæ. — Isai. 38. — D. Hiero. Psalm. 5. — Exod. 14. — Rom. 8. ad Gal. 4. — Thren. 2. — D. Hiero. — A — Heb. 5. — Gloss. — 7. Pudor. — Luc. 18. — Figura. Esther. 15. — B — 8. Perseuerantia. — Act. 1. — De pœni. d. 1. c. importuna. — C — 9. Eleemosyna & ieiunium. — Matt. 17. — Tob. 12. — In sermo. de duobus discipulis euntibus Emaus. — D — 10. Societas. — Matt. 18.

11. Alacritas.

mus. Est enim oratio veluti quoddã suaue & placidum sacrificium. Aliàs enim regius vates minime diceret: immola Deo sacrificium laudis. Quare maxima cum animi alacritate offerendũ est hoc sacrificium. Hinc est, quod D. Hierony. ait. Melior est. 7. Psalmorum decantatio cum cordis puritate ac serenitate & spirituali hilaritate, quàm totius psalterij modulatio, cum anxietate ac tristitia. Hanc animi & corporis alacritatem petebat Dauid cum dicebat: sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum. Lege Vgonem Cardinalem in hunc locũ.

Psalm. 49. De cõs. d. 5. non mediocriter. Psalm. 62.

12. Animi præparatio. Eccl. 18.

¶ Tandem cum orare voluerimus præparemus nos ipsos: nam Salomon ait. Antè orationem præpara animam tuam. Vidẽdo, scilicet, vt nihil omittas in periculis præcauendis pro quibus orare vis, de ijs quæ saltem per humanam prouidentiam fieri possunt. Illud enim esset Deũ tentare, periculo sese aliquem committere, expectareq; à Deo liberari, si aliàs posset humana prouidentia seipsum ab eiusmodi malo imminenti eripere, atq; saluare. Vt statim affirmat idem sapiens dicens: & noli esse quasi homo qui tẽtat Deum. Lege S. Antoni. 4. p. tit. 5. c. 8. §. 7. ¶ Si ergo his omnibus comitata sit oratio, certi simus, quod à Domino exaudietur. Hæc est, quæ dirigitur in cælum, & quæ grata est Domino. Nullum enim thus, aut suffimentum olim oblatũ, nullumque sacrificium vespertinum tã acceptum erat, quantum talis deprecatio piorum. Ideò dicebat Dauid: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Id est, grata sit oratio mea sicut suffimentum quod tibi offerri solet & eleuatio manuũ mearum, sicut sacrificium quod vesperi tibi fit.

Vi. glos. Orationis vis. Psal. 140. Exod. 30. Num. 28. Daniel. 6.

¶ Hæc est oratio tam pretiosa, vt illam, pro sua virili conentur dæmones impedire. Vt ex. c. 6. Danielis constat. ¶ Hæc quæ Deum tenet, quæ iram & indignationem eius placat: vt de oratione Moysis satis constat, nobisque omnibus perspicuum ac manifestum est. ¶ Hęc est, de qua Dominus intelligit cum 2. Paral. c.

A 7. ait. Si clausero cælum & pluuia nõ fluxerit: & mãdauero & præcepero locustę vt deuoret terram: & misero pestilentiã in populum meum: conuersus autẽ populus meus super quos inuocatũ est nomen meum: deprecatus me fuerit: & exquisierit faciem meam. & egerit pœnitẽtiam à vijs suis pessimis: & ego exaudiã de cælo: & propitius ero peccatis eorũ: & sanabo terram eorum. Oculi quoque mei erũt aperti: & aures meæ erectæ ad orationem eius. Id est paratus ero exaudire orationem.

2. Par. 7.

B ¶ *Et ait illis. Cum oratis dicite.* Formã orandi Christus Dominus nobis pręscribit. Hinc colliges, orationem hanc quã docuit Christus: cæteris omnibus esse anteponendã. Quæ enim potest (inquit Cyprianus) magis spiritualis esse oratio, quã quæ à Christo nobis data est, à quo nobis & Spiritus sanctus missus est? Quę vera magis apud patrem precatio, quã quæ à filio, qui est veritas, de eius ore prolata est? Oremus itaque sicut magister Deus docuit. Amica & familiaris

Oratiõ Dominicã cæteris anteponẽda.

C oratio est Deum de suo rogare, ad aures eius ascendere Christi orationem. Agnoscat pater filij sui verba, cum precem facimus. Qui habitat intus in pectore, ipse sit & in voce. Et cũ ipsum habeamus apud patrem aduocatum pro peccatis nostris, quando peccatores pro delictis nostris petimus, aduocati nostri verba promamus. Nam cum dicat: quia quodcũque petieritis à patrẽ in nomine meo, dabit vobis: quanto efficacius impetramus quod petimus in Christi nomine, si

Ioan. 16.

D petamus ipsius orationẽ? Hæc Cyprian. serm. 6. de oratione Dominica.

Cypriani.

¶ *Pater.* Quis obsecro nostrum, Deum rerum omniũ conditorẽ ac moderatorẽ, patrem vocare auderet: nisi hoc nobis Christus Dñs præciperet? Tãta fuit Dei erga nos benignitas, tãtus amor, & charitas, vt non solũ non dedignetur hoc nomine patris, sed potius, nos Christus admoneat dicẽs. Nolite vocare patrẽ super terrã: vnus est enim pater vester, qui in cælis est. Hinc est quod passim in Euãgelio hoc semper nomine vtatur. Scit, inquit, pater vester quod his indigetis. Et alibi.

Pater vocatur Deus. Matt. 23. Matth. 6.

Matth. 5. Diligite (inquit) inimicos vestros vt sitis filij patris vestri qui in cælis est qui solem suũ facit oriri super bonos & malos & pluit super iustos & iniustos. Denique per Hieremiam ait. Adducam eos per torrentes aquarum in via recta, & non impingent in ea, quia factus sum Israeli pater, & Ephraim primogenitus meus est. Et inferius inquit. Si filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus, quia ex quo locutus sum de eo, adhuc recordabor eius. Idcirco conturbata sunt viscera mea super eum: miserans miserebor eius ait Dominus. Quibus rogo delicatioribus, aut tenerioribus verbis amorem erga nos paternum significare, atque explicare poterat Deus? Et ne fideles intelligeremus tantum honorem, tantamque dignitatem, non veram, sed titulo tenus, nobis donatã, ait D. Paulus in Epistola ad Galatas. cap. 4. quoniam autẽ estis filij Dei, misit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem Abba, pater. Fœlices profecto nos, qui talem patrem habemus, fœlices nos qui filij Dei nominamur & sumus: fœlices denique qui tanto titulo & nomine facti sumus digni. Dicamus igitur sine formidine animique trepidatione: pater noster qui es in cælis. ¶ Nos, inquam, qui credimus in nomine eius, qui nõ ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis sed ex Deo nati sumus; hinc debemus incipere, vt & gratias agamus, & profiteamur nos Dei filios, dum nominamus patrem nobis esse in cælis Deum: contestemur quoque inter prima statim natiuitatis nostræ verba renuntiasse nos terrenis & carnalibus parentibus, & patrem solum nosse nos & habere cæpisse, qui sit in cælis, sicut scriptum est: qui dicũt patri & matri non noui te, & filios suos non agnouerunt, hi custodierunt præcepta tua, & testamentum tuum seruauerunt. Lege Cyprianum serm. 6. de orat. Domin. ¶ Interim tamen obserua, quod Deus quatenus hominum conditor est & creator, pater dicitur, tam fideliũ quã infidelium, tam iustorum quam impiorum. Sic enim appellatur pater Deut. c. 32. Popule inquit stulte & insipiens nũquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, fecit & creauit te? At vero proprié vocatur pater fidelium, atque iustorum, quos in filios hæredesque suos adoptauit: vt Paulus in illa Epistola ad Galatas. c. 4. docuit. Hi enim sunt qui spiritum adoptionis filiorum accipiẽtes clamant quotidie Abba, pater. Et deprecãtes manusq; ad Deũ leuantes aiunt: pater noster qui est in cælis: proprius ac rationabilius quàm cæteri peccatores, siue sint fideles, siue infideles. Atque his duobus modis acceptũ nomen hoc, toti Trinitati conuenit. Proprissimé autẽ dicitur, pater, per generationem: & tunc sola persona patris, pater vnigeniti filij Dei appellatur. Hoc ergo modo non accipitur in hac oratione Dominica. Sed primo & secundo. Ex quo licebit intelligere orationem hanc non dirigi ad primam tantum triadis personam, sed ad Trinitatem totam. Hinc colliges qualẽ prouidentiam Deus erga nos habebit. Si enim pater est: quomodo miseretur pater filiorũ, ita miserebitur nostri Deus. Vt enim ostendat hanc peculiarem prouidentiã erga suos, vbique in sacra Scriptura pater noster nominatur. Imo vt tenerrimum in nos amorem demõstraret, matrem, seipsum vocat apud Isaiam. c. 49. dicẽs. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit ego tamen non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te: muri tui corã oculis meis semper. Quibus obsecro dulcioribus ac suauioribus verbis poterat extolli Dei amor ac prouidentia erga nos? Quis nostrum tam mentis inops aut cæcus & diffidens inueniri poterit, qui his auditis cadat animo? Quis tã exanimis qui non respiret, non lætetur, nõ erigat spem suam? Atq; huiusmodi amoris & prouidentiæ paternæ signis caput nõ leuet? Qui enim animaduerterit Deũ esse qui hæc polliceatur: Deum autem esse veracem, ditissimum, atque omnipotentẽ quid quæso cunctabitur? Quid timebit? Quid nõ sperabit? Quo pacto non maximo gaudio atque alacritate afficietur his verbis? His promissis? his deniq; dile-

Margin notes: Hier. 31. — Gala. 4. — Ioan. 1. — Deut. 33. — Pater dicitur Deus, propter creationẽ propter adoptionem, propter generationem. — Deut. 32. — Gal. 4. — Prouidentia peculiaris Dei ostẽditur in eo quod pater noster dicatur & hic. — Isai. 49.

dilectionis signis? Neque enim aquila tanto amore prosequitur filios suos, tantaque cura ac solicitudine eos tuetur, atque defendit, tantaque diligencia expandit allas suas super eos volitans: quanta Deus tuetur, atque prouidet suis. Sicut aquila, inquit, prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alias suas: & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis. Dominus solus dux eius fuit. ¶ Quando igitur tantum ac talem patrem habemus, illum honoremus. Filius (inquit ipse apud Malachiam) honorat patrem: & seruus Dominum suum. Si ergo pater ego sum, vbi est honor meus. Et si Dominus ego sum, vbi est timor meus? Ne ergo dehonoremus nomen hoc. Sed si peccauimus, dicamus, quod filius ille prodigus: surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: pater non sum dignus vocari filius tuus, fac me, sicut vnum de mercenarijs tuis. Quando ergo Deum patrem dicimus, quasi filij Dei agamus (inquit Cyprianus:) vt quomodo nos nobis placemus de Deo patre, sic sibi placeat, & ille de nobis. Conuersemur quasi Dei templa, vt Deum in nobis constet habere. Nec degeneret actus noster à spiritu, vt qui cælestes & spirituales esse cœpimus, non nisi spiritualia & cælestia cogitemus: & agamus, quæ & ipse Deus dixit: eos qui clarificant me clarificabo, & qui me spernit spernetur. Et Diuus Paulus. Nō estis vestri: Empti enim estis pretio magno: glorificate & portate Deum in corpore vestro. Hæc ille.

Deut. 32. | Malac. 1. | Luc. 15. | Cyprian. | 1. Reg. 2. | 1. Cor. 6.

¶ *Pater noster*. Matthæus addit, *noster*, quod omisit Lucas. Pater ergo noster dicitur Deus, vt Iudæi percutiantur, qui Christum sibi per prophetas annunciatum non tantum spreuerunt, sed & crudeliter necauerunt. Qui iam nō possunt patrem Deum vocare: cum Dominus eos confundat, & redarguat dicens. Vos ex patre diabolo estis & desideria patris vestri vultis facere: ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit: quia non est veritas in eo. Et per Isaiam Deus clamat indignans: filios enutriui & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me: Cognouit bos possessorem suum & asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognouit: & populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis, dereliquerunt Dominum blasphemauerūt sanctum Israel. In quorum exprobrationem Christiani quando oramus, pater noster dicimus, quia noster esse cœpit: fides enim cinctorium renū eius, id est, fideles Christo (inquit) adhærebunt: illisque Christus circundabitur. Et Iudæorum, qui eum dereliquerunt, esse desijt. ¶ Præterea hæc vox est eorum proprié qui per Deum sanctificati & gratiæ spiritualis natiuitate reparati, filij Dei esse cœperunt. Quare peccator populus non potest hoc modo esse filius, sed quibus remissio peccatorum datur, eis filiorum nomen ascribitur, eis & æternitas repromittitur Domino ipso dicente: omnis qui facit peccatum seruus est peccati. Seruus autem nō manet in domo in æternum, filius manet in æternum. ¶ Conemur igitur, vt nobis remittantur peccata, vt cum cæteris Christi fidelibus pietate & sanctitate præditis, dicere cum gaudio, atque animi alacritate audeamus: Pater noster qui es in cælis. Quòd si præteritorum malorū pœniteat, vnus quisque nostrū audiet: cōfide fili remittuntur tibi peccata tua.

1. Ratio, quare vocamus Deū patrē nostrum. | Ioan. 8. | Isai. 1. | Isai. 11. | Cyprian. | Ioan. 8. | Cyprian. | Matth. 9.

¶ Quia ergo iusti omnes eandē adoptionem filiorū Dei receperunt, eodē spiritu sanctificati sunt vult Dn̄s, vt vnusquisque illorum dicat, *Pater noster*, & non pater meus. Communis est adoptio, cōmunis est gratia, cōmune debet esse patris nomen. Adde huc, quòd affert nescio quid blanditiarum, fratres vocare patrē, communi vocabulo potius, quā proprio & peculiari. Cum enim fratres inter se loquuntur, vnumquemque pater noster & non pater meus, dicere audimus.

2. Ratio. quare nostrum patrem vocamus & quare dicimus, pater noster, & nō pater meus.

¶ Præterea his verbis, *Pater noster*, & cæteris huius orationis Dominicæ, edocemur: efficaciorem atque ad impetrandum acceptiorē, publicā cōmunemque esse precationē, quā priuata & particularis. Vnde D. Cypria. sic ait. Ante omnia pacis Doctor, atque vnitatis magister, singula-

3. Ratio. quare dicimus pater noster, & non pater meus. | D. Cyp.

gulatim noluit & priuatim precem fieri, vt quis cum precaretur pro se tãtum precetur. Non dicimus pater meus qui in cælis es: nec panem meum da mihi hodie; nec dimitti sibi tantum vnusquisque delicta postulat, aut vt in tentationem nõ inducatur, aut à malo liberetur, pro se solo rogat. Publica est nobis & cõmunis oratio: & quando oramus, nõ pro vno, sed pro populo toto oramus, quia totus populus vnum sumus. Deus pacis & concordiæ magister, qui docuit vnitatem, sic orare vnum pro omnibus voluit, quomodò in vno omnes ipse portauit. Hanc orationis legem seruauerunt tres pueri in camino ignis inclusi, consonantes in prece, & spiritus consensione concordes. Quod declarat scripturæ diuinæ fides, & cum docet quo modo orauerint tales, dat exemplũ: quod imitari in precibus debeamus, vt tales esse possimus. Tunc, inquit, illi tres quasi ex vno ore hymnum cantabant, & benedicebant Dominum. Loquebantur quasi ex vno ore, & nõdum illos Christus orare docuerat, & ideo orantibus fuit impetrabilis & efficax sermo, quia promerebatur Dominum pacifica, & simplex, & spiritualis oratio: sic Apostolos cum discipulis post ascensum Domini inuenimus orasse. Erant inquit, perseuerantes omnes vnanimes in orationibus cũ mulieribus, & Maria, quæ fuerat mater Iesu. Perseuerabant in oratione vnanimes, orationis suæ & instantiam simul & concordiam declarantes. Quia Deus, qui inhabitare facit vnanimes in domo non admittit, in diuinam & æternã domũ, nisi apud quos est vnanimis oratio. Hæc ille. ¶ Ideo ad pacem admonet & ad concordiam nos prouocat Dominus apud Matthæum, si quid ab eo impetrare volumus. Si duo, inquit, ex vobis consenserint super terram de omni re quamcunque petierint, fiet illis à patre meo, qui in cælis est. Vbi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Igitur & premiũ pollicetur, scilicet, patrem exauditurum: & se inter duos aut tres mediũ fore, si vnanimes simus, si pacem & concordiam inter nos habeamus. Iuxta illud exemplũ tyranni, qui duos amicos captos, cum vnus ad visendam matrem reuertisset, & amicum pro se vadẽ redisset, sic probare voluit, vt vno tento alterum dimitteret: cumque reuertisset ad condictam diem, admirans amborum fidem, rogauit vt se haberent tertium. Igitur si nos concordes & amici simus, si nos vnanimi vniusque sententiæ & fidei simus: & Christum tertium habebimus, & quicquid à patre petierimus impetrabimus. Volens ergo Dominus nos ad hanc concordiam prouocare: intelligensque, preces ex vno multorum animo ortas vim maximam habere: præcipit vt dicamus simul: Pater nóster qui est in cælis panẽ nostrum. &c.

Dan. 3.

Acto. 1.

Psalm. 67.

Matt. 18.

Exemplũ.

Lege Hier. Matt. 18.

¶ *Qui es in cælis.* Licet Deus vbique sit: tamen in cælis potius, quàm in terra esse dicitur: quod in cælis magis luceat resplendeatque eius gloria & maiestas: magis ostendatur eius infinita virtus & potentia. Quemadmodum enim anima & si in toto corpore sit, tamen in corde secundum aliquos, vel in capite secundum alios, esse dicitur: quod in corde & in capite vigeat plus multo quàm in cæteris corporis partibus: sic Deus & si in omni loco sit, secundum essentiam, præsentiam, & potentiam, in cælis tamẽ peculiariter existere dicitur, ob causam modo expositam. Vnde D. Augustinus, in libro de spiritu & anima, sic inquit. Sicut Deus vbique totus est in toto mũdo, & in omni creatura sua: sic tota anima in toto corpore suo, tanquã in quodam mundo suo est: & in omni eius parte. Intensius tamen in corde & cerebro: quemadmodum Deus est, & dicitur præcipue esse in cælo. Lege quæ annotauimus Matth. c. 6. in hæc verba: inter explicandum literam: & quæ etiam docuimus, cum illa, ad mores componendos exposuimus. Vide Gersonem. 2. p. de. 7. petitionibus orationis Dominicæ.

Matthæus hęc addit. Quare Deus dicatur esse in cælis cum vbique sit

D. Aug.

Ios. Gers. 2. p. fo 27.

¶ *Sanctificetur nomen tuum.* Antequã ad explicationem sequentium petitionum accedamus, illud animaduerte: his septem petitionibus huius Dominicæ precationis: quicquid boni cunctis homini-

His. 7. petitionibus continen.

tur omnia nobis necessaria bona

minibus necessarium est, postulari. Nihil enim homini deest (vt Aug. gloss. ait) quod his petitionibus nō contineatur: siue ad præsentem, siue ad futuram pertineat vitam. Postulamus enim vt accedat omne bonum, siue creatum sit, siue increatum: & vt recedat omne malum, tam præsens, quàm præteritum, & futurum. ¶ *Sanctificetur nomen tuum.* Hæc prima petitio multiplicem literalē sensum habere potest. Ideo multipliciter exponenda est. Primus ergo sensus est, *sanctificetur nomen tuum.* Id est, sanctū habeatur ab omnibus nomen tuū. Postulant sancti Deum ex toto corde diligentes, vt gloria Dei indies crescat: & magis ac magis vigeat, atque à cunctis celebretur. Atque hoc est, quod apud Ioannem Christus postulabat à patre dicens. Pater clarifica nomen tuum. Id est, fac vt celebretur ab hominibus nomen tuum. Ad hunc sensum Diuus Petrus (vt in actis Apostolorum refertur) sanato claudo ex vtero matris suę, dixit: viri Israelitæ quid miramini in hoc, Deus patrum nostrorum glorificauit filium suū Iesum, quem vos tradidistis. Nos ergo deprecamur Deum, vt per hoc quod simus sancti sanctum ab omnibus habeatur, atque celebretur & non blasphemetur nomen suum. Ideo namque deplorabat Paulus & dicebat ad Rom. cap. 2. Qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deū inhonoras. Nomē enim Dei per vos blasphematur inter gentes, sicut scriptum est (ab Isaia, scilicet. cap. 52.) Dominatores (inquit) eius iniquè agunt dicit Dominus: & iugiter tota die nomen meum blasphematur. Et ab Ezechiele. cap. 36. Et ingressi sunt, inquit, ad gentes ad quas introierunt, & polluerunt nomen sanctum meum: cum diceretur de eis populus Domini iste est. Et peperci nomini sancto meo quod polluerat domus Israel, in gentibus ad quas ingressi sunt. Idcirco dices domui Israel: hæc dicit Dominus, non propter vos ego faciam: sed propter nomen sanctum meum quod polluistis in gentibus ad quas intrastis. Et sanctificabo nomē meum magnum, quod polluistis

1. Petitionis primę sensus quo petimus vt gloria Dei indies crescat & magis ac magis celebretur.

Ioan. 12.

Act. 3.

Rom. 2.

Isai. 52.

Ezec. 36.

A in medio eorum, vt sciant gentes; quia ego Dominus cum sanctificatus fuero in vobis coram eis. Si ergo Deum diligimus, si eius nomē & gloriam indies magis ac magis crescere inter homines optamus, humiliter precemur, vt sancti simus: nam ob scelera ac peccata nostra nomen Domini inter gentes infideles polluitur ac blasphematur. Cæterū de hac phrasi sacræ Scripturæ, lege quæ annotauimus Matth. 6. ad literam. ¶ Secundus sensus est. *Sanctificetur nomē tuum.* B Id est, confirmetur in nobis nomē & notitia tua. Sanctum enim idem est, quod firmum. Quare sanctificare idem erit, quod confirmare & stabilire. Verbum enim sancio idem est, quod confirmo, aut stabilio. In qua significatione summus Pontifex quisquis ille sit, sanctus vocatur. Precamur ergo, vt nomē & notitia Dei firmetur in nobis per veram fidem. Precamur inquam, vt quemadmodum ipse firmus ac stabilis & immutabilis in seipso est: ita det, vt nos firmi simus in fide. Firmiter illum cognoscamus: & C non simus vacillantes in doctrina fidei. ¶ Vel tertio petimus, vt patris nomē firmetur in nobis hoc est, vt à filiorum gratia non cadamus. Vnde glos. Oramus ne à sanctificatione nominis in aliquo discrepemus. Ne patris nomen, in filijs, moribus & vita offendatur. Et D. Cyprian. explicans hanc petitionem sic ait. *Sanctificetur, inquit, nomen tuum,* non quod optemus Deo, vt sanctificetur orationibus nostris, sed quod petamus ab eo, vt nomen eius sanctificetur in nobis. Cæterum à quo Deus sanctificatur, qui ipse D sanctificat? Sed quia ipse dicit: Sancti estote quoniam ego sanctus sum, ideo petimus & rogamus, vt qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cæpimus perseueremus, & hoc quotidie deprecamur. Opus est enim nobis quotidiana sanctificatione, vt qui quotidie delinquimus, delicta nostra sanctificatione assidua repurgemus. Quæ autem sit sanctificatio, quæ nobis de Dei dignatione confertur, Apostolus prędicat dicens: neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles,

1. Petitionis. 2. sensus i. confirmatur in nobis nomē tuū, i. per verā fidem.

Ioa. Gers. loco allegato.

1. Petitionis. 3. Sensus, i. patris nomen firmetur in nobis. i. à filiorū gratia nō cadamus.

Ioa. Gers. D. Cypr.

Leuit. 20.

1. Cor. 6.

neque masculorum cõcubitores, neque fures, neque fraudulenti, neque ebriosi, neque maledici, neque raptores regnũ Dei consequentur. Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed iustificati estis, sed sanctificati estis in nomine Domini Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. Hęc sanctificatio, vt in nobis permaneat oramus. Et quia & Deus Iudex noster sanato à se & viuificato comminatur iam nõ delinquere, ne quid ei deterius fiat, hãc continuis orationibus precem facimus, hoc diebus ac noctibus postulamus, vt sanctificatio & viuificatio quæ de Dei gratia sumitur, ipsius protectione seruetur. Hæc ille.

2. Petitionis. 1. sensus. i. Ecclesia tua militans veniat indies in augmẽto deiecto satanæ regno. Adueniat etiã ad te. Matt. 13.

¶ *Adueniat regnum tuum.* Hæc secunda postulatio tot habet sensus, quot, nomen hoc, regnũ Dei, habet in sacra Scriptura acceptiones. Regnũ ergo Dei imprimis præsentis temporis Ecclesia dicitur. Sic vsurpatur ibi: simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare. Optant ergo Dei filij & obnixè Deum deprecantur, vt aboleatur tyrannis Satanæ, vt indies magis, ac magis inualescat Dei Ecclesia, hoc est enim regnum eius, quod non opibus, aut satellitio, sed modestia, pudicitia, lenitate, tolerantia, fide, charitate, constat. Orant, vt profligatis vitijs, vim suam exerãt inter homines Dei virtutes cælestes. Aiunt ergo: pater cælestis precamur vt regnum tuum, hoc est, Ecclesia tua militans veniat indies in augmentum, deiecto satanæ regno. Veniat etiam ad Ecclesiam tuam cælestem: iam de suis hostibus triumphantem. Veniat deniq; ad te: vt te, facie ad faciẽ videat: sicut te modo per speculum fidei intuetur, atque contemplatur.

Ioa. Gers. 2. Petitionis 2. sensus.

¶ *Adueniat regnum tuum.* Secũdò regnum Dei, pro doctrina regni Dei sumitur. Sic illud vocat Dominus apud Matthæum cum ait: auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Sic illud vocat Paulus cum scribit: non est regnũ Dei in sermone, sed in virtute: vt aliàs exposuimus. Optant ergo & precantur fideles, vt auferatur regnum Dei, hoc est, doctrina cælestis ab improbis Iudæis, & tradatur electis. Postulant vt indies ne-

Matt. 21.

gotium Euangelicum magis ac magis crescat. Petunt, vt non indigni fiant, vt ab illis auferatur. Postquam enim cessauit à Iudæis nomen paternum, cessauit & regnum, hoc est, doctrina salutaris. Et ideò Christiani qui in oratione appellare patrem Deum cæpimus, nos vt & regnum hoc Dei, ab illis ablatum, nobis veniat oramus. Grande profectò malũ est, vt non nobis veniat hoc regnum Dei: vt à nobis auferatur doctrina Euãgelij, quæ panis cælestis est, quo reficitur animus, cibatur spiritus, & sustentatur omnis vita spiritualis. Aliàs enim non diceret nec comminaretur nobis hac pœna apud Amos Prophetam Dominus: Ecce dies venient dicit Dominus & mittã famem in terram: non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbũ Domini. Oramus ergo nec hoc nobis accidat: sed vt semper nobis adsit, ad nosque veniat hoc regnum Dei, hæc doctrina salutaris, hic panis, hæc aqua.

Adueniat regnũ tuũ id est, doctrina tua nobis & auferatur à perfidis Iudæis.

Amos. 8.

2. Petitionis 3. sensus.

¶ *Adueniat regnum tuum.* Tertio, regnum Dei, vocatur Christus Dominus: quod caput huius regni sit. Capita enim ciuitatũ ciuitas, & capita regni regnum, appellari solent: vt aliàs ostendimus. Sic enim accipitur ibi: simile est regnum cælorum homini regi, &c. Et rursum: simile est regnum cælorum homini qui seminauit bonum semen in agro suo. Obsecrant ergo quotidie fideles, vt Christus adueniat: obsecrant vt eius aduentus cito illis repræsentetur. Nam cum resurrectio (inquit Cyprianus) ipse nostra sit, qui in ipso resurgimus, sic & regnum Dei potest ipse intelligi, quia in ipso regnaturi sumus.

Matt. 18. Idem. 13.

Adueniat regnũ tuũ i. Christe qui est regnum, adueniat nobis Cyprian.

2. Petitionis 4. sensus.

¶ *Adueniat regnum tuum.* Quarto, regnũ Dei pro diuitijs spiritualibus huius regni accipi solet. Regnum Dei, inquit Paulus, non est esca & potus, sed gratia & pax & gaudium in Spiritu sancto. Et rursum Lucæ cap. 17. dicitur regnum Dei intra vos est. Hoc ergo regnũ, has spirituales diuitias, hoc nectar cæleste, hanc ambrosiam poscimus quotidie à patre cælesti.

Rom. 14. Luc. 17. Adueniat regnũ tuũ i. gratia & pax, &c.

2. Petitionis 5. sensus.

¶ *Adueniat regnum tuũ.* Tandem regnum Dei, nuncupatur cælestis patria, beatorum regnum, Ecclesia illa tam pace & concordia, atque perpetua

Adueniat regnũ tuũ i. cæleste.

tua securitate plena: vbi rex est Deus, rerum omnium moderator & rector: vbi ciues sunt sancti, amicti stolis albis, qui palmam acceperũt ob suam victoriam, qui gloriosum reportarunt triumphũ: quibus iam nõ est luctus, neq; clamor, neque vllus dolor, quoniam priora mala transierunt. De quo regno glorioso loquetur Dominus cum dicet venite benedicti patris mei possidete paratũ vobis regnum à constitutione mundi. Hoc ergo regnum Dei (inquit Cyprianus) repræsentari nobis petimus, sicut & nomẽ eius, vt in nobis sanctificetur postulamus. Nam Deus quando nõ regnat, aut apud eum quando incipit, quod & semper fuit, & esse non desinit? Nostrũ regnum petimus aduenire à Deo nobis repromissum, Christi sanguine & passione quæsitum, vt qui in seculo ante seruiuimus, postmodũ Christo dominante regnemus. Sicut & ipse pollicetur & dicit: venite benedicti patris mei percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Benè autem regnum Dei petimus: id est, regnum cæleste, quia est & terrestre regnum. Sed qui renuntiauit iam seculo, maior est & honoribus eius & regno, & ideo qui se Deo & Christo dedicat, non terrena, sed cælestia regna desiderat. Continua autem oratione & prece opus est, ne excidamus à regno cælesti, sicut Iudæi, quibus hoc promissum prius fuerat, exciderunt, Domino manifestante & probante: multi, inquit, venient ab Oriente & occidente & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum. Filij autem regni expellentur in tenebras exteriores. Hæc ille. Nos ergo precamur ne hoc ipsum nobis contingat, sed vt potius cæleste regnum nobis adueniat. ¶ *Adueniat regnum tuũ.* Notanter dicimus quod adueniat nobis regnum Dei, hoc est doctrina cælestis, diuitiæ spirituales, Christus ipse, atque beatitudo sanctorũ (quæ omnia nomine regni cælorum, vt diximus significantur.) Vt intelligamus quod non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit: vocando doctrina sua ad fidẽ, conferendo gratiam cæteraque charismatum dona, iudicando viuos ac mortuos, beando denique iustos. Gratia (inquit Paulus) estis saluati per fidẽ: & rursum gratia Dei vita æterna. Nisi ergo ad nos regnum Dei venerit, nos illud adire minime poterimus: nisi nos Deus gratia sua præueniat ad sanctorum beatitudinem peruenire non licebit. Ob eandem causam dicitur apud Matth. cap. 3. à Ioãne Baptista: pœnitentiam agite appropinquabit enim regnum cœlorum. ¶ Veniat igitur ad nos ô pater cælestis regnũ illud tuum cæleste. Quod nostræ spei finis desideratus est: nostri desiderij portus atque commune refugium: vbi te ô rex videbimus in decore tuo: videbimus, atque tua pulchritudine æternum fruemur. Quod enim desiderium proprius, aut quæ animi affectio ardentior, & efficacior filijs inesse potest, quã desiderium videndi patrem in regno suo? Quando rogo hæc hora expectata satis, accedet? Quando hæc dies iamdiu desiderata nobis, aderit? Quando hanc tam inaccessibilem lucem mihi videre licebit? Quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei? Quando dabitur intueri ac contemplari aulam illam regiam? Prata illa ridẽtia innumeris ac varijs floribus consita? Irrigua illa cælestia? Fontes illos vitæ? Muros illos ac portas margaritis nitentes? Multitudinem illã angelorum? Choros illos virginum sequẽtium agnum quocunque erit? Psaltes illos cytharedosque cælestes hymnis & cãticis, patris omnium laudes perpetuò celebrantes? O Hierusalem mater nostra quando te videbo? Quando aderit dies illa qua ad fores tuas aureas pulsabo? Et aspiciam muros tuos ex jaspide construtos? Atque audiam cælestem melodiam laudes semper resonantẽ. Quàm dilecta tabernacula tua Domine Deus virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Et quemadmodũ desiderat ceruus ad fontem aquarum ita desiderat anima mea ad te Deus. Quando ergo veniam & apparebo ante faciẽ tuam. Hoc est desiderium commune filiorum, hæc conditio aquæ salientis in vitam

Marginalia: Matth. 25. — Cyprian. — Matth. 8. — Ad Tit. 3. — Rom. 6. — Matth. 3. — Ioa. Gers. — Nota. — Psalm. 41. — Psalm. 83. — Psalm. 41.

vitam æternam. Hoc erat quod dicebat D. ille Ignatius. Amor meus crucifixus est, & non est in me. Aqua autem quædam in me manet dicens mihi. Vade ad patrem.

¶*Fiat voluntas tua: sicut in cælo & in terra.* Hæc tertia petitio suos etiam peculiares, ac veros habet sensus. Primus igitur sensus est. Impleant obsecramus homines in terra præcepta tua, quemadmodum illa implent sancti illi, in cælis, tua beatitudine fruéte. Vnde obserua: quod voluntas Dei, in hoc loco, non accipitur pro Dei volũtate efficaci & æterna, nam secundum hanc: omnia (ait regius Propheta) quæcunque voluit Dominus fecit in cælo & in terra. Sed volũtas Dei sumitur pro lege Dei, qua significatur, quid à nobis faciendum est, si seruari & non damnari volumus. Hæc autem voluntas Dei, fit in cælo: vbi sancti Dei omnes, legem Dei exactissimè custodiunt. Secus autem ac aliter in terra cõtingere experimur. Nam sunt nonnulli qui legem Dei scientes, non solum illam seruare nolunt: sed etiam illam, tanquã suis impijs desiderijs, & cupiditatibus aduersam, & contrariam, contemnunt: proculque reijciunt: dicentes. Discede à nobis scientiam viarum tuarum nolumus. Quis est omnipotens vt seruiamus ei? & quid nobis prodest si orauerimus illum? Sunt alij, Dei voluntatem, hoc est, legem etiam calentes: at illam, minimè adimplentes. Quod tam infirmi imbecillesque sint, vt hostibus suis, hoc est, concupiscentijs, prauisque desiderijs, facile succumbant: & vel minima tentatione vincantur: labascantque victi: atque animo concidant: & confringãtur. Illi, malitia: hi vero, animi debilitate peccant. Tandem sunt alij, neque legem Dei scientes, neque seruantes. Dicimus ergo Domino: fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra. Hoc est, quos propter legis ignorantiam offendere comperis: illumina obsecramus, ad fidemque trahe. Quos verò illam scientes peccare intelligis: illorum, precamur, vt corda moueas & tangas. Cor enim regis in manu tua: quocunque volueris inclinabis illud. Cor regis appellat Salomon in hoc loco hominis cor. Tum, ob regiam libertatem qua inter cæteras creaturas donatus est: tum etiam, ob rerum omnium dominium: gloria enim & honore coronatus est & cõstitutus super opera manuũ Dei. Precamur præterea vt ob animi imbecillitatem cadentes adiuues, subleues & tua gratia firmos & fortes, atque constantes reddas: ne vel minimo prauo desiderio consternantur. Sic enim omnes nos tuæ voluntati parebimus: tuis præceptis, non timore correcti, quemadmodum damnati solẽt: sed amore filiorum affecti, obsequemur. Et quemadmodum in cælis vnde præcipitatus est Lucifer cum suis coniuratis, nulla est aduersus diuinam tuam voluntatem rebellio, ita inter nos filios tuos, successuros in locũ angelorum eiectorum omnia fiẽt ex volũtate tua. ¶Hoc igitur oramus (ait Bernardus) vt hæc voluntas sicut in cælestibus facta est creaturis, fiat etiam in terrenis: vt sicut angelus sic & homo adhærens Deo vnus cum eo spiritus sit. Sed heu me, quot obstacula separant, quot prohibent impedimenta? Obijcit sese (vt nunc dicere cœpimus) malitia media, obijcit infirmitas, obijcit concupiscentia, & ignorẽtia nostra. Inest enim nobis quasi à natura, magis autem ab exterminio naturæ affectio quædam pessima & libido nocendi, vt inextinguibilis inueniatur in miseris animabus nostris malitiæ delectatio. Quid verò longius à voluntate diuina? Planè Chaos magnũ inter nos & illam firmatũ est in hac parte: cum semper eum delectet præstare beneficia, & ingratis nobis è contra suggerat affectio crudelissima & innoxis velle nocere. Hinc omnis radix amaritudinis germinat, hinc inuidiæ, hinc detractiones, hinc dissensiones pullulãt, hinc siluescunt inimicitiæ. At hæc quidem germina virulenta præcidi semper necesse est falce iustitiæ, qua videlicet extorquemus à nobis, ne cui faciamus quod nolumus nobis fieri, sed quæ volumus vt faciant nobis homines, & nos eis eadem faciamus. Eradicari autẽ aut extirpari à cordibus nostris omnino nõ poterit

[Margin notes: 1. Sensus. 3. petitionis. — Psal. 113. Voluntas hic pro voluntate signi accipitur. — Iob. 21. — Prou. 21. — Psalm. 8. — D. Bern. — Obiiciũt sese nobis multa ne fiat voluntas Dei. — Malitia falce iustitiæ præcidenda est, vt fiat volũtas Dei.]

poterit malitia, donec in mundo fuerimus, qui totus positus est in maligno. Conteritur quidem serpentis caput, sed experiri est frequenter calcaneo insidiātem. ¶Secundo loco ipsa quoq; corruptibilis huius infirmitate corporis præpedimur ne voluntas nostra diuinæ valeat cohærere. Nobis quidem quod molestum sentimus non potest non displicere: & frequenter in his voluntas nostra à diuina dissidet voluntate, cui ne penitus aduersetur, fortitudo est nobis necessaria, quæ secunda species est virtutis. ¶Nec sola impedit afflictio corporis, impedit & concupiscentia, qua multiplicibus & inexplebilibus distrahimur desiderijs. Quādo autem poterit anfractuosa & angulis plena volūtas ei vniri, quæ rectissima est, & omnimodis indistorta? Heu mihi Domine Deus, quia vndique mihi bella, vndique tela volant, vndiq; pericula, vndique impedimenta, quocunque me vertam nulla vsquam securitas est, & quæ mulcent, & quæ molestant timeo: & esuries & refectio, & somnus & vigiliæ, & labor & requies militant contra me. Diuitias & paupertates ne dederis mihi, orat sapiens: nimirum, quia vtrobique laqueus, vtrobique periculum. Quod si reprimit temperantia concupiscentiam (hoc quippe vnicum in huiusmodi remedium est) erit quidē vnio iam nonnulla, sed plena non erit. Hinc & Apostolus de se fatetur. Ego ipse ait, mente consentio legi Dei, carne autem legi peccati, quæ est in membris meis. Ex parte ergo cohæret, & ex parte dissidet, donec veniat quod perfectum est, & quod ex parte est euacuetur. ¶Quarta est ignorantia, quam & ipsam nobis plurimum obesse non ignoratis. Quo enim pacto voluntatē Dei præuiā sequar vbi ignoro eam? Cognosco autē tantum ex parte, & nec dum sicut cognitus sum. Propterea inquirenda sunt nobis cum omni desiderio incrementa prudentiæ, vt magis ac magis notam faciat nobis Deus voluntatem suam, vt & sciamus quid acceptum sit ei omni tempore. Sic virtutum consummatio, iustitiæ, fortitudinis, temperantiæ & prudētiæ,

> Obiicit se se nobis infirmitas ne fiat volūtas Dei.
>
> Infirmitas animi, virtute fortitudinis superāda est vt fiat in nobis Dei voluntas.
>
> Concupiscentia obiicit sese, ne voluntas Dei fiat.
>
> Prou. 30.
>
> Concupiscentia virtute tēperantiæ reprimenda est, ne impediatur voluntas Dei.
>
> Rom. 7.
>
> Obiicit se se nobis ignorantia ne fiat volūtas Dei.

A vnionem illam tam fœlicem, quām desiderabilem consummabit, vt sit nobis cū Deo vna voluntas: & quæcunque ei placent, placeant simul & nobis, atque hoc nobis erit (vt de angelis supra dictū est) omnino perfecta iucunditas. Hæc Bernardus. Si ergo malitia peccamus, deprecemur Dominū, vt donet nobis falcem iustitiæ, qua illam præscindamus: sicque fiat voluntas Dei in nobis. Si verò imbecillitate: petamus à patre nostro vt fortitudinem præstet: qua tentationibus resistere possimus: si à concupiscen-B tia victi, postulemus vt temperantia induamur: si verò ignorantia: vt prudentiæ munere nobis collato, illam expellamus, obsecremus: & tunc fiet voluntas eius in nobis. ¶*Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra*. Voluntas autem Dei est (inquit Cyprianus) quam Christus & docuit & fecit. Humilitas in conuersatione, stabilitas in fide, verecūdia in verbis, in factis iustitia, in operibus misericordia, in motibus disciplina, iniuriam facere non nosse, & factam tolerare posse, cum fratribus pacem tenere, Deū to-C to corde diligere, amare in illo quod pater est, timere quod Deus est, Christo nihil omnino præponere, quia nec nobis ille quicquam præposuit. Charitati eius inseparabiliter adhærere, cruci eius fortiter ac fidenter assistere, quādo de eius nomine certamen est, exhibere in sermone constantiam, qua confitemur: in quæstione fiduciam, qua congredimur: in morte patientiam, qua coronamur: hoc est cohæredem Christi esse velle, hoc est præceptum Dei facere, hoc est voluntatem patris adimplere. ¶Fieri autem peti-D mus voluntatem Dei, vt in cælo & in terra, quod vtrumque ad consummationem nostræ voluntatis pertinet, & salutis. Nam cum corpus è terra, & spiritum possidemus è cælo, ipsi terra & cælum sumus, & in vtroque, id est, corpore & spiritu, vt Dei voluntas fiat oramus. Est enim inter carnem & spiritum colluctatio, & discordantibus aduersus se inuicē quotidiana congressio, vt non quæ volumus ipsa faciamus, dum spiritus cælestia & diuina quærit, caro terrena & secularia

> D. Ber. in 40. de oratio. Dom. serm. 6.
>
> Cyprian.
>
> 2 Sensus huius petitionis. Quid per cælum, & quid per terram intelligatur

cularia concupiscit: & ideo petimus immensè inter duo ista ope & auxilio Dei concordiam fieri, vt dũ & spiritu & carne voluntas Dei geritur, quæ per eũ renata est, anima seruetur. Quod apertè Apostolus Paulus sua voce declarat: caro, inquit, concupiscit aduersus spiritũ, & spiritus aduersus carnem. Hæc enim inuicem aduersantur sibi, vt non quæcũque vultis ipsa faciatis. Manifesta autem sunt facta carnis, quæ sunt adulteria, fornicationes, immunditiæ, &c. & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non possidebunt. Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, magnanimitas, fides, mansuetudo, continentia, castitas. Et idcirco quotidianis, imò continuis orationibus hoc precamur in cælo, & in terra voluntatem circa nos Dei fieri, quia hæc est voluntas Dei, vt terrena cælestibus cedant, spiritualia & diuina præualeant. Hæc ille. ¶ *Fiat volũtas tua sicut in cælo & in terra.* Per voluntatem etiam Dei intelligere possumus effectũ huius diuinæ voluntatis, Qualis est iustificatio nostra. Ad hunc modum loquitur Apostolus Paulus in priori ad Thess. c. 4. Hæc est, inquit, voluntas Dei sanctificatio vestra. Et rursum: per terram peccatores terrenos intelligere fas est: per cælum vero iustos quorum conuersatio in cælis est. Optamus ergo atq; precamur, vt sanctificentur peccatores, effectusque diuinæ voluntatis impleatur, & executioni mandetur quemadmodum in viris cælo similibus exequitur. Vnde D. Cyprianus ait. Quoniam mandat & monet Deus etiam inimicos diligere, & pro his quoque qui nos persecũtur orare, petamus & pro illis qui adhuc terreni sunt, & nedum cælestes esse cæperũt, vt & circa illos voluntas Dei fiat, quam Christus hominem conseruando & redintegrando perfecit. Nam cum discipuli ab eo non iam terreni appellẽtur, sed sal terræ: & Apostolus primum hominẽ vocet de terræ limo, secundum verò de cælo: merito & nos qui esse debemus patri Deo similes, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super

Gal. 5.

3. Sensus huius petitionis.

1. Thess. 4.

D. Cypr.

Matth. 5.

A iustos & iniustos, sic monente Deo oramus, & petimus. Vt precem pro omniũ salute faciamus. Vt quomodo in cælo, id est, in nobis per fidem nostram, volũtas Dei facta est, vt essemus de cælo, ita & in terra, hoc est in illis credentibus fiat voluntas Dei, vt qui adhuc sunt prima natiuitate terreni, incipiant esse cælestes ex aqua & spiritu nati. Hæc ille. Vel si peccatores fideles sunt, ideoque terrena sapientes: incipiant esse cælestes, per pœnitentiæ sacramentum regenerati.

B ¶ *Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra.* Vel per terram aliqui intelligunt Ecclesiam. Per cælum verò Christum: quod in eo deitas cælata sit. Sic enim ait Isaias verè tu es Deus absconditus. Oramus igitur, vt in Ecclesia in terris degente fiat voluntas Dei quemadmodũ in Christo. ¶ Dicat igitur vnusquisque nostrum *fiat voluntas tua*. Hoc enim Domine volo, hoc totis visceribus desidero: vt in me & per me fiat volũtas tua. Hoc ardenter appeto: nempe me totum esse tuum, totumque tuis præceptis incumbere. Et ne me posthac aut carnis

C cupiditas, aut diuitiarum appetitio, aut parentum, aut amicorum immoderatus amor ad se trahat. Aut iam cogitẽ quid amarum, aut dulce quid facile, aut difficile, quid honorificum, aut inhonorificum: sed solum quid sit placitum coram te. Hoc solum sit mihi gratum, hoc solũ dulce, hoc solum suaue. Valeant opes, diuitiæ, dignitatis gradus amplissimi, valeant cætera huius mundi bona: valeant delitiæ & voluptates. Hoc solum mihi posthac iucũdum ac delectabile sit: tuæ voluntati parere, tuæ legi obtemperare:

D tibi in omnibus morem gerere. Hoc est gaudium angelorum, desiderium sanctorum, lætitia & alacritas maxima iustorũ, tibi in omnibus sine mora aliqua perfecte obedire: tuam gloriam, tuumq; honorem præ oculis semper habere. Neq; enim dubito Domine rex cæli & terræ, angelos animasque cælestes plus multo lætari, atque delectari & gaudere de gloria tua, atque honoris tui magnificẽtia, quàm de gloriæ suæ magnitudine. Quare quemadmodum voluntas tua perfectissi-

4. Sensus.

Isai. 45.

Ioa. Gers.

ctissimè adimpletur in cælis sic precamur, vt impleatur in terris: ita vt omnes vno animo, atque vno cordis ardentissimo feruore sequamur voluntatem tuã: per infamiam vel bonam famã, per prospera vel aduersa: cæteris omnibus volũtatibus renuntiantes, quæ à tua voluntate discordent: quoniam tu solus Deus noster, tu solus per quandam excellentiam, atque eminentiam noster pater: tu solus rex regum & Dominus dominantium: quare tibi soli summa obediẽtia, summa reuerentia, summaque laus in secula seculorum debetur. Fiat igitur voluntas tua. Si ille optimam rectissimamque voluntatem suam in tuam coniecit quid nõ misertima, ac sordidissima lues homuntio optaret non suam, quæ error est, sed Dei voluntatem, quæ veritas est, fieri? Precamur ergo pater cælestis, vt non nostra, sed tua voluntas fiat.

¶ *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Ex diuersa acceptione huius nominis panis diuersos etiam ac verissimos patitur sensus hæc quarta petitio. Imprimus panis vocabulo cibum omnẽ & commeatum, edulium & annonã intelligere solet Scriptura. Imo panis & vestis nominibus venire omnem substãtiam, aut rem etiam scimus. In sudore inquit vultus tui vesceris pane tuo, id est, victum parabis tibi cum sudore. De hoc tropo lege apertissimum locum, Genesis decimo octauo capite de Abraham, & Genes. 24. de seruis Abrahami, & Genes. 43. de Ioseph. Et 1. Reg. 14. de Ionatha, qui mel comedebat. Et infra. c. 14. cum introisset, inquit, Iesus sabbato mãducare panem. Denique apud Isaiam. c. 4. Panem nostrum comedemus, id est, ex substantia ac re familiari nostra sustentabimur. Primũ igitur postulamus à Deo, vt res familiares, omnemque substantiã, ille nobis donare vellit: omnia enim huius mundi bona nisi nobis ab illo conferantur, non bona, sed mala, quibus, tanquam quodã veneno anima occiditur, dicẽda sunt. ¶ Obserua autem quod hæc temporalia externaque bona, non absre vocabulo panis vocantur à Christo Domino: vt intelligeremus, nõ nisi quæ ad

Panis vocabulo cibus omnis atque omnis res familiaris intelligitur Genes. 3.

Genes. 18. Genes. 24. 43. 1. Re. 14. Luc. 14.

Isai. 4.

Primus sensus huius petitionis quartæ.

Quare bona externa panis nomine vocat Christus.

A vitam sustentandam sunt necessaria, esse à nobis postulanda. Bona enim illa cælestia, sine numero, sine pondere, sine mensura, petenda sunt: at vero corporis bona, cum pondere, numero, & mensura. Videlicet ea tantum sine quibus viuere non possumus. Quod panis nomine, qui ad vitam necessarius est significare voluit. ¶ Animaduerte secundo res has familiares, panem nostrum, & non panem meum à Christo appellari: vt insinuet bona nostra temporalia cum necessitas B postulat non propria, sed communia esse bona: à nobisque esse communicandã cum fratribus, ac proximis nostris. Præterea: ea, panem nostrum & non meum nominat: vt doceat, illa, citra inuidiam à nobis esse & acquirẽda & possidenda: bona enim communia inuidiæ nõ sunt subiecta. Quare ita bona nostra habẽda sunt, ac si propria non essent, sed cõmunia. ¶ Deinde, hunc panem, quotidianũ nuncupat: vt sciamus, citra luxum & nimiam profusionẽ, hoc est, moderatẽ, & C cum temperantia his bonis vtendũ esse: qualis esse solet quotidianus cibus. Scilicet moderatus, modumque ac mensuram seruans. ¶ Cæterum hunc panem, hodie, nobis dandum postulamus. Nam & si bona ad vitam necessaria, penes nos recondita habeamus, postulare tamen debemus, vt ea, ita à Domino condiantur, ne animi stomacho noceant. Pauca enim bona in manibus suis posita, multiplicabuntur: quod de quinque panibus audiuimus: & aqua, in vinum fragrans & suaue conuertetur: quod in nuptijs fa- D ctum fuisse credimus. E cõtrà verò si bona huius mundi externa ab ipso non accipimus, sed à nostra iniqua negotiatione, humanaque diligentia & solicitudine: qualem homines auari, atque diuites huius seculi habere solent: oberunt maximè animis nostris, damnumque nõ minimum inferent saluti spirituali. Ac prę terea, quanuis bona multa videantur, subito disparebunt, atque euanescent. De rebus enim male acquisitis non gaudebit tertius hæres. Caue ergo ne bona quæ quotidie acquiris, à te, vel à diabolo, compares. Precare semper, vt à Deo tibi

Quare dicimus panẽ nostrũ & non panẽ meum.

quare res temporales panis quotidianus dicuntur.

quare dicimus da nobis hodie.

tibi conserantur. Quod continget si illa A iusta negotiatione natus fueris. Adde his, quæ Matthæi. c. 6. annotauimus in hæc verba. ¶ Præterea da nobis hodie ait: tum, vt de crastino non simus anxij & soliciti. Ipse enim præceperat apud Matthæum nolite, inquiens, esse soliciti de crastino, id est, de futuris ne sitis nimis anxij & soliciti. Nam crastinus dies solicitus erit sibi ipsi. Tum etiam ne precando, vt nobis bona in crastinum dentur, videamur diffidere do tanti patris prouidentia, timētes, quod crastina die nobis ad vitam necessaria deerūt. En vides quanto cum moderamine & temperātia vult Deus, vt ab illo bona hæc quæ corporis, aut externa nominantur petamus. ¶ *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Et si hæc vox omnium Christianorum sit communis: siue diuites, siue pauperes sint: vt modo exposuimus: peculiaris tamen precatio est eorū, qui seculo renuntiauimus, & diuitias eius & pompas fidei gratia spiritualis abiecimus: qua instruimur, vt cibum nobis tātum petamus & victū: cum instruat Dominus (inquit Cyprianus) & dicat: qui non renuntiauerit omnibus quæ sunt eius, nō potest meus discipulus esse. Qui autem Christi cæpit esse discipulus secūdum vocem magistri sui renuntians omnibus, diurnum debet cibum petere, neque in longum desideria petitionis nostræ extendere, ipso iterum Domino præscribente & dicente: nolite in crastinum cogitare, crastinus enim dies ipse cogitabit sibi. Sufficit diei malitia sua. Meritò ergo Christi discipulus victum sibi in diem postulat, qui de crastino cogitare prohibetur, quia & contrarium sibi fit & repugnās, vt quæramus in seculo diu viuere, qui petimus regnum Dei velociter aduenire, sic & beatus Apostolus monet, formans & corroborans spei nostræ ac fidei firmitatem. Nihil, inquit, intulimus in hunc mundum, verum neque auferre quid possumus. Habentes itaque exhibitionem & tegumentum his contenti simus. Qui autem volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & muscipulas diaboli, & desideria multa, & nocentia, quæ mergunt hominem in perditioné & interitum. Radix enim omniū malorum est cupiditas, quam quidam appetentes naufragauerunt a fide, & inseruerunt se doloribus multis. Docet nō tantum contemnendas, sed & periculosas esse diuitias, illic esse radicem malorum blandientium, cæcitatem mētis humanæ occulta deceptione fallentium. Vnde & diuitem stultum seculares copias cogitantem, & se exuberantiū fructuū largitate iactantē redarguit Deus: B dicēs: stulte hac nocte expostulatur anima tua: quæ ergo parasti cuius erunt? Lętabatur stultus in fructibus nocte moriturus, & cui vita iam deerat, victus abundantiam cogitabat. Contra autem Dominus perfectum & consummatum docet fieri, qui omnibus suis venditis, atq; in vsum pauperum distributis thesaurū sibi condit in cælo. Eum dicit posse se sequi, & gloriam Dominicæ passionis imitari, qui expeditus & succinctus nullis laqueis rei familiaris inuoluitur, sed solutus ac liber facultates suas ad Dominū C ante præmissas, ipse quoque comitatur. Ad quod vt possit vnusquisque nostrū parare se, sic discit orare, & de orationis lege qualis esse debeat noscere. Neque enim deesse quotidianus cibus potest iusto, cum scriptum sit. non occidit Dominus fame animam iusti. Et iterum, iunior fui, senui, & non vidi iustum derelictum, neque semen eius quęrens panē. Item Dominus promittat & dicat: nolite cogitare dicentes, quid edemus, aut quid bibemus, aut quid vestiemur, hæc enim nationes quærunt. Scit aut pater D vester, quia horum omnium indigetis. Quærite primum regnum & iustitiā Dei, & hæc omnia apponentur vobis. Quærentibus regnum & iustitiam Dei omnia promittit apponi. Nam cum sint Dei omnia habenti Dominum nihil deerit, si Deo ipse non desit. Sic Danieli in leonū lacu iussu regis incluso, prandiū diuinitus procuratur, & inter feras esurientes & parantes homo Dei pascitur. Sic alitur Elias in fuga & in solitudine coruis ministrantibus, & volucribus cibum sibi apportantibus in persecutione

Marginalia: Matth. 6. — Peculiariter hæc petitio pertinet ad viros perfectos omnia propter Christum dimittentes. — Cyprian. — Matth. 6. — 1. Tim. 6. — Cupiditas malorum radix — Luc. 12. — Matth. 19. — Prou. 10. — Psalm. 36. — Matth. 6. — Dan. 14. — 3. Reg. 17.

ne nutritur. Atque ô humanę malitiæ detestanda crudelitas: feræ parcunt, aues pascunt, homines insidiantur, & sæuiunt. Hæc Cyprianus.

Panis nomine caro Christi.

¶ *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Panis etiam vocabulo, caro Christi intelligitur in sacra Scriptura. Sic enim ait Paulus in priori ad Corinth. c. 11. Quotiescunque manducabitis panē hunc. Vocatur enim caro Christi in sacramento, panis, nō quod sit panis, sed quia fuit. Ita Exod. c. 7. Dracones vocātur virgæ, non quia erant, sed quia fuerant. Sic caro Christi dicitur panis, non quia sit, sed quia fuit. Quæ cum fidelibus ex Christi mandato sit sumenda, vt horrori non sit locus, sub specie panis velata nobis cōceditur. Panis præterea merito vocatur, nam quemadmodum pane reficitur corpus, sic hoc excellentissimo sacramento cibatur & nutritur animus, non pro vna, aut altera die, sed pro æternitate. Patres (inquit Dominus) vestri manducauerūt manna & mortui sunt: qui mādúcat hūc panem viuet in æternum. Hunc ergo petimus.

1. Cor. 11.

Exod. 7.

Ioan 6.

D. Cypr.

¶ Panis autem hic (vt Cyprianus docet) omnium non est, sed noster est, & quomodo dicimus pater noster, quia intelligentium & credentium pater est, sic & panem nostrum vocamus, quia Christus noster, qui corpus eius contingimus, panis est. Præterea, panis noster, dicitur: & tanquam panem omnium nostrum, illum petimus: quod sacramentum istud ineffabile, atque pretiosum, charitatis, vnionisque sacramentum sit. Sic enim edocemur ab Ecclesia, quod omnes, vnus panis, & vnum corpus sumus: qui de vno pane, hoc est, carne Christi participamus.

1. Cor. 10.

¶ *Quotidianum.* Verò hunc cælestem panem vocamus: non quod singulis diebus communicandum sit: nam de hoc certa lex sanciri non potest, siue sacerdos sis siue non. Cum animi feruor & deuotio, canon & regula esse debeat. Quotidie quidem (dicebat Augustinus) communicare, neque laudo, neque vitupero. Non laudo, quia reprehensione dignum esse potest: non vitupero, quia laude non indignum: hoc siquidem ab animi præparatione & dispositione pendet. Quotidianum tamē vocamus, quod ex vi naturaque sua tempus non præscribat. Sed quemadmodum panis externus ad vitam corporis singulis diebus necessarius est: sic panis hic suauissimus, ac supersubstātialis necessarius nobis est quantum ad effectum singulis diebus, ad animi vitam parandam, aut sustentandam. Et illum digne quotidie sacramentaliter suscipientibus, nouam gratiam, nouumque fructum spiritualem, afferet. Ideo ergo panem nostrum (inquit Cyprianus) id est, Christum dari nobis quotidie petimus, vt qui in Christo manemus & viuimus, à sanctificatione & corpore eius non recedamus.

August.

Cyprian.

¶ *Da.* A Deo dandum esse nobis tantum panem, ab illoque petendum hoc verbo docet Christus. Vt intelligamus, non voluntate humana, aut humano spiritu, sed diuino, accedendum esse ad hoc sacramentum. Tunc autem Dei spiritu afflati & spirati accedemus: cum nos ipsos prius probauerimus: probet autem (inquit Diuus Paulus) se ipsum homo, & & sic de pane illo edat. Tunc verò se ipsum probabit, cum malorum præteritorum ex animo pœnituerit: cum illorum exomologesin dignam fecerit: cum famem insatiabilem huius tanti cibi passus fuerit. Fames enim spiritualis, appetitus, ac desiderium quodam est edendi panem hunc, in salutem & valetudinem animæ: quemadmodum fames corporis est appetitus quidam cibi, ad corpus sanum, atque integrum seruandum: quo deficiente vitam corporalem deficere necesse est.

1. Cor. 11.

¶ *Da nobis.* Id est, dona panem hunc in commodum & vtilitatem nostram. Hic enim cælestis panis quibusdā datur in iudicium & condemnationem. Quemadmodum datū est Iudæ: pane enim hoc in cœna illa vltima de manu Christi suscepto, statim diabolus immisit in cor eius vt traderet eum. Non quod tantū sacramentum ab illo sumptum, instigaret

eius animum, ad tantam proditionem patrandam: sed eò quod indignè illud suscepit, statim à diabolo arreptus est, atque persuassus, vt illum proderet. Quibusdam autem confertur ad animi salutem. Quod in cæteris Christi discipulis videre facile est. Suscepto enim a Petro hoc tanto sacramento ardentiori quodam ac feruentiori spiritu commotus ait: & si oportuerit me mori tecum non te negabo, similiter & omnes dixerunt. ¶ *Hodie*. Tandem postulamus à Domino, vt hodie, nobis porrigatur. Quo significare Dominus vult: vt tali animi feruore, & deuotione, ad tantum sacramentum digne manducãdum præparemur, ac disponamur: ac si hac vice sola & vltima esset à nobis sumendum: atque ac si hac vice dumtaxat, tantum gratiæ fructum, tantamque peccatorum satisfactionem, quam ex multis, anteactisque huius sacramenti sumptionibus comparauimus: essemus modo lucraturi. Tandem vult hoc verbo indicare: vt semper quòd ad hanc mensam cælestem accesserimus, & si quotidie accedere contingat: tam puré, tam sanctè, tam ardenter, accedamus: ac si iam pro viatica cœna esset suscipienda hæc cælestis refectio.

Marc. 14.

¶ *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Panis præterea verbo, doctrina cælestis intelligitur: doctrina inquam Euangelica. Hæc est, manna verum quo cibantur animæ: hæc vera esca, quam dat pater cælestis timentibus se. Hic panis, quem non dedit Iudæis Moyses, sed quem dat nobis pater, vt Christus ait. Panis autem meritò dicitur: quod reficiat, cibet, nutriat, ac sustentet animas quemadmodũ panis triticeus corpus. Si enim doctrina Euangelica deficiat, & calorem supernaturalem spiritus, & ex consequenti animæ vitam deficere certum est. Quod quotidie experimento discimus. Vbi enim Euangelium non auditur: audiuntur errores, superstitiones, falsus Dei cultus, ineptæ atque importunæ religiones, atque idolatriæ. Et quemadmodum disconueniens cibus crudos ac nociuos humores in corporibus gignere solet: sic falsa doctrina, innumeras hæreses. Quod in Germania & Anglia accidisse certò scimus. Iure ergo optimo Euangelium, panis nomine nominatur. Precamur igitur patrem cælestem vt ipse pascat suos pane cælestis doctrinæ, qui vegetet ac saginet animas in vitam æternam. ¶ Præterea doctrinam Euangelicam *panem nostrum* dicimus. Nam hic panis doctrinæ, omnium Christianorum est: hic panis doctrinæ, omnes fideles in vnum corpus connectit, atque compaginat. Vna fides (inquit Paulus) vnus Deus, vnum baptisma. Et alibi ait: obsecro autem vos, vt idem dicatis omnes, & nõ sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia. ¶ *Quotidianum* panem hunc vocamus: nam semper illo indigemus. Quemadmodũ corpus eget quotidiano cibo: sic animus doctrina cælesti. Alitur enim anima, aut concionibus publicis, aut lectione assidua, aut consilijs & monitis hominum piorum, aut conuersatione sanctorum: nam cum sanctis sancti sumus, & cum impijs impij & peruersi. vt vox tam Dei, quàm populi testatur. Llegate a los buenos y seras vno dellos. ¶ *Da nobis*. Doctrina quæ inspirante & donante Deo non traditur, humana est, vana est, erroribus plena atque permixta est. A Deo ergo & non ab hominum impiorum vano ingenio vera doctrina postulãda est. ¶ *Hodie* postulamus pastum hunc cælestem. Nã doctrina Euangelij statim executioni mandanda, statim comedenda, ac calore spirituali digerenda est: non in crastinum seruanda: ne à transeunte diabolo conculcetur: aut descendant aues de cælo & comedant illam. Intelligamus igitur hunc panem, esse verum manna: quod si in crastinum seruetur putrescet. Quare non procrastinandum est, nec dicendum cras, cras. Sic enim & Euangelij doctrina & animæ destruuntur, ac omnino pereunt.

3. Sensus. Panis noster est doctrina euangelica.
Deut. 8.
Psal. 110.
Ioan. 6.
Ephes. 4.
1. Cor. 1.
Psalm. 17.

¶ Dicamus igitur omnes nos, ad Dominum conuersi, ac manus ad illũ leuantes *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*

Nota hæc quæ sequũtur.

hodie. Quid enim magis naturæ & rationi consentaneum Domine esse potest: quàm filios (maxime si paruuli sint) à parentibus panem postulare. Hoc enim verbum, has voces, cum lachrymis, cum clamoribus quibus parentum viscera commoueri solent, emittunt. Ego igitur pater cælestis, tanquam vnus ex filiolis tuis, ætate grandeuus & senex, infans verò meritis, ab insatiabili fame, ac necessitate coactus, iure filiorum, ad te supplex ac humilis accedo: vt animam meam, pane tuo pascas: ac corpus meum pane tuo reficias. Scis enim me ex corpore & anima constare: panem ergo materialem quo corpus sustentatur postulo: panemque de cælo descendentem quo animus viuit exoro. Panem, inquam, angelorum quo angelici illi spiritus, viuunt, atque vegetantur, saginanturque. Spiritus enim cum sint, spirituali cibo alendi sunt, hoc est, te ipso qui proprius cibus ac pastus est substantiarum spiritualium. ¶ Itaque pater mi, ego ego ipse sum qui quondam in terra AEgypti sedebam, iuxta ollas eius putridas, atque mortiferas, hoc est, iuxta mundi voluptates & delicias. Quibus iam omnino contemptis, atque reiectis, tanquam cibo & pastu bestiarum, nunc pro angelorum pane suspiro: pro pane, inquam, illo qui de cælo descendit. Hunc quæro, hunc desidero, hunc humiliter postulo. O donum cæleste, gratia ineffabilis omni æstimatione digna. O misericordia & pietas à seculo nunquam audita. Deus deorum, Dominus dominantium, præmium & palma sanctorum, gaudium & lætitia angelorum, verbum patris, sapientia æterna, lux increata: sol illuminans cælos factus est cibus hominis. Quid supra, aut desiderare, aut petere, aut æstimare possum, aut debeo? Procul ergo hinc, procul hinc estote mundanæ prophanæque voluptates, inuento iam à me tanto pane, tamque admirabili, ac pretioso cibo, tam delectabili ac suaui pastu. Quem & si non semper sacramentaliter sumere contingat: saltem spiritualiter illum suscipere pro mea virili conabor: cum illo, amore & continua memoria & recordatione manendo. Mirum sanè est, quod tanti cibi dulcedine, cor hominum non liquefiat: tanti panis suauitate non deliquescat: tanti pastus sapore non resoluatur in totum. Quando igitur tu Domine mi factus es vitus & refectio mea, te solum edere: te solum tanquam verum animi cibum appetere statuo. Nam si solus suauis ac fragrans odor tuus vniuersum orbem sustentare, atque alere facile potest, quid quæso faciet refectio ista tua? Si enim vel vno verbo ex ore tuo diuino prolato, omnes viuimus, omnes nutrimur, quid ni cibo tuæ carnis, omnes reficiemur? Si ergo hæc ita sunt vt verè sunt, quo pacto rogo coram tanto Domino hominum corda omnia non dissoluuntur? Qua ratione quæso non tanta alacritate & iubilatione afficior, vt tui amore tentus, rerum omnium imo mei ipsius non omnino sim oblitus? Si non solum terrestria, sed imagines & figuræ rerum terrenarum in causa sunt, vt semel aut iterum tui penitus obliuiscar: quonam obsecro modo, vera ac realis tui corporis, imo tui præsentia animum meum non trahit? Non ad se ita rapit, vt penitus omnium humanarum terrenarumque rerum sim oblitus & immemor?

¶ Da nobis ergo pater cælestis hodie panem hunc, vt illum & nunc & semper possideamus. Memineris Domine panem hunc, à filio tuo, quotidianum panem vocari: memineris, eum, nobis in hac sua precatione præcipere, vt à te, illum hodie petamus. Panem ergo nostrum quotidianum da nobis hodie. Cæterum dicito nobis Domine Iesu, quare tanto desiderio inardescit animus tuus, nobiscum manendi atque essendi? Quare tantopere, ac tam vehementer festinas ad nos venire, ac nobiscum esse: vt iubeas, vt te panem nostrũ, hodie dari petamus, & non cras? Quid obsecro in nobis vidisti? Quid in nobis tibi placuit, vt nostri amore inebria-

ebriatus; saltem in crastinum expectare non velis? Si ergo incredibilis tuus erga nos amor, ita animum ac cor tuum constringit: vt inducias aliquas, aut moram non patiatur, sed statim te ad nos festinare cogat: nullo ex hac re tibi emolumento, nullaque vtilitate accrescente: quanto nos magis, qui vermes vilissimi sumus, & quibus tanti refert: festinantor ad te currere, ac properare debemus, vt tecum simus: qui summum es bonum nostrum, speculum nostrum sine macula, ac lætitia & gaudium angelorum? Quando igitur tu ô bone Iesu, aduentum ad nos tuum in crastinum differre non vis, neque nos quoque procrastinare, aut de die in diem aduentum ad te nostrum dilatare volumus. Quando ergo tu Domine iubes, vt à patre nostro hanc tantam gratiam hodie petamus: in hanc diem, & non in crastinam, illam & exigimus, & impetrare speramus. Alias enim non esset consequens doctrina hæc tua: si nos, in hanc diem petamus: & panem cælestem postulatum in eandem diem hanc consequi non possemus. Quare quando nos te hodie desideramus, & te ipsum hodie possidere affectamus: atque hoc eodem desiderio, tu quoque inardescis: veni statim, atque sine mora; ad cor nostrum pro te suspirans, atque anhelans. Tu Domine nos ardenter amas, nos vicissim te vehementer redamamus. Quando igitur amoris propensio & pondus, suo impetu nos ad te centrum nostrum trahit: fac obsecro vt ablatis omnibus impedimentis, & obstaculis, quæ nos detinere possunt, quo minus ad te properemus: anima nostra tanto amore, atque dilectione te amplectatur, vt inter amplexus deficiat dulcedine tantæ maiestatis: dicatque fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Cum itaque tu Domine velis, vt te quotidie petamus (quod semper optes nobiscum commorari) nos rursum tecum esse semper volumus, nunquamque à tam suauissimo cibo separari. Ale, præterea, pater quos genuisti: prospice nobis ne nos deficiat panis ille tuus doctrinæ cælestis, vt eo quotidie sumpto cōfirmemur, & adolescamus, vegetique reddamur ad tua iussa perficienda.

Cant. 2.

§ *Dimitte nobis peccata nostra: siquidem & nos dimittimus omni debenti nobis.* Obserua quod præcedentibus quatuor petitionibus precabamur à patre cælesti accessum omnium bonorum. At tribus sequentibus oramus recessum omnium malorum, hoc est peccatorum, tentationum, & aduersitatum quibus hæc vita mortalis referta est. A peccatis igitur, quę cæteris malis peiora sunt, imprimis liberari postulamus dicentes. *Dimitte nobis peccata nostra.* Sic enim vocat Lucas, quæ debita nostra, vocat Matthæus inquiens: *dimitte nobis debita nostra.* § Secundo perpende his verbis contineri & peccatorum confessionem (qui enim ait dimitte mihi peccata plane culpam suam fatetur) & misericordiæ diuinæ petitionem. Postquam regius Propheta dixerat: tibi soli peccaui & malum coram te feci: addit: asperges me Domine hyssopo & mundabor, lauabis me, & super niuem dealuabor. Quoniam si voluisses sacrificium dedissem: vtique holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum; Deus non despicies. Per cor contritum intelligimus cor, culpam suam agnoscens: per cor autem humiliatum, cor intelligens in sola diuina misericordia vitam, ac salutem suam esse collocatam. Tertio libro Regum, capite vigesimo primo, Sacra narrat historia, quod dixit Dominus impio regi Achab: Ecce inducam super te malum, & interficiam de Achab mingentem ad parietem, & clausum & vltimum in Israel, &c. Cum autem audisset Achab sermones istos scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitque, & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite. Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbitem dicens: Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei

Psal. 50.

3. Re. 21.

mei causa non inducam malum in diebus eius. Considera obsecro immensam Dei misericordiam & pietatẽ: considera eius pronitatẽ ad ignoscendum. Quamuis enim homo iste sanctior ac purior fuisset omnibus cælestibus spiritibus, parum, aut nihil faceret, confitendo nihilitatem suam, humiliando sese coram tanto Domino: & tamen pientissimus Dominus commotus nonnulla pœnitentia hominis impijssimi ac scelestissimi, statim infertensem irę suæ in vaginã suam: statim commota sunt viscera eius in eũ: statim reuocauit sententiam suam dicens: quia humiliatus est mei causa non inducam malum in diebus eius. Cum ergo Christus Dominus author huius precationis, patris misericordiam & pietatem satis ab æterno compertisset, desiderans salutem nostram, propter quam de cælis descenderat: ideo ait. *cum oratis* dicite *dimitte nobis peccata nostra*. Cæterum considera (inquit Cyprianus) quàm necesse, quàm prouidenter, & salubriter admonemur, quod peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur, vt dum indulgentia à Deo petitur, consciẽtiæ suæ animus recordetur. Ne quis ergo sibi quasi innocens placeat, & se extollendo plus pereat, instruitur & docetur peccare quotidie, dum quotidie pro peccatis iubetur orare. Sic denique & Ioannes in Epistola sua monet, dicẽs: si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus & veritas in nobis non est. Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis & iustus est Dominus, qui nobis peccata dimittat. In Epistola sua vtrumque complexus est, quod & rogare pro peccatis debeamus & impetremus indulgentiam cum rogamus. Ideo & fidelem dixit Dominum ad dimittenda peccata, fidem pollicitationis suæ reseruantem. Quia qui orare nos pro debitis, & peccatis docuit, paternam misericordiam promisit, & veniam secuturam. Hæc Cyprianus.

Cyprian.

1. Ioa. 1.

¶ *Siquidem & nos dimittimus omni debenti nobis*. Lucas explicuit Matthæũ dicentem, *sicut & nos dimittimus, &c*. Quo in loco vt apud Matthæum annotauimus, non conditio, sed similitudo significatur. Id quod clarius ostendit Lucas dicens, dimitte nobis peccata nostra: siquidem & nos dimittimus omni debenti nobis. Sentit enim alterum fieri inter filios Dei, alterum rogat vt fiat. Hæc ergo vox peculiaris est filiorum patris cælestis, quorum mos est iniurias illatas dimittere: cum omnibus pacem, atque concordiam habere. Hi ergo sic precantur. Pater cælestis ne quando nostris delictis offensus, alienes animum tuum à nobis. Pro tua clementia precamur vt ignoscas nobis delicta, quæ animi infirmitate in te committimus, vt tecum pacem habeamus: quẽadmodum & nos inter nos inuicem condonantes, si quid alius in alium deliquit, mutuam alimus concordiam. ¶ Sciamus tamen omnes nos, impetrare non posse quod pro peccatis petimus (ait Cyprianus) nisi & ipsi circa debitores nostros paria fecerimus. Idcirco, & in alio loco dicit: in qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis. Et qui seruus post dimissum sibi à Domino omne debitum, conseruo suo noluit ipse dimittere: in carcere religatur. Quia indulgere suo conseruo noluit, quod sibi à Domino indultum fuerat, amisit. Quæ adhuc fortius Christus in præceptis suis maiore censuræ suæ vigore prædixit. Cum steteritis, inquit ad orationem, remittite, si quid habetis aduersus aliquem, vt & pater vester qui in cælis est, remittat peccata vobis: si autem vos non remiseritis, neque pater vester qui in cælis est, remittet peccata vobis. Excusatio tibi nulla in die iudicij superest, cum secundum suam sentẽtiam iudiceris, & quod feceris, hoc & ipse patiaris. Pacificos enim & concordes, atque vnanimes esse in domo sua Deus præcepit, & quales nos fecit natiuitate secunda, tales vult renatos perseuerare, vt qui filij Dei esse cœpimus, in Dei pace maneamus, & quibus spiritus vnus est, vnus sit & animus, & sensus. Aliter enim, nec sacrificiũ Deus recipit. Ideo enim dissidẽtẽ ad altare reuertentem prius fratri reconciliari iubet, vt pacificis precibus & Deus possit

Hæc vox est peculiaris iustorũ quorum mos est iniurias dimittere.

Cyprian.

Matt. 7.

Matt. 18.

Marc. 11.

sit esse pacatus. Sacrificium Deo maius est pax nostra, & fraterna concordia, & de vnitate Patris, & Filij, & Spiritus sancti plebs adunata. Neque enim in sacrificijs, quæ Abel & Cain primi obtulerunt, munera eorum Deus, sed corda intuebatur, vt ille placeret in munere, qui placeret in corde. Abel pacificus & iustus, dum Deo sacrificat innocenter, docuit & cæteros quando ad altare munus offerunt, sic venire cum timore Dei, cũ simplici corde, cum lege iustitiæ, cũ concordiæ pace. Meritò ille dum in sacrificio Dei talis esset, postmodum sacrificiũ Deo factus est, vt martyriũ primus ostendens, initiaret & sanguinis sui gloria Dominicam passionem, qui & iustitiam habuerat, & pacem: tales denique à Domino coronantur, tales in die iudicij cum Domino vindicabuntur. Cæterum discordans, & dissidens & pacem cum fratribus non habens, secũdum quod beatus Apostolus & Scriptura sancta testatur, nec si pro nomine Christi occisus fuerit, crimen distentionis poterit euadere, quia sicut scriptum est, qui fratrẽ suum odit, homicida est, nec ad regnum cęlorum peruenit, vt cum Deo viuat homicida. Nõ potest esse cum Christo qui imitator Iudæ maluit esse, quàm Christi. Quale delictum est, quod nec baptismo sanguinis potest ablui? Quale crimẽ est, quod martyrio non potest expiari? Hæc Cyprianus. ¶ Si ergo proximis iniuriam dimittis, precare Dominum, vt tibi dimittat, atque cõdonet peccata tua: si quidem & tu tibi iniuriam inferentibus pepercisti: saltem illos non odio prosequendo. Si autem non vis animi rancorem & odiũ in proximos fratres tuos deponere, hãc precationem nomine totius Ecclesiæ referes: nam si nomine tuo dicas: dimitte nobis pèccata nostra, siquidem & nos dimittimus omni debenti nobis: planè mentieris. Vt enim Augustinus ait: Si non dimittis mentiris, & ei mentiris quem non fallis. ¶ Precemur ergo, & Domino dicamus. Gratias maximas tibi ago Domine Iesu, quod tanto amore, tantoque animi ardore, & desiderio te nobis offers, in hoc pane quotidiano. Adhuc tamen Domine mi, timeo vehementer ad hunc panem supersubstantialem accedere. Vereor, inquam, ne mihi contingat, quod Aman, qui inuitatus à Regina Hester ad mẽsam suam, statim ob scelera, ac crimina sua, patibulo fuit suspensus. Et quanuis tu Domine, hoc minime intendas minimeque velis, ego vero me ipsum ob peccata mea timeo. Multiplicatæ enim sunt iniquitates meæ, super arenã quæ est in littore maris. Quis enim numerare poterit, innumeram multitudinem cogitationũ mearum vanissimarum? Quis recensere, multitudinem iniquorum verborum, atque sermonum: quando iusti linguam suã à malo coercere vix possunt? Peccata verò ex omissione legis tuæ, aut ex negligentia mea cõmissa, quis dinumerabit? Quid igitur in medio huius conflictus & certaminis positus faciam? Quid eligam? Quo me vertam? Si ad dexteram oculos tendo, te video, me vultu alacri, placidis verbis, ad mensam tuam inuitantem: cælestes item angelos aspicio, me vocantes: & tunc inardescit animus ac maxime appetit adire tantum conuiuium: si autem ad sinistram oculos extendo, innumera grauissimaque peccata mea, mihi, multa mala si immundus accedam, minantia intueor. Quid igitur faciam? Sed iam iam scio quid faciam. Quando igitur tuis salutaribus præceptis ac monitis, te, patrem vocare fas est, iure filiorũm corde contrito & humiliato ad te confugiam, & dicam tibi: pater noster qui es in cælis dimitte nobis debita, hoc est, peccata nostra. Quæ, iure optimo debita voco: nam debitor alterius dicitur ille, qui bona sua illo inuito ab eo abstulit. Quando igitur Domine mi, nos atque omnia nostra tua sunt, tuoque obsequio dicata: illaque à te abstulimus, vt mundi vanitatibus, carnis illecebris, diaboloque seruiremus: verè debitores tui facti sumus. Dimitte ergo nobis debitã nostra: quando tu iubes, vt hanc veniam, cum fiducia & ex animo petamus. O omni admiratione digna clementia Dei nostri. Cum nos illum, ob res huius mundi vilissimas ac nullius

Gen. 4.

1. Ioan 3.

Ios. Gers.

Nota.

Ester 5.

nullius momenti contempserimus, atq; preterierimus; nihilominus ipse est, qui nobis, maxima pietate commotus, præcipit, vt veniam supplices ab eo postulemus. Ipse inquam est, qui & si à nobis offensus, & iniuria affectus sit: ad pacem tamen inuitat. Peccarunt angeli, & statim in tartarum detrusi sunt: peccamus & nos, & ait: cum oratis dicite: dimitte nobis debita nostra: & statim condonat. Quando ergo pater cælestis, tantam ob nostra peccata satisfactionẽ à filio tuo, qui pro illis sanguinẽ suum contulit, recepisti, & nobis iubes vt veniã petamus, age iam; & dimitte nobis debita & peccata nostra: sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Fœlix sanè offensa nobis illata, fœlix debitum. Quod, si à nobis condonetur fratribus, dignum est tanto premio: ita vt, sedente iudice nostro pro tribunali, ad veniam debitorum nostrorum impetrandam allegari, atque adduci & citari possit & debeat. Quare non æquum est, vt si ab aliquo offendamur, iniuriaque aliqua afficiamur, contristemur: non est, quare statim concidat vultus, aut cadamus animo: sed de iniuria illata potius lætandum nobis esset, atque gaudendum. Nam hæc omnia hominibus condonando, facilior est aditus ad veniam debitorum nostrorum parandã. Nõ enim indubiũ reuocari debet, quin hæc, de qua à Domino instruimur, citatio condonatæ iniuriæ, magni momenti coram cælesti tribunali, sit. Hoc enim intelligens Dauid vultu alacri, lætoq; animo, Semei conuicia sustinebat, vt. 2. Reg. sacra narrat historia.

2. Re. 16.

¶ *Et ne nos inducas in tentationem.* Post peccatum (quod cæteris omnibus huius mundi malis peius ac maius malum est,) nullum periculosius tentatione. Malum sanè, peccato proximum, & via, iterque ad peccandum. Quemadmodum enim inter corporis mala nullum peius quàm mala valetudo (vnà excepta morte) sic inter omnia animi mala nullum magis nociuum tentatione: quæ animæ ægritudo & infirmitas quędã est (vno excepto peccato.) Quod verò verus morbus, atque spiritualis infirmitas sit tentatio, vel ex vno responso, Paulo à Domino dato, satis constare poterit. Sufficit (inquit Dominus) tibi gratia mea nam virtus in infirmitate, hoc est, in tentatione perficitur. Præcedenti ergo petitione precabamur Dominum, vt vitam spiritualẽ per peccatum amissam nobis redderet: in hac verò postulamus, vt ab omni animæ morbo, qui ad mortem sempiternam ducit, nos liberare, atque educere dignetur, dicentes: & ne nos inducas in tentationem. Quasi dicamus: quoniam autem nouimus malitiam, & vires illius mali tyranni, vnde tua paterna bonitas nos redemit, ne sinas nos rursum ab illo vinci: ne sinas (inquam) incidere in tentationem.

Nullũ malum post peccatum periculosius tentatione.

Simile.

1. Co. 12.

¶ Circa petitionem ergo istam, illud imprimis animaduerte, non ea postulare, vt non tentemur: dum in hac militia, & in huius vitæ certamine sumus. Hæc enim petitio & à Dei voluntate omnino dissonaret: & nobis omnibus nociua maximé esset. A Dei, inquam, lege & beneplacito dissentiret, cum ille aliàs affirmet, atq; asserat, regnum cælorum vim pati & violentos rapere illud. Præterea suo in mundum aduentu, non solũ hæc spiritualis pugna, hoc intestinum bellum, hæ inimicitiæ, non solum non cessarunt, verum mirum in modum incaluerunt. Non veni, inquit, pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & inimici hominis domestici eius. ¶ Nobis præterea nõ præstat, tentatione carere. Nam si vi & armis capiendum est regnum cæleste, vt modo dicebamus: qui id fieri poterit, nisi legitime certando? Si autem hostes, & inimici nobis insidiantes, & nobiscum quotidie pugnantes defuerint: quo pacto viriliter & strenuè dimicabimus? Tentationibus, animi vires & potentiæ augentur: quibus auctis, accrescit bonarum actionum studium: rursum bonis actionibus accrescentibus, accrescit meritũ: crescit autẽ beatitudinis præmium & corona, quantum ipsa sanctarum operationum merces & continuus labor crescit. Tandem tentatio-

Non hac petitione petimus, vt non tẽtemur, sed vt à tentatione non vincamur.

Matt. 10.

nes nobis ad maiorem animi humilitatem proficiunt. Quare non minus nobis necessariæ sunt ipsa humilitate, qua omnes animæ virtutes conseruantur atque custodiuntur. His ergo ita constitutis & expositis fit, vt hac petitione non postulemus à Domino, vt tentationes procul hinc absint à nobis: cum non solum nobis perniciosa & nociua, vt ostendimus, esset hæc precatio: sed Dei voluntati contraria. Vnde etiam fieret, vt nobiscum ipsimet pugnaremus. Cum paulo antè, vt diuina voluntas in nobis fieret, deprecabamur. Quod ergo hac sexta petitione impetrare cupimus, illud est: vt minime à tētationibus vincamur. Vt si venerint nos exerceant, nos probēt, nobis non obsint, sed prosint: nos, ne superbiamus, humilient, & deprimant, faciatque expeditiores in bello. Cū enim tentamur in tentationem ducimur: cū autem vincimur, in tentationem inducimur, siue introducimur & incidimus.

Gloss. Vnde gloss. non precamur, inquit, non tentari: sed nec etiam modicum à tentationibus vinci. Tentatio enim necessaria est ad coronam. ¶ Cæterum dubitarē

Dubitatio. quis merito poterit cum D. Iacobus affirmet & dicat Deus neminem tentat: quare in hac precatione petimus, vt nō inducat nos Deus in tentationem. Non enim vult Dominus vt peccemus, nec vult vt à tentatione vincamur, neq; suggerit peccatum cum hoc munus & officium sit diaboli. Huic dubitationi satis-

Respōsio. D. Aug. facit D. Aug. qui ait: ideò dicitur Deus aliquem in tentationem inducere, non quia ipse inducit, sed quia aliquando induci permittit: vel saltem quod inducamur non impedit. Aliquando enim exi-

Ioa. Ger. gentibus meritis nostris relinquit Deus hominem in manu tentatoris, & in manu consilij sui: quod si à Dei gratia & adiutorio destituatur: tunc à tentatore pulsatus frangitur & vincitur. Quare illud est, quod obnixè Deum precamur: quod si tentati fuerimus, ne ab illo destituamur, ne ab illo relinquamur. Dei enim adiutorio deficiente corruere in certamine necesse est: illo verò astante & adiuuante victoria certa erit, & ex conse-

A quēti certus erit triumphus. ¶ Dicamus igitur Domino. Non enim Domine in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me: sed brachium tuum, & dextera tua, & illuminatio vultus tui: quare precor vt mihi in certamine adsis: quod si feceris, dicam diabolo tentanti, quod olim Dauid Philisteo illi: tu venis ad me cum gladio & hasta & clypeo: ego autē venio ad te in nomine Domini exercituū, Dei agminum Israel. ¶ Quid enim Domine, mihi prodest debita præterita

Psalm. 43.

1. Re. 17.

B & antiqua soluisse: si in alia nūc incido? Quid mihi prodest mundasse, ac lauasse manus, quæ mortuum tetigerant: si statim illum iterum tango? Quare pater cælestis, si permiseris ab hostibus nostris tentari, vt humiliemur, vt probemur, vt exerceamur, vt coronemur, vt afflicti ad te confugiamus: noli permittere, vt à tētatione vincamur. Tanta enim est animi nostri imbecillitas, vt absque tua gratia vincere non possimus. Tanta animi infirmitas, vt etiam in accepta gratia perseuerare, absque peculiari munere tuo nō valeamus: cum multis gratia conferatur

C non tamen donum perseuerantię. Quot enim hostibus obsideamur vides: quot inimicis circundemur, intelligis: quot periculis circumuallemur, non ignoras. Caro, familiaris, & domesticus, atq; perpetuus, blandusque inimicus est: mūdus verò fallax, mendax, & proditor: diabolus autē fortis, astutus & strenuus ac veteranus hostis. Positus igitur Domine inter tot phalanges inimicorum inter tot carnis fautores, inter tot spiritus persecutores, quid faciā? Quo me vertā? Ad quē confugiam? Cuius auxilium implorem

D si tu non adsis? Quid faciet ouis inter tot lupos? Quid creatura inermis, & imbecillis inter tot inimicorū gladios? Quid ergo inter tot pericula positus, quid aliud facere debeo: nisi ad te clamare, sicut pullus hirūdinis, & gemere sicut columba? Quid nisi ad te leuare oculos meos, qui habitas in cælis: vnde veniet auxilium mihi? Ad te ergo leuo oculos meos, qui habitas in cęlis, ad te leuo animam meam, in te solo fiduciam habeo, non confundar in æternum. Deus in ad-

iuto-

Ideo tibi meum intende: Domine ad adiuuandum me festina. Vsque quo Domine obliuisceris me in finem? Vsque quo auertes faciem tuam à me? Vsque quo exaltabitur inimicus meus super me? Quot sunt dies serui tui? Quando facies de persequentibus me iustitiam? Precor igitur pater misericordiarum quòd quandiu versor in hoc mortali corpore, vt tui præsidio tutus sim, aduersus mundi, carnis, & diaboli, machinamenta: vtque si tentatio occurrat te protegente, qui potentior es, victor discedam.

¶ *Sed libera nos à malo.* Hęc omissa est à Luca, & addita à Matthæo. Quam ibi explicando, de illo malo, hoc est, diabolo intelligendam diximus. Sed nunc libet eam de malo pœnæ exponere. Statimque de omni malo illam declarabimus. ¶ Liberatus ergo homo à peccato, liberatus ac victor factus in tentationibus suorum hostium: reliquum est, vt à malo pœnæ liberari deprecetur: hoc est, ab aduersis huius mundi, semper ingruentibus. Hæc autem, mala pœnæ vocatur: non eò, quod nobis semper ob demerita contingant: in nullo enim peccauit Iob, & tamé innumeris malis percussus est: vt virtus eius magis ac magis cresceret: vt gloria eius magis, ac magis innotesceret: vt nomen eius apud omnes homines perpetuò celebraretur: sed mala pœnæ vocantur: quod nos maxima pœna afficiant. Cum maximé noceant, & damnum inferant, aut diuitijs, aut saluti, aut bono nomini, quibus vita quieté & pacificé transigitur. Paupertas enim detrimentum infert diuitijs, mala valetudo saluti, infamia verò bono nomini. Hæc tria malorum genera in quæ cætera mala vitæ reducuntur, peccata non sunt: neque peccatorum causæ: occasiones tamen offendendi Deum esse posse nullus vir sapiens negauit. Quemadmodum enim bona sunt, bene illis vtentibus: sic mala & nociua sunt, malé illis vtentibus. Paupertas, quibusdam sanctitatis & virtutis occasio, esse solet: quibusdam verò furandi, & adulterandi. Infamia, quibusdam, humilitatis, atque huius mundi contemptus occasio est: alijs

Matth.

Quid sit à malo liberari.

A verò minimé. Morbus, quibusdam alias blasphemis & impatientibus, patientiæ ac pœnitentię opportunitas est: alijs verò, aliàs modestis & bene morigeratis, impatientiæ, & blasphemiarum. Cum ergo pater misericordiarũ, & Deus totius consolationis satis intelligeret, omnia huius mundi aduersa, qualia sunt paupertas, infirmitas, & infamia, occasiones esse solere peccandi, malé illis vtentibus, ideò ait: cùm oratis dicite: libera nos à malo. Libera nos, nõ ab aduersitatibus; B cùm illæ, de se malæ nõ sint: sed à malo, quod nobis inde prouenire ac sequi in hac misera periculosaque vita potest. Libera nos, non a paupertate, sed à malo quod ex paupertate oriri solet. Libera, inquam, nos, non ab infamia, aut à continuis langoribus, sed à malis ex illis occurrentibus. Et quia omne malum inde proueniens ex nostra imbecillitate contingere solet: da nobis precamur vires, ac animi fortitudinem, vt huiusmodi aduersa, æquo animo ferre valeamus. Et C quia inter hæc mala nullum maius, nullum horribilius, nullum magis nociuũ, quam malum perpetuum infernorũ, deprecamur Domine: vt nos, ab illo omnino liberes. Hoc perpetua molestia, hoc damno tam ingenti, hoc æterno periculo, precamur, vt nos omnes eripias: quãdo sine culpa & offensa, tantum malum nobis accidere non potest. ¶ *Sed liberà nos à malo.* Alij, de omni huius mũdi malo hanc vltimam petitionem intelligũt. Quadriforme, inquiunt, est malum: faciens, factum, mulctans, & fallens. Faciẽs malum est tam in angelis, quam in hominibus deordinata voluntas per se ip-D sam deprauata, non habens aliunde quã a seipsa suæ deprauationis autorem, quã uis extra seipsam sæpe suæ malitiæ habeat suggestorem, qui ipsi voluntati homini, aut angelo non tam condecens est quam ipsamet voluntas, ipsa enim sola seipsam, & eum in quo est suo consensu in malum occidit. Et propter hoc, non est aduersus aliquod malum, tam incessanter orandum, quam aduersus faciens malum, scilicet, contra malam voluntatem, quæ non est natura mala, sed tunc

4. Malum.

Malum faciẽs, id est, deordinata volũtas

Malum factũ, id est, opus malũ

Malũ militans, id est aduersa mundi.

Malũ fallens, id est, diabolus.

per seipsam mala efficitur, cum vult preter superioris legem. Aliud dicebamus malum, quod malum factum dicimus, & sunt ipsa opera mala & omissiones malæ, contra quod pariter oramus. Oramus & contra malum militans, vt sunt omnes pœnalitates, horrenda mors, infirmitas. Contra quæ oramus, non vt nullo modo eueniat, sed ne tam crudeliter insaniant, vt animus inde frangatur. Oramus & contra æternam pœnam ne quoquo pacto in eam incidamus. Malũ fallens, est diabolus qui modis fallẽdi multiplicibus ex inuidia nititur aduersum humanum genus contra quem necessario deprecandũ est, vt patris æterni gratia liberemur ab illo, dicentes: sed libera nos à malo, scilicet, Sathanicæ tentationis, atque deceptionis, & vt perstringam, ab omni malo quod inter Deum & nos potest parietem diuisionis cõstruere, orandum est vt liberemur dicentes: libera nos à malo. Hæc apud Cyprianũ. Lege quæ de hac precatione August. ait tom. 2. Epist. 121. c. 11. & 12.

¶ Fer. 2. in Litanijs maioribus.

ET ait ad illos. Quis vestrũ habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi, amice, commoda mihi tres panes, quoniã amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum: et ille intus respõdens dicat, noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili: non possum surgere et dare tibi. Et si ille perseuerauerit pulsans dico vobis et si non dabit illi surgens eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, et dabit illi quotquot habet necessarios. Et ego dico vobis: petite & dabitur vobis: quærite et inuenietis: pulsate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: et qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur. Quis autẽ ex vobis patrem petit panẽ, nunquid lapidem dabit illi? Aut si petierit ouum nũquid porriget illi scorpionẽ? Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris: quanto magis pater vester cælestis de cælo dabit spiritum bonum petentibus.

Matth. 7. & 21. Marc. 11.

Ioan. 14. & 16. Iaco. 1. Matth. 6.

Iac. 1. Matth. 7.

QVO magis Dominus excitaret suos ad instantiam orandi, & impetrandi fiduciam adderet, adiecit huiusmodi parabolam, qua ostendit, quàm exorabilis sit Deus, quàmque natura beneficus erga filios suos. Quod ex nobis ipsis coniecturam facit. Sic ergo ait.

¶ *Quis vestrum habet amicum & ibit ad illũ media nocte, &c.* Annotare oportet ex August. in Psalm. 57. quod non vndecunque datur similitudo in scripturis laudatur ipsa res, sed tantum inde similitudo traditur. Non enim laudauit iudicem iniquum, qui nolebat audire illam viduam, qui nec Deum timebat, nec homines reuerebatur, & tamen Dominus inde similitudinem traxit. Et Dominus lauda-

August.

Luc. 18.

Luc. 16. laudauit vilicum iniquitatis eò quod prudenter egerit, neque nunc laudat pigrum, qui tres panes non propter amicitiam dedit petenti, sed tedio victus: & tamen inde similitudinem dedit. ¶ Hæc comparatio & aliæ id genus sunt à minori. Si enim amicus homo surgit de cubili, & dat non propter amicitiam, sed molestia & tedio compulsus, quanto magis petentibus dabit bona Deus, qui diligẽs nos filios suos, vt petamus hortatur.

Perseuerã dum in oratione. ¶ *Et si ille perseuerauerit pulsans, &c.* Hoc exemplo id præcipue docere vult Dominus, vt in oratione perseueremus: si quod postulamus impetrare, desideramus. Sic Abraham Genes. c. 18. Non solũ Gen. 18. humiliter Deum precatur: sed in oratione perseuerat. Quo enim magis videbat Deum concedere, eo feruentius orabat. Nos ergo necesse est, vt perseueranter & longanimiter Dei misericordiam expectemus. Decet enim diuinam maiestatẽ: decet nostram humilem, & abiectam, vilemque conditionem, & naturam: decet negotij grauitatem: vt nõ semel, aut iterum, sed sæpe sæpius ad ianuas Domini præstolemur: vt multoties ad fores eius pulsemus. Beatus homo (inquit ipsa diuina Sapientia) qui audit me, & qui Prou. 8. vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei. Quoniã, qui me inuenerit inueniet vitam & hauriet salutem à Domino. Vel vt Hebræi habent: Hauriet voluntatem à Domino. Id est, assequetur quidquid volet à Domino. Thren. 3. Et Hieremias ait: bonum est præstolari cum silentio salutare Dei. Homo sanè superbus & diffidens, nõ patienter expectat: humilis tamen & fiduciam habens, ait cum regio vate: expectans expectaui Psalm. 39. Dominum & intendit mihi, & exaudiuit preces meas. Similitu. Si enim piscator, aut venator non patienter expectasset, quid quæso præmij, aut quid lucri & emolumenti ex labore reportaret? Non enim minor hæc piscatura, aut inferior est venatio hæc: vt non meritò, iam diu præstolari Dominum debeamus. Inter alia quæ de illa muliere forti sacra narrat historia Prouer. c. 31. Vnum illud est: quod Prou. 31. facta est sicut nauis institutoris, de longẽ portans panem suum. Quo exemplo edocemur, quod si statim panis quẽ quærimus, nõ inuenitur: conemur omnibus modis ac vijs, illum quærere: donec inueniatur. Si perseuerauerit (inquit in hoc loco Dominus) pulsans, dico vobis, quod dabit illi, quotquot habet necessarios. Longanimes ergo simus, & si moram fecerit, expectemus eum: quoniam Abac. 2. veniens veniet, & non tardabit. ¶ Perseueremus vnanimes in oratione. Nam nihil est, quod perseuerando finem optatum non consequatur. Sic enim formica æstiuo tempore horreum suũ implet: Simili. perseuerando scilicet, in granorum vectura. Sic aranea telam, qua capiantur muscæ, perseuerando texit. Sic apes, alueos cera & melle implent: instando, scilicet operi, continuando laborem. Sic deniq; in arboribus auicula nidũ struit: paleas paleis superponẽdo. Labor enim improbus omnia vincit. Sic ergo vir pius & fidelis, improbus sit: si sui voti cõpos esse vult: sic orabat Elias: nam post 3. Re. 18. siccitatem trium annorum vt pluuiam à Domino impetraret, ad orationem secessit: & puerum iterum, atque iterum misit ad probãdum si preces eius essent exauditæ: nec factum est ante septimam vicem. Ita & nos multis vicibus, numero septenario significatis, Deum deprecari debemus, neque à precibus cessandum, donec exaudiamur. Sic deprecatus est Isaac pro vxore sua sterili: & exaudiuit eum Dominus, nõ primo statim die, Gen. 25. sed post. 20. demum annos. ¶ Sed forsitã dicas, quare regius vates ait Psalm. 9. de Psalm. 9. Dubitatio. siderium pauperũ exaudiuit Dominus: præparationem cordis eius, audiuit auris tua. Si tanta est Dei ad exaudiendum suos promptitudo, vt etiam præparationem cordis eorũ statim exaudiet: quid ergo in Euãgelio monemur semper orare, & non deficere? Quid sibi vult, quod de importunitate postulantis dicitur tã in parabola de iudice iniquitatis, quàm in ista de amico petente, sibi commodari tres panes in nocte? Rursum, si tanta est promptitudo & facilitas diuinæ exauditionis, quid ergo plerumque in longum differt Deus impletionẽ eius quod postu-

Respondetur. postulatur? Verũ est aduertendũ, quod Dominus tametsi ab initio ex quo se præparant pauperes, vt clament attentas habeat aures, & auditum accommodet ad preces eorum: non tamen statim primo momento semper præbet quod postulant, sed differt nonnunquam in lõgum tempus, quoniam ita expedire nouit illorum exercitationi atque profectui, vel vt ex clamore continuato, ac perseueranti augmentet in illis & crescere faciat munera suæ gratiæ. Nihil enim pauperi salubrius, quàm vt clamet ad Dominum: multoque hoc illi vtilius est, sic clamare, quàm statim quod postulat accipere. Denique, statim etiã adest oranti pauperi, & iam cor præparanti: quoniam in præparatione sua illum adiuuat, & vt perseueranter digneque, vt oportet postulare sciat, efficit.

2. Respondetur. ¶ Posset tamen præsens locus & aliter intelligi hoc modo, eos qui corde præparato ad Dominum orauerint, qui præparant corda sua (iuxta sapientis verbum) Eccles. 2. vt digné & mundé orẽt Dominum, hos exeaudiet auris Dei. Atque ita præparationem cordis pauperum dicitur Deus audire, quoniam eos qui cor suum præparant, vt digné orent, exaudiuit. Qui autem impræparato corde, solis labijs clamat, exauditionem non promeretur. Vnde apud sapientem dicitur, ante orationem præpara animam tuam: & noli Eccl. 13. esse quasi homo qui tentat Deũ. Et iterum, Eccl. 2. qui timent Dominum, pręparabũt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas. De hac autem conditione orationis superius diximus in principio capitis. ¶ Cæterum alia etiam causa est quare nõ statim impretremus quod postulamus, sed necesse sit, vt semel atque iterum, ac sæpius fores cælestes pulsemus. Nam multoties nobis orãtibus mali spiritus præliantur cum bonis nostras preces offerentibus, ne exaudiamur. Scire namque debemus (inquit Rupertus Rupertus) sanctos angelos inter Deum, & Dei seruos administratores esse, nosq; in conspectu eorum & orare & psallere. Semperque illos paratos esse ad offerendas Deo orationes Ecclesiæ. Scire etiam

A debemus, angelos ẽ contra malos venire & resistere illis, & cum sint iniusti, nostræ contra nos declamare causas iniustitiæ, quod videlicet exaudiri non debeamus, eo quod neque plena fide oremus, neque propositas nobis exauditionis cõditiones obseruemus, quæ sunt eiusmodi. Solue colligationes impietatis, solue Isa. 58. c. fasciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti sunt, liberos, & omne opus disrumpe. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domũ tuã. B Cum videris nudum operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Tunc inuocabis & Dominus exaudiet, clamabis & dicet, ecce ad sum. Cum igitur inuocamus & Dominus nõ exaudit, dum clamamus & nõ dicit, ecce ad sum: Scire debemus sanctis angelis inuocationes atque clamores nostros Deo offerentibus resistere & contradicere malos, habẽtes in manibus accusationẽ, iacula quæ sunt peccata nostra non redempta iam dictis misericordiæ operibus, quæ Dominus in conditione posuit si iuste exaudiri desideramus. ¶ Huius rei expressum exem- C plum habes in Daniele, qui viginti & Dan. 10. vno die perseuerauit in deprecatione & tanquam si de mora angeli conquereretur, & tarditatis argueret illum, vltroneam præfert excusationem cur non venerit á prima die luctus & ieiunij & orationis. Ex die primo (inquit) quo posuisti cor tuum ad affligẽdum te in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua, sub auditur, pro tua persona, quia corã Deo inuenta est iustitia in te, non tamen primo die veni propter sermones tuos, & ista causa fuit tarditatis, quia princeps D regni Persarum restitit mihi, id est, malus angelus præsidens Persis. Hic ergo restitit mihi videlicet contradicens, & asserens iniustam esse captiuitatis solutionem, & sic illo resistente, teque in oratione perseuerante transierunt viginti & vnus dies. Et nunc veni tandem docere quæ ventura sunt secundum iudicis Dei misericordiam & veritatem. Terribile atque lamẽtabile hinc nobis datur documẽtũ, vt sciamus causam esse apud Dei iudicium, quoties in aliqua tribulatione,

tione, seu publica, seu priuata, non cito exaudiamur, clamantes ad Dominum. Hanc, scilicet, quam modo retulimus inter alias. Quare demus operam, vt prędictas orationis cōditiones positas à Domino apud Isaiā cæterasq; quas in principio recensuimus seruemus: ne mali angeli, iure, bonis, coram Dei tribunali resistere possint.

Vid. Rup. de vict. ver lib. 9. à c. 3. vsque ad 8.

¶ *Petite & accipietis quarite & inuenietis pulsate & aperietur vobis.* Multa sunt quæ nos excitare possunt ad petendum a Deo quidquid nobis opus & necessarium sit. ¶ Primum est, tam frequēs admonitio Dei. Ecce quid in hoc loco monet: petite inquit & accipietis, &c. quasi diceret: quod amicus egens faceret apud amicum hominem, hoc multo magis vnusquisque vestrum audeat facere erga benignum patrem Deum, cui grata est talis importunitas, & qui dando exhauriri non potest. Ob hoc igitur votis petite, si quid opus est, & dabitur vobis. Quærite, si quid ignoratis & inuenietis, afflactu spiritus paterni, quod humano ingenio percipi non poterat, pulsate precibus addendo eleemosynas in proximos, & aperietur vobis. Ecce his verbis quo pacto ad orationem hortatur Dominus. Lege Scripturam sacrā, & eam hac admonitione confertam inuenies. Clama ad me: & exaudiam te. Vigilate & orate ne intretis in tentationē, sine intermissione orate. ¶ Secundū quo ad petendum admonemur, exemplum Christi, omniumque sanctorum esse debet. Orabat frequentissime Christus, vt sæpe narrant Euangelistæ: cum oratione non indigeret. Orabat Anna quæ de téplo minime discedebat: ieiunijs & obsecrationibus seruiens die ac nocte. Orabant Apostoli perseuerāter & vnanimiter cum cęteris mulieribus, & Maria matre Iesu. Ascendebat D. Petrus in superiora domus ad orandum. Moriens D. Martinus inuictum ab oratione spiritū non relaxabat. Iacobus Alphęi ex vtero matris sanctificatus, ex assiduitate precādi, in genibus suis camelorum duritiem contraxerat. D. Bartholomæus centies in die, & centies in nocte ante Deum genuflectebat. ¶ Tertio satis ad orandum admonet tanta cura, ac diligētia, quam apposuit Dominus, vt in orationis disciplina instrueremur. Vix inuenies aliquid quod tanta sollicitudine doceret suos. Nam docuit quid orādum, docuit vbi orandum, docuit quando & quomodo orandū. Docuit denique quo animo & qua necessitate petendum. Vnde facile intelligere poterimus noluisse negligenter addisci quod adeo voluit diligēter docere. Quare verecundum est discipulis Christi ignorare, quod magister eorum, diligentissime docuit. Verecundum etiam est eis raro facere, quod eorum magister, tantum frequentare ac continuare voluit. ¶ Quarto, ad petendum excitat, angelorum, preces nostras offerentium, imo ipsius Christi dignitas & maiestas. Quando orabas (ait Angelus Tobiæ) ego obtuli orationem tuam Domino. Christus etiā Dominus, summus sacerdos, & pontifex noster, preces nostras, totiusq; Ecclesiæ, patri suo ob oculos ponit ac offert. ¶ Quinto, in eo maxime precatio commendatur: quod lectionem imo ieiunia, & eleemosynas excellat. Orationibus enim mūdamur (inquit Isidorus) lectionibus instruimur, vtrunque bonum est si liceat: si non liceat, melius est orare quam legere. Pręstat etiam ieiunio & eleemosynæ, cum oratio in Deū immediate dirigatur, at opera pietatis in proximum. Sunt enim velut duę alæ orationis ieiunium & eleemosyna. Qui enim ad Deum orationem suam volare vult (ait idem Isidorus) duas alas illi faciat. Ieiunium, & eleemosynam. Est enim precatio columba illa Noe, quæ oliuæ ramum portauit. Affert enim hominibus pacis ramum, affert tranquillitatem, atque maris & cæli quietem. ¶ Sexto. Quod nihil nobis facilius esse potest quàm preces fundere. Eas enim siue pauperes, siue diuites, siue iuuenes, siue senes, siue infirmi, siue sani simus facile emittere possumus. Vnde gloss. semper est aliquid iusto quod det, saltē orationem. Et Chrysost. solam orationem, quasi spirituale tributum anima offert, de suis visceribus. ¶ Deinde, & si quæ retuli-

Margin notes: Commendatur precatio. 1. Quod excitat ad petendū, est frequēs admonitio Dei. — Hier. 33. Luc. 22. 1. Thes. vltimo. — 2. Quod excitat est exemplū Christi, & sanctorū. Luc. 2. — Act. 1. — Act. 10. — 3. Quod excitat adorandū, est diligētia apposita à Christo: vt in orationis disciplina instrueremur. — 4. Excitat Christi dignitas offerentis patri nostras preces. Tob. 12. — 5. quod ieiunium & eleemosynas excellat. Isidorus. — Isidorus. — 6. quod nihil facilius nobis esse potest quā orare. Gloss in illud psal. iustus autem miseretur &c.

Cōmodū prouenīēs ex oratio ne cōmonere nos debet ad orandum.

tulimus minime sufficerent ad persuadendum Dei filios ad petendum & deprecandum assiduè patrem cœlestē: saltem commodū quod nobis ex precibus euenire, atque accrescere poterit, sufficiens persuasio esse debebit. Tam potēs profectò oratio est, vt nihil tam arduum ac difficile in mundo sit quod illud consequi ac sibi parare nō valeat. Ideo enim 2. lib. Paral. cap. 20. Ait Iudas cum omni Ecclesia illa: cum ignoramus quid agere debeamus hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te. Erant enim in periculo maximo constituti. Oratio, corporis valitudinem si infirmus sis impetrat. Fili in infirmitate tua ne despicias te ipsum: sed ora Dominum & curabit te ait Sapiens. Oratio vitam prolixiorem facit: vidi lachrymas tuas: & audiui orationē tuam: ecce ego adjiciā super dies tuos 15. annos: inquit Dominus Regi Ezechiæ. Oratio liberat ab opprobio, vt legere est in Sara filia Raguelis vxore Tobiæ. Liberat à mortis periculo eminenti. Vt videre est in Susanna: in Petro de carcere ab Angelo educto: in Iona de ventre ceti liberato: medetur morbis spiritualibus. Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ & orēt pro eo: & si in peccatis sit, dimittentur ei: dicit Iacobus. Ieiunio (inquit Hieron.) sanantur pestes corporis, oratione pestes mentis. Oratio in prælio spirituali vincit. Cum enim Moyses leuabat manus vincebat Israel. Plus inquit glossa. Valet vnus sanctus orando, quam innumeri peccatores præliando. Dæmones fugat. Hoc genus dæmoniorū (inquit Dominus) non eijcitur nisi per ieiunium & orationem. Ad Dei amorē animum incendit. Ad orationem enim Eliæ ignis de cælo descendit, amoris & charitatis imaginem gerens. Mentem illuminat. Oratione (inquit August.) melius soluuntur dubia, quàm inquisitione alta. Ab omni spurcitiæ & animi inquinamento emundat. Orationibus (inquit Isidorus) mūdamur. In angustiis positum confortat. Apparuit enim Christo oranti angelus Domini, & confortabat eum. Totum hominem in Deum transfigurat & transformat, dum enim in vertice montis Christus orabat, transfiguratus est coram Apostolis suis: quos secum duxit. Precatio animum tranquillat, vt Paul. docet priori ad Tim. cap. 2. Cælum aperit. Iesu enim baptizato & orāte apertum est cælum. Cęlum claudit. Vt de oratione ab Elia facta sacra narrat historia. Deum mitigat. Oratio ait Glossa: Deum lenit, lachryma cogit: hæc vngit, illa pūgit. Deum tenet. Dimitte me, ait Dominus Moysi orāti, vt irascatur furor meus contra eos. Si ergo tāta est virtus orationis iure sanè optimo Christus monet dicens: petite, quærite, pulsate: si tanta potentia precationis Christum audiamus: nam verax est, seipsum negare nō potest. Ipse enim pollicetur, quod si petierimꝰ quæ superius in precatione sua petenda docuit, & si perseuerantes & constantes in petitione simus, quod accipiemus. Hoc enim vbique promittit: hoc vbiq; affirmat, hoc vbique asserit. Si duo ex vobis inquit apud Matthęum, consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à patre meo. Et rursum ait: omnia quæcūq; petieritis in oratione credentes, accipietis. Hoc idē in hoc loco. Et Ioan. 16. cap. Non enim toties hortaretur vt peteremus, nisi dare vellet (inquit Augustinus.) Erubescat ergo humana pigritia: plus vult ille dare, quàm nos accipere. Plus vult ille misereri, quàm nos à miseria liberari.

¶ *Quærite & inuenietis: pulsate, et aperietur vobis.* Quæramus ergo & inueniemus. Quæsiuit Noe Dei gratiā, & inuenit eam. Sic enim dicitur Genes. cap. 6. Noe verò inuenit gratiam coram Domino. Quibus verbis satis inuenitur studiū & conatus Noe: quod scilicet gratiam quæsierit. Qui manè, inquit, vigilant ad me inuenient me. Errant igitur qui otio sē sedent, gratiam expectantes è cælo, cū Christus planè dicat: petite & accipietis quærite & inuenietis. ¶ *Pulsate et aperietur vobis.* Pulsat (inquit Ricardus) qui affectat & qui orat: & pulsanti aperitur: Non enim ambigendum est, quin libenter pulsanti aperiat, qui nondum pulsanti hortatur vt pulset. Sic Deus pius vult

quærere debemus si inuenire volumus.

Pulsare quid.

Marginal references: 2. Par. 20. — Eccl. 38. — Isai. 38. — Tob. 3. — Dan. 13. — Act. 12. — Ionæ. 2. — Iaco. vlt. — D. Hiero. — Exod. 17. — Gl. in ea. — Matt. 17. — 4. Reg. 1. — D. Aug. — Isidor. — Luc. 22. — Luc. 9. — 1. Tim. 2. — Luc 4. — 3. Reg. 18. — Glo. Tob. 3. — Exod. 32. — Mat. 18. — Matt. 21. — Ioa. 16. — D. Aug. — Gen. 6. — Prou. 8.

à se requiri, etiam quod promittit: & ideo quod dare disposuit prius promittit, vt rogandi ausum præbeat: & quod daturus gratis erat: deuota promereatur oratio. Hæc ille.

Ricar. de S. Vict. de gradi. charita. 2. p. c. 3 in principio.

¶ *Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Quis autem ex vobis patrem petit panem nunquid lapidem dabit illi? Aut piscem: nunquid serpentem dabit illi? ect.* Talibus quidem dictis (inquit Chrysost.) ac tali spe prouocauit nos ad orandum vniuersorum Dominus. Nos verò decet obtemperãtes Deo, semper omnem vitam in laudibus Dei precibusque trãsigere, maiore studio curam agentes diuini cultus, quàm vitę nostræ. Sic enim contigerit, semper viuere vitam homine dignã. Quisquis enim non orat Deum, nec diuino colloquio cupit assiduè frui, is mortuus est & vita carens, expersque sanæ mentis. Nam hoc ipsum euidentissimũ est argumentum amentiæ, non intelligere magnitudinem huius honoris, nec amare deprecandi studium, nec hoc habere persuasum, quod animæ mors sit, non prouolui ad Dei genua. Quemadmodum enim corpus hoc nostrum, si nõ adsit anima, profectò mortuum est ac fętidum: sic anima nisi seipsam incitet ad orandum, mortua est ac misera, & grauiter olens. Quin insuper quod oporteat quauis morte tristius existimare, si quis deprecatione priuetur, pulchrè nos docet Daniel ille propheta magnus, qui maluerit mori, quàm triduo dumtaxat arceri ab orando. Nec enim hoc ab eo exigebat rex Persarum, vt impietatem admitteręt: tantum illud obseruabat, si quis intra triduum quicquam petere deprehenderetur ab vllo deorum, aut hominum, pręterquam ab ipso. Sed propheta ne tantulum quidem temporis sustinuit ab orãdo cessare: propterea, quia nisi Deus propensus sit in nos, nihil omnino bonorum in animas nostras venire possit: Dei verò propẽsio simul adiuuat labores nostros, hosque pulchrè subleuat, si conspexerit nos amare precãdi studium, si continẽter orare Deum, si viderit expectantes, omnia bona nobis illinc

Chrysost.

Necessitas orãdi ostẽditur ex Chrysost.

Simile.

Dan. c. 6.

A defluxura. Itaque cum videro quempiã non amantem orãdi studium continuo mihi palam est eum nihil egregiæ dotis in animo possidere. Rursus vbi quem cõspexero, insatiabiliter adhærentem cultui diuino, idque in summis damnis numerantem si non continenter orauerit, coniecto talem omnis virtutis firmum esse mediatorem, ac Dei templum. Etenim si vestitus hominis, si pedum incessus, si risus dentium declarat qualis sit, quemadmodum sapiens Salomõ dixit: B multo magis deprecatio cultusque Dei, signum est tutius iustitiæ, cum sit ornatus spiritualis ac diuinus, multã pulchritudinem ac decorem concilians mentibus nostris, dum vniuscuiusque vitam componit, nec sinit quicquam sordidũ, aut absurdum dominari nostro animo, dum persuadet reuereri Deum, & honorem quem illi debemus præstare. Arbitror itaque cunctis esse manifestũ, quòd simpliciter impossibile sit absque precationis præsidio cũ virtute degere, cumque hac huius vitæ cursum peragere. C Etenim qui fiat, vt quis virtutem exerceat, nisi continenter adeat, & supplex ad genua accedat ei qui virtutem omnẽ suppeditat ac largitur hominibus. Rursum qui fiat, vt aliquis concupiscat esse temperatus & iustus, nisi lubens cum eo consuetudinem, & colloquium habeat, qui cum, hęc, tum, his etiam plura exigit à nobis? Hæc Chrysost. Adeamus igitur ad genua cælestis patris illum sine cessatione precemur quando tanta nobis precandi necessitas incumbit. Etenim quẽadmodum sol lucem præbet corpori, sic D animæ lumen est precatio. Proinde si cæco damnosum est, non intueri solẽ: quãto grauius damnum est homini Christiano, si non assiduè deprecetur, neq; Christi lucem orando in animum suum inducat. Et quemadmodum nullo pacto fieri potest, vt qui solis radijs fruitur, non effugiat tenebras: ita nulla ratione fieri potest, quin qui cum Deo consuetudinem agit, desinat esse mortalis: siquidem ipsa dignitatis sublimitas, nos ad immortalitatem transfert. Etenim si qui cum Cæsare miscent sermones, familiariterq; cũ

Simile.

Simile.

Simile.

eo versantur, & hoc honoris ab illo sunt adepti, non possunt esse pauperes: multo minus fieri potest. vt qui Deum deprecãtur, cũ eo familiariter colloquentes, animas habeãt mortales. Nam mors animæ est impietas, ac vita pugnans cum lege diuina. Ex quo consequitur animæ vitam esse Dei cultum, ac vitam eo cultu dignam. Porro vitam piam ac Dei cultu dignam miris modis oratio conciliat, conciliatam auget, ac ceu thesaurum recondit animis nostris. Etenim siue quis virginitatis amore tenetur, siue quis studet amplecti honorabilem coniugij castimoniã, siue quis meditatur inijcere frenum iracundiæ, & cum mansuetudine familiaritatem habere, siue quis cupit ab inuidentię lue purus esse: denique si quis aliud quippiam facere studet, quod ad recte viuendum pertinet, duce precatione, ac huius vitæ viam præparante commodum simul & facilem habiturus est pietatis cursum. Neque enim fieri potest, non potest inquam fieri, vt qui postulat à Deo pudicitiam, iustitiam, mansuetudinem, ac benignitatem non assequantur id quod petũt. Petite inquit & accipietis & alia quæ statim sequuntur.

Chrysost. lib. de orã do Deum.

¶ *Si ergo vos cum sitis mali nostis bona data dare filijs vestris quanto magis pater vester cœlestis dabit spiritum bonum petentibus se.* Cõsidera obsecro quãta sit dignitas precationis. Nam Dei gratia ei peculiariter pro præmio assignatur. Atque vt hoc satius ac melius intelligas, memineris philosophorum omnium sententiam esse: causas omnes naturales agere secundum dispositionem subiecti in quod agunt. Quãto enim lignum magis ac magis siccum inuenitur ab igne, tanto citius, atque facilius, ab illo exuri atque cremari solet. Quanto etiam mollior est cera, tanto melius in ea sigillum imprimitur. Cum ergo Deus sit author bonorum omnium, causaq; vniuersalis omniũ charismatũ dator ac largitor spiritus boni, hoc est, gratiæ, certa res est quod secũdum maiorem atque ardentiorem animi dispositionem (si secundum communem ordinem & regulam loquamur) maior Spiritus sancti fauor & gratia nobis à

Quanta sit dignitas orationis ostẽditur.

A Deo infundetur. Si ergo quis attento animo atque altamente vim & naturam orationis consideret, inueniet orationem veram non esse aliud, quàm dispositionem conuenientissimam ad gratiam parandã. Nam ibi homo ad Dei genua prouoluitur: & ad illum tanquã ad animi sui ægrotantis medicum confugit: ac vulnera sua ostẽdit: ab eoq; medelam & salutare medicamentum postulat. Quod vt facilius consequatur, merita Christi, ac diuinam misericordiam allegat. Sic igitur miseriam suam confitendo, diuinam misericordiam implorando, Christi mortẽ atq; perpessos in vita labores citando, humiliter à creatore suo veniam precatur. Hæc omnia communiter in deuota precatione contingunt: quæ conuenientissimé creaturam disponunt ad comparandam gratiam. Idcirco peculiariter precationi tribuit. D. Augu. consecutio eius. Sicut enim nemo, nisi à Deo vocatus & tractus, ad veram salutẽ venit: & sicut nemo iam tractus, opera ad salutem necessaria, sine Dei adiutorio efficere potest: ita nemo hoc adiutorium & gratiam sibi parabit: nisi illud per precationem postulet: hæc in sententia August. quanuis igitur per alia virtutis opera in charitate facta gratia Dei & charitas augeatur, signanter tamen hunc effectum orationi Augusti. tribuit: quod huius peculiare munus sit gratiam petere. Et ideo illi peculiariter tanquam præmium, gratia respondet. Quod clarissimis verbis significare voluit in hoc loco Christus dicens: si ergo vos cũ sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quanto magis pater cœlestis, dabit spiritum bonum petentibus se? ¶ *Si vos cum sitis mali nostis bona dare, &c.* Hoc testimonio, vt alia omittamus, contendit probare Lutherus omnia opera nostra esse peccata: cũ Apostolos alioqui sanctos, vocet Christus homines malos. Sed hæc Christi verba non obstant fidei, affirmãti maxime distare iustos à peccatoribus. Nã vt D. Hieronymus ait. Sub persona Apostolorum omne hominum damnantur genus, cuius, ad comparationem diuinæ clementiæ ab infantia cor ad malum positum est. Neque mirum, si homines huius seculi

B

August.

C

D

Expositio istorum verborum Christi.

D. Hierony.

sęculi dicit malos, cum & Apostolus moneret: Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Eo malos potuit Christus Apostolos dicere, quia in illis, loquebatur omnibus: & ea appellatione nominari potest quęcunque multitudo, quę maxima ipsius parti conuenit.

Dominica. 3. in Quadragesima.

ERat Iesus eijciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cum eiecisset dæmonium, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbę. Quidam autem ex eis dixerunt, in Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Et alij tentantes, signum de cęlo quærebant ab eo. Ipse autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis, omne regnum in se diuisum desolabitur: et domus supra domum cadet. Si autem & Satanas in se ipsum diuisus est: quomodo stabit regnum eius? Quia dicitis in Beelzebub me eijcere dæmonia. Si autem ego in Beelzebub eijcio dæmonia: filij vestri in quo eij-

A ciunt? Ideo ipsi, iudices vestri erunt. Porro si in digito Dei eijcio dæmonia: profecto peruenit in vos regnum Dei. Cum fortis armatus custodit atrium suum: in pace sunt ea quæ possidet. si autem fortior eo superueniens B vicerit eum: vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet. Qui non est mecum contra me est: et qui non colligit mecum dispergit. Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per C loca inaquosa, quærens requiem. Et non inueniens dicit, reuertar in domum meam vnde exiui. Et cum venerit inuenit eam scopis mundatam. Tunc vadit & assumit septem alios spiritus secum nequiores se: & ingressi habitant ibi, et fiunt D nouissima hominis illius peiora prioribus. Factum est autem cum hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi, Beatus venter qui te portauit, et vbera quæ suxisti. At ille

 dixit

dixit; quinimo beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.

Erat Iesus eiciens dæmonium. Omnia mysteria fidei nostræ tam excelsa & admirabilia sunt, vt non solum hominum sapientissimorum, sed ipsorum angelorum vim, & ingenium, excellant. Si enim à diuino Platone quæreres, an mortuorum resurrectio vniuersalis, esset possibilis: negatiuè responderet. Si verò ab Aristotele: an gloria beatorum, incarnatio Dei, atque alia, quæ fides Catholica docet, essent factibilia: eodem etiam modo negaret: Inter alias Dei promissiones, factas tam in veteri, quàm in nouo instrumento, tres præcipuè ac peculiares inueniuntur: nempe beatitudo sanctorum, resurrectio vniuersalis mortuorum, eiectio diaboli ab hoc mundo: quæ vt nobis credibiles fierent, prius Dominus, singularum experimentum & ostensionem nonnullam fecit. Vt enim crederemus in patria cælesti iustos & pios homines sua diuina essentia frui: sub veteri lege mansuetissimum illum Moysen in cælestem gloriam raptum fuisse, docet Diuus Augustinus. Si enim, inquit, desideratam Dei claritatem videre Moyses non meruisset, non in libro Numerorum diceret Deus ad Aaron & Mariam: audite verba mea: si fuerit propheta inter vos Domini, in visione illi cognoscar. Et in somnio loquar illi, non ita quo modo famulus meus Moyses in tota domo mea fidelis est. Os ad os loquar ad illum, in specie, & non per enigmata claritatem Dei vidit. Nec enim hoc secundum substantiam corporis quæ carnis sensibus præsentatur intelligendum est, nam vtique sic loquebatur ad Moysen facie ad faciem, contra in contra. Quando tamen dixit ei, ostende mihi temetipsum: & nunc etiam ad ipsos quos obiurgabat, & quibus Moysi meritum ita præferebat, sic loquebatur per creaturam corporalem præsentatam sensibus carnis. Illo ergo modo, in illa specie qua Deus est, longè ineffabiliter secretius & præsentius loquitur locutione ineffabili, vbi eum nemo videns viuet vita ista, qua mortaliter viuitur in istis sensibus corporis. Sed nisi ab hac vita quisque quodammodo moriatur: siue omnino exiens de corpore: siue ita auersus & alienatus à carnalibus sensibus, vt merito nesciat sicut Apostolus ait, vtrum in corpore an extra corpus sit, cùm in illam rapitur & subuehitur visionem. Hæc ille. Sub nouo verò instrumento eandem beatitudinem, eandem diuinam essentiam Paulo Apostolo demonstrauit. Sic enim ille ait, hanc beatitudinis promissionem hominibus prædicando tanquam testis ocularis. Scio hominem huiusmodi, siue in corpore, siue extra corpus Deus scit, quoniam raptus est in paradysum, & audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui, id est, audiuit arcana verba ineffabilia, siue non dicenda.

Tria inter alia promisit nobis Dominus & singulorum ostensionẽ & experimẽtum fecit, vt a nobis crederentur.

Lib. 12. in Gen. ad li. c. 27.

S. Tho. 2. 2. q. 175. art. 3.

2. Cor. 12.

¶ Pollicetur Dominus hominibus vniuersalem mortuorum suscitationem. In veteri lege apud Isaiam capite vigesimo sexto, viuent mortui tui, interfecti mei resurgent: expergiscimini & laudate, qui habitatis in puluere, quia ros lucis ros tuus, vt rore pullulant herbæ sic virtute tua resurgent. Et apud Danielem capite duodecimo. Et multi de his qui dormiunt in terræ puluere euigilabunt, alij in vitam æternam: alij in opprobrium, vt videant semper: qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti. In noua verò lege passim apud Paulum cæterosque sacros scriptores hanc pollicitationem reperies. Vt ergo crederemus eam adimplendam fore, multa corpora sanctorum surrexerunt cum eo: & venerunt in sanctam ciuitatem & apparuerunt multis. Hoc enim argumento mortuorum generalem suscitationem probat Paulus in priori ad Corinth. Epistola, capite decimo quinto.

2. Promissio resurrectio mortuorum. Isai. 26.

Dan. 12.

1.Cor.15. to. Nunc autem, inquit, Christus surrexit à mortuis, primitiæ dormientium, quoniam per hominem mors, & per hominē resurrectio mortuorum.

3. Promissio eiectio diaboli è mundo. Isai.27. ¶ Promittit denique Deus, à mundo se eiecturum diabolum, huius sæculi principem, atque tyrannum, apud Isaiam, capite vigesimo septimo, dicentem: in die illa visitabit Dominus in gladio suo forti & duro, super Leuiatham serpentem tortuosum, & occidet omne cetū, quod est in mari. Et in Euangelio: nunc princeps mundi huius eijcietur foras. Ioan.12. Vt ergo Dominus Iesus ostenderet, se esse fortem illum armatum, qui venerat ad eijciendum antiquum illum tyrannum è mundo, & ad auferendum arma eius: ideo hodie iussit exire dæmonium, ab homine isto misero & calamitoso, & statim vi diuina cōpulsum, exijt. Christus enim erat cui datum erat à patre iudicium. De quo Dauid olim dicebat: Deus iudicium tuum regi da. Ipse erat qui venerat ad eijciendum sua doctrina, exemplo, miraculis, morte, è mundo diabolum.

Psalm. 71. Lege si vis Quid etiā D. Thom. scribat. 3. p.q.44.ar. 2.

Quare Ecclesia sæpe nobis proponit intestinū odiū diaboli quo nos prosequitur. ¶ *Erat Iesus eiciens dæmonium.* Res sane annotatione & animaduersione digna est, quod Ecclesia mater non cesset ob oculos ponere intestinum odium, atque perpetuam & inueteratam diaboli iram, qua nos prosequitur. Nunc illum tentantem in deserto Christum proponit: nunc vexantem Chananææ filiam ostendit: nunc oculis & loquela hunc calamitosum hominem priuantem demonstrat. Quod consulto id facere certum est. Nimirum vt nos non cessemus aduersus illum pugnare si victoriam reportare volumus. 4. Regum, capit. 13. Sacra narrat historia descendisse regem Israel ad Elisæum iam iam moriturum, & flendo coram eo dixisse. Pater mi, pater mi, currus Israel, & auriga eius. Et ait illi Elisæus affer arcum & sagittas. Cumque attulisset ad eum arcum, præcepit illi, vt iaceret sagittas: qui cum eas tribus tantum vicibus iecisset, stetit. Tunc iratus Elisæus ait: si percussisses quinquies, aut septies: percussisses Syriam vsque ad consummationem. Qua figura nos mater Ecclesia,

4.Reg.13. Figura.

A cuius imaginem gerebat Elisæus, docere voluit: vt constantes simus in bello spirituali: vt non deficiamus, neque à pugna cessemus: neque contenti simus diabolum inimicum semel atque iterum vincere & percutere: sed necesse est, vt semper pro virtute, pro Dei gloria, pro cælesti præmio propugnemus. Non enim coronabimur, nisi legitimè certauerimus. 2. Tim.2. Tunc autem hoc fiet, cum non semel atque iterum, sed si vsque ad vitæ cursum & finem, constanter aduersarium expugnauerimus. B Tunc enim percutietur Syria, hoc est diaboli regnum ad internecionem vsque: & vsque ad consummationem.

Insignia veri Messiæ. ¶ *Erat Iesus eiciens dæmonium.* Propria veri Messiæ insignia ab antiquis vatibus vaticinata hæc sunt: liberare videlicet nos à diaboli tyrannide, eripere à mortis perpetuæ vinculis. Hæc sunt insignia illa de quibus Abacuc in memorabili illo cantico olim dicebat: egredietur diabolus ante pedes eius, ante faciem eius ibit mors. Abac.3. C Neque enim diabolus, neq; mors coram Christo astare, aut comparere audent. Ideo Diuus Paulus in Epistola ad Coloss. capit. 1. ait: Gratias agentes Deo qui eripuit nos de potestate tenebrarū, & transtulit in regnum filij sui. Col.1. Alludens atque latenter sententiam suam referens ad illud quod regius propheta, inquit, Psalmo. 34. Omnia ossa mea dicent: Domine quis similis tibi? Eripiens inopem de manu fortiorum eius: egenum & pauperem à diripientibus eum. Psalm.34. Hæc sunt insignia relata ab Isaia: capit. 8. inquiente Isai.8. D velociter spolia detrahe, cito predare: quasi diceret: hactenus diabolus homines oppressit, hactenusque mundi principatum obtinens exercuit tyrānidem immanissimam: sed nunc iam ipse eijcietur foras à nostro Emanuele. Ideò tu ò puer Emanuel detrahe velociter eius spolia, aufer homines ab eius potestate & miserrima seruitute, ipsi enim sunt spolia, quæ tu fortissime princeps ea ab illo ablaturus: ea citò eripe, ipsumque dæmonem prædare: non vltra eum regnare patiaris. Ecce hodie hoc vaticinium

in Christo nostro vero Messia adimpleri cœpit. Erat enim Iesus eijciens dæmonium. Quod ipse statim magis explicuit dicens: dum fortis armatus custodit atriū suum in pace sunt omnia quæ possidet: si autem fortior illo superuenerit. &c.

¶ *Erat Iesus eijciens dæmonium & illud erat mutum.* A mundi exordio conatus est diabolus pro suis viribus Deum imitari, imaginem atque naturam eius mentiri, mores eius fingere, in omnibusque quoad fieri posset, illum simulare; vt tanquam verus Deus & haberetur & coleretur. Quod multis iam annis consecutum fuisse, omnibus nobis luce meridiana clarius & manifestius est. Inter alia ergo, in quibus diuina natura relucet, iustitia & misericordia sunt. In his ergo conatus est diabolus Deum simulare. Iustitia ergo diuina suum habet & gladium, & patibulum, quibus impiorum hominum scelera vindicare solet: quibus homines scelestes castigare ac pœna condigna afficere. Solet enim animi cæcitate, atque surditate quosdam punire ob peccatorum suorum grauitatem ac multitudinem. Ipsa enim est, quæ apud Isaiam ait excæca cor populi huius & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat. Vt ergo diabolus se esse Deum vindicem & iustum mentiretur, hunc miserum cæcitate corporis & surditate percussit, Deo interdum permittente: vt tandem illo, per vim eiecto, diuina Christi gloria manifestior efficeretur. Sic enim ait Euangelista, quod postquā locutus est mutus admiratæ sunt turbæ. Atque extollens vocem quædam mulier quæ ibi aderat dixit, beatus venter qui te portabit, & vbera quæ suxisti.

Diabolus simia dicitur.

Isai. c. 6.

¶ *Erat Iesus eijciens dæmonium.* Hominem calamitosum ad se adductum, non potentem illum aspicere, neque appellare, Iesus benignè suscepit: dæmonium vero cui erat homo iste obnoxius, vi sua ab eius corpore eiecit. Discant ergo præsules, discant sacerdotes, dæmonium, hoc est, peccatum ab animis hominum eijcere. Hominem benignè amplectēdo: & peccatorem obnoxium peccato corripiendo. Homini enim est miserendum, peccatori irascendum. Vnde Diuus Augustinus, sic inquit duo ista nomina cum dicimus homo peccator, non vtique frustra dicuntur: quia peccator est, corripe, quia homo miserere: nec omnino liberabis hominem, nisi eum persecutus fueris peccatorem: huic officio nominis inuigilet disciplina: sicut cuique regenti apta & accommodata est, non solum episcopo regenti plebem suā, sed etiam pauperi regenti domum suam: diuiti regenti familiam suam, marito regenti coniugem suam, patri regenti prolem suam, iudici regenti prouintiam suam, regi regenti gentem suam. Non ergo suscipiamus peccatores, propter hoc quod sunt peccatores: sed tamen eos ipsos, quia & homines sunt, humana consideratione tractemus: persequamur in eis propriam iniquitatem: misereamur communem naturam. Hæc ille. Interim tamen intelligant præsules & qui dæmonium hoc mutum & cæcum & surdum, hoc est, peccatorem obstinatione affectum curare volunt: vt ieiunare & precari Deum curent. Tale enim genus dæmoniorum non nisi ieiunio & oratione eijcitur. Vt enim eijciamus ab animis spiritum malum, & immittamus spiritū bonum abstinentia & deprecationibus opus est: ideo enim paulo ante docuit nos Christus precari, si vellemus accipere à patre spiritum bonum. Qui cum nullum habeat consortium cum maligno spiritu, alter exeat oportet, vt alter immigret in pectus. Si ergo proximis impetrare volumus nostris precibus spiritum bonum, deprecemur oportet, vt primū auferat ab eis spiritum malignum, hoc est, peccatum.

Homini miserendū peccatori irascendū.

D. August. 23. q. 4. c. duo ista nomina.

¶ *Erat Iesus eijciens dæmonium & illud erat mutum.* Omnis peccator, cuius figuram gerit dæmonium istud, dæmonium meritò vocatur. Si enim leonis filius, leo: & hominis filius homo dicitur: diaboli filius diabolus appellabitur. Vnde Christus vos ex patre diabolo estis. Cuius opera quisque perpetrat eius filius nomi-

Peccator vocatur dæmoniū.

Ioan. 8.

nominatur. Si filij Abrahæ estis opera Abrahæ facite. Nonne duodecim vos elegi, & vnus vestrum diabolus est. Vnde Diuus Augustinus ait. Diabolus non speciale nomen est, sed commune. In quocunque enim opera diaboli fuerint inuenta, sine dubio diabolus appellandus est. Operis enim nomen est, non naturæ. Hæc ille. Atque sic vocari Cain in illo loco, vos ex patre diabolo estis ille homicida erat ab initio, &c. existimat ibidem Augustinus.

Ioan. 6.

Tom. 4. li. q no. & V. test. c. 90.

Dæmoniũ cognominatur à malo quod perpetrat.

¶ *Et illud erat mutum.* Diabolus cognominatur mutus à malo quod perpetrat: sicut Spiritus sanctus cognominari solet, à bono quod præstat. Vnde Christus Matthæi. cap. 10. dicit: non estis vos qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Non quod veré loquatur, sed quod veré loquendi gratiam largiatur. Sic etiam Apostolus Paulus ait in Epistola ad Roman. capit. 8. Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Id est, postulare nos facit. Dæmonium ergo istud mutum, & cæcum, & surdum dicitur: eò quod miserum istum mutum & cæcum, & surdum reddiderit. Vide ergo à quo malum acceperis, & illud, dæmonium tuum voca. Si episcopus es, & episcopatus tibi offendiculum est, Episcopatus tuus, dæmonium tuum est: si vero diues es, & diuitiæ in causa sunt, vt auarus sis: pecuniam tuam, tuum dæmonium appella. Si carnalibus voluptatibus & venereis delectationibus deditus es: dæmonium tuum ipsa venus est. Si arrogans & vanus concionator es: dæmonium tuum arrogantia & vanitas dici possunt.

Matth 10.

Rom. 8.

¶ *Et illud erat mutum.* Matthæus ait: tunc oblatus est ei dæmonium, habens, cæcus & mutus. Quod si mutus erat illum etiam fuisse surdum oportet. Vnde Græcum nomen, κωφὸς, & mutum & surdum significat.

Ostēditur quanto odio diabolus Deū assequatur.

¶ Obserua primum quanto odio diabolus Deum prosequatur, quod illum é cælo præcipitauerit. Cum enim de Deo vindictam pro illata sibi iniuria sumere non posse videat: vt sese vlciscatur, eius imaginem insultat. Sicut enim solent aliqui de seruo vltionem repetere, cum de eius Domino à quo iniuria aliqua affecti sunt, non possunt: & sicut taurus sagittis percussus & irritatus impetere solet hominis imaginem, cum hominem sagittantem non valet: sic diabolus cum Deũ inuadere non possit: hominem ad imaginem & similitudinem eius depictum adoritur: percutit, dilacerat, & interficere mille modis contendit: nunc mutum, nunc cæcum, nunc surdum faciés: nunc simul hæc omnia multaque alia mala ingerens: latet enim semper alta mente repositum iudicium illud in cælo factum: quo in imperpetuas tenebras, atque in tartarum, imasque sedes, precipitatus, atque deiectus est.

Simile.

¶ Secundo considera in hac peccatoris imagine, quantum nocumentum secum peccatum afferat: quanta lues ac pestis sit: cum diabolum in animum hominis inducat. Quid enim Luciferum illum cunctis astris splendidiorem, diabolum fecit? Peccatum. Quid discipulum à Deo & electum, & tanto amore prosecutum, dæmonium reddidit? Peccatum. Quid est quod te omnibus dæmonijs nequiorem & pestilētiorem efficit? Peccatum. Postquam Dominus non respexit ad munera Cain, quod de fructibus terræ corrosis offerebat: vocauit illum & dixit: quare iratus es? Et cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris recipies? (Scilicet mercedem, multaque alia bona?) Sin autem male, statim in foribus peccatum tuũ aderit. Malo namque patrato, statim peccatum domum animæ intrans, omnia conturbat. Excæcat mentem, surdam & mutam facit: dæmonium inducit: quod veniés adducit septé alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi, fiuntque nouissima hominis illius peiora prioribus. Nullũ est enim in mũdo scelus, quod peccatũ non faciat. Nec mirum: cũ peccatum diaboli filius sit: dicente Ioáne Apostolo in priori sua Epist. c. 3. qui facit peccatũ ex diabolo est. Caueamus igitur à peccato tãquam a pestifero animæ veneno quãdo ab illo tanta mala tamque innumera nocumenta dimanãt.

Peccatum maximum nocumentum affert

Gen. 4.

1. Ioa. 3.

¶ Tertio perpende: diabolum, vsurarium

rium & iniquum fæneratorem agere. Quemadmodũ enim apud vsurarios pecunia pecuniam parere solet: sic diabobolus, posteriora peccata prioribus aggregare: & ortis sceleribus oritura connectere: & vno crimine innumera lucrare semper studet. Primum enim contendit hominem excæcare, ne Dominum, & ne pessimam vitam suam possit aspicere: deinde obturat & occludit aures eius, ne sanctorum angelorum inspirationes, & ne concionatorum monita penitus audiat. Et tandem os eius omnino claudit: ne scelera sua plané confiteatur. Apponit enim fænerator iste iniquitatem super iniquitatem eorum, Deo, iusto suo iudicio permittente. Hanc vsuram sentiebat Dauid rex cum cōtristatus ac lachrymas fundens, dicebat: quoniam iniquitates meæ, supergressæ sunt caput meum: & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Vno enim peccato commisso, multa alia consecuta fuisse, scimus. Hanc vsuram ex Iuda diabolum reportasse, tam perspicuum omnibus est: vt explicatione non indigeat. Cor nequam (ait Sapiens) grauabitur in doloribus: & peccator adijciet ad peccandum. Et rursum ait: anima calida quasi ignis ardens non extinguetur, donec aliquid glutiat: & homo nequam in ore carnis suæ non desinet, donec incendat ignem. Peccatum enim, quod per pœnitentiam non deletur suo pondere ad aliud trahit.

Psalm 37.

Eccl. 3.

Eccl. 23.

¶ Quarto hic annotare libet in dæmoniaco isto muto, cæco & surdo, atque alta attentaque mente considerare: nullum esse in mundo malum, quod non habeat, qui Deum non habet. Quid enim boni habere potest, qui Deum summum bonum non habet? Extendisti manum tuam ait Moyses, & deuorauit eos terra. An non tibi videtur (inquit Origenes) terra deuorare illum, qui semper de terra cogitat, qui semper terrenos habet actus, qui de terra loquitur, de terra litigat, terram desiderat, & omnem spem suam ponit in terra? Qui ad cælum non respicit, qui futura non cogitat, qui iudicium Dei non metuit, nec beata eius promissa desiderat, sed semper de præ- A sentibus cogitat, & terrena suspirat: talem cum videris dicito: quia deuorauit eum terra. Cum enim Dominus extendit manum suam, & te derelinquit, tunc potestatem diabolo tradit, vt te absorbeat: vt te deuoret, vt te possideat: fitque tuus verus absolutusque Dominus. Vnde rex Dauid ait Psalm. 106. Suscepit eos de via iniquitatis eorum, propter iniustitias suas humiliati sunt: quem versum aliqui vertunt. Stulti propter viam iniquitatis suæ, & propter iniustitias suas vexati fuerunt. Homo Deum non B habens tam stupidus, tamque alienatus à sensibus, tamque mentis inops redditur: vt à pueris irrideri merito possit. Vnde Dauid ait: dixerunt inimici mei, Deus dereliquit eum: persequimini & comprehendite eum, quia non est qui eripiat. Dereliquit Deus calamitosum hunc hominem: & statim deuorauit eum diabolus, stupidum & amentem reddendo: ita vt neque Christo loqui, neque Christum aspicere, neque Christum audire posset. Caue igitur ne Christo careas, si C dæmonium cæcum & surdum, & mutum esse non vis.

Nullũ est malũ quod nō habeat qui Deum non habet

Exod. 15. Hom. 6.

Psal. 106.

Psalm. 70.

¶ *Et illud erat mutum*. Inter alia mala quæ malignus spiritus in peccatore operatur, hoc vnum est non minimum: fauces osq; peccatoris obstruere, ne Deum summis laudibus efferat, ne male sibi cō missa confiteatur, ne vera suis proximis dicat. De quibus sigillatim disserere operæpretium est.

¶ Imprimis nobis omnibus compertum est, natum esse hominem rationis D mentisque participem, vt Deum suum, rerum omnium opificem, ac totius orbis rectorem & moderatorem, dies noctesque laudet, benedicat, atque gloriose prædicet: tum suo, tum omnium creaturarum rationis expertium nomine. Quod optime intelligens propheta Daniel canticum illud tam celebre composuit: quo homines, atque angelos, cæterasque mundi visibiles mutasque creaturas, ad Dei laudes prouocat dicens: benedicite omnia opera Domini Domino: laudate & super exaltate eum in secula. Et vt intelligeremus angelos,

Mutos reddit diabolus ne Deũ laudemus.

Dan. 3.

gelos, hominesque rationis participes, non solum suo nomine, sed nomine etiã cæterarum rerum laudaturos esse Deum cæli: in principio cantici excitat ad laudes angelos, dicens: benedicite angeli Domini Domino: & in fine incitat homines: benedicite (inquiens) sacerdotes Domini Domino: & in medio reliquas mundi creaturas. Quasi homo Deo diceret: gratias tibi Domine rex cæli & terræ immensas, nomine solis, lunæ, stellarum aliarumque rerum mutarum ago: quando ipsa per se nõ possunt. Ad has diuinas laudes peragendas, nos regius propheta suadet dicens: quoniam rex omnis terræ Deus psallite sapienter. ¶ Quo in loco obiter nota, quod psallere sapiẽter, Græcè dicitur *συνετῶς*, quod sonat intelligibiliter, id est, prudenter, cordatè, cũ intellectu, siue attenta mente, quod beatus Hieronymus ex Hebræo vertit, eruditè, quasi cum prudentia & bono intellectu. Huic autem opponitur psallere insipienter, vel imprudẽter, vel inerudite, & inattentè. Absque intellectu videlicet in attentione eorum quæ canuntur: quemadmodum (pro dolor) passim fieri videmus tam in lectione, quam in cãtionibus diuinorum carminum: in quibus quantum ad oris operationem, & labiorum motionem, tam legendis quàm decantandis, totos dies insumunt miseri, nihil prorsus eorum quæ labijs terunt, & toties per linguam effundunt, intellectu considerantes. Verè autem non est hæc laus quæ Deum nostrum decet: non est decora in eius oculis laudatio, qui tota attentione mentis optimo iure laudãdus venit. Est tamen in hoc loco attendendum, posse fieri, vt quis sapienter psallat & intelligibiliter, iuxta psalmi monitionem, qui tamen eorum quæ profert ore nihil distinctè intelligat: modo Deum iugiter habeat ante oculos, illique tota mẽtis acie intendat. Sit enim verbi gratia simplex aliquis, aut idiota, qui psalmos quidem memoriter edidicerit, quemadmodum facere solent AEgypti monachi, vt diuina carmina, & in quibus maxima contineantur summi Dei præconia: non intelligit tamen distinctè psalmorum verba, sed tantum nouit ex doctrina patrum huiusmodi cantica altissimas Domini laudes & veneranda continere mysteria. Hanc autem ob causam quoties Deo laudes magnas dicere gestit cantica ista recitat, sciens quoniam in his laudes magnæ contineantur, ab illuminatissimis prophetis & viris Deo plenis compositæ, cuiusmodi ipse intellectu rudis & hæbes nunquam posset conficere, aut proferre. Qui autem ista sic recitat, & licet quid dicat distinctè non intelligat, tota tamen mente Deum spectat, & quasi ante oculos diuinæ maiestatis consistẽs, eumque spectatorem & laudum harum acceptatorem conspiciens, sic illi offert quæ ore pronuntiat, quasi pretiosissima & ipsi acceptissima dona: hunc nihil dubito ego sapienter psallere. Quod enim ore sonat hoc ipsum in corde habet, nimirum Deum & eius præconia: imo nec hoc dubito huiusmodi psalmorum & canticorum pronuntiatores subinde Deo sapientius psallere, quã plerique faciant, eorum qui singulos penè psalmorum apices excusserunt, & intelligunt. Atque hæc res magnæ debet esse consolationi Deo sacratis virginibus, quas ex patrum documentis, & traditione maiorum videmus in sacris conuentibus decãtare idiomate Latino, psalmos & alia omnia quæ ad Ecclesiasticum expectant officium: cum plerique ex eis ne verbum quidem intelligant eorum quæ legunt, ac canunt in templis. Hæc autem pro simplicium consolatione sint dicta, minime tamen ad illorum excusationem qui sola verba recitare cõtenti, corde diuagantur per castra, ciuitates, & regna, imo & per vniuersi orbis latissima spatia: à Deo quem ore laudant, corde & mente plurimum elongati: quibus rectè illud conuenit propheticum, ex ore Domini. Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. ¶ Vt ergo redeamus vnde digressi sumus nati sumus omnes nos ad Deum laudibus celebrandum. Primum ergo, quod diabolus contendit est, peccatoris os obcludere ne Domino suo benedicat: mutum reddere: ne conditorẽ suũ

Psalm. 46.

Psallere sapienter quid.

efferat; linguam impedire: ne opifici & cõseruatori rerum omnium, gratias pro susceptis quotidie muneribus referat, statuam denique atque simulacrum facere: vt aures habeat, & non audiat: os habeat & non loquatur, &c. ¶ Secundo præterea tenemur homines omnes, miseriam nostram atque scelera, in quæ incidimus, Deo confiteri. Dixi: confitebor aduersum me iniustitiam meam domino: & tu remisisti iniquitatem peccati mei. Cum ergo malignus spiritus intelligat confessionem (vt Augustinus ait) esse salutem animarum: dissipatricem vitiorum: restauratricem virtutum, expugnatricem dæmonum: cum nouerit confessione obstrui os inferni: peccatoris os prius ipse obstruere conatur, vt omnino pereat. Cum non ignoret quod salutaris confessio sanet: confessio iustificet: confessio peccatis ueniam donet: quod omnis spes in confessione cõsistat: in illa omnis locus misericordiæ sit: nullaque sit tam grauis culpa quod per cõfessionem non habeat veniam: pro sua virili conatur vt mutus fiat: vt non solum crimina sua non confiteatur, etiam si manifesta sint: sed aut penitus illa neget, aut illa defendere, quod impudentius est, non vereatur. Talis enim merito Hericio cõparatur. Cum enim Hericius apprehenditur, eius & caput cernitur, & pedes videntur, & corpus omne conspicitur: sed mox vt apprehensus fuerit, semetipsum in sphæram colligit, pedes introrsum subtrahit, caput abscondit, & intra tenentis manũ, totum simul amittitur; quod totũ simul ante videbatur: Sic nimirum sic malitiosæ mentes sunt (vt inquit Gregor.) cum in suis excessibus comprehenduntur. Caput enim Hericij cernitur, quia quo initio peccator ad culpam accesserat videtur. Pedes Hericij conspiciuntur, quoniam quibus vestigijs nequitia sit perpetrata cognoscitur, & tamen adductis repente excusationibus, malitiosa mens introrsus pedes colligit, quia cunctæ iniquitatis suæ vestigia abscondit. Caput subtrahit, quia miris defensionibus, nec inchoasse se prauum aliquid ostendit, & quasi sphæra in manu tenentis remanet

Muetos nos facit diabolus ne peccata cõfiteamur.

Psalm. 31.

In Psalm. delictum meum cognitum tibi feci.

Isidor. lib. 2. c. 12.

Hericius, malitiosus sua occultans peccata.

Libro 33. mor. c. 35.

A quia is qui corripit, cuncta, quæ iam cognouerat, subito amittens, inuolutum intra conscientiam peccatorem tenet, & qui totum iam deprehendendo viderat, tergiuersatione prauæ defensionis illusus, totum pariter ignorat. Hericius ergo talis peccator optimo iure vocari potest, qui etiam peccata manifesta non solum confiteri prælatis, aut sacerdoti suo non vult: sed sese excusare, atque defendere non timet. Hunc sane dicere possumus dæmonium mutum.

B ¶ Prohdolor quot apud nos passim viri ac fœminæ reperiuntur in confessione peccatorum suorum muti: & extra confessionem loquaces, & garruli: coram sacerdote suo loqui nescientes, aliàs verò veluti picæ, immane studium loquendi habentes: coram Deo tanta verecundia oppressi, vt illi dicere peccata sua non audeant: aliàs, tam inuerecundi, vt de singulis illorum Hieremias reuera dicat: frons meretricis facta est tibi: noluisti erubescere. Et Ezechiel Propheta. Omnis quippe domus Israel est attrita fronte & duro

C corde. Si enim erubesceres, toties Deum offendere te puderet: sed nec Deum times, nec Christum reuereris: & ideo tam frequenter crimina committis: & male commissa confiteri nõ audes, rubore suffusus. Abstulerat diabolus à te verecundiam & pudorem, vt Deum, legem eius non curãdo, contẽneres: & in cõfessione, illã tibi restituit: vt medelã tuorũ peccatorum nõ inuenias. Neq; enim ægrotus suorum vulnerum remedium reperiet nisi ea, medico patefaciat. Si ergo operã medicantis expectas (ait Boetius) oportet

D vt vulnus tuum detegas. Age iam & mitte verecundiam in confessione: peccare non veritus es, confiteri non erubescas. Sed audi dominum admonentem in illo Hieremiæ loco modo allato. Ergo saltẽ à modo voca me. Pater meus tu es. Numquid irasceris in perpetuum, aut perseuerabis in finem? ¶ Ceterum quatuor sunt (inquit Bernar.) quę impediunt confessionem, pudor, timor, spes, desperatio. Quosdam enim impedit pudor; qui s. pro sola confusione dicere erubescunt peccata quæ commiserunt. De quo per Salo-

Hier. 3.

Ezech. 3.

Boet. 1. de Philo. cõs.

Hier. 3.

Quatuor sunt quæ confessionem impediunt.

Eccle 4.c Salomonem dicitur: est confusio adducens peccatum. Quo contra de his qui cõfitentur, iterum dicitur: est confusio adducens gloriam. Quos enim cõmendat Propheta dicens: confessionem & decorem induisti: & alibi: confessio & magnificẽtia opus eius. Psal.103.a Alios impedit timor. Timent enim si confiteantur, ne grauis eis pœnitentia iniungatur: & hos arguit Iob dicens: qui timet pruinam irruet super eum nix. Iob.6.c Sunt autem nõnulli, qui in hoc mundo adhuc aliquid concupiscũt, nec putant se adepturos quod desiderant, si hominibus quales sint innotescant. Horum confessionem impedit spes, idest, cupiditas potiendi desiderij: talibus cõminatur dominus in Euangelio: væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Mat.24.b Sunt autem alij qui nil horum verentur: sed solum hoc timent, quia post peccatorum confessionem ab ipsis abstinere minime possent. Et his obest desperatio. Quibus non incongrue illud potest aptari. Pro.18.a Peccator cum in profundum malorũ venerit, contemnit. Fit verò nonnunquã & vt hæc omnia confessionẽ impediant. Dicatur ergo illi quem pudor afficit: cur te pudet peccatum tuum dicere: quem nõ puduit facere? Aut cur erubescis Deo confiteri, cuius oculis non potes abscondi? Quod si forté pudor est tibi, vni homini & peccatori peccatum tuum exponere, quid facturus es in die iudicij, vbi omnibus exposita tua conscientia patebit? Hæc itaque tria proponenda sunt contra pudorem, scilicet consideratio rationis, reuerentia intuẽtis Dei, comparatio maioris confusionis. Similiter contra timorem opponenda sunt tria. Considerandũ enim est quam sit longa pœna inferni, quàm grauis, quam infructuosa. E contrario verò præsentis temporis pœnitentia breuis est, & leuis, & fructuosa. Contra spem quoq; itidem tria opponũtur, bona si futuri sæculi, præsentis vitæ bonis maiora, certiora, durabiliora: ad quorum comparationem quicquid in hoc mũdo desiderari potest, modicum est & incertum: & vt ita dicam momentaneum. Ita contra desperationem vincendi peccatum tria sunt remedia. Primum est vigor

A ipse propositi boni, quem assumit ex confessione. Secũdum est gratia Dei, quam meretur ex humilitate. Tertium est auxilium, quod ex eius habet cui confitetur compassione. Ber. in sententiis. ¶ Tandem nati sumus omnes nos vt fidem & veritatem & seruaremus & diceremus. Mutos nos facit demõ ne vera dicamus. At si rectè conspicias, nihil magis alienum ab hominibus quã fidem seruare, quamq; vera dicere. Plerique nostrum muti iam sumus. Muti iudices, ne in iudicio quæ sentiunt, affirment: forsitam ab iniqua aliqua fœmina B muti redacti: secundum illud quod dici solet loquere bos: vacca non permittit. Muti iam concionatores, qui non vera sed placentia, populo loquuntur. Loquimini (inquiunt) nobis placẽtia. Esai.30.c Muti Doctores ac præsules: effecti namq; sunt canes muti non valentes latrare. Simile. Quemadmodum enim lupus obstruit ouis fauces ne balare possit: sic hominũ fauces etiã occludit diabolus ne inter se veritatem tractare ac dicere contingat. Hoc intuẽs sanctus Dauid exclamando dicebat: saluũ me fac domine quoniam defecit sanctus: Psal.11. quoniam diminutæ sunt veritates à filijs C hominum. Vana locuti sunt vnusquisq; ad proximum suum: labia dolosa in corde locuti sunt. Quam diminuta sit in mũdo veritas, quàm infirma, quàm debilis & macilenta, probatione vlla non eget: prima illa fœmina fuit, quæ illũ minuere cœpit: nã dixerat illi dominus ac marito suo, in quacũque die comederis morte morieris. At illa ait serpenti: præcepit nobis Deus ne comederemus & ne tangeremus illud, ne forte moriamur: ne forte (inquit). Gen.2.3. Deinde Cain homicida ille, multo magis veritatem diminuere au- D sus est: nã rogatus à domino vbi est Abel frater tuus? Respondit, nescio: nunquid custos fratis mei sum ego? Gen.4. Denique tàm diminuta est veritas inter mortales ferè omnes, vt phantasma videatur esse, carnẽ & ossa non habens: potius quã veritas. Labio enim blando ac corde duplici ac diuerso loquũtur inter se homines. Tàm diminuta inquam, vt ipsammet veritatẽ carne mortali obtectam, persequantur: illique contradicant hodie homines mẽdaces dicẽtes: in Beelzebuc principe dæ-

moniorum eijcit dęmonia. ¶ Cæterum quod diabolus homines infideles & barbaros mutos omnino reddat ne Deű glorificent, aut commissa fateantur, aut vera inter se dicant, minime mirãdum: quod enim magis dolẽdum est vt fidelium ora obstruere imò deglutire tentet, idque efficiat: hoc enim est quod sanctus Iob affirmat. cap 40. Ecce inquit absorbebit fluuium & non mirabitur: & habebit fiduciam quod Iordanis influat in os eius. Ac si aperte dicat: ante Redemptorem mundi, mundum per fluuium significatum, non miratus absorbuit, sed quod est grauius, etiam post Redemptoris aduentum quosdam qui baptismatis Sacramẽto signati sunt: deglutire se posse cõfidit. Lege Grego. lib. 33. Mora. c. 7. ¶ *Et illud erat mutum*. In hoc loco ait Euangelista hoc dæmonium esse mutum in alio verò ait: eiecisse dæmoniű & illud esse loquacissimum: ita vt dominus obtruserit os eius dicens: obmutesce & exi ab eo. Vt hinc intelligas vt ibi annotauimus, diabolum alios mutos reddere ne Deo gratias pro acceptis muneribus referant, ne peccata sua confiteantur, ne veritatẽ proferant: alios verò tam loquaces vt nihil magis quam proximos detrahere, conuitijs & murmurationibus sciant: lingua enim eorum gladius acutus: venenum aspidum sub labijs eorum. Gladius equidẽ anceps (inquit Bernard.) imò triceps est lingua detractoris. Nec vero eiusmodi linguam, ipso etiam mucrone quo Dominicum latus confossum est, crudeliorẽ dicere verearis. Fodit enim hoc quoq; Christi corpus, & mẽbrű de mẽbro, nec iã exanime fodit, sed facit exanime fodiendo. Ipsis quoq; nocentior est spinis, quas illi tam sublimi capiti furor militaris imposuit, seu etiam clauis ferreis, quos sanctissimis manibus illis & pedibus consumatio Iudaicæ iniquitatis infixit. Niű enim huius quod nunc pungitur & trãsfoditur corporis sui vitam illius vitæ corporis sui vitam illius vitæ corporis prætulisset, nunquam illud pro isto mortis iniuriæ, crucis ignominiæ tradidisset. Et dicimus: leuis res sermo, tenera, mollis, & exigua caro lingua hominis: quis sapiens magnipendat? Leuis quidem rés sermo, quia leuiter volat, sed grauiter vulnerat: leuiter transit, sed grauiter vrit. leuiter penetrat animum, sed non leuiter exit: profertur leuiter, sed non leuiter reuocatur: facile volat, atque ideo facile violat charitatem. Vilis res est musca moriens, sed exterminat oleum suauitatis. Tenerű membrum lingua, attamen vix teneri potest: substantia quidem infirmum atque exiguum, sed vsu magnum & validum inuenitur. Modicum membrum est, sed nisi caueas, magnum malum. Tenuis est, & lata aptissimum vacuandis cordibus instrumentum. Hæc ille. Si ergo dæmonia muta sumus: compareamus, & ad domini genua prouoluamur, vt nostri misertus, eijciat ab animis nostris dæmonium: quo eiecto loquamur, ita vt admirentur omnes: si vero dęmonia loquacia sumus, precemur dominum, vt linguam nostrã maledicam compescat: dæmoniumque loquax expellat à nobis, vt tacere sciamus quæ tacenda sunt. Lege etiam quæ annotauimus superius. cap. 4. in illa verba obmutesce, & exi ab eo. ¶ Alterum quoque malum, quod inter alia, peccatoribus ingerit dæmon, illud est: vt cœcos reddat. Nonne homo carnalibus voluptatibus deditus cœcus tibi videtur? Nonne Poetæ cupidinem, quod esset improbissimus & impudẽtissimus, cœcum fingebant? Nonne fortissimus ille Samson ob suam Dalidam oculis captus est, vt intelligeremus homines veneri deditos excœcatos omnino esse? Nonne ob eãdem causam Sodomitas illos ab Angelis percussi sunt cœcitate à minimo vsque ad maximum, ita vt ostium domus Loth inuenire non possent? Iam verò quod homo superbia & iracũdia affectus, cœcus sit: exemplo esse potest Paulus, qui spirãs minarum Ecclesiam persequebatur, qui cœcitate percussus, mentis suam cœcitatem satis intellexit. ¶ Tertium vero nocumentum quo peccatores à dæmone affici solent, surditas est tanta, vt neq; inspirationes Angelorum, neque consilia piorum, neque prædicatorum voces, vt superius diximus, audire valeant. Sed furor illis secundum similitudinem serpen-

Marginalia: Iob. 40. — D. Greg. — Luc. 4. — Diabolus alios mutos alios loquaces reddit. — Psal. 56. a — D. Ber. — D. Ber. in ser de triplici custodia. Vide etiam illű in sententi. c. 2. — Dæmõ excœcat peccatores. — Iud. 16. — Gen. 19. — Acto. 9. — Demõ surdos reddit peccatores. — Section letters: A, B, C, D.

Psal. 57. pentis obturantis aures suas: quæ non audiuit vocem incantantium, venefici incantantis sapienter, ferunt serpentes carminibus cogi vt virus ponant, & mansuescant. Aspidi ergo surdæ, idest obturāti aures suas ne vocem audiat incantatoris, (qui illi quidem nihil nocere cupit, sed tantum ex latibulo eam educere, & veneno abiecto in mansuetudinem redigere) comparat Psalmista homines in malitia obstinatos, qui aures claudunt, ne quando educantur de horridis latibulis pessimarum conscientiarum suarum, ne quando resipiscant ad pœnitentiam: aut posita iniquitate ad virtutem conuertantur: qui scilicet nec internis Dei inspirationibus nec externis bonorum exhortationibus, nec vllis congruis medijs, se patiuntur ad virtutem adduci: qui dicunt Deo, recede à nobis, scientiam viarū tuarum nolumus. Tales sese monstrabant Iudæi quādo Stephano pleno gratia & fortitudine veritatem ipsis annuntiante, cōtinuerunt aures suas, ne audirent verbū salutis. Et impetu facto, venenum infuderunt in sapienter incantantem, idest, lapides insaniæ suę miserunt in virū sanctum, veritatis doctrinam, salutarem incantationem illis proponentem. Ecce igitur dæmonium cœcum & surdum & mutum, quod adductū est hodie ad Iesum, gerens imaginem hominis peccatoris à dæmone possessi. ¶ Neque enim longo sermone dici possunt innumera alia mala nobis à dæmone illata: neque innumera bona à quibus aduersarius iste generis humani, inuentor mortis, radix malitiæ, scelerum caput, princeps omnium vitiorum, persuasor turpium voluptatum nos expoliat. Expoliat nos pudicitia, & accingit nos impudicitia: expoliat nos tempērātia, & facit intemperatos: expoliat charitate, & vestit malitia: expoliat immortalitate, & propinat mortem. His etiam turpissimis pannis parentes primos nostros, ac nos, posterosque nostros inuoluit, & semiuiuos reliquit. Omne igitur genus humanum tanquā pauperem & pupillum diuina scriptura commendat Deo, dicens: de relictus est pauper: pupillo tueris adiutor: eiusque aduersarium

Iob. 21. Acto. 8.

Alia mala quæ dæmō ingerit.

Vi. Augu. to. 4. de salutaribus documentis. c. 60. & 61.

Psal. 9.

A diabolum demonstrans, secutus adiunxit. Contere brachium peccatoris & maligni. Adsit dn̄s noster Iesus Christus pius & misericors qui aliquam misericordiā huic pauperi & pupillo exhibeat, quia callidum & ferocissimum aduersarium patitur, etiam pupillus in causa deficit sua: qua propter suus aduersarius prauis artibus decipere eum festinat: vt deceptus, surdus & cœcus & mutus spoliatusq; omnibus virtutibus reddatur. Adsis ergo domine Iesu huic pupillo idoneus defensor, sta in causa illius, qui iussisti rectè iu-

B dicare filijs hominum. Eleua brachium tuum & contere brachium peccatoris & maligni. Eijce hunc fortem armatum ab atrio suo. Optime nosti huius pauperis & pupilli generis. s. humani causam, quæ ex paterno chirographo debetur. Inuentus est reus & obstrictus aduersario detinetur: non est alius qui illum à nobis eijcere possit nisi tu solus. Iudica ergo causam nostram, defende, libera, catenas dirumpe, arma eius aufer, quia potentior es domine: eijciatur à te princeps mundi hu-

C ius iam foras ne nobis noceat: ne mentis sensibus priuet: ne nos ab animi ornamētis expoliet, sicut expoliauit primos parentes: quarum figuram ferebat miser homo iste qui adductus est ad Iesum.

¶ *Et cum eiecisset dæmonium.* Munus diaboli est eijcere Iesum ab animis nostris: munus verò Iesu, diabolum eijcere, vt ipse intrare possit: non enim simul viuere possunt. Vnde vates Esaias ait. c. 28. Coangustatum est enim stratum, ita vt alter decidat, & palium breue vtrumque operire non potest. Quo in loco fortasse

D vtitur Propheta metaphora viri pudici, qui vxori adulteræ ait. Vnus lectus me & adulterum tecum capere non potest, & breue pallium virum & adulterum tegere non valet. Vir est Deus, vxor anima peccatrix, adulter diabolus: Deus & diabolus simul in animæ voluntate esse non possunt. De qua re vide quæ annotauimus Matth. 6. explicando illa verba nemo potest duobus dominis seruire. 2. Regum. cap. 5. sacra narrat historia Regem Dauid, Hierusalem non intrasse, donec eiecerit cœcos & claudos omnes ab arce Sion.

Christus dæmonīū eiicit vt intrare possit animas nostras. Esai. 28. Vi. Glo.

Matth. 6. Figura. 2. Reg. 5.

Sion. Prius ergo verus Dauid eijcit à nobis dęmonia cœca, quam intret animam: in Hierusalem ciuitate, figuratam. ¶ *Et cum eiecisset dæmonium locutus est mutus.* Solus Christus est qui dæmonium hoc est peccatū ab anima eijcere potest. Diuinitus nobis salus spiritualis speranda est. Eius solius est præcipere peccato vt exeat: tuum autem erit, illum humiliter deprecari, vt animo tuo excœcato, & peccato obnoxio medeatur. Quod si fecerit, statim illum respicies, illum loquētem audies, & vicissim illi tu loqueris. Quod igitur ad te attinet, cura diligēter vt agas: videlicet cognoscere te ipsum, cognoscere miseriam tuam. & offerre te ipsum Christo vero medico, exēplo Dauid, dicentis: circūdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis circunde derunt me: in tribulatione mea inuocaui dominum & ad Deum meum clamaui. Memineris Isaac ligna ferentis & nihil circūcirca quod non sibi salutiq; suæ aduersetur aspicientis. Non enim videt nisi gladium acutum in altera patris sui manu, in altera vero ignem. Non videt nisi excelsum montem in quem à patre deducitur omnibus seruis dimissis. Et ideò pertimescens ait, vbi est victima holocausti pater mi? Cui pater ait: dominus prouidebit sibi victimam holocausti fili mi. Adhunc modum tu si peccator es, & tibi datum est à Deo, vt onera peccatorum tuorum videas: vt intelligas, nihil esse in cœlo, & in terra, quod mortem non minetur tuam: desuper ira Dei, deorsum ignis inferorum, circūcirca omnes creaturæ ad versus te pugnantes: nihil aliud superst, nisi vt oculos ad patrem Christū tendas: & illi cum Isaac dicas: vbi est victima holocausti pater mi? Tūc misertus tui dominus, sibi prouidebit de victima & sacrificio, quod loco tui offerat. auferet enim ab humeribus tuis ligna peccatorū & mortē pro te in remissionē illorū subibit. Inuoca ergo Deum, dole, lachrymas funde ac precare illū, dicito cū Paulo: dñe quid me vis facere? Luctabatur Iacob cum Angelo neq; dimittere eum voluit donec benediceret eum. Tu similiter luctare cum Deo, nec dimittas illū,

Solius Christi est peccatum ab anima eiicere.

Psal. 17. a

Figura. 22

Acto 9.

Figura.

Gen. 32.

A donec gratia sua benedixerit tibi: quod si quæsierit quod est nomen tuum? Respōde: peccator, filius Adā, Dei hostis & inimicus: & tunc dicet tibi: nequaquā post hac sic appellaberis, sed iustus, filius & amicus Dei diceris: & benedicet tibi: cuius benedictione dæmonium ab animo tuo eijcietur: illo vero eiecto: & respicies, & audies, & loqueris. ¶ *Et cum eiecisset dæmonium.* Solus etiā Christus est qui eiecit dæmonium de cœlo. Videbā, inquit, sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem. B Solus Christus est qui eiecit dæmonium de homine isto, de alijsque corporibus ab illo obsessis: solus ille est qui illud de mundo tandem virtute mortis suæ fugauit. Et hoc erat quod olim Dñs dicebat Iob. c. 40. An extrahere poteris Leuiathan hamo? Subaudi, vt ego: qui. s. ad eius mortem incarnatum vnigenitū filium mitto: in quo dū mortalis caro cōspicitur, & immortalitatis potentia nō videtur: quasi hamus quidam inde deuorātem perimit, vnde acumen potētiæ quo transfigat occultat: & sequitur: & fune ligabis linguā eius? C Subaudi, vt ego: incarnatus enim dñs fune Leuiathā linguā ligauit: quia in similitudine carnis peccati apparuit, & omnia errorū eius prædicamenta dānauit. (per funē enim peccatū intelligi solet in sacra scriptura) funes (inquit) peccatorū circūplexi sunt me). Vnde Paulo attestāte dicitur: & de peccato dānauit peccatum. Fune linguā ligauit: quia per similitudinem carnis peccati, ab electorū suorū cordibus cuncta eius falla ciæ argumēta destruxit. Ecce enim apparente in carne dño, Leuiathā lingua ligata est: D quia eius veritate cognita, illæ falsitatis doctrinæ tacuerūt: ecce etiā apparēte in carne dño, lingua fideliū hactenus à dæmone ligata, illo è mūdo eiecto, soluta est: cū enim eiecisset dęmoniū locutus est mutus. Lege Grego. 33. Mor. c. 12. & 13. ¶ *Et admiratæ sunt turbæ.* Hoc idē quotidie contingere videmus. Nō enim miramur audiētes blasphemare, peierare, innumeraq; alia scelera committere: miramur tamen si peccatorē pœnitentiā agere, aut peccata confiteri, Deumq; laudare videamus.

Solus christus est qui dæmonem de cœlo de homine isto atq; de aliis corporibus & tandem de mundo eiecit.

Iob. 40.

Psal. 118.

Rom. 8.

D. Grego.

¶ Admi

¶ *Admiratæ sunt turbæ, quidam autem ex eis dixerunt in Beelzebub principe dæmoniorum eycit dæmonia. Extollens autem vocem quadam mulier, &c.* Hoc exemplo docet dominus viros perfectos neque in aduersitate frangi, neq; in prosperitate extolli. Ideo enim (vt Grego. docet) lapidibus quadratis comparantur: quia eorum vita in conuicijs & in laudibus, in prosperitate & aduersitate nouit fortiter stare. Lapis etenim quadratus æque stat: in quocunque latere fuerit versus. Quisquis ergo in prosperitate non extollitur, in aduersitate non frangitur, suasionibus ad malum non trahitur, vituperationibus a bono opere non reuocatur, iniurijs non deijcitur, laudibus non eua nescit, lapis quadratus est. Et quasi ex omni latere statum habet, qui casum in qualibet permutatione non habet. ¶ Præterea obseruarem admiratione dignam, neminem, scilicet, quantumuis sanctissimus atque omnibus numeris absolutus ille sit, posse omnibus gratum esse. Edidit dominus Iesus tantum tamque excellens hodie miraculum & mirantur aliqui, alij vero affirmant, vi diabolica illud edidisse: alij autem accedunt dicentes: magister volumus à te signum videre. Quasi præsens miraculum nullius esset momenti: tandem mulier quædam ait: beatus venter qui te portauit & vbera quæ suxisti. Si ergo Christus dominus omnibus placere minime potuit, non est, cur tu mireris: & si vir perfectus sis, quod omnibus gratus non sis. Si enim ieiunaueris, preces fuderis, eleemosynas porrexeris, non deerunt & qui te miris laudibus efferant, & qui te hypocritam vocent. Similiter si egregius concionator sis, non deerunt, qui contendentes vocem dicant: nunquam sic locutus est homo: & qui econtra, te imperitum & insipientem esse affirment. Est enim murmuris vitium, antiqua pestis, antiquum venenum, serpens nescio quo modo per omnium impiorum ora. Venit Ioannes nec manducans nec bibens & aiunt: dæmonium habet. Venit dominus manducans & bibens & dicunt: hic homo vorax est, & amicus publicanorum. Cupiebat Moyses omni populo arridere, & ideo sedebat à mane vsque ad vesperam vt illum iudicaret: minime tamen potuit. Et ideo ait illi Iethro socer eius: stulto labore consumeris: vltra vires tuas est negocium: solus illud non poteris sustinere. Hinc ergo disce, non esse cur mireris, si te voracem, aut insanum, aut imperitum aut dæmoniacum vulgus appellet: cum Christum dominum a suis propinquis sic vocari audias. Hæc enim est iustorum hominum conditio & mos, omnia aut laudare, aut aliquo sancto prætextu excusare. Impiorum vero, omnia vituperare & conculcare. Cognito Ioseph à fratribus, non poterant, illi respondere, nimio terrore perterriti. Ad quos ille clementer, accedite, inquit, ad me. Nolite pauere neque vobis durum esse videatur quod vendidistis me: pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in AEgyptum. Et rursum illis ait. Nolite timere: num Dei possumus resistere voluntati? Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me sicut impresentiarum cernitis. Christus etiam dominus in cruce positus impios suos crucifixores apud patrem cum clamore valido & lachrymis excusat dicens: pater dimitte illis quia nesciunt quid faciunt. Impij vero econtra Christum incusabant dicentes: hic homo vorax est & amicus publicanorum. Quod si miraculum aliquod tam præclarum & manifestum edebat quod illorum calumniæ patere non posset: saltem dicebant: hic homo non est à Deo qui Sabbatum non custodit. Vt hinc intelligas quantum malum sit murmurationis vitium. Omnia enim conculcat & contaminat: omnia labe & macula aspergere conatur: neque hominibus ignoscit, neq; dijs parcit. Et quemadmodum Deo omnia iustorum studiosa opera, & si minimi momenti videantur, grata acceptaq; sunt (respexit enim dominus ad Abel & ad munera eius: & qui dederit potum aquæ frigidæ, &c. non perdet mercedem suam) si impijs murmuratoribus omnia piorum opera & verba & si egregia & præstantia sint, inuisa & ingrata & odiosa sunt. Peruersæ mentes (inquit Gregor.) si semel ad studium contrarieta

Marginalia: D. Grego. ho. 21. super Ezec. — Iustus lapis quadratus & quare. — Nullus & si perfectus sit omnibus placere potest. — Matt. 11. c — Exo. 18. c — Naturæ & conditio iustorum & impiorum — Gen. c. 45. b. — Gen. c. vl. c. — Infra. 23. — Gen. 4. — Mat. 10. d — D. Grego lib. 5. Mo

rietatis erupetint: siue prauum siue rectū quid à contradicentibus audiant: aduersus hoc responsionibus impugnant. Quia cum persona per contrarietatem displicet, ne recta quæ protulerit placent. Lege quæ in hæc verba annotauimus Matthæ. cap. 12. Tu ergo si sapis maledicentium linguam non timeas, impiorum hominum iudicia non vereatis: sed dicito cum D. Paulo. Mihi autem pro minimo est vt à vobis iudicer aut ab humano die, sed neque me ipsum iudico. Qui autem iudicat me dominus est. Ipse est enim scruptator cordis & discretor intentionis. ¶ *In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia: & extollens vocem quædam mulier dixit illi beatus venter qui te portauit.* Iustus in hac vita in camino ignis positus est vt probetur. Caminus est adulantium lingua, & passio tribulationis: vt D. ait Augusti. exponens illud Psalmi. Auertantur statim erubescentes, qui dicūt mihi euge, euge. Duo sunt (inquit) genera persecutorum, vituperantium & adulātium. Plus persequitur lingua adulatoris, quàm manus interfectoris. Nam & ipsam caminum dixit scriptura. Certè cum de persecutione loqueretur scriptura dixit: tanquam aurum in fornace probauit illos, de martyribus interfectis, & sicut holocausti hostiam accepit illos. Audi quia & lingua adulantium talis est: probati (inquit) argenti & auri ignis: vir autem probatur per os laudantium eum. Argenti (inquit) & auri. Ignis ille, ignis & iste, de vtroque te saluum oportet exire. Fregit te reprehensor, fractus es in fornace tanquam vas fictile, formauit & verbum & venit tentatio tribulationis. Illud quod formatum est, oportet vt coquatur. Si benè formatum est, accedit ignis vt firmet. Vnde ille dicebat in passione: aruit tanquam testa virtus mea. Passio quippe, & caminus tribulationis fecerat fortiorem. Rursus si lauderis ab adulantibus & assentantibus, & annueris eis, veluti emens oleum, non tecum portans, sicut quinque virgines insipientes: erit caminus fracturæ tuæ etiam os laudantium te: sed sine his non possumus, necesse est vt intremus in hæc, & exeamus inde, intremus in vituperationē aliquam malorum, & improborum, intremus & in assentationem aliquam adulatorum, sed exire inde opus est. Rogemus eum de quo dictum est, custodiat dominus introitum tuum & exitum tuum vt intrâs integer, sic exeas integer. Ait enim & Apostolus fidelis Deus qui non vos sinat tentari supra quam potestis. Audistis ingressum audite & exitum: sed facit cū tentatione etiam exitum, vt possitis tolerare. Ecce Christus dominus ingressus est hodie caminum tribulationis, audiendo Pharisæos istos dicentes in beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia: sed integer egressus est patienter ferendo, & argumentis ostendendo, se digito Dei & non dæmonis fugare spiritus malignos. Ingressus etiam est caminum adulationis audiendo: beatus venter qui te portauit: sed integer inde est egressus respondendo: quin imo beati qui audiunt verbum Dei & custodiūt illud. Tu ergo exemplo Christi similiter facito. Si iniuria afficiaris, tolera æquo animo: & redde rationem tuorum operum, si adularis ab aliquo, protinus laudes repelle & caue ne assentationibus assuefacias aures. ¶ *In beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Et extollens vocem quædam mulier, &c.* En vides impletū esse quod olim in figura dicebat Isaac filio suo Iacob. Seruiant tibi populi & adorēt te tribus, &c. qui maledixerit tibi sit ipse maledictus: & qui benedixerit tibi benedictionibus repleatur. Quis est ille, cui seruiant populi, & quem adorent tribus, nisi caput seminis Habraæ & Isaac & Iacob, scilicet Christus, qui non tantum homo, sed & Deus & homo vnus est Iesus Christus? Ille nempe fratrum suorum dominus & corā illo omnes filij matris eius, idest, omnes ciues supernæ Hierusalem, quæ est mater omnium nostrum, iure incuruantur: quia videlicet omnes fratres eius per adoptionem sunt filij Dei: ille autem solus est naturalis filius, idem hominis & idem Dei filius, ex altero quidem frater, ex altero verò fratrum suorū adorantium Deus, seruiētium dominus. Maledicit autem Christo, qui blasphemat

Marginalia: 1. Cor. 4. — Caminus adulantiū lingua vocatur, & passio tribulationis. — August. in Psal. 69. a — Pro. 17. c — Psal. 21. d — Matt. 25. — Psal. 120. b. — 1. Cor. 10. c — Figura notanda Gene. 27. de Christo

Chri

Christum: vt venenatæ istorum Pharisæorum linguæ dicentium: in beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Econtra: is benedicit Christo, qui confitetur & laudat Christum. Qui corde & labijs dicit: beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. Dicit autem Apostolus quia nemo in spiritu Dei loquens, dicit anathema Iesu: & nemo dicit dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto: igitur quia qui Christo maledicit, Spiritu sancto caret, quod est verè maledictum esse, & qui benedicit illi, in Spiritu sancto loquitur, quod est verè benedictum esse; Spiritus quippe sanctus vera & sola benedictio est Dei: rectè qui maledixerit, inquit tibi, sit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus impleatur. Maledicti ergo Pharisæi illi, qui maledicebant Christo: benedicta mulier ista, quæ illi benedicebat. ¶ Præterea iam hic completum esse audis quod in Numeris c. 20. legis contigisse Moysi & Aaron incredulis. Audite (inquit Moyses populo) rebelles & increduli, nū de petra hac vobis aquam poterimus eijcere? Porro quod petra in mysterio Christus fuerit, iam dudum cum Apostolo Christi totus mundus canit. Moyses verò & Aarō hoc loco increduli item in figura Scribæ & Pharisæi fuerunt. Populus sitiens turba erat Dnm. Iesum libēter audiēs, vnde exacerbati illi dixerunt. Sed turba hæc quæ non nouit legem maledicti sunt. Num (inquiunt) de petra hac vobis aquam poterimus eijcere? Puta Scribas & Pharisæos de illa petra, de ipso Christo dixisse: nunc ab isto seductore sanam doctrinam speratis bibere? Item dæmonium habet & insanit. Quid eum auditis? Ita maledixerunt in labijs suis, idest, contra propriā suam conscientiam locuti. Sciebāt enim quod in Spiritu Dei eijceret dæmonia, & tamen pessima labiorum suorum distinctione dixerunt: in beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Cum hoc furore increduli & turbidi percusserunt petram iustitiæ. Bis percusserunt, duobus enim lignis vnius crucis Christum crucifixerunt: linguis suis, & manibus gentilium. Hoc facto egressæ sunt aquæ largissimæ. Nihil verius, passo namq; Christo fluxerunt aquæ scripturarum, torrentes gratiarum Spiritus sancti inundauerunt. Hæc est aqua contradictionis, vbi iurgati sunt filij Israel contra dominum & sanctificatus est in eis. Hæc, inquit, est aqua contradictionis. Contradicūt Iudæi, contradicunt hæretici aquæ, quæ de latere domini profluit, fluminibus aquæ viuæ, quæcunque fluunt de ventre in illū credentis. Verūtamen inter ipsas contradictiones sanctificatus est in eis sanctus sanctorum, clarificatus est in eis, nam ex ipsa contradictione gloriosior ascendit. Rupertus lib. 2. in nume. cap. 7. ¶ *In beelzebub, principe dæmoniorum.* Quod in nostra vulgata vocatur beelzebub. i. princeps muscarum, Græcè semper nominatur beelzebub. i. princeps huius habitaculi, quem dominus appellāsse videtur principem huius mundi, huius habitaculi, huius habitationis.

¶ *Et alii tentantes signum de cœlo quærebant ab eo.* Post tot conspecta miracula difidentes isti adhuc, postulabant à domino signum aliquod insigne de cœlo, quo planè constaret illum habere cum Deo commercium, qui in cœlis habitat, & non cum spiritibus immundis quorū præstigiæ nasci solent è terra. Hoc autē dicebant tentantes dominum nihilo magis illi credituri, etiam si quod postulabatur fecisset. sed siue fecisset siue non fecisset habebant paratam calumniam.

¶ *Ipse autem vt vidit cogitationes eorū.* Quid rogo domine nunc attinet cogitationibus respondere? Nōne audis eos dicentes in beelzebub principe dæmoniorum te eijcere dæmonia? Verbis igitur blasphemiæ tam expressis responderas obsecro: minime de cogitationibus modo curando. Non sine magno mysterio cum cogitationibus, atque cum istorum conscientia, & non cum illorum sermonibus rem agere Christus voluit. Sciebat enim certo, quod istorum conscientia testimonium pro illo perhibebat. Hæc enim est mos & natura hominum pessimorum nō posse bona de iustis loqui, quæ illorum animis dictat conscientia. Intelligebant Pharisæi per Spiritum sanctum dæmonia

Marginalia: 1. Cor. 12. — Vi. Rupe. 4. in Gen. c. 27. — Figura nu. 20. — 1. Cor. 10. — Ioan. 7. — Ioan. 10. — Ruper. 2. in nu. c. 7. — Q uare Christus respondit cogitationibus istorum.

nia eijcere: vt diuina miracula edere: & tamen dicebant, dæmonium habet: in beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Peccatum sane tantum, vt non remittatur neque in hoc seculo neque in futuro: vt Christus dominus testatur. Vix enim huiusmodi peccatores seruantur. Persequitur impius Pharao filios Israel, quamuis videbat nubem lucidam interpositam inter castra sua, & castra Israel: qua propter submersus est in mari rubro. Sic impij & si intelligant Deum in sanctis suis splendere, persequuntur eos, dæmonium habere dicunt: ideoque in profundum inferni præcipitantur. ¶ *Et ipse autem vt vidit cogitationes eorum.* Omnia videt dominus, omnia intuetur etiam ipsas cogitationes, quas etiam iudicabit: quemadmodum omnes sermones nostros, omnes'que actiones. Vnde Iob. cap. 31. ait. Nonne ipse considerat vias meas: & cunctos gressus meos dinumerat? Sic autem dominus (inquit Gregorius) vniuscuiusque considerat vias, sic dinumerat gressus vt ne minutissimæ quidem cogitationes eius iudicio, ac verba tenuissima, quæ apud nos vsu viluerunt: indiscussa remaneant. Hæc ille. Quia ergo nouimus, quod districtè omnia non solum facta, sed saltem cogitata pensentur, quid faciemus de incessu mali operis, si sic Deus subtiliter iudicat gressus cordis? Ecce occulta mentis nostræ itinera nullus hominum videt, & tamen ante Dei oculos tot gressus ponimus, quot affectus mouemus. Quoties ante eum labimur, toties à recto itinere infirmæ cogitationis pede claudicamus. Nisi enim in conspectu eius iste assiduus nostrorum mentium lapsus increscere per Prophetam non clamaret: auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Hæc etiam Gregor. Vt ergo Christus dominus præsagiret non solum esse iudicem actionum nostrarum, atque sermonum, sed etiam cogitationum, ideo non tantū verba sed istorum etiam cogitationes diiudicat: & in lucem prodire facit. ¶ *Vt vidit cogitationes eorum, &c.* Hinc colligere licebit, non solum verbo & re iniuriam posse nos proximo efficere: sed etiā

Mat. 12. c
Mat. 12. b
Gen. 14.
Christus vidit cogitationes.
Iob. 31.
31. Mor. c. 5.
31. Mor. c. 5.
Non solū verbo & re sed etiā cogitatione iniuriā proximo facere possumus.

A cogitatione, i. male de illo suspicando. Hinc est quod vates quidā dicebat: qui quiescit, quiescat. Quæ verba explicans Gregorius ait. Si enim quiescit à malo opere, & non quiescit à praua cogitatione, aptatur ei quod dicitur Thre. 1. Viderunt eam hostes: & deriserunt Sabbata eius. Qui ergo quiescit à malis actionibus, prauisque sermonibus, quiescat etiā ab iniquis cogitationibus. ¶ *Vt vidit cogitationes eorum.* Quando igitur dominus videt omnium nostrum cogitationes, caueamus à prauis, imò ab omnibus quæ animum vel minima labe aspergere possunt. Vbi obseruat tria esse genera cogitationum à quibus multa sollicitudine cauere necesse est (inquit Bernardus) eos qui conuertuntur ad cor, & dignum Deo in semetipsis templum exhibere festinant. Sunt enim nonnullæ interdum cogitationes penitus ociosæ, & ad rem non pertinentes: quas tam facile abijcere quàm recipere facile possit animal dū modo sit secum habitans in corde suo, & adsistens dominatori vniuersæ terræ. Sunt & aliæ cogitationes fortius adhærentes, videlicet quæ ad necessitatem naturæ pertinent, & quasi de eodem assumptæ limo de quo & nos facti sumus, si paululum insederint auelli nequeunt, sine læsione & difficultate. Sæpe enim sic afficit nos cogitatio carnalis de cibo, de potu, siue vestimēto, vt vix eradicari queat de cordibus nostris: quod non aliunde est nisi quod & ipsa limosa & viscosa quodammodo, limosam nihilominus & viscosam inuenerit terram. Quid ergo agēdum cum limosa illa cogitatio mentem subierit? Plane exclamandum nobis est cum sancto Iacob atque dicendum. Ruben primogenitus meus non crescas: ascendisti enim cubile patris tui. Rubea enim & carnalis atque sanguinea concupiscentia est, quæ tunc cubile nostrum ascendit, cum non solum memoriam tāgit cogitatione, sed & ipsum voluntatis stratū ingreditur: & polluitur praua delectatione. Benè autem appetitus ille carnalis primogenitus noster dicitur, qui ab ipso nimirum initio vitæ nostræ, in nobis pullulat, cum cætera vitia processu temporis

Ezech. 3.
Gl. Thre. 1.
Bern. ser. de triplici genere cogitationū nostrarū.
primum
2. genus cogitationum.
Gene. 49.

ris ex malitia mundi huius, varijsque cogitationibus contrahantur. Oportet ergo reprimere, quem extinguere non possumus appetitum: vt quam cito cubile nostrum ingreditur crescere eum nullatenus patiamur, sed sub nobis sit, quemadmodū dicit scriptura: subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Id vero tertium cogitationis genus immundum nimis ac fœtidum est (quale erat istorum Pharisæorum) quod nec admittere quidem vlla ratione debemus, sed à longè præsentire fœtorem, & tota virtute repellere, toto animo propulsare, & conuersi statim ad gemitus, lachrymis atque suspirijs inuocantes spiritum, qui adiuuet infirmitatem nostram. Sic nimirum confusus abscedens, non tam facile deinceps simile aliquid viriliter resistentibus nobis malignus hostis offerre vel afferre præsumet. Dico autē cogitationes illas immundas penitus ac fœtidas, quæ ad luxuriam, ad inuidiam, & vanam gloriam pertinet, cæteraque vitia detestanda. Oportet enim si mundas conseruare volumus animas nostras, adhuc longè agentibus cogitationibus huiusmodi multa cum indignatione occurrere, & exufflare à nobis, vt nullus ei detur accessus. Et primum quidem genus cogitationum ociosarum, scilicet ad rem non pertinentium, lutum est, sed lutum simplex, idest, non inhærens, neque fœtens, nisi forte diutius immoretur in nobis, & per incuriam ac negligentiam nostram, in alterum genus cogitationum vertatur: quod quotidie experimur. Dum enim ociosa tanquam minima spernimus, ad turpia atque inhonesta dilabimur. Secundum verò cogitationū genus nō lutū simplex, sed vt iam diximus viscosum & limosum est. Nam tertiū quidē sic cauendū est non tāquam lutum aut limus, sed tanquā immūdissimū ac fœtidissimū cœnū. Hæc Bernar. Impij ergo Pharisæi hoc genere fœtidissimarū cogitationū affecti erant: inuidebāt enim maximè Christo, odioque tanto prosequebantur vt cū dæmonium habere dicerent. De his ergo cogitationibus Euangelista ait & vt vidit cogitationes eorum, &c.

Gen. 4.

3 genus cogitationum.

Primū genus lutum est simplex 2. lutum est viscosum 3. lutū est fœtidum.

§ *Omne regnum in se diuisum dessolabitur.* Vel dessolatur, idest, dessolari solet.

A

§ *Omne regnum in se diuisum dessolabitur, &c.* Discamus igitur fideles, quando videmus nullum regnum posse consistere, si intestinis dissidijs secum pugnet; pacem & concordiam habere internos. Si inuicem (inquit Paulus) mordetis, & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini. Hanc vnitatē animi petebat Christus dominus à patre cū dicebat: non pro eis autem rogo tātum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint. Sicut tu pater in me & ego in te vt & ipsi in nobis vnum sint. Quod verò exauditus fuerit à patre docet Lucas in Actis Apostolorum cap. 4. Multitudinis, inquit, credentium erat cor vnum & anima vna: nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat. Sed erāt illi omnia communia. Ad hanc pacem & concordiam habendam hortatur nos Paulus in epistola ad Rom. cap. 12. Dico autem vobis per gratiam, quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Et vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi, vnum corpus sumus in Christo: singuli autem alter alterius membra. Et rursum idē Paulus: Obsecro, inquit, vos fratres per nomē domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti eadem mente, eadem sententia. Sicut enim corpus vnū est, & mēbra habet multa, omnia autē mēbra corporis cū sint multa, vnum tamen corpus sunt, ita & Christus. Etenim in vno spiritu omnes nos in vnū baptizati sumus, siue Iudæi siue Gentiles, siue serui, siue liberi, & cætera & alibi ait. Vt idē sapiatis, eādē charitatē habentes, vnanimes, idē sentiētes, nihil per cōtentionē, neque per inanē gloriā, sed humilitate alij alios superiores sibi inuicē arbitrātes: nō quæ sua sunt inuicem considerantes, sed & ea quæ aliorum. Vide Basilium in Mora. regula. 60. Concordes igitur & vnanimes simus si consistere volumus: quando qui dissor-

B C D

Pax & concordia cōmendatur

Gal. 5. c

Ioan. 17. e

Acto. 4. g

Rom. 12. a

1. Cor. 1. b

1. Cor. 12. b.

Phil. 2. a

des sunt inter se necesse sit vt desolentur atque de medio tollantur. ¶ Quanta mala ex dissensionibus oriri soleant quãtaque in commoda explicare opus non est. Quo discordia perducere soleat ciues miseros experientia docet. Vnde Poeta furiam Allecton alloquens ait.

Multa mala discordia secum affert.

Virgil. æneid. lib. 7.

Tu potes vnanimes armare in prælia fratres:
Atque odijs versare domos: tu verbera tectis
Funereasq́ inferre faces: tibi nomina mille:
Mille nocendi artes.

D. Grego. in Pastor. 3.

Discordes (inquit Gregor.) tandiu nullũ boni operis sacrificium immolant Deo: quandiu à proximorum charitate discordant. Si Cain pacem habuisset in pectore non irruisset in fratrem: si Absalon intra se pacem tenuisset, non irruisset in patrem: si animum Iudæ seruasset conscientiæ tranquillitas non confugisset ad laqueum. Plutarchus in Apothegmatibus sic ait. Scilurus cum relictis maribus filijs octoginta, diem esset obiturus hastarum fascem cuique obtendens: vt illum confringerent iubebat. Id autem singulis se posse negantibus: ipse singulatim eductas hastas facile confregit: ita docẽs illos vbi vna esse perseuerarent firmos ac potentes fore: imbecilles autem si separarentur ac dissiderent. Et merito quidem ita docebat: nam coniuncti (vt olim in prouerbio erat) pollent etiam vehementer inertes. Hoc intelligentes viri sanctitate præstantes concordiam & pacem amant.

Plutarchus

Haud vnquam neq́ concio eos, neq́ curia dictis
Audiuit pugnare, animo se per eodem.

A *Et sentire eadem, atque eadem decernere vidit.*

Vt Nestor olim de se, deq; Vlysse dicebat.

¶ *Et domus supra domum.* Subaudi, *diuisa*, quasi dicat, familia aduersus seipsam diuisa *cadet*. Cadit, idest, cadere solet.

¶ *Si autem & sathanas in se diuisus est quo modo stabit regnum eius.* Regnum esse apud iniquos spiritus hic docet dominus. Omnes enim maligni spiritus tanto odio Deum creatorem suum atque homines ad eius imaginem effectos prosequuntur: tantoque ira incandescunt in nos, vt vnanimes ac concordes sint inter se, vt nos persequantur: atq; vt regnum spirituale nostrum penitus destruant, & dessolent. Omnes propterea vnanimiter vni principi ad nutum parent, pro eiusque gloria & honore laborant. Atque ob eadem causam illi rebellare etiam si possent, minime volunt: sed in fide quam illi obligauerunt, perpetuo permanere. Ira ergo & odium in causa sunt vt inter se non dissideant, non bellum gerant sed vt pacem & concordiam habeat. Quemadmodum enim inter homines contingere solet vt inimicitia vnius omnes inimicos illius plerumq; cõciliet & cõcordet, sic odium quo princeps mundi huius Deum & homines prosequitur, in causa est, vt omnes eius spiritus hominis inimicos & hostes, coniungat inter sese. Hanc vnanimitatem & pacem istorum docere voluit dominus apud Iob. cap. 41. his verbis. Corpus illius quasi scuta fusilia, & compactum squamis se prementibus. Vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas. His tribus versibus sub diuersorum sermonum repetitione vnum idemque significare voluit dominus. Corpus ergo diaboli (inquit Hierony.) omnes consortes eius, & spiritus immundi intelligendi sunt; quos tanta consensione atque cõspiratione Deus dicit illi adiunctos: vt indissociabili connexione sint eidem copulati: quos etiam sub allegorica dictione, squamarum nomine appellauit: quæ ita densatæ sint & strictæ sibi inuicem cohærentes: vt nullum

Regnũ est etiã apud iniquos spiritus.

Lege Guil lelmũ Parisi. par. 2. de vniuer so c. 15.

Iob. 41.

D. Hiero.

lum illis sit spiraculum respirandi ad Deum: eo quod ab illa sui connexione, nequaquam ad sanitatem pœnitentiæ relaxentur. Quod autem dæmones impij ministri diaboli scutis fusilibus comparentur: hoc nomine eorum significat dominus, quod nimium pertinax & obstinate rebellans, & fortiter solida ac perennis sit eorum repugnatio contra Deum. Diabolum vetus editio smaragdi lapidi assimilauit, qui natura asper est, alia attritu leuificans: sed ipse asper esse non desinens, cuncta comminuit: diminutionem autem sui non sentiens. Hæc ille. ¶ Mali ergo spiritus inter se discordes nō sunt, neque alij ab alijs profligantur. Sed potius sodales sunt omnes, & satellites beelzebub principis illorum: si enim pugnarent inter se minime consisteret regnum eius, arguit igitur Christus dominus in hunc modum. Qui consistit vestra calumnia? Videmus enim nullum regnum posse consistere, si intestinis odijs & dissidijs secum certet. Quod si fit, necesse est, vt desoletur, & publica ruina domus supra domum concidat. Quod si verum est id quod cogitatis, me præsidio beelzebub principis dæmoniorum eijcere noxios dæmones, qui nimirum illius sodales sunt & satellites, consequitur, malos spiritus inter sese discordes pugnare, & alios ab alijs profligari. Iam si sathanas pugnat aduersus sathanam quomodo consistet regnum illius? Videtis eijci dæmones & fatemini noxios esse, quos eijcio: vnde igitur conijcitis hæc fieri præsidio beelzebub potius quam Dei? An beelzebub solet hominum saluti consulere, & suos satellites, per quos exercet tyrannidem suam, è possessionibus suis eijcere. Et tamen hoc si fiat, arguit mox periturum sathanæ regnum, & instare regnum Dei. Simplici verbo eijcio, gratis eijcio, nihil adhibeo magicorum carminum aut præstigiorum. Factum improbare non potestis, cur boni operis gloriā mauultis beelzebub ascribere quàm Deo? Quod si hoc vobis persuadet odium mei, me præsidio beelzebub eijcere dæmonia, isti iuuenes filij vestri, quos vidistis idem facientes, cuius præsidio

A profligant dæmonia? Simplices sunt, idiotæ sunt, nesciunt maliciosas artes magorum, & tamen isti in meo nomine eijciunt. Sola fiducia erga Deum faciunt, quod faciunt. Et ideo his iudicibus condemnabitur vestra incredulitas. Horum simplicitas credidit cum vestra prudentia pugnet aduersus gloriam Dei. Itaque cum absurdum sit dicere, quod malus dæmon exigat malum dæmonem, nec alterius præsidio vestri filij eijciant dæmonia, quàm cuius ego eijcio, constat

B me malos dæmones eijcere virtute boni Dei. Huius enim spiritus potentior est omnibus spiritibus impijs. Nec huic quicquam omnino cum illis conuenit: siquidem hic amat salutem humani generis, illi quærunt perniciem.

¶ *Si in digito Dei eijcio dæmonia.* Digitum Dei appellat spiritum Dei vt ex Matthæo intelligere possumus, qui ait dixisse dominum: Si autem ego in spiritu Dei eijcio dæmones. Hoc ergo testimonio probat Diuus Basilius Spiritum sanctum esse verum Deum. Neque enim

C Christus (inquit) per creaturam potens est, sed dicit in spiritu Dei eijcio dæmonia: neque per creaturam sanctificatur. Et Petrus dicit: Iesum à Nazareth quem vnxit Deus Spiritu sancto: neque per creaturam ducitur: & scriptum est: ductus est Iesus per spiritum in desertum. Inde ergo fit vt Spiritus sanctus non creatura sed verus Deus sit. Lege Basilium homelia. 17. in sanctum baptisma.

Digitus Dei spiritus Dei.

Hoc testimonio probatur Spiritum sanctum Deū esse.

Acto.

Matth. 4.

D. Basil.

¶ *Si in digito* Dei. In, pro per, si per digitum Dei. Sic super. Si in beelzebub.

D In, pro, per, accipitur. Per beelzebub, idest, præsidio beelzebub. Sic etiam accipitur ibi filij vestri in quo eijciunt. Per quem, idest, cuius præsidio & ope.

¶ *Profecto peruenit ad vos regnum Dei.* Idest, palam est Messiam regem nunc agere apud vos.

¶ *Cum fortis armatus custodit atrium suum in pace sunt ea quæ possidet: si autem fortior illo superueniens vicerit eum: vniuersa arma eius auferet in quibus confidebat & spolia eius distribuet.* Omnes peccatores huius mundi diabolus ab

Peccatorũ alii sunt vasa, alii arma, alii spolia diaboli. Matth. 12. 2. Cor. 4. Gen. 49. Eccles. 21.

initio possedit & modo possidet. Quorum aliqui, illius vasa sunt: alij vero, illius arma: alij autem, illius spolia. Vasa fragilia sunt qui animi fragilitate peccare solent: qui a iuxta Apostolum habent thesaurum suum in vasis fictilibus. De quibus genes. 49. Olim dicebat Iacob Simeon & Leui fratres vasa iniquitatis bellantia. Et Ecclesia. 21. Cor fatui quasi vas confractum. Hæc sunt vasa illa de quibus dominus apud Hieremiam ait: aperuit dominus thesaurum suum & protulit vasa iræ suæ. Ideo consulit Apostolus in priori ad Thessaloni. cap. 4. Vt sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctificatione. Vasa ergo illa fictilia auferre solet dominus à potestate diaboli confringendo & conterendo illa: hoc est, gratiam & vim conferendo diuinitus, vt pœnitentiam agant. Conteram populum illum (ait dominus Hieremiæ, cap. 19.) sicut conteritur vas figuli. Et Regius vates: tanquam vas figuli (inquit) confringes eos. Et Esaias ait: Veniet contritio eius & comminuetur, sicut conteritur lagena figuli contritione perualida, & non inuenitur de fragmentis eius testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fouea. Quibus verbis edocentur peccatores, vt talis sit eorum contritio, vt diabolus in eorum animis inuenire non possit, vel minimum locum vbi igniculum praui desiderij, aut modicum aquæ, hoc est, noxæ voluntatis reponat. Oportet enim vt contritio de omnibus atque singulis peccatis sit. ¶ Alij vero peccatores arma diaboli sunt: vt in hoc loco legis. Et apud Paulum in epistola ad Roma. capi. 6. Ne exhibeatis, inquit, membra vestra arma iniquitatis peccato. De his armis dicitur: descenderunt in infernum cum armis suis. De quorum numero, epulonis erat lingua. Ille enim exhibet membra sua arma iniquitatis peccato, qui scelera sua defendit: sicut armis quis ab hoste suo sese defendere solet: sunt enim impij atque scelerati homines, qui peccata sua aut fortunæ aut cœlorum constellationibus tribuant. Hæc etiam arma auferre solet dominus à ditione sathanæ, per ve-

Hiere. 50. 1. Thes. 4. Hiere. 19. Psal. 2. Esai. 30. Lege Gabri. in supplemento d. 18. q. 2. ar. 1. &c. Rom. 6. Ezech. 32.

A ram pœnitentiam. Efficitque illa arma iustitiæ. Iuxta illud quod diuus Paulus scribit, in posteriori epistola ad Cor. cap. 6. Per arma iustitiæ à dextris & à sinistris. Quemadmodum enim Dauid, vt sacra refert historia, à Gigante illo arma, quibus confidebat, abstulit: sic verus Dauid arma hæc, idest, huiusmodi peccatores ab eius potestate eripit: cum illo potentior sit. Eripuit ab eo Paulum, Matthæũ, Magdalenam, Augustinum, aliosque innumeros, quibus maximè confidebat. Ad rem hanc facit quod Rex Dauid Psal. 45. exclamando ait. Venite & videte opera domini qui posuit prodigia super terrã auferẽs bella vsque ad finem terræ: arcum conteret & confringet arma & scuta cõburet igne. Abstulit enim dominus suo aduentu bellum quod gerebatur inter Deũ & homines, satisfaciendo patri pro nobis: & factus obediens vsque ad mortem. Sicque impletum est quod Esaias prædixerat: faciet pacem mihi: pacem faciet mihi. Abstulit bellum quod erat inter angelos hominesque: angelorum ruinam reparando. Quam ipse precantur in Psa. 50. Benigne fac domine in bona volũtate tua Sion: vt ædificentur muri Hierusalem. De qua pace Esaias deprecatur etiam. cap. 56. Veniat, inquit, pax requiescat in cubili suo: vos autem accedite huc (.i. cœlum) filij auguratricis, idest, vos homines. Et rursum ait: Creaui fructum labiorum pacem cum eo qui prope est (idest angelo) & pacem ei qui longe, idest, homini. Idcirco Christus dominus Rex pacificus appellatur & meritò. Abstulit præterea bellum perpetuum & intestinum quod inter homines agebatur: illos in vnam fidem atque in Ecclesiam vnam conuocando. Alias inquit oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili & illas oportet me adducere: & fiet vnum ouile & vnus pastor. Ipse enim ideo vocatur lapis angularis: & pax nostra faciens vtraquè vnum. Ecce, inquit dominus apud Prophetam, ego mittam in fundamentis Sion, lapidem angularem. Abstulit denique bellum & pugnam inter spiritum & carnem, ac pacificauit in seipso: vtrumque concorditer assumens atque ipse pacificè gerens.

2. Cor. 6. 2. Reg. 8. Psal. 45. Aduentu suo Christus abstulit. 4. genus bellorum. Phi. 2. Esai. 57. Psal. 50. Esai. 56. Ioa. 10. Ephe. 2. Esai. 28.

gerens. Simul enim in vno erant diues & pauper, hoc est, spiritus & caro concordes in vno erant. Sicque in pace factus est locus eius. Ideoque dicitur ab Esaia Emanuel. Hoc tamē bellum quod in se penitus extinxit, à nobis penitus nō abstulit: sed tantum compescuit: nobis motus & affectus carnis vt illis exerceamur relinquens. Quod olim in figura factum fuisse scimus. Nam Iudi. 3. dicitur: Hæ sunt gentes quas dominus dereliquit: vt erudiret in eis Israelem. Hæc igitur sunt bella de quibus in prædicto loco regius Propheta dicebat: Aufers bella vsque ad finem terræ. Cæterum arma & scuta quæ contriuit & confregit dominus atque combussit, peccatores erāt: quibus diabolus tanquam armis vtebatur, ad persequendum Ecclesiam Christi. Et cui omnis fiducia in eis sita erat: Adortus est enim illum dominus, & armis armatum vicit & arma, quibus confidebat eripuit. ¶ Alij denique peccatores spolia diaboli vocantur: hi sunt, qui iamdiu diabolo seruiunt, obstinatoque animo peccatis atque sceleribus adhærent. Quos etiam à diaboli dominio & potestate auferre solet dominus. Hæc sunt spolia illa de quibus Esaias cap. 8 Olim prædicebat cum nomen Christo domino imponebatur. Voca nomē eius accelera, velociter spolia detrahe, cito prædare. Quia ante quam sciat puer vocare patrem aut matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ corā Rege Assyriorum. Abstulit enim noster Emanuel spolia Samariæ, hoc est, homines mundi pessimos à diaboli potestate corā ipso diabolo: Idem dicit allo in loco idem Propheta his verbis: ideo dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia. Vicit igitur Christus dæmonem, eiusque captiuitatem sibi captiuauit, & in cœlum adduxit. Id quidem est quod ait Apostolus in epistola ad Ephes. cap. 4. Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, hoc est, homines qui antea erant spolia Samariæ: ab exilio ad cœlestem patriam adduxit. Quod Dauid multo antea cecinerat. Hæc sunt spolia de quibus Deuteroni. cap. 20. dicitur:

Psal. 75.
Esai. 7.
Iud. 3. Figura.
Vgo Cardi. in Psal. 45.
Esai. 8.
Esai. 53.
Ephes. 4.
Psal. 67.
Deut. 20.

A Comede de spolijs hostium. Tunc enim dominus de spolijs hostium comedere dicitur: cum peccatores, impiosque homines ad se trahendo, conuertit in corpus suum mysticum. ¶ Hæc autem spolia dæmonis, quæ ab illo eripuit dominus, tunc distribuit, atque diuisit, cum alios fecit Apostolos, alios Euangelistas, alios martyres, alios confessores, alios virgines, alios matrimonio copulatos, alios præsules, alios subditos. Et ita varij varia munera exercent in Ecclesia. Vt Paulus docet ad Ephes. capi. 4. Si in naui omnes B idem facerent, obrueretur absque dubio. Vt enim opus est vt hic sedeat in puppi gubernaculum tenens, ille stet in prora, longè prospiciens, quidam remis incumbat, quidam ad mali summitatem ascendant, alij velum teneant, alij sentinā exhauriant, alij alia munera exerceant; sic in Ecclesia diuersa sunt munera, pro diuersis hominum qualitatibus gerenda: nec debent omnes in idem studium incumbere, nec ad eādem actionem properare. Si Rex voluerit tota die contem C plari, neque audiens subditos, nec illis consulens, & necessaria prouidens, malè quidem aget. Et si enim contemplatio est mentis actio excellentissima, qua nulla est suauior, nulla præstantior, non tamen conuenit regi, ita se illi dedere vt regni sibi traditi gubernationem relinquat. Desinat his contemplationem perpetuam, qui se ab humanis negotijs separarunt. Contrà verò qui totos se Deo dedicarunt, nolint se mundi negocijs implicari, quin potius in diuinarum contemplationem toto pectore incumbant, atque D in solitaria tranquillitate, ad quam se tāquam ad portū receperunt, permaneant. Et ita vnusquisque suum officium exerceat. ¶ Illud est præterea animaduertendum dæmones hoc in loco fortes appellari, à quibus Christus abstulit spolia quæ, vt hic dicitur ipsemet distribuit. Sic etiam eos appellat Esaias. c. 53. cum ait. Et fortiū diuidet spolia. Tā fortis dux diabolus semper fuit, vt nullus hominū, hominē à potestate eius eripere potuerit. Quod nullus illo fortior fuerit docet Iob c. 41. Non est potestas super terrā quæ cō-

Ephe. 4.
Similitudo.
Esai. 53.
Quam potens fuit diabolus Iob. 41.

paretur ei: quod nullus illo sapientior; docuit dominus Genesis. cap. 3. Serpens (inquit) erat callidior cunctis animantibus terræ: quod nullus tam iustus vt sua iustitia illum superare posset, certa res est: nam omnes peccauerunt simul inutiles facti sunt. Nemo præterea mundus a sorde: & ideo in tranquillo erant omnia quæ tunc possidebat; venit autem Christus & adortus est illum & armis armatum vicit; quod potentior & fortior fuerit illo: cum omnia dederit ei pater in manus: quod sapientior fuerit illo: cum in illo fuerint omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Quod iustus fuerit & non ille: cum factus fuerit nobis à Deo iustitia. Ipse enim tam iustus fuit, vt sua iustitia diabolum vicerit: quemadmodum enim si caput aut manus hominis, satisfaciat pro iniuria illata à pedibus, vera iustitia & satisfactio dicitur: sic Christi, hoc est, capitis nostri satisfactio, pro iniuria illata ab hominibus, qui Christi corpus sunt, vera satisfactio dicenda est.

Gene. 3. a

Rom. 3. c. Psal. 13. a Iob. 15 b

Ioa. 13. a

Colo. 2. a

1. cor. 1 d

S. Tho. 3 p. q. 49. ar tic. 2.

§ *In pace sunt.* Hebr. idest salua sunt ea quæ possidet.

§ *Qui non colligit mecum dispergit.* Iusti qui Deum venerantur exemplo Christi (cuius ingenium est colligere) se ipsos colligunt & congregant, non terram sed cœlum quærentes. Et vt vniones & si in mari oriantur, plus tamen cognationis habent cum cœlo, cuius colorem & pulchritudinem suo modo repræsentant: sic viri, qui excelsis animis in terra diuina colunt studia, magis à cœlo, & a secundo homine de cœlo cœlesti pendent, quàm a terra, in qua peregrinantur: & quam a primo homine de terra terreno. At homines improbi turbulentis cogitationibus exagitati & impediti, tantum abest, vt seipsos colligant & congregent, vt etiam se dispergant & in varia ac turbulenta negocia distrahant. Sunt, vt ait Seneca, veluti lacus quidam nunquam quiescens, ad quem multi concurrunt, eum exhaurientes & conturbantes. Huiusmodi cum non sint in parte Christi, aduersarij sunt illi, & hoc ipso lædunt, quia cum fauere debeant, non fauent, & cum colligere debeant cum illo, dispergunt. In alterutrius castris pugnandum est. Non enim fert hoc tempus ociosos. Quare cum hi turbulenti homines partibus Christi non faueant: colligitur, illos esse illi contrarios.

Sicut ingenium Christi est colligere sic iustorũ est seipsos colligere & congregare.

Ingenium improborum est se dispergere.

Seneca.

§ *Cum immundus spiritus exierit de homine, perambulat per loca inaquosa, quærens requiem. Et non inueniens, dicit, reuertar in domum meam vnde exiui, &c.* Quoniam autem Iudæi sibi sumebant opinionem iustitiæ, & hac fiducia vel negligebant euangelicam doctrinam, vel aduersabantur: proposuit illis hoc ænigma, quo significaret grauius damnandos eos, qui aliquo vsque progressi ad iustitiam, relaberentur ad pristina flagitia, quàm qui nunquam cognita luce veritatis euangelicæ perseuerassent in caligine vitiorum suorum. Populus enim Iudaicus per legem segregatus est ab idololatris gentibus, sed subinde relapsus ad priora crimina, tandem huc deuenit impietatis, vt quicquid maiores peccassent occidendis Prophetis, conspirando aduersus Moysen, id septuplo sceleratius renouarent in filium Dei, & in huius discipulos. § Huius rei imaginem habes in lib. Iudicum. cap. 15. vbi sacra narrat historia quod Săson perrexit & cœpit trecĕtas vulpes, caudasque earum iunxit ad caudas, & faces ligauit in medio. Quas igne succĕdens, misit vt huc atque illuc discurrerent. Quæ statim perrexerunt in segetes Philistinorum. Quo perrexit (inquit Rupertus) vel quas cœpit vulpes verus Samson? Ad gentes perrexit, in omnĕ terram exiuit, perscutásque templorum antra, ad delubrorum foueas, illas cœpit vulpes, de quibus Psalmista: Philistæos istos, idest, Iudæos ore prophetico percutiens. Tradentur, inquit, in manus gladij, partes vulpium erunt. Vulpes namque istæ, maligni spiritus sunt, qui latebant in cordibus hominum, in simulachris gĕtium dolosé agentes, respõsa fallaciæ suæ proferentes. Cœpit itaque trecentas vulpes, idest, in tribus orbis partibus, Asia, Europa, & Affrica, rete suum expandens cunctos ad iudicium protraxit, qui pro dijs colebantur, dæmones. Et nunc quidem

Rupert. li. 2. iud. c. 15. Figura.

Psal. 62.

dem de templis eiecti: huc, & illuc discurrunt quærentes & non inuenientes requiem. Sed in caudis vbi finis est corporis, colligatum portant incendium, id est, consecuturum in fine seculi non ignorant damnationis iudicium. Statim, inquit, perrexerunt in segetes Philistinorum. Segetes Philistinorum opera erant Iudæorum, studia scribarum, traditiones Pharisæorum. Illuc omnes perrexerunt quemadmodum in proposito ænigmate est illis à Christo significatum. Cum spiritus, inquit, immundus exierit ab homine perambulat per loca inaquosa querens requiem, & non inueniens dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui. Et cum venerit inuenit scopis mundatam. Et tunc vadit & assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi. Et fiunt nouissima illius peiora prioribus. Diabolus namque de corde gentilitatis eiectus, cum septem. idest, vniuersis malignitatis spiritibus, in gentem illam reuersus est, vnde exiuit: quãdo primum de erroribus AEgypti eductam, Deus vetus ad cultum suum reuocauit. Igitur segetes Philistinorum & confortatæ iam frugis concrematæ sunt: in tantum, vt vineas quoque & olíueta flamma consumeret: quia videlicet cuncta opera Iudæorum, cunctæ ceremoniæ vel ritus eorum Dei odio damnati sunt: in tantum, vt ciuitatem quoque & templum hostilis flamma consumeret. ¶ Et si hæc ita sint tamẽ hæc etiam parabola & ad vnũquenuis hominem pertinet; qui semel baptismo ablutus à peccatis pristinis, semel euangelico sermone, liberatus à spiritu malo huius mundi, negligenter habet donũ Dei. Nec curat semper ad perfectiora progredi. Huic ad pristinam vitam reuoluto, ad nihil aliud proderit baptismus, ac cognitio sacræ doctrinæ, nisi vt grauiorem damnationem sibi accersat in die iudicij, videlicet ad pristinos errores ingratitudinem etiam, ac maliciam adiungens. ¶ *Perambulat per loca inaquosa.* Vel per loca arentia, vel per solitudines.

¶ *Assumit alios spiritus septem, nequiores se.* Obserua quod non ait assumit septem spiritus fortiores se: sed nequiores: vt ostendat non vi debellare hominem sed caliditate & astutia. Tam libera enim est hominis voluntas vt nemo illi vim inferre posit. Nimirum (inquit Bernard.) hæc est libertas qua Christus nos liberauit, vt nulla penitus creatura auellere nos, aut vim facere posit. Soli id deserere possumus propria voluntate abstracti, & illecti à propria concupiscentia. Præter hanc enim nihil est quod timeamus. Denique donec voluntatis vsum & facultatem deliberandi renatus quisq; recipiat, à charitate Dei separari omnino non potest. Securus interim degit sub protectione & aduocatione domini Dei sui, nõ est quod vereatur ex omnibus. At vbi sanè discretionis annos ingredient redditur sibi, cæterorum vtique violentiam nec tunc quidem formidare necesse est, sed ab ea quæ dormit in sinu caueat, propria scilicet voluntate. Erit fortè peccatum in foribus sed appetitus eius sub eo est, tantum ipse aperire renuat, cõsentire recuset. Denique primos parentes non vrsus aut oleo, sed potius serpens, callidior vtique, non fortior cæteris animãtibus supplãtauit. Nec mulierem vir, sed mulier virum. Serpens ô Eua decepit te, decepit profectò, nõ impulit aut coegit. Mulier tibi ô Adam de ligno dedit, sed offerendo vtique, non violentiam inferendo. Neque enim potestate illius, sed tua factum est uoluntate, vt eius voci plus obedieris quàm diuinæ. Cæterum si ille sibi non præcauit ignarus, nos saltem nobis tot exemplis præmoniti caueamus. Imò verò quoniam periclitati sumus & nos miserabiliter in hac parte, de cætero iam remedium aliquod tantis prouidere malis sollicite studeamus. Quando enim fortis ille armatus, quem fortior superueniẽs alligauit, atrium illud olim suum valuit violentia aliqua obtinere? Sed vacuum sibique insipienter expositum domicilium reperit; & cum alijs septem nequioribus non fortioribus ingrediens, non irruens, libere habitauit. Quis vero illum admisit nisi propria voluntas? Ipsa est quæ in potestate tenebrarum denuo rediit, quæ nos

 iterum

Nõ vi sed caliditate debellat diabolus hominem. D. Ber de duplici baptismo.

iterum subdit mortis imperio. Veni domine Iesu, etiam nunc. Iesu bone eijce iterum fortiter, quem nos insipienter admisimus. Tunc enim vere liberi erimus etiam nunc: si nos liberaueris. Irritum fecimus fœdus primum, tibi peccauimus domine, sathanæ & operibus eius obligantes nos metipsos, iugo iniquitatis collum vltronea submittētes & subijciētes nos miseræ seruituti. Hæc Bernar. ¶ *Per ambulat per loca in aquosa quærens requiē & non inueniens dicit: reuertar in domū meam vnde exiui. Et cum venerit inuenit eam scopis mundatam. Tunc vadit, &c.* De Behemoth dicitur Iob. cap. 40. Sub vmbra dormit in locis humentibus. Et in hoc loco vides eum non quiescere in locis aridis & inaquosis. Loca ergo arentia (vt Gregor. ait) atque inaquosa sunt corda iustorum: quæ per disciplinæ fortitudinem ab omni carnalis concupiscentię humore siccantur: in his ergo Behemoth non dormit sed in locis humentibus. Loca enim humentia sunt terrenorum hominum mentes: quas humo carnalis concupiscentiæ quia replet, fluidas facit. In quibus Behemoth iste iniquitatis suæ vestigia tāto altius imprimit, quāto in eisdem mentibus per transitus illius quasi influxa terra descendit. Loca quidem humentia sunt opera voluptuosa. Pes quidem in arida terra non labitur: fixus verò in lubrica vix tenetur. In locis ergo humentibus iter vitæ præsentis faciunt: qui in hac ad iustitiam recti stare non possunt. In his itaq; locis humentibus Behemoth dormit: quia in reproborum hominū lubrica operatione requiescit. Cōtra verò Christus dominus in mōtibus, in collibus, in solitudinibus, in locis denique aridis & inaquosis habitat. Vadam inquit ad montem mirrhæ & collem thuris. Solent montes & colles aridi esse: at valles humidi. Montes ergo sunt viri sanctitate & iustitia præstantes, qui per diuinorum contemplationem & amorem, in altum se erigunt: aridi verò dicuntur, quod in se extinguant & exsiccent carnalis desiderij humorem. Hos montes visitat dominus: in his requiescit & non in locis humentibus vt Behemoth. Hinc est quod iustus pro suis viribus conatur hunc humorem exsiccare semper, & aqua spirituali & cœlesti desuper infundi. Pro hac expandit manus suas ad Deum, & animam suam sicut terram sine aqua carnalis videlicet concupiscentiæ. Hanc gratiam anima sitire, sicut terra quæ est sine humore aquam desiderare solet. Vnde velociter exaudiri meretur, quia deficit spiritus eius. Id est, voluntas & appetitus in terrenis atq; carnalibus rebus. Arida igitur est terra bonorum, & non habens humorem terrenæ delectationis. Non est sicut terra AEgypti, idest, mundi. vbi iacto semine in morem hortorum aquæ ducuntur irriguæ. Terra AEgypti est cor humanum & tenebris plenum, vbi semen iacit, qui in carne seminat, & radicem suam in mundanis rebus plantant: vbi carnalis delectationis aquas facile per mētis hortum ducit. In promptu est irrigatio hæc, sed quanto magis ad manum est, tanto facilius & citius & deficit & exsiccatur. Mons verò mens pia & deuota dicitur, ab infimis quidem atque terrenis delectationibus siccata: imò terra est illa montuosa quam dominus Deus dat suis: quia bonos & iustos subleuat à terrenis ad superna appetenda, quoties ascendit ad cor altum. Hæc terra desuper expectat pluuiam gratiæ: & hanc Deus immittere solet à principio anni vsque ad finem eius, hoc est, à natiuitatis tempore ad vitæ finem vsque: & infundere & irrigare de cœlo. Ad quas aquas corda iustorum anhelant: quia (sicut apud Iob legitur) radix eorum aperta est secus aquas, idest, occulta mentis cogitatio & intentio, ad fluenta gratiæ, donaque Spiritus sancti percipiēda expansa est. Has aquas sitiunt, & vt illarum digni fiant, à carnalium voluptatum aquis & arescunt, & vacui sunt. Diabolus ergo, quoniam semper illi pertinax voluntas est nocendi, obambulat per loca sterilia aridaque, hoc est, per mētes iustorū illis suggerēdo peccata, quærēs requiē. Quā quum non inueniat ad homines terrenos & voluptatibus deditos reuertitur, vnde per baptismum, aut pœnitentiam exierat: reuertar,

Iob c. 40. Diabolus in locis humentibus Christus in aridis habitat. D. Greg. li. 33 mo. c 5.

Can. 4. b

Psa. 142. b

Deu. 11. b Figura.

Iob. 29. c

Richar. sanct. Vic. in cant. c. 24

tar, inquit, in domum meam vnde exiui. Ad hanc igitur rediens, reperit eam scopis quidem mūdatam, sed vacuam. Hoc vbi videt, abit & adiungit sibi septē alios spiritus sceleratiores quàm ipse est, cumque tali soladitio commigrat in domum, purgatam quidem, sed incustoditam, nullique virtutum Euangelicarum præsidijs armatam. Nam ornamenta ceremoniarum præbent quidem speciem pietatis, sed quoniam, si nihil accedat, inania quædam rerum simulachra sunt, non arcent impiorum spirituum assultum, sed occasiu hypocrytis sunt maioris impietatis. Itidem accidit homini, qui purgatus ab vno dæmone, fit semptem peioribus obnoxius.

¶ *Fiunt nouissima hominis illius.* Id est, quæ illi posterius acciderūt peiora prioribus. Quomodo redeant peccata iam remissa disputat D. Thom. 3. p. q. 88. Lege quæ annotauimus in Matth. c. 18. ibi: tradidit eum tortoribus quousque redderet vniuersum debitum. ¶ *Fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.* Hi sunt peccatores illi de quibus aiebat olim Isaias, cap. 5. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculo vanitatis. Extendunt enim & dilatant iniquitatem quærentes varios & illicitos peccādi modos: donec in profundum malorum venerint. Per funiculos enim vanitatis intelligit vates, modos, vias, & occasiones delinquendi, quibus iniquitas augetur, & dilatatur. Eos improbat & infœlices vocat, qui in peccatis perseuerārit, & nouas in dies inuentiones admittendi flagitia inquirūt. Ideo vias peccandi funibus comparat, quia vt funes nectuntur ex filis, & ita producuntur, & dilatantur, sic peccatores peccatis peccata addētes, iniquitatem propagāt, & longissimam efficiunt: sicque fiunt nouissima illorum peiora prioribus. Lapis in gurgitem proiectus multos facit vndarum circulos, qui quo plures sunt, eò maiores efficiuntur, & latius dilatantur: nā vnus exortus alterum maiorem excitat, post quem alius oritur multo maior, & ita propè in infinitum, donec fluctus terram, vel aliquid aliud attingant, quod eorum multiplicationi obsistat. Eodem modo se habent peccata, nam ex vno alterū grauius oritur, ex quo aliud multo grauius producitur. Atque in hunc modum quę illi posterius acciderunt, peiora sunt prioribus. Atque ita crescerent in immēsum peccata, nisi diuina misericordia impedirentur.

Isai. 5. Explicatur locus. Nota de peccatoribus obstinatis.

D. Hieron. Simile.

¶ *Beatus venter qui te portauit.* Obserua: quod Pharisæis dicentibus in Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia, fœmina ista clamat, & inquit: beatus venter qui te portauit. Vt hoc exemplo significaret Dominus, quod in Ecclesia nunquam deerit fidei confessio. Et re vera ita erit. Deus enim ita assistet Ecclesiæ suæ, vsque ad seculi finem, vt vera fides nunquam in ea deficiat: nullum inquam erit tempus, in quo aliqui non sint, qui veram fidem per dilectionem etiam operantem non habeant. Quod D. Augustinus in illum locum Psalmi. 108. & ne auferas de ore meo verbum veritatis, vsquequaque: pulchrè his verbis ostendit. Ex ore suo quippe dicit, quia vnitas corporis loquitur, in cuius membris etiam illi deputantur, qui defecerunt ad horam negando, sed pœnitēdo postea reuixerunt: vel etiam martyrij quam perdiderūt palmam, reparata confessione sumpserunt. Non igitur vsq; valde: vel sicut quidam codices habent non (vsquequaque) id est, non omnino ex ore Petri: in quo erat typus Ecclesiæ verbum veritatis ablatū est: qui & si ad horam negauit timore turbatus, tamen flendo est reparatus, & confitendo est postea coronatus. Totum itaque corpus Christi loquitur, id est, Ecclesiæ sanctæ vniuersitas: in quo toto corpore, siue quia negantibus plurimis remanserunt fortes, qui vsque ad mortem pro veritate certarent: siue quia ex his qui negauerunt multi reparati sunt, non est ablatum ex eius ore verbum veritatis vsque valdè. Hæc Augustinus. Hoc sanè est, quod Dominus pollicitus est Petro apud Matth. cap. 16. Portæ, inquit, inferi non præualebunt aduersus eam. Portæ namque inferi peccata sunt mortifera: quæ merito portæ inferi appellantur: quod per illa fit paratus aditus ad inferos: hæc autem contra Ecclesiam Christi

In Ecclesia nūquā deerit confessio fidei.

August. in Psal. 108.

Matt. 16.

minime præualebunt: sic vt aliquo tempore contingat nullum esse iustum in ea. Portæ præterea inferi hæreses & schismata sunt: quod per ea quoque sit patens aditus ad inferos: hæc ergo nunquam ita præualere poterunt: vt Ecclesiam sanctā omnino polluant. Vnde. 24. q. 1. c. a recta, rectè profectò dicitur: hæc sancta & Apostolica mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia: quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur: nec hæreticis nouitatibus deprauanda succubuit, sed vt in exordio normam fidei Christianæ percepit ab autoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata fide tenus manet. Non ergo deterreamur si audierimus in Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia: nam nunquam deerunt qui contra dicant. beatus venter qui te portauit: non miremur si fuerint, qui affirment & clament: seducit turbas: nam nunquam deerunt, qui rursum asseuerent, & prædicent, bonus est: vt quosdam in Euangelio dixisse legimus.

Lucius Papa omnibus episcopis.

Ioan. 7.

¶ *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Intelligebat hæc sancta mulier Christum Deum verum & hominem esse: & hinc meritò inferebat quanta esset dignitas matris eius, quæ profectò maxima est. Erat enim magnum aliquid quod poteras mirari in Maria: scilicet cum virginitate fœcunditas. A sæculo enim non est auditum, vt aliqua simul esset mater & virgo. Quod si & cuius mater attendas: quo te tua super eius mirabili celsitudine ducet admiratio? Nonne adhoc, vt te videas nec satis posse mirari? Nonne tuo, imo veritatis iudicio, illa, quæ Deum habuit filium super omnes etiam choros exaltabitur angelorum? An non Deum & Dominum angelorum Maria suum audacter appellat filium, dicens: Fili quid fecisti nobis sic? Quis hoc audeat angelorum? Sufficit eis & pro magno habent quod cum sint spiritus ex conditione, ex gratia facti sunt & vocati angeli, testante Dauid: qui facit, inquit, angelos suos spiritus. Maria verò matrē se agnoscens, maiestatem illam cui illi cū reuerentia seruiunt, cum fiducia suum nuncupat filium. Mirare ergo, & elige quid amplius mireris, siue filij benignissimam dignationem, siue matris excellētissimam dignitatem. Vtrinque stupor, vtrinque miraculum. Et quod Deus fœminæ sit filius, illique tanquam matri obtemperet, humilitas absque exemplo: & quod Deo fœmina principetur sitque eius mater, sublimitas sine socio. In laudibus virginum singulariter canitur, quòd sequuntur agnum quocúque ierit. Quibus ergo laudibus iudicas dignam quæ & mater eius est & etiam præit? Merito ergo, hæc mulier clamat dicēs: beatus vēter qui te portauit. Nos igitur ad tantam matrem exclamemus ab illa spiritualia dona tanquam à mediatrice petamus. Quid ni impetrabimus? Si quidem nec facultas ei deest, nec voluntas. Regina cælorum est, misericors est: denique mater est vnigeniti filij Dei. Nihil enim sic potest potestatis eius seu pietatis magnitudinem commendare: nisi forte, aut nō creditur Dei filius honorare matrem: aut dubitare quis potest omninò in affectū charitatis transisse Mariæ viscera, in quibus ipsa quæ ex Deo est charitas nouem mensibus corporaliter requieuit.

Maria qđ mater Dei sit & nominetur dignitas maxima.

Lucæ 2.

Psal. 103.

Vi. Bern. hom 2. super missus est.

Bern. ser 1. in assumptio. Beat. Mar.

¶ *Beatus venter qui te portauit.* Fœlix profectò talis vēter in quo apparuit gloria Dei. & super quem tanquam super verum tabernaculum testimonij visa fuit hæc superna gloria. ¶ Fœlix venter qui factus est templum Dei, arca Dei, sacrarium Spiritus sancti. ¶ *Beatus venter* qui factus est desertū illud de quo apud Osæam dicitur: adducet vrentem ventum Dominus de deserto super eos, & siccabit venas eius. Ventum vrentem quem adducet Dominus de deserto ascendentē, illū intelligimus (inquit Hier.) de quo & in Abacuc legimus: Deus ab austro veniet & sanctus de monte Pharam. Hunc itaque ventum vrentem qui siccet venas mortis, & fontes eius arefaciat: adducet Dominus de deserto ascendentem: hoc est de virginis vtero: qui meritò desertū appellatur, quod absque semine humano nulla fructice pullulauerit: sed virga simplex atque purissima & vnione fœcunda ediderit eum florem, qui dicit in cantico

Exod. 40.

Vterus virginis multipliciter commēdatur.

Osea. 13.

D. Hiero.

tico canticorum: ego flos campi, & liliũ conuallium. ¶ *Beatus venter*, qui factus est primum nouumque sepulchrum, vbi positus est Dominus, cum in mundum intrare voluit: & post nouem menses hominibus apparere: vbi ingressus est rex Israel, vt mutaret habitum suum: indeq; egressus bellum ingrederetur. ¶ *Beatus venter*, de quo sponsus ait venter tuus, sicut aceruus tritici vallatus lilijs. Ipse enim virginis vterus plenus fuit pane illo cœlesti, & tritico illo diuino, quẽ qui manducauerit viuet in æternum: vallatus sané innumeris virtutibus. ¶ Hic est fœlix ille vterus, qui ab eodẽ sponso hortus conclusus semel, atque iterum nominatur, atque fons etiam signatus. Vt in concipiendo virginitas, & in pariendo eius significetur integritas. Proinde dicamus, & nos fœliciter cum dilecto, dicamus omnes vno ore vnoque animi consensu: hortus conclusus est, vterus tuus, ô Dei genitrix, hortus conclusus, fons signatus. Vnde hortus? Nam inde nominatur hortus, quod semper ibi aliquid oriatur, quia cum terra semel in anno aliquid creet, hortus nunquam sine fructu est. Vnde ergo hortus est venter tuus ô dilecta dilecti, nisi quia ante illum natum est aliquid, quod nunquam desinit, & fructus eius nunquam marcessit, & deficit. Maxime autem hoc mirum est, imo verũ atque iocundum, quia de horto isto prædicatur quod sit conclusus. Quomodo enim hortus, si conclusus? Nunquam simile huic auditum est, de omni nostrorũ multitudine hortorum, nec potuit dici, vel esse hortus non habens aditum, per quem saltem vnus intraret vel exiret hortulanus. Hic hortus vnus, vel solus est & clausus vel conclusus, hic vterus vnus est & fœcundus, & incorruptus. Vterus ergo sponsæ hortus conclusus. Quod vero bis dicitur conclusus eó est, quod in conceptu, & in partu incorruptus permãsit. Beatus ergo talis venter qui Dominum gloriæ concepit & portauit & peperit clausus omnino permanẽs. ¶ En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel: vniuscuiusque ensis super fœmur suum propter timores nocturnos.

Hieron. — *3. Re. 11. Figura.* — *Can. 7.* — *Rup. li. 4. in can. c. 4.* — *Can. 3. Figura.*

A Quis enim est (inquit Rupertus) lectus veré, & veri pacifici regis Salomonis, qui inter nos & Dominum pacem composuit? Nisi ille in quo diuina natura humanam sibi naturam coniunxit. Et quis ille est, nisi vterus tuus dilecta dilecti, vterus virginalis? Ibi namque diuinitas verbi Dei, verbum Dei sese conclusit, & humanam naturam, de tua carne formatam, sibimet in vnitate personę inseparabiliter coniunxit, & ecce sponsus, id est, carnem nostram, cũ anima rationali habẽs Deus, spõsus, inquam, Deus & homo Christus,
B sicut canimus in Psalmo, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Patres vero illi antiqui erant viri fortissimi veré tenentes gladios & ad bella doctissimi. Nondum enim processerat sponsus de thalamo suo, & adhuc laborabat diabolus per satellites suos, reges Aegyptios, reges Assyrios, Persicos, Græcos laborabat, inquam, & laborauerat diabolus serpens antiquus obsistere volẽs Dei proposito, ne impleretur promissio, ne collocaretur hic lectus siue thalamus, ne esset vnde nasceretur hæc beata & dile-
C cta virgo, de cuius vtero procedere oportebat dilectum, tanquam spõsum de thalamo suo. Isti erãt timores nocturni quos dicit hoc modo, vniuscuiusque ensis super fœmur suum propter timores nocturnos. Hinc veré ad bella doctissimi, quia cur bellarent causam præ oculis habebant huiusmodi. Hæc Rupertus.

¶ En etiam thronum grandem, quẽ de ebore fecit sibi rex Salomon, quem vestiuit auro fuluo nimis: qui habebat sex gradus: & eius summitas erat rotunda in parte posteriori: & duæ manus hinc atq;
D inde tenentes sedile, & duo leones stabãt iuxta manus singulas. Et duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc, atque inde: non est factum tale opus in vniuersis regnis. Sic enim sacra narrat historia. 3. Regum. cap. 10. Rex ergo Salomõ Saluator noster est, rex sane nobis in hoc exilio pacificus, pacificans per sanguinẽ suũ siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt. Hic fecit thronum, hoc est, virginis beatum vterum: in quo nouem mensibus sedit illa maiestas, quæ nutu concutit orbem.

Rup. li. 3. in can. — *Psalm. 18.* — *3. Reg. 10. Figura.* — *Col. 1.*

bem. Iste thronus est, sicut sol in conspectu Dei: ex quo vox illa: ecce noua facio omnia. Per hoc enim vetera innouantur. Fecit, inquam, thronum grandem de ebore. Ebur frigidum, forte, & candidũ est: quid autem grandius ea quæ magnitudinem diuinitatis intra sui ventris conclusit arcanum. *Vestiuit, inquit, eum auro*, id est, totam virginem tota diuinitas indiuisibiliter plenior gratia superfudit. *Fuluo*, *inquit*, *nimis*, quia cum insit creaturis omnibus quatuor modis: bonis & malis per essentiam, bonis per operationem: eis quos futurorum cognitione nobilitat, per illuminationem: matri inest soli per identitatem. Habitat enim in angelis, sed nõ cum angelis: cum quibus non est eiusdem essentiæ. In virgine autẽ habitat & cum ea. Vnde angelus ait: Dominus tecum. *Sex gradus habebat thronus iste*: ad illum ergo tu per septem hos gradus ascendere debes. Elige meditari quæ sancta sunt, quia peruersæ cogitationes a Deo separant: & primum gradum ascendisti: insuesce linguam tuam bene loqui & ascendisti ad secundum. Iuste quod iustum est operare, & tertium ascẽdere meruisti. Relinque mundum & quæ eius sunt, & ad quartum cacumen euolasti. Perseuera, & sextum viriliter tenuisti, vt iam ad illam gloriam aspires in qua regione angelorum gloriosam reuerberat dignitatem. *Eius (inquit) summitus erat rotunda in parte posteriori*. Quia finis eius qui per partem posteriorem intelligitur est gloria: quæ sicut figura rotunda initium & finem non habet. *Duodecim leunculi stabant super gradus*: quia duodecim Apostoli præmisso modo in gradibus stantes reginam non sine stupore mirantur & dicunt: quæ est ista quæ ascendit. *Duæ manus tenebant hinc & inde sedile*. Id est, actiua & contemplatiua vita. Si enim recorderis quomodo filium lactauerit, & omnes sustinuerit vagientis pueri actiones, intelliges eam in actiua plurimorum ministrasse. Si autem audis quomodo omnia verba eius conferebat in corde suo contemplatiuam in ea vitã cognosces. *Duo leones stabant iuxta manus singulas*. Hi sunt Gabriel & Ioannes, quorum alter dexteræ alter sinistræ virginis est custos deputatus. Gabriel mentem: Ioannes carnem seruabat. Et bene leones, propter altissimæ vocis rugitum: quorum vnus, aue gratia plena: alter, in principio erat verbum clamando, talia orbi nunciauerũt, vt eorum comparatione quicquid dicitur sit quasi mutũ. Nobis itaque virgo cuius pulchritudinẽ sol & luna mirantur subueni clamantibus: reuertere reuertere Sunamitis vt intuamur te, ter benedictum & super reuertere. Primum per naturam. Nunquid quia ita sublimata es, ideo nostræ mortalitatis oblita? Nequaquã domina. Nosti in quo discrimine nos reliqueris, vbi iaceat tui, quantum delinquant serui tui. Tantæ ergo misericordiæ non congruit tantã miseriã obliuisci, quia & si te subtrahit gloria, reuocat tamen natura. Non es ita impassibilis, vt sis incompassibilis. Et ideo non ita memoraris gloriæ Dei solius, vt misericordiam non habeas. Reuertere secundo per potentiã: quia fecit in te magna qui potens est. Quid tibi negabitur, quæ Theophilum de ipsis faucibus diaboli eruisti? Quomodo illa potestas tuæ potentiæ poterit obsistere, quæ de carne tua carnis suæ suscepit originem? Accedis ad illud reconciliationis altare: non solum rogans, sed & imperans. Moneat ac moueat ergo te natura, moneat potentia: quia quanto potentior tanto misericordior esse debes. Reuertere tertio per amorem. Scio Domina quod benignissima es, & amore nos amas inuincibili: quos in te & per te filius tuus, & Deus tuus summa dilectione dilexit. Quis scit quoties restringas iram iudicis cuius iustitiæ virtus à facie deitatis egreditur? Reuertere quarto per singularitatem. In manibus tuis sunt thesauri misericordiæ Dei. Absit vt cesset manus tua: neque enim tua gloria minuitur, sed augetur cũ pœnitentes ad veniam, iustificati assumũtur ad gloriam. Reuertere ergo Sunamitis, id est, despecta, quæ fabri vxor est appellata: cuius animam pertransiuit gladius. Ad quid? Vt intueamur te. Summa gloria est te post Deum videre, tibique adhærere, & in tua protectione commorari.

rari. Audiuit nos quam filius nihil negãs honorat. Quare dicamus filio, ò terque quaterque beatus vẽter, qui te portauit: beatus thronus ille super quem sedisti, & quem tantis muneribus decorasti.

Vgo de S. Victo. 3. p. lit. 41.

¶Ecce nouus paradysus primo illo terrestri paradyso fœlicior ac beatior, quem plantauit vnus idemque antiqui paradysi plantator Dominus Deus. Plantauerat autem Dominus, ait Scriptura, paradysum voluptatis à principio, in quo posuit hominem, quem formauerat. Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu & ad vescendũ suaue: lignum etiam vitæ in medio paradysi, lignumque scientiæ boni & mali. Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradysum, qui inde diuiditur in quatuor capita. Ille est paradysus antiquus (inquit Rupertus.) paradysus terrenus. Iste est paradysus nouus paradysus cælestis. Vtriusque plantator est vnus idẽque Dominus Deus. In illo posuit hominem quem formauerat: in isto formauit hominem, qui apud ipsum in principio erat. De ista humo produxit omne lignum pulchrum visu, & ad vescẽdum suaue. Lignum etiam vitæ in medio paradysi: istam humum, istam terram suã benedixit, & ex ea cunctarum germina gratiarum & cunctarum exemplaria virtutum produxit: ipsum quoque lignũ vitæ Christum, Deum & hominem Dominum paradysi cælestis. De illo voluptatis loco egrediebatur fluuius ad irrigandũ paradysum, qui inde diuiditur in quatuor capita. De isto paradyso ille fluuius, siue illud flumẽ egressum est de quo Psalmista dicit: fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, qui inde diuiditur in. 4. Euãgelia. Hæc Rupertus.

Gen 2. Figura.

Psalm. 45. In cant. c. 4. lib. 4.

¶*Et vbera quæ suxisti.* Beata profecto virginis vbera quę Deus homo factus suxit. Hæc sunt vbera illa tantopere ab sponso qui illa suxit laudata in Canticis. Duo, inquit, vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in lilijs, donec aspiret dies & inclinẽtur vmbræ. Quasi dicat sponsus, ò vbera verè gratissima, atq; pulcherrima duo vbera manu altissimi formata. Quę alia duo significant vbera,

Can. 4. Vbera virginis qualia, & quid præ se ferrent.

A scilicet virginitatẽ & fæcunditatẽ. Quorum pulchritudo ò in tuis dilecta vberibus castis, vberibus fœmineis quæ me lactauerunt, maxime spectanda est. Specta te amici vbera hæc, imo in vberibus istis duo hæc, virginitatem, atque fæcunditatem. Nonne sunt hæc sicut duo hinnuli capreæ gemelli? Nunquam visum est simile huic in montibus, siue collibus nostris, sed neque videbitur in seculis sempiternis, vt vni capreæ fiãt duo tales hinnuli gemelli, vni fœminæ contingat, qua B tenus eiusdem vberibus & filiũ lactet, & virgo sit. Aspicite hoc & admiramini, videte & congratulamini, quia caprea hæc tales hinnulos ita geminos edidit, quia fœmina hæc dũ quasi caprea per montes exilit, dũ cælestibus, vel supernis animo intendit, gemella hæc plenæ gratiæ dona fœliciter apprehendit, vt & mater & virgo sit. Quid faciemus gemellis istis? Pascuntur & pascantur in lilijs, donec aspiret dies, inclinentur vmbræ, id est, secreto custodiantur, in silentio habeãtur, C nec publicẽ prædicentur, quod ita sint gemelli, donec resurgã à mortuis, quod est aspirare diẽ & inclinari vmbras mortalitatis. Omnino secreta sunt in lilijs hæc, id est, in illis siue penes illos, quibus inest & candor & suauis odor castitatis, qualiũ prima fuit, cuius in vtero infans ad odorem nostrũ exultauit longẽ à filiabus illis, quarũ sunt septẽ dæmonia, hoc est, septem vitia, tuis virtutibus cõtraria: scilicet, altitudo oculorũ, compositio capillorũ, voracitas dentiũ, incontinentia labiorum, irreuerentia genarũ, colli erectio nimia, subactionis, atq; cõfractionis D frequens iniuria. Tẽpus erit quando hęc tua, quæ nũc secreta sunt, oporteat prędicari ad gloriam Dei. ¶Hæc sunt vbera illa de quibus statim sponsus addit: pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea spõsa: pulchriora sunt vbera tua vino. Quasi dicat sponsus: amici auscultant hæc & intelligunt me hoc dicere, hoc admirari, quia mater & virgo es, & hũc esse fructũ vnius oculorũ tuorũ, & vnius crinis capitis tui: quod cum te reputares indignam viro, facta es digna Deo: cũ te indignam iudicares facere semen in Israel, facta es digna

Luc. 1.

Luc. 8.

digna facere salutem in Israel, cum indignam te reputares lactare filium hominẽ, digna habita es mammis pulchris, vberibus pulcherrimis, mámis virgineis, vberibus intactis, lactare filium Dei & hominem. Voces istæ, voces lætitiæ nostræ sunt, lætitiæ Patris, & Filij, & Spiritus sancti in istis operibus nostris, in mammis siue vberibus tuis, semel duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, quod iã supradictum est: & nunc iterum, quã pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa, ac tertiò pulchriora sunt vbera tua vino. Hæc enim egregia sunt opera Trinitatis, hęc gratiora valdeque pulchriora primis operibus illius, dicentis faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, plasmantis de terra Adam, & fabricantis de costa eius Euam. Nunquid enim non valde pulchrius est, sicut nũc, de vtero mulieris, absque viro virum facere, quàm tunc de costa viri mulierem fecisse? Illic nanque de viro mulier facta est, quæ perdat, hic de muliere vir factus est, qui perdita saluet, propter quod & factus est. Pulchritudo eius operis iucundius spectatur in mammis siue vberibus tuis, quando iam peracta est species tantæ pulchritudinis, quando iam natus lactor mammis tuis, mámis fœmineis, vberibus virgineis. ¶ Poterã sic dicere, quia sola vbera tua me lactantia pulchra sunt, cæterarum cuncta vbera fœminarum, ex quo id acceperunt, vt filios suos lactare possent, etiã si quid pulchritudinis prius habuerunt, pulchra esse desierunt, ita vt re ipsa quisque lactentium veraciter dicat: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis cõcepit me mater mea, scilicet, in peccatis Adæ, in iniquitatibus Euæ.

Psalm 50. Vid. Rup. li. 3 in cã. c. 4.

¶ *Quin imo beati.* Respuit vt vides Christus Dominus in hoc loco laudes humanas. Vt discamus & nos recte viuere, & laudes hominum contemnere, ne in gloriam vanã incidamus. De qua re sic Aug. ait. Cordis mundatio, est tãquam oculus quo videtur Deus: cuius simplicis habẽdi tantam curam esse oportet, quantam eius rei dignitas flagitat, quæ tali oculo conspici potest. Huic autem oculo magna ex parte mundato, difficile est nõ surrepere sordes aliquas de his rebus, quæ ipsas nostras bonas actiones comitari solent, veluti laus est humana. Si quidem non recte viuere perniciosum est: rectẽ autem viuere & nolle laudari, quid est aliud quàm inimicum esse rebus humanis, quæ vtique tanto sunt miseriores, quanto minus placet recta vita hominũ? Si ergo inter quos viuis, te rectẽ viuentẽ non laudauerint, illi in errore sunt: si autem laudauerint, tu in periculo, nisi tam simplex cor habueris, & mundum, vt ea, quæ rectẽ facis, nõ propter laudes hominum facias, magisque illis rectẽ laudantibus gratuleris, quibus id, quod bonum est, placet, quã tibi, nisi quia rectẽ viuis, etiam si nemo laudaret, ipsamque laudẽ tuam tunc intelligas vtilem esse laudantibus, si non te ipsum in tua bona vita, sed Deum honorent, cuius sanctissimum templum est, omnis qui bene viuit. Qui autem bonitatem simulant, duplici corde sunt. Non ergo habet simplex cor, id est, mundum cor, nisi qui transcendit humanas laudes, & illum solum intuetur, cum rectẽ viuit, & ei placere nititur, qui conscientiæ solus inspector est. De cuius consciẽtiæ puritate quicquid procedit, tanto est laudabilius, quanto humanas laudes non desiderat. Hæc Aug.

Qui mundo corde sunt laudes humanas contẽnunt. Libr. 1. de ser. dom. in monte.

¶ *Quin imo beati qui audiunt verbum Dei.* Vel. Certe beati. μενοῦνγε. Græce idẽ est, quod Latinẽ. Atqui, quinimò, verẽ, certẽ. His ergo verbis consolatur Christus mulierem. Quasi dicat: ne desperes quod nomen beatæ consequi posses, si enim credideris mandataque seruaueris beata quoque eris. Certẽ beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Christus ergo non renuit, sed perficit illius prædicationem dicens: sanẽ beati sunt qui audiunt sermonem Dei, & seruant illud in animo suo, ne effluat, vt aliquando producat fructum æternæ salutis. Id multo fœlicius est, quàm gessisse corpus corpore, aut lacte nutrisse. Vna tãtum potuit gestare, aut lactare. Cæterum hæc beatitudo potest omnium esse communis.

¶ Quin

D. Aug.

¶ *Quinimo beati, &c.* D. Augustinus explicans hunc locum tracta. 10. super Ioannem sic ait. Cum Dominus in turba admirabilis videretur, faciens signa & prodigia, & ostendens quid lateret in carne, admiratæ quædam animæ dixerunt, fœlix venter qui te portauit. Et ille, imo fœlices qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud: hoc est dicere, & mater mea quam appellaris fœlicē, inde fœlix quia verbum Dei custodit, nō quia in illa verbum caro factum est & habitauit in nobis: sed quia custodit ipsum verbū Dei, per quod facta est, & quod in illa caro factum est. Homines non gaudeant prole temporali, exultent si spiritu iunguntur Deo. Hæc August. His ergo verbis generalibus plus multo cōmendata est a Christo virgo beata quàm à fœmina verbis illis peculiaribus: nam Christi verbis laudata est eius anima: mulieris vero verbis commendatum est eius corpus. Illa quidem sermone suo extulit corporis munera: Christus autem liberi arbitrij (diuina affecti ope) officia commendauit. Beatitudo enim vera, fide & operibus charitate & Dei amore affectis, cōparatur. Quare tunc verè beati sumus spe, cum verbū Dei & audimus libenter, & diligēter custodimus. Beata ergo virgo omnibus simul creaturis beatior & fœlicior profecto fuit: quod ita & audiuit, & seruabit verbum Dei, vt excellentior, ac dignior efficeretur tota residua Ecclesia. Ideo enim de illa exponitur signum illud magnum quod apparuit in cęlo mulier amicta sole & luna, hoc est, Ecclesia sub pedibus eius, quod superemineat toti Ecclesiæ, vno excepto capite Christo. Cuius humana natura nobilior & dignitior, atque perfectior est ipsa Ecclesia militante. De illo enim ait regius propheta speciosus forma præ filijs hominum. Tam perfecta ergo fuit Maria, vt fundamenta eius posita essent super montes sanctos. Infima enim virtutum eius excellentiora, atque digniora erant omnibus heroicis Apostolorum vniuersorum virtutibus. Quare iure optimo illam Dominus laudibus effert dicens: esse potius beatiorem quod audierit verbum Dei & custo-

Turrecre lib. 1. de ecclesi. c. 8. Vt. de pœnit. & remi. cap. noua quædam.

Psalm. 44.

A dierit illud: quàm quod illum corpore suo gestauerit. ¶ *Quinimo beati qui audiunt verbum Dei, &c.* Quam benigne adiendum sit verbum Dei, quàm deuotē suscipiendum, quàm solicitē conseruandūm quicquid ad animarum salutē pertinet, & non sicut verbum hominū, sed sicut (quod verē est) verbum Dei, siue illud sit consolatorium, siue comminatorium, siue etiam increpatoriū docet hic locus: quando beati & verē fœlices dicūtur, qui illud & audiunt & conseruant vt B fructum æternæ vitæ ferant. Verum ego vnum timeo (inquit Bernardus) ne toties audita verba salutis, vilescere nobis incipiant tanquam verba. Vilis siquidem & volatilis res verbū hominis, nullius molis, nullius pōderis, nullius pretij, nullius soliditatis. Aerem verberat, vnde & verbum dicitur: & sicut folium quod vento rapitur, effluit, & non est qui consideret. Nemo vestrū sic accipiat: imo nemo sic despiciat verbum Dei. Dico enim vobis bonum illi fuisset si non audisset homo ille. Fructus vitæ sunt verba Dei non folia: & si folia, sed aurea sunt. Proinde non C parui pendantur, non pertranseant non præter volent. Ipsa quoque colligite fragmenta ne pereant. Terra enim quæ sæpius superuenientem susceperit imbrē, & non fecerit fructum, terra reproba est, proxima maledicto. Sic & ea quæ in Euāgelio sterilis ficulnea legitur, si postea quam foderit circa eam vineæ cultor, atque miserit stercora, nihilominus sterilis inuenta fuerit, nonne iam securis ad radicem illius arboris est ponenda? Benigne ergo audiamus & suscipiamus, & cōseruemus verbum Dei, si beatos nos esse D & non infœlices volumus. Sed vt hæc altius & exactius pertractemus audi quæ sequuntur. ¶ Sunt nonnulli qui Dei verbum non audiunt: qui indigni facti sunt hoc panē cælesti quem ab illis ob scelera sua subtrahit Dñs. Sic enim ait Amos propheta. c. 8. Ecce dies venient dicit Dominus & emittam famem super terram: nō famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini. Mittit enim Dominus (inquit Hiero.) famem in terram super eos qui terrena sapiunt: & famem audien-

Quomodo sit audiendum verbū Dei.

D. Ber. ser. 1. Apostolorum Petri & Pau.

Amos 8.

Hieron.

audiendi verbum Domini, quando propter peccata populi doctrina deficit in Ecclesijs. Hoc idem prædixerat Isaias. c. 8. Quod si non dixerint iuxta verbū hoc, non erit eis matutina lux. Et transibit per eam & corruet, & esuriet: & cū esurierit irascetur, & maledicet regi suo, & Deo suo. Et suscipiet sursum, & ad terram intuebitur: & ecce tribulatio & tenebræ & dissolutio & angustia; & caligo persequens, & nō poterit auolare de angustia sua. Sensus est, si non dixerint confugiendum esse ad legem, & ad verbum Dei audiendum & consulendum, sed ad ariolos & mortuos, in caligine versabuntur. Habebunt in profundo veritatē demersam. Transibit lux per eam gentem Dei verbi contemptricem, eamque deseret lumine destitutam; quæ ob sua flagitia corruet, esuriet, irascetur, & Deo atque regi suo malum imprecabitur. Aspiciens sursum & deorsum expectabit auxilium, sed nullum videbit, neque à Deo, neque ab hominibus, imò omnia illi tristia, atque infœlicia apparebunt. Erit illi ob magnū metum membrorum dissolutio, calamitas & caligo. A quibus afflictionibus eripi non poterit. Nihil denique erit tā miserum, quod in eius calamitatem cadere non videatur. Aspicis hic in quot quamque varias atque miseras incidūt calamitates, Dei verbum non audientes, sed cōtemnentes. Miseri ergo tales qui non audiunt verbum Dei.

Isai. 8.

Pœna negligentiū verbū Dei.

¶ Sunt alij, qui & si aliquandiu verbo Dei pascuntur, sapientiam secularem dimittentes, & AEgyptias ollas contemnētes: tandem murmurantes contra cœlestem panem ad virulentias AEgyptiorū quæ sunt poetarum carmina, & ad vanas philosophorum scientias redeunt. Hi profecto significantur in populo Israel qui postquam iuxta montem Sinai commoratus est vno anno & diebus quatuor, mira dispositione castrorum, egressus est in solitudinem Pharan, quæ interpretatur onager aut feritas: ibique sucubi malæ bestiæ, fastidiens cœlestem panem & AEgyptiorum carnes desiderans: quando multos subito vorauit incendium: & intercedente Moyse humum vorax flamma consumpsit. Tunc accipiunt coturnices & vsque ad nauseam ac vomitum deuorant. Saturatoque populo dum adhuc escæ essent in ore ipsorum, ira Dei ascendit super eos, & occidit pingues eorum & electos Israel præpediuit: ne ad malū velociter currerent: vnde & appellatus est locus, sepulchra concupiscentiæ. Ex quibus omnibus nos omnes docemur, qui sapientiam dimisimus secularem, & AEgyptias ollas contempsimus, non debere murmurare contra cœlestem verbi Dei panem, nec hic virulentias (vt diximus) AEgyptiorum, quæ sunt poetarum carmina sed simplicem mannæ cibum quærere: alioquin si rursus eas voluerimus appetere vorabimus vsque ad nauseam: & statim domini igne torquebimur, desideriumque nostrum vertetur in tumulos, vt simus sepulchra dealbata, quæ foris apparent hominibus speciosa, intus autem sunt plena ossibus mortuorum & omni spurcitia. D. Hiero. fabiolæ de. 40. mansionibus. 13. matt.

Figura Num. 11.

D. Hiero.

¶ Sunt alij, qui reiecto Dei verbo quod semel in animo susceperant: hæreticorū verbum libenter audiunt, vt experimento in hæreticis didicimus. Hi non beati sed infœlices sunt. De his enim dicere possumus quod apud Matthæum ait Dominus væ pregnantibus & parturiētibus in illis diebus. Quæ verba explicans D. Hiero. ait: Discalciemus nos pelle literæ nudisque pedibus cum Moyse ascendentes montem Sina, dicamus: Transiens videbo visionē hanc magnam, vt possimus intelligere pregnantes animas, quæ de semine sermonis Dei initia fidei conceperunt, & dicunt cum Isaia: A timore tuo Domine concepimus & parturiuimus, & peperimus spiritum salutis tuæ, quem fecisti super terrā. Sicuti semina paulatim formantur in vteris, & tamdiu non reputatur homo, donec elemēta confusa suas imagines membraque suscipiant: ita sensus ratione conceptus, nisi in opera proruperit, adhuc in ventre retinetur: & cito abortio perit, cū viderit abominationem dessolationis stantem in Ecclesia: & Sathanam transfigurari in angelum lucis. Has ergo reor iuxta mysticos intellectus

Matt. 24.

D. Hiero.

Exod 3.

Esai. 26.

1. Thes. 2. ctus esse mulieres: de quibus Apostolus scribit: mulier seducta in transgressione facta est. Saluabitur autem per filiorum generationem, si permanserint in fide, & charitate, & sanctitate cũ pudicitia. Quę si de sermone diuino aliquando generarit, necesse est quæ generata sunt crescere, & primum accipere lac infantiæ, donec perueniant ad solidum cibum, & ad maturam ætatem plenitudinis Christi. Omnis enim qui lacte alitur imperitus est in ratione iustitiæ. Paruulus enim est. Hæ igitur animæ quę nedum pepererũt, siue quæ nedum potuerunt quæ generata sunt alere: cum viderint sermonem hæreticum stantem in Ecclesia: cito scandalizantur & pereunt, & in tempestate, atque persecutionibus permanere nõ possunt, nec verbum Dei retinere, atque cõseruare: præsertim si ocium habuerint bonorum operum, & non ambulauerint in via, quæ Christus est. De hac abominatione hæreticæ peruersæque doctrinæ dicebat Apostolus, quod homo iniquitatis & aduersarius eleuet se cõtra omne quod dicitur Deus, & religio, ita vt audeat stare in templo Dei, & ostendere se quod ipse sit tanquam Deus: cuius aduentus secũdum operationem Sathanæ, & ea quæ cõcepta sunt facit perire abortio: & quæ sunt nata, ad pueritiam & ad perfectam ætatem peruenire non posse. Quamobrẽ orandus est Dominus: ne in exordio fidei & crescẽtis ætatis oriatur hyems, de qua scriptũ est: hyems transijt, imber abijt sibi: ne ocio torpeamus, sed imminẽte naufragio suscitemus dormientem Dominũ, atque dicamus præceptor salua nos perimus. Vide Hierony. Algasiæ scribentem quæstione. 4.

2. Thes. 2.

Cant. 2.

¶ Sunt autem alij qui & si quotidie verbum Dei prædicetur, illud tamen aut audire, aut seruare non curant, vt fructum ferãt: sed potius voluptatibus dediti animas suas diabolo vendunt: hi sane nõ beati, sed infœlices etiam sunt, cum maximo periculo sint expositi, ne animas suas diabolus perpetuo possideat. Leuitici capit. 28. ait Dominus: qui vendiderit domum intra, vrbis muros habebit licentiam redimendi donec vnus annus impleatur.

Leuit. 25. Figura.

A Si non redemerit & anni circulus fuerit euolutus: emptor possidebit eam & posteri eius in perpetuum. Per vrbem Ecclesiã significari docet Isaias. c. 26. vrbs fortitudinis nostrę Sion, Saluator ponetur in ea murus & ante murale. Fidelis ergo qui in Ecclesia Catholica vitam degit, peccatis tamen deditus, audire non vult vocẽ incantantium, benefici incantantis sapiẽter, sed potius obturat aures suas: licentiã habet redimendi per veram pœnitentiã domum suam, hoc est, animam suam, quã B diabolo vendidit: intra annum illum, de quo Christus olim per Isaiam dixerat: vt prædicarem annum placabilẽ Domino. Si enim in hoc tempore gratiæ redimere illam noluerit væ illi: nam peracta vita emptor diabolus, atque possessores eius, hoc est, cæteri dæmones in perpetuũ possidebunt eam. Hi sunt de quibus Dominus per Isaiam ait. c. 30. Populus ad iracũdiam prouocans est: & filij mẽdaces, filij nolentes audire legem Dei. Qui dicunt videntibus: nolite videre, & aspiciẽtibus: nolite aspicere nobis quæ recta sunt: lo- C quimini nobis placentia. Quasi dicant peccatores omnes: nolite nobis videre quæ recta sunt: ne gehennæ flammas cõminemini, sed promittite nobis regna cęlorum, vt post luxuriam & delicias, pendatur nobis paradysus. Quid mihi ostendis viam Domini per quam non libenter ingredior? Quid replicas verbum sancti Israelis, quod mei pectoris arcana nõ penetrat? Væ hominibus istis nam eueniet illis, ni sapiant, quod statim Dominus minatur dicẽs: pro eo quod reprobastis verbum hoc & speratis in calũnia & tumul- D tu: & innixi estis super eo. Propterea erit vobis iniquitas hæc sicut interruptio cadẽs & requisita in muro excelso: quoniã subito dum non speratur veniet cõtritio eius. Et comminuetur sicut conteritur lagena figuli contritione perualida: & non inuenietur de fragmẽtis eius testa in qua portetur igniculus de incendio: aut hauriatur parũ aquæ de fouea. Quasi dicat: vt pars muri minans ruinam repente cadit, & secum magnam muri partem trahit, sic iniquitas vestra & fiducia hæc vana quam habetis in opibus & in homini-

Isai. 26.

Psalm. 57.

Isai. 61.

Isai. 30.

Describit pœnam cõtemnẽtiũ verbũ Dei

bus erit in causa vt vos breui ruatis miserrimé. Et ita conteremini sicut hydria figuli quando in minuta frustra comminuitur. Aspice perditissimorum hominum corruptelam & cæcitatem; aspice eorum pœnam & infœlicem exitum. Talis erat Achab qui interroganti Iosaphat vtrum esset aliquis propheta Domini qui veritatem prædiceret, hæc verba respondit: remansit vir vnus, per quem possumus interrogare Dominum, sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum. Et paulo post refert scriptura eundem regem iratum vaticinio prophetæ eum in carcerem coniecisse, vbi pane afflictionis, & aqua angustiæ sustentaretur. Et Asa alium prophetam illi veritatem dicentem in carcerem relegauit. Sed Achab seductus per falsos prophetas miserrimé perijt in bello. Assa vero dolore pedum vehementissimo affectus infœliciter mortuus est.

3.Reg 22.

2.Par. 16.

¶ Sunt alij in Ecclesia fideles qui tantum Dei verbum audiunt, vt dulci verborum sono delectentur, non vt faciant quod illis prædicatur: de quibus Dominus apud Ezechielem. capit. 33. ait. Et tu fili hominis fili populi tui: qui loquūtur de te & dicunt: venite & audiamus quis sit sermo egrediens à Domino. Et veniūt ad te & audiunt sermones tuos & non faciunt eos: quia in canticum oris sui vertunt illos. Et est eis quasi carmen musicum quod suaui dulcique sono canitur. Et audiunt verba tua & non faciunt ea. Istiusmodi innumeros in Ecclesia inuenies: eorum similes qui theatralibus luduntur carminibus, & vel tragædos audiunt vel comædos, & ibi cum voluptate palpantur, ita cum egressi fuerint à prędicatore replicent ea & decantent, & dulci sono se decipiant. Et audient, inquit, verba tua & non facient ea. Tales sunt vsque hodie multi in Ecclesijs, qui aiunt: venite audiamus illum & illum: mira eloquentia prædicationis suæ verba voluentem, plaususque commouent & vociferantur & iactant manus: sed non faciunt quæ audiunt. Hi sané miseri & infœlices etiam sunt nam vt statim Dominus addit: cum venerit quod prædictum est (ecce enim veniet) tunc scient quia prophetes fuerit inter eos. Id est, quæ operibus neglexerant postquam aduenisse cognouerint, necesse enim est euenire quod propheta Dei sermone pronunciat, tunc incipient approbare & nosse, quod cuncta quæ audierant non fuerint hominis verba, sed Domini, qui per prophetam & virum Ecclesiasticum locutus est. Huiusmodi ergo fideles, & si comedant quotidie panem hunc cælestem & suauem nihil proficiunt eo quod non saturentur. Quamuis enim comedant audiendo non tamen saturantur operando quæ audiunt: sed solum panis suauitate contenti sunt. Comedamus igitur & saturemur. Audiamus quid sponsus in Canticis admoneat comedite, inquit, & bibite & inebriamini charissimi. Nam beati sunt qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud.

Ezech. 33.

Vi. D. Hiero. Ezech. 33.

Can. c. 5.

¶ Alij denique sunt qui libenter audiūt verbum Dei & libéter illo audito aliqua opere exequuntur non tamen omnia, & ideo beati non sunt. Memento te scriptū, quia metuebat Herodes Ioannem & libenter eum audiebat & audito eo multa faciebat. Sed beatus foret, si omnia audita libenter æque seruasset. Custodiamus igitur diligenter quicquid libenter audimus. Si fructū salutis edere volumus. Genes. capit. 19. Sacra narrat historia filias Loth eductas à patre de Sodomis concepisse de illo: qui reliquit in confinio vxorem suam statuam salis, vsque in hodiernum diem. Animæ sanctæ & fideles eductæ à Christo é mundi voluptatibus & delicijs, suscepto semine verbi Dei concipiunt & pariunt filios, hoc est, studiosas operationes: vxore Loth, hoc est, Ecclesia (quæ est sal terræ) perseuerante in hac vita statua salis. Illa enim est firmamentum fidei, quæ firmat & præmittit filios ad patrem ipsorum. Custodiamus Dei verbum si terga Deo vertere nolumus sic enim ipse conqueritur per Hieremiam de talibus. Vertūt ad me tergum & non faciem. Qui proijciūt (inquit Hiero.) sermones Dei retrorsum ipsi vertunt contra eū tergū & non faciem. Quan-

Mar. 6.

Gen. 19. Figura.

Vid. Irin. li. 4. aduer sus hæres. ca. c. 51 de hac figura.

Hier. 2. & 32.

Quando enim magister præcipit, obediẽtis indicium est, si demisso contra audiat capite. Sin autem vertat tergum, signum est contemnentis, vt in alio loco scriptũ est. Et verterunt ad me scapulam recedẽtem. In tantum (inquit Deus) mea contẽpsere præcepta, vt ne audire quidem voluerint, sed tumorem animi, gestu corporis indicarint. Hæc Hiero. Tales etiã ibi à Domino terræ serotinę comparantur: & merito quidem. Terra enim serotina est (inquit Hiero.) quæ imbres non recipit doctrinarum, nec Euangelij disciplinam, plenasque sentium, quia exculta nõ fuerat. Populus igitur Dei in eo est sceleratior, quod non vult conuerti ad Dominum. Grandis offensa nole placere quem offenderis.

Zach. 7.

¶ Audiamus libenter & seruemus verbum Dei, si beati esse volumus. Audi (inquit Salo.) Fili mi disciplinam patris tui & ne dimittas legem matris tuæ vt addatur gratia capiti tuo & torques collo tuo. Pater omnium electorum est Deus, qui per prophetam loquitur dicens: patrem vocabis me: & post me ingredi non cessabis. Mater nostra est Ecclesia: de qua propheta ait: qui habitare facit sterilem in domo matrem filiorum lętantem. Filium appellat quem imbuit paternitatis affectu. In disciplina paterna, noui testamenti doctrina ad audiẽdum proponitur. In lege materna, veteris testamenti commẽdat arcana. Disciplinam ergo legis diuinæ si fidelis es, blanditijs præpone reprobotum, quia nimirum huius custodiam corona: illorum facinora mors sequatur æterna. Vt addatur inquit, gratia capiti tuo & torques collo tuo. Mos apud veteres fuit vt legitime certantes, coronam in capite, torquem in collo acciperent. Et nobis ergo si disciplina conditoris nostri, si gratia matris fit ad custodiam, maior inde spiritualium virtutum claritas augetur. Additur enim gratia capiti, cum charitas quæ principale mentis ornat, ad dentius inflammatur. Additur & collo torques, cum fulgore perfectæ operationis sermo prædicationis, qui per collum procedit, confirmatur: ac ne contemni ab auditoribus debeat, indeficienti virtu

Prou. 1. Exponitur locus. D. Hiero.

Psal. 112.

A tum connexione docetur. Vel gratia in capite vniuscuiusque electi additur, cũ donum Spiritus sancti eius menti diuinitus illabitur. Torques vero in collo eius tribuitur, dum decus intelligentiæ ei & cælitus conceditur. Vel nobis cum pro bonis actibus, quos diuina gratia prærogauit, lux æterna tribuitur: gratia profecto capiti, & torques collo additur: iuxta illud Euangelij. De plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam pro gratia. Gratiam, scilicet, beatæ retributionis, pro gratia rectæ operationis. Lege Hieronym.

Ioa. c. 1.

B ¶ *Beati qui audiunt verbum Dei*. Confugiamus igitur ad verbum Dei, vbi inueniemus doctrinam salutarem, virtutis indagatricem, vitiorum expultricem, animi medentem, eosque in suam dignitatem reuocãtem. Hoc est, fons vberrimus & plenissimus, cuius haustu, atque potu conceptam visceribus sitim sedamus ardoremque restringuimus. Hoc est, flamma illa quam vidit Moyses ardentem rubumque non comburentem, vbi Deus est animos nostros incendens, æternæq; beatitudinis desiderio inflammans. Hoc est, scala illa quam vidit Iacob, quæ summitate cælos tangebat, per quam à terra ad cælum patet ascensus. Hoc est, cellarium Ioseph in Ægypto huius mundi constitutum, ad quod vndique recurrere debemus, vt famem expellamus. Hoc est manna illud cæleste, minutum, sed cãdidum, & dulce, omnes ad veram promissionis patriam euntes reficiens. Hoc est, turris Dauid munitissima, quæ, vt est canticorum libris mandatum, ædificata est cum propugnaculis, ex qua pendent mille clypei, omnisque fortium armatura. Hoc est, mentis speculum, hoc est, thesaurus sapientiæ. Hoc est, quod viris tranquillitatem largitur, quod est lucerna pedibus nostris. Hoc est, quo aduersus dæmonem, mundum, & carnem contendimus. Est enim verbum Dei gladius spiritus, vt ait Apostolus, quo inimicos percutimus & prosternimus, & de quibus quotidie victoriam reportamus. Est gladius ille de quo Isaias aiebat. c. suo. 27. in die illa visitabit Dominus in gladio suo du-

Verbũ Dei commẽdatur.

Exod. 3.

C

Gen. 28.

Gen. 41.

Exod. 16.

Can. 4.

D

Psal. 118.

Ephes. 6.

Isai. 27.

ro, & grandi, & forti super Leuiathan, serpentem vectem, & super Leuiathan serpentem tortuosum. Viuus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: quo Dominus in fine mundi percutiet Leuiatham, atque fugere faciet eum qui nunquam fugere consueuerat. Libenter igitur suscipiamus, & in animis custodiamus verbum Dei quando ex eius custodia tanta bona tantumque fructum reportant viri fideles.

Vi. D. Hiero y. — Heb. 4.

Fer. 4. Dom. 1. Quadrag.

TVrbis autem concurrentibus cæpit dicere generatio hæc, generatio nequã est: signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ. Nam sicut fuit Ionas signum Niniuitis, ita erit et filius hominis generationi isti. Regina austri surget in iudicio cum viris generationis huius et condemnabit illos: quia venit à finibus terræ audire sapiam Salomonis. Et ecce plusquam Salomon hic. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, et condemnabunt illam: quia pænitẽtiam egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce plusquam Ionas hic.

Matt. 12. — Ionæ. 3. — 3. Reg. 10. — 2. Par. 9. — Ionæ. 3.

TVrbis autem concurrentibus. Cum ad voces mulieris dicentis & vocem extollentis, beatus venter qui te portauit, densior etiam hominum multitudo concurreret, cæpit Iesus respondere his, qui signum poposcerant è cælo, quasi quæ hactenus gesisset Iesus, humilia essent, nihilque dignum haberent magno propheta: hæc præstari plebeis, cæterum ipsis pharisæis, vtpote doctis ac sublimibus viris, aliquod peculiare prodigium ostendendum è cælo. Hoc autem dicebant nequaquam animo simplici, sed tentantes eum, vt si non ostenderet, causarentur cætera facta præsidio Beelzebub: si ostenderet, tum aliud quiddam in eo reperirent, quod calumniarentur. Quod ita esse vel ex eo intelligere poterimus nam in eius natiuitate, in eius baptismo signa hominibus de cælo contulit, & tunc signa de terra postulabant: hæc innumera dedit & mox signa de cælo petunt: ait itaque Iesus.

¶ *Generatio hæc, generatio nequam est.* Hæc natio mala, minimèque simplex merito esse dicitur. Quod tot miraculis conspectis ostentum quæreret, non cui crederet, sed quod calumniaretur: & ideo non impetrauit quod fraudulenter quærebat.

1. Ratio. Quare generatio ista vocetur nequã.

¶ Generatio nequam iure etiam vocatur: quod parentum imitaretur scelera: quod ab incunabulis patrum suorum sequeretur vestigia: quod cum lacte matrum peccata suxisse videretur. Tali profecto nomine digni sunt nobiles inter nos multi: qui vanitatem, superbiam, & insolentiam parentum ab vtero imbiberunt: tali nomine digni, multi diuitum nostrorum liberi, qui fraudes, dolos, fallacias innumeras, vt diuitias sibi parent, à suis progenitoribus didicerunt. Tali nomine dignæ fœminæ multæ: quæ matrum suarum impudicitiam, & luxuriam imitantur. Væ generationi huiusmodi nequam: nam perpetuas pœnas, perpetuosque cruciatus dabit: Quis est vir sapiens, (inquit Hieremias amare flendo,) qui intelligat hoc, quare perierit terra, & exusta sit quasi desertum, eo quod non sit qui pertranseat? Et dixit Dominus quia dereliquerunt legem meam quam dedi eis, & non audierunt vocem meam, & non ambulauerunt in ea, & abierunt post prauitatẽ cordis sui, & post Baalim,

2. Ratio. — Hier. 9.

quod

quod didicerũt à patribus suis. Ideo hæc dicit Dominus exercituum: ecce ego cibabo populum istum absynthio, & potum dabo eis aquam fellis. Et dispergam eos in gentibus: & mittam post eos gladium, donec consumantur. En vides qua pena generatio mala afficiatur: quare caue ne parentum tuorum crimina imiteris: ne illorum, si mali sunt, exempla sequaris.

3 Ratio. ¶ Generatio nequam etiam vocatur ob eorum pharisaicam superbiam. Si enim humiliter accessissent, humiliterque precarentur, vt pro sua pietate, & clementia, aliquod ostentum ederet: forsitam exaudirentur: sed quia superbè petierunt dicentes: volumus à te signum videre: sic volumus, sic iubemus, neque alia quærẽda est causa, aut ratio, nisi nostra mera voluntas: ede igitur nunc miraculum aliquod grande de cælo. Non ergo immerito Dominus eos genationem malam vocat. Detestor ego superbiam Moab, & domos eius odi & tradam ciuitatem cum habitatoribus suis. Ait Dominus Amos cap. 6. Tanto enim odio superbiam Dominus prosequitur, vt animorum nostrorum ciuitates ob nostram elationem & arrogantiam desolare ac funditus euertere soleat. ¶ Similes profecto huic malæ nationi sunt inter nos multi, qui de animi vulneribus medendis minimè curãt, & in inquirendis rebus sibi inutilibus, & quæ ad rem non pertinent, dies noctesque consumunt: in inquirendis (inquam) quæstionibus ad salutem animæ, nihil agentibus annos terũt. Me etenim de die in diem quærunt & scire vias meas volunt quasi gens quæ iustitiam fecerit: cum hoc tamen, inest illorum animis, maxima quædam elatio Sathanica, arrogantia diabolica, præsumptio Luciferi. Tale est ingenium aliquorum legisperitorum: talis mos quorundam concionatorum, quos non immerito generationem nequam appellare possumus. Casta enim & sancta generatio, non ait: volumus à te signum videre. Sed quid ait? A te quid volui super terram. O quanti veritatem quærunt (ait Richardus) non in veritate sed in vanitate: quæsitam inueniunt non ad veritatem, sed ad vanitatem, & quod miserrimum est in verbis vitæ lucra mortis negotiantur.

Amos. 6.

Isai. 58.

Psalm. 72.

Richar. in quodã ser.

A

¶ *Generatio nequam.* Sunt inter nos aliqui, qui à veteri Adam originem trahũt: illius mores & peccata imitantes: hi terrestres peccatores sunt. Qualis enim & terrenus talis & terreni, ait D. Paul. Hi, generatio nequam est. Sunt verò alij qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Hi sunt generatio illa casta, de qua Sap. 4. dicitur. O quam pulchra est casta generatio cum claritate. Hæc est generatio recta, atque ideo à Deo benedicta. Generatio (inquit vates) rectorum benedicetur. Hæc est generatio in qua Dominus Deus noster semper habitat quoniam Dominus in generatione iusta est. Hæc denique est natio illa qui curiosa non quærit, sed Dominum solum. Hæc est generatio quærentium Dominum quærentium faciem Dei Iacob. Natio sane quæ trahit originem suã spiritualem à secundo Adam: & sicut secundus homo de cælo cælestis, ita hæc natio cælestis est. Nam qualis & cælestis tales & cęlestes. Peccatorum vero genus, nequam est, & generatio praua illa, de qua Dominus in hoc loco: & sapiens Sap. cap. 4. ait. Multigena autem impiorum multitudo non erit vtilis, & spuria vitulamina siue (vt alij legunt) adulterinæ plantationes, non dabunt radices altas: & si in ramis in tempore germinauerint, infirmiter posita à vento commouebuntur, & à nimietate ventorum erradicabuntur, confringentur enim rami in consummati, & fructus illorum inutiles, & acerbi ad manducandum, & ad nihilũ apti. Ex iniquis enim, omnes filij qui nascuntur, testes sunt nequitiæ aduersus parentes interrogatione sua.

Generatio mala, & generatio recta.

1. Cor. 15.

B

Sap. 4.

Psal. 111.

Psalm. 13.

Psalm. 23.

C

Sap. 4.

D

¶ *Et adultera.* Hoc addit Matthæus. Appellauit etiam Dominus nationẽ istã adulteram, quia & si se gloriabatur habere patrem Deum, & se iactabat de progenitore Abraham, eos potius referebat qui derelicto Deo coluerunt vitulum aureum: qui seditionem mouerunt aduersus Moysen: qui obmurmurauerunt in deserto:

deserto: qui prophetas occiderunt: se potius declarabat patrem habere Beelzebub, cuius spiritu plena, rebellabat aduersus spiritum Dei. Hinc colligere licet peccata, maximé idolatriæ, adulteria quædam esse: quod peccando primam fidem Deo promissam frangimus. Hinc est quod Isaias aiebat. cap. 1. Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis plena iudicij: iustitia habitauit in ea: nunc autem homicidę: argentum tuum versum est in scoria, vinum tuũ mixtum est aqua, hinc secundo colligere etiam licebit, qua pœna afficiẽtur peccatores in adulterio, hoc est, in peccato deprehensi. Si enim zelus & furor viri non parcit in die vindictæ, nec acquiescit cuiusquam precibus si, in quam, maritus Zelotypiæ impatientia accensus, cum ei vindicandi occasio offertur, non parcit vxori in adulterio deprehensæ: neque vllius intercessoris faciem recipit, nec munera quantumuis magna admittit; quid quæso faciet Dominus cum hora mortis veniens, deprehenderit fidelem in adulterio, hoc est, in peccato aliquo mortifero moriens? Non enim parcet, non acquiescet precibus aliquorum, sed zelo commotus in tartarũ, illum præcipientem dabit.

Peccata, adulteria vocantur.

Isai. 1.

Qua pœna afficiantur peccatores.

Prou. 6.

¶ *Generatio nequam est. Et signum quærit & signum non dabitur ei.* Mirum profecto videtur quod tam acriter in pharisæos & scribas istos incadescat Christus, quod é cælo petierint ostẽtum aliquod: cum frequentissimum fuerit, sub lege illa veteri viuentes, signa á Deo postulare. Præcipué cum regi Achaz dixerit Dominus pete tibi signum: & quod petere noluit, iratus est aduersus eum. His exẽplis docet Dominus oportere fidelem in omnibus suis actionibus medium tenere: si rectas eas & studiosas esse vult. Quod vt fiat, quatuor præcipué sunt in illis cauenda. Supercilium, superstitio, præposterũ iudicium, & obliuio mediocritatis. Omnia enim extrema sunt vitiosa: mensura seruanda est, modus in re est optimus omni. Pharisæi superbi post tanta tanque innumera signa suscepta & visa, signum modó sine necessitate postulantes alterum extremum secuti sunt: Achaz vero

Isai. 7.

Extrema in bonis actionib⁹ cauenda.

A prouocatus á Deo vt signum peteret vt fiducia eius in illum confirmaretur, nolens postulare, in extremum alterum peruenit. Factionem Pharisæorum sequútur inter nos fideles omnes qui, non eo stillo quo cæteri ducuntur duci, neque ea prouidentia qua cæteri gubernantur gubernari, volunt: sed eo peculiari priuilegio gaudere: vt omnia illis prouotis cedant: & in omnibus, illis Dominus morem gerat: neque enim in labore hominum esse, aut cum hominibus flagellari, aut ruinam maceriæ pati, aut clamorem in plateis eorum audiri volunt. Ideo tenet eos superbia Pharisæorum, imo operiuntur iniquitate & impietate scribarum: ideo prodijt quasi ex adipe iniquitas eorũ. Nõ enim intelligunt iram esse Dei, & non misericordiam sic perduci, sic tractari: similes Philistæis, existimantibus, maximũ á Deo suo Dagon accepisse beneficium, quod eo duce, arca Dei ab illis capta fuerit: cum tandem id, illis maximum nocumentum, maximamque perniciem attulerit. Bené ergo cum huiusmodi hominibus actum erit, si petentibus, hæc pro libito suo peculiaria ostenta, respondeat Dominus. Generatio nequam, signũ quærit, & signum non dabitur ei. Hoc enim sic velle, sic petere, sic desiderare, genus profecto est tentandi Deum: crimensane quodam est læsæ maiestatis: hoc ergo extremum á nobis fugiendum omnino est, si istorum pharisæorum temeritatem & arrogantiam vitare libet.

Psalm. 72.

B

1. Reg. 4. & 5.

C

¶ Alij veró sunt qui, factionem impij Achaz sequi malunt: nolentes á Deo signa petere: nolentes in necessitatibus Deum adire, Deum precari, ne beneficio accepto cogantur idola, hoc est, peccata dimittere: Deoq; optimo maximo maximas gratias referre: aut minime Deo fidẽtes: queadmodũ impius Achaz, qui in angustia positus signa de cælo, aut de inferis nolebat: ne idola conterere cõgeretur: aut quia perdere operam putabat, petere ab eo portentum aliquod: existimans illum non posse præstare quæ dicebat. Non petam, inqnit, & nõ tentabo Dominum. Bene etiam cũ his hominibus actum erit, si velint, nolint, signum á diui-

D

Isai. 7.

na

na misericordia accipiant: vt vel sic ad pœnitentiam trahantur: vel Deo fidere discant. Illis enim ait Dominus generatio nequam signum non quærit, & signum dabitur eis. Quemadmodum dictũ est Achaz & domui eius propter hoc, inquit, dabit Dominus & ipse vobis signum. Hoc etiam extremum, si sapere volumus, vitandum atque cauendum nobis est.

¶ *Et signum non dabitur ei.* Maxima pietas & misericordia Dei est, nobis nolle dare quod deprecamur, aut petimus, si noxium atque nociuum sit. Signũ aliquod de cælo postulabant isti: & illo sane digni erant. Nam digni profecto erant vt ignis de cælo descenderet, qui illos exureret: vt Eliæ tempore contigit quinquagenarijs regis Ochoziæ: digni erãt, vt plueret è cælo Dominus a Domino sulphur & ignem, quibus protinus consumerentur: vt Abrahæ tempore accidit ciuitatibus illis Sodomitarum. Et tamen tanta fuit benignitas & humanitas Dei, vt signum hoc quo digni erant, non dederit. Signum, inquit, non dabitur eis. Non enim Dominus nobis cõferre vult, quod nocumento esse potest, sed quod magis animi saluti, & corporis incolumitati expedire videt. Petamus igitur humiliter, & cum fiducia, nam si venenum petierimus non venenum quo intereamus, sed panem, quo viuamus libenter pater iste cælestis porriget. Quis ex vobis, inquit, homo, quem si petierit filius piscem, nunquid serpentem porriget ei? Dat ergo nobis Dominus non rem noxiam quam postulamus sed vtilem. Si enim homines natura procliues ad malum, atque etiam alijs in rebus mali plerumque, tamẽ hac in parte, non virtute, sed naturæ impulsu seruant pietatem, vt nouerint vtilia dare liberis suis, quanto magis id faciet pater noster cælestis natura bonus? Noluit ergo Dominus ostentum de cælo ostendere quo perditos istos perderet, sed signũ quo seruaret: ideo enim vocatus est Iesus, quia venit saluare populum suum. Venit enim non vt morbos inferret, sed vt illis mederetur. Verè enim langores nostros ipse tulit, vt Matthæus ait. Hinc

Maxima clementia Dei est negare quod petimus si nociuũ est nobis.

4. Reg. 1.

Gen. 19.

Matth. 7.

Isai. 53.

Matth. 8.

A fuit quod discipulis dicentibus: Domine vis, vt dicamus, vt descendat ignis de cælo & consummat illos? Respondit: nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.

¶ *Et signum non dabitur ei nisi signum Ionæ.* Obserua obsecro Dei magnificentiam & liberalitatem. Cuius est, plus multo donare, quàm homines postulare sciant. Nihil aliud petebant pharisæi, quàm ostentum aliquod in sole, aut luna, aut stellis, aut in aliquo elementorũ:

B Dominus autem pollicetur signum in se ipso, hoc est, in rege cælorum, in mundi conditore, in vero sole illuminante mundum totum. Quasi diceret, signum de cælo petitis? Signum ego super cæleste atque diuinum, portentum inauditum, miraculum omnium intelligentiarum mẽtes excellens, ostentum, quod neque oculus vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascendit vobis conferam. Et hoc erit, vt oculis vestris respiciatis Deũ immortalem in cruce pendẽtem, Deum impassibilem patientem, Deum viuum iam mortuum & sepultum. Atque tandẽ

C tertia die gloriose suscitatum. Accedamus igitur omnes nos cũ fiducia ad thronum gratiæ Dei, nam potens est omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus, vt Paulus docet in Epistola ad Ephes. cap. 3. Regi Ezechiæ solũ corporis salutem postulanti, concessit dominus quindecim annos vitæ. Tanta est eius liberalitas tantaque magnificentia. Sed de hoc alias diximus.

¶ *Signum non dabitur ei nisi signum Ionæ* Signo mortis & resurrectionis gloriosæ probare voluit semper Dñs quis esset.

D Hoc eodẽ argumẽto id probat apud Matthæum. c. 16. Præterea apud Ioan. c. 2. Iudæis quærentibus quod signum ostendis nobis quia hæc facis? Respondit. Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Quod vt explicaret Euangelista statim addidit. Ille autem dicebat de templo corporis sui. Hoc eodem ostento tam admirabili probare cõtendit Paulus Christi diuinitatem in Epistola ad Romanos. c. 1. Prædestinatus est, inquit, filius Dei ex resurrectione mortuorum Ie

Luc. 9.

Dei est plus nobis donare quam petimus.

Ephes. 3.

4. Re. 20.

Matt. 16.

Ioan. 2.

Rom. 1.

su Christi. Vbi Græcorum sensus est apertior, qui legunt. ὁρισθέντος. Id est, qui definitus ac declaratus est Dei filius: ex eo quod suapte virtute surrexit à mortuis ipse Iesus Christus Dominus noster. Latinorum vero ô sensus est. Vt Ambrosius reddit. Hic qui incarnatus quis esset latebat, tunc prædestinatus est manifestari filius Dei: cum resurgit à mortuis. Omnis enim ambiguitas, & diffidentia, resurrectione eius calcata est & cōpressa. Si quidem discipuli eius in morte trepidauerunt: dicente Domino: omnes vos scādalum patiemini, &c. Ipse autem dixit: cū exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis: quia ipse ego sum. Vnde non dixit: ex resurrectione Iesu Christi: sed mortuorum: quia resurrectio eius generalem tribuit resurrectionem. Hæc enim in eo maior videtur virtus & victoria: vt ea potestate operetur mortuus quo operabatur viuus. ¶ Præbet ergo Dñs in ostentum maximum mortem etiam suam, qua ostēdat esse verum Deū. Si ergo, inquit, vultis ô pharisæi intelligere an verus Deus sim necne, ite ad mortem meam & tūc videbitis signa de cælo, testantia diuinitatem meam. Tunc sol obscurabitur, tunc luna non dabit lumen suum, tunc stellæ cadent de cælo, tunc tenebræ operient terram, tunc mortuorum sepulchra aperientur, & petræ scindentur, atque velum templi diuidetur in duas partes: tūc omnes creaturæ confitebuntur conditorem suum: tunc denique audietis Cēturionē clamantem & dicentem, verè filius Dei erat iste. ¶ Mors quidē Christi testis oculatus est quod ipse sit verus Deus, sit verus pater misericordiarum: & denique quod nos vehementissimo amore prosequatur. Sed nos miseri cum tantum hoc dilectionis signum intueamur, adhuc illi non fidimus: adhuc non credimus eum nos tanta charitate amplecti: cum omnia nobis non statum pro libito & pro votis succedunt: cum statim nō exaudit. Audi ergo ô miser homo quid tibi in patibulo pendēs Ionas iste diuinus dicat. Propter te ô homo. Ecce signū efficacissimū dilectionis. Mortuꝰ enim sum ob scelera tua; ob peccata tua: ob salutē tuā. Si ergo propter nos miseros homines ac propter nostrā salutē tā cruentā mortē subire voluit quid non faciet? Quid nō dabit? Quid ni credimus eū nos vehemēter diligere? In patibulo voluit anatómen cordis sui fieri, cum à milite quodā latus eius lancea apertū est. Resuscitaturus Christus Dñs Lazarū, amarè, in signū amoris, fleuit: si ergo lachrymæ illæ satis fuerunt, vt omnes qui ibi aderant, crederent eum miro amore prosecutū fuisse Lazarū: quid ni satis erit effusio proprij sanguinis, vt certo credamus eū nos ardenter amare? Negat Petrus Dominū semel, atq; iterū & Christus tacet, & non in illū incandescit: non irascitur: at cū Petrus Christo passionē suā & mortē proponenti ait; absit à te Dñe: insultat in illū Dñs dicēs: vade post me Sathana scandalū mihi es, nō sapis ea quæ Dei sunt. Nimirū quod Petro peccāte salus eius sola periculo erat exposita: at Christo Dño nō moriente signū immēsæ charitatis erga omnes homines impediebatur. & ideo irascitur, atq; reprehendit Petrū. Audi igitur ô homo, si sapis, ne aliud à Dño signū exigas, quā signū Ionæ huius: respice in faciē Christi tui: fige oculos mentis in Ionam in patibulo pendentē, & in ventre terræ sepultū, & tertia die suscitatū propter te, & tūc orietur in animo tuo certa fiducia, quod omnia scelera, ac crimina ante commissa, tibi ob mortē suam condonabit: certa inquā fiducia, quod cor tuū contritum & humiliatū nō despiciet: quod te in virtute firmabit: quod si petieris accipies, si auide scrutatus fueris, inuenies: si instāter pulsaueris fores, tibi aperietur. Quod si non protinus acceperis quod petieris non est quare diffidas de amore immēso huius Ionæ, nam dabit cum opus fuerit & quantum opus fuerit, & quod tibi salutiferum fuerit si modo perseueraueris. Mors igitur & sanguis effusus à Christo maximam fiduciā in animis fideliū excitat: Elephanti viso sanguine, maximè acuuntur, & excitantur in prelium: vt. 1. lib. Macha. c. 6. sacra narrat historia. Sic fideles oēs conspecto sanguine Christi, maximè ad fiduciā excitantur, & ad virtutē exacuuntur, atq; ad strenuè aduersus hostes spirituales pugnan-

Ambro. ad Rom. c. 1.

Ioan. 8.

Matt. 16.

1. Mach. 6.

Ioan. 3.

Ioan. 19.
Mar. 15.

Deu. 33. d

gnandū, cōmouetur. Ante mortē Christi Nicodemus timore correctus, nocte illū cōueniebat: atque Ioseph Abarimathia discipulus erat, ocultus tamē, propter metū Iudæorū, at post sanguinē eius effusū; audacter adijt Pilatū, & petit corpus eius sepeliēdum. O felix culpa quæ tali sanguine emūdatur. Quis similis tui popule Israel qui saluaris in dño. ¶ *Et signum non dabitur ei nisi signū Ionæ.* Quasi diceret Dñs. Tot miraculis cōspectis ostētū quærit natio ista mala, nō cui credat, sed quod calūnietur: non impetrabit autem quod fraudulenter petit, sed accipiet ostētum quod meretur: nō dabitur quod calūnietur sed quo coarguatur: quo cōdēnetur. Retribuit enim Dñs hominibus superbis & arrogātibus pro prauis actionibus suis meritā mercedē. Ipsi araneis similes, florē passionis Christi in venenū cōuertunt: de quo apes, hoc est, iusti mel efficere solēt; sic cōtrà à Dño, signū passionis iustis positū quo saluētur, impijs & sceleratis datur quo arguātur & perpetuo dānentur. Sanguis enim Christi super illos & super filios eorū. Videtur enim Dñs, per mortem suā iurādo, istis cōminari mortē, crucē & interitū. Quasi dicat: signū isti quærunt, signum profectò dabo illis, quo mihi pœnas dent. ¶ *Signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ.* Cōsidera obsecro atque altamente perpende Dei bonitatē. Cuius est, non vnius aut alterius hominis scelerati causa, ab electis suis, quæ ad salutem sunt necessaria, auferre. Apud homines enim vnius sontis causa, innoxia multitudo puniri solet. Contrà Dominus, vnius insontis causa, noxiæ multitudini parcere. Præterea ob vnum vel alterum hominem noxium perire insontes non sinit. Ob istorum Pharisæorum incredulitatem noluit à multitudine electorum suorum signum salutis auferre: sed velint nolint impij dānandi, signum Ionæ ob electos seruādos dabitur illis. Pete tibi signū (dicebat olim Esai. impio regi Achaz) à dño Deo tuo, siue in profundū inferni, siue in excelsum supra: & dixit Achaz nō petā. Et si homo iste atheos, signū salutis noluerit, non ideo dñs dare illud recusauit. Imò statim vates ait. Propter hoc & ipse dñs dabit vobis si-

Diuinæ bonitatis est non vnius peccatoris causa, ab electis quæ ad salutē sunt necessaria auferre.

Esai. 7.

A gnū. Ecce virgo concipiet, &c. noleb. nē Pharisæi isti signum admirabile mortis Christi, sed ob eorū impietatē, noluit dñs tantū tāq3 necessariū beneficiū ab electorū suorum multitudine de medio tollere. Natio ista (inquit) mala signū salutis non quærit, & signū dabitur ei velit, nolit, Ionę Prophetę. Quẽadmodū. n. Ionas vltro se in mortē tradidit, & exceptus est à bellua marina. Fuitq3 in vētre illius. 3. dieb9 & . 3. noctibus, mox desperatus ab omnibus, auxilio Dei redditus est viuus: ita filius hominis triduo futurus est mortuus

B in corde terræ. ¶ *Signū non dabitur ei nisi signū Ionæ.* Si ergo Christus in cruce positus datur nobis à patre, merita ergo passionis eius nostra sunt: merces etiā cōdigna passioni nostra erit. Qui enim seruum emptitiū nobis donaret etiā operas eius ex cōsequēti donaret. Cū ergo Dei filius nō dedignatus est, formā serui accipere; cū etiā pater eius sic dilexit mūdū vt filiū suū vnigenitum daret: hinc colligere licebit, omnes huius tā admirabilis serui operas, & labores, atq3 illorū cōdignā merce-

C dem, iure dominij ad nos pertinere. Labores ergo Christi si quatenus ab illo proficiscūtur cōsiderētur: nō nostri sed Christi sunt: si verò quatenus ipse nobis ex diuina liberalitate donatus est, ad nos pertinēt, nostriq3 sunt: accedamus igitur peccatores ad patrē, humiles & cōtriti: & illi pro criminib9 in illū cōmisis labores nostri Ionæ offeramus, & tūc omnia dimittet, omnia cōdonabit atq3 à pœnis pro sceleribus cōmisis libenter absoluet: sed de hoc alias. ¶ *Nisi signū Ionæ.* Rupert. hanc Imaginē explicat ad longū. Quæ vero ad

D rē prēsentē faciūt tantū referam initiū sumēdo ab illis verbis Prophetæ. *Et clamauerunt ad Dñm, & dixerunt, quæsumus dñe, ne pereamus in anima viri istius, & ne des super nos sanguinē innocentē, quia tu dñe quē admodū voluisti fecisti. Et tulerunt Ionam, et miserunt in mare, et stetit mare à feruore suo. Et timuerunt viri timore magno, et immolauerunt hostias dño, et vota vouerūt.* Clamor iste nautarū dolor & fletus est discipulorū, quādo necessario tulerūt Ionā, & in mare miserūt, tūc clamauerūt, quia quādo cōsūmata sunt omnia.

Notā.

Et corpus eius permissum suscipientes sepelierunt, doloris sui voces emisserunt, primò Centurione (sicut Euangelium refert) dicēte, verè hic homo iustus erat, & verè homo hic filius Dei erat, omnesquè noti eius qui stabant à longè, & mulieres quæ secutæ eum erant à Galilæa, omnisque turba eorum, qui percutientes pectora sua reuertebantur, hæc quodam modo dicebant, quæsumus domine, ne pereamus in anima viri istius, & cætera. Sed & in eo, quod relicto eo, discipuli omnes fugerunt, dominum in mare miserunt, quia dimiserunt, quia solum relinquerunt. Quod ita dimiserunt infirmitatis, quod autem sepelierunt, fuit officij. Vtrolibet modo completum intelligis congrua similitudo istorum, videlicet, Apostolorum in illis nauigantibus præcessit, qui laborauerunt quantum potuerunt, remigauerunt quantum valuerunt. Et quia nihil proficiebant, tandem tristes & gementes Prophetam in mare miserunt. Et mare quidem stetit à feruore suo, sed viri timuerunt timore magno, idest satiati Iudæi, ex scelere suo, cessauerunt persequi discipulos. At illi propter magistrum & dominum suum, fuerunt in dolore maximo. Et immolauerunt (inquit) hostias domino, & votum vouerunt. Hostias immolauerunt Apostoli, hostias pœnitentiæ & confessionis cum luctu & lachrymis, & ipsi hostiæ sunt facti viuentes, præcipuèque Petrus, qui illum negauerat deflendo ipsam negationem. Hostiam immolauit in Euangelio (quod scribitur secundum Hebræos) Iacobus frater ipsius domini quādo deuouisse fertur, se non manducaturum panem nisi prius videret eum à mortuis resurgentem. *Et præparauit Dominus piscem grandem, vt deglutiret Ionam. Et erat Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus.* Prouidit siquidem dominus vt dominicum corpus in terra, quæ grandi ventre morientes cunctos suscipit homines paratam haberet sepulturam. Quo modo vel quando præparauit? Equidem inspirando Ioseph iustum, quatenus eum sepeliret, hoc præparauit. De qua præparatione sic Euangelistæ referunt. Erat autem in loco, vbi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus fuerat. *Et erat* (inquit) *Ionas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus.* Hoc quæritur quo modo secundum hunc typum tres dies & tres noctes dominus in corde terræ fuerit, cū hora nona diei parasceues emisso spiritu sepultus, prima Sabbati media nocte surrexerit. Ad quod dicendum idem est quod à sanctis patrib9 est iam dictū, quia totum à parte intelligimus, ita vt ex eo quod in parasceue mortuus est vnam diē supputemus, & noctem, & Sabbati alteram. Tertiam vero noctem, quæ diei dominicæ mancipatur, ad alterius diei referamus exordium. Nec verò incongruè secundum tropum qui dicitur synedoche, in tali re totum aperte intelligimus. Dixit enim adhuc viuēs, mortalis cum mortalibus. Et iam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio. Cum essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo. Quamcunque causam dicas, siue intelligas propter quam veraciter dixerit, quia iam in mundo non erat, propter eandem causam consequenter intelligis, quia iam in ventre ceti erat. Erat autem iam vespera, siue nox illum diem præcedens, qua crucifixus, mortuus & sepultus est. Recte ergo totus ille dies parasceues cum præeunte nocte sepulturæ deputatur, quia videlicet ab illa vespera, siue hora, qua factus in agonia siue cum morte agonizans, traditus & comprehensus est, quicquid de illo vel circa illum actū est, quicquid passus est, descendere fuit in vētre ceti, ire in cor terræ, & quippe cum secundum cor suum de illo facerent, illi qui intendebant non cœlo sed terræ, non cessaturi donec occisus traderetur. De Sabbato & præeunte ipsius nocte, nulla est quæstio quin toto die illo quieuerit in sepulchro. Tertij diei media nocte surrexit, sed non fuit creditum quod resurrexisset vsque ad vesperam eiusdem tertij diei, quando stans in medio discipulorum suorum dixit eis, pax vobis. Proinde & ilie dies connumerantur duobus cæteris, vt tres dies sint. & verum est, quod do-

se-

Matth. 27. Luc. 23. Ioan. 17.

femetipsa veritas dixit. Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.

¶ *Regina Austri surget in iudicio cū viris generationis huius & condemnabit illos: quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & ecce plusquam Salomon hic.* Quis, in hoc loco, verbis explicare, aut ponderare poterit, duritiam cordis non iam Iudæorum sed nostri, exemplo huius reginæ Sabæorum? Res sanè admiratione & annotatione maximè digna, quod mulier, & à legis doctrina alienissima, & regina, & non à vicinis regionibus, sed ab extremis finibus orbis, tam longo itinere venerit hierosolymam, solum vt audiret sapientiam Salomonis, solum auiditate doctrinæ hominis terreni, solùm ad discendi cupiditate: nos autem, habentes apud nos verum Salomonem, eius doctrinam non solum non audiamus, sed similes Iudæis istis, contemnamus. Ecce ò miser peccator, plusquam Salomon hic. Nam Salomon homo solum terrenus erat: at hic Salomon, Deus verus & homo est. Salomon vir sapiens erat: noster vero Salomon sapientia est illa increata quam idē Salomon in Prouerbijs ita facit loquentem. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret: nondum erant abyssi & ego iam concepta eram. Et paulo post: quando appendebat fundamenta terræ cum eo eram cuncta componens. Ille est in quo (vt Paulus testatur) sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Salomon idem est quod pacificus. Ecce plusquam Salomon hic. Nam ipse est pax nostra qui fecit vtraque vnum. Dum hominem tot interstitijs à Deo dissidentem assumpsit in Deum, fecitque vt esset idem Deus & homo. Ipse inquam est pax nostra qui fecit vtraque vnum dum ex duobus diuersis ritus & cultus populis vnicum fecit Christianum populum. Ipse est pax nostra veniens euangelizare pacem, pacem his qui longè & pacem his qui prope quoniam per ipsum habemus accessum in vno spiritu ad patrem. Pacificauit enim per sanguinem suum siue quæ in cœlis siue quæ in terris sunt. Mors enim & sacrificium oblatum huius Salomonis omnia pacificauit. Cuius typus fuit sacrificiū Noe, quo placatus est dominus. Odoratus, inquit, est dominus odorem quietis. Iris vero in signum fœderis inter Deū & Noe, typus etiam erat Christi qui positus est in signum perfectæ pacis inter Deum & Ecclesiam. Cui per Esaiam alloquens pater ait. Sicut in diebus Noe istud mihi est, cui iuraui, ne inducerem aquas vltra terram, sic iuraui vt non irascar tibi, & non increpem te. Idest, vt iuraui Noe, visa iri, non iterum me inducturum diluuium ob peccata hominum, sic tibi ò Ecclesia mea iuro, nunquam te esse derelicturum, proposita semper ante oculos meos morte filij qua placatus sum. Ecce ergo plusquam Salomon hic. Quę ergo durities tanta ferrea aut adamantina inueniri in mundo potest, quæ comparari valeat hominum peccatorum obstinationi? Venit enim mulier diuitijs affluēs, longo itinere hierosolymam, vt audiret doctrinam hominis: venit autem ipsa sapientia increata, ipsa pax nostra, plena diuitijs, hoc est, gratia & veritate, venit, inquam, è cœlis, vt doceat nos sapientiam veram, sapientiam salutarem & nos infœlices aures obturamus, nos cæci lucem fugimus, nos miseri misericordiæ fontem contemnimus. ô terque quaterque infortunati: nam hæc regina Sabæorum cū surget in iudicio cum viris huiusmodi & condemnabit illos atque publicè nationē malā & adulterā vocabit. Atq; illud Ezechi. tunc dicet: Vicisti sorores tuas. i. alias gentes peccatis tuis, & sceleratius agens ab eis: iustificatæ enim sunt à te ergo & tu confundere & porta ignominiā tuā.

¶ *Regina Austri, &c.* Cæterū cuius imaginē gesserit hæc regina omnibus nobis cōpertū est, Nā gerebat typū Ecclesiæ. Ecclesia enim de gētibus assūpta, hæc diues & insignis regina erat. Nō quia prius regina erat, quippe quę dęmonū potius erat ancilla, sed quia veniēdo ad Christū regina facta est, credēdo in Christū, regio diademate coronata est, ornata bonorū operū uestibus deauratis, cūctarumq; virtutum

Marginalia: Christus quare Salomon dicitur. Pro. 8. — Colo. 2. a — Ephe. 2. — Co. 1. — Gen. 8. Figura. Gen. 9. — Esai. 54. c Gen. 9. — Ezech. 16. — Regina Saba figura ecclesiæ.

tum lapidibus prætiosis; quemadmodũ de illa in Psalmo Spiritus sanctus dicit. Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circundata varietate. *Venit hæc regina in Hierusalem, cum multo comitatu*, idest, non iam cum vna gente tantum, scilicet Iudæorum, sicut prius synagoga solos habebat Hebræos, sed totius mundi gentibus diuersisque nationibus. Venit ergo exhibens munera digna Christo, aurum & gemmas prætiosas, & hoc, *camelis portantibus*, idest, ex gentili populo venientibus, qui prius fuerant fœditate vitiorum distorti, & malorum onere curui ac prauitate deformes. Cum istis, inquam, muneribus regina hæc ingreditur ad pacificum regem Christum, exhibens secum fidei aurum, puritatis incensa prætiosa, splendoresque gemmarum, morum scilicet insignia, & ornaméta virtutum. *Et locuta est vniuersa quæ habebat in corde suo*. Idest, aperuit ei cor suum, manifestauit ei oculta conscientiæ suæ, in confessione & pœnitudine præcedétium delictorum. Iamque hæc & reliqua quæ secuntur, ex multis sanctorum tractatibus nota sunt. Hæc Ruper. infra. 1. lib. Regũ. lib. 4. cap. 30.

Psal 44.

Rupert.

¶ Hæc etiam Regina Saba, hoc est, Ecclesia surget in iudicio & cõdemnabit nõ solum nationem incredulam Iudæorum, sed nationem obduratam peccatorum fidelium: quod hęc audierit & susceperit doctrinam veri Salomonis Christi, vestigiaque eius secuta fuerit: illi autem audire noluerunt, aut præcepta eius salutaria seruare renuerunt.

¶ *Regina, &c.* Anima præterea nostra, vera regina Saba vocari potest. Regina, quod ad veri regis imaginem & similitudinem sit facta. Saba verò, idem est, quod latinè captiuitas. Quia ergo hominis anima per peccatum captiua sit (vt docet diuus Ioannes qui facit, inquit, peccatum seruus est peccati.) Merito regina Saba appellari potest. Tunc verò de lõginquo venit, cum à se recedit. Quid enim est lõginquius (inquit Ambrosius) quàm à se recedere. Audita ergo doctrina veri Salomonis ore prædicatorum, venit per pœnitentiam veram, quemadmodum filius

Regina Saba anima nostra. Figura.

Ioan. 8.

Ambro in Luc.

A ille prodigus qui à patre longè recesserat, & experta bonitatem & mansuetudinem veri Salomonis, illam alacri vultu recipientis, ait. Probaui quod media pars bonitatis tuę, mihi per prędicatores tuos nuntiata non fuerit. Beati viri tui & beati serui tui hi qui stant coram te semper. Verè beati sunt, quorum rex tu es, & qui æterna tui visione perpetuo frui merentur. Vere beati: quibus, gloriam illam, fœlicitatemque sempiternam, quam cum patre spirituque tuo habes, conspicere datur. Talis ergo regina Saba, multis virtutum ornamentis decorata, multis muneribus à vero Salomone donata, surget in iudicio, cum cæteris peccatoribus, qui ad verum Salomonem audiendum venire noluerunt, & condemnabit eos: & lætabitur cum viderit vindictam, manus suasque lauabit in sanguine illorum. Nõ solùm ergo regina Saba, sed Ecclesia omnis, imò singuli iustorum, fræment aduersus impios Iudæos, aduersusque obstinatos in peccatis fideles quod Christi domini doctrinam contempserint.

Glo.

B

Psal. 57. b

C ¶ *Viri Niniuitæ*. Iure profectò optimo eos Euangelista viros vocat. Homines enim pœnitentes, viri sanè vocandi sunt. Quoniã fortiter & viriliter pugnãt aduersus peccata, aduersus insurgentes concupiscentias, aduersus carnis illecebras, mundi ac diaboli tentationes. Sunt qui liberos suos sceleratos, seruosque iniquos punire audent, à seipsis verò si Deũ offenderint pœnas condignas sumere nõ audent. Quæ maxima profectò animi infirmitas, maximaque pusillanimitas est. Non enim nomine virorum huiusmodi D homines gaudere merentur. Abijciamus ergo audacter opera tenebrarum & induamur arma lucis. Aduersusque nos ipsos peccatores tam constanter tamque viriliter pugnemus, vt nobis ipsis victoriã reportemus. Quod si fecerimus tunc accedent angeli & nobis victoribus subseruient: quemadmodum Christo victori seruierunt. Si vitæ ante actæ pœniteat, si lachrymas ob peccata emiserimus, maxima lætitia, ac gaudio afficientur cœlestes ciues, omnesque spiritus angelici, vt Christus affirmat.

Pœnitentes vocantur viri & merito.

Rom. 13. b

Rom. 13. d

Apud

Infra.15. Infra.14.

Apud nostrū Lucā.c.13. Contendite igitur intrare per angustā portā. Id non contingit, debilib9, infirmis, effeminatis, aut pusilli animi hominibus, conandū est, angustus est ingressus, non capit hæc porta onustos peccatis, distentos luxu, graueis auaritia, turgidos & elatos fastu. Nūc igitur contendite intrare, dum patet aditus, excutite sarcinas omnes, vt vos capiat angustus locus. Scitis enim quod iam a diebus Ioānis Baptistæ regnum cœlorū vim patiatur & violenti rapiant illud. Violentia enim pœnitentiæ rapiunt viri fideles regnū cœlorū. Strenui debent esse milites si ciuitatem munitam intrare contenderint, illamq; armorum vi capere atq; expoliare velint. Si ergo ciuitatem cœlestē intrare desideras, strenuus esto miles non tyro, vir esto, non effœminatus, fortis, non mollis, non summissus, non fractus atq; abiectus sis. ¶ Quod si animi timorem atque pusillanimitatem abijcere vis, si vires colligere quibus aduersum peccata tua pugnare possis, si audacter prælium hoc spirituale committere victoriamque reportare desideras, respice in faciem Christi tui, respice in Ionam tuum propter te in ventre terræ sepultum: & tunc animum eriges, vires excitabis, quibus teipsum facile vincas. Qui enim paulo antè dicebant non hunc sed Barrabam, intuentes signum hoc Ionæ, reuertebantur percutientes pectora sua: dicebantque verè filius Dei erat iste. Qui discipulus erat Christi, sed occultus propter metum Iudæorum: viso hoc signo, accessit iam audacter ad Pilatum, & postulauit corpus Iesu, vt in superioribus retulimus. Qui antea insignis erat latro, & qui totam vitam in peccatis egerat, viso hoc signo exclamando dicebat: memento mei domine dum veneris in regnum tuum. Tu ergo oculos in Christum cruce pendentem, dilaniatum, vulneribusque opertum fige: & tunc animo erectus omnia pericula vinces atque superabis. Niniuitæ ergo viri appellantur, quod viriliter aduersus seipsos certantes, pœnitētiam veram egerunt.

Matth.11

Ioan 19.

¶ *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cū generatione hac & condemnabunt illam, quia*

A Si viri Niniuitæ legis expertes & idolorum cultores contendent cum hac natione in iudicio & condemnabit eam, quod ipsi pœnitentiam egerint scelerum suorū ad prædicationis hominis ignoti & exteri, nullis miraculis, nullis beneficijs sese commendantis: quid quæso facient, cum peccatoribus fidelibus? Quid contendendo cū illis tunc dicent? Quid clamabunt? Quo supplicio afficientur? Irritam quis faciens legem Moysi (ait Paul.) sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur, quanto magis putatis deteriora B mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutū duxerit, in quo sanctificat9 est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Filium Dei profecto conculcat ac despectui habet, qui mandata eius negligit. Et sanguinem eius immundum existimat, ac pro re vili habet, nihilque ab aliorum animaliū vel hominum sanguine differre putat: quo tamen redemptus est: qui fidem aut legem eius contemnit. Et Spiritui sancto maximam contumeliam facit, qui acceptam C eius gratiam reijcit. Væ huiusmodi hominibus nam incident tūc in manus Dei viuentis, quod horrendum maxime est. Vt ibidem statim Paulus testatur. Horrendum (inquit) est incidere in manus Dei viuētis. Tunc non solū viri Niniuitæ sed lapides consurgent, maria infremēnt cæteraq; elementa clamabūt: pugnabit denique cum illo vniuersus orbis terrarum cōtra eiusmodi insensatos. Ibunt directè emissiones fulgurum, & tanquam à bene curuato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insiliēt. Et à petrosa D ira plenæ mittentur grandines, excandescet in illos aqua maris & flumina concurrent duriter. Quod Niniuitæ lachrymas precesq; fuderūt ad prædicationē Ionæ, ipsi vero suscepta fide, ad veram pœnitentiam non sunt cōmoti.

Si Niniuitæ contendent in iudicio cum generatione incredula Iudæorū & cōdemnabunt eos quid facient cum generatione pessima peccatorum fidelium in peccato morientiū. Heb. 10.

Sap.5.d

¶ *Viri* (inquit) *Niniuitæ surgent in iudicio cū generatione ista & condēnabūt eā*. Quia illi (inquit Chrysostō.) Prophetam receperunt, isti Christum dominum illorum Prophetarum repulerunt. Illi neque lege instructi, neque à Prophetis, neque ab Apostolis admoniti

Niniuitarum & Iudæorum collatio ex Chrys. ho.30. in Matth.13

ad dominum conuersi sunt, cognoscẽtes peccatum suum: isti tot præceptis eruditi legis & Prophetarum, à domino recesserunt. Illi qui semper fuerunt populus diaboli, intra dies tres facti sunt populus Dei: isti qui semper videbantur populus Dei, intra dies tres crucifixo Christo facti sunt populus sathanæ. Et illi quidem per sonam ignorantes, & rem incredibilẽ audientes & conuersionis suæ signa & virtutes quærere debuerunt ab eo, quibus & persona idonea prædicantis & prædicationis indubitabilis veritas mostraretur: sed nihil horum audientes nihil vidẽtes, sola fide saluati sunt ab imminenti.s. periculo. Isti autem tot signa facientem testificãtia cœlestem naturam viderunt, & nõ solum à prædicatione eius recesserũt, sed in mortem illius cõuersi sunt. Illi cum luctu & lamentatione nimia pœnitentiam agentes, peccatorũ suorum indulgentiã acceperunt: isti autem neq; sine pœnitẽtia oblatam sibi remissionem peccatorũ accipere voluerunt: quia sine pœnitẽtia sunt donationes, & vocatio Christi. Hæc ille. Quæ omnia etiam de fidelibus peccatoribus dãnãdis dici iure optimo possũt.

¶ *Quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ.*

¶ *Et ecce plusquam Ionas hic.* Nam cum ille seruus fuerit, ego dñs sum: ille à ceto exilijt, ego à morte resurgam. Subuersionẽ ille vrbi futurã prædicauit, ego regni cœlorũ Euangelia vobis enũtio. Et Niniuitæ quidẽ absq; signo aliquo timuerũt cum vos multa miraculorum signa videatis, neque quicquam ante Ionæ verba illi audierunt, cum vos per diuersa genera philosophiæ ego educarim. Præterea Ionas quasi minister ad Niniuitas accessit, ego autem ad vos dominus atq; creator deueni, nihil intentans, nullas viuendi rationes exigens, sed peccatorum remissorum estis alumni. Accedit quod de Iona nemo illis prædixit, cũ de me plurimi prædixerint, & opera prædicationi cõsonare perspiciatis. Ionam etiam ne derideretur fugisse non ignoratis, cum ego & crucis patibulum subiturus, & omnes illusiones vestras laturus vltro aduenerim. Itaque cum ille nullum pro Niniuitis op-

Ionæ & Christi collatio.

A probrium tulerit, ego vel mortis acerbitatem libenter sufferam. Et ille aduena quidem atq; peregrinus erat, & hominibus illis omnino ignotus: ego verò vobis cõiunctus secũdum carnem, ab eisdem sum oriundus progenitoribus. Hæc Chryso.

Chrysost. ho. 44 in Matt. 12.

¶ *Quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ.* Hos & nos imitemur & omnes illis similes, & effugiemus huius mundi pericula quemadmodum Niniuitæ effugerunt. Etenim Niniuitarum ciuitati minatus est Ionas & dixit: adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur. Quid igitur dic mihi? Niniue subuersa est, & destructa fuit ciuitas? Contrarium totũ, & exaltata, & clarior facta est, & tantum tẽpus præteritum ipsius gloriam nõ destruxit: sed omnes eam cantamus adhuc quoque & admiramur: quoniam portus quidam optimus ex illo tempore peccantibus omnibus extitit, in desperationẽ cadere non permittens, sed omnes ad pœnitentiam vocans, & per ea quæ fecit, & per ea quæ per Dei prouidẽtiam est assecuta, persuadens nunquam de propria salute desperare, sed vitam gerentes bonã, & optimam spem proponentes, de fine tãquam penitus bono futuro confidere. Quis enim non resurgat illorum exemplum audiens etiam si omnium ignauissimus? Elegit itaque Deus prophetiam potius suam irritam cadere, quam ciuitatẽ corruere: imò verò neque prophetia cecidit. Si enim hominibus in eadem malitia permanentibus non in opus sententia processisset, posset quis forte dicta criminari: quod verò mutatis ipsis, & à malitia desistentibus, etiam Deus ab ira destitit, quis amplius prophetiam carpere poterit, & dictorum mendaciũ condemnare? Etenim legem, quam ab initio Deus cunctis hominibus posuit per Prophetam loquens, hanc & tunc conseruauit. Quam autem legem? Exitium loquar, inquit, ad gentem & regnum, vt eradicem, & suffodiam, & perdam: & erit, si pœnitentiam egerint malitiæ, & ego ita quam locutus fueram facere illis, obliuiscar. Hanc igitur legem custodiens pœnitentes saluabit, & vitio discedentes ab ira liberauit. Nouerat barbarorũ virtutem, & ideo Pro-

Doleamus de peccatis si a malis temporalibus liberari volumus exẽplo Niniuitarum.

B

C

D

Hiere. 18. b

phe-

phetam induxit: sic & tunc agitabatur ciuitas audita voce prophetica, sed in nullo læsa est, quin & à timore adiuta. Timor enim ille salutem peperit, comminatio periculo liberauit, subuersionis sententia, subuersionem cohibuit. ô nouã rem & admirabilem. Denũtiatio mortem minans, vitam peperit. Sententia postquam lata fuit, tunc inualida facta est, contra quàm apud seculares iudices. Apud hos enim in medium prolata rata fit sentẽtia. Apud Deum contra, proferri sententiam eam inualidam facit. Nisi enim prolata fuisset, non vtique peccatores audissent, si verò non audissent, neq; egissent pœnitentiam: sine pœnitentia verò pœnã non repulissent, neq; fuissent illa salute potiti. Quomodo enim non mirabile, quod quando iudex sententiam tulerit, per pœnitentiam ei sententiam soluerunt? Nõ enim vrbem fugerunt, sed manentes sententiam repressere. Laqueus erat, & munimen ipsam reddiderunt: vorago erat & præcipitium, & tutelæ turrim fecerunt. Audierunt quòd ædificia corruent, sed peccata fugerunt: non discesserunt quisquè de domo sua, sed discessit quisque à via sua mala. Non enim, inquit, muri iram pepererunt, nos vulneris autores, nos medicamentum præparemus: propterea non locorum permutationibus sed morum conuersioni salutem crediderunt. Hæc barbari. Et nos non confundimur? Neque nos abscondimus, illis mores conuertentibus nos loca (cum pericula imminent) permutantes, & ebriorum hominũ opera facientes. Hæc Chrysostomus hom. 5. ad populum. Si ergo huius mundi pericula euadere cupimus nõ tam à loco quàm à peccatis fugiẽdum est exemplo Niniuitarum. Sic enim intelligitur quod Propheta dicebat olim. Recedite, exite inde, & immundum ne tetigeritis, quid est enim (inquit Augustinus) tangere immundum, nisi consentire peccatis? Quid est autem exire inde, nisi facere quod pertinet ad correptionem malorum, quantum pro vniuscuiusque gradu atque persona salua pace fieri potest? Displicuit tibi, quod quisque

Isai. 52.

ser. 18. de ver. dñi.

A peccauit, non tetigisti immundum. Redarguisti, corripuisti, monuisti, adhibuisti etiam si res exigit congruam, & quæ vnitatem non violet disciplinam, existi inde. Hæc ille.

2 § *Pœnitentiam egerunt.* Animaduertendum hic est, dominum non iudicasse viros Niniuitas, quod ipsi, prius, seipsos iudicauerunt: seipsos prius condemnauerunt: atquè pœna & supplicio affecerunt. Tu ergo si a Deo iudicari non vis, præuenias oportet Dei iudicium & vindi- B ctam. Hoc est iudicium illud de quo (inquit Gregorius) Diuus Paulus ait. Si nos metipsos diiudicaremus non vtique iudicaremur: & de quo per Prophetam dicitur: Non est iudicium in gressibus eorum. Et de quo Dauid ait: Honor regis iudicium diligit, vt videlicet qui iam Deum honorat ex fide, sollicite iudicet quid ei debeat in operatione. Vnde rursum scriptũ est: iudicare coram Dño, & expecta eum. Coram dño. s. iudicatur: qui corde dominum conspicit, & actus C suos sub eius præsentia sollicita inquisitione discernit. Quem tãto quis securius expectat, quanto quotidie vitam suã suspectus examinat. Qui enim ad extremũ eius iudicium venit, non iam coram illo, sed ab illo iudicatur. De hoc quoq; mentis iuditio obliuiscenti animæ per Prophetã dñs dicit: Reduc me in memoriã: vt iudicemur simul. Narra si quid habes, vt iustificeris. Debet enim vniuscuiusq; mẽs & causas suas apud dominum, & causas domini contra se sollicita inquisitione discutere, debet cauté pẽsare, vel quæ ab eo bona perceperit, vel quæ mala bo- D nis illius peruersè viuendo responderit. Quod electi quidẽ quotidie facere omnino non cessant. Vnde benè Salomõ ait: Cogitationes iustorum iudicia. Accedũt enim ad secretariũ iudicis intra sinũ cordis: considerant quã districté quandoque feriat, qui diu patienter expectat, metuunt in his quæ se egisse meminerunt, & puniunt flendo quod perpetrasse se intelligunt, timent subtilia diuina iudicia, etiam de his quæ in semetipsis intelligere fortasse non possunt. Vident enim

Si nos ipsos diiudicaremus si cut fecerunt Niniuitæ non vtique iudicaremur a dño.

Lib. 25. mor. c. 6.

1. Cor. 11.

Esai. 59.

Psal. 98.

Iob. 35.

Esai. 43.

Vnusquisque causas suas apud dominum & causas dñi contra se sollicita inquisitione debet discutere, &c.

Pro. 12.

videri diuinitus quod ipsi in se per humanitatem non vident, conspiciunt districtum iudicem, qui quo tardius venit, eò seuerius percutit: sanctorum etiam patrum residere cõuentum cum eo pariter contemplantur, eorumque vel exempla vel dicta se contempsisse reprehendunt, atque in hoc secreto interioris iudicij ipsa mentis suæ exequtione cõstricti pœnitendo feriunt, quod superbiendo cõmisserunt. Ibi namq; aduersum se quicquid se impugnat enumerant, ibi ante oculos suos omne quod defleant coacerbant: ibi quicquid per iram districti iudicis decerni posit intuentur, ibi tot patiuntur supplicia, quot pati timent, neque deest in hoc iudicio mente concepto, omne ministerium quod punire reos suos plenius debeat. Nam conscientia accusat, ratio iudicat, timor ligat, dolor excruciat. Quod iudicium eò certius punit, quo interius sæuit, quia videlicet ab exterioribus non accedit. Vnusquisque enim cum causam huius examinis contra se aggredi cœperit, ipse est actor qui exhibet, ipse reus qui exhibetur: odit se qualem fuisse se meminit, & ipse qui est, per semetipsum insequitur illum qui fuit, atq; ab ipso homine aduersus semetipsum fit quædam rixa in animo, parturiens pacem cum Deo. Hanc cordis rixam dominus requirebat, cum per Prophetam diceret: Attendi & auscultaui, nemo quod bonum est loquitur, nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicẽs: quid feci? Ista cordis humani rixa placata est, cum Prophetæ suo de Acab Rege semetipsum reprehendente loqueretur, dicens: Vidisti Acab humiliatum coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa: non inducã malum in diebus eius. Quia ergo nunc in potestate est, internum mentis nostræ contra nos subire iudicium, recognoscendo accusemus nos metipsos, & quales fuimus pœnitendo torqueamus, non cessemus dum licet iudicare quod fecimus, audiamus caute quod dicitur apud Iob: Neque enim vltra in hominis potestate est: vt veniat ad Deum in iudicium. Reproborum namque esse proprium solet, semper praua agere, & nunquam quæ

Hier. 8.

3. Reg. 21.

A egerint retractare. Omne enim quod faciunt, cæca mente per transeunt, factũq; suum nisi cum puniti fuerint, non agnoscunt. At contra electorum est actus suos quotidie ab ipso cogitationis fonte discutere, & omne quod turbidum profluit ab intimis exciccare. Hæc D. Gregori. Quia ergo viri Niniuitæ contenderunt secum in hoc animi iudicio & condemnauerũt seipsos: & prędicauerũt ieiunium & vestiti sunt saccis à maiori vsq; ad minorem: surrexitque rex de solio suo fecitque similiter: conuersusque est vnusquisque à B via sua mala: no solum non damnati sunt sed misertus est dominus super malitia quam loqutus fuerat vt faceret eis, & nõ fecit. Quia viri (inquam) Niniuitę animorum suorum ciuitatem pœnitendo subuerterunt non à domino subuersi sunt. Nos igitur cordis nostri ciuitatem veterem subuertamus, vt nouam & gloriosam ædificemus. Prostrauerunt se (inquit Augustinus) Niniuitæ in lachrymis: in ieiunijs: in cilicio: & in cinere prostrauerunt se, gemuerunt, fleuerunt: pepercit Deus. Stetit Niniue. An euersa est Niniue? Ali- C ter quidem videtur hominibus, & aliter visum est Deo. Ego autem puto impletũ fuisse, quod Propheta prædixerat. Respice quæ fuit Niniue: & vide quia euersa est. Euersa in malo: ædificata in bono: sicut euersus Saulus persecutor, & ædificatus Paulus prædicator. Quis non diceret ciuitatem istam in qua nunc sumus, faciliter euersam: si omnes illi insani nugis suis desertis ad Ecclesiam compũcto corde cõcurrent: Dei misericordiam de suis factis præteritis inuocarent? Nonne diceremus vbi est illa Carthago? Quia nõ est D quod erat: euersa est. Sed si est quod non erat, ædificata est. Ita dicitur Hieremiæ: ecce dabo tibi eradicare: suffodere: euertere: disperdere: & rursus ædificare: & plantare. Inde est vox illa domini, ego percutiam, & ego sanabo. Percutit putredinem facinoris, sanat dolorem vulneris. Faciunt hoc medici, secant, percutiunt, & sanant: armant se vt feriant: ferrũ gestant & curare veniũt. Hæc ille.

D. Gregor.

Si subuerti nolumus subuertatur animi nostri vetus ciuitas

Psal. 50. in illa verba incerta & oculta sapientiæ, &c.

Hier. 1.

Deu. c. 32.

In communi confesso. Pontificis & non Pontifi.

Matth. 5. b Mar. 4.

NEMO accendit lucernã et in abscondito ponit, neque sub modio: sed supra candelabrum, vt qui ingrediuntur lumen videant. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Vide ergo ne lumen quod in te est, tenebræ sint. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum: erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te.

Matth. 6. c

NEMO accendit lucernam et in abscondito ponit, neque sub modio: sed supra candelabrum, vt qui ingrediuntur lumen videant. Lege quæ annotauimus superius capit. 8. in illum locum: Nemo autem lucernam accendens operit eam vase, &c. ¶ Hac ergo prima similitudine ostendere voluit Dominus quod quamquam complures essent apud Iudæos & sint modo apud nos, quibus Euangelij lux magis

A etiam excæcaret & modo excæcet animos ipsorum, non propterea oportere supprimi veritatem, cuius cognitio plurimos adducit ad salutem æternam. Nec enim incredulorum obstinata malicia bonis obesse debet. Itaque proferenda lucerna, hoc est, veritas Euangelicæ doctrinæ in publicum est, in bonorum salutem. Doctrina ergo Euangelica non accensa est à Deo vt abdiret eam in loco abstruso, aut tegeret eam imposito modio sed vt imponeret candela-B bro, hoc est, Christo, atque eius Apostolis: vt luceret domum Ecclesiæ ingredi volentibus, aut iam illam ingressis. Ex his colliges Christum esse verum candelabrum, doctrinam Euangelicam, esse lucernã, Ecclesiã verò esse veram domũ Dei. De quorũ singulis pauca dicamus. ¶ Christus ergo candelabrum verum est cuius typum gerebat illud de quo in lege scriptum est: facies & candelabrum ductile de auro mundissimo: hastile eius, & calamos & scyphos, & sphærulas ac lilia ex ipso procedentia. Quis in C candelabro (inquit Gregorius) nisi Redemptor humani generis designatur? Qui in natura humanitatis infulsit lumen diuinitatis, vt mundi candelabrum fieret, quatenus in eius lumine omnis peccator in quibus iaceret tenebris videret. Qui pro eo quod naturam nostram sine culpa suscepit candelabrum tabernaculi ex auro purissimo fieri iubetur. Ductile autem feriendo producitur, quia Redemptor noster qui ex conceptione & natiuitate perfectus Deus & homo extitit: passionum dolo-D res pertulit, & sic ad resurrectionis gloriam peruenit. Hastile vero eiusdem candelabri ipsa Ecclesia debet intelligi, quæ corpus eius est: quia inter tot aduersa libera stat. Calami autem qui de hastili procedunt, prædicatores sunt, qui dulcem sonum in mundo ediderunt; videlicet canticum nouum. Scyphi autem vino repleri solent. Quid ergo mentes auditorum nisi scyphi sunt, quæ sanctis prædicantibus vino scientiæ replentur? Sphærulæ autẽ quid est aliud

Christus cãdelabrũ

Figura.

D. Grego. ho. super Ezech. lib.

Verbum Dei.

nisi volubilitas prædicationis? Sphæra autem ex omni parte voluitur. Et prædicatio quæ neque aduersitate retineri potest, neque prosperitatibus eleuatur, sphæra est. Et inter aduersa fortis, & inter prospera humilis, neque timoris habet angulum, neque elationis. In cursu ergo suo figi non valet: quia per cuncta se volubiliter trahit. Vt autem hoc quod exempli causa protulimus exequamur, bene post calamos scyphos & sphærulas, in candelabro lilia describuntur: quia post eã quã diximus prædicationis gratiam atque volubilitatem, illa virens patria sequitur: quæ animabus sanctis: id est, floribus vernat æternis. Sphærulæ ergo ad laborem pertinent, lilia ad retributionẽ. Hæc ille.

Doctrina euãgelica lucerna dicitur, quia illuminat, inflãmat, & purificat, &c.

¶ Quod verò doctrina euangelica lucerna sit atque verum lumen docet Rex David Psalm. 118. Lucerna, inquit, pedibus meis verbum tuũ & lumen semitis meis. Nec immerito lucernæ verbum Dei cõparatur: nam illuminat homines, & inflammat atque purificat mentes illorum. Et quemadmodum oculis ægris odiosa est lux quæ puris est amabilis sic lux euãgelica obstinatorũ animos excæcat, piorum verò illuminat.

Psal. 118.

Verbum Dei illuminat.

¶ Quod Christi euangelium illuminet hominum mẽtes, satis apertè docuit Dauid eo in loco quẽ modo retulimus, Lucerna, inquit, pedibus meis verbum tuum: quasi dicat, lex tua domine gressibus meis est quasi lucens candela, & est quasi lumẽ vias atque actiones meas illuminans, iuxta quam in agendis omnibus sic me gero, sic viuo, vt sine offensione per rectam viam mandatorum tuorum, & ad optatum finem pertingam. Qui enim in lumine ambulat nõ offendit: quemadmodũ illi faciunt quibus lucerna non est verbum tuum, qui in tenebris ambulant nescientes omnino quo vadant. Eunt enim iusti de virtute in virtutem hac lucerna præcedente, donec videant Deum Deorum in Siõ.

Ioan. 11.

Verbum Dei inflãmat. Hierem. 23.

¶ Quod autem Dei verbum, hominum corda inflãmare soleat amore verũ cœlestiũ docet Dñs apud Hierem. c. 23. Nũquid nõ verba mea (inquit) sunt quasi ignis ait Dñs: Et quasi malleus conterẽs

Nn vi

A petram? Et apud Lucã c. 12. Ignẽ, inquit, veni mittere in terrã & quid volo nisi vt accendatur? Frigidi enim peccatores multoties audito Dei verbo ardẽter, omissis peccatis, Deũ amant, atque Dei amore incensi, castè iã viuũt, iniurias libẽter condonãt, aliena restituũt. Præterea doctrina cœlestis hominũ corda purificat, dicente Dño: Iã vos mũdi estis propter sermonẽ quẽ ego locutus sum vobis. Suscipiamus ergo insitũ verbũ quod potest saluare animas nostras. Hoc est lumen illud, de quo

Luc. 12. Ioan. 15. Iaco. 1.

B olim Esai. dicebat: Domus Iacob venite & ambulemus in lumine Dei nostri. Et quãdo Iudæi quos hortatur Esai. vt reciperent Euangeliũ & ambulẽt in Christi lumine, doctrinã & veritate, renuerũt; quia oculis ęgris odiosa fuit tãta lux, nos, illis omissis, qui hactenus Deũ offendimus, qui indomitis cupiditatibus incensi, fuimus in magna prauitate versati, qui in tenebris iacuimus peccatorũ, qui peccatorũ frigore fuimus affecti, qui criminũ labe maculati: accedamus ad verã lucernã, eamus & ambulemus in lumine Dei no-

Esai. 2.

C stri. Accedite ad eũ, inquit regius Propheta, & illuminamini. Accedite inquã & inflãmamini, atque ab animi scoria & spurcitie expurgamini. His ita explicatis, intelligemus modo quid septẽ illis lucernis quę in cãdelabro aureo à Moyse ædito, & postea Zachariæ ostẽso, superpositæ sunt; significare nobis Dñs voluerit. Vt ergo mũdi tenebras Deũ iã velle depellere declararetur, cãdelabrũ cũ septem lucernis representatur, vt numerus septenarius infinitã lucẽ spiritualẽ præsagiret, quia Deus populũ siue Ecclesiã illustraturus erat.

Psal. 33. Exo. 25. Zachar. 4. figura.

D ¶ Quid denique per domũ innuere vellit Dñs in hoc loco facile intelligemus si in memoriã reuocemus quod D. Paulus scribit in epist. ad Hebr. c. 3. Christus, inquit, tanquã filius in domo sua quæ domus sumus nos. Ecclesia ergo Christi domus eius est, De qua olim prædixerat pater cœlestis dicens, 1. lib. Reg. c. 2. Ædificabo ei domũ fidelem. Huius domus super mõtẽ Christum structæ prima petra fuit S. Petrus: Super hanc, inquit, petram ædificabo Ecclesiam meam. Fundamenta præcipua,

Ecclesia domus Dñi vocatur. Heb. 3. 1. Reg. 2. Matth. 16.

cipua, Apostoli. De quibus Paulus ad Ephes.cap.2.scribit. Iam non estis hospites & aduenæ sed estis ciues sanctorum & domestici Dei super ædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum. Et Esaias.capit. 54. Fundabo te in saphyris, idest, in viris cœlestibus. Et D. Ioan. Apocaly.cap.21. Murus, inquit, ciuitatis habens fundaméta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum agni. Lapis vero angularis huius domus, Christus est: fideles vero lapides sunt quibus domus hęc cœlestis cóstruitur. Ipso (inquit Paulus) summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ędificatio constructa, crescit in templum sanctum in Domino, in quo & vos coędificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto. Vbi Paulus angularem lapidem Christum vocat, quod ei tota innitatur spiritualis domus: in quo omnis ædificatio cœlestis Ecclesiæ constructa, crescit & exurgit in templum sanctum Deo: dú fideles per gratiam Dei templum efficiútur. In quo (inquit) & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto, id est, vt per habitantem in vobis Spiritum sanctum, domus Dei sitis. Huius domus tam præclaræ, typus & imago fuit, domus illa quam Dei iussu ædificauit Zorobabel. De qua Dominus apud Zachariá capit.4.ait: Manus Zorobabel fundauerunt domum istam, & manus eius perficient eam. Christus enim Dominus verus Zorobabel, hoc est, alienus à confusione Ecclesiam & ędificauit & perficiet. ¶Hoc idem erat quod.cap.6.idem vates Dei nomine dicebat: Ecce vir oriens nomen eius & subter eum orietur, & ædificabit templum domino. Quæ verba ad verbum non de Zorobabele sed de Christo intelligi affirmant omnes propé Hebræi, quibus etiam assentitur Hieronymus multiq; alij Christiani interpretes. Chaldæus præterea interpres magnæ autoritatis vir, hæc omnia tribuit non Zorobabeli, sed Messiæ. Oriens enim Christus à Zacharia vocatur, patre, inquam Baptistæ apud hunc Euangelistam.capi. 1. per viscera misericordiæ Dei nostri, in

Ephe.2. Esai.54. Apoc.21. Ephe.2. Zacha.4. figura. Zacha.6. Luc.1.

A quibus visitauit nos oriens ex alto. Oriés ergo iste ædificauit templum Domino, hoc est Ecclesiam, atque credentium cóngregationem, in qua verus Deus adoratur & colitur: in qua, inquam, perpetuo habitat. De hac enim Ecclesia Paulus loqués dicit: Vos estis templum Dei viui sicut dicit Deus: Quoniam in habitabo in illis, & ambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Locus autem quem citat hæc dicens Paulus, sumptus est ex Leuitico. ¶His ita constitutis & expositis facilis erit propositi loci intelligentia. B Quemadmodum ergo nullus accédit lucernam & tegit absconditque eam imposito modio, sed imponit candelabro, vt luceat domum intrantibus: sic lucerna, hoc est, doctrina euangelica non data est à Deo frustra, sed imposita est candelabro Christo, vt luceat omnibus Ecclesiam Dei intrare volentibus: luceatque iam ingressis. ¶Atq; hoc erat quod alia similitudine docere voluit Dominus Apostolos cum illos, vt Marcus refert, admonuit vt calciati sandalijs Euangelium prædicarent. Vnde C Diuus Augustinus hoc mysterium explicans ait. Dicendo calciari eos sandalijs vel soleis, aliquid hoc calciamentum mysticé significationis habere admonet Marcus, vt pes neque tectus sit neque nudus ad terram: idest, neque occultetur euangelium, nec terrenis commodis innitatur. Hæc ille. ¶ Discant ergo concionatores euangelici à Christo, non abdere lucernam euangelicam, si perire nolunt. Audiant quid Dominus cuidam concionatori suo dicebat: Si dicente me ad impium morte morieris: non annuntiaueris ei, sanguinem eius de manu tua requiram. D Magnum (inquit Hierony.) discrimen est Dei tacere sermones ob triplicé causam. Vel propter timorem, vel propter pigritiam, vel propter adulationem. Vnde & Esaias: Væ mihi misero (inquit) quia tacui. Hæc ille. Quem etiam lege in.c.33.eiusdé Prophetæ. ¶Discát præterea Ecclesiæ Doctores non esse auaros in cómunicádo proximis sciétię suæ talétú, à Deo sibi collatú. Deriuentur fontes eorum

2. Cor.6. Leui.26.b Marc.6. D. Augus. to.4. lib.2 de consen. Euangé.c. 30. Ezech.3. Esai.6. Pro.5.c

rum forar, & in plateis aquas suas diuidant. Mane seminent semen suum, & in vespere non cesset manus eorum. Meminerint Solis & Lunæ & Stellarum quorum est, perpetuo circuire orbem: vt illum illuminent & illustrent. Meminerint, inauditum esse inter homines, lumen exhiberi venale: & quod miserrimus haberetur qui lucernæ suæ lumen, aliorum lucernis communicare nollet. Meminerint quod diuus Augustinus ait: Omnis res quæ dando non deficit, dum habetur & non datur, non dum habetur quo modo habenda est. Et quod Seneca: Non minus (inquit) pium est animam docere scientiam, quàm corpori dari escam. Et quod Diuus Gregorius. maius, inquit, miraculum est verbo consolationis peccatorem conuertere, quàm carnem mortuam suscitare. Meminerint, non solum scientiam absconditam, & thesaurum inuisum nullius esse vtilitatis, vt Salomon ait: sed quod si abscondatur & non elargiatur scatebit vermibus, quemadmodum de manna legimus Exodi. capit. 16. Scatebit, inquam, vermibus superbiæ, nam scientia inflat. Vermibus inuidiæ, & indignationis: in multa enim sapientia, multa indignatio: & qui addit scientiam addit & dolorem. Meminerint verbi Domini apud Matthæum. Omni habenti dabitur, & abundabit: & ei qui non habet, & quod videtur habere auferetur ab eo. In quem locum glossa inquit. Habenti studium verbi erogandi, dabitur gratia super gratiam. Et glossa alia: Multi, inquit, naturaliter sapientes, & acuti, si sint desides perdunt bonum. Denique nolint vt ob suam in impartiendis huiusmodi diuitijs auaritiam, odio prosequantur ab hominibus, dicente Salomone: qui abscondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium. Maxima enim iniuria fit proximo nolle cum ignorat eum docere. Vide Diuus Bernardus rem profectò proximi retines, si donis scientiæ, & eloquentiæ adornatus; verbum bonum

Eccl. 11. c
similitudo
D. Aug. de doct. chri.
Seneca.
D. Grego.
Eccl. 41. c
Exod. 16.
1. Cor. 8. a
Eccl. 1. a
Matth. 25. c
Glo.
Glo.
Pro. 11. d.
D. Ber.

A quod posset prodesse multis inutili, imò damnabili silentio ligas. Certè maledictus qui frumenta abscondit in populis. Maxima iniuria Deo etiam fit. Nam, vt Bernardus ait, modica sementis detractio, non modicum sementis est detrimentum. Damnum ergo non paruum tales inferunt Deo, qui semen diuini verbi quod seminare in agro Domini debebant, inutiliter abscondunt.

¶ Quæ omnia optime intelligentes viri præclari, atque scientia & charitate pollentes, non abscondunt scientiæ B talentũ, neque absco͂dunt lucernam doctrinæ, sed in publicum prodeunt: vt eam fidelibus communicent, ne à via veritatis aberrent. Hi sunt animalia illa de quibus Ezechiel Propheta dicebat: Et similitudo animalium, & aspectus eorum, quasi aspectus lampadarum. In quæ verba Diuus Gregorius inter alia hæc scribit: Lampades lucem suam longius spargunt, & cum in alio sint, in alio resplendent. Qui enim verbo doctrinæ pollet, huius opinio longè, lateque C vt lampas lucet, & qui bona eius audiũt, quia per hæc ad amorem cœlestium surgunt, in eo quod se per bona opera exhibent, quasi ex lampadis lumine resplendent. Quia ergo sancti viri quibusdam lucent, eorum itinera, ne in peccati sui tenebras corruant, lampades fiunt. Lampades enim quia magno flammarum lumine resplendent, diffusas circunquaquè tenebras effugant. Quare qui & exempla virtutum prærogant, & lumen boni operis per vitam, & verbum errantibus demonstrant, iure lampades appel- D lantur, quia & per adorem desiderij, & per flammam verbi, à peccatorum cordibus erroris tenebras expellunt. Hæc ex Gregorio.

¶ *Nemo accendit lucernam & in abscondito ponit sed super candelabrum, &c.* Præsul, aut impius, aut ignarus, lucerna est in Ecclesia posita super candelabrum dignitatis, extincta tamen, tetrum fumum è se emittens: Quare hæc potius essent abscondenda quàm candelabro dignitatis imponenda. Ta-

Ezech. 1. d
D Grego. ho 5 in Ezech.
Præsul ignarus aut iniquus lucerna extincta est candelabro dignitatis imposita.

tales sane indigni sunt vt candelabro imponantur: nam si ignari sunt, quo pacto cœli ianuas aperire poterunt? Quo pacto etiam rationem reddent omni poscenti de illa, quæ in illis est, spe? Aut quis legem de ore eorum requiret? Aut quo nam modo cum cæci omnino sint, alios in cœlorum regnum ducent? Aut quo nam, inquam, modo maledictionem illam fugient: maledictus qui errare fecerit cœcum in via: & dicet omnis populus Amen? Sint ergo præsules animalia plena oculis non loculis. Sint sapientia præditi: si volunt vt veniant illis omnia bona pariter cum illa. Si volunt fructum ferre, & sint tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum. In memoriam reuocent quod Exodi. 28. præcepit Dominus Moysi his verbis: Pones in rationali iudicij, doctrinam, & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron. Imò illud recolant quod Danieli dictum est. Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Væ miseris illis, nam audient quod dominus apud Oseam minatur: quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungatis mihi.

1. Pet. 3. Mala. 2. b Luc. 6. Deu. 27. c Apo. 4. Sap. 7. b Psa. 1. Exo. 28. e figura. Dan. 12. a Osea. 4. b

¶ Iam vero quamuis grande malum sit præsules Ecclesiæ ignaros esse nō minus malum est eos sceleratos & iniquos esse. Oportet enim vt Paulus ait. Ipsum præsulem irreprehensibilem esse: sed tales potius facti sunt laqueus speculationi, vt Oseas ait. Similes profecto gladio illi versatili quo claudebatur paradysus terrestris. Cum nec ipsi intrent nec alios intrare sinant. Tales non sunt sacerdotes illi quos iustitia indutos desiderabat David. Sacerdotes (inquit) tui induantur iustitiam. Vox quidem illorum vox Iacob est manus autem reprobi Esau. Non enim ascendunt super montem excelsum virtutis & pietatis, vt euangelizent Siō: sed super montem & candelabrum excelsum dignitatis, vt sibi, suisque commodis & voluptatibus viuant. Væ etiam illis, qui decimant mentam & anethum & relinquunt quæ grauiora sunt legis, iudicium & misericordiam & fidem. Vt de Pharisæis Christus ait apud Matthæum capit. 23. Hæ igitur lucernæ cum extinctæ sint, & non incensæ, aut lumine sapientiæ aut flamma charitatis, potius abscondendæ sunt quam candelabro imponendæ. Tu ergo quisquis sis memor esto vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac: sin autem veniet tibi Dominus, & mouebit candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.

1. Timo. 3 a Osea. 5. a Gen. 3. d Psa. 131. b Gen. 27. Esai. 40. b A Matth. 23 c Apo. 2. b B

¶ *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex: totum corpus tuum lucidum erit. Si autem nequam fuerit corpus tuum tenebrosum erit.* Hac secunda similitudine docere nos vult dominus quid necesse sit vt omnes operationes nostræ studiosæ & meritoriæ dignæque æterna fœlicitate sint. Vnde oculus pro animo & corpus pro operatione in hoc loco accipitur. Si ergo animus noster purus & simplex fuerit, omnis operatio nostra splendebit. Purus autem & simplex oculus iste spiritualis erit, si verbo Dei illustratus sit, si non viciatus sit caligine falsarum opinionum, aut cupiditatum: si non alio dirigat aciem quam ad verum scopum. Si talis fuerit animus, totum corpus lucidum erit, quodlibet membrum suo rite fungetur officio: nullam maculam patietur in membris & affectibus: imò si talis fuerit etiam quæ mala videntur, hoc est, aduersitatis, &c. bona erunt: sin autem nequam fuerit, si ratio & animus errat, non mirum si voluntas, affectus, cor, lingua manus pesque errēt. Vides igitur vnde proueniat, quod tam peruersa sit nostra vita, nempe ex caligine animi.

Oculus purus quid. C D

¶ Primum igitur necesse est vt oculus noster, hoc est, animus & ratio purus sit, vt verbo Dei illustretur. Cum enim animi officium sit prospicere membris cæteris, ac dirigere & iudicare quid bonum, quid malum, quid amplectendum, aut fugiendum: in hisque, sibi ipsi non sufficiat cuiusindicium est, quod qui maxime rationem secuti sunt maxime

errauerunt, vt philosophi. Necesse est, vt Dei verbo illustretur. Quod intelligens Psalmista dicebat: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Si enim sine fide impossibile est placere Deo: fides autem ex auditu, auditus autem per verbum Christi: sine verbo ergo & doctrina Christi impossibile erit placere Deo. Cum enim homo (inquit Augustinus) credatur factus ad imaginem Dei: profecto ea sui parte est propinquior superiori Deo, qua superat inferiores partes suas, quas etiam cum pecoribus communes habet. Sed quia ipsa mens cui ratio naturaliter inest, vitijs quibusdam tenebrosis & veteribus inualida est, non solum ad inhærendum fruendo, verum etiam ad perfruendum merendo incommutabile lumen, donec de die in diem renouata atque sanata fiat tantæ fœlicitatis capax, fide primum erat imbuenda atque purganda. In qua vt fidentius ambularet ad veritatem, ipsa veritas Deus Dei filius homine assumpto, non Deo consumpto, eandem constituit atque fundauit fidem, vt ad Deum iter esset homini per hominem Deum. Hic est enim mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. Christus per id quod est mediator, est homo, & via perueniendi ad Deum, per hoc enim mediator per quod & homo, per hoc & via. Quia si inter eum qui tendit, & illud quo tendit, via media est, spes est perueniendi. Si autem desit aut ignoretur, qua eundum sit, quid prodest nosse quo eundum sit? Sola est autem aduersus omnes errores via munitissima, vt idem ipse sit Deus & homo, quo itur Deus, qua itur homo. Hæc Augustinus. Cum ergo hanc viam qua eundum nobis est, & scopum quo itur ignoraret ratio, ignorent omnes physicæ disciplinæ, necessaria fuit doctrina cœlestis quæ oculos mentis illuminaret atque dirigeret. Hanc propterea tam obnixe postulabat sapiens cum diceret da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam mitte illam a sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit & mecum laboret, vt sciam quid acceptum sit apud te: scit enim illa omnia, & deducet me in operibus meis sobrie, & custodiet me in sua potentia. Et erunt accepta opera mea, & disponam populum tuum iuste. Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? Aut quis poterit cogitare quid velit Deus? Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ. Et difficile æstimamus quæ in terra sunt: & quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore. Quæ autem in cœlis sunt quis inuestigabit? Sensum autem tuum quis sciet nisi tu dederis sapientiam, &c. Nam per sapientiam sanati sunt quicunque tibi placuerunt Domine a principio. Atque pater eius Dauid eandem ob causam prius dixerat: qui docet hominem scientiam Dominus scit cogitationes hominum quoniam vanæ sunt. Beatus homo quem tu erudieris Domine & de lege tua docueris eum. Primum ergo necessarium est vt animus sit simplex atque purus vt cœlesti doctrina imbuatur si tota via errare non vult. Hinc est quod cum oculus, hoc est, animus omnium infidelium hac diuina sapientia careat purus ac simplex non sit: ex quo fit vt totum corpus eorum hoc est, omnis actio eorum, quantumuis studiosa videatur, tenebrosa sit.

¶ Deinde necesse est vt oculus, hoc est, animus, non viciatus sit caligine falsarum opinionum. Non enim sat est vt adsit nobis diuinum verbum aut scriptura diuinitus reuelata, nam plerumque male iudicamus etiam si adsit cœlestis doctrina. Huius ratio est, quia aut phantasma oculo obiectum est, hoc est, caligo, & spes falsarum opinionum: quas si semel animus peperit, vix recte iudicabit: imo omnes scripturas ad id torquebit, sicut qui amarum quippiam gustauit, omnia quæ postea sumit amara iudicat. Talis est oculus hominis hæretici. Habet enim diuinas scripturas quibus illustretur. Ille autem proprio iudicio subuersus, male illas interpretando, tota errat via. Quare cum oculus eius caligine errorum sit plenus: omni eius opera

Marginalia: Psal. 118. — Ad Heb. 11 b. — 4. de ciuit. c. 2. — Sapien. 9. — Psal. 93. — VI. Tho. 1. p. q. arti. 1. — Visus spiritualis per quid impeditur.

peratio tenebris plena est.

¶ Tertiò opus etiam est, vt oculus non impediatur puluere terrenarum voluptatum, aut proprij commodi, aut calce inuidiæ, &c. Munera enim excæcare solent oculos sapientum, cæteraque peccata. Hinc intelligamus quare oculus peccatoris fidelis, simplex non sit: quare actio eius tenebrosa: quod huiusmodi prauis affectibus deprauatus sit animus, vt non rectè iudicet, neque rectè manus pedesque dirigat.

¶ Denique oportet vt oculus sit purus vt non aliò dirigat actiones quàm ad Deum quo tendit. De qua re multa diximus Matthæi. capit. 6. in illum locum: attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis. Caueamus igitur ne lumen quod in nobis est tenebræ sint. Caueamus inquam ne mens nostra quæ in lumen nostrarum actionum posita est, aut errore aliquo aut vitio aliquo aut sinistra intentione, &c. obscurata sit: ne reliquæ actiones deprauentur. Videamus igitur vt hic oculus quo cernitur veritas, in nobis purus sit ac syncerus. Hoc enim viciato cum caput & radix sit omnium bonorum operum etiam illa quæ bona videntur bona dicenda non sunt. Contrà, quæ impijs aut infidelibus mala videntur, mala non erunt si fons, vnde proficiscuntur fuerit syncerus. Erit autem si sermone diuino, si fidei claritate, ex qua iudicium est, ac decreta viuendi fuerit purgatus, si à prauis cupiditatibus fuerit abstersus & emundatus, si in Deum finem suum actiones suas dirigat. Quod si oculus ita sit, membris omnibus suum lumen impartiet, vt nulla in parte corporis sit aliquid tenebrarum. Videlicet omnibus prospiciente oculo. Itaque quicquid fecerit manus, quicquid pes, quicquid cætera membra, non erit obnoxium tenebris, sed totum corpus erit lucidum, veluti tota domus lucida est, omnibus prælucente fulgore lucernæ. Consequutum est autem per quod, hoc quod hic docet Dominus velut explanaretur. Siquidem Pharisæi, cum haberent oculum viciatum, & iustitiam constituentes in ceremonijs corporalibus solum, negligerent ea quæ oculis nō cernuntur nisi puris, quibus prælucet lucerna veritatis Euangelicæ, & integra fides & alia quæ superius retulimus, ibi putabant esse lumen, vbi erant tenebræ: & tunc maxime impingebant, quum sibi viderentur pulchrè ingredi: & illic iudicabant esse graue crimen vbi nullum erat: vbi vero grauis erat culpa, nullam esse putabant. Habebant enim oculos superstitione legis, ignorantia, fastu, liuore, auaritia, hypocrisi, cæterisq; malis viciatos. Quod vt verū esse credas audi quæ sequuntur.

¶ *Et cum loqueretur, rogauit illum quidam Pharisæus vt pranderet apud se. Iesus autem ingressus recubuit.* Non recusauit vt vides, Iesus prandium. Nulli se non præbens, vt omneis ad se pertraheret. Vt merito affirmet Paulus quod vult Deus omnes homines saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire. Apud Deum enim non est personarum respectus: sed in omni gente qui timet Deum & operatur iustitiam, acceptus est illi. Non enim vult mortem peccatoris sed vt conuertatur & viuat. Ad omnes tota die expandit manus suas: omnibus dicit venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis & ego reficiam vos. Quid, inquit, vltra debui facere vineæ meæ quod non feci? Ecce altilia occisa sunt: mensa posita, mixtum vinum: propositi panes duodecim, missus & seruus legatus iuxta nauim, qui aduocet omnes gentes: & ferè omnes respondent habe nos excusatos. Et cum hæc (inquam) ita sint, non tamen omnes obediunt Euāgelio: vt in his Pharisæis & Scribis, & legis peritis vides. Sed ais, quare non omnes obediunt Euangelio? Non omnes exemplo Niniuitarum prędicant ieiuniū, assumunt saccum, mutantque mores in melius? Cum nulli se non præbeat Christus vt omnes ad se conuertat: cum sciant Deum, quantum ad illum attinet, velle omnes homines seruari: maxime cū scriptum sit, omnia hæc fecisse Niniuitas sub in-

(Marginal notes: Ioan. 3. — D. Hiero. — Omnibus se præbet Christus, vt omnes ad se trahat. — 1. Timo. 2. — Acto. 10. — Esai. 5. — Luc. 14. — Pro. 9. — Rom. 10. — Ionæ. 3.)

Ionæ 3. incerta spe misericordiæ: cum dixerint: quis scit si cõuertatur Deus & ignoscat: & non peribimus? Cui interrogationi satisfacit Hieronymus his verbis: D. Hiero. Difficile est homines nobiles & potentes, & multo difficilius eloquentes, amplius autem qui in profundum malorum venerunt, vt credant Deo: obcæcatur enim eorum mens diuitijs, voluptatibus, atque luxuria: & periculum est semel intestina gustasse canem. Exemplo tibi sint Pharisæi isti atque legis periti vt iam diximus: & adhuc dicemus.

¶ *Pharisaus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prãdium. Et ait dominus ad illum, nunc vos Pharisæi quod deforis est calicis & catini mundatis: quod autem intus est vestrum plenum est rapina & iniquitate. Stulti, nonne qui fecit quod foris est, etiam id quod intus est fecit?* Hic primũ mecum considera quo pacto ex re, quæ neque bonum facit hominem neque malum, nascitur id, quod vere perpetuo malum est. Habebãt autem proprium illud ac genuinum superstitiones & ceremoniæ Pharisaicæ, quæ rebus corporalibus constabant, vt gignerent obtrectationes, suspiciones malas, peruersa iudicia, dissidium, odium & rixas. Iesus igitur intelligens, hanc esse præcipuam pestem euangelicæ pietatis acriter vt vides, arguit Pharisaicam superstitionem. Quo exemplo discant viri religionem aliquam profitentes, ne contenti sint nimia ceremoniarum obseruatione, non curantes alia quibus maximé decoratur religio. Curent diligenter ne nimia ceremoniarum obseruantia gignat obtrectationes, suspiciones malas & alia quæ modo retulimus: ne stulti vocentur à Christo.

¶ Deinde obserua diligenter, veram puritatem in animi sitam esse innocentia. *Vera puritas in animi innocentia est.* Hæc est quam præcipué à nobis ab istisque Pharisæis postulat vbique Dominus. Esai. 1. Lauamini (inquit apud Esaiam) mundi stote auferte mala cogitationum vestrarum. Primùm docet hic locus vt lauemus animas nostras lachrymis & pœnitentia, deinde vt in ea animi puritate A perseueremus. Mundi, inquit, estote. Hoc est date operam vt vos iterum non contaminetis. Multi se abluunt sed mundi non sunt, quia statim eadem peccata admittunt, & post lachrymas quibus sordium maculas deleuerant, easque deplorauerant iterum repetunt. Hos appellat diuus Petrus in epistola sua secunda. 2. Pet. 2. Canes ad uomitum reuertentes: id quod Salomon in Prouerbijs suis scriptum reliquerat. Pro. 26. Abluamus igitur quod latus est, & in puritate manere studeamus, iuxta B id quod ait Hieremias: Hiere. 4. Laua à malitia cor tuum Hierusalem, vt salua fias. Tandem auferamus malum cogitationum nostrarum demusque operam vt omnem animi cogitationem integram puramque seruemus si beati esse: ac Deum videre volumus. Matth. 5. Nam beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt. Deu 18. Eccle. 9. Perfecti simus absque macula cum Deo nostro. Atque omni tempore vestimenta nostra sint candida: satagamusque immaculati & inuiolati inueniri. 2. Pet. 3. Tum quod nihil magis natiuum est animæ quàm mundicies. Sicut corpo- C ris natura est sanitas (inquit Bernard.) Bernar. ita cordis natura est puritas. Tum quod impuritatẽ animæ maximo odio prosequitur Deus, vt in hoc loco vides, & apud Matthæum legis. c. 15. Matth. 15. de corde (inquit) exeunt cogitationes malæ, &c. Hæc sunt quæ coinquinant hominem, non lotis manibus manducare, nõ coinquinat hominem. Simile. An non pudet creaturis insensibilibus inferiores esse? Purgat mare sese, mortuos ad littus expellendo, Simile. purgat sese vinum, & cætera omnia quæ decoquũtur, & nos miseri immunditiem animi tã D vehementer amamus?

¶ Etsi omnes fideles animi puritatẽ amare debeant, peculiariter tamẽ ad eos qui religiosam vitam profitẽtur sermo Christi pertinet. *Ad religiosos maximé expectat animi mũdicies.* Curent diligenter non solũ ceremonias constitutionesque suas seruare, sed præcipué præcepta Dei. Curẽt inquam, vt animus purus & mundus sit, caueant ne scateat sordibus Deo abominandis, nempe rapina & iniquitate. Quibus scatebat animus illorum pharisæorum

rum, qui vitam religiosam profiteri videbantur. ¶ Sunt enim oculi Ecclesiæ quare languere non debent præ inopia luminis. Et quemadmodum macula in oculis magis nocet, quàm in cæteris membris: cætera enim membra, & si immũda sint fungi possunt officio & munere suo, at si oculus puluere aspergatur minime: sic præsules sic Ecclesiastici viri, sic religiosi, si sordibus peccatorum scateant ad nihilum valent, nisi vt mittantur foras & conculcentur ab hominibus. Cum oculi sint, puluere tamẽ peccatorum grauati, nequaquam in membris maculas purẽ considerare poterunt. Vnde Gregor. nequaquam in membro maculam purẽ cõsiderat oculus quem puluis grauat.

Religiosi sunt oculi Ecclesiæ

Simile.

D. Greg.

¶ Sunt veluti speculum cæterorum fidelium, quare vt speculũ sine macula sint oportet: quale fuit Dei sapientia, & verbũ quod Sapi. 7. dicitur speculũ sine macula. Qui enim speculum labe conspersum intuetur, non tam faciem suam, quã speculi maculam conspicit. Sic qui peccatores religiosos intuetur, ad peccata potius se conferet, illaq; imitari pro suis viribus curabit. Tam purẽ ergo viuere studeant, vt dicere possint cũ Paulo: imitatores mei stote, sicut & ego Christi.

Sũt speculum ecclesiæ.

1. Cor. 5.

¶ Vasa denique sunt electa regi regum & Domino dominantium, quale erat illud de quo Dominus dicebat: vas electionis mihi est iste, vt portet nomen meum, coram gentibus, & regibus, & filijs Israel. Et quemadmodum si in scypho immundo vinum aliás fragrans & suaue infundatur, insuaue & abominabile redditur: sic cuius vita despicitur, restat vt eius sapientia & prædicatio contemnatur.

Sunt vasa electa.

Actor. 9.

D. Greg.

¶ *Verumtamen quod superest, date eleemosynam & ecce omnia munda sunt vobis*. Variẽ exponitur à Doctoribus locus iste. Primus sensus est per ironiam. Ita enim sibi ipsis pharisæi isti blandiebantur, vt abunde puri sibi viderentur, si corpus, & vasa lauarent aqua, & animũ fraudibus, rapinis, odio, liuore, ambitione, cæterisque pestibus inquinatum, purgarẽt nõnulla eleemosyna quam cum ad ostẽtationem facerent tuba canendo tamen arbitrabantur sufficere ad summam animi mundiciem. Ait ergo ironicẽ loquendo Christus. *Cor vestrum plenum est rapina & iniquitate, verumtamen quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*. Hurtays el puerco y days los pies por amor de Dios, y cõ esto pensays que no ay mas: y que todo es agua limpia. Verũtamen quod superest, i. verumtamen quod restat, *date eleemosynam, et ecce omnia, ect*. Si si dad limosna que no es menester mas. Verbum Græcum, *δότε*, anceps est ad indicatiuum & imperatiuum modum. Quare siue interpreteris *date*, vel *datis eleemosynam*, idẽ sensus effici potest. Planior tamen fit, si per indicatiuum efferatur.

1. Sensus huius loci

A

B

¶ Secundus sensus est, vt consulat Christus Dominus de superfluis ad vitam eleemosynas largiri si à peccatis suis emũdari volunt. Quẽ sensum sequutus est D. Greg. 12. q. 1. cap. quia tua. Communiter, inquit, viuentibus iam de adimplẽda misericordia à nobis quid erit loquendum? Cum omne quod superest necessitatibus in causis pijs, ac religiosis erogãdum est: Domino omnibus dicẽte quod superest, date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis. Gregorij sensum secutus est paschalis Põtifex. 16. q. 1. c. decimas. Sensus ergo iste est, *quod superest*, quod abundat ẽ facultatibus vestris date eleemosynam.

2. Sensus

D. Greg.

C

Paschalis Pontifex.

¶ Tertius sensus quod superest. Id est, reliquum est, vt detis eleemosynã & emundabimini à peccatis. Cæterũ animaduerte multa esse, quæ requiruntur ad animi puritatem & mundiciem (vt statim dicemus) in hoc tamen loco, eleemosynis tribuitur à Domino hæc puritas, quod maximi momenti sint inter alia. Vnde D. Chrysostomus de eleemosyna verba faciens sic ait. Medicamentũ fortius quod maxime operatur in pœnitentia, hoc est. Sicut in præceptis medicinæ medicamentum quidem herbas multas accipit. Vnam autem dominantissimam: sic & in pœnitentia dominantior ista herba & potentior est, & vniuersum ipsa efficit. Audi enim quid dicit scriptura: date eleemosynam & ecce omnia munda sunt vobis.

3. Sensus.

D

D. Chrys. de pœn. de 1. c. medicamentum

¶ Mundantur ergo peccatores inquit

Lib. 1 côt. croic gra. c. 12. Augustin. & verbo veritatis: ab illo qui ait, iam vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis: mundantur & sacrificio contriti cordis ab illo de quo dictum est: sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor cōtritum & humiliatum Deus non despicies, mundantur & eleemosynis ab illo qui ait: date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis, mundantur ipsa quæ supereminet omnibus charitate ab illo qui per Apostolū Petrum dixit: charitas operit multitudinem peccatorum, quę vna si assit, omnia illa recta fiunt. si aut desit illa, omnia frustra fiunt. Hæc verò vnde sit, audi docentem Apostolum charitas, inquit, Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Hæc multaque alia in sacra Scriptura passim reperiuntur quibus mundicies animi comparatur. Sed inter hæc omnia maxime cōmédatur eleemosyna, quod (vt Chrysost. docuit) maximam vim habeat in vera pœnitentia.

Ioan. 15. Psalm. 50. 1. Pet. 4. Rom. 5.

¶ *Date eleemosynam & ecce omnia mūda sunt vobis.* D. Basilius interrogat. 271. sic quærit. Cum Dominus dicat, verumtamen quod superest, date eleemosynā, & ecce omnia munda sunt vobis: nunquid peccata omnia, quę quis commisit, mundentur per eleemosynam? Cui quęstioni sic respondet. Propositam quæstionem series ipsa eorum, quæ præcedunt, dilucidè explicat. Nam cum antea dixisset, quod deforis est calicis, & catini, mūdatis: quod autem intus est vestrum, plenū est rapina, & iniquitate. Post hoc subiecit, verumtamen, quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia mūda sunt vobis. Omnia, hæc videlicet, quæ per rapinam & defraudationem peccata committimus, & inique agimus. Hoc autem ita esse aperte declarauit Zachæus, cum dixit, ecce dimidium bonorum meorū, do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui reddo quadruplum. Vt videlicet intelligatur, peccata omnia, quæ eiusmodi sunt, vt retexi possint, ac pluribus contrariis rectè factis pensari, hoc modo ab homine emundari: atque hoc modo, dico non vt qui ipse ad emundationem per se

D. Basilius. Luc. 19.

A satis idoneus sit, sed qui egeat in primis misericordia Dei, & sanguine Christi: in quo redemptionem habemus, reliquorū etiam omnium, facientes in singulis fructus dignos pœnitentiæ.

Eph. 1. Math. 3.

¶ *Date eleemosynam, &c.* Per eleemosynam omnia bona opera intelligit. q. d. date operam bonis operibus, & emundabimini ab eiusmodi peccatis. Ac per hoc (inquit Aug.) ad omnia quæ vtili misericordia fiūt valet quod Dñs ait, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Non solum autē qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, ægro visitationem, captiuo redemptionem, debili subuectionem, cæco deductionem, tristi consolationem, non sano medelam, erranti viam, deliberanti consilium, & quod cuique necessarium est indigenti: verumetiam, & qui dat veniā peccanti, eleemosynam dat: & qui emendat verbere in quem potestas datur, vel coherecet aliqua disciplina, & tamen peccatum eius quo ab illo lęsus est, aut offensus, dimittit ex corde, vel orat vt ei dimittatur. Non solum in eo quod dimittit, atque orat, verumetiam in eo quod corripit, & aliqua emendatoria pœna plectit, eleemosynam dat, quia misericordiam præstat. Multa enim bona præstantur inuitis, quando eorum consulitur vtilitati non voluntati: quia ipsi sibi inueniūtur esse inimici, amici verò eorum potius illi quos inimicos putant, & reddunt errādo mala pro bonis, cū reddere mala Christianus non debeat pro malis. Multa itaque sunt genera eleemosynarum, quę cū facimus adiuuamur, vt dimittantur nostra peccata.

B C D

Multa sūt genera eleemosynarū in Enchir. c. 72. Dist. 45. c. & qui emēdat. 4. d. 15. c. his respon deri.

¶ *Date eleemosynam, &c.* D. Aug. explicans hunc locum in Enchiridio per multa capitula sic ait. Sane qui sceleratissimé viuūt, nec curant talē vitā moresq; corrigere, inter ipsa facinora sua eleemosynas frequētare non cessant, frustra sibi in eo blandiūtur, quoniā Dñs ait, date eleemosynā, & ecce oīa mūda sunt vobis. Hoc.n. quā late pateat, non intelligunt. Sed vt intelligāt, attendāt quibus dixerit. Népe in Euāgelio scriptū est, cum loqueretur rogabat

Cap. 75.

rogabat illum quidam Pharisæus, vt prā deret apud se & reliqua quæ sequuntur, vsque ad hæc verba date eleemosynam, &c. Ita ne hoc intellecturi sumus, vt pharisæis non habentibus fidem Christi, etiā si non in eum crediderint, nec renati fuerint ex aqua & Spiritu sancto, mūda sint omnia tantum si eleemosynas dederint, sicut isti eas dandas putant: cum sint immundi omnes quos non mundat fides Christi, de qua scriptum est mundans fide corda eorum: & dicat Apostolus immundis autē & infidelibus nihil est mundum, sed polluta sunt eorum, & mens, & consciētia, quomodo ergo pharisæis omnia munda essent, si eleemosynas darent, & fideles non essent? Aut quomodo fideles essent, si in Christum credere, atq; in eius renasci gratia noluissent? Et tamen verum est quod audierant, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Qui autem vult eleemosynam ordinate dare, a se ipso debet incipere, & eam sibi primū dare. Est enim eleemosyna opus misericordiæ, verissimeque dictum est, miserere animæ tuæ placens Deo. Propter hoc renascimur, vt Deo placeamus, cui merito displicet quod nascendo contraximus. Hæc est prima eleemosyna quam nobis dedimus, quoniam nos ipsos miseros permiserantis Dei misericordiam requisiuimus, iustum iudiciū eius confitentes, quo miseri effecti sumus, de quo dicit Apostolus iudicium quidē ex vno in condemnationem, & magnæ charitati eius gratiam agentes, de qua idem ipse dicit gratiæ prædicator, commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniā cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, vt & nos veraciter de nostra miseria iudicantes, & Dei charitatem quam donauit ipse diligentes, piē rectēque viuamus. Quod iudicium & charitatem Dei cum pharisæi præterirent, decimabant tamen præter eleemosynas quas faciebant etiam quæque minutissima fructuum suorum: & ideo non dabant eleemosynas á se ipsis incipientes, secumque prius misericordiam facientes, sicut isti eas dandas putant. Propter quem dilectionis ordinem

Act. 15.
Titum. 1.
Rom. 5.
Rom. 5.

A dictum est, diliges proximū tuum sicut te ipsum. Cū ergo increpasset eos quod forinsecus se lauabant, intus autem rapina & iniquitate pleni essent, admonens quādam eleemosynam quam sibi homo primitus debet dare, & interiora mundare, verumtamen, inquit, quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Deinde vt ostēderet, quid admonuisset, & quid ipsi facere non curarent, ne illum putarent eleemosynas eorū ignorare, sed væ vobis, inquit, pharisæis: tanquam diceret, ego quidem cōmonui vos, ad eleemosynam dādam per quam vobis omnia munda sint, sed væ vobis qui decimatis mentam, & rutā, & omne olus: has enim noui eleemosynas vestras, ne de illis me vos nūc admonuisse arbitremini: & præteritis iudicium, & charitatem Dei, qua eleemosyna possetis ab omni inquinamento interiori mūdari, & vobis munda essent & corpora quæ lauatis, hoc est, enim omnia & interiora, scilicet, & exteriora, sicut alibi legitur, mundate quæ intus sunt, & quę foris sunt munda erunt. Sed ne istas eleemosynas quæ fiūt de fructibus terræ respuisse videretur, hæc, inquit, oportuit facere, id est, iudicium & charitatem Dei: & illa non omittere, id est, eleemosynas fructuum terrenorum. Non ergo se fallant, qui per eleemosynas quaslibet largissimas fructuum suorum, vel cuiusque pecuniæ, impunitatem se emere existimant in facinorum immanitate ac flagitiorum nequitia permanendo. Non solū enim hæc faciunt, sed ita diligunt, vt in his semper optent tantum si possint impunè versari. Qui autem diligit iniquitatem odit animam suam, & qui odit animam suam non est misericors, sed crudelis. Diligendo eam quippe secundum seculum, odit eam secundum Deum. Si ergo vellet ei dare eleemosynam, per quā munda illi essent omnia, odisset eam secundum seculum, & diligeret eam secundum Deum. Nemo autem dat eleemosynam quamlibet, nisi vnde dat ab illo accipiat qui non eget, & ideo dictum est, misericordia eius præueniet me. Hæc August. quem adducit Magister. 4. sent. d. 15.

Matt. 22.
Inf. c. 10.
4. sen. dist. 15. c. his respond. 11. Cap. 78.
Psalm. 10.
Psalm. 58.

B, C, D

d. 15. c. his responderi. Quibus probare contendit, quod in peccato mortali permanētes, & si eleemosynas largas faciāt, non tamen per eas satisfaciunt: quia inordinatè agunt, dum à se non incipiunt. Nec propriè dicitur eleemosyna tale opus, dum sibi ipsis crudeles existunt, nō placentes Deo. Hæc magister. Eleemosyna ergo si apponantur alia quæ ad salutem animæ sunt necessaria, maximā vim, vt superius diximus, habet, in vera pœnitentia. Imo etiam maximè decet diuinā pietatem, vt homines peccatores qui bonis operibus dant operam à Deo ad verā pœnitentiam trahantur.

¶ *Decimatis mentam*. Decimas datis ex menta. De decimis persoluendis hic agi potest.

¶ *Et præteritis iudicium*. Id est, ius. heb. est. Sub prætextu religionis agebāt pharisæi isti suum negotium decimātes etiā holerum vilissima mentam & rutā, quasi soli sacerdotes ac Leuitæ curæ essent Deo. Atque interim præteribant omne ius & æquitatem fraudulenter agentes cum proximo contra mentem Dei.

¶ *Væ vobis quia estis vt monumēta quæ non apparent*. Id est, quorū interior pars non est conspicua.

¶ *Et vobis legisperitis væ: quia oneratis homines oneribus quæ portare non possunt & ipsi vno digito vestro non tangitis sarcinas*. Tales sunt inter nos nonnulli principes & præsules in alios asperi & truculēti, in se ipsos verò lenes & mites. Similes hericijs. Est enim hericius animal setis horridum, cutem habens foris asperam, intus verò lenem. At præsul verè Christianus, ait cum Paulo castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim ipse reprobus efficiar.

Similitu.

1. Cor. 9.

A *ficamini quod cōsentitis operibus patrū vestrorum: quoniam ipsi quidem eos occiderūt, vos autem ædificatis eorum sepulchra. Propterea & sapientia Dei dixit, mittā ad illos, prophetas et Apostolos, & ex illis occident &* B *persequentur: vt inquiratur sanguis omniū prophetarū, qui effusus est à constitutione mūdi à generatione ista, à sanguine Abel, vsque ad sanguinem Zachariæ qui periȳt inter altare et ædem. Ità dico vobis requiretur ab hac* C *generatione. Væ vobis legisperitis qui tulistis clauem scientiæ: ipsi non introistis, & eos qui introibant, prohibuistis. Cum hæc ad illos diceret, cæperunt pharisæi, et legisperiti grauiter insistere et os eius opprimere de multis, insidiantes ei, et quærentes aliquid capere ex ore eius* D *vt accusarent eum.*

Gen. 4.
2. Par. 24.

In communi martyrum.

VÆ vobis qui ædificatis monumenta prophetarum: patres autem vestri occiderunt illos. Profectò testi

VÆ *vobis qui ædificatis monumenta prophetarū patres autem vestri occiderunt illos*. Vel, cū patres vestri occiderint illos. Vel, quos patres vestri occiderunt.

¶ Quantum ad primam faciem (inquit Origenes) pertinet textus, non satis rationabiliter cōminari videtur aduersus eos qui

Origenes, ho. 26. in Matth.

qui ædificant sepulchra prophetarum, & ornant monumēta iustorum. Quantum adhoc enim solum laudabile aliquid faciebant, quod sepulchra prophetarum ædificabant, & ornabant monumenta iustorum, operibus patrum suorū: quibus ausi sunt contra prophetas & sanctos, nō consentientes, maxime in eo quod dicūt (vt Matthæus refert) si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine prophetarū. Quo modo ergo digni erant suscipere væ? Si autem dicit aliquis: quantū ad opus quidem illud, & professionem verborū suorum non erant quidem rei: propter illud autem quod testimonium sibi reddebāt, esse se eorum filios qui occiderunt prophetas, culpabiles erāt: quod nec ipsum verum est. In re enim quæ ex arbitrio hominis non cōtingit, quomodo potest homo fieri reus? Nō enim ex arbitrio vniusciuiusque hominis est, cuius sit filius, boni viri an mali viri. Ergo nec propter illud quod ædificabant sepulchra prophetarum, & dicebant, si fuissemus in diebus patrum nostrorum non essemus rei: vel rei erant, vel innocentes: sed quia rebus ipsis & similitudine facinorum testimonium sibi reddebant esse se filios eorum qui occiderūt prophetas, implentes mēsuram patrum suorum, & adhuc adijcientes quod fuerat minus, supplentes interfectionem prophetarum, atque iustorū interfectione Christi filij Dei. Propter quod possibile non erat qui huiusmodi actu detinebantur obnoxij, fugere à iudicio gehennæ. Quibus neque suffecit, sanguis Christi, sed adhuc illos prophetas, vel scribas qui fuerunt missi à Christo, interfecerunt, & crucifixerunt, in synagogis suis flagellauerunt, & persecuti sunt de ciuitate in ciuitatem. Pro quibus omnibus homicidialibus commissis, iustum fuerat eos pati excidium Hierusalem, et captiuitatem populi: patientia Dei, magnitudinem & multitudinem facinorum eorum vlterius non sustinente. Hæc Origenes. Ait ergo Dominus væ vobis qui ędificatis monumenta prophetarū, &c. Quasi diceret eis. Væ vobis qui ad ostentationem vestræ integritatis extruitis monumenta prophetarum, cum illorum complures maiores vestri interfecerint. Itaque fit, vt hoc ipso, quo studetis dissimulare malitiā vestram, prodatis. Dū enim ornatis monumenta prophetarum, fatemini fuisse detestabiles, qui illos occiderunt, quorum memoria sacrosancta est apud vos posteros. Porro cum ipsi in huius ætatis prophetas, illis longe superiores, deteriora moliamini, quā patrarint in prophetas antiquos maiores vestri, nōne declaratis, quod quæstu, ambitione, liuore, & odio, excæcati, scientes approbetis impia facta maiorum, quæ non solum imitamini, verumetiā superare studetis. ¶*Profecto testificamini quod consentitis operibus patrum vestrorum.* Vel profecto testificamini quod comprobatis facta patrum vestrorum. Quasi dicat, cum ita sumptuosè extruitis sepulchra prophetis, alitis memoriam turpissimi facinoris patrum vestrorum. ¶Damnando ergo impia facinora patrum suorum & ornatu monumentorum prophetarum, & verbis, quæ aliàs Matth. refert, declarabant ex consequenti legisperiti isti, impia esse facinora sua: quæ maiora erant parentum suorum sceleribus. Et ex consequēti etiam impijs factis suis approbare videbantur eorum facta.

¶*Propterea & sapiētia Dei dixit. Mittam ad illos, &c.* De se ipso loquitur Christus Dominus in tertia persona de more scripturæ: ipse est enim sapientia Dei. Dicente Paulo: nos autem prædicamus Christum, Dei virtutem & Dei sapientiam. Ipse, inquam, est sapientia ingenita quæ ait Eccles. 24. Ego ex ore altissimi prodij primogenita ante omnē creaturam. Et in Prouerbijs. Nondum erant abyssi & ego iam concepta erā: ante omnes coles ego parturiebar. Obserua secundo verbum præteritum in hoc loco accipi pro præsenti de more Hebræorū. Sæpe enim diximus apud Hebræos vnū tempus vsurpari pro alio: vt in illo loco: noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum. Id est, nondum ascendo ad patrem meum. Sic in hoc loco sapientia Dei dixit pro sapientia Dei dicit. Hoc est, propterea & ego dico: mittam ad

Nota. 1. Cor. 1. Eccles. 24. Prou. Ioan. 20.

ad illos prophetas, &c. Atque vt hæc ita esse intelligeremus, iterum hæc eadem repetens & obijciens legisperitis apud Matthæum. cap. 23. ait. Imo dico vobis. Ecce ego mitto ad vos prophetas, &c.

Match. 23.

¶ *Propterea & sapientia Dei dixit: mittā ad illos Prophetas & Apostolos, &c.* Considera obsecro & alta mente perpende in hoc Euangelio primùm Dei bonitatem & prouidentiam circa hominum salutem: secundo, martyrum patientiā, deinde hominum impiorum sæuitiam, tandem illorum pœnam. De quibus sigillatim pauca dicere operæpretium existimaui. ¶ Tanta igitur est Dei bonitas, vt ineffabili consilio suo & admirabili prouidētia temperare voluerit omnia priusquam punire statuat hominum pertinacem malitiam. Statuat enim nihil intentatum relinquere quo possimus ad meliora conuerti. Ideo misit Moysen, misit veteres prophetas complureis, misit Ioānem Baptistam. Venit ille factus homo. Misit postremos omnium prophetas, qui legem spiritualiter interpretarentur: misit Apostolos, qui miraculis pollerent, qui de omnibus gratis benemererentur; qui salutem omnibus offerrent minimo negotio parandam, videlicet fide viua. Mittit denique quotidie concionatores strenuos qui euellant & ædificent & plātent. Quotidie nos reuocat mille modis Dei bonitas ad pœnitentiam. Quid quæso amplius facere debuit & isti nationi Iudæorum in tractabili & nobis quotidie peccantibus? Nationi Iudæorum atque nobis misit Prophetas & Apostolos: contulit legem, angelorum custodiam, abstulit é medio omnium nostrum idola, superstitiones, & cætera virtutis ac diuini cultus impedimenta, Iudæis contulit templum celeberrimum, & altare, nobis vero Ecclesiam & corporis & sanguinis sui sacramentum. Hæc atque alia multa satis indicant Dei bonitatem, Dei sapientiam, atque prouidentiam, ita vt iure optimo contendere nobiscum, atque intendere litem populi cum eodē populo suo possit: ac dicere: nunc ergo habitatores Hierusalem & viri Iuda, nunc ergo viri Christiani iudicate inter me & vos ipsos.

Dei bonitas & prouidencia erga hominum salutem ostenditur.

A Quid est quod debui vltra facere vobis & nō feci? Ecce ego misi prophetas Apostolos, Doctores, Ecce ego cōtuli legem, pro vobis sanguinem fudi, &c. At vos tantorum beneficiorum obliti nequaquam me colere voluistis: sed potius iniquiores & sceleratiores facti estis. Quare merito vnus ex prophetis quos vobis misi dicebat olim. Indulsisti genti Domine, indulsisti genti: nunquid glorificatus es? Elongasti terminos terræ. Sæpe enim vobis indulgere, tantaque beneficia vobis conferre, non solum in causa fuit, vt B non à vobis colerer, nec glorificarer, sed potius occasio, vt à me longè recederetis. Quam verum sit hoc ex sequentibus patet. ¶ *Propterea sapientia Dei dixit. Mittam ad illos prophetas & apostolos.*

Isai 5.

Isai. 26.

¶ *Et ex illis occident et persequentur.* Considera diligentiam qua Deus nos vult à peccatis liberare, mittendo Apostolos & concionatores qui animos nostros excolant, & diligentiam, qua nos eum volumus peccatis nostris offendere, occidendo quos ille misit, aut perse- C quendo. Intuere eius ad nostram salutē curam, & nostrā sæuitiam. Ille vult nos eripere, Euangelium salutis mittendo: nos volumus & nos ipsos & quos mittit perdere. Ille nos ad eum statum vocat, qui in cælestium, atque diuinarum rerū contemplatione consistit, vt diuinis bonis affluentes, ipsius Dei amore ardentissimo inflammemur, & tandē veram beatitudinem consequamur: nos verò terram solum intuentes, impietatibus & sceleribus operam dantes, nobis ipsis molimur perniciem & vastitatem. O ingrati D tudinem incredibilem & effrenatam nostram cupiditatem qui Deum optimum maximum contemnimus, qui eius prophetas ac pios homines à se missos persequimur. Exemplo nobis sint homines isti qui non solum eos non audierunt, sed persecuti sunt, afflixerunt, eiecerunt, & quosdam etiam occiderunt. Adeò vicit illorum malitia Dei bonitatem. Vnde non immerito de istis, imò etiam de nobis conqueritur Dominus apud Michæam prophetam, & dicens: popule meus quid feci tibi? Responde mihi,

Nota diligentiam, qua Deus nos vult liberare, & diligentiā qua nos volumus nos ipsos perdere.

Hominum ingratitudo erga Deum ostēditur.

Mich. 6.

quia

Quia eduxi te de terra AEgypti, & de domo seruientium liberaui te, & misi ante faciem tuam Moysen, & Aaron, & Mariam. Mittamus Iudaeos ad quos ad literam factus est sermo iste. Nos autem qui cupimus reuelata facie gloriam Domini contemplari, & verè habemus patrem Abraham: audiamus quū peccauerimus & iustos quos mittit ad nos Dominus persecuti fuerimus: aduersum nos disputantem Deum, & nos in beneficiorū suorum magnitudine arguentem. Seruiuimus quippe aliquādo Pharaoni & AEgyptio populo, lutum & lateres fabricati sumus & redemit nos qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus: vt diceremus qui redempti eramus à Domino, quos redemit de manu inimicorum, & quos de regionibus congregauit, quia in aeternū misericordia eius. Emisit quoque ante faciem nostram Moysen spiritualem legem, & Aaron magnum sacerdotem, non typicum Ephod veritatem que portantem, sed signaculum sanctitatis in fronte habentem: quod Deus pater signauit. Et misit Mariam vaticiniū prophetarum haec, multaque alia fecit nobis Dominus quae enarrare immensum erit, nos autem miseri pro tantis beneficijs quid nisi impietatem illi reddimus? non solum sanctos suos contemnimus, reijcimus & persequimur, sed sanguinem Christi conculcamus, iterumque illum crucifigimus, vt Diuus Paulus testatur: eo crescit nostra malitia. Nos ergo nos sumus ad quos haec possunt referri, hos sumus illi ad quos Dominus ait popule meus quid feci tibi, aut in quo contristaui te? Respōde mihi. Quo labore te pressi, aut beneficia mea contumeliam interpretaberis?

Phil. 2. D. Hiero. Mich. c. 6. Heb. 6. Matth. 2

¶ *Ex eis illis occident & persequentur.* Saeuitiam istorum in sanctos prodit Dominus: & interim haec dicendo, ad patientiam incitat Apostolos, atque caeteros fideles, qui pro Christi Euangelio diuersa martyriorum genera passi sunt. Is ergo hic vides ante praedictum esse quod pios fideles mundus odio habiturus esset, & quod persecutiones aduersus illos excitaret, & quod nihil nouum Christianis accidat, cum ab initio mundi boni laborauerint, & oppressi, atque occisi sint iusti ab iniustis. Primum Dominus in Euangelio praemonet dicens: si mundus vos odit, scitote quoniam me primum odio habuit. Secundum praenuntiat dicens: non est seruus maior Domino suo si me persecuti sunt & vos persequentur. Et iterum: veniet (inquit) hora, vt omnis qui vos occiderit, putet se obsequium praestare Deo. Sed hoc facient quoniam non cognouerunt patrem, neque me. Haec autem locutus sum vobis, vt cum venerit hora eorum, reminiscamini, quia ego dixi vobis. Quod vero nihil noui Apostolis caeterisque Christianis accidat, cum ab initio & exordio mundi, idem prophetis, atque pijs hominibus acciderit: etiam ex hoc loco colliges. Et ex lectione scripturarum intelliges. Sic in origine statim mundi Abel iustus à fratre primus occiditur; & Iacob fugatur, & Ioseph venundatur: & Dauid misericordem Saul rex persequitur, & Eliam maiestatem Dei constanter, atque fortiter asserentem Rex Achab opprimere conatur, Zacharias sacerdos interficitur inter templum & altare, vt illic hostia ipse fiat, vbi Deo hostias immolabat, tot denique martyria iustorum saepe celebrata, tot edita in posterum fidei & virtutis exempla. Tres pueri Ananias, Azarias, Misael, aetate compares, dilectione concordes, fide stabiles, virtute constantes, flammis ac poenis vrgentibus fortiores, soli se Deo seruire, solum nosse, solum colere proclamant, dicentes: Nabuchodonosor rex, non opus est nobis de hac re respondere tibi. Ecce enim Deus noster quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis ò rex liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi rex, quia Deos tuos non colimus: statuam quam erexisti non adoramus. Et Daniel Deo deuotus & sancto spiritu plenus exclamat & dicit: quia non colo idola manufacta, sed viuentem Deum, qui creauit caelum & terrā. Tobias

Praedicit Deus iustorum persecutionē vt patientiam habeant in aduersis.

D. Cypri. Ioan. 15. Ioa. 16. Gen. 4. 1. Reg. 24. 3. Reg. 19. 2. Par. 24. Dan. 3. Dan. 14.

Tobias quoque sub regali licet ac tyrannica seruitute, sensu tamen ac spiritu liber, confessionem suam Deo seruat, & virtutem maiestatemque diuinam sublimiter prædicat dicens: ego in terra captiuitatis meæ confitebor illi: quoniam ostendit maiestatem suam in gentem peccatricem. *Tob. 13.* Quid vero de Machabæis septem fratribus natalium pariter & virtutum sorte consimilibus dicam, qui tam egregiam martyrij palmam assecuti sunt? *2. Mach. 7.* Quid de Eleazaro sene? Qui cum sibi à ministris regis offerretur facultas, vt accepta carne qua liceret sibi vesci, ad circumueniendum regem simularet se edere, quæ de sacrificijs, atque illicitis cibis ingerebantur, consentire ad hanc fallaciam noluit, dicens, neque ætati suæ, neque nobilitati conuenire id fingere, quo cæteri scandalizarentur, & in errorem inducerentur, existimantes & Eleazarum nonaginta annos natum ad morem alienigenarum relicta & prodita Dei lege transisse: neque tanti esse lucrari breuia vitæ momenta, vt offenso Deo incurreret æterna supplicia. *2. Mach. 6.* Si igitur & nos dicati Deo ac deuoti viuimus, si supra ipsa iustorum antiqua & sancta vestigia iter facimus, per eadem documenta pœnarum, per eadem passionum martyria pergamus, hoc ampliorem gloriam computantes temporis nostri, quod cum vetera exempla numerentur, exuberante postmodum virtutis ac fidei copia, numerari non possunt martyres Christiani, testante Apocalypsi & dicente: post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis: stantes ante thronum, & in conspectu agni amicti stollis albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabant voce magna dicentes, salus Deo nostro, qui sedet super thronum & agno. *Apoc. 7.* Et respondit vnus ex senioribus dicens: hi qui amicti sunt stollis albis qui sunt? Et vnde venerunt? Et dixi illi. Domine mi tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stollas suas & dealbauerunt eas in sanguine agni. Ecce iustorum persecutio, audi nunc quibus illorum merces. ¶ Quæ spes, & merces maneat iustos, & martyres post conflictationes huius temporis, per Salomonem Spiritus sanctus ostendit, & præcinit dicens: & si coram hominibus tormenta passi sunt, spes eorum immortalitate plena est. *Merces iustorum. Sap. 3.* In paucis vexati, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentauit illos & inuenit eos dignos se. Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausta hostiæ accepit illos, & in tempore erit respectus illorum. Iudicabunt nationes & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum. Innumera de hac iustorum & martyrum mercede inuenies testimonia. Lege Sap. 3. capit. & Psalm. 115. pretiosa (inquit) in conspectu Dñi mors sanctorum eius: & Psalm. 125. qui seminant in lachrymis in exultatione metent. *Sap. 3. Psal. 115.* Et apud Matth. c. 5. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam quoniam ipsorum est regnum cælorum. *Matth. 5.* Beati eritis cum vos oderint homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes propter me, gaudete & exultate quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Quis ergo non omnibus viribus elaboret tantam mercedem consequi? Vt cum Christo in æternum gaudeat? Vt post tormenta & supplicia terrena, ad præmia diuina perueniat? Si militibus secularibus gloriosum est, vt hoste deuicto redeant in patria triumphantes, quanto potior & maior est deuicto diabulo ad paradysum triumphantes redire, & vnde Adam peccator eiectus est, illuc prostrato eo, qui ante deceperat, trophæa victricia reportare? Offerre Deo acceptissimum munus, incorruptam fidem, & virtutem mentis incolumem, laudem deuotionis illustrem. Comitari eum, cum venire cœperit vindictam de inimicis recepturus, lateri eius assistere cum sederit iudicaturus, cohæredem Christi fieri, Angelis coæquari, cum Patriarchis, cum Apostolis, cum Prophetis cælestis regni possessione lætari. Has cogitationes quæ persecutio possit vincere, quæ possunt tormenta superare? Durat fortis & stabilis religiosis meditationibus fundata mens, & aduersus omnes diaboli terrores & minas mundi animus immo-

immobilis præstat, quē futurorū fides cērta & solida coroborat. Clauduntur oculi in persecutionibus terræ, sed patet cælū: minatur Antechristus, sed Dñs Christus tuetur: mors infertur, sed immortalitas sequitur: occiso mundus eripitur, sed restituto paradysus exhibetur: vita tēporalis extinguitur, sed æterna reparatur. Quanta est dignitas, & quanta securitas, exire hinc lætum, exire inter pressuras & angustias, gloriosum claudere in momento oculos, quibus homines videbantur & mundus, & aperire eosdem statim, vt Deus videatur, & Christus, tā velociter migrandi quanta velocitas, vt terris repētem subtraharis, & in regnis cælestibus reponaris. Hæc oportet mente contemplari & cogitatione, hæc die ac nocte meditari. Si talis persecutionis dies Christi militē inuenerit, vinci nā poterit virtus ad præmiū prompta. Hæc ex D. Cypr. de exhortatione martyrij. c. 11. & 12. Audisti Dei bonitatem & sapientiam erga hominū salutē. Legisti impiorū hominum sæuitiam, atque martyrū persecutionem: legisti quibus exhortari possint martyres ad patientiam: nunc accipe pœnam hominum sceleratorum, prophetas, atq; Apostolos, cæterosque à Deo missos occidentium & persequentium.

D. Cypr.

¶ *Vt inquiratur sanguis omniū prophetarum qui effusus est a constitutione mundi à generatione ista: à sanguine Abel, vsque ad sanguinem Zacharia: qui perijt inter altare & adē. Ita dico vobis requiretur ab hac generatione.* Eò creuit istorū malitia, vt omniū ætatū scelera superarēt occidēdo filiū Dei occidēdo prophetas, quos post eius mortē eis misit: occidēdo Apostolos, persequēdo de ciuitate in ciuitatē sanctos. Ideo irruit in eos vltio diuina, & requisitus est ab eis sanguis omniū prophetarū qui effusus est ab orbe condito: nimirum à sanguine Abel qui primus omniū occisus est ab inuido fratre, vsq; ad sanguinē Zachariæ sacerdotis, filij Iojadæ, qui multitudinē reuocans ad meliora cōsilia, lapidatus est per tumultū populi inter ædē & altare. Atq; ille moriēs & suā testificās innocētiā & illorū impietatē, dixit: videat Dñs & requirat. Huius ergo vltionis iā tēpus instabat. Atque hæc vna natio veluti pro omnibus maiorū facinoribus pœnas dedit, quę quicquid fuit in omnibus malitiæ supergressa est. Quoniā ergo huius ętatis Iudęi superarūt omniū veterū rebellionē, peruersitatē, crudelitatē, tam atrociter puniti sunt temporali pœna, quasi quicquid diuersis seculis impiè designarūt maiores, id soli peregissent. Llego en estos la malicia a lo pū to y assi pagarō en esta vida por todos sus passados. Implerūt. n. mensurā patrū suorū. Responderūt maioribus suis: & quod deerat illorū extremæ crudelitati: isti nequid deesset, impleuerunt. Illi prophetas occiderunt, hi eū quē prędixerūt prophetæ. Nec his contenti quo magis esset omnibus euidens eos atrocissima condēnatione dignos esse quos prophetas & Apostolos & Scribas misit Christus qui summa lenitate eos reuocarent ab ista crudelitate, ad mentē meliorē: occiderunt, varijsq; supplicijs affecerūt. Ex his. n. alios gladio necauerūt, vt D. Iacobū, alios lapidibus obruerūt, vt D. Stephanū, alios flagellauerūt, vt Act. 5. Sacra narrat hystoria, alios persecuti sunt, vt Paulū cęterosque Apostolos. Quibus rebus adeò prouocauerūt irā Dei in se, vt quicquid homicidiorū patratū est à maioribus suis, horū pœna dilata refunderetur in caput istorū, qui maiorū omniū crudelitatē nō solū retulerūt, verūetiā vicerūt. Istorū igitur calamitas, tā fuit insignis, vt totus mūdus intellexerit quanta fuerit crudelitas huius nationis in optimū quēq; virum: quamq; pertinax rebellio aduersus Deū tanta lenitate tādiu tolerantē, tanta beneficencia toties inuitantem ad meliora.

Pœna temporalis Iudęorum occidentium Christum & suos.

2. Par. 24.

Acto 7.
Acto. 5.

¶ Caueamus igitur nos impleam9 parētū nostrorū sceleratorū mēsurā, ne totū pœnarū temporaliū pōdus subeamus. Neq; in hoc iniustus est Deus nam digna factis nostris patimur. Sed quæ illi merebātur nos ob nostra scelera patimur, & soli patimur, cū nō soli peccauerimus, propterea quæ aliorum erant, dicimur nos pati. Nō enim (inquit Chrysost.) omnis gens, vel ciuitas cū peccauerint, statim punit eus Deus, sed expectat per multas generationes, & modo mandat, modò minatur, interdum

D. Chrys.

terdum ex parte castigat: quanto magis diutius eos expectauerit, tanto amplius, & Dei iudicium iustius sit, & illorum dignior pœna. Quando autē placuerit Deo perdere ciuitatem illam, aut gentem, videtur omnium generationum præcedentium peccata reddere illis: quoniā quæ illæ omnes generationes merebātur, hęc sola passa est. Quid ergo iniustus est Deus qui aliorum peccata vindicauit in istis? Absit. Sed quoniam quæ illi merebātur, isti sunt passi, & soli passi sunt talia, cum non soli peccassent: Propterea quæ aliorum erant, dicuntur isti perpessi. Res enim ista moralis est, & sic omnes homines quotidie facimus. Ecce enim cū serui tui peccant expolias vnū & iterum parcis ei dicens, nisi obseruaueris, hoc passurus es: similiter facis & alteri. Non meliorantibus verò eis, si incurrerit vnus castigatur secundum suum peccatum, & videtur quidem pro omnibus ille solus castigatus isque posset dicere, yo he pagado por todos: quia quod alijs est promissum, illi est redditum. Reuera autem non pro alijs castigatus est, sed pro se: quia secūdū meritū culpę suæ castigatus est. Ille n. pro alijs dicitur castigari, quia alijs peccantibus ipse castigatur, non peccans: qui autem peccans castigatur, non pro alijs, sed pro se castigatur: sic & generatio ista pro patribus quidem suis videtur punita: quia illi territi sunt, isti puniti. Verè autem non pro alijs, sed pro se condemnati sunt: quia sic peccantes iustè damnati sunt. Hæc Chrysostomus in imperfecto, hom. 46. in Matth. capit. 23. vbi hæc aliaque multa in hunc locum scribit. Quem etiam lege hom. 75. in Matth.

Similitu.

¶ *Vt inquiratur sanguis omniū prophetarum.* Vt requiratur sanguis, &c. Id est, pœna sanguinis effusi. *Qui effusus est.* Grecè, qui effunditur. Et est Hebraismus præsens pro preterito, effusus est. Et ideo interpres noster ita vertit.

¶ *Væ vobis legisperitis qui tulistis clauem scientiæ: ipsi non introistis, & eos qui introibant, prohibuistis.* Ad nonnullos Ecclesiasticos, prælules, Theologos, concionatores, iniquosq; Doctores perperā interpretantes legē Dei pertinet sermo iste. Etiā atq; etiā vę vobis qui huiusmodi estis, qui cū profiteamini legis cognitionē, quæ spiritualis est & vindicaueritis vobis clauē sciētiæ, quæ debebat aperire aditū in regnū cælorū, tamen non solūipsi non introistis, verū alios introire volentes exclusistis. Dū enim legē & Euāgeliū aut nō seruatis, aut perperam interpretamini alij vestro exēplo, aut sinistra interpretatione ducti, misere pereunt. Quare merito Dñs de huiusmodi hominibus quæri potest ac dicere quod rex Dauid Psal. 30. dicebat: qui videbant me foras fugerūt à me obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde. Ecclesiastici enim, & Theologi, iniqui cæteriq; quos narrauimus tota die in sacra Scriptura Dñm vident: fugiūt tamen foras ab eo. Fugiunt, inquā ad mundi vanitates, ad bona externa atq; caduca. Fugiūt ab eo, qui nō exterius sed interius habitat: quia factus est in pace locus eius. De hac fuga flēdo Ieremias dicebat. Qui nutriebātur in croceis, amplexati sunt stercora. Qui, scilicet, nutriebātur in scripturis sanctis, & in eloquijs cælestibus atq; diuinis amplexati sunt hęc mūdi bona quæ stercora potiusquā bona dicenda sunt, quando à Deo lōge faciūt homines. Vnde D. Aug. ait: quæ non poterā habere sine te, longè me tenebāt à te. Contrà faciebat Apostolus qui ad Philip. scribēs dicebat. Omnia detrimentū feci: & arbitror vt stercora, vt Christū lucrifaciā. Neq; in eo solum quod fugiant à Dño iniqui sunt, sed in eo quod illius penitus obliuiscuntur. Ideo regius vates statim addit: obliuioni datus sum tanquā mortuus à corde. Nihil enim facilius, atq; citius è memoria nostra labitur quā homo mortuus. Mortui (inquit Ecclesiast.) nō habent vltra mercedem: quia obliuioni tradita est memoria eorum. Et Isaias. ca. 57. etiam scribit: iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo. Non ergo solum, isti qui profitentur legis cognitionem fugiunt à Deo, sed omnino illum obliuioni tradunt: Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Dñi creatoris tui: ait Moyses de eiusmodi hominibus loquēs. Sed forte miraberis, qui fieri pōt, vt obliuioni det Deus ab eo qui illum

His verbis reprehenduntur omnes apud nos iniqui legisperiti

Vgo Cardinalis in Psalm. 30. Exponitur locus.

Thren. 4.

D. Aug.

Phil. 3.

Ecclesi. 9.

Isai. 57.

Deut. 32.

illum semper videt; semper intuetur, & in manibus descriptum habet? Qui videbant me (inquit) fugerunt à me & obliuioni datus sum ab eis. Hoc signanter dicit Spiritus sanctus, quod huiusmodi homines videntes non videant, & intelligẽtes non intelligant. Vident enim oculis mentis nõ tamen oculis affectus. Et ideo iniquiores sunt quod non dilectione prosequantur, quem intellectu vident. Væ etiam atque etiam illis cum incidant in manus Dei viuentis, & in iudicium illud de quo apud Ioannẽ Dominus ait: in iudicium ego veni in mundum, vt qui non vident videant & vidẽtes cæci fiant. Quasi diceret: vt homines simplices non habentes clauem scientiæ, neque habentes oculos mẽtis illuminatos, oculis affectus diligendo Deum videant: & qui oculis intellectus vident, non videant oculis affectus. Vnde subiungit D. Ioan. audierũt ex pharisæis qui cum ipso erant & dixerunt ei: nunquid & nos cæci sumus? Et dixit eis Iesus: si cæci essetis, non haberetis peccatum. Nunc verò, quia dicitis videmus, peccatum vestrum manet. Simplices enim, & idiotæ per pœnitentiam conuertuntur: at legisperiti multi profitentes doctrinam Euangelicam, scelera sua excusare nitũtur, atque pœnitere cõtemnunt. Ideo peccatum eorum manet: descendũtque in infernũ viuentes. Hoc est videntes & scientes: atque ideo Psalmista ait: obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde. Non (inquit) tanquam mortuus à lingua, vel ab oculis, quod isti & intelligant & quotidie legant legem Dei, atque illã publicè doceant: sed, à corde, inquit, quod Deum non diligant. Atque hoc erat quod Isaias olim prædixerat his verbis: appropinquat populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me, cor autem eius longè est à me. ¶ Atque obserua obsecro quod innumeri sunt in Ecclesia, de quibus verè dici potest: qui videbant me. Nam Apostoli imprimis cæterique Christi discipuli Christum corporali specie cum hominibus commorantem viderunt: fide verò eum omnes fideles videmus: mente Theologi, contemplatione religiosi, speculatione denique præsules. Speculatores enim sunt domus Domini; iuxta illud Ezech. prophetæ: speculatorem dedi te domui Israel. Et iuxta illud Abac. 2. super custodiam meam stabo & contemplabor, vt videam quid dicatur mihi: & quid respondebo ad arguentem me. Sed omnes isti foras fugiunt à Domino. Fugerunt Apostoli tempore passionis. Relicto (inquit) illo omnes fugerũt: fugiunt multi ex fidelibus ad mundi voluptates, atque ad mũdi bona per fas nephasque comparãda. Omnes (inquit Paulus) quæ sua sunt quærunt: fugiunt nonnulli Theologi à Deo, & confugiunt ad mundi dignitates sua ambitione partas; De quibus dici potest illud Ierem. c. 17. Recedentes à te in terra scribentur. Nam reuera nolunt cum Christi pauperibus in cælis ascribi: sed in terra cũ diuitibus & potentibus huius seculi: vocare volũt nomina sua in terris suis. Fugiunt nõnulli religiosi à Deo, & confugiunt ad negocia secularia. De quibus dici potest quod Isaias ait. c. 22. mittet te in terram latam & spaciosam & ibi morieris. Et quod in Threnis scribit Ieremias: qui vescebãtur voluptuose intereunt in vijs. Fugiũt denique nonnulli Ecclesiæ præsules à Deo, & confugiunt ad curas & solicitudines vanas huius mundi. Qui nutriebantur (vt diximus) in croceis amplexati sunt stercora. Omnibus ergo his ait nunc Dominus: væ vobis legisperitis, qui tulistis clauem scientiæ & ipsi non introistis. Et nõ solum in hoc peccare solent tales, sed in eo quod cæteros suo exemplo admonitos peccare, aut à vero aberrare faciunt: ideo subnectit Dominus: *& eos qui introibant prohibuistis.* Vnde Paul. ad Rom. scribens ait: qui in lege gloriaris per præuaricationem legis Deũ inhonoras. Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes, sicut scriptum est. Scilicet Isaiæ, cap. 52. Vbi Dominus inquit: populus meus ablatus est, dominatores eius iniquè agunt & iugiter nomen meũ blasphematur tota die. Vide quàm pestilens sit principium & prælatorum flagitium quoniam illis attribuit blasphemias populi. Redeant ergo, qui eiusmodi sunt ad se, caueant sibi ipsis, pudeat

Ioan. 9. Psalm. 54. Isai. 29. Ezech. 3. Abac. 2. Phil. 2. Ierem. 17. Isai. 22. Thren. 4. Thren. 4. Rom. 2. Isai. 52.

illos profiteri legem Dei & nolle illam diligenter seruare: ne illis dicamus quod Diuus Paulus ait Iudæis. Si autē tu Christianus cognominaris: & requiescis in Euangelio: & gloriaris in Christo: & nosti voluntatem eius, & probas vtiliora, instructus per Euangelium confidis te ipsum esse ducem cæcorum: lumen eorum qui in tenebris sunt: eruditiorem insipiētium: magistrum infantium habentem formam scientiæ, & veritatis in Euangelio. Qui ergo alium doces te ipsum non doces, qui prædicas non furandum furaris, &c. vt mihi videaris alter Ianus, vt in prouerbio est. Es enim perfidus & bifrōs. Redde igitur preuaricator ad cor. Memineris quod Cicero de te, tuiq; similibus solebat dicere. Turpissimum (inquit) mihi videtur, vt cum alicuius vita, puguet oratio: vt videlicet in eo peccet quis, cuius profitetur scientiam: vt si absurde canat quis, qui se velit haberi musicum. Sic Philosophus in ratione vitæ peccās, hoc turpior est, quod in officio cuius magister esse vult labitur: artemque vitæ professus, videlicet medicinæ, ipse vulnus gestat.

Rom. 2.

Cicero.

CAPVT XII.

Similitudinibus quibusdā aduersus Antechristum discipulos roborat.

¶ In communi Martyrum.

Circunstātibus.

MVltis autem turbis concurrentibus, ita vt se inuicem conculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos. Attendite à fermento Pharisæorum quod est hypocrisis. Nihil enim opertū est quod

Matt. 16. Marc. 8. Matt. 10.

Autem.

A *non reueletur: neque abscon ditum quod non sciatur. Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur: & quod in aure locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis. Dico autem vobis, amicis meis, ne terreamini* B *ab his qui occidunt corpus, & posthac non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum qui postquam occiderit habet potestatem mittere in gehennā, ita dico vobis hunc timete.* C *Nonne quinque passeres veneunt dipondio, & vnus ex illis non est in obliuione coram Deo. Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere multis passeribus pluris estis vos. Dico autem vobis omnis quicunque confessus fue* D *rit me coram hominibus, et filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei.*

Aurem. Marc. 4.

Matt. 10. Marc. 8. 2. Tim. 25.

Atten-

Attendite à fermento phariſæorum, quod eſt hypocriſis. Quoniam autem Dominus nouerat inſanabilem eſſe malitiam phariſæorum, ſcribarum, ac legiſperitorum, voluit palam illorum hypocriſin traducere, ne quis incautus eorum ſimulatione falli poſſet: ideo iam multis turbis circunſtantibus, adeò vt ſe inuicem conculcarent, cæpit dicere diſcipulis ſuis. Cauete vobis à fermento phariſæorum, quod eſt hypocriſis. ¶ Comparat Chriſtus Dominus hypocriſin fermento. Fermentum eſt temperatura aquæ & farinæ, quid habens & farinæ ſimile, quid habens & cõſperſionis. Sic hypocriſis quid habet & ſanctitatis, & quid iniquitatis. Præſefert enim imaginem virtutis externam, intus autem plena eſt iniquitate, liuore, odio, cæteriſque vitijs. Præterea fermentum & ſi modicum ſit, vim habet intus eleuandi totam maſſam: ſic hypocriſis hanc vim elationis intus habet. Vnde Phariſæi & Scribæ & Legiſperiti ſub ſanctitatis & religionis ſpecie inflati erant, ſtudentes auaritiæ. Docet ergo Dominus, vt caueamus nobis ab hoc fermento: taleſque eſſe ſtudeamus quales haberi volumus. Caueamus ab hypocritis hominibus, nam vt Paulus docet modicum fermentum totam maſſam corrumpit quod enim fermẽtum in conſperſione, & ouis morbida in grege, & putridum membrũ in corpore: hoc, hypocrita in communi hominum cætu. Expurgemus igitur vetus fermentum expellendo hypocritas de medio noſtri quales ſunt hęretici, & c. vt ſimus noua conſperſio, atque vt ſimus lux in Domino. ¶ Caueamus etiã & nos, ab hypocriſi: quæ ſimilis eſt adulterinæ monetæ, cum falſas, nulliuſq; momenti, aut valoris, reddat omnes noſtras actiones. Sunt ſanè hypocritæ ſimiles pomis, quæ ſunt in arboribus iuxta mare mortuum plãtatis: dum enim immatura ſunt, viriditatem ſeruant: matura verò ſi incideris, fauillas intus inuenies. Sic hypocritarum actiones ſtudioſæ, dum viuunt, atque meritoriæ videntur, tandem

Quare hypocriſis cõparetur fermento.

Hypocriſis cauẽda.

1. Cor. 5.

Simile.

Simile.

A tamen materia & nutrimentum ignis inferni perpetuo erũt. ¶ Caueamus ab hoc tam deteſtabili vitio, quod hominũ animos, necare ſolet. Hinc eſt, quod in Apocal. cuidam hypocritæ Dñs ait: ſcio opera tua, quia nomen habes quod viuas & mortuus es. Habent qui huiuſmodi ſunt, imaginem & ſpeciem vitæ, cum tamẽ re vera mortui ſint. ¶ Væ iſtis quibus octies, væ, dicit illis Dominus apud Matthęum cap. 23. ¶ Etiam atque etiam vę illis. Tum quod non veniẽt in conſpectu Domini: vt Iob affirmat dicens: non veniet in conſpectu eius omnis hypocrita. Neque de B hoc mirãdũ: nam cum hypocrita omnia opera ſua faciat, non vt videatur à Deo, omnium bonarum actionũ fonte, ſed ab hominibus mũdi huius: æquum ſanè eſt, vt nec Dñs oculos ſuos in eum inijciat. Maximè enim Deo gratum eſt, homines leuare oculos mentis ſui ad creatorẽ cõditoremq; ſuũ. Hinc eſt, quod explicãs Gloſſa locum illum Pſalm. 31. Firmabo ſuper te oculos meos, ait Dei perſonam agendo: non auferam oculos meos à te, C quia tu ſemper leuas oculos tuos ad me. Tum etiam væ illis, quia tandem miſerabiliter peribunt. Si aſcenderit (ait Iob) vſq; ad cælos ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur. Vide quæ diximus Matth. 6. ibi: cum ieiunatis nolite fieri ſicut hypocritæ, & c. Et Matth. cap. 22. ibi: quid me tentatis hypocritæ.

¶ *Cauete à fermento phariſæorum, quod eſt hypocriſis.* Dices hic forſitam: cum ſua imagine ſanctitatis, ſuoq; exẽplo virtutis proſint nobis hypocritæ: cũ ſua ſpe D cie religionis nos ad virtutem prouocẽt, hoſteſque Eccleſiæ terreant, quod ſolent in hortis facere ſimulachra in formidinẽ auibus poſita: quare Dominus tam in hoc loco, quàm in multis alijs cauere nobis ab hypocritis admonet. Maximè cum prima tabula poſt naufragium ſit (autore Hieronymo) abſcondere peccatum ſuum & non publicare. Adde his, quòd multominus peccatum committit, qui occultè Deum offendit, quàm qui publicè. Fateor, adhæc, illum non imprudenter,

Apoc. 3.

Matt. 23. Iob. 13.

Pſalm. 31.

Iob 20.

Dubium.

Hiero. Iſa. 9.

Reſpondetur.

denter, neq; iniquè facere, qui sano sincero que animo ne alij offendantur, aut corrũpantur, peccata sua occultare atq; celare studet. Qui vero sanctitatis imaginem præ se fert, vt Ecclesiam, aut Ecclesiæ fideles decipiat: hic cauendus omnino est: hic verus hypocrita dicendus. Ab istius insidijs prorsus nobis fugiendum. Nullæ enim sunt occultiores insidiæ quàm quæ latent in simulatione officij. Tales erant Pharisæi, tales hæretici omnes, tales qui mores Antechristi sequuntur. De quibus Diuus Paulus, scribit in priori Epistola ad Timoth. cap. 4. Spiritus sanctus manifestè dicit, quod in nouissimis diebus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium. Vnde August. simulata (inquit) æquitas, non est æquitas: sed duplex iniquitas.

1. Tim 4.

August.

¶ *Dico autem vobis amicis meis ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc amplius non habent quid faciãt.* Docet hic locus, nullius mali metum abducere debere Apostolos cæterosque Euangelicos cõcionatores à syncera prædicatione veritatis quanuis offendat veritas homines impios, fucatos imagine pietatis. Nam extremum malorum est vt occidant, sed corpus dumtaxat. Hinc ergo fuit quod Apostoli, Prophetæ, Martyres, atque cæteri Ecclesiæ Confessores Dei freti præsidio non terrebantur impiorum crudelitate: nam vt omnia moliti fuissent, corpus poterãt occidere, quo facto non habeant præterea quo læderent. Tu ergo disce si concionator fidelis esse vis, non formidare, nõ terreri minis, non metuere mortem, dum tamen veritas Euãgelica prædicetur. Si enim Deus pro nobis quis contra nos? Vt ait Apostolus, sed dicito cum Dauide: Dominus protector vitæ meæ a quo trepidabo? Si consistant aduersum me castra non timebit cor meum, si exurgat aduersum me prelium, in hoc ego sperabo. Si exurgant (inquam) aduersum me mundus & diabolus, atque omnes satellites eorum, adeò non turbabor, adeò non deijciar

Nullius mali metu abducere debet nos à prædicatione veritatis quanuis odium pariat veritas.

Rom. 8.

Psalm. 26.

A animo, vt etiam ex hoc sperem diuinæ gratiæ maiora mihi aduentura munera. Dic etiam quod in alio Psalmo: quoniã in te eripiar à tentatione: & in Deo meo transgrediar murum. Per te enim omnem persecutionem, omnemque tentationem, quæcumque obuenerit, superare possum, atq; euadere. Et in te, ô Deus meus (qui me illuminas, me adiuuas, me deducis, meque confortas) omnia possum: neque quicquam omnino est, vel tam graue, vel tam humano iudicio impossibile, quod non in te confortatus

Psalm. 17.

B tuoque amore confirmatus possim ac valeam, siue agere, siue sustinere: etiam si (vt ita per excessum quendam rei magnitudinem exprimam) murus validus foret transeundus, quod apud homines tamen iudicaretur difficilimum. Omnia enim possum in eo qui me confortat: & certus sum quod neque mors, neque vita, neq; vlla creatura poterit me ab eius veritate Euangelica abducere, atque separare. Quanuis ergo te hostium furor inuadat quemadmodum sanctos Apostolos, atque martyres inuadebat, tranquil-

Phil. 4.

Rom. 8.

C la tamen mente consiste. Nam si iustitiam colueris, veritatem prædicaueris, atque pietatem sectatus fueris, nulla mors nulla persecutio te poterit veri honoris ornamentis spoliare. Habes pro te Deum pro quo mori, viuere est. Habes pro te Deum: de quo canit regius vates; liberabit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adiutor. Non est in mũdo qui valeat virum iustum, virtutumque menibus munitum, aut à Dei veritate abducere, aut ab eius amore separare: & a gloriæ altissimo gradu præcipitare.

Psalm. 71.

D re. Vide quid Deus dicat Ieremiæ: ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum, super omnem terram. Vbi vides prædicatorem sanctum cum ciuitate munita, columna ferrea, & muro æreo comparari. Amos Propheta. cap. 7. ait: se vidisse Dominum super murum litum: vbi D. Hieron. per hunc murum Apostolos intelligit, cæterosque viros sapiẽtia atq; virtute prestãtes. Ibi enim septuagin-

Ierem. 1.

Amos 7.
D. Hiero.

tuaginta interpretes pro muro lito murumadamantinum, ob sanctorũ martyrum, aliorum iustorum firmitatem, atque constantiam interpretantur. ¶ *Dico autẽ vobis amicis meis, ne terreamini ab his qui occidunt corpus: & amplius posthac non habent quid faciant.* Non est profecto quare fideles terreantur, aut quod in carcerem ob Christi nomen inijciantur: aut morti, eiusdem causa tradantur. Atque vt primum de carcere loquamur. Non, inquam, est, quare consternantur, quod in carcerem mittantur ob fidem Christi. Nam ex inde segregantur à mundo ipso, quanto magis à seculo rebusque eius? Neque hoc eos exanimare debet, quod segregentur à mundo. Si enim recogitemus (vt Tertullianus ait) ipsum magis mundum carcerem esse, exisse eos è carcere, quàm in carcerem introisse intelligemus. Maiores tenebras habet mũdus, quæ hominum præcordia excæcant. Grauiores catenas induit mundus, quæ ipsas animas hominum constringunt. Peiores immundicias expirat mundus, libidines hominum. Plures postremo mundus reos continet, scilicet vniuersum hominum genus. Iudicia denique non proconsulis, sed Dei sustinet. Quò se iusti & fideles de carcere incustodiarium si forte translatos existiment. Habet tenebras martyrum carcer, sed lumẽ sunt ipsi. Habet vincula, sed ipsi soluti Deo sunt. Triste illic expirat, sed illi odor sunt suauitatis. Iudex expectatur de iudicibus, sed ipsi sunt de iudicibus ipsis iudicaturi. Contristetur illic, qui fructũ seculi suspirat. Christianus etiam extra carcerem seculo renuntiauit, in carcere autem, etiam carceri. Nihil interest vbi sint in seculo, qui extra seculum sunt. Et si aliqua amiserũt vitæ gaudia, negotiatio est, aliquid amittere, vt maiora lucreris. Nihil adhuc dico de præmio, ad quod Deus martyres inuitat. Ipsam interim conuersationem seculi & carceris comparamus nos. Plus in carcere spiritus acquirit quàm caro amittit. Semper enim vtilia fidei ibi spiritus adipiscitur. Ibi vacat à mundi scandalis, à tentationibus, à recordationibus malis: iam & à persecutione. Hoc præstat carcer Christiano, quod eremus prophetis. Ipse Dominus in secessu frequentius agebat, vt liberius oraret, vt seculo cederet. Gloriam denique suam discipulis in solitudine demonstrauit. Auferamus carceris nomen, secessum vocemus. Et si corpus includitur, & si caro detinetur, omnia spiritui patent. Vagare spiritu, spaciare spiritu, & non stadia opaca, aut porticus longas præponens tibi, sed illam viam quæ ad Deum ducit. Quoties enim spiritu deambulaueris, toties in carcere non eris. Nihil crus sentit in neruo, cum manus in cælo est. Totum hominẽ animus circumfert, & quo velit transfert. Vbi autem erit cor tuum, illic erit & thesaurus tuus. Ibi ergo sit cor nostrũ, vbi volumus habere thesaurũ. ¶ Sit nunc carcer etiam Christianis molestus. Vocati sumus ad militiam Dei viui, iam tunc, cum in sacramenti verba respondimus. Nemo miles ad bellum cum delicijs venit, nec de cubiculo ad aciem procedit, sed de papilionibus expeditis, & substrictis, vbi omnis duritia, & insuauitas constitit. Etiam in pace, labore & incommodis, bellum pattiam ediscunt: in armis deambulando, campum decurrendo, fossam moliendo, testudinem desecando. Sudore omnia constant, ne corpora atque animi expauescant: de vmbra ad solem, de sole ad gelu, de tunica ad loricam, de silentio ad clamorem, de quiete ad tumultum. Proinde vos viri fideles quodcumque hoc durum est, ad exercitationem virtutem animi & corporis deputate. Bonum agonem subituri estis, in quo Agonothetes Deus viuus est: Xystarches, Spiritus sanctus: Corona æternitatis, brabium, Angelicæ substantiæ politia in cælis, gloria in secula seculorum. De carcere martyrum satis. Nũc ad mortem eorum deueniamus; quod forsitam mortis metus abducere nos poterit à professione veritatis, & à syncera eius prædicatione: maximè cum Dominus discipulis suis dixerit carnem esse infirmam.

¶ Non igitur est quare viri fideles deterreantur à tyrannis, neque sibi blandiantur, quia Dominus consentit, carnem infirmam esse, propterea enim præ-

Carcer non timendus ob Christi fidem & quare.

Mũdus peior carcer carcere martyrũ.

Carcer martyrũ secessus est.

Stadia opaca vocat propter Syluas quæ inter porticus in ędificiis veterũ cõsitæ erant.

Matth. 6.

Militia vita nostra.

Variaerit autore Vitubrio testudinum cõpositio. quæ extra bulatis & materia cõstabat quæ deficabatur dũ testudo appãrabatur.

Agonothetes qui certamen instruit præmiis propositis.

Xystarches i. Xysti præses. Xystus erat locus in quo Athletæ per hiemem exercitabantur.

Quare mors non sit à martyribus timẽda ostenditur ex eodem Tertulliano.

prædixit etiam spiritum promptum esse, vt ostenderet quid cui debeat esse subiectum, scilicet, vt caro seruiat spiritui, infirmior fortiori, vt ab eo etiam ipsam fortitudinem assumat. Colloquatur spiritus cum carne de communi salute, nec iam incommodis carceris, sed ipso agone & prælio cogitans. Timebit fortassis caro gladium grauem, & crucem excelsam, & rabiem bestiarum, & summam ignium pœnam, & omne carnificis ingenium in tormentis, sed spiritus contra ponat sibi & carni, acerba licet ista, à multis tamen æquo animo excepta, imo & vltro appetita, famæ & gloriæ causa: nec à viris tantum, sed etiam à fœminis. Longum est si enumerem singulos qui se gladio confecerint, animo suo ducti. De fœminis in manum est. Lucretia quæ vim stupri passa est, cultrum sibi adegit in conspectu propinquorum, vt gloriam castitatis suæ pareret. Mutius manum suam dexteram in ara cremauit, vt hoc factum eius famam haberet. minus fecerunt philosophi. Heraclitus, qui se bubulo stercore oblitum exussit, item Empedocles, qui in ignes Æthnei montis desiliuit. Et peregrinus qui non olim se rogo emisit: cum fœminæ quoque contempserint ignes, Dido cum post virum dilectissimum nubere cogeretur. Item Asdrubalis vxor, quæ iam ardente Carthagine maritum suum supplicem Scipionis videret, cum filijs suis in incendium patriæ deuolauit. Regulus dux Romanorum captus à Carthaginensibus cum se vnum pro multis captiuis Carthaginensibus compensari noluisset, maluit hostibus reddi, & in arcæ genus stipatus, vndique extrinsecus clauis transfixus tot cruces sensit. Bestias fœmina libens appetijt, & vtique horridiores aspides serpentes, tauro, vel vrso, quas Cleopatra immisit sibi, ne in manus inimici perueniret. Sed mortis metus non tantus est, quantus tormentorum. Itaque cessit carnifici meretrix Atheniensis, quæ conscientia coniurationis cum propterea torqueretur à tyranno, & non prodidit coniuratos & nouissime linguam suam comestam in faciem tyranni exspuit, vt nihil agere se sciret in tormento, & si vltra perseueraret. Nam quod hodie apud Lacedæmonios solennitas maxima est, Διαμαστίγωσις, id est, flagellatio, non latet. In quo sacro ante Aram nobiles quique adolescentes flagellis affligutur, astantibus parentibus, & propinquis, & vti perseuerent adhortantibus. Ornamentum enim & gloria deputabitur maiore quidem titulo, si anima potius cesserit plagis, quàm corpus. Igitur si tantum terrenæ gloriæ, licet de corporis & animi vigore, vt gladium, ignem, crucem, bestias, tormenta contemnant sub præmio laudis humanæ, possum dicere, modicæ sunt istæ passiones ad consecutionem gloriæ cælestis, & diuinæ mercedis. Tanti vitrum? Quanti verum margaritum? Quis ergo non libentissime tantum pro vero habeat erogare, quantum alij pro falso? ¶Omitto nunc gloriæ causam. Eadem omnia sæuitiæ & cruciatus certamina, iam apud homines affectatio quoque & morbus quidam animi conculcauit. Quot otiosos affectatio armorum ad gladium locat? Certe ad feras ipsas affectatione descendunt, & de morsibus, & de cicatricibus formosiores sibi videntur. Iam & ad ignes quidam se autorauerunt, vt certum spatium in tunica ardente conficerent. Alij inter venatorum taureas, scapulis patientissimis inambulauerunt. Hæc viri fideles non sine causa Dominus in seculum admisit, sed ad nos & nunc exhortandos, & in illo die confundendos si reformidauerimus pati pro veritate in salutem, quæ alij affectauerunt pro vanitate in perditionem. ¶Sed hæc exempla constantiæ omittamus de affectatione venientis. Conuertamur ad ipsam conditionis humanæ contemplationem, vt illa nos instruant, si quæ constanter adeunda sint, quæ & inuitis euenire consueuerunt. Quoties enim incendia viuos cremauerunt? Quoties feræ, & in syluis suis, & in medijs ciuitatibus elapsæ caueis, homines deuorauerunt? Quot à latronibus ferro, ab hostibus etiam cruce extincti sunt? Torti prius, imo & omni contumelia expuncti. Nemo non etiam hominis causa pati potest, quod in causa Dei pati dubitat. Non igitur terreat nos homi-

Multi gloriæ & famæ causa mortē libenter arripuerunt.
Lucretia.
Mutius Scæbola.
Heraclitus
Empedocles.
Peregrinus autore Luciano in libello de morte peregrini, in ignem se iniecit, vt hoc pacto gloriā aucuparet.
Cui spectaculo Lucianus interfuit. Dido.
Vxor Asdrubalis in bello punico regulus.
Cleopatra.
Leæna.

Diamastigosis huius vestigium etiam nūc durat apud Italos in litaniis.

Prouerbium sitanti vitrum quāti margaritum?

Ad ignes se autorauerunt. i. obligarūt. Sic & gladiatores autorati dicuntur. Taureæ à Græcis vocantur tegmina quibus caput & ceruix obuoluuntur, ex taurina pelle concinnata, quales apud nos sunt cuculli fratrū. Eas fortassis excalefactas quidam induebant.

Conditionis humanæ cōtemplatio.

[illegible] cæcitas, non carceres, non ignis, nō crux, nō mors aliqua alia. Quia, postquam omnia moliti sunt (ut Dominus ait) corpus dūtaxat occidere possunt. Ac non occiditur qui Christi causa moritur. Lege Tertullianum in lib. ad martyres. ¶ *Dico autem vobis amicis meis ne terreamini ab his qui occidunt corpus, etc.* Apostoli his verbis Christi fidem adhibētes, atque illi credentes, audacter publice veritatem prædicauerunt vbique: atque Dei præsidio freti, libenter tormēta multa, diuersaque mortis genera passi sunt. Atque martyres omnes, Apostolos imitati, similiter fecerunt. Quare vnusquisque illorum dicebat cum regio vate: credidi propter quod locutus sum, idest, fidē verbis Christi adhibui, & ideo publicè eius veritatem euangelicā locutus sum, nihil metuens. Ego autem humiliatus sum nimis, idest, quod veritatem prędicauerim, quod Christi fidem confessus fuerim, supra id quàm fragilitas mea pati poterat, passus sum: ita vt cum Apostolo dicere possim: supra modū grauatus sum, ita vt tæderet me etiam viuere. Sed tamē ego dixi, in excessu meo, idest, in alta cōsideratione & eleuatione mentis meæ. Omnis homo mēdax. Omnis, inquam, homo terrenus qui terrena sapit, qui terrena cogitat, qui hanc vitam corporis tanti habet, vt eam pro æterna vita impendere dubitet, mendax est, atque tota errat via. Quamuis taceat, quamuis non loquatur. Ego vero fide viua præditus, quid retribuam domino pro omnibus quę retribuit mihi? Tribuit mihi peccatorum remissionem, tribuit charismatum dona me sibi charum & amicum fecit, cum seruus essem indignus pane quo vescor, contulit innumera alia beneficia, quid ergo pro tantis muneribus illi rependam? Calicem salutaris accipiam. Mortem videlicet quam ipse mei causa subijt, subibo. Et ne tormentorum vi succumbam, nomē domini inuocabo. Vt eius præsidio & auxilio adiutus non terrear à tyrānis qui solum corpus occidere possunt. ¶ Vnusquisque etiam martyrum dicebat cum eodem vate. Nonne Deo subiecta est anima meā? Hoc est, quid persequimini? Quid furitis? Quid insultatis? Carnem potestis interficere, animam nō potestis. Vitam istam corporis potestis eripere: meritum non potestis extinguere. Scriptum est enim dico vobis amicis meis ne terreamini ab his qui occidunt corpus, &c. sed potius eum timete qui postquā occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Anima ergo quæ Deo subdita est (vt ait Ambro.) non est humanę subdita potestati. Ab ipso enim vitæ fructū sperat æternæ, & perpetuæ salutis auxilium. Ille ergo (ait martyr) cui me tradidi & necatum tuebitur, & mortuum resuscitabit, & viuificetur occisum. ¶ Dicebat denique quisque illorum totum Psal. 26. Dominus illuminatio mea & salus mea quem timebo, &c.

¶ *Ne terreamini ab his qui occidunt corpus.* Suo exemplo docuit Dominus mortem non esse metuendam vt quod docebat verbo doceret exemplo. Ideo prius ceruices suas posuit in flagella, maxillas suas in palmas, ascendit crucem, vt doceret mortem non esse metuendā. Deniq; quasi præcedens ait Petro: tu me sequere: & ideo Petrus cursum consumauit quia secutus est Christum. Ambro. in Ps. 118. ibi deduc me in semitam mandatorū tuorum quia ipsam volui. ¶ *Dico autem vobis amicis meis ne terreamini ab his qui occidunt corpus & amplius post hec non habent quid faciant. Timete eū qui postquam occiderit, habet potestatē mittere in gehennam.* Maxime miratur regius vates Psal. 43. & Psal. 78. Intuens spiritu tātam martyrum multitudinem occisam ab impijs ob veram pietatem: tantam sanctorum multitudinem dicētium: humiliasti nos, in loco afflictionis: & cooperuit nos vmbra mortis. Propter te mortificamur tota die æstimati sumus sicut oues occisionis. Et rursum. Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam: & polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt morticinia seruorum tuorum escas volatilibus cæli: carnes sanctorū tuorum bestijs terræ. Effuderunt sanguinem ipsorum tanquam aquam in circuitu Hierusalem & non erat qui sepeliret. Lege vtrumque Psalmum, & inuenies quan-

Margin notes: Tertul. — Apostoli & martyres his verbis cōmoti pro Christo mortē libenter subire. — Psa. 115. — Explicatur Psal. — 2. Cor. 1 — Lege S. Brunonē in Ps. 115. — Psa. 26. — Ambro. in Psal. 61. — Psal. 26. — Suo exemplo docuit Dñs mortem ab impiis illatā propter Christum nō esse metuendam. — Ioan. vlti. Ambro. — Psal 44. & 78.

quanta admiratione tenebatur Dauid. ¶ Vnde hic merito queri potest cur domi nus sub ueteri lege voluerit sanctos suos bellare & pugnare aduersus hostes suos (vt de Iosue, Gedeone, Samsone, Saule, Dauide cæterisque sanctis atque ducib9 legimus) in noua autem lege voluerit Apostolos, innumerosque alios martyres non pugnare, non resistere tyrannidi, seipsos morti libentissime ob eius amorem offerre, incredibilia tormentorum genera æquo animo subire, nullo mortis metu atque terrore affici: non se denique armis aliquibus defendere? Audi ergo Diuum Augusti. huius differentiæ causam reddentem lib. 22. contra Faustum. c. 76. & 77. Hanc, inquit, rerum distributionem, temporum ordo poscebat, vt prius apparerent etiam ipsa humana bona, quibus & humana regna & ex hostibus victoriæ deputantur, propter quæ maxime ciuitas impiorum diffusa per mundum, supplicare idolis & dæmonibus solet, non nisi ad vnius Dei veri potestatem atque arbitrium pertinere. Vnde & vetus testamentum secretum regni cœlorum tempore opportuno aperiendum promissionibus terrenis operuit, & quodammodo vmbrosius occupauit. Vbi autem venit plenitudo temporis, vt nouum testamentum reuelaretur, quod figuris veteris velabatur, euidenti testificatione iam demonstrandum erat, esse aliam vitam pro qua, debet hæc vita contemni, & aliud regnum, pro quo oportet omnium regnorum terrenorum aduersitatem sapientissime sustineri. Proinde per quorum confessiones, passiones, & mortes hoc Deo placuit attestari, martyres appellantur, qui latine testes interpretantur: quorum numerus tantus effloruit, vt si eos Christus, qui de cœlo Saulum vocauit, & ex lupo factum ouem, in medio luporum misit, congregatos vellet armare atque adiuuare pugnantes, sicut Hebræos patres adiuuit, quæ gentes resisterent, quæ regna non cederent? Sed vt præclarissimum testimonium veritati perhiberetur, qua iam docendum erat, non propter temporalem in hac vita, sed propter æternam post hanc vitam fœlicitatem Deo esse seruiendum, ea quæ vulgo infœlicitas dicitur, pro illa fœlicitate subeunda fuerat & ferenda. Itaque in plenitudine temporum factus ex muliere filius Dei, factus sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret: mittit discipulos velut oues in medio luporum & monet ne timeant eos qui corpus occidunt, animam autem ne possunt occidere: promittit etiam ipsius corporis renouandam integritatem, vsque ad capilli reparationem: Petri gladium reuocat in uaginam, aurem inimici præcisam, reparat ad pristinam formam: dicit se legionibus angelorum imperare potuisse ad delendos inimicos, nisi calix bibendus esset, quem patern[a] voluntas dedisset. Bibit præcedens, propinat sequentibus: virtutem patientiæ suo reuelat præcepto, suo confirmat exemplo. Propter quod Deus illum suscitauit à mortuis, & donauit ei nomen quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur, &c. Regnauerunt hic ergo Patriarchæ & Prophetæ, vt ista regna Deum dare & auferre ostenderetur. Non hic regnauerunt Apostoli & martyres, vt regnum cœlorum desiderandum potius panderetur. Illi reges bella gesserunt, vt tales quoque victorias appareret Dei voluntate præstari: isti non resistendo interfecti sunt, vt potiorem esse docerent victoriam pro fide veritati; occidi: quanquam & illic Prophetæ nouerant mori pro veritate, sicut ipse Dominus dicit. A sanguine Abel vsque ad sanguinem Zachariæ. Et ad postea quam cœpit impleri, quod sub figura Salomonis, quod latine interpretatur pacificus, de Dño Christo, ipse est enim pax nostra, in Psalmo Prophetatum est. Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei & Christiani quoque imperatores plenam gerentes fiduciam pietatis in Christo, de inimicis sacrilegis, qui spem suam in sacramentis idolorum, dæmonumque posuerant, gloriosissimam victoriam perceperunt: cum apertissimis notissimisque documentis, de quibus nonnulli iam scriptum memoriæ commendarunt, illos fallerent vaticinia dæmoniorum, hos firmarent prædicta sanctorum. ¶ Si autem hoc mirum istis vanis videtur, quod aliud

tunc

Quare sub veteri lege sancti pugnabant aduersus hostes, sub noua noluit Deus vt Apostoli & martyres innumeri pugnarent seseque defenderent.

Phil. 2.

Psal. 71.

tunc Deus præcepit dispensatoribus veteris testamenti, vbi noui gratia velabatur, aliud prædicatoribus noui testamenti vbi veteris obscuritas reuelabatur attēdant ipsum dominum mutantem quæ dixerat Apostolis de sacculo & pera & calciamentis apud Lucam cap. 22. Quo intelligent quemadmodum nulla in conscientia præcipientis, sed ratione dispēsantis, pro temporum diuersitate, præcepta vel consilia, vel permissa mutentur. Hæc ex Augustino. ¶*Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant.* 3. Reg. cap. 13. sacra referūt eloquia. Quod vir Dei qui venit de Iuda, in sermone domini in Bethel, Ieroboā stāte super altare, dixit. Altare altare ecce filius nascetur domui Dauid, & immolabit super te sacerdotes excelsorum. Ille, inquam, mandatū acceperat in sermone domini præcipientis. Nō comedes panem, neq; bibes aquam, nec reuerteris per viam qua venisti, sed fefellit eum Propheta senex, qui habitabat in Bethel, vt comederet panē & biberet aquam in domo eius. Propter hoc inuenit eum leo in via, & occidit, & cadauer eius erat proiectum in itinere. Asinus autem stabat iuxta illum, & leo stabat iuxta cadauer. Forma hæc (inquit Rupertus) mystica est, & prædicti sancti Prophetæ Iehu filij Anani, & omnium sanctorum & Prophetarum qui occisi sunt, vel occiduntur, propter testimonium eiusdē verbi Dei. Quibus ipsum verbum incarnatum dicit, Nolite timere eos, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. Ille namque leo qui occidit, & iuxta cadauer stetit, diabolum & satellites eius impios homines signat, per quos cum sanctorum corpora occidit, stat, nec potest ad nocendum progredi vltra, quia diabolus neque manducare nouit corpora, cū ipse sit spiritus, nec consequi potest animas extra corpus, quas in corpore persequitur. Si quid ergo peccati ex carnali commoratione serui Dei contraxerunt, & ob hoc inimicus aliquando permittitur occidere corpora eorum, illa contentus sit pœna, stetque iuxta cadauera, id est, nihil amplius, vel animabus, vel etiam corporibus, quin resurgant, se posse nocere sciat. Neq; enim efficere potest, vt saltem corpora moriendo pereant Deo. Quod pulchre signatū est per hoc, quod occisum nō deuorauit, sed iuxta cadauer stetit leo. Hæc Rupert.

Infra. 22.

Figura 3. Reg. 13.

Lib. 5. de vict. verbi Dei. c. 6.

¶*Dico vobis amicis meis ne terreamini ab his qui occidunt corpus.* ¶His verbis dux Christus hortatur & incitat milites suos strenuos ad bellum, inuitat ad pugnam, parat ad victoriam de inimicis spiritualibus quod solent duces in bello facere. Huius pugnæ spiritualis typū habes Iudicum. cap. 7. vbi actum est (inquit Rupertus) vt Gedeon cum trecentis viris tātūmodo qui stantes manibus aquas hauserunt, & cum eo remanserunt, cum his ad prælium pergeret, eosque non armis sed tubis, lampadibus, lagenisque armaret. Nam sicut scriptum est, accensas lampades miserunt intra lagūculas, & tubas in dextera, lagenas autem in sinistra tenuerunt, & ad hostes suos, cominus venientes, cecinerunt tubis, confregerunt lagunculas, lāpades aperuerunt. Et hinc tubarum sonitu, illinc lampadarum coruscatione territi hostes sunt in fugā conuersi. De hoc namque bello per Prophetam dicitur: iugum enim oneris eius, & sceptrum exactoris superasti sicut in die Madian. Eripiens nempe gentilitatem Dominus, superauit iugum oneris eius, cum eam aduentu suo ab illa demoniacæ tyrannidis seruitute liberauit. Superauit virgam humeri eius, cum percusorē illius qua ex peruerso opere grauiter deprimebatur, ab humano genere redempto compescuit. Superauit sceptrum exactoris eius, cum regnum eiusdem diaboli, qui pro pestifera perpetratione vitiorum consueuerat tributa debita pœnarū exigere, de fideliū corde destruxit. Quid est hoc, quod tale bellum per Prophetā adducitur ad medium, & aduentui Redēptoris nostri, istius pugnæ victoria comparatur? An indicare nobis Propheta studuit, quod aduentum Redemptoris nostri contra diabolum illa Gedeonis pugnæ victoria designauit? Talia illic nimirum acta sunt, quæ quanto magis vsum pugnādi transeunt, tanto amplius a Prophe-

Figura notanda Iudi. 7.

Esai. 9.

phetandi mysterio non recedunt. Quis enim vnquam cum lagenis & lampadibus ad prælium venit? Quis contra arma veniens arma deseruit? Ridicula nobis hæc profecto fuerant si terribilia hostibus non fuissent. Sed victoria ista attestāte didicimus: ne parui hæc quæ sunt facta pendamus. Gedeon itaque ad præliū veniens, Redemptoris nostri signat aduētum, de quo scriptum est: tollite portas principes vestras, & eleuamini portę æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis & potēs Dominus potens in prælio. Hunc Redēptorem nostrum, non solum opere sed etiam nomine prophetauit. Gedeon nāque interpretatur circuiens in vtero. Dominus enim noster per maiestatis potentiam, omnia circumplectitur, & tamen per dispensationis suæ gratiam, intra vterum virginis venit. Quis est ergo circuiens in vtero, nisi omnipotens Deus sua dispensatione nos redimens, diuinitate cuncta complectens, & humanitatem intra vterum sumens: in quo vtero & incarnatus esset, & clausus non esset? Quia & intra vterum fuit per infirmitatis substātiam: & extra mundum per potentiam maiestatis. Madian verò interpretatur de iudicio. Vt enim hostes eius repellendi, destruendi ve essent, non de vitio repellentis, sed de iudicio iustè iudicantis fuit. Et idcirco de iudicio vocantur, quia alieni à gratia Redemptoris iustæ damnationis meritum etiam in vocabulo nominis trahunt. Contra hos Gedeon cum trecentis pergit ad prælium. Solet in centenario numero plenitudo perfectionis intelligi. Quid ergo introducto centenario numero designatur, nisi perfecta cognitio Trinitatis? Dum his quippe Dominus noster aduersarios destruit, cum his ad prædicationis bella, descendit, qui possunt diuina cognoscere, qui sciunt de Trinitate, quæ Deus est, perfecta sentire. Notandum verò est, quia iste trecentorum numerus in, Tau, litera continetur. Et per, Tau, literam, species crucis ostenditur, quæ crucis speciem tenet, cui si super transuersa linea id quod in cruce eminet, aderetur, non iam crucis species sed ipsa crux esset. Quia ergo iste trecentorum numerus in, Tau, litera continetur, non immerito in his trecentis Gedeonem sequentibus, illi designati sunt, quibus dictum est: qui vult post me venire, abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me. Qui sequentes Dominum tanto verius tollunt crucem, quanto à crius se domant, & erga proximos suos charitatis compassione cruciantur. Vnde & per Ezechielem certo in his trecentis qui in, Tau, litera continentur, hoc exprimitur, quod ferrum hostiū crucis ligno superetur. Ductique sunt ad fluuium vt aquas biberent. Et quicunq; aquas flexis genibus hauserunt, à bellica intentione remoti sunt. Aquis namque doctrina sapientię, stantis autem genu, recta operatio significatur. Qui ergò dum aquas bibunt genu flexisse perhibentur, ab eorum certamine prohibiti recesserunt: quia cum illis Christus contra hostes fidei pergit ad prælium, qui cum doctrinæ fluenta hauriunt, à rectitudine operum non inflectuntur. Omnes quippe tunc bibisse aquam, sed non omnes recto genu extetisse narrati sunt. Reprobatique sunt, qui genua dum aquas biberent inflexerunt, quia attestante Apostolo: non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Quia enim vt diximus, dissolutio operū in ipsa genuum incuruatione signatur: rectè per Paulū dicitur: Remissas manus, & genua dissoluta erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris. Igitur Christo duce ad bellū prodeūt, qui hoc quod ore annūciant, opere ostēdūt, qui fluenta doctrinæ spiritualiter hauriūt, nec tamē in prauis operibus carnaliter inflectuntur: qui sicut scriptū est: nō est speciosa laus in ore peccatoris. Itum est igitur ad præliū, cū tubis, cū lāpadibus, cū lagenis, atq; iste, vt diximus, fuit ordo pręliandi. Cecinerunt tubis. Intra lagenas autē missæ sunt lampades: cōfractis verò lagenis, lampades ostensę sunt, quarū coruscāte luce hostes territi in fugā vertūtur. Designatur ergo in tubis clamor prædicationis, (de qua Dñs in hoc loco ait quod in aurē locuti estis prędicabitur in tectis) in lam

Marginalia: Psal. 23. — Matth. 16. Mar. 8. Luc. 9. — Ezech. 9. — Rom. 2. — Heb. 12. — Eccles. 15.

lampadibus claritas miraculorum, in lagenis fragilitas corporum. Tales quippe dux noster secum ad bella prædicationis duxit, qui despecta salute corporum, (intelligentes quod postquam tyranni corpus suum occiderent non haberent amplius quid facerent) hostes suos moriendo prosternerent, eorumque gladios non armis & gladijs, sed patientia superarent. Armati enim venerunt sub duce suo ad prælium martyres nostri Sed tubis, sed lampadibus, sed lagenis. Qui consonuerunt tubis dum prædicant in tectis quod in cubiculis locuti fuerant, confregerūt lagenas, dum soluenda corpora in passione hostilibus gladijs sine metu aut terrore aliquo supponunt. Resplenduerunt lampadibus, dum post solutionem corporum miraculis corruscauerunt. Moxque hostes in fugam versi sunt, quia dū mortuorum martyrū corpora miraculis corruscare cōspiciunt, luce veritatis fracti, quod impugnauerant crediderunt. Cecinerunt ergo tubis vt lagenæ frangerentur: lagenæ fractæ sunt, vt lampades apparerent: apparuerunt lampades vt hostes in fugam verterentur. Id est, prædicauerunt Apostoli, prædicauerunt martyres donec eorum corpora cum eo in morte soluerentur, vt miraculis corruscarēt. Corruscauerunt miraculis, vt hostes suos ex diuina luce prosternerent: quatenus nequaquam Deo erecti resisterent, sed eum subditi formidarent. Et notandum, quod steterunt hostes ante lagenas, fugerunt autem lampades, quia nimirum persecutores sanctæ fidei prædicatoribus adhuc in corpore positis restiterunt. Post solutionem verò corporum apparentibus miraculis, in fugam versi sunt, quia pauore conterriti à persecutione fidelium cessauerunt. Prædicatione. s. tubarum fractis lagenis corporum, visis timuerunt lāpadibus miraculorum. Intuendum est etiam hoc, quod illic scriptum est, quia in dextera tubas, in sinistra autem lagenas tenuerunt: pro dextro enim habere dicimus, quicquid pro magno pēsamus: pro sinistro vero quod nihilo ducimus. Benè ergo hic scriptum est, quod in dextera tubas, & lagenas in sinistra tenuerunt: quia Christi martyres pro magno habent prædicationis gratiam, corporū verbo vtilitatem pro minimo. Quisquis enim plus facit vtilitatem corporis, quā gratiā prædicationis, in sinistra tubam, atque in dextera lagenam tenet. Si enim priori loco gratia prædicationis attenditur, & posteriori vtilitas corporis: certū est, quia dextris tubæ, & sinistris teneantur lagenæ. Hæc ex Ruperto.

¶ *Ostendam autem vobis quem timeatis. Timete eum qui post quam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* Vel hoc vno testamonio satis confutari potest eorum error qui omnem gehēnæ timorem peccatum esse affirmant: atq; qui nos peiores per eum fieri cōtendūt. Sed vt miseri intelligant se in ea re luce meridiana clariori, omnino excæcatos esse: multis, qua breuitate potero, fidei catholicæ veritatem comprobabo: nos scilicet vtiliter & sanctè hoc timore iustitię diuinæ concuti. ¶ Hunc ergo timorem esse vtilem illa nos possunt docere quæ Ecclesiasticus ait. Initium sapientiæ est timor dn̄i. Atque vt intelligeremus hæc maxime ad timorem seruilem (quem vocamus) pertinere, subdit: radix sapientiæ est timere Deum. Timor verò filialis non est radix sapientiæ, sed à sapiētia procedit, & consummatio est & perfectio ipsius; crescitq; crescente Charitate de quo illud propriè dicitur, Ecce timor domini ipsa est sapientia. ¶ Apud Esaiā etiam iuxta translationem.70. legimus. A timore tuo Domine cōcepimus & parturiuimus, & peperimus spiritum salutis. Quis autem timor est alius à quo concepimus & parturiuimus spiritum salutis nisi timor diuinæ iustitiæ? Vnde D. Hierony. Sicut ad partum, inquit, mulier appropinquās dolore cogitur exclamare, sic nos angustia requirimus te, & à facie fortitudinis tuæ concepimus, & parturiuimus, & peperimus non carnis liberos, sed spiritus. Vnde versio.70. & versio communis scilicet à facie tua Domine concepimus, &c. In eundē sensum recidere docet ibidem Hieronymus. Et verba quæ precedunt satis hoc indicant, Præcedunt enim hæc. Domine in angustia

Timor gehennæ vtilis & sanctus. Multis probatur argumentis cōtra Lutheranos.

1. argu.

Eccl. 1.

S. Tho. 2. 2. q. 19. ar. 10. Iob. 28. d

2. argu. Esai. 26.

D. Hiero. in comm. Esa.

stis requisierunt te, & in tribulatione murmuris doctrina tua eis. Sicut quæ cõcepit, cum appropinquauerit ad partũ, dolens clamat in doloribus suis, sic facti sumus. Ex quibus videntur sequentia statim, à facie tua Domine cõcepimus, &c. De conceptione per timorem à facie, & præsentia Domini acceptum, esse intelligenda. Sicut ergo dolores parturientis quantumcunquè eam discrutient, mali non censentur, quia viam edendo fœtui aperiunt, sic neque terrores iustitiæ diuinę, qui viam pœnitentiæ persternunt, dãnari debent, sed probari, & laudari, & tanto magis quãto eorum maior est fructus. ¶ Hoc idem firmari potest exemplo & testimonio Christi, & Apostolorum, & consuetudine totius Ecclesiæ. Etenim prædicatio Euangelij hinc cepta est à Ioanne dicente progenies viperarũ quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira. Iam ergo securis ad radicem arboris posita est, &c. Cæpta est à Christo Domino nisi pœnitentiam (inquit) egeritis omnes simul peribitis, &c. Et in hoc loco timorem incutit dicens: Ostendam vobis quẽ timeatis. Timete eum qui postquam occiderit habet potestatem mittere in gehennam. Multisquè alijs in locis hunc terrorẽ prædicat. Paulus etiã præco cœlestis ad Hebræ. 10. Fideles omnes, à peccatis deterret, & ad pœnitentiam accendit, formidabili illa admonitione. Voluntariè peccantibus, post acceptam notitiam veritatis, non manet hostia & sacrificium sed terribilis quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio quæ consumptura est aduersarios. Vide locum. Hoc idem facit. 2. Cor. 13. ad Rom. 12. ad Heb. 6. ¶ Adde quod natura insitum est omnibus hominibus, imò etiam omnibus animalibus horrere & fugere pœnas, & earum metu auelli ab illis quæ malè placebant, naturales verò inclinationes bonæ sunt, eæ præsertim, quæ etiam naturæ integræ conuenirent. Cum ergo damnas o Luthere omnem gehennæ timorem, & peiores nos per eum fieri contendis, ipsam naturam profectò nostram, imò autorem illius cum Manichæo condemnas. Nam si mali sunt huiusmodi timores, mala est natura quæ naturaliter ea timet, & timenda esse docet, & malus erit qui eiusmodi prauam & peruersam naturam nobis est largitus. ¶ Consilium etiam diuinum & omnium sapientium legislatorum vel nõ aduertere, vel negligere, & damnare vidétur, qui timorem gehennæ & aliarum pœnarum condẽnat. Vt enim sępe legimus apud Chrysosto. & cæteros patres, non eò potissimũ supplicia inferni Deus parauit, vt perditos homines & dæmones cruciaret, sed eo potius fine, vt inferni timore à delicto omnes arceret, & in peccata lapsos ad pœnitentiam reuocaret. Eademquè intentione ciuiles pœnæ, à prudentibus legislatoribus constitutæ sunt. Quod si mali sunt huiusmodi timores, mala est pœnitẽtia eo timore suscepta, malæ omnes eiusmodi pœnarum comminationes, malæ omnes promissiones liberationis, vel euasionis a malis pœnalibus, neque minus omnes castigationes malorum eo fine factæ, vt timore earum pœnarum, vel spe ea euadendi corrigantur. Mala namque sunt omnia quæ alios inducunt ad peccatum. Hoc autem si concedatur, quid aliud erit quam Prophetas, Apostolos, & sapientes legislatores, imò Christum & Deum ipsum iniquitatis accusare? Nam his artibus, & his vijs vtilissimis sæpe vsi sunt, vt peccatores ad pœnitentiam pertraherent. Et in sacris literis, & in alijs sanctis libris, vt eisdem vtamur non semel admonemur. ¶ Et quo iure, obsecro est prohibitus timor gehennæ? Quam habet repugnantiam ad rectam rationem? Nonne gehenna de se fugienda & timenda est? Si igitur obiectum est proportionatum timori & nulla extrinseca circunstantia vitiatur, cur timor eiusmodi censeatur malus? ¶ Estquè optimum ad hæc omnia confirmanda argumentum, quo vsi sunt patres in Concil. Tridenti. ad indicendum anathema dicentibus, gehennę metum peccatum esse, aut peccatores facere. Experientia siquidem videmus, hoc timore plerosque peccatores ad pœnitentiam trahi, & illos & iustos eodem timore se à multis peccatis cohibere. Et in hunc sensum debet exponi illa verba canonis. Siquis dixerit gehennę metum,

per

Marginalia: 3. argu. — Matth. 3 — Luc. 13. a — Heb. 10. — D. Paulus. — 4. argu. — 5. argu. — Cur supplicia inferni constituta — 6. argu. — 7. argu. — Ses. 9 ca. 8

per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccato abstinemus: peccatum esse, aut peccatores peiores facere, anathema sit. ¶ Sed ais, si hæc ita se habent cur D. Ioãnes absolute asseuerat in priori Canonica sua cap. 4. Timor non est in charitate? Si vtiliter timore diuinæ iustitiæ peccatores concutiuntur ad pœnitentiam, cur non etiam concucientur illo iusti, ne extendant manus suas ad iniquitatem? Ne cessent à confessione & prædicatione fidei? Si vtilis est & non malus huiusmodi timor, cur non eum admittat secum charitas? Adde his, quod Apostolis amicis, ait in hoc loco Dominus. Dico autem vobis amicis meis eum timete qui potest animam mittere in gehénam. Ad hoc facile respondemus D. Ioãnem non de timore diuinæ iustitiæ loqui, sed de timore mundano, hoc est, de timore quo timemus grauia, & laboriosa, quæ pro Christo oporteret contemni: de quo in hoc loco Christus ait dico autẽ vobis amicis meis, ne terreamini ab his qui occidũt corpus. Hic est enim timor qui in charitate non est, & quem perfecta charitas mittit foras. Est timor, qui pœnam habet: de quo Ioãnes statim addit: timor pœnam habet. Non enim solum anxietate plenus est, sed à Deo seueré punietur. Hunc volebat Ioãnes à cordibus fidelium expellere: hunc etiam Christus de animis illorũ fugare, quippe qui ad charitatem, atque fidei confessionem tam Christus quam Ioãnes exhortantur. Amor enim & charitas omnia dura & leuia facit: zelus etiã fidei nihil nõ suffert. Vide Tertulianum sic exponentem verba Ioãnis lib. de fuga in persecutione non longé à fine. Aliter exponit Augustinus in. 1. Ioãnis, tracta. 9. ¶ Si ergo peccator es, time Dominum qui potest animam tuam perdere ac mittere in gehénam. Age pœnitentiam & confuge ad Dei misericordiam. Irritam quis faciens legem Moysi sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moriebatur quanto magis tu putas deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcasti & sanguinem testamenti pollutum duxisti, in quo sanctificatus es, & spiritui gratiæ contumeliam fecisti? Memineris eius qui dixit mihi vindictam & ego retribuam: & iterum, quia iudicabit Dominus populum suum. Horrendum est inci dere in manus Dei viuentis. Si peccator, inquam, es, time iram Dei, & cito conuertere: nam terra sæpe venientem super se bibẽs imbrem, & germinans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo, proferens autem spinas, ac tribulos reproba est, & maledicto proxima, cuius consummatio in cõbustionem. Cito conuertere: nam nisi cito conuertaris gladium suum Dominus vibrauit, arcum suum tetendit, & parauit illum. Et in eo parauit vasa mortis. Exhorresce gehénæ pœnas illas terribiles. Nam vt Esaias ait: minime poteris illas ferre. Quis (inquit) poterit habitare de vobis cum igne deuorante, aut quis habitabit de vobis cum ardoribus sempiternis? Etenim Deus noster ignis consumẽs est: tu autem caro: & cum omnis caro fœnum, tu fœnum eris. Si igitur peccator es fœnum, Deus autem ignis deuorãs & consumens, cur cum Deo contendis? Nõne fœnum comburetur igne? Nõne incẽdio flagraberis? Quo modo audes aridũ fœnum cum igne deuorante pugnare? O audaciam incredibilem, & insipientiam intolerabilem. Vis more gigantum quorum impium facinus antiqui fictis fabulis memoriæ prodiderunt, Deo ipsi bellum inferre, dæmoni autem te coniungere & sociare. Reuertere ad te ipsum & cõsidera Dei omnipotentiam, qui postquã te occiderit potest animam tuam mittere in gehénam, qui totum hominem nũ tu potest perdere. Imitare saltem filios Israel. Qui cum occideret eos Dominus, quærebant eum & reuertebantur: & cũ tribulabantur clamabant ad Dominum. Imitare Niniuitas qui terrore mortis cõmoti veram tandem pœnitentiam egerunt. Si Rex Dauid ingentium in hac vi cta afflictionum cõminatione cõmotus, ad pœnitẽtiam homicidij & adulterij venit, cur tu miser æternam gehénæ pœnã exhorrescens ad verum animi dolorem, ad Dei misericordiam & pietatem non confugis? Audi Dominum exhortantem

&

Marginalia: Obiectio. D. Ioan. — Respon. — Tertul. — Heb. 10. e; Deut. 17. b; 2. Cor. 13 a — Deu. 32.; Rom. 12. d — Heb. 6. — Psal. 7. — Esai. 33. b — Heb. 12. — Esai. — Psal. 77. & 106. — Ionæ. 3. — 2. Reg. 12

& dicentem: Timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehĕnam. ¶ Si iustus es, constans esto, & hoc timore sancto correctus à peccatis abstine. Fuge gehĕnam, quæ vltimum reuera omnium terribilium malorū est: Ne hominum tyrãnidem metuas. Et si metum placet adhibere in consilium, æquum est, vt leuior metus cedat maiori, & ille potius timeatur, qui totum hominem nutu potest perdere. Hunc si vis tibi ostendi, Deus est, qui solus habet potestatem vbi corpus occiderit, etiam animam mittere in gehĕnam. Ne quid ergo te terreat hominum impiorum crudelitas, qui leuiter possunt lædere: imò ne lædere quidem, nec hoc ipsum possunt nisi permissu Dei. Quod si terrore hominum peccaueris aut degeneraueris à Dei pietate, vel à synceritate prędicationis euangelicę, vel à veræ fidei confessione, vitãs leuia & temporalia mala, incides in æterna mala. Clauus igitur clauum pellat, & Dei timor exigat timorem hominum. Omnino moriendum est omnibus, ne re fert quandiu vixeris sed quàm bene. Et fœliciter hinc exit, quisquis ob nomen Christi mortem oppetit. Neque id fiet ante tempus à Deo præfixum tibi, vt nihilo diutius victurus sis, etiam si maxime te discruciet metus mortis. Et hoc erit curæ Deo, vt suo quisque tempore moriatur. Et quamquam ista videantur casu geri, tamen nihil accidit nobis, nisi permissu Dei, cui nostra omnia curæ sunt. Quod, vt intelligas, audi quid Dominus in textu addit.

¶ *Nonne quinque passeres veniunt dipondio, & vnus ex illis non est in obliuione coram Deo? Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere multis passeribus meliores estis vos.*

Omnia subiecta esse diuinæ prouidentiæ ostenditur. Vi. Tho. 1 p. q. 22. & 3 contra Ge. c. 64. & a c. 71. vsq; ad c. 90. ferè.

Ex hoc loco primo satis apertè colligitur omnia quantumuis minima subiecta esse diuinæ curæ & prouidentię. Nihilque in mundo accidere, nisi permissu Dei, cui omnia curæ sunt. Quid enim passerculo vilius aut contẽptibilius? Nõne quinq; licet emere dipondio? Et tamen horum cura est Deo, vt in hoc loco vides. Hanc rerum omnium curam docet Sapiens Sapientię 8. dicens de Dei sapientia: attingit a fine vsque ad finem fortiter & disponit omnia suauiter. Et cap. 14. Tua (inquit) pater prouidentia ab initio cuncta gubernat. Et Dominus apud Matthæum cap. 6. hoc idem docet: Respicite (inquit) volatilia cœli quæ non serunt neque metunt: & pater vester cœlestis pascit illa. Considerate lilia agri. Dico autem vobis quoniam nec Salomõ in omni gloria sua coopertus est sicut vnus ex istis. Et statim subiungit: si enim fœnum agri quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos? Regius etiã Propheta alta mente perpendens hanc rerum omnium quamuis minimarū prouidentiam incitat & hortatur illas, ad laudes sui gubernatoris Dei, dicens in Ps. 148. Laudate Dominum de terra, dracones, & omnes abyssi: ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciũt (inquit) verbum eius. Lege si libet. c. 42. & 43. Ecclesiastici vbi hæc prouidentia patris cœlestis ad longum describitur. Et Augu. 5. super Gen. ad li. c. 21. ¶ Quãuis hæc ita sint: non defuerunt qui in ea opinione & errore essent, vt existimarẽt, non esse in mundo prouidentiam, quę rebus omnibus cõsuleret: sed fortuitu, vel facta fuisse omnia vel regi. Cuius sententiæ autor fuit Democritus, confirmator Epicurus: sed & antea Pitagoras, qui Deos in dubium vocauit: & postea Diagoras, qui exclusit. & alij nõnulli qui nõ putauerunt Deos esse: quid aliud effecerunt, nisi vt nulla esse prouidentia putaretur? Quos tamen cæteri Philosophi ac maxime Stoici acerrime retuderunt: dicentes, nec fieri mundum sine diuina ratione potuisse, nec constare, nisi summa ratione regeretur. Sed & Mar. Tullius, quamuis academicæ disciplinæ defensor esset, de prouidentia gubernatrice rerū, & multa sæpe disseruit, Stoicorum argumenta confirmans, & noua ipse afferens plurima: quod facit, tum in omnibus fere philosophiæ libris, tum maxime in ijs, qui sunt de natura Deorum. Nec difficile sanè fuit paucorum hominum prauè sentientium redarguere mendacia, testimonio philosophorum atque gentium in

Sapi. 8. a
Sapi. 14. a
Matth. 6.
Psal. 148. & ibi Augusti.
Eccl. 42. & 43.
D. Augu.
Error philosophorũ quorūdã circa diuinam prouidentiam
Cicero.

in hac vna re non dessidentium. Nemo est enim tam rudis, tam feris moribus, qui non oculos suos in cœlum tollens, tametsi nesciat cuius Dei prouidentia regatur hoc omne quod cernitur, aliquam tamen esse intelligat ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantia, vtilitate, pulchritudine, temperatione. Nec posse fieri, quin id quod mirabili ratione constat, consilio maiori aliquo sit instructum. De qua re lege. D. Chrysostomum homi. 9. & 10. ad populum Antiochenum vbi diffusé de creaturarū libro Deique gubernatione agit. ¶ Quanuis hanc diuinam prouidentiam scriptura sacra doceat: pulchritudo, & magnitudo, & perpetuus ordo creaturarum prædicent: philosophi rectam rationem sectantes, confiteantur: sancti Doctoresq; omnes affirment: vnus tamen Hieronymus huic sententiæ contradicere videtur his verbis quæ in cōmen. Abacuc. c. 1. scripta reliquit. Absurdum, inquit, est ad hoc Dei deducere maiestatem, vt sciat per momenta singula quot nascantur culices, quot ve moriantur: quæ cimicum & pulicum, & muscarum sit in terra multitudo: quanti pisces in aqua natēt, & qui de minoribus maiorum predæ cedere debeant. Non simus tam fatui adulatores Dei: vt dum potētiam eius etiam ad ima detrahimus, in nos ipsos iniuriosi simus: eandem rationabilium quàm irrationabilium prouidentiam esse dicentes. Mitto modo solutionem magistri dicentis loqui Hieronymum de peculiari quadam cura & prouidentia, qualem habet Dn̄s de ratione constantibus. Neque enim illis alijsque irrationabilibus, ita prouidet quēadmodum rationabilibus. Nunquid enim, vt ait Apostolus, cura est Deo de bobus? Et sicut non est cura Deo de bobus ita neque est de alijs rationis expertibus. Quum hoc tamen stat quod Deo est cura de omnibus vt multis sacrarum scripturarum testimonijs probatum est. Gubernat enim omnia quibus solem suū oriri facit & pluuiam dat. Scit itaque Deus quanta sit multitudo culicum, & muscarum & piscium, & quot nascantur, quot vero moriantur: sed non scit hoc per momenta singula imò simul & semel omnia neque ita scit vt eandem habeat prouidētiam irrationabilium & rationabilium. Idest, vt eodem modo penitus prouideat irrationabilibus & rationabilibus. Rationabilibus enim & præcepta dedit, & Angelos ad custodiam delegauit. Missa igitur hac magistri solutione audi quid huic testimonio Hierony. dicendū est, alijsq; similibus. ¶ Is enim mos est Hierony. in cōmentarijs vt libere proferat aliorū sentententias super locū illū quem interpretatur: relinquatq; lectoris iudicio, quam debeat sequi: non ponendo aut dicendo suam sententiam. Atq; adhunc modū intelligēdus est in cōm. Esaiæ. c. vlti. vbi sentire videtur diabolū cæterosq; infideles negantes & dicentes: nō est Deus: subituros ęterna tormēta: impios verò, Christianos tamē, tēporali pœna punitos, æterna non esse puniēdos. Nō enim hęc est sentētia Hierony. sed aliorū Gręcorum. Super episto. ad Titū videtur etiā significare angelos ab æterno fuisse creatos: sex milia (inquit) nec dū nostri orbis implētur anni: & quantas prius æternitates, quāta tēpora, quantas seculorū Origines fuisse arbitrandū est, in quibus Angeli, throni dominationes, cęteræq; virtutes seruierint Deo, & absq; tēporum vicibus, atq; mēsuris Deo iubēte substiterint. Hæc, in quā, dicta sunt a D. Hiero. explicādo Græcorū sentētiā, atq; nihil aliud faciēte quā munꝰ interpretis & traductoris. Et quod hęc ita sint patet ex eodē Hieron. qui in Apologia aduersus Ruffinū lib. 1. adhūc modū purgat se de multis a Ruffino impositis. Taxatq; Ruffinū nō intelligentē leges commentariorum in quibus multæ diuersorum ponuntur opiniones, vel tacitis, vel expressis autorum nominibus: vt lectoris arbitriū sit, quid potissimū eligere debeat, decernere: & quasi bonꝰ trapezita, adulterinę monetę pecuniā reprobet. Hāc eādē legē repetit in apologia aduersus Iouinia. Et in prohemio cōmēta. Hiere. ¶ Quod autē Hierony. prouidentiam diuinam circa res mundi omnes quanuis minimas, esse, senserit: constat ex commentarijs in Hieremiam cap. 32. inter explicandum verba illa: Ecce

Vi. Lactā. 2. lib diui. instit. c. 2. Chryso.

Obiectio ex testimonio Hiero.

Ma. d. 39

1. Cor. 9.

Not. pro defentione Hieronymi.

Hiero. Esa. in vlti.

Hiero. ad Titum. c. 1.

Lex commentariorum.

Hiere. 32.

Ecce ego dominus Deus vniuersę carnis. Sunt, inquit, qui prouidentiam creatoris vsque ad rationalia confiteantur, bruta autem fortuitis casibus asserant vel perire vel viuere. Propheticusque sermo declarat nihil esse quod fugiat prouidentiā & scientiam Dei: quia alia propter se, alia ad vsum hominum sunt creata. Hæc ille.

¶ *Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt.* Omnia uostra etiam minima curat Dominus. Curat pulchritudinem & decorem faciei nostræ, & ideo numerat capillos capitis nostri. Ideo etiam Leuitici. cap. 19. præcipiebat ne in circuitu tonderent extremitatem capitis filij Israel. Hinc est, quod in sponsa, oculos, genas, palpebras, crura, & id genus alia curauit. Vox, inquit, tua dulcis, & facies tua decora. Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis. Non ergo mireris si videris Dominum etiam capillos curare, quia non vult te destruere in faciei figuram & dispositionem quam fecerat ipse, & faciei tuæ decorem & pulchritudinem curauit. Capilli, inquit, vestri omnes numerati sunt. ¶ *Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt nolite ergo timere.* Locus iste tā insignis ac præclarus animum excitat, atque calamum prouocat ad agendum de Dei erga pios & fideles prouidentia & cura. Quæ tanta tamque peculiaris est, vt non mihi si linguæ centum sint, oraque centum, pro eius dignitate satis eam explicare possem. Audi ergo nonnulla sacrarum scripturarum testimonia, hanc diuinam prouidentiam significantia. Imprimis est Ecclesi. qui. c. 15. ait: Oculi Domini ad timentes eū: protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & vmbraculū meridiani, deprecatio offensionis, & adiutorium casus, exaltans animas, & illuminans oculos, dans sanitatē & vitam, & benedictiones. Hactenus Salomon. ¶ Et Regius vates ait: Apud Dominum gressus hominis dirigentur: & viam eius volet: si ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam: perpēde obsecro quid poterit nocere casus, cadenti super puluinar tam molle ac tenerum, qualis est manus Dei? Et alibi ait: Multę tribulationes iustorū; & de omnibus his liberauit eos Dominus: custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur. Imò non solum Dominus custodit omnia ossa iustorum, sed custodit, & enumerat omnes capillos capitis illorum, ne vel vnus illorum pereat. Vt in hoc loco affirmat dicens: Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt: vt his verbis doceat peculiarissimam atque maximam prouidentiam erga suos. Quid enim non curabit qui omnes capitis pilos curat? Quod si hoc mirabile cuipiam videatur, non minus mirabile profecto est, quod idem dominus apud Zachariam Prophetam ait: Qui tangit vos, tangit pupillā oculi mei. Satis profecto esset dicere: qui tāgit vos, tangit me ipsum sed non his contentus ait: qui tangit vos, tangit non hanc vel illam partē corporis mei, sed pupillā oculi mei. ¶ Neque seipso solum sed Angelorum etiam ministerio custodit Dñs fideles suos, dicēte Dauid Rege: Angelis suis mandauit de te vt custodiam te in omnibus vijs tuis. in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Vidisti ne vehiculum aliquod aliquādo ad vehendum, simile manibus angelorū, quibus iustus ac virtute præstās vehitur? Legisti ne aliquando currum eburneum aut carpentum aliquod his simile? Manibus ergo suis Angeli, (tāquam fratres nostri natu maiores) vehunt nos, qui sumus veluti fratres minores, qui non dum pedibus nostris ambulare possumus. Neque solum dum vitam hanc mortalē agimus, sed vita peracta, suis etiam manibus vehimur in patriam cœlestem. Sic enim ait Diuus Lucas capit. 16. Factum est vt moreretur mendicus & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Et rursum Psalmo. 33. ait prædictus vates: Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Vbi alij vertunt: castra figit Angelus Domini circum eos, qui ipsum timent, & eripit eos. Hæc sunt castra illa visa à puero Elisæi Prophetæ, vt 4 Regum. capit. 6. sacra narrat historia. Heu, heu, heu, Domine

Marginal notes: Omnia nostra etiam minima curat Dñs. — Leui. 19. — Cant. 2. & 4 — Peculiaris prouidentia Dei erga suos ostenditur. — Eccle. 15. — Psa. 36. — A — B — C — D — Psa. 33. — Zach. 2. — Psa. 90. — Luc. 16. — Psa. 33. — 4. Reg. 6.

mine mi (inquit minister viri Dei) quid faciemus? At ille respondit: Noli timere plures enim nobiscum sunt, quam cum illis. Cumque orasset Elisæus ait: Domine aperi oculos pueri huius vt videat. Et aperuit Dominus oculos pueri & vidit: & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisæi. ¶ Hæc sunt etiam castra illa de quibus scribitur Canti. capit. 7. quid videtis in Sunamite (quæ typus & imago est Ecclesiæ, atque animæ Deo gratæ) nisi chorus castrorum, hoc est, custodia Angelorum. Hoc idem significare volens idem sponsus in eodem libro altera figura sic ait: En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel omnes tenentes gladios & ad bella doctissimi. Vniuscuiusque ensis super fæmur suum propter timores nocturnos. Quid aliud rogo hoc est, quàm his imaginibus & figuris, ostendere velle, atque præ oculis ponere spiritum Domini, peculiarem quam erga pios & iustos curam & prouidentiam habet? Nam quid præcor in causa est vt homo in peccatis conceptus, in carne ab incunabulis ad malum propensa viuens, inter tot tamquè innumeros & inextricabiles laqueos vitam gerens, tamdiu immunis ab omni mortifero peccato sit, tamdiuque sine crimine viuat, nisi quod Dei prouidentia & cura peculiari gubernetur? Quæ tanta est: vt non solum eos à malo liberet, in bonumque dirigat: sed sæpe mala, in quæ, Deo permittente, aliquando dilabuntur, atque incidunt: in bonorum materiam conuertat. Redeunt enim erecti cautiores, redeunt humiliores, atque gratiores Deo, à quo, à tantis periculis sunt liberati, à tantisque peccatis erepti. Hoc enim est quod Diuus Paulus ait: Diligentibus Deum omnia cooperátur in bonum. ¶ Quod si hæc omnia maxima admiratione sunt digna, illud erit maiori dignius, quod non in pios & studiosos solum, sed in eorum prolem, in eorum domum, & familiam propter illos, hæc tam insignis tamque peculiaris Dei prouidentia versatur. Ego sum (inquit) Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorú qui oderunt me: & faciens misericordiá in millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta méa. Hoc ita esse, ostendit in filijs Dauid, quibus multoties pepercit Dominus propter eum. Hoc idem in filijs Habrahæ: quibus Dominus benedixit, in regesque populorum constituit. Imo & Ismaeli etiam ancillæ filio benedixit, & auxit, multiplicauitque eum maximo, fecitque illum crescere in gentem magnam. Vt sacra testantur eloquia. Seruum denique eius, missum ad quærendum sponsam filio suo, recto itinere perduxit in domum Laban: vt ipse testatur dicens: Benedictus Dominus Deus Domini mei Habraham, qui non abstulit misericordiam a Domino meo, & recto itinere me perduxit in domum fratris Domini mei. ¶ Hinc est ergo quod peculiaribus nominibus in scriptura sacra cognominetur Dominus quibus satis hanc singularem curam & prouidentiam erga suos ostendit. Nunc appellatur pater, nunc mater nunc pastor, nunc Rex. Appellatur pater passim à Christo in Euangelio: appellatur pater à regio vate Psal. 102. Quemadmodum (inquit) miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quia ipse cognouit figmentum nostrum. Atque vt ostenderet Spiritus sanctus non esse vulgarem atque communem patrem quales sunt apud nos patres ait Esaias. c. 63. Tu enim pater noster, & Habraham nesciuit nos, & Israel ignorauit nos. Tu domine pater noster Redemptor noster à seculo nomé tuum. Quibus verbis insinuare atque significare voluit Propheta, quod solus dominus Deus noster hoc patris nomine dignus esset. ¶ Eiusdem etiam prouidentiæ causa non solum pater sed quod ardétius & tenerius nomen est, vocatur mater, apud eúdem vatem. c. 49. dicens: Núquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit ego tamen non obliuiscar tui, Ecce in manibus meis descrip-

Marginalia: Cãn 7. — Cãti 3. c — Rom 8. — Exo. 20. — Gen. 17. — Gen. 24. — Deus appellatur núc pater, nunc mater, nunc pastor núc rex noster propter peculiarem prouidentiam quam habet erga nos. — Ioan. 5. & 10. — Psal. 102. — Esai. 63. — Esai. 49.

ste: muri tui coram oculis meis semper. Quibus quæso teneríoribus & ardentioribus verbis significari ac demonstrari poterat Dei cura & diligentia erga suos? Quis enim nostrum tam cæcus, aut tanta diffidentia præditus erit: vt his auditis, non maxima lætitia afficiatur, non in spem erigatur, non respiscat atque respiret, non caput suum talibus amoris pignoribus & signis leuare audeat? Deus siquidem est hæc verba proferens; Deus est hæc nobis promittens; cuius veritas deficere non potest: cuius diuitiæ sine termino: cuius virtus & potentia infinita. Quis ergo nostrum timere audebit? Quis non sperabit? Quis non maximo gaudio perfundetur talibus promissis, talibus pignoribus, tali prouidentia, talibus denique amoris symbolis & argumentis? Quod si hæc satis non esse tibi videantur, audi quid ille dicat Exodi. 19. Audi cui sese comparet. Vos, inquit, vidistis quid fecerim AEgyptijs, quo modo portauerim vos super alas aquilarum & assumpserim mihi. Et Deuterono. 32. ait etiam: sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos: & super eos volitás expandit alas suas: & assumpsit eum atque portauit in humeris suis. Nulla mater (vt fertur) ardentiori amore filios suos prosequitur, nulla diligentiori cura eos tuetur quam aquila: & ideo huius exemplo vsus est Dominus vt hanc tam insignem & specialem diligentiam & solicitudinem erga suos ante oculos nobis poneret. Quod vt adhuc clarius ac manifestius ostenderet postquam sui voti populus Israel factus est compos atque ad terram sibi promissam perductus ait idé vates Deutorono. Dominus Deus tuus ipse est ductor tuus, & non dimittet neo derelinquet te. ¶ Atque illud aduerte quod quemadmodum ille gaudet hoc nomine patris ac matris, sic etiam & nos nomine filiorum gaudere facit. Vnde apud Hieremiam ait: Si filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus, quia ex quo locutus sum de eo, adhuc recordabor eius. Idcirco conturbata sunt viscera mea super eum: miserans miserebor eius ait Dominus. Verba profecto singula huius testimonij exageratione maxima, atque consideratione digna sunt. Quæ viro sapienti æstimanda relinquimus. ¶ Quod autem Dominus non solum pater, & mater, sed pastor etiam atque Rex noster qui pascit & regit oues suas, nominetur tam certum est vt probatione non egeat. De qua re vide quæ annotauimus Ioan. 10. in illum locum ego sum pastor bonus. ¶ Neque impresentiarum opus est, hæc in longum recensere cum (vt vno verbo dicam) non solum Dominus, pater noster est, non solum mater, frater, pastor, rex, aduocatus, sponsus sed fit omnia, omnibus quærentibus eum. Quare merito iustis Rex Dauid dicebat: Lætamini in Domino & exultate iusti & gloriamini omnes recti corde.

Exo. 19 a

Deut. 32.

Deu. 31.

Psal. 31.

¶ *Dico autem vobis, omnis quicunque confessus fuerit me coram hominibus, et filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei. Qui autem negauerit me coram hominibus negabitur coram Angelis Dei.* Iam hic aperte vides quam impij & scelerati fuerint Elcesaitæ, qui, vt narrat Eusebius affirmant nullum esse crimé persecutionis tempore Christum ore negare, dum fixus in corde maneat. Deus, inquiunt, magis cor, quàm linguá respicit. Sed audiant homines isti scelerati quid sapiens affirmet Sapienti. 1. Os quod mentitur occidit animam. Audiát quid Paulus ad Roman. 10. Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris quod Deus illum excitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Quid Dominus tam in hoc loco quam apud Marc. capit. 5. beati inquit qui persecutionem patiuntur propter iustitiam quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Et Actor. 1. eritis mihi testes in Hierusalem, &c. Si ergo hi discipuli in persecutione positi, Christum negassent ore: etiam si confiterentur corde, fuissent testes mendaces & falsi. Testes autem mendaces peribunt vt Salomon testatur Prouerbio. 21. Nullo ergo modo ob quamlibet persecutionem

Lib. 6 hist. eccl. 26. Error eorum qui dicebant mente morte posse te Christum negare.

Sapi. 1.

Rom. 10.

Mat. 5.

Act. 1.

Prou. 21.

nem licet Christum negare ore, quantulibet teneatur corde, sed præstat tolerare mortem quàm negare veritatem, vt sit verus martyr hoc est, testis. Id enim sonat martyr Græcé, quod latiné testis.

[Vl 11.q.3 nolite timere. & de consecr. d. 4. baptismi vicem.] ¶ Non igitur erubescas profiteri cum necesse fuerit nomen Christi coram hominibus, & si apud illos sit inuisum & execrabile si vis vt ipse profiteatur te, quum prolata fuerit eius maiestas coram Angelis Dei. Non enim est vnde erubescamus omnes nos de fide nostra, & si aliquando crux Christi maximum scandalum fuit Iudæis: quoniam & si homo visus fuit hominibus Christus atque ex infirmitate crucifixus: eius præclara gesta, eius vita gloriosa, patris & Spiritus sancti manifesta testimonia, Ioannis præconium aliaque innumera signa satis probarunt eum esse verum Deum. [Abac. 3.] Erat enim dum viuebat in hoc mundo miseriarum atque ærumnarum pleno, sub carnis infirma natura abscondita fortitudo eius: & cum in cruce à patre cœlesti omnino destitutus atque derelictus videretur, cornua tamen in manibus suis, quibus de hostibus suis triumphauit, tenebat. [2. Timo. 1.] Non ergo est quare erubescamus vt Paulus admonet, testimonium Domini nostri, neque probra eius: imó potius gloriemur atque quæ in aurem audiuimus publicé prædicemus. [Imagines va. max.] ¶ Mos Romanis erat, cum aliquis de familia efferebatur vt in funeris pompa omnes maiorum suorum imagines, quas in armarijs asseruabant, efferrentur: statuæque illorum in atrijs erant collocatæ: vt iuuenes, maiorum suorum virtutes ante oculos semper haberent: à quibus degenerare turpissimum esset. Quando igitur omnes nos maiorum nostrorum exempla habemus, hoc est, Apostolorum omnium [Exod. 25.] innumerorumque martyrum, inspiciamus & faciamus secundum exemplar quod nobis monstratum est. Non negemus Christum vel ipso ore cum Petro: sed confiteamur publicé cum latrone: agnoscamus illum hic apud homines, vt ab illo agnoscamur coram Angelis Dei. Sin autem par pari referet. Neque enim agnoscemur ab illo coram Angelis eius. Quando vero ad hanc professionem teneamur docet Doctor sanctus. 22. quæsti. 3. articu. 2. [D. Tho.]

¶ *Omnis qui confessus me fuerit coram hominibus, &c.* Lege quæ in hunc locum annotauimus Matthæ. 10. ad literam.

[Redditur causæ ob quas Dñs voluerit à nobis confiteri etiã cum vitæ periculo.] ¶ *Omnis qui confessus me fuerit coram hominibus, &c.* Non sine magna causa putandum est voluisse Deum vt omnes etiam cum vitæ periculo & discrimine, cum opus esset illum publicé profiteremur. Imò verò multis de causis à nobis hoc professionis opus exigit olimque à martyribus postulabat. [1. causa.] ¶ Prima vt martyres Christum profitentes, tyrannosque cæterosque infideles ad fidem trahentes, vindictam atque vltionem de dæmonibus homines decipientibus sumeret omnipotens. [Nu. 33. Orig. ho. 17.] Vnde Origenes explicans locum illum Nume. capi. 33. in Dijs eorum exercuerat vltionem ait: sunt quidam qui dicuntur dij siue in cœlo, siue in terra, Apostolus ait: sed & in Psalmis dicitur: Quoniam omnes Dij gentium dæmonia. Non ergo simulachra, sed dæmones, qui simulachris assident, Deos dicit in quos fecit Dominus vindicta. Sed velim requirere quomodo Deus vindictam faciat in dæmones, cum vtique vindictæ dies & iudicij nondum aduenerit. Sed hanc ego puto in dæmones esse vindictam, cum is qui ab illis deceptus fuerat vt idola coleret, per verbum Domini conuersus, Dominum colit, & ex ipso opere conuersionis, in eum vindicta qui deceperat, datur. Quantis eos putatis agi tormentis, si quem videant secundum verbum Domini, tollere crucem suam & sequi Christum? Hæc ille. Profiteamur ergo Christum cum necesse fuerit apud homines etiam cum vitę discrimine: vt in dęmones Deus verus vltionem condignam faciat. [2. causa.] ¶ Secunda vero causa ob quam Dominus à martyribus hanc publicam fidei professionem requirebat, ea erat: vt hac fidelium conuersione & confessione ostenderet Dominus virtutem suam, ostenderet mirabilia sua, osten

stenderet gloriam suam: cum ille solus etiam diabolo mundoque renuentibus ad se homines idolatras impios & scelecratos ad fidem suam traheret: qui nullo mortis timore correcti, illum esse verum Deum profiterentur, illum inuocarent, colerent atque laudibus efferrent. Atque hoc mysterium erat quod olim Regius vates Psalmo.76. in hunc modum canebat. Quis Deus magnus sicut Deus noster? Tu es Deus qui facis mirabilia. Notam fecisti in populis virtutem tuam, redemisti in brachio tuo filios Iacob & Ioseph. Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt & turbatæ sunt abyssi. Multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes. Quasi diceret his verbis: Ecquis est, vel vbi est, Deus aliquis inter omnes qui dicuntur vel existimantur dij, verè magnus in omnibus, sicut tu es verè in omnibus magnus Domine Deus noster, magnus in potentia, magnus sapientia, magnus bonitate, magnus misericordia, magnus in iustitia, magnus in duratione, magnus in imperio, & in omnibus sic magnus vt maximus? Tu es Domine, qui solus tuæ virtutis potentia operaris opera verè miranda, quæ omnem excedunt humanam virtutem, ac totius naturæ superant facultatem. Inter cætera autem quæ fecisti mirabilia, vnum hoc admodum spectabile est, & sempiterna memoria recolendum, in quo manifestasti coram omnibus populis virtutem omnipotentiæ tuæ, quando in manu valida & brachio extenso, hoc est, in filio tuo, redemisti & eripuisti de seruitute diaboli, quos ab æterno elegeras, nempe filios filij tui qui est verus Iacob verusque saluator Ioseph. Viderunt te aquæ, hoc est, populi Deus, viderunt te aquæ, viderunt populi miracula tua, audierunt Euangelium tuum, & timentes te, pœnasque æternas illis comminatas nisi ad se & ad te redirent turbatæ sunt abyssi, conturbatæ sunt peccatorum conscientiæ & clamauerunt ad te: confessi sunt te verum Deum rerum omnium conditorem atque iustorum remuneratorem: non erubuerunt profiteri nomen tuum coram hominibus. tunc audita est multitudo sonitus aquarum: auditi sunt populi fideles personantes laudes tuas confitentes atque dicentes, quæ vidimus, quæ audiuimus, quæ manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, non possumus non loqui. Tunc vocem dederunt nubes. tunc, inquam, apostoli cæterique Euangelici concionatores qui sicut nubes per totum terrarum orbem volabant, apud omnes gentes vocem dederunt confitendo sine timore te, profitendo contemptis flagris, exilio, omnique tormentorum genere, morte denique ipsa, nomen tuum vt hac publica professione & electi conuerterentur, & maiestas, virtus, gloriaque tua magis ac magis in dies apud omnes homines resplenderet. Igitur & nos posthac gloriemur cum Paulo libenter in infirmitatibus nostris, hoc est, in persecutionibus, in martyrijs in cruce, & ærumnis multis: vt nostra animi constantia manifestetur in nobis aliàs infirmis, virtus, maiestas, gloria & potentia Christi. Hanc enim ob causam præcipit nobis in hoc loco vt illum apud homines sine metu aliquo cum necessitas se obtulerit profiteamur. Mitto modo alias causas quæ suo loco dicemus.

Psal. 76. expouitur locus.

1 Ioa. 1.

2 Cor. 2.

¶ *Quicumque confessus me fuerit coram hominibus & filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei.* Tali profectò honore digni fiunt qui Christum apud homines profitentur morte propter eum contempta. Quare de istorum martyrum singulis explicare possumus Psalmum illum.109. aliàs Christo martyrum capiti dicato. Martyres enim & Reges & sacerdotes in libro Apocalypseos appellantur, fecit (inquiunt) nos regnum & sacerdotes. Cum ergo quæ capiti Christo ad verbum conueniant de membris eius aptè dici soleant: dicamus ergo & nos singulis illorum *dixit Dominus Deus Domino meo*, hoc est Laurentio, aut Stephano, aut cuiuis alio, *sede à dextris meis*, sede in hoc regno cœlesti cum Angelis beatis nam profiteor coram

Quo honore digni sint qui cófitentur Christum coram hominibus

Psal. 109. explicatur mystice de martirib.

Apoc. 1. b

ram illis to apud homines me professum fuisse. *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. Idest donec impios dæmones atque sæuos tyrannos collocem in inferno: ibique sint sub pedibus tuis, tanquam scabellum pedum tuorum. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion*. Potestatem enim gloriæ martyrum declarauit Deus per multa miracula celitus atque diuinitus edita: idcirco subiungit vates. *Dominare in medio inimicorum tuorum*. Martyres enim quam plurimi hodie venerantur, atque maxima religione coluntur, vbi Deum profitendo, morti à tyrannis traditi sunt. *Tecum principium*, hoc est, tecum fuit Christus, qui principium est rerum omnium. *In die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum*. Idest, in die qua cum splendentibus sanctis atque inter illos gloria cœlesti donatus es. *Ex vtero ante luciferum genui te*. Hoc est, ab occulto prædestinationis proposito definiui te in filium charissimum eligere, hæredemque regni cœlorum instituere. *Iurauit Dominus & non pœnitebit eum*. Idest, firmiter disposuit atque stabiliuit Dominus hoc quod sequitur. *Tu es sacerdos in æternum*. Idest, æternum offeres Deo laudes in gentes secundum ordinem Melchisedech, idest, secundum Christi ordinem qui est verus iustitiæ Rex. His ergo alijsque honoribus afficiuntur martyres qui confessi sunt nomen Domini Iesu. Sedent à dextera Christi, conculcant tyrannos suos. Innumera miracula edunt, celebrantur laudibus vbi pro Christo interempti sunt. Exhalata ab ergastulo corporis anima Christi manibus in cœlum transfertur, vbi gloriosa & splendens inter splendidos sanctos collocatur atque inter electos Dei filios hæres Regni cœlorum constituitur: vt æternas laudes Deo offerat. ¶ In libro Hester sacra narrant eloquia quod cum præsente Rege Assuero annales priorum temporum legerentur: ac ventum esset ad illum locum vbi scriptum erat: nuntiasse Mardochæum insidias Bagathan & Thares Eunuchorum: Regem Assuerum iugulare

Vi. glo. in sensu morali.

Hester. c. 6. figura.

A cupientium: interrogauit Rex: quid pro hac fide honoris ac præmij Mardochæus consecutus est? Dixerunt ei ministri eius. Nihil omnino mercedis accepit. Atque tunc temporis ingredienti Aman rogauit rex. Quid debet fieri viro quem Rex honorare desiderat? Homo (inquit ille) quem Rex honorare desiderat debet indui vestibus regis: & imponi super equum qui de sella Regis est: & accipere regium diadema super caput suum: & primus de regijs principibus & tyrannis

B teneat equum eius: & per Plateam ciuitatis clamet: & dicat: sic honorabitur quemcumque Rex voluerit honorare. Quæ omnia ad verbum facta sunt cum Mardochæo. Mardochæus ergo iste typum & imaginem gerit singulorum martyrum: qui, volentibus dæmonijs, ac satellitibus eorum, Deum in animis fidelium iugulare: forti constantique animo illis publice resistunt, confitendo eum solum esse verum Deum, idola vero esse argentum & aurum opera manuum hominum: omnesque Deos gentium esse dæmonia. Interrogat ergo rex cœlestis An-

C gelos suos. Quid pro hac fide honoris ac præmij iustus iste consecutus est? Nihil (inquiunt) nisi carceres, flagra, exilia, crucem denique. Dignis ergo. Honoribus eum Rex cœlorum, dignisque præmijs in cœlesti patria remunerat: atque coram Angelis suis illum profitetur: laudumque suarum præco factus, eum diademate, ornamentisque suis insignit. Confiteamur igitur Christum, atque libenti animo mortem pro eius fide toleremus: si his honoribus condigni nos esse cupimus.

D ¶ *Qui autem negauerit me coram hominibus negabitur coram Angelis Dei*. Multi sunt qui metu persecutionis, atque timore mortis concussi Deum verum veramque eius fidem negare solent. Multi qui tormentorum pressura in professione Christi vacillant. Cuius causa in canticis clamat Ecclesia: auxilium, gratiam, fauoremque ab sponso Christo implorans ac dicens: Indica mihi quem diligit anima mea: vbi pascas, vbi cubes in meri

Constantia petenda est à Deo in persecutionibus ne timore concussi Deum negemus. Can. 1.

die: ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. Postulat ergo Ecclesia obnixeq̀ue præcatur Christum, vt indicet ei, vbi in meridie, hoc est, in tempore persecutionis tyrannorũ, pascat fideles suos, tanquam verum gregem suum: vbi cubet, ac fide viua requiescat: vt eam ab idolatria atque infidelitate præseruet: ne abire cogatur post greges, hoc est, alias gentes infideles: sodalium suorũ, hoc est, dæmonum, qui sodales esse Dei, dijque vocari ausi sunt: ne ingruente persecutione eum negare cogatur atque ad idola colẽdum aut aliquam impiam sectam profitendum trahatur. Si ergo constantes & firmi in fide esse volumus, si tyrannorum minis non succumbere, si libenter pro Christo mortem appetere, eius auxilium & adiutorium ex animo petamus. Quod si fecerimus, exaudiemur: tuncq̀ue omnibus tormentorum generibus superatis dicemus, quod Salomon ait Ecclesia. c. vltimo. Confitebor tibi Domine Rex: & collaudabo te Deum Saluatorem meum confitebor nomini tuo quoniam adiutor & protector factus es mihi & liberasti corpus meum à perditione, hoc est, à persuassione idolatriæ ne seruirem potius creaturæ quàm creatori: à laqueo linguę iniquæ, & à labijs operantiũ mendatium, hoc est, à persuasionibus philosophorum, atque hæreticorum. Et in cõspectu astantium factus es mihi adiutor, &c. Multi sanè, quod fauorem hunc cœlestem postulare instanter nolunt, miserè in plurimos errores prolabuntur: non verentes Christum negare. ¶ Petamus igitur & accipiemus, pulsemus & aperietur nobis. Exemplo sint nobis inter alios tres illi pueri in fornacem missi. Quod statuam adorare renuerunt: quod Deum regem cœlorum negare noluerunt. Deprecati enim sunt toties visceribus Dominum & misit Angelum suum de cœlo qui excussit de fornace flammam ignis. Quod si Dei opem postulare non curantes fidem abnegauerimus tyrannidis metu, ipse negabit nos coram Angelis suis: ne regis ita quiescet donec in patibulo sempiterno suspendamur, cum impio

Vi. Glo.

Eccl. vlt.

Dan. 3.

A Aman, hoc est, diabolo: qui insidias martyribus parare non cessat.

Hester 8.

¶ *Et omnis qui dicit verbum in filium hominis, remittetur illi: ei autem qui in Spiritum sanctum blasphemauerit non remittetur illi.* Quasi vellet his verbis dicere Dominus: Scio huius corporis infirmitatem multis futuram offendiculo: sed culpa, quæ vel ab humano proficiscitur errore, vel ab imbecillitate naturæ, quanuis atrox fuerit, tamen facilè cõdonabitur. Proinde quod me vocant Samaritanum, vini potorem, amicum publicanorum, & Iesum fabri filium, facile remittetur si illos pœniteat. Est enim conuicium cui locum dedit corporis imbecillitas. Cæterum qui conuicium dixerit in Spiritum sanctum, per quem Deus operatur hæc miracula, quoniam destinata malicia repugnat gloriæ Dei sciens ac volens, non inueniet veniam nec in hoc seculo neque in futuro. Me vident hominem, dormientem, esurientem, videbunt & morientem: ignosci potest, si quid in me dicunt, quod in hominem potest competere. Cæterum quod inuidia corrupti tribuunt ea facta spiritui beelzebub, quæ sciunt esse virtutis diuinæ, & Deum fraudantes sua gloria: & in impios dæmones transferentes quod Dei est: hæc nimirum est diabolica malicia, quæ ideo non impetrabit veniam à Deo, quamquam ad miserendum omnibus peccatoribus propensissimo, quia nescit pœnitere. ¶ Cæterum de peccato in Spiritum sanctum multi multa disputant quæ passim reperies, inter quos est magister. 2. lib. senten. distin. 43. atque Doctor sanctus. 22. quæstio. 14. quorum sententiam super vacaneum esse duxi impresentiarum referre. Quæ vero magis ad rẽ facere mihi videntur scribere libet. ¶ Primum ergo annotandum hic est, non esse quare peccator quãtumuis maxima diabolicaque malicia affectus de Dei pietate & misericordia diffidat. Potest enim dum in hoc mortali corpore vitam gerit de omnibus suis sceleribus veniam à Deo ad miserendum propensissimo impetrare, si pœnitere velit. Cuius rei præclaram ima-

B

C

D

De peccato in Spiritũ sanctũ. Magist. d. 43. 2. sen. & doct. ibi lege Vegã lib. 13 c. 9.

Nullũ est peccatum quod per pœnitentiã in hac vita dèleri non possit.

Leu. 25. Figura.

Imaginem habemus Leuit. capit. 25. quo in loco Moyses hanc legem tulit: vt si quis intra ciuitatem quæ muros habet domũ suam venderet, vsque ad completum annum, redimendi haberet potestatem. Finito verò anno nec redimere, nec in iubileo recuperare poterat. Cui eiusmodi lex iniusta non videretur (inquit S. Bruno.) nisi nobis mysterium aliud significaret? Hæc ergo ciuitas Ecclesia Dei est cuius platea & muri omnes, ex auro purissimo, lapidibusque preciosis sunt facti. De qua olim vates quidam aiebat: vrbs fortitudinis nostræ Siõ, Saluator ponetur in ea, murus & antemurale. Huius vrbis domus nos sumus. Quando ergo peccamus domum nostram vendimus diabolo. Vnde D. Paulus personam peccatoris agens ait. Lex quidem spiritualis est ego autem carnalis sum venundatus sub peccato. Et D. Ioan. qui enim facit peccatum seruus est peccati. Annus autem in quo redimẽdi domum potestas cõceditur tota vniuscuiusque nostrum vita præsens intelligitur. Potest igitur homo redimere domũ suam, hoc est, se ipsum quandiu vitã mortalem gerit: qua finita ius ad redimendũ se ipsum non habet. Redemptio autem in pœnitentia sita est: quare sine illa ab hac vita recedentes, nulla eis spes redemptionis remanet, nec in ipso quidem iubileo, quando vltima sententia lata, ad æternam fælicitatem transferentur electi. In villa verò, id est, extra Ecclesiã, omni tempore, redimendi potestatem habent: nam quacunque die fuerint baptizati, à peccatis omnibus Christi sanguine redimentur. Non ergo desperandum nobis est quandiu hic viuimus.

Isai. 26.

Rom. 7.

Ioan. 8.

S. Bruno, de confes. serm. 11.

Ezech. 16. glo. in sensu morali.

¶ Lege obsecro totum. 16. cap. Ezechiel. vbi ad longum enarrat Dominus innumeram multitudinem peccatorum etiã grauissimorum Hierusalem, & tandẽ vt ostenderet Dominus non esse illis desperandum cum possent quandiu viuebant ad se redire, atque pænitere, concludit: & recordabor ego pacti mei tecum, in diebus adolescẽtiæ tuæ, & suscitabo tibi pactum sempiternum. Et recordaberis viarum tuarum: vt scilicet pœnitentiã agas. ¶ Tu ergo & si grauissimis peccatis sis implicatus non diffidas, sed in memoriam reducito Domino pactum suum: ipse námque pollicitus tibi est dicens: conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos: & rursum: si autem impius egerit pænitentiam, omnium iniquitatũ eius quas operatus est, non recordabor. Nunquid volũtatis meæ est mors impij dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à vijs suis & viuat? Quauis ergo malitia sis corruptus quibuslibet scelerıbus sis astrictus, dole, ingemisce, lachrymas funde & ad Deum conuersus dicito: recordare Domine pacti tui, & tunc veniam impetrabis, tunc inquã, & si fuerint peccata tua, sicut coccinum, sicut nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, vt lana erũt. Nullum ergo peccatum est, quod secundum legem stabilitam a Deo per pænitẽtiam condonari non posũt. ¶ Quantũ verò ad peccatum in Spiritum sanctum attinet illud secundo loco annotare libet: Christum in hoc loco, & apud Matth. & Marcum peccatum in Spiritum sanctũ vocasse blasphemiam, qua, miracula diuina virtute edita, tribuebant pharisæi dæmonibus. Et huiusmodi blasphemiam intellexerunt à Christo dictam esse peccatum in Spiritum sanctum, eximij & grauissimi Ecclesiæ patres Hilarius, Athanasius, Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus. Quod quidem satis videtur expressisse Marcus cũ post illa verba Christi: qui autem blasphemauerit in Spiritum sanctum non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti, addit statim: quoniam dicebant spiritũ immundum habet. His namque verbis satis explicuit Euangelista, ideo à Christo annũtiatam rigidam illam sententiã de peccato in Spiritum sanctum, quia ipsum calumniabãtur & insimulabant habere spiritum immundum. Cum voracẽ eum, & potatorem vini, & publicanorũ amicum conuiciati sunt patienter tulit, & iniuriam in se, vt hominem illatã paulisper dissimulauit. Cum verò, vt assolet, creuit contumelia, & ad blasphemiã vsque diuinitatis peruenit, ne iniurias diuinitatis dissimulandas perinde esse, ac nostras putaremus, constanter & magnanimiter

Zach. 1. a

Ezech. 18.

Isai. 1.

¶ quid in hoc loco vocet christus peccatum in Spiritum sanctum. Matth. 12. Marc. 3.

Idẽ Dur. 2 d. 43. q. 1.

 miter

miter respondit. Ego dæmonium non habeo. Atque vt scirent quanto se reatui addixissent, vel certe vt cauerent, ne perseuerantes in ea blasphemia, eo peccatum illorum perueniret, vt nullus esset locus veniæ, subiungit quæ de peccato in Spiritum sanctum, & in hoc loco & apud alios Euangelistas præsertim apud Marcum referuntur. ¶ Cæterum quanuis indiuisa sint opera Trinitatis ad extra, tamẽ quia iustificatio, & sanctificatio nostra tribuitur Spiritui sancto miracula etiam quæ ad conuersionem nostram, & sanctificationem fiunt, tribuuntur ipsi Spiritui sancto, atque ideo & qui ea dæmoni attribuunt, meritò cẽseri possunt peccare peculiariter in ipsam personã Spiritus sancti, saltem per appropriationem. ¶ Sed neque omnis huiusmodi blasphemia peccatum est in Spiritũ sanctũ quod Christus non remittendũ asseruit si enim ex ignorantia non affectata, sic Christo & operibus eius detraxisset, non fuisset is censendus peccare in Spiritum sanctũ. Qua ratione Bernardus verissime dicit, Paulum blasphemum quidem fuisse, non tamen in Spiritum sanctum, quia ignorãs fecit, atque ideo misericordiam est cõsecutus. ¶ Et si penitus (inquit Vega) omnia hinc inde pensemus, præter hæc, vt eiusmodi blasphemia verissimẽ dici possit peccatũ in S.S. quod nũquã remittetur, fortasses requiritur certa aliqua, & magna obduratio, & obstinatio animi, & talis, ac tãta propensio ad infirmandum, & imminuendum gloriam, & claritatem diuinam, vt non facilè mortalium quispiam dicere queat, aut satis scire, quando quis peccauerit in Spiritum sanctũ. Nam quanuis huiusmodi blasphemia, si ex scientia fiat, & ex genere suo sit peccatum in Spiritũ sanctum, tamen non omnis talis blasphemia est censenda esse peccatũ in Spiritũ sanctũ quod nunquam remittetur, & incertum est, ex quanta malignitate debet procedere, vt merito credatur sine venia futura. Et quæ me, in hoc impellunt ista sunt. Primo. Apud omnes doctores video receptum, nemini Christum suam dãnationem absolute reuelasse, fuisset namq; ea reuelatio magna tentatio, & irrita mẽtum vehemens ad desperationem. Neq; igitur illis, qui dixerũt, eũ in principe dæmoniorum eijcere dæmonia, absolute reuelauit peccatum eorum non esse habiturum veniam. ¶ Item aliqui sic blasphemãtes Christũ consecuti sunt remissionẽ secundũ Chrysost. propter orationẽ Christi in cruce. ¶ Insuper. Nonnulli ex eis videntur ea ex ignorantia dixisse. Petrus nãque omnibus Iudæis indiscriminatim loquebatur, cum aiebat. Scio quod per ignorantiã fecistis sicut & principes vestri. ¶ Itẽ omnibus illis idẽ Apostolus per baptismum & pœnitentiã, remissionem peccatorum promittit, dicens: pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrũ in nomine Iesu Christi in remissionẽ peccatorũ & accipietis donũ Spiritus sancti. ¶ Preterea de nullo sic blasphemãte Christum nos auderemus dicere: Iste reus erit æterni delicti. Iste nõ habebit remissionẽ in æternum. Isti nõ remittetur hæc blasphemia, neq; in hoc seculo, neq; in futuro. Et temerarium omnino esset hæc vel affirmare vel credere. Cur autẽ trepidare deberemus, si certũ esset omnẽ talẽ blasphemiã esse peccatũ in Spiritũ sanctum. Cur non audeat seruus dicere quod constanter dixit Dñs, qui est ipsa summa veritas? ¶ Adhæc, Ecclesia orat & omnes orare debemus pro quibuscunque obnoxijs his peccatis. Quod non fieri deberet, si peccatũ eorũ sciremus esse peccatum ad mortẽ, vel in Spiritũ sanctũ. ¶ Neq; mirãdum si hoc nobis incertũ esse credamus, cũ & Aug. dicat esse aliquorũ vitã ita malã, vt nisi aliorũ meritis iuuetur, ipsa sibi nõ sufficiat ad beatitudinẽ consequẽdã, & difficilimũ esse inuenire, & periculosissimũ diffinire, quæ sint peccata, quæ ita impediunt peruentionẽ ad beatitudinẽ, vt tamen sanctorũ amicorũ meritis impetrent indulgentiã, neq; se vnquã potuisse ad eius indaginẽ peruenire, quanuis ea de re satageret, atq; ideo forte latere, ne pigrescat studium cauendi omnia peccata. Itaque quod Marcus dixit. Quoniam dicebant spiritum immundum habet, non est necesse sic accipere, quasi omnis eiusmodi blasphemia peccatũ sit in Spiritum sanctum: sed propterea verba illa

Marginalia: quare hoc peccatum potius in S.S. quam in patrem & filium dicitur. — Non omnis blasphemia peccatum est in S.S. — D. Ber. ser. de conuer. Pauli. — Incertum quousq; debeat in S.S. blasphemia pgredi vt sit æternũ delictum. — Arg. 1. — Arg. 2. — Arg. 3. — Acto. 3. — Arg. 4. — Arg. 5. — Arg. 6. — D. August. 21. de ciu. c. vlt.

illa adiecta esse, vt intelligeremus necessariam esse talem blasphemiam ad peccatum in Spiritum sanctũ, de quo Christus loquebatur. Siquidem ideo Christus sic sibi calumniãtes de æternitate delicti in Spiritum sanctum admonuisse videtur, quia illa blasphemia initium erat, ac magna progressio, & certissima via ad peccatum in Spiritum sanctum. Hæc Vega.

¶*Et autem qui in Spiritum sanctũ blasphemauerit non remittetur ei.* Addit Matthæ. Neque in hoc seculo, neque in futuro. Et Marcus. Qui autem blasphemauerit in Spiritum sanctum non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti. Quod autem hoc peccatum quodcunque illud sit, æternum fore pronuntiatur à Marco, neque remissionem habiturum, neque in hoc seculo, neque in futuro, multipliciter video à doctoribus exponi. Quibus omissis primum dico his verbis voluisse Dominum significare hoc peccatum multo minus esse ignoscibile ac venia dignum, quàm cætera peccata: solet namque scriptura, ea factu impossibilia dicere, quæ difficilimè fiũt. Et Aristoteles dicit impossibile illud quoque appellari, quod vix fieri potest. Et intemperatũ impœnitiuũ esse ait in AEthicis, nõ quidem, quod pœnitere nequeat, sed quod difficillime eum suorum vitiorum pœniteat. Et in communi hominũ consuetudine frequentissime ea dicimus impossibilia quæ factu, vel creditu sunt difficilima. ¶Verũ enim vero, cum altius mecum & maturius expendo, quæ Marcus contra hoc peccatum prolata a Christo retulit, ne vis vlla fieri videatur scripturis, germanius & simplicius putarẽ, cõcedere peccatum in Spiritũ sanctũ eiusmodi esse, vt licet remissibile sit, nunquã tamẽ remittatur. Cur enim aliás hoc vnũ delictum in viatoribus æternum dicitur? Cur de hoc solo pronuntiatur, quod non habebit remissionem in æternum, & vt apertissimum hoc sit, adijcitur, neque in hoc seculo, neque in futuro? Cur à cæteris peccatis & contumelijs contra filium hominis, imo & generaliter ab omnibus etiam alijs blasphemijs hac vna conditione distinguitur? Equidem æternum delictum dici nõ potest quod aliquãdo eluitur, & expiatur, etiam si in vtroque seculo puniatur, & difficilime ipsius indulgẽtiam quis obtineat. Et in conuicijs & maledictis contra filium hominis, & in alijs diuinitatis blasphemijs, imò & in alijs leuioribus peccatis multa sunt quæ difficillime remittuntur, vel propter grauitatẽ peccati, vel propter contemptum Dei offensi, aut negligentiã eorum, quæ pietatis & religionis sunt, vel propter diuturnam, & inueteratam in ipsis consuetudinem. Didimus quidẽ in principio libri, id est, de Spiritu sancto clarè dicit: blasphemiam in Spiritum sanctum, sine venia esse, & pœnam illius non tantum in omne præsens seculum, sed in futurum tendi. Et hoc existimat verba Christi quę modo tractamus, postulare. ¶Neque tamen quod hoc peccatum in Spiritũ sanctum, nunquam alicui remissum esse, neque remittendum asserimus, consequẽs est, vt & illud irremissibile secundum legem concedamus. Multa quippe secundum legem possibilia sunt, quæ tamen nunquam fient. Vt enim ex multis vnum, aut alterum exemplum proferamus, poterit quidem Antichristus & potest quiuis reprobus, dum est in hac vita, secundum legem saluari. Certi tamen sumus per autoritatem Ioannis neminem ingressurum in ciuitatẽ Dei, nisi qui scriptus est in libro vitæ. Et possunt qui scripti sunt in libro vitæ, quandiu hic viuũt, secundum legem condemnari, certi tamen sumus, id nunquam futurum. Et ne hæc verba tam aperta, vt peccatũ in Spiritum sanctum æternum, & nunquam habiturum remissionem dicamus, legẽ existimemus à Deo contra illum latam, docet nos huius status lex, quæ huic legi repugnat. Idẽque monent apertissima quę superius citauimus testimonia, vt omnia peccata huius vitæ remissibilia esse monstraremus: aliaque innumera quę inuenire quisque poterit. Hæc ex Vega lib. 13. c. 9. de iustificatione. ¶Caueamus ergo ne obstinata malitia in profundum malorum venientes, Deum contemnamus, atque in eam blasphemiã incidamus quæ non remittitur, neque in hoc seculo, neque

Quo sensu peccatum in Spiritũ sanctũ dicatur irremissibile.

5. Meta.

Peccatũ in Spiritũ sanctũ nũquã remittitur & si remissibile sit.

Didimus.

Apoc. 21.

Vega.

que in futuro. Precemur eum, si in abyssum peccatorum immersi sumus, vt nos ex b i san conuertat, hoc est, ex peccatorū confusione: conuertatque nos, blasphemos desperatissimos, in profundum maris, vel malorum, inclusos. Precemur, inquam, vt educat nos vinctos in fortitudine, & eos qui exasperant qui habitant in sepulchris. Emittatque verbum suū quo liquefiat cristallum, hoc est, cor nostrum frigidissimum.

Psalm. 67. Vt Aug.

Psal. 147.

¶ *Cum autem inducent vos, in synagogas & ad magistratus, & potestates, nolite solliciti esse qualiter, aut quid respondeatis, aut quid dicatis. Spiritus sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere.* Non ergo mirum erat, quod Apostoli cæterique martyres, non vererētur conspectum magistratuum & principū, cum ad illos pertrahebantur: quādo Spiritus sanctus illis gladium ancipitē, hoc est, sermonem suppeditabat, quo non solum se defendere, sed illos vincere facile possent. Hij sunt gladij illi de quibus olim regius vates prædicebat: & gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, &c. Fræmebant gentes, & populi meditabantur inania aduersus Dominum & aduersus Christum eius. Dirumpamus (dicebant) vincula eorum & proijciamus à nobis iugum ipsorum, hoc est, à nobis à totoque vniuerso obedientiam debitam vero Deo, atq; Christo eius auferamus. Iugum etiam legis eius, facile, & leue, non feramus. Quod vt fiat, discipulos suos pertrahamus ad synagogas nostras, ac delati de magnis criminibus, occidantur, lapidentur, atque omnino pereant. Sed qui habitat in cælis irridebat eos, & Dominus subsanabat eos. Nam suppeditabat suis, gladium ancipitem verbi sui, quo illos vincebat, ad fidemque suam pertrahebat. Ideo enim Spiritus sanctus gladium hunc Apostolis suppeditabat, vt illo reges & principes deuicti vinculis mandatorum Dei ligarentur, ab infirmis & cōtemptibilibus huius mūdi, quos elegit Dominus vt fortia quæque confunderet: deditq; eis frameas bisacutas, vt ad Christi timorem nobilium corda conuerterent: & seculari nobilitate contempta paupertatem eligerent, nobilitatemque Christianæ religionis. Voluit enim Dominus prodesse imperatori de piscatore, non piscatori de imperatore. Ob hanc igitur causam non vult Dominus in hoc loco, vt sui cū pertracti fuerint ad magistratus, faciant quod vulgò reorū solet, qui soliciti sunt, quid respondeant, aut quid loquantur, quo possint elabi è causa. Sed præcipit, vt dent hoc publicæ potestati, vt vocati sine aliquo terrore compareant. Ne soliciti sint vt meditata oratione se ipsos defendant, cum Spiritus sanctus tunc temporis sit illis os & sermonem cui nō possint resistere aduersarij, suppeditaturus.

Non mirū est quod martyres non vererentur cōspectū principū quando Spiritus sanctus illis gladiū ancipitem quod est verbū Dei suppeditabat.

Psal. 149.

Psalm. 2.

Vid. gloss. Psal. 148.

¶ Intuebatur regius propheta Dei Apostolos ore Dei loquentes, atque hoc gladio spiritus tria inimicorum genera, hoc est, Iudæos, Philosophos, & tyrannos nō præmeditata oratione, sed in virtute spiritus conuincentes, & dicebat in Psalm. 8. ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, vt destruas inimicum & vltorem. Quo in loco intelliguntur per inimicos & vltores, Christianæ fidei persecutores: qui dolentes de Christi Domini cultu & gloria, conati sunt vltionem facere & vindictam, siue euacuatæ legis, siue contēptæ & conculcatæ idolatriæ, siue dissipatæ humanæ mundanæque sapientiæ. Ideo Iudæi pertrahebant eos in synagogas suas, tyrāni in tribunalia sua, sapiētes verò in gymnasia sua, sed nihil illis profuit, nā ex ore illorum aliàs infantium & lactentiū nescientium ornate & acutè loqui perfecit Deus laudem suam dando illis os & linguam cui non possent aduersarij resistere. Sed de hoc vide infra. c. 21. in illa verba ego dabo vobis os & sapientiam, &c.

Psalm. 8. Exponitur locus.

¶ *Ait autem ei quidam de turba, magister dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem. At ille dixit ei. Homo quis me constituit iudicem, aut diuisorem supra vos?* Quemadmodum terror iudiciorum nonnullos transuersos abducit à synceritate professionis Euangelicæ, ita multos pecu-

pecuniæ studium corrumpit. Vt igitur & hunc affectum penitus eximeret Dominus ex animo discipulorum, quemadmodum paulo ante exemerat terrorem iudiciorum, velut humilem & indignum aggressis cæleste negotium, oblatum est ei hoc argumentum, per quod ita fierit. Cū enim esset frequentissima turba circa Iesum, neque quisquam ante hac, rem tam humilem ausus fuisset ab illo petere, quidam dixit illi. Magister frater meus occupat hæreditatem communem, ac tergiuersans prorogat partitionem, hic mihi succurrat tua autoritas. Dic mihi vt mecum diuidat hæreditatem. Iesus autem velut indignans, quod à negotio cælesti, ad carnales ac sordidas curas interpellaretur simul interim docens suos nō oportere implicari negotijs profanis, ac sordidis, eum qui gerit munus Apostolicum, respondit: homo, qua fronte me interpellas aduersus fratrem tuum de re tam minima ac humili, hoc est, de diuidenda hæreditate? Quis me constituit iudicem inter vos dissidentes de re leui ac mox perituras? Aut quis me vobis dedit diuisorem hæreditatum? An mundus hic nō habet iudices, qui lites tam humiles dirimant? & si mihi fas esset de his minimis iudicare, cum rex sim, habens vtrūque gladiū, & temporalem & spiritualem: nolo tamē quemadmodum enim non decet reges, & imperatores, de minimis iudicare: sed solū de rebus negotijsque grauioribus: minima autem iudicibus inferioribus definienda committunt: sic non decet meā grauitatem & autoritatem, curare, vt hic aut ille ditescat hæreditate: res sanē à me delegata principibus & iudicibus huius mundi: sed vt omnes perueniant ad hęreditatem vitæ immortalis. ¶ Non ergo necesse est hoc testimonio colligere (quod conantur aliqui) Christum Dominum non habuisse potestatem iurisdictionem que temporariam qualem habent mūdi principes, sed habuisse solum spiritualē: nam vt aliqui existimant vtramque habuit: atque aliquando temporaria vsus est: sed illa vti communiter noluit: quod non deceret eius maiestatem de rebus tā minimis, qualia sunt negotia profana,

Non colligitur ex hoc loco Christum nō habuisse potestatem tēporalem qualem habēt reges terræ.

A agere: in eisque definiendis tempus consumere. Quod vt ostenderet ait: quis me cōstituit iudicē inter vos? Quita alla nome metays en essas niñerias: quié me mete a mi en essas pocas cosas? Hoc idem verē respondere possent reges si res minima & sordida ad illos definienda deferretur. Vide quæ annotauimus Matth. 2. in illa verba, vbi est qui natus est rex Iudæorum? Ad literam. Quo in loco Christum esse regem & temporalem & spiritualē ex sententia aliquorum ostendimus.

B ¶ Cæterum docet hic locus peculiariter Ecclesiæ prælatos, ne se implicent negotijs prophanis, vt superius tetigimus. Hoc idem docet clarioribus verbis Paulus in posteriori Epistola ad Timot. c. 2. Labora sicut bonus miles Christi Iesu. Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus: vt ei placeat, cui se probauit. Labores atque afflictiones multas ferre oportet præsules Ecclesiæ, intelligentes quod si milites huius mundi prohibetur à iure ciuili, atque é disciplina militari negotiari: multo magis hoc decet milites

Non decet Ecclesiæ prælatos se implicare negotiis prophanis. 2. Tim. 2.

C Christi. Negotia enim secularia auaritiæ seruiant necesse est. Labora (inquit) sicut fidelis miles. Et tamen Episcopus erat cui hæc mandabat Apostolus. Laborem mandat sed spiritualem, afflictiones tolerare iubet, sed propter negotiū Euangelij. Ignauis autem militibus (quod dici solet) semper sunt feriæ. Messis licet multa sit, operarij autem tam pauci sunt, vt vix inueniantur. Imo, (si per Christum liceat verba immutare) messis quidem iā pauca: multi autem qui ingrediuntur in alienos labores. Quoniam illud non le-

Ioan 4.

Matt. 20.

D gerunt: quæ non posuisti non tollas. Ipsi sunt qui cū tota die in foro steterint ociosi, priores volunt mercedem accipere. Atque vtinam vel horam in vinea Dei impenderint. Qui cum positi sunt vt fructū afferant: ab alijs parta diripiunt. Hi sunt operarij iniquitatis, quibus bonarum literarū studia insuauia, & in fastidio sunt. Et nunc excusant valetudinem, nunc rerum domesticarum occupationes: nonnunquam hiemis rigor, aliās æstatis feruor obstat. Si facultas desit, negant pauperem posse philosophari. Si iuuenis sit, negat

Ioan. 15.

negat ætatis florem curis senilibus esse absumendum: si senex veró, valetudini ait esse parcendum. Mirabile profectò dictu. Qui sunt ergo illi, de quibus idē Paulus ait: vt duplici honore digni habeantur? Et quod magis mireris, messis tempore nemo ait: rogo te habe me excusatum. Verumtamen nemo qui fideliter militat Deo, implicat se negotijs vitæ seculi huius. Exemplum Christi sequens, qui ait: quis me constituit iudicem supra vos?

2.Tim.5.

Luc.14.

¶ *Dixitque ad illos. Videte & cauete ab omni auaritia, quia non in abundantia cuiusquam, vita eius est, ex ijs quæ possidet.* Vel, non in eo quod superest cuipiā vita eius est: id est, nullius vita opus habet eo quod illi superest, aut vt illi supersit aliquid. Græca sic habent. Quia non in eo, vt supersit cuipiam, vita eius est, ex facultatibus ipsius. Sed hoc pacto est hyperbaton, cuius sensus est vitam nō opus habere superfluis. Alij sequuntur veterē interpretem. Quasi dicat: non propterea quis viuit diutius, quod amplas habeat facultates. ¶ *Videte & cauete ab omni auaritia.* Hic incipit Christus exemplo huius interpellatoris dehortari à studio diuitiarum nō quod per se malè sint, sed quod in his præcipuum vitæ præsidium ponere, & harum studio reuocari ab his, quæ pertinent ad æternam fœlicitatem, stultitia sit. Etiam atque etiam (inquit) cauete, ab omni confinio auaritiæ, frequenter enim sub prætextu necessitatis, ac prouidentia obrepit triste vitiū, quod semel admissum abducit hominē in omne dedecus. ¶ Non immerito Dominus suos ab auaritiæ studio reuocare contendit: cum certo sciat Deum irasci maximè hominibus auaris, atque studio immoderato pecuniarum deditis. Ira (inquit ipse) magna irascor ego super omnes gentes opulētas. Et rursum apud Isaiam ait: propter iniquitatem auaritiæ eius iratus sum & percussi eum. Et alibi. Ad iracundiā prouocauit me Ephraim, hoc est frugifer & diues. Ideo eiusmodi hominibus Iacobus ait: thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus. nescit homo ille misęr cum thesauro pecuniæ thesaurum irę pariter cumulari, vt gloss. ibi docet. ¶ Atq;

Auaris Deus irascitur.

Zach 1.
Isai. 57.

Osee. 11.

Iacob. 5.

Gloss.

A iure optimo Dominus in huiusmodi homines auaros incandescit. Tū, quod hoc vitio affecti misericordiam quam Dominus maximo amore prosequitur, ab ædibus suis fugant. Tum etiam, quod hi tam paruifaciant Deum conditorem atque redemptorem suum: vt vel obolum pluris æstiment quàm illū. Quod enim pro obolo comparādo libenter facere solēt, minime pro Deo sibi acquirendo facere volūt. Tum denique, quod vno Deo suo contempto, pecunias tanquā veros Deos colant. Israel, inquit Oseas, secundū multitudinem fructus sui multiplicauit sibi altaria. Quod si hæc ita sunt, vt verè sunt, meritò in hoc loco dehortatur nos Dominus ab studio diuitiarum. ¶ *Videte et cauete ab omni auaritia.* Etiam atque etiam cauere hortatur Dominus ab omni auaritia, non solum quod illi tam inuisa, atque odiosa sit ob rationes quas modo retulimus: sed quod cæteris hominibus maxime sit nociua. Ex hac impia fera lites innumerę bellaque crebra oriūtur. Vnde in vobis bella & lites (ait Iacobus) nisi ex concupiscentijs vestris? Quietissimè (inquit Seneca) viuerent homines, si hæc duo pronomina, de medio tollerentur, meum & tuum. ¶ Ex hac scelerata venenoque infecta bestia, homicidia quotidie proficiscuntur. Nō sine mysterio impius fratricida Cain sic appellatus est à parentibus. Cain, enim, idem est, quod Latinè possessio. Fili mi (inquit Salomō) si te lactauerint peccatores non acquiescas eis, si dixerint veni nobiscum & insidiemur sanguini. Et vt intelligeremus huius sceleris causam addit: omnem substantiam pretiosam reperiemus, implebimus domos nostras spolijs. Sortem mitte nobis cum marsupium vnum sit omniū nostrum. ¶ Ex hac sequuntur rapinæ. Venatio Leonis (ait Sapiens) onager in eremo. Sic pascua diuitum sunt pauperes. ¶ Auari neque Deo, neque homini fidem seruant. Non Deo: nam illorum est vox illa hic est heres venite occidamus eum, & habebimus hæreditatē eius. Non homini. Nescierunt facere rectum (ait Propheta) thesaurizantes iniquitatem. Hinc filij studio & auiditate pecuniarum, parentum

quare Deus incandescit in auaros.

B

Oseæ. 10.

Auaritia nocet proximis, ideo cauenda.

C

Iacob. 5.
Seneca.

Prou. 1.

D

Eccles. 13.

Matth. 21.
Amos. 3.

tum mortem exoptat: hinc vendidit hic auro patriam, ille vero fratres, atque consanguineos, in ius iniustè trahit. Hinc mẽdacia, periuria aliaque sexcenta proficiscuntur mala. Quare non sine magna causa hortatur in hoc loco Dominus ab illa tanquam à peste cauere. Et vt id nobis altius Dominus infigeret, adiecit similitudinem, ad quam suum quisque nostrum affectum exigeret, atque examinaret.

¶ *Dixit autem similitudinem ad illos, dicens: hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit.* ¶ Mecum hic primum considera, quanto odio Deus homines auaros prosequatur: quod eos suis nominibus vocare non vult: quod solemus facere cum in aliquem incandescimus. Hinc etiã fuit quod apud hunc eundem Euangelistam legimus, cap. 16. Noluisse diuitem epulonem suo nomine appellare: cum tamen non dedignaretur pauperem & mendicum, Lazarum vocare. Atque de hoc minime mirandum nobis est. Nam diuitibus cura est vocare nomina sua in terris suis, vt Psalmista canit. Quare Dominus nõ vult memor esse nominum illorum per labia sua. Nomina enim quæ in parasitorum, atque adulatorum, hominumque contemptibiliũ ore versantur, dedignatur Dominus ore suo mundissimo ac sanctissimo pronuntiare, atque proferre. Sicut enim nemo nostrũ ori apponere dignaretur poma porcorũ rostro contaminata: sic Dominus nõ dignatur istorũ nomina, sordidorum hominum ore lutulento fœdata, clara voce proferre.

(Quare auaros non vult Deus suo nomine vocare. — Luc. 16. — Psalm 48. — Similitu.)

¶ *Quid faciam quia non habeo quo congregem fructus meos?* Si charitatem auarus iste adhibuisset in consilium, cum sic æstuaret animo, dixisset illi, circunspice, quàm multis desit quod tibi superest. Agnosce cui debeas, etiam istam anni tui fertilitatem ac fœlicitatem. Sortem indulsit Deus, vnde colligas vsuram operum cælestium. Permuta fluxa bona perẽnibus, terrena cælestibus, humana diuinis. Ita lucro fuerit tua liberalitas. Sed quoniam stultitiam & ignorantiam maluit adhibere in cõsilium, huius impulsu dixit apud se quæ sequuntur in Euangelio.

(Charitas consulit quid diuiti faciendum.)

A ¶ *Quid faciam?* Quis non misereatur sic miseꝛè curis obsessi, inquit Basilius? ipsa fertilitate miser erat ac timidulus. Miserabilis præsentibus & paratis bonis, miserabilior ob ea quæ adhuc expectabat. Non enim prouentus annui fruitionem ex terra ferebat, sed fletus & suspiria: non fructuum copiam, sed curas & dolores & graues anxietates sibi colligebat. Peræque enim, ac egestate pressi, miser afflictatur, & eiulat. An non talis modi edit vocem, cuiusmodi solet qui angustia B pressus mendicat? Quid faciam? Alimenta vnde? Vnde indumenta? Hæc secũ submurmurat, ac loquitur diues: cor per hęc mœrore cõficit & afflictat, dum estur anxia solicitudine. Cæteros enim quod assolet lætitia perfundere, id macerat ac liquefacit auarum. Ex his enim omnibus, quibus domi plenissime affluit, nihil decerpit gaudij: quin ipsæ potius vndique affluentes diuitiæ, & quarum diffusionẽ non capiunt promptuaria, punctim eius extimulant animum ac lancinant, ne ad externos fortè, vel transcursim aspiciens, C in egenos cogatur nõnihil conferre subsidij. Hæc istius animę misera affectio mihi planè videtur nihilo dissimilis voraci gulæ helluonum, qui ingluuie disrumpi malint, quàm vt vel tantillũ ex reliquijs in inopes conferant. Agnosce ô homo eũ qui dedit. Fac memineris tui ipsius, tu quis, quid item dispenses, à quo acceperis, qua item gratia tam multis sis prælatus. Dei optimi minister es, tuorum dispensator conseruorum. Ne puta omnia ventri tuo præparari: quę in manibus habes, vt aliena existima, paruo te exhilarabunt tempore, deinde diffluentia præ- D teribunt, quorum ratio à te acriter exigetur. Tu autem omnia simul portis & repagulis retines, interclusa, iisque signaculis obsignatis, & colligatis aduigilas anxius. Ex te ipso captas consilium? Plane imprudenti vteris consiliario. *Quid faciam?* Parata tibi responsio fuerat: esurientium animas explebo, aperiam horrea, & omnes vocabo egenos: imitabor Ioseph præconio exhibitæ hominibus benignitatis celebrem: vocem emittam magnificam. Quicũque panibus egetis, venite

(D. Basil. Diues impius, miser est ipsa bonorum fertilitate.)

venite ad me singuli participes futuri quod satis fuerit, gratiæ à Deo mihi collatæ quasi prosilientis è cõmunibus fontium scatebris. At nõ tu talis. Vnde enim tu qui rerum commoditatem vsumque inuides hominibus, improboque tecum ignito consilio solicitus es, non quo pacto cuique ea quę necessaria ad vitã sunt, dispertiaris: sed quonam modo omnibus ad te retractis, omnes eorum priues vtilitate. Præsto erant, qui animam illius, é corpore exigerent, & ille cum anima de escis loquebatur. Eadem illa nocte auferenda erat illi anima, & ille multorum annorum delitias sibi ipsi imaginabatur. Permissum illi est, quiduis consultandi, animique sui sententiam exprimendi, vt competentem suo proposito sententiam acciperet. ¶ Caue ne idem quoque tibi vsu veniat. Hoc namque ideo scriptũ est, vt simile quid vitemus. ¶ Imitare ô homo, vel terram: vt illa fructus proferto, vt ne illa conspiciaris esse deterior, quæ inanimis est. Sané illa non in suum vsum aut commodum, sed in tuum ministrare contendit. Tu autem qué debueras ostẽdere beneficentię fructum, illum tibi ipsi congregas? Nam benefactorum gratię, in dantes reuertũtur. Dedisti esurienti? Tibi consuluisti: quod dedisti, ad te cum auctario reuertetur. Quemadmodum enim frumentum in terram cadens, lucrum proijcienti parit: sic & panis in esurientem proiectus, multam in posterũ tibi reddet vtilitatem. Sit agriculturæ tibi finis, initium sementis cælestis. Seminate, inquit, vobis ipsis in iustitia. Quid igitur te infœlicem reddis? Quid affligeris luto & lateribus diuitias claudere cõtendens? Melius est nomen bonum, quã diuitiæ multæ. Si autem diuitias ob honorem inde prouenientem admiraris, considera quanto ad gloriam magis faciat multorum filiorum parentem appellari, quàm mille stateres in marsupio repositos habere. Pecuniam enim hic, vel nolens relinques: honorem verò ex benefactis ad Dominum referes: quando populus omnis communem iudicem circunstans, te & nutritorem & in inopes beneficum, & demum omnibus quæ ad humanitatem pertinent nominibus appellabunt. Nõne vides quosdam in theatris pancratiastas, & mimos, & cum feris certãtes quos spectare quis abominetur, pro breuis temporis honore, ac populi plausu pecuniam prodigentes: tu autem tam parui es animi, vt ad sumptus perpetuam tibi gloriam parituros cuncteris? Deus est, qui recipiet, & angeli collaudabunt, homines quotquot ab ipsa mundi creatione fuerunt, beatum te prædicabunt. Pręterea, gloria sempiterna, corona iustitiæ, regnum cælorum premia tibi ob harum rerum corruptibilium administrationem erunt: quę tu nihil ducis. Sed nunc audiamus quod inijt miser iste consilium.

Cauenda auaritia & amplexanda misericordia, quoe pluribus ostenditur.

Osee 10.

Prou. 22.

¶ *Et dixit: hoc faciam. Destruam horrea mea.* Illi ego sané dicerem, benefacis. Nã iniquitatis horrea proculdubio digna sunt quæ diruantur. Euerte miser tuis ipse manibus quod male ædificasti. Solue horrea, vnde nullus vnquam solamen vllum consecutus est. A fundamentis excidito auaritiæ custodem, dirue tectũ, euerte muros, ostende soli frumentum quod cariem situm ve contraxit. Educ diutius illigatas hasce diuitias: produc in publicum triumphum tenebris obsita domicilia mammonæ. *Destruam horrea mea & maiora faciam. Et illic congregabo omnia quæ nata sunt mihi.* Vbi vero & illa frumento adimpleueris quid quæso, amplius cogitabis? An rursus destrues, & rursus ædificabis? Quid stultius quam laboribus nunquam finiendis se conficere ac summo cum studio ædificare, nec minore cura eadem demoliri? Habes si vis apothecas ventres pauperum, thesauriza tibi thesauros in cælo. Quæ illic reconduntur, ea neutiquam depascuntur tineæ, nulla depopulatur caries, aut erodit nulli suppilant prædones. Dixeris: atqui tunc in indigos dispartiar, cum horrea secunda compleuero. Longa tibi vitæ tempora præfixisti: vide ne te illud tempus quod certo ac præstituto termino accelerare solet, forte corripiat. Et profecto vitam sibi hoc modo confidentius polliceri, non bonitatis, sed malitiæ est indicium. Vitam namque tibi polliceris, non vt

D. Basil.

D. Basil.

vt post hac sis liberalior aut tribuas: sed vt instantem medicum à te propulses. Iam quando suppetit, quid prohibet, quo minus liberaliter impartiare? Nonne inops adest? Non sunt plena horrea? Non merces à Domino parata? Non mandatum manifestum? Esuriens fame absumitur, nudus frigore rigescit. Qui repetitur debitum, vinculis ob torto collo adstringitur. & tu eleemosynam in crastinum differs? Audi Salomonem: ne dicas regressus reuertere & cras dabo. Ignoras enim quid sequens pariet dies. Qualia præcepta contemnis, postea quàm auaritiæ aures reserasti? Quantam te Deo beneficentissimo gratiam habere, quam hilarem esse te simul & inopes munificum atque liberalem oportebat, quod non ipse pro foribus alienis cogeris obstreperus esse & querulus, sed tuas alij occupant? Nunc autem tristis es, & rogatu difficilis: occursus pauperum vitas, ne forte aliquid vel modicum é manibus coacto exeat. Vnam tantum nosti vocem: non habeo, non dabo: nam & pauper ego quoque sum. Pauper es profectò pauper, & omnium egens bonorum. Pauper, inquam, charitate pauper, benignitate in indigos pauper, fide erga Deum pauper, pauper æterna spe: quam obrem frumenti quodcumque possides, tuos fac fratres participes. Cras forte marcescet. Hodie egenti da. Auaritiæ genus id pessimum est, nolle ne ea quidem quæ facile corrumpuntur inopi dare. Dixeris: cui facio iniuriam, si mea retineo conseruoque? Quæ illa, dic mihi, tua? Vnde accepta hæc ad traducendam præsentem hanc vitam inuexisti? Perinde enim facis, ac si quis in theatro locum expectandi mox vt anteuertit alijs arripere, cæteros abarceat ingressu, suo vnius vsui id adiudicans quod ad omnium communem vsum proponitur. Tales & diuites existunt. Communia namque cum priores obtinuerint, propria faciunt occupando. Nam si tantum quisque vsurparet, quantum ad propriæ necessitatis solatium faceret, superfluumque egenti tribueret, nemo profectò esset diues, nemo item pauper. Nonne nudus ex vtero matris excidisti, nudusque rursus reuerteris ad humum? Hæc tibi bona præsentia vnde? Si à casu dixeris, impius es, eum non agnoscens qui te condidit, neque rependens gratiam qui dedit. Quod si ex Deo te illa habere fateris, quam ob rem hæc sortitus es? Non enim iniustus est Deus, qui ea quæ sunt ad victum, inequaliter nobis diuiserit. Cur tu diues es, ille pauper? Profectò non ob aliam causam, nisi vt tu bonitatis ac fidelis administrationis mercedem accipias, ille vero patientiæ maximis præmijs honoretur. Tu vero insatiabilis auaritiæ laceristis omnia circumplexus, & tot homines illis priuans, neminem te lædere putas. Quis, quæso, est auarus? Ille qui eo quod satis esse debet, non est contentus. Quis vero peculator? Ille qui ad se vnum transfert, quæ singulorum sunt. Tu ergo non auarus? Non tu peculator, cum ea quæ ad dispensandum distribuendumque receperis, tibi propria facis? Nunqui vestem diripuerit, spoliator nominabitur: qui autem nudum non texerit modo possit, alterius cuiusdam nominis appellatione dignus erit? Esurientis est panis quem tu retines: nudi est vestis quam in arca custodis: discalceati calceus qui apud te marcescit: egentis argentum quod tu terrę in fossum possides. Quare tot iniurius es hominibus quot poteras opem conferre. Hæc Basilius.

Pro. 3.

Simile.

¶*Et dicam animæ meæ, anima habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare*. O verba stultissima. O demētiam singularem. Nā si porcinam habuisses animā, quid aliud ipsi enuntiare potuisses? Ita ne pecuinus tu, ita bonorum animæ ignarus, eam vt exceptes carnalibus epulis: & quæcūq; alui secessus recipit, animæ destines. Siquidem illa virtutē habet, si plena est bonis operibus, si Dei gratiā sibi conciliauit ac familiariter asciuit, tunc sanè multa bona habet, tunc lætari poterit bona lætitia. Iam quando terrena sapis & Deum habes ventrem, totus quoque caro effectus, vitiosis affectib9 obsequeris, audi te dignam appellationem, quam tibi

D. Basilius

Basili. ho. in hoc, dictum destruam horrea mea.

bi nullus hominum, sed ipse Dominus indidit.

¶ *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te. Quæ autem parasti, cuius erunt? Sic est qui sibi thesaurizat & non est in Deum diues.* En vides auaros stultos appellari à Domino. En audis sapientiam filiorum huius seculi stultitiam esse apud Deum. Merito Salomon in Prouerbijs clamabat: vsque quo paruuli diligitis infantiam & stulti quæ sibi noxia sunt cupient? ¶ Stultus sane dicendus est auarus, quum se cæteris omnibus minus diligat. Vnde D. Augustinus admiratus ait: adeo cæcitas mentis conualuit, adeo absorbuit hominem interius vt omnia velit præter seipsum bona habere. Et iterũ idem Augustinus ad auarum sermonem dirigens ait: quid est, quod te velis malũ habere, nihil omnino? Non vxorem, non filium, non seruum non tunicam, postremo non caligam & tamen vis habere malam vitam. Rogo te præpone vitam tuá caligæ tuæ. ¶ Stultus denique auarus homo censendus est, atque maxime stultus quum de amissione vel oboli, maximo dolore afficiatur, de animi autem sui perditione minime. Quotidie miser calciaméta tergis, animum verò tuũ, saltem in anno semel, omnino emundare non curas.

Auarꝰ stultus vocatur & quare.
Pro. 1.

D. Augu.

¶ Neque stulti solum eiusmodi homines appellandi sunt, sed insani. Quos non lachrymæ sibi extorquent misericordiam, non suspirium cor emollit: sed inflexibilis & duri cordis aurum respicit, aurum imaginatur. Hoc dormienti insomnium, & vigilanti desiderium. Quemadmodũ enim per insaniam mente moti res probé non vident, sed pro morbi sui ratione quæuis imaginantur, sic anima hominis ab auaritia possessa, cuncta aurum, cũcta argentum respicit, libentius videt aurũ quam solem. Quæcunque videt in aurũ verti cupit, datque operam quoad possit & liceat. Quid enim insanus homo non molitur, mouetq; vnius auri gratia? Frumentum sibi in aurum vertitur, vinum in aurum concrescit, lanæ ipsæ transeunt in aurum. Omnis mercatura, studiũ omne suum ac solertia conciliat sibi, suggeritq; aurũ. Quid? Seipsum deniq; generat aurum, dum per fœnus tãtò redditur auctius. Nec enim satietas aut finis cupiditatis inuenitur. Quæ maxima insania est. ¶ *Hac nocte repetunt animam tuam à te.* Anima (inquit Gregor.) quæ ad tenebras ducitur: non in die repeti, sed in nocte memoratur. A qualitate quidé temporis finis, in sacra scriptura, exprimitur actionis, sicut nõ rediturus ad veniá, ad traditionis perfidiam nocte Iudas exijsse perhibetur: cũ egrediente illo ab Euangelista dicitur: erat auté nox. Hinc etiam est, quod Salomon, qui sapientiá non perseueraturus acceperat, in somnis hanc & nocte accepisse describitur. Hinc etiá est quod angeli ad Abrahã meridie veniũt, punituri autem Sodomam, ad eã vespere venisse memorantur. Grego. 2. Mor. c. 2.

Auarus insanus est.
D. Basili.

Auaritiæ ad insaniá collatio.

Quare noctu auarus perit.

Ioan. 13.

3. Reg. 3.

Gen. 18.

¶ Domini. 14. post Penteco.

Dixitq; ad discipulos suos. Ideo dico vobis nolite soliciti esse animæ vestræ quid mãducetis: neque corpori quid induamini. Anima plus est quã esca: & corpus plusquã vestimentũ. Cõsiderate coruos quia non seminant neq; metunt, quibus non est cellarium, neq; horreum, & Deus pascit illos. Quanto magis vos pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitãdo potest adijcere ad staturam suã cubitum vnum? Si ergo neque quod minimum est potestis: quid de cæteris soliciti estis? Considerate lilia quò modo cres-

Matth. 6. c
1. Pet. 5. b
Psa. 54. d

crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis: neque Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut vnum ex istis. Si autem fœnũ quod hodie est in agro & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos, pusillæ fidei? Et vos nolite quærere quid mãducetis, aut quid bibatis: et nolite in sublimé tolli. Hæc autem omnia gentes mũdi quærunt. Pater autem vester scit quoniam his indigetis. Verũtamen quærite primum regnũ Dei et iustitiã eius: et hæc omnia adijcientur vobis.

DIxitque ad discipulos suos. Quæ in superioribus narrauit Euangelista promiscuæ multitudini locutus est Dominus, modo conuersus ad discipulos suos, quos oportebat non solum abesse ab omni auaritia verum etiam vacare omni solicitudine huius vitæ, ne qua res illorum animos remoueretur ab Euangelico negocio: multis argumentis atque rationibus & illos, & cæteros euãgelicos cõcionatores, atq; in vniuersum fideles omnes, excitare vult: vt non sint nimium anxij, nimiumq; soliciti, in acquirendis & inquirendis quæ ad vitam necessaria sunt, parum fidentes de diuina cura atq; prouidentia.

¶ *Ideo* (inquit) *dico vobis nolite soliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini: anima plus est quam esca, & corpus plusquã vestimentum.* ¶ Vt autem hoc primum argumentum exactè intelligamus, quo excitemur, atque trahamur ad maiorem A in Deum & fidutiam & amorem; considera primum obsecro, hominẽ fuisse a Deo conditum, ad imaginem atque similitudinem eius, atque inter omnes quæ vidétur, creaturas, opus insignius atque perfectius. Quid nigitur amabit, opus eiusmodi, tam elegans, & mirificum, cæterisque creaturis visibilibus præstantius? Experimento namque didicimus, homines omnes opera manuum suarũ maximo amore prosequi. Arborem enim à nobis plantatam vel insertum, nescio quẽ amorem peculiarẽ habere experimur. Quod B si post triennium fructus maturos ex illo percipere contingat: plus multo illis delectamur, quàm omnium aliorum arborum pomis. Quod arborem eiusmodi tã quam rem propriam inspiciamus, cæteros verò tanquam alienam. Si ergo hæc propensio amoris, naturalis quædam perfectio sit, omnesque eiusmodi perfectiones eminentiori atque perfectiori quodam modo, in Deo nostro inueniantur: necesse est dicere, Deum diligere omnia quæ sunt, & nihil odire eorum quæ fecit. C Quare cũ homo, (quod iam diximus) omnibus visibilibus absolutius opus sit: illũ miro amore & dilectione prosequetur. Si enim diligit omnia quæ sunt, tanquam opera manus suę: quanto obsecro, plus diliget hominem, propter quem cõdidit omnia? Quod si ita diligit opus suũ, qualequale illud sit formatum: quo amore, dicito mihi, prosequetur, quod ad eius imaginem & similitudinẽ effectũ esse sci mus. ¶ Atq; hęc erat præcipua causa quæ Esaias Dei misericordiam prouocabat dicens. c. 64. Et nunc Domine fictor noster D tu, & opera manuum tuarum omnes nos. Qua etiam Dauid Rex eandem implorabat dicens: fiat manus tua, super virũ dextera tuæ. & super filium hominis quem confirmasti tibi. Atque ob eandem sanè causam maxime mirabatur sanctus ille Iob: quo pacto Dominus dæmoni sinebat vt eum tam acriter ac vehementer vexaret, & huc atque illuc distraheret. Ideo dicebat: manus tuæ Domine fecerũt me & plasmauerũt me totũ in circuitu, & sic repente pręcipitàs me? Et cętera quæ ibi sequuntur ad rem eandem faciẽtia.

Maximo amore prosequitur Deus hominem, quod opus eius sit, atque opus omniũ visibiliũ præstãtissimũ.

similitudo

Sap. 11.

Esai. 64.

Psa. 79. d

Iob 10.

tia. Quæ omnia vir sanctus aiebat certo sciens quod Deus hominem a se formatũ toto pectore per amaret. His ita explicatis, iam audi primum, quo, ad veram con fidentiam nos ad se trahere Dominus cõ tendit. Iam (inquit) ante hac dixi vobis, & repetens iterum, iterumque monebo, nolite soliciti esse de vita vestri corporis, anxij nimis ne desit cibus aut potus: neque rursus de corporis incommodo, ne desit illi vestis. Pater vester cælestis, qui vobis dedit quod præstantius est, etiam illud addet quod est vilius. Anima potior est cibo quanquam sine cibo interim nõ durat in domicilio corporis, & corpus pretiosius est vestimento. An putatis diuitem iuxta ac benignum patrem ac con ditorem passurum, vt cum largitus sit vitã, desit cibus quo vita prorogetur? Aut qui dedit corpus, commissurum vt corpori desit, quo tegatur? An operum manuum suarum obliuiscetur? An non vos, vt præclarum opus suum amat?

Aug. libr. 2. questionũ Euãgeli. c. 24.

¶ *Nolite soliciti esse animæ vestræ.* Vel *pro anima vestra*, Id est vita vestra, *quid manducetis, &c.* Si hæc vera sunt, vt verè sunt, quid est, quod idem Dominus olim apud Salomonem aiebat: vade ad formicam ò piger: & considera vias eius: & disce sapientiam: quæ cum nõ habeat ducem: nec præceptorem parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat: laude ergo dignum est homines de futuris ad vitam necessarijs esse so licitos. Præterea, cum prudentia (quæ futurorum est) vbique nobis cõmendetur: & solicitudo de rebus eiusmodi, ad hanc virtutem pertineat: non est quare ab illa dehortemur. Adde his, exemplum Christi, quem loculos habuisse, à Iuda delatos ad annonam in futurum parandam, docet Ioan. cap. 13. Exemplũ similiter Apostolorum conseruantium in multos dies prediorũ pretia, quæ ante eorum pedes ponebantur: vt sacra narrat historia. Sanctum ergo erit nedum licitum solicitos esse pro vita nostri corporis, atq; anxios ne desit cibus, aut potus, aut vestimentũ. Tandem Augustinus ait: si hoc verbum Domini (vt Matthæus refert) nolite soliciti esse in crastinum: ita intelligatur, vt

Prou. 6. S. Thom. 2. 2. q. 55. art. 7. & q. 188. artic. 7. ad. 2.

Ioan. 13.

Acto. 4.

Li. de operibus Monachor. Matth. 6.

A nihil in crastinum reponatur: non poterunt ista seruare, qui se per multos dies à conspectu hominum separatos includũt, viuentes in magna intentione orationũ. Et subiungit: an forte quo sunt sanctiores, eo sunt volucribus dissimiliores? Et rursum addit: Si enim vrgeantur ex Euãgelio, vt nihil reponant in crastinum. Respondent. Cur ergo ipse Dominus loculos habuit vbi collectam pecuniam reponeret? Cur tanto ante fame imminente, frumẽta sanctis patribus missa sunt? Cur B Apostoli indigentiæ sanctorum necessaria procurarunt? Fatemur igitur his rationibus satis probari curam, & prouidẽtiæ solicitudinem, pro cibo potuque parandis, licitam profecto esse: quod in hoc loco non damnat Dominus: sed anxiam illam ac superfluam, atque nõ necessariã solicitudinem, qualem habent homines parum de Deo fidentes: qualem haberet tristis agricola si semine iacto, iam de tem porum varietate anxius esset: iã de messe, maxime esset solicitus. Omnia enim suum tempus habent: omni negotio (vt ait Salomon) tempus est opportunitas. C Vnicuique enim tempori sua propria solicitudo competit. Metendi siquidem solicitudo æstati, vendemiæ vero solicitudo autumno. Si quis ergo æstatis tempore de vindemia iam esset solicitus: superflua sanè & intempestiua solicitudo illa esset. Huiusmodi ergo solicitudinẽ prohibet Dominus, & in hoc loco, & cum apud Matthæum ait: nolite soliciti esse in crastinum, hoc est, in futurum. Sufficit enim diei malitia, hoc est, afflictio sua. Quod si omnes fideles oportet vacare omni eiusmodi solicitudine huius vitæ, D quanto magis oportet eos qui Euangelij co negotio operam dant? Quos decet esse omnino vacos omni cura & anxietate huius vitæ, ne qua res illorum animos à prædicatione Euangelij remoueretur. Si ergo Paulus volebat, omnes nos sine solicitudine esse, quanto potius viros Apostolicos hac anxietate rerũ humanarũ carere decet? Omnẽ ergo solicitudinem proijciamus in Deũ, quoniã ipsi cura est de nobis inquit Petrus. Si ergo prælatus es non pro vita sit solicitudo tua, sed pro seruan do

His verbis Dñi nõ dãnatur cura pro cibo potuq; parandis, sed anxia solicitudo qualem habẽt homines parũ Deo fidentes.

Eccles. 8.

Matth. 6.

1. Cor. 7.

1. Pet. 5.

do & pascendo grege. Sic enim admonet Paulus in Epist. ad Rom. cap. 12. qui præest in solicitudine. Et rursum: solicitudine, non pigri. Vt si dixerit ouis ego dormio: respondeat statim pastor: cor meum vigilat. Si autem Iacob tantam curā gessit tantamque pro gregibus Laban auunculi sui solicitudinem adhibuit, vt diceret: viginti annis fui tecum, oues tuæ & capreæ steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi: nec captum à bestia ostendi tibi: quicquid furti peribat à me exigebas: die noctuque æstu vrgebar & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis meis: quid putandum est oportere facere qui cæteris præsunt, quorum est eminere omni populo in bonarum actionum studio ab humero & supra, quemadmodum de Saule rege sacra narrat historia? Discant eiusmodi præsules à præsule Paulo quē solicitudo omnium Ecclesiarū angebat, vt ipse testatur in posteriori ad Corinth. Epistola.

Rom. 12.

Gen. 31.
Figura.

1. Reg. 1.

2. Cor. 11.

¶ *Considerate coruos, quia non seminãt neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, & Deus pascit illos, quanto magis vos pluris estis illis?* Ecce argumentum secundum quo nititur Dominus animos Apostolorum, atque Apostolicorum virorum, omniumque fidelium ab inutili, & non necessaria solicitudine rerum temporalium abstrahere. Quod vt explicemus, & cætera quæ sequūtur, operæpretium erit attento animo considerate diuinam prouidentiam erga hominis conseruationem & sustentationē.

¶ Lege sacram Scripturam, & vbique inuenies, vbique leges, curam & diligentiam, quam pro vita suorum sustentanda Dominus habet. Audi Psalmistam dicentem: timete Dominū omnes sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum. Et rursum: iuuenis fui, etenim senui & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Audi quæ Dominus legem suam seruantibus in Deutero. pollicetur. Si audieris, inquit, vocem Domini Dei tui, vt facias, atque custodias omnia mandata eius, quæ ego precipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus, quæ versantur

De diuina prouidentia pro vita suorum sustentanda.
Psalm. 33.

Deut. 28.

A in terra. Venientque super te vniuersæ benedictiones istæ. Benedictus in ciuitate, & benedictus in agro. Benedictus fructus terræ tuæ, fructusque iumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, & caulæ ouium tuarum. Benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ. Benedictus eris ingrediens & egrediens. Dabit Dominus inimicos tuos qui consurgent aduersum te, corruentes in cōspectu tuo: per vnam viam venient contra te, & per septem fugient à facie tua. Emittet Dominus benedictionem super cellaria tua,

B & super omnia opera manuum tuarum. Suscitabit te Dominus sibi in populum sanctum, sicut iurauit tibi: si custodieris mandata Domini Dei tui. Videbuntque omnes terrarum populi, quod nomē Domini inuocatum sit super te, & timebunt te. Et abundare te faciet Dominus omnibus bonis: fructu vteri tui, & fructu iumentorum tuorum: fructu terræ tuæ, quā iurauit Dominus patribus tuis, vt daret tibi. Aperiet Dominus thesaurum suum optimum cælum, vt tribuat pluuiam ter-

C ræ tuæ in tempore suo: benedicetque cūctis operibus manuū tuarum. Hactenus Dominus. Dicito ergo mihi si Deus verax est, & se ipsum negare nō potest, quæ diuitiæ, quæ opes, qui thesauri his benedictionibus comparari possunt? Quid ergo homines soliciti sunt pro cibo, pro potu, pro vestimentis? Seruent Dei legem quærant ex animo regnum Dei, & his benedictionibus replebuntur. ¶ Et quamuis ita sit, prædictas promissiones potius ad populum Israel pertinere quàm ad popu-

D lū Christianū (quod huic, alias longe præstantiores diuitias, hoc est, gratiæ & gloriæ opes, per Ezechielē promittat Dñs) tamen adhuc ad populū fidelem attinere negandum nō est. Nam sicut populo illi & si Dominus temporales diuitias conferebat ad votum, non tamen negabat diuitias spirituales: sic suis fidelibus, quos opibus & bonis spiritualibus, atque cælestibus ditat: quæ ad vitam sunt necessaria, nō negat. Imo (vt in hoc loco legis) multis cōtendit, eos à rerū humanarū inani solicitudine retrahere: spemq; suā in illo tāquā benigno procuratore, atq; ditissimo

simo patre collocare. Atque inter alias rationes hanc vnam adducit. Si Dei prouidentia non cessat in animantibus brutis ac vilibus, an cessabit in vobis Apostolis meis quos ad rem tantam elegit? An cessabit in vobis, fidem meam profitentibus, ac legem meam custodientibus, propter quos, non solum ea, sed mundi res omnes quantumcunque perfectas condidit? Considerate coruos, neque serunt, neque metunt, nec penuarium habent, & tamen Deus etiam illis prospicit de pabulo, nihil eorum negligens quæ condidit. Quanto magis vobis prospiciet pater quos tanto coruis habet chariores?

¶ *Non est cellarium.* Vel cella. Vel penarium. *Neque horreum.* Vel potius repositorium.

¶ *Quis autem vestrum cogitando, vel curas agitando potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum? Si ergo neque quod minimum est potestis: quid de cæteris soliciti estis?* Hoc tertio argumento probat Dominus, non solum diffidentiæ esse, anxie distorqueri cura rerum huiusmodi, verumetiam stultitiæ. Stultũ enim est solicitudine nihil pro futura discrutiari. Nemo solicitudine sua vitã suam reddere potest vno die longiorem. Quid quod ne corporis quidem modus, aut figura nobis in manu est? Deus dat illi formam quam vult, dat illi modum quem vult, sic dat illi vitam, quãdiu vult. Quis igitur vestrum (inquit Christus) solicitudine sua possit ad sui corporis staturã adijcere cubitum vnum? Aut quis solicitudine sua possit vnum capitis pilum ex albo nigrum, aut ex nigro album reddere? Si igitur in his quæ minimi momenti sunt, nihil profuerit vestra solicitudo, quorsum attinet esse solicitos de vita?

¶ *Considerate lilia.* Id est, flores. Species pro genere iuxta Hebraismum. Vnde ebrietatem accipere solet Scriptura, non in vno loco pro vniuerso luxu. Et vestem pro tota re & substantia. ¶ *Considerate lilia quomodo crescunt, non laborant, neque nent. Dico autem vobis neque Salomon in omni gloria sua,* vel magnificentia sua, *vestiebatur, sicut vnum ex his.* ¶ Ad florum considerationem, imprimis nos

Species pro genere.

mittit Dominus: quæ nõ minimi erit momenti, vt ad amorem & fiduciam in Deũ commoueamur. Non enim solum voluit Dominus suam curam & prouidentiam erga homines in mundi conditione, in rerum ad vitam necessariarum dispositu, prouisuque ostendere: sed in rerum spectabilium ad hominis recreationem procuratione. Qua in re peculiarem erga suos amorem demonstrare voluit. Nam in rebus ad vitam necessarijs adhibendis, suam erga nos significat Dominus, liberalitatem, & magnificentiam: at in spectabilibus prouidendis, amorem patris erga filios, erga filios, inquam tenerrimos, ac tenerrimé dilectos. Quibus solent parentes prouidere de rebus visu & spectatu dignis: quibus recreentur, ac gaudio & lætitia repleantur. Quibus igitur verbis explicare, aut annumerare quis poterit, rerum istarum multitudinem in hũc finem à Deo conditarum? Colorum multitudinem ad visum? Vocum, tam hominum quàm auium dulcedinem, ad auditum? Rosarum, atque florum varietatem, ad olfactum? Ciborum diuersos sapores ad gustum? Innumera in mundo sunt spectatu & visu dignissima, quibus visus recreari potest, & recreatus in conditoris amorem & maximam confidentiam excitari. Quid enim pulchrius, atque aspectu dignius inueniri potest cælo tanta stellarum varietate disposito atque cælato? Quæ tapeta tam varijs coloribꝰ intexta, quæ agri pulchritudini veniente vere comparari possint? Considerate (inquit Dominus in hoc loco) lilia, quæ in pratis nulla hominum cura proueniunt, adeo vestita & ornata, vt nec opulentissimus ille Salomon, cũ maxime ostentaret strepitum suæ fortunæ, sic vestitus ac decoratus fuerit, vt vnum quod vis ex lilijs prætensibus. ¶ Exemplo ergo florum nos iam quarto ab anxietate rerum humanarum in sui fiduciam reuocat. Cõsiderate mihi lilia, quæ in pratis nullo curante surgunt ad iustam magnitudinem. Non laborant neque nent, neque texunt, & tamen prouidentia patris adeo non sinit ijs deesse vestem, vt nec Salomon in magnificẽtia sua sic vestitus fuerit, vt vnum ex his. Quod

Agri pulchritudo ad amorẽ & fiduciã in Deum excitat.

Quod si Deus tanta prouidentia vestit herbam, vestri causa productam, & mox perituram: & quæ hodie viret in agro, cras arefacta cōijcitur in clibanum: quāto magis non finet vos esse nudos, ô parum fidentes? Nec enim aliunde nascitur ista solicitudo, nisi ex diffidentia erga patrem, & liberalissimum, & potentissimū, & prouidentissimū. Si is pascit, si vestit, si gubernat vniuersa quæ condidit, abijcite vos quoque solicitudinem de rebus in fimis, cibo, & potu, & vestitu. Istarum rerum ne vos deijciat penuria nec efferat exuberantia.

¶ *Et nolite in sublime tolli.* Neque curis suspēdamini. Nolite in sublime attolli. Videtur alludere ad gestum eius qui præ magna solicitudine angitur, vultum ad cælum attollens. Verti potest *nec curetis sublimia.* μετεωρίζεσθαι, propriè in dubio esse, & in incerto. Vt quæ suspensa sunt, & sublimia facilè huc & illuc impelluntur, ita animus hominis qui in dubio est, & incertus huc atque illuc fluctuat. ¶ Vel his verbis dicere vult Dominus. Ne impressiones cælestes & æthereas spectetis, nec supini pendeatis ab illis, obseruantes, omnia tempestatum præsagia, pallescentes quoties astra minitantur annonæ penuriam. De his enim rebus etiam in longinquum inquirere gentium est, qui mundo dediti nesciunt Deum.

¶ *Pater autem vester scit quoniam his indigetis.* Vel hoc solo argumento satis profectò probat Dominus, debere suos, in Deo maximam habere fiduciam. Pater noster est ille, & nos filij ab eo geniti. Neque alium vocare patrem finit apud Matthæum, dicens: nolite vocare patrē super terram: vnus est enim pater vester, qui in cælis est. Lege scripturam sacram, & inuenies passim, Deum, patris nomine gaudere. Diligite (inquit) inimicos vestros, vt sitis filij patris vestri qui in cælis est. Et alibi: pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum. Et apud Hieremiam: adducam eos per torrētes aquarum in via recta, & non impingent in ea, quia factus sum Israeli pater, & Ephraim primogenitus meus est. Et Paulo post

Vel hoc solo argumē to satis probat Dns, debere suos in Deo maximam habere fiduciā, s. quia pater est.

Matth. 23.

Matth. 5.

Ierem. 31.

Ibidem.

A ait: si filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus, quia ex quo locutus sum de eo, adhuc recordabor eius. Idcirco cōturbata sunt viscera mea super eum: miserans miserebor eius, ait Dominus. Et ne quis nostrum in ea esset opinione vt existimaret, Deum nomine tenus patrē vocari, ait Paulus: nobis contulisse eundem spiritum quem filio suo vnigenito largitus est, quo vere vocamus eum patrem. Quando venit (inquit) plenitudo temporis misit Deus filium suum, &c. vt

B adoptionem filiorum acciperemus. Quoniam autem estis filij Dei, misit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem Abba, pater. Ait ergo modo Christus Dominus. Vos qui nostis quam benignum, quam liberalem, quam potentem habeatis non Deum solum, sed patrem etiam in cælis, quid vos filij ab eo per spiritum suum geniti inani solicitudine torquetis animos vestros? Scit enim pater vester, quod his quæ pertinent ad corporis alendi, tegendique necessitatem indigetis. Nec tam durus est, vt vos suum agentes negotium, sinat harum rerum inopia

C perire.

¶ *Verumtamen quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Prima ergo sit nobis cura promouendi regni Dei, si eius delecti sumus à Christo præcones & ministri, huius iustitiam omnes ante omnia quæramus, non sitam in cæremonijs Iudaicis, sed in misericordia, mansuetudine, tolerantia alijsque virtutibus: & toto animo hoc agamus, quod est omnium maximū. Et certi simus quod cætera leuiora Deus ipse nobis adijciet omnia, neque quic-

D quam patietur desiderari, vt in hoc loco pollicetur. ¶ Iam hic vides quam necessaria sit nobis legis diuinæ custodia & obseruantia, si volumus vt Deus ipse adijciat cætera ad vitam necessaria. Hanc ob causam, inter alias, propheta ille magnus in Deut. c. 6. tantopere cōmendabat vt legē Dei summo studio ac diligētia quæreremus, atq; ingēti solicitudine custodiremus: sciēs & intelligēs cætera oīa bona, cū eius custodia pariter vētura. Ideo ait: erunt verba hæc quæ ego præcipio tibi

Ephes. 4.

Seruantibus Dei legē adiicit Deus cætera ad vitā necessaria.

hodie, in corde tuo: & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. Et ligabis ea, quasi signum in manu tua, eruntque & mouebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine & ostijs domus tuę, vt bene sit tibi, & possideas terram optimam de qua iurauit Dominus patribus tuis. [Deut. 6.] Dicito mihi o vates sancte quid tunc in hac mandatorum diuinorũ custodia inspiciebas, quid tunc animo tuo versabatur, aut quid inueniebas, vt tanta verborum exaggeratione & amplificatione, praeceptorum diuinorũ obseruantiam commendares? Reuera tanquam propheta praeclarus ac diuinorum secretorum consiliarius, intelligebas, huius boni inextimabilem magnitudinem: A quo pendebant caetera bona, tam praesentia, quam futura, tam temporalia, quã aeterna, tam spiritualia, quam corporalia. Intelligebas sane, quod quando homo fidelis in quaerendo regnum Dei, & in adimplenda diuina lege occupabatur: non ideo tempus in vanum terebat, aut diem amittebat: sed potius tunc agros sedulo colebat: hortos irrigabat, negotiabaturque cum bonis suis multo melius quam si ipse per se ipsum haec omnia exequeretur: cum diuinae curae & procurationis erat, haec omnia illis adijcere. Stat enim sententia, stat lex caelestis: primum quaerite regnum Dei & haec omnia adijcientur vobis. Quaeramus igitur toto pectore hoc regnum, quaeramus hanc iustitiam, quaeramus hoc vnum quod est necessarium, [Luc. 10.] hoc toto animo agamus, quod est omnium maximum, & Deus caetera adijciet omnia. Audiamus Paulum etiam dicentem: pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitae quae nunc est, & futurae. [1. Tim. 4.] Nonne vides quemadmodum D. Paulus pollicetur pietati, non solum bona vitae caelestis, sed temporalis: quatenus ad illam assequendam necessaria sunt? Iacta ergo super dominum cogitatum tuũ, iacta curas & anxietates tuas, nam si ante omnia illum quaesieris, perire non sinet. [Psalm. 54.] ¶ *Primum quaerite regnum Dei.* Haec vox Domini & si ad omnes fideles pertineat, tamen maxime ad clerum pertinet, quẽ sibi in suum ministerium delegit Deus. Lege in Decretis. dist. 91. ¶ *Primũ quaerite regnum Dei.* Hinc monemur fideles omnes, vt prima nostra cura sit cum manè surgimus, quaerendi regnum Dei: preces ad Deum fundendi: vt cuncta nobis prospere, & ad votum succedant. [Prima nostra cura omne debet cũ mane surgimus pro quae re regnũ Dei.] Manna enim vt sacra narrant eloquia, mane colligebatur. [Figura. Exod. 16.] Dulcedo igitur spiritualis mane lachrymis, suspirijs, precationibus colligenda est. Hinc est quod regius ille propheta dicebat: mane astabo tibi & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. [Psalm. 5.] Mane enim fidelis curare debet sese praesentem Deo exhibere, & ante conspectum eius per mentis eleuationem cõstituere, quando diuinis rebus contemplandis, atque percipiendis liberius vacare possunt homines, & tunc contẽpletur, peruideat, & diligenter consideret tam ea quae ad Dei veritatem expectant, quam ea, quae ad sui animi munditiem, vt purus & mundus illi assistat. Sciens Deum, peccati turpitudinem, & iniquitatis immunditiam, non solum non diligere, sed maximo odio prosequi. Hinc etiam erat, quod praedictus vates alio in Psalmo canebat. & mane oratio mea preueniet te. [Psalm. 87.] Hoc ideo faciebat rex iste, vt vel tanta diligentia, vel importunitate quasi extorqueret a Deo, quod petebat regnum caeleste, atque diuinam misericordiam. Idcirco etiam Diuus Hieronymus hortabatur Paulam, vt in principio cuiuslibet operis Dominicam praemitteret orationem, & signum crucis in fronte. [D. Hiero.] Et rursum idem dicebat: sicut militẽ sine armis ad bellum exire non cõuenit, ita homini Christiano procedere non licet quolibet sine oratione. [Idem.] Ea igitur praecipua, atque prima cura sit omnium nostrum, vt Deum quaeramus, atque reliqua (adhibita moderata diligentia nostra) illi committamus. ¶ *Quaerite regnum Dei.* Quaerãt hoc regnũ legitimi filij: quaerãt hoc regnum qui ex Deo nati sunt, & qui sanguine Christo sunt coniũcti: quaerant hoc regnum amici Domini: quaerant denique illud pauperes ad hos enim omnes haec tam praeclara & caelestis haereditas pertinet. [*Hoc regnum Dei quaerere debent & filii Dei & amici Dei & pauperes.*] ¶ Imprimis filiorum est haec haeredi-

hæreditas, nam vt Paulus ait quod si filius & hæres per Deum. Filij verò sunt omnes illi, qui non ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri: sed ex Deo nati sunt: per lauacrum regenerationis. Hi ergo omnes dicere possunt cum Paulo Spiritus sanctus testimonium perhibet spiritui nostro, quod sumus filij Dei. Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei cohęredes autem Christi. Meritò ergo hi quærere possunt hęreditatem sibi iure regio debitam, hoc est, regnum Dei. Quærant ergo pueri lauacro Spiritus sancti emundati, & inuenient. Habent enim nomen patris cœlestis scriptum in frontibus suis, vt Ioánes ait. ¶ Quærant etiam hanc cœlestem hęreditatem martyres omnes qui sanguine, Christo sunt coniuncti. Solet enim hæreditas secundum humanas diuinasque leges filiorum defectu ad consanguineos transire vt in lib. Numerorũ. c. 27. videre est. Martyres ergo qui lauerunt stollas suas in sanguine agni, quærant regnum Dei sibi promissum. Beati inquit qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnũ cœlorum. ¶ Quærant hoc regnum amici Dei & inuenient: quærant hanc hæreditatem: nam etiam solent homines instituere in hæredes suos, sibi amore coniunctos. Apostoli ergo atque viri perfecti omnes, (quos in Euangelio Dominus amicos vocat si fecerint quæ illis præcepit) hæredes sunt regni cœlorum. Illis enim, ab huius maris littore in morte discedentibus, ait diuina sapientia: transite ad me omnes qui concupiscitis me. Quasi diceret Dominus: O vos omnes qui mei desiderio & amore tenemini, transite àb illa mundi ripa, ad littus hoc cœleste, interiecto & interposito ponte mandatorum: sic enim licebit transire, sic amicos vocari: sic expectare hæreditatem vobis promissam, terram sanè latam & spaciosam lacte & melle manantem. ¶ Quærant denique pauperes: quos in hæredes relinquere solent multi. Quantum vero ad rē & propositum attinet, pauperes illos vocamus, qui propter Christum omnia mũdi bona ex animo reliquerunt: & illum

Gal. 4. Ioan. 1. Rom. 8. Apoc. 14. Num. 27. Matth. 5. Ioan. 15. Eccl. 24.

A sunt secuti. Quales sunt qui religionis vitam profitentur: de his enim aiebat Dominus: Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Pauperes etiam appellamus quos malę vitæ antea ac pœnitet: illos enim ob pristina peccata adhuc pauperes licebit appellare. His ergo dicebat vox illa quæ in deserto clamabat: agite pœnitentiam appropinquabit enim regnum cœlorum. Ad illos ergo iam dolore confectos, hæc regni cœlorum hæreditas transit. Quærant ergo

B hoc regnum filij, cognati, amici & pauperes Christi & inuenient. ¶ *Et iustitiam eius*. Nomine iustitiæ, non illa virtus intelligenda est, quæ vnicuique quod suũ ęst reddere docet: sed omnis studiositas atque bonitas. Secundum quam acceptionem docet Augustinus duas esse iustitię partes, alteram, qua à malo declinamus: alteram qua virtutis actionem prosequimur. Iustitiam ergo regni Dei tunc quæremus, quando omnia quę Christus Dominus nobis pręcepit seruauerimus.

C Hæc est iustitia illa de qua Psaltes regius ait: Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem. Hac enim iustitia decorati fulgebũt iusti sicut sol in regno patris eorum: vt apud Matthæ. Dominus ait. Discipulus ergo Christi huius iustitiæ amore sit affectus: & tunc assiduus erit in sanctis precibus, diligens in sui officij munere, benignus, liberalis in egenos, humanus, misericors in peccatores, pœnitentes libenter suscipiet, afflictorum commiserebitur, contumelias & iniurias æquo animo feret, mitis, prudens, scandali vel vitandi, vel contemnendi tempus sapienter dig-

D noscens, aliorum infirmitates mansuetè sustinebit, humilitatis perpetuus erit sectator, ab omni ambitione & arrogantia omnino alienus, diuitibus non adulabitur, sed liberè, quæ eorum saluti conueniunt, pronuntiabit: maioribus obediet, præceptorum Dei & Ecclesiæ eius diligēs erit obseruator, sobrietatis & vigiliarum amator, nihil denique prætermittet quod ad Christianam iustitiam pertineat.

Matth. 5. Matth. 3. Quod per iustitiã regni Dei intelligatur. D. Augu. Glo. Matth. 6. Psa. 44. Heb. 1. Matth. 13.

Pro confeßore Pontifice et non Pontifice.

Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. Vendite quæ poßidetis & date eleemosynam. Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis, quo fur non appropriat, neque tinea corrūpit. Vbi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit.

Nolite timere pusillus grex. His verbis hortatur Christus Dominus discipulos suos, ne qua res eos terreat, & si pauci sint & si humiles sint, idiotæ sint, nullis opibus, nulla potentia, nullis armis, nullis copijs instructi sint aduersus mundum hunc impium, & omni genere machinarum in eos coorturum. ¶Neque immerito eos admonet, ne timeant. Sciebat enim carnem esse infirmam & impetum & spiritum inimicorum, paratum ad omnia mala, promptū ad tentandum. Vnde factum est hanc ob causam, ante aduentum visibilem Spiritus sancti, eos maximo timore esse correctos: etiam si cœlesti gratia essent imbuti. Cuius rei imaginem habes in libro Geneseos. Vbi sacra narrat historia, sanctum Noe semel atque iterum emisisse columbam ex arca: cum verò primò emissa est, quū non inueniret, quo pes eius requiesceret; reuersa est ad arcam: cum verò secundo emissa narratur, attulisse ramum oliuæ perhibetur. Cum ergo verus Noe, idest, requies nostra Christus, post resurrectionem suam confestim emisit columbam, hoc est, remissionem peccatorum,

Quare Christus hortatur suos ne timeant.

Gen. 8. Figura.

Vi. Rupe. lib. 4. in Gen. c. 23.

A insufflans & dicens: accipite Spiritū sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, quorum retinueritis retenta sunt. Prima columbæ emissio significatur. At ille nondum ausi sunt exire in publicum, & annuntiare hominibus talem gratiam, propter metum Iudæorum. Bene ergo de columba illa dictum est, quod cum non inuenisset vbi requiesceret pes eius, reuersa sit ad eum in arcam. Aquæ enim (inquit scriptura) erant super vniuersam terram. Illę videlicet aquæ, quæ (iuxta Psalmistam) intrauerunt vsque ad B Iesu animam, quas Apostoli adhuc infirmi metuebant, à quo metu eos dehortari Christus Dominus contendebat dicens: Nolite timere pusillus grex. Secundo verò emissa columba, redijt ad vesperam, & virentis oliuæ ramum in ore suo deuexit, quia secundo datus est Spiritus sanctus in die Pentecostes. Et iam ibant & redibant gaudentes, (omni timore deiecto) à cōspectu conciliorum & magistratuum, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati, iam gaudentes C quod data esset pax & gratia electis, iam gaudentes quod ferebant fructum regni Dei: iam memores monitorum Iesu dicētis: Nolite timere pusillus grex. Et rursum: Nolite timere eos qui occidunt corpus: animam autem non possunt occidere. ¶Interim tamen & illud obserua, nō fuisse mirum, hunc pusillum gregem, tyrannorum & hostium suorum persecutionem ante aduentum Spiritus sancti timuisse: nam tanta profecto mala passi sunt, ob regnum Dei promouendū: quanta Enoch, & Helias, ab Antichristo passuri sunt. Quare maximam animi virtutē, D constantiam, tolerantiam, maximamque Spiritus sancti gratiam eos habere, necesse erat. Hoc enim erat, quod D. Paulus significare volebat, cum in priori ad Cor. episto. cap. 4. dicebat: Puto enim quod Deus nos Apostolos nouissimos ostēdit, idest, similes nouissimis Apostolis, hoc est, Enoch & Heliæ: quod tanta modo in initio nascētis Ecclesiæ patiamur: quā ta illi ab Antichristo in fine sunt perpessuri. Vnde idem Paulus ait: Nos sumus in quos fines seculorum deuenerunt. Vere-

Ioan. 20.

Psal. 68.

Vi 5. Brunonem. 1. Cor. 4.

1. Cor c. 4. Tanta passi sunt Apostoli quanta ab Antichristo sunt passuri Enoch & Helias.

no-

nouissimi sumus, nam destinati morti, nã spectaculum mundo, & angelis & hominibus, nec solum hæc mala sed innumera alia quæ narrare longum esset. Nam vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cędimur, & instabiles facti sumus certamque sedẽ non habemus: vndique à maleuolis profligati, laborantes manibus nostris. Maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus: tanquam purgamenta, atque lustramenta & piacula facti sumus mundo. Offensum enim Deum nostra internecione placari existimant infideles. Quin imo omniũ peripsema facti sumus vsque adhuc Omnium, inquam, scobs, ramẽtum, puluis qui ẽ vestigijs pedum maculatis relinquitur, & quicquid limando deteritur, ac denique quicquid omnium penè pedibus conculcatur. Denique, vt vno verbo dicam, facti sumus omniũ hominum abiectissimi. Nonne vides sitam pusillo & abiecto & humili gregi, necessarius erat excellens atq; ingens Dei spiritus, quo ab omni tantorum hostium timore essent alieni? Et quia Christus Dominus talem animi magnitudinem intra sese illis collaturus atque donaturus proposuerat: idcirco illis ait: Nolite timere pusillus grex, video imminentia bella, intueor inimicorum machinamenta, hostium incursus: sed aderit vobis meus spiritus, ego etiam adero: quare nolite timere. ¶ Cæterum ad nos etiam, qui de pusillo Domini grege sumus, sermo iste pertinet: nobiscum similiter loquitur dominus. Ne nos mundus, aut spiritus malignus, hostes gregis domini, terreant. Sed vt erecto fortique animo mala nobis immissa feramus. Et quis est qui nobis noceat si bonitatis & virtutis æmulatores fuerimus? Sed & si quid patiamur propter iustitiam, beati. Timorem eorum ne timeamus, atque minime conturbemur. Dominum autem Christũ sanctificemus, atque gestemus in cordib9 nostris, parati semper ad satisfactionem, vt parati erant Apostoli, omni poscẽti nos rationem de ea, quæ in nobis est spe ac fide. Vide quæ superius annotauimus super verba illa: ne terreamini ab his qui occidunt corpus, &c.

Quid per peripsema intelligatur.

1. Pet. 3.

¶ *Quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Considera obsecro Dei cõsilia atque voluntatẽ. Sic enim complacitum est illi, reiectis potentibus, doctis, & elatis: hominibus iuxta mundum abiectissimis dare regnum hoc, quod arcanis opibus animorum, quod cœlestibus præsidijs inuictum est. ¶ His ergo verbis ac paulo ante præcedentibus vides, quo pacto pollicetur Dominus Apostolis suis, atque apostolicis viris, prædicatoribus verbi Dei non solum cibum, potum, vestimenta aliaque ad vitam necessaria, sed gloriam sempiternam, opes cœlestes, regnum Dei quod non est esca & potus sed gratia & pax & gaudiũ in Spiritu sancto. Atque hoc idem erat quod multo antea prædixerat Esaias Propheta. cap. 61. his verbis. Et stabunt alieni & pascent pecora vestra, & filij peregrinorum agricolæ, vinitores vestri erunt. Vos autem sacerdotes, Domini vocabimini: ministri Dei nostri, dicetur vobis: fortitudinem gentiũ comedetis, & in gloria eorum superbietis. Pro cõfusione vestra duplici & rubore laudabunt partem eorũ. Propter hoc, in terra sua duplicia possidebunt; lætitia sempiterna erit eis. Quod vaticinium explicare libet quo intelligas vera esse quæ diximus. *Stabunt alieni* (inquit Domin9 Apostolis suis) *& pascent pecora vestra & filij, &c.* Idest, surgent qui prius alieni erant à fide, & venient ad fidem, eruntq; vicarij vestri, ô Apostoli in colẽdo agro, vineaque Dei, erunt, inquam, vicarij vestri in pascendo grege spirituali. Vel aliter: o fortes iustitiæ, ô plantatio Domini, sancti Apostoli, apostolicique viri: alieni, filijque peregrinorum, hoc est, gentiles, qui non erant de gente vestra, venientes ad fidem pascent pecora vestra, & vestras comportabunt vindemias, vt quib9 vestra seminatis spiritualia, dignè illorũ metatis carnalia. *Vos autem, o Apostoli mei sacerdotes Domini vocabimini*, non sacerdotes AEgypti, aut idolorum, *& ministri Dei nostri dicetur vobis.* Vos, inquam, qui pertinetis ad Sion Palestinam de quibus dictum est, nisi Dominus sabaoth

Suis pollicetur Dominus nõ solum necessaria ad vitã sed perpetuã fœlicitatẽ. Rom. 14.

Esa. 61.

Vi. Rupe. in Esa. lib. 2. c. 25. Vatablum, A damũ Pintũ in hunc locum.

baoth

baoth reliquisset nobis semen, &c. Vocabimini ministri Dei nostri, hoc erit nomen quod vobis imponetur. *Fortitudinem gentium comedetis et in gloria eorum superbietis*, idest, opibus gẽtium iam credentium quas fortitudinem eorum voco, fruemini: quas gentes in medium afferent, vbi fidem receperint. *Et in gloria eorum superbiemini*. Idest, ob fidem earũ quæ magna gloria est, exultabimini: superbiemini quidem nõ ea superbia quæ in vitio est, sed ea quę pro potentia & magnificentia poni solet. Atq; hoc est quod refert D. Lucas in Actis Apostolorum. c. 4. Eos scilicet, qui ad fidem conuertebantur, opes suas afferre, & ad pedes Apostolorum proijcere. Vt staret Christi sententia. Quęrite primum regnum Dei & hęc omnia adijcientur vobis. *Pro confusione vestra duplici et rubore laudabunt partem eorum*. siue vt ex Hebraico potest verti: laudabunt partem suam, idest, pro pudore & molestia maxima qua tam à Iudæis quam à gentibus hostibus meis, afficiemini, atque pro rubore duplici quẽ & verbis & factis inimicorũ subibitis, eò magis gaudebitis, vidẽtes eos qui se ad fidem conuerterint, fœlices se esse dicentes, partem sortemque suam laudantes: atque cum regio vate canentes pars mea Dominus. *Propter hoc* (inquit) *in terra sua*, hoc est, in cœlesti patria isti ministri mei, *duplicia possidebunt*. Idest, & corporis immortalitatem & beatitudinem animæ. Siue pro multis ac varijs calamitatibus æquo animo atque alacri vultu toleratis magna atque eximia præmia in cœlesti regno consequentur. Solet enim Scriptura sacra quæ eximia atque maxima sunt duplicia vocare. Sic idem Esai. c. 40. suscipiet de manu Domini duplicia. Et apud Hieremiam. cap. 16. reddam primum duplices. Et cap. 17. duplici contritione contere eos. Et apud Zacha. cap. 9. duplicia reddam tibi, idest, valde insignia, æterna, scilicet, præmia. Qua locutione etiam vsus est Paul. in prio. episto. ad Tim. Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni sunt. Ecce quemadmodum Apostolis promittit Dominus & ad vitam necessaria, & regnũ cœleste, atque gloriam sempiternam, quod in hoc loco clarius repetens ait: Quærite regnũ Dei & hęc omnia adijcientur vobis. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.

Superbire quid.

Acto. 4.

Psal. 71.

quæ maxima sunt duplicia vocantur in sacra scriptura. Esai. 40. Hiere. 16. & 17. Zach. c. 9.

1. Timo.

¶ *Nolite timere pusillus grex quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Magnam profecto consolationem maximumque solamen hęc Christi promissio nobis affert. Gloria illa cœlestis, regnum nostrum est, patria propria est ac regio ad quã tendimus & aspiramus. Illa, inquã, nostra est iure creationis. Condidit enim nos Dominus ad se & inquietum est cor nostrum donec perueniat ad illum. Vnde sanctus Iob ait: annuntiat de ea amico suo quod possessio eius sit & ad eam posse ascendere. Si enim amici Dei, atque chari illi, fuerimus: per virtutum scalam poterimus in eam gloriam, ad quam naturali propensione tendimus, ascendere: illamque iure optimo possidere. ¶ Præterea, nullus subeat animo metus: nam cõplacitum est patri dare nobis regnum, iure redemptionis nobis debitũ. Suo enim sanguine, illud, vnigenitus qui est in sinu patris nobis emit. Atque hoc est quod sancti iam cœlesti illa fœlicitate fruentes aiunt apud Ioan. redemisti nos Deus in sanguine tuo, ex omni tribu, & populo & natione: & fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes, & regnabimus super terram. Non inquiunt emisti nos Domine: sed redemisti. Quo significare volũt, non semel nos emisse suo sanguine, sed semel atque iterum. Vna enim sanguinis Christi gutta, sufficiens atque abundans precium erat, quo regnum illud cœleste nobis emeretur: nedum tanta sanguinis profusio, quare non solum emit, sed redemit. ¶ Tandem non est quare formidemus & si pauci sim9, nam statuit pater nobis humilibus, abiectis, & compatienti bilibus legare regnum hoc: iure ergo legati regnum cœleste nostrum dici ac vere dici potest. In veteri enim illo, antiquoque testamẽto relinquebat Deus hominibus, huius mundi regna, diuitias, voluptates, cœteraque bona quæ externa nominantur: at in nouo testamento morte sua confirmato, non iam huius mundi regna,

Et creationis & redẽptionis & legationis iure ad nos pertinet Dei regnũ Iob. 36. Glo.

Apo. 5.

In extrema. vnigenitus de oceni & remissio.

regna, sed potius regnum cœleste: cuius opes immensę, voluptates inenarrabiles, deliciæ ineffabiles esse dicuntur. Audi ergo legationem. Nolite (inquit) timere pusillus grex quia complacuit patri dare vobis regnum. Pro nostra virili contendamus, hoc regnum, hanc patriam, & iure creationis & redemptionis & legationis ad nos pertinentem, possidere. Patriam igitur nostram (inquit Cyprianus) paradisum computemus: parentes, Patriarchas atque Prophetas iam habere cœpimus. Vt quid non properamus, vt quid non currimus ad patriam nostram vt videre, & parentes nostros visitare possimus. Magnus illuc charorum numerus nos præcessit: & expectat turba filiorum parentum & amicorum, qui iam sunt de sua salute securi adhuc de nostra soliciti. Qua verò recta & compendiosa via petamus hanc patriá: docet Dominus sequentibus verbis, dicens.

Quare Christus monet suos vt vēdant omnia quæ possident.

¶ *Vendite quæ possidetis et date eleemosynam.* Suadet Christus Apostolos vt vendant quæ possident, primo: ne terrenæ possessiones eos remorarentur á militia spirituali. Quo consilio vsus est Paulus AEmilius (vt autor est Plutarchus) qui militibus suis aduersus Macedones bellū gerentibus, ędixit, ne se superuacuis onerarent curis, sed corpora sua dumtaxat armaque curarent, vt sic præstò forét, cum tempus foret, vterenturque gladio, Romano more, cum dux iuberet. Pro republica enim & defendenda & augēda nō solum AEmilius, multique alij Romani duces, atque illorum strenui milites, bona sua contemnebant: sed propriam etiā vitam. Si ergo hos amor suæ ciuitatis pugiles faciebat, pro ipsa, omnia contemnēdo, & ad mortem vsque decertando: quāto rationi magis consentaneum & æquū erat, vt pro cœlesti regno, pro patria illa beatorum, omnia mundi bona Apostoli contemnerent, ne illis detenti, á tanto bono remorarentur. Vendite ergo ait Christus omnia quæ possidetis, nam milites mei estis, quare corpora vestra solum armaque euangelica curate, vt sic pręsto sitis, paratique & expediti vt milites strenui, ad bellum, quod aduersus diabolū, & mundum, atque mundi tyrannos geritis. Quod, intelligentes Apostoli, ita fecerunt.

Paulus AEmilius. Plutharc.

¶ Exemplo ergo illorum nos etiā qui militiam Christi profitemur, omnia mundi bona quæ remorari nos possunt, parui pendamus. Si enim antiqui patres (ait Augustinus) pro republica terrena omnia contēpserunt, & tot pericula sunt aggressi: horribilia mortis genera perpessi: quid magnum est, pro ipsa æterna cœlestique patria seculi huius cuncta blandimenta contemnere: vel quo modo audebit quis de voluntaria paupertate se extollere: vel pro Christo mortem timere eo dicente: Nolite timere eos qui occidunt corpus. Et subdit statim. Si ipsi antiqui hæc fecerunt amore patriæ: laudisq; immensa cupidine: prout dicit Poeta: quid magnum si pro vera libertate qua verè liberantur filij Dei, talia & maiora tormenta sunt sustinenda: quanto retributio maior á sustinentibus expectatur.

5. de ciui. c,18.

¶ Deinde suos Christus pauperes esse voluit atque bonorum omnium contemptores vt facilius veritatem euangelicam affirmarent. Voluntas enim fingendi atque mentiendi eorum est, ait Lactantius, qui opes appetunt, lucra desiderant: quę res proculdubio ab Apostolis cæterisq; sanctis viris fidē Christi apud omnes nationes prædicātibus ab fuit. Ita enim delegato sibi officio functi sunt, vt derelictis omnibus ad tutelam vitæ necessarijs, non modo in futurum, sed ne in diē quidem laborarent, contenti ex temporali cibo, quem Deus subministrasset: & ij nō modo quæstum nullum habuerunt: sed etiam cruciatus atque mortem. Amara sunt enim vitiosis & male viuētibus præcepta iustitiæ. Itaque ij, quorum peccata & arguebantur, & prohibebantur, excruciatos eos acerbissime necauerūt. Ergo á quibus abfuit studium lucri, abfuit etiam voluntas peccandi & causa fallendi. Vendite ergo quæ possidetis ait Christus: nam idcirco vos in mundum mittere volo vt & præcones sitis maiestatis meæ, & correctores prauitatis humanæ. Igitur vt nulla vobis sit occasio mentiendi aut fallendi, nullaque sit de vestro testimonio suspicio, quod lucri gratia mysteria

Secūda ratio.

Lactan. li. 1. de falsa religione, c.4.

Lucri studium mentiendi voluntatē parit.

steria euangelica annuntietis & non manifestandæ veritatis: omnia quę possideris libenter vendite, & erogate in pauperes: vt vel sic omnis tollatur fallendi suspicio. Lege si libet alias causas paupertatis Christi & Apostolorum in glossa Matthæ. 8. super verba illa vulpes foueas habent & volucres cœli nidum, &c. ¶ *Vendite quæ possidetis, &c.* Suadet Christus Dominus omnes nos vt venditis omnibus paupertatem suam sequamur: idq; merito. Nam certè paupertas non solum voluntate sumpta, qualis fuit Christi & eius (quos modo persuasit) discipulorum: sed paupertas libenter tolerata, qualis est multorum piorum seruorum eius, atque anxia vitæ solicitudine vacans, quæ officij cuiusque munus impediat, magnas habet commoditates, & ingentes diuitias parit. Etenim quid hominis anima preciosius est? Quæ opes cum ea comparandæ? Quæ autem vtilior negociatio, aut quæ melior & commodior omnium bonorum acquisitio, quàm totam animam & aliarum rerum amore non dissectam, amando Deo seruare, & offerre? At qui eiusmodi pauper est, animam nō diuisam in alijs rebus diligendis, sed Deo solo diligendo & regnum sibi promissum quærēdo integram, & paratam habet. Paupertatem hic voco non tantum pecuniarum, aut villarum opū inopiam, sed & omniū bonorum quæ mundus admiratur, siue habeantur siue non habeantur, facilem contemptum: vt non habentes gaudeāt, & habentes eo animo sint, quasi non haberent, Quales pauperes Christus Dominus ijs diuitibus opposuit, qui suis diuitijs confidentes, difficile in regnum cœlorum ingredientur: quales fuerunt diues ille qui dicebat: anima habes bona multa in annos plurimos. Et diues ille, qui mendico Lazaro vel micas de mensa eius reddentes dare nolebat. Ij enim diuites & in multa & in noxia desideria, in periculosas animi libidines, ac in varia incommoda incurrunt. & diuisas in tot partes habent animas quot sunt ea, quibus amore adhærent: & solicita semper anxietate ac nimia cura de illis augendis aut conseruandis premuntur: quod etiam non par-

Paupertas volūtaria, aut libenter tolerata, cōmendatur.

tiam animi partem adimit. Ij verò pauperes quorum memini, animam nullius rei amore partitam, nullis prauorum desideriorum periculis expositam, nulla rerum externarum cura ac solicitudine impeditam, sed integerrimam & promptissimā Deo amando tradunt. Quos puto thesauros maximos, opes immensas, & summos verè honores esse. Hoc mundus non capit, sed ij soli, qui dono Dei id sunt experti.

¶ *Date eleemosynam.* His verbis præcipit Dominus vt venditis bonis à nobis possessis pecuniam inde collectam erogemus in subleuandam pauperum inopiā. Quod si omnes nos intelligeremus quot habeat commoditates hæc iactura pecuniarum, quot diuitias pariat spirituales ac temporales nemo nostrum grauaretur: imo libentissimo animo hanc tam insignem virtutem misericordiæ amplexaretur. Audi ergo huius virtutis excellentias, vt facile post hac patiaris nōnullam saltem bonorum tuorum iacturam, si durum & graue tibi videatur omnia vendere, & erogare pecuniam inde collectam in pauperes. ¶ Prima ergo huius virtutis excellentia est, assimilare homines Deo suo. Assimilare inquam, in re, qua magis eius maiestas & gloria resplendet: hoc est in misericordia. Certa enim res est, quod nihil præclarius aut perfectius in creatura aliqua inueniri potest, quā quod Deo opifici suo sit similis. Quantoque magis illum expresserit, ac retulerit, tanto erit eius absolutio, perfectioque maior. Certa etiam res est, nihil proprius Deo conuenire quàm misericordia. Ideo enim clamat Ecclesia Deus cui propriū est misereri semper & parcere. Quemadmodū enim creaturarum proprium est indigere ac necesse habere (cuius causa, earum est, potius recipere quam dare) sic contra cum Dominus Deus noster natura sua ditissimus sit, eius erit proprium ac genuinum potius dare quam accipere. Quare eius peculiare erit, misereri semper, & parcere. Neque solum hæc virtus Deo peculiaris esse dicitur, sed (quantum ad nostrum intelligendi modū attinet) nulla inter virtutes diuinas, creaturas respicientes,

Prima excellentia eleemosynæ.

S. Tho. 2a 2æ q. 30.

clientes gloriosior nullaque illustrior atque splendidior, nullaque ab illo in maiori precio habita quam misericordię virtus. Qua de causa mansuetissimus ille Moyses & si in illa præclara visione qua Dei gloriam, essentiam & naturam vidit, infinitas Dei virtutes perfectionesq; cōtemplatus fuerit, nullius potius meminit quàm misericordiæ. Simus ergo misericordes sicut pater noster misericors est. Sed de hac excellentia alibi diximus.

Exo.34. Luc.6.

2. excellentia eleemosynæ.

¶Huic accedit alia huius virtutis excellentia. Nempe quod misericordes virtute misericordiæ, qua subleuant miserorū inopiam, & qua Deo misericordiarū fonti assimilantur, peculiari & speciali quadam amicitia (quæ, nisi inter similes, esse non potest) Deo sunt coniuncti. Similitudo enim amoris est causa. (ex quo fit vt omne animal diligat sibi simile) si ergo misericors, est Deo similis: illū à Deo peculiariter & vnicè diligi necesse est. Idcirco philosophorum princeps Aristoteles in AEthicis affirmabat, virum sapientem, atque rerum diuinarum contemplationi deditum, esse Deo maxime gratum: quod in contemplatione illi esset similis. Cum igitur dominus Deus sit fons & pater misericordiarū, necesse est vt electos suos hac virtute decoratos, singulariter diligat: tanquam veros ac legitimos filios, illum referentes. Quid ergo hac virtute preciosius? Quid maiori æstimatione dignius? Si regum ac principum amici, tanti ab hominibus habentur: si imperatoribus chari, suspiciuntur ab omnibus: quāto maiori precio digni sunt viri misericordes, qui peculiari quadam dilectione à Deo prosequūtur? Digni profectò sunt vt eos admirentur omnes, suspiciant atq; venerentur.

3. excellentia.

¶Tertia huius virtutis magnitudo ea est, vt qui illa sunt præditi ius habeant petendi diuinam misericordiā. Cuius rei plurimas habent leges à Deo sancitas. Beati (inquit) misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et sanctus Tobias. Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciē tuā ab vllo paupere, ita enim fiet vt à te non auertatur facies Dei. Hęc aliaque multa testimonia passim inuenies quibus polli-

Matth. 5.

Tob 4.

A cetur dominus misericordibus misericordiam suam. ¶Neque his contentus atq; alijs similibus promissionibus Spiritus sanctus, sed vlterius progrediens Deum quasi captiuum efficit hominis misericordis. Quod vel sic colligere licebit. Nā Prouer. 19. ait. Fæneratur domino qui miseretur pauperis. Et cap. 22. qui accipit mutuum seruus est fænerantis. Deus ergo veluti seruus & captiuus dicetur eius qui subleuauit inopiam pauperis, quando quidem subueniendo pauperi, domino fænerauit.

Pro.19. Pro.22.

B Quid quæso honorabilius? Quid dignius aut prętantius quam rerū omnium conditorem habere (si liceat dicere) seruum atque quasi bello captum? Quid etiam desiderabilius quam in manibus nostris habere claues viscerū Dei; vt nobiscum sua misericordia vtatur?

4. excellentia.

¶Quarta vero huius insignis præclareq; virtutis præstantia est: vt illa interueniēte facilius omnium peccatorum veniam à Deo impetrabimus: si vera sunt, vt verè sunt, quæ Spiritus sanctus varijs in locis scripturæ sacræ affirmat. Ignem ardentē

C extinguit aqua (inquit) & eleemosyna resistit peccatis. Prouer. etiam. c. 21. Munus absconditum extinguit iram: & donum in sinu indignationem maximam. Et rursum apud D. nostrum Lucam Dominus dicebat: Quod superest date eleemosynā & ecce omnia munda sunt vobis. Item Daniel cōsulebat regem Babylonis atq; dicebat: Peccata tua eleemosynis redime: & iniquitates tuas misericordijs pauperum. Inter ergo alia media instituta à Deo, ad perfectam remissionem peccatorum, non minimum & ignobilem sed in-

Eccl.3.d Pro.21.b. Luc.11. Dan 4.

D signem eleemosyna optinet locum.

5. excellentia.

¶Nec præstat solū hæc virtus vt illa, Deo debita persoluamus: sed tanta est eius nobilitas vt hominem multis opibus multisquè meritis ditet. Tanta enim est eius copia pecuniarum, vt per se sufficiat ad soluendum debita contracta, & ad hominē ditandum. Qua enim parte hęc virtus misericordiæ, iacturam bonorum temporalium atque tristitiam & pœnam secū affert, satisfacere pro peccatis commissis potest: qua verò parte charitate induta & decorata, exercet munus suum diuitias

multas

multas spirituales, opesque supernas, & acquirit & cōparat. Cuius rei expressam habes imaginem. 4. libro Regum.c. 4. quo in loco sacra refert historia sanctum Elisæum miseræ cuidam mulieri, subsidium, quo debita mariti sui soluere posset, petenti respondisse: quid habes in domo tua? Quæ cum respondisset: non habeo ancilla tua nisi parum olei quo vngar, Ait Elisæus: vade pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca: & mitte inde in omnia vasa hæc, & cum plena fuerint tolles. Quod cum fecisset & renuntiasset miraculum Elisæo, ait illi Propheta Dei: vade & vende oleum & redde creditori tuo: tu autem & filij tui viuite de reliquo: quod, ad verbum accidit, vt sanctus vates monuit. Quod ergo aliud est hoc, nisi expressa similitudo huius virtutis? Qui enim pauperum & inopum misertus fuerit, & si parum olei diffuderit, in tantum accrescet, atque multiplicabitur, vt tam diues efficiatur, quod & debita creditori Deo persoluere possit, & opes innumeras meritorum augere: (dum tamen ita faciat vt nesciat sinistra eius quid faciat dextera sua. Quod volés significare vates, spiritu Dei affectus, miseræ mulieri dixit: ingredere & claude ostium tuum.) ¶ Hoc idem etiam erat quod Regius Propheta canebat dicens. Dispersit dedit pauperibus: iustitia eius manet in seculum seculi. Atque ideo Paulus eleemosynam, sementem appellat: cū inquit: qui parcé seminat parcé & metet: & qui seminat, in benedictionibus de benedictionibus & metet. Quibus verbis significare voluit Paulus quod quemadmodum agricola seminando, & si videatur semen suum dispergere atque diffundere, reuera non dispergit, sed potius auget, ac multiplicat: sic misericors, qui ob Dei amorem bona sua erogat, subueniendo miserorum inopiæ, & si videatur illa perdere, reuera non perdit: sed potius amplificat, ac maiora facit: ita vt pro vno, in vita hac præsenti centum accipiat: in futura verò vitam perennem. Idcirco Ecclesiastes cap. 11. consulit: Mitte panem tuum super aquas transeuntes: quia post tēpora multa inuenies illum. Nihil enim magis amitti videtur quàm quod super transeuntes aquas ac fluentes dimittitur. Sic oculis hominum eleemosyna apparet. Sed maxime falluntur. Nam tandem adaucta atque multiplicata reperitur: tādem comitatur nos in mortis articulo: imò non solum comitatur sed tanquam lucerna splendidissima viam illam obscuram atque incognitam ostendens, anteit. Idcirco Esaias postquam virtutem hanc commendarat, addit: Tunc erūpet quasi mane lumen tuum, & anteibit faciē tuā iustitia tua, & gloria Domini colliget te. ¶ Ex quo colliges hoc vnum inter alia, esse optimum ius, sperandi ac petendi beatitudinem: adducere scilicet ante te misericordiæ meritum. ¶ Ex quo etiam intelliges quam aptus, quam vtilis ac conueniens sit modus iste negociandi, si transuehere cupimus thesauros nostros in cælum: si in patriam illam trasferre quæ, necessario in hac essent relinquenda. Quapropter Dominus in hoc loco cōsulit dicens: Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis: quo fur non appropriat, nec tinea corrumpit. Atque hoc idem alijs in locis repetit. Thesaurizate vobis thesauros in cœlo vbi neque erugo neque tinea demolitur: & vbi fures non efodiunt nec furantur. Et alibi: facite vobis amicos de mammona iniquitatis, hoc est, ex re qua homines solent male vti, vt cum defeceritis recipiant vos in ęterna tabernacula. ¶ Aliam etiam non minorem viam ac virtutem hæc virtus habet. Secum enim affert Dei opportunum subsidium atque adiutorium in tribulationibus. Si enim viri misericordes affliguntur á mundo, opprimuntur á diabolo, Deum habēt adiutorem: qui præsto illis adest. Idque nō immeritò. Nam si ipse apud Matthæ. ait: Vt qua mensura mensi fuerimus alijs, alij vicissim metientur nobis: æquum atque rationi consentaneum est, vt qui non ignarus mali, miseris & afflictis succurrere didicit: afflictus ipse atque oppressus, á Domino succurratur. Quod si amicorū, atque hominum gratorum est, gratiam pro beneficijs susceptis referre, atque cū opus fuerit retribuere & recompensare: quid

4. Reg. 4. Figura. Matth. 6. Psa. 111. 2. Cor. 9. c Matth. 19 Eccle. 11 a Esai. 58. c Matth. 6. Infra, c. 16 6. excellentia. Matth. 7.

quid rogo faciet fidelissimus ille dñs qui toties repetit: amen dico vobis, quod vni ex minimis istis fecistis: mihi fecistis? Hoc nobis exprimunt atq; referūt benedictiones illæ, quas regius Propheta spiritu Dei afflatus misericordibus præcabatur, & quibus illos benedicebat dicēs: Beatus qui intelligit super egenū & pauperē: in die mala liberabit eum Dñs: Dñs conseruet eū, & viuificet eū & beatum faciat eū in terra: & non tradat eū in animā inimicorū eius. Dñs opem ferat illi, super lectū doloris eius: vniuersum stratū eius versasti in infirmitate eius. Quid quæso aliud desiderari poterat in huius virtutis præmiū? Quid amplius optari? Satis profecto hæc precationes & benedictiones ostēdunt quo animo & affectu esset sanctus iste Propheta in hāc virtutē. ¶ Neq; abs re has benedictiones præcabatur sciēs & intelligēs eas esse seruatas viris misericordia affectis. Scriptū nāq; est fratres in adiutoriū in tempore tribulationis, & super eos misericordia liberabit. Et rursum in alio loco idē Ecclesia. ait. Deus prospector est eius qui reddit gratiā. Meminit in posterū, & in tēpore casus sui inueniet firmamentū. Hoc idē apud Esaiā pollicetur Dñs his verbis. Cū effuderis esurienti animā tuā, & animam afflictā repleueris: orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erūt sicut meridies. Hoc est, calamitates & angustiæ atq; afflictiones tuæ, quas tenebras voco, in gaudiū cōuertētur. Quod aperte cōtigisse scimus sancto ac pietate & misericordia præstanti Tobiæ, qui ob eleemosynā ab omnibus tenebris & pressuris tā corporis quā animæ liberatus est. Idēq; euētorū existimabat omnib9 qui, hāc virtutē sectarētur. Ideo filio suo dicebat. Ex substātia tua fac eleemosynā, &c. præmiū.n. bonū tibi thesaurizas in die necessitatis.

Matth. 25

Psa 40. a

Eccl. 40. d

Eccl. 3 d

Esai. 58. c

Tob 4 b

¶ His omnibus adde quod misericors facile eum Deum præcatur exauditur. Quēadmodū.n. ipse miserorū ac pauperū clamores exaudit: sic par est vt ei9 clamores à Deo exaudiantur. Qua propter postquā Esai. dixerat: frāge esuriēti panē tuū, & egenos vagosq; induc in domū tuā: cū videris nudū operi eū, &c. statim subdit: tūc inuocabis & dñs exaudiet: clamabis

7. excellentia.

Esa. 58. c

A & dicet, ecce adsum. Quasi diceret: cū natura ipsa sim misericors, natura etiā ipsa misericordes amplector & amore ingēti prosequor: quare nō mirū quod par pari referā clamores illorū exaudiēdo quādo ab eis mēdicorū voces sūt exauditæ. Atq; non solū eos cū clamant exaudit Dñs, sed cū omnino tacēt: cū eorū pietas pro illis proclamare non cesset. Quod affirmat Ecclesiasticus dicens: Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Contra verò qui

B inopis clamorem non audierit, neque ipse, & si ad cœlum vsque vocem tollat exaudietur. Sic enim testatur Salomon in Prouerbijs. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur. ¶ Quid plura referam? Tempus deficeret, si pro dignitate hæc virtus esset commendanda. Finem ergo orationi imponam, hac excellentia, & eminentia huius virtutis. Quod, scilicet, qui illa sunt decorati, in die iudicij ius certum habebunt petendi ab omnium mortalium iudice regnum gloriamquē cœlestem. O terque quaterque beati om

C nes illi qui, in ea die, huius virtutis ornamentis induti atque decorati apparuerint: quàm securi tunc ante iudicis tribunal accedent: in misericordia, qua prosecuti sunt pauperes, merito confidentes. Nam vt Tobias ait: Fiducia magna erit coram summo Deo, eleemosyna omnibus facientibus eam. Si tunc hostes inferorum aduersus illum insurgant & accusent: eleemosyna illos defendet atque patrocinabitur. Vnde Ecclesiasticus ait: Super scutum potentis, & super lanceam, aduersus inimicum tuum pugnabat.

D Quod si Dominus eiusmodi hominem tunc temporis de magnis sceleribus accusauerit, hoc est, de septem criminibus capitalibus: sese in hunc modum excusare atque defendere facile poterit. Fateor Domine me istorum delictorum reum esse: sed illorum loco septem misericordiæ opera quæ meam causam defendant & agant, citabo. Memineris Domine illius sermonis tuo ore prolati: beati misericordes quoniam ipsi misericordiam cōsequētur. Memineris illius etiā: qua mensura mensi fueritis, remetietur

Eccl. 29. b

Pro. 21. b

8. excellentia.

Tob. 4. b

Eccl. 29. a

Matth. 5?

Matth 7. vobis. Et rursum illius: quoniam eleemosyna à morte liberat: & non patitur animam ire in tenebras. Tob 4 b Sta ergo Dñe promissis: & vti placeat misericordia tua mecum: qui ob tui amorem & gratiam erogaui bona mea in subleuandam pauperũ tuorũ inopiam. Quid tandem pro defensione meæ causæ adducam? Quid allegabo? Quid referam? Reuoca obsecro Dñe Matt. 25. c in memoriam quod apud Matthæ. Euangelistam tuum nobis scriptũ reliquisti: quo spem meam erigeres. Cũ venerit (inquis) filius hominis in maiestate sua, congregabuntur ante eũ omnes gentes & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hædis, & statuet oues quidẽ à dextris suis, hædos autẽ à sinistris. Tunc dicet rex his qui in dextris eius erunt. Venite benedicti patris mei, possidete paratũ vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim & dedistis mihi manducare, sitiui & dedistis mihi bibere, hospes eram & collegistis me, nudus & operuistis me, &c. Tunc respondebunt ei iusti. Dñe quando te vidimus esurientem & pauimus, &c. Et respondens Rex dicet illis amen dico vobis, quandiu fecistis vni de his fratribus meis mihi fecistis. Ecce ego Dñe ipse adsum, ecce ego ipse sum qui hæc opera quæ tu refers tua gratia exercui. Parce ergo mihi, & regnũ hoc paratũ à mundi constitutione ijs qui pauperis, hoc est, tui, miserti sunt confer. Non dubium quin Dñs tunc stabit conuẽtis, promissaq; seruabit. Fœlices atque beatæ aures quæ ab ore Christi omni melle & fauo dulciori, audient verba illa, omni suauitate plena: venite benedicti patris mei. Hoc enim satis superq; erat, non ad hoc solũ, vt nostra pecunia pauperũ inopiam subleuaremus: sed vt per mare, per terras, eos quibuscũ nostra misericordia suũ munus exerceret, quæreremus. ¶ Si Epilogus ergo hæc virtus tanta est vt similes nos Deo efficiat, eius amicitiã conciliet, ius cõparandi diuinã misericordiã cõcedat, peccatorũ veniã cõsequatur, diuitijs cœlestibus animũ impleat, Deũ in calamitatibus præsentẽ habeat, ab illo, cum precatur, exaudiri mereatur, si tanta deniq; est vt corã iudice pro tribunali sedendo, causamq́; nostrã agat, defendat atq; tuea-

A tur, & regnum cœleste nobis acquirat, quid in illã non quærimus, non amamus non amplectimur? Quid ni libenter non audimus Dñm dicentẽ vẽdite quæ possidetis, & date eleemosynã, cũ non possint diuitiæ in tuto magis collocari: non possint maiori certioriq; cũ fœnore deponi. Demus igitur eleemosynã, scientes quod qui dat eleemosynã (vt iã diximus) Deo fœnerat, qui nõ potest fallere: & vt diues est ac benignus pro vilis reddet præciosissima, pro terrenis cœlestia, pro fluxis ac B mox attetendis æterna. His igitur opib⁹ studeamus ditescere parui pendentes bonorũ tẽporaliũ pro illis cõparandis tam paruã iacturam. ¶ Sed quæres fortassis quid sit in causa quod in illa die potius Dñs retulerit hanc misericordiæ virtutẽ, quã cæteras omnes, quibus electi regnũ cœlorũ promerentur? Nimirum in causa fuit, voluisse Dñm in tanta huius virtutis cõmendatione nobis ostendere, & sapientiã, & liberalitatem, & immensam erga homines charitatẽ suã. Ostendere in-C quam voluit sapientiã suã. Sciebat enim homines natura esse tenaces ac parcos, suis solum cõmodis studentes: vt ergo ad misericordiam traheret, atq; ad pietatẽ in inopes prouocaret: idcirco tantũ ac tã immensum atq; inæstimabile præmium illis proposuit. ¶ Suã etiã magnificentiã ac liberalitatem in ea re demonstrare placuit cõcedendo pro minimo summũ omniũ bonorũ. Est nãq; superna illa beatitudo omniũ diuitiarũ, omniũ opum, omniũ deniq; bonorũ supremũ bonũ: pecunia verò omniũ infimũ. Libuit ergo illi tantũ bonũ pro re vilissima cõmutare: vt D ostenderet ineffabilẽ beneficentiã suam. Libuit concedere pro vili pecunia: quod sanguine proprio a patre emit. ¶ Tandem suã tunc indicauit & charitatẽ incredibilẽ, & prouidentiã inauditã: nõ enim ignorabat futuros esse in mundo pauperes & inopes innumeros (sic. n. fieri decebat: vt inopes inopiã patiẽter sustinẽdo, diuites verò illorũ miserẽdo atq; inopiam subleuãdo, regnũ cœlorũ cõpararẽt) idcirco tãto amore ac desiderio vtrisq; Dñs succurrere voluit, tãq; ardẽter & pauperũ & diuitũ remediũ desiderauit, vt misericordiã mandaret tanta verborum exaggeratione,

ne, tanta præmiorum promissione, vt ea maior fieri non potuit. Quod vni (inquit) ex minimis meis fecistis mihi fecistis. Si enim rex aliquis regno suo proficisci volens, filium sibi charissimum mandasset sui regni magnatibus; quibus obsecro verbis alijs magis illum mandare posset quam his: quod huic filio meo feceritis, mihi facietis: vt bisque condignam gratiam referam? Qua ergo maiori verborum amplificatione & excellentia diuitibus poterat Dominus iniungere vt pecunia sua pauperibus subuenirent, quam ipsorum loco seipsum collocando? Quid quæso referam de tanta pauperis Christi præstantia? Quid de tanta eius præeminentia narrem quando Dei personã præferebat? Itaque Dominus est qui in inope est absconditus: ipse est; qui eleemosynam recipit: & qui premium est largiturus. Si enim pauperes, essent mundi reges aut principes, minime esset mirandum tanta verborum magnitudine fuisse commendatos: nunc autem cum sint mundi sordes, atque purgamenta, quod loco Dei constituantur, quid rogo nobilius, quid eminentius, aut præstantius?

¶ Hæc ergo est huius virtutis vltima excellentia vt nos in die iudicij defendat, tueatur, atque ita rem nostram agat, vt spem acquirendi regnum cœlorum, præbeat. Idcirco Diuus Paulus dicebat in priori epistola ad Timo. cap. 4. Pietas ad omnia vtilis est promissionem habens vitæ quæ nunc est & futuræ. Atque vt hãc eandem excellentiam huius virtutis dominus ostenderet, aiunt sancti Doctores, voluisse ab oliuarum monte cælos ascendere. Quo intelligeremus nos à monte misericordiæ (cuius typum gerit oliua) ad cœlum ascensuros esse. 3. etiam Regũ cap. 6. sacra referunt eloquia Salomonẽ fecisse ostia oraculi de lignis oliuarum. Qua figura significare voluit Dominus per portas misericordiæ esse nos ingressuros in oraculum illud cœleste. Si ergo hæc ita sunt vt verè sunt & nullus nostrũ sit tam oblitus salutis suæ vt non illam appetat, non ad illam anhelet, atque aspiret, cur pro tanto tamque immenso bono comparando, tam paruam, tam minimam pecuniæ iacturam, non æquo animo patiemur?

1. Tim. 4.

3. Reg. 6. Figura.

A

¶ *Vbi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.* Quam vera sit hæc domini conclusio probatione non eget. Cũ id quotidie vsu venire videamus; vt vbi quisque thesaurum habet, ibi habeat & cor. Quod enim quis vehementer amat: eius nõ potest obliuisci. Veluti diues qui conditas domi habeat aut defossas opes, etiam si foris agat, tamen animus domi est, solicitus ne fur compilet, ne quis casus prodat, aut vitiet thesaurum: rursus, qui amant, semper in eo quod amãt, habent intentum animum. Ideo suadet dominus, vt nostrum cor semper sit in cœlis. Atque illic semper erit si in terris nihil habuerimus, quod vel miremur, vel amemus, & si vniuersum thesaurum nostrum reconditum habeamus in cœlo.

Ostẽditur quam verè dictum sit quod vbi quis thesaurum habet ibi etiã habeat cor.

B

¶ Hinc colligere licebit simul esse non posse, & diuitiarum immoderatum amorem, & Dei amorem. Ratio huius in promptu est. Nam amor vbi est, ibi animus, mens, ratio, memoria ac volũtas tota est: ibi sensus omnes ac vires hominis intenti sunt. Quare qui dixerunt: vbi amor ibi oculi, verè quidem sed parum minusque dixerunt: cum nõ solum oculi sed vires omnes hominis (quod modo diximus) ibi sint. Ibi volũtas amplectens quod amat: ibi mẽs animusque totus in re amata: ibi memoria illam semper retinendo: ibi lingua continuò ac sine intermissione de eadem loquendo: qua propter in hoc loco Saluator ait: vbi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit. Hoc est voluntas ac mens & quæ à corde, hoc est, à voluntate pendent. Si ergo hæc vera sunt (vt reuera sunt) quo pacto voluntas, hoc diuitiarum immoderato amore affecta: poterit Dei amore flagrare: illum ardenter diligere? Animo, memoria, cæterisquè corporis viribus ac sensibus in illum intendere? Si enim rerum humanarũ desiderio, atq; immodica vehementiq; cupiditate affecta est: vbi diuinarum amor, locum inueniet? Vbi hospitabitur? Vbi benignè & amicè recipietur: si locus nullus extat sed omnia ab amore illo peregrino præoccupata sũt? Tabula. n. figuris aut ima-

Immoderatus amor diuitiarũ cum Dei amore esse non potest

C

D

similitudo imaginibus tota depicta, quo nam modo alias suscipere poterit nisi priores & eradantur & expungantur? Terra quæ ordei semen suscepit, quo pacto triticum ferre poterit? Cor igitur diuitiarum nimio amore affectum, quo modo diuino cœlestique amore inardescere poterit, cum non bene conueniant neque in vna sede morentur ambo? Mitte ergo diuitiarum amorem, atque opum cupiditatem, quæ te à Dei amore subtrahet. Contemne diuitias: quæ esse solent irritaméta malorum: quæ tecum perseuerare aut perpetuo durare minime possunt: contemne opes quæ te neque meliorem, neque peiorem, neque sapientiorem, nequé alacriorem, efficere valent: contemne diuitias, quæ (vt Seneca ait) inflant animos, superbiam pariunt, atque inuidiam parant. Contemne illas, quia te à nullo malo liberare possunt: quando (vt idem ait) à sui cupiditate liberare non possunt. Vende igitur omnia quæ possides, & erога pecuniam inde collectam, in subleuandam (vt iam monuimus) pauperum inopiam: & tunc thesaurizabis tibi thesauros in cœlis: tunc Deum amare, rebusq; diuinis, atque euangelico negocio intendere: atque totum in his rebus te ipsum occupare facile poteris; tunc in cœlis, vbi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum erit.

Similitudo

S. n. 18. ep.

¶ *In commu. conf. Pontif. et non Ponti.*

Sint lūbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominū suum quando reuertatur à nuptijs: vt cū venerit, & pulsauerit, confestim aperiant A *ei. Beati serui illi, quos cum venerit Dns, inuenerit vigilātes. Amē dico vobis quod præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit: beati sunt serui illi.* B *Hoc autem scitote quoniā si sciret pater familias qua hora fur veniret: vigilaret vtiquè, et nō sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.*

Matt. 24. d

C

HOC euangelio admonere nos vult Dominus vt vigilemus, vt simus semper parati. Tempus enim huius vitæ breue est, quare toto studio hoc est agendum, vt quam plurimum bonorum operum recondamus in cœlo (vt superius dixerat) instat enim dies quo quisque pro semente rerum temporaliū, messurus est messem æternam. Is dies, quoniam nobis incertus est, oportet in eum semper esse paratos, & accinctos. Hoc ergo est quod persuadere impresentiarum Dominus conatur. Illum itaque audiamus. D

¶ *Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes in manibus vestris*, Imprimis docet hic locus omni vitio debere carere Ecclesię præsules & sacerdotes. Olim duplici cingulo Pontifex accinctꝰ erat. Vt significaretur debere præsules constrictos esse in verbo, constrictos esse in opere. Expeditos ad omnia, nihil remissum, nihil habere dissolutum. Accinctos esse animi virtutibus, constrictos à

Præsul omni vitio carere debet

Leui. 8. Figura.

corpo

Orige.

corporalibus vitijs, nullũ animæ lapsum, nullum corporis timere. Vide Orige. ho. 6. super Leui. ¶ Monet etiam hic dominus omni labe debere carere, qui in alterum paratus est dicere: quales parati erant Apostoli. Vt enim tuba (quod alias diximus) dum sonitum emittit manibus tenetur, sic concio manibus, hoc est, concionatoris operibus sustẽtatur. Voces enim & actiones simul iunctæ armoniam & cõcentum excellentem efficiunt. Opus est vt tuba sonet, & manus sint ad eam tenẽdam eleuatæ. Id voluit alijs verbis scriptura in libro iudicum significare, vbi ait: Eos qui erant cũ Gedeone aduersus Madianitas pugnaturi in manibus lãpades cum igne, & tubas sonantes portare. Tubæ sonantes sunt verba, lampades verò in manibus sunt præclaræ virtutum actiones & exempla, iuxta id quod ait Christus in hoc loco: sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. ¶ Tertio admonemur his verbis ne nimis de nostra salute confidamus: sed pauidi simus, atque semper parati, semper præcincti: cum incerti simus quãdo aderit dies, quo Dñs est rediturus à nuptijs. Genes. 43. sacra narrant eloquia fratres Ioseph esse timore correptos: quibus consolatus est seruus Ioseph dicens: Pax vobis: nolite timere. Nedum tamen timorem abiecerunt: sed parabant munera vt illi offerrent: nesciebant an etiam Ioseph sic affectus esset, timebant, ne forte seruus vana spe ipsos lactasset. Sic quantũuis concionatores nos consolentur verbo Dei, non tamen ideo cessemus, vt solent ociosi & dessides nimiaque confidentia affecti Christiani de nuda fide sibi blandientes. Potest enim seruus errare, & pacem annũtiare, vbi non est pax, sicque viuificare animas, quæ non viuunt. Potest adulari & caput demulcere, puluillos cõsuere sub omni cubito. Errat concionator euãgelicus, errat Ecclesię minister, cum impænitentibus atque sui, salutisque suæ oblitis, pacem annunciat. Non enim est pax impijs dicit Dñs. Quare non tantum attendẽdum quod è prædicatore audias, sed simul videndum tunc tu talis sis, ad quem verbum Dei hoc feratur, nõ enim

Omni labe carere debet qui in alterũ paratus est dicere.

Simile.

Iudi. 7.

Figura.

Non oportet nimis de nostra salute fidere: sed semper debemus esse pauidi.

Gen 43.

Esa. 48. d

A omnibus omnia dicuntur. Paremus igitur munera, expectemus dominũ succincti lumbos, atque lucernas bonorũ operũ habeamus semper in manibus nostris, vt similes simus prudẽtibus ac fidelibus famulis, qui quoniam ignorant quando dominus sit rediturus à nuptijs, perpetuo stant accincti cum tædis. ¶ *Sint lumbi vestri præscincti*. Per zonam, per baltheũ atque cingulũ, intelligi in sacra scriptura castitatem, fatentur qui in illa sunt versati. Castos ergo esse vult dominus ec

B clesiæ suæ ministros. Hinc est quod sapiens ait: ò quam pulchra est casta generatio cũ claritate. Quanto enim clariores sunt fideles, quanto dignitatibus splendidiores, tanto castiores, ac mundiores esse debent. Vt de illis verè dici possit: candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte. Niueus enim candor, lacteus etiã candor, vera castitas est. Sint ergo ò præsules lumbi vestri semper præscincti. State ergo viri religionem profitentes, succincti lumbos vestros in veritate. In verita-

C te, inquam, nam simulata castitas (qualis fuit Thamar, quę post concubitum cum socero suo, depositis ornamentis, induta est viduarum vestimentis) vera castitas dicenda non est. Elias quidem præscinctus erat circa lumbos zona pellicea: imo & angelus à D. Ioãne visus est præscinctus ad mamillas zona aurea. Vt discant qui vitam perfectam atque angelicam profitẽtur, zona castitatis seipsos præcingere. Quod si eorũ castitas auro charitatis decora sit tunc perfecta erit. Discãt deniq; fideles omnes verã seruare castitatem: illã ament illã sequantur expectantes domi-

D num suũ. Meminerint filiorum Israel qui comesturi paschalẽ agnũ renes prius accingebant. ¶ Et quanuis omnes qui Christi fidẽ profitentur, quicũq; illi sint, præcingi debeant: tamen peculiariter hanc virtutem amplecti debent, qui alijs in ecclesia præsunt. ¶ Si enim in eo vocati sunt, vt iram Dei suis precibus placent: vt Ecclesia. affirmat. c. 44. dicens: In tempore iracundię factus est reconciliatio: placare verò, nisi castitate ac carnis puritate sint prædi ti minime possint, cum Paulus affirmet, quod qui in carne

Quid per zonam & baltheũ & cingulũ intelligatur in sacra scriptura castitas.

Sap. 4.

Thre. 4.

Ephe. 6.

Gen. 38.

4. Reg. 1.

Apo. 1.

Exo. 12.

Sacerdotes maxime decet esse castos.

1. ratio.

Eccl. 44.

Rom. 8. sunt Deo placere non possint: inde fit vt huius virtutis amore flagrare debeant.

2. ratio. ¶ Si etiam vices in Ecclesia Dei gerunt, si in loco filij hominis sunt constituti (vt vere sunt) similes filio hominis necesse est vt sint. Vidit si quidem D. Ioan. in Apo. Apoce 1. similem filio hominis præcinctum ad mamillas zona aurea: quod superius retulimus. 3. ratio. ¶ Si angeli Dei sunt: dicente Malachia: angelus domini exercituum est: puritatem angelicam sequi atque imitari conentur. 4. ratio. ¶ Quod si eorum est, contrectare sancta: vt sancti atque mundi sint oportet. Vnde in Leui. c. 21. dicitur. Leui. 21. Incẽsum domini: & panes Dei sui offerunt: ideo sancti erunt. Si enim olim sanctificabantur sacerdotes & leuitæ, vt custodirent aut portarent arcam domini: si puri ac mundi, qui ferrent vasa eius. 2. reg. 7. 1. Para. 15. Si homo qui tunc accedebat ad ea quæ sanctificata erant, immundus: peribat coram domino: Leui. 22. quid de Ecclesiæ primoribus dicẽdum est: qui custodiunt, qui ferunt verá Dei arcam? Qui offerunt quotidie panẽ cœlestem? Mundamini ergo qui fertis verum calicem domini: imo qui bibitis verum sanguinem eius. 5. ratio. ¶ Si eorum similiter est, populum emundare: atque ab omni labe ac macula abstergere vt apud Neemiam. cap. 12. licebit videre: Neemia. 12. vt illi omni labe careant oportet. Nam vt Ecclesiasticus ait: Eccl. 34. Ab immundo quid mundabitur? Sanctificamini ergo ó vos Ecclesiæ ministri: & tunc mundate domum domini. Vt Paral. cap. 29. Para. 29. vobis omnibus dicitur. Si denique munus vestrum est diligere sapientiam (quæ omnium fœminarum est nobilissima) si vestrum est eam vobis in veram sponsam sumere: illiusq; in hac re vestigia sequi, qui dicebat: hãc amaui, & exquisiui illã à iuuentute mea: Sap. 8. & quæsiui sponsam eã mihi assumere & amator factus sum formæ illius: facile vanum vanarũ mulierum amorem contemnetis. Prudentiam ergo vocate amicã vestram, vt custodiat vos à muliere extranea: quod Salomon admonet in Prouerbijs. Pro. 7. Balsamo enim suauissimo sapientiæ, si imbuti sitis: ab omni carnis corruptione, immunes & expertes eritis. Sic enim Salomon ait de illa loquens: Eccl. 24. quasi balsamum non mixtum odor meus. Eloquia etiam domini, eloquia casta vocantur, Psl. quod castos illis deditos, efficiãt. In quo sensu etiam Iacobus ait: Iaco. 3. quæ de sursum est sapiẽtia, primum quidem pudica est. Quare non immerito. D. Hiero. inquiebat: Hiero. ama sacras literas & carnis vitia non amabis. Lege si vis quæ dicuntur etiã. 33. q. 4 c. sciatis, atq; alijs sequẽtibus. 33. q. 4. de consec. d. 2. Lege præterea de consecr. d. 2. c. omnis homo. Quibus in locis maxime cõmendatur castitas sacra tractantibus & ad sacra accedẽtibus. Sed illud satis erit, vt omnes Ecclesiæ proceres carnales illecebras contẽnant, intelligere. s. eos esse Dei Ecclesiam (sic enim vocat Dñs apud Matthæ. Matth. 8. Ecclesiæ capita, cũ ait: si Ecclesiæ nõ audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus) Ecclesia vero & casta & virtutũ actionibus intenta esse debet: sic enim de illa ait in Prouer. Spiritus sanctus. Pro. vlti. Accinxit fortitudine lũbos suos, & roborauit brachiũ suũ. Tunc (inquit Hiero.) D. Hiero. ibi. accinxit Ecclesia lũbos suos fortitudine, cũ supernorũ desiderijs intenta, carnalibus desiderijs succũbere despexit. Roborauit brachiũ suũ quum se ad agenda virtutũ opera præparauit. Et bene primo lũbos fortitudine accingere, ac post modum roborare brachiũ dicitur: quia nimirũ actio boni operis acceptabilis esse dño minime valet, si nõ fluxa luxuriæ quis prius à carne simul & mente restringat. Vnde Propheta. Esai 1. Quiẽscite, inquit, agere peruersẽ. Discite bene facere. Et Dñs ipse: hic sint lũbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes. Lũbi videlicet præcincti ne luxuriæ subdamini. Lucernæ vero ardentes, vt bonis fulgeatis operibus. Hæc ille. Sed nos miseros: cum in Ecclesia ista non tam præcinctos quã discinctos videamus nõnullos ministros. Iam Ecclesiæ principes multi, similes sunt Iulio Cæsari qui ob suã incontinentiã iuuenis discinctus appellabatur. Meritô quidẽ huiusmodi, discincti dicuntur: cũ sint desides, molles, negligentes, & intẽperantes, lubricisq; voluptatibus dediti. Molles enim, demissis discinctisq; vestibus vti solent: strenui verò atq; industrij, castitatiq; dediti præsules, iure optimo præcincti dicuntur: Oui. 1. amor. cũ nulla luxuria dis-

Ouid. 1. Amor.

diffluant: cum nō segnes sint, discinctaq; in otia nati. Cum nō molliant animos lectus & vmbra suos. Cū sint ad res omnes cœlestes prōpti: strenui enim & industrij quo sint ad negotia exequenda prōptiores, succincti incedūt. Hi verò cum Deo militent, cincti sunt: illi verò cum nimis se indulgeant, discincti. Hoc est, inefficaces & ignaui.

Quales debeant esse præsules & concionatores Ecclesiæ.

¶ *Et lucernæ ardentes in manibus vestris.* Talis debet esse præsulum atq; cōcionatorum vita. Lucerna enim cū manibus alté tenetur & ardet, facile alios illuminat. Præsul ergo primū in altū debet stare per vitā vt omnibus conspicuus sit: eā obcausam eū speculatorē vocat Dñs apud Ezechielem: fili hominis speculatorē dedi te domui Israel. In quę verba D. Grego. ait: notandū quod eum quem Dñs ad prædicandum mittit speculatorem esse denuntiat. Cui enim aliena cura cōmittitur, speculator vocatur: vt in mentis altitudine sedeat: atque vocabulum nominis ex virtute actionis trahat. Non est enim speculator qui in imo est. Speculator quippe semper in altitudine stat: vt quicquid venturum est longé prospiciat. Et quisquis populi speculator ponitur, in altum debet stare per vitam: vt possit prodesse per prouidentiam. Hinc Propheta alius speculatorem admonet dicens: Super montem excelsum ascéde tu qui euangelizas Sion. Vt videlicet qui prædicationis locum suscipit: ad altitudinem bonæ ascendat actionis. Ad excelsa transeat, & eorū qui sibi cōmissi sunt opera transcendat: quatenus subiectorum vitam tanto subtilius videat, quāto & terrenis rebus quas despicit, animum non supponit. Neque enim speculatori sufficit vt alté viuat, nisi & loquēdo assiduè ad alta auditores suos pertrahat, eorumq; mentes ad amorem cœlestis patriæ loquendo succendat. Sed tunc hęc rectè agit, cùm lingua eius ex vita arserit. Nā lucerna quæ in semetipsam non ardet, eam rem cui supponitur non accendit. Hinc enim de Ioáne veritas dicit: Ille erat lucerna ardens & lucens. Ardens videlicet per cœleste desiderium, lucens per verbum. Vt ergo seruetur veritas prædicandi, teneatur necesse est al-

Ezech. c. 3

D Grego. ho. 11.

Esai. 40.

Ioan. 5.

A titudo viuendi. Vnde rectè quoque sanctæ Ecclesiæ sponsi voce in canticis canticorum dicitur: Nasus tuus sicut turris Libani. Quæ ergo laus est, vt sponsæ nasus turri cōparetur? Quia per nasum sentí per odores fætoresq; discernimus: quid per nasum nisi prædicatorum discretio designatur? Qui nimirum nasus & sicut turris esse, & Libani dicitur: quia videlicet præpositorum discretio & munita semper debet esse ex circunspectione, & in altitudine vitæ consistere, idest, in valle infirmi operis non iacere. Sicut enim turris in monte idcirco ad speculandum ponitur, vt hostes qui veniunt, longius videantur, sic prædicatoris vita, semper in alto debet fixa permanere, vt more nariū discernat fætores vitiorum, odoresque virtutum. Incursus malignorum spirituū lōgé prospiciat, & cōmissas sibi animas per suā prouidentiam cautas reddat. Hęc Gregor. Vitæ ergo altitudinē, & ardens desideriū alios illuminandi docet his etiā verbis: *Sint lucernæ ardentes in manibus vestris.* Hoc idē significare volens idē Dñs olim fecit vt milites Gedeonis ad vincendū hostes suos, in dextris tubas tenerent, in sinistris lagenas, intra lagenas aurē lāpades ardentes. Cōfractis verò lagenis lāpades ostensæ sunt, quarum coruscante luce, hostes territi in fugam versi sunt. Tales quippe secū dux noster ad prædicationis præliū ducit, qui despecta salute corporis hostes suos, si opus fuerit moriēdo, prosternāt: tuba prædicationis vincant: lucernisq; sapiētiæ & doctrinæ superent. Lege quid de hac figura scribat Gregor. lib. 30. Moralium. capit. 33. & 34.

Cant. 7.

E

Iudi. 7. Figura.

C

D. Greg.

D ¶ *Vt cum venerit & pulsauerit, confestim aperiant ei.* Maxime grata est Dño hæc famulorum sedulitas, quæ perpetuo sunt parati, perpetuo accincti cum tędis, vt simul atque reuersus pulsauerit confestim aperiant ei. Contra verò, maximé ingrata negligentia illorum, qui pulsante Domino statim non aperiunt. Quibus continget quod in canticis Salomon narrat contigisse sponsæ. Vox (inquit spōsa) dilecti mei pulsantis. Aperi mihi soror mea amica mea, colum-

Maxime grata est Deo hæc famulorū sedulitas, quæ perpetuò sunt parati cū tædis. contra verò, maximé ingrata eorum qui statim non aperiunt.

Exponitur locus Cant. 5.

ba mea. Spoliaui me tunica mea (respondet sponsa) quo modo induar illa? Laui pedes meos quo modo inquinabo illos? Surrexi vt aperirem dilecto meo: at ille iam declinauerat atque transierat. Quæsiui & non inueni illum vocaui & nō respondit mihi. Inuenerūt me custodes qui circuierunt ciuitatem. Percusserunt me: & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum custodes murorum. Quo in loco docet Spiritus sanctus quid mortis articulo agatur cum anima fideli suæ omnino salutis oblita. Vox (inquit) dilecti mei pulsantis. Facile enim fidelis per fidē quā habet atque profitetur: & si magnis criminibus sit obsessus: spōsi vocem ab alienorū vocibus discernit. Iuxta illud quod Dominus ait. Oues meę vocem meā audiūt. Vox (inquit) est ista dilecti mei pulsantis ad ostium cordis cupientis in illud introire: quemadmodum ipse de se in Apocalyp. ait: Ego esto ad hostium & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Pulsare autem dicitur Deus nō corporalis domicilij ianuam: sed cordis ostium spirituale. Quod tunc quidem facit, quando per gratiam suam præuenientem corda nostra tangit. & in hora illa mortis visitat per internas inspirationes, & tacitas occultasque cordis motiones, ad pœnitentiam. ¶ Vocem deinde blandissimā sponsi pulsantis, subiungit: *Aperi mihi soror mea, immaculata mea.* His enim nominibus in lauacro regenerationis anima fidelis insignita est: quibus eam Dominus etiam in peccatis existentem appellat: vt memor sit pristinæ dignitatis: recordeturque vnde exciderit, ac prima opera faciat. Hoc etiam est quod apud sapientem Dominus ait: fili præbe mihi cor tuum. Non enim aliud est Christo aperire pulsanti, quàm cor ipsi præbere, ipsiusque bonis & saluberrimis inspirationibus locum dare & obtemperare. Quemadmodum econtrario, nihil est aliud pulsanti Domino cordis ostium occludere, quā eius sanctis inspirationibꝰ nolle acquiescere. Imò repellere eas & nihil pendere. Aperiri ergo sibi postulat sponsus cordis nostri ostium in quod ingredi in quo habitare, cubare, & requiescere quàm maximè desiderat, cuius sunt delitiæ esse cum filijs hominum. In quo admirabilis & ineffabilis patet sponsi nostri dignatio, quod cum ipse nostri prorsus nihil indigeat, nostroque commercio nihil illi possit fœlicitatis aut commodi accedere, qui per semetipsum in statu consistit omnium bonorum aggregatione perfectum, dignatur nihilominus vltro ipse ad nos accedere, nostrique cordis ostium prior ipse pulsare, veluti in eo cupiés habitare & requiescere. Valde autem oblectat pias mentes quod tam multis amicissimis nominibus sponsam appellat, blandisque demulcet titulis, cum ab ea aperiri sibi ostium postulat: quasi videlicet blandiendo impetrare contédens quod postulat, perinde quasi multum ex re sua futurum sit si quod postulauerit impetret. Sic enim solét qui rem aliquam magni pretij aut commodi impetrare volunt, amicitiæ titulis & appellationibus blandiri ijs a quibus impetrare laborant, quod vehementer desiderant. Sciens enim quod verbum durum excitat furorem, sicut econtrario sermo mollis iram frangit, nō durè eam (& si in peccatis sit) aut seuerè alloquitur, neque imperiosè exigit quod suo vtique iure potest: sed blandiendo potius & obsecrando, ad id quod à nobis pro nostro commodo, non suo, postulat obtinendum agere mauult: vt non quasi ex necessitate aut coactione nostrum sit obsequium, sed ex libertate, ex hilaritate vltronea. Hilarem enim datorem & ministrum, ipse diligit: tuncq; perfecto in nobis gaudio gaudet, cū nos audit dicentes sibi: volūtariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Dñe quoniam bonum est: quum nos vigilātes paratosque ad aperiendum inuenit. Sed iā quid spōsa negligēs respōdeat audiamus. *Expoliaui me tunica mea quomodo induar illa? Laui pedes meos quomodo inquinabo illos?* Quo verbo quid aliud significatur, quā nostra illa tarditas, & (vt ita dicā) morositas, qua Christo dño pulsanti ad ostiū cordis nostri, quasi difficiles & inuolūtarios nos exhibemus, inutiles trahē-

Ioan. 10. Apo. 3. Apo. 2. Pro. 23. Pro. 15. 2. Cor. 9. Psal. 53. b

tes moras excusationesq; vanas & friuolas allegantes, quare ipsi pulsanti nō aperiamus, sanctisque eius inspirationibus, & instinctibus non acquiescamus? Tam enim ingrati sumus miseri, tam nostræ salutis incurii, vt sponsum ditissimum & nobilissimum ad ostiū cordis nostri pulsantem cupientem ad nos ingredi, nobiscum cænare regressus à nuptijs, nobiscū requiescere, beneficijsque nos plurimis afficere, nimiū improbe in totum repellamus, cui debebamus ad primum pulsationis ictum merito cōfestim occurrere, ostiumque animo promptissimo libéter aperire, quacumque tandem hora pulsare illi placuerit, siue per dié, siue per noctem. Neque vnquam in nulla re temporali adeo debet noster requiescere affectus, vt propterea morá vllam faciamus sponso nostro pulsanti, quin statim omnibus pospositis excusationibus, aperiamus illi cordis ostium, sine murmure & grauitate, quám totius illum excipientes in cordis nostri hospitium. Et illud quidem nimis videtur indignum, quod tam leuibus de causis, imo tam sine causa, illū pulsantem repellimus: vtpote propter nostræ sensualitatis affectionem aliquam inordinatam rei alicui creatæ & periturę nimis adhærentem, aut propter modicā carnis huius pigerrimæ molestiam, cui nimium, heu nimium condescendimus & indulgemus. Quemadmodum videlicet nunc sponsa ignobilis, nobilissimum & ditissimum spōsum foris præstolari facit, & ne intromittere eum cogatur excusationes friuolas prætendit: non nisi quia tunica sua se expoliauerit, quám molestū sit reinduere, & quia pedes lauerit, quos molestum sit iterum inquinare accedendo vsque ad ostium. Egregiæ, scilicet, rationes & per bellæ excusationes, quare sponsa ignobilis & paupercula, sponsum tam nobilem & diuitem debeat repellere: vel mora superuacanea detinere foris præstolantem: cum debuisset ipsa potius nuda, aut circuniecta ocyssimé tunica, vel stragulo, quam citissimé occurrere pulsanti, ne vel ad momentum illum facere expectare foris ante ostium. Neque iusta est excusatio quam videtur prætendere spōsa, quod intempesta hora pulset sponsus. Liberum est enim sponso, pulsare ostium sponsæ, quacunque hora voluerit, siue per diem, siue per noctem, siue mane, siue vesperi, siue in prima, siue in secunda, aut tertia quartaue vigilia venerit. Et hoc habet præceptum sponsa, vt semper aduentum sponsi præstolando vigilet: vt quacūque tandem hora venerit ille & pulsauerit vigilás ipsa inueniatur, ac confestim pulsanti aperiat, vt in hoc loco Lucæ quem modo explicamus vides. Sed audi modo qua pœna ob desidiá suam ac tarditatem á sponso puniatur. *Pessulum (inquit) ostij mei aperui dilecto meo: at ille declinauerat, atque transierat.* Subita enim morte irruente, iam nō remanet miserę illi animę remediū egressa enim à corpore, & si clamet, & si doleat, & si aperire per pœnitentiam vellit sponso, minime exauditur. Iam enim nulla remanet spes veniæ: iam in casum resipiscit, seroque sapit: nam declinauit sponsus, atque transijt inexorabilis factus. Neque solum hoc malo afficitur, sed statim incidit in manus diaboli, atque satellitū eius, qui tanquam leones rugientes circuunt ciuitatem hanc mundi quærentes quem deuorent quem spolient, qué vulneribus perpetuis afficiāt. Idcirco statim sponsa addit: *inuenerunt me custodes qui circumeunt ciuitatem, percusserunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meū custodes murorum.* Exuta enim anima ornamentis cælestibus perpetuas pœnas dat. Qua de causa hortatur nos in hoc loco Dominus, vt parati semper simus, semper vigilemus, vt cum ipse venerit & pulsauerit confestim aperiamus ei. Quod si fecerimus beati erimus. Beati (inquit) sunt serui illi, vt cum venerit Dominus inuenerit vigilantes. Nam illud affirmat nobis, quod Dominus pro officio, quod tamen debebamus, amplissimam mercedem reponet, muneribus quæ secū affert à nuptijs reuersus, seruos stâtes accinctos cum tædis ditabit. Præterea ipse (quod non solent facere Domini huius seculi) vicissim præcinget se, & iubebit illos discumbere, ac præteriens obseruansque quid quisque postulet, ministrabit illis.

Vigilia Christiana commēdatur.

¶ *Beati sunt serui illi, quos cum venerit Dominus inuenerit vigilantes.* Maxima profectò diligētia vigilare debemus quā do Dn̄s vigilantes, beatos vocat. Maxima quoq; necessitas nobis vigilādi significatur: quādo vigilię, beatitudo & fœlicitas: cōtra verò, somno', infœlicitas & miseria promittitur. Vigilent ergo iusti si à iustitiæ, atque perfectionis statu cadere nolunt: si spiritus feruorem non amittere: si cælestia mysteria intueri, atque contemplari volunt: vigilent peccatores si facilè à peccatis reuocari desiderant: vigilent debiles, atque in virtute infirmi, si vincere hostes volunt: vigilent sacerdotes, vigilent præsules, si beati esse affectāt: vigilemus itaq; omnes si innumera mala vitare appetimus. De quibus sigillatim dicere operæpretium est. ¶ Iusti vigilent. Primò ne cadāt: intelligentes, quod & si mundi sint: custodirę nō valebunt puritatē nisi à Domino sustententur. Ideo enim quotidie precantur pauore infirmitatis humanæ suam conscientiam formidātes: & ne nos inducas in tentationem: & ad extremum inferunt: sed libera nos a malo. Ideo etiam & si sponsa facta fuerit mūda in lauacro: de illa dicitur (inquit Hieron.) quæ est ista, quæ ascendit dealbata, innitens supra fratruelē suū: vt lota quidē sit, sed custodire non valeat puritatem nisi à Domino Deo sustentetur. Tam certa res hæc est: vt ne vigilare quoquo modo sufficiat, nisi vigilet nobiscū Dn̄s ac ciuitatē animi custodiat. Nisi enim Dn̄s custodierit ciuitatē, frustra vigilat qui custodit eā. Tā enim natura debiles sumus, vt nisi Dn̄s nobiscū excubet, nec metu carere, nec stare poterimus. Quod si iusti custodiā faciendo, adhuc tuti & securi non sunt: quid dicendum de illis qui somno, & otio operā dant? Iusti ergo suā infirmitatē timentes semper vigiles sunt, atq; à Domino precantur auxiliū, quo possint tentationi resistere. Adest enim tentatio semper: quę illos à iustitię ac integritatis statu deijcere conatur. Quod significare volens Dn̄s ait Genes. c. 1. quod post lucē primam editam, factum est vespere & mane dies vnus. In quæ verba D. Grego. ait: nequaquā in hac vita per exercitationē

Iusti vigilare debēt & quare.

Hiero. lib. 3. contra Pelagianos.

Psal. 126.

S. Bruno.

Genes. 1.

D. Greg.

A iustitiæ, peccatum deseritur: vt in ipsa in concussē maneatur: quia & si culpā rectitudo eliminat, cogitationis nostræ foribus assidens diabolus, vt sibi aperiatur pulsat. Vnde ait Moyses, facta est lux: & Paulo post: factū est vespere. Creator. n. humanæ culpæ præscius, tūc expressit in tēpore quod nunc versatur in mente. Lumen namq; rectitudinis sequitur vmbra tentationis. Sed quia electorū lux tentatione non extinguitur: nō nox, sed vespera facta memoratur: quia tentatio lumen iustitiæ abscondit, non interimit. Electi

B ergo post somnum surrectionē appetūt: post surrectionē vesperam præstolantur: quia & de peccato ad iustitiæ lumen euigilant, & in ipso iustitiæ lumine positi, semper se contra illecebras tentationū parant: quas nimirum non timent, sed expectant: quia vtilitati suæ rectitudinis, etiam tentamenta proficere nō ignorāt. Quantalibet autem contra corruptionē suam virtute contenderint: habere integram salutem nequeunt, quousque dies præsentis vitæ finiatur. Hæc Greg. lib. 8.

C mor. c. 10. ¶ Iusti ergo euigilant intelligētes infirmitatē suā: vigilant expectantes tot tamque innumeras tentationes, atq; tot inimicorū incursus, vt nisi custodiam faciant, corruent. Multi (inquit Rex Dauid) sunt qui persequūtur me & tribulāt me: & rursum: multæ tribulationes iustorum: & Hierem. c. 20. Audiui contumelias multorū & terrorem in circuitu: persequimini, & persequemur eum ab omnibus viris qui erant pacifici mei. Persequitur iustum caro. Caro (inquit Paul.) con

D cupiscit aduersus spiritū. Cuius typū gerebat dalila quæ Sansonem in gremio recumbentem crinibus spoliauit: sic misera caro spoliare animū virtutib9 prosuis viribus conatur. Deinde tradit eū Philistæis, hoc est, dęmonibus, qui illū oculis, hoc est, cōsideratione rerū diuinarū priuēt: & ad molā. i. solicitudinē rerū humanarū cōstituāt. Meritò Mich. dicebat: ab eaquę dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui. Et Eccles. nō des (inquit) mulieri, hoc est, carni potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtute tua, & cōfundaris. Persequitur etiam mundus iste spiritum iusti

Psal. 118.

Hiere. 20.

Iud. 16.

Figura.

Mich. 7.

Eccles. 9.

iusti. Cuius imago gerebat Laban: qui olim persecutus est Iacob tribus diebus. Mundus enim qui cádidus foris apparet (Laban enim idem est quod candidus) intus verò sordidus cum sit: iustum, verũ luctatorem ab illo fugientem persequitur: non semel atque iterum, sed omnibus diebus vitæ suæ. Persequitur virum iustum diabolus incessanter: idcirco illũ admonet D. Petrus, vt non sopore deprimatur, sed vigilet: cum circuat illum diabolus tanquam leo rugiens, vt eum deuoret. Cuius figuram habebat Saul, qui gratis inuidia commotus, persequebatur Dauidem. Sine vlla enim causa diabolus opprimere & interficere nititur iustũ. Quid plura dicam? Parentes, cognati, domestici solent iustum insectari. Alias enim nec Michæas diceret: inimici hominis domestici eius, neque Hieremias: vnusquisq; à proximo suo se custodiat: & in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplãtabit, & omnis amicus fraudulenter incedit. Insectãtur hæretici iustorum fidem corrumpentes: insectantur falsi fratres mores iustorum cohibentes: pacem Ecclesiæ perturbantes: bella excitantes. Deficeret sane tempus si cateruam aduersariorũ iustos persequentium consequi vellem. Et tamen quamuis tot sint, cum vir pius & iustus semper excubias faciat: á Dei testimonijs non declinat. Vt in prædicto loco Psalmi 118. Dauid docuit: á testimonijs tamẽ tuis non declinaui. ¶ Vigilant etiam iusti ne dormiendo, sub vmbra illorum diabolus requiescat. Quod solet multoties facere. Dicente Iob de illo: sub vmbra dormit. Quo loco (inquit Gregor.) vmbra nequitiæ torpor accipitur, in qua iste Vehemoth dormit: quia contra corda charitate calentia solicitus vigilat, infrigidis autem mentibus securus iacet. Dormire enim in sanctorum mentibus nõ potest, quia & si quando se in eis ad breue momentum collocat, ipse eum desiderium æstus cælestium fatigat, & quasi toties vt recedat, pungitur, quoties ab eis amore intimo ad ęterna suspiratur. Tantæ eum voces excitant, quantæ ex illorum mentibus sanctæ cogitationes ad

Gen. 31. Figura.

1. Pet. 5.

1. Reg. Figura.

Mich. 7. Hiere. 7.

Vi. Vgo. Cardi. in Psa. 118.

Iob. 40. 32. lib. mo. c. 3.

A cælum clamant. Vnde fit, vt bonarũ actionum armis territus ac suspiriorum spiculo percussus fugiat, & ad corda reproborum frigida rediens, eam quam securus possideat, malitiæ vmbram quærat. Hæc Gregor. ¶ Nec soliciti esse debent iusti in vigilia, vna, vel altera nocte, sed semper inuigilare debent: cum hostes illis nunquam desint: primis enim deuictis, secundi insurgunt: quibus superatis alij occurrunt: quare semper agenda est custodia. Deuictis enim olim à Iosue aliquibus regibus insurgebant in illum statim multi, his superatis multo plures illi aduersabãtur: quapropter nunquam à vigilia militari cessabat. Ita nunc & si opprimantur à iustis hostes primi, multo plures exurgunt postmodum, atq; in vnum coeũt, & conspirant in malum, qui semper dissident à bono. Et si secundo victi fuerint iterũ tertio aliæ virtutes nequiores exurgunt. Et fortasis quanto magis augetur populus Dei, & multo plus crescit & multiplicatur, tanto illi plures ad oppugnandum conspirant: ideo nunquam dormiẽdum, sed semper vigilandum. ¶ Infirmi etiam & inconstantes multo magis excubare debent, si beati esse volunt: si palmã victoriæ accipere: scientes quod in perpetua pugna sunt: Genes. cap. 25. Narrat Moses Rebeccam aliás sterilem concepisse: sed colli debantur in vtero eius paruuli: perrexitque vt consuleret Dominũ: qui ait: duo populi ex ventre tuo diuidẽtur: populusque populum superabit, & maior seruiet minori. In singulis (inquit gloss.) Hoc dici potest duæ gentes & duo populi intra nos sunt, scilicet vitiorum & virtutum iste minor ille maior. Plures enim sunt mali quam boni, plures prauæ áctiones quam studiosę: & vitia plura virtutibus. Sed tamen populus populum superat & maior seruiet minori. Caro, scilicet, spiritui & vitia virtutibus. Præcedit Esau rufus, & totus vt pellis hispidus. Deinde exit Iacob tenens plantam fratris. Prior enim populus prophetarũ & Christi sanguine pollutus, peccati & nequitię squalore circundatus, cuius minor plantam tenuit: quia maiorem populum minor superauit. Vos ergo fideles qui facile carni

Orig. ho. 14 in Iesũ naue.

Infirmi & inconstantes multo magis vigilare debẽt

Gen. 25. Figura.

Glo.

carni succumbitis si inter minorem populum annumerari vultis vigilate, atque forti animo state. Si enim iusti atque virtute perfecti, semper sunt pauidi semper timidi: si nunquam obdormiunt, sed perpetuo custodiunt cor suum: quanto potius vos in virtute debiles & imbecilles, euigilare debetis? ¶ Cæterum vt ad peccatores sermo iam noster sit: sciant se in vtramque autem dormire. Si enim somni appellatione (inquit Greg.) culpa designata non esset: nequaquam Paulus discipulis diceret: euigilate iusti & nolite peccare. Vnde & auditorem suum admonet dicens: surge qui dormis & exurge à mortuis: & illuminabit te Christus. Et rursum: hora est iam nos de somno surgere. Vnde & Salomó peccantem increpat dicés: vsquequo piger dormis? Peccator igitur dormiens si a peccato surgere vult euigilet: ad iustitiæ vigilias consurgat. Exéplo peccatoris Dauidis qui dicebat: similis factus sum pellicano solitudinis, factus sum sicut nycticorax in domicilio. Vigilaui & factus sum, sicut passer solitarius in tecto. Quibus verbis & se peccatorem fuisse ostendit & quonam modo à peccatis surrexisset aperit. Pellicanus (inquit Gregor.) auis est amans solitudinem in qua venenatis animalibus vescitur, & ideo per eam peccator designatur, qui in deserto huius mundi corde habitans, ęrũnosis istius vitę captus illecebris, veneno delectatur diabolicæ persuasionis. Nycticorax, qui alio nomine bubo dicitur, in dirutarum domuum ædibus moratur. Solet autem nocte cantũ cantare, per quod notantur hi qui in tenebroso tripudiant opere, & in mentium suarum exultát destructione. Sed si ad se reddire vult peccator iste pellicano & nycticoraci comparatus euigilet, & tunc dicat: vigilaui & factus sum sicut passer solitarius in tecto. Vigilat (inquit idem Gregor.) qui ad aspectum veri luminis mentis oculos apertos tenet. Vigilat qui seruat operando quod credit. Sicut scriptum est: beatus qui vigilat, & custodit vestiméta sua. Vestimentum tuum, fides tua est: vestimentum tuum operatio tua est. Custodi ergo ne deripiant alieni laborem tuum, ne de-

Dormire est in peccatis iacere.
1. Cor. 15.
Ephes. 5.
Rom. 13.
Prou. 24.
Greg. 33. mor. c. 10.
Psal. 101.
In 7. Psal. pœn. Psal. 5.
Greg. ibi.
Apoc. 16.

A

nuderis, & appareat ignominia tua. Esto sicut passer solitarius in tecto. Per passeré quæ cauta & quærula auis est, & in domibus nidificat, recté homo intelligitur, qui in excelsis habitans, & solitudinem incolens, pro peccatis suis clamare non cessat. Prudentis enim & circunspecti viri est, in altum nidum ponere: & pro peccatis plorare, & solitudinem inhabitare: quatenus in opere terrena non appetat, & in lamentis veniam acquirat, & in habitatione inanium strepitus cogitationũ effugiat, vt possit dicere cum propheta

B

elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Hæc ille si ergo peccatores pristinam dignitatem comparare desiderant, é somno surgant, & veniam petendo euigilent: & tunc beati erunt si inuenerit eos Dominus sic vigilantes. Curent ergo peccatores à somno & pigritia excitari, si à multis malis liberari volunt: meminerint quod cum homines dormirent venit inimicus & superseminauit zizania in medio tritici seminati: vt Dominus docet apud Matth. cap. 13. Te enim dormiente te pigrescete innumera & errorum & vitiorũ se-

C

mina in corde tuo diabolus seminabit: vbi prius virtutum semen erat à Deo satum. Vsquequo ergo piger dormies: quãdo consurges à somno tuo: paululũ dormies: paululum dormitabis: paululum cóseres manus tuas vt dormias: & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus. Vsquequo dormitabit anima tua prætędio? Vsquequo flacescet atque tepescet nihil boni operando voluntas tua, propter tentationis, aut virtutis tædium? An ignoras quod desideria oc-

D

cidunt pigrum? Praua enim & vana desideria opprimunt, excrutiant & interficiunt hominem tardum, segnem, ac laboris fugitantem. An ignoras quod iniquitates tuæ vigilant aduersum te? Audi quid fleat Hierem. cap. 1. Vigilauit iugũ iniquitatum mearum: in manu eius conuolutæ sunt: & impositæ collo meo: & infirmata est virtus mea. Nobis enim torpétibus peccata latent, sed in manu Domini vigilant: dum nos ad vindictam iustæ retributionis accusant. Vnde Genes. cap. 4. ait: vox sanguinis fratris tui clamat ad

Passer hominé prudentem & pœnitenté notat.
Psalm. 54.
Matth. 13.
Prou. 6.
Psal. 118.
Prou. 21.
Thren. 1.
Gen. 4.

me de terra. His peccatis sub iugo diaboli constringimur: funibus (inquit Salo.) peccatorum suorum quisque constringitur. Quando ergo vitia, atque scelera tua non dormiunt sed vigilant: tu contrà vigila, atque ob oculos illa pone, vt nocte fleas, & die fleas. Exemplo Dauidis qui volens vigilare & peccata fletibus abluere ne excubarent aduersus illum, & ne iugum eorum in manu Domini vigilaret: Auerte (inquit) faciem tuam à peccatis meis. q. d. nolo vt in manu tua vigilent: sed vt ego contra illa custodiam faciam, & fletibus purgem: ne conuolutas iniquitates collo meo imponas, & me des in manu de qua non potero surgere. ¶ Caueat ergo sibi peccator & vigilet: sin auté, perib it qua hora non putat. Vnde Dominus in Apoc. c. 3. ait. Si non vigilaueris veniā ad te tanquam fur, & nescies qua hora veniam ad te. Quasi diceret (inquit Rupertus) quod debui facere, feci tibi, corripui te, monui te, vt vigiles: Euangelica quoque tuba personante ad omnes: vigilate itaque quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Si ergo non vigilaueris veniam ad te sicut fur. Non veniam ad te sicut ad homines illos qui vigilant & expectant: venit ipsorum Dominus reuersus à nuptijs gratias agens illis, & beatificans eos quod in occursu suo vigilauerint. Non veniam ad te sicut sponsus iucundus atque festiuus, sed tanquam fur qui nesciente patre familias domum perfodit, & Dominum domus necat quem dormientem inuenerit. Hæc Rupertus. Continget sane huiusmodi peccatoribus dormientibus quod olim AEgyptijs. De quibus in Exod. dicitur: factum est auté in noctis medio percusit Dominus omne primogenitum in terra AEgypti: surrexitque omnis AEgyptus & ortus est clamor magnus in AEgypto. Poterat (inquit Rupertus) media die cunctis vigilātibus idem fieri. Cur ergo medio noctis dormientes placuit interfici? Videlicet, vt historicum quoque exemplum dormitantibus proficeret, atque ad vigilādum eos percelleret scientes, quia quisquis exemplo AEgyptiorum thesaurizauerit sibi iram, nihilominus exemplo illorum

Prou. 5. Psalm. 50. Vid. gloss. Thr. c. 1. Apoc. 3. Rupert. Matt. 24. Rup. li. 2. in Apoc. c. 3. Exod. 11. Figura. Rup li. 2. in Exod. c. 17.

A improuisam accipiet vindictā. Sic enim & vniuersale iudicium duris corde & impœnitentibus, ex improuiso superueniat tanquam laqueus & tanquam fur. Idcirco Dominus aduentum suum, quo perdé di sunt impij, mediæ nocti comparauit. Verbi gratia, cum in parabola prudentiū virginum, atque fatuarum dicit: media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Ille ergo clamor magnus, qui ortus est in AEgypto, salubriter interiori auditu fatigat nos, vt non dor-
B miamus sicut AEgyptij, sed vigilemus, & sobrij simus. Qui enim dormiunt (inquit Apostolus) nocte dormiunt, & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt. ¶ Præsules denique & sacerdotes vigilent super gregem. Idcirco enim præcipiebat olim Dominus, vt Aaron, atque filij eius vinum non biberent: nimirum volens (inquit Origenes) sacerdotes quibus ipse Dominus portio est, sobrios esse, ieiunos, vigilantes in omni tempore, maxime autem cum ad exorandum Dominum & sacrificandum in conspectu eius altaribus præsto sunt.
C ¶ *Beati sunt serui illi, quos cum venerit Dominus inuenerit vigilantes. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit & ita inuenerit: beati sunt serui illi.* Vigilias militares in quaterna olim horarum spatia diuidebant: ita vt prima, secunda, tertia, & quarta vigilia diceretur. At Christus Dominus noctem in hoc loco in tres tantum vigilias distribuit. Qui ergo curant diligenter custodire cor suum à prauis cogitationibus: atque si insurgant, eas tanquam primogenita interficere conantur: hi, primam cu-
D stodiam faciunt. Hoc enim significatum est Exod. 14. in prima enim vigilia noctis vigilantibus filijs Israel Angelus Domini primogenita AEgypti interfecit: filiosque Israel vigilantes seruauit. Eadem etiam prima vigilia Pharao & exercitus eius submersi sunt in mari rubro. Eisdem custoditis. Rex etiam Dauid in Psalmo dicebat: in matutino interficiebam omnes peccatores terræ. ¶ Qui verô linguā seruant, atque custodiunt: in secunda vigilia excubant: qui veró manus, à prauis actionibus, in tertia. Prohibe ergo cor

Matth. 25. 1. Thes. 5. Orig. hō. 7. in Leui. Quid per 1. & 2. & 3. vigiliā. Exod. 14. Figura. Ibidem. Psalm.

tuum

tuum à prauis affectibus, prohibe linguã tuam à malo, & labia tua ne loquãtur dolum: declina à malo, & fac bonum: & tũc beatus eris. Nam quacumque hora Dominus venerit inueniet te vigilanté. Cæterum lege si libet D. Bernardum in sermone de triplici custodia, manus, linguę, & cordis: vbi ordine alio hæc ad longũ differit. ¶ *Beati sunt serui illi, quos cum venerit Dominus eius inuenerit vigilantes. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, &c.* Hic libet pauca in summa dicere de antiquitate & autoritate & vtilitate vigiliarum, vt amemus vigilias si volumus in sanctitate seruari. Antiqua est (inquit Hieronymus) vigiliarum deuotio, familiare bonum omnibus sanctis. Isaias denique propheta clamat ad Deum: de nocte vigilat spiritus meus ad te Deus, quoniam lux præcepta tua super terram. Dauid ita canit: Domine Deus salutis meæ: in die clamaui & nocte coram te. Et rursum: in noctibus extollite manus vestras in sancta & benedicite Dominum. Et ne vespertinas tantum horas noctis existimes appellatas occurrit & dicit: media nocte surgebam ad confitendum tibi, super iudicia iustitiæ tuæ. Habes & tempus expressum exurgẽdi, & solicitudinem, quo modo Deo confitearis, ostensam. Sed adhuc maius aliquid & laboriosius occurrit consideranti mihi intẽtionem sanctorum, & vltra humanæ naturæ conditionem suggeritur: cum eundem audio prophetam psallentem: si ascendero in stratum lecti mei, si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis: donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob. Quis enim tantum non stupeat Dei amorem, vt somnum sibi, sine quo humana vtique corpora deficiunt, penitus interdixerit: donec locum ad tẽplum Domino fabricandũ rex & propheta reperiret? Quæ res nos debet firmiter admonere, vt si ipsi locus Domini esse volumus, & tabernaculum eius ac templũ cupimus haberi perpetuum, sicut Paulus asserit, dicẽs: vos estis templum Dei viui: in quantum possumus exemplo sanctorũ

D. Bern.

Antiquitas & autoritas vigiliarum.

Isai. 26. 27. a

Psal. 133. a

Psal. 118.

Psal. 131.

2. Cor. 6.

A vigilias diligamus: ne de nobis dicatur, vt psallitur: dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt manibus suis. Quin potius gratulabundus vnusquisque iam dicat: in die tribulationis meæ Deum exquisiui manibus meis nocte coram eo, & non sum deceptus. Quia bonum est confiteri Domino & psallere nomini tuo altissime: ad annuntiandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctẽ. Sed à veteribus veniamus ad noua. Anna phanuelis filia vidua, continuis orationibus & ieiunijs Domino seruiẽs, B non discessisse de templo die ac nocte, in Euangelio legitur. Pastores illi sanctissimi dũ super greges suos nocturnas exercent vigilias, & angelos in splendore & Christum natum in terris primum audire meruerunt. Iam vero institutio saluatoris, nonne tota diligentia ad vigilandũ auditores exsuscitat: siue in parabola boni seminatoris, siue in hoc loco quẽ modo explicamus? Nec solum verbis, sed etiam vigilias docuit exemplo. Namq; testatur in Euangelio: quia erat Iesus per C noctans in oratione. Pernoctabat Dominus non sibi, sed vt scirent serui inopes, & infirmi quid agere deberent: quando Dominus diues in omnibus, quàm fortissime per noctem in oratione duraret. Sicque & increpat Petrum tempore passionis, dicens: non potuisti vna hora vigilare mecum? Et ad omnes iam dicit: vigilate & orate, ne intretis in tẽtationem. His instructi sermonibus beati Apostoli, & ipsi vigilarunt & vigilias imperarunt: vt in actis Apostolorum, & in suis Epistolis facilè reperies. ¶ Quanta denique in vigi- D lijs percipiatur vtilitas, sentiri magis quàm dici potest. Sed vt paucis explicem quid sentio: vigilando timor omnis excluditur, fiducia nascitur, caro maceratur, vitia tabescunt, charitas roboratur, recedit stultitia, accedit prudentia, mens acuitur, error obtunditur, criminum caput diabolus gladio spiritus vulneratur. Quid hac vtilitate magis necessarium? Quid istis lucris commodius? Quid hac fœlicitate beatius? Teste etiam propheta: qui in principio psalmorum suorum, summam beatitudinem in hoc versiculo

Psalm. 75.

Psalm. 76.

Psalm. 91.

Luc. 2.

Luc. 2.

Matth. 13.

Luc. 16.

Matth. 26.

Vtilitas vigiliarum.

Psalm. 1.

collo-

De obseruatione vigiliarum.

collocauit, beatum virum describens: si in lege Domini meditetur die ac nocte. Hæc ex Hieronymo.

¶ *Hoc autem scitote quoniam si sciret pater familias qua hora fur veniret, vigilaret vtique et non fineret perfodi domum suam.* Hac similitudine vtitur Dominus ad significandam animi custodiam. Pater iste familias animum repræsentat: cuius frequens familia, cogitationes atque affectus eius sunt, omnesque actiones tam internæ quàm externæ. Quæ familia nisi eiusdem patris vi & prudentia coerceatur, benéque disponatur, lasciuiet nimis, atque petuláter aget omnia. Si enim animus non sit in hac re solicitus, cogitationes atque sensus omnes maxime insolescent. Domus vero huius patris familias, conscientia nostra est: quam inhabitans, virtutum thesauros in ea congregat: quorum causa ne domus effodiatur magnopere inuigilat. Fur autem non vnus sed multi sunt: singulis enim virtutibus singula vitia insidiantur. Princeps auté istorum diabolus est. Aduersus quem pater familias hic (si tamen negligens non sit) domum suam forti custodia muniés, prudentiam in primo aditu constituat, quæ ad rationis normam, quæ ille agat, quæque cogitet, vniuersa dirigat, ac nihil prçter rectum vel laudabile faciat. Secus hanc, fortitudo collocetur: cuius erit, animum supra periculi metum agere, nihilque nisi turpia timere, tolerare fortiter, vel aduersa vel prospera. Iustitia sedeat in medio, communi vtilitate seruata, suú cuique tribuens, atque societatem coniúctionis humanæ munificé, atque æqué tuens. Et quia qua horà fur sit venturus ignoratur, certum tamen est illam adfuturam, vt sit pater familias perpetuo paratus, oportet. His ergo ita constitutis. Vigilet pater familias in memoriam semper reuocans mortis tempus, certò sciés quòd prope sit: sciens cum morte adfuturos esse mille dęmonum species vncos ferreos, igneasque catenas afferentes: vt quos sui iuris esse conuincerint in perpetuas tenebras trahant. Trahant, inquam, in inferna stagna, ardore immenso, fætore intolerabili, dolore incredibili plena.

Paterfamilias animus. Domus cõscientia. Fures multi. Macrobr. Macrobr. Cicero. 5. de finibus.

A Vbi ærumnæ, tenebræ, nullus ordo, æternus horror, nulla spes boni, nulla desperatio mali inuenitur. Vbi liuor, odium, & inuidia habitant. Vbi fletus ac stridor dentium, frigus calor & vermis. Vbi nulla vox nisi execrantis auditur. Vbi deniq; tortores qui & torquent & perpetuo torquentur. Proinde sit pater iste familias semper paratus, instructus bonis operibus, ab omnibus humanarum rerum impedimentis expeditus. Vigilet prudétia in orationibus: prouidens bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus. B Vigilet temperantia audiés quid Petrus moneat: sobrij (inquit) estote & vigilate, &c. Vigilet fortitudo quæ diabolo resistat in fide. Vigilet iustitia sobrie & iusté & pié viuendo. Et quod nobis fieri nolumus alijs non faciendo.

2. Cor. 8. 1. Per. 5. Vgo. a. s. vi. 2 p lib. 4. de anim. c. 13.

¶ *Et vos estote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet.* Genes. c. 19. Sacra narrat historia angelos Sodomam venisse qua hora Sodomitæ nõ putabant: quantum exterriti fuissent, miseri, quantum clamassent si causam huius C aduentus sciuissent. Verum nullus eorú quicquam timet, aut cogitat de iudicio Dei. Adeo excæcauerat eos præsens fœlicitas. Sic plerumque iudicium diuinum improuisos obruit. Non igitur sine causa dicit in hoc loco Dominus: Vigilate nescitis enim qua hora filius hominis veniet. Et D. Paulus, dies Domini sicut fur in nocte ita veniet. Quod etiam in diluuio optime nobis monstratum atque expressum est. Prædixerat enim Dominus: erunt dies eorum centum viginti anni. Et tamen crescente hominum malitia. D (Omnis enim caro, omnis ætas, omnisq; sexus corruperat viam suam) post centú annos præscisa est velutá texente vita eorum: cum illi adhuc ordirétur telam suá non tamen per spiritum Dei. Vnde subdit Apostolus in loco paulo ante memorato: cum enim dixerint pax & securitas, tunc repętinus eis superueniet interitus: sicut dolor in vtero habentis & non effugient. Aptam sané similitudinem Apostolus inducit. Nouit enim mulier sese parituram: pariendi vero tempus ignorat. Quo fit vt aliæ nonum mensem præueniant;

Gen. 19. 1. Thess. 5. Genes 6. Isai. 38.

niant; aliæ verò prætereant. Sic tam iudicij quam mortis tempus ignotum est, certum tamen est illud ad futurum. Quare summo studio vigilare debemus, & diligenter circunspiciamus: cum nesciamus diem, neque horam: vt Dñs, & in hoc loco, & apud Matthæũ ait. Christianũ hominem comparat in Apologetico Greg. Nazian. funambulo. Vt illum, qui per districtos in excelso funes incedit, oportet diligenter videre, & celeriter animo circunspicere, ne huc vel illuc declinet: interibit enim, si vel aliquantulum, quãuis exiguum deuiauerit. Sic nos oportet oculatos esse, & accurate aspicere, vbi pedes figamus, ne in profundũ præcipitemur. Si enim pedes affectionũ cum deliberato consensu in mortifero peccato posuerimus, illud perpetrãtes, statim à gratia excidemus, & in culpæ barathrũ præcipites ruemus, & ita ob nostrã cæcitatẽ in propitu erit nostrum exitiũ. Quare danda opera est, ne oculos amittamus: amittemus autẽ eos si nos falsis voluptatibus tradiderimus. Hoc fuit in Samsone adumbratũ: nõ enim Palæsthini illius admirabilis viri oculos eruerunt, nisi postquã in Dalilę sinu obdormiuit: sic nõ te inimici obcæcabunt, nisi fueris voluptate delinitus. Quid voluit allegoricè significare diuina scriptura asserens Nabuchodonosorẽ oculos Sedechiæ eruisse, eũque captiuũ adduxisse in Chaldæã, nisi dæmonẽ eos obcæcare, & in mũdi cõfusionẽ captiuos adducere, qui sese voluptatibus dedũt & in hominũ societate violanda fraudes inexpiabiles concipiũt? Nã dominãte libidine nullus est tẽperãtiæ locus, nec in cupiditatis regno virtus potest consistere. Vbi aũt virtꝰ deest, ibi nõ adest prudẽtia, vbi prudentia non est, ibi nõ est visus, sed misera mentis obcæcatio, vbi mentis obcæcatio, ibi certus interitus, & exitiũ luctuosum. Id intelligens diabolus conatur priuare nos oculis, quod significauit diuina scriptura sub nomine Naas, qui voluit oculos extrahere habitatoribus Labes. Naas sonat serpentẽ, qui nobis oculos intellectus tenebris obruere cõtendit. Tanto nos odio prosequitur diabolus serpẽs antiquus, vt virtuti insidietur, quo possit

Matt. 25.
Greg. Nazian.
Iudic. 16.
Ierem. 39.
1. Reg. 11.

A eam statim in principio interficere. Quã ob causam multis oculis, multisque vigilijs opus est, vt eius insidias declinemus. Pharao in partu volebat filios Israelis occidere, ne Dei populus propagaretur: diabolus vult bona opera statim interficere, ne crescant & dilatentur. Hic est draco septẽ capitũ, qui, vt ait in Apoc. D. Ioãnes, stetit ante mulierẽ, quæ erat paritura, vt cũ peperisset, filiũ eius deuoraret. At natus puer, fuit à Deo liberatus. Hæc mulier est anima Deo deuota, quæ cũ bona cogitat, & facienda proponit, concipere

B dicitur, cũ vero fructũ cogitationis bonę in lucẽ ædidit, atq; in virtutis actionẽ incubuit, tunc peperit. Id intelligẽs Isaias, à facie tua, inquit, concepimus, & parturiuimus, & peperimus spiritũ salutis. Sed adest dæmõ septẽ capitũ, ad septẽ mortifera inuitãs flagitia, qui desiderat fructũ virtutis interficere. At si anima est oculis circunsepta, & dæmonis insidias cauere curat, eripitur honestatis fructus & gratus est Deo: sin autẽ se à dæmone patitur obcęcari, nõ solũ eius fructus, sed ipsa etiã

C amittitur. Eã ob causam studet diabolus nostræ mentis oculos tenebris circũfundere. Sed Christus Deus noster, vera illa lux, quæ illuminat omnẽ hominẽ venientem in hunc mundũ, volens cæco à natiuitate mederi, eius oculos liniuit luto, & ad fontẽ siloe misit lauandũ. Vult Deus, vt ante oculos lutũ scelerũ nostrorũ habeamus, vt flagitiorũ nostrorum maculas cognoscentes, accedamus ad sacramentũ cõfessionis, ad fontẽ siloe, cuius aquæ, vt ait Isaias, currũt cũ silentio, vt ibi absolu

D tionẽ, lumenq; gratiæ recipiamus. Væ illis, quorũ intellectus est caligine coopertus, de quibus ait Apostolus in Episto. ad Roma. obscuratũ est insipiens cor eorũ. Et ad Ephes. tenebris obscuratũ habẽtes intellectũ. Merito antiqui illi, qui apud gentes sapientes habebãtur, fictis fabulis scriptũ reliquerunt, Gerionẽ Hispanorũ Regẽ tricorporẽ fuisse, & sex oculis ornatũ, & Ianũ vetustissimũ Italiæ regẽ geminã faciẽ prætulisse, & oculis ante & retro præterita & futura cõsiderasse. Hos enim absq; dubio ad prudentiã & solertiã, & vigilantiam referebant, quemadmodum etiam

Exod. 1.
Apoc. 12.
Isai. 26.
Ioan. 9.
Ioan. 9.
Isai. 8.
Rom. 1.
Ephes.

etiam argũ pastorẽ totũ oculis scatere fabulabantur. Et iuxta mineruã draconem acutissimi visus pingebant, significantes opus esse summa solicitudine vigilare, ne sapientiã per mineruã significatam amitteremus. Per mineruã autẽ nõ carnis prudentiã, quã D. Paul. mortẽ vocat, sed sapientiã cũ honestate coniunctã intelligebant, quã ob causam asserebãt eã esse virginẽ, & ex cerebro Iouis prognatã, ad innuendũ non esse verã sapientiã carnis inuentam, sed ex inexhausto diuinæ sapientiæ fonte depromptã. Nos habemus Ezechielẽ diuinũ vatẽ, qui rotas (cap. primo) ait vidisse oculis plenas, vt nos ad perspicientiã, & vigilantiã & diuinarum humanarumq; rerũ contemplationem excitaret. Eodẽ modo D. Ioan. in Apoc. ait quatuor vidisse animalia oculis plena ante & retro; & paulo post asserit esse intus oculata: nõ enim exteriora solum, sed interiora etiam sunt nobis perspicienda. Quod si ita fecerimus parati erimus: atque cũ venerit Dominus nos beatitudine ac perpetua fœlicitate sua afficiet.

Ezech. 1.

Apoc. 4.

¶ *Hoc autem scitote, quia si sciret pater familias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, &c. Et vos estote parati, quia quã hora non putatis filius hominis veniet.* Sæpe solet Dominus suum aduentum inopinatum prædicare: & aduentui furis illũ comparare. Apoc. c. 3. ait cuidam Episcopo: si ergo non vigilaueris veniam ad te tanquam fur, & nescies qua hora veniam ad te. Idẽ leges. c. 16. eiusdẽ Apoc. & 1. ad Thessal. c. 5. & 2. Petri. 3. Matth. c. 24. Obserua: quod nõ procedit hæc similitudo quantum ad intentionẽ. Fur enim nocere intendit: at Dominus non vult mortẽ peccatoris, sed magis, vt conuertatur & viuat: vult enim omnes homines saluos fieri. Comparatio igitur in modo veniendi sita est, vt Doctor sanctus annotauit in illum locum Apoc. cap. 3. Vterque enim est clancularis & inexpectatus aduẽtus: & ideo omni tempore debet homo vigilare, quia nescit quo tempore sit venturus. Sic vigilare solent arcium custodes cum ignorent quota hora hostis sit accessurus. O amatores seculi audite quid iudex dicat: qua hora non putatis filius hominis veniet. Et rursum: veniam ad te, tã

Apoc. 3.

Apoc 16.
1. Thes. 5.
2. Petri. 3.
Matt. 24.

S. Thom.
Apoc. 3.

A quam fur, & nescies qua hora veniam ad te. Ad vos est hic Domini sermo, quẽ modo non diligitis: cuius propositam legẽ contemnitis, & in malo securi estis, spem in longum protendentes, crastinos dies agitis, nemini non graues estis, ventri indulgetis, voluptatibus inseruitis, oculos clausos tenetis, nec eos in diem aduentus Domini magnum & terribilem aperitis, velut perpetuo victuri: sed veniet veniet profecto hora qua non speratis: veniet, inquam, veniet horrenda mors, quam non expectatis: tunc rugient circa vos,

B hostes & aduersarij vestri tanquam horribiles leones: tunc clamabitis & nullus exaudiet: opem & auxiliũ postulabitis & nemo feret: nemo vobis aderit, nemo succurret. O filij hominum, vsquequo graui corde? Quæ vos tenet vesania? Vt quid rebus perituris tanta auiditate seruitis? Cur vanitati tanto studio confiditis? Pereunt cuncta, & citò pereunt, nec vos ab exitio liberare valebunt. O legũ improuidi temeratores, reuertimini ad cor, sumite cõsilium, rebus vestris ocyus

C consulite, quando omnes mundi promissiones fallaces sunt, & seductoriæ, omnes blanditiæ eius venena mortifera, cunctæ delectationes pocula venenosa, aconito nocentissimo permista; viæ autem eius sempiterna, & amarissima mors. Cui namque amatori suo dedit quod promisit? Quem diu regnare permisit? Cui stabilis fuit? Nonne vno eodemque tempore in sublime fert, & humiliat & deijcit? Vbi modo quæso potentũ gloria, qui terra, marique imperium dilatabãt? Vbi varia suppellex? Deaurata vestis? Clien-

D tum numerus? Diuitiarũ copia? Et odoramentorũ diuersa genera? Delitiarũ gaudiũ? Et cętera huiusmodi: nũquid profuerunt hæc omnia seculi amatoribus? Transierunt cuncta. Cur hæc non aduertitis? Cur aliorũ exemplis non erudimini? Vt quid pereuntium casus vos non deterretur. Diues erat, cui horrea plena frumento erãt, redundabãt cellaria vino, sed stultus. Quare stultus? Quia dũ lõgã sibi promitteret vitam, subito audit: stulte, hac nocte animã tuã reposcũt à te, & ea quæ parasti cuius erunt? Stultus & purpuratus ille epulo fuit, qui dũ splendidè appa

Luc. 12.

rat côuiuia, instruit mensam, purpura & bysso se exornat, gaudia miscet, summa voluptate fruitur, repletingluuiē, saginat ventrē, breui hora raptus ad pœnam, didicit post mortē, quod viuens discere noluit: cui sitiēti postea nec extremi qui dē digiti guttula aquę data fuit, vt narrat noster Luc. c. 16. Sexcenta sunt id genus exēpla, quib⁹ pręmonemur ne in hoc mūdo spē defigamus, ne cū stultis pereamus: semper autē vltimū expectemus diē. Expectas si vigilas, vigilas si à peccato abstines, si somnū peccati ab oculis tuis excuties, si insigniter strenueq; saluti prospicies: alioqui nec vigilas, nec expectas, vt veniat super te omne verbū, quod locutus est Dns in cælo suo dicens: veniam ad te tanquam fur: & rursum: qua hora nō putatis filius hominis veniet. Fœlices profecto sunt homines, quibus expectatus aduenit Dñs: qualis erat Iob, qui. c. 31. dicebat: quasi tumentes super me fluctus timui Deū. Optima sanè cōparatio. Nā quemadmodū cum sæuit procella & fluctus inflari incipiunt: tūc qui nauigāt summa cura vigilare solent, vt periclitanti nauigio opitulentur: sic viris iustis semper fuit formidolosus aduentus Dñi. Quā tunc est maxime, cū quis mortem subire vult. Ideo Dauid aiebat: notum fac mihi Dñe finem meum, & numerum dierum meorum quis est, vt sciā quid desit mihi.

Iob. 31.

Psalm. 38.

Dit autem ei Petrus, Dñe ad nos dicis hāc parabolam: an ad omnes? Dixit autē Dñs, quis putas est fidelis dispensator et prudēs, quē constituit Dñs supra familiā suā, vt det illis in tēpore tritici mensurā. Beatus ille seruus, quem cū venerit Dñs, inuenerit ita facientē, vere dico vobis quoniam supra omnia quæ possidet, constituet illū. Quod si dixerit seruus ille in corde suo, morā facit Dñs meus venire: et cœperit percutere seruos et ancillas, et edere, & bibere, & inebriari: veniet Dñs serui illius in die qua non sperat, & hora qua nescit, & diuidet eū partēque eius cū infidelibus ponet. Ille autē seruus qui cognouit voluntatē Dñi sui, & nō se præparauit et nō fecit secūdū volūtatē eius: vapulabit multis, qui autē nō cognouit, & fecit digna plagis: vapulauit paucis. Omni aūt cui multū datū est, multū quæretur ab eo: et cui cōmendauerunt multū, plus petent ab eo.

HAnc parabolā adiecit Dñs prædictæ, quo magis accēderet suos ad perpetuā instantiā officij sui, proponēs & præmiū functis officio, & pœnā ei, qui cessaret in officio. Illū ergo audiamus. ¶ *Quis putas est fidelis dispensator & prudens quē constituit Dñs super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram?* Quis, interrogatiua particula non pro impossibili, sed pro re difficili frequēter accipitur ait Hiero. Nahū. 3. vt in hoc loco: & in illo: leo rugit quis nō timebit? Et Psal. 13. quis ascēdet in montē Dñi? Vide D. Hiero. Amos. 3. Zacha. 4. Et in Epist. ad Mineriū & Alexand. Et Orig. homil. 18. Numer. ¶ His ergo verbis vult Dñs insinuare quā difficile sit inuenire pręsules qui debite fungātur officio suo. Imprimis obserua prudentiā esse præsuli maxime necessariā, qua, absente Dño, curet illius Ecclesiā, cui præfectus est, nō vt tyran-

Quis? in sacra Scriptura quid significet.

D. Hiero. Nahum 3. Psalm. 13.

D. Hiero. Origen.

Prudentiā esse maxime necessariam prælatis ostenditur.

tyrannidē in eā exerceat, sed vt ex opib9 cælestibus & spiritualibus Dñi, cuiq; suū dimensum, quantum opus est, & quando op9 est, depromat. Ad quod maxima prudentia opus est: qua subditos optimē cognoscat: & rē illis necessariā prouideat. Solent. n. speculæ in finibus prouintię constitui: & in illis speculatores in eisdē extremitatibus degentes collocari, quoniā hi terrā melius cognoscūt, & hostes vicinos maiore odio prosequūtur. Huiusmodi esse debēt præsules, qui subditos optime cognoscāt, & hostiū animæ acerrimi sint hostes, & veritatē intrepidē, sed cum modestia annūtient, & rēpublicā prudenter gubernēt, potius amari, quā timeri cupientes. Nā si omnia voluerint timore, & asperitate & insolentia mēsurare & regere, similes infideli seruo & imprudēti verberanti cōseruos, ac tyrannidē quandam vsurpanti, ea facile euertēt. Vt aqua magni ac pfundi lacus cū natura sua trāquilla sit, vi tamē venti agitatur & cōmouetur, sic populus & si sua spōte mitis sit & quietus, nimia tamen seueritate & asperitate præsulis veluti violēta procella cōcitari solet, & perturbari. Ideo ait Salo. in Pro. in hilaritate vultus regis vita, & clementia eius quasi imber Serotinus. Et rursus: misericordia & veritas custodiūt regē, & roboratur clemētia thronus eius. Et Christus Deus noster: qui maior est vestrū, erit minister vester. Ita tamē debet princeps & præsul misericordiā & tranquillitatē colere vt iustitiā nō amittat. Ita. n. ait Salom. rex iustus eriget terrā, vir auarus destruet illā. Et liber sapientię: diligite iustitiam, qui iudicatis terrā. Oportet reipublicæ gubernatorē animū ad Deū erigere, eiusq; præcepta seruare: prudentiaq; pollere vt subditos suos rectē ac sapiēter regat. Hoc est præsulis munus cū prudentia omnia agere. Hęc est quę illū docebit nō esse languescendū, nō esse tacendū cū opus fuerit, & subditis cōsulere. Id volēs Deus significare dicebat Isaiæ: pone speculatorē, & quodcūq; viderit, annūtiet: per quē speculatorē ipse Isaias intelligitur: qui de Ecclesiæ Catholicę fœlicitate vaticināS, aiebat: vox speculatorū tuorū: subaudi audietur. Et subdit statim: leuauerūt vocē, simul laudabūt. Nā si præsules & primates populi flagitia cū opus est

Simile. Simile. Prou. 16. Prou. 20. Matt. 23. Prou. 29. Sap. 1. Isai 52.

A silētio prætererint, pœnas mortis eius ipsi persoluēt, quēadmodū Deus cap. 3. dixit Ezech. huiusmodi præsides vocat Isaias canes mutos nō valentes latrare. Eam ob causam D. Pau. in Epist. 1. ad Tim. vbi Episcopū & pręsulē describit, ait eū debere esse doctorē. Et quoniā ipse Timoth. Episcopus erat, ita illū in Epist. 2. cohortatur. Prædica verbū, insta opportunē importunē: argue, obsecra, increpa, in omni patiētia & doctrina. Hęc omnia vt opportunē fiāt prudētia nō parua opus est. Quādoq; subditi mansuetē corrigēdi sunt: nimirū quādo suā culpā, atq; sua malē commissa ex animo contrito & humiliato agnoscūt: quādo leuiora sunt quæ cōmittūtur, quādo ex insperato cōtingūt: quando humana fragilitate peccāt. Tūc. n. locum habet quod D. Paul. scribēs ad Galat. admonet dicēs: fratres & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto: vos qui spirituales estis huiuscemodi instruite in spiritu lenitatis: cōsiderās te ipsum ne & tu tenteris. Vbi annotat Chrysost. quod nō dixerit, si fecerit: sed si præoccupatus fuerit. i. abreptus: nimirū aliquo impetu, aut aliqua etiā infirmitate, aut ignorātia, si præuētus fuerit antequā cauere potuerit. Quibus verbis excludit Apostolus destinatā malitiā. Cū eiusmodi esse non debēt præsules rigidi, asperi, & austeri: sed adhibere debēt mansuetā, lenē, & suauē exhortationē, instructionē, aut correptionē. Quādo verò subditus non corrigitur, sed obstinato cōsilio ac diu meditato aliquid cōmittit, tū aliter cū illo agēdū esse, docet prudētia. Vnde D. idē Pau. ad Cor. scribēs ait. Quid vultis? In virga veniā ad vos: an in charitate, & spiritu māsuetudinis? Prudens magister discipulorū correctionē in eorū potestate dimittit: vt si pœnitere velint, clemētissimus cōsolator adesset. Si autē nolent, durus vltor assisteret peccatorū. In virgaq; veniret: quali virga venit Petrus ad Ananiā, & Saphirā, & ipse Paul. ad Magum. Quali virga olim dicebat Dominus vtendum esse verū pastorem: pasce (inquit) populum tuum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ. Populus enim iniquus eget virga pastorali. Ob hanc puto causam, quia populus Israel duræ ceruicis erat, & semper carnes AEgyptias suspirabat, vsum esse Moysen

Ezech. 3. Isai 56. 1. Tim. 3. 2. Tim. 4. Gal. 6. Chrysost. B C 1. Cor 4. D D. Hiero. Acto. 5. Ibid. 13. Mich. 7. D. Hiero.

prudentē ac fidelē prælatū non solū aduersum AEgyptios, quos percusit decem plagis, sed aduersus populū in solitudine, virga legali, virga percutiente, & omnia vasa testea & fragilia confringente: Apostolis autē Dñi saluatoris qui sapientiam loquebantur inter perfectos, virgam excussam esse de manibus, quia perfecta dilectio foras mittit timorē. Quādo igitur virga opus sit & quando nō opus sit, præsules prudētia docebit. Nec semper asperus & rigidus prelatus esse debet: nec semper lenis & mansuetus. In cuius figura immisit Dñs soporē in Adā, & tulit vnā de costis eius: repleuitq; carnē pro ea, vt in lib. Genes. sacra narrāt eloquia. ¶ Deinde animaduerte: præsules nō Dominos esse sed ministros: nō dñs, sed dispensatores & œconomos domus Dñi. Sic nos existimet homo, ait D. Paul. vt ministros Christi, & dispēsatores ministeriorū Dei. Siue μυστηρίων, id est, mysteriorū siue arcanorū Dei. Et dispensatores hic œconomi vocātur. Vt intelligant præsules eos administrare quidē, sed rē alienā & rationē reddituros. Dispensatores ergo sunt, dispensantes secreta cælestia ac mysteria fidei dictata ab illo spiritu, de quo idē Paul. ait: spiritus est qui loquitur mysteria: dispensatores sunt, dispensantes septē sacramēta in quibus diuina virtus secretius operatur hominū salutē, atq; medelā. Hos ergo vult Dñs esse fideles œconomos. Tūc autē fideles erūt, quando nō tā suā, quam populi cōmoditatē, atq; vtilitatē quærant: quando nō tam suā, quā Dei gloriā curare studeant. Sed hi tā pauci sunt, vt merito dicat Dñs quis putas est fidelis dispensator. ¶ *Quis putas est fidelis dispensator & prudēs quē constituit Dñs super familiam suam.* Iā hic vides impudentiā Lutheri asseuerantis nō posse summū Pōtificē cōdere leges quod si semel cōdiderit in eis minime dispēsare posse: esset. n. occasio inquit, vt penitus Christiana respublica dissiparetur, ac subuerteretur. Si n. dispensare posset, tunc pro libito in votis, in matrimonijs contractis, cæterisque omnibus dispēsaret: sicque omnis Ecclesiæ status corrueret. Hæc ille. Certa tamē res est eū posse in lege à se lata dispēsare.

1. Ioa. 4. d

Gen. 2. Figura.

Præsules non Dñi sunt, sed ministri.

1. Cor. 4.

1. Cor. 4.

Error Lutheri.

A Cū dicat D. Paul. in priori ad Cor. c. 4. sic nos existimet homo, vt ministros Dei, & dispensatores ministeriorū eius. Et c. no. no rursum dicat: dispensatio mihi credita est. Cum extet in hac re sanctorū omniū consensus, Theologorū omniū sententia, Ecclesiæ Catholicæ perpetuus vsus. Adde his: quod aliquando talis dispensatio est maximē necessaria, vt experimēto didicimus, habet ergo summus Pontifex potestatē dispensandi cū necessitas occurrerit: alias. n. Deus qui summus guberna B tor ac prouisor est, defecisset in rebus maxime necessarijs: quod crimen est affirmare. Neq; est quare existimet impius Lutherus hāc potestatū occasionē esse diruptionis ac ruinæ totius Ecclesiæ: cū sciamus ex Paulo eiusmodi potestatē relictā ac datā fuisse in ædificationē & nō in destructionē. Quare si pro libito, & absque causa dispensaret infidelis esset: atq; infideliter munus suū exerceret: cū non tam cōmune bonū intendat, quām voluntatē suam. Idcirco igitur vult Dñs vt dispensatores domus suæ sint fideles & prudētes. C Fideles quidē, vt causam dispensandi respiciant: prudētes verò, vt eā nō ignorēt. Lege quid de hoc disserat Doctor Sanct. 12. q. 97. art. 4. cæterosq; Theologiæ professores. ¶ *Beatus ille seruus quem cum venerit dñs eius inuenerit ita facientem, vere dico vobis quoniam supra omnia quæ possidet constituet illum.* Ecce propositū præmiū ijs qui concredita sibi à Dño bona spiritualia, aut tēporalia bene dispensant, & volūt cōseruis partē cōcedere. Fœlix profecto præsul, aut princeps, quādo nō in luxu vestiū occupatus est, neq; cor D pus ornare studet, quando ridet delitias quādo gulā & crapulā fugit, quando nō cōuiuia & cœnas sectatur: sed frugalitatē habet iuxta Apostolicā admonitionem: habentes victum & indumentum his cōtenti sumus. Certo sciens, atq; intelligēs non tantū hæc illi esse à Deo concessa, vt ipse tantū eis vtatur, sed & vt proximorū indigentiam subleuet, vt conseruis partē concedat. Verē sanē beatus seruus iste ac verē diues dicēdus est. Veræ. n. diuitiæ sūt vt verbis vtar D. Chryso. & inexhaustæ facultates, desiderari tantū quātū vsui satis,

Summus Pontifex potest in suis legibus dispēsare.

2. Cor. 10.

12. q. 97. art. 4.

Ostēditur quam fœlix sit præsul rectè munus suū exercens.

1. Tim. 6.

Homi 37. in Gen.

tis,& ea quę ad vsum pertinet recte dispē sari. Neq; enim ille qui hæc facit inopiā timere poterit, neq; calūniā sustinet, neque turbationē sentit: sed & extra calum niā erit,& liberabitur ab insidiātibus, & vt summatim dicā in perpetua trāquillitate erit,& quiete ac ocio fruetur: & qđ maius est omnibus, caputque bonorū, & Deū habebit propitiū,& superna fruetur gratia, vt pote factus dispēsator pecuniarū Dñi. Beatus enim, in hoc loco dicit, ser uus ille quē cū venerit Dñs, inuenerit facientē,& sic dispensantē cōseruis, & non arcis,& vectibus includentē: & vermib9 escā fieri permittentē: sed inopū miseriā subleuantē, bonūq; & fidelē dispensatorē factū eorū, quæ a Dño suppeditantur. Beatus inquā hic erit, nā non solū Dñs expertus fidē ac diligentiā in dimēsis, præficiet eum in cœlesti patria omnibus bonis suis, ac veluti rerū omniū consortē habe re dignabitur: sed etiā in hac vita fœliciter sua dignitate stabilietur. Sic enim solet Dñs in hac etiā vita beare quos offendit in officio,& quorū fidē ac curā in sibi cōcesso munere experitur. Hinc est quod olim huiusmodi procuratorib9 suis, hoc est, regibus Iuda ac seruis eius dicebat: facite iudiciū & iustitiam & liberate vi oppressum de manu calūniatoris, & aduenā & pupillū & viduā nolite cōtristare: neque opprimatis inique,& sanguinē innocentē ne effundatis in loco isto. Si enim faciētes feceritis verbū istud: ingredientur per portas domus huius reges sedētes de genere Dauid super thronū eius,& ascendētes currus & equos, ipsi & serui & populus eorū. En vides præmiū in hac etiā vita propositū recte fungētibus officio suo. Quicquid regiæ domui dictū est, inquit Hierony. intelligāt episcopi, socij que eorū præsbyteri atq; diaconi, & omnis ordo Ecclesiasticus: quod si fecerint quæ præcepta sunt,& inter cætera innocentē sanguinē nō fuderint, scādalizātes minimos quosq; & percutiētes cōscientias singulorū, obtineāt traditā sibi à dño dignitatē. Ingrediūtur autem de genere Dauid per portas Hierusalem, & sedēt super thronū eius, qui interpretatur fortis manu,& ascēdunt currus & equos: quan do refrenāt & suas & populi perturbationes,& cōposito in ecclesia ingrediūntur gradū, & multarū virtutū choro, sibique ex omni parte cōcinnentiū. ¶ Beatus etiā erit quū in hac vita duplici honore afficietur. Vnde Dñs apud Esaiā loquēs: vos autē sacerdotes dñi vocabimini, ministri Dei nostri, dicetur vobis. Pro cōfusione vestra duplici & rubore laudabūt partē eorū, ppter hoc in terra sua duplicia possidebūt, alloquitur Dñs Apostolos & sacerdotes Christianos, qui non Dñi sed ministri Dei nostri vocātur: sunt enim æconomi ac dispēsatores fideles & prudētes. Hi ergo quod verbis & factis ab impijs affliguntur, quod recte vtātur officio suo: duplici honore in hac vita à Dño honorantur. Dicēte Paulo Apostolo qui bene pręsunt præsbyteri duplici honore digni sunt: hoc est dupli præmio. Hebræis.n. honorare nō tā est revereri, quā necessaria suppeditare. Latini quoq; honorem pro præmio sumūt. Vnde munus honorariū. Vnde etiā in Prouer. ait Salomō: Honora Dñm de tua substātia. Et Tobię.c.i. ex his quibus honoratus fuerat à rege habuisset. 10. talēta argēti,&c. Vt ergo (do ceamur fideles ministros multis opib9 repleri etiā in hac vita, quod bene præsint, idcirco ait Paul9: duplici honore dignos esse & Esaias: propter hoc in terra sua duplicia possidebūt. Ego existimo hanc particulā, duplici, accipi tā apud Esaiā quam apud Paulū pro multiplici, quēadmodū mos est scripturę finitū pro infinito accipere. Quibus quātisq; opibus primi illi ecclesiæ fideles ac prudētes dispēsatores potiebantur vel ipse Lucas testis est, qui in Actis Apostolorū narrat gētes quæ ad fidē cōuertebātur opes suas afferre, atq; ad pedes Apostolorū proijcere: quib9 & sustētarētur & tāquā fideles dispēsatores in pauperes fideles distribuerēt. Testis etiā sit ipsa ecclesia quæ opes immēsas suis ministris impartitur. Beatus etiā est seru9 fidelis & prudēs cū oēs ei honorē deferāt, colāt, obseruent, ac revereantur obedientes domino qui ait: præsbytero humilia animam tuam. Et Paulo dicenti: obedite præpositis vestris. ¶ Tandem beatus ac vere beatus est seruus ille, quod cœlestia bona

Hiere. 22. — Hiero. — Esai. 61. — 1. Tim. 5. — Eccl. — Tobiæ. 1. — Esai. 61. — Acto 4. — Eccl. 4. — Heb. 13.

bona consequetur. Vnde Dñs apud Isaiã in illo loco superius allato post tẽporalia præmia addit vltimũ, præcipuũ ac verũ præmiũ. & gloria, inquit, sempiterna erit eis. Et in hoc loco: amen dico vobis quoniã supra oĩa quæ possidet cõstituet illũ.

Isai. 61.

¶ *Quod si dixerit seruus ille in corde suo, moram facit Dñs meus venire.* Expositis moribus boni præsulis & proposito præmio: explicat modo malos mores iniqui & infidelis imprudẽtisq; dispensatoris. Primũ ergo scelus eius est existimare in longũ prolaturũ esse Dñm, reditũ. hoc est mortẽ in longũ proferendã. Indeque licentiã ansamq; accipere infideliter & imprudenter fungẽdi officio suo. Quod maxima insipiẽtia est: cũ certa res sit, omnibusque comperta, quod omnia fluunt & pereunt, & nos cũ illis, medioq; spatio frangimur & corruimus, & prius in ipso cursu obruimur, quã portũ cõspiciamus. Mors nos in cursu à tergo insequens, nec opinãtes assequitur, & à lateribus aliquãdo atque à frõte inuadit. Vt vasa fictilia æque sunt obnoxia periculo, siue sint noua siue diuturna: sic homines æqualiter sunt mortales, & interitus periculo expositi, siue sint adolescentes, & in ætate florentes, siue sint senes & ætate progressi. Si in figulinã ingressus videris mensam fictilibus vasis refertã, quibusdã recentibus, quibusdã verò antiquis, alijs magnis, alijs autem paruis, & à figulo quæsieris, quod ex illis est prius frangendum: illud respondere poterit, quod prius ceciderit in terrã: ita ex hominibus ille prius excedet è vita, non qui fuerit antiquior, sed qui prius fuerit delapsus in terrã, qui sepulchrũ prius tetigerit. Quid aliud est seculum hoc quã figulina quædã, nos autẽ quid aliud sumus, quã vasa quædam fictilia? Id intuens regius vates aiebat: tãquam vas figuli confringes eos. Et Isaias comminuetur, sicut conteritur lagena figuli. Et D. Paul. in. 2. ad Corint. habemus thesaurũ hũc in vasis fictilibus. Et D. Ioa. in Apoc. Tãquã vas figuli confringẽtur. Vt qui faciunt iter de solis occasu aliquãdo non cogitant & eos nox opprimit incautos: sic mors multos aggreditur de illa minime cogitantes. Quare nõ est cur

Scelerata mali præsulis describuntur.

Primũ est mortẽ in longũ proferre.

Simile.

Psalm. 2.
Isai. 30.
2. Cor. 4.
Apoc. 2.

A præsul, aut princeps dicat suo cũ animo? Dñs meus iã in longũ profert reditum, & fortasse nũquã rediturus est, interim morẽ gerã animo meo. Nõ est cur subitũ interitũ non timeat. Sed heu nos, nã multi in Ecclesia sunt ita socordes, ita sui suiq; mortis obliti, vt ita viuant, ita se in omnibus gerant, ac si in æternum essent victuri. Similes principibus ac præsulibus, filijsq; Israel, prouerbio illo vtentibus. Vt ait Ezech. in longum differentur dies, & peribit omnis visio. Traducebant in prouerbiũ, & veluti in fabulã diuina oracula: quasi in mundi fine euentura, aut omnino peritura. Idcirco addit Dñs: quiescere faciã prouerbiũ illud, nec vulgo dicetur vltra in Israel, & loquere ad eos, quod appropinquauerint dies, & sermo omnis visionis. Nõ prolongabitur amplius, sed in diebus vestris loquar verbũ & faciam illud. Quibus verbis significabat vicinã captiuitatẽ vrbis Hierusalẽ, & Sedechiã, cũ populo Iudaiam iã capiendũ. Sic modo socordes præsules, negligentesq; principes in fabulã vertunt omnia quæ prædicat Euangeliũ: existimantes in aliud tẽpus differenda: in fabulã traducunt: veniet Dñs serui illius hora qua nescit: & diuidet eũ, partemq; eius cũ infidelibus ponet: nõ existimantes subitã mortẽ, nec subitum interitũ, sed longum tempus sibi promittentes: & idcirco sibi morẽ gerentes, nimisq; se ipsos indulgentes. Quod stultitia nõ minima est, cũ longioris vitæ nemo est qui certitudinẽ habeat. Moriẽdũ enim sine dubio est, & id incertũ, an ea ipsa hora. Nihil est certius morte, & nihil incertius ea ipsa. Nemo ergo nostrum dicat: morã facit Dñs meus. Quod si morã fecerit expecta eũ, quia veniens veniet & non tardabit, vt vates quidam ait.

Ezech. 12.

B

C

D

¶ *Et cœperit percutere seruos & ancillas.* Ecce superbiam, iram, iniustitiam impiorũ prælatorũ: quibus comprehenduntur crimina omnia quæ in sibi subditos committere solent. Sunt enim nonnulli qui aspere, insolẽter, & superbè illis dominãtur, & vt paucis dicam, tyrannidem exerceant in eos. Per Ecclesiasticum ait Deus in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloria diligeris, quãto maior

Abac. 2.
Hieron.

1. Scelus prælatorũ malorũ est in sibi subditos seuire.

Eccles. 3.

for es, humilia te in omnibus, & corā Deo inuenies gratiam. Et D. Paul ad Tit. c. 1. ait: oportet enim Episcopū sine crimine esse: sicut Dei dispensatorem: non superbum: non iracundū. non percussorē. Nō inquam superbum; quoniam Deus superbis resistit: non iracundū neq; percussorē, qui mederi studeat, & inuitet, alliciatque potius quàm exigat. & beneficijs pugnet potius quàm verberibus. Magistratus enim ostendit virum: & vir magistratum exornat. Quemadmodū æstate cum vehementius tonuerit, quàm fulserit signum est ventorum, vt Plinius ait, sic qui in aliorū peccata vehementer inuehitur, & clamores queribundos attollit, cū ipse non perinde vitæ puritate micuerit, facile ostenuit animum habere austeritatis potius, & ambitionis, ac vanitatis ventotum mentē, quā colentē iustitiæ & Christianæ pietatis. Barjona sonat filiū colūbæ, & talis debet esse, qui alios suscipit gubernandos. Quorsum. n. Christus Deus noster promittens Petro summū Pontificatū, ei dixit: beatus es Simon Barjona, nisi vt ostenderet, debere Ecclesiasticū pastorē, columbæ habere mãsuetudinē & simplicitatē. Sed quoniā oportet vti aliquādo austeritate, & grauiter punire: & objurgationes nōnunquam incidunt necessariæ, in quibus necesse est vti acerbiore cōtentione verborū, & acriore reprehensionis & supplicij seueritate, sed ita vt procul absit ira, & intēperantia; ait Greg. Nazian. in lib. de Hieremiæ dictis, difficile esse scire regere seipsum, scire autē regere alios difficilius. Et in Apologetico, reuera, inquit, mihi videtur ars artiū, & disciplina disciplinarū, hominē regere, vel imbuere, qui est inter omnes animantes maxime & motibus varius, & volūtate diuersus. Vt in corporibus multæ inuēniuntur dissimilitudines, alios enim aspicimus celeritate instructos ad cursum alios viribus ad palestrā, quosdam faciē nigro colore affectos, quosdā albo, alios formæ grauitate preditos esse, alios venustate, sic in animis existūnt diuersę ptopēsiones, & infinitæ varietates. Quas omnes debet cognoscere, qui rempublicam gubernandā suscepit. Atq; ipse sine crimine aliquo esse, hoc est, sine ira, superbia, iniustitia vt recte possit fungi officio suo. Sed nōnulli sunt in Ecclesiā qui veri præsulis picturā, nec vltima retineant liniamēta, sed vmbrā tantū & nomē: sicut olim Cicero de quodam dixit. Nōne ab imis vnguibus ad verticē vsque, si quam coniecturā adfert tacita corporis figura: ēx faustu, pōpa, ambitione, luxu, & huiusmodi totus cōstare videtur? A vertice vsque ad pedes nō est in eo sanitas dici potest de huiusmodi præsule. ¶ Fugiat ergo imprimis antistes omnē superbiā. Quæ initiū fuit & modo est omniū peccatorū. Meminerit esse mortalē: memineritq; quid Aristot. hominē definiens dicat: homo, inquit, est animal rationis particeps, mortale. Has duas differētias formæ procreatrices posuit in definitione, vocās eū morti obnoxiū: vt illū suæ fragilitatis admoneret. Si se extolleret aspiciēs se compotē rationis, & bonorū immortaliū capacē, statim se intueretur esse caducum & mortalē, quō superbiā deponeret, & imbecillitatē suam perspiceret. Hac cōsideratione ducti magni viri, in sublimi dignitate cōstituti ac fideles dispēsatores effecti: profundā humilitatē amplectūtur, minimeq; efferūtur absentia Dñi, ac delegata præfetura. Id significare volens Dñs præceperat vt gazophylacia tēpli superiora arctiora & humiliora essent gazophylacijs inferioribus: quia viri iusti ac præsules Ecclesię qui sunt gazophylacia & thesauri gazarū Dei, quāto superiorem obtinēt locū tanto humiliores sunt. Vt. n. vasa cū replētur liquore, aerē expellunt, sic qui in virtutē proficiunt deijciunt vanitatē omneq; superbiæ genus detestantur. Contra vero quemadmodū vasa, cū euacuantur liquore, implentur aere: sic multi destituti virtute implentur superbia, quā dominatur in suos. Hęc de cælo eiecit principē ac prasidē illū angelorū hæc de paradyso eiecit primum ac principē hominū: Hæc hæreticos separat ab Ecclesia. Luzifer voluit esse similis altissimo: Adā & Eua voluerūt esse sicut dij sciē bonum & malum, hæretici volunt esse super magnos Ecclesię principes, super omnes doctores, imo & super summum Pontificem

Marginalia: Ad Tit. 1. — Simile. — Prælatum oportet esse mansuetum habereque simplicitatē columbinam. — Matt. 16. — Greg. Nazian. — Simile. — Multi præsules vmbram tantum & nomen boni præsulis habent. — Isai. 1. — Superbia imprimis est ab antistite fugiēda. — Aristot. — Ezech. 42. — Figura. — Simile. — Isai 14. — Gen. 3.

tificem Ecclesiæ, Christique vicarium, & super omnia concilia æcumenica. Fugiat igitur præsul hoc superbię vitium, si fidelis dispensator bonorũ Domini esse vult. ❡Fugiat præterea præsul iram, ac tyrannidem, fugiat sæuitiam in conseruos & ancillas, hoc est, in sibi subditos, pascat eos ex tritico Domini communis, non verberet illos nec pulset. Hoc enim officium non præsulis, sed leonis est. Talisque merito apud Ezechielem leoni & Draconi assimilatur. Leoni inquit, gentium assimilatus es, & draconi qui est in mari. Ac si diceret, vt leo inter terrena bruta obtinet principatum in fortitudine, & crudelitate, & draco siue cetus inter aquatilia in magnitudine & potentia, sic tu ô Pharao gentes omnes superas potentia, immanitate & ferocitate. Leo, vt ait Salo. in Prouer. est fortissimus bestiarum. Eam ob causam solet Scriptura reges aut principes, aut prę́sules tyrannidem exercẽtes, leones appellare. Loquens Dauid de tyrãnide Saulis, eumq; sequẽtium, qui eum ipsum ad cædem cupidissimé quærebát, ait: susceperunt me sicut Leo paratus ad prædam, & sicut catulus leonis habitans in abditis. Et rursum: salua me ab ore leonis & à cornibus vnicornium humilitatẽ meam. Vbi leones & vnicornes appellantur homines potentes & feri, & immanitate barbari. Psalm. 33. vbi editio vulgata habet: diuites eguerunt, & esurierunt: habet trãslatio D. Hieronymi ex Hebraico: leones indiguerunt, & esurierunt. Ita appellat tyrannos rectores & potentes, qui solent infirmiores opprimere. Qualis erat dispensator iste qui conseruos & ancillas percutiebat, verberabat, & opprimebat. Eodem modo Ieremias vocauit crudelem Nabuchodonosorẽ dicẽs: percussit eos Leo de sylua. Aspicis igitur nomine leonis significari hominem potẽtem & immanem. Imo veró non solum præsules dicendi sunt, sed etiã Antichristi: cũ eius tyrannidẽ imitentur: dicũtq; quod ipse apud Ezechielẽ ait: ascendã ad terram absq; muro. Veniam ad quiescentes habitantesq; securé. Vt deripias & inuadas prædã, & inferas manum tuã super eos, qui deserti fuerant, & postea restituti, & super populum, qui est congregatus ex gentibus. Quibus verbis describit vates superbiã, irã, ferocitatẽ & tyrannidẽ Antichristi qui spoliaturus est Ecclesiam omni feré humano præsidio destitutam, affligetq; viros Ecclesiasticos. Idem etiã faciunt tyranni præsules, qui sunt mẽbra Antichristi in subditos eandẽ tyrannidẽ exercentes. Fuge ergo tu ô præsul hos Antichristi eiusq; imitatorũ mores, fuge naturam leoninã, da operã vt potentia tua cedat sapientię ac prudentiæ quam in te exigit Dominus tuus. Volentes antiqui significare debere potentiã cedere sapiẽtiæ, leonem pingebant caput noctuæ inclinantem, per noctuã mineruæ dicatam sapientiã significantes, cui leo, hoc est humana potentia & præfetura se subijcere debet. ❡Fugiat deniq; præsul, omnisque reipublicæ rector iniustitiã, amet æquitatẽ, vnicuiq; ius suũ tribuat. Imitentur ciconiã bellũ aduersus serpentes & venenata reptilia gerentẽ, & parentes senectudine defectos vicissim alentẽ. Eã enim ob causam solebant veteres sapiẽtes super regũ sceptris imaginẽ sculpere ciconiæ, vt refert Suidas, innuẽtes debere principes, & qui respublicas gubernandas susceperũt, iustitiã & misericordia colere, improbos punire, & in viros pietate & virtute præditos beneficia conferre. At multi iudices & rectores, & cæteri iustitiæ ministri, multi Ecclesiæ prælati, vt ea adipiscãtur, quæ cupiũt iustitiã omnẽ peruertũt: similes infideli dispensatori, qui vt sibi suisque cõmoditatibus morẽ gereret, nõ solũ ex tritico Dñi non pascebat conseruos: sed in eos sæuiebat. Hi sunt qui veri iuris, germanęq; iustitiæ solidã & expressam effigiẽ nulla tenent, vmbra tantum vtuntur, quam vtinam sequerentur: sunt enim nonnulli non solũ a iustitia, sed etiã à iustitię vmbra alienati. Quid refert esse regem, aut pontificem iustitia præstantẽ, si eius famuli, iustitiæ administratores sunt auari, & iniusti, & immensæ cupiditatis stimulis concitati? Vt statua Nabuchodonosoris, & si caput haberet aureum ruit tamen, & fuit penitus confracta, quia pedes habebat luteos, qui cum fuerint lapide tacti, totam machinam

Ira & tyrãnis ab optimo præsule fugiẽda.

Ezech. 32.

Prou. 30.

Psalm. 16.

Psalm. 21.

Psalm. 33.

Ezech. 38.

Iniustitia fugienda est à prælato, & amãda æquitas.

Suidas.

Simile.

machinam euerterunt: sic iustitia cadit sæpe numero, quia & si princeps aut summus Pontifex, qui rectè caput appellatur, sit iustus & ex auro virtutis veluti cōflatus, administratores tamen iustitiæ fictiles sunt, terram & lutum intuentes, & muneribus ac largitionibus mouentur, ob quarum cupiditatem præcipitant iustitiam, opprimunt insontes, inique rem illorum agunt. & tacti lapide aliquo pretioso, monili aureo, vasibus auro fulgentibus, cælato auro & argento, magna pecuniarum copia, aut alijs huiusmodi muneribus omnia iura diuina atque humana peruertunt. Tu verò ô præsul si sapis hos fuge, hos non imitare, iustitiam vitiorum expultricem nulla in re violare audeas.

Gula à præsule fugiēda.

§ *Et comedere & bibere et inebriari.* Ecce crimen & scelus gulæ quod patrare solet infidelis & imprudens præsul aut rector Christianę reipublicæ: edit, & bibit, comessatur, inebriatur, domini bona fædis voluptatibus, luxuque prodigens. De huiusmodi pastoribus olim aiebat dominus apud Ezechielem: væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Lac comedebatis, & lanis operiebamini. Vbi per metaphoram pastorum inquit Hieronymus, ad principes loquitur, de quibus & in alio loco scriptum est: qui deuorant plebem meam sicut escam panis. In lacte omnes escas intellige, in lanis multitudinem varietatemque vestium. Væ ergo istis, qui cum gregem Domini bonis Ecclesiæ pascere debeant, & saluti illius prouidere, pro sua festinant luxuria. Edunt, bibūt, atque inebriantur, vt in hoc loco ait Dominus. Oportet, inquit Paulus, Episcopum esse non violentum sed sobrium. Si enim qui huiusmodi sunt nō seipsos sed Deum diligerent & amarent, non seipsos sed oues Domini pascerent. Audi quid Dominus dicat Petro diligis me? Pasce oues meas. Amoris ergo in Deum officium est pascere oues Christi. Qui hoc animo (inquit Augustinus) pascunt oues Christi vt suas velint esse, non Christi, se conuincūtur amare, non Christum, vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate, non obediendi & Deo placendi charitate. Contra hos vigilat toties inculcata illa vox Christi, quos Apostolus gemit sua quærere, non quæ Iesu Christi. Nam quid est aliud diligis me, pasce oues meas, quam si diceretur, si me diligis, nō te, pascere cogita sed oues meas, & sicut meas pasce, non sicut tuas, gloriam meam in eis quære, non tuam, dominium meum non tuum, lucra mea, non tua, ne sis in eorum societate qui pertinēt ad tempora periculosa, seipsos amātes, & cætera quæ huic malorum initio connectuntur: cum enim dixisset Apostolus, erunt enim homines seipsos amantes: secutus adiungit amatores pecuniæ, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, irreligiosi, sine affectione, detractores incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, procaces, cœcati, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes speciem pietatis, virtutem autem eius abnegātes. Hæc omnia mala ab eo velut fonte manantia, quod primum posuit: seipsos amantes. Non sint ergo seipsos amantes qui pascunt oues Christi, nec tanquam suas, sed tanquam ipsius eas pascant: & velint ex illis sua lucra conquirere, sicut amatores pecuniæ, vel eis dominari, sicut elati: vel gloriari de honoribus quos ab eis sumūt, sicut superbi: vel in tantum progredi vt etiam hæreses faciant, sicut blasphemi: nec cedant sanctis patribus, sicut parentibus non obedientes: & eis qui illos corrigere volunt, mala pro bonis reddant, sicut ingrati: interficiant animas & suas & alienas, sicut scelesti: maternà ecclesiæ viscera dissipent, sicut irreligiosi, non cōpatiantur infirmis, sicut sine affectione, famam sanctorum maculare conentur, sicut detractores: cupiditates pessimas nō refrenent, sicut incontinentes: exerceant lites, sicut immites: nesciant subuenire, sicut sine benignitate: indicent inimicis piorum quæ occultanda cognouerant, sicut proditores: humanam verecūdiam inverecunda exagitatione perturbent, sicut procaces: non intelligant neque quę loquuntur, neque de quibus affirmant, sicut cœcati: lætitias carnales spiritualibus gaudijs anteponant, sicut voluptatum ama-

Ezech. 34.

D. Hiero.

Psa. 52. a

Ad Titū 1

To. 9. Augustinus in Ioan. tract. 123.

2. Tim. 3.

Vigilia Christiana commédatur.

¶ *Beati sunt serui illi, quos cum venerit Dominus inuenerit vigilantes.* Maxima profectò diligétia vigilare debemus quádo Dñs vigilantes, beatos vocat. Maxima quoq; necessitas nobis vigilādi significatur: quádo vigiliç, beatitudo & fœlicitas: cótra verò, somno', infœlicitas & miseria promittitur. Vigilent ergo iusti si á iustitiæ, atque perfectionis statu cadere nolunt: si spiritus feruorem non amittere: si cœlestia mysteria intueri, atque contemplari volunt: vigilent peccatores si facilé á peccatis reuocari desiderant: vigilent debiles, atque in virtute infirmi, si vincere hostes volunt: vigilent sacerdotes, vigilent præsules, si beati esse affectát: vigilemus itaq; omnes si innumera mala vitare appetimus. De quibus sigillatim dicere operæpretium est. ¶ Iusti vigilent. Primó ne cadát: intelligentes, quod & si mundi sint: custodirç nó valebunt puritaté nisi á Domino sustententur. Ideo enim quotidie precantur pauore infirmitatis humanæ suam conscientiam formidátes: & ne nos inducas in tentationem: & ad extremum inferunt: sed libera nos a malo. Ideo etiam & si sponsa facta fuerit mūda in lauacro: de illa dicitur (inquit Hieron.) quæ est ista, quæ ascendit dealbata, innitens supra fratruelé suū: vt lota quidé sit, sed custodire non valeat puritatem nisi á Domino Deo sustentetur. Tam certa res hæc est: vt ne vigilare quoquo modo sufficiat, nisi vigilet nobiscū Dñs ac ciuitaté animi custodiat. Nisi enim Dñs custodierit ciuitaté, frustra vigilat qui custodit eā. Tá enim natura debiles sumus, vt nisi Dñs nobiscū excubet, nec metu carere, nec stare poterimus. Quod si iusti custodiá faciendo, adhuc tuti & securi non sunt: quid dicendum de illis qui somno, & otio operá dant? Iusti ergo suá infirmitaté timentes semper vigiles sunt, atq; á Domino precantur auxiliū, quo possint tentationi resistere. Adest enim tentatio semper: quç illos á iustitiç ac integritatis statu deijcere conatur. Quod significare volens Dñs ait Genes. c. 1. quod post lucé primam editam, factum est vespere & mane dies vnus. In quæ verba D. Grego. ait: nequaquá in hac vita per exercitationé

Iusti vigilare debét & quare.

Hiero. lib. 3. contra Pelagianos.

Psal. 126.
S. Bruno.

Genes. 1.
D. Greg.

A iustitiæ, peccatum deseritur: vt in ipsa inconcusse maneatur: quia & si culpá rectitudo eliminat, cogitationis nostræ foribus assidens diabolus, vt sibi aperiatur pulsat. Vnde ait Moyses, facta est lux: & Paulo post: factū est vespere. Creator. n. humanæ culpæ præscius, túc expressit in tépore quod nunc versatur in mente. Lumen namq; rectitudinis sequitur vmbra tentationis. Sed quia electorū lux tentatione non extinguitur: nó nox, sed vespera facta memoratur: quia tentatio lumen iustitiæ abscondit, non interimit. Electi B ergo post somnum surrectioné appetūt: post surrectioné vesperam præstolantur: quia & de peccato ad iustitiæ lumen euigilant, & in ipso iustitiæ lumine positi, semper se contra illecebras tentationū parant: quas nimirum non timent, sed expectant: quia vtilitati suæ rectitudinis, etiam tentamenta proficere nó ignorát. Quantalibet autem contra corruptioné suam virtute contenderint: habere integram salutem nequeunt, quousque dies præsentis vitæ finiatur. Hæc Greg. lib. 8. C mor. c. 10. ¶ Iusti ergo euigilant intelligéntes infirmitaté suá: vigilant expectantes tot tamque innumeras tentationes, atq; tot inimicorū incursus, vt nisi custodiam faciant, corruent. Multi (inquit Rex Dauid) sunt qui persequūtur me & tribulát me: & rursum: multæ tribulationes iustorum: & Hierem. c. 20. Audiui contumelias multorū & terrorem in circuitu: persequimini, & persequemur eum ab omnibus viris qui erant pacifici mei. Persequitur iustum caro. Caro (inquit Paul.) concupiscit aduersus spiritū. Cuius typū ge- D rebat dalila quæ Sansonem in gremio recumbentem crinibus spoliauit: sic misera caro spoliare animū virtutib9 pro suis viribus conatur. Deinde tradit eū Philistæis, hoc est, dęmonibus, qui illū oculis, hoc est, cósideratione rerū diuinarū priuét: & ad molá. i. solicitudiné rerū humanarū cóstituát. Meritò Mich. dicebat: ab eaquç dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui. Et Ecclesi. nó des (inquit) mulieri, hoc est, carni potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtute tua, & cōfundaris. Persequitur etiam mundus iste spiritum iusti

Psal. 118.

Hiere. 20.

Iud. 16.
Figura.

Mich. 7.

Eccles. 9.

iusti. Cuius imago gerebat Laban: qui olim persecutus est Iacob tribus diebus. Mundus enim qui cādidus foris apparet (Laban enim idem est quod candidus) intus verò sordidus cum sit: iustum, verū luctatorem ab illo fugientem persequitur: non semel atque iterum, sed omnibus diebus vitæ suæ. Persequitur virum iustum diabolus incessanter: idcirco illū admonet D. Petrus, vt non sopore deprimatur, sed vigilet: cum circuat illum diabolus tanquam leo rugiens, vt eum deuoret. Cuius figuram habebat Saul, qui gratis inuidia commotus, persequebatur Dauidem. Sine vlla enim causa diabolus opprimere & interficere nititur iustū. Quid plura dicam? Parentes, cognati, domestici solent iustum insectari. Alias enim nec Michæas diceret: inimici hominis domestici eius, neque Hieremias: vnusquisq; à proximo suo se custodiat: & in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplātabit, & omnis amicus fraudulenter incedit. Insectātur hæretici iustorum fidem corrumpentes: insectantur falsi fratres mores iustorum cohibentes: pacem Ecclesiæ perturbantes: bella excitantes. Deficeret sane tempus si cateruam aduersariorū iustos persequentium consequi vellem. Et tamen quanuis tot sint, cum vir pius & iustus semper excubias faciat: à Dei testimonijs non declinat. Vt in prædicto loco Psalmi 118. Dauid docuit: à testimonijs tamē tuis non declinaui. ¶ Vigilant etiam iusti ne dormiendo, sub vmbra illorum diabolus requiescat. Quod solet multoties facere. Dicente Iob de illo: sub vmbra dormit. Quo loco (inquit Gregor.) vmbra nequitiæ torpor accipitur, in qua iste Vehemoth dormit: quia contra corda charitate calentia solicitus vigilat, in frigidis autem mentibus securus iacet. Dormire enim in sanctorum mentibus nō potest, quia & si quando se in eis ad breue momentum collocat, ipse eum desiderium æstus cælestium fatigat, & quasi toties vt recedat, pungitur, quoties ab eis amore intimo ad ęterna suspiratur. Tantæ eum voces excitant, quantæ ex illorum mentibus sanctæ cogitationes ad

Gen. 31. Figura.

1. Pet. 5.

1. Reg. Figura.

Mich. 7. Hiere. 7.

Vi. Vgo. Cardi. in Psa. 118.

Iob. 40. 32. lib. mo. c. 3.

A cælum clamant. Vnde fit, vt bonarū actionum armis territus ac suspiriorum spiculo percussus fugiat, & ad corda reproborum frigida rediens, eam quam securus possideat, malitiæ vmbram quærat. Hæc Gregor. ¶ Nec soliciti esse debent iusti in vigilia, vna, vel altera nocte, sed semper inuigilare debent: cum hostes illis nunquam desint: primis enim deuictis, secundi insurgunt: quibus superatis alij occurrunt: quare semper agenda est custodia. Deuictis enim olim à Iosue aliquibus re-

B gibus insurgebant in illum statim multi, his superatis multo plures illi aduersabātur: quapropter nunquam à vigilia militari cessabat. Ita nunc & si opprimantur à iustis hostes primi, multo plures exurgunt postmodum, atq; in vnum coeūt, & conspirant in malum, qui semper dissidēt à bono. Et si secundo victi fuerint iterū tertio aliæ virtutes nequiores exurgunt. Et fortassis quanto magis augetur populus Dei, & multo plus crescit & multiplicatur, tanto illi plures ad oppugnandum conspirant: ideo nunquam dormiē-

C dum, sed semper vigilandum. ¶ Infirmi etiam & inconstantes multo magis excubare debent, si beati esse volunt: si palmā victoriæ accipere: scientes quod in perpetua pugna sunt: Genes. cap. 25. Narrat Moses Rebeccam aliās sterilem concepisse: sed colli debantur in vtero eius paruuli: perrexitque vt consuleret Dominū: qui ait: duo populi ex ventre tuo diuidētur: populusque populum superabit, & maior seruiet minori. In singulis (inquit gloss.) Hoc dici potest duæ gentes & duo populi intra nos sunt, scilicet vitiorum

D & virtutum iste minor ille maior. Plures enim sunt mali quam boni, plures prauæ actiones quam studiosę: & vitia plura virtutibus. Sed tamen populus populum superat & maior seruiet minori. Caro, scilicet, spiritui & vitia virtutibus. Præcedit Esau rufus, & totus vt pellis hispidus. Deinde exit Iacob tenens plantam fratris. Prior enim populus prophetarū & Christi sanguine pollutus, peccati & nequitię squalore circundatus, cuius minor plantam tenuit: quia maiorem populum minor superauit. Vos ergo fideles qui facile carni

Orig. ho. 14 in Iesū naue.

Infirmi & inconstantes multo magis vigilare debēt

Gen. 25. Figura.

Glo.

carni succumbitis si inter minorem populum annumerari vultis vigilate, atque forti animo stote. Si enim iusti atque virtute perfecti, semper sunt pauidi semper timidi: si nunquam obdormiunt, sed perpetuo custodiunt cor suum: quanto potius vos in virtute debiles & imbecilles, euigilare debetis? ¶Cæterum vt ad peccatores sermo iam noster sit: sciant se in vtramque aurem dormire. Si enim somni appellatione (inquit Greg.) culpa designata non esset: nequaquam Paulus discipulis diceret: euigilate iusti & nolite peccare. Vnde & auditorem suum admonet dicens: surge qui dormis & exurge à mortuis: & illuminabit te Christus. Et rursum: hora est iam nos de somno surgere. Vnde & Salomõ peccantem increpat dicẽs: vsquequo piger dormis? Peccator igitur dormiens si a peccato surgere vult euigilet: ad iustitiæ vigilias consurgat. Exẽplo peccatoris Dauidis qui dicebat: similis factus sum pellicano solitudinis, factus sum sicut nycticorax in domicilio. Vigilaui & factus sum, sicut passer solitarius in tecto. Quibus verbis & se peccatorem fuisse ostendit & quonam modo à peccatis surrexisset aperit. Pellicanus (inquit Gregor.) auis est amans solitudinem in qua venenatis animalibus vescitur, & ideo per eam peccator designatur, qui in deserto huius mundi corde habitans, ęrũnosis istius vitę captus illecebris, veneno delectatur diabolicæ persuasionis. Nycticorax, qui alio nomine bubo dicitur, in dirutarum domuum ædibus moratur. Solet autem nocte cantũ cantare, per quod notantur hi qui in tenebroso tripudiant opere, & in mentium suarum exultãt destructione. Sed si ad se reddire vult peccator iste pellicano & nycticoraci comparatus euigilet, & tunc dicat: vigilaui & factus sum sicut passer solitarius in tecto. Vigilat (inquit idem Gregor.) qui ad aspectum veri luminis mentis oculos apertos tenet. Vigilat qui seruat operando quod credit. Sicut scriptum est: beatus qui vigilat, & custodit vestimẽta sua. Vestimentum tuum, fides tua est: vestimentum tuum operatio tua est. Custodi ergo ne decipiant alieni laborem tuum, ne denuderis, & appareat ignominia tua. Esto sicut passer solitarius in tecto. Per passerẽ quæ cauta & quærula auis est, & in domibus nidificat, rectè homo intelligitur, qui in excelsis habitans, & solitudinem incolens, pro peccatis suis clamare non cessat. Prudentis enim & circunspecti viri est, in altum nidum ponere: & pro peccatis plorare, & solitudinem in habitare: quatenus in opere terrena non appetat, & in lamentis veniam acquirat, & in habitatione inanium strepitus cogitationũ effugiat, vt possit dicere cum propheta elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Hæc ille si ergo peccatores pristinam dignitatem comparare desiderant, è somno surgant, & veniam petendo euigilent: & tunc beati erunt si inuenerit eos Dominus sic vigilantes. Curent ergo peccatores à somno & pigritia excitari, si à multis malis liberari volunt: meminerint quod cum homines dormirent venit inimicus & super seminauit zizania in medio tritici seminati: vt Dominus docet apud Matth. cap. 13. Te enim dormiente te pigrescete innumera & errorum & vitiorũ semina in corde tuo diabolus seminabit: vbi prius virtutum semen erat à Deo satum. Vsquequo ergo piger dormies: quãdo consurges à somno tuo: paululũ dormies: paululum dormitabis: paululum cõseres manus tuas vt dormias: & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus. Vsquequo dormitabit anima tua prætędio? Vsquequo flacescet atque tepescet nihil boni operando voluntas tua, propter tentationis, aut virtutis tædium? An ignoras quod desideria occidunt pigrum? Praua enim & vana desideria opprimunt, excrutiant & interficiunt hominem tardum, segnem, ac laboris fugitantem. An ignoras quod iniquitates tuæ vigilant aduersum te? Audi quid dicat Hierem. cap. 1. Vigilauit iugũ iniquitatum mearum: in manu eius conuolutæ sunt: & impositæ collo meo: & infirmata est virtus mea. Nobis enim torpẽtibus peccata latent, sed in manu Domini vigilant: dum nos ad vindictam iustæ retributionis accusant. Vnde Genes. cap. 4. ait: vox sanguinis fratris tui clamat ad me

Marginalia: Dormire est in peccatis iacere. 1. Cor. 15. Ephes. 5. Rom. 13. Prou. 24. Greg. 33. mor. c. 10. Psal. 101. In 7. Psal. pœn. Psal. 5. Greg. ibi. Apoc. 16. Passer hominẽ prudentem & pœnitentẽ notat. Psalm. 54. Matth. 13. Prou. 6. Psal. 118. Prou. 21. Threni 1. Gen. 4.

me de terra. His peccatis sub iugo diabo li constringimur: funibus (inquit Salo.) peccatorum suorum quisque constringitur. Quando ergo vitia, atque scelera tua non dormiunt sed vigilant: tu contrà vigila, atque ob oculos illa pone, vt nocte fleas, & die fleas. Exemplo Dauidis qui volens vigilare & peccata fletibus abluere ne excubarent aduersus illum, & ne iugum eorum in manu Domini vigilaret: Auerte (inquit) faciem tuam à peccatis meis. q. d. nolo vt in manu tua vigilent: sed vt ego contra illa custodiam faciam, & fletibus purgem: ne conuolutas iniquitates collo meo imponas, & me des in manu de qua non potero surgere. ¶ Caueat ergo sibi peccator & vigilet: sin autē, perib it qua hora non putat. Vnde Dominus in Apoc. c. 3. ait. Si non vigilaueris veniā ad te tanquam fur, & nescies qua hora veniam ad te. Quasi diceret (inquit Rupertus) quod debui facere, feci tibi, corripui te, monui te, vt vigiles: Euangelica quoque tuba personante ad omnes: vigilate itaque quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Si ergo non vigilaueris veniam ad te sicut fur. Non veniam ad te sicut ad homines illos qui vigilant & expectant: venit ipsorum Dominus reuersus à nuptijs gratias agens illis, & beatificans eos quod in occursu suo vigilauerint. Non veniam ad te sicut sponsus iucundus atque festiuus, sed tanquam fur qui nesciente patre familias domum perfodit, & Dominum domus necat quem dormientem inuenerit. Hæc Rupertus. Continget sane huiusmodi peccatoribus dormientibus quod olim AEgyptijs. De quibus in Exod. dicitur: factum est autē in noctis medio percusit Dominus omne primogenitum in terra AEgypti: surrexitque omnis AEgyptus & ortus est clamor magnus in AEgypto. Poterat (inquit Rupertus) media die cunctis vigilātibus idem fieri. Cur ergo medio noctis dormientes placuit interfici? Videlicet, vt historicum quoque exemplum dormitantibus proficeret, atque ad vigilādum eos percelleret scientes, quia quisquis exemplo AEgyptiorum thesaurizauerit sibi iram, nihilominus exemplo illorum improuisam accipiet vindictā. Sic enim & vniuersale iudicium duris corde & impœnitentibus, ex improuiso superueniet tanquam laqueus & tanquam fur. Idcirco Dominus aduentum suum, quo perdē disunt impij, mediæ nocti comparauit. Verbi gratia, cum in parabola prudentiū virginum, atque fatuarum dicit: media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Ille ergo clamor magnus, qui ortus est in AEgypto, salubriter interiori auditu fatigat nos, vt non dormiamus sicut AEgyptij, sed vigilemus, & sobrij simus. Qui enim dormiunt (inquit Apostolus) nocte dormiunt, & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt. ¶ Præsules denique & sacerdotes vigilent super gregem. Idcirco enim præcipiebat olim Dominus, vt Aaron, atque filij eius vinum non biberent: nimirum volens (inquit Origenes) sacerdotes quibus ipse Dominus portio est, sobrios esse, ieiunos, vigilantes in omni tempore, maxime autem cum ad exorandum Dominum & sacrificandum in conspectu eius altaribus præsto sunt.

¶ *Beati sunt serui illi, quos cum venerit Dominus inuenerit vigilantes. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit & ita inuenerit: beati sunt serui illi.* Vigilias militares in quaterna olim horarum spatia diuidebant: ita vt prima, secunda, tertia, & quarta vigilia diceretur. At Christus Dominus noctem in hoc loco in tres tantum vigilias distribuit. Qui ergo curant diligenter custodire cor suum a prauis cogitationibus: atque si insurgant, eas tanquam primogenita interficere conantur: hi, primam custodiam faciunt. Hoc enim significatum est Exod. 14. in prima enim vigilia noctis vigilantibus filijs Israel Angelus Domini primogenita AEgypti interfecit: filiosque Israel vigilantes seruauit. Eadem etiam prima vigilia Pharao & exercitus eius submersi sunt in mari rubro. Eisdem custoditis. Rex etiam Dauid in Psalmo dicebat: in matutino interficiebam omnes peccatores terræ. ¶ Qui verò linguā seruant, atque custodiunt: in secunda vigilia excubant: qui verò manus, à prauis actionibus, in tertia. Prohibe ergo cor tuum

Marginalia: Prou. 5. — Psalm. 50. — Vid. gloss. Thr. c. 1. — Apoc. 3. — Rupert. — Matt. 24. — Rup. li. 2. in Apoc. c. 3. — Exod. 12. Figura. — Rup li. 2. in Exod. c. 17. — Matth. 25. — 1. Thes. 5. — Orig. ho. 7. in Leui. — Quid per 1. & 2. & 3. vigiliā. — Exod. 14. Figura. — Ibidem. Psalm.

tuum à prauis affectibus, probibe linguã tuam à malo, & labia tua ne loquátur dolum: declina à malo, & fac bonum: & tūc beatus eris. Nam quacumque hora Dominus venerit inueniet te vigilantē. Cæterum lege si libet D. Bernardum in sermone de triplici custodia, manus, linguę, & cordis: vbi ordine alio hæc ad longū differit. ¶ *Beati sunt serui illi, quos cum venerit Dominus eius inuenerit vigilantes. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, &c.* Hic libet pauca in summa dicere de antiquitate & autoritate & vtilitate vigiliarum, vt amemus vigilias si volumus in sanctitate seruari. Antiqua est (inquit Hieronymus) vigiliarum deuotio, familiare bonum omnibus sanctis. Isaias denique propheta clamat ad Deum: de nocte vigilat spiritus meus ad te Deus, quoniam lux præcepta tua super terram. Dauid ita canit: Domine Deus salutis meæ: in die clamaui & nocte coram te. Et rursum: in noctibus extollite manus vestras in sancta & benedicite Dominum. Et ne vespertinas tantum horas noctis existimes appellatas occurrit & dicit: media nocte surgebam ad confitendum tibi, super iudicia iustitiæ tuæ. Habes & tempus expressum exurgēdi, & solicitudinem, quo modo Deo confitearis, ostensam. Sed ad huc maius aliquid & laboriosius occurrit consideranti mihi intētionem sanctorum, & vltra humanæ naturæ conditionem suggeritur: cum eundem audio prophetam psallentem: si ascendero in stratum lecti mei, si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis: donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob. Quis enim tantum non stupeat Dei amorem, vt somnum sibi, sine quo humana vtique corpora deficiunt, penitus interdixerit: donec locum ad tēplum Domino fabricandū rex & propheta reperiret? Quæ res nos debet firmiter admonere, vt si ipsi locus Domini esse volumus, & tabernaculum eius ac templū cupimus haberi perpetuum, sicut Paulus asserit, dicēs: vos estis templum Dei viui: in quantum possumus exemplo sanctorū vigilias diligamus: ne de nobis dicatur, vt psallitur: dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt manibus suis. Quin potius gratulabundus vnusquisque iam dicat: in die tribulationis meæ Deum exquisiui manibus meis nocte coram eo, & non sum deceptus. Quia bonum est confiteri Domino & psallere nomini tuo altissime: ad annuntiandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctē. Sed à veteribus veniamus ad noua. Anna phanuelis filia vidua, continuis orationibus & ieiunijs Domino seruiēs, non discessisse de templo die ac nocte, in Euangelio legitur. Pastores illi sanctissimi dū super greges suos nocturnas exercent vigilias, & angelos in splendore & Christum natum in terris primum audire meruerunt. Iam vero institutio saluatoris, nonne tota diligentia ad vigilandū auditores ex suscitat: siue in parabola boni seminatoris, siue in hoc loco quē modo explicamus? Nec solum verbis, sed etiam vigilias docuit exemplo. Namq; testatur in Euangelio: quia erat Iesus per noctans in oratione. Pernoctabat Dominus non sibi, sed vt scirent serui inopes, & infirmi quid agere deberent: quando Dominus diues in omnibus, quàm fortissime per noctem in oratione duraret. Sicque & increpat Petrum tempore passionis, dicens: non potuisti vna hora vigilare mecum? Et ad omnes iam dicit: vigilate & orate, ne intretis in tētationem. His instructi sermonibus beati Apostoli, & ipsi vigilarunt & vigilias imperarunt: vt in actis Apostolorum, & in suis Epistolis facile reperies. ¶ Quanta denique in vigilijs percipiatur vtilitas, sentiri magis quàm dici potest. Sed vt paucis explicem quid sentio: vigilando timor omnis excluditur, fiducia nascitur, caro maceratur, vitia tabescunt, charitas roboratur, recedit stultitia, accedit prudentia, mens acuitur, error obtunditur, criminum caput diabolus gladio spiritus vulneratur. Quid hac vtilitate magis necessarium? Quid istis lucris commodius? Quid hac fœlicitate beatius? Teste etiam propheta: qui in principio psalmorum suorum, summam beatitudinem in hoc versiculo collo-

Marginalia: D. Bern. — Antiquitas & autoritas vigiliarum. — Isai. 26. — Psal. 87. & Psal. 133. — Psal. 118. — Psal. 131. — 1. Cor. 6. — Psal. 75. — Psal. 76. — Psal. 91. — Luc. 2. — Luc. 2. — Matth. 13. — Luc. 16. — Matth. 26. — Vtilitas vigiliarum. — Psal. 1.

collocauit, beatum virum describens: si in lege Domini meditetur die ac nocte. Hæc ex Hieronymo.

De obseruatione vigiliarum.

¶ *Hoc autem scitote quoniam si sciret pater familias qua hora fur veniret, vigilaret vtique et non sineret perfodi domum suam.* Hac similitudine vtitur Dominus ad significandam animi custodiam. Pater iste familias animum repræsentat: cuius frequens familia, cogitationes atque affectus eius sunt, omnesque actiones tam internæ quàm externæ. Quæ familia nisi eiusdem patris vi & prudentia coerceatur, benéque disponatur, lasciuiet nimis, atque petuláter aget omnia. Si enim animus non sit in hac re solicitus, cogitationes atque sensus omnes maxime insolescent. Domus vero huius patris familias, conscientia nostra est: quam inhabitans, virtutum thesauros in ea congregat: quorum causa ne domus effodiatur magnopere inuigilat. Fur autem non vnus sed multi sunt: singulis enim virtutibus singula vitia insidiantur. Princeps auté istorum diabolus est. Aduersus quem pater familias hic (si tamen negligens non sit) domum suam forti custodia muniés, prudentiam in primo aditu constituat, quæ ad rationis normam, quæ ille agat, quæque cogitet, vniuersa dirigat, ac nihil prêter rectum vel laudabile faciat. Secus hanc, fortitudo collocetur: cuius erit, animum supra periculi metum agere, nihilque nisi turpia timere, tolerare fortiter, vel aduersa vel prospera. Iustitia sedeat in medio, communi vtilitate seruata, suû cuique tribuens, atque societatem coniûctionis humanæ munificé, atque æqué tuens. Et quia qua hora fur sit venturus ignoratur, certum tamen est illam adfuturam, vt sit pater familias perpetuo paratus, oportet. His ergo ita constitutis. Vigilet pater familias in memoriam semper reuocans mortis tempus, certó sciés quòd prope sit: sciens cum morte adfuturos esse mille dęmonum species vncos ferreos, igneasque catenas afferentes: vt quos sui iuris esse conuincerint in perpetuas tenebras trahant. Trahant, inquam, in inferna stagna, ardore immenso, fætore intolerabili, dolore incredibili plena.

Paterfamilias animus.

Domus cõscientia.

Fures multi.

Macrobr.

Macrobr.

Cicero. 5. de finibus.

A Vbi ærumnæ, tenebræ, nullus ordo, æternus horror, nulla spes boni, nulla desperatio mali inuenitur. Vbi liuor, odium, & inuidia habitant. Vbi fletus ac stridor dentium, frigus calor & vermis. Vbi nulla vox nisi execrantis auditur. Vbi deniq; tortores qui & torquent & perpetuo torquentur. Proinde sit pater iste familias semper paratus, instructus bonis operibus, ab omnibus humanarum rerum impedimentis expeditus. Vigilet prudétia in orationibus: prouidens bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram homi-B nibus. Vigilet temperantia audiés quid Petrus moneat: sobrij (inquit) estote & vigilate, &c. Vigilet fortitudo quæ diabolo resistat in fide. Vigilet iustitia sobrié & iusté & pié viuendo. Et quod nobis fieri nolumus alijs non faciendo.

2. Cor. 8.

1. Pet. 5. Vgo. d. s. vi. 2 p lib. 4. de anim. c. 13.

¶ *Et vos estote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet.* Genes. c. 19. Sacra narrat historia angelos Sodomam venisse qua hora Sodomitæ nõ putabant: quantum exterriti fuissent, miseri, quantum clamassent si causam huius C aduentus sciuissent. Verum nullus eorû quicquam timet, aut cogitat de iudicio Dei. Adeo excæcauerat eos præsens fœlicitas. Sic plerumque iudicium diuinum improuisos obruit. Non igitur sine causa dicit in hoc loco Dominus: Vigilate nescitis enim qua hora filius hominis veniet. Et D. Paulus, dies Domini sicut fur in nocte ita veniet. Quod etiam in diluuio optime nobis monstratum atque expressum est. Prædixerat enim Dominus: erunt dies eorum centum viginti anni. Et tamen crescente hominum malitia. D (Omnis enim caro, omnis ætas, omnisq; sexus corruperat viam suam) post cētû annos præscisa est velut à texente vita eorum: cum illi adhuc ordirêtur telam suâ non tamen per spiritum Dei. Vnde subdit Apostolus in loco paulo ante memorato: cum enim dixerint pax & securitas, tunc repētinus eis superueniet interitus: sicut dolor in vtero habentis & non effugient. Aptam sané similitudinem Apostolus inducit. Nouit enim mulier sese parituram: pariendi vero tempus ignorat. Quo fit vt aliæ nonum mensem præueniant;

Gen. 19.

1. Thess. 5.

Genes. 6.

Isai. 38.

niant; aliæ verò prætereant. Sic tam iudicij quam mortis tempus ignotum est, certum tamen est illud ad futurum. Quare summo studio vigilare debemus, & diligenter circunspiciamus: cum nesciamus diem, neque horam: vt Dñs, & in hoc loco, & apud Matthæũ ait. Christianũ hominem comparat in Apologetico Greg. Nazian. funambulo. Vt illum, qui per districtos in excelso funes incedit, oportet diligenter videre, & celeriter animo circunspicere, ne huc vel illuc declinet: interibit enim, si vel aliquantulum, quãuis exiguum deuiauerit. Sic nos oportet oculatos esse, & accurate aspicere, vbi pedes figamus, ne in profundũ præcipitemur. Si enim pedes affectionũ cum deliberato consensu in mortifero peccato posuerimus, illud perpetrãtes, statim à gratia excidemus, & in culpæ barathrũ præcipites ruemus, & ita ob nostrã cæcitatẽ in promptu erit nostrum exitiũ. Quare danda opera est, ne oculos amittamus: amittemus autẽ eos si nos falsis voluptatibus tradiderimus. Hoc fuit in Samsone adumbratũ: nõ enim Palæsthini illius admirabilis viri oculos eruerunt, nisi postquã in Dalilę sinu obdormiuit: sic nõ te inimici obcæcabunt, nisi fueris voluptate delinitus. Quid voluit allegoricè significare diuina scriptura asserens Nabuchodonosorẽ oculos Sedechiæ eruisse, eũque captiuũ adduxisse in Chaldæã, nisi dæmonẽ eos obcæcare, & in mũdi cõfusionẽ captiuos adducere, qui sese voluptatibus dedũt & in hominũ societate violanda fraudes inexpiabiles concipiũt? Nã dominãte libidine nullus est tẽperãtiæ locus, nec in cupiditatis regno virtus potest consistere. Vbi aũt virtꝰ deest, ibi nõ adest prudẽtia, vbi prudentia non est, ibi nõ est visus, sed misera mentis obcæcatio, vbi mentis obcæcatio, ibi certus interitus, & exitiũ luctuosum. Id intelligens diabolus conatur priuare nos oculis, quod significauit diuina scriptura sub nomine Naas, qui voluit oculos extrahere habitatoribus Labes. Naas sonat serpentẽ, qui nobis oculos intellectus tenebris obruere cõtendit. Tanto nos odio prosequitur diabolus serpẽs antiquus, vt virtuti insidietur, quo possit

Matt. 25. | Greg. Nazian. | Iudic. 16. | Ierem. 39. | 1. Reg. 11.

A eam statim in principio interficere. Quã ob causam multis oculis, multisque vigilijs opus est, vt eius insidias declinemus. Pharao in partu volebat filios Israelis occidere, ne Dei populus propagaretur: diabolus vult bona opera statim interficere, ne crescant & dilatentur. Hic est draco septẽ capitũ, qui, vt ait in Apoc. D. Ioãnes, stetit ante mulierẽ, quæ erat paritura, vt cũ peperisset, filiũ eius deuoraret. At natus puer, fuit à Deo liberatus. Hæc mulier est anima Deo deuota, quæ cũ bona cogitat, & facienda proponit, concipere B dicitur, cũ vero fructũ cogitationis bonę in lucẽ ædidit, atq; in virtutis actionẽ incubuit, tunc peperit. Id intelligẽs Isaias, à facie tua, inquit, concepimus, & parturiuimus, & peperimus spiritũ salutis. Sed adest dæmõ septẽ capitũ, ad septẽ mortifera inuitãs flagitia, qui desiderat fructũ virtutis interficere. At si anima est oculis circunsepta, & dæmonis insidias cauere curat, eripitur honestatis fructus & gratus est Deo: sin autẽ se à dæmone patitur obcęcari, nõ solũ eius fructus, sed ipsa etiã C amittitur. Eã ob causam studet diabolus nostræ mentis oculos tenebris circũfundere. Sed Christus Deus noster, vera illa lux, quæ illuminat omnẽ hominẽ venientem in hunc mundũ, volens cæco à natiuitate mederi, eius oculos liniuit luto, & ad fontẽ siloe misit lauandũ. Vult Deus, vt ante oculos lutũ scelerũ nostrorũ habeamus, vt flagitiorũ nostrorum maculas cognoscentes, accedamus ad sacramentũ cõfessionis, ad fontẽ siloe, cuius aquæ, vt ait Isaias, currũt cũ silentio, vt ibi absolutionẽ, lumenq; gratiæ recipiamus. Væ il D lis, quorũ intellectus est caligine coopertus, de quibus ait Apostolus in Episto. ad Roma. obscuratũ est insipiens cor eorũ. Et ad Ephes. tenebris obscuratũ habẽtes intellectũ. Merito antiqui illi, qui apud gentes sapientes habebãtur, fictis fabulis scriptũ reliquerunt, Gerionẽ Hispanorũ Regẽ tricorporẽ fuisse, & sex oculis ornatũ, & Ianũ vetustissimũ Italiæ regẽ geminã faciẽ prætulisse, & oculis ante & retro præterita & futura cõsiderasse. Hos enim absq; dubio ad prudentiã & solertiã, & vigilantiam referebant, quemadmodum etiam

Exod. 1. | Apoc. 12. | Isai. 26. | Ioan. 1. | Ioan. 9. | Isai. 8. | Rom. 1. | Ephes.

etiam argũ pastoré totũ oculis scatere fabulabantur. Et iuxta mineruá draconem acutissimi visus pingebant, significantes opus esse summa solicitudine vigilare, ne sapientiá per mineruá significatam amitteremus. Per mineruá autẽ nõ carnis prudentiá, quá D. Paul. mortẽ vocat, sed sapientiá cũ honestate coniunctá intelligebant, quá ob causam asserebát eá esse virginẽ, & ex cerebro Iouis prognatá, ad innuendũ non esse verá sapientiá carnis inuentam, sed ex inexhausto diuinæ sapientiæ fonte depromptá. Nos habemus Ezechielẽ diuinũ vatẽ, qui rotas (cap. primo) ait vidisse oculis plenas, vt nos ad perspicientiá, & vigilantiá & diuinarum humanarumq; rerũ contemplationem excitaret. Eodẽ modo D. Ioan. in Apoc. ait quatuor vidisse animalia oculis plena ante & retro; & paulo post asserit esse intus oculata: nõ enim exteriora solum, sed interiora etiam sunt nobis perspicienda. Quod si ita fecerimus parati erimus: atque cũ venerit Dominus nos beatitudine ac perpetua fœlicitate sua afficiet.

Ezech. 1.
Apoc. 4.

¶ *Hoc autem scitote, quia si sciret pater familias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, &c. Et vos estote parati, quia quá hora non putatis filius hominis veniet.* Sępe solet Dominus suum aduentum inopinatum prædicare: & aduentui furis illũ comparare. Apoc. c. 3. ait cuidam Episcopo: si ergo non vigilaueris veniam ad te tanquam fur, & nescies qua hora veniam ad te. Idẽ leges. c. 16. eiusdẽ Apoc. & 1. ad Thessal. c. 5. & 2. Petri. 3. Matth. c. 24. Obserua: quod nõ procedit hæc similitudo quantum ad intentionẽ. Fur enim nocere intendit: at Dominus non vult mortẽ peccatoris, sed magis, vt conuertatur & viuat: vult enim omnes homines saluos fieri. Comparatio igitur in modo veniendi sita est, vt Doctor sanctus annotauit in illum locum Apoc. cap. 3. Vterque enim est clancularis & inexpectatus aduẽtus: & ideo omni tempore debet homo vigilare, quia nescit quo tempore sit venturus. Sic vigilare solent arcium custodes cum ignorent quota hora hostis sit accessurus. O amatores seculi audite quid iudex dicat: qua hora non putatis filius hominis veniet. Et rursum: veniam ad te, tá-

Apoc. 3.
Apoc. 16.
1. Thes. 5.
2. Petri. 3.
Matt. 24.
S. Thom. Apoc. 3.

A quam fur & nescies qua hora veniam ad te. Ad vos est hic Domini sermo, quẽ modo non diligitis: cuius propositum legẽ contemnitis, & in malo securi estis, spem in longum protendentes; crastinos dies agitis, nemini non graues estis, ventri indulgetis, voluptatibus inseruitis, oculos clausos tenetis, nec eos in diem aduentus Domini magnum & terribilem aperitis, velut perpetuo victuri: sed veniet veniet profecto hora qua non speratis: veniet, inquam, veniet horrenda mors, quam non expectatis: tunc rugient circa vos, B hostes & aduersarij vestri tanquam horribiles leones: tunc clamabitis & nullus exaudiet: opem & auxiliũ postulabitis & nemo feret: nemo vobis aderit, nemo succurret. O filij hominum, vsquequo graui corde? Quæ vos tenet vesania? Vt quid rebus perituris tanta auiditate seruitis? Cur vanitati tanto studio confiditis? Pereunt cuncta, & citó pereunt, nec vos ab exitio liberare valebunt. O legũ improuidi temeratores, reuertimini ad cor, sumite cõsilium, rebus vestris ocyus C consulite, quando omnes mundi promissiones fallaces sunt, & seductoriæ, omnes blandiciæ eius venena mortifera, cunctæ delectationes pocula venenosa, aconito nocentissimo permista; viæ autem eius sempiterna, & amatissima mors. Cui namque amatori suo dedit quod promisit? Quem diu regnare permisit? Cui stabilis fuit? Nonne vno eodemque tempore in sublime fert, & humiliat & deijcit? Vbi modo quæso potentũ gloria, qui terra, marique imperium dilatabát? Vbi varia suppellex? Deauratá vestis? Clien- D tum numerus? Diuitiarũ copia? Et odoramentorũ diuersa genera? Delitiarũ gaudiũ? Et cętera huiusmodi: nũquid profuerunt hæc omnia seculi amatoribus? Transierũt cuncta. Cur hæc non aduertitis? Cur aliorũ exemplis non erudimini? Vt quid pereuntium casus vos non deterretur. Diues erat, cui horrea plena frumento erát, redundabát cellaria vino, sed stultus. Quare stultus? Quia dũ lõgá sibi promitteret vitam, subito audit: stulte, hac nocte animá tuá reposcũt á te, & ea quæ parasti cuius erunt? Stultus & purpuratus ille epulo fuit, qui dũ splendidè appa-

rat cõuiuia, instruit mensam, purpura & bysso se exornat, gaudia miscet, summa voluptate fruitur, repletingluuiẽ, saginat ventrẽ, breui hora raptus ad pœnam, didicit post mortẽ, quod viuens discere noluit: cui sitiẽti postea nec extremi quidẽ digiti guttula aquę data fuit, vt narrat noster Luc. c. 16. Sexcenta sunt id genus exẽpla, quib9 pręmonemur ne in hoc mũdo spẽ defigamus, ne cũ stultis pereamus: semper autẽ vltimũ expectemus diẽ. Expectas si vigilas, vigilas si à peccato abstines, si somnũ peccati ab oculis tuis excuties, si insigniter strenueq; saluti prospicies: alioqui nec vigilas, nec expectas, vt veniat super te omne verbũ, quod locutus est Dñs in cælo suo dicens: veniam ad te tanquam fur: & rursum: qua hora nõ putatis filius hominis veniet. Fœlices profecto sunt homines, quibus expectatus aduenit Dñs: qualis erat Iob, qui. c. 31. dicebat: quasi tumentes super me fluctus timui Deũ. Optima sanè cõparatio. Nã quemadmodũ cum sæuit procella & fluctus inflari incipiunt: tũc qui nauigãt summa cura vigilare solent, vt periclitanti nauigio opitulentur: sic viris iustis semper fuit formidolosus aduentus Dñi. Qui tunc est maxime, cũ quis mortem subire vult. Ideo David aiebat: notum fac mihi Dñe finem meum, & numerum dierum meorum quis est, vt sciã quid desit mihi.

Iob. 31.

Psalm. 38.

Ait autem ei Petrus, Dñe ad nos dicis hãc parabolam: an ad omnes? Dixit autẽ Dñs, quis putas est fidelis dispensator et prudẽs, quẽ constituit Dñs supra familiã suã, vt det illis in tẽpore tritici mensurã. Beatus ille seruus, quem cũ venerit Dñs, inuenerit ita facientẽ, vere dico vobis quoniam supra omnia quæ possidet, constituet illũ. Quod si dixerit seruus ille in corde suo, morã facit Dñs meus venire: et cæperit percutere seruos et ancillas, et edere, & bibere, & inebriari: veniet Dñs serui illius in die qua non sperat, & hora qua nescit, & diuidet eũ partẽque eius cũ infidelibus ponet. Ille autẽ seruus qui cognouit voluntatẽ Dñi sui, & nõ se præparauit et nõ fecit secũdũ volũtatẽ eius: vapulabit multis, qui autẽ nõ cognouit, & fecit digna plagis: vapulauit paucis. Omni aũt cui multũ datũ est, multũ quæretur ab eo: et cui cõmendauerunt multũ, plus petent ab eo.

HAnc parabolã adiecit Dñs prædictæ, quo magis accẽderet suos ad perpetuã instantiã officij sui, proponẽs & præmiũ functis officio, & pœnã ei, qui cessaret in officio. Illũ ergo audiamus. ¶ *Quis putas est fidelis dispensator & prudens quẽ constituit Dñs super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram?* Quis, interrogatiua particula non pro impossibili, sed pro re difficili frequẽter accipitur ait Hiero. Nahũ. 3. vt in hoc loco: & in illo: leo rugit quis nõ timebit? Et Psal. 23. quis ascẽdet in montẽ Dñi? Vide D. Hiero. Amos. 3. Zacha. 4. Et in Epist. ad Mineriũ & Alexand. Et Orig. homil. 18. Numer. ¶ His ergo verbis vult Dñs insinuare quã difficile sit inuenire pręsules qui debite fungãtur officio suo. Imprimis obserua prudentiã esse præsuli maxime necessariã, qua, absente Dño, curet illius Ecclesiã, cui præfectus est, nõ vt tyran-

Quis in sacra Scriptura quid significet.
D. Hiero. Nahum 3. Psalm. 23.

D. Hiero. Origen.

Prudentiã esse maxime necessariam prælatis ostenditur.

tyrannidé in eá exerceat, sed vt ex opib9 cælestibus & spiritualibus Dñi, cuiq; suũ dimensum, quantum opus est, & quando op9 est, depromat. Ad quod maxima prudentia opus est: qua subditos optimé cognoscat: & ré illis necessariá prouideat. Simile. Solent. n. speculæ in finibus prouintię constitui: & in illis speculatores in eisdé extremitatibus degentes collocari, quoniá hi terrá melius cognoscũt, & hostes vicinos maiore odio prosequũtur. Huiusmodi esse debét præsules, qui subditos optime cognoscát, & hostiũ animæ acerrimi sint hostes, & veritaté intrepidé, sed cum modestia annũtient, & républicá prudenter gubernét, potius amari, quá timeri cupientes. Ná si omnia voluerint timore, & asperitate & insolentia mésurare & regere, similes infideli seruo & imprudéti verberanti cóseruos, ac tyrannidé quandam vsurpanti, ea facile euertét. Simile. Vt aqua magni ac pfundi lacus cũ natura sua tráquilla sit, vi tamé venti agitatur & cómouetur, sic populus & si sua spóte mitis sit & quietus, nimia tamen seueritate & asperitate præsulis veluti violéta procella cócitari solet, & perturbari. Ideo ait Salo. in Pro. Prou. 16. in hilaritate vultus regis vita, & clementia eius quasi imber Serotinus. Prou. 20. Et rursus: misericordia & veritas custodiũt regé, & roboratur clemétia thronus eius. Matt. 23. Et Christus Deus noster: qui maior est vestrũ, erit minister vester. Ita tamé debet princeps & præsul misericordiá & tranquillitaté colere vt iustitiá nó amittat. Prou. 29. Ita. n. ait Salom. rex iustus eriget terrá, vir auarus destruet illá. Sap. 1. Et liber sapientię: diligite iustitiam, qui iudicatis terrá. Oportet reipublicæ gubernatoré animũ ad Deũ erigere, eiusq; præcepta seruare: prudentiaq; pollere vt subditos suos recté ac sapiéter regat. Hoc est præsulis munus cũ prudentia omnia agere. Hęc est quę illũ docebit nó esse languescendũ, nó esse tacendũ cũ opus fuerit, & subditis cósulere. Id volés Deus significare dicebat Isaiæ: Isai 52. pone speculatoré, & quodcũq; viderit, annũtiet: per qué speculatoré ipse Isaias intelligitur: qui de Ecclesiæ Catholicę fœlicitate vaticinás, aiebat: vox speculatorũ tuorũ: subaudi audietur. Et subdit statim: leuauerũt vocé, simul laudabũt. Ná si præsules & primates populi flagitia cũ opus est

A silétio prætericrint, pœnas mortis eius ipsi persoluét, quéadmodũ Deus cap. 3. dixit Ezech. Ezech. 3. huiusmodi præsides vocat Isaias Isai. 56. canes mutos nó valentes latrare. Eam ob causam D. Pau. in Epist. 1. ad Tim. 1. Tim. 3. vbi Episcopũ & pręsulé describit, ait eũ debere esse doctoré. Et quoniá ipse Timoth. Episcopus erat, ita illũ in Epist. 2. cohortatur. 2. Tim. 4. Prædica verbũ, insta opportuné importuné: argue, obsecra, increpa, in omni patiétia & doctrina. Hęc omnia vt opportuné fiát prudétia nó parua opus est. Quá doq; subditi mansueté corrigédi sunt: ni B mirũ quádo suá culpá, atq; sua malé commissa ex animo contrito & humiliato agnoscũt: quádo leuiora sunt quæ cómittũtur, quádo ex insperato cótingũt: quando humana fragilitate peccát. Tũc. n. locum habet quod D. Paul. scribés ad Galat. Gal. 6. admonet dicés: fratres & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto: vos qui spirituales estis huiuscemodi instruite in spiritu lenitatis: cósiderás te ipsum ne & tu tenteris. Vbi annotat Chrysost. Chrysost. quod nó dixerit, si fecerit: sed si præoccupatus fuerit. i. abreptus: nimirũ aliquo impetu, C aut aliqua etiá infirmitate, aut ignorátia, si præuétus fuerit antequá cauere potuerit. Quibus verbis excludit Apostolus destinatá malitiá. Cũ eiusmodi esse non debét præsules rigidi, asperi, & austeri: sed adhibere debét mansuetá, lené, & suaué exhortationé, instructioné, aut correptioné. Quádo vero subditus non corrigitur, sed obstinato cósilio ac diu meditato aliquid cómittit, tũ aliter cũ illo agédũ esse, docet prudétia. 1. Cor 4. Vnde D. idé Pau. ad Cor. scribés ait. Quid vultis? In virga veniá ad vos: an in charitate, & spiritu mãsuetudinis? D D. Hiero. Prudens magister discipulorũ correctioné in eorũ potestate dimittit: vt si pœnitere velint, clemétissimus cósolator adesset. Si autẽ nolent, durus vltor assisteret peccatorũ. In virgaq; veniret: quali virga venit Petrus ad Ananiá, & Saphirá, Acto. 5. & ipse Paul. ad Magum. Ibid. 13. Quali virga olim dicebat Dominus vtendum esse verũ pastorem: pasce (inquit) populum tuum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ. Mich. 7. D. Hiero. Populus enim iniquus eget virga pastorali. Ob hanc puto causam, quia populus Israel duræ ceruicis erat, & semper carnes AEgyptias suspirabat, vsum esse Moysen

prudentẽ ac fidelẽ prælatũ non solũ aduersum AEgyptios, quos percusit decem plagis, sed aduersus populũ in solitudine, virga legali, virga percutiente, & omnia vasa testea & fragilia confringente: Apostolis autẽ Dñi saluatoris qui sapientiam loquebantur inter perfectos, virgam excussam esse de manibus, quia perfecta dilectio foras mittit timorẽ. Quãdo igitur virga opus sit & quando nõ opus sit, præsules prudẽtia docebit. Nec semper asperus & rigidus prælatus esse debet: nec semper lenis & mansuetus. In cuius figura immisit Dñs soporẽ in Adã, & tulit vnã de costis eius: repleuitq; carnẽ pro ea, vt in lib. Genes sacra narrãt eloquia. ¶ Deinde animaduerte: præsules nõ Dominos esse sed ministros: nõ dñs, sed dispensatores & æconomos domus Dñi. Sic nos existimet homo, ait D. Paul. vt ministros Christi, & dispẽsatores ministeriorũ Dei. Siue μυστηρίων, id est, mysteriorũ siue arcanorũ Dei. Et dispensatores hic æconomi vocãtur. Vt intelligant præsules eos administrare quidẽ, sed rẽ alienã & rationẽ reddituros. Dispensatores ergo sunt, dispensantes secreta cælestia ac mysteria fidei dictata ab illo spiritu, de quo idẽ Paul. ait: spiritus est qui loquitur mysteria: dispensatores sunt, dispensantes septẽ sacramẽta in quibus diuina virtus secretius operatur hominũ salutẽ, atq; medelã. Hos ergo vult Dñs esse fideles æconomos. Tũc autẽ fideles erũt, quando nõ tã suã, quam populi cõmoditatẽ, atq; vtilitatẽ quærant: quando nõ tam suã, quã Dei gloriã curare studeant. Sed hi tã pauci sunt, vt merito dicat Dñs quis putas est fidelis dispensator. ¶ *Quis putas est fidelis dispensator & prudẽs quẽ constituit Dñs super familiam suam.* Iã hic vides impudentiã Lutheri asseuerantis nõ posse summũ Põtificẽ cõdere leges quod si semel cõdiderit in eis minime dispẽsare posse: esset. n. occasio inquit, vt penitus Christiana respublica dissiparetur, ac subuerteretur. Si n. dispensare posset, tunc pro libito in votis, in matrimonijs contractis, cæterisque omnibus dispẽsaret: sicque omnis Ecclesiæ status corrueret. Hæc ille. Certa tamẽ res est eũ posse in lege á se lata dispẽsare,

> 1. Ioã. 4. d
> Gen. 2. Figura. Præsules non Dñi sunt, sed ministri.
> 1. Cor. 4.
> 1. Cor. 4.
> Error Lutheri.

A — B — C — D

Cũ dicat D. Paul. in priori ad Cor. c. 4. sic nos existimet homo, vt ministros Dei, & dispensatores ministeriorũ eius. Et c. nono rursum dicat: dispensatio mihi credita est. Cum extet in hac re sanctorũ omniũ consensus, Theologorũ omniũ sentẽtia, Ecclesiæ Catholicæ perpetuus vsus. Adde his: quod aliquando talis dispensatio est maximẽ necessaria, vt experimẽto didicimus, habet ergo summus Pontifex potestatẽ dispensandi cũ necessitas occurrerit: aliás. n. Deus qui summus gubernator ac prouisor est, defecisset in rebus maxime necessarijs: quod crimen est affirmare. Neq; est quare existimet impius Lutherus hac potestatũ occasionẽ esse diruptionis ac ruinæ totius Ecclesiæ: cũ sciamus ex Paulo eiusmodi potestatẽ relictã ac datã fuisse in ædificationẽ & nõ indestructionẽ. Quare si pro libito, & absque causa dispensaret infidelis esset: atq; infideliter munus suũ exerceret: cũ non tam cõmune bonũ intendat, quàm voluntatẽ suam. Idcirco igitur vult Dñs vt dispensatores domus suæ sint fideles & prudẽtes. Fideles quidẽ, vt causam dispensandi respiciant: prudẽtes verò, vt eã nõ ignorẽt. Lege quid de hoc disserat Doctor Sanctꝰ 12. q. 97. art. 4. cæterosq; Theologiæ professores. ¶ *Beatus ille seruus quem cum venerit dñs eius inuenerit ita facientem, vere dico vobis quoniam supra omnia quæ possidet constituet illum.* Ecce propositũ præmiũ ijs qui concredita sibi á Dño bona spiritualia, aut tẽporalia bene dispensant, & volũt cõseruis partẽ cõcedere. Fœlix profecto præsul, aut princeps, quãdo nõ in luxu vestiũ occupatus est, neq; corpus ornare studet, quando ridet delitias quãdo gulã & crapulã fugit, quando nõ cõuiuia & cœnas sectatur: sed frugalitatẽ habet iuxta Apostolicã admonitionem: habentes victum & indumentum his cõtenti sumus. Certo sciens, atq; intelligẽs non tantũ hæc illi esse á Deo concessa, vt ipse tantũ eis vtatur, sed & vt proximorũ indigentiam subleuet, vt conseruis partẽ concedat. Verẽ sanẽ beatus seruus iste ac verẽ diues dicẽdus est. Veræ. n. diuitiæ sũt vt verbis vtar D. Chryso. & inexhaustæ facultates, desiderari tantũ quãtũ vsui satis,

> Summus Pontifex potest in suis legibꝰ dispẽsare.
> 2. Cor. 10.
> 12. q. 97. art. 4.
> Ostẽditur quam fœlix sit præsul rectè munus suũ exercens.
> 1. Tim. 6.
> Homi 57. in Gen.

tis,& ea quę ad vsum pertinēt rectè dispēsari. Neq; enim ille qui hæc facit inopiā timere poterit, neq; calūniā sustinet, neque turbationē sentit: sed & extra calumniā erit, & liberabitur ab insidiātibus, & vt summatim dicā in perpetua trāquillitate erit, & quiete ac ocio fruetur: & qđ maius est omnibus, caputque bonorū, & Deū habebit propitiū, & superna fruetur gratia, vt pote factus dispēsator pecuniarū Dñi. Beatus enim, in hoc loco dicit, seruus ille quē cū venerit Dñs, inuenerit facientē, & sic dispensantē cōseruis, & non arcis, & vectibus includentē: & vermib9 escā fieri permittentē: sed inopū miseriā subleuantē, bonūq; & fidelē dispensatorē factū eorū, quæ a Dño suppeditantur. Beatus inquā hic erit, nā non solū Dñs expertus fidē ac diligentiā in dimēsis, præficiet eum in cœlesti patria omnibus bonis suis, ac veluti rerū omniū consortē habere dignabitur: sed etiā in hac vita fœliciter sua dignitate stabilietur. Sic enim solet Dñs in hac etiā vita beare quos offendit in officio, & quorū fidē ac curā in sibi cōcesso munere experitur. Hinc est quod olim huiusmodi procuratorib9 suis, hoc est, regibus Iuda ac seruis eius dicebat: facite iudiciū & iustitiam & liberate vi oppressum de manu calūniatoris, & aduenā & pupillū & viduā nolite cōtristare: neque opprimatis inique, & sanguinē innocentē ne effundatis in loco isto. Si enim faciētes feceritis verbū istud: ingredientur per portas domus huius reges sedētes de genere Dauid super thronū eius, & ascendētes currus & equos, ipsi & serui & populus eorū. En vides præmiū in hac etiā vita propositū rectè fungētibus officio suo. Quicquid regiæ domui dictū est, inquit Hierony. intelligāt episcopi, socijque eorū præsbyteri atq; diaconi, & omnis ordo Ecclesiasticus: quod si fecerint quæ præcepta sunt, & inter cætera innocentē sanguinē nō fuderint, scādalizātes minimos quosq; & percutiētes cōscientias singulorū, obtineāt traditā sibi à dño dignitatē. Ingrediūtur autem de genere Dauid per portas Hierusalem, & sedēt super thronū eius, qui interpretatur fortis manu, & ascēdunt currus & equos: quan

Hiere. 22.

Hiero.

A do refrenāt & suas & populi perturbatiōnes, & cōposito in ecclesia ingrediūtur gradū, & multarū virtutū choro, sibique ex omni parte cōcinnentiū. ¶ Beatus etiā erit quū in hac vita duplici honore afficietur. Vnde Dñs apud Esaiā loquēs: vos autē sacerdotes dñi vocabimini, ministri Dei nostri, dicetur vobis. Pro cōfusione vestra duplici & rubore laudabūt partē eorū, ꝓpter hoc in terra sua duplicia possidebūt, alloquitur Dñs Apostolos & sacerdotes Christianos, qui non Dñi sed ministri Dei nostri vocātur: sunt enim æconomi ac dispēsatores fideles & prudētes. Hi

B ergo quod verbis & factis ab impijs affliguntur, quod rectè vtātur officio suo: duplici honore in hac vita à Dño honorantur. Dicēte Paulo Apostolo qui benè præsunt præsbyteri duplici honore digni sunt: hoc est dupli præmio. Hebræis.n. honorare nō tā est reuereri, quā necessaria suppeditare. Latini quoq; honorem pro præmio sumūt. Vnde munus honorariū. Vnde etiā in Prouer. ait Salomō: Honora Dñm de tua substātia. Et Tobię. c. 1.

C ex his quibus honoratus fuerat à rege habuisset. 10. talēta argēti, &c. Vt ergo doceamur fideles ministros multis opib9 repleri etiā in hac vita, quod benè præsint, idcirco ait Paul9: duplici honore dignos esse & Esaias: propter hoc in terra sua duplicia possidebūt. Ego existimō hanc particulā, duplici, accipi tā apud Esaiā quam apud Paulū pro multiplici, quēadmodū mos est scripturę finitū pro infinito accipere. Quibus quātisq; opibus primi illi ecclesiæ fideles ac prudētes dispēsatores

D potiebantur vel ipse Lucas testis est, qui in Actis Apostolorū narrat gētes quæ ad fidē cōuertebātur opes suas afferre, atq; ad pedes Apostolorū proijcere: quib9 & sustētarētur & tāquā fideles dispēsatores in pauperes fideles distribuerēt. Testis etiā sit ipsa ecclesia quæ opes immēsas suis ministris impartitur. Beatus etiā est seru9 fidelis & prudēs cū oēs ei honorē deferāt, colāt, obseruent, ac reuereantur obedientes domino qui ait: præsbytero humilia animam tuam. Et Paulo dicenti: obedite præpositis vestris. ¶ Tandem beatus ac vere beatus est seruus ille, quod cœlestia bona

Esai. 61.

1. Tim. 5.

Eccl. 4.

Tobiæ. 1.

Esai. 61.

Acto. 4.

Eccl. 4.

Heb. 13.

bona consequetur. Vnde Dñs apud Isaiā in illo loco superius allato post tēporalia præmia addit vltimū, præcipuū ac verū præmiū. & gloria, inquit, sempiterna erit eis. Et in hoc loco: amen dico vobis quoniā supra oīa quæ possidet cōstituet illū.

Isai. 61.

¶ *Quod si dixerit seruus ille in corde suo, moram facit Dñs meus venire.* Expositis moribus boni præsulis & proposito præmio: explicat modo malos mores iniqui & infidelis imprudētisq; dispensatoris. Primū ergo scelus eius est existimare in longū prolaturū esse Dñm, reditū. hoc est mortē in longū proferendā. Indeque licentiā ansamq; accipere infideliter & imprudenter fungēdi officio suo. Quod maxima insipiētia est: cū certa res sit, omnibusque comperta, quod omnia fluunt & pereunt, & nos cū illis, medioq; spatio frangimur & corruimus, & prius in ipso cursu obruimur, quā portū cōspiciamus. Mors nos in cursu à tergo insequens, nec opinātes assequitur, & à lateribus aliquādo atque à frōte inuadit. Vt vasa fictilia æque sunt obnoxia periculo, siue sint noua siue diuturna: sic homines æqualiter sunt mortales, & interitus periculo expositi, siue sint adolescentes, & in ætate florentes, siue sint senes & ætate progressi. Si in figulinā ingressus videris mensam fictilibus vasis refertā, quibusdā recentibus, quibusdā verò antiquis, alijs magnis, alijs autem paruis, & à figulo quæsieris, quod ex illis est prius frangendum: illud respondere poterit, quod prius ceciderit in terrā: ita ex hominibus ille prius excedet è vita, non qui fuerit antiquior, sed qui prius fuerit delapsus in terrā, qui sepulchrū prius tetigerit. Quid aliud est seculum hoc quā figulina quædā, nos autē quid aliud sumus, quā vasa quædam fictilia? Id intuens regius vates aiebat: tāquam vas figuli confringes eos. Et Isaias comminuetur, sicut conteritur lagena figuli. Et D. Paul. in. 2. ad Corint. habemus thesaurū hūc in vasis fictilibus. Et D. Ioa. in Apoc. Tāquā vas figuli confringētur. Vt qui faciunt iter de solis occasu aliquādo non cogitant & eos nox opprimit incautos: sic mors multos aggreditur de illa minime cogitantes. Quare nō est cur præsul, aut princeps dicat suo cū animo: Dñs meus iā in longū profert reditum, & fortasse nūquā rediturus est, interim morē gerā animo meo. Nō est cur subitū interitū non timeat. Sed heu nos, nā multi in Ecclesia sunt ita socordes, ita sui suiq; mortis obliti, vt ita viuant, ita se in omnibus gerant, ac si in æternum essent victuri. Similes principibus ac præsulibus, filijsq; Israel, prouerbio illo vtentibus. Vt ait Ezech. in longum differentur dies, & peribit omnis visio. Traducebant in prouerbiū, & veluti in fabulā diuina oracula: quasi in mundi fine euentura, aut omnino peritura. Idcirco addit Dñs: quiescere faciā prouerbiū illud, nec vulgo dicetur vltra in Israel, & loquere ad eos, quod appropinquauerint dies, & sermo omnis visionis. Nō prolongabitur amplius, sed in diebus vestris loquar verbū & faciam illud. Quibus verbis significabat vicinā captiuitatē vrbis Hierusalē, & Sedechiā, cū populo Iuda iam iā capiendū. Sic modo socordes præsules, negligentesq; principes in fabulā vertunt omnia quæ prædicat Euangeliū: existimantes in aliud tēpus differenda: in fabulā traducunt: veniet Dñs serui illius hora qua nescit: & diuidet eū, partemq; eius cū infidelibus ponet: nō existimantes subitā mortē, nec subitum interitū, sed longum tempus sibi promittentes: & idcirco sibi morē gerentes, nimisq; se ipsos indulgentes. Quod stultitia nō minima est, cū longioris vitæ nemo est qui certitudinē habeat. Moriēdū enim sine dubio est, & id incertū, an ea ipsa hora. Nihil est certius morte, & nihil incertius ea ipsa. Nemo ergo nostrum dicat: morā facit Dñs meus. Quod si morā fecerit expecta eū, quia veniens veniet & non tardabit, vt vates quidam ait.

Scelerami præsulis describuntur.

Primū est mortē in longū proferre.

Simile.

Psalm. 2.

Isai. 30.

2. Cor. 4.

Apoc. 2.

Ezech. 12.

Abac. 2.

¶ *Et caperit percutere seruos & ancillas.* Ecce superbiam, iram, iniustitiam impiorū prælatorū: quibus comprehenduntur crimina omnia quæ in sibi subditos committere solent. Sunt enim nonnulli qui aspere, insolēter, & superbè illis dominātur, & vt paucis dicam, tyrannidem exerceant in eos. Per Ecclesiasticum ait Deus in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloria diligeris, quāto maior

2. Scelus prælatorū malorū est in sibi subditos seuire.

Eccles. 3.

Ad Tit. 1.

for es, humilia te in omnibus, & corã Deo inuenies gratiam. Et D. Paul ad Tit. c. 1. ait: oportet enim Episcopũ sine crimine esse: sicut Dei dispensatorem: non superbum: non iracundũ. non percussorẽ. Nõ inquam superbum, quoniam Deus superbis resistit: non iracundũ neq; percussorẽ, qui mederi studeat, & inuitet, alliciatque potius quàm exigat. & beneficijs pugnet potius quàm verberibus. Magistratus enim ostendit virum. & vir magistratum exornat. Quemadmodũ æstate cum vehementius tonuerit, quàm fulserit signum est ventorum, vt Plinius ait, sic qui in aliorũ peccata vehementer inuehitur, & clamores queribundos attollit, cũ ipse non perinde vitæ puritate micuerit, facile ostendit animum habere austeritatis potius, & ambitionis, ac vanitatis ventotumentẽ, quã colentẽ iustitiæ & Christianæ pietatis. Barjona sonat filiũ colũbæ, & talis debet esse, qui alios suscipit gubernandos. Quorsum. n. Christus Deus noster promittens Petro summũ Pontificatũ, ei dixit: beatus es Simon Barjona, nisi vt ostenderet, debere Ecclesiasticũ pastorẽ, columbæ habere mãsuetudinẽ & simplicitatẽ? Sed quoniã oportet vti aliquãdo austeritate, & grauiter punire: & obiurgationes nõnunquam incidunt necessariæ, in quibus necesse est vti acerbiore cõtentione verborũ, & acriore reprehensionis & supplicij seueritate, sed ita vt procul absit ira, & intẽperantia; ait Greg. Nazian. in lib. de Hieremiæ dictis, difficile esse scire regere seipsum, scire autẽ regere alios difficilius. Et in Apologetico, reuera, inquit, mihi videtur ars artiũ, & disciplina disciplinarũ, hominẽ regere, vel imbuere, qui est inter omnes animantes maxime & motibus varius, & volũtate diuersus. Vt in corporibus multæ inueniuntur dissimilitudines, alios enim aspicimus celeritate instructos ad cursum alios viribus ad palestrã, quosdam faciẽ nigro colore affectos, quosdã albo; alios formæ grauitate præditos esse, alios venustate, sic in animis existũnt diuersę propẽsiones, & infinitæ varietates. Quas omnes debet cognoscere, qui rempublicam gubernandã suscipit. Atq; ipse sine cri-

Simile.

Prælatum oportet esse mansuetum habereque simplicitatẽ columbinam.

Matt. 16.

Greg. Nazian.

Simile.

A mine aliquo esse, hoc est, sine ira, superbia, iniustitia vt recte possit fungi officio suo. Sed nõnulli sunt in Ecclesiã qui veri præsulis picturæ, nec vltima retineant lineamẽta, sed vmbrã tantũ & nomẽ: sicut olim Cicero de quodam dixit. Nõne ab imis vnguibus ad verticẽ vsque, si quam coniecturã adfert tacita corporis figura: ex faustu, põpa, ambitione, luxu, & huiusmodi totus cõstare videtur? A vertice vsque ad pedes nõ est in eo sanitas dici potest de huiusmodi præsule. ¶ Fugiat ergo B imprimis antistes omnis superbiã. Quæ initiũ fuit & modo est omniũ peccatorũ. Meminerit esse mortalẽ: meminerit quid Aristot. hominẽ definiens dicat: homo, inquit, est animal rationis particeps, mortale. Has duas differẽtias formæ procreatrices posuit in definitione, vocãs eũ morti obnoxiũ: vt illũ suæ fragilitatis admoneret. Si se extolleret aspiciẽs se compotẽ rationis, & bonorũ immortaliũ capacẽ, statim se intueretur esse caducum & mortalẽ, quo superbiã deponeret, & imbecillitatẽ suam perspiceret. Hac cõsideC ratione ducti magni viri, in sublimi dignitate cõstituti ac fideles dispẽsatores effecti profundã humilitatẽ amplectũtur, minimeq; efferũtur absentia Dñi, ac delegata præfetura. Id significare volens Dñs præceperat vt gazophylacia tẽpli superiora arctiora & humiliora essent gazophylacijs inferioribus: quia viri iusti ac præsules Ecclesię qui sunt gazophylacia & thesauri gazarũ Dei, quãto superiorem obtinet locũ tanto humiliores sunt. Vt. n. vasa cũ replẽtur liquore, aerẽ expellunt, sic qui in virtute proficiunt deijciunt vaD nitatẽ omneq; superbiæ genus detestantur. Contra vero quemadmodũ vasa, cũ euacuantur liquore, implentur aere: sic multi destituti virtute implentur superbia, quã dominãtur in suos. Hęc de cælo eiecit principẽ ac præsidẽ illũ angelorũ hæc de paradyso eiecit primum ac principẽ hominũ. Hæc hæreticos separat ab Ecclesia. Luzifer voluit esse similis altissimo: Adã & Eua voluerũt esse sicut dij sciẽ bonum & malum, hæretici volunt esse super magnos Ecclesię principes, super omnes doctores, imo & super summum Pon-

Multi prælati vmbram tantum & nomen boni præsulis habent.

Isai. 1.

Superbia imprimis est ab antistite fugienda.

Aristot.

Ezech. 42.

Figura.

Simile.

Isai 14.

Gen. 3.

machinam euerterunt: sic iustitia cadit sæpe numero, quia & si princeps aut summus Pontifex, qui rectè caput appellatur, sit iustus & ex auro virtutis veluti cōflatus, administratores tamen iustitiæ fictiles sunt, terram & lutum intuentes, & muneribus ac largitionibus mouentur, ob quarum cupiditatem præcipitant iustitiam, opprimunt insontes, inique rem illorum agunt. & tacti lapide aliquo pretioso, monili aureo, vasibus auro fulgentibus, cælato auro & argento, magna pecuniarum copia, aut alijs huiusmodi muneribus omnia iura diuina atque humana peruertunt. Tu veró ò præsul si sapis hos fuge, hos non imitare, iustitiam vitiorum expultricem nulla in te violare audeas.

Gula à præsule fugienda.

¶ *Et comedere & bibere et inebriari.* Ecce crimen & scelus gulæ quod patrare solet infidelis & imprudens præsul aut rector Christianę reipublicæ: edit, & bibit, comessatur, inebriatur, domini bona fædis voluptatibus, luxuque prodigens. De huiusmodi pastoribꝰ olim aiebat dominus apud Ezechielem: væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Lac comedebatis, & lanis operiebamini. Vbi per metaphoram pastorum inquit Hieronymus, ad principes loquitur, de quibus & in alio loco scriptum est: qui deuorant plebem meam sicut escam panis. In lacte omnes escas intellige, in lanis multitudinem varietatemque vestium. Vę ergo istis, qui cum gregem Domini bonis Ecclesiæ pascere debeant, & saluti illius prouidere, pro sua festinant luxuria. Edunt, bibūt, atque inebriantur, vt in hoc loco ait Dominus. Oportet, inquit Paulus, Episcopum esse non violentum sed sobrium. Si enim qui huiusmodi sunt nō seipsos sed Deum diligerent & amarent, non seipsos sed oues Domini pascerent. Audi quid Dominus dicat Petro diligis me? Pasce oues meas. Amoris ergo in Deum officium est pascere oues Christi. Qui hoc animo (inquit Augustinus) pascunt oues Christi vt suas velint esse, non Christi, se conuincūtur amare, non Christum, vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate, non obediendi &

Ezech. 34.

D. Hiero.

Psa. 52. a

Ad Tit. 1

To. 9. Augustinus in Ioan. tract. 123.

A Deo placendi charitate. Contra hos vigilat totiēs inculcata illa vox Christi, quos Apostolus gemit sua quærere, non quæ Iesu Christi. Nam quid est aliud diligis me, pasce oues meas, quam si diceretur, si me diligis, nō te, pascere cogita sed oues meas, & sicut meas pasce, non sicut tuas, gloriam meam in eis quære, non tuam, dominium meum non tuum, lucra mea, non tua, ne sis in eorum societate qui pertinēt ad tempora periculosa, seipsos amātes, & cætera quæ huic malorum initio B connectuntur: cum enim dixisset Apostolus, erunt enim homines seipsos amantes: secutus adiungit amatores pecuniæ, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, irreligiosi, sine affectione, detractores incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, procaces, cœcati, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes speciem pietatis, virtutem autem eius abnegātes. Hac omnia mala ab eo velut fonte manantia, quod primum posuit: seipsos amantes. Non sint ergo seipsos amantes qui pascunt oues Christi, nec tanquam suas, sed C tanquam ipsius eas pascant: & velint ex illis sua lucra conquirere, sicut amatores pecuniæ, vel eis dominari, sicut elati: vel gloriari de honoribꝰ quos ab eis sumūt, sicut superbi: vel in tantum progredi vt etiam hæreses faciant, sicut blasphemi: nec cedant sanctis patribus, sicut parentibus non obedientes: & eis qui illos corrigere volunt, mala pro bonis reddant, sicut ingrati: interficiant animas & suas & alienas, sicut scelesti: maternæ ecclesiæ viscera dissipent, sicut irreligiosi, non cōpatiantur infirmis, sicut sine affectione, D famam sanctorum maculare conentur, sicut detractores: cupiditates pessimas nō refrenent, sicut incontinentes: exerceant lites, sicut immites: nesciant subuenire, sicut sine benignitate: indicent inimicis piorum quæ occultanda cognouerant, sicut proditores: humanam verecūdiam inverecunda exagitatione perturbent, sicut procaces: non intelligant neque quę loquuntur, neque de quibus affirmant, sicut cœcati: lætitias carnales spiritualibꝰ gaudijs anteponant, sicut voluptatum ama-

2. Tim. 3.

amatores magis quàm Dei. Hæc enim atque huiusmodi vitia, siue vni homini accedant omnia, siue his alia, illis alia dominentur, ex illa radice quodammodo pullulant, cum sint homines seipsos amantes. Quod vitium maxime cauendum est eis, qui pascunt oues Christi, ne sua quærant, sed quæ Iesu Christi, & in vsus cupiditatum suarum conferant, pro quibus sanguis fusus est Christi. Hæc Augusti. Si ergo scire desideras vnde dispensator iste infidelis & imprudens, omnibus vitijs (quæ enumerat in prædicto loco Paulus: Et quæ subintelligere voluit in hoc loco dominus sub nomine iræ, superbiæ, tyrannidis, & gulæ) sit deditus: ex nimio videlicet amore non domini sed sui ipsius scito dimanare.

¶ *Veniet dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua nescit & diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet.* Ecce proponit in hoc loco Dominus condignam pœnam ei, qui cessat in Ecclesia ab officio suo. Diuidet enim eum dominus & amputabit à familia sua cœlesti, nec dignabitur eum domus suæ cœlestis contubernio, sed annumerabit illum reliquis infidelibus, luiturum æternas pœnas, quod noluerit esse memor officij.

Condigna pœna datur ei qui cessat in ecclesia ab officio suo

Vnde Irinæus de huiusmodi Ecclesiæ præpositis iniustè suum munus exercentibus loquens libro. 4. aduersus hæreses Valentini. cap. 44. sic ait: Qui vero crediti sunt quidem à multis esse præsbyteri, seruiunt autem suis voluptatibus, & non præponunt timorē Dei in cordibus suis, sed contumelijs agunt reliquos, & principalis concessionis tumore elati sunt, & in absconsis agunt mala, & dicūt, Nemo nos videt, redarguentur à verbo, qui nō secundum gloriam iudicat, neque faciē attendit, sed in cor: & audient quæ sunt à Daniele Propheta voces. semen Chanaā & non Iuda, species seduxit te, & concupiscentia euertit cor tuū, inueterate dierum malorum, nunc aduenerunt peccata tua, quæ faciebas antea, iudicans iudicia iniusta: & innocentes quidem damnabas, dimittebas vero nocentes, dicente domino: Innocentem & iustum non occides. De quibus dixit hic dñs, si autem dixerit malus seruus in corde suo, tardat dominus meus, & incipiat cędere seruos & ancillas, & māducare, & bibere, & inebriari, veniet dominus serui illius in die qua nescit & hora qua non sperat, & diuidet eum, & partem eius cum infidelibus ponet. Ab omnibus igitur talibus absistere oportet, adhęrere verò his, qui & Apostolorum, sicut prædiximus, doctrinam custodiunt, & cum præsbyterij ordine sermonem sanum, & conuersationem sine offensa præstant ad informationem & correctionem reliquorum. Quemadmodum Moyses, cui tantus ducatus est creditus, bona conscientia fretus, purgabat se apud dominum dicens: Non concupiscens alicuius illorum quid accepi, neque male feci alicui eorum. Quemadmodum Samuel tot annis iudicans populū, & sine vlla elatione ducatum gerens super Israel, in fine purgabat se dicēs: Ego conuersatus sum in conspectu Dei & in conspectu Christi eius, cuius vestrum vitulum accepi, aut asinum, aut super quē potentatus sum, aut quem oppressi, aut si de alicuius manu accepi propitiationem, vel calciamentum, dicite aduersus me, & reddam vobis. Cum dixissent autē ad eum. Neque potentatus es, neque oppressisti nos, neque accepisti de manu cuiusquam aliquid: testificatus est dominū dicens: Testis est dominus, & testis Christus eius, in die hac quoniam non inuenistis in manu mea nihil. Et dixerunt ei, testis. Quemadmodum Paulus Apostolus cum esset bonæ conscientiæ, dicebat ad Corinthios, non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquimur, neminem nocuimus, neminem corrupimus, neminem circumuenimus. Tales præsbyteros nutrit Ecclesia, de quibus & Propheta ait: & dabo principes tuos in pace, & Episcopos tuos in iustitia. De quibus & Dominus dicebat: quis igitur erit fidelis actor bonus & sapiens, quē præponit dominus super familiam suam, ad danda eis cibaria in tempore? Beatus ille seruus, quem veniens Dominus inuenerit sic facientem. Hactenus Irinæus. ¶ Caueant quæso sibi præsu

Irinæus

Dan. 13. c

Dan. 13. f

1. Reg. 12

2. Cor. 2

In hac vitanedũ in alia mali præsules maximas pœnas dabunt.

præsules,nam si hunc seruum imitati fuerint:& in hac etiam vita maximas pœnas dabunt nedum in alia. Solet enim dominus infideles dispensatores suæ domus, imprimis præfectura sibi commissa priuare:domusque suas in solitudinem redigere. Vt impleatur in illis quod olim prædixerat dominus adimplendum in domo regia Iuda. Sic enim ait Hieremias.cap. 22. quod si nõ audieritis verba hæc, hoc est,si non feceritis iudicium & iustitiam, & liberaueritis vi oppressum de manu calumniatoris, &c. per memetipsum iuraui dicit dominus,quia in solitudinem erit domus hæc. Quia hæc dicit Dominus super domum regis Iuda,Galaad tu mihi caput libani,si non posuero te in solitudinem,vrbes inhabitabiles. Et sanctificabo super te interficientem virum & arma eius, & succident electas cedros tuas, & præcipitabunt in ignem: & pertransibũt gentes multæ per ciuitatem hanc, & dicet vnusquisque proximo suo : quare fecit Dominus sic ciuitati huic magnæ? Et respondebunt eo quod dereliquerũt pactum domini Dei sui,& adorauerũt deos alienos,& seruierunt eis. Quibus verbis comminatur dominus regiæ domui , & vrbi Hierusalem & templo, quod vocat caput libani,quod redigendum sit in solitudinem , cum vniuersis vrbibus suis: non potentia regis Babylonis, sed iussione domini,qui dicit : sanctificabo super te interficientem. Sanctus autem vocatur Nabuchodonosor & omnis eius exercitus,quia exequitur sententiam Dei. Atque hæc omnia mala eueniẽt illis in hac vita quod non fuerint functi officio suo: quod fuerint infideles & imprudẽtes dispensatores honorum domini. Audiant hoc,inquit Hieronymus,& nostræ vrbis domus regia,& principes eius , & cedri quæ eleuant vsque ad nubes verticem suum,& per superbiam loquuntur: quis nos videbit , quod cito flamma domini consumentur,si noluerint illius præceptis acquiescere. Audiant hoc,inquam, ecclesiæ primores dicentes moram facit venire Dñs meus & ideo iniquè agunt. Nam cum minus cogitent , inopinata Dei ira veniet super eos , quæ illos à sua

Hiere.22.

Exponitur locus.

Hiero.

A præfectura & dignitate cum ignominia maxima dimoueat:quæ opes omnes auferat:quæ,infamia, probro, ac macula, notaque perpetua afficiat. Quæ denique morte preuentos , flammis sempiternis pro meritis suis puniat. Sic enim ait Dominus in hoc loco: diuidet eum,partemque eius cum infidelibus ponet. Idest,separabit & consortem faciet infidorũ. Ac si diceret : eximet eum numero sanctorũ suorum fidelium,& condemnabit. Qua pœna extrema,cum maxima sit, vult Dominus infideles œconomos suos deterrere vt sibi caueant: vt ad se redeant: vt vitã corrigant.

B

¶*Ille autem seruus qui cognouit voluntatem domini sui & non se praeparauit,& non fecit secundum voluntatem eius vapulabit multis , qui autem non cognouit, & fecit digna plagis , vapulabit paucis. Omni autem cui multum datum est multũ quaeretur ab eo, et cui commendauerunt multum plus petent ab eo.* Multa sese in hoc loco offerunt explicatione & annotatione digna. Primò obserua:ex hoc loco manifestè colligi non omnia peccata esse paria. Ecce seruo, inquit Hieronymus,& seruo, plus minus ve committitur,& pro qualitate commissi, atque peccati,plagarum quoque numerus irrogatur. Dominus etiam aiebat Pilato : qui me tradidit tibi maius peccatum habet. De qua re egregiè vt solet omnia disputat D.Hieronymus lib.2.contra Iouinianum. Et Doctor sanctus.12.q.73. ¶Secundò obserua, quàm falsò hęretici non nulli existimarunt pœnas damnatorum æternas non esse:quod dominus dicat alterum vapulare multis, alterum paucis. De qua re optimè disserit.D. Basilius his verbis:quæ ambiguè & obscure videtur dicta fuisse in quibusdam locis diuinæ scripturæ,ea clare explicantur ex ijs,quæ dilucide dicta sunt alijs in locis. Cum igitur dominus aliàs quidem affirmate dicat hos ituros ad supplicium æternum: alias verò , quosdam mandet in ignem ęternum,paratũ diabolo & angelis eius: & alibi mentione facta de gehẽna ignis, confestim subijciat , vbi vermis eorum non moritur,& ignis non extinguitur:& olim

C

D

Non omnia peccata sũnt paria.

D. Hiero.

Ioan.19.

12.q.73 art.2.

Pœnæ dãnatorum sunt perpetuæ.

Matth.25 d.

Marc.9.

Esai 66.g

olim etiam multo ante per Prophetã de quibusdam prædixisset, vermem eorum non moriturum, neque ignem extinctũ iri: hęc atque horum similia cum sic posita reperiantur in diuina scriptura, vnum hoc etiam est ex artificijs diaboli, vt homines videlicet velut obliti horum & talium, quæ posita sunt plerisque in locis sacrosanctarum literarum, quo maiore cum audacia peccent, sibi ipsis suppliciorum finem cõfingant. Nam si æterni supplicij finis futurus est aliquando, sine cõtrouersia æternæ vitæ etiam erit. Quod si hoc in ęterna vita nullo modo possumus intelligere, quæ nam afferri ratio potest, quam obrem æternum supplicium habere finem dicatur? AEqualiter enim tam huic quam illi ęternitatis additio adiecta est. Ibunt, inquit, hi in supplicium æternum. Iusti autem in vitam æternam. His igitur ita concessis, intelligendũ est illud, vapulabit multis: & illud, vapulabit paucis: non finem, sed diuersitatẽ supplicij declarat. Si enim Deus iudex iustus est, nõ bonis solum, sed etiam improbis, reddens vnicuique iuxta opera sua: fieri potest, vt alius quidem dignus sit igne inextinguibili, atque hoc ipso vel lenius, vel acrius vrente: alius vero verme nunquam morituro, atque hoc ipso nihilominus vel mitius quemque excrucians, vel seuerius, pro meritis videlicet vniuscuiusque: itemque alius gehenna, habente prorsus ipsa etiam varia tormentorum genera: similiterque alius exterioribus tenebris quo in loco alius in fletu est solum, alius præter fletum, in stridore etiam dentium propter cruciatuum videlicet acerbitatem. Quin & hæ quoq; tenebræ, quę vocantur exteriores, alias etiam prorsus esse interiores significant. Et illud quod dictum est in Prouerbijs, in profundum inferni: declarat quosdam esse quidem apud inferos, non tamen in profundo, qui leuioribus scilicet pœnis afficiantur. Porro hoc ita esse etiam nunc possumus per similitudinem adumbrare in morbis corporis intelligere. Siquidem est alius, qui præter febrem alias etiam aliorum morborum accessiones habet. Alius autem, qui ex sola tantummodo febri laborat: & hic ipse diuerso modo atque alius. Similiterque reperietur alius, qui febri quidem ipse non laborabit, dolore tamen membri alicuius vehementer cruciabitur: & hic ipse item alio aut acrius, aut remissius. Vsurpatum est autem etiam hoc à domino, multis, & paucis, ex vsu quotidianæ loquendi consuetudinis, quemadmodum alia etiam huiuscemodi nonnulla. Quando quidem scimus plerunque huiuscemodi formam loquendi etiam in his solitam esse vsurpari, qui ex vno aliquo morbo laborant. Veluti cum dicimus in aliquo, qui tantummodo febricitat, aut ex oculo dolet, admirantes, hic quot sustinuit dolores, aut quot pertulit cruciatus? Quam obrem hoc, multis aut paucis vapulare (iterum dico) nequaquam temporis lõginquitatem, completionem ve, sed pœnæ diuersitatem significat. Hæc Basilius. Non ergo vult Dominus his verbis significare quod pœnæ non erunt æternę, sed quod pœnæ damnatorum non erunt æquales: quanuis aliàs omnes sint æternę. Diuina enim & naturalis lex exposcit, vt iuxta mensuram delicti: sit & plagarum modus. Et quantum se quisq; glorificauit & in delitijs fuit: tantum postea ei inferatur tormentorum. ¶ Tertio hinc collige quod leuius punientur gentes, quibus nec per legem nec per Euangelium annunciata veritas est, quam Iudæi, quos lex erudiebat ad aliquem profectum pietatis. Et rursum inter hos acrius punientur Pharisęi, & legis periti, quàm idiotæ. Sed omnium grauissimas pœnas dabũt, vt statim ostẽdemus, quos cognita veritas euangelica quos tot miracula, quos exemplum Christi non prouocat ad studium verę pietatis. ¶ Quarto colliges: quod arctius tenentur iusti fideles seruare mandata, quam olim tenebantur cum erant peccatores: & ex consequenti cæteris paribus si prolassi fuerint grauius punientur iusti quàm peccatores. Quod multis rationibus & si pręsens Christi testimonium non suppeteret, probari potest. Et peculiariter patres in concilio Tridentino congregati tres causas insinuauerunt, propter quas iusti plus tenen-

Marginal notes (left): Matth. 25. d; Luc. 11. e; Exponitur locus.; Psa. 7. c; Psa. 61. c; Pro 9. d.; A morbis corporis similitudo.

Marginal notes (right): Hiere. 22.; Deu. 25.; Apo. 18.; Leuius cæteris paribus punientur gentiles Iudæis & Iudæi fidelibus.; Arctius tenentur iusti fideles ad mandata seruanda quã peccatores.

nẽntur ad seruandum mandata, quã peccatores. Propterea, quia à Deo habuerũt beneficium suę iustificationis. Lege enim naturali ei tenemur magis obedire & obsequi, qui pluribus nos sibi obstrinxit beneficijs. Cum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum, ait Gregorius. Et subdit. Tanto ergo esse humilior, atq; ad seruiendum Deo promptior quisque debet ex munere, quanto obligatiorem se esse conspicit in reddenda ratione. ¶ Secunda causa, propter quam iusti magis tenentur ad obseruantiam mandatorũ est, quia ipsi melius, & facilius ea possunt implere. Per gratiam enim diuinam, & habitationem Spiritus sancti in ipsis, potentiores sunt ad virtutum exercitia, & fortiores ad resistendum peccatorum incursionibus. Postulat autem hoc ratio bonitatis, & suauitatis diuinæ, & naturale lumen id docet, vt ad ea sit quisque minus adstrictus, quæ difficiliora sunt ipsi, & cõtrà ad ea magis, quæ commodius, & leuius potest præstare. Vnde Tert. lib. 2. ad vxorem. Omne delictum volũtarium in domino grande est. Quanto enim potestas vitandi fuit, tanto contumaciæ crimen oneratur. Et Bernar. In difficilioribus agendis obeditio gratior, quam grauior præuaricatio iudicetur, & in facilioribus minusque onerosis contemptus dãnabilior, quam actus laudabilior æstimetur. ¶ Tertia eiusdem veritatis causa est, quia à Deo hanc habent iustificati gratiã præter suam iustificationem, vt ab eo nõ deserantur, nisi prius ipsi illum deserant. Qua ratione duplex ipsis nomen videre mihi videor custodiendi mandata accrescere. Videlicet ne & tanto beneficio sint ingrati, & ne tam fidelis, & benignus hospes eos deserat, & tantum beneficiũ perdant, si obtorpere cœperint in via iustitiæ. quam vnam ille, à nobis exigit, vt nobiscum maneat. Deus namque (inquit Augustinus) sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.

Greg. ho. 9. in euan.

Causa. 2.

Tertul.

Bernar.

3. causa.

¶ Præter hæc autem argumenta, quæ satis idoneè probant maius hoc vinculum, quo iusti adstringuntur ad obedientiam Deo exhibendam, possumus & hanc sententiam apertis testimonijs scripturam

A confirmare, nisi abundauerit iustitia vestra, ait Christus ad suos Apostolos, plus quam scribarum & pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. In quæ verba Theophilatus vbi exposuisset iustitiam dici omnem virtutem, sicut cũ Iob dictus est iustus, subdit. Horresce homo animaduertens quanta à nobis repetantur. Et in hoc loco Christus generaliter pronunciat. *Omni autem, cui multum datum est, multum petetur ab eo, & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.*

Matth. 5. a

Theophi.

B Et Paulus inquit. Irritam quis faciens legem Moysi sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur, quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, & in quo sanctificatus est, Spiritui gratiæ contumeliã fecerit? Et Petrus dicit. Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi, his rursum implicati superãtur, facta sunt eis posteriora deteriora

Heb. 10. e

2. Pet. 2. d

C prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitã retrorsum conuerti ab eo, quod traditũ est illis, sancto mandato. Confirmant etiã hanc doctrinam omnia, quæ docent maiora esse cæteris paribus nostra peccata quam Iudæorum viuentium sub lege Mosayca. Quod & Paulus eleganter docet in epistola ad Hebræ. præcipuè vero in illis verbis. Videte ne recusetis loquẽtem, si enim illi non refugerunt recusantes eum, qui super terram loquebatur, multo magis nos, qui de cœlis loquẽtem nobis auertimus. Quæcũque etiam pro-

Heb. 12. g

D bant maiora fuisse cæteris paribus peccata Iudæorum, quam gentilium, quia sicut Psalmista dicit, non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis, stabilire quæunt præsentem difinitionem. Si enim propter beneficiũ præcellentioris legis, & perfectioris pastoris inducitur maius vinculum ad obseruantiam mandatorum, multo magis hoc fiet propter beneficium iustificationis. Et si peccata principum & prælatorum grauiora sunt, iuxta illud, potentes potenter tormenta patientur, & si peccata sacerdotum

Psa. 147.

Sapi. 6.

tum & Ecclesiasticorum maiores sunt reatus apud Deum, iuxta verbum Christi, hi accipient damnationem maiorem, erunt igitur & peccata iustorum cæteris paribus culpabiliora. Quando quidem omnia principum & Ecclesiasticorum beneficia antecellit gratia iustificationis. Acceptarúntque doctrinam istam, & docuerunt concorditer omnes Ecclesiastici Doctores & antiqui & scholastici. Quippe qui vbique asseuerant maiora esse cæteris paribus, & grauiora peccata fidelium, quam infidelium, & iustorum, quam peccatorum, tantoque vnunquemque apud Deum grauioris esse delicti & criminis reum, quanto maioris erat meriti antequam caderet. ¶ Quæcunque docent grauiora esse peccata iustorum quam peccatorum, docét & eos ad legis præcepta fortius adstringi. Et præter alia expressus est locus Hieronymi in illa verba Apostoli, manifesta autem sunt opera carnis. Vbi sic scribit. In eo fornicator maioris est criminis, quia tollit mẽbra Christi, & facit ea membra meretricis. Erunt quippe duo in carne vna. Qui non est fidelis neque credit in Christo, sua membra facit membra meretricis, qui credit, & fornicatur: Christi membra facit membra meretricis. Econtrario infidelis in fornicatione sua, vtrum violet, an ædificet templum idolo, nescio: per vitia quippe maxime dæmones coluntur. Hoc vnum scio, quod qui post fidem Christi fornicatur, violat templum Dei. In illa etiam verba, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus, sic scribit. Quando autem dicitur: sit tibi sicut ethnicus & publicanus, ostenditur maioris esse detestationis, qui sub nomine fidelis agit opera infideliũ, quam hi, qui aperte gentiles sunt. ¶ Tandem colliges vt in superioribus tetigimus præsules Ecclesiæ si iusti sint grauius vapulare cæteris paribus subditis etiam iustis, si non rite fungantur officio suo. Omnes deniq; superiores cæteris paribus suis inferioribus. Non est igitur quod euangelici sermonis dispensatio nobis commissa, reddat nos insolentiores, sed potius solicitiores. Onus suscipit verius quàm honorem, qui functionem suscipit Ecclesiasticam, gratuitum est quod concreditur, & in hoc concreditur, vt proferatur in vtilitatem communem totius familiæ. Quemadmodum hæri rationem exactiorem exigunt ab eo, cui plus commiserunt: sic ab eo, cui copiosius cognitionis & autoritatis munus datum est à Deo, plus requiretur, quàm à cæteris: & cuius fidei latior ac maior functio delegata est, quo pluribus prodesse debuit, hoc plus exigetur ab eo. Quo ergo doctior es hoc doce libentius: quo ditior es, hoc libentius subleua pauperes: quo potẽtior es, hoc plures autoritas tua pertrahat ad euangelium. Alienum est quod habes, dominus vult erogari, quod credidit. Quod si nõ feceris memineris eius, quod scriptura testatur: iudiciũ durissimũ his qui præsunt, fiet. Et quod Dñs in hoc loco. cui multum datum est, multũ quæretur ab eo. Memineris etiam quod peccãtibus primis parentibus ait Dñs: Adam vbi es? Quanuis à muliere peccatum inceperat, primò tamen virum interrogat, ipsi enim mandatum dederat: quo enim maiorem sciẽtiam & cognitionẽ diuinæ voluntatis quis acceperit, quo maiorẽ autoritatẽ habuerit, eo districtiorẽ reddet rationem vt in hoc loco testatur Dñs.

¶ *Seruus nesciens voluntatẽ Dñi sui, & faciens digna plagis, vapulabit paucis.* His verbis cõmoti multi, necessaria sibi ad salutẽ scire aut intelligere nolunt: vt paucis vapulẽt. Impunitatẽ peccãdi (ait Grego.) existimãt remediũ nesciẽdi. Qui nimirum sola superbiæ caligine tenebrescũt: atq; ideo nõ discernũt, quia aliud est nescisse, aliud scire noluisse. Nescire enim ignorantia est: scire noluisse superbia. Et tãto magis excusationẽ nõ possunt habere quia nesciãt, quãto magis eis etiã nolẽtibus opponitur quod cognoscãt. Vnde per Salomonẽ dicitur: nũquid nõ sapientia clamitat, & prudẽtia dat vocẽ suã: in summis excelsisq; verticibus super viã in medijs stans semitis? Trãsire fortasse per viã vitæ tẽporalis, cũ eius ignorãtia poteramus, si hæc eadem sapientia in semitæ angulis constitisset. Inuestiganda fuerat, si occultari voluisset. Sed post quam incar

Sap. 6. a
Luc. 10 b

Iusti fortius astringuntur ad legem seruandã quã alij.
Hiero. Gala. 5. d

Matth. 18

Sap. 6.

Gen. 3.

Non de ignorantia crassa & affectata hic loquitur dñs.
Lib. 25. mo. c. 16.

Pro. 8.

incarnationis suæ mysteria publicè ostendit, postquam humilitatis exempla superbientibus præbuit, semetipsam nobis quasi transeuntibus in medijs semitis fixit; videlicet vt in eam quã quærere nolumus impingamus: & quam transeũtes videre negligimus, tangamus offendentes. Hæc Gregorius. Hi ergo qui nolunt intelligere vt benè agant, & qui sunt sicut aspides surdæ obturantes aures suas, vt regius vates ait: & qui quasi de industria, vt verbis vtar Iob, recesserunt à Deo, & omnes vias eius intelligere noluerunt: non paucis sed multis vapulabunt. Qui ergo crassa, affectataq; ignorantia laborare volunt, nullam habẽt excusationem. De hac ergo ignorantia non loquitur in hoc loco Dominus: sed de illa de qua Paulus ait, in. 1. ad Timo. 1. misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci. Non enim ambitionis causa, aut ex malitia euangelium extirpare nitebatur: pestem quãdam ac luem existimans: sed ductus zelo nimio legis nesciens illud veteris prouerbij stare cõtra eum videlicet, nequid nimis.

Psa. 35. Psa. 57. Iob. 34. 1. Tim. 1.

Diabolus venit vt mitteret ignem perditionis Christus vt mitteret in terram ignem charitatis & suæ diuinæ legis.

¶ *Ignem veni mittere in terram.* Iam hic mecum considera, cuius gratia venit statim post mundi conditionem diabolus in mundum: & cuius gratia venit in nouissimis diebus filius Dei. Ille sitiens hominum perditionem, venit vt mitteret ignem calamitatis, ignẽ æternæ mortis, ignem auaritiæ, ignem luxuriæ, ignẽ denique omnium vitiorum, ac omnium tentationum in terram. Et quid obsecro aliud desiderabat nisi vt accenderetur in terris? At hic venit sitiens hominum salutem: vt ignem suæ charitatis, atque amoris immensi, atque ignem suæ diuinæ legis, ac cœlestis sermonis immitteret in corda fidelium: quo purgarentur, atque accenderentur. Quæ omnia satis intelligentur si significationes ignis in scriptura sacra sparsas: in memoriã reuocemus. Ignis ergo calamitatem significat, dolorem atque molestiam. In qua significatione accepit Ezechiel, cap. 15. cum ait: De igne egredientur: & ignis consumet eos. Idest, ex vna calamitate, incident in aliam. Ex hac significatione natum est tritum illud prouerbium: Ignem igni ne addas. Et apud Malachiam: ipse enim quasi ignis conflans. Nunc accipitur pro morte æterna: vt apud Esaiam: & ignis eorũ non extinguetur: & apud Matth. discedite à me maledicti, in ignem æternũ. Nũc pro auaritia, vt apud Michæam: adhuc ignis in domo impij. Nunc pro iracundia: vt in Psalmo: supercecidit ignis, & non viderunt solem. Nunc pro concupiscentia carnis, vt in Prouerbijs: nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo? Nunc pro mũdi amore: cuius typus erat ignis ille alienus: quẽ olim filij Aarõ in thuribulis posuerunt. Ignis alienus in thuribulo est amor mundi in corde. Nũc etiam pro omni diaboli tentatione: vt apud D. Paul. in omnibus sumentes scutũ fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Sitiens ergo diabolus hominum interitum, ingressus est in mundum: & immisit in terram, hoc est, in corda terrena suis suggestionibus mille calamitates, immisit æternam mortẽ, immisit iram, luxuriam, cæteraque vitia telisque igneis tentationum, hominum genus interimere conatus est. ¶ Contra vero Christus Deus noster in mundum venit: primum vt ignem suæ charitatis atque amoris mitteret in hominum corda. Ignis enim de quo in hoc loco disserit amor est. Hic est ignis ille, in quo fuit immolatus agnus iste diuinus, qui morte sua nos immortalitatis fecit esse participes. In ara enim crucis sita in caluariæ monte se pro nobis holocaustum constituit, vt nos patri reconciliaret. Ex monte illo, qui erat spelunca latronum, fecit locum orationis, cum illi, qui eum ad interitum vocauerant, ex loco orationis speluncam fecissent latronum. At ille vsq; adeò homines dilexit, tanto erga illos amore flagrauit, vt non dubitauerit etiam pro ijs, qui incensi odio eum occidere conabantur, crucem subire, & acerbissima supplicia tollerare, vt hominum genus è tenebris inextricabilibus, ad veritatis splendorem adduceret, viamque ostenderet ad gloriam immortalem consequendam. Intuere tantam vim amoris, & erga eum, qui te ita dilexit, diuina quadã charita

Ignis multa significat in sacra scriptura. Ezech. 15. Malach. 3. Esa. 66. Matth. 25. Michæ. 6. Psa. 57. Pro. 6. Leuit. 10. Ephe. 6. Mar. 11. Luc. 16.

ritate ita inflammare, vt sit aspectus tuus quasi ignis prunarum ardentium. Hic est ignis rubi, qui ardebat, & non comburebatur: hic est ignis, in quo Deus præcipiebat spicas sibi oblatas torreri: vult enim opera bona absque fuco, ab aristis inanis gloriæ perpurgata, & virtutũ grana solida & pura. Non vult opera frigida, & aristis humanarum laudum circundata, sed amoris diuini igne succensa, & ad ipsum diuinum numen relata. Hic est ignis, quem Deus in altari semper ardere præcipiebat, vt in ara cordis nostri omnia nostra desideria, omnemque voluntatem igne charitatis immolaremus. Diuinus hic amor currus est igneus, quo ascendit Elias in cœlum, qui nos etiam illuc asportauit. Et quoniam Christi euangeliũ lex est amoris, ait diuina scriptura in libro Deuteronomij apparuisse eum de monte Pharan legem igneam dextra tenentẽ. Pharan idem est quod frugiferum, quo significatur Dei Ecclesia mons fertilis, mirabiles fructus producens. Et quoniã per dextram id quod magnificamus & amore prosequimur, intelligimus: dicitur Deus tenere euangelium dextra, & non sinistra. Vnde filius, quem Iacob ex charissima Rachele genuit in senectute, fuit ab eo appellatus Beniamin, hoc est filius dextræ, quasi filius dilectus. Et quoniam lex erat ignea, eam ob causam apparuerunt Christi discipulis dispertitæ linguę tanquam ignis, & repleti sunt Spiritu sancto. Cum enim essent legem amoris annunciaturi, oportebat esse amore repletos, & linguis cœlestibus munitos, vt charitatis igne flagrarent, & veritatem intrepide proferrent. De hoc diuinæ charitatis igne ait Christus apud nostrũ Lucam in hoc loco: ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur? Hæc terra cor nostrum est, terram amans & in terram conuersum. Et quemadmodum frigidum hoc & infimum elementum in media est mundi sede conglobatum, sic cor humanum est in medio corporis constitutum. Hoc cor vult Deus vt diuina concipiat, quę illud amore incendant, & studio immortalitatis inflãment. Hoc idem olim sub typo quodam significare volens dominus apud Ezechi. c. 10. dixit ad virum qui indutus erat lineis. Ingredere in medio rotarum, quæ sunt subtus Cherubin, & imple manum tuã prunis ignis, quæ sunt inter Cherubin, & effunde super ciuitatem. Per hunc ergo ignem charitatem & amorem intellige. Ignis enim quem vir iste hoc est, Christus, misit in ciuitatem amor est, quo hominum corda incendere volebat. Vaticinatus fuit Ezechiel. cap. 9. præcedente de salute electorum, quos Christus signauit, nunc vaticinatur de eorũ charitate, qua eos Christus incendit, vt possent in obsequio diuino permanere, & varijs mundi, dæmonis, & carnis tẽtationibus, fortiter ac firmiter obsistere. Vt olla dulci liquore plena, si vi ignis agitata ferbuerit, muscas abiget, & longiꝰ fugabit, si autem friguerit, muscas recipiet, quæ in illam statim ingrediantur, sic cor igne charitatis inflammatum tentationes superuolantes non admittit, quin potius propellit, & lõgius amouet: at si lãguidum & remissum frigescit, est omnibus tentationibus patulum & apertum, & fit muscarum & malarum cogitationum reconditorium & domicilium. ¶ Hic est ignis ille, quem vidit Moyses in medio rubi, quę illuminat, & inflammat, sed non comburit, nec perdit. Hic est ignis currus Eliæ quo vehitur in cœlũ. Hic est ignis de quo ait Hieremias: factus est in corde meo quasi ignis. Eo inflammati duo discipuli euntes in Emaus dixerunt: nonne cor nostrum ardẽs erat, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas? Hoc diuino igne incensus Christus affixus cruci veluti positus in ara fudit sanguinem pro nobis: seseque hostiam deuouit, ac constituit. Et ibi, vt Esai. ait: verè langores nostros ipse tulit. Velut potest etiam transferri ex Hebræo. Verè lãgores nostros ipse combussit: nimirum igne sui amoris: quo fenix illa cremabatur. Verbum enim Nasa, quo illic vtitur vates, ferre significat, & dimittere, & comburere.

¶ *Et quid volo nisi vt accendatur?* Id est, ne aliud in votis est, quam vt iam ardeat. Hiero. legit: ignem veni mittere in terram, quãm volo vt ardeat? Siue legatur

Marginalia: Exod. 3. Leui. 2. Leui. 6. 4. Reg. 2. Deu. 33. Gen. 35. Acto. 2. Ezech. 10. Ezech. 9. Simile. Exo. 3. 4. Reg. 2. Hiere. 20. Infra. 24. Esai. 53.

tur quid, siue legatur quã, in eadẽ significatione accipitur. Nã Ti.i. quid vel quã vehementia significat vt Matth. 6. quàm angusta est porta quæ ducit ad vitam. Et Dñe quid multiplicati sunt, qui tribulãt me. & πῶς, i. quàm eadem significatione Mar. 10. quã difficulter diuites intrabunt in regnũ cœlorũ. Vi. Theo. Io. 2. & Euth. ¶ *Baptismo habeo baptizari* (Græcismus pro, baptismo opus est me baptizare.) *Et quomodo coarctor vsque dũ perficiatur.* Ac si diceret: superest adhuc ille baptismus quẽ mihi præscripsit pater, vt intingar proprio sanguine, vt mea morte pœnas luã, pro peccatis totius mundi. Tunc demũ emicabit inter homines illa scintilla charitatis euangelicæ, cũ viderint innoxiũ, vltro pro noxis, substinuisse mortẽ ignominiosam. Hęc enim est scintilla perfectæ charitatis: & ab hoc baptismo non solũ non abhorreo, sed amore salutis humanæ vehementer angor, vt quã primũ perficiatur. Hoc tã ingens desideriũ moriendi pro nobis explicare enigmaticè volens D. Ioan. in Apo. c. 1. ait: Se vidisse similem filio hominis. Cuius pedes similes erant aurichalco in camino ardenti. Vt per pedes significentur affectus & amor Christi. Sic d. Augu. solet per pedes huiusmodi animi affectus intelligere: tũ alias, tũ Ioã. 13. in illa verba lauit pedes discipulorũ suorũ, &c. nã sicut corpus graditur pedibus, sic affectib9 anima. Amor me9, põdus meũ, aiebat Augustin9, illo feror, quocũq; feror. Debent esse hi pedes puri à terrenis rebus, & proinde calciati. Hinc vox illa spõsi: quã pulchri sunt gress9 tui filia principis in calciamẽtis. Quoniã quũ pedes calciamẽtis muniũtur, min9 inquinãtur. Sic affect9 nostri dũ legis custodia, & piorũ exẽplis à terra leuãtur, puriores sunt. Ardebat igitur Redẽptoris nostri affectus velut in camino ardenti, dũ exquo quitur metallum illud præciosum. s. aurichalcũ: & flagrabat ille desiderio redẽptionis nostrę, vt ipse in hoc loco testatur dicens: Baptismo habeo baptizari, & quo modo coarctor vsque dũ perficiatur. Vel quã anguste cõtineor, solent enim cõtrahi, & quasi cõprimi corda anxiorũ. Et in cruce seu in camino ardenti clamabat: sitio. Nẽpe humanã salutẽ. Quod prophetauerat multo ante regius vates secundũ Augustini expositionẽ Psa. 61. cucurri in siti. Et merito hoc Christi desiderium nomine chalcolibani (vt litera Græca habet) vocatur: quod est cõpositũ ex nomine metalli purissimi. s. æris & ex nomine thuris masculi: fuit enim illud desideriũ patiendi inuictũ & inexpugnabile. Hinc vox illa Christi apud Matth. c. 16. vade post me satana: scandalũ es mihi. Ita respondit Petro dissuadenti mortẽ. Et Ioã. 18. calicem quẽ dedit mihi pater, non vis vt bibã illum? Thure etiam flagrabat, propter odorem sacrificij, quod patiendo offerebat.

Matth. 6. | Mar. 10. Theo. Ioan. 2. Euth. | Apo. 1. | Augu. Io. 13. | Can. 7. | Aug. Ps. 61 | Matth. 16 | Ioan. 18.

¶ *Putatis quia pacem veni mittere in terram?* Obserua: quod nõ venerit Christus Dñs allaturus pacem in terrã, quam mundus hic amat, cui tum tranquillitas est, cũ satisfactũ est animi cupiditatibus; cũ mali cum malis consentiunt. Pax mundi quærit propriã vtilitatem, & corporis oblectationem. Pax & concordia impiorum nocet sæpe numero viris pijs: quemadmodum enim canes venatici simul currentes insectãtur, & exagitant leporẽ, vt eum arripientes dilanient: sic improbi homines, qui scelere pascuntur, conspirare solent aduersus pios, vt eos affligant: & acerbis calamitatibus opprimant. Hęc ergo mundi pax pestilens est, atque Deo inimica. Hanc ẽ mundo fugare conatus est dominus: vt pacem suam immitteret. Pacem (inquam) illam de qua Prophetæ omnes vaticinati sunt. Aggeus, cap. 2. implebo (inquit) domum istam gloria, & in loco isto dabo pacem. Esai. c. 57. creaui fructum labiorum pacem, pacem ei, qui longẽ est, & qui prope. Malach. c. 2. Pactũ vitæ & pacis fuit cum eo, & lex veritatis in ore eius. Hæc enim pax spiritualis est, quæ nos inter nos coniungit, & Deo cõnectit & conciliat. Quæ in causa est, vt sint dissidia salutaria, inter cognatos & parẽtes cũ filijs: vt statim docet Christus. Hæc quidẽ est pax, quæ exuperat omnẽ sensũ, qua carẽt homines flagitiosi. Cõtritio enim & infœlicitas est in vijs eorũ & ideo viã huius pacis nõ cognouerũt. Cũ hęc pax sit (vt Augu. ait) quædã serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cor-

Pacẽ quã peccatores amant, nõ attulit Christus. | Simile. | Pax quam attulit Christus qualis. | Esa. 57. | Malach. 2. | Phil. 4. | Psa. 13. | Augus. de verb. dñi. c. 158.

cordis, vinculum amoris, consortium charitatis. Vt hanc ergo in animis hominum immitteret Dominus, mundi pacé é medio tollere curauit: & loco eius dissidium salutare seminare. Gene. c. 3. ait Dominus serpenti: inimicitias ponam inter te & mulierem. Vbi vides Deum discordiæ autorem. Vt discas non esse minoris virtutis, malos amicos, seu illorum amicitiam dissoluere, quám bonam facere. Nō veni inquit, pacem mittere, sed gladium. Non venit Christus conglutinaturus tales concordias, sed immissurus dissidia. Cum enim non omnes obediant euangelio, & Christi causa & salutis nostræ contēnenda sunt omnia. Hinc factū est vt in eadem domo, in qua prius erat mala pax, nasceretur salutare dissidiū. Ideo ait Christus. *Erunt enim ex hoc, quinque in domo vna diuisi, tres in duos, & duo in tres: diuidentur pater in filiū, et filius in patrem suū, mater in filiam, et filia in matrem: socrus in nurū suam: et nurus in socrū suam.* Vehementius enim vrgent vincula spiritus, quā naturæ. Et ideo nōn mirū quod Christi gratia pater simultatem exerceat cū filio: & filius euangelij gratia patré cōtēnat. Similiter quod mater dissidium habeat cum filia, sed apud filiā plus valeat Charitas euangelica, quām affectus paréntum. Et quod socrus similiter bellū suscipiat cū nuru sua, sed apud alteram pręponderet amor salutis æternæ, affinitati carnis. ¶ Hinc ergo colliges quod tam amicitia quām sanguine cōiunctissimi relinquendi sunt propter Deum, aut propter virtuté. Fateor quidé quod amic9 vt philosophorū sententia constat, est alter idē: & quod amicitia est diuinarū humanarū qué rerū cū beneuolentia & charitate sūma consentio: quā asserebant antiqui sapientes esse rebus humanis anteponédā, fateor nihil esse tā naturæ aptū, tā cōsentaneum, ad res vel fęcundas vel aduersas, nihil esse amabilius, nihil copulatius morum similitudine bonorum. In quibus enim sunt eadem studia, eædem voluntates, in his efficitur vt æqué quis altero ac seipso delectetur. Sed cū in amicitia fuerint aliquā postulata, quæ honesta non sint, oportet ipsi amicitiæ fidem & religionem præferre. Non enim lætitia efferri debemus, quotiescūq3 amicus lætitia gestit, nec quocūq3 mærore suo angi dolore, sed iuxta charitatis præscriptū, quæ non gaudet super iniquitate, congaudet auté veritati. Sic etiam parentes præcepto naturali & diuino colendi sunt, honorandi & amādi sunt: maximo amore prosequendi sunt: sed salua fide, & religione: salua spirituali salute. Propter hanc enim cōparandam licitū & sanctū est dissidiū, odium, & inimicitia. Vnde Christus qui diligit patré aut matré plusquā me, non est me dignus. Ac si diceret: vobis danda est opera modis omnibus, ne per vos turbetur cōmunis reipublicæ status: ne desitis officio, quod filius patri, quod filia matri, quod frater fratri, quod marit9 vxori, qd affinus affini, qd amicus amico, quod familiaris familiari debet ex lege naturę. Nō enim abrogo naturæ legem, sed perficio. Sed si, qui eiusmodi sunt, pręscribāt impia, obtemperandi non sunt: si iubeāt seruire mundo plusquā Deo, si imperent discedere á fide mea, obediendi nō sunt. Cum magis deceat obtēperaré Deo quā hominibus, patri cœlesti quām terreno. Dicet aliquis, durū est, huiusmodi affect9 vincere, quos natura nobis penitus inseruit. Sed tales requirit euágelij professio, fortes ac masculos, quique nullis affectibus dimoueātur a cœlesti negocio. Filius ergo, qui amat patré aut matré plusquā me: nō est me dignus. Rursum: pater, qui filiū aut filiā amat plusquā me, nō est me dignus. Amat autem plusquā me, si dum illi obsequitur, mea præcepta negligit. Impia pietas est, sic indulgere parētibus hominibus, vt Deum parētem offendas. ¶ *Dicebat autē et ad turbas: cū videritis nubē orietē ab occasu statim dicitis: nimbus venit et ita fit. Et cum austrum flantem: dicitis, quia æstus erit: et fit. Hypocritæ faciem terræ et cœli nostis probare, hoc autem temp9 quomodo non probatis?* Reprehēdit his verbis dn̄s homines istos, quod non præpararent animos suos regno Dei, quod in proximo erat. Carpit eos quod nō sentirent imminere regnū Dei, tot indicijs rerum: quum aliás in rebus tanto leuioris momenti tam sagaciter cō iecta-

Gen. 3.

2. Cor 13.

Matth. 10

iectarent. Quũ enim conspiciebant in ea regione nubem emergentem ab occasu, statim experientia lõga edocti, prędicebãt futurũ imbrem: & eueniebat quod prædicebant: ac rursum quum sentirent austrum flantem, statim prædicebant fore æstum: quemadmodum in his Hispaniarum regionibus nos prædicimus fore imbrem: nec fallebat eos sua diuinatio. Parũ autem referebat, vtrum plueret, an non plueret, plurimum referebat, vt per euangelicam fidem salutem assequerentur perennem. Quare merito isti appellantur hypocritę: quod omnia sua fucata essét.

Multi inter nos humana scientia præditi, ignari sunt in his quæ sunt Dei.

¶Iam vero inter nos inuenies nõnullos, quorum sanctimonia est talis, qualis & prudentia. In his enim quæ sunt huius vitæ sapiunt: in his quæ sunt æternitatis nihil vident. Pollent Philosophia, & Astrologia quibus colligunt præsagia rerum futurarum, naturas & proprietates rerũ, morborum euentus: tempus autem gratiæ, quod omnibus vel salutem adfert ęternam, si pœnitentiam egerint: vel exitium ęternum, si illam neglexerint: non animaduertunt. Considerant cœli cõuersionem, ortum, occasum, motum & cursum astrorũ suspiciunt, polos, hemisphería, climata, dierum ac temporum rationem contemplantes, & minime fallũtur: ortũ autem & occasum Christi, qui ortus est tamq; verus sol ex alto, illuminare ijs, qui in tenebris & in vmbra mortis sedẽt: non considerant: mortem æternã, perpetuam fœlicitatem, iudicium finale non animaduertunt. Hoc enim solũ erat omnibus studijs agendum, nec oportebat rẽ vllam illis esse tanti, cuius gratia dispendium facerent euãgelici profectus. Hæc est sapientia illa, de qua quidam dicebat: Infœlix qui omnia scit, te autem Domine nescit. De huiusmodi sapientibus ait Dominus apud Esaiam. cap. 47. loquens superbæ Babyloni: defecisti in multitudine consiliorum tuorum: stent & saluẽt te augures cœli, qui contemplabantur sydera, & supputabant menses, vt ex eis annuntiarent vẽtura tibi. Ecce facti sunt quasi stipula, ignis combusit eos, non liberabunt animam suam de manu flammæ, non sunt prunæ quibus calefiant,

Esai. 47.

A nec focus vt sedeant ad eum. Per augures cœli Astrologos intelligit. Vnde septuaginta habent saluent te Astrologi cœli. Hos irridet Propheta, quod faciem cœli diiudicare sciebant de salute autem sua spirituali non curabant: sed potius omnia humana gubernari syderibus existimabant. Qui eiusmodi fuerint incendio terribili flagrabantur. Ita vt nullę ex illis remaneant prunæ, quibus se homines possint calefacere, sed subito in fauillas conuertentur & hoc est quod ait: B non sunt prunæ quibus calefiant, nec focus vt sedeant ad eum. Istorum quidem sapientia, maxima stultitia est apud Deum vt Paulus ait. Vera sapientia cœlestis est, & cum virtute copulata & quæ verum facit Philosophum, non fucatum, non hypocritam. Omnis enim sapientia hominis, vt verbis vtar Lactantij, in hoc vno consistit vt Deum cognoscat & colat. Hac carebant homines isti, quos Christus hoc loco reprehendit. Hac carent inter nos illi, qui sapientes C nominantur, & à veri Dei cultu aut à vera virtute deuiant. De huiusmodi sapientibus dicitur in libro Iob: Apprehendit Deus sapientes in astutia eorum, & consilium prauorum dissipat. Prudentia carnis, ait Paulus, mors est: prudentia autem spiritus vita & pax. Quoniam sapientia carnis inimica est Deo, legi enim Dei non est subiecta. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobis metipsis prudentes ait Esaias. cap. 5. & Hieremias: Sapientes sunt, vt faciant mala, bene autem facere nesciunt.

1. Cori. 3.

Lactan. lib. 1. de diuin. institu.

Iob. 5.

Rom. 8.

Esai. 5.
Hiere. 4.

D ¶*Quid autem & à vobis ipsis nõn iudicatis quod iustum est?* Idest, cur citra operam iudicis, non dirimitis controuersias inter vos ortas? Præstat vel iniquis conditionibus finire litem inter vos, quã incertum euentum iudiciorum experiri, vbi non semper superior est causa, quę melior est. *Quare cum vadis cum aduersario tuo ad principem: in via da operam liberari ab illo: ne forte trahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, et exactor mittat te in carcerem. Dico tibi, non exies inde donec etiam nouissimum minutum reddas.* Docet Christus

his verbis quàm negociosa res sit litigare: maximè ijs, qui properare volunt ad metam euangelicæ perfectionis. Primùm igitur expende, quanto plus lucri fit in condonanda iniuria, quàm in persequenda: in deferenda re, quàm in vindicanda. Primum lucrifeceris amicitiam, quæ suscepta lite periclitatur, deinde temporis compendium facis, quod erat tibi non parum multum in lite periturum. Adhæc animi tranquillitatem lucraris, quam lites adimere solent. Postremo vitas, quicquid malorum adferre potest infœlix litium exitus. Eas ergo ob causas præstat, vt modo dicebam, litem finire. ¶ Alioqui committis teipsum (inquit Christus) periculo, ne iudex tradat te damnatorum exactori, & exactor conijciat te in carcerem. Quod si fiat non exibis profectò inde, donec resoluas quod petitur vsque ad extremum quadrantem. Quibus verbis debitorem diuité malæ fidei alloquitur Christus, quasi dicat, cùm a creditore tuo, qui tibi bona fide credidit pecuniam pertraheris ad iudicé, vt pecunias creditas reddas, persolue eam pecuniam ne forte trahat te ad iudicem, &c. Hic enim est mos diuitum auarorũ creditas sibi pecunias non soluere. & à pauperibus suis debitoribus debitum exigere. absque vlla misericordia. Quos arguit Dñs apud Esai. dicens: omnes debitores vestros repetitis. Impie ergo diues redde pecuniam bona fide tibi creditam: si pertrahi ad iudicem non vis, vt in hoc loco admonet Dñs: & ne requiras pauperes debitores tuos ad eos opprimédos & vexandos: sed potius dissolue colligationes impietatis vt idem Dñs apud Esaiã statim hortatur. Rescinde chirographa, quibus impie obligas debitores tuos, ad vsuras tibi soluendas. Solent enim huiusmodi auari multis pauperibus pecunias ad vsuram accõmodare: & statuto solutionis tempore eos immaniter opprimere. Hęc chirographa appellat statim fasciculos deprimẽtes, hoc est, codicillos quibus debitores opprimebant. Ita hunc locum intellexerunt, 70. illi in hunc modum vertentes, Dissolue obligationes violentarum cautionum. Dimitte fractos in remissionem, & omnem scripturam iniquam concide.

Esai. 58.

A

¶ *Dico tibi nequaquam exies inde donec etiam nouissimum minutum reddas.* Verba sunt Christi. Quasi dicat, o creditor malæ fidei non aliter agam tecũ quã iudex terrestris. Nam te in eum carcerem mittam vnde non exeas donec mihi satis feceris.

CAPVT XIII.

B

¶ Dñs audiens Galilæos à Pilato occisos: populũ hortatur ad pœnitentiã: cõtractã curat mulierẽ: sub parabolis sinapis, fermẽ. i. & angustę portę viã paradisi docet.

ADderant autẽ quidam ipso in tempore, nunciantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificijs eorum. C *Et respondẽs dixit illis, putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non, dico vobis, quod nisi pœnitentiã habueritis, oẽs similiter peribitis, sicut illi decẽ, & octo supra quos cecidit turris in Siloe,* D *& occidit eos; putatis quia et ipsi debitores fuerint præter oẽs homines habitãtes in Hierusalẽ? nõ dico vobis: sed si nõ pœnitentiã habueritis oẽs similiter peribitis.*

CVM multa in superioribus locutus esset Iesus promiscuæ multitudini,

dini, præmijs inuitans ad officium pietatis, supplicijs territans, nullumq; non mouens lapidē, vt animos auditorū accēderet ad melioris vitę studiū, cōmodū aduenerunt quidā, qui rē nouā & horrendā auditu nunciarent de Galilæis quibusdā facinorosis: in quos Pilatus præses nouo exēplo animaduerterat, sic vt sanguinem hominū nocentiū misceret cū sanguine pecudū, quas immolabant ritu Iudaico. Quoniā autē erat enorme, quod illi perpetrarint, ad terrorē omniū horrēdo supplicio puniti sunt. Solet autē vulgus hominū exēcrari sic dānatos, sibiq; plaudere, quod tale nihil patrarit, quū sæpe plausor ille sceleratius sit malus, quā illi, quorū manifestū scelus, publico supplicio fuit expiatū. Iesus itaq; volens huius exēpli terrorē, quem illi nō putabant ad quēquā pertinere, nisi ad eos, qui eadē facinora patrassent, ad omnes peruenire. Respondit illis hæc quæ Lucas hoc loco narrat, & cōcludens ait: *Dico vobis, quod nisi pœnitentiā habueritis omnes similiter peribitis.* ¶Hac generali sententia imprimis colligunt sancti, colligit Ecclesia, pœnitentiā atq; cordis dolorē esse necessariū omnib9 peccatoribus etiā ante baptismū. Optime etiā id probatur à patrib9 ex testimonio Actor. c. 2. pœnitētiā agite. Petrus enim & alij Apostoli prædicantes baptismū, prædicabāt & nō baptizatis etiā pœnitentiā, atq; vtrāq; requirebant vt acciperēt remissionē peccatorū, & baptismo pœnitentiā pręmittebāt. Quin potius ad pœnitentiam principalibus & frequētius & magis ex professo exhortabantur. Sequebāturq; in hoc magistrum omniū Christū & Ioānē, qui à pœnitētia suas auspicati sunt prædicationes. Et Ecclesia ab eis edocta hāc perpetuo seruauit consuetudinē. Quod & ex ipsis patere potest catechismis. Idēq; summo cōsensu tradūt Doctores Sancti: Aug. de catechizādis rudibus id affirmat. Et ad Vincentiū ita scribit. Neminē putes ab errore ad veritatē, & à quocūq; seu magno, seu paruo peccato ad correctionē sine pœnitētia posse trāsire. Idēq; refert Gratian9 ex eodē in epi. ad Felicianū. Et in lib. de vtili. pœnit. c. 1. ita, inquit. Neq; ad baptismū in quo omnia peccata delētur, quisquam bene accedit, nisi agēdo pœnitētiā de vita pristina. Nemo enim elegit vitā nouā, nisi quē veteris pœnitet. Idē docet Basilius. 1. de baptismo. c. 1. Cui subscribit Bern. ser. 1. 55. ¶Præterea iā hic vides qd his verbis, nisi pœnitētiā habueritis omnes similiter peribitis, satis iudicabat Christus etiā ad suscipiēdū suū baptismū, qui iam incipiebat prædicari, necessariā esse pœnitentiā. Nō enim est verosimile illos omnes tūc baptizatos fuisse baptismo Christi, cū hæc ad eos loquebatur. ¶Quod si in amicitijs humanis recōciliādis, vt lumē naturale, & ipsa experientia docet, necessaria est imprimis pœnitentia illatę iniuriæ, vel dāni, in eo, qui intulit, quo modo credam9 posse eū in gratiā Dei redire, quē patratæ in ipsum culpæ nō pœnitet? ¶Hisq; accedit, quod quādiu non displicēt, quę male placuerūt, actu vel virtute manere solet eorū cōplacētia. Deus autē nō ad gratiā sed ad suppliciū imputat accessū ad baptismū, & ad quodcūq; aliud sacramentū eū cōplacētia lætaliū peccatorū. Quia hoc est, verē obicē effectui sacramentorū ponere. ¶Neq; De9 se ad nos cōuertit, gratiā suā cōmunicādo, nisi nos ipsi in eū conuertamur. Quēadmodū enim sol auersos à se oculos nūquā lumine suo directe perfundet, nisi in eum conuertātur. ¶Insuper ad quid baptism9 est institutus, nisi vt nouā in illo profitētes vitā, cōmoriamur peccatis, regeneremur spiritu, efficiamur noui homines, atq; adeò viua mēbra Christi? Nōne hoc luculēter Paulus edisserit cum ad Romanos & Galatas scribit, peccata nō perimi nisi displicentia, & noui homines, aut viua Christi mēbra dici non posse, quibus non displicent prius admissa? Nulla siquidem est participatio iustitiæ cum iniquitate. ¶Denique pœnitentiæ præceptū, quod ad omnes peccatores se extendit, maxime videtur tēpore illo militare, & obligare, quo vel baptisma recipiendum est, vel quodcūq; aliud sacramentum. Itaque ex Christo Domino, ex Apostolis, ex consensu ecclesię, ex ipsa ratione & institutione baptismi, atque ex lumine naturali constat, pœnitentiam etiam ante baptismum agi debere qui-

Pœnitētiā fuisse semper necessariam ostenditur.

2. argumē.

3. argumē tum. Augu.

De pœni. d. 4.

Neminem ibidem. c. tres sunt & c. quis aliquando Basilius. bernar.

3 argumē tum.

4. argum

5. argumē.

6. argumē.

7. argumē.

8. argumē

In decreto de iustificatione. c. 6.

quibus rationibus cōmoti patres in cōcilio Tridentino cōgregati hoc definierūt. ¶Hęc quidē pœnitentia non solū ante baptismū, sed post illū peccatoribus est necessaria: quod satis argumenta prædicta probant. Præterea. c. firmiter de summa Trini. & fide catholica definitur, si quis post baptismū prolapsus fuerit in peccatū per verā semper potest pœnitentiā reparari. Apo. c. 2. ait Dn̄s cuidā Episcopo: memor esto vnde excideris, & age pœnitentiam & prima opera fac. Sin autem veniā tibi cito, & mouebo candelabrū tuū de loco suo, nisi pœnitētiā egeris. Quib9 verbis etiam hortatur Dn̄s peccatores ad pœnitētiā, maxime prælatos: si vltra mortē æternā amittere dignitatē nolunt. Resipiscant ergo peccatores & lachrymas præ dolore fundant, memores pristinæ dignitatis & gratiæ, à qua exciderunt: dicant illud, quod olim in Babylonica captiuitate positi dicebant: super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. Memoria antiquæ fœlicitatis solet cruciari miseros. Similis fuit illa recordatio filij prodigi, qui reuersus ad se dixit: quāti mercenarij in domo patris mei abūdant panibus, ego autē hic fame pereo. Monetur itaq; hic episcopus & in eo omnis peccator, vt in memoriā reuocaret vitam à qua deciderat, & agat pœnitentiā, & prima opera faciat. Vocat autē Ioā. prima opera, id quod ante vocauerat primā charitatē. Primam ergo charitatem prima opera dicit, quæ in hoc episcopo cœpta in gratia erant tā in Deū quā in proximū: in Deū quidē præter pios affectus, erant in eo ieiunia, orationes assiduæ, vigiliæ, cōtēplationes, aliaq; id genus reliqua, exercicia operum bonorum, in quibus delectabatur Christus: ad proximū, prouisio corporalis, eruditio spiritualis, consolatio & alia in quibus feruor spiritus solet exerceri. Quę in Episcopo tepebant: & in nobis etiam cessare solent. Et quemadmodū in præsentia rum Dominus terret omnes peccatores & minatur pœnas sempiternas dicens: nisi pœnitentiam habueritis omnes similiter peribitis. Sic etiam ait huic Episcopo. Sin autem, veniam tibi cito & moue-

c. firmiter de summa Trini. & fi. catho.

Apo. 2.

Peculiariter prælati peccatores agere debent pœnitentiā si amittere dignitatē nolunt nec solum dānari.

Psal. 136.

Infra. 15.

A bo candelabrum tuum de loco suo. Vbi obserua, quod dicitur Deus venire, per metaphoram. Exit enim á sua voluntate antecedenti, qua vult omnes homines saluos fieri, vt Paul. docet. 1. Timo. 2. & culpa nostra vocante venit illaturus pœnā. Sic olim descendit castigaturus, & puniturus Sodomam: vt scribitur in libro Genesis. cap. 18. Quid autem sit mouere candelabrum multis modis exponitur. Sed illa est communior expositio, quam Richardus, Rupertus, & alij amplectuntur.

B Vt sit priuatio dignitatis Ecclesiasticæ. Nam per candelabra significantur ipsæ Ecclesiæ. Sic Sauli nō agenti pœnitentiā motum fuit candelabrum regni Israel, & transmissum in Dauidem, vt sacra narrat historia. 1. lib. regum. cap. 15. Dauidi autem non fuit amotum regnum siue candelabrum. De quo diuina autoritas pronunciat dicens: inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum. Et rursum ibidem, & thronus eius sicut sol in conspectu meo: manus enim mea auxilia

C bitur ei, & brachium meum confortauit eum. Egit enim pœnitentiā. Et ideo stetit regnum eius: memor enim vnde excidisset, quodq; primā charitatem amisisset. Neq; addidit contēptum, qui in cōtritione spiritus sui humiliatus dixit: peccaui. 2. reg. c. 12. & Psal. 50. Quoniā iniquitatē meā ego cognosco, & peccatū meū cōtra me est semper: tibi soli peccaui & malum corā te feci. Vt non veniret ardens in sua indignatione Deus & periret in æternū: nec moueret dum viueret candelabrum eius: sicut amouit vt diximus candelabrū Saulis. & amouit candelabrū Pharaonis

D regis Aegyptiorū, aut Nabuchodonosor, aut Balthasaris, qui manū scribentē cōtra se sentētiam ad parietem vidit. Quadrat cum hoc quod Dn̄s apud Esaiam ait: Sobnæ præposito tēpli. Quid tu hic, quia excidisti tibi hic sepulchrū? Ecce Dn̄s asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus, quasi pilā mittet te in terrā latā, ibi morieris: & expellā te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te. Non ergo solum peribunt peccatores pœnitentiam non agentes: sed auferentur ab eis dignitates & dona à Dn̄o sibi tradita.

1. Timo. 2.

Gen. 18.

1. Reg. 15.

Psa. 88.

2. Reg. 12

Psa. 50.

Esa. 22.

¶Ia

Error negantiū necessariā esse pœnitē tiam impugnatur.

Iam ergo vides quàm necessaria sit fidelibus peccantibus pœnitentia. Quantusque error sit eorum qui pœnitentiam his temporibus omnino reijciunt: ne vident miseri quod in hoc loco dicat Dñs: nisi pœnitentiam habueritis omnes similiter peribitis. Quod si pœnitentia non est facienda quo modo laudat Euangelista lachrymas Magdalenæ quibus rigauit pedes Iesu, & flectum Petri qui egressus foras, fleuit amaré. Quo modo Ecclesiasticus si pœnitentiam nó egerimus incidemus in manꝰ Dei: quo modo ait Christꝰ: gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agenti: quam super. 99. iustis, qui non indigent pœnitentia. Si tota vita est in delicijs consumenda, quorsum ait ipsa veritas: intrate per angustam portá: quia lata porta & spaciosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Sed mittamus hos tanquá insanos. Res enim tam certa longa probatione non eget. Et nos qui fideles sumus si peccauerimus, audiamus Paulum admonenté ad Ephes. 4. vos non ita didistis Christum: sed sicut est veritas in Iesu, exuite vos veterem hominem & induite nouum. Exuamus veterem hominem per odiū & detestationem peccatorum, & induamus nouū per amoré & dilectionem Dei & proximi. Audiamus Ecclesiasticū hortanté vnicuique nostrū: fili peccasti, non adijcias iterū, sed de pristinis precare vt tibi dimittantur. Audiamus Dñm præcipienté: conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, fletu, & plantu, & scindite corda vestra & non vestimenta vestra. Et apud Esaiá: ad qué respiciá nisi ad pauperculū & contritum corde, & tremēté sermones meos? Quod si non fecerimus stabit sententia. Nisi pœnitentiá habueritis omnes similiter peribitis. Sicut enim illi, quos præses Pilatus interfecit & illi supra quos cecidit turris in Siloe infœliciter periere: ita & nos, si vitę malé actæ nó pœniteat. Multis enim afflictionibus & calamitatibus solét etiá in hac vita, peccatores pœnitentiam contēnentes affici. Quas & in hoc loco & in multis alijs scripturæ sacræ Dñs proponit: vt saltem timore correpti ad pœnitudinem animū conuertamus. Audi quid ipse dicat Apoc. c. 2. loquens de impia quadá fœmina simili Iezabeli. Et dedi illi tépus vt pœnitentiá ageret, & non vult pœnitere á fornicatione sua. Ecce ego mitto eá in lectum, & qui mechátur cum ea in tribulatione maxima erunt, nisi pœnitétiá ab operibus suis egerint: & filios eius interficiá in morte. Quo in loco imprimis considera Dei bonitatem & patientiam cū ait: & dedi illi tempus vt pœnitentiá ageret. Potuisset quidem Deus mox peccantem primum hominem morte mulctare, sed maluit tempus pœnitentiæ concedere, & lento gradu deambulans peccatorem insequitur, & aura velut detinenti gressum. Sic enim dicitur Gene. 3. & cum audissent vocem Dñi deambulātis ad auram post meridiem. Potuisset etiam quū postea omnis caro corrupisset viam suá, subito diluuio absoruere homines, & iustos seruare in nauigio repēte oblato, sed maluit centū annos concedere fabricádę arcę, vt malleorū & fabricationis crebro sonitu peccatores monerentur & pœnitétiá agerent. Potuisset hanc fornicariá & idolatrá subitó de medio tollere, sed vt ostenderet diuitias bonitatis & clemétiæ suę, dedit illi tépus vt resipisceret. At tanta erat cordis sui duricies & obstinatio vt noluerit pœnitere á fornicatione sua. Quá ob causam maxima infirmitate correpta est, & ideo subiungit Dñs: ecce ego mitto eá in lectū. Vbi per lectum Græca scholia explicant ἀρρωστίαν. i. in infirmitaté, hoc est, talem ei ægrotationé immittá vt iacere in lecto cogatur. Nisi velimus per lectum intelligere cum Ruperto, Richardo, & Beda & alijsq; patribus æternam dánationem, quam impœnitentibꝰ impresentiarū minatur Dñs dicens: omnes similiter peribitis. Solet enim lecti nomine significari infernus. Esai. 50. in doloribus dormietis. Et rursum. c. 14. de rege Babylonis loquens ait: Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadauer tuū, subter te sternetur tinea: & operimétū tuū erūt vermis. Vbi per infernū dánatio æterna intelligitur: si nō de Nabuchodonosore, qui seruatus est vt ex Dan. c. 4. colligitur, sed de alio eiꝰ successore locꝰ iste

Margin notes: Supra. c. 7. Matth. 26. Eccl. 2. Infra. 15. — Ephe. 4. — Eccle. 21. — Vi Augu. 1. de nup. & concup. c. 26. — Ioelis. 2. — Esai 56. — Apo. 2. — Gen. 3. — Gen. 6. — Esai. 50. — Esai. 14. — Dan. 4.

iste loquatur. Igitur quando tot tantisq; pœnis peccatores premũtur, ad se redeãt, & dominum Deum suum timeant ut in hoc loco Dominus admonet. Sin autem peribunt. Contingetque illis, quod etiã idem Dominus ait Apocaly. cap. 9. & cæteri qui non egerunt pœnitentiam ab homicidijs suis, &c. subaudi peribunt. Primam ergo perditionem ponit hic apud Lucam, & ibi apud Ioannem Dominus, non agere pœnitentiam. Nam sicut pœnitentia est causa salutis, quia remouet prohibens, scilicet, peccatum: ita nõ agere pœnitentiam est causa perditionis. Sicut nõ sumere medicinam in morbo periculoso. Directa vero causa perditionis peccatum est, quia positiue se habet. Et ideo D. Ioan. ponit in illo loco aliquas species peccatorum: scilicet idolatriam, homicidia, veneficia, & fornicationem. Vide locum & ibi commentaria nostra.

Apo. 9.

Dicebat autẽ & hanc similitudinem. Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua et venit quærens fructũ in illa, et nõ inuenit. Dixit autem ad cultorem vineæ. Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac: & non inuenio. Succide ergo illam: ut quid etiam terram occupat? At ille respondens dicit illi: Domine, dimitte illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam et mittam stercora. Et si quidem fecerit fructũ, sin autem, in futurum succides eam.

A HAEC est ficus illa autore Hieronymo, ad quam venit in Euangelio esuriens Dominus, & non inuenit in ea poma: & maledixit ei, dicens: non afferes fructum usq; in seculum. Et diligenter considera quid dixerit: non afferes fructum in seculum: non ait, usque in secula seculorum. Sed cum seculum istud pertransierit, & intrauerit plenitudo gentium: tunc etiam hæc ficus afferet fructus suos: & omnis Israel saluabitur. Hæc est ficus de qua olim prædixerat Abacuc. cap. 3. dicens: Ficus enim non florebit. B Hæc est ficus ad quam tertio venit hic paterfamilias; & quasi non facientem fructus vult subuertere: pro qua, agricola cui commissa fuerat, deprecatur ut det ei spacium: & dicit, *Domine dimitte eam, & istum adhuc annum, donec fodiam circa eam et mittam stercora*: Agricola iste vel Gabriel est, vel Michael cui commissus est populus Iudæorum, qui Dominũ deprecatur in passione, & dicit. Domine da spacium pœnitentiæ: & post eos subuertere, *& siquidem fecerint fructum*: sin autem tunc subuertes eos. C *Si fecerint*, inquit, *fructum*: non dixit quid sustineret, nec dixit, si fecerint fructum permanebunt ut erant: *sed si fecerint fructum*. Suspensa est sententia eius, ut subaudiatur transferes eos in Ecclesiam gentium: & in alteram vineam transplantabis. Venit Dominus tertio, & non inuenit in eis fructum. Dedit primũ legem per Moysen: secundo locutus est per Prophetas: tertio ipse descendit. Et post passionem datis ad pœnitentiã quadraginta quatuor annis: quia non fecerunt fructum: quarto subuersi sunt. Quod tamen nostræ intelligẽ D tiæ relinquitur. In parabola enim non scribitur, quid postea fecerit paterfamilias: sed quid tãtum agricola deprecatus sit. Ex qua animaduertimus eos, qui de hac ficu fecerint fructus ad populũ gentium esse translatos: ad quem ascendit & Propheta Abacuc dicens: Requiescam in die tribulationis, ut ascendam ad populum peregrinationis meæ. Eos autem qui non fecerunt fructus, & permanserunt in duritia sua, esse subuersos. Hoc ipsum significat & Ioãnis vox in Euangelio:

D. Hiero. Matth. 21. Per vineã populũ Iudæorũ intelligit & per ficũ nõ afferentẽ fructum.

Abacuc. 3.

Per agricolam vineæ, d. Gabriel intelligitur vel D. Michael.

Abacuc. 3.

Matth. 3.

gelio: Ecce securis ad radices arborū posita est: omnis arbor quæ non fecerit fructum, excidetur & in ignem mittetur.

D. Hiero.

S. Bruno. de Euang. c. 8. folio. 439.

Hæc Hiero. Abac. 3. ¶ Cæterum ex hac similitudine docet nos Dominus in Ecclesia sua esse & arbores bonas, & arbores malas, quæ ex fructu cognoscuntur. Nā arbor mala non fert fructum: arbor verò bona & ficus bona fert fructum bonarū actionum.

In Ecclesia sunt arbores bonæ.

Bonæ arbores paradysi, quæ & visu pulchræ erant, & ad vescendum suaues. Tales arbores gignit Ecclesia: quarum pulchritudinem & religionem nos legere & audire delectat: quarū verbis & doctrina mentes nostræ nutriūtur. Talis arbor beatus Paulus: qui & visu tā pulcher est: vt nihil sibi conscius sit: & tā aduescēdum suauis, vt & paruos lacte, & cibo solido nutriat sapientes. Tales arbores & cæteri Apostoli sunt: quorum fructus ab ipso Domino commendatur, dū eis loquitur, dicens: nō vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos ut eatis, & fructū afferatis, & fructus vester maneat. Isti sunt illi fructus, hæc sunt illa poma, de quibus ad sponsam Ecclesia dicit. Omnia poma noua & vetera dilecte mi seruaui tibi. Vetera poma prophetarum & patriarcharum doctrina est, noua verò Apostolorum Ecclesiæque Doctorū: & isti quidem sunt de quibus dicitur. Qui proferūt de thesauro suo noua & vetera. Tales autem arbores à fructibus suis cognoscere non est difficile: quia omnis eorū doctrina & operatio sancta est, vera est, religiosa est, sine fraude & simulatione est. Bonæ arbores & hypocritæ aliquādo esse videntur: sed quia sola terrena & trāsitoria quærunt, & quia sanctorum humilitatem & patientiam non habent, facile quidem deprehenduntur, & ipsa sua astutia manifestantur. Præceperat Dominus filijs Israel, vt promissionis terram ingressi illius regionis arbores circuncīderent, & vsque in quartum annum ab earū esu se abstinerent. Nisi enim per arbores homines significarentur, ridiculum videretur, quod arbores illæ circuncidi iubentur. Sed alienæ arbores infideles homines sunt, quos ad nos venientes circuncidere debemus, id est, à suis iniquitatibus

2. Cor. 4. — 1. Cor. 3. — Joan. 15. — Can. 7. — Matth. 13. — Hypocritæ videntur esse bonæ arbores. — Leui. 19. Figura.

A per baptismum & pœnitentiam emundare. Quid verò per quatuor annos, nisi quatuor Euangelia significantur, per quæ quicunque nondum transijt & eorū doctrinam nondum audiuit, ac fructū immundus est: adhuc eius fructus suscipiendus non est: nondum eius verbis & doctrinæ credendum est.

Per quatuor annos Euangelia significantur.

Quid vero de malis arboribus præcursor Domini dixerit scimus: iam, inquit, securis ad radicē arboris posita est. Omnis arbor qui non facit fructū bonum excidetur: & in ignem mittetur.

Peccatores sunt arbores malæ.

B Talis erat illa ficulnea cui Dominus maledixit, vt paulo ante dicebamus, & aruit. Tales erant & illæ palmites, de quibus ipse ait. Omnem palmitem in me non ferētem fructum, tollet eū. Et quid inde, vis audire quid? Si quis autem in me nō manserit mittetur foras, sicut palmes & arescet: & colligent eum, & in ignem mittēt & ardet. Multi quotidie a Domino male dicuntur, & de eius corpore quod est Ecclesia tolluntur: foras proijciuntur, & in ignem mittuntur. Arborem fici plantauerat quidam in vinea sua (ait hic Dominus)

Matth. 3. — Marc. 11. — Joan. 15.

C cumque iam per tres annos in ea fructum quæsisset: & non inuenisset, præcepit cultori vineæ, vt eā succinderet. Quę tunc quidem fortassis scissa fuisset, nisi cultor vineæ pro ea intercessisset. Considerate ergo & diligenter attendite quantum cultoribus vestris, Episcopis videlicet, & sacerdotibus debeatis: qui pro vobis quotidie intercedunt ne forte succidamini, & in ignem mittamini. Per tres annos expectauit. Expectauit te in adolescentia, expectauit in iuuentute, expectauit in senectute.

Anni tres quibus expectamur.

D Denique expectauit te mala cogitantem, mala operantem, & iam longo tempore in malo perseuerantem. Quid amplius quęris? Finiti sunt anni, nouissima hora est: tamen si hodie cōuertaris, quanuis indigno, venia promittitur tibi. Peccator enim in quacunque die conuersus fuerit & gemuerit: vita viuet & non morietur. Iustus quoque quacunque die declinauerit à iustitia: & se ad iniquitatem conuerterit, iniquitate sua quam operatus fuerit morietur. A fructibus eorum cognoscetis eos. Ad fructus respiciamus, opera intueamur, non

Ezech. 3.

qualis fuit: sed qualis est inquiramus. Hodie bonum fructum reddere cœpit, arbor bona est. Hodie malum fructum reddere cœpit, arbor mala est. Si ea quæ hodie bona est, cras malum fructum reddere cœperit dicã, & ego cras, quod mala arbor est. Quare hoc? Quia veritas ait: a fructibus eorum cognoscetis eos. (Matth. 7.) Magnum igitur & verum argumentum est in arboribus cognoscendis: fructus bonus, & fructus malus. Tam diu bona est arbor, quã diu fructus bonus inest. Non enim de spinis colligitur ficus, neque de rubo vindemiant vuas. (Supra, 6.) Quod si aliquando contigisset, & ego spinam ficum dicerem & rubũ vitem vocarem. Quare hoc? Quia vnaquæq; arbor de fructu suo cognoscitur. (Matth. 12. & sup. 6.) Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum: & malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia cordis os loquitur. Quæ in corde sunt, videre non potes, cordis arcana clausa tibi sunt. Ad os respice, verba attẽde, & quod in corde est ore reuelabitur, ex abundantia cordis os loquitur: ex bono fonte, bonæ aquæ deriuantur: ex venenoso fonte venenosæ aquæ emanant. Neque fieri poterit, vt suam arborem fructus quandoque non manifestet. Nihil opertum, quod non reueletur: & occultum quod non sciatur. (Matth 10. sup. 6.) Quare vocatis me Domine Domine, & non facitis quæ dico? Si bonæ arbores essetis, ea quæ dico faceretis, mandata mea custodiretis, & non folia mihi, sed fructus redderetis. Verba folia sunt, fructus opera sunt. Melius est facere, quam dicere. Dominum me vocatis, seruos vos esse cognoscite. Boni serui illi sunt, qui Domini sui mandata custodiũt. Quicunque audit verba mea & facit ea, dicam vobis cui similis est. (Ibidem.) Similis est homini ædificanti domum: qui fodit in altum & posuit fundamentum super terrã. Innundatione autem facta, illisum est flumen domui illi: & non cecidit. Fundata enim erat super firmam petram, ecce quãtum potest obseruatio mãdatorum Dei. Magnam turrem sibi ædificat: & munitissimam arcem sibi construit, qui Christi mandata custodit. Securus est, nullius tẽpestatis timet incursus: & quia firmũ po- A suit fundamentum, nec flumina timet: nec pluuiam, nec ventum. Si vis vt ædificium tuum altius ascendat, & sublimius erigatur: fundamentum tibi in profundo quærendum est. Multum se humiliet, qui multum exaltari desiderat. Hæc sanctus Bruno. ¶ Igitur quando hac parabola Dominus in genere cõmonet omneis, ne Deum prouocantem ad pœnitentiam negligamus; curemus pro nostra virili non solum ferre folia, hoc est, verba: sed dulcissimum ac Deo gratissimum fructũ B veræ pietatis & charitatis erga proximũ. Et non simus sicut ficus ista quæ nihil boni produxit.

¶ *Et si quidem fecerit fructum.* Subaudi: sinemus illam. Vel nõ succides illam. Est enim Ecclypsis, aut aposiopesis.

ERat autem docens in synagoga eorum sabbathis. Et ecce mulier quæ habe- C bat spiritum infirmitatis annis decem et octo: et erat inclinata nec omnino poterat sursum respicere. Quam cũ videret Iesus vocauit eã ad se, & ait illi, mulier dimissa es ab infirmitate tua. Et imposuit illi manus, & confe- D stim erecta est, et glorificabat Deum.

CVM ex more suo Dominus Iesus doceret sabbathis, aderat ibi in synagoga mulier quædã quæ habebat spiritũ infirmitatis, hoc est, quæ morbo immedicabili laborabat. Vocat enim Euangelista spiritum infirmitatis miserã & grauem infirmitatem. Decem ergo & octo annis huic mulieri res fuerat cum morbo immedicabili miseroque. Erat enim

enim adeo contracto corpore, vt nō posset erigere caput, nec aspicere sursum. Mulier hæc imaginem gerit eorum qui palam impij & scelerati calamitatem suā præ se ferunt, toti defixi rebus terrenis, de rebus æternis ac cælestibus ne cogitātes quidem. Hi sunt de quibus regius vates loquens ait: obscurentur oculi eorū ne videant: & dorsum eorum semper incurua. Vnde D. August. ait. Hoc consequens est. Nam quorum oculi fuerint obscurati ne videant, sequitur vt dorsum eorum incuruetur. Vnde hoc? Quia cessauerunt superna cognoscere, necesse est vt de inferioribus cogitent. Qui bene audiunt, sursum cor: curuum dorsum non habent. Erecta quippe statura est. & expectat repositam sibi spem in cælo: maximè si præmittat thesaurum suum, quo sequatur cor eius. At verò qui futuræ vitæ spem non intelligunt, iam excæcati de inferioribus cogitāt: & hoc est habere dorsum curuum, à quo morbo Dominus mulierem hanc liberauit. De huiusmodi hominibus terrena meditantibus ait Isaias: humiliaberis, de terra loqueris: & erit quasi pytonis de terra vox tua, & de humo eloquium tuum mussitabit. Non solum miseri iacent in terra demissa & abiecta emittentes vocem suam submissam instar pytonis, non solum, inquam, sunt grauiter abiecti & afflicti: sed cum aciē mentis in cælum non figant, necesse est vt toti defixi rebus terrenis, de terra loquantur: & terrena sapiant. Huic consonat quod Isaias. c. 52. ait: excutere de puluere, consurge, sede Hierusalē, solue vincula colli tui captiua filia Sion: non ad parietes, sed ad Iudæos Hierosolymæ habitantes, & ad eorum similes hæc referēda sunt. Hos in terra iacētes, puluere peccatorum pollutos, scelerum vinculis ligatos, hortatur propheta, vt puluerē excutiant, consurgant à peccatis, soluāt vincula colli sui, & sedeant in loco honesto. Ait enim consurge, sede: quasi dicat: relinque peccata age pœnitentiam, erige animum, & sede virtutibus. Per sessionē intelligit constantiam. Non enim sat est virtutem semel amplecti, si eam statim relinquas, sed necesse est in ea stabiliri, &

Mulier hæc gerit imaginem publici peccatoris qui totus est defixus rebꝰ terrenis

Psalm. 68.

August.

Isai. 29.

Phil. 3.

Isai. 52.

A firmiter adhærere. Aspicis quanta sit sceleratorum miseria. Iacent in terra, humana amplectentes: vt de se quidam dicebat: adhæsit pauimento anima mea. Sūt puluere conspersi, polluti & obcæcati. Vt de Babyloniorum republica dicebat Ieremias: confusa est mater vestra nimis, & adæquata pulueri. Sunt captiui & vinculis alligati, de quibus vinculis dicebat quidam: dirupisti vincula mea. Et Apostolus in Epist. 2. ad Timo. resipiscant, inquit, à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem. Impius igi-

B tur contracto animo incedit, ita vt non possit erigere illum, nec aspicere sursum. At contra vir iustus erectus stat in vinea Domini, quæ est Ecclesia, verbis legis Euangelicæ ac bonis sanctisque actionibus ornatus.

¶ *Quam cum videret Iesus.* Primùm illam suis clementissimis oculis Dominus intuetur: quod mox sequuturæ salutis omen erat. En vides quam vere dixerit psaltes Psalm. 9. Oculi eius in pauperem respiciunt: siue oculi eius in paupere abs-

C conduntur. Est enim idem verbū in Hebræo. Oculi Dei accipiuntur pro gratia & diuino fauore. Et tunc est sensus. Fauet Deus humili se ipsum abijcienti, & pro nihilo putanti. At hoc fauoris genus absconditum est hominibus exteriora tantum intuentibus. Iam hunc fauorem & gratiam ostendere volens Dominus huic miseræ mulieri eam respexit. Hoc idem facit cum peccatoris alicuius misereri vult. Eos enim primum respicit, & illustrat luce sapientiæ, & deinde calefacit amore charitatis: ob quam causam ait D.

D Ioannes in Apocalypsi. c. 1. Oculi eius tā quam flamma ignis. Et in Canticis dicitur: oculi tui sicut columbæ. Columba habet oculos flammeos & dulciter respicit: sic sponsus Christus placide intuetur infirmos, quos sanare vult: & quos ab omni afflictione tam corporis quam animæ liberare. Hinc erat vox illa Hieremiæ in suis lamentationibus: vide Domine afflictionem meam. Est apostrophe ipsius Hieremiæ ad Deum: eius misericordiam & auxilium implorātis. Sensus est. Ne me Domine, omnino despicias, inquit

Psal. 118.

Ierem. 50.

Psal. 115.

2. Tim. 2.

Psalm. 9.

Per oculos Dei gratia & fauor diuinus intelligitur

Apoc. 1.

Can. 5.

Thren. 1.

quit vates, sed cõuerte ad me oculos tuæ clementiæ. In pijs Dei oculis est remediũ nostrum. Eodem modo paulo post: vide Domine & considera, quoniam vilis facta sum. Et cap. 5. istarum lamentationũ: intuere, inquit, Domine, & respice opprobrium nostrum. Et Dauid Psalm. 118. Aspice in me, & miserere mei. Et Psalm. 83. protector noster aspice Deus: vel vt verti etiam potest: Clypee noster aspice Deus: ac si dicat: ò tu Deꝰ, qui es clypeus noster intuere nos. Non me fugit posse verti locum illum: Clypeum nostrũ aspice Deus, hoc est, regem nostrum placidis oculis intuere. Bonus enim rex clypeus est populi. Nam sequitur: & respice in faciem Christi tui. Reges enim Christi, hoc est vncti dicebantur. Tu verò considera Ieremiç verba: Nõ ait: vide Domine peccatum meum, vt me perdas, sed afflictionem meam, vt me liberes. Precemur igitur Dominum si huius mulieris imaginẽ anima nostra gerit, vt videat Dominus Iesus nõ scelera nostra, sed miseriã nostrã: vt nos ab animi morbo insanabili liberet.

Thren. 5. Psal. 118. Psalm. 83.

¶ *Vocauit eam ad se.* Fœlix quemcunque accerserit ad se Iesus, & fœlix qui audit vocantem. Accersit & vocat ad se omnes morbo peccatorum incuruatos dicens apud Matthæum: venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis. Vocat Christus omnes laborantes sub sarcina peccatorũ: nihil enim grauius peccato. Vnde Zacharias propheta, Ecce, inquit, talentum plumbi portabunt: & ecce mulier vna sedens in medio amphoræ, & dixit: hæc est impietas. Et Dauid: iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue, grauatæ sunt super me. Et paulo post: Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem. Cognoscens peccator morbum animæ suæ & pondus suorum scelerum, ita frangitur & debilitatur, vt tanto oneri penitus succumbat, nisi ad diuinam confugiat misericordiã, & ad Christum eum vocantem accedat, qui omnes ad salutem inuitat animarũ. Sed qui in maxima sui ignoratione versantur, neque grauitatem peccatorũ sentiunt, nec quantum absint à Christianæ professionis præstantia cognoscũt: ideo

Fœlix peccator quẽ Christus respicit & accersiit. Matth. 11. Zach. 5. Psalm. 37.

A Christum vocantem non audiunt, portũ diuinæ pietatis despiciunt, fontem misericordiæ contemnunt: & amaros riuulos consectãtur. Quid aliud est mundus quã onus laborum & calamitatum? Onus Babylonis ait Isaias, onus AEgypti. Solus Deus est, qui à morbo & labore liberat & veram tribuit sanitatem, & cum sanitate quietem. Hoc intelligẽs Dauid canebat: iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet. Vel vt potest verti ex Hebræo: iacta super Dominum pondus tuũ: B & ipse te subleuabit. Et D. Petrus: omnẽ, inquit, solicitudinem vestram projcientes in Deum, quoniam ipsi cura est de vobis. Et D. Paul. Dominus prope est, nil solliciti sitis. Ac si dicat: reijcite in illum omnia vestra pondera, quæ vos inclinari faciunt, nam ipse ait: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis: & ego reficiam vos. Cum omnibus vestris solicitudinibus, curis, oneribus, calamitatibus & tentationibus, confugite ad Christũ vos ipsos vocãtem ad se quemadmodum hodie hanc miseram mulierem vocauit: eaque omnia quæ grauia existimatis in C sinum diuinæ misericordiæ reijcite. Ipse vos molestijs leuabit, & tranquillitatem tribuet, vt nulla vos procellarum vis possit de spe abducere. Quod huic mulieri contigisse videmus. Vocata enim à Christo venit plena bonæ spei, & non est frustrata desiderio suo, sed facta est sui voti compos. Fœlix igitur quemcunque vocauerit Christus, & beatus qui audit vocantẽ. Cõtrà vero infœlix qui nõ audit. Vnde Dñs de huiusmodi hominibꝰ cõqueritur apud Isaiã dicẽs: vocaui, & nõ respõdistis D mihi, locutus sum, & nõ audistis, & faciebatis malũ in oculis meis, & quæ nolui elegistis. Vide Dei erga homines misericordiã, hominũ autẽ erga Deũ impietatẽ. Eos vocat, qui neq; ei respõdere volunt, neq; obedire. Sed audi quid Dñs illis dicat in. 1. Prouer. c. vocaui, inquit, & renuistis, extendi manũ meã & nõ fuit qui aspiceret. Despexistis omne consiliũ meũ, & increpationes meas neglexistis, ego quoq; in interitu vestro ridebo & subsanabo, cũ vobis id quod timebatis aduenerit: cũ irruerit repentina calamitas, qñ venerit super

Isai. 13. & 19. Psalm. 54. 1. Pet. 5. Phil. 4. Matth. 11. Isai. 65. Prou. 1.

super vos tribulatio & angustia. AEquũ sane est, vt qui Deum illum vocantem &, ad eum manum extendentem vt veniat, negligit audire, ipse postea Deum vocãs, ad illumque manum extendens, non inueniat respondentem, nec consolantem. Quod contigisse olim Iudæis Ierosolymam habitantibus docet Ieremias in lamentationibus his verbis: expãdit Sion manus sua, non est qui consoletur eam. Expandere manus & extendere illas ad aliquem est illum vocare.

Thren. 1.

¶ *Et ait illi: mulier dimissa es ab infirmitate tua.* Morbus diuturnus erat, & immedicabilis, sed nulla est tanta impietas, aut iniquitas, quæ voce Iesu non aboleatur. Vox Domini concutientis desertum. Vox hæc Domini animam virtutibus desertam & spinis scelerum plenam percutit, vt salubriter ad pœnitentiam conuertatur. Est enim vox Domini quasi malleus, conterens petrã, vt asserit Ieremias & sicut ignis. Vox, inquam, Domini nuntiat futura supplicia, vt deterreat homines à peccando, & paleis peccatorum cõminatur incendium, vt sceleratorũ hominum corda dura & instar silicis indomabilia, sermonis sui maleo conterãtur, auferens cor lapideum, vt ponat pro eo carneum, molle videlicet & quod possit Dei suscipere & sentire præcepta. Auferens morbum animæ immedicabile quo contracta incedebat: ita vt post vocẽ Domini se ipsam erigere possit, & sursum aspicere. Audi vocem Domini: *Mulier dimissa es ab infirmitate tua.* Vide huius vocis virtutem. Et *confestim*, inquit, *erecta est.* Atque non solum eius vox hanc virtutem habet, sed eius tactus vnde statim subiungit Euangelista.

Nulla est tanta infirmitas, aut iniquitas quæ voce Christi non deleatur.
Psalm. 28.
Ierem. 23.
D. Hiero.

¶ *Et imposuit illi manus, & confestim erecta est.* Non dedignatur Dominus hanc mulierem suæ manus contactu, quo confestim erecta est. Hoc contactu, hoc inquam, fauore & auxilio electi tuentur à Domino, atque proteguntur. De illis ait Dauid Psalm. 36. Cum ceciderit, nõ collidetur: quia Dominus supponit manum suam. Ac si diceret. si quando contigerit, vt ex humana fragilitate ad casum declinet iustus, præseruatus erit ne collidatur, siue confringatur, vt non omnino cadat ad mortem; atque etiam si iam cecidisse contigerit, non erit tamen ei ad mortem & læsionem irrecuperabilem, sed quam totius restituetur in statum pristinũ: Dominus enim illum præseruat, ad modum eius qui manum supponit: vel ei qui iam casurus erat vt casum impediat, vel ei qui iã ceciderat, vt ipsum à casu eleuet. Sic enim per manum suam benignã, per suam potentiam benignissimam, iustos Dominus, cum in discrimen lapsus veniunt, sustentat gratia sua ne cadant: atque etiam si cecidisse contigerit ex humana fragilitate, vel superueniente abũdantia malitiæ rursum contactu manus suæ, gratia sua, fauore suo erigit iacentes, & incuruatos, non potentes præ peccatorum morbo oculos: aut caput attollere: & ad perfectam sanitatem per pœnitentiam adducit. Optime ergo consulit Ecclesiasticus. c. 13. dicens: humiliate Deo, & expecta manus eius. Ac si dicat: si te cõtractum morbo peccatorum esse intelligis: & te coram Deo demisse prostraueris, & humilitatem colueris, non tibi deerit auxilium eius: imponet tibi manus & statim erigeris. Si ergo peccator es & sceleribus contaminatus time manũ Domini, time iram Domini: leuare enim solet Dominus manum suam, hoc est, grauiter percutere, quemadmodum hæc mulier percussa est, & quemadmodum percussus est ille, qui aiebat: die ac nocte grauata est super me manus tua. Manũ enim leuare in sacra Scriptura, est vehementer percutere, quoniam qui flagellat, quanto plus erigit manum, tanto grauius ferit. In hoc sensu ait Dominus apud Ezechiel. c. 20. Leuaui manum meam pro stirpe domus Iacob: hoc est, cum propter Hebræos percussi AEgyptios. Si ergo manus Domini propter scelera commissa ac patrata tetigerit nos, tunc humiliemur corã Domino, & nos ipsos demittamus, & expectemus manus eius, hoc est, consolationem eius. Tũc enim manus eius erit nobiscum confortans nos, hoc est, diuina consolatio nos reficiet & confortabit, diuina gratia nos eriget. Ac dicere poterimus cum propheta: manus Domini erat mecum

Manu Dñi hoc est fauore electi tuentur à Domino.
Psalm. 36.
Ecclesi. 13.
Psalm. 31.
Manum leuare in sacra Scriptura est vehementer percutere.
Ezech. 20.

mecum confortans me. Hoc est, diuina consolatio me recreabat. Et rursum cum alio vate: In manu forti erudiuit me. Sed væ illis, qui manum iræ Domini non timent: væ peccatoribus non curantibus expectare salubrem contactum manus Domini: nam conuertit Dominus manũ suam, hoc est, flagellum suum adeos: vt ipse minatur, per vatem quendam dicens: Conuertam manum meam ad te. Et implebitur in eis votum & desiderium alterius vatis precantis Dominum in hunc modum. Inueniatur manus tua omnibꝰ inimicis tuis: dextera tua inueniat omnes, qui te oderunt. Hác miseram mulierem percusserat manus Domini. & quia prostrata est coram illo manus Domini erexit eam.

Ezech. 3.
Isai. 8.
Isai. 1.
Psalm. 20.

¶ *Et glorificabat Deum.* Agnoscens hęc mulier cæleste beneficiũ glorificat Deũ. Hoc idem contingere solet fidelibus subito ad Deum conuersis. Subito quidem mutati relictis peccatis, relicto studio pecuniæ, relictis fœdissimis cupiditatibus, quibus diu sic fuerant alligati, vt nec aspirare possent ad cognitionem rerum cęlestium, incipiunt laudare clementiam diuinam, cuius gratuito beneficio semel liberati sunt ab vniuersis vitijs suis, quibus obnoxij misere seruierant sathanæ. ¶ Perpende hic hanc mulierem ad vocẽ Domini & ad contactum eius se erexisse & faciem ei ostẽdisse: ac pro beneficio accepto Deum glorificasse. Hęc duo sunt quæ a sponsa olim postulabat sponsus dicens: ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis. Tunc enim faciem nostram Deo ostendimus, quando mentem & affectũ peccatorum onere contractum, ad eum per pœnitentiam leuamus. Contrà verò cum animi vires à Deo auersas habemus, & ad mundi voluptates, & delicias, aut opes, & dignitates conuertimus: iam nõ faciem Christo ostendimus, sed mundo: iam nõ caput erigimus, sed deprimimus & in terram demittimus. Hanc ergo faciem postulat sponsus ad se conuerti per pœnitentiam. Est enim gratissimum Domino, vt omnes animi vires, illas maxime quæ sunt in apice spiritus, ad ipsum conuertentes toto mentis affectu sedulò ipsi inhærere assuescant. Cæterum vocẽ illam sponsæ, quam tantopere audire desiderat sponsus, multiplicem possumus accipere. Sed quod ad rem præsentem facit, audit libentissimẽ sponsus à nobis voces laudis & gratiarum actiones, quibus accepta beneficia extollimus, vel considerata magnalia eius prædicamus. Huiusmodi enim voces laudis, confessionis & gratiarum actiones, valde dulces & suaues reputat sponsus, plurimumque eis oblectatur. Quemadmodum regius vates nos ad eas exhortando ait: immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua. Et inuoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me. Et rursum: sacrificiũ laudis honorificabit me, & illic iter quo ostendam illi salutare meũ.

Cant. 2.
Faciẽ Domino ostẽdere quid sit.
Psalm. 49.
Psalm. 49.

¶ *Respondens autem Archisynagogus, indignans quia sabbatho curasset Iesus: dicebat turbæ. Sex dies sunt in quibus oportet operari. In his ergo venite, & curamini: & non in die sabbathi.* Considera obsecro malæ arboris malum fructum. Cum Archisynagogus, hoc est, ficus illa sterilis, ac folijs tantum legis sese venditans oculis hominum, vidisset tãtum miraculum: ferre nõ potuit, dissimulare nõ potuit, & sub prætextu religionis, odiũ, liuorem, & inuidiam occultare curauit: indignans quod Iesus sabbato sanasset mulierem. Est inter mortales labes hæc, & macula. Virtuti, sapientiæ, prosperitati, gloriæ, & magno nomini inuidere, & benefactorum florẽ infringere sub aliquo conficto prætextu. Est enim inuidia ægritudo & dolor ex aliorum rebus secundis animum crucians & transfigens. Quemadmodum lignum intra se gignit tineã, quæ illud lædit & corrumpit, sic maleuolus in animo suo inuidiam & liuorem alit illum conficiens. Dum vir clarus multis laudibus admirandus ob egregias virtutes, & rerum gestarum gloriam, & insignem sapientiam in hominum cœtu celebratur, improbus inuidia motus ardet, & tabescit, atque rationes quærit quibus viri præclari gloriam obscuret. Quod modo in hoc Archisynagogo vides. Ardebat inuidia & religionem simulabat. Videntes

Inuidia quid sit.

dentes Scribæ & Pharisæi, & Principes sacerdotum magnificum Christi introitũ in ciuitatem sanctam, audientesque pueros eius gloriam cõcinentes, clamantes: Osana filio Dauid, non potuerunt eius gloriam æquo animo tolerare. Aspicientes eius illustria miracula diuinitatem ipsius testificantia, tanto ardebant odio, tãta inflammabantur inuidia, vt eum eam ob causam decernerent interficere, ob quam summa obseruantia eum colere deberent: sed ne eorum liuor & inuidentia pateret: dicebat põtifex expedit vt vnus homo moriatur, ne tota gens pereat: bonum nimirum commune præponere & anteferre simulans particulari: & rursum concilium totum dicebat: si dimittimus eum sic, venient Romani & tollent gentem nostram & regnum. Et alibi inuidiam occultantes dicebant: hic homo nõ est à Deo: qui sabbathum non custodit. Et tamen vt vnus Euangelista scribit cũ traditus est Christus: sciebat Pilatus, quod per inuidiam tradidissent eum. Quanto virtus alicuius est illustrior, tanto in illum vehementiori flamma ardet inuidia. Vt fulmen altiora petit fastigia, quæ feriat: sic inuidia sublimiorem gloriam insectatur, vt eam deijciat prætextu alicuius simulati boni. Hoc concitati improbi homines, sanctos Christi Apostolos & Martyres fide, religione, omnique virtutum genere excellentes, prætextu fictæ religionis & cultus falsorum Deorum varijs supplicijs affecerunt. Hæc imitatores Apostolorum Athanasiũ, Chrysostomum, Hilarium & multos alios omni sapientia & nobilitate præstantes eiecit in exilium. Magnorum virorum virtutẽ imitatione dignam, non inuidia: inuidi homines odio prosequuntur. Nec solum post Euangelium, sed etiam vigente veteri lege. Vnde Apostolus. c. 11. Epistolę ad Hebræos. alij, inquit, ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. Hæc ille. At viri illi calamitatibus illis affecti, nec ærumnosi erant, nec

Infra. 19. *Ioan. 11.* *Ioan. 9.* *Marc. 15.* *Heb. 11.*

A infœlices. Nam non magnitudo animi eorum torquebatur, non fides, non religio, non constantia: non denique animi ipsi cruciabantur, qui benefactorum rerumque præclarè gestarum præsidio muniti, cum corpora expugnarentur, expugnari profectò ipsi nunquam potuerunt. Iactas ab impijs nefarias in se ipsos iniurias intelligebant, peruenisse ad se ipsos nunquam putarunt. Est sine dubitatione vitæ præstantis status multis inuidiæ telis expositus, & innumeris aliquando ærũnis afflictus. B Hoc intelligebant veteres Romani, qui victores in triumphis gestabant monile quoddam, cordis habens effigiem, in quo remedia includebant, quæ aduersus inuidiam valere putabant: vt ait in Hieroglyphicis Pierius Valerianus. Appellabatur bulla monile illud inuentũ à pythagora, vt asserit Ausonius. Magna profectò pestis est inuidia, quæ dũ alijs dãnũ inferre conatur, possessorẽ suũ interficit, cũ illũ rebus aliorũ secũdis tabescere facit. Vt qui lippitudine & C oculorum morbo laborant, lucẽ respuũt, tenebris autem oblectantur, sic inuidi prosperitatem aliorum nolunt intueri, eorum verò calamitatibus exultant. O insaniam intolerandam: quid potest insipientius excogitari homine inuido? Alit amens in corde rabidos inuidiæ morsus, qui eum dilaniant, similis Actæoni, qui à canibus quos alebat, fuit dilaceratus, vt viri docti fictis fabulis memoriæ prodiderunt. Qua de re poteris videre Fulgentiũ in Mythologijs, & Apollonium libro. 4. Dum crocodilus in Nili littore somno sopitus dormit, habet os apertum: cum au-D tem sit animal bastum ingreditur bestiola quædã per os eius, vt Plinius testatur, quæ ipsius viscere cõsumit, & transfigit. Ita dum homo odio torpescit, ingreditur in cor eius inuidia, quæ illum lacerat, & corrodit. Ex quo eum maiori pœna dignum poteris iudicare, quàm crocodilũ: nam hic damnum suũ admittit dormiẽs, ille verò vigilans. Nisi dicas, crocodilum esse somno corporis captum, inuidũ verò sopore ignorantiæ sopitum. Sed non rectè potest dici dormiens, qui ad aliorũ vigilat perniciem, & seipsum cruciat.

Pierius. *Ausonius.* *Quam magna pestis sit inuidia ostenditur.* *Simulitu.* *Fulgent.* *Apollon.* *Similitu.* *Plinius.*

Alia

Alia vitia possunt aliquam voluptatem secum ferre, inuidia nullam. Quare nullā habent excusationem. In Epistola ad Demetriadem ait ita D. Hieronymus: oro te quid inuido delectationis præstet inuidia, quem secretis quibusdam consciētiæ vngulis liuor ipse discerpit, & alienam fælicitatem tormentum facit? Magnus Basilius inuidum cum vipera comparauit, vt enim illa concepit prolem, quæ, vt aiunt, sibi ventrem abrumpit vt exeant: sic inuidus inuidiam gignit, qui cor sibi corrodit, & exulcerat. Chrysostomus virū beneuolum confert cum columna recta, inuidum vero cum obliqua ruinam minante. Nam quemadmodum columna recta pondere confirmatur, obliqua verò eo vadit ad latus, & concidit: sic benignus & pius homo aliorum benefactis roboratur, quibus inuidus tabescit, & ruinā parat in seipsum. Alanus in libro de planctu naturæ his verbis inuidiam definit: ea est erroneæ cæcitatis abyssus, humanæ mentis infernus, contentionis stimulus, corruptionis aculeus. Menander inuidum hostem sui ipsius vocat. Socrates inuidiam, animi serram appellat: alij venenum pestiferum multis nascens in locis. Nam vt Plutarchus ait: & si possumus inuenire regionem vbi non nascantur venena, nō tamen regionem quæ non alat inuidiā. At nos detestemur illam. Nam vt cap. 17. Prou. ait Salo. qui ruina lætatur alterius, non erit impunitus. Et cap. 23. Ne comedas cum homine inuido, ne desideres cibos eius. Et D. Paul. cap. 5. Epist. ad Gala. Non efficiamini, inquit, inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes. Et D. Pet. 2. c. prioris suæ canonicæ, deponite omnem malitiam, & inuidias, & omnes detractiones, sicut modo geniti infantes. Execremur igitur hanc pestem, hanc hydram multorum capitū, hanc lernam malorum. Et charitatē amplexantes nulla vi labefactandam demus operam, ne animum, in quo est veræ nobilitatis sedes & domicilium, inuidentia & maleuolentia deformemus. Non imitemur inuidum istum Archisynagogum qui maxima inuidia affectus, gloriam & famam Christi prætextu pietatis labefactare volebat. *Respondens ergo Archisynagogus*, siue loquens. (Est enim Hebraismus omnibus notus:) & veluti rem magnam docturus, vertit se ad contionē. Nuc audi vocem verè pharisaicam, & ex hac totam illorum doctrinam æstima. Homo pius, timens ne populus exēplo Iesu prolaberetur in impietatem, consulit illius saluti, dicens magna cum autoritate. *Sex dies sunt in quibus oportet operari. In his ergo venite & curamini et non in die sabbathi.* Vt inuidia huius hominis stolidi detraheret gloriæ, famæ, & honori seruatoris nephas esse docet sabbatho curare. Sic alibi: quidam ex pharisæis videntes cæcum à natiuitate sanatum, quoniā factum tam manifestum inficiari non poterant, neque tam beneficum damnare, ex diei religione mutuantur calumniam, vt superius dicebamus. ¶ Cęterum obserua: quod hic Archisynagogus Christo nihil dixit, veritus eximiam eius virtutem & autoritatem. Hæc namque est conditio iustorum, vt impiorum autoritatem, vim potentiam, & impetum minime vereantur. Hinc de Moyse Paulus in Epistola ad Hebræos. c. 11. scribit. Fide, Moyses reliquit AEgyptum, non veritus animositatem regis (siue iracundiam & ferociam, vtrúque enim hoc loco significat θυμὸς) inuisibilem enim tanquam videns sustinuit, ac si diceret: nihil est veritus persequentem Pharaonem, sed fide reliquit AEgyptum, & inde Hebræos eduxit, nō dubitans affuturum sibi Deum: hoc est enim quod ait: inuisibilem enim tanquā videns sustinuit, id est, Deum quem non videbat, perinde ac si vidisset, remuneratorem sustinuit & expectauit. Hinc etiā D. Paulus nō veritus pontificis impij autoritatem dixit ei: percutiet te Deus paries dealbate, & tu sedes iudicans me secundum legem, & cōtra legem iubes me percuti. Quæ verba Paulus non dixit ex impatientia: sed ex animi fortitudine. Christiana quidem patientia coniunctā habet animi constantiam. Deinde, non maledixit Paulus, sed prædixit pænam futuram: vel etiā si mala imprecatus esset, ei tantum imprecatus est temporalem pœnam, ne incurreret æternam. Maledixerunt

Marginalia: Basilius. Similitu. — Chrysost. — Similitu. — Alanus. — Menāder. Socrates. — Plutarch. — Prou. 17. & 23. — Ad Gal. 5. — 1. Pet. 2. — Ioan. 9. — Hæc est cōditio iustorum, vt nō timeāt impiorum autoritatem. — Hebr. 11. — Act. 23. — Exponitur locus.

runt nonnūquam prophetæ Dei impios, sed non ex vindicta, sed quasi pronuntiātes Dei sententiam super eos certò venturam. Duo igitur hic egit Paulus: primò ostendit impio vitium suum, nempe hypocrisim, non veritus pontificiam dignitatem: deinde prædicit pœnam. Paries dealbatus prouerbiali figura dicitur, qui aliud simulat, aliud est: idem valet sepulchrum dealbatum in Matthæo. Vnde si statim dixit Paulus, nesciebā fratres, quia princeps est sacerdotum, id ironiciôs dictum fuisse putandum est: nimirum non agnoscens pontificem, cum non videret opera digna pontifice: quoniam officiū iudicis habebat, & contra iustitiam agebat. Iusti ergo nō verentur cum opus est impiorum potentiam & autoritatem. At contrà impij iustorum virtutem & autoritatem verētur. Hinc est, quod inuidus Archisynagogus iste nihil ausus est dicere Christo, sed conuersus ad turbas dixit eis: sabbathū violare nefas esse. Sed hanc tam stolidam vocem non ferens clementissimus Dominus, qui sabbathum nō in hoc condiderat, vt à iuuādo proximo cessaretur, sed à malefactis esset perpetua quies, quam illa sabbathorum ocia figurabant. Dixit ei.

Matth. 23.

¶ *Hypocrita, vnusquisque vestrum sabbatho non soluit bouem suum, aut asinum à præsepio & ducit ad aquare? Hanc autem filiam Abraha, quam alligauit Satanas, ecce, decem & octo annis non oportuit solui à vinculo isto die sabbathi?* Obserua, quod hæc vox Archisynagogi ex omnium Pharisæorum, Scribarum, ac Legisperitorum sentētia proferebatur, & ideo Dominus per vnum respondit omnibus dicens: *Hypocrita, etc.* Hypocritas eos appellat & merito: quod neglecta vi legis, corticem dumtaxat vigebant, ac speciē iustitiæ præ se ipsis gerebant, cum procul abesset à vera pietate. Sic inter nos, proh dolor, multi inueniuntur, qui neglecta vera virtute speciem Christianæ pietatis ac iustitiæ afferunt. Quos iure quidē optimo hypocritas vocare poteris. Nam folijs quidem vanæ ostentationis exterius teguntur, sed omni vera honestate spoliati, solidæ probitatis germanæque iustitiæ

Hypocritæ describuntur, & similitudinibus quales sint ostendūtur.

vim nullam tenent, vmbra tantum & simulatis imaginibus vtuntur. Hi sunt arbore illa significati, vt superius dicebamus, de qua ita ait Matth. cap. 21. Vidēs Iesus fici arborem vnam secus viam, venit ad eam, & nihil inuenit in ea nisi folia tantum. Et ait illi. Nunquam ex te nascatur fructus in sempiternum. Et arefacta est continuo ficulnea. Nomine foliorum simulatio virtutis & honestatis venditatio intelligitur: per fructus autē quibus arbor illa carebat solida virtus significatur. At nos ita debemus actiones nostras ad certam rationis normā dirigere, vt possimus cū fructuosis & excellētibus arboribus comparari. Ita specimen legis Euangelicæ afferre, vt vim eius nō relinquamus. More hypocritarū. Ideo ait Eccles. c. 1. Ne fueris hypocrita in cōspectu hominū. Et Dñs apud nostrū Lucā. c. 12. Attendite à fermento Pharisæorū, quod est hypocrisis. Id fuit significatū verbis illis Deut. c. 22. Non indueris vestimento, quod ex lana linoque contextum est. Et adumbratum Leui. 11. vbi Deus prohibet comedere cygnū & struthionem, & mergulū. Quib9 hypocrisis significatur. Cygnus. n. plumas habet cādore præditas, carnē verò nigrā: struthio pennas habet, quibus volaturus videtur, sed nō volat: Mergulus auis est, at nō fertur in sublime, sed mergitur aquis. Ita virtutū simulatores foris sunt albi, intus nigri. videntur extolli ad cælum per virtutis volatum, cū à terra & aqua, id est, à rebus terrenis & fluxis non surgant. Non ad Deū mentis aciē dirigūt, nec animi oculos extollunt, sed sola specie Christianæ religionis sunt contenti: similes huic Archisynagogo, cæterisq; Pharisæis & Legisperitis quos hypocritas hic Christus vocat. Hypocrita similis est vulpi, cuius pellis melior est carne: bonā enim habet exteriorē speciē, sed intus execrabile propositū. Eandē ob causam Christus Herodē apud nostrum Lucam vocauit vulpē. Quemadmodū vasa foris pulchra ac munda, intus autem pestilente veneno plena multos fallunt: ita eruditi artificio simulationis pulchritudine externarum actionum ornati, animo autem à vera virtute

Matth. 21.

Eccles. 1.

Luc. 12.

Deut. 22.

Leuit. 11.
Figura.

Similitu.

Luc. hic
Similitu.

alieni, multos fallunt, tum maxime cum id agunt, vt boni viri & legis Dei, quam non intelligunt zelatores videãtur. Id intuẽs Christus Dñs, has lamẽtabiles voces hypocritas pharisæos emittebat. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod foris est calicis & paropsidis, intus autẽ pleni estis rapina, & immũditia. ¶Nec op9 est ab alijs locis sacrę scripturę exẽplũ mutuare, quũ hic habeam9 præclarã istorũ hominũ imaginẽ & simulationẽ. Quã argumẽto rationi maximẽ consentaneo ostẽdit & aperit Dominus. Hypocritę, inquit, quis vestrũ est, cui sabbathi religio obsistat, quominus à præsepe soluat bouẽ suũ, aut asinũ, adaquaturus illũ? Si iudicatis nõ violari sabbathũ ob beneficiũ, quod muto iumẽto impẽditur: mihi veluti facinus atrox impingitis, quod hanc Abrahæ filiam germanã, videlicet parentem synceritate fidei referentẽ, sanarim sabbatho? Vobis tanti est priuatũ cõmodũ, vt nõ sit religio soluere lorum asino, ne siti pereat sabbatho, & indignamini, quod hãc vestræ gẽtis mulierẽ, quã satanas decẽ & octo annis habuit astrictã, soluerim sabbatho. Si opus interdicitur sabbatho, vter plus operis facit, qui soluit asinũ & ducit ad aquã: an ego qui solo verbo, & contactu sanaui totam mulierẽ? Siccine mitiores estis in bouẽ, aut asinũ, quã in sororẽ, aut fratrẽ? Et sic legẽ obseruatis, vt eius superstitione negligatis id quod toti9 legis est caput? En vides luce meridiana clarius argumentũ hypocrisis istorũ pharisæorũ & legisperitorũ. ¶Obserua tamen hanc mulierẽ vocari à Dño filiã Abrahæ. Nõ solũ carne, sed spiritu. Duplex quidẽ posteritas ducit ab Abrahã genus suũ, altera secundũ carnẽ tantũ, altera secundũ spiritũ. Filij Abrahæ tantũ secundũ carnẽ Hebræi illi sunt, qui fidẽ nõ habent, nec opera Abrahæ imitantur: & hi sunt cũ puluere terrę, & arena maris cõparati, terreni, aridi, virtutis actionibus infæcundi. Filij autem Abrahæ secundũ spiritũ sunt omnes fideles, siue Iudæi sint siue Gentiles. Hæc est eius posteritas cælesti fælicitate sublimis lumine resurrectionis fulgens, secundũ quã Abrahã dictus est pater multarũ gentiũ Gen. 17. quẽ Apostolus. c. 4. ad Rom. patrẽ omniũ credentiũ vocauit. Qui fide charitate formata credũt, quæ vt verbis vtar Apostoli ad Galat. 5. per charitatem operatur, Abrahæ filij sunt. Et altitudine & claritate cum sideribus cæli comparati: Genes. c. 15. Vbi Dñs ait: suscipe cælũ, & numera stellas, si potes: sic erit semen tuum. Hæc ergo mulier filia erat Abrahæ, quem sinceritate fidei referebat quãdo agnoscens cæleste beneficiũ glorificauit Deum. At Iudæi cæterique obdurati peccatores, non vocantur filij Abrahæ, sed nũc filij Amorrhæi & Cethææ. Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. Nunc filij viperarum. Genimina inquit Ioannes, viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? Nunc filij diaboli. Vos, ait Christus, ex patre diabolo estis. Quẽ locũ explicans Cyrillus, ait: cõsuetudinis est sacræ Scripturæ ex imitatione, vel similitudine filios appellare. Quia enim Iudæi imitati fuerant iniquitates Amorrhæorũ & Cethæorũ inde parẽtes eos habuisse dicitur, de quibus per scelerum propaginẽ nascerentur, & cum quibus pro simili scelere dãnarẽtur. Hęc ille. Nõ ergo est quare peccatores in sceleribus suis obdurati se vanẽ iactent à parentibus & virtute & sapiẽtia & nobilitate præstantes genus suũ trahere: nã indigni profecto sunt, vt eorũ appellẽtur filij, diaboli dicendi sunt cuius mores imitantur. Quid prodest riuulo fluere ex puro & salutari fonte, si ipse est spurcitia plenus, corruptus, & omni ex parte contaminatus? Eodẽ modo quid prodest filio nobilitas patris & stẽma maiorum, si ipse est vitijs omnibus imbutus, & veneno flagitiorũ infectus? Qui nõ est ob facta sua cognitus, qui ex operibus suis nulla est laude celebratus, quam claritatẽ & nominis amplitudinẽ putat adipisci, si aliorũ res gestas, & præclaras virtutes sibi iactabũdus arroget? Quemadmodũ AEsopycus graculus pulchris aliarum auium plumis indutus, pulchritudinẽ sibi vanẽ assumebat, sed exutus mansit irrisus, & propria nigredine affectus, cum quælibet auium suam ab eo pennam sustulisset, sic qui maiorum suorum rebus præclarè ge-

stis

Marginalia: Matth. 23. — Gen. 15. — Gen. 17. — Rom. 4. — Galat. 5. — Gen. 15. — Ezech. 16. — Matth. 3. — Ioan. 8. — Simile. — Simile.

stis gloriantur, aliorum bonis sese venditant, & nobilitatem alienam sibi vsurpāt cum nulla sint propria virtute decorati, exuunt ignominiose in foro aliena indumenta. Et, vt verbis vtar Horatij, moueat cornicula risum, furtiuis nudata coloribus. Illustrius est proprijs virtutibus & rebus gestis florere, quam maiorum opinione niti. Ex terra fertili producitur aliquando cicuta venenosa, & ex terra sterili, nascitur pretiosum aurum. Qui maioribus suis honestate propria prælucent, vt si prius noti non fuerint, ab illis accipiant initium memoriç suæ, sunt magnis laudibus efferendi: contra vero qui vita turpiter acta magnas suas obfundunt tenebras, vt etiam si nobilitate floruerint, veniant in obliuionem, sunt acriter vituperādi. Si filij Abrahæ estis, dicebat Christus Iudæis stirpe sua gloriantibus, opera Abrahæ facite. Erant quidem illi natura filij Abrahæ, sed imitatione filij diaboli. At fœlix mulier ista quæ non solum natura, sed imitatione filia erat Abrahæ, & ideo eam Christus eius filiam vocat.

Horatius. Ioan. 8.

¶ *Quam alligauit sathanas*, siue alligauerat sathanas. *Ecce, decem & octo annis non oportuit solui a vinculo isto die sabbathi?* Hæc mulier cum astricta fuit corpore à sathana, imaginem gessit peccatoris, cuius animam sathanas multis temporibus habet alligatam peccatorum catenis. Eandem figuram ferebant asinus & pullus quos ligatos inuenerunt discipuli: vt refert Matth. c. 21. Et solutos adduxerunt ad Christum: vt illo signo intelligerent vt quoscūq; ligassent super terrā, esse ligatos & in cælis: & quoscunque soluissent, esse solutos. Dicuntur peccatores in sacra Scriptura vincti terræ. Vnde in lamentationibus. c. 3. ait Ieremias: vt contereret sub pedibus suis omnes vinctos terrę, &c. Dn̄s ignorauit. Vbi per vinctos terræ eos intelligit, qui vinculis peccati in terra alligati sunt terrestria cogitātes, seque ad cælestia minime extollētes: Ignorauit ergo Deus, ait Ieremias, conterere tyrannicé pedibus suis peccatores vinculis peccati alligatos. Expectat enim eos dies multos: nō enim humiliat ex corde suo, & abijcit filios hominū, vt paulo

Hæc mulier alligata à sathana gerit imaginem peccatoris obdurati & alligati à dæmone. Matth. 21. Matth. 16. Thren. 3.

ante dixerat Ieremias. Item Isai. c. 42. ait: Ego Dn̄s dedi te in fœdus populi, vt educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. Vbi aspicis Christi officiū esse vinctos ac ligatos peccatis, soluere: & ipsum carcerem aperire. Ita enim eū sanctus vates Zacharias alloquitur: tu quoq; in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu. Sapientissimus quoque Salomon in Prou. c. 5. ait: iniquitates suę capiunt impium, & funibus peccatorū constringitur. Hi sunt quos deplorat Isaias his verbis: væ, qui trahitis iniquitatē in funiculis vanitatis, & quasi vinculū plaustri peccatum. Hoc est, væ vobis, qui extēditis & dilatatis iniquitatē: quærentes varios & illicitos peccandi modos. Per funiculos vanitatis intelligit vias, modos, & occasiones delinquendi, quibus iniquitas augetur & dilatatur. Eos improbat & infœlices vocat, qui in peccatis perseuerant & nouas in dies inuentiones admittendi flagitia inquirunt. Ideo vias peccandi funibus cōparat, quia vt funes nectuntur ex filis, & ita producuntur & dilatantur, sic peccatores peccatis peccata addentes iniquitatē propagant, & longissimā efficiunt. Et vt funes facile ex filis nectuntur & texūtur, sed fortiter astringunt: sic peccata facile admittūtur, sed fortiter ligant. Ideo quando scelera perpetramus, funes teximus, quibus astringimur. Quod alijs verbis, sed in idē recidētibus dicit propheta statim subiungens: & quasi vinculū plaustri peccatū. Comparat peccatū vinculo validissimo, quo currus ligatur & trahitur. Quod soluere hortatur idem vates. c. 52. dicens: solue vincula colli tui captiua filia Sion. Venit Christus Dominus vt hæc peccatorum vincula dirumperet. Quod multo ante prædixerat his verbis Ieremias. Et erit in die illa, ait Dn̄s exercituum, conteram iugum eius de collo tuo, & vincula eius dirumpam: & non dominabuntur ei amplius alieni, sed seruiēt Domino Deo suo & Dauid regi suo, quem suscitabo eis. Ipse quidem fuit verus Dauid qui iugum oneris eius & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superauit vt vaticinatus fuerat alius

Isai. 42. & c. 49. Zach. 9. Prou. 5. Isai. 5. Isai. 52. Ierem. 30. S. Thom.

Isai. 9. vates. Ipse est, & non alius qui virtute sua & omnipotenti manu sua vincula diaboli dissoluit: in cuius mysterij significatione dicebat apud Osçá. c. 5. vidit Ephraim langorem suum, & Iudas vinculum suũ. Et abijt Ephraim ad Assur: & misit ad regé vltoré. Et ipse non poterit sanare vos: nec soluere poterit vobis vinculum. Vadens reuertar ad locum meum donec deficiatis, & quæratis faciem meam. Solius enim Dei est liberare à tribulatione & captiuitate & seruitute tam corporali quá spirituali: eius est solius à vinculis peccatorum soluere. Quare frustra Iudæi, frustra sarraceni, frustra hæretici, à suis hanc libertatem donari student: solus Christus eiusque ministri, animas à Satana ligatas soluunt omni tempore. Vnde Isaias. cap. 25. & præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos. Hoc est, delebit peccatum, quod per vinculum colligatum intelligitur. Christus in mõte Sione sua morte acerbissima nostra scelera deleuit, quando se pro nobis salutarem hostiam deuouit, atque constituit. Et vt ostéderet propheta Christum suo sanguine, quantum in se est, nos ab omnibus animorum maculis abluisse, nõ dicit eum præcipitaturum vinculũ colligatum, sed faciem vinculi colligati, vt ostenderet ita euertendum esse peccatũ, vt ne facies eius appareat.

Osea. 5.

Gloss. Isai. 25.

¶ *Et cum hæc diceret, erubescebant omnes aduersarij eius*: Non profectò mirũ hoc erat: quando sermo Iesu perspicuam haberet veritatem, & ad sensum etiam communem humanæ naturæ consentaneum. Dolebant enim miseri aliquid suæ gloriç decidere apud multitudinem, apud quã eatenus sese venditarant. Hinc discant iusti minime timere aduersarios suos eos calumniantes, dies noctesque persequentes, nam tandem confundentur à Domino, & erubescent: tandé erunt compotes sui desiderij: sicut fuit sanctus Dauid qui precabatur Dominum dicens: erubescãt & conturbentur omnes inimici mei. cõuertantur & erubescant valde velociter. Hinc est, quod Dominus ait choro iustorum ne timeas, quia ego tecum sum, confortaui te, & auxiliatus sum tibi, & suscepit te dextera iusti mei. Ecce confundentur & erubescẽt omnes, qui pugnant aduersum te. Erunt quasi non sint, & peribunt viri qui contradicunt tibi. Iustus ergo non debet timere: habet enim Deum protectorem, quo fit vt tandem confundantur & erubescant aduersarij eorũ. Cõtra verò iusti confidentes in Domino nõ erubescũt. Vnde Dauid ait Psal. 24. Deus meus in te confido non erubescam. Vnde statim Euangelista subiungit.

Iusti non timere debẽt persecutores suos nam tãdé confundũtur à Domino.

Psalm. 6.

Isai. 41.

Psalm. 24.

¶ *Et omnis populus gaudebat in vniuersis quæ gloriosè fiebant ab eo*. Erubescunt impij & confunduntur: exultant & lætátur iusti magnifica Dei opera extollẽtes. Vtrũque optat & obnixè postulat à Deo sanctus Dauid in Psal. 69. Confundantur (inquit) & reuereantur qui quærũt animã meã: auertantur retrorsum & erubescant, qui volũt mihi mala. Ecce primum. Exultent & lætẽtur in te omnes qui quærunt te: & dicant, semper magnificetur Dñs, qui diligunt salutare tuũ. Ecce secũdũ. Iusti omné suã lætitiã & gaudium in Deo collocant: quam ob causam alibi ait idé psaltes: lætamini in Dño, & exultate iusti. Impij verò nõ sic, sed alienis laudibus delectantur, & gloriá ad inuicẽ quærunt. Præterea, semper dicunt iusti: magnificetur semper Dñs. Magnificatur enim Dñs non in se, sed in nobis: scilicet, quandò nos in ipso per gratiã efficimur magni. Debent ergo qui diligũt Christũ qui est salus & salutare suũ: semper dicere. i. semper desiderare, vt Dñs magnificetur in nobis: per collata beneficia, & augmẽtũ gratiarũ. Magnificate ergo Dñm mecũ & exaltemus nomẽ eius in idipsum: exẽplo populi huius qui gaudebat in vniuersis quæ gloriosé fiebant ab eo.

Cõfundũtur impij iusti verò, gaudent magnificã Dei opera extollentes.

Psalm. 69.

Psalm. 31.

Psalm. 33.

Dicebat ergo. Cui simile est regnum Dei, et cui simile æstimabo illud? Simile est grano synapis, quod acceptum homo misit in hortum suum & creuit: & factũ est in arborẽ magnã: et volu-

Matth. 13. Marc. 4.

volucres cæli requieuerũt in ramis eius. Et iterum dixit. Cui simile æstimabo regnum Dei? Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria donec fermentaretur totum.

INdicare volens Iesus omnem illã inanem pharisæorum ostẽtationem, quæ magnificam habebat sanctimoniæ speciẽ, breui euanituram, contra, vim Euangelicam ex humilimis initijs profecturã in tantam amplitudinem, vt totum orbẽ ad se pertrahat, idque per mortem, per Apostolos humiles & idiotas, proposuit has duas parabolas eiusdem sententiæ. Videtis, inquit, regnum synagogæ pugnare cum regno Dei. Euincet tamen id quod potentius est. Itaq; velut afflatus nouo spiritu Dñs, quo redderet attentiorem multitudinẽ dixit: cui rei dicam esse simile regnũ Dei, hoc est me, Ecclesiam meam, fidem, & prædicationem Euangelicam: vt ex re nulli vestrum non notissima intelligatis quale sit? Cumq; iam omnes expectarent magnificam aliquam similitudinẽ, de sole, aut fulmine sumptã, maluit à contemptissimo legumine ducere parabolam dicens. ¶ *Simile est grano synapis, quod acceptum homo misit in ortum suum et creuit: et factum est in arborem magnam et volucres cali requieuerunt in ramis eius.* Synapis est herba, seu semen, condimentũ præstans epulis. Ipsum autẽ semen tritũ & contusum tanta est acrimonia, vt lachrymas excitet comedẽti, habet vim incisiuã bilis & etiã phlegmatis, & contra venena. ¶ Granũ ergo synapis significat in hoc loco regnum Dei, hoc est, Christũ qui regnũ Dei dicitur, eo quod sit caput huius regni. Vnde D. Hilarius in cõmentarijs: grano, inquit, synapis se Dñs cõparauit, agri maximẽ, & omniũ seminũ minimo, cuius virtus ac potestas tribulationibus & pressuris accendatur. Granũ hoc igitur postquã in agro satum fuerat. i. vbi à populo comprehẽsus, & traditus morti, tanquam in agro satione quadam fuit corporis consepultus, vltra mensuram omniũ holerum excreuit, & vniuersam prophetarum gloriam excedit. Holeris enim vice, tanquam ægroto Israeli data est prædicatio prophetarum. Sed iam ex ramis arboris, ex solo in sublime prolatæ, cæli volucres inhabitãt. Apostolos, scilicet, ex Christi virtute protensos, & mundum inumbrantes in ramis intelligemus, in quos gentes in spem vitæ aduolabũt, & aurarum turbine, id est, diaboli spiritu, flatuq; vexatæ, & tanquã in ramis arboris requiescent. Hæc ille. D. etiam Greg. idem docet: ipse, inquiens, est granum synapis, qui in horti sepultura plantatus, arbor magna surrexit. Granum namq; fuit, cum moreretur, arbor, cum resurgeret. Granum per humilitatẽ carnis, arbor per potentiam maiestatis. Granum, qui vidimus eum, & non erat aspectus: arbor autem, quia speciosus forma præ filijs hominum. Huius arboris rami, sancti prędicatores sunt. Et videamus quàm late tendantur. Quid enim de eis dicitur? In omnẽ terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terrę verba eorum. In istis ramis volucres requiescunt, quia sanctæ animæ, quę quibusdam virtutum pennis à terrena cogitatione se subleuãt, in eorum dictis, atque consolationibus ab huius vitæ fatigatione respirant. Hęc Gregor. Eodem modo hanc similitudinẽ explicat hic D. Ambrosius. ¶ Regnum cælorum, id est, chorus martyrum & sanctorum, significatur hic etiam per granum synapis. Vt enim synapis nisi conteratur, nequaquam vis virtutis eius agnoscitur, nam non contrita lenis est, si verò conteratur inardescit, & quod in se accerrimũ latebat, ostendit: ita vir sanctus tribulatione contritus clarescit: ex quo factum est, vt multitudo martyrum & sanctorũ per totum terrarum orbem protenderetur. Synapis enim granum quandiu est integrum, vt minutissimum est, ita vilissimum est, nec colore, nec odore blandiẽs oculis, & si quid habet vigoris intus habet. Satũ autẽ enascitur illud cõtemptissimũ semen, & excrescit in arborẽ ingentẽ, adeo

1. Sensus. Christus granũ synapis.

Hilar. sup. Matt. c. 17.

Rami Apostoli.

Greg. 19. mo c. 1.

Isai. 53.

Psalm. 44.

Psalm. 18.

2. Sensus. Granũ synapis chorus martyrum & sanctorum.

adeo vt in ramis eius etiam aues nidulentur, pro vno granulo, multa milia producens. Sic Ecclesia Dei, sic martyrum & sanctorum congregatio, sic fidelium cætus, cum maxime videbatur extinctus persecutionibus, afflictionibus, martyrijs, ac diuersis tormentorum generibus, tum sese latissime protulit. Pro vno quidem fideli cótrito, multa milia fidelium producta sunt. ¶Regnum cælorum prædicatio Euangelij est (inquit Hiero.) & notitia scripturarum quæ ducit ad vitã. Et de qua dicitur ad Iudæos: Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Homo qui seminauit in agro suo, à plerisque saluator dicitur, quòd in animis credentium seminet. Ab alijs ipse homo seminans in agro suo, hoc est, in semetipso, & in corde suo. Quis est iste qui seminat, nisi sensus noster, & animus, qui suscipiens granum prædicationis, & fouens sementem humore fidei, facit in agro sui pectoris pullulare? Prædicatio Euangelij minima est omnibus disciplinis. Ad primam quippe doctrinam fidem non habet veritatis, hominé Deũ, mortuum, & scandalum crucis prædicans. Confer huiuscemodi disciplinam dogmatibus philosophorum, & libris eorum, & splendori eloquentiæ, & compositioni sermonum, & videbis quanto minor sit cæteris seminibus sementis Euangelij. Sed illa, cum creuerit, nihil mordax, nihil inuidum, nihil vitale demonstrat: sed totum flaccidum, marcidumque, & mollitum ebullit in holera, & in herbas, quæ cito arescunt, & corruunt. Hæc autem prædicatio, quæ parua videbatur in principio, cum vel in anima credentis, vel in toto mundo sata fuerit, nõ exurgit in holera, sed crescit in arborem, ita vt volucres cæli, quas vel animas credentium, vel fortitudines, Dei seruitio mancipatas sentire debemus, veniant, & habitent in ramis eius. Ramos puto Euãgelicæ arboris, quæ de grano synapis creuerit, dogmatum esse diuersitates, in quibus supradictarum volucrum vnaquæque requiescit. Assumamus & nos pénas columbæ, vt volitantes ad altiora, possimus habitare in ramis huius arboris, & nidulos nobis facere doctrinarum, terrenaque fugientes ad cælestia festinare. Hanc etiam huius loci intelligentiam affert D. Chrysost. homil. 47. in Matthæũ. ¶Regnum cęlorum intra nos est, hoc est, fides gratia & pax, &c. Granum ergo synapis, ait Origenes, non vnam similitudinem tenet, regni cælorum & habitationis auium in ramis suis: sed habet aliam similitudinem vel imaginem perfectionis fidei, ita vt si quis habeat fidem sicut granum synapis, & dicat monti, vt transferat se, & transferet. Et cum plures sint in grano synapis virtutes, quæ rerum cœlestium imagines teneant, vltimus & extremus vsus eius est iste, qui habetur apud homines in ministerio corporali. ¶Et hom. 4. in Matth. ait idem Orig. Omnis autem fidelis grano synapis comparatur, sicut potest fieri manifestum ex eo quidem quod scribitur. Si habueritis fidem sicut granum synapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, & transibit. Apud Apostolum autem. si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam. Ideo arbitror quoniam omnis fides grano synapis comparatur, quoniam contemnitur quidem fides ab hominibus, & modicum aliquid & vile apparet: cum vero consecutum fuerit bonã animam, id est, recti hominis terram, semen huiusmodi fit arbor magna, ita vt sine pennis quidem nemo, pennati autem qui sunt spiritualiter volucres cæli, habitent in ramis eius. Hæc ille. Vt autem synapis expellit venena, sic humilitas fidei, vitia. Vnde August. Granum synapis ob feruorem fidei, vel quod dicatur venena expellere, maius fit omnibus oleribus, id est, dogmatibus. Dogmata autem sunt placita sectarum, id est, quod placuit singulis sectis. Item quod dicunt discipuli, quare nos non potuimus eijcere eum? Ne illis miraculis faciendis extollerentur in superbiam, admoniti sunt potius per humilitaté fidei, quasi per synapis granum, elationem terrenam, quæ montis nomine significata est, curare vt transiret. Hæc ille. Et vt synapis facit plorare, sed purgat, sic feruẽs fides, de qua Ioan. 16. plorabitis & flebitis vos. Vnde idem Aug. serm. 31. de sanctis

Marginalia: 3. Sensus, Regnũ cælorum, id est, prædicatio Euãgelii, comparatur synapis grano. — Hiero. su. Matth. 13. — Chrysost. — 4. Sensus. — Orig. ho. 3. in can. Regnum cælorum, id est, fides, cõparatur grano synapis. — Orig. ho. 4. in Matt. Intr. c. 17. — 1. Cor. 13. — Aug. l. q. Euan. 11. 22.

Aug. serm. 31. de sanctis. to. 10.

ctis ita scribit. Sicut synapis granum cũ sumimus vultu contristamur, fronte con trahimur, ad lachrymas permouemur, & ipsam salubritatem corporis nostri cum quodam fletu austeritatis accipimus. Illinc enim amaritudo nos exasperat, acrimonia penetrat: hinc calor ignei saporis accendit, & toto perturbati corpore tũc magis sani efficimur, cum amplius deplo ramus. Ita ergo & cum fidei Christianæ mandata percipimus, contristamur animo, affligimur corpore, ad lachrymas permouemur, & ipsam salutem nostram cum quodam fletu ac mærore consequi mur. Inde enim nos ieiunia exasperant, illinc peccatorum conscientia macerat. Hinc patrimonij iactura perturbat, & to to contristati habitu magis salutem consequimur si amplius defleamus, secundũ quod ait Dominus. Vos plorabitis & fle bitis, seculum autem gaudebit. Sicut autem cum synapi caput forte curandum est, iubemur ad rasum capillos demere, impedimenta cutis vniuersa deponere, vt nudo corpori perfectius medicina perueniat: ita & cum anima per fidem cu randa est, præcipimur à nobis substantiã auferre seculi, impedimenta auri argenti que deponere, vt & nudæ & soli animæ congruentius spiritualis medicina cõueniat. Quisquis enim rebus mundi & diui tijs seculi obuulutus est, huic fidei medicina non proderit. Ergo quod succus synapis in corpore, hoc fides Christiana ope ratur in anima. Hæc ille.

¶*Et iterum dixit: cui simile æstimabo regnum* Dei? *Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farina sata tria donec fermentaretur totum.* Fermentum est farina, quæ subigitur priusquam addatur sal, in pultis modum decocta, & relicta donec arescat: dictũ, quod ferven do crescat, confert autem ad facilius miscendam & subigendam totam farinã. Habet enim fermentum hanc vim, vt, si farinæ mixtum fuerit, quod paruum videbatur, crescat in maius, & ad saporem suũ vniuersam conspersionem trahat: & quãdoque sumitur in bonum, vt in hac similitudine, quandoque in malum.

Orig. sup. nu. ho. 23. Hiero. su. Matt. 16.

1. Sensus, fermentũ Christus.

¶Primus ergo sensus huius loci est, vt per fermentum absc͂ōditum intelligatur Christus, quo fermento tota massa dicitur fermentata, quia lex, prophetæ, & Euãgelium nil, nisi Christum prædicãt. Fermentatum est etiam totum, cum omnes fideles participes fiunt doctrinæ fidei, & quia Christus transmutat hominẽ in sortem & gradum superiorem, & in eũ dem imaginem, quæ est filius Dei. Ideoque intrat in nos, vt diuinos & cælestes nos efficiat. Et vt fermentum conteritur & comminuitur ad fermentandam massam, sic Christus cõfractus est doloribus, vt omnes in se conuerteret. Quod mysterium explicans ad longum D. Ambrosius sic ait: legimus in sancto Euangelio, dicẽte Dño Christo de se ipso: nisi granũ tritici cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Ergo si triticum Dominus, & Dominus est fermentum, quia fermentum non nisi de tritico fieri solet: recte ergo fermento Dominus comparatur, qui cum esset specie homo, humilitate paruus, imbecillitate deiectus, tanta intrinsecus sapientiæ virtute pollebat, vt doctrinã ipsius mundus ipse vix caperet, qui cum se cępit per totum orbem diuinitatis vigore diffundere, statim omne hominũ genus in substantiã suam sui potestate protraxit, vt & iugum spiritus sui sancti infunderet omnibus, hoc est, Christianos cunctos faceret esse quod Christus est. Nam quod homo Dñs Iesus vnus & solus esset in mundo, tanquã fermentũ in massa reconditũ, vniuersos homines præstitit esse quod ipse est. Quisquis igitur illi fermẽto Christi adhæserit efficitur & ipse fermẽtũ, tã sibi vtilis quã idoneus vniuersis, & de sua certus salute, & de aliorum acquisitione securus. Sicut igitur fermentũ cum in cumulum conspergendũ est farinarũ, cõfringitur, cõminuitur, dissipatur, & ipsum omne dissoluitur, vt dispersam illam farinæ multitudinem in vnum vigorem constringat, atque insolidum corpus redigat, quod in pulueris modum ipsa diminutione languebat, faciatque coniunctione sui vtilem massam, quod propria dissolutione videbatur inutile: sic er-

Ambros. serm. 5. Ioan. 12.

go & Dominus Iesus Christus cum esset totius mundi fermentum, diuersis passionibus confractus, laceratus, & dissolutus est, & succus eius pro salute nostra, qui est pretiosus sanguis, effusus est, vt admixtione sui, omne genus humanum solidaret quod per diuersa antra resolutum iacebat. Mulier autem quæ dicitur abscondere in farina fermentum, quæ est nisi sancta Ecclesia, quæ quotidie doctrinam Christi in cordibus nostris conatur abscõdere? Hæc Ambrosius. Lege etiam Hilarium super Matth. cap. 13. & Geor. Vene. can. 2. tomo. 3. cap. 20. ¶ Secundus sensus huius loci esse potest quem affert D. Hieronymus his verbis: mulier ista, vel prædicatio mihi videtur Apostolica, vel Ecclesia, quæ de diuersis gentibus congregata est. Hæc tollit fermentum, notitiam scilicet, & intelligentiam scripturarum, & abscondit illud in farinæ satis tribus, vt spiritus, anima, & corpus in vnum redacta, non discrepent inter se, sed cũ duobus, & tribus conuenirent, impetrent à patre quodcunque postulauerint. Disseritur locus iste & aliter. Legimus in Platone, & philosophorum dogma vulgatũ est, tres esse in humana anima passiones, τὸ λογικόν, quod nos possumus interpretari rationabile, τό θυμικὸν, quod dicimus plenum iræ, vel irascibile: τό ἐπιθυμητικὸν, quod appellatur concupiscibile. Et putat ille philosophus rationabile nostrum in cerebro, iram in felle, desideriũ in iecore commorari. Et nos ergo si acceperimus fermentum Euangelicum sanctarum scripturarum, de quo supra dictũ est, tres humanæ animę passiones in vnũ redigẽtur, vt in ratione possideamus prudentiam, in ira, odium contra vitia, in desiderio, cupiditatem virtutum, & hoc totum fiet per doctrinam Euangelicã, quã nobis mater Ecclesia præstitit. ¶ Dicam & tertiam quorundam intelligentiã, mulierem istam, & ipsi Ecclesiam interpretantur, quæ fidem hominis farinæ satis tribus commiscuerit, credulitati patris, & Filij, & Spiritus sancti. Cumque in vnum fuerit fermentata non nos ad triplicem Deum, sed ad vnius diuinitatis perducit notitiam. Farinæ quoque sata tria, dum non est in singulis diuersa natura, ad vnitatem trahunt substantiæ. Satũ autem genus est mensuræ, iuxta morem prouintiæ Palestinæ, vnum & dimidium modium capiens. Hæc Hieronym. Matthæi. 13. ¶ Quartus sensus traditur ab Augustino, lib. 1. quæstionum Euangelicarum. c. 12. mulierem, sapientiam esse, fermentum dilectionem, quod feruere facit, & excitat. In farinæ autem satis tribus, vel tria illa in homine, ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, vel tria illa fructifera, centesimum, sexagesimum, tricesimum, vel tria illa genera hominum Noe, Daniel, Iob. Hæc ille. Vide illum super Ioan. tract. 9.

Hilar. Geor. Vene.

2. Sensus. Mulier ecclesia, vel prædicatio Euãgelij fermentum intelligentia scripturarum, sata tria, corpus & anima & spiritus, vel irascibile concupiscibile & rationale.

3. Sensus, Mulier ecclesia, fermentum fides. Sata tria Trinitas.

4. Sensus. Mulier sapiẽtia fermẽtũ dilectio. Sata tria quæ.

¶ *Et ibat per ciuitates et castella docens, et iter faciens in Hierusalem. Ait autem illi quidam. Domine si pauci sunt, qui saluentur? Ipse autem dixit ad eos: contendite intrare per angustam portam quia multi dico vobis quærent intrare & non poterunt.* Postquam parabolas & similitudines de grano synapis & fermento prædicauit, properabat eò, vbi granũ erat infodiendum terræ, vbi fermentum abscondendum in farina. Faciebat enim iter Hierosolymam, vbi sciebat sese esse occidendum. Sed inter eundum per singulas ciuitates ac vicos docebat omnes, ne quid temporis periret ab Euangelio. Quoniam autem sublimia quædam docuerat de vendendis facultatibus, de viuendo ex tempore, coruorum ac liliorũ ritu, de non contendendo cum aduersario, quidam audiẽs eum dixit: Domine si pauci sunt qui saluentur? Nam ista quæ doces audita, multos reor amplexuros. Rursum autem parabola de grano synapis, & fermento, videtur diuersum polliceri, nempe vim regni Dei peruenturam ad multos. Iesus autem ostendere volens famam quidem & cognitionem Euangelicæ doctrinæ, adhæc & miraculorum gestionem peruenturam ad plurimos, cæterum nemo fore saluum, qui non depositis omnibus huius mundi cupiditatibus sequatur humilẽ Christũ, dixit: cõtendite intrare per angustã portam. Obserua hic quod sicut porta mortis vocatur vita con-

Porta mortis est vita côtaminata, porta vita est vita incôtaminata hæc est angusta.

contaminata & flagitijs irretita: ita etiam porta vitæ dicitur vita seiuncta ab impuritate scelerum, & in virtute, & constantia & recta viuēdi ratione constituta. Ad id respexit Dominus hic cum ait: contendite intrare per angustam portam: quia multi dico vobis quærent intrare & non poterunt. De hac porta scriptum est in Psalmo.117. hæc porta Domini iusti intrabunt per eam. Et Psal.86. Diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob. Vbi iuxta Hieronymi sententiā non loquitur Dauid de Sione terrena, ne de portis illius vrbis in monte illo sitæ, quas scimus esse in puluerem conuersas: sed de vita beneacta, de fide, spe, & charitate, cęterisque virtutibus, quibus patet aditus ad cœlestem Sionem, ad æternam Hierosolymā, vbi sancti admirabili splēdore fulgētes requiescunt. Hæc sunt portæ ęternales per quas introiuit Rex gloriç in cœlestem ciuitatem. Hoc tabernaculi ostium quod in domo Domini erat. 3. Regum. 3. de his portis ait Dominus Angelis vel Apostolis suis apud Esaiam. c.26. aperite portas & ingrediatur gens iusta, custodiens veritatem. Prædicauerunt Apostoli virtutes & bona opera per quæ tanquam per portas ingrederentur iusti ad conuentū regni cœlestis. De quibus apud eundem Prophetam ait Dominus ecclesię suę. Ego fundabo te in saphiris, & portas tuas in lapides sculptos. Hęc sunt ostia, quibus conclusit Deus mare, virtutibus enim & sanctis actionibus omnes concupiscentiæ reprimuntur. Hæç ostia interioris sanctuarij, quorum merito ad regnū cœleste peruenitur. De hac ergo porta ait Dominus in hoc loco contendite intrare per angustam portam. Angustus est quidem ingressus iste, sed ducit ad latitudinem Regni cœlorum. Non capit hæc porta onustos diuitijs, cumulatos honoribus, distentos luxu, grauesis auaritia, turgidos & elatos fastu. Qui tales sunt, eligunt viam latam, spaciosam, & prima specie blandam, sed ducentem ad mortem. Nunc igitur, ait Dominus, cōtēdite intrare, dū patet aditus: excutite sarcinas omnes, vt vos capiat angustus ingressus. Hæc angusta porta pœnitentia est, & corporis castigatio, & afflictio propter Deum æquo animo tolerata. Ad hanc vocat nos Christus Deus noster, qui de seipso ait. Non veni vocare iustos sed peccatores ad pœnitentiā: & rursum nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Et. D. Ioan. Baptista: pœnitentiā agite: appropinquauit enim regnum cœlorū. Si Christus verus Deus noster, ieiunauit, si orauit, si iniurias pertulit, si calamitatum angustijs vndique afflictus, & vulneribus traiectus mortem acerbissimam tolerauit, quare nos voluptatibus ducemur, delicijs diffluemus, & labores honestos contemnemus? Properat quidam rex ad prælium vndique armatus, ducens exercitum militum omnibus armis indutorum: erigitur signū militare, expanduntur vexilla & regia stemmata, duces bellica armatura muniti, cohortes adhortantur: sed si videres in exercitu esse homines aliquos dearmatos, illecebris delinitos, qui pro thoracibus & loricis lenia serica induerent, pro galeis pileos bombycinos, & pro gladijs flabella portarent, eos insanos censeres, moneresque ne coram rege ita apparerent induti, quin potius se armis induerent, vt decet strenuos milites sui ducis & regis imitatores. Eodem modo cum Christus laboribus, & doloribus, & tormentis & patientia se induerit, & signum crucis erigat, procedantque armati Apostoli, & martyres, & cæteri qui Christum regem suum sequūtur, quare nos relictis armis delicias amplectemur, & contemptis laboribus Christiano dignis, ad falsas mundi voluptates auiditate incensi aspirabimus? Mutemus vestimenta, & armis pœnitentiæ muniamur. Hæc sunt arma illa resplendentia de quibus ait D. Paul. scribens ad Roma. Induamur arma lucis. Et in. 2. ad Cor. per arma iustitiæ à dextris & ad sinistris. Et rursum: Arma militiæ nostræ nō carnalia sunt, sed potētia Deo, ad destructionem munitionum. Et ad Ephe. Induite vos armaturam Dei. Exeūtes de AEgypto oportet vt armati incedamus: si volumus veram promissionis terram penetrare. Ideo dicitur Exo.13. quod armati ascenderunt filij. Israel de terra AEgyp

Marginalia: Psa.117. — Psa.86. — Hiero. — Psa.23. — 3.Reg.3. — Esa.26. — Esa.54. — Iob.38.a — 3.reg.6.d — Supra.c.9. — Matth.3. — Simile. — Roma.13. — 2.Cor.6. — 2.Cor.10. — Ephe.6. — Exo.13.

AEgypti. Induere hāc armaturam idem est quod agere pœnitentiam, & per arctā viam, & angustam portam, ad ęternā beatitudinem peruenire. Contra verò porta & via ducens ad perditionem & ad æternam mortem lata est, in qua Cain occidit Abel, vbi hominibus impijs sæpe numero secundæ res conceduntur, iustis autem denegantur. Hic admittūtur homicidia, & impij insurgunt in viros pios, eosque prēmunt, maledictis lacerant, & factis affligunt. Est enim huius seculi labes contē nere virtutē, vel honestatis florem infringere, & veræ dignitatis splendorē & pulchritudinem maculare. Sed quemadmodum Herinaceus Marinus vt aiunt, & refert Basilius hom. 7. in Hexame. cum per turbationem ventorum pręsentit, præscius futuræ procellæ petram subit, super qua tanquam super anchora seipsum firmat & figit, ne fluctibus trahatur & agitetur, sic vir iustus in mundi mari constitutus, præscius calamitatū, quibus iusti præmuntur ab iniustis, quibus ipse potest angi & vrgeri, ad petram illam confugiat, de qua ait Apostolus: petra autem erat Christus, eiq; adærens, liberabitur ē mūdi tempestatibus, & quanuis à molestiarū & tentationū fluctibus cōcuciatur, firmus tamen, & constans in virtute permanebit. Omittamus igitur hanc portā mortis, hāc viam latam impiorū: & conemur intrare per hunc virtutum & pœnitentię angustū ingressum ducens ad spaciosam ciuitatem: dum tēpus & oportunitas adēst ingrediamur nam aderit dies, quando complures cupient intrare, nec licebit, videlicet obcluso iam aditu. Quod docere volens Dominus: subiungit.

Gen. 4.
Basilius Simile.
1. Cori. 10.

¶*Cum autem intrauerit paterfamilias, et clauserit ostium, incipietis foris stare, et pulsare ostium dicentes: dn̄e aperi nobis et respondens dicet vobis: nescio vos vnde sitis.* His verbis docet aperte Dn̄s quid contingat serò pœnitentibus. Cum enim Deus clauserit ostiū misericordiæ in morte, quod nunc patet omnib9 adnitentibus: tunc cognoscent errorē suū, & inuidentes his qui sunt ingressi, incipiēt obsidere ostiū, ac pulsare fores misericordiæ dicentes: Dn̄e miserere. Tūc ille qui prius nō est auditus inuitās ad ingressum per opportunā pœnitentiā, vicissim non audiet eos, sed respōdebit in hunc modū. Nescio vos vnde sitis. Ac si diceret. Audio nomen Dn̄i, sed ego vos nō agnosco famulos, quærite eū cui seruistis. Nescire, in hoc loco idē est quod nō approbare ita accipitur ignorare & nescire Dei in sacra scriptura. Vnde. c. 8. Oseę ait dn̄s: principes extiterūt, & nō cognoui. Et Matth. 25. Amen amen dico vobis nescio vos. Et 1. Cor. 14. si quis ignorat ignorabitur. Et si Deus omnia scit, singulari tamē quodā modo illud scire dicitur, quod approbat: illud ignorare quod reprobat. Vt Psal. 1. Nouit dn̄s viā iustorū: & iter impiorū peribit. Hoc est, Deus iustorū sanctitatē ac viuendi rationē singulariter diligit & approbat, nefariorū autē mores, vitā & mortē detestatur. Itaq; vt illi perpetuo felices erūt, sic isti ad ęternos inferorū ignes relegabūtur. Et illud Amos. c. 3. Tātūmodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ. s. notitia approbationis. Et ad Gala. 4. ait Paul. Nunc autē cū cognoueritis Deū: imò cogniti sitis à Deo. i. notitia approbationis. De qua loquens Dn̄s ait Moysi Exo. c. 33. noui te ex nomine. De hac scientia intelligunt multi locū illum Apo. c. 2. Scio opera tua, & laborē & patiētiā tuā, & quia nō potest sustinere malos. Approbat enim Deus aliqua opera illius Episcopi tāquā moraliter bona. Quāuis aliàs dicat illi: sed habeo aduersum te pauca quod charitatē tuā primā reliquisti. Memēto igitur vnde excideris & age pœnitentiā, & prima opera fac. Amiserat n. hic Episcopus nō gratiā simpliciter & charitatē, sed feruorē maximū charitatis quē habebat, quū regere cœpit Ecclesiā suā: & ideo reprehēditur à Dn̄o, & admonetur vt ad heroica illa opera prima redeat: & nō pigrescat nec frigescat. De eadē approbationis sciētia ait idē dn̄s episcopo Smyrnæ: scio tribulationē tuā, & paupertatē tuā: sed diues es. Approbat enim opera sancti Pollicarpi: qui & si pecunia pauper erat: diuitijs tamē gratię & charismatū & bonarū actionum, & meritorum plenus erat.

Matth. 7.
Osee. 8.
Matth. 25.
1. Cor. 14.
Scire idē est quod approbare nescire idē quod reprobare in sacra scriptura.
Psa. 1.
Amos. 3.
Gala. 4.
Exo. 33.
Apo. 2.
Ibidem.

¶*Tunc incipietis dicere. Manducabimus*

coram te et bibimus et in plateis nostris docuisti. Ac si diceret: qui fit Dñe vt nũc nõ agnoscas nos? Apud nos natus es, edimus & bibimus tecũ, & in plateis nostris docuisti. Et sumus tui discipuli, atque etiã in tuo nomine sanauimus ægrotos, & dæmonia eiecim9. Sic. n. refert Matthę. eos tunc dicturos. Imprimis obserua multos ecclesiæ Doctores tunc dicturos Domine nonne manducauimus & bibimus coram te doctrinam scripturarum quam tu docuisti nos, quid est vt modo non cognoscas nos? Cibus enim & potus aliquando sumitur, inquit Gregorius, pro scriptura sacra. Cibus est in locis obscurioribus, quia quasi exponendo frangitur, & mandendo glutitur: potus verò in locis apertioribus, quia ita sorbetur sicut inuenitur. Cibum vidit Propheta scripturam sacram, quæ exponendo frangeretur, quũ diceret. Paruuli petierunt panem, & nõ erat qui frangeret eis, idest, infirmi quiq; scripturæ sacræ valentiores sentẽtias petierunt, exponendo comminui, sed qui exponere debeat, non valet inueniri. Potum vidit scripturam sacram Propheta, quum diceret. Omnes sitiẽtes venite ad aquas. Si potus aperta mãdata nõ essent, per semetipsam veritas non clamaret. Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Quasi cibum & potum vidit Propheta Iudææ defuisse quum diceret: nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit. Paucorum quippe est, fortia & occulta cognoscere, multorũ verò historiæ aperta sentire. Ideo Iudææ nobiles non siti, sed fame perisse asserit, quia hi, qui præesse videbantur, dum totos se exteriori intelligentiæ dederunt, quid de intimis discutiendo manderent, nõ habebant. Quia verò sublimioribus ab intellectu interno cadentibus paruulorum intelligentia, & in exterioribus excicatur, rectè illic adiungitur. Multitudo eius siti exaruit. Ac si aperte diceret: dum vulgus studium vitæ suæ deserit, iam nec fluenta historiæ exquirit, hæc ergo occulta sacri eloquij mandata, & aperta se intellexisse testantur, qui hodie reprobantis se iudici cõquærentes, dicunt. Manducauimus & bibimus coram te. Quod apertè exponendo

Matth. 7

Grego. in illud Iob. 1. vt comederẽt & biberent cũ eis.

Cibus & pot9 quid significent in sacra scriptura.

Thre. 4.

Esa. 55.

Ioan. 7.

Esai. 5.

A subiungentes, in plateis (inquiunt) nostris docuisti. Non ergo glorietur sapiẽs in sapientia sua: nam non coronabitur nisi virtutibus & sanctis actionib9 per portam regni cœlorum intrauerit: quando palmã in manibus suis afferet. Ante frontes portæ templi vidit Ezechiel picturã palmarum. Quæ verba exponẽs D. Gregor. ait: Quid per palmas nisi præmia victoriæ designãtur? Ipsæ quippe dari vincentibus solent. Vnde de his quoque qui in certamine martyrij antiquum hostem

B vicerant, & iam victores in patria gaudebant, scriptum est: & palmæ in manibus eorum, & clamabant voce magna dicentes: sal9 Deo nostro, qui sedet super thronum & agno. Palmas quidem in manib9 tenere, est victorias in operatione tenuisse. Cuius operationis palma ibi retribuetur, vbi iam sine certamine gaudebit. Vnde & in Ezechiele non dicitur: palmæ ante frontes: sed ante frontes pictura palmarum. Ibi enim victoriæ palma videbitur: vbi iam sine fine gaudebit. Nam hic plerumque multos aspicimus mira agere, virtutes multas facere, leprosos mun-

C dare, dęmonia eijcere, tactu ægritudinis corpora sanare, prophetiæ spiritu ventura prædicere. Cuncta itaq; nec dum palmæ sunt, sed adhuc pictura palmarum. Nam hæc aliquando dantur & reprobis. Vnde & in hoc loco veritas dicit: *tunc incipietis dicere: manducauimus coram te et bibimus, et in plateis docuisti nos.* Et apud Matthæ. cap. 7. Nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dęmonia eiecimus, & in tuo nomine virtutes multas fecimus? Et dicet vobis: nescio vos vnde sitis, discite à me omnes opera-

D rij iniquitatis. Quando ergo signum electionis est soliditas charitatis dicente Domino: in hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Huic virtuti demus operã, nam nulla scientia, nulla gratia gratis data nobis tunc proderit si charitas, & cętera quę ex charitate sequuntur non adsint. Non imitemur eos Doctores quos infelices vocabat Dominus superius. c. 11. dicens: Væ vobis legis peritis, quia tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis: &

Ezech. 40.

Homi. 17.

Quid per palmas significetur in scriptura.

Apo. 7.

Matth. 7.

Ioan. 13.

Supra. 11. c

& eos qui intrabant prohibuistis. Quare nihil vobis proderit clauso ostio dicere ecce discipuli tui sumus: ecce mysteria legis tuæ ad vnguem didicimus: sed audietis quod sequitur.

Psa. 6. c Matt 7 b & 25. d

¶ *Discedite a me omnes operarii iniquitatis.* Respondebit tunc Dominus: ista quæ commemoratis non efficiunt mihi germanos discipulos. Qui meis vestigijs ingressus fuerit, hunc ego pro meo agnoscam. Vos cuiates sitis nescio. Discedite à me, nihil vobis proderit nouisse legem, audisse me, aut cognouisse mysteria totius scripturæ sacræ, & publicé ea prædicasse aut docuisse, nihil ædita in nomine meo miracula. Quisquis inuidet, aut odit fratrem, quisquis suæ gloriæ consulit cum iniuria gloriæ Dei, quisquis pecuniam anteponit charitati proximi, hic, meus non est. Abite igitur operarij iniqui, recepturi vobis dignum præmiú ab eo, quem coluistis. ¶ Obserua hic, quod Doctores & concionatores sacram scripturam prædicantes operarij vocantur Matthęi. 9. Messis quidem multa, operarij autem pauci. Et cap. 10. Dignus est operarius cibo suo. Hi sunt operarij quos mittit Dominus in vineam suam, hoc est, Ecclesiam suam. Matthæ. cap. 20. At inter hos sunt multi qui operationem faciunt in aquis multis vt regius vates ait Psal. 106. idest, qui verbo & exemplo docent populos, qui vocátur aquæ multæ. Sunt multi qui à mané vsque ad vesperá in vinea Domini laborát doctrina & sanctis actionibus: ob quas denarium beatitudinis merentur. Qui duobus aut quinquè talentis, Domino suo magnum lucrum reportant. Hi non audient: Discedite à me: sed potius: venite ad me operarij iustitiæ. Contra veró Doctores & concionatores qui nolunt docere exemplo suo populum, hi audient discedite à me operarij iniquitatis. Hos enim odio prosequitur Dominus. Vnde Dauid ait Psal. 5. Odisti omnes operantes iniquitatem. Curent ergo diligenter qui sapientia pręstant: etiam virtute splendere: nam vt Ecclesiasticus docet gemmula carbunculi in ornamento auri. Per carbunculum significatur gloria virtutum, per aurum veró sapientia, quæ virtutum splendore fit illustrior & præstantior. Qui eiusmodi operarij sunt, procul abire iubent, & quá lógissime à se recedere omnes operarios iniquitatis. Cum illis enim prorsus nihil volunt habere commercij, illisque assimilari fugiunt: imó cum Domino hic & cú Dauide Psal. 6. aiunt: discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Maxime curare debent studiosi concionatores ac Christi fideles Doctores commercium & consortium sceleratorum Doctorum fugere, si illis similes esse nolunt. Sicut enim bonorú sotietas & conuersatio, multorum bonorum operum est causa, sic & malorú conuersatio multorú peccatorú. Iuxta illud quod Dauid ait: Cum sancto sanctus eris: & cum peruerso peruerteris. Et ideo qui vita, exemplo, & verbo, discipulus est Christi: cuius cibum comedit, & potum bibit: ab operarijs iniquis discedat, fugiat, procul que adsit. Ezechielé concionatorem & doctorem circunduxit Dominus per ossa arida in gyro. Licebat enim illi ossa videre: & in eorum circuitu ambulare, sed non tangere illa, & seipsum ex eorum tactu polluere. Erat enim lege prohibitum tangere cadauera. Ita licet viro iusto & sapienti alloqui impios & sceleratos operarios, eosque à vitijs deterrere, & ad virtutem cohortari, monereque vt verbo & exemplo alios doceant, sed illis familiariter vti non licet: ne eorum flagitijs coinquinentur. Id generaliter intelligens Moyses dicebat: Recedite à tabernaculis impiorum: nolite tangere, quę ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum. Quemadmodum qui é terra naufragium alicuius intuetur, potest illum tabula vel ligno, vel fune aliquando iuuare, sed nó ita se inuoluere debet cum illo, vt obruantur ambo: sic qui iustitia & sapientia præstat, debet operarijs iniquis scelerum maculis notatis, in vitiorum gurgite laborátibus, opem ferre verbis, consilijs, & exéplis, illisque aliquibus modis ne penitus submergantur, opitulari: sed ita caute & sapienter ne eorum maleficijs contaminentur. Quod si huic periculo expositos se esse viderint, dicant cum Christo Domino:

Doctores & concionatores vocantur operarij in sacra scriptura. Matt. 9. d & 10. & 20.

Psa. 106.

Matth. 25.

Psa. 5. d

Eccl. 32.

Psa. 6.

Psa. 17.

Ezech. 37.

Leui. 11.

Num. 19.

Leui. 17.

Simile.

mino: discedite à me omnes operarij iniquitatis: procul hinc adeste profani.

¶ *Ibi erit fletus et stridor dentium: cum videritis Abraham Isaac, et Iacob, et omnes Patriarchas in regno Dei, vos autem expelli foras.* Ac si apertiꝰ diceret. Famuli mei quoniam mecū, & mea causa passi sunt, mecum æterni conuiuij iucunditate fruentur. Vos qui seculi voluptates præposuistis æternæ fœlicitati, illuc abite, vbi erit fletus & stridor dentium. Augebit enim calamitatem vestram aliorum conspecta felicitas, quos hic fueratis persecuti. Videbitis enim progenitores vestros Abraham, Isaac, & Iacob, ac Prophetas omneis quos vestri maiores vel afflixerunt, vel occiderunt, accumbentes in regno Dei, ac vos ab his prognatos expelli foras, neque quisquam vobis prodesse generis & cognationis prærogatiuam: nihil profuisse legis obseruationem, nihil audisse nos, nihil ædidisse miracula. Per fidem intrandum erat & per pœnitentiā ad hanc fœlicitatem. ¶ Hic est fletus, hæ sunt lachrymæ quas miseri homines præponentes delicias suas æternæ beatitudini, & videntes iustorum felicitatem, in inferno positi fundunt. Hos describit sapiens. cap. 5. his verbis. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis: gementes præ angustia spiritus: dicentes intra se, pœnitentiam agentes. Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniā, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est. Quid nobis profuit superbia, & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Seipsos imprimis insensatos vocant & merito. Nam reuera omnes impij insensati & dementes sunt. Id intuens D. Paul. ad Roma. ait. Euanuerunt in cogitationibus suis & obscuratū est insipiens cor eorum. Et sanctus Iob. Volens impiorum ostendere ignorantiā ait: per diem incurrent tenebras, & quasi nocte sic palpabunt in meridie. Cum timor Dei, vt ait Dauid in Psalmo, & filius eius in Prouerbijs, sit initium sapientiæ, homines autē scelerati sint à timore Domini alienati, aperte sequitur, eos non solum sapientia carere, sed ne eius quidem habere principiū. Verba illa Psalmographi: dixi iniquis nolite inique agere, verti possunt ex Hebræo: Dixi dementibus, nolite insanire. Vel vt ea transtulit Pagninus: Dixi insanis, ne insaniatis. Idē verbū, & improbum significat & insanū, quoniā omnes improbi insani sunt. Recte ergo Augu. ait, peccata esse animarū tenebras. Et Chryso. Omnem malitiā appellat cæcam: & Gregor. Mentem malignitate captam cæteris esse stultiorem asseuerāter affirmat. Lactantius Firmianus, omnis, inquit, sapientia hominis in hoc vno est, vt Deum cognoscat, & colat. Socrates idē inquit esse sapientiam & virtutem; intelligens esse veram sapientiam cum virtute copulatam. Et quoniam videbat mortales flagitijs contaminatos, asseruit nullam esse inter illos sapientiā. Eam ob causam fortasse veteres Socratici mineruā, quam deam scientiæ fingebant, virginē esse dixerunt: vt veram scientiam à nullo homine esse cognitam significarent. Nā nec gentes illæ, nec Iudæi isti, cum non intrare voluerint per angustam portam, hoc est, per fidem, veram sapientiam habuerunt: sed cæci permanserunt, & ideo exclusi sunt à regno Dei. Fons sapientiæ inquit Ecclesiasticus, verbum Dei in excelsis. Quum autem hi omnes absq; fide nescierunt verbum Dei, quis non videt eos ex fonte sapientiæ non bibisse. Iure ergo optimo in inferno positi se insensatos vocant. Deinde obserua quod impij perpetuò lachrymas in inferno fundēt, quod voluptates & diuitias suas perpetuæ beatitudini præposuerint: & ideo gemendo dicent: Quid nobis profuit superbia & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam vmbra. Tanta erat istorum Iudæorum superbia, vt etiam opera alioqui bona, hoc est, obseruantiam legis, ieiunia, eleemosynas, & alia id genus deprauarēt, cum in illis iactantiam quærerent: quod multi mortales etiam facere solent. Quēadmodum Athenienses, vt illis obiecit Anacharsis Philosophus, non habebant num-

Marginalia: Sap. 5. — Omnes impij dicuntur insensati & quare. — Rom. 1. — Iob. 5. — Psa. 110. — Pro. 1. — Psa. 74. — Augu. — Chryso. — Grego. — Lactan. — Socrates. — Eccle. 1.

nummos nisi vt eos numerarent, sic multi non aliam ob causam in virtutū actiones incumbunt, nisi vt eas arrogāter prædicent. Fumus initio ingens, & densus, sursum ascendens facilè dissipatur: sic gloria superborum, sensim obscuratur & penitus euanescit. Vt ipsi in inferno positi fatentur amare flentes. Tandem maximè cruciabuntur, quod videbūt Abraham, Isaac, & Iacob cæterosque iustos accumbentes in regno illo cœlesti, ac se expelli foras. Vnde præangustia spiritus gementes dicent: hi sunt quos habuimus aliquādo in derisum: ecce quo modo cōputati sunt inter filios Dei & inter sanctos sors illorum est. ¶ Sed vt peculiariter cum his quibuscum loquebatur hodie Christus rem agamus aduerte: quod eorum fletum & gemitum timens & præuidēs Propheta Hieremias. cap. 13. ait. Date Domino Deo vestro gloriam antequam contenebrescat, & antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos (siue tenebrosos) expectabitis lucem, & ibi vmbra mortis. Quod si non audieritis in abscondito, plorabit anima vestra à facie superbię. Quæ verba exponens D. Hieron. sic ait: Saluator loquitur: Operamini dum dies est, veniet nox quando nullus vltra potest operari. De hoc tempore & Esaiæ vaticinium est: stellę enim cœli, & Oriō, & omnis ornatus cœli lucem non dabūt, & tenebrabuntur orto sole, & luna non dabit lucem. Sophonias quoque in eadē verba consentit, dicens: dies tribulationis, & angustiæ, dies miseriæ & perditionis, dies tenebrarum & turbinis, dies nubis & caliginis. Prius ergo quam iudicij tempus adueniat, & offendant pedes vestri, ad montes tenebrosos, aduersarias .s. fortitudines; quæ tormentis & cruciatibus præpositæ sunt, agamus pœnitentiā, ne expectantes lucem, noctis tenebris inuoluamur: sciamus quod nisi hoc fecerimus, ploraturam animam. Dicamus ergo Iudęis & nostris iudaizantibus, qui simplicem tantum & occidētem sequūtur historiam, nisi audieritis absconditè: hoc est in mysterio, siue in tenebris, quas posuit Deus latibulum suum: & iuxta Salomonem vt intelligant parabolam & tenebrosum sermonem, plorabit anima ipsorum, à facie superbiæ, dum per contumaciam resistunt Deo. Vnde & fletus erit iugis lachrymęque perpetuæ: eo quod à vero Nabuchodonosor captus sit grex Domini atque corruptus. Quam causam statim addit Propheta dicens: Plorans plorabit Hierusalē, quia captus est grex Domini. Quia ergo hi noluerunt audire in abscondito, hoc est, credere mysteria legis continentia Christum seruatorem, ideo perpetuò flebunt, maxime cum videant suos progenitores per hanc abscōditam viam intrasse in regnum cœlorū.

¶ *Ibi* (inquit) *erit fletus*. De hoc fletu ait Esaias. c. 24. Luxit vindemia, infirmata est vitis, ingemuerunt omnes qui lętabantur corde. In consumatione mundi, inquit Hiero. præteritarū deliciarū recordatio, erit materia cruciatuū. Vnde & diues ille in conuiuio purpuratus qui receperat bona in vita sua, eleuās oculos suos de inferno, Lazarū cernit in requie. Et Dominus increpans diuites & luxuriosos atque ridentes, loquitur in Euangelio: Væ vobis diuitibus, quoniam recepistis cōsolationem vestram. Væ vobis, qui ridetis nunc: quia lugebitis & flebitis. Quando igitur fuerit resurrectio mortuorum, & iudicij aduenerit dies, tunc lugebunt vinum atque vindemia: de qua Moyses loquitur: De vinea Sodomarum vinea eorum, propago eorum de Gomorra. Vua eorum, vua fellis, botrus amarissimus. Furor draconum vinum eorum, & furor aspidis insanabilis. Tunc omnis potio, siue vt Hebraicè dicitur, omnimo ebrietas, quæ statum mentis euertit, & homines euigilare non patitur, amaritudine commutabitur, quę ad tempus vtentibus se mella mentitur, & in nouissimo amariore felle reperietur. Tunc omnis dulcedo lætantium & tympanorum ac citharę sonitus in plantum vertetur ac gemitū. Hæc ille. Hinc erit quod Amos ait cap. 8. Et erit in die illa dicit Dominus Deus: occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis. Et conuertam captiuitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in plantum, & induçam super omne dorsum vestrum saccū, &

Marginalia: Simile. — Hiere. 13. — D. Hiero. Ioan. 9. a — Esai. 13 b — Sopho. 1 d — Orige. super ho. 9. Psa. 17. b — Esai. 24 — Infra. 16. — Supra. 6 d — Deut. 32. b c — Amos. 8

& super omne caput caluitium, & ponā eam quasi luctum vnigeniti, & nouissima eius quasi diem amarum. Hæc est terra illa quam lacbrymas perpetuas diffusuram prædixit Esaias in illo cap. 24. dicens: Luxit & defluxit terra & infirmata est altitudo populi terrę. Quia transgressi legem sunt, mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum. Et Hiere. cap. 4. Lugebit terra & mærebunt cœli desuper, eo quod locutus sum: cogitaui & nō me pænitebit nec auersus sum ab eo. Quod enim iuxta historiam de Hierusalem dicitur, & de Iudæa, referendum est ad mundi finem & deuastionem: vbi cœlum triste videbitur desuper & homines terreni lugebunt, eo quod Domini sententia, discedite à me operarij iniquitatis, ad finem vsque peruenerit, nec pœnituerit eum super his, quę cogitauerit & locut9 sit. Stat quidem sententia: ibi erit fletus, &c. ¶*Et stridor*, inquit, *dentium*. Stridor dentium, prodit indignantis affectū, & dicit indignationem in se aut in alium. Stridor igitur dentium apud inferos erit eis, qui comederunt vuam acerbam malitiæ & peccati. Vnde Orig. homi. 20. super Matthæ. ait: Dentibus strideant qui quoniam acerba manducauerant, malitia stupidi erant effecti. Vua enim acerba intelligitur malitia eius qui non obliuiscitur posteriora, nec appetit priora, sed permanet in idipsum, cū deberet ad maturitatem proficere dulcē, & offerre virtutis alicuius manducabilem botrionē. Hæc ille. Nec immerito hæc pœna parata est peccatoribus quando ipsi striderūt in hac vita aduersus iustos dentibus suis. Sic enim ait Dauid in Psal. 36. Obseruabit peccator iustum: & stridebit super eū dentibus suis. Laborant quidem impij modis omnibus, vt noceant iustis, & attēte obseruant illos: vt occasionem captantes & ansam aliquam inuenire desiderantes, ad inferendum eis nocumentum: & præ nimia ira, indignatione atque inuidia, etiam dentibus stridere solent contra eos: vel insigniū consumatæ aduersus eos indignationis, vel præcupiditate nocendi, eo quod pro voto & desiderio suo nō satis valeāt nocere. Sed audi quid statim

Esai. 24.

Hiere. 4.

Orige.

Vua acerba quid sit, ostenditur

Quare erit impiis in inferno stridor dētium.

Psa. 36.

A Dauid subiungat: Dominus autem irridebit eum, quoniam prospicit, quod veniet dies eius. Prospicit enim Dominus quod ventura sit dies vltionis aduersum illos: quando flebunt & stridebūt aduersus seipsos dentibus suis. Ibi, inquit Dominus, erit fletus & stridor dentium.

¶*Et venient ab oriente & occidente & aquilone et austro: et accumbent in regno Dei. Et ecce sunt nouissimi, qui erant primi, et sunt primi, qui erant nouissimi.* Adducit Christus & aliud, quod acrius vret

B in nouissimo die animos Iudæorum. Nā illis repulsis à regno Dei, qui credebant se solos esse recipiendos, venerunt ex omni totius orbis natione, ex omnibus mundi plagis, promiscue nulloque delectu, quibus nihil fuit cognationis cum Abraham, Isaac & Iacob, nulla notitia legis, nulla cum Christo familiaritas, & subito per fidem viuam adoptati in filios Abrahæ, accumbent in regno Dei. Ita res præter expectationem Iudæorū in diuersum versa est. Qui videbantur saluti proximi, procul à salute reiecti sunt. Et qui isto

C rū iudicio habebantur alienissimi à Deo, idolatræ, Cēturiones, publicani, milites, meretrices, primum honorem habuerūt in regno Dei. De qua mutatione admiratus maxime D. Paulus exclamauit in epistu. ad Roma. cap. 11. dicens: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius; & inperuestigabiles viæ eius. Hæc autē tria demiratur Apostolus: diuitias Dei: qui tā beneficus fuerit erga gentes: sapientiam: qui tantam eis sapientiam & sui cognitionem impartierit: scientiam: qui tam pru-

D denter inspiciat quid cui expediat: terribilis in consilijs super filios hominū: qui nunc subito & insperato ea quæ Iudæis peculiariter erant promissa, ad gentes ante dęmonijs seruientes præter omnium spem & expectationem transtulerit. Hoc iudicio Dei iusto quidem sed inscrutabili, synagoga quæ aliquando dixit: osculetur me osculo oris sui, pro eo quod murmurauit contra AEthiopissam: olim nigram, nunc formosam, sine macula, licet non sine ruga, lepra est perfusa. Et rensra si consideres honorem illum priorem: cū pon-

Rom 11. Quod relictis Iudæis conuersus sit Christus ad trahendū ad se idolatras & gentiles miratur Paul9, & merito quidem.

Cant. 1.

Num. 12. Orige.

Figura. pontificalis apud Iudæos ordo florebat: cum insignia sacerdotum: cum leuitica ministeria: cum maiestas templi, prophetalis splendor, & cum cœlestibus super terram consortibus vtebantur: & quasi ad manum haberent responsa diuina, ita vt sine Dei iussu & imperio nec pedem mouerent, quis honor fuit ille? Quę gloria? Sed nunc conspuit maritus in faciem vxoris, dato libello repudij Deu. cap. 25. Et expectabis me, imò ego expectabo te, ait Dominus per Osæam. Quandiu igitur expectat Dominus nolite obdurare corda vestra: sed dicite: venite & reuertamur ad Dominum: quia ipse cœpit & sanabit nos: percutiet, & curabit nos. Sed percussos videmus multos, quando autẽ curaturus est, inscrutabilia sunt iudicia eius. In die illa, inquit Zacharias, erit quod super frenum est, sanctum Domino: & erunt lebetes in domo Domini quasi phialæ ceram altari, & erit omnis lebes in Hierusalem & in Iuda sanctificatus Domino exercituum. Lebetes igitur isti domus est Israel: hi enim tempore futuro cum fiet vnum ouile & vnus pastor: ex lebetibus phialæ fient dignæ dilecto meo ad potandum: & ex vasis iræ & contumeliæ fient vasa misericordiæ & honoris. Sed quando hæc erunt? O altitudo diuitiarum, &c. Nos igitur cum etiam peccatores simus, & conclusi sub peccato timeamus profundum diuitiarum Dei. Latrones in cruce improperabant Christo: & tandem alter seruatus est, alter damnatus. Omnes discipuli scandalizati sunt, & solus Iudas perijt. Pharao induratur, & Nabuchodonosor cõuertitur. Quid hoc? O altitudo diuitiarum, sapientiæ & scientiæ Dei, &c. Tu ergo si accepisti remissionem peccatorum & pignus hæreditatis æternæ, tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. Quemadmodum gẽtes ex omnibus mundi plagis ad fidẽ venientes Iudęorum coronam acceperunt, vt in hoc loco testatur Dominus. ¶ Cæterum hæc vocatio gentiũ multo ante prænuntiata fuit. Esai. c. 49. ait Dominus: Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terrę. Quę verba D. Paulus sibi alijsq; Apostolis dicta esse testatur. Et per Osęam: Dicam non populo meo: populus meus es tu: & ipse dicet: Deus meus es tu. Quem locum D. Paul. in episto. ad Roma. degentium vocatione interpretatur. Antea celebris erat in Iudæa Deus, & in Israel magnum nomẽ eius. At adueniente Christo & per Apostolos suos fidem suam per vniuersum orbem propagante, impletum est id quod Dauid cecinerat: notum fecit Dominus salutare suum, in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam. Sed de hoc alias diximus.

[Margin: Deut. 25. Osæ. 3. Osæ. 6. Zacha. 14. Apo. 3. Tra. 54. Esai. 49. Acto. 13. Osæ. 2. Rom. 9. Psa. 75. Psa. 97.]

IN ipsa die accesserunt quidam Pharisæorum dicentes illi, exi & vade hinc, quia Herodes vult te occidere. Et ait illis, ite et dicite vulpi illi. Ecce eijcio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, et tertia die consumor. Verumtamen oportet me hodie et cras et tertia die ambulare: quia nõ capit Prophetam perire extra Hierusalem.

QVoniam hæc quæ superius narrauit Euangelista, inuisa quidem Iudæorum auribus, passim prędicabat Dominus cũ magna libertate, Pharisæi isti, vt iniecto metu obturarent os euangelicum, adierunt Iesum, dicentes illi: vt consuleret vitæ suæ, & relinqueret Galilæã. Quoniam Herodes eius prouintię rex illi maleuolebat, & venabatur occasionem eum occidendi. Quod si non caueret nihilo mitius eũ tractaret, quàm tractauit Ioannem. ¶ Obserua, hoc esse munus & officium impiorum inijcere concionatoribus euangelicis metum vt non doceãt quæ illis, inuisa & odiosa sunt. At euangelicus concionator Esaiæ, Hieremiæ, Eze-

[Margin: Munus impiorũ est inijcere metũ prædicatoribus Christi, vt non doceant quæ illis odiosa sũt.]

Ezechielis, Ionæ, Ioãnis Baptistæ, Apostolorũ, Christi deniq; seruatoris debet esse imitator, quos diuinus amor, libertas spiritus, excellẽs próptaq; virtus excitabãt, vt pro veritate nuncianda, nec exiliũ, nec cruciatus, nec mortẽ ipsam timerent, nihilq;, quod propter Deũ accidere posset, intolerandũ putarent. Quẽadmodũ Alexãder Magnus prohibuit, ne quis illũ pingeret præter vnũ Apellẽ, cui in arte pictoria antiquorũ ętas primas absq; cõtrouersia tribuit: sic nõ decet Christũ Deũ nostrũ à quolibet cõcionatore timido, indocto, adulatori prędicari. Sed à viris animi fortitudine pręstantibus, & sapiẽcia ac virtute excellentibus, qui posũt labentẽ & iacentẽ populũ à vitijs erigere, ab errore deducere, omnes in rerũ cœlestiũ amorẽ incẽdere, de arcanis redẽptionis nostrę grauiter disserere, & quęcũq; in animis hominũ motũ res & causa postulet, vel excitare vel sedare: qui denique iuxta D. Pauli doctrinam, possint rectẽ arguere, obsecrare, increpare in omni patientia & doctrina. Iam hic vides dominũ nihil cõmotũ quod audierit, *Herodes vult te occidere*, sed liberẽ adhunc modũ respondit.

Qualis debet esse prædicator euangelicus.

Simile.

1. Timo. 4

¶ *Ite, dicite vulpi illi, ecce eiicio dæmonia, &c.* His verbis declarare voluit Christus sibi nihil esse periculi à quoquã homine, nisi vellet ipse, nec se moriturũ, nisi eo tẽpore quo decretũ esset, nec alio genere mortis, nec alio loco, quã cõstitutũ esset. Vocat autẽ eũ vulpem quod versutia humana credebat aliquid posse aduersus consiliũ Dei. Vulpes, est animal mirẽ astutũ: cuius astus in fabulis celebratur, latrant vt canes, nec vnquã mãsuescunt. Latent in cauernis, & latẽtes decipiunt, odore tetro etiã putent. Quũq; apparuerint, nunquã rectis itineribus, sed tortuosis anfractibus currũt, dicitur esse amica coruo propter cõmunes inimicitias cum æsalone. Quæ omnia principib9 tyrãnis eorũq; ministris si bene perpẽdantur cõueniũt: & ideo merito in hoc loco impi9 rex appellatur à Christo vulpes. Sed væ his vulpibus nam tandẽ tradentur in manus gladij & partes aliarũ vulpiũ erũt vt David ait Psa. 62. id est, in partes hæreditatis dæmonũ erunt. Sicut Deus est pars hæ-

Ari. 9. hist. anima. 3. Arno s. ps. 62.

Herodes atque cæteri principes tyranni comparãtur vulpi & quare.

Psa. 62.

A reditatis iustorũ, Psa. 50. Dñs pars hæreditatis meę, &c. Dęmones enim vulpes sunt quibus astuti & vafri principes cũ cęteris hominib9 sceleratis dabũtur vorãdi atq; cruciãdi in perpetuũ. Ait ergo Christus: *Dicite vulpi illi, ecce eiicio dæmonia, & sanitates perficio, hodie, & cras, et tertia die consumor.* (vbi præsentia pro futuris de more scripturę accipiũtur, eijciã, perficiã, consumabor) quasi dicat: ego paucos adhuc dies sum victurus, & miracula perpetraturus, postea interficiar.

Psa. 15.

B ¶ *Quia non capit Prophetã perire extra Hierusalẽ.* Vel nõ vsu venit, nõ licet Prophetã perire extra Hierusalẽ. Siquidẽ illa est vetus prophetarũ interfetrix. Non igitur mihi fugiẽdus est Herodes. Sed petẽda est Hierosolyma, vbi mori decretũ est, vt palã fiat omnibus ciuitatis illius impietas, quæ se nomine religionis iactat.

¶ *Quia non capit.* ἐνδέχεται, quod Matthæus dixit χωρεῖ, est autẽ velut verbum impersonale. q. d. ipsa natura rerũ nõ fert. ¶ *Hierusalem Hierusalem.* Est figura metonymia, seu transformatio: cũ continẽs

C pro eo quod continetur, vsurpatur: vt apud Esaiam: vlulate naues maris. Hoc est, lamentamini, qui in nauibus nauigatis. Et apud Ezechielem ecce ego ad te mons Seir. Hoc est, ego vos castigabo Idumæi qui habitatis in monte Seir. Et rursum: montes Israel audite verbum Domini.

Metonymia. i. trãsformatio- ne vtitur scriptura, cũ accipit continens pro contẽto.

Esai. 23.

Ezech. 35.

Ezech 36.

¶ *Hierusalem* Hierusalem. Figura etiam hic est quæ palilogia à Gręcis dicitur, satis frequens in diuinis literis, cum repetitur idem verbum, vt tertio regum: altare altare hæc dicit Dominus Deus.

Palilogia vtitur scriptura cum eadem verbum repetitur.

3. Reg. 13.

D ¶ *Hierusalem Hierusalem qua occidis prophetas, ect.* Quàm vera sit hæc Christi sententia probatione non eget: cum passim si legas scripturas inuenire poteris viros pios & iustos fuisse ab impijs & flagitiosis per summum scelus crudeliter trucidatos. Hinc erant voces ille repleta est terra sanguinibus, hoc est, homicidijs. Et rursum: manus vestræ sanguine plenæ sunt. Manasses enim sanguinẽ innoxiũ fudit, & vt verbis vtar diuinæ scripturæ, impleta est Hierusalẽ sanguine

Sẽper pii ab impiis fuerũt trucidati

Ezechi. 9.

Esai. 1.

4. Reg 21.

vsq; ad os. Hoc ergo est quod illis imprę sentiarũ Christus obijcit dicens: *Hierusalē Hierusalē qua occidis Prophetas, &c.* Et D. Stephanꝰ, vt refert in Actis Apostolorum D. Lucas, in oratione, quā habuit apud Indęos, ait: Quem Prophetarũ non persecuti sunt patres vestri? Et occiderũt eos, qui prænuntiabant de aduentu iusti. Et D. Paulus in episto. ad Hebrę. lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt. Vt aquilarũ pennæ aliarum auium pēnas suo tactu corrũpũt, sic potentes & magnates Iudæorũ crudelitate & impietate sua debiles & innocentes ad excidium vocabant: & potētia sua impiē abutebãtur. Vt magna flumina, cũ extra alueum diffluunt, & propter impetuosam aquarum alluuiem & inundationem diffunduntur, vix possunt agros implere, & vndis obruere, quin illis noceát & messes euertant, sic magnæ diuitiæ, potentię, & dignitates cùm crescunt impetu apud impios, & inundant, vix reipublicæ campos operiunt, quin eos lædãt, debilium opes eradicẽt & innocentium sanguine fossas impleant, & secum quicquid inuenerint, rapiant: vnde procedũt cædes, clades, strages, & multorum calamitates & detrimenta. Sed illi præcipuē, qui talia inferunt alijs, sibi ipsis nocent, & nescientes interitum conflant, quoniã cum alios vulnerant in corpore, suã animam interficiunt. Ipsi ruunt in perniciē voluntariam, & sibi ipsis æternam mortē moliuntur, cum alios opprimũt iniurijs: innocentes autem, qui eas propter Deũ tolerantes ferunt, æternam gloriæ coronam adipiscuntur, quemadmodũ si quidam ira cõmotus, & excãdesentia perturbatus volens alium occidere, in eum iaceret prætiosas gēmas & margaritas, & ingentis prætij monilia, nullũ illi inferret detrimentũ, qui prætiosa illa colligebat, sibiq; obseruabat: ita tyrãni volentes viros pietate & charitate præstantes lapidibus obrruere, & ferro ac flãma vita priuare, eos calamitatibus & varijs martyrij generibus præmunt, quibus rebus illi gloriantur, & ditescunt, & tolerantia muniti, omnes contumelias, quas æquo animo propter Deum ferunt, pretiosas & inæstimabiles diuitias esse rectē arbitrantur. Huiusmodi erant Christi martyres, qui cum raperentur ad supplicium, ita lęti progrediebantur, ac si ad excellentissimum variarum epularum conuiuiũ ducerentur. ¶ *Hierusalem Hierusalem.* Euthimius Psa. 56. ait: quod duplicatio vocatiui in scriptura aut demõstratio est miserationis, aut diligentis vocationis signum. Vt in hoc loco. Et alibi. Eli Eli, &c. Theophilatus hunc locum sic interpretatur. Duplicatio nominis ostendit amorē, quem erga illos habebat Dñs. Quemadmodũ enim amator quis ab amica contēptus: ita reuocat ipse adulterã synagogã.

¶ *Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum auis nidum suum sub pennis, & noluisti.* Verba sunt Christi ad ingratam & fedifragam Hierosolymã. Eodem modo olim Dñs apud vatē quãdã dicebat: mundare te volui, & non es mũdata. Sed dicet aliquis. Si Deus volebat Hierosolymam expiare, quo modo illud non fecit? Quomodo non impleta est voluntas eius: cũ ipse dicat apud Esaiam: cõsilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Et dicat per Psalmographũ: omnia quæcũq; voluit, facit Deus? Huic obiectioni facile respondebis, si dixeris, voluntatē Dei, quæ in ipso est, quæ est ipsemet volens, semper habere effectũ suum: non autē eam voluntatē, quæ voluntas signi appellatur. Fieri quidē potest, vt aliquid fiat extra ordinē alicuius causæ particularis agentis, non autem extra ordinem causæ vniuersalis, sub qua omnes causæ particulares comprehenduntur: nam si accidat, vt causa aliqua particularis effectum suum non obtineat, hoc erit ob alicuius causæ particularis impedimentum. Quæ sub ordine causæ vniuersalis necessario contineatur. Cum autem voluntas Dei sit causa vniuersalis omnium rerum, fieri non potest, vt suum effectum non consequatur, eam ob causam id, quod recedere videtur à diuina voluntate iuxta quęndam ordinem, relabitur in ipsam iuxta alterum: quemadmodum qui tetra facinora committit, seque à Deo obducit & separat, & si secundũ ordinem gratiæ recedit à volũtate diui-

Acto. 7. | Hebr. 11. | Simile. | Simile. | Simile. | Euthimiꝰ Psa. 56. | Theophi. | Esai. 46. | Psa. 115. | Voluntas Dei efficax semper habet effectũ non autem voluntas signi.

diuina, tamen secũdum ordinem iustitiæ incidit in eam, cum pœnas luit suis sceleribus debitas & iustas. Volebat Deus mũdare hierosclymam à delictis suis, imò vt verbis vtar Apostoli, vult omnes homines saluos fieri, sed hoc, vt ait Damascenus, intelligitur de uoluntate antecedente, non autem de voluntate consequente. Quicunque iustus iudex vult omnem hominem viuere voluntate antecedente: sed voluntate consequente vult, vt homicida vita priuetur. Eodem modo vult Deus antecedenter, vt omnes gloriam immortalem consequantur, at consequẽter vult, illud diuina iustitia exigente, quosdam in cęcas tenebras relegari, vbi ob nefaria facinora sua in æternum crucientur: volebat voluntate antecedente mundare & conseruare Hierosolymam, sed quia illa noluit, voluit voluntate consequente eam vastare & euertere. & hæc voluntas eius impleta est, quæ est propriè voluntas. Nam voluntas antecedentis non est simpliciter voluntas, sed secundum quid: & vt verbis vtar scholasticis, potius dicitur velleitas, quàm simpliciter voluntas. Ex quibus concluditur, omne id, quod Deus simpliciter vult fieri, etiam si id, quod antecedenter vult, aliquando non fiat. Hæc Dei voluntas quæ propriè voluntas est, appellatur voluntas beneplaciti, & voluntas consequens, altera verò volũtas signi, & voluntas antecedens. ¶ *Nidum suum*. i. pullos suos. Cõtinens pro contento.

1. Tim. 2.

¶ *Ecce relinquetur domus vestra deserta*. Atque hoc idem multo ante prædixerat Esaias. cap. 32. Domus, inquit, dimissa est, multitudo vrbis relicta est. Et rursum cap. 66. Vox populi de ciuitate, vox de téplo, vox Domini reddentis retributionẽ inimicis suis. Dixerat esse Iudæos ob suã infidelitatem & malitiam confundẽdos. Nũc explicat Propheta eorum ærumnas & calamitates. Ac si dicat: obsidebuntur à Romanis, & in tantam miseriam incident, vt præ dolore & desperatione vehementes fletus & clamores emittant. Audietur enim clamor miseri & ærumnosi populi, tumultus & eiulatus ex omni parte de ciuitate & téplo. Et ita sentiẽt Deũ

deuastatio Hierusalé a Romanis non solũ a Christo sed ab aliis Prophetis prophetata est Esai 32. Esa. 66.

A iratum, ac si audirent vocẽ eius illos premientis, & duriter increpantis, quoniam erunt à Romanis capti, & occisi, & eius ciuitas funditus euersa. Quod etiam Michæas Propheta in hunc modũ prædixerat: Sion quasi ager arabitur, & Hierusalem quasi aceruus lapidum erit, & mons templi in excelsa syluarum. De hac deuastatione loquebatur idem Dñs cũ apud Ezechielẽ dicebat. Tertia pars tui peste morietur, & fame consumetur in medio tui, & tertia pars tui in gladio cadet in B circuitu tuo: tertiam vero partem tui in omnem vẽtum dispergam, & gladiũ euaginabo post eos. Et cõplebo furorẽ meũ. Quid est hoc Dñe Deus? Nonne tu es ille, qui populum Israeliticum ab alijs nationibus tuebaris? Qui eorũ salutem tutissima custodia tegebas? Vbi sunt misericordię tuæ antiquæ Dñe: sicut iurasti Dauid in veritate tua? Cur te Dñe mutasti: nonne tu es ille, qui dixisti per Malachiam Prophetam tuum: ego Dñs, & nõ mutor? Es quidem & absq; dubio immutabilis es. Tu enim qui hoc asseris es veritas ipsa: & veritas mentiri nõ potest. Nos C sumus qui mutamur, & vento velociores sumus. Dicitur Deus nobis esse aliquãdo mutatus, quia ipsi nos mutamus. Quẽadmodum colũna modo tibi est dextra, modo sinistra, quia tu situm mutasti, cũ illa sit immobilis, & semper vna, sic Deus modo tibi est benignus, modo iratus, quia tu à virtute te ad vitiũ contulisti, cũ ille sit semper idẽ immutabilis & sempiternus. Si in virtutũ actiones toto pectore incumbueris, habebis diuinã colũnam totũ vniuersum sustentantem tibi dextram & propitiã, si verò virtuti nuntium remiseris, D teq; flagitijs contaminaueris, eam habebis sinistrã & iratam. Compleuit ergo dominus furorem suum deuastando Hierusalẽ atq; Iudeã habitantes. Qua propter merito Hieremias hos olim comparabat cũ myrica in loco arido & inculto nata. Est enim myrica virgultũ abiectũ & syluestre, quod nec fructu, nec vmbra affert vtilitatem, nec amænitatis specie iucunditatem, nec radice medicinam, aut remedium aliquod salutare. Ad nullum vsum reseruatum, nisi ad secandum, &

Michæ. 3.

Ezech. 5.

Psa. 88.

Malach. 3.

Quo sensu dicatur Deum mutari. Similitu.

Hiere. 17.

& incendio consumendũ. Cũ denique Iudæi essent vinculis auaritię constricti, & Hierosolymę existentes colerent Babylonem, hoc est mundi confusionẽ diligerẽt, omnique vitiorũ genere se pollueretẽ, & coinquinarẽt, venit Christus Deus noster à cœli fastigio, ad terram descendẽs, vt mentes hominum, que in tenebris versabantur, diuino lumine lustraret a Babylonica seruitute ad spiritualem libertatẽ, & ad cœlestis Hierosolymæ amplitudinem reuocaret, & à morte æterna ad vitã immortalem tandem perduceret. At eũ Iudęi scelerum maculis notati contempserunt, & ad cædem crudelissimam innocentissimum agnum vocarunt. Quare vtraque morte & temporali & æterna eos deuorante fuerunt miserè consumpti, & in pœnas ęternas præcipitati. Fuerunt tamen ex illo populo ad Christum cõuersi, Apostoli & cæteri illi qui fidem susceperunt. Hi sunt, de quibus prædixerat his verbis Esaias: nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus. Ita hunc locum diuus Paulus in epistola ad Romanos explanat. Paucos illos, qui ex magna illa Iudæorum multitudine Christi fidẽ amplexati sunt, appellat Esaias semen, volens agricolas imitari, qui cum messium sterilitatem conquaeruntur, aiunt, vix, semen superfuisse. Hos appellat etiam reliquias idem Propheta, dicens: si fuerit populus tuus Israel quasi arena maris, reliquiæ conuertẽtur ex eo. Et diuus Paulus in epistola ad Romanos: sic in hoc tempore reliquiæ secundũ electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Appellans Esaias reliquias Israelis eos, qui Christo adhæserunt, indicauit non esse Iudæorum populum in Christum crediturum, sed tãtum paucos ex eo. Id alio loco apertius explicans inducit eundem Christum ita loquentem: tota die expandi manus meas ad populum non credentem, sed cõtradicentem mihi. Et Hieremias, negauerunt, inquit Dominum, & dixerunt: non est ipse. Et Amos. Odio habuerunt corripientem, & perfectè loquentem abominati sunt. Vnde Dominus Iesus dirigens in hoc loco & apud Matth. ad Hierosolymam sermonem suum aiebat: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodũ gallina congregat pullos suos sub alas suas, & noluisti. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Quibus verbis incredibilem Iudæorum ingratitudinem & impietatem ostendit, & eorum excidium prædicit. Insipientes & iniqui pueri irridebant Elisæum in montem ascendentem, sed venerunt duo vrsi, qui illos lacerauerunt. Iudæi amentes & impij Christum ad montem Caluariæ ascendẽtem illudebant, sed venerunt duo crudeles vrsi Vespasianus & Titus, qui eos ad ferrum & flammam vocarunt, & immaniter occiderunt. Ex quibus qui viui relicti sunt, fuerunt in miseram seruitutem redacti quorũ postea nonnulli Christi fidem receperunt.

Esai. 1. Rom. 9. Esa. 10. Roma. 11. Esai. 65. Hiere. 5. Amos 5. Matth. 23. 4. Reg. 2.

CAPVT XIIII

❡ *Dominica. 16. post Pentecostem.*

ET factum est cum introisset Iesus in domum cuiusdam principis pharisæorum Sabbato manducare panem, et ipsi obseruabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Et respõdens Iesus dixit ad legis peritos et pharisæos, dicens. Si licet Sabbato curare? At illi tacuerunt. Ipse vero apprehẽsum sanauit eum: ac dimisit. Et respondens ad illos dixit, cuius vestrũ asinus aut bos in puteum cadet: & non continuo extrahet illũ die Sabba-

bati? Et non poterãt ad hac respondere. Dicebat autẽ et ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos ac cubitus eligerent. Dicens ad illos: cum inuitatus fueris ad nuptias, non discũbas in primo loco, ne forte honoratior te sit inuitatus ab illo: et veniens is qui te et illum vocauit, dicat tibi, da huic locum, & tũc incipias cum rubore nouissimum locum tenere. Sed cũ vocatus fueris, vade recumbe in nouissimo loco: vt cum venerit qui te inuitauit, dicat tibi, amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discũbentibus, quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: et qui se humiliat, exaltabitur.

4. Reg. 6. Per panem & aquã in sacra scriptura omne alimentũ significatur.

1. Reg 14.

S*Abbato manducare panem.* Per panem & aquam intelligi omne alimẽtum indicat locus libri quarti Regũ capite sexto ita habens: pone panem & aquam coram eis, vt comedant & bibãt, & vadant ad domum suam: appositaque est ciborum magna præparatio, & comederunt & biberunt. Et lib. 1. Regum narrat diuina historia, Ionatham comedentem fauum mellis præceptum patris fregisse dicentis. Maledictus qui comederit panem vsque ad vesperam. Vbi vides nomine panis intelligi etiam fauum mellis, & omnem cibum. In hanc significationẽ accipitur in hoc loco dicente Luca. *Cum introisset Iesus in domum cuiusdam prin*-

A *cipis Sabbato manducare panem.* Nam apud Hebręos panis appellatur, lechem, à verbo lacham, quod significat comedere. Vnde quicquid comeditur, panis appellatur. Gene. cap. 21. refert scriptura sacra Abraham surrexisse mane & imposuisse scapulæ Agar panem & vtrem aquæ: vbi per panem & aquam intellige quicquid ad victum & vsum quotidianũ necessarium erat. Sic etiam apud Esaiam dicitur: ecce enim dominator Dominus auferet à Hierusalẽ omne robur panis, hoc B est, spoliaturus est Deus Iudæos cibo & potu, quibus rebus corpus reficitur & sustentatur.

Gen. 21.

Esai. 3.

§ *Obseruabant eum.* More suo pharisæi obseruabant Iesum, si quid diceret faceret ve, quod in eo calumniarentur. Hic primum obserua, quod hi homines omnibus sceleribus repleti, omnibusq; vitijs imbuti, sui penitus obliti & immemores, obseruabant Iesum, non solum innocentem, omniq; labe expertem, sed agnum Dei ablaturum peccata mundi. Vt hinc intelligas discrimen inter iustos & scele- C ratos. Iusti namque non alios sed seipsos obseruant, si quid dicant, aut faciãt, quod corrigant emendent vé. Hoc enim significare volens Spiritus sanctus apud Ezechielẽ de sanctis animalibus loquens ait: Vnúquodq; eorum coram facie sua ambulabat: impij vero non seipsos sed alios obseruant, si quid inueniant quod calũnientur, aut in quo offendant. Cuius exẽplo esse poterunt pharisæi, qui cũ obseruabant mulierẽ adulterã, peccata sua nõ videbant: sed in ea adulteriũ calũniabantur: cũ autẽ Dñs Iesus digito suo scribens D in terra peccata illorum ob oculos poneret, vnus post vnũ exibant. Exẽplo etiam esse poterit Dina filia Iacob, quæ tantorũ malorum occasio fuit, eo quod egressa est vt videret & obseruaret mulieres regionis Sichimitarũ, vt in lib. Gene. traditur. Secundo obserua hos pharisæos, eò calumniari opus hoc misericordię, quod Christus fecit in die Sabbati: quod insidiatores erãt. Hoc enim est munus, & hic est mos insidiatoris, bona etiã opera dãnare & calũniari, iudicãtes secũdum suum distortũ iudicium, péruersamq; sentẽtiã.

Iusti non alios sed seipsos obseruant at impij alios obseruant vt murmurent.

Ezech. 1.

Gen. 34.

Munus insidiatoris quale.

Euaristus. Vnde Euaristus Pontifex secunda.q.7.c. A non est a plebe, ait. Insidiator sæpissime bona in mala conuertit, & in electis ponit maculam. ¶ Præterea, iam hic vides mundi huius expressam imaginem & figuram. Vis scire quid sit mundus? Intuere mensam istorum calumniatorum insidiantium innocentem Christum. Mundus ergo iste in maligno positus, mensa quædam est adulatorum ad conuiuiū inuitantium, mensa quædam est calumniatorum simplicem ac iustum calumniantium: mensa insidiatorum, mēdatium ac bifrontium. In hoc enim mundo non pater à filio, non dominus à seruo, non frater à fratre, non hospes ab hospite tutus. Vnde regius vates Psal. 101. ait: qui laudabant me aduersum me iurabant. Ac si diceret: illi qui mihi blandiebantur, amicitiam verbis simulabant, & confictis adulationibus exterius applaudere ac amicitiam ostendere videbātur, aduersum me coniurabant, in eum malum definito consilio conueniebant, vt sub specie amicitię incautum in mortem traherent. Nusquam tuta fides, nusquā tuta veritas, nusquam tuta amicitia. Inuitant pharisæi Christum, accumbunt simul amicitiam simulantes, & non desinunt illum obseruare in mensa, si quid proferat aut faciat quod in eo arguant. Sic huius mundi sectatores amicitiam fingunt, vt innocentē incautum capiant, ore suo, ait Rex Dauid benedicebant, & corde suo maledicebāt. Quo enim facilius homines scelerati decipere possint iustos, blanda quidem ostentant in ore: & proponere videtur placentia, primaq; fronte admodum arridētia: cor autem eorum ad nocendum est, & nouissima atque intima eorum maledictione, execratione, & morte plena sunt. Merito dicebat Ioannes: mundus totus in maligno positus est. Nolunt reges, nolunt principes, nolunt magnates veritatē audire. Loquimini, inquiunt, nobis placentia, loquimini ea, quæ nobis placere senseritis, non quæ vera sunt. Aspice mundi corruptelam, aspice perditissimorum hominum cæcitatem. Talis erat Achab, qui interroganti Iosaphat vtrum esset aliquis Propheta Dñi, qui veritatem prædiceret, hęc verba respondit: Remansit vir vnus, per quem possumus interrogare dominum, sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum. Et paulo post refert scriptura eūdem regem iratum vaticinio prophetæ eum in carcerē coniecisse, vbi pane afflictionis, & aqua angustiæ sustentaretur. Et Asa alium Prophetam illi vaticinantem, ac veritatem dicentem: in carcerem relegauit. Vtinam hodie nemo esset qui veritatem audire refrigeret. At videtur hoc esse tempus illud, de quo dicebat D. Paul. in epistola ad Timo. Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Quærunt iam homines qui sibi ad blandiantur impunitatē promittentes, & leniter aures scalpant, non veritate radant. Quęrunt concionatores similes vexillo in summitate mali nauis, constituto, quod cum vento mouetur & mutatur. Sic volunt homines præsertim principes, vt concionatores, vt eorū subditi, eo tendant, quo ipsi propensi sunt, ipsorumque voluntatem sequantur. Vt enim heliotropium herba circum agitur cum sole, sic volunt vt illic cum ipsorum voluntate circunagantur. Huius mundi figuram etiam gerebat non solum præsens conuiuium, sed conuiuium illud grāde quod fecit Balsasar Rex Babylonis optimatibus suis. Tunc enim apparuerunt digiti: quasi manus hominis scribentis contra candelabrum. Nemo tamen conuiuarum potuit aperire veritatem scripturæ, sed potius abutebantur vasis templi Domini, laudabantque coram Rege non Deum verum, sed Deos suos aureos, & argenteos. Nihil verum, nihil sincerū, in hoc mundo inuenies: omnes veritatē fugiunt: omnes insidias parāt omnes huius mundi sectatores animal illud quatuor facierum quod vidit Ezechiel imitantur. Faciem habent hominis & faciē leonis. Ego mittam vobis spiritum veritatis quem mundus non potest accipere dicebat Christus apud Ioānem. Mundus enim hic, qui terrenis ac falsis bonis inhiat,

Marginalia: Mundus iste mensa quædā est calumniatorum & insidiatorum. — Psa. 101. — Psa. 61. — 1. Ioan. 5. — Esa. 30. — 3. Reg. 22. — B — C — D — 2. Para. 16. — 2. Timo. 4 — Simile. — Simile. — Dan. 5. Figura. — Ezech. 1. Figura. — Ioan. 14.

biat, qui habet oculos crassos, qui non amat nisi crassa terrenaque, spiritum illũ, qui cœlestis est, & verax, nec potest accipere, nec videre, neq; cognoscere. Mundi typ9 erat AEgypt9 percussa tenebris, & longæ noctis compedita. Sic impij in tenebris errorum, mendaciorum atque adulationum ambulant. Huius mundi figura erat Babylon, vbi simulatione & mẽdatijs plena erant omnia. Comedebant enim sacerdotes impensas vel & persuadebant regem, eas quotidie consumi ab idolo. Non immerito dicebat olim Propheta regius: diminutæ sunt veritates à filijs hominum: vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suum: labia dolosa in corde & corde loquuti sunt. Et tandem subdit: in circuitu impij ambulant secundum altitudinem tuã multiplicasti filios hominum. Ac si diceret: quoquo te vertas impios inuenies mẽdacijs & fallacijs plenos, qui te obseruent, circumeant ex omni parte: vt tibi malũ aliquod parent. Intuere obsecro si aliam huius mundi effigiem videre desideras, domum Isaac & domum Labã: & vtramque dolis & fallatijs repletam deprehẽdes. Iacob per astutiam matris præripit benedictionẽ: Esau minatur mortem Iacob: Rebecca aduersatur Esau, & Esau Iacob. Rursum: Labã supponit Liam Iacob seruienti septem annis pro Rachel. Et Iacob decipit Labã in conceptu pecorum: Rachel verò deludit eundem Laban quærẽtem magna cũ solicitudine idola sua. Si hæc in domib9 piorum contingebant: quid fiet in domibus impiorum? Hoc idem videre licebit in domo ipsa domini, atque in mẽsa eius. Non mensę solum sed catini sodalis Christi erat Iudas & ibi insidias eius vitæ præparabat: proq; familiaritatis officio plus quam hostilia reddere volebat. Cũ panis & salis cõmunio soleat etiam ignotos amicitiæ fœdere iungere. Vnde Christus ait illi: quod facis fac citius. Vbi enim vidit destinatam eius maliciam, nec pudore, nec metu flecti: iam enim penè proditus erat, nec abfuisset à periculo, si Iesus illum prodidisset, ablegat eum à cõuiuio, & patrandi facinoris, quod iam certa voluntate concepta patrarat, potestatem fa-

Exo. 10. Figura.

Dan. 14.

Psa. 11.

Gen 27. & 30. & 31.

Matth. 26.

Ioan. 13.

A cit. Mundus ergo iste conuiuium est obseruatorum, & insidiatorum. Domus est adulatorum: de quibus Dominus apud Ezechielem ait: deceperunt populum meum dicentes, pax, & non est pax. Et ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis. Qui ad gratiam loquuntur, inquit Theophilatus, & arguunt peccata populi tantum in superficie, liniunt peccata populi veluti parietem quendam. Et quemadmodũ ruit statim ædificium linitum luto non misto paleis: sic ruit omne ædificium impiorum,

B terrenum cum sit atque luteum omniq; falsitate plenum. Si Christus Domin9 cũ peccatoribus edebat, mundus statim eũ calumniabatur dicens: hic peccatores recipit: & manducat cum illis. Si cum Phariseis religionem & pietatem profitentibus manducabat, conniuæ obseruabant eum. Quoquo se vertebat omnia plena dolis inueniebat, omnia laqueis conferta. Tu ergo fili si accedere vis ad seruitutem Dei præpara ad tentationem animã tuã. Mundus enim te obseruare non cessabit, si quid inueniat, quod in te repre-

C hendat. Qui enim pie in Christo viuere volũt persecutionẽ patientur ait Paulus.

¶*Et ecce homo quidam hydropicus*. Et, pro, *nam*. More Hebræorũ. Cæterũ notãda est regula (vt scriptũ inuenimus in secũdo opere, titulo Chrysost. in Matth. ho. 33.) quod solet Christus plerũq; quando de mysterio alicuius rei est locuturus, ante introducere corporaliter faciẽtẽ idipsum, vt ex eo occasionẽ inueniens, tã corporalẽ narrationẽ mysterij, quàm rei propositũ exequatur. Vt cũ de compescenda iactãtia pharisæorũ in hoc loco locutur9

D esset, introducit primũ hũc hydropicũ & eũ sanat: vt in coporali tumore hydropici, iactãtiæ pharisæorũ prępingeretur inflatio. Et apud hũc eundẽ Lucã, ex lotione vrceorũ docet immunditiã pharisæorum & sordes, quę eluendę erant. Multa passim huius regulæ inuenies exempla. ¶Hydropicus iste figuram gerit hominis auari, & merito quidẽ, nã queadmodũ hydropicus perpetua inflatione ac siti insatiabili, fætidoq; anhelitu laborat: sic auar9 laborat superbia & elatione dicẽte Pau-

Ezech. 13 b.

Theophil.

Eccle. 2 a

2. Tim. 3.

Regula Chrysost.

Hydropicus figura auari hominis.

 lo:

1. Tim. 6. lo: diuitibus huius seculi pręcipe, non sublime sapere. Quo morbo laborabāt pharisæi isti. Vermis enim diuitum vt verbis vtar Augustini, superbia est. (Augusti.) ¶ Laborat siti diuitiarum. Sic enim ait Salomon in Prouerbijs: (Pro 30.) Sanguisugę duæ filiæ sunt dicentes, affer, affer. Diabolus enim sanguisuga dici potest, quod sanguinem peccati semper sugat ac sitiat. Huius filiæ sunt & auaritia & ingluuies dicentes semper affer, affer. Auarus non impletur pecunia ait Ecclesiasticus. (Eccle. 5.) ¶ Minime autem mirandum est hac siti insatiabili diuites auari grauari. Tum, quod cum habeant animos Dei capaces, nihil minus Deo eos implere potest, cum ergo totus terrarum orbis ante Deum sit quasi gutta roris antelucani, vt in libro Sapientiæ scribitur, (Sap. 11) non mirum quod hominis vnius animū implere non possit. Hinc vox illa Alexandri fuit: mundus vni non sufficit homini. Tum etiam, quod pecuniarum desiderium infinitum cum sit, satiari non potest pecunijs, quæ finitæ sunt. Naturalia desideria, ait Seneca, finita sunt: ex falsa opinione nascentia: innaturalia vero vbi desinant non habent. (Seneca.) Nullo sane fine mēsuratur desiderium diuitiarum in eo, qui solum diuitias & opes habere vult, vt habeat. Tum prætereа, quia permultis indiget vt Boetius ait, qui permulta possidet. (Boetius.) Si adest aurum & argentum statim eges clauibus, seris atque alijs multis quibus seruentur: si habes plurimum frumenti, opus tibi est horreum grande quo reponatur: si vineas possides cellario & dolijs indiges: si multas denique habes opes, multos etiam habebis qui comedant eas vt testatur Ecclesiasticus. cap. 5. (Eccle. 5.) Et ideo non mirum vt diues nunquam diuitiarū sitim extingat. Altera enim cupiditatum vt inquit Seneca, ex fine alterius trahitur. (Seneca. Simile.) Qui sitim suæ cupiditatis extingere affectat, similis sané est ei, qui salsa aqua sitim extinguere contendit. Adde his, quod ardor & desiderium nimium diuitiarum, est veluti ignis, qui, vt Salomon testatur, nunquā dicit, sufficit. (Pro. 30.) Non enim extinguitur sed potius magis ac magis augetur lignorum appositione: sic crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

A Quid quod res huius mundi omnes inanes & caducæ sunt: quare sicut nihil, inani impletur, sic nec animus diuitijs opibusq; huius mūdi omnibus. Ad quod pertinet quod D. Bernardus ait: nō plus satiabitur cor hominis auro, quam corpus aura. (Bernar.) Hinc erat quod olim vates quidam dicebat: aspexi terram, & ecce vacua erat, & nihil. (Hier. 4.) Nec solum auarus omnis dicēdus est inanis & vacuus: sed pauper & mendicus si propter auiditatem pecuniæ, inquit Cicero, quotidie decipis, (Cicero.) B poscis, eripis, sunt ne hęc signa abundantis an egentis? Animus humanus, non arca, diues appellari solet, quanuis illa plena sit. Cum inanem te videbo, diuitem non te reputabo. Et subdit: contentum suis rebus esse, sunt maximæ & certissimæ diuitiæ. Quasi diues potest auarus esse, sed veré diues nunquam erit. Est quasi diues, ait Salomon, cum nihil habeat: & est quasi pauper, cum in multis diuitijs sit. (Pro 14.) Auarus reuera nihil habet, eorū quæ habere videtur. Antiquū dictum est, ait Hieronymus, auaro deest, tam quod habet, quàm quod non habet. (Hiero.) C Semper auarus eget, ait Poeta, nocet empta dolore voluptas. (Poeta.) Et Rex Dauid: Diuites eguerunt, & esurierūt. (Psa. 33. a) Quia ergo pharisęi isti hanc sitim diuitiarū patiebantur ob oculos eis offertur & ponitur hydropicus iste, vt eorum sitis describeretur. Qui enim nihil in Sabbato operandū existimabāt, auaritia commoti, non putabant violari Sabbatum cum in extrahēdo iumento à puteo opus expendebatur in Sabbato: cum tamé plus esset operis in extrahēdo D iumento, quam in hydropico seruando. Vide obsecro istorum præposteram religionem, qui in salute hominis offendebātur, in asino suo seruato non offendebantur. ¶ Auari denique fætido laborant anhelitu, cū omni liuore & inuidia sint præditi. Hoc morbo affecti erant pharisæi isti, qui Christum maximo odio prosequebantur: eique inuidebant. Idcirco oblata, imò parata calumniæ occasione, obseruabant eum, an hominé hydropi obnoxium in Sabbato curaret.

¶ *Erat ante illum.* Profuit huic misero venisse in cōspectum Iesu. Infelix peccator

catorqui se subducit ab eius conspectu, qui cupit omnes fieri saluos. Si ergo peccator es & hydropi spirituali obnoxius veni in conspectum Iesu, & à superbia, auaritia, & inuidia, morbis ferè immedicabilibus liberaberis. Conspectus enim Christi omni morbo tam animæ quã corporis medetur. Conspectus Iesu omnibus fauet, cunctis adest, ac præsto est. Venit Moyses in conspectum Dei, & ex conspectu, atque consortio sermonis Domini resplendebat facies eius, sicut sol, ita vt non possent in illam intendere filij Israel: sed necesse erat, vt eam operiret si quando loquebatur ad eos. Vt hinc intelligas virtutem admirabilem conspectus Dei. Fugit Iacob in Mesopotamiam timens fratrem Esau adhuc pauperem & sub parentis tutela viuentem: rediens verò à Mesopotamia orbatus patre fratrem iam diuitem ac potentem nõ timet: nec in conspectum eius venire recusat. Quid hoc? Quia nimirum viderat Dominũ facie ad faciẽ: & salua facta est anima eius. Viderat, inquam, Dominum, cum quo tota nocte cum lachrymis & precibus luctatus fuerat, qui eum ab omni metu & timore reuocauerat dicens: nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel: quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis? Ac si diceret: ne timeas fratrem, neque exercitum eius, nam ẽ cõspectu meo tam potens ac fortis euasisti, vt eos facilè si necesse sit deuincere possis. Hæc etiam causa fuit, quod toties Dauid ẽ manibus regis Saul illum cum exercitu non paruo persequẽtis euasit. Proponebat enim Deum in cõspectu suo semper. Vnde ait: oculi mei semper ad Dominum, quoniã ipse euellet de laqueo pedes meos: veni in conspectum Domini, aspice illum omni tempore, asta ante illum: quoniam ipse solus te saluare poterit: atque ab omni laqueo hominum impiorum liberare. Dux noster est, stella maris est, acus nauis est, qui nos ducere, dirigere ac in portam cælestem perducere potest, si eum sequamur: si eum ante oculos ponamus.

Prodest peccatori venire in conspectũ Iesu, vt à peccatis liberetur. conspectus Dei omnibus prodest.

Exod. 34. 2. Cor. 3.

Gen. 32.

Psalm. 24.

¶ Quid obsecro est, quod in monte Thabor subito mutata est facies Christi in aliam speciẽ maiestatis & gloriæ plenã, atque in morem solis refulgentem? Nẽpe quod orauit, quod manus ad patrem extendit. Quod stetit ante illum Conspectus enim patris in speciem cælestẽ transfigurauit speciem terrenam. Imitemur nos ergo Christum, preces ad patrẽ fundamus, & inter precandum mutabitur species animæ nostræ terrena in aliã cælestem, gratia & gloria & maiestate plenam. Imitemur aquilam quæ iam senex in cælum, vt fertur, ascendit: ac in cõspectum solis veniens, ita exardescit vt ardore solis plumæ decidant: deinde fontem quærit, in quem trina immersione se immergens pristino vigori restituitur. Tu ergo intuere solem illum cælestem, & tunc renouabitur vt aquilæ iuuẽtus tua, vt ait regius vates. Per diuinum enim cõspectũ iuuentus tua renouabitur ad modum reiuuenescentis aquilæ, qui te à corpore & defectu malæ senectutis spiritualis, ad vigorem debitum, & fortitudinem bonam restaurabit. Et cum te à senectute reparauerit, erit ista tua iuuentus, quasi iuuentus aquilæ, viuacissima, scilicet, & ad excelsa petendum cælestiaque contẽplandum validissima: quomodo aquila in iuuentute sua viuacissima est, & ad volandum in excelsum præualida, insuper & ad contuendum solis rotam irreuerberatis oculis, sufficiens. ¶ Quid etiam in causa fuit vt Moyses vinceret exercitum tantum Amalechitarum? Nempe quod astabat eleuatis manibus ante Deum, vt in lib. Exod. sacra refert historia. ¶ Quid quod filij Israel percussi in deserto ab ignitis serpentibus, sanabantur? Nimirum quod in serpentem æneum oculos figebant. Fige ergo tu oculos tuos in serpentem Christum, in patibulo crucis eleuatum: & à morsu diaboli liberaberis, exẽplo latronis, qui oculos suos in crucem ac cruci affixum conuertens, ac preces cum lachrymis fundens, seruatus est. ¶ In lib. 4. Reg. c. 19. scriptum legimus Ezechiam obsessum ab exercitu Assyriorum accepisse literas de manu nunciorum, ascendisseque in domum Domini, & expansisse eas coram Domino: & cum orasset in conspectu Domini, angelus eius

Luc. 9.

Similitu.

Psal. 102.

Exod. 17.

Num. 21.

4. Reg. 19.

percussit centum octoginta quinq; millia Assyriorum. Conspectus ergo Domini te ab exercitu sathanæ, te vndique obsidente, liberabit. Esther etiam regina quod steterit coram rege Assuero, & corruerit, & in palorem colore mutato, lassum super ancillam reclinauerit caput, non solum rex furorem pectoris in mansuetudinis spiritum commutauit, sed festinans exiliuit de solio, & sustentauit eā humeris suis donec rediret ad se, hisque verbis blandiebatur: quid habes Esther? Ego sum frater tuus, noli metuere: non morieris. Sic anima nostra si steterit ante regem cælestem tremens ac tristis, ante actæ vitæ dolore confecta, non solum Dei iram & indignationem in mansuetudinem voluet, sed Dei auxilio & gratia subleuata audiet, non morieris, sed vita viues. Memor fui Dei, ait Dauid, & delectatus sum. Tu ergo si abstraharis ab omni mundi consolatione, & in mente habeas Dominum Deum, in illumque defigas mentis oculos, illum contempleris: ac circa illum apponas omnem cogitatū cordis tui: gaudio maximo ac delectatione non parua perfrueris. Siquidem ipsa sola Dei memoria non potest non gaudiū magnum afferre pijs animis. ¶ In lib. Genesis legimus Rebeccam conspecto Isaac descendisse de camelo & cooperuisse se pallio suo. Intuere tu etiam Christū Dominum ob tui amorem crucia affixum, ac plagis innumeris coopertum, & te pudebit Deum offendisse, ac tot scelera aduersus eum commisisse. Sta igitur ante Christum si hydropicus es, fige in eum oculos & tunc extendet manum suam & sanaberis: sta ante Christum & genuflexo dicito quod olim Leprosus ille, quē refert Mattheus, dicebat: Domine si vis potes me mundare. Intuere Dominum exemplo catuli oculos figentis in Dominum, expectantisque saltem vel micas accipere de manu eius. Leua similiter tu oculos tuos in montem illum cælestem, mensamque illam dapibus plenam: & inde veniet auxilium tibi. Leua inquam oculos tuos ad Deum qui habitat in cælis: & sint oculi tui sicut oculi seruorum in manibus Dominorum suorum, & sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ, donec Dn̄s tui misereatur. Vt regius vates admonet.

Esther. 15. *Ezech. 33.* *Psalm. 76.* *Gen. 24.* *Matth. 8.* *Psal. 120.* *Psal. 122.*

¶ *Et respondens Iesus ad legisperitos.* Heb. pro, dixit Iesus ad legisperitos.

¶ *Si licet sabbathis curare?* Multa quidem Domine, si nos interroges, infestiuitatibus non licent, quæ tamen temere facimus, atq; cōmittimus: multa verò alia quæ licita ac sancta sunt, atque ad animi salutē necessaria, quæ non curamus. Infestiuitatibus enim tēpus terimus choreis & tripudijs, & ludis alijs, diemq; imbanis nostris gaudijs consumimus, vt parū remaneat ad missæ sacrificiū, & ad concionē Euangelicā audiendam pulpā & muscculū vocamus, & in appetitus nostros cōsummimus, ossa autē cultui diuino relinquimus, infestiuitatibus facimus tripudia, thyasos, saltatriculas humeris vectas, pūgimus & ferimus tauros in circo, vt stimulis incitati irritentur ad cursum, & ad occidendos homines exagitētur, deniq; eos facimus ludos, ea exhibemus spectacula, quibus ipsi oculos reficiamus, sed quibus te Dn̄e minime delectemur. Multaq; alia infestis facimus, atq; tā inhonestē, & immoderate cōmittimus, quæ potius vanā & impiā sapiunt gentilitatem, quàm Christianā religionē. Si enim his spectaculis, ad corporis oculos recreandos pertinētibus, vteremur moderatē, & vt decet sanctos: facile tolerares: sed cum in his diebus tam multa operemur à vero tuo cultu abhorrentia, & turpes illecebras incitantia, nō mirum quod festa nostra iam tibi molesta sint: ob nostram impietatem. Non mirum quod nobis dicas, quod olim Iudæis: calēdas vestras & solēnitates vestras odiuit anima mea. Nō, inquā, mirū, quod ad eas possit referri id, quod ait in lamentis Iere. viderūt eā hostes, & deriserunt sabbatha eius. Hostes n. nostri, hoc est, dæmones sabbatha nostra subsanāt, cū nos nō tibi, sed nostro appetitui deprauato paremus, in huiusmodi festiuitatibus te amittimus, & pro lætitia miseriā cōparamus. Solet Dn̄e qui amicum inuitat ad prandiū cibos ad inuitati gustum præparare non ad suum: nam si conuiua dulcibus apibus delectetur ipse vero eas conficiat acres & falsas, qui

Multa nobis in sabbatho non licent quæ nos facimus, & ideo festa nostra iam Deo molesta sunt quod non tam ad animi salutē quā ad mala patranda eis abutimur. *Isai. 1.* *Threni. 1.* *Supra.* *Simile.*

qui illas ita appetit, manet ipse satisfactus, amicus verò illæpidus, nullū conuiuij sentiens gustum, nullam suauitatem: sic nos in festis, in quibus te veluti ad prādium inuitamus, opus est, vt eas escas cōficiamus quæ tibi sunt gratæ, non autem vano nostro appetitui iucundæ: nam si te ludis immoderatis ad mundi illecebras & impietates excitantibus, quibus noster oblectatur appetitus, honorare voluerimus, manebis tu esuriēs, nos autem saturi. Hæc ergo Domine, atque alia huiusmodi ad impietatem trahentia, in sabbathis, hoc est, in festiuitatibus nō licēt, & tamen ea facimus. Licere verò in sabbathis curare, infirmos visitare, eleemosynas largiri, precationes longas fundere, sacrificijs & concionibus adesse, & alijs huiusmodi operibus pijs operam dare, fatemur quidem: sed ea non facimus, vt decet Christianam religionem profitentes. Curemus igitur fideles sabbatha nostra sanctificare. tunc verò ea verè sanctificabimus cum saluti proximorū tam spirituali, quam corporali consulerimus: cum pijs sanctisque operibus in his diebus Dei amore operam dederimus. Tanto enim Dominus amore homines prosequitur, vt non velit quod festa sua necessitati illorum præiudicium vel minimū faciāt. Imo verò ille melius sabbatha sanctificabit, qui pluribus misericordię operibus in eis incumbat. Ille sabbathū sanctificabit, qui si necessitas vrgeat, missæ sacrificium, preces, ac cōciones omittat: vt vrgenti proximi necessitati succurrat. Hoc enim significare volens Dominus aiebat olim apud Oseam, & nunc apud Matthæum: misericordiam volo & non sacrificium. Ac si diceret: si sese proximi necesitas offerat potius volo, vt ei extremè indigenti adsis: quàm diuinis sacrificijs intersis. Sūt sanè multi inter nos qui libenter volunt preces horarias fundere, missæ sacrificium offerre, rei diuinę interesse: sed si necessitas vrgeat subueniēdi suis opibus extremæ indigētibus, aut conferendi sanitatem homini perituro, fugiunt, faciem auertunt, violari sabbathi religionem existimant si illa relinquant, vt his proximorum necessitatibus occurrant. Sed falluntur, sed decipiūtur, ac tota errant via. Misericordiam enim tunc vult Dominus, potius quàm sacrificium. 1. Reg. c. 21. Legimus ab altari abstulisse sacerdotem panes sanctos, & Dauid famescenti subuenisse. Quod exemplum affert Christus Dominus apud nostrum Euangelistam. c. 6. Vt hoc idem ostenderet: nempe non violari sabbathum, proximorum necessitate interueniente. Timeo vehementer ne inter nos sint iam multi, Antechristi sectatores, de quibus scribit Paulus in posteriori Epist. ad Thessalo. c. 2. Reuelabitur, inquit, ille iniquus in omni seductione iniquitatis ijs qui pereunt. Eo quod charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris: vt credant mendacio. Signis & prodigijs & mēdacijs seducet Antichristus & seducēt sui præcursores ac sectatores homines charitatem non amantes, & doctrinam Euangelicam, quam charitatem veritatis appellat Paulus, non sequentes. Ideo mittet illis Dominus operationem erroris vt credant mendacio. Ac si dicat: qui proximos non charitate & amore prosecuti sunt, permittet Dominus vt relicta veritate mendacio hæreticorum credant, vel ex hoc loco saltem intelliges quàm grande malum sit proximorum necessitati nō succurrere.

Quomodo festa sanctificanda sunt à nobis.

1 Reg. 21.

Sup. 6.

2. Thes. 2.

Oseæ. 6.
Matth. 9.

§ *At illi tacuerunt.* Venit hydropicus in conspectum Iesu, homo miser malo ferè immedicabili obnoxius, colore lurido, corpore turgido. Aderant pharisæi, quàm plurimi conspicientes hominem calamitosum, rogat eos Christus: an sabbatho fas esset illi iam iam perituro sanitatem conferre, & obticent omnes: nullus est, qui vicem miseri dolens dicat: licere sabbathis benefacere: nullus, qui pro illo intercedat, sed potius obseruabant Iesum, si illi mederetur, vt inde ansam calūniandi sumerent. Vt hinc discamus auarorum hominum naturam & morē: qui non solum pauperibus & miseris opere subuenire nolunt, sed neque lingua. Tā auari sunt, vt neque verba bona conferre pauperibus velint. Vt in omnibus sese impios & sceleratos, & inhumanos ostendant.

Ea est hominū, quorundā natura, vt nō solum miseris opere subueniere nolint sed nec lingua.

dant. Si pecuniam non das saltem verba, saltem fauorem, & intercessionẽ prebe. Sed ais: etiam fauor consumitur. Sed te miserum: nonne si pecuniam largiris, pecuniam perdis: & tamen ait Salomon: perde pecuniam propter fratrem. Cur ergo graue tibi & molestum erit si non vis pecuniam, saltem perdere & consumere fauorem in bonum proximi tui? Intelligens D. Paulus hanc multorum hominũ auaritiam & inhumanitatem ait ad Colossen. scribẽs: induite vos ergo sicut electi Dei, viscera misericordiæ. Sciebat enim quod talibus vestimentis indutus non solum verbis, sed factis, si posset, egenis & miseris præsto esset. Vnde non ait: misereminі: sed induite vos: vt doceret, quod quemadmodum vestimentum nobiscũ semper est, sic & misericordia semper sit. Huius viscera habebat Ezechiel propheta postquam librum quem acceperat de manu Domini, comedit. Venter, inquit Dominus, tuus comedet & viscera tua complebuntur volumine isto. Et comedi illud, inquit vates, & factum est in ore meo, sicut mel dulce. Deinde non ait Paulus induite misericordiam, sed viscera misericordiæ. Vt doceat nos naturalem imitari amorem, nec simus duriores canibus qui lingebant vlcera Lazari. Cũ ergo talia debeamus indumenta assumere, nos pro misericordia induimus inhumanitatem & crudelitatẽ, ita vt nec verbis nedum operibus calamitosis hominibus & egenis iuuare velimus. Immemores & obliti eius, quod ait Dominus apud Sophoniam: visitabo super omnes qui induti sunt veste peregrina. Qui veste nuptiali, hoc est, charitate in proximum nõ indutus est, sed veste peregrina, hoc est, impietate, & crudelitate: hic visitatur a Domino. Huic ab illo dicitur: quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem, hoc est, non indutus viscera misericordiæ? Non, inquam, habens vestem polymitam omnibus operibus misericordiæ contextam: & in qua essent parentũ magnalia opere plumario intertexta? Induamus igitur hæc viscera misericordiæ: quod si fecerimus non grauabimur vnicuique proximorum reddere quicquid

Ecclef. 29.

Coloss. 3.

Ezech. 3.

Infra. 16.

Soph. 1.

Matth. 22.

Gen. 37.

Sap. 18.

A ei opus sit: cui eleemosynam, eleemosynam: cui consilium, consilium: cui fauorem, fauorem: cui denique solamen, solamen. His visceribus indutus Elisæus aiebat olim sunamitidi: quid vis vt faciam tibi? Nunquid habes negotium, & vis vt loquar Regi, siue principi militiæ? Qui pecunias dare non poterat, verba saltem largiri non recusabat: de more iustorum & piorum hominũ, qui dare solent quod habent. Si enim aurum & argentum nõ est illis, saltem verba non negãt. Sic Christus Dominus cruci iam affixus, cũ quid B aliud quod daret non haberet, verba concessit: quibus veniam inimicis suis à patre impetrauit. Sic enim ait: pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt. Sic Christi discipuli cum nihil haberent multos locupletabantur, Christum pro miseris & infirmis precantes. Vnde pro Chananæa intercedẽtes aiunt: dimitte illã quia clamat post nos. Sic sanctissima virgo inuitata ad nuptias deficiẽte vino ait filio: vinum non habent. Quæ pecunias non habebat, quibus vinum emeretur, contulit quod habebat, hoc est, preces & inter C cessionem ad filium, qui poterat subuenire præsenti necessitati sua infinita virtute. Atque æquo animo tulit verba illa filij: quid mihi & tibi est mulier? Dũ modo vinum inuitatis non deficeret. Sic denique faciebat Paul. qui ideo dicebat: nihil habentes, multos autem locupletantes. Pharisæi isti cum omni auaritia essent pleni, nec verba quidem dare voluerũt, sed potius interrogati à Christo, an fas esset infirmo mederi in sabbatho, tacuerũt.

¶ *Apprehensum sanauit eum*. Obserua quod saluatoris caro, verbo Dei (quod D naturaliter vita est) coniuncta: viuifica effecta est: hac de causa quando eam comedimus, tunc vitam habemus in nobis, illi coniuncti, quæ vita effecta est. Hac etiam de causa (ait D. Cyrillus) in exuscitandis mortuis, non solummodo verbo, atque imperio, vt Deus vtebatur: verumetiam carnem suam quasi cooperatricem nonnunquam adhibebat: vt re ipsa ostenderet, carnem quoque suam, quoniam sibi coniuncta est, viuificam esse: atque fideles doceret suum, non alterius corpus esse.

4. Re. c. 4.

Infra. 23.

2. Cor. 6.

Caro christi verbo coniuncta viuificat.

Lib. 4. in Ioa. c. 14.

se. Nam quando synagogæ principis filiolam suscitabat, manum eius apprehēdit, vt scribitur, & erexit dicens: puella surge. Ita vt Deus & verbo & carnis suæ tactu eam excitauit, vnam ab vno se Christo, Deo videlicet, atque homine operationem producens. Quando etiam in ciuitatē Nain vocatam, ingrediebatur, & offerebatur vnigenitus matris filius iam mortuus, tetigit corpus eius dicens: adolescens tibi dico, surge. Tactu ergo suo sanauit hunc hydropi obnoxium, vt ostenderet corpus quoque suum viuificare ac sanare posse. Vnde Marcus ait: quotquot tangebant eum salui fiebant. Si infirmus igitur es, precare Christum, vt carne sua in sacramento suscepta ita te tangat, vt integram sanitatem recipias. In ipsa enim vita est, in ipsa salus est, quare nō mirum quod eius tactu ad pristinam valetudinē restituaris. Tetigit salus ipsa infirmitatē huius hominis calamitosi, & statim infirmitas in sanitatem conuersa est. Christus enim Dominus est ipsa salus dicente regio vate: Dominus illuminatio mea, & salus mea. Et rursum: dic animæ meæ salus tua ego sum. Dicente etiam Zacharia apud Lucam: & erexit cornu salutis nobis. Cornu salutis vocat regnum Christi qui est salus nostra. Et rursum ait idē Zacharias, tu puer propheta altissimi vocaberis, &c. ad dandam scientiā salutis plebi eius. Id est, ad dandam scientiā Christi, qui est plebi suæ vera salus. Si ergo Christus est salus ipsa, veni in conspectū eius & precare illum, vt te tangat & sanaberis. Memento quid Lucas noster. c. 6. dixerat: virtus ab illo exibat & sanabat omnes. Cum sit ipsa salus, non est mirandum quod á salute exeat salus qua sanetis: cum sit ipsa vita, non est mirandū quod á vita exeat vita qua in vitā redeas. Salus data ab alijs sanctis miracula faciētibus, non exibat ex illis, vt sua propria, sed ex Deo. At Christi salus & virtus ex illo quidem exibat, quoniam ipse ipsa salus, ipsa vita, ipsa virtus. Quod indutus est Iacob vestimentis Esau omni odore & fragrantia plenis, statim quod eum pater tetigit persentiens admirabilem fragrantiam exclamans ait: odor filij mei, sicut

Matth. 9. Sup. c. 7. Mar. 6. Psalm. 26. Psalm. 34. Sup. 1. Sup. 6. Gen. 27. Figura.

A odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Quod indutus erat verus Iacob Christus Dominus vestimentis suæ diuinitatis omni odore ac virtute præditis, quotquot tangebant illum statim sanabantur, persentientes diuinam ac infinitam virtutē, atque fragrantiam. Accessit hydropicus, tetigit verū Iacob: & statim á morbo penè incurabili sanatus est. ¶ Alia etiam de causa apprehendit Christus hydropicū, vt hinc intelligamus quam necessarius sit diuinus tactus, vt homo elatus & superbus fiat humilis ex animo, exemplo

B Dauidis ludentis ac saltantis coram arca Domini, ac dicentis: ludam & vilior fiā, & ero humilis in oculis meis. Vt enim hydropicus ac superbus homo á morbo elationis liberetur tactu ipsiusmet humilitatis, hoc est, Christi eget: contraria nāque contrarijs curantur aiunt physici. Et quemadmodum non sat est, vt puer graphicé prima elemēta fingat, quod videat magistrum scribentem: sed necesse est, vt manus pueri á manu magistri apprehendatur, atque trahatur: sic peccatoris ani-

C mus morbo spirituali laborans, apprehēdendus est, ac suauitate quadam manu Dei trahendus, vt recta velit, atque ab hydropi spirituali curetur. Discite, inquit Christus, á me quia mitis sum & humilis corde: sed ad discendam picturam istam tactus manus eius per necessarius est: nemo enim potest venire ad Christum, nisi pater eius traxerit illum manu sua. Idcirco dicebat Petrus: humiliamini sub potenti manu Dei. ¶ Sed quanuis hæc ita sint egere homines tactu diuino, quo ab omni hydropi animi sanentur: vt non si-

D bi glorientur, sed intelligant omnia opera sua operatum fuisse in eis Dominum: dicantque cum propheta omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. Et rursum hæc intelligentes veniant in conspectum eius: & desiderio salutis affecti precentur cum Ieremia: sana me Domine, & sanabor: saluū me fac & saluus ero: quoniam salus mea es tu. Quanuis hæc, inquam, ita sint: tamē sunt aliqui morbi tales, vt non tactu quocunque curentur, sed maxima Dei vi, & virtute egeāt: quod etiam medicis idē vsu venire videmus, in

Necessarius diuinus tactus vt homo á morbo superbiæ medeatur. 2. Reg. 6. Simile. Matth. 11. Ioan. 6. 1. Pet. 5. Ierem. 17. Inueterata vitia egeant magna tactu Christi vt ab animis expellantur.

in medendis, atque curandis morbis penè incurabilibus. Adhibent enim omnẽ artem, omnes vires, & omne ingenium suum: adhibent fortiora medicamenta. Sic etiam contingit Domino in sanandis morbis spiritualibus. Quales sunt, inueterata superbia, auaritia, atque luxuria. Nõ enim tangit tunc animum solum, sed apprehendit. Sic apprehensum Paulum spirantem minarum in discipulos Domini, sanauit eum. Sic apprehensam Magdalenam ad pedes suos traxit: sic apprehẽsos Matthæum & latronem curauit. Sic apprehensum Petrum foris egressum flere fecit amarẽ. Sic apprehensum hydropicum istum sanauit eũ & dimisit. Est enim hydropicus iste typus & imago hominũ superborum, ac omnium impiorum, inueteratis peccatis obnoxiorũ, si ergo tu peccator inueteratus es, nõ mireris quod apprehenderint te multa mala: sic enim apprehensus sanandus es.

Act. 9. Luc. 7. Matth. 9. Inf. 23. Inf. 22.

¶ *Cuius vestrum asinus, aut vos in puteũ cadet: & non continuo extrahet illum die sabbathi?* Ac si diceret: si tantũ apud vos valet bouis, aut asini salus, vt non putetis violari sabbatum, si eodem die extrahatur iumentum quod incidit in puteũ ne pereat, cur offendimini, quod hũc hominem, cui præsens erat periculũ, ab aquis intercutibus, seruauerim die sabbati? Si opus expenditur, plus est operis & laboris in extrahendo iumento, quàm in hoc homine seruando. Vidi, contigi, ac dimisi. Si personam æstimetis, potior esse vobis debet vnius hominis salus, quã plurimorum boum, aut asinorũ. ¶ Hinc colliges quanta sit hominum impiorum ac auarorum crudelitas, vt cum hominibus facere nolint, quod cum iumentis efficiunt: diuitias suas in enutriẽdis equis, alendis canibus, potius quam in subueniendis egenis; consumere & prodigere volunt. Pietatem erga parietes & pauimenta domus suæ ostẽdere potius libet, quàm erga homines sibi similes: quàm erga pauperes Dei sanguine redemptos. Quid obsecro in causa est, vt fideles mendici, hanc in diuitibus ferocitatem ac impietatem experti, non diffidant, non desperent, non impatienter, atque iniquo

Crudelitas aliquorum tanta est vt quod cum iumẽtis efficiũt cum hominibus facere nolint.

animo ferant? Audi quid ad hæc D. Ioannes in lib. Apoc. respondeat. Hęc, inquit, est fides & patientia sanctorum. Quemadmodum enim martyres patienter ferebant tormenta credentes quod sicut nullum malum impunitum, ita nullum bonum irremuneratum: sic pauperes Christi videntes hominum impiorum crudelitatem. quod potius canibus quam illis subueniant, æquo animo ferunt, ac tolerant, expectantes veras opes ac diuitias. Considera obsecro patientiam filij prodigi videntis impleri siliquis porcos, & quod nullus esset, qui vel hoc pabulum illi daret. Vt iã infœlicior esset ipsis porcis, quibus seruiebat verius, quam imperabat. Atque hæc calamitas, illum compulsit redire in domum patris. Sed mittamus hunc miserum, ob sua merita hãc famem patientem: & patientiam mendici Lazari intueamur. Erat enim vlceribus plenus: iacebat ad ianuam diuitis, expectans vt aliquid mitteretur de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, quo placaret latrantem fame stomachum: & tãta fuit erga pereuntem proximum parsimonia diuitis, vt ne micæ quidem darentur roganti, cum canes illic panibus essent saturi. Quin & canes exprobrabant inhumanitatem delicianti diuiti. Veniebãt enim & lingebant vlcera Lazari. Quis non iudicasset mendicum illum impatienter laturum diuitis inhumanitatem? Non impatienter tulit tamen, sed æquo animo: quoniam hęc est fides & patientia sanctorum, inquit Ioannes. Quot modo inuenies mendicos, qui velent esse saltem similes septuaginta regibus illis, qui amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebãt sub mensa regis Adonibezec ciborum reliquias? O verè infœlices diuites magis bona sua, hoc est domũ, equos, canesque curantes, quam quæ ad proximorum miseriam subleuãdam pertinẽt. Nam & si pauperes in die mortis, aut extremi iudicij tacuerint: lapides, & ligna & canes domus suæ clamabunt. Sic enim ait Abacuc cap. suo 2. Væ qui congregat auaritiam malam domui suæ, vt sit in excelso nidus eius, & liberari se putat de manu mali, quia lapis de pariete clamabit,

Apoc. 3. Inf. c. seq. Inf. 16. Iudi. 1. Abac. 2.

&

& lignum quod inter iuncturas ædificiorum est respondebit. Qui hęc agunt similes sunt Pharisęis & sacerdotibus templi, qui ab eius ingressu infideles homines, aut cæcos, aut claudos, aut debiles prohiberent: cum aliàs sinerent templú Dei, fori speciem habere, hoc est, plenum esse ouibus & bobus, atque columbis, domũque fieri negotiationis. Auari miseros à misericordiæ templo excludunt, aliàs studentes suis iumentis, ac turpibus lucris. Digni sané vt a Christo Domino é téplo tanquam canes profligentur. Apud Ionam Prophetá prædicantem Niniue subuersionem legimus, regem illum præcepisse vt homines, & iumenta, & boues, & pecora non gustarent quicquam, nec pascerentur & aquam non biberent. Quid obsecro ô rex commiserunt mali iumenta? Quid peccarunt boues & pecora, vt alimenta sibi ad vitam necessaria denegentur? Nimirum ratio regi dictabat, æquum non esse homines famem pati, & pecora cibari. Homines à cibo potuque abstinere, & iumenta saturari. At impij & inhumani diuites pauperem fame perire sinunt, non tamen equos aut canes, aut iumenta alia sua. ¶ Hinc secundo colliges, teste Basilio, quod ex similitudine rationis eius quæ in rebus leuioris momenti seruatur, studium à nobis in rebus maioribus requiritur a Deo. Qua ratione vsus est idem Dominus. c. præcedenti, dicens: vnusquisque sabbato non soluit bouem suum, aut asinum à præsepio, & ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit Satanas, ecce decé & octo annis, non oportuit solui à vinculo isto die sabbati? Eadem ratione vsus est apud eundem Euangelistam. c. 18. afferédo exemplum iniqui iudicis, qui, ob nimias viduæ preces, vindicauit illam de aduersario suo: quanto magis Dominus vindictam faciet electorum suorum clamantium ad se die ac nocte? Quo exemplo docet nos, atque hortatur, vt semper oremus, & non deficiamus. Sed vę nobis, quia in rebus minoribus diligentes sumus, maiores tamen contemnimus: similes Scribis & Pharisæis istis extrahentibus é puteo iumentum, & misericordiá

Ioan. 2. — Ionæ. 3. — D. Basil. — Sup. 13. — Infr. 18.

A erga miseros contemnentibus. Similes eisdem, quibus dicebat Christus: væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham & anethum, & Cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes.

¶ *Et non poterant adhuc respondere.* Adhunc sermonem obticuerunt Pharisæi. Tum, quod eorú animi sic erant corrupti & deprauati, vt cum non haberent quod lucidæ veritati responderent, tamen approbare nolebant quod à Iesu fieri videbant. Quod si quid ipsi eiusmodi facerét, omnibus tubis ebucinassent gloriam suam. Tum etiá, vt edoceamur quéadmodum Dominus os impiorum ac obduratorum hominum obcludat propositis suis sceleribus. Cum enim Dominus de peccato eos arguit & conuincit, tunc obticent, atque blaterare non audent. Videas impios, quorum lingua (vt Gell. ait) tam prodiga, infrenisque sit, vt fluat semper & æstuet colluuione verborum teterrima. Videas eos se inaniter iactantes: verbaque inania, atq; immoderata emittentes, seque in omnibus excusantes, atque a se crimina sua repellentes: redargu ti verò à Deo obticent, cum eos respódere pudeat. Garrulum ac blateratoré agebat Cain cum dicebat: núquid custos fratris mei sum ego? Sua enim garrulitate peccatum suum tegere se ipsumque iustificare volebat, at cum audiuit: ecce vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, obmutuit, expauit atque territus fuit. Quam seuerum iudicem agebat Dauid cum aiebat iratus: viuit Dominus quoniam filius mortis est vir qui fecit hoc. Ouem reddet in quadruplum, eo quod fecerit verbum istud, & non pepercerit. At cum audiuit à Natham tu es ille vir qui fecisti hanc rem: obticuit atque conturbatus ait: peccaui. Proposito peccato tacere facit Dominus homines elatos, ac superbos. Quod significare volés regius vates ait: omnis iniquitas opilabit os suũ, confunduntur impij cum de sceleribus suis à Deo conuincuntur. Proclamát Pharisæi,

Matt. 23. — Basil. Reg. 46. — Os impiorum obcluditur propositis suis sceleribus — Gell. libr. 1. c. 15. — Gen. 4. — 2. Reg. 12. — Psal. 106.

risæi, garriuntq; acriter accusantes Apostolos quod illotis manibus cibum sumerent: quare (inquiunt) discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? Non enim lauant manus cum manducāt. Sed cum audiunt: quare & vos transgredimini præceptum Dei propter traditionem vestram? Respondere non audent. Nihil ergo est, quod tam superborum hominū os obstruat & obseret quam propriū scelus. Sic Dominus clausit istorum Pharisæorum os, sic clausit os traditoris rogantis nunquid ego sum Rabi? Ait illi Dominus: tu dixisti. Hinc est, quod multoties permittat idem Dominus suos peccata committere, vt illorum memores humilientur, obticeant, atque seipsos cognoscant. Idcirco dicebat Paulus in ea Epist. quam ad Gal. misit: considerans teipsum ne & tu tenteris. Nihil enim ad misericordiam sic inclinat quam propriæ fragilitatis cognitio. Itaque considera teipsum, quando, vt est in prouerbio, in eadé es naui. Ad eos enim, qui eodem vehuntur nauigio, idem naufragij periculum pertinet. Nec plurimùm refert, an in prora, an in puppi, an in carina sint, cum in eodem sint discrimine. Hinc erat, quod dicebat Cicero: hoc miror, queror que quemquam hominū ita pessundare velle alterum, vt etiam nauim perforet in qua ipse nauiget. Quisquis ergo sis, considera te ipsum, & aliorum miserere, ne tentatus cadas. Non enim est, qui se abscondat à calore inimici: semper enim circuit quærens quem deuoret. Quod si nō feceris, permittet Dominus vt labaris, sicque obstruet os tuum, tacereque faciet. Ea, existimo, de causa aiebat Dominus apud Ioannem in Apoc. cuidam Episcopo: vtinam frigidus esses. Peccator enim qui se peccatis obnoxium intelligit humiliatur, neque alios contemnit, sed potius illorum miseretur. Vt ergo episcopus ille elatione & arrogantia præditus, seipsum ignorans, non alios contemneret præ se, ait Dominus: vtinam frigidus esses.

Matth. 15. Matth. 26. Gal. 6. Cicero. Apoc. 3.

¶ *Cum inuitatus fueris ad nuptias non discumbas in primo loco, etc. Sed vade recumbe in nouissimo loco, etc.* Quoniā Dominus omnium factorum suorum gloriā volebat esse penes patrem Deum, pharisæorum fucatam sanctimoniam, vbique detegebat, qui nimium diu imposuisset simplici populo. Venabantur enim gloriam suam apud homines, & ideo inuidebant gloriæ Dei. Atq; hic erat verus hydrops animi, nascens ex corrupto iudicio mentis, veluti ex hepate vitiato. Collocātes enim gloriam in his rebus, in quibus non erat gloriandum, tumebant foris inani fastu, intus intestinis omnibus misere corruptis ac putrefactis. Proinde Dominus qui contactu sanarat hydropicum cupit & horum morbo, salutiferi sermonis mederi pharmaco. Quicquid enim agebant Iudæi illi, ad fastum & inanem ostentationem agebant. Obambulabant in phylacterijs, orabant in triuijs, dabant eleemosynam præcinente tuba, ieiunabant arte obscurata facie, in foro venabantur magnificas salutationes, in conuiuijs captabant honoratiores accubitus. Tanta erat sitis stultissimæ gloriæ, tantus erat tumor, sed intus nihil erat syncerū. At facile sanatus est ille, qui aqua intercute laborabat, quia morbum agnoscebat, & sanari desiderabat. Morbus animi sanari non potest, si non agnoscas. Iesus igitur taxare voluit fastum illorum, quos princeps ille pharisæorum non ad hospitalitatem, sed ad ostentationem inuitarat, quod vocati ad conuiuia, ambirent locum honoratiorem, sibi placentes, si sella contigisset honestior: tristes, si locus cessisset inhonoratior. Iesus igitur cupiēs huiusmodi morbo laborantes docere, nō esse veram gloriā quæ ambitur, sed quæ cum promerearis, vitatur: proposuit huiusmodi parabolam, ciuiliter ita tangens vniuscuiusque conscientiam, vt neminem tamen proderet. Quæ ergo ratio in sessionibus, & accubationibus teneri debeat, quandocunque ad prandium, cœnamve ventum sit docet hic locus. Vnde Diuus Basilius in libro regularum fusius disputatarum, interrogatione. 21. Sic ait: quoniam præceptum est Domini (qui vbique nos ad humilitatem assuefacit) vt in prandijs etiam accumbentes nouissimum locum præoccupemus: haud dubi

Quæ ratio in sessionibus teneri debeat. D. Basil. reg. 21.

bié ne hoc quidem præceptum ab eo negligi debet, qui in eo studeat, vt omnia agat ex mandato. Quamobrem si vulgaris ac communis vitæ sint qui nobiscum accumbant, danda nobis sedulo opera est, vt hac etiam in parte exemplo nostro illi discant se intra modestiæ fines continere, neque prima subsellia appetere. Sin qui in vnum simul conueniunt, eorum omnium vnum est, atque idem vitæ propositum, vt videlicet quouis tempore suæ humilitatis edant specimen: hic enim veró ex præcepto Domini æqué ad omnes pertinet, nouissimum locum occupare. Verumtamen pugnax nimis ea de re damnanda contentio est: nempe vt quæ modestiæ inimica ordinem tollat, & perturbationem ac tumultum inducat. Quin etiam si in eo peruicaces simus, neque sit qui alteri cedat, peruicaciterque inter nos velimus contendere, simile quiddam eueniet plané, ac si, de principe loco pugnaremus. Proinde hic quoque considerandum est, vt cognito diligenter, quid nos facere addecens sit, vbi id facere studuerimus, loci postea in accubatione assignationem arbitrio permittamus illius, apud quem simus. Sicuti Dominus etiam videtur admonuisse, quando dixit pertinere ad patrem familias, huiuscemodi locorum distributionem. Hoc enim modo & inter nos vicissim supportabimus in charitate, honesté omnia, & secundum ordinem facientes: & illud demonstrabimus, omissa vehementi, atque obstinata illa contentione, neutiquam nos ostentationis, aut captandæ causa gloriæ popularis, humilitatem consectari. Quin cedendo potius, parendoque ad veram humilitatem perueniemus: quando maius superbiæ signum est, nimis præfracté contendere, quám principem locum in subsellijs tenere, quandocunque id facere iussi obtemperemus. Hæc Diuus Basilius. Cum ergo inuitatus fueris recumbe in nouissimo loco. Modestiam & humilitatem ostende, non arrogantiam. Grana namque tritici infimum in area locum obtinent: paleæ veró supremum. Aurum

Simile.

etiam, inter cætera metalla pretiosius, inferiorem locum suo pondere habere contendit. Tu ergo triticum & aurum cum sis, hoc idem facito: recumbe in nouissimo loco. ¶ *Recumbe in nouissimo loco.* In nouissimo accubitu.

¶ *Tunc erit tibi gloria corã simul discumbentibus.* Accumbentibus.

¶ *Quia omnis qui se exaltat humiliabitur, &c.* Sententia est prouerbialis. q. d. quia verum est, quod vulgo dici solet: omnis qui se exaltat humiliabitur. Id est, humiliari solet. Et omnis qui se humiliat exaltabitur. Id est, exaltari solet. Quod ergo in conuiuijs contingere solet, etiam est in hominis vita. Quo quisque maior est, hoc se magis debet deijcere: donec veniat ille, qui vera perpetuaque gloria subuehit humiles iuxta mundum, & elatos ac sublimes deijcit. Sic in regno Dei populus humilis receptus est vsque ad Apostolicæ dignitatis fastigium, sacerdotes, pharisæi, scribæ, & legisperiti elati reiecti sunt. Gentes agnoscentes humilitatem suam, euecti sunt ad æternæ gloriæ consortium, Iudæi qui soli regnare volebant in hoc conuiuio, nunc aut nullum habent locum aut habent postremum.

¶ Cæterum ex hoc loco facile colliges quanto odio Dominus prosequatur superbiam, quanto vero amore animi deiectionem & humilitatem. Et merito quidem: nam elatio multa in nobis inducit mala, humilitas autem bona multa. De quibus sigillatim operæpretium est disserere. ¶ Hoc enim capitale vitiũ superbiæ omnia spiritualia, atque Deo grata charismata si adsint, expellit: si non adsint intrare non sinit: si qua remaneant sua labe coinquinat, atq; inficit. Quod si hæc ita non essent neq; Gregorius diceret: quod humilitas omnium virtutum est mater, & magistra: superbia veró omnes virtutes corrumpat. Neque sapiens quidam superbo Alexandro: Deus præsto est largiri sapientiam, sed non habes vbi eam recipias: intelligebat náq; vir iste quod quemadmodum humilitas aliarum virtutum est vas: sic superbia illarũ impedimẽtũ. Nec denique Poeta caneret: inquinat egregios adiũcta superbia mores. Si tibi ergo

Maximo odio Dñs prosequitur superbiam & maximo amore humilitatem.

Mala quæ superbia inducit ostenduntur primũ est omnia spiritualia charismata expellere.

D. Greg. 23. mo. ca. 13. & libr. 34. c. 18.

Sapiens quidam.

Poeta.

ergo gratia, si sapientia, formaque detur, inquinat omnia sola superbia si comitetur. Non ergo induatis hac tam sordida, atque immunda veste, si deturpari ac maculari non vis. ¶ Hoc sane vitium est omnium vitiorum maximum authore Augustino in illum locum Psalmi: & emundabor a delicto maximo. Quo alio, inquit, nisi superbiæ? Non enim est maius delictum, quam apostatare à Deo, quod est initium superbiæ hominis. Est omnium peccatorum, inquit idem, initium, finis, & causa. Quia non solum peccatum est ipsa superbia, sed etiam nullum peccatum potuit, aut potest, aut poterit esse sine superbia. Conemur ergo omnes nos hoc caput antiquæ serpentis pro nostra virili conterere. Nam si huic capiti parcimus, frustra cætera eius membra percutiemus. Amputata enim serpentis cauda viuere illa potest adhuc. Frustra ergo cætera vitia a nobis amputare nitimur, si superbiam & animi elationem in nobis relinquamus. Lubricus est, inquit Hieronymus, antiquus serpens, & nisi capite teneatur, totus statim illabitur. Contrito hoc capite cætera vitia facile extirpantur. Hoc serpentis caput figuratum esse credimus in primogenito Pharaonis, quo interempto filij Israel sunt liberati, & in fronte Goliath, qua percussa à Dauide cecidit Gigas ille in faciem suam, præualuitque Dauid aduersus eum. Qui enim superbiam quæ caput est diaboli, in animo suo pro sua virili percusserit aduersus diabolum præualebit. Huius etiam typus erat turris Babel cuius culmen, vt sacra narrat historia, attingebat cælum. Sic superbia natione cælestis, cælestes appetit mentes, hoc est, viros spirituales. Quando igitur vt Gregor. ait, superbia radix est cuncti mali, & regina omnium vitiorum, attestante Scriptura: initium omnis peccati superbia: quando cætera capitalia vitia de huius virulenta radice proferuntur, amputemus caput hoc, interimamus hūc diaboli primogenitum, turrim hanc diruamus: & cætera ædificia antiqui hostis facilè corruent. Si enim propugnaculum vrbis alicuius dirumpas, facile domus eius destrues.

Aug. in Ps. 18. Superbia omniū vitiorū maximum. August ad quendam comitem. D. Hiero. Exod. 12. Figura. 1. Reg. 14. Figura. Gen. 11. Figura. D. Grego. lib 31. mo. c. 31. Eccles. 10.

¶ Hoc præterea vitium maxime nocere solet proximis. Superbi, ait regius vates, iniquè agebant vsquequaque. Et rursum. confundantur superbi, quia iniustè iniquitatem fecerunt in me, ego autem exercebor in mandatis tuis. Et alibi: absconderunt superbi laqueum mihi. Nec de hoc mirandum, cum superbia sit in causa, vt omnis superbus sic describi soleat: omnis superbus est intolerabilis, habitu superfluus, incessu pōposus: huic ceruix erecta, facies torua, truces oculi. Pro loco superiori decertat, & melioribus se præferri affectat: sententias suas & facta & verba iactat, reuerentiam in obsequio non seruat. Quid ergo mirum, quod hic alios contemnat, execret, contumelijs afficiat. Vbi enim fuerit superbia, ait Sapiens, ibi & contumelia. Quid mirum, quod modis omnibus iniustè agat. ¶ Hoc similiter vitium Deo inuisum est maxime. Tum, quod primam illi contumeliam intulerit. Idcirco Tobias hortabatur filium dicens: superbiā nunquam in tuo corde, aut in facto, aut in verbo tuo dominari permittas. Ab ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. Tum etiam, quod nulli parcat: non loco & tempori sacro: tunc enim & viros & mulieres incessu & comitatu ornatuque magis superbire videbis: non personis, hoc est, Episcopis, nobilibus, potentibus, diuitibusque. Cætera enim vitia, Deo auferunt pauperes & ignobiles: at superbia, illi aufert, potentia, nobilitate, diuitijsque præstantes, cuius rei figura, & typus erant Saul & Ionathas in montibus Gelboë interfecti. Non bonis parcit operibus, studiosisque actionibus: dicente Augustino: alia quæcunque iniquitas in malis operibus exercetur, vt fiant: superbia vero bonis operibus insidiatur, vt pereant. Non denique parcit ipsi Deo rerum omnium conditori, atque imperatori. Illum enim odio prosequitur. Superbia, inquit Dauid, eorum qui te oderunt ascendit semper: illi æqualis esse cupit. Eius namque illa scelesta vox

Superbia maxime nocet proximo. Psal. 118. Ibidem. Psal. 139. Superbus desc. ribitur. Prou. 11. Superbia Deo non parcit. Tob. 4. 1. Reg. 31. Psalm. 73.

Isai. 14.

vox est: conscendam in cælum, & ero similis altissimo. Ad tantam denique vesaniam deuenit, vt non æqualis solum, sed Deo superior esse contendat. Vnde Diuus Bernardus, explicans verba illa Pauli in secundo ad Thessalonicenses, capite secundo, scripta: qui extollitur & aduersatur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Horret, inquit, humanus intellectus verbum hoc: vtinam horresceret similiter animus cogitatum malignum pariter & affectum. Dico enim vobis, quod non ille tantum, sed omnis etiam superbus extollitur supra Deum. Vult enim Deus fieri voluntatem suam, & superbus vult fieri suam. Iam videtur æqualitas, sed attende malecongruam proportionem. Deus quidem in his tantum quæ ratio approbat suam vult fieri voluntatem, superbus verò & cum ratione, & contra rationem. Hæc ille.

D. Bern. serm. 4. in vigilia natiuit.

¶ Iam verò quàm sit vera hæc Prouerbialis sententia, quod qui se exaltat humiliari soleat: innumera sacræ Scripturæ testimonia & exempla nos docere poterunt. Exaltauit sese olim Lucifer & in abyssum precipitatus est. Videbam, inquit Dominus, Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Exaltare se voluit Adam, Deoque similem fieri, & tandem comparatus est iumentis & similis factus est illis. Vnde D. Bernard. ait: puto iumenta dicerent, si loqui fas esset, ecce Adam factus est, quasi vnus ex nobis. Cum humilis atque de humilibus parentibus natus esset Saul in regem euectus est dicente Domino primo libro Regum capite decimo quinto: Nonne cum paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es? Superbus autem factus, à regno deiectus est. Quia proiecisti, inquit Samuel, sermonem Domini: proiecit te Deus ne sis rex super Israel. Quanta animi elatione affectus fuerit Roboam Salomonis filius, nullus nostrum est qui ignoret. Sic enim dicebat populo: minimus digitus meus grossior est dorso patris mei. Pater meus aggrauauit iugum vestrum, ego autem

Quàm vera sit hæc sententia quod qui se exaltat humiliabitur ostenditur ex multis locis sacræ Scripturæ

Sup. 10.

Psalm. 48.

D. Bernar. sup. can. se. 35.

1. Reg. 15.

3. Reg. 12.

A Adam iugo vestro. Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus. Hoc est flagris aculeatis. Quã ob causam recessit à domo Dauid Israel, vsque ad præsentem diem ait sacra Scriptura. Quanta vero animi elatione prædictus fuerit impius Sennacherib docet Dominus apud Isaiam his verbis. Superbia tua ascendit vsque ad aures meas. Ponam ergo circulum in naribus tuis, & frenum in labijs tuis & reducam te in viam per quam venisti. Et subditur ibi-

Isai. 37.

B dem. Egressus autem angelus Domini, percussit in castris Assyriorum. 185. millia. Et cum adoraret in templo Deum suum, filij eius percusserunt eum gladio. Superbia etiam & deiectio Nabuchodonosoris omnibus comperta est. Ait enim Daniel. Quando eleuatum est cor eius, & spiritus eius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui, & gloria eius ablata est à filijs hominum. Quid nunc dicam de Holoferne, atque exercitu eius. Quorum tanta fuit arrogãtia & animi elatio, vt de duce dicat scriptura: factum est cũ cessasset loqui Achor, indignatus Olofernes dixit ad eum: quoniam prophetasti nobis, dicens quod gens Israel defendatur à Deo suo, vt ostẽdam tibi quod non est Deus, nisi Nabuchodonosor, cum percusserimus eos quasi hominem vnum, tunc & ipse cum eis Assyriorum gladio interibis. De exercitu vero eius: excitate, inquit, illum, quoniam mures progressi de cauernis suis, ausi sunt prouocare nos ad prelium. Superbia maxima affecti, Iudæos mures vocabãt. Audi modo eorum deiectionẽ.

Dan. 3.

C

Iudith 6.

Iudith. 14.

D Cum enim omnis exercitus decollatum Olofernem audisset, fugit mens & consiliũ ab eis, solo timore & metu agitati fugæ præsidiũ sumũt, ita vt nullus loqueretur proximo suo. Mitto modo superbiam Amã valde indignati, quod Mardochæus non ei assurrexisset: cum tandem suspensus fuerit in patibulo quod parauerat Mardochæo. Ad Antiochum veniam: de cuius superbia hæc verba nobis scripta relicta sunt in 2. li. Mach. c. 9. locutus est superbè Antiochus se venturũ Ierosolymã

Iudith. 15.

Esther. 4.

2. Mach. 9.

& congeriem sepulchri Iudæorum eam facturum. Et subditur de eius deiectione. Vt finiuit hunc sermonem: apprehendit eum dolor dirus viscerum. Et rursum: is, inquit, qui sibi videbatur fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia impletus, montium altitudines in statera appendens: mox humiliatus ad terram in gestatorio portabatur. Quid de Iudaico populo dicam contemnenti præ se populum gentium, ac dicenti apud Isaiam: Ecce gentes qua si stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt? Qui tandem reiectus est à Domino & populus gentium illi prælatus. Quid de Pharisæo illo dicenti: non sum sicut cæteri homines: & tandem descendit Publicanus in domum suam iustificatus præ illo? Quid denique referam de Petro dicenti: & si omnes scandalizati fuerint, ego non scandalizabor: & tandem metu maximo correctus, succubuit victus vno ancillæ verbo? Quibus exemplis satis intelliges, quam vera sit hæc prouerbialis sententia: omnis, scilicet, qui se exaltat humiliabitur. Quàm vera etiam illa Dauidis: oculos superborum humiliabis. Atque ad rem hanc facit quod Dominus olim statuerat: anima quæ per superbiam aliquid commiserit, siue ciuis ille sit, siue peregrinus, quoniam aduersus Dominum rebellis fuit, peribit de populo suo. Vt hinc videas quam inuisum, atque odio habitum semper fuerit hoc vitium à Deo, ac tibi caueas. Caue ergo ne prædicta mala ob tuam detestandam superbiam tibi pariter eueniant. Si enim Luciferum cæterosque quos annumerauimus imitatus fueris ad infernum detraheris ad profundum laci: vt Dominus apud Isaiam ait. Qui enim altitudinem & potentiam appetit, ad eamque vult sine meritis ascendere, qui alios spernit ac despicit, ad infernum detrahitur, in imam ac cæcam abyssi profunditatem proijcitur. Si Angelus in cælo constitutus, ita prostratus est: quid tu homo elatus mereberis: non in cælo, sed in terra positus? Vera ergo est, & infallibilis hæc Christi Dei nostri sententia: omnis qui se exaltat humiliabitur.

Isai 40. — Infr. 18. — Matt. 26. — Psalm. 17. — Num. 15. — Isai 14.

¶ *Et omnis qui se humiliat exaltabitur*. Tam vera etiam hæc prouerbialis sententia est, vt primum quidem signum prædestinationis, atque exaltationis electorum sit humilitas: Christianæ reipublicæ pretiosa Margarita. Quæ principium est, fundamentum, & firmamentum, atque adeo singularis, & fidissima custos omnium virtutum. Reproborum cor tumidum & turgidum, ac rebus omnino nihili inflatum: non capit hanc tantam virtutem. Seipsis, ac vanis de suis persuasionibus pleni sunt. Obedire, aut humiliari alijs nesciunt. Vinci, aut cedere ignorant. Primos locos vbique, & semper ambiunt, & affectant. Atque ideo Gregorius dicit euidentissimum signum reproborum superbia est, electorum humilitas. Et Christus ipse hoc satis innuit, cum discipulis suis dixit: quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister. Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Et alibi: nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Cum enim testantibus hoc, Augustino, Hieronymo, Chrysostomo, Gregorio, per superbiam eiectus fuerit de cælo Lucifer, & protoparentes nostri de paradyso, docuit verus humilitatis magister, & dux, non posse quemquam regni cælorum possessionem assequi, & in amissam hæreditatem restitui, nisi per veram cordis submissionem, & humilitatem, & eos futuros sui participes, qui ex corde fuerint humiles, contra verò reprobos esse superbos, & ad illius partes pertinere, de quo dicitur: ipse est rex super omnes filios superbiæ: & rursus: imitantur autem illum, qui sunt ex parte ipsius. Et iam olim hoc signum electorum nobis indicauerat Deus per prophetas suos. Nam rex Dauid ait: quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo, & in terra. Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem. Vt collocet eũ cũ principibus,

Primum signum prædestinationis est humilitas. — D. Grego. li. 34. mo. c. 23. — Matth. 20. 19. — Iob. 41. — Sap. 2. — Psal. 112.

Isai 66.

plibus, cum principibus populi sui. Et per Isaiam: ad quem autem respiciam, vel vt alia habent exemplaria: super quē requiescam, videlicet, hic per gratiam, & postea per gloriam, nisi super humilem, aut vt alij legunt, pauperculum, & quietum, & trementem sermones meos? Quocirca si aliquos videmus studio & affectu humiles, superiores omnes alios existimantes, honores mundi & prælatio nes fugientes, iudicio maiorum & peritiorum acquiescentes, de nouissimo loco semper certantes, imbecillitatem suā & defectus agnoscentes, ac tandem se & sua omnia pro nihilo habentes, eos fore beatos iure conijcere possumus, scriptum siquidem est: qui humiliatus fuerit, erit in gloria, & qui inclinauerit oculos suos ipse saluabitur: & in hoc loco: Qui se humiliat exaltabitur. Atque hoc signum colligi etiam potest ex prima beatitudine à Christo nobis præmonstrata, cum dixit: beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Siue enim pauperes spiritu intelligamus, eos qui alienæ voluntati se propter Christum ad plenum subijciunt, siue eos, qui modestissimé de se sentiunt, & insufficientes ex se, & nihil omnino se esse existimant, siue voluntarios pauperes, & qui ex corde & affectu non tantum acceptant, aut tolerant æquanimiter paupertatem, sed eam amant, colunt, amplectuntur, & sequuntur, omnia ista profecto humilitatis opera sunt. Nam & studium paupertatis & obedientiæ ex humilitate cordis proficiscitur. Et obedientia perfecta propter Christum, amorque seu obseruatio & cultus paupertatis tantam in se habet libertatem, tantam magnanimitatem, & sanctitatem annexam, vt quos harum virtutum studiosos sectatores, & obseruatores viderimus, non iniuria possimus destinatos æternis, & immensis beatitudinis diuitijs coniectare. Non iniuria eos fore beatos iudicare: non inquam iniuria eos esse exaltandos euehendosque ad cælum vsque, vt stet sententia: Omnis qui se humiliat exaltabitur. ¶ Atque non solum hæc sententia vera est in futura vita, sed in vita hac,

Iob, 22.

Matth. 5.

Vega lib. 11. de iust. c. 11.

A quam degimus, eam esse veram experimur. Quod enim Christus Dominus se filium hominis vocabat, illum exaltauit pater, semel atque iterum vocando filium suum. Hic est, inquit, filius meus dilectus. Quod, rursum, humiliauit sese factus obediens vsque ad mortem, Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium terrestrium, & infernorum. Quod virgo sanctissima humilitate affecta dixit: ecce ancilla Domini: exaltata est super omnes

Matth. 3. & 17. Philip. 2.

B mulieres, materque Dei effecta. Meruitque audire ob suam humilitatem, ecce concipies & paries filium & vocabis nomen eius Iesum, &c. Quod sanctus Ioannes ait: non sum propheta, sed vox clamantis in deserto: laudibus summis à Christo effertur: atque plusquam propheta dicitur, Angelusque vocatur. Grauius sane peccauit Dauid quàm Saul, & tamen ob profundam animi deiectionem stabilitus confirmatusque in regno est: maximéque euectus, Saul veró deiectus. Vnde secundo Regum, capite sexto, ait rex iste sanctus, Michol dicenti: quàm gloriosus fuit hodie rex discooperiens se ante ancillas seruorum suorum: Viuit Dominus, quia ludam ante Dominum, qui elegit me potius, quam patrem tuum, & quam omnem domum eius, & præcepit mihi, vt essem dux super populum Domini in Israel, & ludam & vilior fiam plusquam factus sum: & ero humilis in oculis meis: & cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo. Hinc erat vox illa Domini dicentis: inueni virum secūdum cor meum. Maximo enim amore prosequitur Dominus, maximisque beneficijs, atque muneribus afficit: quos humiles inuenit. Sic enim exaltat humiles depositis potentibus ac superbis de sedibus, ac sellis, thronisque suis.

Luc. 1.

Ioan. 1. Matt. 11.

C

2. Reg 6.

Acto. 13.

D

Luc. 1.

¶ Insigne etiam exemplum huius prouerbij habes, Apocalyps. capite. 11. Vbi narrat Ioannes duos illos viros insignes, nempe Enoch & Eliam, ab Antichristo occisos, post tres dies & dimidiū susci tatos, audiuisse vocem magnam dicentē eis: ascendite huc. Et ascenderunt in cœlum

Apoc. 11.

lum in nube: & viderunt illos inimici eorum. Erit enim peculiare priuilegium his duobus viris concessum, vt ante communem resurrectionem hominum, illi in corporibus gloriosis assumantur in cælum beatorum. Et simile priuilegium dicitur de Christo, Acto. cap. 1. Et nubes suscepit eum. Est enim opus Dei, vt qui se humiliat exaltetur. Ideo isti duo sancti audient: ascēdite huc. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore tribulationis, vt Petrus admonet, 1. Petri. c. 5.

Acto. 1.

1. Pet. 5.

Dicebat autem & ei, qui se inuitauerat. Cum facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, aut fratres tuos, neque cognatos neque vicinos, diuites, ne forte te et ipsi reinuitent, et fiat tibi retributio, sed cum facis conuiuium voca pauperes, debiles, claudos & cæcos & beatus eris: quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum. Hac cum audisset quidā de simul discumbentibus dixit illi. Beatus qui manducabit panem in regno Dei.

Adiecit Dominus hanc alteram parabolam, quę peculiariter pertinebat ad pharisæorum principē, qui illum inuitauerat. Qua describit mores diuitum, qui dum volunt hospitales videri, non vocant quos reficiant, sed eos à quibus vicissim inuitentur, aut vnde gloriam aucupentur sibi. Atque hæc quidē non est hospitalitas, sed ambitio, vel auaritia, vel vtrumque. Liberalitas enim est, quæ libenter cuiuis præstat beneficium, sine spe redditurae gratiæ.

¶ *Cum facis prandium, aut cœnam noli vocare amicos tuos, aut fratres tuos, neque cognatos.* Obserua, quod non hic prohibet Dominus simpliciter vocare amicos, aut consanguineos ad conuiuium: hoc enim licitum esse nemo est qui dubitet. Nam Genes. cap. 43. legimus sanctum Ioseph fecisse prandium, atque vocasse fratres suos. Filij etiam sancti Iob faciebant conuiuium per domos vnusquisque in die suo. Prohibet ergo in hoc loco Dominus eos vocare eo animo, vt te vicissim inuitent, & conuiuium aut æquale, aut lautius etiā exhibeatur. Hoc enim non erit charitatis sed cupiditatis. Prohibet denique siue hortatur, ne eo animo fiant: vt meritum talis beneficij amittatur apud Deum. Audi ergo quid in hac parabola velit Dominus. Si vis bene collocare conuiuium tuum, si quando est tibi animus exhibere prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, eos scilicet, qui tua liberalitate non egent (nam si egerent hi potius sunt vocandi quàm extranei) aut qui bene de te meriti sunt, ne vel referre gratiam, vel captare beneficium videaris, vel pudore vocare: ne videaris ingratus. Huiusmodi sane conuiuium nullius est meriti apud Deum. Noli etiam vocare fratres tuos, aut cognatos: cognationis, scilicet, tantum gratia. Nam tale beneficium non Deo, sed cognationi exhibebitur. Noli denique vocare vicinos diuites, nam tunc tibi peribit exhibiti conuiuij gratia: peribit autem, si illi te vicissim inuitent. Sic enim pensato beneficio, nihil debebunt gratiæ. Non ergo prohibet Dominus consuetos tam nuptiarum, quàm aliorum conuiuiorum mores (exhibendo conuiuium fratribus, cognatis, amicis) sed docere vult non esse hæc conuiuia genere suo meritoria æternæ fœlicitatis: qualia sunt pauperibus ob Dei amorem exhibita.

Vi. S. Th. 2. 2. q. 32. ar. 3. ad 2.

Gen. 43.

Iob 1.

¶ Sed

§ *Sed cum facis conuiuium voca pauperes, debiles, claudos, & caecos, & beatus eris: quia non habent retribuere tibi, retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum.* Hinc aperte colliges certum praedestinatorum signum esse hospitalitatem, atque misericordiam, qua ex affectu, & ex corde miserijs aliorum condolentes, eas propter Deum quacunque licet sublevare studemus. Beatus eris (inquit in hoc loco Dominus) & alibi: beati misericordes, quoniam & ipsi misericordiã consequentur. Et rursum: date, & dabitur vobis. Mensuram bonam & confertam, & coagitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum. Habent vniuscuiusque exercitus milites sua peculiaria signa, & ea studijs, affectibus, & facinoribus cuiusque ducis solent esse consentanea. Et Deus propensissimus suapte natura ad benefaciendum omnibus, atque ideo eximius, imò nimius hominum amator, insigne suorum voluit esse charitatem misericordiam, beneuolentiam hospitalitatem. In hoc, inquit, cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Quare perire non patitur, quos propter se propensos videt ad benemerendum de alijs, & tanto chariorem quemque habet, quanto maioribus ille charitatis facibus inflammatur. Vnde Diuus Augustinus ait: dilectionem esse solam, quae decernit inter filios regni & perditionis. Et subdit. Haec est Margarita pretiosa charitas, sine qua nihil tibi prodest, quodcunque habueris. Quam si solam habeas sufficiat tibi. Et Diuus Chrysostomus. Sic animum misericordia confirmat, vt superari à diabolo nequeat. Et Diuus Gregorius tanto quisque perfectior est, quanto perfectius dolores sentit alienos. Et alibi: quicquid misericorditer, ac respectu pietatis impenditur, & hic autorem suum adiuuat, & optatũ ei praemiũ in die retributionis apportat. Et Dominus hic ait retribuetur, tibi in resurrectione iustorum. Lege apud Tobiam, cap. 4. & cap. 12. & apud Ecclesiast. cap. 29. & inuenies hoc idem. Regius etiam vates ait: beatus qui intelligit super egenum & pauperem in die mala liberabit eum Dominus. Et caetera quae sequuntur, quę iuxta phrasim Hebraicam per futurum etiam reddi possunt, vt sint promissiones perseuerantiae & reparationis post lapsum.

Hospitalitas & misericordia certũ praedestinationis signũ. Matth. 5. Sup. 6. Simile. Ioa. 13. Aug. tract. 5. in Epis. Ioan. D. Chrys. homil. 69. Matth. D Grego. 33. mor. Tob. 4. c. 12. Eccles. 29. Psalm. 40. Vega lib. 12. c. 16.

§ Quando igitur hoc certum signum est praedestinationis nostrae, satagamus per opera misericordiae certam facere vocationem nostram. Excitemur testimonijs scripturae sacrae, excitemur exemplis sanctorum hanc pietatis virtutem sectantium, excitemur spe propositi praemij. Excitemur inquam testimonijs Scripturae dicentis: mitte partes eis qui non praeparauerunt sibi: & rursum: panem tuum cum egenis & esurientibus comede. Et alibi: mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post multa tempora inuenies illum. Transeuntes aquas vocat mortaleis homines. Sic enim ait mulier illa. 2. Regum. 14. Omnes morimur, & quasi aquae dilabimur in terram quae non reuertuntur. Denique Scriptura ait: qui habet escas det non habenti. Excitemur, inquam, exemplis sanctorum. Tobias enim de facultatibus suis esurientes alebat: sanctus Iob idem faciebat. Alias enim non diceret: si comedi bucellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea, &c. humerus meus à iunctura cadat & brachium meum cum suis ossibus conteratur. Excitemur denique spe tanti praemij. Dicente Domino apud Ezechielem: si panem esurienti dederit vita viuet: & apud Matthaeum: qui potum dederit vni ex minimis illis calicem aquae frigidae tantum in nomine discipuli, amen dico vobis non perdet mercedem suam, & in hoc loco ait: cum facis conuiuium voca pauperes, &c. & beatus eris, quia non habent vnde retribuant tibi, retribuetur autem tibi in resurrectione iustorum. Contra vero signum reprobationis erit inhumanitas in pauperes. Iudicium enim sine misericordia fiet illi, ait Iacobus, qui non facit misericordiam.

Neem. 8. Tob. 4. Eccles. 11. 4. Reg. 14. Luc. 3. Iob. 31. Ezech. 18. Matth. 10. Iacob. 2.

¶ Domini. 2. post Pentecost.

AT ipse dixit ei. Homo quidam fecit cœnam magnam: et vocauit multos. Et misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis vt venirent, quia iam parata sunt omnia. Et cœperũt simul omnes excusare. Primus dixit ei, villam emi: et necesse ab eo exire et videre illam: rogo te habe me excusatũ. Et alter dixit: iuga boum emi quinque, et eo probare illa: rogo te habe me excusatum. Et alius dixit, vxorem duxi: & ideo non possum venire. Et reuersus seruus nũtiauit hæc Domino suo. Tunc iratus pater familias dixit seruo suo, exi cito in plateas et vicos ciuitatis: et pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos, introduc huc. Et ait seruus, Domine, factum est vt imperasti: et adhuc locus est. Et ait Dominus seruo, exi in vias & sepes: & cõpelle intrare, vt impleatur domus mea. Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt: gustabit cœnam meam.

ET dixit ei. Homo quidam fecit cœnam magnam. Cum prædictam parabolam dixisset Iesus de conuiuio nuptiali, deque resurrectione iustorum, atque quidam de cõuiuis, veluti per somnium tactus desiderio cælestis illius conuiuij dixisset: beatus cui continget edere panem in regno Dei: veluti subindicans paucos fore, quibus cessura sit ea fœlicitas, quasique non quilibet ad illud cõuiuium essent admittendi, sed dumtaxat aut Iudæorum primores: idcirco Dominus proponit hanc parabolam, qua docere vult primo quidem loco vocatos Iudæos, ne quæri possent sese spretos esse: sed dum ipsi dediti rebus mundanis vocati recusant venire, pluris habentes perituta bona, quàm vitam æternam, vocandas esse omnes promiscue nationes, vt impleretur ex eis Ecclesiæ cætus cælestis. ¶ Hic imprimis repetere libet & prolixius explicare regulam concordandi Euangelistas: quam supra retulimus. Quod si ergo apud vnum Euangelistam aliquid factũ narratur, quod videtur ab alio Euangelista etiam recitatum, secundum tamen aliquam sui partem alteri repugnãs, vt omnino solui non possit, iam nihil aliud intelligatur, quam vtrumq; in diuersis locis, aut temporibus factũ esse: & ita vtrũque Euangelistam verum dixisse. Nihil enim obest veritati Euangelicæ, si vnus commemorat quod alter tacet. Vnde etiam atque etiam retinendum est, sæpe Christum diuersis temporibus & dixisse eadem & fecisse similia. Matthę. 12. scribis & pharisæis petẽtibus signum de cœlo, respondit: generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Hæc & alibi: alioque tempore Christum dixisse ad scribas & pharisæos, patet ex cap. 16. apud eundem Matthæum. Sic & verbũ illud, multi sunt vocati, pauci verò electi: concludit parabolam Saluatoris de operarijs

Sup. c. 7. Regula cõcordandi Euangelistas.

Matt. 12.

Matth. 16.

rarijs denario diurno conductis in vineá, Matthæ.20. quod itidem est finis parabolę alterius, quæ est de inuitatis ad nuptias venire nolentibus Matthæ.22. sic & parabola quam assumit Saluator Matth.22. De homine rege, qui fecit nuptias filio suo, mittente seruos suos inuitare ad nuptias, videtur aut esse eadem, aut prorsus significare idem cum parabola, quam in hoc loco recitat noster Euágelista de homine, qui fecit cœnam magnam. Sed hác non esse eádem, patet in eo, quod ibi per nuptias præsentem Ecclesiam, extra quá eijciendus est, quisquis sine nuptiali veste inuentus fuerit: hic verò, per cœnam magnam, futuram Ecclesiam designet, quam quisquè semel intrauerit, vlterius repelli nó poterit. Item bis accidit quod Petrus cum filijs Zebedæi piscátibus per totam noctem, nihil prendiderunt. Semel ante passionem secus stagnum Genezareth, vbi Christus dixit: duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Cui Petrus: præceptor per totam noctem laborantes nihil cæpimus, in verbo auté tuo laxabo rete. Secundo autem ad mare Tyberiadis post resurrectionem, vbi ascéderunt in nauim, & tota nocte nihil prændiderunt. Sed hoc factú longe diuersum est, non solum secundum locum & tempus, sed secundum res ipsas. Nam hic retia in dexteram partem missa, centum quinquaginta tres pisces magnos cæperunt, & non sunt confracta. In facto auté recitato á nostro Euangelista Luca ante resurrectionem, retia pręmultitudine piscium rumpebantur. Alio tempore factú est, quod recitat Ioannes Iesum apparuisse discipulis, & dixisse illis: sicut misit me viuens pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittútur eis. Alio autem tempore quod recitat Matthæus Iesum apparuisse discipulis, & dixisse illis: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Eútes ergo docete oés gentes baptizátes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. Nam illud apud Ioannem dictum est Apostolis eodem die resurrectionis, vt patet ex Ioannis euangelio. Istud auté apud Matthæum, longé post dictum est,

Matth.20 | Matth.22. | Matth.22. | Supra.5. | Ioan.21. | Ioan.20. | Matt. vlt.

A eis, iam ex Hierusalem profectis in montem Galilææ, vbi constituerat eis Iesus. Bis ergo Iesus discipulos misit, semel vt peccata remitterent: semel vt docerent omnes gentes, & vt baptizarent. Sic & in libris Moysi discimus, quod Deus bis aquas de petra duxerit filijs Israel, præ siti murmurantibus. Semel ante legem datam, vbi Moyses virga iubetur percutere petram Oreb: secundo post legem, vbi Moyses virga sua bis silicem percussit in loco, quem vocauit aquas contradictionis. B Quod Paulus dicit: Sicut ego per omnia omnibus placeo. Videtur contrarium illi, quod dixit: Si adhuc hominibus placerem: Christi seruus non essem. Sed non est dissonantia, si intelligamus Paulum per omnia sua opera placuisse omnibus, quia omnia sua sic faciebat, vt omnibus placere deberent: dum omnia sua sic faciebat, vt nulli aut scandalú, aut offendiculum pręstarent. ¶ *Fecit cœnam.* Hæc est vltima cœna illa de qua loquebatur olim Esaias dicens: & faciet Dominus exercituum in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, conuiuiú pinguium medullatorum, vindemiæ defecatæ. Hæc, inquam, est cœlestis gloria, visioquè diuina, qua beati in Sione, hoc est in cœlesti patria, in illa æterna Hierusalem sempiterno æuo fruútur. Ibi enim sancti diuinis epulis satiantur. Hoc intelligens diuinus quidam vates dicebat: Satiabor cum apparuerit gloria tua. Ac si diceret, cum animus meus é corporis vinculis tanquam ex carcere ad sedes tuas beatissimas euolauerit, tunc ęternis dapibus satiabor, omnibusquè gaudijs & voluptatibus cumulatus. D Te Deum meum summum & immensum intuebor. Ad hanc cœlestem cœnam nos inuitat Angelus in Apoca. Ioannis dicens: venite & congregamini ad cœnam magnam Dei. Et apud nostrum Lucam Christus: Ego, inquit, dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum: vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Hęc cœna, ad quam ipse Deus nos inuitat, ad quam omnes viri iusti & pietate præstantes accedunt, de quibus dicitur in Psalmo: inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, &

Exo.17. | Exo 20. | Gala 1. | 1.Cor.10. | Vi. Driedonē.3.de Dog. c. 4. fo.168. | Gloria cœlestis est cœna ista | Esai.25. | Psal.16. | Apo.19. | Infra.22.

Psa. 35. torrēte voluptatis tuæ potabis eos. Hæ dapes, hoc nectar, hæc ambrosia, hæc pabula mentis sunt, non corporis alimenta. Et hæc est cœna de qua hic loquitur Christus: hoc est conuiuium de quo loquitur Esaias loco nunc allato. O gloriosa cœna gloriosumque conuiuium: ô sedes illas cœlestes, æternaque domicilia, in quibus beatorum mētes diuinis oblectationibus cumulatę, æternisque ornamentis & cœlestium bonorum copia redundantes, æternis dapibus abundant, & immortali pulchritudine decorātur. Salue ciuitas florentissima, cœlestis Hierosolyma, sanctorum patria, vbi ipsi gloriosi immarcessibilibus gaudijs triumphant. Ad te suspiro, te ardenter appeto, te laudibus efferre cupio: sed non possum rem tam eximiam ob ingenij mei tenuitatem pro dignitate explicare. Hanc ergo diuinam cœnam esuriamus, hanc sitiamus. Qui enim illam non esurit aut sitit absq; dubio vitam agere spiritualem non creditur. Hanc sitiebat ille qui dicebat: quēadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontē viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Hęc est cœna illa de qua in Prouerbijs aiebat Salomon: Sapientia proposuit mensam suam. Ad quam ibidē inuitat omnes nos. Venite, inquit, & comedite panem meū & bibite vinū quod miscui vobis. De hac loquens in Canticis ait sponsus: comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi. ¶ Habet autē eximium & singulare cœna ista, quod satietatis plenissimæ cum sit, nunquam tamen conuiuis cœlestibus fastidium gignit. Cuius oppositum tam in corporalibus escis: quam in cæteris huius mundi delicijs experimur. Cum enim non habētur (inquit Gregor.) graue in se desideriū accendunt, quum verò auidē eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt. ¶ *Fecit cœnam magnā.* Magna merito ac magnifica appellatur cœna ista cœlestis, idq; multis de causis. Primo dicitur magna, ob magnitudinem conuiuarum. Omnes enim permagnifici sunt, omnes nobilitate ac maximis opi

Psa. 41.

Pro. 9.

Cant. 5.

D. Grego. ho. 36. in euange.

Quare cœna illa cœlestis dicatur magna

A bus innumerisque diuitijs abundant, omnes filij Dei vocantur & sunt: omnes hæredes regni cœlestis, imo omnes iā illud iure hæreditario possidentes. ¶ Magna deinde vocatur cœna illa, hoc est, gloria & beatitudo sanctorum ob suam longitudinem, sublimitatem, ac profunditatem. De huiusmodi enim dimensionibus disserebat D. Paulus in epistola ad Ephe. cum dicebat: Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi: vt possitis comprehendere cum omnibus B sanctis quę sit longitudo, latitudo, sublimitas & profundū. Deus enim quo fruuntur beati longitudinem habet quia æternus est, latitudinem quia trinus est, sublimitatem, quia ille solus necessario est. Ille enim ait: ego sum qui sum. Profundum quia sibi soli perfectissimè cognitus est. Deum enim inferno profundiorem nouerat qui dicebat: nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Et qui dicebat: iudicia Dei abyssus multa. Longiorem terra intuebatur Apostolus cum aiebat: ei autem qui potens C est, omnia abundanter facere quam petimus, aut intelligimus. Latitudinem respiciebat diuinus vates cum Psallebat: Quis nouit potestatem iræ tuæ: & & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Et rursum: Si ascendero in cœlum tu illic es, beatitudine. s. æterna afficiens quos amore prosequeris: si descendero in infernum ades, puniēs videlicet impios. Si sumpsero pennas meas diluculo & habitauero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me D dextera tua. Deus est ante omnia, intra omnia, super omnia, portans omnia verbo virtutis suæ. Hæc sunt longitudo, latitudo, sublimitas & profundum mēsæ cœlestis, visionisque beatæ. Quam ob causam magna iure optimo vocatur cœna illa cœlestibus conuiuis apposita. ¶ Magna etiam appellatur, ob conuiuarum innumera multitudinem. Vidit enim Ioannes in ea turbam magnam, quā dinumerare nemo poterat: vidit millia millium angelorum dicentium voce magna: dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutē, & diuinitatem, &c. ¶ Magna quoq; voca-

Ephe. 3.

Explicatur locus.

Exo. c. 3.

1. Cor. 4.

Psa. 35.

1. Cor. 4.

Psa. 89.

Psa. 138.

Apo. 5.

Apo. 7.

vocatur: tum, ex duratione. Est enim perpetua, nunquam enim deponitur mensa illa, nunquam cessat beatissimum conuiuium illud. Tum, ob ferculorum magnitudinem, quæ tanta est vt quanuis perpetuo epuletur innumera cõuiuarum multitudo, nunquam cœna illa finietur, aut consumetur, imminuetur ve. Quemadmodum enim solis lux atque claritas nulla multitudine videntium aut intuentiũ illam, aut consumitur aut minuitur: sic panis ille viuus ac verus qui Deus noster est, millia millium conuiuarum, claritatis bonitatisque suę ferculis reficit, cibat, ac recreat absque sui diminutione. Et sicut lux solis omnium oculos pascit: sic lux illa mundi, splendor ille gloriæ, cib9 ille vitæ mentis oculos replet & satiat.

Similitu.

¶ Magna denique iure dicenda est cœna illa ob ferculorum multitudinem ac varietatem. Non enim est numerus ferculorum quib9 simplicissima illa veritas quæ cibus est mentis, vim nostram intellectiuam pascit. Ostendit se Deum vnum, trinum, æternum, immensum, omnipotentem, summe bonum, &c. Ostendit inse tã quam in lucidissimo speculo cæteras à se conditas creaturas: quibus delectatur mirum in modum mens nostra. Neque ferculorum finem inuenies, quibus bonitas illa immensa cibat ac delectat vim appetitiuam conuiuarum. Maximo enim ibi amore naturali diligitur De9: quod creator, quod pater, quod conseruator, quod custos, quod defensor: quod denique omnium bonorum temporaliũ largitor sit. Quanto verò amore supernaturali, hoc est, quanta charitate ibi à sanctis diligatur dici non potest, fari non potest. Dicãt qui experiuntur: dicãt qui perpetuò magnificentiã gloriæ sanctitatis eius loquũtur, & mirabilia sua narrant: dicant qui memoriam abundantiæ suauitatis eius eructant, & iustitiam suam exultant: dicant qui gloriam regni sui dicunt, & potentiam suam narrant: nos dicamus beati qui habitant in domo tua Domine: in secula seculorum laudabunt te.

Psa. 144.

Vi. Guill Pari. de retribu. sanctorum Psa. 83.

¶ *Et cœperunt omnes simul excusare. Primus dixit ei: villam emi: et necesse habeo exire et videre illam, ect. alter dixit iuga boum emi, ect.* Hinc disces quam verè olim vates quidam dixerat: væ, qui dicitis malum bonum, & bonum malũ, ponẽtes amarũ in dulce, & dulce in amarũ. Ea est enim humani iudicij corruptela, ea cæcitas & ignorantia, vt mala pro bonis, obscura pro illustrib9, amara pro dulcibus sæpe numero amplectamur. Prouenit hęc gustus deprauatio, ex esu illius pomi funesti, primis parentibus prohibiti. Et vt multi morbo aliquo & sensus stupore suauitatem cibi non sentiunt, sic improbi homines veræ virtutis gustum nõ habent: quin potius Deo relicto mortiferas voluptates concupiscunt: peccatum dulcissimum esse existimant, virtutem verò amarissimã. Isti, qui vocati sunt ad magnã cœnam à Deo paratam, epulas illas diuinas ac suauissimas ob eam causam cõtempserũt, quia deprauatum gustum habentes pro dulcibus amara desiderarũt. Nonne ex illis vnus ait: villam emi, alter verò emi quinque iuga boum ideo non possum ire? Vide cæcitatem & gustus deprauationem. Durissima mundi iuga epulis Christi suauissimis anteponit. In Psal. 18. Vbi editio vulgata habet, bonitatem & disciplinam & scientiam doce me: vertit quidam: bonum gustum & scientiam doce me. Ita enim verti potest ex Hebræo. Vbi vides sanctissimum vatem à Domino bonum gustum postulare. Ac si diceret. Ita Domine mentem meam illumina, vt perspiciam quid appetẽdum sit, quid vitandum: talem mihi animi gustũ præbe, vt verorum bonorum suauitatem sentiam, mala verò amara & acerba esse iudicem. Lege quæ cap. 10. annotauimus in illa verba Martha Martha solicita es: & turbaris erga plurima. Et quæ apud Matth. cap. 11. in illa verba: Iugum meũ suaue est. ¶ Secundo obserua quid Euangelista referat: *cœperunt*, inquit, *omnes excusare*. Cœna mundi parua est, Dei verò magna. At nos pro paruis, magna relinquimus, pro mũdi cœna, Christi cœnam contemnimus: eximios & salutares ac diuinos æternosque cibos repudiamus. Inuitat nos mundus ad epulas corruptibiles, & venenosas & accurrimus: inuitat nos Christus ad escas cœlestes & immortales

Esai. 5.

Ea est humani iudicij corruptela vt mala pro bonis sæpe numero amplectamur

Simile.

Psal. 18.

Matth. 11.

Pro mũdi cœna quæ parua est, contẽnũt homines cœnã Dei, quæ magna est.

tales & non mouemur. Vocaui, inquit ipse per Esaiam, & non erat qui audiret. Et per Salomonem: Vocaui & renuistis: extendi manum meam & non fuit qui aspiceret. Et apud Matthæ. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis & ego reficiam vos. Sed cœperunt se excusare. Primus dixit: villã emi & necesse habeo exire, & videre illam. Alter dixit: iuga boum emi quinque, & eo probare illa. Alius dixit vxorem duxi. Et omnes voce Domini damnati sunt. Sed dices: quid: nõne hæc licita sunt? Quis nunquam damnauit emere villam, emere boues, & vxorem ducere? Si igitur hęc absque peccato fieri possunt, quare Christus eos damnat, quia ea fecerunt? Huic obiectioni respondendum puto, non ideo eos damnatos fuisse, quia hæc fecerũt, sed quia ea vsque adeo vehementer amarunt, vt pro illis Christũ relinquerent. Non ideo æternum merentur exitium, quod hæc possiderent, sed quod ea Christo anteponerent. Non illis præcipiebat Christus, vt illa relinquerent, non vt se cũ illis non coniungerent, sed vt seipsos à corrupta affectione disiũgerent, & à deprauato amore se pararent. Id voluit Deus significare, quando Abrahamo dixit: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui. Amandus est pater, amanda est patria, amãda vxor, amanda cognatio, sed amore sancto & ordinato. At si hic amor nec puritatem habet, nec ordinem, si Dei amorem excludit, & totum amantem rapit & absorbet, & à Deo alienat, impius est, & perniciem parit sempiternam. Sed aduerte, & quid primus eorum qui se excusarunt responderit, perpende. *Emi*, inquit, *villam, & necesse habeo exire, & videre illã.* O cæcum hominem: ò insipientiam deplorandam: dic obsecro, si villam non videras, quo modo eam emebas? *Volo*, inquit, *videre illam.* Adhuc eam non viderat & iam tanti faciebat, vt pro illa relinqueret cœnam magnam Domini. Non videmus mundum, non eius dolos consideramus, nullam veram in eo quietem aspicimus, & tamen illum emimus, pro illo Deum contemnimus, & pro nihilo putamus. *Necesse habeo exire, & videre*

Esai. 6o.
Pro. 1.
Matth. 11
Dubium.
Responsio
Gen. 12.

A *illam.* Quę est hęc necessitas? Quid te cogit? Vnde vis exire, & quid vis videre? Egredieris à ratione, à iudicio, à veritate, & tandem à teipso. Vide qui dicat Deus per Esaiam. Præuaricatores redite ad cor. Pręcipit Deus, vt redas, & tu vis exire. Vis videre mundum, si teipsum vidisses, mundum videre non cuperes. Vis aspicere res breues, fluxas, fugaces, incertas & in casu sitas: vis intueri dolos, mendacia, superbiam, auaritiam, & cætera huiusmodi, ad quę cæci mortales stimulis cupiditatis exagitati ardenter aspirant.

B Hæc sunt, quę incredibiles sui in te amores excitarunt, cum reipsa turpia sint, vana, & fallacia, & cito peritura. Et pro illis honestatem relinquis, decus, & virtutẽ, qua nihil est in vita pulchrius, nihil firmius, nihil prę stantius, nihil diuturnius. Nihil est tam tetrum, nihil tam aspernandum, nihil homine tam indignum, quam repudiare virtutem, & relinquere rationem. Est enim ratio quæ hominem separat à bruto, quæ est domina & regina, quæ connexa per se & progressa longius fit perfecta virtus: hæc in animæ republica imperare debet, & appetitus obedire:

C hęc debet concupiscentias vincere, iracũdiam cohibere, turbationes sedare, vt in homine resplendeat constantia & moderatio. Si hanc sequereris, non pro rebꝰ mundi Christum relinqueres, non velles videre mundum, qui vt ait D. Ioannes, totus in maligno positus est. Mundus hic mare est, in quod omnia flumina vanitatum ingrediuntur, quo conueniũt aquæ deliciarum, imbecillitatum, fallaciarum, mendaciorum, superbię, auaritię, inuidię & cæterarum huiusmodi pestium. Imò

D sepulchrum est peccatorum. Peccauerũt in paradyso primi parentes nostri, & per peccatum mortem incurrerunt: dixerat enim Deus: quocunque die ex eo comederitis, morte moriemini. Comederunt, & mortui sunt, & fuerunt in hunc mundum tanquam in sepulchrum deiecti. Tu igitur qui corporis sepulchrũ exhorrescis, cur flagitiorum sepulchrum ardenti amore prosequeris? O rem Christiano homine indignam: sed videte hominis vanitatem. *Emi*, inquit, *villam.* Emisti eam præ-

Esai 46.
1. Ioan. 5.
Gen. 2.
Gen. 3.

pretio animæ. In villa empta, inquit Augustinus, dominatio notatur. Volebat alijs præesse, qui sibi non præerat, volebat alijs imperare, qui sibi non imperabat: qui non refrenabat appetitum, non spernebat voluptates, non coercebat vanitatem, non cæteras animi labes repellebat. Quo modo alios teneret, qui seipsum nō tenebat? Sed volebat primus videri, & inani quadam gloria oblectari. Vt ignauo & imbecillo equiti prelium ingredienti, præciosis armis induto, non solum nihil prodest galea auro fulgens & gēmis, ac pulchrarum pennarum crista decorata, sed etiam obest, quoniam hostiū multitudo in eum vehementius irruit, & impetum facit: sic homini vano & inani gloriâ ducto nihil prodest mundi dignitas & dominatio, quin potius detrimentum illi affert, & incommodum; quoniam illum plerique vocibus vulnerant, & irrident: & hostes etiam animæ vehemētius lædunt. Nos verò mūdum relinquamus & eius vanitatem detestemur, eius ambitionem vt pestem fugiamus & ad mēsam Domini cœlestem properemus. Diuitiarum affluentia non in nobis contemptū huius mensæ cœlestis pariat, quemadmodum in Iudęis peperit. De quibus Dominus conquerebatur apud Ezechielem dicens: quia superastis gentes, quæ in circuitu vestro sunt, & in præceptis meis nō ambulastis, & iudicia mea non fecistis, quæ verba poterāt etiam ex Hebræo ita verti: quia multiplicaui vos prægētibus, quæ in circuitu vestro sunt, ideo in præceptis meis non ambulastis. Vt sit sensus: quia vos auxi, & propagaui familias vestras, vobisque diuitiarum affluentiam largitus sum, contra me calcitrastis: & effrenati omnia præcepta mea contempsistis. Iuxta id, quod est in Deuteronomio literis mādatum: incrassatus est dilectus, & recalcitrauit: incrassatus, impinguatꝰ, dilatatus. Dereliquit Deum factorē suū, & recessit à Deo salutari suo. Et hoc est, quod in hac parabola ait Dominꝰ: quod cœperunt omnes se excusare vnus dicēs: villam emi, alter verò iuga boū emi, &c. Quando igitur ad hanc mensam nos inuitat ipse Dominus in hoc loco: quando ipse ad nos venit, si nos ad eā accedere per bona opera recusamus: ipseque stat ad ostium & pulsat, non eum contemnamus: sed libenter, atque cum maxima gratiarum actione, ad hoc conuiuium inuitati veniamus. Relinquamus mundum: nam quicquid est in mundo, aut est concupiscentia oculorum, aut est superbia vitæ, aut est concupiscentia carnis. Nisi enim hi omnes inuitati de hoc mundo fuissent non diceret alius, oculorum concupiscētia affectus, iuga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te, habe me excusatum: nec alius superbia vitę præditus, responderet vrgēti famulo: villam emi: nec denique alius concupiscentia carnis tractus sese excusaret dicens: vxorem duxi, & scis quàm sit res operosa, quot curas secum trahat, & idcirco non possum venire. Nos ergo si mundum omnino contēnamus, non his alijs ve prætextibus nos ipsos excusabimus, nec prius habebimus luctum terrenæ possessionis, quàm æternæ felicitatis: nec prius habebimus regnorum omnium dominium, aut omnes mundi carnales voluptates, quam cœnā illam cœlestem. ¶ Interim tamen mecum perpende mores & ingenia tam diuitum, quam ambitiosorum, carnaliūqꝫ hominum. Diues quid ait? Eo probare: Diues nunquam diuitijs satiatur: his habitis, alia probare desiderat: quibus comparatis adhuc alia ardenter appetit: crescitque pecuniarum ac bonorum temporalium amor indies magis ac magis. Omnia probauit Salomon: & tamen nūquā satiatus est. Omnia probauerat prius pater eius Dauid & tandem ait: satiabor cū apparuerit gloria tua. Et quemadmodū qui febri maxima laborat in lecto nunquam quiescit, quærens frigidum locū: sic huius mundi diuites & si omnia probent, contenti nūquam sunt: sed semper maiori diuitiarum desiderio ardēt. Quid ambitiosus & qui immoderate honores appetit, respondet? Necesse habeo exire. Necessitatis prętextu, bella iniusta gerit. Necessitatis prætextu tyrannidēm in subditos exercet, omnemque impietatem & iniustitiam perpetrare non veretur. Quid denique homo carnalibus volup-

tatibus

Margin notes: Similitu. — Ezech. 5 — Deut. 32 — Apo. 3 — 1. Ioan. 2 — Diues nunquam diuitijs satiatur. — Psal. 16 — Similitu.

tatibus deditus respondet? Non possum. Non possum, inquit, ab hoc vitio liberari, pedibus ac manibus ab hac muliere sum vinctus, in perpetuum carcerem ab ea sum coniectus. Quod Sansomni, Dauidi, atque Salomoni accidit olim, mihi modo etiam contingit. Perpende etiam obsecro quid tertius dicat: vxorem duxi. Si ergo vxor sanctis benedictionibus ducta, multoties in causa est, vt mensam cœlestem contemnamus, quid faciet concubina? Quid secundus ait? Iuga boum emi. Si igitur emptio licita bonorum temporalium in causa etiam est vt aliquando res cœlestes contemnamus, quid obsecro facient bona male parta atque iniustè acquisita? ¶ Deinde considera, quanta iniuria afficiant Deum homines huius mundi amatores, quando eos ad hanc tam magnificam cœnam inuitantem non solum contemnũt, sed propter vanam & inanem imò veneno confertam cœnam, illum derelinquunt. Atque idcirco de huiusmodi hominibus olim his verbis Dominus apud vatem quendam conquerebatur non sine maxima admiratione: obstupescite cœli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer. Duo enim mala fecit populus meus, me dereliquerũt fontem aquæ viuæ: & foderunt sibi cisternas: cisternas dissipatas, quę continere non valent aquas. Hi, similes sunt duabus illis tribubus & dimidiæ Israelis, contemnentibus terram promissam: propter terram animalibus suis alendis aptam. At iusti & pij homines qui degustauerunt delicias terræ illius cœlestis, & qui subolfecerunt dapes illius splendidi conuiuij, adhuc in hac vita mortali existentes: & qui à longe mensam illam salutarunt, similes sunt Abrahamo de quo Paulus ait. Confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens quia quæcũque promisit Deus, potens est & facere. Pater namque ille multarum gẽtium, dedit gloriam Deo: quod contempta ratione naturali dictanti nullo pacto emortuum corpus suum gignere posse, Dei verbis potius fidẽ adhibuit. Sic iusti contemptis terrenis omnibus, quę hominum animos & sensus ad se trahere atq; pascere solent, ad cœlestem illã cœnam aspirant vocati. Qua in re dant gloriam Deo. Hanc noluit dare Christo Domino iuuenis ille perdiues, qui cum audisset: si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quę habes, & da pauperibus & habebis thesaurũ in cœlo, & veni sequere me: abijt tristis. Potiꝰ homo iste insipiẽs, sua, quã Dei bona, thesauros suos quàm cœlestes thesuros quos non videbat, præeligere voluit. Noluit enim dare gloriã Deo certam fidem suis promissionibꝰ adhibendo. Satius D. Ioan. qui degustato vino cœlesti a Christo Dño in suis nuptijs condito, vxorẽ, mundũq; reliquit, atque ad Dei cœnam magnã vocatus cucurrit. Satius rex Dauid cui nihil magis inoptatis erat quã Deus, quã cœna illa sempiterna, quã nectar illud pręclarissimũ. Hinc erant voces illæ. Dñs illuminatio mea & salus mea. Et rursum: quid mihi est in cœlo & à te quid volui super terrã? Iusti spẽ omnẽ ac salutẽ vitamq; suã in Deo collocant: fœlicitatẽ omnẽ suam in illo constituunt, cætera huius mũdi bona possident ac si non possedissent: illis vtũtur ac si minime vterẽtur. ¶ Tandẽ aduerte quid inuitati isti respõdeãt. Alius ait: nõ possum venire: alius verò habeme excusatũ. Qui reuera fatentur se simul nõ posse Deo seruire & mammonæ: Deo & mũdo: Deo & carnis illecebris atq; cõcupiscentijs. Nemo potest, ait Dñs, duobus dominis seruire. Quare seruientes irę, aut auaritiæ, aut luxuriæ, aut ambitioni verè respondent non possumus venire. Nam si venturi sunt necesse est vt mundum atq; omnes concupiscentias eius relinquant.

¶ *Et reuersus seruus, nunciauit hac Dño suo*, His verbis significare vult Dñs querelas sanctorũ vatũ, ac diuinorũ cõcionatorũ aduersus inuitatos, renuẽtes venire ad fidẽ, & ad propositã æternę fælicitatis cœnã. Munus enim cõcionatoris euãgelici est, sua prædicatione vocare ad fidẽ spẽ & charitatẽ atq; ad regnũ cœlorũ homines: & deinde reddere sui muneris rationẽ Deo. Sic enim faciebat Christus Dñs à Deo de cœlo missꝰ: erat diebꝰ docẽs in tẽplo, ait Lucas, noctibꝰ verò exiẽs morabatur in mõte qui vocatur Oliueti. Ibi. n. redi

Margin notes: [illegible] | Hiere. 2. c | Num. 32. Figura. | [illegible] | Roma. 4. | Matth. 19 | Psal. 26. | Psal. 72. | Matth. 6. | Euangelici cõcionatoris est: sua doctrina vocare homines ad virtutẽ & deinde reddere sui muneris rationẽ | Infra. 21. g

dibat oratur*, & quasi sui muneris ratioñe patri redditurus, precesque pro inuitatis ad cœnã fusurus. Sic olim Esaias missus ad prædicandum & vocandum conuiuas redibat ad Dominum, atque renuntians quæ inuitati respondebant, dicebat: Domine quis credidit auditui nostro? Idest, sermonibus nostris, (qui auditus vocantur quod per auditum percipiantur) His ergo verbis significare vult raritatem credentium ex Iudæis inuitatis. Sic etiam Elias reuersus à prædicatione dicebat quærula voce: altaria tua Domine destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus sum ego solus. Si concionator euangelicus es, quære Dominum vt illi tui officij rationem reddas: & tunc te maxime solabitur, quemadmodum cõsolatus est Eliam dicens: Dereliquã mihi in Israel septem milia virorum. i. multa, quorum genua non sunt curuata ante Baal. Ac si diceret: non existimes te remãsisse solum multos alios meæ factionis habeo, quos tu ignoras: quare esto alacris, & non tristis vultuque dimisso.

Esai. 53. a

3 Reg. 19

3. reg. 19. d

¶ *Tunc iratus pater familias dixit seruo suo: Exi cito, &c.* Nihil est, quod tam prouocet, ad iracundiam Deum quàm cõtemptus suorum beneficiorum, quæ nobis vltro ab eo per os suorum vatum aut Apostolorum, aut concionatorum offeruntur. Offert Dominus nobis peccatoribus ministerio suorum, gratiam, peccatorum remissionem, cœlestem cœnam, & nos miseri tanta munera gratis oblata cõtemnimus, cõculcamus, ac pro nihilo habemus. Pro Christo ait D. Paul. legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo reconciliamini Deo. Dominus est qui vocat nos, ipse qui inuitat, exhortatur, rogat, precaturque vt ad cœnam veniamus, vt illi reconciliemur: & nos ingrati, insipientes atq; tanta ingenij tarditate præditi, venire renuimus. Quid solidius? Quid demẽtius, aut imprudentius? Quid igitur mirum vt Dominus iracundia maxima concitatus affirmet: dico vobis quod nemo virorũ illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam. Quod si ab imperatore aut mundi principe aliquo oblatum munus contemneretur, maxima illi iniuria à cõtemptore fieret: quanto maior dicito mihi Deo optimo maximo rerum omnium cõditori ac moderatori irrogatur iniuria, si eius magnifica ac cœlestia munera reieceris ac posterius habueris? Non quod immundus esset Petrus reijcitur à Christo, sed quod oblatum beneficium repellebat, audire meruit: si non lauero te non habebis partem mecum. Eam ob causam Iudæis reijcientibus ac paruifacientib9 Dei oblatam salutem, aiebat Dominus: Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt illam: quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ, & ecce plusquã Ionas hic. Ac si diceret: Me ne contemnitis? Me ne spernitis? Me ne, qui tãta signa apud vos fecerim, talem doctrinam prędicauerim, talia virtutis opera exercuerim, vos ad gloriam inuitantem reijcitis? Ecce plusquam Salomon hic. Atque hæc fuit ratio, hæc causa, quare iratus Isaac ait Abimelech, & Ochozath amico illius: quid venistis ad me hominem quem odistis, & expulistis à vobis? Hæc etiam fuit causa, ob quam perdidit Rex Dauid contemnẽtes legatos suos, quos miserat vt suo nomine consolarentur regem ammonitarum. Irascitur sane maxime Dominus aduersus omnes qui suos legatos ac concionatores euangelij despiciunt, pacem illis oblatam nolentes. ¶ Cæterum animaduerte quid apud Matthęum dicat euangelium: Misit, inquit, seruos suos vocare inuitatos: & rursum misit alios seruos. Hic autem non multos sed seruum vnũ misisse dicitur: eique iratum dixisse: *Exi cito in plateas.* Ibi plurimos, hic autem vnum mittit: vt hinc intelligas quãta diligentia ac cura curare debeant concionatores euangelici vnanimes esse, atque vno ore cœlestia annuntiare: atque multi quasi vnus. Si enim quos vnus ad cœnam supernam vocat sua doctrina alter reuocat, ad cœnam conuiuę venire recusabũt. Hinc est quod quatuor illa animalia ab Ezechiele vate visa, vnum animal appellantur, ob communem consensum mutuam inter se pacem & concordiam. ¶ Præterea obserua quàm æquum, iustũ, ac

Nihil tam prouocat ad iram Deũ quam cõtẽptus suorũ beneficiorũ.

2. Cor. 5.

Simile.

Ioan. c. 13.

Supra. 11. d

Gen. 26.

2. Reg. 10.

Omnes cõcionatores debẽt esse vnanimes atque omnes tãquã vnus idem annunciare.

Ezech. 1. & 10.

Qui ob bona huius mundi, cœlestia contemnit vtraque amittit.

ac rationi consentaneum sit, vt qui ob bona huiusmodi vana & caduca, contemnit sempiterna, firma & stabilia: tandem vtraque amittat. Quod contigisse Iudæis venire nolentibus ad cœnam hanc regiam certo scimus. Amiserunt enim non solũ beatitudinem sed regnum temporale, cęteraque externa bona, propter quæ regnum cœlorum respuerant. Amiserũt (inquam) regnum, vxores, liberos, templũ, sacerdotium, omnes mundi voluptates, ac dignitates. Contra verò contingit omnia relinquentibus ob Christi cœnam. Nam centuplũ in præsenti vita accipiũt: & in futura cœnam illam magnam, hoc est, vitam æternam, vt Dominus apud Matthæum & Marcum pollicetur: & in Apostolis cęterisque sanctis experimur.

Matth. 19

¶ *Exi cito in plateas & vicos ciuitatis: et pauperes ac debiles, & cæcos et claudos introduc huc.* Hoc mandatum ad concionatores euangelicos pertinet. Quibus iniungitur vt dimissis diuitibus venire nolentibus, pauperibus euangelium annuntient, atque ad cœnam beatam venire faciant. Relinquamus igitur diuites superbos, elatos, Dei contemptores, & nos ipsos ad pauperes humiles conuertamus, talium est enim regnum cœlorum. Et sicut misit Christum pater euangelizare, scilicet, pauperibus, sic & Christus ipse mittit nos. Quando potentes, diuites ac mundana nobilitate præstantes, euangeliũ parui faciunt: ac pręmundi voluptatibus, honoribus, ac diuitijs contemnunt. Neque in eo negocio deficiamus: sed instemus operi, clamemus & prædicemus verbum pauperibus opportuné & importuné: quando inde maiorem fructum, atque maiorem vtilitaté reportabimus, quàm elatis obduratisque diuitibus prædicando. Quod insinuare volens Dominus aiebat apud Hieremiam: Si cum peditibus currens laborasti: quo modo contendere poteris cum equis? Si labor est maximus pauperes & humiles ad fidem & cœlesté cœnam trahere, quanto maior erit, potentes, per equos significatos, conuertere, atque ad veram pœnitentiam allicere? Hi enim raro aut nũquam resipiscũt, dolent, nouamque vitam agere proponunt. Nunquid aliquis ex principibus credidit in eũ, aut ex pharisæis? Sed turba hæc quæ non nouit legem: dicebant Pontifices audientes à ministris: nunquã sic locutus est homo. Et reuera ita est. Principes enim & bonorũ affluentia præditi, mundi sapientes, vix euangelicam doctrinam, aut nunquam amplectuntur: pauperes verò & humiles, & idiotæ facilius veritati parent: fidei obsequũtur, pœnitentiam agunt, atque euangelio obediunt, illos raro aut nunquam in cõtionibus videbis, hos autem & contionibus & rebus sacris interesse, experieris. Illos in conuiuijs, in ludis, in alijsq; illicitis operibus occupatos inuenies: hos autem aut in studiosis sanctisque actionibus, aut in paranda re familiari prosustentanda domo familiaque sua, pro alendis liberis, vxore, & pauperibus. Apud Hieremiam ait Dominus: circuite vias Hierusalem, & aspicite, & considerate & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærenté fidem: & propitius ero ei. Et addit Hieremias. Ibo igitur ad optimates & loquar eis: ipsi enim cognouerunt viam Domini, iudiciũ Dei sui. Et ecce magis hi, simul confregerunt iugum ruperunt vincula. Vbi sita videbatur tota spes medelæ: ibi minus inuenta est. Hi namque sunt qui potius leges diuinas transgrediuntur: pacta ac fœdera cœlestia frangunt: qui quadragessimam non seruant, qui otio vacant, vẽtri indulgent, fidem in promissis non seruant: qui vindictam per fas nefasque de inimicis sumere conantur: qui omnia iura diuina & humana peruertunt. Qui de euangelicis concionatoribus illos vocãtibus murmurare solét. In Actis Apostolorum legimus Paulum prædicasse diebus aliquot in ciuitate Macedoniæ nomine Philippos: & solũ in eis diebus ad fidem sua prædicatione traxisse mulierem purpurariam nomine Lydiam, ac eius familiam. Pauperes ergo & qui ex sudore vultus sui vescuntur pane suo facilius ad cœnã vocati veniunt, quàm diuites, quã sapiẽtes huius seculi, de quibus loquens Paulus ait: Sapientiam loquimur inter perfectos: quam nemo principum huius mundi

Concionatoribus præcipitur vt dimissis diuitibus, ad fidem vel charitaté venire nolentibus pauperibꝰ euangeliũ annuntiẽt

Matth. 19

Hiere. 12 a

Ioan. 7 g

Hiere. 5 a

Act. 16 c

1. Cor. 2 b

Acto.1.g

di cognouit. Sic D. Petrus vno sermone ad cœnā traxit ferè tria millia hominū de populo: Vt hinc apertè colligas pauperes humiles aptiores esse ad doctrinā euāgelicā suscipiendū, quā elati diuites cæterique mundi primates. *Exi, inquit, cito & pauperes ac cæcos introduc huc.* Hi enim qui per fragilitatē aut ignorātiā vt plurimū offendunt, facilius ad se redeūt, ac cōuertuntur, faciliusq; Dei misericordiam eos vocantem inueniunt: sic Paulus dicebat: misericordiā cōsecutus sum, quia ignorans feci. ¶*Exi in vicos & sepes.* Sepes, idest, in loca sepibus cincta. Hoc est in pagos & domos rusticas.

1. Tim. 1. b.

¶*Cōpelle eos intrare, vt impleatur domus mea.* Vel ex hoc loco contendūt nōnulli licitū ac sanctū esse, infideles homines ad fidei professionē, cōpellere. Triplex autē inter catholicos scriptores, sanctosq; diuinarū scripturarum scrutatores & interpretes, reperitur huiusmodi cōpulsionis sensus. Duplici enim distinctione vtūtur, & ex parte modi compellendi, & ex parte personarū quæ compelluntur. Et quātum ad primam: vna est compulsio per rationis vim, & persuasionis energiam, & efficatiam: atq; altera per cōminationis vim, armorumque violentiam. De priori D. Paulus ait in posteriori episto. ad Tim. c. 4. argue, obsecra, increpa, insta opportunè, importunè in omni patientia & doctrina. Et apud Hieremiam Dñs: nonne, inquit, verba mea quasi ignis sunt, & quasi malleus conterens petram? De qua vi locus ille Christi intelligendus est, non de altera. Sic intelligunt hūc locum sancti; sic Doctores: inter quos est Doctor sanctus. q. 22. de veritate arti. 9. Secunda expositio est quam D. Grego. in hom. super hunc locum affert. Vt compulsio hic intelligatur illa, quæ per calamitates & aduersa mala à Deo nobis illata, contingit. Cōplures enim quos prosperitas labefactabat, vt perditè viuerent, aduersitas in viā reuocare solet. Quo pacto Dñs, Paulū in terrā prostrauit, vt vas electionis exurgeret. Compulsio tamen ista Deo propria ac peculiaris est: nō enim hominibus licet alios sic cōpellere, nisi quatenus disciplinæ norma permittit. Illa, inquit glo.

Dubium quomodo compellendi sunt homines venire ad fidem.

1. sensus huius loci

2. Timo. 4.

Hiere. 23.

2. sensus.

Acto. 9.

A in c. maiores de baptismo, quæ diuino iudicio fiūt, ad cōsequentiā trahi nō debet. Hic ergo mecū cōsidera quāta sit Dei misericordia, ac bonitas, & quātus erga mortaleis amor: vt vi calamitatū eos ad fidē trahat: quādo aliter venire recusāt: quāto etiā salutis nostræ desiderio ardeat: qui per aduersa mala homines cæcos & ignaros ad se reducit. Atq; hoc erat quod dñs significabat apud Oseā cū dicebat: Ecce ego sepiam viā tuā spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas non inueniet. Et B dicet, vadam, & reuertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quàm nunc. Ex quo intelligimus (ait D. Hiero.) quod prouidentia Dei, sæpe nobis accidant mala, ne habeamus ea quæ cupimus: & varijs calamitatibus huius seculi, ac miserijs ad Dei seruitutem redire cogamur. Hæc ille. Mala ergo quæ nos præmunt, vt verbis vtar Gregorij, ad Deum venire compellunt. Tribulatio & angustia, ait regius vates, inuenerunt me mandata tua meditatio mea est. Dum premebatur populus Israel in Ægypto, clamabat ad Dominum. Quemadmodum C enim falco si satur sit ad Dominum clamantem venire non curat: si autem fame licua statim fame compulsus venit: sic multi calamitatum vi compulsi, trahuntur ad cœnam hanc magnam. Secundo libro Regum. c. 14. scriptum inuenimus Absalonem semel atque iterum vocasse per nuntios ducem Ioab: qui cum venire renuisset præcepisse Absalō segetē Ioab igni succendi: quo facto ad Absalonem venire cōpulsus est: sic etiā malis nos premit Dñs, cum bonis venire contēnimus, vt igne calamitatum commoti ad D eum venire cogamur. Gene. c. 3. legimus quod emisit Adam Dominus de paradiso voluptatis, eiecitque eum: & collocauit ante paradisum Cherubin & flameum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ. Tūc gladio cohibere voluit hominem ab ingressu paradisi, modo vero gladio cōpellit eundē vt intret in cœnā magnā, paradisūq; delitiarū. Quid obsecro est hoc? Quid hæc tam diuersa significant? Nēpe quod ad introitū mensæ cœlestis necesse sit vt à voluptatibus

Osee. 2.

D. Hiero. ibi.

D. Grego.

Psa. 118.

Simile.

2. Reg. 14.

Gen. 3. Figura.

terrenis, atq; ab immoderata rerũ humanarũ cupiditate prohibemur: compellit nos Dñs exire à cœna terrena, atq; à paradiso huius mundi, vt in cœlestẽ cœnã verumq; paradisum intrare cogat. 4. etiam Regum. c. 2. refertur ascẽdisse Eliam per turbinem in cœlum. Per turbinem ergo calamitatum, nos etiam ascensuri sumus in cœlum. Hoc idem significare volens regius vates dicebat Psal. 67. Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ: & posteriora dorsi eius in palore auri. Quem locũ alij sic interpretantur. Etiam si (hactenus) habitastis inter ollas eritis post hac vti pēnæ columbæ argẽto obductæ, cuius alę fuluæ sunt auro purissimo. q. d. etiam si iacueritis inter vasa plena fuligine, hoc est, etiã si oppressi fueritis magna calamitate, eritis vt sunt pennę columbæ argento obductæ; &c. ex summa miseria summã fœlicitatẽ venire ostendit. Quam rẽ clarius alibi docuit dicens: posuisti tribulationes in dorso nostro, &c. Transiuimus per ignem & aquam, & induxisti nos in refrigerium. Dñs etiam per Osæam ait: in funiculis Adam traham eos. Funiculis humanis & non vitulæ, trahit Dñs suos ad cœnã suã: hoc est funiculis charitatis, castigando quando opus sit. Quos enim diligit Dñs corrigit. Atq; in hunc modum eos ad se clementissimẽ trahit. Sic filiũ prodigum ad se redire cõpulit. Quanti, inquit, mercenarij in domo patris mei abundant panibus: ego autẽ hic fame pereo: surgã & ibo ad patrem meum. Et Malachias. c. 3. de Dño loquẽs ait: ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, & sedebit conflans & emundans argentũ, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum: & erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia. Venit enim Dominus quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum. Ignis enim calamitatis in conspectu eius ardet, & in circuitu eius tempestas valida pressuratum. Pluuia ignis trahunt ante eum, peccatores quosque voluentia. Ignis autem dicitur Dominus, ait Hieronymus, & ignis consumens: vt ligna nostra, fœnum, stipulamque comburat. Et non solum ignis sed & herba fullonum. Ipse his qui peccant grauiter, ignis conflans est atq; consumens: qui autem leuia peccata cõmittunt, herba fullonum: vt lotis mundiciam restituat, secundum illud quod scriptum est in Esaia: lauabit Dominus sordes filiorum & filiarum Sion, & sanguinẽ emundabit de medio eorum, spiritu iudicij & spiritu combustionis. Qui sordes habent, spiritu iudicij indigent vt lauentur: qui sanguine pleni sunt, spiritu combustionis: vt sanguis qui in eis extrinsecus litus est auferatur. Et sedebit conflãs & emundans sicut argentum, vt secundũ Ezechiel: quicquid in auro nostro & argento, idest, sensu & eloquio: ære, stãno, ferro plumboque commixtum est: in camino Domini percoquatur, vt purum aurum remaneat, & argentum. Et purgabit filios Leui: tempus est enim vt iudicium incipiat à domo Dei. Et alibi scribitur: à sanctis meis incipite. In filijs autem Leui omnem sacerdotalem intellige dignitatem. Si autem sacerdotes purgandi sunt & colandi, vt purum aurum remaneat & argentum: quid de cæteris est dicendũ? Qui cum emundati fuerint & colati: tunc offerent Domino iusta sacrificia. En vides quemadmodum dominus electos suos igni tribulationum, ad suam gratiam & beatitudinẽ venire cõpellat: Qui perdiderit animã suam, ait Dñs, propter me, inueniet eam. Quare libenter perdamus vitam, honores, diuitias propter Christum vt omnes illas cumulatiores inueniamus. Quod si tã animo pusillo simus, vt animam cæteraque mundi bona perdere non audemus, misericors pater familias, qui nos ad cœnã suã vocat, dabit operã, immissa calamitate, vt ea perdamus: vt vel sic intrare compellamur. Qui ergo te percusserit in dexteram maxillam: præbe ei & alteram: quando tanto beneficio afficeris, vt propter alapã patienter toleratam, Dei perpetuus cõuiua fias. Quære inimicum, maximas illi gratias age pro illata iniuria: quãdo causam tibi contulit comparandi regnum beatorum, sedemque in mensa illa cœlesti. Nesciebãt duo fratres illi: sedes in hoc mũdo petentes: & ideo ait illis Dominus: Nescitis

Marginalia: 4. Reg. 2. — Psa. 67. — Explicatur locus à nõnullis. — Psa. 65. — Osee. 11. — Infra. c. 15 — Malach. c. 3. — Declaratur locus. — D. Hiero. ibi. — Esa. 4. b — 1. Pet. 4. d — Matth. 10. — Matth. 5. supra. c. 6.

Matth. tis quid petatis. Quod vero optare deberent atque ardenter postulare docuit statim Dominus: inquiens: potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Ac si diceret: non per delicias, aut mundi honores intraturi estis in regnum concupitũ: sed per multas tribulationes. Per has cõpellam vos intrare. Venit hora in qua omnis qui interficit vos arbitretur se obsequium præstare Deo. Calicẽ ergo meũ bibetis. Ita cõpulsi sunt intrare Apostoli omnes: inter quos, vnus erat Paulus qui dicit suo & aliorum nomine: licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamẽ is qui intus est renouatur de die in diem. Quasi diceret: quanto miserabiliores nos in mundo hoc videritis, tanto ditiores ac fœliciores apud Deum nos esse existimate, sic enim peruenitur ad cœnam illam, electis à mundi origine & conditione paratam. Secundus ergo huius compulsionis modus est per calamitates diuinitus missas quę vt dudum dicebamus Deo peculiaris est. ¶ Altera vero distinctio huius compulsionis fit ex parte personarum. In fideles enim alij sunt, qui nunquam fidẽ susceperunt: alij vero, qui ab ecclesia exierunt: quales sunt schismatici, atque hæretici omnes. Et hos quidem secũdos non solum minis & terroribus cogere licet, verum (vbi res postulauerit) capitis supplicio plectere. Priores autem nõ itẽ. Quam interpretationem amplectitur D. Augustinus episto. 48. missa ad Vincẽtiũ. Et latius episto. 50. ad Bonifacium scripta. Et refertur. 23. q. 4. can. displicet. Et causa eadem. q. 6. ca. schismatici. Fuerat namq; aliquando Augustinus illius opinionis, quæ nunc est Lutheranorum, hæreticos non esse compellẽdos: sed postea illa in odium Donatistarum deposita, docuit compellendos esse. Quare laudibus cõmendauit Constantini leges aduersus idolatras, vt vsq; ad eorum interitum plecterentur, vt constat. l. placuit. C. de paganis & sacrificijs & templis eorũ. Leges autem dumtaxat earum conditorum subditos ligant, non autem ad exteros protenduntur. Vt. l. cunctos populos. C. de summa Trinitate & fide catho. atque hoc pacto illud Pauli. 2. Cor. 10. glossat. Parati vlcisci omnem inobedientiam, cũ completa fuerit prior obediẽtia vestra. Quasi dixisset, vbi aliquis prior sponte fidẽ susceperit, tunc, & non antea, vlciscenda est eius inobedientia si retrocesserit. Quod quidem discrimen Augustinus in præsenti parabola intellexit. Prius enim Dominus ac pater iste familias inuitari iussit sponte sua volentes venire. Qui cum se excusarent, adduci eos iussit debiles, & claudos, qui erant in plateis & vicis ciuitatis. In prioribus ergo intelliguntur infideles omnes, qui nunquam fidem susceperunt, qui ideo sua sponte adducendi sunt. Postmodum tandem ira correptus compellere præcepit alios, qui erant in vijs & sæpibus. In quibus intelliguntur hæretici & schismatici, qui errorum sentibus compuncti, obedientiam ecclesiæ relinquunt. Vnde primos, qui se excusarunt, cogi non iussit, sed de illis subdit. Dico autem vobis, quod nemo illorum virorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam. Quare Augustinus inibi compulsionem Pauli non in exemplum adducit, vt infideles omnes, sed vt hæretici compelli possint. Nonnulla ergo temeritas est ex hoc loco cõtendere vt infideles sint ad fidei professionem cogendi.

2. Cor. 4. d — Aliter infideles aliter hæretici & schismatici cõpellendi sunt venire ad fidẽ. — Augusti. — 23. q. 4. & 6. — 2. Cor. 10 — Soto. 4. d. 5. q. vnica ar. 10.

¶ *Dico autem vobis quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt gustabit cœnam meam.* Obserua, quod in eo quod inuitati nolebant venire ad cœnã, nec gustare illã puniuntur à Dño. Ac si diceret: nolũt gustare cœnã meã ob suas voluptates? Sit ita. Certè nõ gustabũt. Hoc enim supplicio eos afficiã vt quod nolunt, nolint. Time igitur hoc terribile Dei iudiciũ. Nã solet Dñs tua ipsa volũtate te punire. Quare quãuis peccatũ voluntariũ sit, atq; à libertate arbitrij proficiscatur, vtitur illo Deus in pœnã peccatoris grauissimã. Scito ergo quod nolle cõuerti, maximũ suppliciũ est tibi illatũ ob demerita tua. Peccatis enim solet Dñs alia peccata punire. Quod intelligẽs Dauid aiebat de peccatoribus obduratis, ac millies vocatis, & renuentibus. Fiãt contra Dñm semper. Pœna & iudiciũ peccatoris venire renuẽtis est esse contra Dominum semper. Derelicti enim & reprobati à Deo, ita efficiũtur obsti

Solet Dñs punire peccatorẽ peccatoris ipsius voluntate Ac peccatoris peccata castigare. — Psal. 108.

obstinati in sua malitia, vt sint perpetuò contra Dñm, nũquam redeant in gratiã, donec veniant in interitum sempiternũ. Quod maximum in hac vita supplicium est. Sic apud Esaiam dicitur: si non credideritis non permanebitis. Vbi aliqui aiũt posse ex Hebraicũ verti: si non credideritis, non credetis. Est enim vtrobique vnũ verbum, s. Aman, quod credere & permanere significat. Ac si diceret: non vultis credere? Hæc ergo erit pœna qua afficiemini: non enim credetis. Et in hunc sensum. D. Paul. ait: propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, &c. maximum enim in hac vita supplicium impiorũ est permitti eos labi in desideria cordis sui. Sic modo ait Dñs nolunt inuitati venire ad cœnã? Dico enim vobis quod non venient. Nolũt illam gustare? Dico certè vobis quod nõ gustabunt. In eo enim quod illis placet, plectentur. In eo quod me volũt offendere, offendentur. ¶ Secũdo modo locus iste explicari potest: ac si diceret: illud autem affirmo vobis, quod nemo virorũ, quibꝰ id honoribus habitũ est, vt primi vocarentur, & fastidierunt, gustabit cœnã meam. Fortasse pœnitebit illos olim, quum viderint lauticias, ac splendorẽ conuiuij, & inuidebũt his, quibꝰ ipsorũ fastidiũ locum fecit. Sed frustra tũc cupient ingredi, qui cũ liceret, excusarunt. Frustra nãq; miseri peccatores morte præuẽti desiderabũt cœnę cœlestis participes fieri intelligentes eius magnificentiã. Frustra tũc dicẽt, quod virgines fatuæ: Dñe Dñe aperi nobis. Audient enim amen dico vobis nescio vos. Audient: certè dico vobis quod non gustabitis cœnã. Quando cũ licebat venire inuitati noluistis. Serò modo sapitis, serò resipiscitis, serò modò pœnitẽtiã agentes & præangustia spiritus gemẽtes dicitis. Nos insensati vitã illorũ æstimabamus insaniã, & finem illorum sine honore, ecce quomodo computati sunt inter filios Dei: & inter sanctos sors illorũ est. Quid ergo nobis profuit superbia, & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Ac si dicerent: quid profuerunt carnales voluptates, quid magistratus, quid aurum & argentum atque rei familiaris abundantia? Quid profuerunt promptuaria nostra plena exubẽtia annonam perpetuam? Quid oues fœtosæ millenos parientes? Transierunt iam omnia illa, & in perpetuum carcerem detrusi, illa cœlesti cœna, ad quam inuitati olim fuimus, perpetuò priuamur. Dum ergo tempus habemus operemur bonum, nam vt Christus ait, venit nox quando nemo possit operari. Et qui aduenientе nocte, hoc est, morte operatus non fuerit, mercedẽ non accipiet, hoc est, non gustabit cœnã cœlestem: beatitudinemque sanctorum. Dico autem vobis quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam. ¶ *Gustabit cœnam meam.* Quędam exemplaria Græca hic addunt: *multi enim sunt vocati pauci vero electi.*

Esai. 7. Rom. 1. Matth. 25. Sap. 5. Gal. 6. c Ioan. 9.

¶ *In cõmu. vnius martyris.*

Ibant autem turba multa cum eo: & conuersus dixit ad illos. Si quis venit ad me et non odit patrem suum, et matrẽ, et vxorem, et filios, & fratres et sorores, adhuc autem & animam suam: nõ potest meus esse discipulus. Et qui non baiulat crucem suã et venit post me non potest meus esse discipulus. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus qui necessarij sunt, si habet ad perficiendum: ne postea quã posuerit fundamentum et non potuerit perficere, omnes qui vident incipiãt illudere

Matt. 10. d Matth. 10 d. 16. d Marc. 8. d

dere ei dicentes: quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consumare? Aut quis rex iturus committere bellũ aduersus alium regem, non sedens prius cogitat si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens rogat ea quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

Matt. 5. b Marc. 9.

POstquam egressus est Iesus è conuiuio pharisæorum, perrexit ire Hierosolymam. Sequebãtur autem eũ multi pedibus, qui vitę exemplo sequi noluissent. Ibat enim ad crucem, ad quam oportet esse paratum, quisquis vult illius esse discipulus. Minimeque obnoxius humanis affectibus diuitiarum, honorum, voluptatum, parentum, cognatorũ, affiniũ, cupiditati vitæ, formidini mortis. Alias enim ad obiectam occasionem resiliet ab instituto. Quare hic ea prouidentia saltẽ præstanda est, quam homines præstant in rebus multo leuioribus. Proinde priusquam quis aggrediatur negociũ nequaquam delicatum, animum præparare debet ad omnia dura, quæ sint perpetienda. Alioqui tolerabilius est non aggressum esse, quã ab eo quod cæperis deficere. Hęc impręsentia docere vult Christ9.

Volũtariũ est venire ad Christum. Psa. 53. Ezech. 46.

¶ *Si quis venit ad me.* Quibus verbis voluntarium obsequiũ significat. Neminem enim cogit. Manet enim vnicuique sua propria voluntas. Vnde Dauid voluntariè sacrificabo tibi: & cõfitebor nomini tuo Dñe. Et apud Ezechielem ait Dñs: cũ

A autem fecerit princeps spontaneum holocaustum, aut pacifica voluntaria Dño, aperietur ei porta, quæ respicit ad orientẽ. Vocat sacrificium spontaneum, quia sponte fieri debet, non coactę. Sic Christus Deus noster apud Matth. ait: Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro: quem qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio, inquit, illius vadit & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrũ illũ. Optimum est pro Christo cõparãdo alacri animo ac libera voluntate, teipsum, nedum patrẽ, aut matrẽ relinquere.

Matth. 13.

B Optimum est vendere omnia quę habes. Sed quoniam hoc debet esse libenter, apponitur hæc verba, *& pręgaudio illius.* Et in hoc loco: *si quis venit ad me*, & tursum: *qui vult venire post me.* Eodẽ modo Esaias: haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Id quod dicitur in Psal. Spiritu principali confirma me. Potest verti: spiritu liberali, seu spontaneo cõfirma me. Spiritũ spontaneũ vocat vim illã Spiritus sancti, qua animus noster munitus, se ab omni quod à sancto instituto & proposito reuocare potest sponte abducit, perturbationes liber coercet, & Dei

Esai. 12. Psa. 50.

C voluntatem promptus lætusq; amplectitur. Hoc sacrificium & abnegationem voluntariam docuit Christus apud Matth. c. 26. Si quis, inquit, vult post me venire abneget semetipsum, &c.

Matth. 16.

¶ *Si quis venit ad me & non odit patrẽ suum & matrẽ, etc. et sorores, non potest meus esse discipulus.* Quid est hoc? Nõne Christus Deus noster præcipit honorare parẽtes, diligere inimicos, nedum fratres aut amicos: cur ergo hic præcipit eos odio habere? Nõne Christus Deus noster

Dubium, quæ discordia inter cognatos est in hoc loco significata.

D docuit pacẽ? Docuit quidẽ. Imò ad hoc venit in mũdũ, vt pacẽ doceret, vt ait D. Gregor. cuius verba sunt sacris Canonib9 mandata. 23. q. 1. c. nisi bulla. Adeo diligit Deus pacem vt eam ob causam nec ad Cain, nec ad ei9 munera respexerit, quia cũ fratre non pacem, sed zeli discordiam odiumque habebat. Hanc rationem affert Diuus Cyprianus, quæ est in sacros Canones relata. d. 90. capit. nec ad Cain. Christus est pax nostra, vt asserit in epist. ad Eph. D. Pau. quem in. 2. ad Cor. Deum

D Grego. 23. q. 1. Gen. D. Cyp. d. 90. c. nec ad Cain. Ephe. 2. 2. Cor. 13.

pacis appellat. Qui igitur fieri potest vt autor pacis discordiam & odium inter fratres & amicos & cognatos doceat? At alte spectare si voluerimus, videbimus apertissime, absque discordia hac & odio euangelicam pacem esse non posse. Fieri nequaquam potest, vt qui pacem habet cum vitijs, concordiam seruet cum virtutibus: distant enim hæc maximè, toto differunt diametro, & nullo modo coherēt. Qui est sceleribus astrictus, mundoque deditus, parentumque malæ voluntati obnoxius, oportet si vult consequi salutem, & adhærere Deo, vt diuidatur à mūdo, eorumque sectatoribus: & si parentes & amici & cognati sint, & conglutinatam cum flagitijs concordiam deponens, concitet aduersus ea discordiam, mundoque inferat bellum, parentesq; atq; cæteros sanguine coniunctos à virtute remorantes odio prosequatur: vt sit Christi verus discipulus. Eam ob causam Spiritus sanctus in Christi baptismo apparuit in specie columbæ, & super Apostolos in specie ignis. Columba pacem & mansuetudinem significat, ignis verò discordiam, & odiū & iram. Pax cum Deo, dicit discordiam, odium & iram cum mundo. Id intelligēs D. Ioā. Apostolus ait in 1. sua epistola: Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo. Quoniā omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Et D. Iacobus: nescitis quia amicitia huius mūdi inimica est Deo? Quicūq; ergo voluerit amicus esse seculi huius inimicus Dei constituitur. Si hirūdines, vt ait Solinus, in domo minante ruinā non indificant, imò fugiunt à malè materiatis ædificijs, quanto magis homines debent à mundo recedere, quem sciunt esse caducū, & ruinosum, & sibi ipsis pericula molientem? Quid dico fugere? Imò debent illum maximo odio prosequi atq; bellum illi fortiter inferre. Hanc existimo esse vnam ex causis, quare ex Christi latere sanguis fluxerit, & aqua. Aqua gratiam designauit, gratia pax est & amor, & supernaturalis qualitas in animę essentia, à Deo infusa, faciens creaturam gratam creatori: sanguis autem bellum dicit & discordiam:

Luc. 3. Acto 2. 1. Ioan. 2. Iacob. 4. Simile. Ioan. 19.

A nam verus Christi discipulus summa ope niti decet, vt cum Christo pacem habeat, cum mūdo verò atque amatoribus eius, & si parentes carnales, fratres, ac sorores sint, discordiam: cum Christo sit amore coniunctus, astrictus, & deuinctus, à mundo verò diuisus, auulsus, & separatus. Hanc mundi discordiam, hoc eius dissidium voluit Christus hoc loco significare dicens: *Si quis venit ad me & non odit patrem suum, & c. non potest meus esse discipulus.* Et cum apud Matthæum dicebat: non veni pacem mittere sed gladiū. B Et cum apud Ezechielem: ingredere in medio rotarum, & imple manum tuam prunis ignis, quæ sunt inter Cherubim: & effunde super ciuitatem. Per ignem significans hanc cum mundo discordiam infusam in electorum corda.

Matth. 10. Ezech. 10.

¶ *Adhuc autem et animam suam.* Hoc est seipsum vitamque suam. Solet diuina scriptura hominem appellare animam, quoniam cum constet ex corpore & anima, est anima excellentior corpore eiusque forma: & vt ait lib. 2. de anima Aristoteles. c. 1. ipsa est perfectio prima, primoque actus corporis naturalis. Et quanuis C omnis forma intēdat esse perpetuū, quātum potest, nulla tamen forma rei corruptibilis perpetuitatē sui assequitur, præter anima rationis participē: nō est enim materię corporeę omnino subiecta instar aliarū formarū, quin potius ꝓpriā habet operationē immaterialē, & ꝓportionatā est suo fini qui est æterna beatitudo. Quā ob causam diuinæ literę homines appellant animas, à parte pręcipua, vt constat ex. c. 14. Gen. da mihi animas cętera tolle D tibi. Et ex. c. 46. omnes animæ quę ingressæ sunt in AEgyptū fuere. 70. Et Actor. 2. appositæ animæ circiter tria millia, & multis alijs ex locis. Plato etiā in dialogo de natu. homi. qui Alcibiades primus inscribitur, ipso Alcibiade venustiore, ait aperte hominem esse animam rationis compotem, mentis participem, corpore vtentem. Vt compo. est rationis, in seipsam circulo quodam ratiocinationis reflectitur; vt mentis particeps, in diuinum numen veluti riuulus in fontem suum refluit: vt vtens corpore, in humana

Anima pro homine & pro vita. Gen. 14. Gen. 46. Acto. 2. Plato.

na negotia gubernanda incumbit. Intelligebat Plato absolutum hominis munus esse, se prius cognoscere, deinde à natura sua tanquam ab effectu ad primam causam se conuertere, eiusque alta mysteria astris splendidiora contemplari: cuius lumine animus illustratus ipsum iustum, ipsum pulchrum, ipsum suum bonum cógnosceret, cuius se amore inflammaret. Postremo quoniam ex corpore fragili constabat, sibi, alijsque necessaria consuleret, quoniam non solum nobis, sed alijs etiã natisumus. Vt ergo redeamus vnde digressi sumus anima in scriptura nunc pro homine per Synedochen sumitur: quod præcipua sit pars hominis: nunc pro vita quod per illam viuamus. Sic enim sumitur apud Matthæ. cap. 2. Mortui, inquit, sunt qui quærebant animam pueri. i. vitã pueri. In vtroque ergo sensu impresentiarum anima vsurpatur. Omnibus ergo humanis affectibus renũtiet oportet, qui voluerit perpetuus esse Christi discipulus ita vt nõ solũ odio habeat si opus fuerit parentes, &c. Sed seipsum suamque ipsius vitam, quam libenter si necesse fuerit pro Christo exponat mortis periculo.

Matth. 2.

¶ *Et qui non baiulat sibi crucem & venit post me non potest meus esse discipulus.* Non ergo grauemur baiulare nostrã crucem si veri Christi discipuli esse volumus. Imitemur & sequamur vestigia eius. Si Christus iniurijs affectus, vulneribus traiectus, ad mortem acerbissimam falsis criminibus vocatus, cum clamore valido & lachrymis, preces Deo patri pro nobis obtulit, vt ait Apostolus, cur nos non plorabimus? Cur delicias, voluptates, & falsam mundi gloriam quæremus? Pudeat membra, quibus caput suum exhibetur inglorium, sectari gloriam, pudeat ardenter concupiscere fallacem & fugacẽ corporis pulchritudinem, cũ eius Deus fuerit affixus cruci vsq; adeo vulneratus, vt non esset species ei, nec decor, de quo ait Esaias: vidimus eum, & non erat eius aspectus, & desiderauimus eum: despectũ & nouissimum virorum. Intueamur caput nostrum spinis circundatum: & non optabimus membra fieri delicata, non pudebit baiulare crucem nostram, labores & ærumnas propter Deum perpeti. At nos contumelias in Deum iactas, & impia aduersus ipsum facinora prætermittimus, si autem ipsi vel solo verbo vulneremur, statim excandescimus, & stomachamur, & in eos, à quibus sumus iniusta lacessiti, impetum facimus. O cæcam nostram vanitatem, ó vanam cæcitatem, o superbiam intolerandam: Christus Deus noster non grauatus est baiulare propter nos acerbissimam crucem, & nos grauamur propter illum baiulare nostram.

Crux nostra baiulãda exẽplo Christi.

Heb. 5.

Esai. 53.

A

¶ *Et venit post me, non potest meus esse discipulus.* Si ita res est Domine vt nemo possit esse discipulus tuus nisi te sequatur, atque veniat ad te: & ita etiam sit, vt nemo possit venire ad te nisi pater tuus traxerit eum, nisi tu etiam eadem patris infinita vi eum traxeris, trahe nos ergo post te: & tunc curremus in odorem vnguentorum tuorum. Scio Domine quod ea sit intenalis ratio, cur ab Ezechiele, siue potius à tuo diuino spiritu per eius os afflante, Electro comparetis cap. primo sui vaticinij, vt enim Electrum paleas adse trahit à terra, secumque vnit, & amplectitur: sic tua diuina vis & virtus, nos ad te allicit à rebus terrenis, nosque tecũ retinet & adunat. Quid essemus absque hac vi & fauore tuo, nisi paleæ in terra iacentes? Adhæsit pauimento anima mea, dicebat quidam, ac si diceret: palea eram adhærens pulueri, humi eram prostratus, scelere oppressus, carnalibus affectibus ac terrenis voluptatibus obnoxius: at tu Domine me attraxisti ad te, & vt pretiosum Succinum erexisti, & ad teipsum eleuasti. Fit enim diuino tuo auxilio, vt à terra eleuemur, & ad cœlum erigamur: tibique adhærentes simus in teipsum transformati. Scimus enim quã vere dixerit Apostolus tuus, qui adhæret Deo vnus spiritus est cum eo. Et rursum: nos verò reuelata facie gloriam Dñi speculantes, in eãdem imaginẽ transformamur à claritate in claritatem tanquam à Dñi spiritu. Si ergo Dñe vis vt veniamus ad te: trahe nos post te hac tua diuina supernaq; virtute. Quod si feceris similes tũc erimus rotis illis ab Ezechi. visis quæ

B

Cant. 1.

Ezech. 1.

Auxilium speciale: quo trahimur à Deo ad Christũ est postulãdum, vt se qui possimus illum

C

Psa. 118.

Succinum & electrũ ambæ vocatur.

D

1. Cor. 6.

Ezech. 10. cum Cherubim eleuarentur rotæ etiam cum illis eleuãtur. Viri enim iusti & charitate excellentes te secuntur, & existentes corpore in terra habent in cœlum animum affixum. Impij vero non Christum Ezech 13. sed spiritum suum (vt verbis vtar eiusdẽ vatis) sequuntur. Fælices illi quorum Christus dux est, qui sequiuntur spiritum Ioan 11. eius qui ait: ego sum resurrectio & vita. Psa 142. Spiritus tuus Domine, ait Dauid, deducet me in terram rectam: & rursum: Deduc me Domine in semitam rectam. Psa 118. Cupiebat Deũ habere ductorem vt omnes suas viuendi rationes ad normam diuinæ legis ipse Deus dirigeret, eumque ab omni scelere purum conseruaret, quo posset ad cœlestem patriam sibi promissam tandem peruenire. Id adumbrabat columna Exo. 13. illa Dei, quę populum ducebat: vt AEgyptum relinquens, posset ad verã promissionis terram penetrare. Qui enim fieri potest vt absque Deo duce vitam æternã consequamur. Eam ob causam alloquẽs Exo. 33. Moyses Deum aiebat: si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto. Et Esai. Esai. 58. Iustos in hunc modum alloquitur: pręcedet vos Dominus, & congregabit vos: nos igitur non spiritum nostrũ sed Christum sequamur dicentem: qui sequitur Ioan. 8. me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Contrà verò qui non venit post illum: nõ potest esse suus discipulus.

¶ *Quis ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus, &c. Aut quis rex iturus committere bellum aduersus alium regem non sedens prius cogitat si possit cum decem millibus occurrere ei, &c.*

¶ Hæ duæ similitudines vna de eo qui proponit ædificare turrim, altera de rege, qui vult ire ad bellum: ad hoc pertinet, vt quisquis volens esse discipulus Christi, militare Christo, & templum sanctum ædificare suo Christo, priusquam accipiat hanc militiam, hãc disciplinam: supputet vires animi sui, ne ad obiectam occasionem deficiat ab incepto. Deficiet autẽ nisi priusquam profiteatur, renũtiet omnibus quæ possidet: & odiat patrem suum & matrem, idest, & in se, & in suis parentibus, & cognatis, contemnat humanum affectum, quo cum impedimẽto futuræ vitæ præsens vita delectat, ne in illius confusionem dicant transeũtes: hic homo cœpit ædificare, & non potuit perficere, cœpit in vita euangelica militare Christo, & non potuit vsque in finẽ perseuerare.

¶ *Nisi quis renuntiauerit omnibus quæ possidet non potest meus esse discipulus.* Huius renuntiationis exemplum tibi sit inter alios Abrahamus, qui nõ solum ad vocem Domini egressus est de terra sua, & de cognatione sua relictis & contemptis omnibus: sed filium suum primogenitum spem posteritatis suę libenti animo interficere voluit. Vnde vt omnibus constaret hæc eius perfecta abnegatio ait dominus: ne extẽdas manus tuas super puerum: nunc cognoui quod timeas Dominum. Sciebat Deus etiam antea fidem & pietatem Abrahæ: dicit tamen se nũc demum cognouisse, hoc est, notum omnibus fecisse ipsius pietatem. Est igitur sensus, ac si dicat: iam nedũ mihi, sed & omni mundo satis perspecta & explorata est tua fides, non solum enim patriam tuam relinquere, sed & filium tuum vnigenitum ad imperium meum iugulare paratus fuisti. Tales cultores ego agnosco, & probo, qui me nihil ducunt antiquius, qui propter me omnibus renuntiant, omnia neglígũt. De huiusmodi ergo in hoc loco ait Dominus: *Nisi quis renuntiauerit omnibus quæ possidet non potest meus esse discipulus.* Discimus ex hoc Abrahæ exemplo pietatem fidei, ac timorẽ Dei, tunc demum vera esse, cum hos fructus producunt, nempe si in omnibus etiam grauissimis Deo obediamus, si nos ipsos & omnia nostra Deo offeramus: denique si nihil tam charum est in mundo, quod non statim Deo iubente parati simus relinquere, hoc est, Deum metuere, nihil Deo præponere, nihil tam charum, nihil tam pretiosum existimare vt Deũ. Quantum nos adhuc discedamus à vero timore Dei, à veraque renuntiatione mundi? Etiam leuissima quæque lucra Deo præponimus, graueque est quicquid propter Deum expendere debemus, etiam si leue sit. Curandum igitur est, vt etiam nos aliquando

Abraham fuit verum exemplum renuntiationis.

Gen. 22.

quando ab eo audiamus: nunc cognoui quod timeas Deum, quia non pepercisti filio, filiæ, vxori, pecuniæ, honoribus, famæ, propter me: sed omnia contempsisti propter me. Felix qui hoc auditurus est. Is enim vere ac certo centuplũ accipiet, & vitam æternam possidebit.

Matth. 19

¶ In comm. Aposto. & conf. Pon. & non Pon. et in cõuersione S. Pauli.

AIT autem Petrus. Ecce nos dimisimus omnia et secuti sumus te. Qui dixit eis: amen dico vobis, quia nemo est qui reliquit domum, aut parẽtes, aut fratres, aut vxorem aut filios, propter regnum Dei; & non recipiat multo plura in hoc tempore et in seculo venturo vitam æternam.

Merito omnia mundi bona relinquuntur propter Christũ cũ parui momenti sint

ECce nos dimisimus omnia. Reuera omnia mundi bona quæ externa nominantur, tam parua sunt: vt non mirum sit ea propter cœlestia quæ magna sunt omnino relinquere: nedum tectũ, aut rem familiarem aliam. Si enim tota terra a mathematicis punctum appellatur: quid erit paruum terræ fundum quẽ possidemus? Seneca ait: punctũ & adhuc puncto minus est id quod colimus. Plinius lib. 2. cap. 68. non aliud esse, inquit, terram vniuersam, quam punctum. Est enim in medio mũdi sita, ad vniuersi cœli complexum puncti instar obtinens: quod philosophi centrum vocant. Sed quemadmodum admirabilem illam Babylonis turrim in paruo numismate depictam, respectu parui tugurij iuxta illã coloribus repræsentati, incredibilis magnitudinis esse existimamus: quia arcis illius Babylonicæ similitudinem animo cõcipimus: illa autem pictura adeo est exigua, vt numulo quodam comprehendatur: sic ea, quæ in mundo ingentia & sublimia nobis videntur, adeo parua sunt, vt in terra, in puncto, in latere quodam luteo contineantur. Apparent autem magna, quia ea cum minimis conferimus, & quia eorum magnitudinis imaginatiuum conceptum apprehendimus, ea magna existimantes. Qui fieri potest, vt magna sint, quæ punctum capit? Quo modo nõ minimum erit, quod cum pũcto comparatur? Imo Boetius lib. 2. de philosophica consolatione, terram, ait, esse punctũ puncti. Hæc est sedes diuitiarum, pro hac dimicant mortales, hic tumultuantur, hãc maximam & amplissimam & latissimam insipientes homines existimant: pro qua summis infinitæ cupiditatis stimulis concitati, cœlum amittere non dubitant. Cũ igitur tota terra tam exigua sit, ne mirandum duxeris, viros sapientes eam totam propter Deũ relinquere: nedum domũ, aut vrbem, aut regnum. Sed quamuis hęc ita sint, sunt homines tanta insipietia præditi, vt æternam illam beatitudinem, quã mundi terræque contemptu poterant adipisci: pro nihilo ducant. Commutant & relinquunt cœlum pro terra, animam pro corpore, spiritum pro carne, Deum pro mundo, virtutem pro vitio. Nihil est illis magis in optatis, quam consequi mũdi diuitias & dignitates, & voluptatibus perfundi: eas inquirunt, illarum se ministros præbent, atque Dei hominumque iura violant & peruertunt. Et existimantes se esse magnum aliquid consecutos, perdunt seipsos, & omnia pariter amittũt. Construit architectus magnificũ quodam templũ sumptuosum, industria elaboratum, magnoq; artificio substructũ. Et volens vltimam illi manum imponere, fastigium consumare, & superbam fornicem claue concludere, ruit totum ædificium, & euertitur tota machina, & artifex incredibili dolore obstupescit. Talis est mundi lætitia, quam longo tempore quæsiuisti. Cum enim existimas, te esse rebus secundis & ad voluntatem fluentibus

Seneca.

Plinius.

Simile.

Boetius.

Similitu.

bus abundantem, nihilque tibi deesse ad perfectam prosperitatem præter vltimã clauem, ruit & labefactatur omnis illa lætitia, & cadit atque euertitur totum ædificium falsæ mundi voluptatis. Et, vt ait Salomon in Prouerbijs, extrema gaudij luctus occupat. Quamobrem clamat in Ecclesiaste, idem Sapiens: vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Quæ maior vanitas esse potest, quam pro pugillo ordei, pro re caduca velle amittere æternam fœlicitatem? Mundi opes & diuitias appellat quidam vates pugillum ordei, & bucellam panis. Vide quàm paruis rebus ea comparet diuinus ille vates, quæ homines summa arbitrantur, atque auiditate inflammati rapiuntur, sed væ illis, nam si hij diaboli sunt: de quibus olim dicebat Dominus: pater tuus Amorrhæus, & mater tua Chetæa. Amorrhæi & Chetæi terram illam Chanaan quòdam coluerant, & Iudæi eorum impietatem imitari voluerunt. Poteris tamen per Chanaan mũdum intelligere, Chanaan enim idem est quod commutatio, & mundus nunquam in eodem statu permanet. Amorrhæus qui amarum sonat diabolus est, cuius inuidia mors intrauit in orbem terrarum, qui imitatione pater dicitur impiorum. Huius domus est mundus, cuius ille princeps appellatur. Hæc est domus illa, de qua dicitur in Psalmo: obliuiscere populum tuum: & domum patris tui. Ac si dicat sponsus sponsæ suæ, hoc est, Christus animæ sibi deuotæ: relinque mundum qui est domus diaboli, & transfunde in me omnem amorem tuum, omniaque illa deleat obliuio, quæ antea vano prosequebaris affectu. Obliuiscere populum impiorum, excidat tibi ex animo memoria mũdi, qui est domus Amorrhæi, quòdam patris tui: non imiteris filios huius Amorrhæi, qui contemnunt cælestia bona, quæ firma, solida & stabilia sunt, propter terrena quæ vana, caduca, atque nullius momenti sunt. Imitare Petrum cæterosque Christi sectatores dicentes: Ecce nos reliquimus omnia. Nam mundi prosperitas est serenitas hyemis, tranquillitas maris, stabilitas lunæ. Quemadmodũ hæc vacillant, & statim mutantur, ita

Prou. 14. | Eccles. 1. | Ezech. 13. | Ezech. 16. | Psalm. 44. | Prosperitas mundi qualis sit.

A opum, humanarumque rerum status nullam habet firmitatem, nullam perpetuitatem, nullam constantiam. Et vt ait Sapiens: transeunt omnia illa sicut vmbra, & tanquam nuntius præcurrens. Et Iob: homo fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet. Fit enim aliquando, vt cum existimas te esse magnas diuitias & dignitates adeptum, & in honoris fastigium esse constitutum, spolieris in instanti omnibus tuis ornamentis: & ex illa sublimi mundi gloria præcipiteris. B Nam ex eo loco quem quietis & securitatis plenissimum esse existimabas, maximæ interdum calamitates, & turbulentissimæ procellæ subito oriuntur. Quemadmodum in ora Dalmatiæ specus est vasto in præceps hiatu: ex quo, si in illum leue pondus deijcias, quamuis die tranquillo, magna protinus, vt ait Plinius, oritur tempestas, sic in vita humana cũ tranquillitas vigere videatur, ex leui quadã causa incredibiles molestiarũ turbines, omnia turbantes repente excitantur. Eripiuntur voluptates, aufertur dignitas, de- C letur honor, omnes denique mundi opes & ornamenta in temporis puncto amittuntur. Eam ob causam narrat noster Lucas ostendisse diabolum saluatori nostro omnia regna mundi in momento temporis, vt mentis oculis intueremur, esse mũdi diuitias & voluptates caducas, & in momento fluere & euanescere, illud autem remanere, quod simus solida virtute & recte factis consecuti. Quod si hoc clarius intelligere affectas, considera mecũ mũdi has vicissitudines, & varietates in sacris scripturis relatas. Iudæi & Ammoni- D tæ fuerunt per Babylonicos superati: Babylonij per Medos & Persas: hi per Alexandrum, Alexander verò cum magnam nominis celebritatem consequeretur, & ad summum imperium per omnes honoris gradus efferretur, eamque obtineret potentiam, quam decepti mortales existimarẽt esse omnium seculorum memoria duraturam, ruit ad interitum voluntarium. Afferunt enim nonnulli fuisse eũ tanto dolore compressum, vt se ferro traijceret & vita priuaret. Scio tamen Solinum, cap. 14. dicere, eum qui alios superauerat,

Sap. 5. | Iob. 13. | Simile. | Sapie. | Mũdi vicissitudines in sacra Scriptura relatæ. | Solinus.

rauerat, fuisse à vino superatum, & apud Babylonem morbo vinolentiæ extinctū: alios vero asserere eum fuisse ab Antipatro veneno infectum, & statim acerbo dolore consumptum, etiam si eius custodes causam morbi intemperiē ebrietatis fuisse disseminarent. Hanc opinionem cum alijs multis refert in eius vita Plutarchus. Itaque ille fuit victus & miserè consumptus, & eius regna diuisa, & ciuitates seiunctæ, quæ dum imperare singulæ cuperent imperium omnes amiserunt. Hæ sunt humanarum rerum cōmutationes. Cum igitur hæc ita se habeant vt terra tota punctum sit, imo puntum puncti: cum omnia bona, quæ continet, caduca, instātanea, & instabilia, momentóque temporis duratura sint: quid magnum erit, omnia hæc, propter Deum, propter diuitias eius æternas, stabiles, immensas, contemnere? Quod si hoc nō magnum est, quid erit, vel solum regnum temporale relinquere? Quid vrbem, quid domum, quid tugurium, quid denique retia propter vitam æternam paruipendere? Cælestia igitur expectemus, humana & fluxa & fragilia & parua contemnamus: sed ad Deū ipsum aspiremus, qui semper est, quem nulla conficit & consumit vetustas, de quo ait Dauid: tu autem permanebis, & omnes vt vestimentum veterascent: & velut amictum mutabis eos & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Eam ob causam dicebat Dominus Moysi: ego sum, qui sum, sic dices filijs Israel: qui est, me misit ad vos. Hoc est: qui semper fuit, qui est, qui semper erit, cuius sempiternitas nullis finibus comprehenditur, ille me misit ad vos. Si nos humana mouent, quorū nulla est tanta vis, que tempore non debilitetur, & penitus consumatur: si id quod non est stabile in vita, sed subito frangitur, & perit, aut saltem sensim deflorescit, & vetustate extingitur, nos excitat ad labores magnos subeundos, cur nos ad eos, imo ad multo maiores non mouebit, nō excitabit ille, qui semper est, quem ipsa æternitas semper intuebitur, qui se ipsum summo amore prosequentibus premia largitur immortalia, eosque in cælesti beatitudine collo

Psal. 101. Heb. 1.

Exod. 3.

A cat, & constituit, vbi eo in æternum fruatur. Relinquamus igitur ea, quæ sunt vt diximus caduca & mortalia, & studio immortalitatis inflammati, Deum ipsum, sempiternam illam pulchritudinem contemplemur: & amore ardentissimo amplectamur, quod si fecerimus vitam æternam possidebimus. Veréque dicere poterimus cum Paulo: propter Christum omnia detrimentum fecimus & arbitramur vt stercora, vt Christum lucrifaciamus. Similesque tunc erimus ei, qui versatur

Philip. 3.

Simile.

B in theatro, aut circo, vbi exagitatur taurus, qui si solers est venienti tauro, atque in illū inuehenti relinquit palliū in cornibus, ipse vero se vertit in fugam; & hoc modo saluus euadit: sic nos si charitatem & pietatem colamus in mūdi agonibus, & certaminibus, ac tentationibus, relinquemus mūdo diuitias humanas: ipsi autem incolumes ad Christum confugiemus. Tuncque super flumina Babylonis sedentes flere non cessabimus, memores Sionis cælestis. Omnia reuera quæ in mūdo sunt, flumina sunt, omnia fluūt & prætereunt, & ad mare mortis percurrunt: &

Psal. 136.

C vt ait D. Paul. in. 1. ad Cor. præterit figura huius mundi. Nos ergo exules a Sione illa, de qua ait rex Dauid: te decet hymnus Deus in Sion, pio animi affectu, æternæque ciuitatis desiderio, super flumina Babylonis sedentes: ingentem lachrymarum multitudinem fundamus. Non in flumina præcipitemur, non illis obruamur, sed sedeamus super illa, seu iuxta illa, & lugentes, cælestem Sionem in memoriam versemur. O sancta Sion, vbi totum stat, & nihil fluit, vbi omnia sunt immortalia & æterna: quis nos in Babylo-

1. Cor. 7.

Psalm. 64.

D niam deiecit, vt super eius flumina vitam nostram lachrymarū pane sustentemus? Auertamur denique a rebus mortalibus & fluxis, ad bona autē immortalia & sempiterna conuertamur. Luna cū decrescit cōuertit sui arcus aperturā ad terrā deorsum, tergum autē versus cælum sursum: & ita tendit in defectū & decursum, amittens sensim lumen suum, donec fit silens, & lumine penitus priuata: contrà verò cum crescit, conuertit aperturam sui arcus ad cælum sursum, dorsum autem deorsum

Similitu.

orsum versus terram, & ita paulatim progreditur crescendo, donec tota est plena; & splendido lumine illustrata. Sic anima cum deficit in perfectione spirituali dedita voluptatibus & diuitijs, & tendit in decursum, vertit ostium & aperturã sui desiderij ad mundum, & amore ducta rerum caducarum terram quærit, auertens se à bono incommutabili ad res commutabiles. Et quamdiu ita tendit in defectum, amittit Christianæ dignitatis splendorem, donec manet non solum priuata lumine gratiæ, sed etiam cæca in intellectu, & obscura, densisque tenebris cooperta. Nescierunt, ait diuinus psaltes, nec intellexerunt, in tenebris ambulant. Et Diuus Paulus obscuratum est insipiens cor eorum. Et rursum: non ambuletis sicut gẽtes ambulãt in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum. At cũ anima crescit in vita spirituali, vertit tergũ mundo, fugit eius vanitates, illecebras, delicias, & fallacias: & sui arcus aperitionem conuertit ad Deum, & ita progreditur proficiens, recipiens indies claritatẽ, donec repletur non solum lumine gratiæ, sed gloriæ, æternæque vitæ propter contemptum mũdi sibi promissæ in hoc loco à Domino. Itaque quanto occupatiorem aliquem videris in desiderijs terræ, & in negotijs rerum caducarum & inutilium, tanto magis eum deficere intellige in Christiana perfectione: contra vero quanto feruentius eum videris ad cœlestia aspirare, tanto amplius eum proficere cognosce. Quare nos vt proficiamus, vt gratiæ splendore illustremur, erigamus sursum versus Deum aperturas cordium nostrorum, mittamus ad eum desideria nostra, vitam illam æternam impræsentiarum promissam relinquentibus omnia, appetamus, qua nulla est beatior, nulla præstantior, nulla bonis omnibus affluẽtior. Si voluerimus alte spectare, & vitam illam immortalẽ mentis oculis contueri, nec sermonibus vulgi dabimus nos ipsos, nec in præmijs humanis spem ponemus rerum nostrarum: sed Deum ardentissimè diligemus, & ipse Dei amor quo flagrauerimus, nos ducet ad veram dignitatem. Et ita ibimus, vt verbis vtar diuini vatis, de virtute in virtutem, donec videatur Deus in Sion: donec eo in ciuitate permanente fruamur.

Psalm. 83.
Psalm. 81.
Rom. 1.
Ephes. 4.

¶ *Ecce nos dimisimus omnia*. Non ait Petrus dimisimus aliqua, sed dimisimus omnia, quia propter Christum omnia sunt relinquenda. Quod quia minime fecerunt Ananias & Saphira infœliciter obierunt. Ideo Dauid dicebat: ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui. In mari rubro omnes AEgyptij perierunt. Exod. decimo quarto, quia Saul non interfecit omnes Amalechitas, sicut mandatum acceperat à Domino, punitus fuit & eiectus à regno. Iacobus etiam ait: qui in vno deliquerit factus est omnium reus. De sanctis parentibus Ioannis Baptistæ, ait noster Lucas, quod erant iusti ante Deum. Quod probat dicens: incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini. Euangelicus etiam ille negotiator, inuento thesauro & inuenta Margarita abijt & vendidit omnia. Diuinus Ezechiel propheta ait se vidisse quatuor animalia, quorum pennæ erant iunctæ alterius ad alteram. Quo significabat Spiritus sanctus virtutes quæ per alas significabantur, omnes sibi mutuò cohærere. Præterea cap. eodem ait idem vates: quod cum ambularent animalia illa, ambulabant pariter & rotæ iuxta ea. Rotæ viri iusti sunt, qui diuinum animal, hoc est Christum sequuntur. Eleuantur à terra humana contemnentes, & animum à cogitatione rerum fragilium & inanium abducentes, atque ad cœtum mentium beatarum aspirantes, Christum sequuntur, vt eo in æterna beatitudine fruantur. Vide quemadmodum Apostoli Christum secuti fuerint. Ecce nos, ait quidam ex illis loco omnium, reliquimus omnia, & secuti sumus te. Cum Christus curreret, (exultauit enim vt gigas ad currendam viam) necesse erat, vt currerent & discipuli: at non poterant ita expeditè currere, nisi essent exonerati: eam ob causam omnia

Propter Christum non aliqua sed omnia sunt relinquenda.
Exod. 14.
1. Reg. 15.
Sup. c. 1.
Ezech. 1.
Ibidem.
Psalm. 18.

pro

pro eo reliquerunt, ne diuitiarum pondere grauarentur. In Genesi, vbi communis editio habet: erat Abraham diues valde, habet versio Græca βαρὺς σφόδρα, id est, grauis vehementer. Pondere AEgypti grauatus: licet enim diuitiæ leues videantur, tamen quia AEgyptiæ, viris sanctis graues sunt. Omnia igitur reliquerunt, vt nudi nudum sequerentur. Multi nunc sequerentur etiam Christum, nisi detinerentur proprio amore sui, essetq; eorum nauis, remora philautiæ impedita. Refert Plinius lib. 9. & 32. & AElianus lib. 12. & magni alij authores, esse quendam pisciculum crustis tectum nomine remoram, qui etiam si ruant venti, & sæuiant procellę, remoratur magnum nauigium, quod nullæ anchoræ, nulla vincula efficere potuerunt. Vt igitur remora naui expansis velis nauiganti cursum impedit, sic philautia nos detinet & retardat, ne sequamur Christum nos ducentē ad portum æternæ securitatis. Hoc plorabat ijs flebilibus vocibus Isaias, væ genti peccatrici populo graui iniquitate, filijs sceleratis, semini nequam, dereliquerūt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. Volēs Absalon impius illustrissimi Dauidis filius, Hierosolymam expugnare, & optimum patrem expoliare regno, bellum illi parauit. Et ait sancta Scriptura omnes toto corde secutos fuisse Absalonem. Absalon filius sceleratus, est noster deprauatus appetitus, in nobis genitus: hic vult regnare, & longius euagari, nulloque modo à ratione retineri: qui relinquens obedientiam, bellum aduersus Hierosolymam, hoc est, aduersus animam constituit, & in certamen descendit. Et fere omnes cōtempto vero rege, hoc est, Deo relicto, Absalonem sequimur, omnibusque virtutum ornamentis nudati, in maxima ignominia versamur, & clausis oculis imus ad mortem. Nonnulli aperte relinquunt Christum, alij malitiam dissimulātes virtutem fingunt, & quo magis Christum sequi videntur eo maiore fuga ab illo alienantur, vt Struthio camelus ingens auis pennas habet, sed non volat, nec fertur in sublime, sic multi pennis cęremoniarum ad cælum extolli videntur, illi autem à terra non eleuantur. Nō damno cæremonias, quas semper bonas, pulchras, & vtiles duxi, sed esse apud multos virtute destitutas, hoc quidem est, quod doleo. Miluus ales rapacissimus ascendit in altum, & volitans expandit alas, sed in illa altitudine constitutus, oculos habet fixos in terra, vidēs an possit pullum gallinaceū, aut aliquid simile vnguibus arripere: ascendit quidem, sed non aspicit cælū, sed terram. Ita nonnullos videbis sanctimoniam fingentes, qui & si contemplatione rerum altissimarum à terra tolli existimentur, nihil tamen nisi terram aspiciūt, vt possint gloriam humanam, aut redditus, aut dignitates, aut principum fauorem acquirere, & mundi opibus abundare. Hi à Deo fugiunt & terga vertunt: quā ob causam à vero sole destituti, quē videbantur quærere, in cæcarū tenebrarum caligine versantur. At qui Deum sequuntur, animum à terra longissimè efferunt, & ad cælum aspirant, quam ob causam sunt diuinæ gratiæ splendore illustrati. ipse enim Dominus ait apud Ioannem: qui sequitur me, non ambulat in tenebris: sed habebit lumen vitæ. Ideo rotæ illæ Ezechielis animal, id est, Christū sequentes, erant oculorum luminibus ornatæ. Sed eum non sequemur, nisi nos ipsos reliquerimus: ait namq; ipsa veritas apud Matthæum: si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucē suam, & sequatur me. Toties nos abnegamus, inquit, Diuus Hieronymus, quoties priora vitia calcātes desinimus esse quod fuimus, & incipimus esse, quod non fuimus: & iuxta id, quod ait Apostolus, deponentes nos secundum pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria carnis, renouamur spiritu mentis nostræ. At nos Deo contempto propriæ nostræ voluntatis impetum ducem constituimus.

Quo imus? Quo tendimus? Quem sequimur? Quid facimus? Cur perniciem, quā nobis ipsis machinamur, non consideramus? Contemnamus terram, aspiremus ad cælum sequamur Christum Deum nostrum, & iuxta Apostoli doctrinam, in

Epist.

Gen. 13. Plinius. AElianus. Isai. 13 2. Reg. 5. Figura. Similitu. Similitu. Ioan. 8. Ezech 1. Matth. 16. Ephes. 4.

Heb. 12. Epist. ad Heb. deponentes omne pondus, & circunstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in autorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta.

Propter regnū Dei hoc est Christum sunt omnia relinquenda, vt mundi contemptus nobis prosit.

¶ *Nemo est qui relinquit domum, & c propter regnum Dei.* Id est, propter me qui sum rex huius regni, & ideo vocor regnū Dei. Hinc disces propter Christum hæc terrena esse contemnenda. Alioqui nihil proderit nobis mundi contemptus, plurimi namque philosophorum contempsere vitam, delicias, & opes, sed non seruati sunt, quod eas non ob Christum dimiserunt. Christum ergo intueamur, ipse finis, ipse scopus nostrarum actionum sit: si præmium propositū assequi volumus.

Simile. Quemadmodū Gnomon nauigatorius, quem vulgus acum nauticam appellat, semper polum ad arcticum intuetur, ad illumque quomodocunque eum constituas, semper conuertitur, quod certe est mirabile in hoc instrumento, & in versoria hac qua nautæ cursum ventorum cognoscunt. Sic omnis homo semper ad Christum debet mētis oculos & affectus dirigere. Ille est noster polus arcticus, astrum illud boreale fixum, quo gubernari debemus. Ille est spes, & fiducia nostra, quam sumus perpetuo aspecturi. Et quemadmodum Gnomon nauigatorius siue sit in arcula aurea inclusus, siue argētea, siue lignea, semper borealem respicit stellam, nunquam naturam suam amittens, sic Christianus siue diuitijs affluat, siue inopia laboret, siue institutum vitæ mediocre obtineat, semper debet Christum intueri, & ab hoc sancto mentis affectu nunquam desistere, ipse enim ait in Cant. 8. Can. pone me signaculum super cor tuū. Quasi dicat Christus. Pone & constitue me scopum in animo tuo, quo semper omnes tuarum cogitationum, verborū, & actionum sagittæ dirigantur. Dele mūdi scopum & me colloca vt finem, ad quē tendant proposita tua, in quo omnes tuæ curæ figantur & collocentur. Vide quam admirabilis Gnomon, quām præcellens versoria erat illustrissimus ille rex David

A cum diceret: prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear. Psalm. 15. Attende quemadmodum Deum semper respiciebat. Considera cælestem illam nauigādi acum, diuinum Paulum aientem: curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in autorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem: recogitate eum, qui talē sustinuit à peccatoribꝰ aduersus seipsum contradictionem. Heb. 12. Respiciebat semper diuinus Apostolus in Christum Deum nostrum, & de illius sententia omnia vitæ B consilia capiebat, omnem viuendi rationem ad illius voluntatem dirigebat: in eum omnes curas, omnem mundi contēptum firmiter collocabat. Nos igitur si mundum contemnimus, si nos ipsos ac nostra, si parentes, cognatos & amicos dimittimus: leuemus oculos ad Christum regni cælorum regem: &, vt verbis vtar August. intueamur caput nostrum. Et vt flumina omnia tendunt in mare, quoniā exeunt ab illo, & vt ait Salomon in Ecclesiaste, ad loca, vnde exeunt, flumina reuertuntur: Simile. Eccles. 1. C sic nos ad Deum tendamus, quoniam ab eo prodimus & creati sumus: eum intueamur, eius gloriam contemplemur: sanctorum regnum, cætum beatorum aspiciamus: cælestem amorē concipiamus, qui animos nostros incendat, & studio immortalitatis ac supernæ Hierosolymæ totos inflammet. Dicamus cum propheta conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Psal. 114. Vel, vt potest conuerti ex Hebræo: quia Dominus reddidit te tibi. Ac si diceret: cum tuō anima mea corpori seruires, D non erat mirum eius seruisse voluptati, eius quæsisse delicias: at modo quoniam tua es: quoniam Dominus reddidit tibi, non alienam, sed propriam quære voluptatem, quære requiem tuam, non corporis, non carnis, non mundi: quære Deum, oblectare illo, ad eum confuge, in eo conquiesce, in eius amore & suauitate omnes molestias depone. Cogita æternam beatitudinem, eamque in te ipso imprime & sculpe. Hæc est spiritualis requies, hæc est oblectatio tua. Conuertere igitur ad

eam, quoniam Dei beneficio reddita est tibi. Nos describamus hoc regnum Dei: & tunc propter illud patrem, matrē fratres, & sorores, reliquaque mundi bona facile contemnemus.

CAPVT XV.

Dom. 3. post Pentecost.

ERant autem appropinquantes ei publicani et peccatores, vt audirent illum. Et murmurabant Pharisæi & Scribæ, dicentes, quia hic peccatores recipit: et manducat cum illis. Et ait ad illos parabolā istam, dicēs. Quis ex vobis homo qui habet centum oues: et si perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deserto, et vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam? Et cum inuenerit eam; imponit in humeros suos gaudens: et veniens domum conuocat amicos et vicinos, dicens illis, congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat. Dico vobis, quod ita gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agēte, quam super nonaginta A *nouem iustis qui non indigent pœnitentia. Aut quæ mulier habens drachmas decem: si perdiderit drachmam vnam, nōne accendit lucernam, & deuertit domum, et quærit diligenter, donec inueniat eam? Et cum inuenerit, vocat amicas et vicinas, dicens; congratulamini mihi, quia inueni drachmam* B *quam perdideram. Ita dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.*

C CVM confluereret ad Iesum vniuersa populi multitudo, nec ille quenquam submoueret aut fastideret, ausi sunt etiam proprius ad illum accedere publicani quidam & peccatores: quod genus hominum pharisæi vehemēter abominari solebant, ad ostentationē sanctimoniæ, cum certissimum sanctimoniæ signum sit, nō fastidire peccatorem, sed adniti modis omnibus, vt resipiscat, & pœniteat, & pœnitenti gratulari. Itaque pharisæi, qui cum essent intus pleni fastu, liuore, odio, auaritia, superbia, tamē sibi iusti videbantur: vidēres quod Iesus D non grauaré sui copiam faceret publicanis, cæterisque ob palam admissa infamibus, quod genus sunt lenones, & meretrices, murmurant aduersus illius clementiam. Iesus autem vt hanc fastuosam inclementem penitus eximeret ex animis suorum, tres parabolas proposuit, diuersis argumentis eodem adhortantes: nimirum ad summam clementiam erga peccatorē pœnitentem: qui non solum repellēdus non est, cum rediit ad mentem meliorē, verum etiam modis omnibus inuitandus est, vt doleat, atque pœniteat.

Erant

Christus non solum non fastidit peccatores, sed eos vocat, atque modis omnibus nititur vt pœnitētiā agant.

Ioan. 3. Ezech 1.

¶ *Erant autem appropinquantes ei publicani & peccatores.* Christus Dominus non fastidit peccatores, sed eos vocat, expectat, sustinet atque modis omnibus ad nititur vt pœnitentiam agant. Non enim Deus, vt verbis vtar Ioannis, misit filium suum in mundum, vt iudicet mūdū, sed vt saluetur mundus per ipsum. Cuius misericordiæ typus erat arcus ille visus ab Ezechiele. c. 1. Vidi, inquit, quasi speciē ignis splendentis in circuitu, velut aspectus arcus, cum fuerit in nube in die pluuiæ. Erat autem hic arcus splendidus in circuitu, ad ostendendum esse diuinam misericordiam per vniuersum orbem terrarum extendendam quod experimento didicimus. Hunc arcum vidit etiam D. Ioānes, vt ipse in Apoc. testatur, vbi postquam dixit vidisse Deum in throno sedētem, subdidit: & iris erat in circuitu sedis, similis visioni Smaragdinæ. Smaragdus est insignis gemma eximiæ viriditatis. Eam ob causam est iris similis Smaragdo, quia diuina misericordia vetustatē peccatorum in nouitatem & pulchritudinē æternæ viriditatis reformabit. Et quemadmodum iris est diuersorum colorum varietate ornata, sic diuinæ misericordiæ multa sunt dona, & varia munera. Hunc arcum vidit etiam D. Ioan. in Christi capite nube humanitatis amicti, vt eū propiciatorem esse ostenderet. Proposuit eū Deus, ait Paulus Apostolus propitiatorē per fidem in sanguine ipsius. Et D. Ioan. in sua. 1. Epist. ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Non ergo mirandum est, q audèrent accedere ad illum publicani & peccatores. Quis ergo post hæc desperabit de diuina misericordia, cum Deū habeat, qui est pater, & pater misericordiarum? Qui publicanos & peccatores non fastidit, imo qui latronem in cruce ob flagitia propria pendentem saluum fecit, qui Magdalenam ė mūdi vanitatibus eripuit, & tanta gratia impleuit, vt in terra corpore constituta vitam cælestem imitaretur, qui publicanos liberauit, qui peccatoribus facinorosis, scelerumque maculis notatissimis gratiam tribuit, qui neminem eum pœnitenti corde inuocantem contemnit, qui denique, vt verbis

Apoc. 4. — Apoc. 20. — Rom. 3. — 1. Ioa. 2. — Luc. 23. — Luc. 7. — Matt. 21. — Luc. 5.

A vtar Apostoli, vult omnes homines saluos fieri, quomodo nos derelinquet si ad illum confugerimus, omnem nostrā spē in ipsum conferentes? Qui fieri potest, vt qui pro omnibus mortuus est, nos, pro quibus sanguinē fudit, penitus abijciat, si ad illum fuerimus toto animo conuersi. Scala illa, quam vidit Iacob, altera parte terram, altera cælum tangentem, quid est nisi via cæli: & gradus eius quid sunt, nisi virtutes, quibus tenditur ad vitā immortalem? Per eā vidit Patriarcha quosdam ascendentes, quosdam verò descen- B dentes. Qui se existimat stare, inquit Apostolus, videat, ne cadat. Quemadmodum fieri potest, vt qui sunt in virtutum fastigio collocati, decidant, & præcipitētur, sic fieri potest, vt qui sunt scelere contaminati, & in imo vitiorum cōstituti, qui cælo contempto terram tantūmodo amplexantur, resipiscant, in se conuersi pœnitentiam agant, & per scalæ gradus ad cælum tendant, vt in cælestibus sedibus sint tandem collocati. Adhærebat terræ rex Dauid, cum in crimen adulterij & ho- C micidij incidisset, & dicebat: adhæsit pauimento anima mea. Et alibi: de profundis clamaui ad te Domine: & scimus eum diuino adiutum fauore scalam ascendisse, & cælum penetrasse. Nō est igitur, cur de diuina pietate desperemus. Cū Ismael ė domo patris egressus cum Agar matre sua erraret in solitudine, & præsiti animā ferè efflaret, extulit ploratum, qui fuit à Domino exauditus. Iacebat ille sub quadam arbore, vbi eum Agar posuerat, ne eum morientē oculis aspiceret. Sed osten- D dit illis Deus fontem aquæ, cuius potu sitim sedarunt, & se ipsos refecerunt. Nos qui ė domo patris egressi sumus, qui Deū optimum patrem reliquimus, & in mundi solitudine erramus, in peccatorum sylua impediti, vitiorum deserto inuio & inaquoso versati, ne velimus peccatis nostris adhibere desperationem: sed labes nostras detestantes & vim lachrymarum fundentes, accedamus ad Christum, appropinquemus ad arborē crucis, ad Dominum Iesum crucifixum, ad arborem vitæ, vbi fontem misericordiæ plenissimū inuenieremus, cuius salutari potu lethalem

1. Tim. 2. — Gen. 28. — 1. Cor. 10. — Psal. 118. — Psal. 129. — Gen. 21.

Ioan. 3.

sitim,

sitim, quæ aridi animi nostri laborant, extinguemus, vt ardore inutilium cupiditatum sedato, in tranquillitate viuamus. Adeamus igitur cũ fiducia, vt ait D. Pau. ad thronum gratiæ eius, vt misericordiã consequamur. Qui enim duros Hebræos in Babylonica captiuitate detentos non deseruit, qui ad illos misit vates suos, ad gentes Apostatrices, & feritate barbaras, ad homines (vt verbis vtar Ezechielis) dura facie & indomabili corde, multo minus nos, quorum scelera suo sanguine expiauit, derelinquet. Sed de hac Christi pietate latius inferius dicemus.

Heb. 4.

Ezech. 2.

§ *Et murmurabant Pharisæi & Scribæ.* Murmurant Pharisæi & Legisperiti aduersus Christi clemẽtiã, quod notos peccatores admitteret ad suũ colloquiũ. Vide obsecro quã grande malum sit detractionis vitium, quod nec Deo parcat nedum hominibus. Merito Ecclesiasticus hortabatur dicens: non appelleris susurro in vita tua, & lingua tua ne capiaris. Et D. Iacobus: Nolite detrahere alterutrum fratres mei. Noli esse, ait Bernar. alienę vitæ, aut temerarius iudex, aut curiosus explorator. Iure etiam optimo huiusmodi detractores cani cõparantur à Dño dicenti: nolite dare sanctum canibus: & ab Ecclesiast. Sagitta infixa femori canis, sic verbum in corde stulti. Quemadmodũ enim canis femori habens infixam sagittã minime quiescit donec eam abstraxerit: sic stultus insipiensq; detractor conquiescere nequit, donec malum, quod de proximo suo mente concepit, effutiat, alijsque referat. Canes sunt detractores, diaboli gregem magna solicitudine ac diligẽtia custodientes. Canes, inquã, sunt non solũ carnes, sed & ossa comedentes. Nõ enim solum hominibus carnalibus voluptatibusq; deditis, sed spiritualibus etiã detrahunt. Canes deniq; sunt in macello semper morantes vt sanguini insidientur, sanguinolentaq; labia semper ferẽtes. Quibus cõuenit quod sapiens ait in Prouer. Insidiemur sanguini. Imo verò non canibus solũ, sed & porcis, à sanctis cõparantur. Tũ, quod queadmodũ porci rostrũ, pedes, manusq; suas luto & stercore coinquinare solẽt, sic detractores, ac murmuratores peccatis proximorũ os suum commaculare non verentur. Tum etiam, quod quemadmodũ porci in horto aliquo floribus consito, atq; conserto, nõ ad flores odoriferas, sed ad lutum, si ibi adsit, currere solent: sic homines isti murmurationibus dediti, non de piorũ virtutibus, egregiéque factis, curant: sed si quid in eis reprehensione dignũ videant, statim reprehendunt, conculcant, incusant ac ore suo contaminãt. Quam ob causam huiusmodi homines olim D. Aug. mensa sua indignos esse iudicabat. Hinc erant versus illi in mensa sua scripti. Quisquis amat dictis, absentum carpere vitam, hanc mensam indignam nouerit esse sibi. Quos refert gloss. pro. 24. in illa verba cum detractoribus ne commisceaeris. Detractores præterea serpentes pestiferi dicuntur. Si mordeat serpens in silentio, ait Ecclesiast. nihil eo minus habet qui occultè detrahit. Detractorem comparat serpenti, quoniam sicut serpens occultè mordet inaduertentem, mordensq; venenum in illũ effundit: sic qui in occulto detrahit proximo, quasi morsum venenatum infigit, virus suæ malitiæ aduersus illum sibilante lingua euomens. Vnde quemadmodũ serpentem omnes abominantur, sic & detractor est omnibus virtute præstantibus execrabilis. Quemadmodum rex ille egregius vatesq; insignis aiebat: detrahentem secrẽto proximo suo, hunc persequebar. Et nõ immerito. Nã detractores vt verbis vtar Diui Pauli, sunt Deo odibiles: quare non mirum, vt ab omnibus persequantur nedum à viris iustis & pijs. Labia ergo detrahentis, vt Salomon admonet, sint procul à nobis. Nam si inuicem mordemus & comedimus, videamus ne ad inuicem consumamur: vt Paulus docet. Hi sunt serpentes quorum typus & figura erant illi, de quibus Dominus dicebat in Deuteronom. capit. 32. Dentes bestiarum immittam in eos cum furore trahentium super terram, atque serpentium. Et rursum apud Ieremiam: Ecce ego mittam vobis serpentes pessimos quibus non est incantatio. Heu miseros detractores: nã vix aut nunquã corriguntur. Dicente Salomone: homo assue-

Grãde malum est detractionis vitium.

Ecclesi. 5.

Iaco. 4.

D. Ber.

Matth. 7.

Ecclesi. 19.

Simile.

Detractores canib9 comparantur, & porcis, & serpentibus.

Prouer. 1.

Simile.

D. Aug.

Ecclesi. 10.

Psal. 100.

Rom. 1.

Prou. 4.

Gal. 5.

Deut. 32.

Figura.

Ierem. 8.

assuetus verbis improperij, omnibus diebus vitæ suæ non erudietur: nunquid nõ vipera est lingua, quæ tres interficit flatu vno? Lingua detractoris tres interficit simul vno verbo, scilicet se, & eum qui audit quando cõsentit ei, quandoq; etiã eum cui detrahitur, quando peruenit ad eius notitiam. De qua te lege quæ docet D. Bern. ser. 24 in Cant. Hoc ergo vitium veneno plenũ fugiamus qui sanctimoniã profitemur. Cum certissimũ sanctimoniæ signũ sit, vt superius diximus neminẽ fastidere, cũ certissimũ virtutis argumentũ sit, aliorũ defectus dissimulare, ac benefacta laudibus efferre, non autem conculcare. Laudemus potius Dei clementiam, pietatẽ & benignitatẽ, qua omnes recipit etiam si notissimi peccatores sint: & adeò non fugit eorũ congressum, vt cibũ etiam cũ illis capiat. Fastum inclementẽ istorum pharisæorum exuamus, & tunc fugiet ab ore nostro omnis detractio.

Eccles 23. D. Bern.

¶ *Hic peccatores recipit.* Dũ existimãt homines isti Christum maxima infamiæ nota inurere, eum maxima gloria & summa laude & honore afficiunt. Nam ipse reuera est qui adhoc in mundũ venit: vt peccatores etiã notos ad suam amicitiã, & colloquiũ admitteret. Ipse venit, inquam, in mundũ vt peccatores velut magnes ferrũ, ad se sua vi & virtute traheret. Merito enim scelerati homines ferro cõparantur, cũ duri sint corde: dicente propheta quodã: audite me duro corde. Cũ frigidi admodũ sint: dicente vate alio: sicut frigidam fecit cisterna aquã suam, sic frigidã fecit malitiam suam. Cũ pondere non minimo premantur. Corruptę sunt, inquit regius psaltes, cicatrices meæ, & sicut onus graue, grauatæ sunt super me. Hos ergo diuinus hic magnes ad se trahit sua pietate infinita, sua clementia immensa: hos vocat: hos recipit, & amplexatur, hos osculatur. Vnde spõsa desiderio incredibili affecta, dicebat in canticis; osculetur me osculo oris sui, quoniam meliora sunt vbera tua vino, fragantia vnguentis optimis. Trahe me post te curremus, in odorẽ vnguentorũ tuorũ. Postulat his verbis à sponso suo Christo Ecclesia, exhiberi sibi indicia sui amoris, & clementiæ efficacia testimonia. Postulat. s. visitari ab eo quotidie, in benedictionibus dulcedinis, & in donis gratiæ eius, quibus electorũ in Ecclesia animas quotidie amplexatur, & velut deosculatur, non sine maxima eorũ qui visitantur cõsolatione: quemadmodũ singulari perfunditur sponsa gaudio, quoties eam cõtingit suscipere à sponso suo osculũ. Atq; subiungens causam, quare sponsi sui tantopere desideret oscula; quia, inquit, meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis. Per sponsi vbera intelligimus viscera misericordiæ, in quibus visitauit nos peccatores oriens ex alto, vt traheret nos post se. Vnde idcirco addit: trahe me post te. Ac si diceret: tu es diuinus ille magnes desideratus cunctis gentibus, nemo potest venire ad te, nisi tu traxeris eũ. Trahe ergo me post te: & tũc nõ solum te sequemur, sed curremus post te currentem: nam exultasti vt gigas ad currendam viam à summo cęlo egressio tua. Adhoc ergo missus est Christus, vt peccatores reciperet, atq; traheret: illisq; mederetur. Vnde Isaias ait Christi nomine loquens: spiritus Dñi super me, ad Euangelizandũ pauperibus misit me, vt mederer contritos corde, & prædicarem captiuis indulgentiã, & clausis apertionem, vt prædicarem annũ placabilem Dño. Vbi contritos corde vocat eos, quorum conscientia tota contrita est, id est, turpitudine peccatorũ vulnerata. Venit ergo Christus vt mederetur peccatoribus, vt illis annuntiaret libertatẽ à captiuitate diaboli, atq; solutionem à clausura, hoc est, consuetudine peccatorũ. Annũque illũ placabilẽ quo Deus decreuit misericordiam suam exhibere humano generi. Atque hoc erat quod idẽ vates paulo ante prædixerat. c. 43. Glorificabunt, inquit, me, bestiæ agri, dracones & struthiones. Quid enim, ait Greg. draconũ nomine, nisi in aperto malitiosæ mentes exprimũtur, quæ per terrã semper in infimis cogitationibus repunt? Quid verò per struthionum vocabulũ, nisi hi, qui se bonos simulant, designantur: qui sanctitatis vitam quasi volatus pennam per speciem retinent, sed per opera non exercentẽ Glori-

Christus tanquam magnes ad se trahit peccatores quæ maxima gloria est tantum abest, vt infamia sit.
Isai. 46.
Ierem. 6.
Psalm. 37.
Can. 1.
Isai. 61.
Greg. lib. 31. mor. c. 6.

Glorificari itaq; se Dominus à dracone, vel struthione asserit, quia & apertè malos, & fictè bonos plerumque ad sua obsequia ex intima cogitatione cõuertit. Maxima ergo Christi gloria est peccatores etiam notos ad se trahere: tantũ abest vt infamia sit, quali Pharisæi isti illum afficere contendebant. Hic est, verus Dauid noster ad quẽ cõfugiunt omnes qui sunt amaro animo & oppressi ære alieno: quẽ admodũ olim confugiebant ad patrem suum Dauid. Ad Christũ confugiunt peccatores dolore affecti, atq; multis peccatis obnoxij. Quod si hic peccatores non reciperet quis seruaretur? Quo pacto Angelorum ruina repararetur? Aut muri ciuitatis Hierusalẽ cælestis reædificarẽtur? Idcirco precabatur Dauid rex: benignè fac Dñe in bona voluntate tua Sion: vt ædificẽtur muri Hierusalẽ. Ac si diceret: precor Dñe vt secundũ benignitatẽ tuã, non secundũ seueritatẽ iustitiæ tuæ agas cum populo tuo electo, qui te cognouit, aut cogniturus est, tibique seruiturus in hac militanti Ecclesia: sic enim ædificabuntur muri supernæ Hierusalẽ, & complebitur cæleste illud ædificiũ, quod ex viuis cõponitur lapidibus, qui hic in misericordia Dei recipientis peccatores aptãtur, suo tẽpore in muros ciuitatis illius cum cæteris beatis coædificandi. Hic est qui hanc ciuitatem pacis, ex sibi credentibus, atque amore eũ prosequẽtibus ædificat: quasi ex viuis lapidibus, atq; adhoc struendũ ædificiũ congregat electos suos à quatuor ventis terræ, dispersos per vniuersum orbẽ: ex omnibus finibus orbis terræ, ex omnibus gẽtibus, linguis & populis, in vnam fidem, vnam spem, vnum baptismã, vnũ spiritum. Quos enim peccati autor diabolus, sua prauitate, & fraude dispersit, ipse autor iustitiæ colligit & congregat in vnum, ad ædificium sanctũ suum. Ipse pœnitentes & vera cordis contritione humiliatos sanat, tanquam medicus bonus, qui venit sanarẽ male habẽtes, & peccatores recipere & vocare ad pœnitentiam: sanat certè langores peccatorum tollẽdo, & dolores mali reatus nostri in seipsum assumẽdo; dolores quoq; vulnera & infirmitates eorũ diligẽter curat, ad eum modũ quo medicus peritus iuxta ac diligẽs, loca vulnerũ, atq; infirmitatum, solet alligare & fouere emplastris, donec quæ erant infirma ad firmitatẽ & integrã sanitatẽ perducat. Hoc est, quod rex Dauid canit Psal. illo. 146. ædificans, inquiens, Hierusalẽ Dñs, dispersiones Israelis congregabit. Qui sanat contritos corde: & alligat contritiones eorũ. Hic etiã est, qui peccatores recipit, hoc est, qui cœnosam vitiorũ latrinam lauat: quæ maxima est humilitas & abiectio. Qualis esset regis alicuius qui latrinam domus regiæ emũdare vellet. Turpior sanè est peccatorum animus & conscientia omni latrina: cœno, luto, & excrementis plena, nã ex corde exeũt ait Christus, cogitationes malę, homicidia, adulteria, fornicationes, blasphemiæ, hæc sunt quæ coinquinant hominẽ. Cũ ergo Christus sit splendor gloriæ & figura substantię eius, portansq; omnia verbo virtutis suæ, tãta tamẽ fuit eius benignitas, tanta eius humanitas, & humilitas: vt nõ dedignaretur purgationẽ peccatorũ facere, vt D. Paul. testatur. Est profectò horrendũ cogitatu, vt Chrys. ait, quod is per quẽ secula cõdita sunt, qui est splẽdor gloriæ, & expressa imago substãtiæ patris, qui potẽti suo iussu gubernat & cõtinet oĩa, obuolui voluerit sacco mortalitatis nostræ, & ita purgare sordes peccatorũ nostrorũ. Hic est ille, de quo olim quidã vates prædicebat, & purgauit filios Leui. Hic de quo Matth. ait quod dixerit Paralytico: fili remittuntur tibi peccata tua. Ob quã causam audiẽtes glorificabãt Deũ: quod talẽ potestatẽ dederit hominibus. Quare nõ erat cur pharisæi isti obmurmurarent, quod Christus reciperet peccatores, atq; eis veniã peccatorũ cõcederet: cũ adhoc venerit in mũdũ vt peccatores saluos faceret, purgaret à peccatis, traheret vi sua ad gratiã patris, deosculãretur donis cælestib9: ex eis tanquam ex viuis lapidibus domũ cælestem ædificaret. Nec etiam est quare & nos deuenia peccatoribus notis, obduratis, ac grauissimis sceleribus imbutis, concessa, obmurmuremus: ne similes simus pharisæis alijs, volentibus interficere Lazarum resuscitatum.

¶ *Hic peccatores recipit.* Imo non solũ hic peccatores recipit, sed ex peccatori-

Margin: 2. Reg. 22. — Psalm. 50. — Matth. 9. — Luc. 15 — Isai. 53. — Psal. 146. — Matth. 15. — Heb. 1. — D. Chrys. — Malac. 3. — Matth. 9.

Non solũ Christus peccatores recipit sed ex eis insignes sanctos facit.

bus etiam notissimis, ac scelestissimis, eximios & egregios, atq; maxime insignes sanctos facit. Vnde sanctus Iob. c. 28. sic aiebat: ferrum de terra tollitur. In quæ verba D. Gregor. ait: fortes viri, qui acutissimis linguarum gladijs in hac acie defendendæ fidei, ferrum fiunt, aliquando terra in infimis actionibus fuerunt. Peccanti quippe homini dictum est: terra es, & in terram reuerteris. Sed de terra ferrum tollitur, cum fortis propugnator Ecclesiæ, à terrena, quam prius tenuit, actione separatur, Non ergo in eo debet despici quicquid fuit, qui iam accepit esse, quod non fuit. An non Matthæus in terra inuentus est, qui terrenis negotijs implicatus, telonei vsibus seruiebat? Sed de terra ablatus in fortitudine ferri conualuit, cuius videlicet lingua quasi acutissimo gladio, Euangelij administratione, Dominus infidelium corda transfixit, & qui infirmus prius, despectusque fuerat per terrena negotia, fortis postmodum factus est ad cælestia prædicamenta. Hęc ille. Atque hoc idem significare volens sanctus idem Iob. c. 37. ait: flante Deo cōcrescit gelu, & rursum latissimè funduntur aquæ. Quò enim fidelium cordibus (ait idem Gregor.) Spiritus sanctus aspirauit, quo maiora virtutum miracula cōtulit, eò infidelium mentibus grauioris inuidiæ torpor excreuit, atque inde contra Deum plebs infidelis obduruit, vnde humilis populus anteactam duritiē, qua se astrinxerat, emolliuit. Deo enim flāte, in gelu versi fuerant, qui visis miraculis inuidentes dicebant: ecce totus mundus post eum abijt. Conspiciebant signa, totum iam mundum secuturum fidei prædicamenta præuidebant, & tamen quò Sanctus spiritus mundum repleuerat, eò illorum mentes arctius inuidiæ malitia ligabat. A qua ergo in gelu versa fuerat, dum eunte post Deum mundo, Iudæa inuidia pigra remanebat. Sed quia supernæ pietati suppetijt etiam tantæ crudelitatis duritiam soluere, atque ad amandū se corda infidelium liquare, post hoc gelu, mox bene subditur: & rursum latissimè funduntur aquæ. Post gelu quippe Dn̄s latissimas aquas fudit, quia postquā

Iob. 28.
D. Grego.
Genes. 3.

A Iudæorum sæuitiam, vsque ad mortem pertulit, eorū corda protinus ab infidelitatis duritia, amoris sui aspiratione liquefecit, vt tanto post desiderabilius ad obediendū currerent, quāto præceptis illius prius obstinatius restitissent. Vnde bene per quendam sapientē dicitur: sicut glacies in sereno, sic resoluētur peccata tua. Ab hoc frigidi torporis gelu solui propheta desiderauerat, cum dicebat, Conuertere Dn̄e captiuitatē nostrā, sicut torrens in austro. De his aquis, id est, ad Deū

B concurrentibus populis, rursum dicitur: mittet verbū suū, & liquefaciet ea, flabit spiritus eius, & fluent aquæ. Aquæ de gelu currūt, quia plerique ex duris persecutoribus, magni prædicatores fiunt. Gelu igitur in aquā liquatur, cū torpor interni frigoris ad irrigationē vertitur prædicationis. An Paul. gelu non erat, qui acceptis epistolis Damascū pergens, in corde fideliū, quasi in terra Dei iactata verbi semina, ne ad perfectionem operum surgerent, restringere quærebat? Sed gelu hoc

C in aquam redijt, quia quos persequendo prius premere studuit, hos postmodū fluxis sanctæ exhortationis infudit, vt tanto vberior electorum messis exurgeret, quāto hanc imber Dei etiam ab opere persecutionis irrigaret. Hæc ille. Vides igitur quemadmodum Christi sit, non solū peccatores recipere, sed ex eis aliquando eximios aliquos viros facere. Moysen enim post percussum AEgyptiū fecit rectorem populi Hebræorū, Petrum post negationem fecit pastorē Ecclesiæ, Dauidē post adulteriū, in maximam sanctitatē erexit, Paulū post persecutionē, vas selectissimū

D quo portaretur nomē suū, fecit. Matthęū publicanū, notumq; peccatorem in Apostolū & Euāgelistā fidelissimū elegit. Nō ergo miremur quod Christus Dn̄s recipiat, ad suūque congressum & colloquiū admittat peccatores: quando non hoc solū, sed insigniores in peccatis, insigniores etiā fecerit tā indignitatibus quā in meritis, cæteris omnibus. Fidelior, n. factus est Petrus, ait Ambros. Postquam fidem se perdidisse defleuit, atque ideo maiorem gratiam reperit, quam amisit. Lege illum. d. 50. c. fidelior, in decretis. Huius

Eccles. 3.
Psal. 125.
Psal. 147.
August. li. 22. contra Faust. c. 68. 70.
Amb. ser. 47.

1. Reg. 30. Figura.

rei imaginem habemus. 1. lib. Reg. cap. 30. Vbi sacra narrat historia inuenisse in agro Dauidē, seruū quēdā viri amalecitæ, qui succēderat igni Siceleg. Seruus ergo ille in causa fuit, vt Dauid omnia spolia à predonibus auferret. Sed necesse primū fuit, vt derelinqueretur seruus hic à Dño suo, quod ægrotare cœperit. Deinde op9 fuit, vt pane prius & aqua reficeretur à Dauide, ac blandicijs timor mortis tolleretur. Vir iste AEgyptius typus est peccatoris. Eramus enim ait Paul. natura filij iræ, seruus enim peccator est amalecitæ, hoc est, diaboli: qui doctrina sua, & exemplo succēderat siceleg, hoc est, Ecclesiā: vnde Paul. ait de se loquens: qui persecutus sum Ecclesiam Dei. Et tamē hic minister Dñi factus, autor & causa fuit, vt diabolus atq; eius satellites deuincerentur, atque ab eis spolia, hoc est, homines tollerentur. Sed quod fuit initium, qui nam fuit fons, atque origo huius mutationis, atque huius tam prosperi successus fœliciisque euentus? Nempe ægritudo. Solet enim Dñs exterius homines percutere, vt sanet interius. Tunc enim solet huiusmodi homines diabolus destituere ac derelinquere: cū velit suos esse fortes & firmos, atq; constantes, viribusq; plurimis præditos. Contrà Christus Dñs, suos, vult esse infirmos, & imbecilles. Hinc erat vox illa Pauli cū infirmor, tūc fortior sum. Et rursum: quæ infirmitatis meę sunt gloriabor. Sed non poterat seruus hic esse minister verbo, nisi prius reficeretur: atq; recrearetur cibo potuq; cælesti. Tota nāque hæc repentina mutatio, à dextera excelsi, reficiente sua gratia Paulum, cæterosq; viros doctrina & sanctitate præstātes, dimanauit. Vnde idem Apostolus ait: gratia Dei sum, id quod sum.

Ephes. 2.

1. Cor. 15.

2. Cor. 12.
2. Cor. 11.

1. Cor. 15.

An praue viuentium contuetudo sit vitāda.
D. Basil. in regu. breuio. interrog. 20.
2. Thes. 3.
Dogma catholicum.

¶ *Hic peccatores recipit & manducat cum illis.* D. Basil. interrogat: debeat ne is qui in peccatis aliquot deprehēsus est occalluisse, eorū qui secus in fide sentiūt, societatem fugere: aut etiam praue viuētiū consuetudinē declinare? Cui dubitationi, atque interrogationi respondet in hunc modū. Cū Apostolus dixerit, vt subtrahatis vos ab omni fratre inordinatē ambulante, & non secundū traditionem, quā acceperunt à nobis: In vniuersum illud tenendū est, cōmunionē omnē omnis vetitæ rei, cogitatione, verbo & opere omnibus calamitosam esse & periculosam. Qui autem in peccatis diu permanserint, ij maiore etiam egent animaduersione. Primùm quòd animus cui peccato assuetus est, ad illud plerunque solet esse procliuior: deinde quód quēadmodū in ijs, qui corporibus ægrotant, diligentia quadam accuratiore, atq; obseruatione maiore est opus, atq; ita, vt ea sæpe etiam repudientur, quæ sanis vtilia sunt: sic in ijs qui animo ægrotāt, obseruatione op9 est, & cura multo attentiore. Porro excōmunitate cum peccantibus, quā magnū detrimentū sequi solitum sit, apertissime ostendit Apostolus, qui in simili argumēto dixit, modicū fermentū totam massam corrumpit. Quòd si in ijs, qui in his, quæ ad mores spectant, labuntur, detrimentū est adeo magnū, quid de ijs dicendū est. Qui prauē sentiūt de Deo? Quos opinionis peruersitas facit, vt nec in cæteris etiā sanitatē possint obtinere: quippe qui per ipsam traditi sint semel passionibus ignominiæ: quemadmodū multis ex locis diuinarū literarū ostēditur, sed maximē ex his, quæ de quibusdā scripta sunt in Epistola ad Rom. his verbis: & sicut non probauerunt Deū habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobū sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deū odio habētes, cōtumeliosos, superbos, elatos, inuētores nouorū malorū, parentibus nō obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absq; fœdere, sine misericordia. Qui cū iustitiā Dei cognouissent nō intellexerūt quòd qui talia agunt, digni sunt morte, nō solū qui ea faciūt, sed etiā qui cōsētiūt facientibus. Hæc ille. Sed ad clariorē huius prædictæ quęstionis intelligentiā animaduerte duplici iure teneri oēs nos ad vitādū homines sceleratos ac peccatores, iure. s. naturali ac iure positiuo. Naturali autem tenemur quatuor de causis. Primo, ne simus eorū fautores: qui enim peccatis

1. Cor. 15.

Rom. 1.
Ibidem.

Quibus de causis tenemur vitare homines sceleratos.

Rom. 1.

catis aliorum fauet, cōsentire cum eis videtur. Quod D. Paul. in Epist. ad Rom. c. 1. damnat his verbis. Digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed qui facientibus consentiunt. Imo ratione quadā ad eorum peccata concurrunt qui huiusmodi sunt. Secūdò, in correptionis fraternæ casu occurrente, quādo. s. videmus, quod separare nos ab eorum cōsortio prodesse posūt, vt corriperentur, vt dum à familiaritate cū publico concubinario, qui aliàs amic9 erat me9, me subtraho. Tertiò, ad scandalum aliorum vitandum: vir enim bonus & studiosus honestæq; famæ, maxime si rempublicam, aut temporalē, aut spiritualem regit, nomini suo honorique consulere debet, consortia rescindēdo cū hominibus improbis, scelestis, ac corruptorū morum. Quarto denique, quando peccatū inserperet, & rempublicā inficeret: tunc enim non solū separare nos à viris sceleratis tenemur, verū illos accusare. Addo his teneri ad vitādū peccatores quando ex eorum familiaritate & cōsortio exponimur periculo peccandi. Qui enim amat periculū peribit in illo. Et tamen, quia isti casus plurimū sunt occulti, ne facilē quis iudicare valet, est alia particularis prohibitio de iure positiuo, vt à sacrorū cōmunione abstineamus cū nominatim excōmunicatis & publicis percussoribus clericorum. Nihilominus Ecclesia sancta minime intendit iura naturalia tollere, quominus quoties prædicti casus occurrerint, suū teneant obligandi vigorem, suamq; stringēdi vim. Interim tamen obserua eos censeri nominatim esse excōmunicatos, qui de heresi, aut schismate, aut apostasia condēnati sunt vt Lutherani, Vvitcleffistæ & alij huiusmodi. Item illos, qui vel nomine proprio, vel nomine dignitatis propter quamcūque inobedientiam excōmunicātur, vt si prætor, aut decanus Salmantinus excōmunicetur. Quare publici excommunicati ob alia crimina, vt incendiarij, nisi nominentur vitandi nō sunt. Atq; eadem ratione, licet excōmunicētur participantes cū excōmunicato, nisi nominentur, nō sunt excōmunicati excommunicatione maiori. Quod autē ab hæreticis, nec cōmunionē

Qui excōmunicati hodie sunt ex iure positiuo vitādi, ex constitutione Concilii Constan.

recipere liceat, nec eorū rem diuinā audire, habetur. 24. q. 1. can. si quis dederit. Nisi in mortis articulo, vt ibidē ex D. Aug. adijcitur can. si quē forte. Quantū igitur ad propositū attinet Christus Dñs verus Deus ac homo cū esset, peccatores ad se vocare ac trahere poterat. Tum, quod ad eos seruādū venerat, vt in superioribus diximus: tū quod nullus illorū sua familiaritate, neq; suis peccatis ei nocere poterat. Vnde Iob ait: si peccaueris quid ei nocebis? Nihil enim Deo blasphemiæ nil idolatriæ nocent, nedū alia peccata. Quāuis enim homines relicto cōtemptoque Deo dæmones coluerint, adorauerint, atque innumera sacrificia obtulerint, nullū à vero Deo honorē adimere potuerūt. Quod significare atq; docere volens D. Paul. in Epist. ad Rom. c. 1. Coluerunt, inquit, & seruierunt creaturæ potiusquam creatori, qui est benedictus in secula seculorū. Ac si diceret, inquit Chrysost. nō propterea ipse detrimentū accepit: manet enim laudādus ac benedictus in secula. Quo loco demōstrat, quod Deus illos dimisit, non vt sibi ipse auxilio foret, quādoquidē illi nihil incōmodi accidit, nam quamquā illi iniuriā fecerunt, tamē ipse non accepit, neq; sanē eius gloria aliqua ex parte lacera, ac mutila facta est, sed manet ipse omnino laudādus, hæc ille. Quare non est cur pharisæi isti murmurēt, cū ex malorū contubernio maculari nō possit Dñs, qui sua natura bonus est, nec infamię nota inuri, cū sit benedictus & laudādus in secula. Verū est tamē, quod si Christus Dñs, Deus nō esset, quod istorū murmuratio nō omnino rationi dissona videretur. Est enim periculū maximū cū publicis meretricibus, atq; notis peccatoribus cōuersari, cibumq; cū eis sumere. Solent. n. impiorū contubernio cōtaminari boni. Hinc orta fuit illa admiratio, atq; obmurmuratio pharisæi intuentis peccatricē illam notā, ad pedes Dñi. Si hic, inquit, esset propheta sciret quæ, & qualis esset mulier quæ tāgit eū, quia peccatrix est. Quare, vt pharisæus intelligeret eum esse verū Deū, cui hominū sceleratorum contubernium, aut congressus, aut tactus nocere, aut detrahere nō potest, condonauit

Vi Sot. 4. d. 13. q. 1. art. 2.

Iob. 35.

Rom. c. 1.

D. Chrys. in hunc locum.

Luc. 7.

uit illi, omnia peccata dicens: remittũtur tibi peccata tua. Hoc idẽ docet Dñs impræsentiarũ pharisæos istos, obmurmurantes, quod cũ peccatoribus infamibus cibũ sumeret. Docet, inquã, se verũ Deũ verũque hominẽ esse, qui de cælo descenderit, vt quæreret ouẽ errantẽ, drachmã perditam, ac reciperet prodigũ filiũ. Vt hinc discamus quã periculosum sit, cũ impijs cõuersari bonos. Ideo. n. ait Christus Dñs traditori: quod facis, fac citius. Nimirũ vt cito egrederetur impius ille Iudas é cõtubernio discipulorũ suorũ, ne illos cõtaminaret. Quo egresso ait: nũc clarificatus est filius hominis. Ac si diceret: agora sin este estoy en gloria, &c. Maximè sanè impiorũ cõtuberniũ inficere solet pios, & virtutis studiosos. Verũ est tamen, quod contrà, etiã bonorũ consortiũ plurimũ prodesse solet impijs. Hinc fuit illa sancta piaq; contentio inter angelũ præsidentẽ regno Persarũ & angelũ præficiẽtẽ in Babylone regno Hebræorum: hic. n. precabatur Dñm, vt populus ille Hebræorũ à captiuitate liberaretur: ne scilicet consortio gentiliũ inficeretur, ac vitiaretur, idolatriæque spurcitie maccularetur: ille verò precabatur ne populus redimeretur, sed iã diu inter Persas idolatras moraretur, vt eius congressu & familiaritate populus idolis deditus, erudiretur in vera fide, atque ad verũ Deũ rerum omniũ conditorẽ relictis dæmonibus cõuerteretur. Ad tactũ corporis Elisæi iam defuncti, defunctus quidã suscitatus est, vt in. 4. lib. Reg. sacra narrant eloquia. Si ergo tantã vim ac virtutẽ habet tactus & congressus hominis pij ac iusti iam vita functi: quantã obsecro haberet cõtuberniũ eius si viueret? Vocatur Isaias à Dño, vt ad prædicandũ mitteretur: & indignũ tanto munere se esse iudicauit, quod vir pollutus labijs esset: & in medio populi polluta labia habẽtis habitaret. En vides quam vtilis societas sanctorũ sit quã verò periculosa societas impiorũ. Saul inter prophetas positus prophetabat. Pro maximo miraculo prædicit Isaias quod tẽpore Messiæ habitabit lupus cũ agno: & pardus cũ hædo accubabit, vitulus & leo & ouis simul morabũtur. Grãde sanè miraculũ est & prodigium nõ minimum

Ioan. 13.
Dani. 10. Vi. ibi Gregor.
4. Reg. 13.
Isai. 6.
1. Reg. 10.
Isai. 11.

A quod malorũ congressu, atq; consortio; iusti & virtute præstãtes nõ cõtaminẽtur. Quod patre existẽte in peccatis & sceleribus notis, filius iustus ac sanctus sit, grãde sanè miraculũ. Quod matre meretrice, filia sit casta & virgo, prodigũ admiratione dignũ. Quid acciderit sapientissimo illi Salomoni, ex mulierũ gentiliũ cõtubernio: nemo est qui ignoret. Vt hinc discas quã periculosum sit notos peccatores ad colloquiũ admittere, cõgressum eorũ nõ fugere, cibũ cũ illis capere. Christus autẽ B Dñs cum Deus verus esset, sine periculo eos tangere, ac cum illis conuersari, cibũque accipere poterat. Imo id obserua atque alta mente cõsidera: quod tactus & congressus peccatorũ, qui aliàs in causa erat vt boni contaminarentur, in causa etiam erat, vt ipsi peccatores à peccatis emundarentur à Christo. Tactu suo, mulier illa in ciuitate peccatrix, homines inficiebat, at tangens pedes Domini, ipsa omnino emundata est. Capillis capitis sui, atque oculis suis homines aliàs iustos ad se trahebat, & maculabat, & eisdem, C Christi prædictos pedes tangẽdo, immaculata atque mũda in domum redijt. Vt hinc colligas quàm immunis ab omni labe, atque peccato Christus Dominus esset. Quo enim alij vitiabantur ipse emundabat.

Sup. c. 7.

¶ *Hic peccatores recipit & manducat cum illis.* Nullus in mundo fuit insignis, aut rex, aut imperator, aut dux quod non peculiari aliqua virtute insigniretur. Romanos. n. imperatores clemẽtia insignes faciebat. Parcere subiectis signũ illorum erat. Dauidem verò amor inimicorũ de- D corabat. Hinc erat vox illa: memẽto Dñe Dauid & omnis mansuetudinis eius. Et illa ducis eius dicentis: odis diligẽtes te, & diligis odientes te. Salomon autẽ pacificus vocatus est, Moyses mitis, Samson verò fortis. At noster Iesus in eo maximè insignitus est quod peccatores omnes reciperet, vocaret, ac cum eis cibũ caperet. Idcirco clamat: venite ad me oẽs qui laboratis & onerati estis & ego reficiã vos. Adde his, quod maximũ est. Nã non solũ ꝓpter nos homines ac ꝓpter nostrã salutẽ descẽdit de cęlis & homo factus est, nõ solũ, inquã, ad liberãdũ suscepturꝰ hominẽ

Nullꝰ fuit vir in mũdo insignis qui non aliqua virtute peculiari polleret
Psal 131.
2. Reg. 19.

non horruit virginis vterum: sed in sacra synaxi consecratus non horret peccatoris vterum. Natus in mũdo, non horruit pannis inuolutus, reclinari poni que in præsepio, qui locus est iumentorum: susceptus verò à peccatore in sacramento, non horret imponi in peccatoris pectore, qui locus est dæmoniorum. Cum iam diabolus misisset in cor, vt traderet eum Iudas ait D. Ioannes. Viuens in mundo, cum peccatoribus cibum capere, non dedignabatur: at modò in sacramento positus, non dedignatur in cibum à peccatoribus sumi.

Ioan 13.

¶ *Hic peccatores recipit.* Murmurant Pharisæi aduersus Christum quod nõ vitabat malorum consortia, non intelligentes immensam eius clementiam. Si enim illam comprehendissent non murmurarent: nec bono proximorum suorum inuiderent, sed potius illi maximas gratias agerent, quod miseros & infirmos peccatores ad se traheret: quæ maxima sanè clementia & pietas incomprehensibilis est Dei. Atque ea erat causa huius perpetuæ murmurationis. Nunquam enim aliquid boni operis faciebat Iesus, quod nõ murmurassent pharisæi: non intelligentes eius ineffabilem clementiam, à qua tãquam à vero fonte bonum illud oriebatur, atque eructabat. Illuminauit cæcum à natiuitate, obmurmurant pharisæi & aiunt: hic homo non est à Deo, qui sabbatum non custodit. Adducunt ei hominẽ cęcum, surdum, & mutum, dęmonium habentem, & postquam eiecit dæmonium & locutus est mutus, murmurant homines isti, & inquiũt: hic in Beelzebub principe dæmoniorum eiecit dæmonia. Soluit hic cælestis paterfamilias denarium diurnũ vel vna hora laborantibus: & statim obmurmurant cæteri, quod illos pares eis fecerit. Recipit peccatricem notã omnibus: murmurat pharisæus, hic si esset propheta sciret, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eũ: quia peccatrix est. Vocat Matthæum & cæteros publicanos & aiunt: hic peccatores recipit: & mãducat cum illis. Ac si dicerent: hic, qui aliàs nouam quandã sanctimoniã profitetur, peccator est maximus, quando tã notos & insignes peccatores admittit ad suũ colloquiũ, & adeò non fugit congressum, vt cibũ etiam cũ illis capiat. Similes enim similes quærere solent. En vides perpetuã aduersus Christũ murmurationem, quod minime homines caperent eius clemẽtię pelagus, eius pietatis abyssum. Sed minime mirandũ nam D. Paul. diuino spiritu afflatus vehementer optabat, atque obnixe precabatur Deum, vt fideles hoc diuinæ misericordiæ pelagus intelligerent: vt nunquã cessarent illi gratias immẽsas agere, flecto (inquit) genua mea ad patrẽ Dñi nostri Iesu Christi, vt posũtis cõprehendere cũ omnibus sanctis: quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundũ: scire etiam supereminentẽ sciẽtię charitatẽ Christi. Quis enim, nisi spiritu Dei afflactus, Christi immensam charitatẽ exaggerare, perpẽdere, aut ponderare poterit? Quis tantã eius clementiã, qua inimicos homines, ac sceleratos recipiebat, ac mortẽ tam acerbã pro illis subire voluit, cõprehendere poterit? Vix enim, aitidẽ Apostolus, pro iusto quis moritur, nã pro bono forsitam quis audeat mori. Cõmendat autẽ charitatẽ suã Deus in nobis, qui cum adhuc peccatores essemus Christus pro nobis mortuus est. Ac si diceret: vix inuenias qui pro iusti & innocentis vita tuenda mori velit. Pro magno enim bono, & magnæ vtilitatis gratia, forsitã inuenies qui vitã suã periculo exponat. Sic legimus quosdã etiã Ethnicos reipublicę gratia vltro mortẽ oppetijsse: quales Quintus curtius, & Decij & Codrus. Illustrẽ verò atq; nobilẽ reddit charitatẽ suam Deus, ex eo quod pro impijs hominibus scelestis, publicisq; peccatoribus: mortẽ libenter oppetere voluerit. Quod maximẽ mirandũ est. Quis. n. pro dignitate capere poterit, vt Deus pro vita, pro salute, pro venia & gloria suorum crucifigentiũ, cruci affigi uoluerit? Quis intelligere, vt offensus offensam soluat sua vita? Quis cõprehẽdere, vt pastorem reliquerit, atq; contempserit ouis, & tamẽ pastor hic cælestis nõ solũ eã quærat, atq; inuentã humeris imponat, gregiq; adiungat: sed tãta sit gaudij magnitudo, vt sese non contineat: quin & apud alios [illegible] effun-

Si Christi clementia intelligeretur à Iudæis, nec murmurarent, nec bono proximorum inuiderẽt.

Ioan. 9.

Matth. 12.

Matt. 20.

Luc. 7.

In hoc c. 15.

Ephes. 3.

Rom. 5.

effundat. Congratulamini mihi, quia inueni ouē, quæ perierat? Quid hoc est Domine? Nonne hoc munus, hoc opus erat ouis inuētæ, quæ sibi sua culpa perierat? Nonne eius erat, tibi maximas gratias referre? Erat sanè. Sed quo affectu caritatis sit Deus erga genus hominū, quod condidit, dici nequit, fari nō potest. Tam enim est misericors & amās eorū quæ cōdidit, vt nihil non faciat, vt perditum asserat, multoque cum gaudio recipiat pœnitentem quem doluerat perisse. Non ergo miremur quod mirentur pharisæi & dicāt: *hic peccatores recipis*. Nam clemētia, pietas, bonitas, misericordia, liberalitas, & magnificentia Dei, comprehēdi ab hominibus minime potest. Consideremus ergo opera Dei, & expauescemus, & dicemus cum Moyse: quis similis tui Domine? Quis similis tui? Magnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis & faciēs mirabilia.

Exo. 15.

¶ *Et ait ad illos parabolam istam*. Similitudine respondet detractioni Christus, vt pharisæos conuincat. Vnde Seneca ait in prouerbijs: consilio melius vincas, quàm iracundia. ¶ Cęterum in his tribus parabolis sequentibus, sicut & in cæteris à Christo propositis: curiosa inuestigatio (vt alias apud Matthæum diximus) vitanda est. Et solum scopus, ob quē hę & aliæ huiusmodi parabolæ proponūtur, attendendus. Considera igitur & perpende istarum trium parabolarum finē. Præmiserat Euangelista scribas & pharisæos murmurasse cōtra Christum, quod peccatores & publicanos reciperet, & manducaret cum eis. Christus ergo exemplis, figuris, seu parabolis, docuit illos nō habuisse super hoc iustam murmurandi causam, sed potius gaudendi & congratulandi. Insinuans, se vt pium pastorem & veram sapientiam, ac bonum patremfamilias aduenisse in hunc mundum, vt saluaret atque reduceret ouem, quæ perierat, inueniretque drachmam perditam, & susciperet perditum filium ad cor redeuntem ac recipiscentem, hoc est, vt salnum faceret genus humanum, quod perierat. Totus ergo illarum parabolarum trium contextus, aduersus pharisæos ob

Seneca.

Scopus parab arū istarum attendendus

A murmurātes prolatus est: & propter nos positus est, vt in illis discamus, nos nō debere ægrè ferre susceptionem hominum peccatorum, sed gratum, & acceptum habere si peccatores resipiscant, & recipiantur in gratiam. In huiuscemodi parabolis nihil quidem esse frustra aut superuacuē positum, non tamen oportet nos circa singula esse solicitos. Nam si velimus singulas particulas habere suam expositionem exactam, & specialem significationem, volentes inuestigare quid intersit inter hominem vnum habentem centum oues, & inter mulierem habentem drachmas decem, & patrem habentem duos filios: quid insuper sibi voluit, vel quod centum nominentur oues, & non plures: & quod decem drachmæ, & non quinque, & quid significet, quod in prima parabola conuocantur amici & vicini, in secunda verò amicæ & vicinæ: & quid in tertia parabola significetur, quod senior filius fuerit inuidus de beneficio fratris, quod fuerit contristatus. Cum tamen ille filius personam gerat iustorum, beneplacens patri, fruens & bonis illius, ad quē & pater dixit: fili tu semper mecū es, & omnia mea tua sunt: hæc & huiuscemodi, si velimus singula exactè perscrutari, & similia prorsus inuenire in rebus, propter quas assumuntur parabolæ, laboriosa res erit, & nimis forsitan curiosa: cū sufficiat scire Dominum Saluatorem assumpsisse res illas, ad confutandum scribas & pharisæos, murmurantes contra ipsum, quod peccatores susciperet, & ad persuadendum eisdem per certas & manifestas similitudines, quod tantæ bonitatis suæ effusionem erga eos, qui perierant, deberent non solum non ægre ferre sed lætanter suscipere, & gaudere potius ac gratulari tantę clementię illius, qui vt bonus medicus & diligens pastor, & pius pater venit sanare, inuenire, suscipere quod perierat.

B

C

D

Driedo. folio. 119

¶ *Quis ex vobis homo qui habet centū oues*. Christus pastor merito hic & multis alijs in locis vocatur. Nam quēadmodū veri pastoris bona, sunt oues: sic Christi vera bona, non sunt aurum, & argentum, aut lapides pretiosi, aut opes, mundi

Christus merito pastor vocatur & quare,

Psal. 2. quē diuitiæ, sed tantum animæ. Postula à me, ait illi pater, & dabo tibi gentes, hæreditatem tuam. Omnis Christi vera hæreditas, omnis eius supellex, omnis possessio, populus est fidelium. Hoc omnium suorum laborum præmiū est, & merces. Propter hanc hæreditatē, omnia alia mūdi bona contemnit ac pro nihilo habet. Ita vt posset dicere patri quod quōdam Abrahæ victori dicebat rex Sodomorū: da mihi animas cętera tolle tibi. Tolle vitam, honorem, bona omnia quæ externa sunt, dum modo animæ mihi seruentur. Hæc enim est hæreditas mea, hoc, regnum, hæ, diuitiæ. Hic est pastor ille verꝰ qui apud Ioannem de seipso ait: Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meę: & animam meam pono pro ouibus meis. Hic est de quo Deus pater etiam ait per Zachariam: percutiam pastorem, & dispergentur oues. Quem locū Christus de seipso apud Matthæum interpretatur. Et apud Ezechielem (suscitabo, inquit, super ea pastorem vnum, qui pascet ea pastorem meum Dauid, ipse pascet ea, & ipse erit eis in pastorem. Quæ non de Dauide, qui à vita migrauerat, sed de Christo dicuntur, cuius multis in rebus Dauid imaginē gerebat. Ideo Apostolus de Christo disserens in episto. ad Hebrę. eum pastorem magnum appellat, & D. Petrus eum in epistola sua principem pastorum vocat. Non se vocat in his locis iudicē, quia non venit vt mūdum iudicaret: non ducem belli, quia pācem diligit, qui, vt nos patri reconciliaret, se salutarem hostiam deuouit atque constituit, vt inimicitias inter Deū & hominem depelleret, genusque humanum à mortis faucibꝰ sua morte liberaret. Nō se vocat in his locis regem, quia videtur hoc nomen timorem inducere, atq; honorem potentiamque significare. Ipse enim titulos honorificos non appetebat. Nam vt ipse ait, non venit ministrari, sed ministrare. Ipse nos docuit Christianam philosophiam in humilitate consistere. Vocat se pastorem, rem abiectam, vult vilem ac contemptum titulū sibi vendicare, non qui nos terreat, sed qui nos consoletur: non quo nos ducat in obliuionem,

Gen. 14. d

Ioan. 10.

Zach. 13.

Ezech. 34.

Heb. 13.

1. Pet. 5.

Ioan. 5.

Matth. 20

A sed quo nobis in memoriam redigat labores, quos tulit pro nobis: nostram vult vtilitatē, & salutē. Cū esset Deus, indutus est veste lanea ex ouibus sumpta. Sumpsit naturam nostrā ne ab eo fugeremus, ne oues exterrerentur. In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, vt de Christo ait ad Philippenses sanctus Apostolus, O immensum amorem, ô admirabilem pietatē huius diuini pastoris. Quis non illū sequetur? Quis illū non diliget? Derelinquamus diabolum & sequamur Christum. Oues simus nō hirci.

Philip. 2.

B ¶ Illud est præterea hoc in loco animaduertendū, ob eā causam Deū nobis nomē ouiū imposuisse, vt infirmitatis & imbecillitatis nostrę nos admoneret. Oues enim nec se sciūt defēdere, nec in fugā cōiicere, & nisi sit pastoris præsidiū, facile à lupis rapiuntur, & trucidantur. Sic nos nisi à Deo protegamur, facilē à dęmonio interficimur. Est præterea ouis animal mitte, subiectum, humile, innocens, vtile, lana, lacte, & carne. Et tales debēt esse Christiani. Oues sint non hirci, non vulpes, non tauri, non vrsi, non leones.

Quare nos oues vocamur.

C ¶ *Et si perdiderit vnam ex illis, &c.* Hæc erat ouis illa de qua olim prędixerat Esai. c. 27. & erit, in die illa, clangetur in tuba magna & venient qui eiecti fuerāt de terra AEgypti, & adorabunt Dñm. Vbi septuaginta verterunt: & venient, qui perierant in AEgypto. Hi quidē significantur per ouē istā errantē, quæ perierat, quam Christus quęsiuit, & suis humeris reportauit. Hi perierāt in AEgypto, hoc est, in errorū ac vitiorū tenebris. AEgyptus enim caliginē significat, quæ peccatores circunfundūtur. Nā vt corpus occidente

Ouis quæ perierat nos sumus

Esai. 27.

D sole tenebricosum manet, sic animus gratiæ splēdore destitutus in medio cæcarū tenebrarū versatur. Hæc etiā est ciuitas illa quæ perierat, & quęsita à Dño est: de qua idē vates ait. Tu autē vocaberis quæsita ciuitas: Et nō derelicta. Si Christꝰ nos quæsiuit ergo antea perditi eramus, venit ergo ille, qui est vera via, vt eos ad cœlū perduceret. Vnde D. Petrus in prima sua epistola ait: Eratis sicut oues errātes, sed conuersi estis nunc ad pastorem, & Episcopum animarum vestrarum.

Esai. 62.

1. Pet. 2.

¶ Interim

¶Interim tamen obserua, pastorem hûc ouem perditam quæsisse, & inuẽtam humeris imposuisse: donec gregi iungeretur. Sic ergo nisi pastor cœlestis animam peccatis errantem quærat, atque suis humeris, hoc est, sua gratia ad gloriam perducat: minime poterit redire. Idcirco Dauid dicebat: Erraui sicut ouis quæ perijt, quære seruum tuum. Nisi respexisset Dominus Petrum, egressus foras non fleuisset amaré. Quare lachrymæ illæ à Christo oculis fuerunt eductæ. Nisi Elisæus olim posuisset oculos super oculos, & manus super manus, ac pedes supra pedes pueri: minime reuixisset. Nisi idẽ faciat verus Elisæus neque peccator flere, neq; bené operari rectaque incedere: nec deniq; reuiuiscere poterit. Nisi idẽ Propheta superposuisset manus suas manib9 regis Israel, iacere sagittã, atq; scopũ attingere rex ille non potuisset: itaque ob manus Prophetæ rex vincere inimicos potuit: sic nos ob Christi manus superpositas manibus nostris, diabolum deuincimus. Ob Christi gratiam, vim ac virtutẽ: mundum, carnem, & diabolum superamus. Huius typus erat splendor ille cœlestis qui in conuersione Pauli circunfulsit. Figura etiam huius erat pallium Eliç, missum super Elisæum: vt illum sequæretur. Dei splendore atque pallio cœlesti egent peccatores, vt conuertantur: atq; mundo contempto Deũ sequantur. Ideo precabatur Dauid Dominum: auerte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua viuifica me.

Vt peccator ad ouile redeat eget humeris Christi. Psa. 15.

Matth. 26

4. Reg. 4. Figura.

4. Reg. 13. Figura.

Acto 9. Figura.

3. Reg. 19. Figura.

Psa. 118.

¶*Et cum inuenerit eam imponit super humeros.* Ecce quod iam olim prædixerat Esaias. c. 40. sicut pastor gregem suũ pascet: in brachio suo cõgregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fætas ipse portabit. Contemplare hanc Dei nostri pietatem, & mansuetudinem, non dispergit oues & errare facit, sed congregat & adunat easque errantes ad gregem ducit, in sinu suo leuat, & humeris asportat. O diuinum pastorem, ô cœlestem Pontificem. O immẽsum amorem, atque admirabilem pietatem huius diuini pastoris, & infinitã charitatis abundantiam. Quis non desiderabit se esse ouem talis pastoris? Nam qui veræ oues sunt, ne timeant, ipse enim est qui pascit & tuetur: qui quærit, & inuenit: & super humeros imponit. Ideo dicebat Dauid in Psalmo illo pleno fiducia Dei: Dominus regit me, aut vt litera Hebraica habet, Dominus pascit me, & nihil mihi deerit, in loco paschuæ ibi me collocauit, super aquas refectionis educauit me. Nec mirum est, si ipse nos modo pascat, nam nos suo sanguine emit. Et quoniam ille pro nobis dedit vitam, & tulit alapas, flagella, cruciatus acerbissimos, & indignissimas contumelias, ideo non est mirandum si nos cõgregat suis brachijs, & leuat in sinu, & humeris imponit: cum tã carẽ nos emerit. Empti enim estis pretio magno, ait Apostolus in epistola prima ad Corinthios, atque hoc idem erat quod idem vates Esaias prædixerat. c. 9. cum de hoc diuino pastore loquebatur dicens: Factus est principatus super humerum eius. Principatus Christi nos sumus, quos super humeros suos posuit vt nos ad cœleste ouile atque ad gloriã beatorum spirituum asportaret. Genus hominum ibi per principatum intellectũ hoc in loco ouis quç perierat appellatur, quã Christus inuenit, & super humeros adduxit. Eramus perditi, in vitiorum errorib9 & saltibus errantes, non poteramus viribus nostris à tantis malis liberari, venit pastor iste clementissimus Deus noster, posuit nos super humeros suos, vt é valle miseriæ ad montem visionis diuinæ perduceret, vbi ipso in placidissima tranquillitate frueremur. At nos ab eius humeris discedimus, eum fugimus, & iterum scelerum syluas peragrantes terrena quçrimus, mundi voluptates concupiscimus, & ea, quæ cœlestia sunt & immortalia, non curamus. Sed ipse tam benignus est, vt nunquam cesset quærere omnes nos: nunquam electos suos penitus derelinquat: sed quærat & inuentos super humeros ponat. Hoc præterea erat multo ante in Exodi libro figuratũ. Est enim ibi memoriæ proditum sacerdotẽ, ex iussu Dei portauisse in humeris super pectus suũ, nomina filiorum Israelis scripta in lapidibus pretiosis. Quibus verbis voluit scripturã significare, fore, vt summus ille sacerdos

Esai. 40.

Pietas pastoris christi cõmendatur.

Psa. 22.

1. Cor. 6. & Esai. 9.

Principatus Christi nos sumus.

Exo. 28. Figura.

cerdos & pontifex, animarũ pastor, Christus Deus noster, factus homo, subditos suos in humeris super pectus suum portaret, & ouem veheret ad gregem, quæ antea perierat. Erant hæc nomina scripta non atramento, quod posset deleri, sed stylo ferreo. Vt intelligāt omnes euangelici pastores & præsules, debere se in animo subditos suos portare, nullamq; esse rem, quę tātam vim habeat, vt possit subditorum memoriam ex eorum animo delere. In lapidibus pretiosis intelligant quàm charas Christus habet oues suas, & quanto amore debent ipsi præsules suos subditos prosequi, pro quibus debeant, si opus fuerit sanguinem suum fundere. Ideo summus sacerdos hos pretiosos lapides, non in dorso, sed in pectore, & in corde gestabat: vt posset eos semper aspicere, & ante oculos habere, quos charitate diligebat. Hinc discant pastores non debere ab ouibus abesse, sed eas videre, visitare, & cognoscere: & earum necessitatibus consulere, easq́ue verbo & exemplo docere. Sed quid nunc dicam de pastorum sęuitia? Pro eo (ait Dominus Ezechie. 34.) quod lateribus & humeris impingebatis, & cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec disperegerentur foras: saluabo gregem meum. Expende quęso pastorem & pastores. Ille super humeros portat, isti humero eas impellunt, ille sinu suo fouet, isti latere suo excutiunt, ille fœtas ducit, isti cornibus ventillant, ille congregat, isti dispergũt: aduerte sacerdotem veteris legis solum nomina super humeros & pectus portasse: nouæ verò legis pastor, reipsa nostram ouem super humeros portat: vt scias vmbram præcessisse veritatem. Scias etiam ipsum esse dilectum illum atq́ue ouem esse dilectã illam quorũ admirati superni spiritus dicebant: quæ est ista quæ ascendit de deserto delicijs affluens, innixa super dilectum suum. Non enim solum angeli in manibus portant oues, ne offendant in lapidem: secundum illud Psalmographi: quoniam angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis, in manibus portabunt te, &c. sed ipse est qui eas humeris suis imponit. Po-

Ezech. 34. a.

Discrimen inter Christum verũ pastoré, & alios pastores non veros.

Can 8.

Psa. 90.

A fuit enim Dominus in eo ait Esaias, iniquitatem omnium nostrũ. Ipse enim est qui apud Psalmistam ait: Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores. His humeris & non alijs egebat ouis quæ errauerat vt gregi iungeretur. Solus est Dominus Iesus ille pastor bonus ac summe bonus, qui collapsum genus humanum patri reconciliauit: portans humeris suis eius peccata, baiulans nostra scelera in corpore suo, de suo dependens, quod nos cõmeruimus. Hic est verus ille Rex Saul

B qui stat in medio populi Dei, & altior est vniuerso populo ab humero & sursum. Hic est quem elegit Dominus cui nullus aut hominum aut angelorum similis inueniri poterit. Humeros enim habet quibus potest onera subditorum ferre. Bonus sané hic est pastor, qui cum clamore valido & lachrymis fert humeris suis ouem & eam patri offert, exauditurq́ue ab eo pro sua reuerentia. Fert illam & imponit capite spinis conserto. Hic est verus ille Dauid, de quo Dominus apud Esaiam olim dicebat: Dabo clauem Dauid super

C humerũ eius. Clauem domus Dauid appellat curam pastoralem, & prælationem quæ claui merito comparatur, quoniam suo modo aperit subditis ostiũ cœli, quãdo præsul vita, doctrina & exemplo instruit suos. Sed mirandum quidem videtur, cur Deus dicat daturum seruo suo clauem hanc super humerum, cum clauis non in humero, sed in manu, aut in corrigia, ex cingulo pendente soleat portari. Quæ est hæc clauis tam grauis? Quid est hoc tantum pondus, vt non in manu, sed

D in humeris baiuletur? At si volueris animo celeriter circumspicere, videbis planè non solum hanc clauem humeris quibuscunq́ue indigere, sed validissimis & integerrimis. Hoc est, humeris Christi. Quid est enim grauius quàm animarum gubernatio? Ideo enim hæc clauis non in manu prælatorum ferenda dicitur, sed in humeris, vt animaduertas, summaque consideratione perpendas, quanti ponderis & laboris sit animarum prælatio atq; cura. Præsul ille, quem Deus constituit & eligit, clauem in humero baiulat: ille autem qui ab hominibus eligitur nõ vocatus

Esai 53.

Psa. 128.

1. Reg. 10.

Esa. 22. f

Cur dicitur Christus portare clauem Dauid in humeris & non in manu aut cingulo.

catus à Deo tanquam Aaron, non in humeris sed in manu, & ad collum velut ornamentum & monile eam portat, non pódus magistratus & præfecturę curans, nec laborem, sed solum dominationem, honorem & dignitatem. de talibus pastoribus ait Deus per Osæam: ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt & non cognoui. Non sic Christus qui ouem humeris portat, qui clauem humeris fert. Non sic diuinus hic Iacob cuius imaginem gerebat Iacob ille qui dicebat: ego damnum omne reddebam: quicquid furtim perierat à me exigebas, die noctuque æstu vrebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis. Sicut enim hic bonus pastor omne damnum quod inferre solent oues, reddit ac soluit: sic pastor hic cœlestis omne damnū suæ ouis, quæ perierat, æquo animo in cruce soluere voluit. Et quemadmodum bonus parens omnes iniurias à filio alijs illatas soluit: sic Christus, iniuriam, quam hominū genus intulit Deo, suo sanguine persoluit. Vt hinc intelligant parentes ecclesiæ quanto labore comparare ac sibi vsurpare debeant præfecturæ nomen. Intuere obsecro quanta D. Paulus Ecclesiæ Doctor & pastor pro ea passus sit. Periculis, inquit, in mari, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, &c. Quis infirmitatur & ego non infirmor? Quis scandalizatur & ego non vror? Bonus hic pastor solicitus cursitabat ad ouē quę perierat, neque conquiescebat donec inueniret. Et inuentam gaudens exēplo principis pastorum imponebat eam humeris suis solicite de sua salute curando. Sed omnium rerum quidem vicissitudo est. Ecce pondus pastorū, & onus prælatorum, & labor magistratuum ecclesiæ, in otium, in requiem, in delicias & carnis luxus ac voluptates versus est. Et voluptas, requiesque ouium in laborem & onera conuersæ. Peccata populi mei, ait Dominus apud Osæam, comedent sacerdotes: & iniquitatem eorum subleuabunt animas eorum. Ac si diceret: hostiā oblatam pro peccato populi mei comedunt. Et cum populus meus, siue qui debebat esse meus, peccat, gaudent: attentoque

Osee. 8.

Gen. 31.

2. Cor. 11.

Osee. 4. b

A animo sunt, quia ex ea iniquitate sperāt lucrum, nempe hostias quæ offeruntur pro illo peccato. Itaque nō iam onus populi humeris imponebant, preces ac lachrymas pro eis fundēdo, sed potius maxima lætitia afficiebantur, cum populus peccabat: unde lucri occasionem sumentes. At præsules veri non his, sed potius Christo Domino similes esse debent: qui humeris imponant ouem. Similes etiam bobus illis, qui ferebant arcam Domini vsque ad Bethsames: qui gradiebantur

B pergentes & mugientes. Præsules enim virtute prǽstantes vaccæ sunt, quæ non recedunt à via ad gloriam ducente. Bethsames enim significat domum solis. Hæc est cœlestis gloria domus illius solis sempiterni, qui homines illuminat. A via ergo quæ ad domum hanc ducit pij præsules non deuiant, portantes arcam Domini: hoc est, viuentes secundum euangelicam doctrinam, qui nullis subditorum mugitibus à Dei obsequio reuocantur, sed potius dolentes & ægre ferētes, quod filij eorum spirituales non eos imitentur

C & sequantur in via Dei. Mugebant vaccæ sentientes onus, mugire debent prælati ægré ferentes onus præfecturæ. Qui enim propter hanc causam dolent pondus portatu difficile sentiunt, Intelligūt sané qui huiusmodi sunt, quanto periculo sint expositi, quam etiam graue onus sit animas regere, atque secundum diuinas leges ad cœlum vsque perducere recta via. Qui enim onere præfecturæ nō mugent, onus non sentiunt. Hi sunt de quibus olim apud Esaiam dicebat Dominus. Dormientes & amantes somnia. Per

D somnia rerum humanarum gloriam inanem & somnio similem intelligit. Tales sunt præsules vanitati dediti, qui suas dignitates non ad populi vtilitatem referunt, sed ad suam vanitatem & arrogantiam. Væ illis, væ illis, quoniam dignitates ad suam propriam perniciem quæsierunt. Vt enim vermiculus sericarius admirabili labore & industria conficit sericum & nesciens cōstruit casulam, in qua constructa commoritur, & suū propriū sepulchrum condit, sic qui dominādi cupiditate inflammati falsos honores varijs mo-

1. Reg. 6. c

Esai. 56.

Simile.

modis & artificijs quęrunt, sibi ipsis nescientes infamem æternamque perniciē machinantur. His omnibus qui eiusmodi sunt continget quod olim dicebat dominus apud Esaiam sobnæ præposito templi. Quid tu hic? Aut quasi quis hic? Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus: Ac si diceret: quid tu agis hic in templo Dei: cum sis sceleribus addictus. Tu existimas esse tu hic perpetuò mansurum, at longè falleris opinione. Deus enim te hinc proijciet, & tam facilè in æternam & miseram illam captiuitatem adduceris, quàm facilè asportatur gallus gallinaceus ligatus & sine labore. Hi sunt canes muti nō valentes latere. Canis enim mutus nullius est frugis aut emolumenti. Hi quibus regendi gregem Domini cura committitur, debent latrare, & lupos abigere, arguere, obsecrare, increpare, in omni patientia & doctrina. Vide quæ Dominus apud Ezechi. ait. cap. 3. Debent quidem plura ora habere, quàm ea, quæ fingunt habuisse hydram, & pluribus oculis videre illis, quibus antiqui argum abundasse fictis fabulis prodiderunt. Eusebius in libro de præparatione euangelica refert Diodorum Siculum dicentem, solem fuisse ab AEgyptijs vocatum Osirim, hoc est, multos oculos habentem, cui princeps siue præsul comparatur. Sciant ergo prælati omnes, non ad otiū, sed ad laborem, non ad requiem sed ad onus ferendum, esse à Deo vocati. Væ ergo illis, qui nimis se indulgent.

Esai. 22.

Ezech. 3.

Eusebius

¶ *Gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agenti.* Celebris valde nobis esse debet dies, qua ex seruis diaboli, in Dei seruos asciscimur. Vnde antiqui solebant diem circuncisionis celebrare, quoniam eo, à peccato originis, mundus puer, militiæ diuinæ, & populo Dei aggregabatur. Sic & angeli in cœlo celebrare solent nostram cōuersionem. Hoc figurabat celeberrimus dies, quo eductus est populus Israel ex AEgypto, è domo seruorū. Exo. 13. Mementote, inquit, diei huius in qua egressi estis ex AEgypto, &c. ¶ Obserua tamen hoc gaudium de conuersione peccatoris, in cœlo contingere: non in terra. In terra namq; potius est gaudium & lætitia de offensa peccatoris, in cœlo lætantur angeli cum peccatores benefaciunt: in terra lætatur mūdus quum malefaciunt: exultant in cœlo angelici spiritus in reb9 optimis: exultāt in terra peccatores in rebus pessimis. Contristatur mundus, cum gaudio perfruuntur angeli. Gaudet mundus, cum cœlum tristatur. Gaudet terra quū videt peccata cōmitti: & tunc contristatur cœlum. Gaudet cœlum cum videt peccatores conuerti: & tunc maximo mærore & mestitia afficitur terra. Atque hoc erat quod Dominus prædixerat suis: mundus autem gaudebit: vos verò contristabimini. Vnde Abac. cap. 3. ait: Exultatio eorū sicut eius, qui deuorat pauperem in abscōdito. At iusti de peccatis in Deū cōmissis maximè dolent: summè tristantur, miserè flent. Gaudium itaq; verum est Deo seruire: tristitia autem maxima, illū offendere, legem eius transgredi, mādatis suis non parere. Ob quā causam iusti flere nō cessant. Memineris Christi amarè flentis super ciuitatē Hierusalē: memineris eiusdem infremētis, atq; turbantis seipsum: lachrymasque innumeras fundentis, ob mortem Lazari. Vtrobiq; enim peccata deflebat: idcirco tam amarè lachrymabatur. Memineris deniq; peccatricis, apud nostrū Lucā, ad pedes dñi tot lachrymas ob cōmissa crimina fundentis, vt flueret ab oculis eius tanquam duo flumina. Vt hinc intelligas quāto dolore ac mærore, quātaq; tristitia, quot irremediabilibus lachrymis affici debeat anima, quę peccauit: quādo cœlū flet, atq; cōtristatur. Quare si peccasti, amarè flere te oportet: quousq; dicas cū Hieremia: Oculus meus afflictus est, nec tacuit eò quod nō esset requies. Donec respiceret & videret Deus de cœlis. Imò quousq; dicas, quod statim addit idē vates: Oculus meus depredatus est animā meam. Vbi alij vertūt oculus meus dolorē facit animę meæ. i. plus fletu quam omnes filię vrbis meæ. Vnde Chaldæus paraphrastes ait. fletus oculi mei ascendit vt noceat animę meæ. Tāto enim mærore & fletu affici solent iusti, vt flēdo vitam finire, atque eam præ lachrymis exala-

Celebris valde nobis esse debet dies qua ex seruis diaboli in dei seruos asciscimur

Exo. 13.

In terra potius esse solet lætitia de casu peccatoris, in cœlo verò gaudiū de pœnitētia eius.

Ioan. 16. d

Abac. 3.

Infra. 19

Ioan. 11. d

Supra. 7

Threni. 3

exalare & liquefacere videantur. 2. lib. Reg. cap. 12. refertur post mortem pueri filij Dauidis surrexisse Dauidem de terra, ac lotum & vnctum, mutasse lugubrem vestem: ac venisse in domum suam lætũ, & comedisse appositum sibi cibum. Ac cum egressus est ciuitatem post conturbationem Absalomnis, tristis ac lachrymas fundens egreditur. Quo significare volebat non tam mortem corporalem pueri: quàm mortem spiritualem Absalomnis esse deplorandam, dolendam atque defléndam. ¶ Præterea obserua, quod ouis redire non poterat, nisi pastor humeris suis reuexisset, atque ideo sanctorum chorus applaudit bonitati diuinæ, non inuidens alteri, quod in se quisque expertus est: & omnium commune ducens, quod vnicuique membro cõtigerit, seu boni, seu mali. Æquum autem est, esse totius ecclesiæ communem lætitiam, quum mæror & solicitudo fuerit omnium communis. In cœlo ergo, hoc est, in ecclesia, quæ cœlũ regnumque cœlorum est: gaudium est super vno peccatore pœnitentiam agẽti.

2. Reg. 12.

2. Reg. 15

¶ *Gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agenti.* Quàm vtilis, quàmq; necessaria sit pœnitentia docet hic locus, quando angeli tanto gaudio perfruuntur, videntes peccatorem ad se redire: atque de male commissis grauiter dolere. Dole igitur, & cõtere si peccasti, cor tuum: si gregi cœlesti iũgi desideras. Obserua tamen quod est duplex contritionis dolor, vnus intellectualis, qui est displicentia voluntatis, alter vero sensualis, qui producitur à primo. Sed horum dolorum primus est de contritionis essentia. Vt enim voluntatis complacentia requiritur & sufficit ad peccatum: sic volũtatis displicentia requiritur & sufficit ad contritionem. Nam vnumquodq; vt ait Chryso. per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur. Et oportet vt peccatum summé displiceat: quo amor proprius in Dei amorem conuertatur. Si in succensam fornacem ligna arida & sarmenta incendio apta conieceris, resplendebit pura ignis flamma, sin autem conieceris ligna viridia, & iuncos palustres, ardebunt quidem: sed tota fornax erit fumo repleta, & denigrata, ob caliginem é fumi densitate productam. Sic cor nostrum fornax est semper ardens, si illud cogitationibus amoris diuini nutrieris, splendebit flamma charitatis, si autem illud cogitationibus amoris tui foueris, totum fumabit, eritque cœca obscuritate circunfusum. Euanuerunt in cogitationibus suis, inquit Paulus, & obscuratum est insipiens cor eorum. Fons & origo omnium malorũ & centrum vnde lineæ flagitiorum omnium dimanant, est amor inordinatus sui. In lib. 14. ciuita. Dei ait Augustinus in hunc sui amorem prius adamum incidisse, quàm pomum prohibitũ comederet. Hi duo amores vt ait Augustinus, duas ciuitates condiderunt, amor Dei Hierosolymam, amor sui Babylonẽ. Hic amor proprius est ille, de quo ait Christus apud Ioan. qui amat animam suam, perdet eam. Et Paul. ad Timo. erũt in nouissimis temporibus homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi. Et ad Roma. debemus firmiores, imbecillitates infirmiorum sustinere, & non nobis placere. Et D. Petrus in episto. 2. eos, qui sui amore ducuntur, iniquos appellat, audaces, sibi placentes. Nulla est verior miseria, quàm suam non cognoscere miseriam. Contra vero pœnitentes sibi displicent, dignosque se esse grauissimis cruciatibus arbitrantur. Sed quô imperfectiores se esse existimant, eò propius ad perfectionem accedunt. Hæc namq; est magna perfectio suæ imperfectionis cognitio. Hi torquentur dolore ob commissa peccata, & repudiato nimio illo sui amore, ardenti Dei amore incenduntur. Et tunc gaudium non minimum est in cœlo, ac lętitia non parua, ob istorum perfectam pœnitentiam (quæ suadet de pręteritis propter Deum summé dilectum dolore & in posterum sibi cauere) eo quod per pœnitentiam hanc renouantur peccatores. Quemadmodum enim aquila, vt aiunt, renouatur aquis: ita anima lachrymarum abundantia, aut cordis pœnitentia. Tunc enim Dominus cor mundum creat in eis, & spiritum rectum innouat in visceribus eorum. Quæ spiritus nouitas est animi puritas & vis illa, per quam ni-

Pœnitentia cõmendatur.

Duplex dolor contritionis alter intellectualis, alter sensualis Primus est necess. peccatori. Chryso.

Simile.

Rom. 1.

Augusti.

Ioan. 12.
2. Tim. 3.

Rom. 15.

1. Pet. 2.

Simile.

Psa. 50.

nihil nisi rectum & sanctum desideratur. Vt oliuæ vbi sunt perticis concussæ, & virgultis omnibus confractis, amittunt pulchram amenitatem: nisi pullulauerint, & nouis surculis atque ramulis germinauerint, & denuo fronduerint, infructuosæ manent: sin autem syluescunt & germina emittunt, spem tribuunt vberrimos fructus producẽdi: sic homines post peccatum, nisi instaurentur spoliãtes veterem hominem, cum actibus suis, & induentes nouum, steriles iudicantur: sin autẽ spiritu nouo germinauerint & per pœnitentiam fleuerint, fuerintque in Christo renouati, pulcherrimos virtutũ fructus ferent, & vberrimarum baccarũ copia exornabuntur. Aspice oliuam illã post peccatum adulterij & homicidij per pœnitentiam virescentem, lætissimorũque fructuum pulchritudine abundantem, quo modo dicebat in Psal. ego sicut oliua fructifera in domo Dei. Et ecclesiasticus virum iustum comparat cum oliua pullulante. Quãdo igitur hos fructus affert secum pœnitentia meritò gaudent angeli videntes peccatores pœnitere.

Simile. — Psa. 51. — Eccl. 50.

¶ *Gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agenti: quam super nonaginta nouem iustis qui non indigẽt pœnitentia.* Obserua: quod noua hic ratio lætitiæ significatur non maior. Pœnitentia enim peccatoris specialis est causa lætitiæ angelorum, quæ in iustis non egentibus pœnitentia locum non habet. Sed non propterea pœnitẽtia peccatoris præferenda est iustitiæ & sanctitati illorum. Quemadmodum nec ratio specialis gaudendi de illo, qui maximum aliquod periculum euasit, aut é morbo in salutem restitutus est, præfert eum, alijs qui aut in periculo non fuerunt, aut nullo morbo laborauerunt. Vnde D. Cyprianus hæc verba explicans in lib. de duplici martyrio sic ait. Nec tamen hoc sic accipiendũ est, quasi Deo, & eius angelis, gratius sit post lapsum redire ad pietatem, quàm citra lapsum perseuerare in innocentia: sed scriptura suo more loquitur secundum affectus humanos, illud testatum esse volens, Deo gratissimam esse peccatorum conuersionem. Non enim quærit mortẽ

1. sensus. — D. Cypri. de duplici martyrio.

A peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. Atque interdum piorum hominũ lapsus, quamuis enormes: diuina dispensatione vertuntur in summum ecclesiæ profectum. Sic lapsus est Apostolorum princeps, sic Paulus gentium Doctor, sic Maria Magdalene, quibus nunc ecclesia præcipué gloriatur, quorum lapsus cesserunt in stabilimentum ac solatiũ domus Dei. Hæc ille. Secundo hunc locum explicare possumus non de ijs, qui veré sunt iusti, sed de ijs, qui habentur atque sibi videntur iusti, quales erant pharisæi qui as-

2. sensus.

B pernabantur notos peccatores ob obseruantiã legis. Vnde idem Cyprianus ait: Præterea non hic loquitur de veré iustis, sed de iustitia pharisaica, quemadmodũ alibi dicit: non est opus sanis medico, sed male habentibus. At non erant sani quibus hoc dicebat Dominus, sed legis qualiacunque obseruatione tumidi, sibi videbantur sani, & ideo non desiderabant medicum. Hæc ille. Quamquam enim nullam Christus reperit nationem, quæ non esset multis peccatis obnoxia, tamen Iu-

Idem Cyprian.

C dæi ad cæteras gentes collati, videbantur habere speciem iustitiæ, quod Deum vnum colerent, quod legem à Deo traditam obseruarent. Et erant inter Iudæos, qui præceptorum legalium tenaciores, sibi videbantur non egere pœnitentia. Sed horum iustitia minus attulit gaudij pio pastori, atque angelis eius, quàm gentes à maximis ac manifestis criminibus resipiscentes, ab idolatrijs, ab adulterijs, à libidinibus prodigiosis. Et inter Iudæos magis illustrauit Dei misericordiam Paulus, ex persequutore factus Apostolus,

D quam si Christum tacitus cum suo iudaismo miscuisset: quod à multis tunc factũ est. Sed de hoc gaudio inferius etiam dicemus ex Augustino. Tertio tandem nota, multoties plus multo de cõuersis peccatoribus quam de veré iustis stantibus, in cœlo gaudere angelos: quia plerũque, inquit Gregorius, hi, qui nullis se oppressos peccatorum molibus sciunt: stãt quidem in via iustitiæ: sed tamẽ ad cœlestem patriam anxie non anhelant: & plerũque pigri remanent ad exercenda bona præcipua, quia securi sibi sunt quod nulla com-

3. sensus. — D. Grego. hom. 34. in euangelia.

commiserint mala grauiora. At contrà, nonnunquam hi qui se aliqua illicita egisse meminerunt, ex ipso suo dolore compuncti ad amorem Dei inardescunt. Et quia errasse se à Deo considerant, damna præcedentia lucris sequentibus recompensant, maius ergo gaudium fit in cœlo, quia dux in prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reuersus hostem fortiter premit: quàm eum, qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter fecit. Sic agricola illam amplius terram amat, quæ post spinas, vberes fruges profert: quàm eam, quæ nunquam spinas habuit, & nunquam fertilem messem producit. Sed inter hæc sciendum est, quia sunt plerique iusti in quorum vita tantū est gaudium, vt eis quelibet peccatorum pœnitentia præponi nullatenus possit. Hinc ergo colligendum, quantum Deo gaudiū faciat quando humiliter plangit iustus, si facit in cœlo gaudium, quando hoc quod male gessit per pœnitentiam damnat iniustus. Hęc ille hom. 34. in hoc euangelium. ¶ D. etiam Augu. lib. 8. confessio. c. 3. proponens hanc eandem quęstionem & tandē eam in. 4. cap. definiens sic ait: Deus bone quid agitur in homine, vt plus gaudeat de salute desperatæ animæ, & de maiore periculo liberatæ quàm si spes ei semper affuisset, aut periculum minus fuisset? Etenim tu quoque misericors pater, plus gaudes de vno pœnitente, quàm de nonaginta nouem iustis, quibus non est opus pœnitentia. Et nos cum magna iucunditate audimus, cū audimus: quam exultantis pastoris humeris reportetur ouis quę perierat, & drachma referatur in thesauros tuos, collætantibus vicinis mulieri quę inuenit: & lachrymas excutit gaudium solemnitatis domus tuæ, cum legitur in domo tua de minore filio, quoniam mortuus erat, & reuixit, perierat & inuentus est. Gaudes quippe in nobis & in angelis tuis sancta charitate sanctis. Nam tu semper idem, qui ea quæ non semper nec eodem modo sunt, eodem modo semper nosti omnia. Quid ergo agitur in anima, cum amplius delectatur inuentis aut redditis rebus quas diligit, quam si eas semper habuisset? Contestantur enim cætera, & plena sunt omnia testimonijs clamantibus, ita est. Triumphat victor imperator, & non vicisset, nisi pugnauisset. Et quanto maius periculum fuit in prælio, tanto maius est gaudium in triumpho. Iactat tempestas nauigantes, minaturq; naufragiū, omnes futura morte pallescūt. Tranquillatur cœlum & mare, & exultant nimis, quoniam timuerūt nimis. Æger est charus, & vena eius malum renunciat, omnes qui eum saluum cupiūt, ęgrotant simul animo. Fit ei rectè & nondum ambulat pristinis viribus, & fit iam tale gaudiū, quale non fuit cum antea saluus & fortis ambularet. Easque ipsas voluptates humanę vitę etiam non inopinatis & præter voluntatem irruentibus, sed institutis & voluntarijs molestijs homines acquirunt. Edendi & bibendi voluptas nulla est, nisi præcedat esuriendi & sitiendi molestia. Et ebriosi quædam salsiuscula comedunt, quo fiat molestus ardor, quem dum extinguit potatio, fit delectatio. Et institutum est vt iam pactæ sponsæ non tradantur statim, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspirauerit sponsus dilatatam. Hoc in turpi & execranda lętitia, hoc in ea quæ concessa, & licita est, hoc in ipsa syncerissima honestate amicitiæ, hoc in eo qui mortuus erat & reuixit, perierat & inuentus est, vbiq; maius gaudium, molestia maior præcedit. Quid est hoc Domine Deus meus? Cum tu æternum tibi tu ipse sis gaudium, & quædam de te circa te semper gaudeant? Quid est quod hæc rerum pars alternat defectu & profectu, offensionibus & reconciliationibus? An is est modus earum, & tantum dedisti eis, cum à summis cœlorum vsque ad ima terrarum, ab initio vsque ad finem seculorum, ab Angelo vsque ad vermiculum, à motu primo vsque ad extremum, omnia genera bonorum, & omnia iusta opera tua suis quæque sedibus locares, & suis quæque temporibus ageres? Hei mihi quam excelsus es in excelsis, & quam profundus es in profundis, & nusquam recedis, & vix redimus ad te. Age Dñe & fac, excita & reuoca nos, accende & rape.

Simile. Simile. August. 8. confes. c. 3 & 4. Quod deus & angeli magis gaudēt in peccatorum conuersione. Simile. Simile. Simile. Simile. Simile. Simile.

pe, flagra, dulcesce, iam amemus & curramus. Lege etiam quæ Augu. addit. c. 4.

¶ *Aut quæ mulier habens drachmas decem si perdiderit vnam, &c.* Mulier ista Ecclesia est, drachma sumus nos. Cum autem nos ipsi simus Ecclesia, aperte concluditur nos quærere atque inuenire nos ipsos, qui perditi eramus. Sed fieri non potest, vt quæramus nos ipsos, nisi nos esse perditos intelligamus. Primus quidé gradus salutis est cognoscere nos ipsos, & videre vnde exciderimus. Hac ratione ducti antiqui dicebant hanc sententiam, cognosce te ipsum, non humanam esse sed diuinam, nec esse mortali alicui, sed Deo ipsi tribuendam. Vis redire ad cor, cognosce te ipsum. Cogita & tecum ipse reuolue, & interroga hæc omnia te ipsum: ego vbi sum? Quomodo viuo? Quid ago? Quid spero? Quid desidero? Quid erit si sic moriar? Quo ibo? Et quas tandem pœnas meorum scelerum persoluam? Ex huius considerationis defectu nascitur humanorum flagitiorum colluuio. At nos vt alios cognoscamus, nos ipsos cognoscere negligimus. Vt enim sartor occupatus aliorum vestibus sarciendis, suas habet scissas, sic multi impediti in aliorum vita cognoscenda suam ignorant, inquirunt aliorum mores, volunt alienas cogitationes, intentiones & consilia diuinare, seipsos autem dereliquunt, & à corde suo peregrinantur. Ideo ait Deus per Ezechielem Prophetam: Fili hominis sume tibi laterem, & pones eum coram te, & describes in eo ciuitatem Hierusalem. Quis est hic later, quæ est hæc terra tam dura & cocta, nisi cor nostrum? Hoc nobis præcipit Deus vt sumamus, & quod extra nos erat, iuxta nos collocemus, & in eo ciuitatem æternam, cœlestem Hierosolymam describamus, vt in ea sit nostra cogitatio collocata & constituta. Et vt qui ab arce sibi à rege tradita egreditur, eamque hostibus tradit aut relinquit, traditor dicitur: sic qui à corde à Deo sibi tradito exit, illudque in manu tyrannici appetitus, cæterarumque indomitarum cogitationum relinquit, præuaricator appellatur. Ideo ait Deus. Præuaricatores redite ad cor. ¶ Obserua secundo quod mulier ista quæ perdiderat drachmam non illam inuenit extrinsecus, sed in domo sua postea quam accendit lucernam, & mundauit domum sordibus & immunditijs, quas longi temporis ignauia & hebetudo congesserat, & ibi inuenit drachmam. Et tu ergo, ait Origenes, si ascendas lucernam, si adhibeas tibi illuminationem Spiritus sancti, & in lumine eius videas lumen, inuenies intra te drachmam: intra te namque est collocata imago Regis cœlestis. Cum enim faceret hominem ab initio Deus, ad imaginem & similitudinem suá fecit eum, & hanc imaginem non extrinsecus, sed intra eum collocauit. Hæc in te videri non poterat, donec domus tua sordida erat, immunditijs & ruderibus repleta. Donec portasti imaginem terreni, Dei imaginem obscurantis. Iam ergo ab illa omni mole & oppressione terrena per verbum Dei purgatus: imaginem cœlestis in te splendescere facito. Hæc ergo imago est, de qua dicebat pater ad filiú. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Filius Dei est pictor huius imaginis. Et quia talis ac tantus est pictor, imago eius, obscurari per incuriam potest, deleri per malitiam non potest. Manet enim semper imago Dei in te, licet tu tibi ipse superducas imaginé terreni, istam picturam tu tibi ipse depingis. Cum enim te libido fuscauerit, induxisti vnum colorem terrenum. Si veró & auaritiæ studeas, miscuisti & alium. Sed & cum te ira sanguineum facit, addis nihilominus & tertium colorem, superbiæ quoque alius additur fucus, & impietatis alius: & sic per singulas quasque malitias, velut diuersis coloribus congregatis, hanc imaginem terreni, quam Deus in te non fecit, tu tibi ipse depingis. Propterea ergo deprecandus est nobis ille, qui dicit per Prophetá. Ecce ego deleui, sicut nubem iniquitates tuas, & sicut caliginem peccata tua. Et cum deleuerit omnes istos in te colores, qui ex fucis malitiæ sumpti sunt, tunc resplendebit in te imago illa quæ à Deo creata est. Hęc ille. Hanc ergo drachmam perditam & spurcitijs obscuratam quærit Ecclesia, hanc &

Marginalia: Mulier, ecclesia dicitur & drachma sumus nos. — Primo gradus salutis est cognitio sui ipsius. — Simile. — Ezech. 4. — Simile. — Esai. 46. — Quo modo drachma est inuenienda. — Orig. ho. 13. in Gen. Drachma est anima nostra quæ est imago Dei. — Gen. 1. — Esai. 44.

& nos ipsi quæramus & pœnitentiam inueniemus & emundabimus.

D. Ambr. in episto. ad Iustum. Drachma dicitur fides.

¶ Obserua tertio ex sententia Diui Ambrosij in epistola ad Iustum in principio: fidem nostram drachmam istam vocari. Interrogas, inquit, me quid significet illud didrachmum cuius dimidium Hebræus præcipitur offerre pro redemptione animæ suæ. Quid enim tam consociabile, quam de diuinis rebus sermonem contexere. Est autem dimidium didrachmi drachma. Redemptio autem animæ fides. Fides ergo drachma, quam illa mulier in Euãgelio, vt legimus, amissam diligenter requirit, lucernam accendens, & mundans domum suam: & si inuenerit conuocat amicas & vicinas, petens congratulari eas secum, quod inuenerit drachmam quam perdiderat. Magnum enim damnum animæ si quis fidem amiserit, vel gratiam quam fidei precio acquisiuit sibi. Et tu ergo accende lucernam tuam. Lucerna tua oculus tuus est, ille interior oculus, scilicet, mentis. Istam lucernam accende, quæ accipit oleum spirituale, & lucet in tota domo sua. Quære drachmam, redemptionem animæ tuæ: quam qui amiserit turbatur: qui inuenerit exultat. Hæc Ambrosius.

Deus habet suos festos dies. Orige. ho. 23. c. 28. super nume.

¶ *Gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.* Hic nota quod habet Deus festos dies suos. Est enim ei magna festiuitas (ait Origines) humana salus. Ego, inquit, puto quod per singulos quosque credẽtium, per singulos qui conuertũtur ad Deũ, qui proficiunt in fide, festiuitas oritur Domini. Quo modo putas lætificat eum, cum is qui fuerat impudicus, fit castus, & qui fuerat iniustus, iustitiam colit, & qui fuerat impius, efficitur pius? Istæ omnes singulorum quorumque cõuersiones, festiuitates generant Deo. Nec dubium autem quin & Dominus noster Iesus Christus, qui pro salute nostra etiam sanguinem suum fudit, agat festiuitatem maximam. Agit festa pariter & Spiritus sanctus vbi plura sibi videt in ijs, qui conuertuntur ad Deum templa præparata. Nam de Angelis quid dicam, ad quorum festiuitatem lætantium dicuntur accedere omnes, qui conuertuntur ad Dominum? Aut non est illis magna festiuitas cum lætantur in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agenti? Agunt ergo etiam Angeli diem festum, lætantes super ijs, qui se fugientes consortia dæmonum, per exercitia virtutum, angelicis se festinant sotiare cõsortijs. Hæc Origenes.

¶ *Sabbato post secundã dominicam. 40.*

Ait autem: homo quidam habuit duos filios, dixit adolescentior ex illis patri: pater: Da mihi portionem substantiæ quæ me cũtingit. Et diuisit illis substantiam. Et non post multos dies congregatis omnibus adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam: & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriose. Et postquam omnia cõsummasset, facta est fames valida in regione illa, et ipse cœpit egere. Et abijt, et adhæsit vni ciuium regionis illius. Et misit illum in villam suam vt pasceret porcos. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant:

bant: et nemo illi dabat. In se autem reuersus dixit, quã ti mercenarij in domo patris mei abundant panibus: ego autem hic fame pereo? Surgam, et ibo ad patrem meũ, et dicam ei, pater, peccaui in cœlum et coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenarijs tuis. Et surgens venit ad patrem suum. Cũ autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum eius: et osculatus est eum. Dixitquè ei filius, pater, peccaui in cœlum et coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus. Dixit autem pater ad seruos suos, cito proferte stolam primam, & induite illum, et date annulum in manu eius, & calciamentum in pedes eius, & adducite vitulum saginatum, & occidite, et manducemus et epulemur: quia hic filius meus mortuus erat et reuixit, perierat & inuentus est. Et cœperunt epulari. Erat autem filius eius senior in

A *agro, et cum veniret et appropinquaret domui, audiuit symphoniam, & chorum: & vocauit vnum de seruis, & interrogauit quid hæc essent. Isquè dixit illi, frater tuus venit & occidit pater tuus vitulum saginatum, quia saluum illum recepit.* B *Indignatus est autem: et nolebat introire. Pater ergo illius egressus cœpit rogare illum. At ille respondens dixit patri suo. Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mãdatum tuum præteriui, et nunquam dedisti mihi hædum vt cum amicis meis epularer:* C *sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti vitulum saginatum. At ipse dixit illi, fili tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt,* D *epulari autem et gaudere oportebat, quia frater tuus mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus est.*

TErtiam hanc parabolam de filio prodigo adiecit Christus, quæ quã quã &

& ipsa generaliter pertinet ad omnem peccatorem post ingentia flagitia pœnitentem, tamen pro temporis illius quo dicta est ratione, peculiarius notat publicanos & peccatores notos ad euangelij gratiam receptos: & pharisæos, qui sibi iusti videbantur, illorum inuidentes fœlicitati.

¶ Hac ergo parabola ad spem veniæ per pœnitentiam prouocamur. Quam summa quadam ex Ambros. explicare libet: post verò sigillatim singula perpendemus. Bene ergo in hac parabola dicitur quia filius natu minor peregré profectus est, qui erat à sacris altaribus separatus. Hoc est enim ab Hierusalē illa quæ in cœlo est ciuico quodam & domestico sanctorum separari domicilio. Vnde & Apostolus ait: Ergo iam non estis aduenę atque peregrini, sed ciues sanctorum, & domestici Dei. *Et consumpsit*, inquit, *substantiam suam*. Merito consumpsit eam, cuius fides in operibus claudicabat. Fides enim eorum quæ sperantur substantia est rerum argumentum non apparentium. Et bona substantia fides, in qua spei est nostræ patrimonium. Nec mirum si fame peribat, qui diuino alimento egebat, cuius desiderio compulsus: *surgam*, inquit, *& ibo ad patrem meum, & dicam illi: pater peccaui in cœlum, & coram te.* Nonne aduertistis id euidenter iam nobis expositum, quod merendi gratia sacramenti ad precandum impellimur: & hoc auferre vultis propter quod agitur pœnitentia? Tolle gubernatori perueniendi spem, & in medijs fluctibus incertus errabit. Tolle luctatori coronam, lentus iacebit in stadio. Tolle piscatori capiendi efficaciam, desinit iactare retia. Quomodo ergo potest qui famem patitur animæ suæ, studiosius Deum precari, si sacram desperet alimoniam? *Peccaui*, inquit, *in cœlum, & coram te*. Fatetur vtique peccatum ad mortem, ne quem vos agentem cuiuslibet criminis pœnitentiam inre excludi putaretis, quando is, qui in cœlum peccauit, vel in regnum cœleste, vel in animam suam, quod est peccatum ad mortem, & peccauit coram Deo, cui soli dicitur: tibi soli peccaui, & malum coram te feci: tam cito veniam meretur, vt venienti & adhuc longe posito occurrat pater, & osculum tribuat, quod insigne est sacræ pacis: stolam proferri iubeat, quæ vestis est nuptialis, quam siquis non habuerit, à conuiuio nuptiali excluditur. Det annulum in manum eius, quod est fidei pignus, & sancti spiritus signaculum. Calceamenta defferri præcipiat: celebraturus enim pascha Domini, epulaturus agnum, tectum debet aduersus omnes incursus bestiarum spiritalium, morsusque serpentis habere vestigium. Vitulum præcipiat occidi: quia pascha nostrum immolatus est Christus. Et enim quotiescunque sanguinem Domini sumimus, mortem Domini annunciamus. Sicut ergo semel pro omnibus immolatus est, ita quotiescunque peccata donantur, corporis eius sacramentum sumimus: vt per sanguinem eius fiat peccatorum remissio. Ergo euidentissime Domini prædicatione mandatum est etiam grauissimi criminis reis, si ex toto corde & manifesta confessione peccati pœnitentiam gerant, sacramenti cœlestis refundendam gratiam. Vnde nihil vobis ad excusationem resedisse certum est. Hæc Ambrosius. Non ergo est, quare quis existimet, nullum fidelem post peccatum ad pristinam gratiam reparari posse: cum hic videat filium qui primam gratiam amiserat restitutum & reparatum: atque pristina stola indutum. Illud verò quod Paulus ait: Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, & participes facti sunt Spiritus sancti, &c. Lapsos: iterum renouari in pœnitentiam: de baptismo qui non iteratur, esse intelligendum docet idem Ambrosius, cap. 2. libro. 2. de pœnitentia. Baptismus enim est prima tabula post naufragium: qui eò pœnitentia vocatur quod ad illū pœnitentia exigatur. Pœnitemini, inquit, & baptizetur vnusquisque vestrum Acto. 2. sed de testimonio Pauli aliàs diximus.

¶ *Peregrè profectus est in regionē longinquam, et ibi dissipauit substantiam suā.* Vel ex isto adolescentulo coniectare pos-

(Marginal notes: D. Ambr. lib. 2. de pœniten. c. 3. — Ephe. 2. — Heb. 11. — Similia. — Psal. 50. — Matth. 22. — 1. Cor. 5. ibidem. 15 — Heb. 6. — Lege, Ambro. 2. de pœniten. c. 2 bifariā exponētē locū Pauli.)

Malũ & periculosum est egredi religiosũ de monasterio vel de domo cōscientiæ.

sumus quam malum quamque periculosum sit egredi de domo paterna, hoc est, de monasterio si religiosus es. Vel de domo conscientiæ si fidelis es. Caue ergo ne tibi contingat quod filio isti: qui profectus in regionem longinquam prodegit omnem substantiam patris, & factus est porcorũ custos. Quam tutum, quam sanctum est apud te domi conscientiæ manere, non vagari, non apud homines commorari, non é domo exire: quod si egredi à te non vis: timor Domini sit huius domus ostiarius. Nam vt Ecclesiasticus inquit: timor Domini expellit peccatum. Si enim hic absit, patent omnes fores animæ: patet ianua spiritualis paternæque domus: per quam filius egreditur, & abit in terram longè à Deo semotam. Huiusmodi ostiario caruit princeps ille qui porta Samariæ à turba conculcatus fuit: caruit Dina Iacobi filia, quam curiositas non autem necessitas é domo patris egredi fecit: Et tandem à filio Sichen fuit oppressa. Caruit Esau qui sæpesæpius venatum egrediens patris benedictionem amisit, quem Iacob natu minor supplantauit. In Esau designantur homines inquieti, qui relicta conscientia, relicto monasterio, in mundo vagantur: voluptatibusque mundi se dedunt: quibus tanta est animi mollicies vt aer monasterij nō illis videatur salubris: quibus nihil molestius, nihil inquietius ipsa quiete. Hi sunt venatores delitiarum ac solatiorum carnaliũ: qui patris cœlestis benedictione priuantur. Per Iacob autem qui domi semper manebat, viri quieti & pacifici merito intelliguntur. Quod in solius conscientiæ testimonio gloriatur. Hęc omnis gloria filiæ regis, ab intus. Idcirco olim in lege pręcipiebat Dominus os turturis ad collum retorqueri. Os sanè ad collum retorquere, est, voluptates & delitias atque delectationes suas ex penetralibus atque intimis animæ haurire. Hinc est etiam quod Dominus apud Naum Prophetam consulit: aquam propter obsidionem hauri tibi. Certa res est atq; omnibus comperta homines obsessos ab hostibus si aquam intra castrum non habeant in maximo periculo esse, cũ

Eccle 2.

4. Reg. 7.

Gen. 34.

Gen. 27.

Psal. 44.

Leui. 1. Figura.

Naum. 2.

A ad illam hauriendam ad inimicos hostes quę suos exire cogātur. Cum ergo anima nostra ab hostibus innumeris obsessa sit, idcirco ei consulitur vt aquam gratiæ & consolationis intra se habeat, atq; ab intimis sui cordis eam hauriat: ne necessitate compulsa in mundum ad eam quaerendam egressa ab hostibus inferni capiatur atque interficiatur. Domi ergo mane cũ Iacob & patris benedictionem cōsequeris, omniaq; paterna bona tua erunt. Domi mane, & ab intimis conscientiæ tuæ

B aquam consolationis hauri, & tutus eris ab hostibus, cum quibus est tibi colluctatio, perpetuaque pugna. Contine igitur te intra cor tuum, meditationi, rerum diuinarum contemplationi, atq; orationi operam dando, & clauso ostio sensuũ exteriorum ora patrem tuum. Bibe aquam de cisterna tua: hauri illam de fonte saluatoris. Ne ad aquas turbidas mundi exire cogaris: ne ad illas quærendas ad plateam egredi compellaris vbi non est nisi planctus & væ. Sic enim ait quidā vates. In omnibus plateis erit plāctus, & in eis,

C qui foris sunt dicetur, vę, væ. Per plateā licet intelligere latā viam quæ ducit ad mortem. Qui foris sunt, dicuntur illi, qui non Dei consolationes intra cor suũ quærunt: sed qui in mundo hoc qui in maligno positus est diuagātur, vt eius voluptates carnales quærant: quibus, duplex vę, prædicitur: væ illis, quia peregrè profecti omnē substantiā patris prodigētes, in miserā diaboli seruitutē deueniunt. Væ illis, qui perpetuas, si non sapiunt, pœnas sunt daturi. Tales similes sunt parasitis &

D histrionibus, quibus nihil lare suo frigidius, & ideo fame compulsi cibũ alieno partũ labore, quęrere atq; capere studēt. Vir respiciēs in mensam alienā, nō est anima eius in cogitatione victus ait Ecclesi. Mensa aliena dicitur omnis delectatio & voluptas à Deo aliena: hæc est etiā mel illud syluestre: dulcedo. s. à Deo nimis extranea, cuius esu Ionathas Saulis filius mortis sententiam incurrit. Talis enim minime cogitat quid comedat, donec diuinitus afflactus ad se redit: & ad patris misericordiam recurrit.

Pro. 5. Esai. 12.

Amos. 5.

Eccle. 40.

D. Bon. de prępara. cor. c. 2.

¶ Post non multos dies congregatis omnibus

bus adolescentior filius peregrè profectꝰ est in regionem longinquam. Ideo hic dicitur abijsse in regionem longinqua: quoniam qui flagitijs est implicatus, longè à Deo esse dicitur. Hæc enim regio longinqua, vt d. Augu. ait, est Dei obliuio. Quid prodest adesse corpore, & animo distare? Qui turrim Babylonis ædificarunt, de lõge venerunt: ait enim scriptura eos profectos fuisse de oriente. Reliquerunt orientem, hoc est, Christum, discesserunt longè, & turrim Babylonis cõstruxerũt. Qui se à Christo separant & seiungunt, sunt exules à patria, & mundi ciues, construentes turrim ex lateribus & bitumine, ex terra & puluere, non ex quadratis lapidibus, quam Deus destruit, quoniam non est ad eius normam & amussim constructa. Et cum sint longè à Deo, est etiã Deus longè ab illis. Quemadmodum dicitur in Psalmo: longè à peccatoribus salus. Et in Prouerbijs: longè est Dominus ab impijs Regio longinqua in qua habitant, qui mortiferis peccatis implicantur, appellatur vmbra mortis: iusti autẽ viuunt in vmbra vitæ, hoc est, Christi, de qua in Canticis ait sponsa: sub vmbra illius, quem desideraueram sedi. In vmbra mortis, in regione longinqua sedebat ante Dei aduentum, humanum genus: sed Christus illud adse congregauit. Quod intelligens diuinus Paulus dicebat ad Ephesios scribens: Vos qui eratis longè: facti estis propè in sanguine Christi. Verum cum mortiferis flagitijs contaminamur, nos à Christo longe separamus. Vnde dicebat in libro septimo confessionũ Augustinus: inueni longè me esse à te domine: in regione dissimilitudinis. Appellat regionem longinquam regionem dissimilitudinis, quoniam ob admissa scelera deturpatur in nobis Dei similitudo. Et non solum peccatores longè sunt à Deo, sed etiam à seipsis maximè distant. Quid longius, ait diuus Ambrosius, quàm a se recedere: vnde Seneca, mali, inquit, vbique sunt: præter quàm secum. Cũ igitur deprauatus homo sit procul, & a Deo, & à seipso & talis erat homo iste qui se humanis vitijs contaminauerat, seque totum libidinibus dederat & ius diuinum

Peccator longe a Deo esse dicitur.

Gen 11.

Figura.

Psa. 118.

Pro. 15.

Cant. 2.

Ephe. 2.

Augu. 7. conf.

Ambro.

Seneca.

A & humanum violarat, meritò de illo dicitur profectum fuisse in regionem longinquam. Atque eandem ob causam de gentibus omni scelerum genere præditis aiebat Dominus apud Esaiam: Ecce isti de longè venient. De remotissimis enim peccatorum regionibus venerunt ad Ecclesiam gentiles. ¶ Tu ergo si sapis quicquid egeris, dixeris, & cogitaueris, non recedat à Domino, & quocunque ambulaueris, quocunque proficiscaris, semper permane cum patre Deo, ne discedas ab illo, adhære illi & ita securus permanebis. Diuortium facit cum benignissimo patre Deo, qui se facit aduenam mundi. Tunc enim cor eius longè est à Deo non enim est ista locorum seiunctio, sed affectuum. Corrumpunt mores bonos, collo quia praua. Quare noli ab illo vel per momentum discedere si securus esse vis. Quemadmodum pulli securi sunt ab accipitre, quandiu circunuoluũt circa matrem viam suam nec ab ea longè discedunt. sic qui à Deo non discedunt, sed circa ipsum ambulant, in domo sua versantur, ab eo custodiũtur, ne à dæmone rapiantur, sin autem Deum relinquunt, & ab eo se longius, separant, incidunt in voracẽ illum accipitrem Tartareum, qui circuit quærens quem deuoret. Incidunt, inquam, in mala omnia, ac miserias omnes in quas filius iste natu minor deuenit.

Esai 49.

B

Simile.

C

1. Pet. 5.

¶ *Et ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè.* Si populum gentium intuearis, intelliges habuisse à patre Deo substantiam acceptam. Habuit enim dotes suas, vim ingenij, cognitionem rerum conditarum, ex quibus licuisset cognoscere conditorem, sicut & cognouerunt vt Diuus Paulus testatur in ea quæ ad Romanos scripsit. Quin & de ratione rectè viuendi libros absolutos ædiderunt. Veruntamen omnem hanc substantiam dissipatunt luxuriosẽ viuendo. Immemores enim quod has ipsas opes deberent patris benignitati: quas ille non in hoc indulsit, vt stulte abuterentur, verum vt ex his parentem beneficũ colerent, suoque cultu ad largiorem mũnificentiam prouocarent. Quantum au-

D

populus gentiũ dissipauit dotes naturales quibus cognouerat Deum viuendo luxuriose & idola colẽdo.

tem aberrauerit à patre Deo populus hic nullus est qui ignoret. Cum ligna, lapides, canes, boues, simias, serpentes, cepas & porrum coleret pro dijs. Cum in eas turpitudines prolapsus sit: à quibus bruta quoque animantia semouet naturæ sensus. Infœlix autem libertas quam patris præsentia non moderatur. Huic ergo populo accidit quod huic iuueni emancipato: qui inter peregrinos prodegit omnem substantiam: non ipsius, qui nihil habebat suum, sed patris. Prodegit autem per luxum, alea, scortis, conuiuijs. Luxus enim est, quicquid extra necessitatem carnis cupiditatibus impenditur. Hæc nimirum corrumpunt ac vitiant, quasuis præclaras naturę dotes. ¶ Iam verò si generaliter de omnibus peccatoribus fiat sermo. Peccator sane prodigit substantiam sibi à Deo patre collatã: tradendo sese delitijs, totam fœlicitatem suã in voluptatibus corporis constituendo.

Peccator quando dicitur prodigere bona sibi a Deo tradita.

Hi sunt homines effœminati: qui ob eam forsitan causam, mulieres ab Ezechiele vocantur: plangentes adonidem veneris amasium. Hi sibi ipsis interitum parant: quoniam animæ languenti nullam volunt adhibere medicinam: nec enim volunt corpus domare nec effrænatos appetitus coercere, sed voluptatibus defluentes ad excidium ducuntur. Quemadmodum cũ pars vna non est remedij capax remedium illud ad alteram applicamus. Quam ob causam laborantes graui capitis dolore scindimus venã brachij, quia caput non est capax phlebotomiæ, & venæ percussionis: sic vt medeamur animę, oportet opprimere carnem. At peccatores non castigant corpora, quin potius se indies in voluptates ingurgitant: & adonidem colunt. Sicque omnem substantiã consumunt prodigendo illam per luxũ. Hi sunt similes illis qui in Genesi filij Dei vocantur de quibus scriptura ait. Videntes filij Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus quas elegerant: qui ita Deum offenderunt, vt diceret, non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. Qui enim spiritu Dei prius facti fuerant filij Dei, postea homines vocan-

Ezech. 8.

Similitu.

Gen. 6.

Gen. 6.

A tur, nomine naturæ non gratiæ, quod sese turpibus coinquinassent voluptatib9: & humanis vitijs tradidissent. Quandiu ergo homines spiritu Dei aguntur: quandiu religionem & pietatem colunt, dotes viresque animæ non in hoc indulgẽt, vt stulté abutantur, sed ex his Deum patrem colunt: filiorum Dei nomine gaudere merentur. Sed si omnes opes has cõsumant luxuriosé viuendo, homines, & non dij: caro, & nõ spiritus: dicendi sunt. ¶ *Consumpsit omnem substantiam viuendo luxuriosè.* Merito ergo ait Paul. fornicatio autem & immunditia, nec nominetur in vobis. Hyperbolicé loquitur Paulus vt ab his caueamus. Si enim tantum nocere potuit vxor propria viro, vt eum ligatum traderet hostibus, omni virtute spoliatum, cuius typus erant septem crines siue septem discrimina crinium capitis sui, quos Dalila eidem derasit: quibus attonsis & oculos & vitã amisit: factus insuper Philistinorũ opprobrium: quantũ putas nocere posse alienam, cuius vmbra etiam nocet? Relinquẽdum est pallium in manu fœminæ: imó & vita si necesse sit ne septem virtutibus priuemur. En vides iuuenem istum cõsumpsisse omnem substantiam suam viuendo luxuriosé. Inueni, inquit mulierem morte amariorẽ, quæ laqueus venatorum est. Iste enim sapiens, sero tamen, cum iam esset senex, sed desiderijs iuuenilibus æstuans, corruptus est ab eis, atque persuasus vt sequeretur deos alienos. De qua re lege. 3. lib. Reg. cap. 11. & Ecclesiasti. 47. Tandem tamen ad se redijt, egitque pœnitentiam (vt autor est D. Hieronymus.) sic enim in Prouerbijs vt Hierony. refert, rex iste ait: Nouissime ego egi pœnitentiam: & respexi vt eligerem disciplinam. Quanuis nostra editio vulgaris sic habet: quod cum vidissem, posui in corde meo, & exẽplo didici disciplinam. ¶ Tu tamen interim expende huius adolescentis miseriã, qui fornicando non diues sed pauperrimus factus est. Huic similes sunt multi apud nos hodie. Similes etiam illi meretrici cui Dñs apud Ezechielem dicebat: omnibus meretricibus dãtur mercedes: tu autem dedisti mercedes amatoribus tuis.

B Ephe. 5.

Iud. 16.

Gen. 39.

C Eccle. 7.

3. Reg. 11. Eccle. 47. D Hiero. in Ezechi. c. 43.

D Pro. 14 d

Ezech. 16

tuis. Quicunque ergo fornicando diues fit: hic est meritrix cui dantur mercedes: qui peccando fœliciter in mundo agit, prosperaturq; & cui omnia ad votū eueniunt: quando vero fornicatur, & res huius seculi non secundæ, sed aduersę sunt: quando inquā peccat & nihil illi in mūdo cui seruit prospere succedit, sed omnia infœliciter: cupiens implere ventrē, vel de siliquis porcorum: hic meritrix est non congregans mercedes, sed patrimonium substantiamque suam prodigens: qualis erat adolescens iste.

Verus animæ cibus est spiritualis, & vera fames est rerum spiritualium penuria.

¶ *Facta est fames valida in regione illa & ipse cœpit egere.* Verus animæ cibus spiritualis est, & vera fames est rerum spiritualium penuria. Hac fame laborat filius hic prodigus, qui cōsumptis opibus cælestibus cæpit egere, atque fame correctus dicere: quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus ego autem hic fame pereo. Comparatione status illius præsentis, in quo erat, & præteriti, quem amiserat, excitatus est ad pœnitentiam, vidit famen pręsentem, & meminit abundantiæ præteritæ, & in suspirium erupit. Et si peccator se videat omni humanarum opum copia affluentem, tamē cognoscit se veris diuitijs carere: nā torquetur animo, & nec satiatur, nec eius sitis vnquam expletur. Quid habet qui Deum non habet? Quid possidet, qui se ipsum nō possidet? Id intelligens Diuus

Augus.

August. aiebat: omnis copia, quæ Deus meus non est, egestas mihi est. Omnia appetunt in centro suo conquiescere: ideo ignis sursum tendit, lapis autē deorsum. Eodē modo anima nostra in Deo quiescere desiderat, tanquam in centro suo. Eam ob causam ait D. August. creasti nos Domine ad te, ideo inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Hinc efficitur, vt mundi diuitiæ, & prosperarum rerum abundantia, honores & dignitates nequaquam possint animam satiare, cum centrum non sint vbi illa quiescat. Et vt lapis & si auro ornetur & in arcula preciosa includatur, non tamen propensionem amittit, quam habet ad centrum & proprium locum, vbi est eius quies: sic anima nostra quamuis magnis mūdi opi-

Lib. 1. cōf. cap. 1.

Simile.

A bus & dignitatibus affluamus, non tamē tranquilla omnino & satiata est, donec in cælo conquiescat in Deo, illoque in æternum fruatur. Sentit quidem ob gratiæ assistentiam modum quendam quietis & suauitatis, sed perfectam quietem & suauitatem in cælo tantum consequitur. At impij homines nullam habent effigiem quietis, nec saturitatis. Imagines & vmbras rerum comedunt peccatores, ideo non replentur. Id intelligens aiebat Salomon: iustus comedit, & replet ani-

Prou. 13.

B mam suam: venter autem impiorum insaturabilis est. Et Isaias: declinabit ad dextram, & esuriet. Et Oseas: comedent, & non saturabuntur. Et Amos, aut potius, Deus per illum: emitam famen in terrā, non famen panis, nec sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini. Hanc famē permittit Deus aliquando ob hominum scelera nefanda, permittens vt impij præsules rempublicam gubernādam suscipiat, qui nec concionantur, nec concionatores admittunt, sed scientiam repellunt, & veram animorum escam abscondunt. De

Isai 9. Ose. 4. Amos. 8.

C huiusmodi pastoribus ait Salomō in prouerbijs: qui abscondit frumenta, maledicitur in populo. Cū hæc fames in terra viguisset, venit diuin9 ille cōcionator Christus Deus noster, qui eam abstulit, & frumenti saturitatem tribuit. Quando igitur nihil habet hic mundus, quod explere possit animum hominis, summū illud bonum, quod non est nisi in domo patris appetamus: nisi perpetua fame laborare malumus.

Prou. 11.

¶ *Et ipse cæpit egere, &c.* Ex hoc intelligimus, ait Hiero. quod prouidentia Dei

D. Hiero. Oseæ. 2.

D sæpe nobis accidant mala, ne habeamus ea quæ cupimus, & varijs calamitatibus huius seculi, ac miserijs ad Dei seruitutē redire cogamur. Hinc est, quod Dominus per Oseā ait filiæ fornicationis: propter hoc ecce ego sepiam viam tuā spinis & sepiam eam maceria: & semitas suas non inueniet. Dixerat meritrix: vadam post amatores meos, qui omnium rerum mihi abundantiam præbuerunt. Respondit Dominus: ego sepiam vias tuas spinis siue sudibus, ne possis ire quo desideras: & interponam maceriam siue murum: &

Oseæ. 2.

semitas tuas quas crebro triueras pede, non inuenies, ne apprehendas eos quos tanto studio sequebaris: & rerum necessitate compulsa, reuertaris ad virum tuũ, & dicas hoc quod filius iste prodigus. Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus: ego autem hic fame pereo. Surgam & ibo ad patrem meum & dicam illi pater peccaui in cœlum & coram te. Magna sané Dei misericordia est vt peccatoribus accidant multa mala vt ad Deum redire cogantur. Vnde in libro Iudi. filij Israel sæpe pręssi malis, ad Dominum clamant: qui suscitat eis Saluatorem. Sequuntur etiam hæretici amatores suos: á quibus sæpe deserti ad sinum matris Ecclesiæ reuertuntur, quia flagella per omnia erudiunt Israel. Vadam ait fornicaria illa & reuertar ad virum meum priorem: quia bené mihi erat tunc magis quàm nunc. Hoc idem ait filius iste prodigus fame compulsus. Hinc etiam est quod idem Dominus apud vatem alium dicebat. Ponam offendiculum coram eo. Sensus est non enim statim quod iustus peccauit occidam, non illico eum in tenebras æternas relegabo, sed expectabo eum, vt se ad meliorem frugẽ recipiat: ponã offendiculũ corã eo ne per viã illam iniquitatis incedat. Sed quæres quomodo ponat Deus hoc offendiculũ illi, qui cũ iustꝰ esset, incidit in crimen lethale. Existimo hoc offendiculũ esse acerbã quandã calamitatẽ, qua Deus virũ iustũ errare incipientẽ opprimit, vt conuertatur. Hoc offendiculo cõuersus est filiꝰ iste natu minor. Hoc offendiculo cõuersus est Dauid, qui ait: cõuersus sum in ærumna mea, dũ configitur spina. Spinam vocat calamitatem eum pũgentem & torquentem. Ita intelligi dicebamus locum Oseæ modo allatum. Aspicis per offendiculum intelligi spinam, per spinam veró calamitatem. Huic expositioni fauet versio Theodotionis, qui hoc loco pro offendiculo tormentum seu cruciatum vertit. Solet Deus homines virtute ac pietate præcellentes, si aliquando crimen aliquod admittant, calamitatibus, vt diximus, exercere, & expiare, & per magnas ærumnarum angustias á peccato

Magna est misericordia Dei vt peccatori accidant mala vt ad Deũ redire cogatur

Glo. Oseæ. 2.

Ezech. 3.

Psal. 31.

auertere, & ad vitam perducere immortalem, Videntes enim se doloribus vrgeri, conuertuntur ad Deum, ad quem contriti ardenter aspirant. Vnde ait regius vates de iusto loquens: cum ceciderit non collidetur, quia Dñs supponet manum suã. Ac si dicat: vir pius contaminare animũ flagitio potest, Deũq; aliquando grauiter offendere, sed Deo fauente resipiscet & pœnitentiam aget.

Psal. 36.

¶ *Adhæsit vni ciuium regionis illius.* Peccator cui graue est obtẽperare iussis clementissimi patris, cogitur sese dare in seruitutem ciui peregrino & barbaro. Quũ recusant homines accipere iugum suaue Domini, coguntur ferre iugum sathanæ. Præterea per vnum ciuium intellige etiã vitium cui peccator adhæret specialiter. Quidam vanitati adhęrẽt, quidam auro, quidam voluptati, quidam omnibꝰ hijs, alijsq; innumeris. Qui viris bonis detrahunt, eorũq; famam lacerare contendũt: detractioni adhærent quæ ciuis est huius mundi. Qui se corporum illecebris dediderunt, luxuriæ seruiunt: qui leuitate & iactatione ducuntur, & populi rumusculos aucupantur, iactantiam ac vanam mundi gloriam colunt: qui crudelitate gloriantur, iræ subijciũtur: qui peccuniæ sunt cupidi, auaritię sunt serui. Vide hominum miserias & ærumnas: qui deberent Deo seruire, atque illi soli adhærere, vitijs seruiunt: hæc colunt, hæc adorant. Et ingressus vidi, ait Ezechiel, & ecce omnis similitudo reptilium & animalium abominatio, & vniuersa idola domus Israel. Ad id amentiæ deuenerant Hebræi: vt omnia gentiũ idola colerent, Et vt ait Esaias, talpas & vespertiliones adorarent. At si in cordis nostri domicilium fuerimus ingressi: easdem abominationes mentis oculis aspiciemus. Penetremus conscientias nostras, & in cubilibus earũ imagines idolorũ propé infinitas intuebimur. Ea. n. quæ cõtẽpto patre Deo colimꝰ, in quibꝰ fœlicitatẽ cõstituimꝰ, idola sunt, quibꝰ sacrificamus: Dñi sunt, quibꝰ adheremꝰ. Detractores colũt prodijs suis canes latrantes & mordentes: luxuriæ dediti, suibꝰ iacẽtibꝰ in volutabro seruiũt. Vanitati & iactationi studentes inue

Cum recusamus ferre iugum Dñi, cogimur ferre iugum sathanæ.

Ezech. 8.

Esai. 2.

inuenient in templo animæ suæ pauones oblectantes seipsos: quibus adhærent. Crudeles vero reperient intra se leones: quorum sint mancipia. Vide obsecro istorum calamitatem, qui deberent non solum se ab omni vitio, ac flagitio abducere, sed etiam omnem animi cogitationẽ integram castamque seruare, se vitijs contaminant: & turbulẽtis, ac concitatis animi perturbationibus agitantur, & impetu vitiorum rapiuntur, & nunquam satiantur imo perpetuam famen patiũtur. Vt mare quamuis in se incurrentium flu minum multitudinem excipiat, nunquã tamen redundat, sic flagitiosi homines nunquam vitijs satiantur, sed quorundã scelerum stimulis ad alia detestabiliora excitantur: ita vt abyssus abyssum inuocet, quoniam vanis falsorum bonorum simulacris delusi, vera & solida bona contemnunt, & pro nihilo ducunt: sceleribus autem & maleficijs se pascunt, licet se illis præ desiderio satiare non possint. Talis erat filius iste qui præ fame nunquã satiari potuit, qui vni vitiorum adhæsit qui porcos pascebat. & de siliquis saturari non poterat.

Simile.

Psalm. 41.

¶*Et misit illum in villam suam vt pascerat porcos. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabãt & nemo illi dabat.* Vide obsecro quàm sit misera seruitus, seruire cupiditatibus mundanis. Ciuis ille misit hunc miserũ in villam suam, vt illic pasceret porcos suos. A quanta dignitate, in quantam cõtumeliam sua stultitia deuenerat miser adolescens. Ex ditissimæ domus hærede factus est seruus & subulcus. Nec interim crudelis ille Dominus dabat quid ederet. Quid multis? Tanta erat fames veritatis & gratiæ diuinæ, quæ sola explet animum hominis, vt cuperet implere vẽtrem quibuslibet, vel siliquis, quibus saginantur porci. Neque quisquam erat, qui vel hoc pabulum illi daret, vt iam infœlicior esset ipsis porcis, quibus seruiebat verius, quam imperabat. Iam illa ipsa naturæ bona pœnè destituerant iuuenem, & tamen corruptissimus animi stomachus aliquid cibi flagitabat. Omnis inanis mundi voluptas ad breue tempus

Misera seruitus est seruire cupiditatibus mundanis.

A deliniens nec satians, nec saginans animum, porcorum siliquæ sunt. His delectantur dæmones, ac sibi addictos inescant verius, quàm satiant. Nec harũ semper est parata copia: aut si est, multo felle dolorum vitiata est. ¶Intuere rogo peccatores, intuere eorum munus, curam ac diligentiam in pascendis porcis adhibitã: dies noctesque consumunt nihil aliud agentes quam quærere voluptates quibus immoderatos appetitus suos pascãt. Quibus vel visum, aut auditum, aut gustum, cæterosue sensus corporis detineãt B reficiant atq; alant: ac si non Christi, sed epicuri disciplinam sequerentur, ac si nõ animam, sed carnale solum corpus haberent: ac si ad nullum finem alium conditi essent, quam ad dandam operam carnalibus voluptatibus: cæterisque mundi delitijs, atque immunditijs. Sic nihil aliud cogitant, aut agunt, aut loquuntur, aut somniant, quàm quonam modo mundi vanitatibus perfruantur, nunc hanc nũc illam pergustãdo voluptatẽ. Quid enim aliud homines agunt cantilenas, conuiuia, diuersa ornamentorum genera, parã C do: quàm dare operã quo pacto porcos, hoc est, sensus suos pascãt? Velint nolint hi: his rebus incumbere pascere porcos vocatur à Deo. Nam quemadmodũ porci genus quodam sunt animalium sese cœno immundo ac fœtido volutantium: sic homines isti voluptatibus carnalibus voluuntur, ac delectantur. Quo quid infœlicius? Quid miserabilius? Si his præsertim addas non posse miseros, qui a tanta dignitate ceciderunt, hoc tã putrido pastu satiari. Imo multoties nõ posse quod tam ardenter desiderãt, assequi: cũ quod D illos capere oportebat sæpe alius intercipiat. Quod inter porcos, glandes â subulco percussas, pascentes, contingere sæpe videmus. Quas enim alius comedere nititur, alius præripit. ¶Hic est infœlix ac miser status ille, hæc fames illa insatiabilis, quam regius vates describit Psalm. 106. his verbis: errauerunt in solitudine, in inaquoso, viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt. Esurientes & sitientes: anima eorum in ipsis defecit. Quæ obsecro fames ista est? Quæ insatiabilis sitis, nisi arden-

Psal. 106.

ardentissimus ac flagrantissimus appetitus ille voluptatum carnalium, ac rerum humanarum, quem miseri mortales habent? Hic tam insatiabilis est, vt indies magis magisque crescat. Hic nunquam dicit satis. O terque quaterque miseri & infælices vos mortales, quibus inest hæc sitis tam immensa, tamque inextinguibilis: quod dereliquistis fontem aquæ viuæ, & fecistis vobis cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Defuit vobis flumen illud quod lætificat ciuitatem Dei: & ideirco in terra hac deserta, inuia, & inaquosa, aquã immundam, salsam & veneno plenam quęritis. Impij Holofernis, hoc est, diaboli artificio factum, hoc est. Qui cum Betuliã obsideret, circuiretque per gyrum, incidi præcepit aquæductum fontis influentis in ciuitatem. Manserunt tamen non longè à muris fontes, ex quibus furtim videbantur haurire aquam ad refocillandum, potiusquam ad potandum. Quid ergo vos miseri aliud facitis, postquam impius diabolus præscidit in animis vestris fontem vitæ, atque venam aquarum viuentium: quam quærere fontes huius mundi, ex quib9 furtim hauriatis aquas voluptatum, honorum, dignitatum, diuitiarum, quæ tantum refocillare: non autem sitim animi incredibilem extinguere possunt? Quid tibi vis in via AEgypti, vt bibas aquam turbidam? Aut quid tibi cum via Assyriorum, vt bibas aquam fluminis? Quæ, dic mihi, aqua magis turbida magisque cadaueribus inquinata inueniri in hoc mundo potest quam voluptas carnalis, quando eam absque pessimo odore, insuauissimoque sapore potare nemo potest? Nam quis odor peior, infamia ipsa ex peccato orta? Quis insuauior sapor, quam cõscientię morsus? Qui duo, (vt quidã aiebat olim Philosophus) perpetui atque indiuidui sunt comites, sensualis voluptatis. ¶ *Et ipse cœpit egere, et adhæsit vni ciuium regionis illius et misit illum in villam suã vt pasceret porcos.* De magno sępe virtutum culmine solet homo gradatim in ima corruere vt in hoc misero adolescente videre est. Quare qui stat (ait Apostol9) videat ne cadat.

Heb. 2. — Iudith. 7. Figura. — Hiere. 2. — 1. Cor. 10.

A De quantumlibet celso fastigio (inquit Richard9) facile potest in ima corrui: vel in profundum demergi. Imò proculdubio quanto gradus altior, tanto casus deterior. Debet nos semper illud Nabuchodonosoris somnium & cautos reddere & solicitos efficere. Vide obsecro visionis eius statuam: vide, inquam, à quanta sublimitate incipitur, & in qualem tandẽ finẽ deducitur. Habet sanè caput aureũ, & finem testeũ. Quid auro charius: quid testa vilius? Attende & illud quomodo B gradatim ad deteriora vergit: & quando què in fœdissimo fine finem facit. Prima pars aurea, secunda argentea, tertia ærea, quarta ferrea, & quinta describitur testea. In auro intelligitur charitas, in argẽto veritas, in ære simultas, in ferro crudelitas, in testa fictili fragilitas. Testa enim facile frangitur, & per eam rectè impatientię fragilitas figuratur. Ferrum quod cætera omnia metalla comminuit & domat, competenter quidem crudelitatis violentiam designat, quæ resistentia quęque præmit, vt opprimat. AEs autem ar- C gentum imitatur in sono, sed multum dissonat in precio. Sic simulatio suauẽ adulationis tinnitũ habet in sermone, & suauiter reboat, & dulciter resultat in opere: sed quantum per verbum, & exercitiũ demulcet extrinsecus, tantum per consilium & desiderium pallet intrinsecus. Argentum quoque quo frequentiori vsu atteritur, eo vtiq; clarior redditur. Sic veritas vehementi discussione quo magis, eo melius commendatur: sic veritatis cõsilia experientiæ vsu, quo certiora, eo clariora reddũtur. Charitatis claritatem au- D ri fulgor exprimit, quæ cœlestis desiderij igne flammescit. Et sicut aurum cæteris metallis pręfertur, sic charitas cęteras virtutes supergreditur. O quãtum est inter testam & aurum: inter statuæ finem & statuæ principium. Statua, quæ ex auro incipit, testam desinit. Puto quia nemo repente fit turpissimus. Sed qui minima negligit paulatim defluit. Sicut quibusdã profectuum gradibus ad alta conscenditur: sic rursum gradatim ad ima descenditur. Attende quo in hac statua prius aurum: postea argentũ; post hæc mediante

Richar. de S. Vict. li. 2. de erudit. inter. hom. c. 23.

Dani. 2. Figura statuæ explicatur bifariam.

ære: sequitur & ferrum. O quanta differentia auri & ferri. O quantum inse differunt charitas & crudelitas. Quid tamen de his ait veritas? Abundabit (inquit) iniquitas: & refrigescet charitas multorum. Vide quæso vnde quo peruenit: de abundantia charitatis ad abundantiam iniquitatis. Charitas ad aurum: iniquitas pertinet ad ferrum. O mirabilem (imò detestabilem) commutationem: de charitate ad iniquitatē. Si auerterit se (inquit) iustus à iustitia sua: & fecerit iniquitatem: omnes iustitię eius quas fecerat non recordabuntur. Opus detestabile & dignum confusione, quòd inchoatur ex auro: & cōsumatur in testa & ferro: Sic nāq; describitur pedū pars quędā ferrea & quędā testea. O cōfusibiles operarios qui in initio conuersionis suæ: opus suum inchoāt ex auro: & tandem consummāt luto. Scimus quia sæpé cum immundus spiritus exierit de homine quærens requiem, & non inueniens assumptis secum septem spiritibus nequioribus se: reuertitur in domum suam: & ingressus habitat ibi: & fiūt nouissima hominis illius peiora prioribus. Quā multos videmus in initio suæ conuersionis spe gaudentes: spiritu feruentes: in tribulatione patientes: solicitos in opere: studiosos in lectione: deuotos in oratione. Quid isti videntur tibi nisi in auro operari: & in charitate initiari? Charitas enim (vt scriptum est) patiens est: benigna est: omnia suffert: omnia credit: omnia sperat: omnia sustinet. Nonne operari tibi videtur in auro cui dictū est a domino: noui opera tua & charitatem, & fidem, & ministerium & patientiam tuam? Sed sunt multi qui ad tempus credunt. & in tempore tentationis recedūt. Nec tamen qui huiusmodi sunt, statim se in infima demergunt: sed prius de bono in peius, dehinc de minus bono in malū: & demum de malo in deterius corruūt. Mons enim cadens paulatim defluit: & terra alluuione consumitur. Siquidē qui huiusmodi sūt paulatim incipiūt à pristino desiderio tepescere: & à priori feruore magis magisq; deficere. Hactenus Richardus. Huius etiam rei habes figuram in hoc adolescente qui à charitate vsque ad maximam miseriam deuenit vt hic vides. ¶ Cæterum si quis totum quod de statua dicitur (ait idem Richardus) velit accipere in malo, eius assertioni absque dubio facile cōcedo. Per aurum ergo potest intelligi arrogantia, per argentum iactantia, per æs pertinacia, per ferrum sæuitia, per testam impatientia. Corruit enim peccator de malo in malum & de vitio in vitium & de miseria in miseriā. Aurum siquidem omnia metalla precij sui dignitate præcedit, & superba mens cæteros omnes in sui cōparatione despicit. Argentum suauem & admodum dulcem sonum habet: & iactātia in sui laudis præconio blandam iucundamq; se exhibet. Æs, eo quod valde durabile existat: recté satis pertinaciam figurat: quæ à suo cōsilio vel proposito, vix vel nunquam deflecti queat. Ferrum quod cætera soleat metalla domare, conuenienter satis sæuitiā designat, que solet cæteros premere. Per testam autem que facile frāgitur, recte satis impatientia designatur. Aureum itaque sibi caput fabricat, qui sibi sanctitatem arrogat. Pectus argenteum, & brachia argentea circunferre videtur, qui de cōsilij & operis sui rectitudine gloriatur. Quasi vētrem & femora quodammodo ærea habet, qui in his etiam pertinax permanet, quę propter vtilitatem despicere, vel propter inhonestatem erubescere deberet. Tibias ferreas habere se ostendit, qui & contra superiores se per audaciam erigit, & inferiores per sæuitiam prēmit. Testeis plantis innititur, qui terrenorum amori immoderatius incumbens: ad impatientiam effrenatur. Notandum sanē quibus corruptionis gradibus defectus nostri malum incremētum accipiat, quo modo gradatim ad deteriora deuergens vsque in ima descendat. Vide quo modo arrogantiam sequitur iactantia, iactantiā pertinacia, pertinaciam sæuitia, sæuitiā impatientia. Iactantiam sanē arrogantia præcedit, quia nisi prius elata mens de se alta sentiret nunquā impudenter de scientia aut sanctitate iactaret. Cū autē quod in semetipsa de sua scientia, vel sanctitate sentit alijs etiam persuasum esse credit, quid iam mirum si in suo consilio vel proposito

Matth. 24. a

Ezech. 18. f

Matth. 12 d

1. Cor. 13.

Apo. 2. e

Richar. c. 16

2. explicatio figuræ

poſito pertinax perſtiterit? Niſi vero in ſuo conſilio vel propoſito prius pertinaciter perſiſteret, nunquam pro eorum deſenſione in alios tam improbè ſæuiret. Sæuitia impatientiam generat, quia quo quiſque proximum ſuum minus amat, eò vtique eius infirma moleſtius tolerat. Scimus autem quia amoris alueus quo amplius erga proximos obſtruitur extrinſecus, eò altius erga ſemetipſum intumeſcit intrinſecus. Et quanto quiſque miſerabilius per priuatum amorem in ſemet ipſo languet: tanto vtique moleſtias ſuas moleſtius ſuſtinet, tantoq; difficilius deſideria ſua cohibet. Hinc eſt quod erga alios ſeuerus & in ſemetipſo reſolutus, dū modo in alios furit, modo in ſemetipſo torpeſcit, pedibus ex parte ferreis, & ex parte teſteis incedit. Et quidem ſæpe quidam adeo ex magnis conatibus quos in principio conuerſionis audacter præſumpſerunt, tam enormiter inaneſcunt, vt in tanta diſſolutione, qua tandem tam eneruiter viuunt, nec tenue quidam non dicam exprobrationis, ſed nec correctionis, imo blandæ admonitionis verbū patienter audire poſſunt. Væ miſeris. Quid quæſo iam de his poterit fieri, vel quæ iam ſpes vlterius haberi, qui propter arrogantiam nullo modo poſſunt à ſuo tumore deijci, nec propter pertinaciam de ſuo errore conuinci, nec propter ferri duritiem à ſuo rigore deflecti, nec propter teſteam fragilitatem de ſuo torpore redarguit. ¶ Sed nec horum tamen ferream ſeu lapideam duriciem debemus deſpicere: potens enim Dominus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Quæ enim impoſſibilia ſunt apud homines, apud Deum poſſibilia ſunt. Suis enim etiā gradibus mens ſæpe ex diuina ordinatione reſurgit, quæ de magnis bonis in ima cadit: ſuis etiam gradibus reparatur à Deo mens quæ de magno malo in deteriora labitur. Vide primū quid ſequitur apud Danielem & deinde videbis quid ſequitur apud noſtrum Lucam poſt cauſam iuuenis de bono in malū & de malo in malum. Videbas (inquit Daniel) ita: donec abſciſſus eſt lapis ſine manibus & percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis & fictilibus & comminuit eos. ¶ Hæc ergo ſtatua poſita eſt ante oculos huius adoleſcētis: qui de dignitate filiali ad miſeram ſeruitutem deſcēderat: & de miſera vna ſeruitute in aliam miſerabiliorem ſuis gradibus lapſus fuerat: atque ipſe reuerſus vt eam contemplaretur ſtatim tactus lapide cœleſti, hoc eſt, diuina inſpiratione atque afflatu, tactus diuina virtute, contritus & humiliatus corruit dicens: quanti mercenarij in domo patris mei abundāt panibus ego autem hic fame pereo: ſurgam & ibo ad patrem meum & dicam ei pater peccaui, &c. Tu ergo ſi peccaſti propone obſecro ante obculos tuos ante actam vitam tuam: ſtatue ſtatuam hanc ante te: & tūc tactus dolore cordis intrinſecus, corrues ante Deum: cuius tāta fuit benignitas, vt ad pœnitentiam te adduceret. Imitare hunc iuuenem: imitare Dauidem qui proponebat ante faciem ſuā ſtatuam iſtam vitæ male actæ. Atque idcirco dicebat: peccatum meum contra me eſt ſemper. Ac ſi dicat: ſemper in id oculos mentis intendo, vt eius fœditatem agnoſcam. Cur autē hoc faciat, in alio quodam Pſalmo expreſſit. Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: & reliquæ cogitationis diem feſtum agent tibi. Prima cogitatio eſt de peccato, de fœditate, de turpitudine, de malitia illius: & ex hac cogitatione ſuperſunt ſemper quædam reliquiæ, videlicet odium, diſplicētia, deteſtatio. Nam vt eſt apud quendam Prophetam, omnis qui viderit te reſiliet à te. Quiſquis enim probe (vt decet) peccati malitiā agnouerit, niſi mentis inops: ab illo tanquam à profundo puteo reſiliet, & velut à poculo venenato abſtinebit. Reliquię ergo quę de peccato ſuperſunt: ſunt peccati odium & diſplicentia. Et hæc diem feſtum agunt Deo: vel (vt alia tranſlatio habet) ſolemnia celebrant Deo. Quale autem ſit hoc feſtum expreſſit pater benignus, qui filium hunc de paſtu porcorū & fame confectum redeūtem recipiens: ait. Manducemus & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit: perierat & inuentus eſt. Grande nimis & magnificum feſtum faciunt hæ cogitationis reliquiæ, cū in cœlo fiat mag-

Richar. c. 17.

Matth. 3.

Matth. 19. d

Pſa. 50.

Pſa. 75.

Naum. 3.

magnum gaudium super vno peccatore pœnitentiam agente. Quia ergo Dauid cognoscebat quantum lucrum sibi pararet hæc peccati cogitatio, ideo nũquam hæc cogitatio excidebat sibi, semper defixis in peccatum oculis intẽdebat: vt nulla rei familiaris dispensatio, aut regni administratio ab huiusmodi cogitatione illũ auocare potuerit: ideo aiebat: & peccatum meum contra me est semper. Tu ergo fac, si sapis, similiter, & viues.

¶ *In se reuersus dixit: quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus ego autem hic fame pereo.* Exordium conuersionis rectè ducitur ab hac consideratione. Heu vnde excidi miser. Hinc Apoca. 2. ait Dominus cuidam Episcopo: memor esto vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Et D. Pau. ad Gala. 3. Sic stulti estis, vt cum spiritu cœperitis: nunc carne consumamini. Habet hoc maiorem vim atque efficatiam ad conuersionem: vt quis memor sit à statu innocentiæ & amicitiæ diuinæ decidisse in statum inimicitiæ diuinæ: à quo decidit ille qui descendit à Hierusalem in Hiericho, & fuit spoliatus, & vulneratus, atque semiuiuus relictus. Resipiscant ergo peccatores, & lachrymas præ dolore fundant: memores pristinæ dignitatis à qua exciderunt. Dicant illud, quod olim in Babylonica captiuitate positi dicebãt: Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. Memoria antiquæ fœlicitatis solet cruciare miseros. Hinc vox huius miseri: quanti mercenarij in domo patris mei abũdant panibus. Ex quo commotus ait: surgã & ibo ad patrẽ meũ & dicam ei pater non sum dignus vocari filius tuus. Memor ergo esto peccator vnde excideris & age pœnitentiã & prima opera fac. Erãt olim in te ieiunia, orationes assiduæ, vigiliæ, contemplationes, aliaque id genus reliqua exercitia bonorum operum, quibus Christus maxime delectabatur, ad illa rede, si viuere vis: sin autem actum erit de te. ¶ *In se autem reuersus.* Hic vides, quod aliàs dicebamus, homines sceleribus implicatos, extra se esse, & mundo vagari. Ideo hic in se reuertitur qui à se erat alienatus. Exierat extra se, & seipsum relinquens reliquerat patrem. Sed aliquando reuersus ad se inuenit seipsum, qui perditus erat. Non poterat ad se redire, nisi qui à seipso abierat. Et in se reuersus excitat seipsum memoria præteritæ fœlicitatis, & in spem veniæ erigitur. Et tunc cognouit non fuisse secum, cum in se esse videretur. Atque ob hanc causam dicebat Dominus apud Esaiam: Reuertimini præuaricatores ad cor. Reuertimini ad vos ipsos, à quibꝰ vos alienastis. Nihil tam longè à vobis quam vos. Qui extra se est, dicitur esse extra cor: ideo peccatores corde carere, & sine corde esse dicũtur. Apud Hieremiam ait Deus: Audi mẽ popule qui non habes cor. Et in illo Esaiæ capite paulò post, vbi nostra versio habet, audite me duro corde, habent septuaginta: audite me qui perdidistis cor. Et Dauid ait: & cor meũ dereliquit me. Et alibi: Super sanctos suos, inquit, & in eos qui conuertuntur ad cor. Si ad cor conuertuntur, ergo antea extra cor vagabantur. Et Ecclesiasticus, qui, inquit, timet Dominum conuertetur ad cor suum. Et alibi: Collige & congrega cor tuum. Et ibi Deus per Esaiam: Redite præuaricatores ad cor. Iubet Deus vt ad nos ipsos redeamus. ¶ *In se autem reuersus dixit quãti mercenarij in domo patris mei abundant panibus ego autem hic fame pereo. Surgam, &c.* Iam igitur vides venisse hũc iuuenem ad extremam calamitatem. Sed fœlix calamitas, quæ trahit ad pœnitentiam si quidẽ hic primus salutis gradus, reminisci vnde decideris, & agnoscere quo degeneraris. Atque hic erat patris attractus. aberat ille quidem à patre, sed pater nusquam nõ adest. Antea iuuenis mẽte captus erat, dementatus huius mundi præstigijs, fugiens eã, quæ sola fuerãt expetenda: expectans ea quæ sola fuerant fugienda. Sed bene habet vt peccator cognoscat Deum saltem cum in tribulatione & calamitate fuerit positus: & cum iustitiam fuerit expertus. Solent enim peccatores tunc Deum cognoscere, atq; ad se redire: cum in calamitate sunt constituti. Ita Hebræi à serpentibus ignitis lacerati Deum cognouerunt: atque ad se reuersi

Marginalia: Apo. 2. — Gala. 3. — Supra. 10. — Psa. 136. — Peccatores extra se sunt & mundo vagantur. — Esai. 46. — Hiere. 5. — Psa. 39. — Psa. 84. — Eccle. 21. — Eccle. 30. — Fœlix calamitas quæ trahit ad pœnitentiam — Numer. 21.

2 Par. 33. persi sunt. Et impius Manasses in vincula Babyloniorum coniectus, atque calamitatibus vndique cinctus, ad Dominum confugit, scelera sua cognouit, & ardentes preces mittens in cœlum fuit à Domino exauditus. Vnde scriptum est in libro Nehemiæ: Nehem. 9. in tribulationis tempore, clamauerunt ad te Domine, & tu de cœlo exaudisti eos. Simile. Vt enim vua ad vinum proferendum ad torcular defertur, vt prælo comprimatur, ita homo ad calamitatē ducitur, vt mærore pressus, & in ærumnis versatus, virtutis liquorem producat, sitque ad veram dignitatem reuocatus. Calamitas plerumque temerarias voluptates coercet, animum ad patrem Deum extollit. Ad se hominem redire facit, & contritus in vera pietate corroborat atq; confirmat. Contra, rerum prosperitas & voluptas, & diuitiarum affluentia, & mūdi honores & dignitates, virtutum sæpenumero vires illidunt & alas ligant, ne possit anima ad cœlum volare. In virentibus enim & amœnis arboribus est aliquando mollis viscus, quo incautæ aues capiuntur. Simile. Hinc fit, vt viri sapientes calamitatibus glorientur. In episto. ad Rom. Rom. 5. ait Apostolus: Gloriamur in tribulationibus & in. 1. ad Thessa. 1. Th. 1. Vos imitatores nostri facti estis, & Domini, accipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus sancti. Fœlix ergo calamitas quę nos ad Deum conuertit. Vnde Dominus apud Ezechielem ideo dicebat. Ezechi. 7. Non parcet oculus meus, nec miserebor: & scietis quia ego sum Dominus percutiens. Hoc est, tunc me esse Deum cognoscetis, cū iustitiam meam fueritis experti. Et rursum idem Dominus per eundem vatem ait. Ezech. 23. Ponam zelum meū in te: quem exercent tecum in furore: nasum tuum & aures tuas præcident, & quæ remansuerint gladio concident. Et requiescere faciam scelus tuum de te. Hoc est, tam acerbis calamitatibus te opprimam, vt nulla tibi idola colendi detur facultas. Vide afflictionis vtilitatē. Ideo aiebat diuinus vates: Psa. 82. imple facies eorū ignominia & quęrent nomē tuum Domine. Ac si diceret: permitte Domine eos in ærumnas incidere, & percipere luctus, affligee eos & premedolore, vt potentiam tuam sentientes, diuinum numen tuum venerentur. Nomenque tuum quærant: vt illud perpetua memoria & obseruantia colant. Vide quo venerit miser iste iuuenis: ex patria, scilicet, in exilium, ex opulenta domo in regionem famis, à libertate in seruitutem, ab amantissimo patre ad crudelissimum Dominum, à dignitate filij familias, ad fœdissimam conditionem, à cōsortio fratris & famulorum ad porcos. Et tunc tantis calamitatibus obsessus, resipiscit, ad se redit, dolet, lachrymas præ dolore fundit, memor pristinæ suæ dignitatis. ¶ *Surgam & ibo ad patrem meum.* Paupertas mundi ostenditur. Tam pauper est mundus ac miser vt non omnes sibi seruientes possit ditare, sed si debet hos ornare, necesse est vt alios spoliet: si quendam cumulare vult diuitijs alium prius premit inopia. Abstulit à misero isto iuuene omnem substantiam paternam vt alios diuites faceret. Remāsit iste, miser, pauper, mendicus, & famelicus vt alij ditescerent atque famem sitimque ex cibo potuq; alieno extinguerent. Simile. Est enim mundus iste similis soli qui non potest hemisphærium nostrum complere splendore, quin alteri hemisphærio tenebras obfundat; quo fit, vt cū nobis dies est, illis sit nox, qui è regione nobis, è contraria parte terræ stant contra nostra vestigia, quos antipodas vocamus: & è contrario: sic non his effulgit dies prosperarum rerum, quin alios atra calamitatum nox tenebris obscuret: quo fit, vt cum quidam lucrantur, alij amittant, cum quidam lætitia efferuntur, alij mærore comprimantur. Vt in haustrorū rota non possunt quidam modioli impleri, quin alij euacuentur, Ita in huiusmodi varietate si quidam opes & dignitates cōsequuntur, alij eas amiserunt, & sine miseria horum non possunt illi mundi amplitudinem comparare, siue tenebris vnius non potest alter splendorē adipisci. Ideo monet Salomon in Ecclesiaste, Eccle. 12. vt creatoris nostri meminerimus antequam tenebrescāt sol & lumen, hoc est, dum fluunt secundæ res dum micat claritas prosperitatum, priusquam veniat atria & tristis rerum aduersarum caligo. Nemo cōfidat

sem

semper sibi illud stabile & firmum permansurum, quod in alijs fluxum & fragile intuetur. Intuere obsecro casum huius adolescentis. Imitare illum, qui non ad herum suum confugit sed ad patrem. Cum te molestijs videris laceratum, & ærumnarum fluctibus concussum, & molestiarum copijs vndique obsessum, confuge non ad mundum qui pauperrimus est, neque ad mundi principem cui seruiebas: sed surge: Et abi ad patrem, hoc est, ad Christum, ipsum inuoca, in eius misericordia spem omnem tuam colloca: omnem curam & cogitationem constitue. Ipse enim ait: inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me. Nos igitur ingrauescente rerum aduersarum mole non debilitemur, & frangamur, sed surgamus & eamus ad Christum qui diues est in misericordia. Et qui absque aliorum detrimento nos diuites facere potest: easque opes præstare quas nec casus eripit, nec tempus consumit, nec inuidia labefactat: hæ sunt opes quæ à viro iusto possidentur, de quo ait diuinus vates: gloria & diuitiæ in domo eius, & iustitia eius manet in seculum seculi. Et alibi: spera in Deo, & fac bonitatem & inhabita terrã, & pasceris in diuitijs eius. Ac si dicat: si pietatem & virtutem colueris, velim tibi persuadeas esse te vitam placide & tranquillè traducturum, & magnis diuitijs abundaturum, non illis, quæ transeunt, & fluunt, & tanquam flosculi decidunt, sed quæ permanent, & animum verè diuitem faciunt, ex quibus vera nobilitas reflorescit. Vt in iuuene isto videre poteris. Reliquit herum in cuius domo famescebat: surrexit, abijt ad patrẽ & benignissime susceptus stolla prima indutus est atque in pristinam dignitatem filialem restitutus.

Psal. 49.

Psal. 111.

Psal. 36.

¶ *Surgam et ibo ad patrem meum, et dicam ei: pater peccaui, ect.* Merito Deus pater vocatur, & iurè ille solus pater vocari vult super terram cum solus ille habeat vera viscera paterna. Maximo sanè amore parentes filios suos prosequũtur: sed non est eorum tanta vis amoris vt patiantur filios rebelles, & inobedientes, coram eis amplius comparare: at pater cœlestis tam ardenti amore prosequitur filios suos vt quantumuis rebelles, impij, ac scelerati fuerint, si procidant contriti ad pedes eius, eorum misereatur. Cuius viscera paterna intelligens adolescens iste idcirco ait: *Ibo ad patrem, dicam ei: pater peccaui.* Vnde statim additur: quod pater videns illum misericordia motus est, &c. Hæc viscera paterna optime nouerat qui dicebat: Tu enim pater noster, & Abraham nesciuit nos: & Israel ignorauit nos. Tu Domine pater noster, Redemptor noster à seculo nomẽ tuum. Hic amor paternus ex Dei bonitate dimanat & effluit: ab hac enim bonitate duo eructant insignia flumina, misericordia, scilicet, & amor. Misericordia, qua langores & morbi nostri curentur: amor vero, quo cœlestia eius bona communicentur. Si ergo fons est immensus & infinitus, qualis rogo erit amore paternus ab illo oriens & dimanans? Idcirco non est quare peccator quantumuis grandis, ac notus desperet, deficiat, & venire ad patrem misericordiarum timeat aut erubescat: sed potius surgat à mala vita anteacta, & eat fiducia plenus ad hunc patrem, & dicat ei: *pater peccaui.* Non enim despicis filios peccatores imò tanta est bonitas tua vt eos voces, trahas ad te. Ad colloquium admittas, imò cum eis cibum sumere non dedigneris. In defensione facti mei, vna hæc spes est; quoniam noui te esse verè patrem, natura clementem, & exorabilem, non dubito quin aliquid pristinæ charitatis residet in tuo pectore, etiam si ego filium exui. Non nego culpam admissam. Plus apud te valere solet simplex confessio, & animus sibi verè displicens, quam accurata purgatio. Solus tu potes restituere collapsum: & si quisquam pater vult, tu vis. Statue tu de me quicquid velis. Pater es, tuus sum: & in te peccatũ est quicquid peccatum est. Fateor ergo pater quod peccaui supra modum & coram angelis Dei & & coram te, nec post hac me dignum iudico, qui dicar filius tuus.

Merito Deus vocatur pater.

Esai. 63.

¶ *Peccaui in cœlum et coram te.* Idest, Deum & te offendi. Cæterum, verba hec

pe, flagra, dulcesce, iam amemus & curramus. Lege etiam quæ Augu. addit. c. 4.

¶ *Aut quæ mulier habens drachmas decem si perdiderit vnam, &c.* Mulier ista Ecclesia est, drachmæ sumus nos. Cum autem nos ipsi simus Ecclesia, aperte concluditur nos quærere atque inuenire nos ipsos, qui perditi eramus. Sed fieri non potest, vt quæramus nos ipsos, nisi nos esse perditos intelligamus. Primus quidé gradus salutis est cognoscere nos ipsos, & videre vnde exciderimus. Hac ratione ducti antiqui dicebant hanc sententiam, cognosce teipsum, non humanam esse sed diuinam, nec esse mortali alicui, sed Deo ipsi tribuendam. Vis redire ad cor, cognosce te ipsum. Cogita & tecum ipse reuolue, & interroga hæc omnia te ipsum: ego vbi sum? Quomodo viuo? Quid ago? Quid spero? Quid desidero? Quid erit si sic moriar? Quo ibo? Et quas tandem pœnas meorum scelerum persoluam? Ex huius considerationis defectu nascitur humanorum flagitiorum colluuio. At nos vt alios cognoscamus, nos ipsos cognoscere negligimus. Vt enim sartor occupatus aliorum vestibus sarciendis, suas habet scissas, sic multi impediti in aliorum vita cognoscenda suam ignorant, inquirunt aliorum mores, volunt alienas cogitationes, intentiones & consilia dijudicare, seipsos autem derelinquunt, & à corde suo peregrinantur. Ideò ait Deus per Ezechielem Prophetam: Fili hominis sume tibi laterem, & pones eum coram te, & describes in eo ciuitatem Hierusalem. Quis est hic later, quæ est hæc terra tam dura & cocta, nisi cor nostrum? Hoc nobis præcipit Deus vt sumamus, & quod extra nos erat, iuxta nos collocemus, & in eo ciuitatem æternam, cœlestem Hierosolymam describamus, vt in ea sit nostra cogitatio collocata & constituta. Et vt qui ab arce sibi à rege tradita egreditur, eamque hostibus tradit aut relinquit, traditor dicitur: sic qui à corde à Deo sibi tradito exit, illudque in manu tyrannici appetitus, cæterarumque indomitarum cogitationum relinquit, præuaricator appellatur. Ideo ait Deus. Præuaricatores redite ad cor. ¶ Obserua secundo quod mulier ista quæ perdiderat drachmam non illam inuenit extrinsecus, sed in domo sua postea quam accendit lucernam, & mundauit domum sordibus & immunditijs, quas longi temporis ignauia & hebetudo congesserat, & ibi inuenit drachmam. Et tu ergo, ait Origenes, si ascendas lucernam, si adhibeas tibi illuminationem Spiritus sancti, & in lumine eius videas lumen, inuenies intra te drachmam: intra te namque est collocata imago Regis cœlestis. Cum enim faceret hominem ab initio Deus, ad imaginem & similitudinem suá fecit eum, & hanc imaginem non extrinsecus, sed intra eum collocauit. Hæc in te videri non poterat, donec domus tua sordida erat, immunditijs & ruderibus repleta. Donec portasti imaginem terreni, Dei imaginem obscurantis. Iam ergo ab illa omni mole & oppressione terrena per verbum Dei purgatus: imaginem cœlestis in te splendescere facito. Hæc ergo Imago est, de qua dicebat pater ad filiú. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Filius Dei est pictor huius imaginis. Et quia talis ac tantus est pictor, imago eius, obscurari per incuriam potest, deleri per malitiam non potest. Manet enim semper imago Dei in te, licet tu tibi ipse superducas imaginé terreni, istam picturam tu tibi ipse depingis. Cum enim te libido fuscauerit, induxisti vnum colorem terrenum. Si verò & auaritiæ studeas, miscuisti & alium. Sed & cum te ira sanguineum facit, addis nihilominus & tertium colorem, superbiæ quoque alius additur fucus, & impietatis alius: & sic per singulas quasque malitias, velut diuersis coloribus congregatis, hanc imaginem terreni, quam Deus in te non fecit, tu tibi ipse depingis. Propterea ergo deprecandus est nobis ille, qui dicit per Prophetá. Ecce ego deleui sicut nubem iniquitates tuas, & sicut caliginem peccata tua. Et cum deleuerit omnes istos in te colores, qui ex fucis malitiæ sumpti sunt, tunc resplendebit in te imago illa quæ à Deo creata est. Hęc ille. Hanc ergo drachmam perditam & spurcitijs obscuratam quærit Ecclesia, hanc

&

Marginalia: Mulier, ecclesia dicitur & drachma sumus nos. — Primus gradus salutis est cognitio sui ipsius. — Simile. — Ezech. 4. — Simile. — Esai. 49. — Quo modo drachma est inuenienda. — Orig. ho. 13. in Gen. Drachma est anima nostra quæ est imago Dei. — Esai. 44. — Gen. 1.

& nos ipsi quæramus & pœnitentiam inueniemus & emundabimus.

D. Ambr. in episto. ad Iustum. Drachma dicitur fides.

¶ Obserua tertio ex sententia Diui Ambrosij in epistola ad Iustum in principio: fidem nostram drachmam istam vocari. Interrogas, inquit, me quid significet illud didrachmum cuius dimidium Hebræus præcipitur offerre pro redemptione animæ suæ. Quid enim tam consociabile, quam de diuinis rebus sermonem contexere. Est autem dimidium didrachmi drachma. Redemptio autem animæ fides. Fides ergo drachma, quam illa mulier in Euāgelio, vt legimus, amissam diligenter requirit, lucernam accendens, & mundans domum suam: & si inuenerit conuocat amicas & vicinas, petens congratulari eas secum, quod inuenerit drachmam quam perdiderat. Magnum enim damnum animæ si quis fidem amiserit, vel gratiam quam fidei precio acquisiuit sibi. Et tu ergo accende lucernam tuam. Lucerna tua oculus tuus est, ille interior oculus, scilicet, mentis. Istam lucernam accende, quæ accipit oleum spirituale, & lucet in tota domo sua. Quære drachmam, redemptionem animæ tuæ: quam qui amiserit turbatur: qui inuenerit exultat. Hæc Ambrosius.

Deus habet suos festos dies. Orige. ho. 23. c. 28. super nume.

¶ *Gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.* Hic nota quod habet Deus festos dies suos. Est enim ei magna festiuitas (ait Origines) humana salus. Ego, inquit, puto quod per singulos quosque credētium, per singulos qui conuertūtur ad Deū, qui proficiunt in fide, festiuitas oritur Domini. Quo modo putas lætificat eum, cum is qui fuerat impudicus, fit castus, & qui fuerat iniustus, iustitiam colit, & qui fuerat impius, efficitur pius? Istæ omnes singulorum quorumque cōuersiones, festiuitates generant Deo. Nec dubium autem quin & Dominus noster Iesus Christus, qui pro salute nostra etiam sanguinem suum fudit, agat festiuitatem maximam. Agit festa pariter & Spiritus sanctus vbi plura sibi videt in ijs, qui conuertūtur ad Deum templa præparata. Nam de Angelis A quid dicam, ad quorum festiuitatem lætantium dicuntur accedere omnes, qui conuertuntur ad Dominum? Aut non est illis magna festiuitas cum lætantur in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agenti? Agunt ergo etiam Angeli diem festum, lætantes super ijs, qui se fugientes consortia dæmonum, per exercitia virtutum, angelicis se festinant sotiare consortijs. Hæc Origenes.

B

¶ *Sabbato post secundā dominicam. 40.*

Ait autem: homo quidam habuit duos filios, dixit adolescentior ex illis patri: pater: Da mihi portionem substantiæ quæ me cōtingit. Et C *diuisit illis substantiam. Et non post multos dies congregatis omnibus adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam: & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriose. Et postquam omnia cōsummas-* D *set, facta est fames valida in regione illa, et ipse cœpit egere. Et abijt, et adhæsit vni ciuium regionis illius. Et misit illum in villam suam vt pasceret porcos. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manduca-*

 bant:

bant: et nemo illi dabat. In se autem reuersus dixit, quã ti mercenarij in domo patris mei abundant panibus: ego autem hic fame pereo? Surgam, et ibo ad patrem meũ, et dicam ei, pater, peccaui in cœlum et coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenarijs tuis. Et surgens venit ad patrem suum. Cũ autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum eius: et osculatus est eum. Dixitquè ei filius, pater, peccaui in cœlum et coram te, iam nõn sum dignus vocari filius tuus. Dixit autem pater ad seruos suos, cito proferte stolam primam, & induite illum, et date annulum in manu eius, & calciamentum in pedes eius, & adducite vitulum saginatum, & occidite, et manducemus et epulemur: quia hic filius meus mortuus erat et reuixit, perierat & inuentus est. Et cœperunt epulari. Erat autem filius eius senior in A *agro, et cum veniret et appropinquaret domui, audiuit symphoniam, & chorum: & vocauit vnum de seruis, & interrogauit quid hæc essent. Isquè dixit illi, frater tuus venit & occidit pater tuus vitulum saginatum, quia saluum illum recepit.* B *Indignatus est autem: et nolebat introire. Pater ergo illius egressus cœpit rogare illum. At ille respondens dixit patri suo. Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mãdatum tuum præteriui, et nunquam dedisti mihi hœdum vt cum amicis meis epularer:* C *sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti vitulum saginatum. At ipse dixit illi, fili tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt,* D *epulari autem et gaudere oportebat, quia frater tuus mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus est.*

Tertiam hanc parabolam de filio prodigo adiecit Christus, quæ quãquã &

& ipsa generaliter pertinet ad omnem peccatorem post ingentia flagitia pœnitentem, tamen pro temporis illius quo dicta est ratione, peculiarius notat publicanos & peccatores notos ad euangelij gratiam receptos: & pharisæos, qui sibi iusti videbantur, illorum inuidentes fœlicitati.

¶ Hac ergo parabola ad spem veniæ per pœnitentiam prouocamur. Quam summa quadam ex Ambros. explicare libet: post verò sigillatim singula perpendemus. Bene ergo in hac parabola dicitur quia filius natu minor peregrè profectus est, qui erat à sacris altaribus separatus. Hoc est enim ab Hierusalē illa quæ in cœlo est ciuico quodam & domestico sanctorum separari domicilio. Vnde & Apostolus ait: Ergo iam non estis aduenę atque peregrini, sed ciues sanctorum, & domestici Dei. *Et consumpsit*, inquit, *substantiam suam*. Merito consumpsit eam, cuius fides in operibus claudicabat. Fides enim eorum quæ sperantur substantia est rerum argumentum non apparentium. Et bona substantia fides, in qua spei est nostræ patrimonium. Nec mirum si fame peribat, qui diuino alimento egebat, cuius desiderio compulsus: *surgam*, inquit, *& ibo ad patrem meum, & dicam illi: pater peccaui in cœlum, & coram te*. Nonne aduertistis id euidenter iam nobis expositum, quod merendi gratia sacramenti ad precandum impellimur: & hoc auferre vultis propter quod agitur pœnitentia? Tolle gubernatori perueniendi spem, & in medijs fluctibus incertus errabit. Tolle luctatori coronam, lentus iacebit in stadio. Tolle piscatori capiendi efficaciam, desinit iactare retia. Quomodo ergo potest qui famem patitur animæ suæ, studiosius Deum precari, si sacram desperet alimoniam? *Peccaui*, inquit, *in cœlum, & coram te*. Fatetur vtique peccatum ad mortem, ne quem vos agentem cuiuslibet criminis pœnitentiam iure excludi putaretis, quando is, qui in cœlum peccauit, vel in regnum cœleste, vel in animam suam, quod est peccatum ad mortem, & peccauit coram Deo, cui soli dicitur: tibi soli peccaui, & malum coram te feci: tam cito veniam meretur, vt venienti & adhuc longe posito occurrat pater, & osculum tribuat, quod insigne est sacræ pacis: stolam proferri iubeat, quæ vestis est nuptialis, quam si quis non habuerit, à conuiuio nuptiali excluditur. Det annulum in manum eius, quod est fidei pignus, & sancti spiritus signaculum. Calceamenta defferri præcipiat: celebraturus enim pascha Domini, epulaturus agnum, tectum debet aduersus omnes incursus bestiarum spiritalium, morsusque serpentis habere vestigium. Vitulum præcipiat occidi: quia pascha nostrum immolatus est Christus. Et enim quotiescunque sanguinem Domini sumimus, mortem Domini annunciamus. Sicut ergo semel pro omnibus immolatus est, ita quotiescunque peccata donantur, corporis eius sacramentum sumimus: vt per sanguinem eius fiat peccatorum remissio. Ergo euidentissime Domini prædicatione mandatum est etiam grauissimi criminis reis, si ex toto corde & manifesta confessione peccati pœnitentiam gerant, sacramenti cœlestis refundendam gratiam. Vnde nihil vobis ad excusationem resedisse certum est. Hæc Ambrosius. Non ergo est, quare quis existimet, nullum fidelem post peccatum ad pristinam gratiam reparari posse: cum hic videat filium qui primam gratiam amiserat restitutum & reparatum: atque pristina stola indutum. Illud verò quod Paulus ait: Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, & participes facti sunt Spiritus sancti, &c. Lapsos: iterum renouari in pœnitentiam: de baptismo qui non iteratur, esse intelligendum docet idem Ambrosius, cap. 2. libro. 2. de pœnitentia. Baptismꝰ enim est prima tabula post naufragium: qui eò pœnitentia vocatur quod ad illū pœnitentia exigatur. Pœnitemini, inquit, & baptizetur vnusquisque vestrum Acto. 2. sed de testimonio Pauli alias diximus.

¶ *Peregrè profectus est in regionē longinquam, et ibi dissipauit substantiam suā.* Vel ex isto adolescentulo conijectare possumus

[Margin notes: D. Ambr. lib. 2. de pœniten. c. 3. — Ephe. 2. — Heb. 11. — Similia. — Psal. 50. — Matth. 22. — 1. Cor. 5. ibidem. 11 — Heb. 6. — Lege, Ambro. 2. de pœniten. c. 2 bifariā exponētē locū Pauli.]

Malū & periculosum est egredi religiosū de monasterio vel ḋ domo cōscientiæ.

sumus quam malum quamque periculosum sit egredi de domo paterna, hoc est, de monasterio si religiosus es. Vel de domo conscientiæ si fidelis es. Caue ergo ne tibi contingat quod filio isti: qui profectus in regionem longinquam prodegit omnem substantiam patris, & factus est porcorū custos. Quam tutum, quam sanctum est apud te domi conscientiæ manere, non vagari, non apud homines commorari, non é domo exire: quod si egredi à te non vis: timor Domini sit huius domus ostiarius. Nam vt Ecclesiasticus inquit: timor Domini expellit peccatum. Si enim hic absit, patent omnes fores animæ: patet ianua spiritualis paternæque domus: per quam filius egreditur, & abit in terram longè à Deo semotam. Huiusmodi ostiario caruit princeps ille qui porta Samarię à turba conculcatus fuit: caruit Dina Iacobi filia, quam curiositas non autem necessitas é domo patris egredi fecit: Et tandem à filio Sichen fuit oppressa. Caruit Esau qui sæpesæpius venatum egrediens patris benedictionem amisit, quem Iacob natu minor supplantauit. In Esau designantur homines inquieti, qui relicta conscientia, relicto monasterio, in mundo vagantur: voluptatibusque mundi se dedunt: quibus tanta est animi mollicies vt aer monasterij nō illis videatur salubris: quibus nihil molestius, nihil inquietius ipsa quiete. Hi sunt venatores delitiarum ac solatiorum carnaliū: qui patris cœlestis benedictione priuantur. Per Iacob autem qui domi semper manebat, viri quieti & pacifici merito intelliguntur. Quod in solius conscientiæ testimonio gloriatur. Hęc omnis gloria filiæ regis, ab intus. Idcirco olim in lege pręcipiebat Dominus os turturis ad collum retorqueri. Os sanè ad collum retorquere, est, voluptates & delitias atque delectationes suas ex penetralibus atque intimis animæ haurire. Hinc est etiam quod Dominus apud Naum Prophetam consulit: aquam propter obsidionem hauri tibi. Certa res est atq; omnibus comperta homines obsessos ab hostibus si aquam intra castrum non habeant in maximo periculo esse, cū

Eccle 2.

4. Reg. 7.

Gen. 34.

Gen. 27.

Psa. 44.

Leui. 1. Figura.

Naum. 2.

A ad illam hauriendam ad inimicos hostes què suos exire cogātur. Cum ergo anima nostra ab hostibus innumeris obsessa sit, idcirco ei consulitur vt aquam gratiæ & consolationis intra se habeat, atq; ab intimis sui cordis eam hauriat: ne necessitate compulsa in mundum ad eam quaerendam egressa ab hostibus inferni capiatur atque interficiatur. Domi ergo mane cū Iacob & patris benedictionem cōsequeris, omniaq; paterna bona tua erunt. Domi mane, & ab intimis conscientiæ tuæ B aquam consolationis hauri, & tutus eris ab hostibus, cum quibus est tibi colluctatio, perpetuaque pugna. Contine igitur te intra cor tuum, meditationi, rerum diuinarum contemplationi, atq; orationi operam dando, & clauso ostio sensuū exteriorum ora patrem tuum. Bibe aquam de cisterna tua: hauri illam de fonte saluatoris. Ne ad aquas turbidas mundi exire cogaris: ne ad illas quærendas ad plateam egredi compellaris vbi non est nisi planctus & væ. Sic enim ait quidā vates. In omnibus plateis erit plāctus, & in eis, C qui foris sunt dicetur, vę, væ. Per plateā licet intelligere latā viam quæ ducit ad mortem. Qui foris sunt, dicuntur illi, qui non Dei consolationes intra cor suū quærunt: sed qui in mundo hoc qui in maligno positus est diuagātur, vt eius voluptates carnales quærant: quibus, duplex vę, prædicitur: væ illis, quia peregrè profecti omnē substantiā patris prodigētes, in miserā diaboli seruitutē deueniunt. Væ illis, qui perpetuas, si non sapiunt, pœnas sunt daturi. Tales similes sunt parasitis & D histrionibus, quibus nihil lare suo frigidius, & ideo fame compulsi cibū alieno partū labore, quęrere atq; capere studēt. Vir respiciēs in mensam alienā, nō est anima eius in cogitatione victus ait Ecclesi. Mensa aliena dicitur omnis delectatio & voluptas à Deo aliena: hæc est etiā mel illud syluestre: dulcedo. s. à Deo nimis extranea, cuius esu Ionathas Saulis filius mortis sententiam incurrit. Talis enim minime cogitat quid comedat, donec diuinitus afflactus ad se redit: & ad patris misericordiam recurrit.

Pro. 5. Esai. 12.

Amos. 5.

Eccle. 9.

D. Bon. de prępara. cor c. 2.

¶ *Post non multos dies congregatis omnibus*

bus adolescentior filius peregrè profectus est in regionem longinquam. Ideo ille dicitur abijsse in regionem longinqua: quoniam qui flagitijs est implicatus, longè à Deo esse dicitur. Hæc enim regio longinqua, vt d. Augu. ait, est Dei obliuio. Quid prodest adesse corpore, & animo distare? Qui turrim Babylonis ædificarunt, de lóge venerunt: ait enim scriptura eos profectos fuisse de oriente. Reliquerunt orientem, hoc est, Christum, discesserunt longè, & turrim Babylonis cõstruxerũt. Qui se à Christo separant & seiungunt, sunt exules à patria, & mundi ciues, construentes turrim ex lateribus & bitumine, ex terra & puluere, non ex quadratis lapidibus, quam Deus destruit, quoniam non est ad eius normam & amussim constructa. Et cum sint longè à Deo, est etiã Deus longè ab illis. Quemadmodum dicitur in Psalmo: longè à peccatoribus salus. Et in Prouerbijs: longè est Dominus ab impijs. Regio longinqua in qua habitant, qui mortiferis peccatis implicantur, appellatur vmbra mortis: iusti autẽ viuunt in vmbra vitæ, hoc est, Christi, de qua in Canticis ait sponsa: sub vmbra illius, quem desiderauetam sedi. In vmbra mortis, in regione longinqua sedebat ante Dei aduentum, humanum genus: sed Christus illud ad se congregauit. Quod intelligens diuinus Paulus dicebat ad Ephesios scribens: Vos qui eratis longè: facti estis propè in sanguine Christi. Verum cum mortiferis flagitijs contaminamur, nos à Christo longe separamus. Vnde dicebat in libro septimo confessionũ Augustinus: inueni longè me esse à te domine: in regione dissimilitudinis. Appellat regionem longinquam regionem dissimilitudinis, quoniam ob admissa scelera deturpatur in nobis Dei similitudo. Et non solum peccatores longè sunt à Deo, sed etiam à seipsis maximè distant. Quid longius, ait diuus Ambrosius, quàm a se recedere: vnde Seneca, mali, inquit, vbique sunt: præter quàm secum. Cũ igitur deprauatus homo sit procul, & a Deo, & à seipso & talis erat homo iste qui se humanis vitijs contaminauerat, seque totum libidinibus dederat & ius diuinum & humanum violarat, meritò de illo dicitur profectum fuisse in regionem longinquam. Atque eandem ob causam de gentibus omni scelerum genere præditis aiebat Dominus apud Esaiam: Ecce isti de longè venient. De remotissimis enim peccatorum regionibus venerunt ad Ecclesiam gentiles. ¶ Tu ergo si sapis quicquid egeris, dixeris, & cogitaueris, non recedat a Domino, & quocunque ambulaueris, quocunque proficiscaris, semper permane cum patre Deo, ne discedas ab illo, adhære illi & ita securus permanebis. Diuortium facit cum benignissimo patre Deo, qui se facit aduenam mundi. Tunc enim cor eius longè est à Deo non enim est ista locorum seiunctio, sed affectuum. Corrumpunt mores bonos, colloquia praua. Quare noli ab illo vel per momentum discedere si securus esse vis. Quemadmodum pulli securi sunt ab accipitre, quandiu circunuoluũt circa matrem viam suam nec ab ea longè discedunt. sic qui à Deo non discedunt, sed circa ipsum ambulant, in domo sua versantur, ab eo custodiũtur, ne à dęmone rapiantur, sin autem Deum relinquunt, & ab eo se longius, separant, incidunt in voracẽ illum accipitrem Tartareum, qui circuit quærens quem deuoret. Incidunt, inquam, in mala omnia, ac miserias omnes in quas filius iste natu minor deuenit.

¶ *Et ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriose.* Si populum gentium intuearis, intelliges habuisse à patre Deo substantiam acceptam. Habuit enim dotes suas, vim ingenij, cognitionem rerum conditarum, ex quibus licuisset cognoscere conditorem, sicut & cognouerunt vt Diuus Paulus testatur in ea quæ ad Romanos scripsit. Quin & de ratione rectè viuendi libros absolutos ædiderunt. Veruntamen omnem hanc substantiam dissiparunt luxuriosè viuendo. Immemores enim quod has ipsas opes deberent patris benignitati: quas ille non in hoc indulsit, vt stulte abuterentur, verum vt ex his parentem beneficũ colerent, suoque cultu ad largiorem munificentiam prouocarent. Quantum au-

Margin notes: Peccator longe a Deo esse dicitur. — Gen. 11. Figura. — Psa. 118. — Pro. 15. — Cant. 2. — Ephe. 2. — Augu. 7. conf. — Ambro. — Seneca. — Esai 49. — Simile. — 1. Pet. 5. — Populus gentiũ dissipauit dotes naturales quibus cognouerat Deum viuendo luxuriose & idola colẽdo.

tem aberrauerit à patre Deo populus hic nullus est qui ignoret. Cum ligna, lapides, canes, boues, simias, serpentes, cepas & porrum coleret pro dijs. Cum in eas turpitudines prolapsus sit: à quibus bruta quoque animantia semouet naturæ sensus. Infœlix autem libertas quam patris præsentia non moderatur. Huic ergo populo accidit quod huic iuueni emancipato: qui inter peregrinos prodegit omnem substantiam: non ipsius, qui nihil habebat suum, sed patris. Prodegit autem per luxum, alea, scortis, conuiuijs. Luxus enim est, quicquid extra necessitatem carnis cupiditatibus impenditur. Hæc nimirum corrumpunt ac vitiant, quasuis præclaras naturę dotes. ¶ Iam verò si generaliter de omnibus peccatoribus fiat sermo. Peccator sane prodigit substantiam sibi à Deo patre collatã: tradendo sese delitijs, totam fœlicitatem suã in voluptatibus corporis constituendo. Hi sunt homines effœminati: qui ob eam forsitan causam, mulieres ab Ezechiele vocantur: plangentes adonidem veneris amasium. Hi sibi ipsis interitum parant: quoniam animæ languenti nullam volunt adhibere medicinam: nec enim volunt corpus domare nec effrænatos appetitus coercere, sed voluptatibus defluentes ad excidium ducuntur. Quemadmodum cũ pars vna non est remedij capax remedium illud ad alteram applicamus. Quam ob causam laborantes graui capitis dolore scindimus venã brachij, quia caput non est capax phlebotomiæ, & venæ percussionis: sic vt medeamur animę, oportet opprimere carnem. At peccatores non castigant corpora, quin potius se indies in voluptates ingurgitant: & adonidem colunt. Sicquè omnem substantiã consumunt prodigendo illam per luxũ. Hi sunt similes illis qui in Genesi filij Dei vocantur de quibus scriptura ait. Videntes filij Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus quas elegerant: qui ita Deum offenderunt, vt diceret. non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. Qui enim spiritu Dei prius facti fuerant filij Dei, postea homines vocantur, nomine naturæ non gratiæ, quod sese turpibus coinquinassent voluptatib9: & humanis vitijs tradidissent. Quandiu ergo homines spiritu Dei aguntur: quandiu religionem & pietatem colunt, dotes viresque animæ non in hoc indulgẽt, vt stulté abutantur, sed ex his Deum patrem colunt: filiorum Dei nomine gaudere merentur. Sed si omnes opes has cõsumant luxuriosé viuendo, homines, & non dij: caro, & nõ spiritus: dicendi sunt.

Peccator quando dicitur prodigere bona sibi à Deo tradita.

Ezech. 8.

Similitu.

Gen. 6.

Gen. 6.

¶ *Consumpsit omnem substantiam viuendo luxuriosè.* Merito ergo ait Paul. fornicatio autem & immunditia, nec nominetur in vobis. Hyperbolicé loquitur Paulus vt ab his caueamus. Si enim tantum nocere potuit vxor propria viro, vt eum ligatum traderet hostibus, omni virtute spoliatum, cuius typus erant septem crines siue septem discrimina crinium capitis sui, quos Dalila eidem derasit: quibus attonsis & oculos & vitã amisit: factus in tetim Philistinorũ opprobrium: quantũ putas nocere posse alienam, cuius vmbra etiam nocet? Relinquẽdum est pallium in manu fœminæ: imó & vita si necesse sit ne septem virtutibus priuemur. En vides iuuenem istum cõsumpsisse omnem substantiam suam viuendo luxuriosé. Inueni, inquit mulierem morte amariorẽ, quæ laqueus venatorum est. Iste enim sapiens, sero tamen, cum iam esset senex, sed desiderijs iuuenilibus æstuans, corruptus est ab eis, atque persuassus vt sequeretur deos alienos. De qua re lege. 3. lib. Reg. cap. 11. & Ecclesiasti. 47. Tandem tamen ad se redijt, egitque pœnitentiam (vt autor est D. Hieronymus.) sic enim in Prouerbijs vt Hierony. refert, rex iste ait: Nouissimé ego egi pœnitentiam: & respexi vt eligerem disciplinam. Quanuis nostra editio vulgaris sic habet: quod cum vidissem, posui in corde meo, & exẽplo didici disciplinam. ¶ Tu tamen interim expende huius adolescentis miseriã, qui fornicando non diues sed pauperrimus factus est. Huic similes sunt multi apud nos hodie. Similes etiam illi meritrici cui Dñs apud Ezechielem dicebat: omnibus meretricibus datur mercedes: tu autem dedisti mercedes amatoribus tuis.

Ephe 5.

Iud. 16.

Gen. 39.

Eccle. 7.

3. Reg. 11. Eccle. 47. D. Hiero. in Ezechi. c. 43.

Pro. 14.

Ezech. 16.

tuis. Quicunque ergo fornicando diues fit: hic est meretrix cui dantur mercedes: qui peccando fœliciter in mundo agit, prosperaturq́; & cui omnia ad votũ eueniunt: quando vero fornicatur, & res huius seculi non secundæ, sed aduersę sunt: quando iniquè peccat & nihil illi in mũdo cui seruit prosperè succedit, sed omnia infœliciter: cupiens implere ventrẽ, vel de siliquis porcorum: hic meritrix est non congregans mercedes, sed patrimonium substantiamque suam prodigens: qualis erat adolescens iste.

Verus animæ cibus est spiritualis, & vera fames est rerum spiritualium penuria.

¶ *Facta est fames valida in regione illa & ipse cœpit egere.* Verus animæ cibus spiritualis est, & vera fames est rerum spiritualium penuria. Hac fame laborat filius hic prodigus, qui cõsumptis opibus cælestibus cœpit egere, atque fame correctus dicere: quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus ego autem hic fame pereo. Comparatione status illius præsentis, in quo erat, & præteriti, quem amiserat, excitatus est ad pœnitentiam, vidit famen præsentem, & meminit abundantiæ præteritæ, & in suspirium erupit. Et si peccator se videat omni humanarum opum copia affluentem, tamẽ cognoscit se veris diuitijs carere: nã torquetur animo, & nec satiatur, nec eius sitis vnquam expletur. Quid habet qui Deum non habet? Quid possidet, qui se ipsum nõ possidet? Id intelligens Diuus August. aiebat: omnis copia, quæ Deus meus non est, egestas mihi est. Omnia appetunt in centro suo conquiescere: ideo ignis sursum tendit, lapis autẽ deorsum. Eodẽ modo anima nostra in Deo quiescere desiderat, tanquam in centro suo. Eam ob causam ait D. August. creasti nos Domine ad te, ideo inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Hinc efficitur, vt mundi diuitiæ, & prosperarum rerum abundantia, honores & dignitates nequaquam possint animam satiare, cum centrum non sint vbi illa quiescat. Et vt lapis & si auro ornetur & in arcula preciosa includatur, non tamen propensionem amittit, quam habet ad centrum & proprium locum, vbi est eius quies: sic anima nostra quamuis magnis mũdi opibus & dignitatibus affluamus, non tamẽ tranquilla omnino & satiata est, donec in cælo conquiescat in Deo, illoque in æternum fruatur. Sentit quidem ob gratiæ assistentiam modum quendam quietis & suauitatis, sed perfectam quietem & suauitatem in cælo tantum consequitur. At impij homines nullam habent effigiem quietis, nec satuitatis. Imagines & vmbras rerum comedunt peccatores, ideo non replentur. Id intelligens aiebat Salomon: iustus comedit, & replet animam suam: venter autem impiorum insaturabilis est. Et Isaias: declinabit ad dextram, & esuriet. Et Oseas: comedent, & non saturabuntur. Et Amos, aut potius, Deus per illum: emitam famen in terrã, non famen panis, nec sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini. Hanc famẽ permittit Deus aliquando ob hominum scelera nefanda, permittens vt impij præsules rempublicam gubernãdam suscipiat, qui nec concionantur, nec concionatores admittunt, sed scientiam repellunt, & veram animorum escam abscondunt. De huiusmodi pastoribus ait Salomõ in prouerbijs: qui abscondit frumenta, maledicitur in populo. Cũ hæc fames in terra viguisset, venit diuinꝰ ille cõcionator Christus Deus noster, qui eam abstulit, & frumenti saturitatem tribuit. Quando igitur nihil habet hic mundus, quod explere possit animum hominis, summũ illud bonum, quod non est nisi in domo patris appetamus: nisi perpetua fame laborare malumus.

August.

Lib. 1. cõf. cap. 1.

Simile.

Prou. 13.

Isai. 9.

Osę. 4.

Amos. 8.

Prou. 11.

¶ *Et ipse cœpit egere, &c.* Ex hoc intelligimus, ait Hiero. quod prouidentia Dei sæpe nobis accidant mala, ne habeamus ea quæ cupimus, & varijs calamitatibus huius seculi, ac miserijs ad Dei seruitutẽ redire cogamur. Hinc est, quod Dominus per Oseã ait filiæ fornicationis: propter hoc ecce ego sepiam viam tuã spinis & sepiam eam maceria: & semitas suas non inueniet. Dixerat meritrix: vadam post amatores meos, qui omnium rerum mihi abundantiam præbuerunt. Respondit Dominus: ego sepiam vias tuas spinis siue sudibus, ne possis ire quo desideras: & interponam maceriam siue murum: &

D. Hiero. Oseæ. 2.

Oseæ. 2.

semitas tuas quas crebro triueras pede, non inuenies, ne apprehendas eos quos tanto studio sequebaris: & rerum necessitate compulsa, reuertaris ad virum tuũ, & dicas hoc quod filius iste prodigus. Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus: ego autem hic fame pereo. Surgam & ibo ad patrem meum & dicam illi pater peccaui in cœlum & coram te. Magna sanè Dei misericordia est vt peccatoribus accidant multa mala vt ad Deum redire cogantur. Vnde in libro Iudi. filij Israel sæpe pressi malis, ad Dominum clamant: qui suscitat eis Saluatorem. Sequuntur etiam hæretici amatores suos: à quibus sæpe deserti ad sinum matris Ecclesiæ reuertuntur, quia flagella per omnia erudiunt Israel. Vadam ait fornicatria illa & reuertar ad virum meum priorem: quia bene mihi erat tunc magis quàm nunc. Hoc idem ait filius iste prodigus fame compulsus. Hinc etiam est quod idem Dominus apud vatem alium dicebat. Ponam offendiculum coram eo. Sensus est non enim statim quod iustus peccauit occidam, non illico eum in tenebras æternas relegabo, sed expectabo eum, vt se ad meliorem frugẽ recipiat: ponã offendiculũ corã eo ne per viã illam iniquitatis incedat. Sed quæres quomodo ponat Deus hoc offendiculũ illi, qui cũ iustꝰ esset, incidit in crimen lethale. Existimo hoc offendiculũ esse acerbã quandã calamitatẽ, qua Deus virũ iustũ errare incipientẽ opprimit, vt conuertatur. Hoc offendiculo cõuersus est filiꝰ iste natu minor. Hoc offendiculo cõuersus est Dauid, qui ait: cõuersus sum in ærumna mea, dũ configitur spina. Spinam vocat calamitatem eum pũgentem & torquentem. Ita intelligi dicebamus locum Osææ modo allatum. Aspicis per offendiculum intelligi spinam, per spinam verò calamitatem. Huic expositioni fauet versio Theodotionis, qui hoc loco pro offendiculo tormentum seu cruciatum vertit. Solet Deus homines virtute ac pietate præcellentes, si aliquando crimen aliquod admittant, calamitatibus, vt diximus, exercere, & expiare, & per magnas ærumnarum angustias à peccato auertere, & ad vitam perducere immortalem. Videntes enim se doloribus vrgeri, conuertuntur ad Deum, ad quem contriti ardenter aspirant. Vnde ait regius vates de iusto loquens: cum ceciderit non collidetur, quia Dñs supponet manum suũ. Ac si dicat: vir pius contaminare animũ flagitio potest, Deũq; aliquando grauiter offendere, sed Deo fauente resipiscet & pœnitentiam aget.

Magna est misericordia Dei vt peccatori accidant mala vt ad Deũ redire cogatur

Glo. Osææ. 2.

Ezech. 3.

Psal. 31.

Psal. 36.

¶ *Adhæsit vni ciuium regionis illius.* Peccator cui graue est obtẽperare iussis clementissimi patris, cogitur sese dare in seruitutem ciui peregrino & barbaro. Quò recusant homines accipere iugum suaue Domini, coguntur ferre iugum sathanæ. Præterea per vnum ciuium intellige etiã vitium cui peccator adhæret specialiter. Quidam vanitati adhęrẽt, quidam auro, quidam voluptati, quidam omnibꝰ hijs, alijsq; innumeris. Qui viris bonis detrahunt, eorũq; famam lacerare contendũt: detractioni adhærent quæ ciuis est huius mundi. Qui se corporum illecebris dediderunt, luxuriæ seruiunt: qui leuitate & iactatione ducuntur, & populi rumusculos aucupantur, iactantiam ac vanam mundi gloriam colunt: qui crudelitate gloriantur, iræ subijciũtur: qui pecuniæ sunt cupidi, auaritię sunt serui. Vide hominum miserias & ærumnas: qui deberent Deo seruire, atque illi soli adhærere, vitijs seruiunt: hæc colunt, hæc adorant. Et ingressus vidi, ait Ezechiel, & ecce omnis similitudo reptilium & animalium abominatio, & vniuersa idola domus Israel. Ad id amentiæ deuenerant Hebræi: vt omnia gentiũ idola colerent. Et vt ait Esaias, talpas & vespertiliones adorarent. At si in cordis nostri domicilium fuerimus ingressi: easdem abominationes mentis oculis aspiciemus. Penetremus conscientias nostras, & in cubilibus earũ imagines idolorũ propè infinitas intuebimur. Ea. n. quæ cõtẽpto patre Deo colimꝰ, in quibꝰ fœlicitatẽ cõstituimꝰ, idola sunt, quibꝰ sacrificamus: Dñi sunt, quibꝰ adhęremꝰ. Detractores colũt prodijs suis canes latrantes & mordentes: luxuriæ dediti, suibꝰ iacẽtibꝰ in volutabro seruiũt. Vanitati & iactationi studentes inue

Cum recusamus ferre iugum Dñi, cogimur ferre iugum sathanæ.

Ezech 8.

Esai. 2.

Simile.

inuenient in templo animæ suæ paucnes oblectantes seipsos: quibus adhærent. Crudeles vero reperient intra se leones: quorum sint mancipia. Vide obsecro istorum calamitatem, qui deberent non solum se ab omni vitio, ac flagitio abducere, sed etiam omnem animi cogitationẽ integram castamque seruare, se vitijs contaminant: & turbulẽtis, ac concitatis animi perturbationibus agitantur, & impetu vitiorum rapiuntur, & nunquam satiantur imo perpetuam famen patiútur. Vt mare quamuis in se incurrentium flu minum multitudinem excipiat, nunquã tamen redundat, sic flagitiosi homines nunquam vitijs satiantur, sed quorundã scelerum stimulis ad alia detestabiliora excitantur: ita vt abyssus abyssum inuocet, quoniam vanis falsorum bonorum simulacris delusi, vera & solida bona contemnunt, & pro nihilo ducunt: sceleribus autem & maleficijs se pascunt, licet se illis præ desiderio satiare non possint. Talis erat filius iste qui præ fame nunquã satiari potuit, qui vni vitiorum adhæsit qui porcos pascebat. & de siliquis saturari non poterat.

Simile.

Psalm. 41.

¶*Et misit illum in villam suam vt pasceret porcos. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabãt & nemo illi dabat.* Vide obsecro quàm sit misera seruitus, seruire cupiditatibus mundanis. Ciuis ille misit hunc miserũ in villam suam, vt illic pasceret porcos suos. A quanta dignitate, in quantam cõtumeliam sua stultitia deuenerat miser adolescens. Ex ditissimæ domus hæres factus est seruus & subulcus. Nec interim crudelis ille Dominus dabat quid ederet. Quid multis? Tanta erat fames veritatis & gratiæ diuinæ, quæ sola explet animum hominis, vt cuperet implere vẽtrem quibuslibet, vel siliquis, quibus saginantur porci. Neque quisquam erat, qui vel hoc pabulum illi daret, vt iam in fœlicior esset ipsis porcis, quibus seruiebat verius, quam imperabat. Iam illa ipsa naturæ bona pœnè destituerant iuuenem, & tamen corruptissimus animi stomachus aliquid cibi flagitabat. Omnis inanis mundi voluptas ad breue tempus

Misera seruitus est seruire cupiditatibus mundanis.

A delinicns nec satians, nec saginans animum, porcorum siliquæ sunt. His delectantur dæmones, ac sibi addictos inescant verius, quàm satiant. Nec harũ semper est parata copia: aut si est, multo felle dolorum vitiata est. ¶Intuere rogo peccatores, intuere eorum munus, curam ac diligentiam in pascendis porcis adhibitã: dies noctesque consumunt nihil aliud agentes quam quærere voluptates quibus immoderatos appetitus suos pascãt. Quibus vel visum, aut auditum, aut gustum, cæterosue sensus corporis detineãt

B reficiant atq; alant: ac si non Christi, sed epicuri disciplinam sequerentur, ac si nõ animam, sed carnale solum corpus haberent: ac si ad nullum finem alium conditi essent, quam ad dandam operam carnalibus voluptatibus: cæterisque mundi delitijs, atque immunditijs. Sic nihil aliud cogitant, aut agunt, aut loquuntur, aut somniant, quàm quonam modo mundi vanitatibus perfruantur, nunc hanc nũc illam pergustãdo voluptatẽ. Quid enim aliud homines agunt cantilenas, conuiuia, diuersa ornamentorum genera, parã

C do: quàm dare operã quo pacto porcos, hoc est, sensus suos pascãt? Velint nolint hi: his rebus incumbere pascere porcos vocatur a Deo. Nam quemadmodũ porci genus quodam sunt animalium sese cœno immundo ac fætido volutantium: sic homines isti voluptatibus carnalibus voluuntur, ac delectantur. Quo quid infœlicius? Quid miserabilius? Si his præsertim addas non posse miseros, qui a tanta dignitate ceciderunt, hoc tã putrido pastu satiari. Imo multoties nõ posse quod tam ardenter desiderãt, assequi: cũ quod

D illos capere oportebat sæpe alius intercipiat. Quod inter porcos, glandes à subulco percussas, pascentes, contingere sæpe videmus. Quas enim alius comedere nititur, alius præripit. ¶Hic est infœlix ac miser status ille, hæc fames illa insatiabilis, quam regius vates describit Psalm. 106. his verbis: errauerunt in solitudine, in inaquoso, viam ciuitatis habitaculi non inueuerunt. Esurientes & sitientes: anima eorum in ipsis defecit. Quæ obsecro fames ista est? Quæ insatiabilis sitis, nisi arden-

Psal. 106.

ardentissimus ac flagrantissimus appetitus ille voluptatum carnalium, ac rerum humanarum, quem miseri mortales habent? Hic tam insatiabilis est, vt indies magis magisque crescat. Hic nunquam dicit satis. O terque quaterque miseri & infælices vos mortales, quibus inest hæc sitis tam immensa, tamque inextinguibilis: quod dereliquistis fontem aquæ viuæ, & fecistis vobis cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Defuit vobis flumen illud quod lætificat ciuitatem Dei: & idcirco in terra hac deserta, inuia, & inaquosa, aquã immundam, salsam & veneno plenam quęritis. Impij Holofernis, hoc est, diaboli artificio factum, hoc est. Qui cum Betuliã obsideret, circuiretque per gyrum, incidi præcepit aquæductum fontis influentis in ciuitatem. Manserunt tamen non longè à muris fontes, ex quibus furtim videbantur haurire aquam ad refocillandum, potiusquam ad potandum. Quid ergo vos miseri aliud facitis, postquam impius diabolus præscidit in animis vestris fontem vitæ, atque venam aquarum viuentium: quam quærere fontes huius mundi, ex quib9 furtim hauriatis aquas voluptatum, honorum, dignitatum, diuitiarum, quæ tantum refocillare: non autem sitim animi incredibilem extinguere possunt? Quid tibi vis in via AEgypti, vt bibas aquam turbidam? Aut quid tibi cum via Assyriorum, vt bibas aquam fluminis? Quæ, dic mihi, aqua magis turbida magisque cadaueribus inquinata inueniri in hoc mundo potest quam voluptas carnalis, quando eam absque pessimo odore, insuauissimoque sapore potare nemo potest? Nam quis odor peior, infamia ipsa ex peccato orta? Quis insuauior sapor, quam cõscientię morsus? Qui duo, (vt quidã aiebat olim Philosophus) perpetui atque indiuidui sunt comites, sensualis voluptatis. ¶ *Et ipse cœpit egere, et adhæsit vni ciuium regionis illius et misit illum in villam suã vt pasceret porcos.* De magno sępe virtutum culmine solet homo gradatim in ima corruere vt in hoc misero adolescente videre est. Quare qui stat (ait Apostol9) videat ne cadat.

Heb. 2. Iudith. 7. Figura. Hiere. 2. 1. Cor. 10.

A De quantumlibet celso fastigio (inquit Richard9) facile potest in ima corrui: vel in profundum demergi. Imò proculdubio quanto gradus altior, tanto casus deterior. Debet nos semper illud Nabuchodonosoris somnium & cautos reddere & solicitos efficere. Vide obsecro visionis eius statuam: vide, inquam, à quanta sublimitate incipitur, & in qualem tandẽ finẽ deducitur. Habet sanè caput aureũ, & finem testeũ. Quid auro charius: quid testa vilius? Attende & illud quomodo B gradatim ad deteriora vergit: & quandoque in fœdissimo fine finem facit. Prima pars aurea, secunda argentea, tertia ærea, quarta ferrea, & quinta describitur testea. In auro intelligitur charitas, in argẽto veritas, in ære simultas, in ferro crudelitas, in testa fictili fragilitas. Testa enim facile frangitur, & per eam rectè impatientię fragilitas figuratur. Ferrum quod cætera omnia metalla comminuit & domat, competenter quidem crudelitatis violentiam designat, quæ resistentia quęque premit, vt opprimat. AEs autem ar-C gentum imitatur in sono, sed multum dissonat in precio. Sic simulatio suauẽ adulationis tinnitũ habet in sermone, & suauiter reboat, & dulciter resultat in opere: sed quantum per verbum, & exercitiũ demulcet extrinsecus, tantum per consilium & desiderium pallet intrinsecus. Argentum quoque quo frequentiori vsu atteritur, eo vtiq; clarior redditur. Sic veritas vehementi discussione quo magis, eo melius commendatur: sic veritatis cõsilia experientiæ vsu, quo certiora, eo cla-D riora reddũtur. Charitatis claritatem auri fulgor exprimit, quæ cœlestis desiderij igne flammescit. Et sicut aurum cæteris metallis prefertur, sic charitas cęteras virtutes supergreditur. O quãtum est inter testam & aurum: inter statuæ finem & statuæ principium. Statua, quæ ex auro incipit, testam desinit. Puto quia nemo repente fit turpissimus. Sed qui minima negligit paulatim defluit. Sicut quibusdã profectuum gradibus ad alta conscenditur: sic rursum gradatim ad ima descenditur. Attende quo in hac statua prius aurum: postea argentũ; post hæc mediante

Richar. de S. Vict. li. 2. de erudi tio. inte. hom. c. 25. Dani. 2. Figura statuæ explicatur bifariam.

ærę;

ære: sequitur & ferrum. O quanta differentia auri & ferri. O quantum in se differunt charitas & crudelitas. Quid tamen de his ait veritas? Abundabit (inquit) iniquitas: & refrigescet charitas multorum. Vide quæso vnde quo peruenit: de abundantia charitatis ad abundantiam iniquitatis. Charitas ad aurum: iniquitas pertinet ad ferrum. O mirabilem (imò detestabilem) commutationem: de charitate ad iniquitatē. Si auerterit se (inquit) iustus à iustitia sua: & fecerit iniquitatem: omnes iustitiæ eius quas fecerat non recordabuntur. Opus detestabile & dignum confusione, quod inchoatur ex auro: & cōsumatur in testa & ferro. Sic nāq; describitur pedū pars quędā ferrea & quędā testea. O cōfusibiles operarios qui in initio conuersionis suæ: opus suum inchoāt ex auro: & tandem consummāt luto. Scimus quia sæpè cum immundus spiritus exierit de homine quærens requiem, & non inueniens: assumptis secum septem spiritibus nequioribus se: reuertitur in domum suam: & ingressus habitat ibi: & fiūt nouissima hominis illius peiora prioribus. Quā multos videmus in initio suæ conuersionis spe gaudentes: spiritu feruentes: in tribulatione patientes: solicitos in opere: studiosos in lectione: deuotos in oratione. Quid isti videntur tibi nisi in auro operari: & in charitate initiari? Charitas enim (vt scriptum est) patiens est: benigna est: omnia suffert: omnia credit: omnia sperat: omnia sustinet. Nonne operari tibi videtur in auro cui dictū est a domino: noui operatua & charitatem, & fidem, & ministerium & patientiam tuam? Sed sunt multi qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedūt. Nec tamen qui huiusmodi sunt, statim se in infima demergunt: sed prius de bono in peius, dehinc de minus bono in malū: & demum de malo in deterius corruūt. Mons enim cadens paulatim defluit: & terra alluuione consumitur. Siquidē qui huiusmodi sūt paulatim incipiūt à pristino desiderio tepescere: & à priori feruore magis magisq; deficere. Hactenus Richardus. Huius etiam rei habes figuram in hoc adolescente qui à charitate vsque

Matth. 24. a

Ezech. 18. f

Matth. 12. d

1. Cor. 13.

Apo. 2. e

A ad maximam miseriam deuenit vt hic vides. ¶ Cæterum si quis totum quod dictum dicitur (ait idem Richardus) velit accipere in malo, eius assertioni absque dubio facile cōcedo. Per aurum ergo potest intelligi arrogantia, per argentum iactantia, per æs pertinacia, per ferrum sæuitia, per testam impatientia. Corruit enim peccator de malo, in malum & de vitio in vitium & de miseria in miseriā. Aurum siquidem omnia metalla precij sui dignitate præcedit, & superba mens cæ-

B teros omnes in sui cōparatione despicit. Argentum suauem & admodum dulcem sonum habet: & iactātia in sui laudis præconio blandam iucundamq; se exhibet. Æs, eo quod valde durabile existat: recté satis pertinaciam figurat: quæ à suo cōsilio vel proposito, vix vel nunquam deflecti queat. Ferrum quod cætera soleat metalla domare, conuenienter satis sæuitiā designat, que solet cæteros premere. Per testam autem que facile frāgitur, recte satis impatientia designatur. Aureum itaque sibi caput fabricat, qui sibi sancti

C tatem arrogat. Pectus argenteum, & brachia argentea circunferre videtur, qui de cōsilij & operis sui rectitudine gloriatur. Quasi vētrem & femora quodammodo ærea habet, qui in his etiam pertinax permanet, quę propter vtilitatem despicere, vel propter inhonestatem erubescere deberet. Tibias ferreas habere se ostendit, qui & contra superiores se per audaciam erigit, & inferiores per sæuitiam premit. Testeis plantis innititur, qui terrenorum amori immoderatius incumbens: ad impatientiam effrenatur. Notandum sané quibus corruptionis gradibus defectus

D nostri malum incremētum accipiat, quomodo gradatim ad deteriora deuergens vsque in ima descendat. Vide quo modo arrogantiam sequitur iactantia, iactantiā pertinacia, pertinaciam sæuitia, sæuitiā impatientia. Iactantiam sané arrogantia pręcedit, quia nisi prius elata mens de se alta sentiret nunquā impudenter de scientia aut sanctitate iactaret. Cū autē quod in semetipsa de sua scientia, vel sanctitate sentit alijs etiam persuasum esse credit, quid iam mirum si in suo consilio vel proposito

Richar. c. 16
2. explicatio figuræ.

posito pertinax persisterit. Nisi vero in suo consilio vel proposito prius pertinaciter persisteret, nunquam pro eorum defensione in alios tam improbé sæuiret. Seuitia impatientiam generat, quia quo quisque proximum suum minus amat, eò vtique eius infirma molestius tolerat. Scimus autem quia amoris alueus quo amplius erga proximos obstruitur extrinsecus, eò altius erga semetipsum intumescit intrinsecus. Et quanto quisque miserabilius per priuatum amorem in semet ipso languet: tanto vtique molestias suas molestius sustinet, tantoq; difficilius desideria sua cohibet. Hinc est quod erga alios seuerus & in semetipso resolutus, dũ modo in alios furit, modo in semetipso torpescit, pedibus ex parte ferreis, & ex parte testeis incedit. Et quidem sæpe quidam adeo ex magnis conatibus quos in principio conuersionis audacter præsumpserunt, tam enormiter inanescunt, vt in tanta dissolutione, qua tandem tam eneruiter viuunt, nec tenue quidam non dicam exprobrationis, sed nec correctionis, imo blandæ admonitionis verbũ patienter audire possunt. Væ miseris. Quid quæso iam de his poterit fieri, vel quæ iam spes vlterius haberi, qui propter arrogantiam nullo modo possunt à suo tumore deijci, nec propter pertinaciam de suo errore conuinci, nec propter ferri duritiem à suo rigore deflecti, nec propter testeam fragilitatem de suo torpore redarguit. ¶ Sed nec horum tamen ferream seu lapideam duriciem debemus despicere: potens enim Dominus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Quæ enim impossibilia sunt apud homines, apud Deum possibilia sunt. Suis enim etiã gradibus mens sæpe ex diuina ordinatione resurgit, quæ de magnis bonis in ima cadit: suis etiam gradibus reparatur à Deo mens quæ de magno malo in deteriora labitur. Vide primũ quid sequitur apud Danielem & deinde videbis quid sequitur apud nostrum Lucam post causam iuuenis de bono in malũ & de malo in malum. Videbas (inquit Daniel) ita: donec abscisus est lapis sine manibus & percussit statuam in pedibus eius ferreis & fictilibus & comminuit eos. ¶ Hæc ergo statua posita est ante oculos huius adolescẽtis: qui de dignitate filiali ad miseram seruitutem descẽderat: & de misera vna seruitute in aliam miserabiliorem suis gradibus lapsus fuerat: atque in se reuersus vt eam contemplaretur statim tactus lapide cœlesti, hoc est, diuina inspiratione atque afflatu, tactus diuina virtute, contritus & humiliatus corruit dicens: quanti mercenarij in domo patris mei abundãt panibus ego autem hic fame pereo: surgam & ibo ad patrem meum & dicam ei pater peccaui, &c. Tu ergo si peccasti propone obsecro ante oculos tuos ante actam vitam tuam: statue statuam hanc ante te: & sic tactus dolore cordis intrinsecus, corrues ante Deum: cuius tãta fuit benignitas, vt ad pœnitentiam te adduceret. Imitare hunc iuuenem: imitare Dauidem qui proponebat ante faciem suã statuam istam vitæ maleactæ. Atque idcirco dicebat: peccatum meum contra me est semper. Ac si dicat: semper in id oculos mentis intendo, vt eius fœditatem agnoscam. Cur autẽ hoc faciat, in alio quodam Psalmo expressit. Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi. Prima cogitatio est de peccato, de fœditate, de turpitudine, de malitia illius: & ex hac cogitatione supersunt semper quædam reliquiæ, videlicet odium, displicẽtia, detestatio. Nam vt est apud quendam Prophetam, omnis qui viderit te resiliet à te. Quisquis enim probe (vt decet) peccati malitiã agnouerit, nisi mentis inops: ab illo tanquam à profundo puteo resiliet, & velut à poculo venenato abstinebit. Reliquię ergo quę de peccato supersunt: sunt peccati odium & displicentia. Et hæc diem festum agunt Deo: vel (vt alia translatio habet) solemnia celebrant Deo. Quale autem sit hoc festum expressit pater benignus, qui filium hunc de pastu porcorũ & fame confectum redeũtem recipiens: ait. Manducemus & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit: perierat & inuentus est. Grande nimis & magnificum festum faciunt hæ cogitationis reliquiæ, cũ in cœlo fiat mag-

Richar. c. 37. — Matth. 3. — Matth. 19. d — Psa. 50. — Psa. 75. — Naum 3.

magnum gaudium super vno peccatore pœnitentiam agente. Quia ergo Dauid cognoscebat quantum lucrum sibi pararet hæc peccati cogitatio, ideo nūquam hæc cogitatio excidebat sibi, semper defixis in peccatum oculis intēdebat: vt nulla rei familiaris dispensatio, aut regni administratio ab huiusmodi cogitatione illū auocare potuerit: ideo aiebat: & peccatum meum contra me est semper. Tu ergo fac, si sapis, similiter, & viues.

¶*Inse reuersus dixit: quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus ego autem hic fame pereo.* Exordium conuersionis recte ducitur ab hac consideratione. Heu vnde excidi miser. Hinc Apoca. 2. ait Dominus cuidam Episcopo: memor esto vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Et D. Pau. ad Gala. 3. Sic stulti estis, vt cum spiritu cœperitis: nunc carne consumamini. Habet hoc maiorem vim atque efficatiam ad conuersionem: vt quis memor sit à statu innocentiæ & amicitiæ diuinæ decidisse in statum inimicitiæ diuinæ: à quo decidit ille qui descendit à Hierusalem in Hiericho, & fuit spoliatus, & vulneratus, atque semiuiuus relictus. Resipiscant ergo peccatores, & lachrymas præ dolore fundant: memores pristinæ dignitatis à qua exciderunt. Dicant illud, quod olim in Babylonica captiuitate positi dicebāt: Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. Memoria antiquæ fœlicitatis solet cruciare miseros. Hinc vox huius miseri: quanti mercenarij in domo patris mei abūdant panibus. Ex quo commotus ait: surgā & ibo ad patrē meū & dicam ei pater non sum dignus vocari filius tuus. Memor ergo esto peccator vnde excideris & age pœnitentiā & prima opera fac. Erāt olim in te ieiunia, orationes assiduę, vigiliæ, contemplationes, aliaque id genus reliqua exercitia bonorum operum, quibus Christus maxime delectabatur, ad illa rede, si viuere vis: sin autem actum erit de te. ¶*Inse autem reuersus.* Hic vides, quod alias dicebamus, homines sceleribus implicatos, extra se esse, & mundo vagari. Ideo hic inse reuertitur qui à se erat alienat9. Exierat extra se, & seipsum relinquens reliquerat patrem: Sed aliquando reuersus ad se inuenit seipsum, qui perditus erat. Non poterat ad se redire, nisi qui à seipso abierat. Et inse reuersus excitat seipsum memoria præteritæ fœlicitatis, & in spem veniæ erigitur. Et tunc cognouit non fuisse secum, cum in se esse videretur. Atque ob hanc causam dicebat Dominus apud Esaiam: Reuertimini præuaricatores ad cor. Reuertimini ad vos ipsos, à quib9 vos alienastis. Nihil tam longē à vobis quàm vos. Qui extra se est, dicitur esse extra cor: ideo peccatores corde carere, & sine corde esse dicūtur. Apud Hieremiam ait Deus: Audi mē popule qui non habes cor. Et in illo Esaiæ capite paulò post, vbi nostra versio habet, audite me duro corde, habent septuaginta: audite me qui perdidistis cor. Et Dauid ait: & cor meū dereliquit me. Et alibi: Super sanctos suos, inquit, & in eos qui conuertuntur ad cor. Si ad cor conuertuntur, ergo antea extra cor vagabantur. Et Ecclesiasticus, qui, inquit, timet Dominum conuertetur ad cor suum. Et alibi: Collige & congrega cor tuum. Et ibi Deus per Esaiam: Redite præuaricatores ad cor. Iubet Deus vt ad nos ipsos redeamus. ¶*Inse autem reuersus dixit quā ti mercenarii in domo patris mei abundant panibus ego autem hic fame pereo. Surgam, &c.* Iam igitur vides venisse hūc iuuenem ad extremam calamitatem. Sed fœlix calamitas, quæ trahit ad pœnitentiam si quidē hic primus salutis gradus, reminisci vnde decideris, & agnoscere quo degeneraris. Atque hic erat patris attractus. aberat ille quidem à patre, sed pater nusquam nō aderat. Antea iuuenis mēte captus erat, dementatus huius mundi præstigijs, fugiens ea, quæ sola fuerāt expectenda: expectans ea quæ sola fuerant fugienda. Sed bene habet vt peccator cognoscat Deum saltem cum in tribulatione & calamitate fuerit positus: & cum iustitiam fuerit expertus. Solent enim peccatores tunc Deum cognoscere, atq; ad se redire: cum in calamitate sunt constituti. Ita Hebræi à serpentibus ignitis lacerati Deum cognouerunt: atque ad se reuersi

Marginalia: Apo. 2. — Gala. 3. — Supra 10. — Psa. 136. — Peccatores extra se sunt & mundo vagantur. — Esai. 46. — Hiere 5. — Psa. 50. — Psa. 84. — Eccle. 21. — Eccle. 30. — Fœlix calamitas quæ trahit ad pœnitentiam — Numer.

semper sibi illud stabile & firmum permansurum, quod in alijs fluxum & fragile intuetur. Intuere obsecro casum huius adolescentis. Imitare illum, qui non ad herum suum confugit sed ad patrem. Cum te molestijs videris laceratum, & ærumnarum fluctibus concussum, & molestiarum copijs vndique obsessum, confuge non ad mundum qui pauperrimus est, neque ad mundi principem cui seruiebas: sed surge: Et abi ad patrem, hoc est, ad Christum, ipsum inuoca, in eius misericordia spem omnem tuam colloca: omnem curam & cogitationem constitue. Ipse enim ait: inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me. Nos igitur ingrauescente rerum aduersarum mole non debilitemur, & frangamur, sed surgamus & eamus ad Christum qui diues est in misericordia. Et qui absque aliorum detrimento nos diuites facere potest: easque opes præstare quas nec casus eripit, nec tempus consumit, nec inuidia labefactat: hæ sunt opes quæ á viro iusto possidentur, de quo ait diuinus vates: gloria & diuitiæ in domo eius, & iustitia eius manet in seculum seculi. Et alibi: spera in Deo, & fac bonitatem & inhabita terrá, & pasceris in diuitijs eius. Ac si dicat: si pietatem & virtutem colueris, velim tibi persuadeas esse te vitam placide & tranquillé traducturum, & magnis diuitijs abundaturum, non illis, quæ transeunt, & fluunt, & tanquam flosculi decidunt, sed quæ permanent, & animum veré diuitem faciunt, ex quibus vera nobilitas refloreseit. Vt in iuuene isto videre poteris. Reliquit herum in cuius domo famescebat: surrexit, abijt ad patrẽ & benignissime susceptus stolla prima indutus est atque in pristinam dignitatem filialem restitutus.

Psa. 49.

Psa. 111.

Psa. 36.

¶ *Surgam et ibo ad patrem meum, et dicam ei: pater peccaui, etc.* Merito Deus pater vocatur, & iuré ille solus pater vocari vult super terram cum solus ille habeat vera viscera paterna. Maximo sané amore parentes filios suos prosequũtur: sed non est eorum tanta vis amoris vt patiantur filios rebelles, & inobedientes, coram eis amplius comparare: at pater cœlestis tam ardenti amore prosequitur filios suos vt quantumuis rebelles, impij, ac scelerati fuerint, si procidant contriti ad pedes eius, eorum misereatur. Cuius viscera paterna intelligens adolescens iste idcirco ait: *Ibo ad patrem, dicam ei: pater peccaui*. Vnde statim additur: quod pater videns illum misericordia motus est, &c. Hæc viscera paterna optime nouerat qui dicebat: Tu enim pater noster, & Abraham nesciuit nos: & Israel ignorauit nos. Tu Domine pater noster, Redemptor noster á seculo nomẽ tuum. Hic amor paternus ex Dei bonitate dimanat & effluit: ab hac enim bonitate duo eructant insignia flumina, misericordia, scilicet, & amor. Misericordia, qua langores & morbi nostri curentur: amor vero, quo cœlestia eius bona communicentur. Si ergo fons est immensus & infinitus, qualis rogo erit amore paternus ab illo oriens & dimanans? Idcirco non est quare peccator quantumuis grandis, ac notus desperet, deficiat, & venire ad patrem misericordiarum timeat aut erubescat: sed potius surgat á mala vita anteacta, & eat fiducia plenus ad hunc patrem, & dicat ei: *pater peccaui*. Non enim despicis filios peccatores imó tanta est bonitas tua vt eos voces, trahas ad te. Ad colloquium admittas, imó cum eis cibum sumere non dedigneris. In defensione facti mei, vna hæc spes est, quoniam noui te esse veré patrem, natura clementem, & exorabilem, non dubito quin aliquid pristinæ charitatis residet in tuo pectore, etiam si ego filium exui. Non nego culpam admissam. Plus apud te valere solet simplex confessio, & animus sibi veré displicens, quam accurata purgatio. Solus tu potes restituere collapsum: & si quisquam pater vult, tu vis. Statue tu de me quicquid velis. Pater es, tuus sum; & in te peccatũ est quicquid peccatum est. Fateor ergo pater quod peccaui supra modum & coram angelis Dei & & coram te, nec post hac me dignum iudico, qui dicar filius tuus.

Merito Deus vocatur pater.

Esai. 63.

¶ *Peccaui in cœlum et coram te*. Idest, Deum & te offendi. Cæterum, verba hec

Signum est impudentiæ maximum non solum in Deū sed coram Deo peccare.

perpendendo, obserua: signum esse impudentiæ maximum, non solum in Deū sed coram Deo peccare. Sufficere sanè deberet ad non peccandum, considerare quod Deus videt, & intuetur nos: quod cum peccamus adest, præsensque est. Sed qui Dei præsentiam parui pendunt, qui illam non curant, ac scientes & prudentes offendunt: hi impudentes ac temerarij dicendi sunt. Hinc est quod Dominus apud Hieremiam ait: Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Statimque Dominus hortatur atque admonet omnes nos, vt imitemur hunc filium perditum dicens: ergo saltem amodo voca me. Pater meus, dux virginitatis meę tu es. Nūquid irasceris in perpetuū, aut perseuerabis in finem? Si ergo peccauimus surgamus & venientes ad patrem dicat vnusquisque nostrum pater peccaui in cœlum & coram te: fateor impudētiam ac temeritatem meam. Et tunc veniam consequemur, vt adolescens iste cōsecutus est. Nam bonus est Dominus sperantibus in eum, & animę quærenti illū.

Hiere. 3. b

Tre. 3. c.

¶ *Ad se reuersus dixit surgam & ibo ad patrem meum et dicam ei. pater peccaui in cœlum et coram te. Iam non sum dignus vocari filius tuus, ect.* En adolescens iste nobis exprimit veræ pœnitētiæ, quæ medium est necessarium ad salutem, conditiones. Primūm, peccator vt animę suę medeatur ad seipsum redire debet, miseriam suam considerando, deinde surgere à peccato in quo est, tertio adire animi fiducia patrem misericordiarum, quarto, maximo dolore affici quod Deum offenderit, quinto fateri se indignum dignitate filiali, denique necesse est firmum stabileque propositum habere in futurum cauendi sibi, atque Dei perpetuum mancipium esse, perpetuumque mercenariū eius. Sed iam de his aliàs disseruimus: tantum impresentiarum perpēde huius adolescentis humilitatem, atque cognitionē sui. *Iam*, inquit, *non sum dignus vocari filius tuus, &c.* Hæc enim humilitas atque cognitio sui dolore sotiata, maximè commendat peccatorem apud Deū: imò non solum peccatorem, sed iustum. Hæc maximè commendabat Paulum dicentem:

Veræ pœnitentiæ conditiones necessariæ ad salutem in hoc filio prodigo ostenduntur.

I. Cor. 15. Humilitas dolore sotiata maxime cōmendat apud Deū tā iustū quā peccatorem.

non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiā Dei. Hæc etiam plurimum commendauit Dauidē dicentem filiæ Saulis: ludam & vilior fiam, eroque humilis in oculis meis. Intuere quanta virtutum munera Dauid acceperat: & in his omnibus quo modo humilitatem retinebat. Quem enim non extolleret ora leonum fregisse, vrsorum brachia dissipasse, vno lapide Goliath strauisse: à rege proposita extinctis allophilis numerosa præputia reportasse, promissū tandem regnum percipere, cunctumque Israel sine contradictione possidere: cum ipse minimus esset inter fratres, sicut Paulus inter Apostolos: & tamē horū omniū quasi oblitus, cum arcam reduceret in Hierusalem, populis admixtus quibus erat prælatus, atque tertio in regem inunctus: totis viribus ante eam saltat. Ecce quem Dominus cunctis singulariter prætulit, dans ei nomen, secundum nomen magnorum qui sunt in terra, se sub eodē Domino exequando minimis, & abiectum contemnendo, quasi cum Apostolo dicat: ego sum minimus omnium regum Israel: indignus vocari rex. Si ergo iusti indignos pane quo vescuntur se esse putant: quanto magis peccator dicere debet: non sum dignus vocari filius tuus.

2. Reg. 6

1. Reg. 17.

1. Reg. 18.

1. Reg 16.

2. Reg. 7. c

¶ Deinde considera: quam sanum atquē æquum iustumque sit, vt nemo de viribus arbitrij sui præsumat. Quoniam hic adolescens, qui putauit sine Dei adiutorio se posse custodire quod acceperat, profectus in longinqua, & viuens prodigē, cuncta consumpsit: & necessitate compulsus dixit ad se rediens, surgam. Si tamen surgere potuit sine eo à quo recessit. Et reuera minime potuit. Sed quoniam fecit quod potuit, velle enim habuit, licet impotens: statim affuit, qui dedit & perficere. Atque ob hanc causam statim dicitur: patrem misericordia cōmotum occurrisse venienti: qui per se peruenire minime poterat, nisi humeris veheretur pastoris. Illā igitur cogitationē vnde haberet, cū in se reuersus est, nisi illā pater inspirasset? Neq; enim potētes sumus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis:

Nemo de viribus arbitrii sui præsumere debet quā nihil boni ad salutem consequendū possit sine Dei auxilio.

2. Cor. 3

nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est. Ideirco dicebat diuus Paulus: gratia enim estis saluati, per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est. Ac si diceret: Præeunte enim gratuita Dei volūtate ac fauore per fidem vnius mediatoris, quæ cooperatur Dei voluntati & gratiæ serua ti estis: neq; hoc à natura habetis, cum sitis filij iræ: non vel partim operibus vestris, partim à Deo donante: sed Dei, inquit, donum est: non ex operibus, vt ne quis glorietur. Nunquid, inquit Esaias: gloriabitur securis contra eum qui secat in ea? Quomodo si eleuetur virga contra eleuantem se, & exaltetur baculus qui vtique lignum est. Aut nunquid dicet lutum figulo non me fecisti? A quo ergo habemus esse, ab eo & benè esse, ab eo & optimè esse. Non tamen hoc ideo dicit Apostolus quod bona opera pia cogitatione facta suo labore frustrentur: cum Deus reddat vnicuique secundum opera sua: sitque gloria Dei operari bonum, & operanti bonum: sed quia opera ex gratia, non ex operibus gratia: licet gratia præhabita mereatur augeri per bona opera. Non ergo fidamus viribus nostris tantum: nam, his solum innixi, prodigè consumemus omnem substantiam à Deo nobis collatam: sed Dei auxilio: quo adiuti resurgemus à peccato: & ibimus ad patrem misericordiarum nobis occurrentem. Sed de hoc statim etiam dicemus.

Ephe. 2. Esai. 10. Apo. 22, & Augu.

§ *Cum autem adhuc longè esset vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est & accurrēs cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* Habuisti hactenus imaginem hominis, ab extremis malis resipiscentis, & redeuntis: nunc diuinæ misericordiæ simulachrum intuere. Nondum iuuenis peruenerat ad ædes paternas, quum procul etiam illum pater aduenientem prospiceret, vt est oculata pietas. Prior vidit, qui tenerius amabat. Vidit autem miserabili specie redeuntem, qui ferox & insolens profugerat. Procurrit obuiam venienti, & non expectatis filij precibus, pietate natiua victus, irruit in collum filij, & osculatus est eum. Iam in hac diuinæ clementiæ imagine vides, quam verum & firmum sit

A neminem à peccato resurgere posse atque ad Dei amicitiam venire se solo, suis solum naturæ viribus. Ea sane possumus cogitare, & moliri, quæ sint imbuta maleficio, inquinata vitio, scelere maculata, & infecta: at peccatum euertere, e crimine solui, é vinculis emitti, & gratiam obtinere, nemo potest absque fauore diuino. Necesse enim est vt diuina pietas prius peccatorem longé existentem respiciat, intueatur atque radios suæ clementiæ in illum extendat: sicut extendit in Petrum. Necesse, inquam, est vt

Quod nullus peccator sine Dei auxilio cōuerti possit ostenditur.

B pater misericordiarum peccatori salutem desideranti occurrat sua gratia: suo diuino afflatu, suoque superno auxilio. Stat enim Dei sententia ab Osæa diuino vate literis mandata: perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum. Vnde sponsa sponsum Christum alloquitur. Trahe me post te. Et Hieremias conuerte nos Domine ad te, & conuertemur. Et Paulus: Gratia Dei sum id quod sum. Et Christus Deus noster: Nemo venit ad patrem, nisi per me. Fateor ta-

Cant. 1. Osea. 13. Tre. 5. 1. Cor. 15. Ioan. 14.

C men quod homines sceleribus capitalibus maculati, possunt se ad gratiam præparare virtutis actionibus, quæ animum disponant ad Dei iustitiam recipiendam: ideo dicebat Samuel: Præparate corda vestra Domino, & seruite ei soli, & eruet vos. Nam si actus nostri nullo modo essent causa ablutionis & sanctificationis nostræ, quorsum diceret Paulus: Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus perficientes sanctificationem in timore Dei. Et Diuus Ioannes, omnis, qui habet hanc spem, sanctificat se. Et Daniel peccata tua

Peccator reuera potest se præparare ad gratiam. 1. Reg. 7. 2. Cor. 7. 1. Ioan.

D eleemosynis redime. Est igitur certum opera bona nostra in capitali peccato effecta & si ex condigno gratiam non mereantur, nos tamen ad gratiam præparare: atque inter hæc opera, vltima dispositio, ad gratiam gratum facientem recipiendam, quæ est conuersio ad Deū per animi dolorē intimū à Dei auxilio proficiscitur. Qua dispositione vltima existēte pater misericordiarū omnia nobis crimina condonat & in gratia & amicitia sua constituit. Quæ omnia in huius iuuenis

conuersione intueri licet: Ipse seipsum disposuit. Surgam, inquit, & ibo ad patrē & dicam ei peccaui. Pater in illa dispositione occurrit ei suo auxilio, & vi cœlesti. Et statim indutus est stolla cādida gratiæ gratum faciētis. In lib. Gen. c. 24. narrat Moyses quod ambulabat Isaac per viā quæ ducit ad puteum, cuius nomen est viuentis & videntis: habitabat enim in terra australi: cumque inclinasset oculos vidit camelos venientes procul. Rebecca quoque conspectu Isaac descendit de camelo, & ait ad puerū: quis est ille homo qui venit per agrum in occursum nobis? Qui ait, ipse Dñs meus. At illa tollens cito palliū suū operuit se. Qui introduxit eam in tabernaculum matris suæ. Quemadmodum ergo Isaac, tunc habitabat in parte australi: sic Christus filius Dei, ab aquilone designante iudicium se conuerterat ad austrū misericordiæ. Misericordia enim cōmotus, venit in mundum, ad quærendū ouem & drachmā & filiū perditum. Quod si Isaac deambulabat ad puteum viuentis & videntis: sic Christus. Viuens enim & videns Deus est, qui dicit viuo ego: & cuius oculis omnia nuda & aperta sunt. Fons huius viuentis & videntis est sacra scriptura. Via ad fontē est humilitas passionis. Per hāc viā deambulabat Christus in sua peregrinatione, nūc hanc, nunc illā scripturā implens: donec tandē impletis omnibus diceret: consumatū est. Isaac sponsæ venienti occurrit: & Christus omnibus ad se veniētibus per gratiā & auxiliū occurrit: respicit, amplexatur, & osculū pacis præbet: stollā gratiæ & iustitiæ induit eos. Quod videre est in Zachæo atque in hoc filio prodigo & accurrens, inquit, cecidit super collū eius, &c. Tandem cum maximo gaudio animas perditas & redeuntes in sponsas sumit: atque in domum Ecclesiæ suæ introducit: quas videt coopertas rubore & verecundia: quas videt humiliatas & cōtritas ac dicentes peccauimus.

Gen. 24. Figura.

Heb. 4.

¶ *Cito proferte stollam primam, & induite illum.* Perpende atque astra mecum mente considera, paternā diuināque prouidentiā: quæ non solū in his verbis sed in tota hac historia ob oculos ponitur.

Diuina paternaque prouidentia erga nos cōmendatur.

A Hęc enim paterna Dei prouidentia fons est & origo omniū munerū, donorum, ac priuilegiorū, quæ pater iste pius & benignus pijs & electis impartitur. Nā ad hāc prouidentiā pertinet, eiusque est, prouidere eis, de medijs necessarijs ad consequendū optatū, ac supernū finē suū, hoc est ęternā ac immensam illā fœlicitatem: ad quā à Deo creati ac conditi sunt. Eius, inquā, est, electos suos vocare, ad se suo auxilio trahere, dona præterea eis largiēdo quibus ad hunc finē assequendū opus habent. Inter hæc ergo charismata ad salu- B tē necessaria, primū est, gratia cœlestis spiritus, post prædictā prouidentiā, initium & origo ac fons omniū aliarum virtutū, ac donorum: quibus anima nostra ornatur ac decoratur. De hoc pater iste intelligens ait: cito proferte atque depromite huic stollā pristinā, & primā, atque indui te illū. Est ergo stolla ista Spiritus sancti gratia diffusa in corde peccatoris ad deū conuersi. Si verò quæras quid sit gratia ista: Consule sacros Doctores ac Theologos. Interim tamen audi. Gratia ergo est C participatio quædā diuinæ naturæ. Hoc est, diuinæ puritatis, sanctitatis, bonitatis, ac nobilitatis: qua mediante exuit homo veterem hominem, & induit nouum, hoc est, Christū. Quēadmodū enim in ferro ignito manēt ferri substantia ac pristina natura, manet etiā pristinū nomen, splēdorē vero, ac calorem non à se sed ab igne habet: sic gratia hæc, (quæ qualitas quædā est à Deo in anima nostra infusa) hanc habet mirā ac diuinā virtutē, vt hominem in Deum transferat ac transformet (hominis natura eadē manēte.) ita vt D dicere possit cū Paulo: viuo ego iam non ego sed viuit in me Christus. Gratia, præterea, est forma quædam superna ac diuina, qua homo indutus vitam supernā ac diuinam agit. Qua in re Dei prouidentia ac gubernatio quę omnia suauiter dispo nit, maximè resplendet atque illucescit. Nam quēadmodum definiuit, ac statuit, vt homo vitam ageret & naturalem & supernaturalem: ita, etiam de duabus formis prouidit: quæ sunt veluti animæ vnius atque alterius vitæ. Vnde quemadmodū ab anima, (quę forma est natura lis)

Gratia gratum faciēs quid sit.

Gala. 2.

lis) omnes virtutes sive vires ac potentiæ dimanant naturales ac sensibiles, quibus vitã agit naturalem: sic ex gratia (quę forma est supernaturalis) omnes virtutes, omnia Spiritus sancti dona oriuntur, & proficiscuntur: quibus vitã agit supernã ac spiritalem. ¶ Gratia etiam ornamentũ quodam est animę manibus Spiritus sancti consutũ ac formatũ. Quo vsq; adeo anima decoratur, grataq; fit Deo, vt in filiæ locũ adsciscatur & adoptetur: atq; in spõsam recipiatur. Hoc erat ornamentũ illud, hic ornatus: de quo anima olim gloriabatur apud Esai. c. 61. dicens: Gaudens gaudebo in Dño, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circũdedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis. Appellat gratiam, vestimentum salutis, & indumentum iustitiæ. Hæc est vestis illa deaurata ac varietate colorum intexta, qua induta erat regina quæ astitit à dextera Dei. ¶ Gratia deniq; est quędam lux animæ vnde D. Augu. lib. de natu. & gratia sic ait: Præuaricatorẽ legis diuinæ lux deserit veritatis, qua desertus vtique fit cæcus. Nitor quoque est (ait glo.) animæ, sanctũ concilians amorem. ¶ Ex his facilè quis poterit colligere ac intelligere huius cœlestis muneris effectus. Nam vnus inter plures alios, effectus est gratiæ, isq; præcipuus: efficere animam tam gratam tã pulchrã tamque honesta forma vt eam in filiã, in sponsam, in templũ, domumq; regiam eligat dñs. Alter verò effectus nõ contẽnendus, eius est: vires animæ præbere, quibus, hostibus suis spiritualibus resistere facilè possit, eosq; expugnare, A gratia enim virtutes multæ, tanquã à vero fonte procedunt, & eructant: similes Sãsonis capillis, quibus anima nõ solum decorata, sed fortis, stabilis, ac firma efficitur. Vtrũq; sanè effectũ, in illa admirãtur angeli atque eum miris efferunt laudibus in canticis dicẽtes: quæ est ista quę progreditur, quasi aurora consurgẽs, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata. Est enim gratia talis, tanta, ac tam fortis armatura vt non solum totum hominis animum ornet, sed

Esai. 61.

Psa. 44.

D. Tho. 12. q. 110. artic. 1.

D. Tho. arti. 2.

Effectus gratiæ qui sint.

Cant. 6.

ita muniat, vt minima gratia (authore D. Thoma) satis superque sit, ad deuincendum tum hostes omnes inferorum, tum omnia peccata, cunctaque mundi scelera. ¶ Est alius præterea effectus gratiæ, vt efficiat hominem Dei filium adoptiuũ, hæredem regni cœlestis: vtq; eius nomẽ scriptum sit in libro vitæ. Quo quid præstantius? Quid fœlicius? Gaudete inquit Christus, non tam quod dæmonia subijciũtur vobis, quam quod nomina vestra scripta sint in cœlis. Deniq; vt paucis dicam: gratia reddit hominem, aptum ad omne bonũ. Hęc est, quæ complanat viã Dñi: quæ facit iugũ Christi nõ graue sed facile, non asperũ, & durũ: sed blandũ atquẽ suaue. Quæ cor animũq; hominis dilatat: vt viam mandatorũ Dñi alacriter currat: quæ corruptæ & languidæ infirmæq; naturæ medetur. Quę ineffabili quodã modo omnes vires naturales animæ, virtutibus supernis munit, mentẽ illuminando atq; illustrando: cor voluntatẽq; nostrã incẽdendo: memoriã reuocãdo ac colligendo: libero quoq; arbitrio animũ præbendo: vim cõcupiscibilẽ temperãdo: ne sese præcipitẽ det: vires virtuti ac potentiæ irascibili conferendo, calcariaque adhibendo ne timeat, ne terga vertat, ne hosti cedat sed bono fortique animo illũ adoriatur. Quod vt hi appetitus hęc facilius facere possint, illis de virtutibus prouidet; hoc est de fortitudine, qua hostẽ inuisibilẽ vincamus, de tẽperãtia: qua gulã & ingluuiẽ: de castitate, qua luxuriã: de humilitate, qua immoderatũ appetitũ honoris & dignitatis. De omnibus denique alijs ad cõtinendã animã in valitudine ac salute vitaque spirituali necessarijs. ¶ Tandẽ gratia Deũ hospitatur: vt hospes animæ factus eam regat, gubernet, protegat, & in cœlũ dirigat. Itaque vt in ea sit tanquã rex in regno, tanquam dux in exercitu suo, tanquam paterfamilias in domo sua, tanquam magister in schola sua, & tanquam pastor in grege: ibiq; hæc omnia munera sua diuina prouidentia exerceat. Sapienter ergo filius iste perditus egit ad se redeundo, & ad patrẽ misericordiarũ veniẽdo: quando hac tam admirabili stola, atque insigni mune-

Supra. c. 10.

re, à quo tot tantaque charismata oriuntur, decoratus est. ¶ Quis nostrum nõ maximas tibi Domine gratias agat, pro munere tãto? Quid enim nobis profuissent cætera à te nobis collata beneficia, si hoc vnum defuisset: si viscera paterna tua nõ ita nos pressuris & inspirationibus excitassent, vt ad nos conuersi miserum statũ atq; extremam calamitatem nostram intelligeremus, atque ad veram pœnitentiã à te traheremur. Consumpsimus Dñe omnem substantiam tuam nobis in baptismo atq; lauacro sancto collatã, prodegimus per luxũ, alea, scortis, & conuiuijs. Profanauimus domus animarũ nostrarũ tibi sanctificatas, intra illas erigendo vitiorum omniũ idola, atq; illas innumeris sceleribus contaminãdo. Meminimus temporum antiquorum quando ita perditi, ita cęci eramus, ac si nec te Deũ, nec legem tuam euãgelicam haberemus: penitus & mortis, & iudicij, & pœnarum inferni obliti: pro lege, pro ratione, pro Deo, erat immoderatus appetitus noster. In hac tam longinqua tamq; semota à te regione positi tempus adolescentiæ consumpsimus, imò plurimum tempus vitæ nostræ. Heu me miserũ, dicat vnusquisq; nostrũ, quam serò te cognoui ô lux æterna: quàm serò ad me redij atque oculos meos aperui: vt te respicerẽ ô species pulcherrima. ¶ Totum hoc tam longũ tempus me patienter expectasti, sustinuisti, atq; tolerasti, nolendo vt mors subita & inopinata me de medio tolleret. O altitudo iudiciorũ tuorũ Dñe: ô magnitudo incõprehensibilis misericordiarũ tuarum. Quot modo in inferno sunt Dñe, pœnas æternas dantes, quos in peccato existentes, inopina mors arripuit: me autẽ illis deteriorẽ, ac scelestiorẽ, misericordia ac benignitas tua seruauit: atq; ad hoc vsq; tẽpus adduxit, quo ad me conuersus dicerẽ: quàti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autẽ hic fame pereo, surgã & ibo ad patrẽ meũ & dicã ei pater peccaui. Actũ sane esset de me Dñe mi: si tunc me subita morte ad iudicium vocares. Nam quam rationem tibi reddere tunc tẽporis possem? O misericordia, & redẽptio & sanctificatio mea. Nõ enim minus tibi debeo, quod misericordia ac benignitas tua me patienter sustinuit, & prestolata est: donec ad pœnitentiã cor meum adduceret: quam deberem, si me ab inferis reuocares. Si enim nõ sustinuisses, iamdiu dãnatus essem, iamdiu perijssem, atq; inter dãnatos vitã miserã æternum agerem. Addam his muneribus dñe mi, quod non solum me ęquo animo ferebas, sed sæpe sæpius (ac si tibi gratus & amicus essem) me visebas: visitabas, ac suauibus blandisq; inspirationibus, secretisque admonitionibus, & cõsilijs, ad te vocabas. Ante mentis mei oculos proponẽdo peccatorũ meorũ grauitatem & magnitudinem: vitæ huius breuitatem, futuræ æternitatẽ, iræ tuæ rigorem, misericordięq; suauitatem. In medio scelerũ meorum aderas, vt me à voluptatibus carnalibus, mundanisq; desiderijs Ægyptijsq; cepis, quibus vescebar: retrahẽres atque reuocares. Meũ erat tunc tẽporis munus, te offendere, tuũ verò, animũ meũ excitare: tunc ego curabã fugere à viã tuã: ac si res esset nullius momenti ab illa errare, teq; amittere: tu verò tũc, cõtra curabas, me quærere tanquã errantẽ, atq; ad viã verã rectãque reducere: ac si res maximi emolumenti tibi esset, me inuenire. Hæc omnia beneficia, voces quædam internæ erant, quibus me dulciter ac suauiter vocabas. Quando verò hęc non satis mihi fuerũt, clamoribus maximis, ac voce magna quasi rugitu leonis me ad vitã reuocasti. Hęc est vox illa virtutis, vox illa magnificentiæ, quã prędicabat regius vates Psal. quodã. Nam non est minor virtus & potentia illa, qua, in peccatoris iustificatione vteris Dñe, quã misericordia. Nam maxima pietas & misericordia est peccata condonare: maxima itẽ virtus & potentia est, posse iustum ex peccatore facere. ¶ Quot obsecro quãtaq; sunt munera ac beneficia quæ ex hoc vno iustificationis munere nobis cõtingũt? Hic, cõdonãtur peccata, cõfertur gratia & charitas, infundũtur virtutes, cęteraq; Spiritus sancti dona. Hic peccator Deo recõciliatur, & de inimico fit amicus, de mãcipio seruoque emptitio diaboli, Dei filius efficitur, atq; hęres regni cœlestis. Hic, filius iste perditus qui

Psal. 28.

qui prodegerat omnem substantiam suã, reuocatur & introducitur in domum patris. Pristina stola gratię induitur, anulo & calciamentis decoratur. Quid ergo retribuam tibi pro his muneribus? Pro tantis beneficijs? Me ipsum. Vitam. s. honorem, rem omnem familiarem. ¶ *Cito proferte stolam primam.* Obserua patris benignitatem. Nihil intonat sæuis verbis, non minatur verbera, non abdicationẽ, nõ exprobat suam in illum benignitatẽ. Non fugam, non ingluuiem aliaque vitę dedecora. Nihil horum meminit, tãtum est gaudium de recepto filio. Iuuenis abdicat sese, pater restituit: filius seipsum dãnat, pater absoluit. Filius abijcit sese ad indignitatem mercenariorum, pater pristinam dignitatem restituit. Versus enim ad famulos ait: *Cito proferte stolam primam.* Ex quo colliges quam rationi consentanea sit sententia illa Theologorum existimantium peccatorem per pœnitentiam ad pristinam omnem gratiã per peccata deperditam reparari: ecce quid pater dicat: proferte stolam primã, hoc est, depromite huic stolam gratiæ pristinam & induite illum. Adde his, quod idẽ Dñs apud Ezechielem pollicetur. c. 18. Si impius egerit pœnitentiam omnium iniquitatum eius non recordabor. Et rursus. c. 33. Impietas eius non nocebit ei, si egerit pœnitentiam. Præterea apud Ioelem idẽ Dominus ait: Cõuertimini ad me. Et subdit: & reddã vobis annos quos comedit locusta, bruchus, & rubigo. Vbi glos. ait: non patiar perire vbertatem spiritualiũ, quam animi perturbationibus perdidistis. Merito ait D. Ambrosius: quod pœnitentia est optima, quæ omnes defectus reuocat ad perfectum. Quod si hæc ita sunt, vt verè sunt, non est quare non credamus, omnem pristinam gratiam per peccatum amissam in integrum restitui, aliàs enim peccatorum pœnitentis Deus in perpetuum recordaretur: cum propter ipsa non pristina omnia merita, nec pristina omnis gratia rediret: quo fieret, vt aliquo pacto peccatum per contritionem dimissum perpetuò puniretur in cœlesti beatitudine: quando quidem propter ipsum perpetuo priuaretur homo aliquo gradu gloriæ, qui actionibus mortificatis respondebat. Præsens ergo contritio ac animi dolor, dispositio vltima fuit nouæ gratiæ, atque simul abstulit peccatum, quo de medio ablato pristina merita suam vim iterum habere cœperũt, pristinaque gratia ablato impedimento refluxit atque restituta est. Neque est quare in hac re diuinam misericordiam, quæ immensa & infinita est, cum hominum misericordia quæ minima est, conferamus aut comparemus: neque est quare Dei liberalitatem atque magnificẽtiam eiusque consuetudinem & morem, ex regum liberalitate, more atque consuetudine venemur. Si enim inter homines, qui regi fuerat arctissima amicitia coniũctus, si illi sit deinceps multis modis iniurius, non qualicunque amicitiæ reconciliatione ita facile ad pristinum amicitiæ gradum admittitur, eo est, quod homines sunt: quorum pietas, misericordia liberalitas limitata est: at Dominus, diues est in misericordia: Dominus tam promptus est ad miserendum, vt si videat filium a longè venientem, occurrat, & non expectatis filij precibus pietate natiua & infinita victus, irruat in collum filij & osculetur eum, stolam cito pristinam induat, anulum in manum eius addat: calciamenta pedibus eius imponat. Quin & è pascuis adducere faciat vitulum insignem & saginatum & occidere faciat, apparet conuiuium & gaudeat: quoniam filius suus perierat & inuentus est. Nonne hic adolescens maximis vitijs implicatus erat? Nonne multis varijsque modis Deo patri suo iniurius fuerat: nonnè ærumnis compulsus est ad patrẽ redire, ac ei dicere: pater peccaui. Et tamen qualiscũq; verus animi dolor satis fuit, qualiscũquè cõtritio sufficiẽs, vt prętеritarũ iniuriarũ oblitus pater in pristinã gratiam, imò in maiorẽ reduceret miserũ filiũ. Quod tamen non fecit rex Dauid cũ Absaloni filio, qui fratrẽ interfecerat, pepercit. Nã vt sacra narrat historia dixit tunc Dauid rex: reuertatur in domũ suam & faciem meam non videat. Reuersus est itaque Absalom in domum suam & faciem regis non vidit. Non sic autem Rex ille cœle-

Benignitas Dei erga peccatorem ostenditur.

Gab. 4. d. 14. q. 3. art. 3.

In pœnitẽte omnia merita præterita & gratia omnia redeũt.

Ezech. 18

Idem. 33.

Ioel. 2.

D. Ambr.

2. Reg. 14.

cœlestis, cuius proprium est misereri semper & parcere: cuius miserationes super omnia opera sua. Sicut enim miseretur pater filiorum ita miseretur Dominus timentibus se, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum. ¶ An vero peccator per pœnitentiam ad pristinam dignitatē restituatur alia quæstio est. Certa sanè res est per animi pœnitudinem dignitatem filiorum Dei recuperari. Quod ex proposito exemplo satis constat. Restituit enim pater filio stolam primam, & anulum & calciamenta, quę erant filiorum ornatus & insignia, quibus à seruis dignoscebantur. Certa etiam res est innocentiam per peccatum amissam restitui non posse. De hac enim gloriabatur filius natu maior dicens: ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui. Ad præteritum enim nulla vis nulla ve potētia est: recuperare autem pristinam innocentiam, esset fieri vt qui peccauit, nunquam peccauerit, quod fieri non potest. An vero statim post pœnitentiam peccator notus sit in pristinam dignitatem Ecclesiasticā restituendus disputant Doctores. De qua. q. lege Doctorē sanctū parte tertia. q. 89. arti. 3. & inter alios lege Soto 4. lib. senten. d. 16. q. 2. articu. 3. lege in decretis. d. 50. ¶ *Cito proferte stolam primam & induite illum, date annulum in manum eius, & calciamentū in pedib9 eius.* Stolam vocat (ait Hieronymus) quam Adam peccando perdiderat: stolam, quæ in alia parabola indumentum dicitur nuptiale: idest, vestem Spiritus sancti, quam qui non habuerit non potest regis inter esse conuiuio. Dari iubet anulum in manu illius: signaculum similitudinis Christi. Secundum illud: in quem credentes signati estis spiritu repromissionis sancto. Et ad principem dicitur tyri, qui similitudinem conditoris amiserat, tu signaculum similitudinis, & corona decoris, in delicijs paradisi Dei natus es. Esai. quoque de hoc signaculo loquitur. Tūc manifesti erunt qui signantur. Hoc signaculum in manu datur, quando opera iustitiæ scriptura significat, vt ibi: factum est verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ dicentis ad Hierusalem: Ornaui te, inquit, ornamento, & imposui tibi armillas circa manus tuas: rursum ad eum qui indutus est podere, alius locus signaculi demonstratur. Pertransi per mediā Hierusalem, & da signaculum in frontibus virorum gementium, & dolentium in omnibus iniquitatibus, quæ fiunt in medio eorum, quare? Vt postea possint dicere. Signatum est super nos lumē vultus tui Domine. Calciamentum in pedibus eius apponi iubet. Spōsi quippe perdiderat dignitatem, & nudis pedibus paschas celebrare non poterat. Hæc sunt calciamenta de quibus Dominus ait: Et calciaui te hyacintho. Et calciamenta in pedibus eius: necubi coluber insidians, plātam ingredientis inuaderet: & super scorpiones & serpentes securius ambularet, vt præpararetur ad euangelium pacis: iā non gradiens secundum carnem, sed secundum spiritum: & dictum ei propheticum conueniret. Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Hæc Hiero. Ornatur ergo anima pœnitentis stola gratiæ, ornantur manus, hoc est, opera eius anulo charitatis quo efficiuntur fructus digni pœnitētiæ: ornantur pedes, idest, affectus eius recta intentione in Deum. Exterius denique & interius ornatur anima gratia & virtutibus & speciali auxilio: quibus & grata est & rectè operatur & rectè incedit.

¶ *Adducite vitulum saginatum, et occidite. Et manducemus et epulemur: quia hic filius meus, mortuus est, et reuixit.* Hoc ad eundem parabolæ superioris pertinet sensum (inquit Hierony m9) in qua dicitur. Sic dico vobis quia gaudium erit coram angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agenti. Hoc conuiuiū quotidie celebratur, quotidie pater filium recipit: quotidie tota Trinitas lætatur: nā si eius gaudium augeri minime possit, quotidie tamen occasio & materia gaudij multiplicatur in nouis fructibus gratiæ eius. Quotidie gaudent angeli videntes filij conuersionem: quotidie omnes nos gaudere debemus. Nam sicut de consensu malitię participatur cum facientibus pœna: sic participatio gloriæ speranda

Psa. 102. | D. Hiero. de filio prodigo. | Ephes. 1. c | Ezech. 28. | Ezech. 16 h | Ezech. 9. b | Psa. 4. b | Ezech. 16. b | Esai. 52. b | D. Hiero. de filio prodigo.

In regula monachorum de vigilijs.

da est: de consensu bonitatis vt Hieronymus ait. Denique iusti sunt qui verè gaudent viuentes peccatorem fieri templū Spiritus sancti: fieri regnum Dei. Hoc autem regnum non est esca & potus sed iustitia & pax & gaudiū in Spiritu sancto. Vbi ergo est gaudium in Spiritu sancto? Non impijs, qui & si gaudeant ad sonitū tympani & cytharæ, cum non sit in Spiritu sancto: in puncto ad infernum descendunt. Gaudium igitur in Spiritu sancto est de fraterna charitate. Reuixit qui perierat, & occidit ei pater vitulum saginatum, & iussit præparari symphoniam & choros. Non ergo tristari nec fratris saluti inuidere debemus: sed potius epulari & gaudere de eius conuersione, atque Deo maximas gratias agere, quod eum ad pœnitentiam reduxerit: non tristari, quemadmodum frater natu maior tristatus est, sed potius admirari Dei immensam benignitatem, patientiam & longanimitatē: quæ peccatorem ad pœnitentiam adducit: tandiu enim tolerat peccatorem, vt interim dicat ad se reuersus: quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, &c. Quis nam de hac Dei tolerantia non mirabitur? Quis nō maximo gaudio, atque lætitia perfruetur? Quis nostrum non lætabitur si videat peccatorē, filium iam Dei nominari & esse: & ex subulco, patris hæredem fieri, atque annulum & stolam tanquam primogenitum accipere, ac denique eam ob causam cœlestis mensæ atque diuinarum epularum participem esse factum? En vides quid pater ait manducemus & epulemur, &c.

Rom. 14.

Iob. 21.

¶ *Erat autem filius eius in agro, &c.* Lege quæ superius annotauimus cū de his tribus parabolis, hoc est, de oue perdita, & de drachma amissa, & de filio isto prodigo disserebamus, in illa verba: & ait ad illos parabolam istam. Ex nouissima igitur hac parabola oportet intelligere, nō quod filius senior iustus, murmurando inuideat conuersioni impiorū, sed quod non habet de hoc iustam murmurandi causam aut inuidendi. Tanquam dicat: esto, vos scribæ & pharisæi iusti sitis sicut filius ille carnalis, beneplacens patri, nō tamen contra me habetis vllam murmurandi rationem, quod fratres vestros qui perierant, suscipiam. ¶ Iam tandem vt omnia beneficia iustificationis nostræ memoriæ nostræ hæreāt, libet ea, ceu in tabula aliqua descripta & depicta in parabola ista monstrare. Vt summa quadam habeas quæ diffusius disseruimus. Mirificè namque in hac parabola, & omnia, nobis Christus expressit, ac velut digito demonstrauit. Cum ille dicitur relicto patre peregrè profectus esse in regionē longinquam, ibique dissipasse substantiam cum meretricibus, & coactus egestate, & fame, miserabili seruituti addixisse, vt pasceret porcos, neque ea seruitute obtinere potuisse sibi vel siliquas, quas porci pascebant, quibusque ipse maxime saturari cupiebat: miseria vtique peccatoris nobis delineata est. In recessu filij à patre ex voluntate & petitione ipsius filij, agnosce discessum liberum & voluntarium peccatoris a patre cœlesti & separatione illius ab eo, qui neminē deserit, nisi prius ipse deseratur. In profectione in regionē lōginquam quæque maxima deuexata est fame, cognosce reatum multarum miseriarum, & potissimum perpetuæ carentiæ visionis Dei in terra horroris & vastæ solitudinis, vbi diues epulo neque aquā potuit habere, qua refrigeraret linguam suam. In dissipatione substantiæ, egestate, seruitute, fame, deturpatio interioris hominis, & mala, quæ eam sequuntur, nobis significantur: vbi verò in se reuersus filius hic prodigus, & miseriæ in qua erat, contemplatione, & abundantiæ domus paternę recordatione permotus, deliberasse describitur, ad patrem redire, & illius misericordiā implorasse, quid aliud, quam conuersio peccatoris redeuntis ad Deum nostris oculis subijcitur? sed quæ statim post hæc subduntur, graphicè profecto docent quemadmodum Deus peccatores, ad eum reuertentes iustificet, & quę illis beneficia elargiatur. Vidit, inquit illum pater ipsius cum adhuc longè esset, vidit oculis misericordię, vidit aspectu illo, quem petebat Dauid dicēs; aspice in me, & miserere mei: vidit quem nihil fallere potest, quique solicitudinē filiorum suarum, etiam cum ab eo errant,

Epilogus nostræ iustificationis ex hac parabola deducitur.

Miseria peccatoris designatur inlame & miserabili seruitute huius filij prodigi.

In recessu a patre designatur libertas voluntatis.

Reuersio in se. &c. Designat conuersionem peccatoris.

Visio patris. Iustificationem significat. Psal. 85.

 non

non prorsus abijcit. Vidit in se reuersum, & lugere, & ad ipsum reuerti deliberantem, neque enim ille in se reuerti, & tam sancta vota concipere potuisset, nisi eum ille aspexisset qui intuitu suo Petrum ad amaram suæ negationis pœnitentiam excitauit. Sed vidit adhuc longe agentem, quia non sufficiunt conatus omnes nostri vt nos iustificent, & Deo reconciliet, verum quod deest nobis, ipse benignissime supplet. Subditur: & misericordia motus est, ab ipsius misericordia, & non à iustitia profluit nostra iustificatio. Sustinere non potuit pater misericordiarum tantam sui filij amaritudinem, & accurrens cecidit super collum eius, accurrens dicit, quia non est lenta, neque tarda diuina misericordia ad subueniendum cōpunctis corde, mox vt tacti dolore de peccatis nostris, eum inuocamus, exaudit, & sinum suæ misericordiæ aperit, vt recipiat confugientes ad se, & redeat in gratiam nobiscum, & reconciliet nos sibi, & in signum reconciliationis, reclinat se super collum nostrum, & vt perfectam intelligas reconciliationem, quæ & reatu eternæ pœnæ liberet, & amicitiam ipsi9 restituat, & adoptionem in filium largiatur, adijcitur. Et osculatus est eum, osculū signum pacis est. Osculum signum amoris. Osculū spōsis cognatis, amicissimis, & filijs impartitur. Osculū petijt sanctus Patriarcha Isaac à Iacob in signum amoris paterni. Osculum petijt sponsa ab spō so in canticis in signum amoris ardentis, quo in eum afficiebatur. Et reuertentem hic ad se filium pater misericordissimus osculatur in signum perfectæ reconciliationis cum ipso, & condonationis omnium delictorum, & absolutionis à reatu æternæ pœnæ, & vt renouet perditum, & deformatum filium, & miseranda nuditate & egestate, & fame præssum, cito inquit, proferte stolam primam & induite illum, & date annulum in manu eius, & calciamenta in pedibus eius, & adducite vitulum saginatum, & occidite. In vestimentis & ornamentis dona interiora indicantur, quibus Deus interiorem hominem reformat. Stola prima quæ totum hominem tegit, charitas est, quæ operit multitudinem peccatorum & vestis nuptialis à Doctoribus appellatur. Annulus quem sponsi solent dare sponsis fides est, qua Deo desponsamur, iuxta illud dispōsabo te mihi in fidem. Calciamenta quæ pedes tegunt, & ad præcurrendum viam præmuniunt, spem significant, per quā ambulamus in via mādatorum. Et in his veluti præcipuis reliqua sunt dona comprehensa, quibus Deus renouat iustos. Quod autem adduci vult vitulum saginatum, & occidi, incorporationem adumbrat, qua pater cœlestis iustos vniri vult suo filio, omnibus gratijs, & donis sine mensura refertissimo, & pro nobis in cruce occiso, & ipsius mortis fructu gaudere. Quoniam vero non renouat Deus iustos in hac vita, nisi vt transferat in alterā vitam, & in illa eos perficiat, vt omnia se restituere illis commonstret, quæ perdiderant per peccatū, & vt ius ad beatam vitam illis misericorditer communicatū apertius faciat, honorat mox nomine filij, & lætabundus ad epulas, & gaudium blandissime, & mollissime, & affectu plus quam paterno familiares suos hortatur dicens: Manducemus, & epulemur, quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus est. Et mox omnes ibi manentes cœperunt gaudere, gaudiū enim est in cœlis super vno iusti peccatoris iustificatione. In misericordiæ igitur affectu, in occursu ad subueniendum, in reclinatione super collum & osculo, reconciliatio Dei cum peccatore, & condonatio delictorum ipsius designantur. In indumentis, & ornamentis renouatio interioris hominis exprimitur. In mactatione vituli saginati, incorporatio in Christum, fructus passionis ipsius ostenditur. In nomine filij, & in epulis & gaudio, hæreditas vitæ æternæ & ius ad sempiterna gaudia indicatur.

Marginalia: Matth. 26 g. — A paterna misericordia oritur iustificatio. — Sedulitas patris ad iustificandum. — Reclinatio. — Osculum signum patris. — Gene 27 d — Canti. 1. — Vestimenta stola prima annulus — Osee 2. — Calciamenta vitulus. — Filii nomen. — Epulum. — Veg. lib. 3 c. 10.

CAPVT XVI.

¶ Domi. 8. post. Pent.

Dicebat autem & ad discipulos suos. Homo quidam

dam erat diues qui habebat villicum: et hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius. Et vocauit illũ, et ait illi. Quid hoc audio de te? Redde rationẽ villicationis tuæ: iam enim non poteris villicare. Ait autem villicus intra se. Quid faciam quia dominus meus aufert à me villicationem. Fodere non ualeo, mendicare erubesco. Scio quid faciã: vt cum amotus fuere à villicatione, recipiant me in domos suas. Conuocatis itaq; singulis debitoribus Domini sui, dicebat primo, quantum debes Domino meo? At ille dixit, centum cados olei. Dixitquè illi. Accipe cautionem tuam: et sede, cito scribe quinquaginta. Deinde alio dixit, tu vero quantũ debes? Qui ait, centum coros tritici, ait illi, accipe literas et scribe octoginta. Et laudauit Dominus villicũ iniquitatis quia prudenter fecisset, quia filij huius sæculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt. Et ego vobis dico, facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

Argumẽtum parabolæ.

QVæ hactenus dicta sunt peculiariter tangebant pharisæos, indignantes quod Dominus Iesus velut immemor suæ dignitatis, publicanos & peccatores admitteret ad vitæ consuetudinem. Mox versus ad discipulos suos inuitat eos ad vberiorem clementiam, vt non solum non obmurmurent bonitati diuinæ, verum etiam ipsi hãc modis omnibus imitentur: per omnem occasionẽ benefacere studentes proximo suo, subleuãtes eum subsidio rerum corporalium, consolantes, exhortantes, docẽtes, admonentes, condonantes admissa: docens nõ perituram nobis benignitatem nostram, sed in futuram vitam reponi, quicquid hic impenditur proximo: hanc sententiam hac parabola de homine diuite habente villicum iniquitatis proposuit.

Duplex genus parabolæ.

¶Atque pro huius parabolæ explicatione in memoriam reuocandũ est, duplex esse genus parabolarum. Alterum, quo adhibentur similia, ad insinuandum euãgelicæ veritatis mysteria seu officia; de quibus alias diximus: alterũ verò in quo talia quædam insinuantur, non secũdum similitudinem, sed per similitudinem ex qua cognoscere possumus, quid sit in re dissimili. Talis est parabola de iniquo iudice, talis parabola de petente. 3. panes: Talis hæc de villico iniquitatis, qui vt iniquus dissipator bonorum, eiectus à dispensatione laudabatur à Domino, nõ de fraude, sed de prouidentia, quod prospexerit sibi in futurum, dum falsatis chyrographis relaxauit singulis debitoribus quantum sibi commodum visum fuerat: Laudauit Dominus (inquit Lucas) villicum iniquitatis, quod prudẽter fecisset, quia filij huius seculi prudentiores sunt filijs lucis in generatione sua. Ex hac similitudine conclusit Saluator: & ego dico vobis, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant

piant vos in æterna tabernacula. In hac ergo parabola, villicus in eo quod falsatis chyrographis fecit sibi amicos de boni. Domini sui, personas iustorum nó geri. Non enim iusti Domino suo, aut proximo in aliquo faciunt fraudem, vt de ipsa fraude eleemosynam faciant. Proinde é contrario dicuntur huiuscemodi parabolæ, vt intelligamus: si laudari potuit is, qui Domino suo fraudem faciens in futurum sibi prouiderit, quanto magis á domino Deo, qui nullum damnum sustinere potest, & pronus est in clementiam, laudari merebitur quisquis secundum illius præcepta sibi amicos faciat de diuitijs sibi creditis? Tales igitur sunt parabolæ, quæ probant secundum huiuscemodi principia: si illud, quanto magis istud. Aut: si non illud, quanto minus istud. Et talibus principijs innituntur ea, quæ in nouissima parabola saluator continuo subiecit: qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est: & qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod vestrú est, quis credet vobis? Si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis? Ac si dicat: quisquis in rebus sibi à Domino creditis dispesandis sit tantæ fidelitatis ac sollicitudinis, vt etiam in his, quæ modica sunt & parui precij, sit sollicitus & fidelis Domino suo, is magis erit sollicitus & fidelis Domino suo in rebus maioris ponderis. Rursus quisquis tam iniquus est, vt etiam in rebus parui precij, ex parua videlicet vndecunque nata actione, aut ex modica tétatione sit infidelis domino suo, is multo magis infidelis erit in reb9 magni precij. Qui pro re vili & parui precij vult præterire iustitiam, & legem Dei transgredi, is multo magis id ipsum pro rebus magni precij facturus est. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod vestrum est, quis credet vobis? Hoc est si in vilibus vanisque diuitijs, quas dominus inæqualiter dispensat, in eisdé constituens alios abundantiores ad impédia necessitatis fratrum, fuistis non fideles dispensatores, sed auari detentores, quo nam pacto constituemini dispensatores in veris & pretiosis bonis. Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis? Hoc est: si in re transitoria, quam vobiscum ferre non potestis, non fuistis fideles, quis dabit vobis id, quod vere vestrum est, quod & vobiscú possit esse perpetuum. Experimur quidé plerosque, qui paruis in rebus fidem seruant, tenentes iustitiæ normam, qui tamen pro magnis lucris & commodis violant & fidem, & iusiurandum, quemadmodum de pharisæis ait Saluator: liquantes culicem, camelum autem glucientes, hoc est, obseruantes minima, contemnentes maiora. Sed hæc nihil contra sententias Christi, quippe qui loquitur de fideli iniquo, quatenus vt tales operantur, hoc est, quatenus operantur secundum affectionem aut fidelitatis, aut iniquitatis. Vnde bonus & iustus homo ex virtute iustitię disponitur ad vigilandum magis in rebus magni precij, quam in reb9 vilioribus & minutis, quæ quasi pro nihilo reputantur. Attamen si virtus iustitiæ in eo sit tanta vt faciat animus eius vigilare, & custodire iustitiæ normam in rebus paruis, multo amplius disponitur ad vigilandum in rebus magni preçij. Potest tamen fidelis & iustus, secundum arbitrij libertatem transgredi tam in paruis quam in magnis, quemadmodum ait de illo scriptura: qui potuit transgredi & non est transgressus.

Hæc parabola est earum quæ probát secúdú huiuscemodi præcepta. si illud quanto magis illud. Aut: si nó illud quanto minus illud.

Eccl. 31. b

¶ *Homo quidam erat diues qui habebat villicum.* Hic docemur vnumquemque nostrum esse non tam dominú, quá œconomum cui credidit Dominus rerú suarum dispensationem. Quod clarius docere volens Dominus ait inferius: si in alieno fideles non fuistis: quod vestrum est quis dabit vobis? Atque hoc idé forsitan intelligens, vates quidam dicebat: væ, qui congregat non sua. Et Ambrosi. non bona sunt hominis: quę secum ferre non potest. Diuitiæ sunt veluti flumina, quæ apud nos transeunt: & tádem in mare tendunt. Idcirco sanum est sanum consilium Dauidis dicentis: diuitiæ si affluát nolite cor apponere. A qua fluminis tantum vtimur secúdum indigentiam & necessitaté: sic debemus vti diuitijs. Deinde cum

Non tam domini bonorum nostrorum sumus quam œconomi Dei.

Aba. 2. Ambros.

Simile.

Psa. 61.

Simile.

cur dicendæ sunt nostræ quum eas nobiscum ferre non possimus, sed necesse sit eas in morte relinquere? Sanctus Iob intelligens se esse œconomum Domini idcirco aiebat: Dominus dedit, Dominus abstulit. Ac si diceret, nihil quod meum sit ablatum est a me, quare nō est cur mœrore & tristitia afficiar. Si enim mea essent bona hęc à me ablata, mecum nascerentur, & mecū discederent ab hac mortali vita, sed tamen non ita est. Nudus enim egressus sum ex vtero matris meæ: & nudus reuertar illuc. Et quemadmodum si seruus aliquis sequatur homines duos, & illi separentur, tūc intelligimus cuius sit seruus ille, quod sequatur verum Dominum: sic opes, sic diuitiæ, sequentes mundum atque hominem, mūdi potius quam hominis dicendæ sunt: quum hominem in morte relinquant. Cum interierit, ait regius vates, non sumet omnia; neque descendet cum eo gloria eius: quia anima eius in vita ipsius benedicetur. Quare satis sanum consilium erit, res Domini nobis creditas rectè, iustéque distribuere, & non eas dissipare: quando reddēda sit ratio dispensationis. Quod si de omni verbo otioso est reddenda tam exacta ratio: quid de rebus omnibus alijs? Quid de opibus, de magistratibus, de quinque aut tribus aut duobus talentis nobis commissis? Quid habes, inquit D. Paul. quod non accepisti, si autem accepisti quid gloriaris quasi non acceperis? Quid profusior fuisti bonorum meorum, quam par erat? Quid dissipasti bona tibi commissa? Prudentius sanè Dauid dicebat: Tua sunt Domine omnia, & quę de manu tua accepimus dedimus tibi. Et rursum: in simplicitate cordis mei lætus obtuli vniuersa hæc. Ac si diceret: ea simplicitate domine Deus qua infans præbet lætus patri suo pomum quod ab eo dono acceperat: & nos reddimus tibi hæc omnia quæ de manu tua suscepimus. Hinc est quod dominus in die iudicij dicet ijs, qui à sinistrà eius fuerint: ite maledicti in ignem æternū. Reddetq; causam. Quod noluerint pauperes cibare, potum præbere, è carcere educere. Quid domine nonne mea erant tunc illa bona? Cur ergo

Iob. 1.

Simile.

Psa. 48.

1. Cor. 7. b

1. Par. 29.

A me damnare vis, quod mea, alijs distribuere noluerim? Minime, dicet dominus, tua erant, sed mea: tibi œconomo à me tradita: non vt ea dissipares, non vt ea prodigeres, ac dilapidares, sed vt tibi parares amicos atque viaticum in vitā ęternam: idcirco de te pœnas æternas sumere mihi libet. Et quemadmodum nutrix cibo regio nutritur, & reficitur: vt lacte suo regis filium lactet & alat: quod si nō fecerit, condignas pœnas meretur: sic qui bona suscepit de manu Dñi vt pauperes sustentet, & pascat, si non fecerit, condigno afficietur supplicio. Sicut ergo nemo potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum: sic nemo potest diuitias parare & augere nisi Deus dederit: nisi enim dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Ædificare domum est, opes, diuitias, rē familiarem, magnamque familiam parare, quod nemo facere potest absque Dei ope. Œconomi ergo sumus domini reddituri rationem exactam dispensationis nobis commissæ: veluti tutores sumus pupillorum domini, hoc est, pauperū: quare sicut exacta ratio exigitur à tutoribus tutelæ sibi commissæ, atque bonorū pupilli quem tuentur: sic à nobis exigenda est, de bonis à Deo collatis si profusiores, quam æquum sit, fuerimus. Quod ergo habet quisque quo possit prodesse proximo, substantia diuitis domini est: quam oportet largiter in proximum erogare. Nullus est enim dominus earum, quas habet dotium, sed dispensator domini duntaxat. Opes verò quæ propriè dicendæ sunt nostræ, sunt gratia, gaudium & pax in Spiritu sancto. Sunt diuitiæ illæ cœlestes de quibus ait dominus: facite ergo vobis amicos de māmona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. Et rursum ait si in alieno fideles non fuistis: quod vestrum est quis credet vobis?

Simile.

Psa. 126.

¶*Et hic diffamatus est apud illum.* Noli ergo tu esse securus nam nunquam deerunt qui te deferant apud dominum si malè egeris. Apud Matthæum legimus, quod conserui, qui viderant miram clementiam domini in seruū, vbi vidissent tantam

In hoc. v.

Nemo securus esse debet nam nō desunt qui culpas & mala quæ agimꝰ deferant apud Deū.

tantam crudelitatem conserui in conseruum, dolore graui commoti, rem omnē denarrant Domino. Iamque Dominus implacabiliter iratus, tradidit eum tortoribus seruandum in carcere, donec redderet totam summam prius condonatam. Angeli enim sæpe sæpius videntes crudelitatem nostram in proximos: rem omnē enarrant Domino, vt de nobis vindictam sumat. Præterea apud diuum Ioannem ait Dominus. Nolite putare quoniā ego accusaturus sum vos apud patrem: est qui accusat vos. Moyses in quo vos speratis. Verba legis diuinæ, verba euangelica cōcionatorum clamant aduersus peccatores & infideles œconomos: nihil opus est domino delatore: Moyses & Prophetę & Apostoli concionatores omnes nos deferent apud Dominum. Quod si hi defuerint lapides clamabunt. Væ qui congregant auaritiam malam domui suę, vt sit in excelso domus eius, & liberari se putat de manu mali. Cogitasti cōfusionem domui tue, cōcidisti populos multos & peccauit anima tua. Quia lapis de pariete clamabit: & lignum, quod in iunctura ædificiorum est, respondebit. Imo nō lapides, non ligna solum domus sed & promptuaria, horrea, lapides pretiosi, aurum & argentum, equi, omnisque nimius apparatus clamabunt atque deferent nos apud dominum, quod noluerimus pauperibus domini subuenire: magis curantes parietes operire, equos & canes & parasitos nutrire quam mendicos. Præterea Paul. ait: Quod omnis creatura ingemiscit & parturit vsque adhuc. Panis, quo peccator vescitur clamat ad Dominum de terra: & dicit indignum illo esse peccatorē: astra cœli, hoc est, sol & luna & stellæ clamant itidem, luce, qua fruitur indignum esse iudicantia. Clamāt iusti dicentes: adueniat iam domine regnum tuum, vt à cōsortio impiorum liberemur: ab eorum iugo intolerabili eruamur. Imò etiam omnis creatura ingemiscit & clamat dicens: adueniat regnum tuum vt a tyrānide sceleratorum dissipantium bona tua hoc est nos redimamur. Atq; non solum omnia quæ in mundo sunt deferūt, incusant, & diffamant peccatorem apud Dominum:

Ioan. 5.

Abac. 2.

Rom. 8.

A sed ea ipsa eiusdem peccatoris conscientia clamat aduersus illum. Vnde D. Ioannes in 1. sua canoni. dicebat: Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: & quicquid petierimus accipiemus ab eo. Et ante præmiserat: quoniam si reprehenderit nos cor nostrum, maior est Deus corde nostro, & nouit omnia. Si cor nostrum clamat: nonne ira Dei magis clamabit? Si conscientia nostra accusat nos: nonne iustitia Dei magis accusabit magisque reprehendet? Quod si tu teipsum apud dominū reprehēdis, clamas, ac defers: quid agent pauperes quos fame perire passus es? Quid viduę & pupilli quibus iniuriā intulisti? Viduæ & pupillo non nocebitis. Si læseritis eos, vociferabūtur ad me, & ipse exaudiam clamorem eorū ait Dominus Exodi. cap. 22. & alibi: nonne lachrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentē eas? A maxilla enim ascendunt vsque ad cœlum, & dominus exauditor non delectabitur in illis. Et rursum Dñs ait Cain: ecce vox sanguinis fratris tui clamat ad me.

B

C Qua phrasi significare vult scriptura sacra peccata in proximos commissa, ita coram Deo esse, ac si creaturæ ipsæ quas retulimus deferrent peccatorem & clamarent ad dominum pro vindicta. Et diuus Iacobus. cap. 5. ait: Ecce merces operariorum qui messuerūt regiones vestras quæ fraudata est à vobis, clamat: & clamor eorum in aures domini sabaoth introiuit.

¶ Atque hoc est quod Christus dominus ait apud Matthę. nolite contemnere vnū ex his pusillis dico enim vobis quod Angeli eorum, semper vident faciem patris

D mei. Astant angeli vt si opus fuerit clament aduersus contemptores pusillorū. In Gene. etiam legimus: clamor Sodomorum & Gomorrhęorū multiplicatus est, vbi non de clamore vocis loquitur: nec sic intelligendum quod ipsi Sodomitæ ad Deum clamauerunt: nec clamor iste erat iustorum contra impios clamantiū, cum nemo inter illos esset iustus præter vnum Loth, qui non contra ipsos, sed magis pro ipsis orauit. Clamor igitur Sodomorum nihil aliud erat quā publica criminum

1. Ioan 3

Exod. 22.

Eccl. 35. c.

Gen. 4.

Iacob 5.

Matth. 18

Gen. 18.

minum libertas, consensus communis in malum nemine accusante, reprehendente, arguente, dolente. Ocium denique, saturitas, crudélitas, pauperum oppressio, nouæ libidines, publicus abusus contra naturam. Hæc crimina cum reliquis omnibus, insuper contemptus Dei, & prædicatorum, qualis erat Loth, clamor, Deo erant. Hinc igitur habemus ipsamet peccata à nobis commissa clamare in cœlum cõtra nos: opera manuum nostrarum vociferare coram Dei tribunali aduersus factorem suum. Apud nostrum etiam Euangelistam legimus dominum similitudinẽ adducere iniqui iudicis qui tamẽ victus improbitate precum succurrit viduæ: & concludens ait: Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantiũ adse die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico vobis quia cito faciet vindictam illorum.

Supra c. 24.

¶ *Quasi dissipasset bona ipsius.* Videtur quod non defertur œconomus iste quod omnia bona dissiparet, sed quod quasi omnia, ferẽ omnia. Et reuera ita est, nullus enim tam impius, qui omnes dotes domini dissipauerit, [illegible] nulloque profuerit proximo. Quem[admodum] rarò quis inuenitur adeo iustus, qui nõ dissipauerit aliqua bona domini: sic nullus adeò sceleratus qui aliquando non profuerit. Hinc est quod iustis in hac vita sæpe mala multa, præssurasque multas ingerit dominus pro bonis dissipatis: impijs verò, diuitias, dignitates, valetudinẽ aliaque externa bona concedat: quod nõ omnia dissipauerint, sed studiosẽ aliquando egerint. ¶ Præterea nullus, tam profusus bonorum domini inueniri potest qui saltem conscientiam suam non seruet. Hæc enim dissipatis virtutibus semper domi manet: hæc clamat ad dominũ, hortatur ad pœnitẽtiam animam, in memoriam illi reuocat pristina mala. Huius typus erat serua Naaman, quæ illum admonuit vt adiret Prophetam Elisæum vt à lepra emũdaretur. Eiusdem etiam imago erat quilibet seruorum illorum Iob, relictus à Deo, vt ei, quæ acta erant annũciaret: remansi ego solus vt annuntiarem tibi. Semper remanet domi conscientia

Nullus adeò est sceleratus qui aliquãdo nõ profit, nullus adeo iustus qui aliquãdo non dissipet aliquæ bona domini.

Semper remanet, in nobis consciẽtia quæ nos ad virtutem vel pœnitẽtiã hortatur.

4. Reg. 5.

Iob. 1.

A

quæ docet & testatur mala quę facimus. ¶ Deinde obserua: non solum peccatorẽ bonis domini priuari quod illis male vtitur: sed vitã quoq; Iam, inquit, nõ poteris villicare, hoc est, cito auferetur à te dispensatio, quoniam auferetur vita, postquam non est benemerendi facultas. Sic & bona & vita ablata subito sunt à stulto auaroque Nabal, quod pauperum, gregem suum custodiẽtium, necessitati subuenire noluerit. Sic etiam diuiti illi, quẽ Euangelista noster refert, dictum est: stulte hac nocte repetunt animam tuam à te, quæ autem parasti cuius erunt? Viri sanguinum etiam dicendi sunt non solũ homiccidæ sed qui pauperes fame confici & perire sinunt. Hi ergo viri sanguinum non dimidiabunt dies suos. Conuertantur peccatores in infernum, ait Rex Dauid, omnes gẽtes qui obliuiscuntur deũ. Infœliciter ergo peribunt omnes qui obliuiscuntur pauperis: cum ille sit loco Dei. Quandiu enim vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis dicet domin9 in die extremi iudicij. Et rursum: quandiu vni de minoribus his non fecistis, nec mihi fecistis.

Peccator non solum bonis priuari solet sed vita quod bonis sibi à Deo collatis male vtatur.

1. Reg. 25.

B

Luc. 12.

Psal. 54. d

Psal. 9.

C

Matth. 25.

Et vocauit illum. Quanuis villicus esset diffamatus apud Dominum suum, nihilominus tamẽ prius voluit vocare eũ, vt redderet pro se rationem. Sic Deus vocauit Adam post peccatum, similiter de Sodoma dixit: clamor Sodomorum venit ad me, descẽdam & videbo an ita sit. Gene. 19. at nos homines inconsultos dãnamus. Quemadmodum de Dauide cõmemorat scriptura, qui dedit sibę, & quidem iniuste, possessiones Miphiboseth, eo absente & inaudito. 2. Regum. 19. veni, & faciam ait Dominus apud Ezechielem. cap. 24. Idest, veni visum scelera hominum, & faciam, quod illis minitatus sum. Verba sunt Dei more humano loquentis. Eodem modo cum diuina scriptura impiam eorum temeritatem narraret, qui Babylonis turrim ædificabant, ait: descendit autem dominus, vt videret ciuitatem & turrim, quam ædificabant filij Adam. Docet nos Deus, ne temere solo rumore fratres damnemus, nisi prius certi reddamur. Discant hoc domini, discant

Gen. 19.

D

2. Reg. 19.

Ezech. 24.

Gen. 11.

Nō temere damnādi sunt fratres sed prius vocādi & audiēdi.

cant principes, discant reges, qui temere seruos suos damnare non verentur: quod à conseruis inuidis, sine causa, apud illos deferantur: ne facile suis delatoribus fidem adhibeant, sed vocent delatum: exigant, petantque rationem, inquirant an rumor verus sit ac rationi consonus. Delatio iniusta seruorum Pharaonis in causa fuit, vt pincerna eius detruderetur in carcerem: cuius iniustæ tandem memor Pharao, eum in pristinam dignitatem restituit: intelligens nimirum homo aliàs Ethnicus & infidelis, nō debere reges temerè suos damnare, quod si fecerint, multandam esse sententiam. Quāta verò mala machinatus fuerit Amā ille sceleratus, aduersus Mardochęum atque populum domini: quod Mardochæus non adoraret eum: nullus est qui nesciat. Quam impiam sententiam tulerit rex Assuerus per suassu duntaxat huius inuidi hominis sibi chari, omnibus etiam compertū est. Vt hinc colligas quantum nocet conseruorum inuidia. Quod in vno etiam Cain videre est, qui inuidia confectus, quod fratris munera magis essent grata Deo quā sua, ei insidias parauit, atq; immaniter interfecit. Vt in Genesi refertur. Hæc in causa fuit vt scelestus Doeg idumæus, qui assistebat & erat primus inter seruos Saul, deferret Achimelech sacerdotem: cęterosque sacerdotes domini apud regē Saulē, eosque, iubente rege interficeret. Atque hic erat de quo Psallebat rex David in Psalmo. 51. Dilexisti malitiam, super benignitatem, iniquitatem magis, quam loqui æquitatem. Dilexisti omnia verba præcipitationis: lingua dolosa. Quando ergo inuidia serpit vbique, caueant reges, caueant principes, caueant domini ne delatos à cōseruis statim damnent, sed eos vocent, interrogent ac rationem exigant, nec contra partem inauditam temere sententiam ferant. Neque enim sanctus Abraham ancillā Agar delatam à Sarra vxore sua è domo sua eijceret, nisi prius ei à domino esset imperatū. Maturo sanè consilio opus est, adferendū aduersus aliquem sententiam: nec sat est præcedens proclamatio. *Quid, inquit, audio de te: redde rationem.* ¶ Obserua

Gen. 40.

Esther. 3.

Gen. 3.

1. Reg. 22.

Psal. 51.

Gen. 21.

A præterea, in hoc loco depingere Dominum, imaginem expressam optimi atque constantis domini, siue iudicis, audentis rationem exactam postulare à sibi subditis. Quia Heli sacerdos hanc rationem à filijs petere tam exactam nō ausus est, misere & infœliciter perijt condignamque pœnam dedit. Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrūpere iniquitates: ne forte extimescas faciem potētis, & ponas scādalum in iniquitate tua ait Ecclesiasticus capi. 7. Hanc animi virtutem & B constantiam satis ostendit iudex Moyses, qui vna die interfecit quasi viginti tria millia hominum, cognita prius idolatria filiorum Israel. Non sic pharisæi, non audentes deferre: neq; accusare hominem adulterum apud Christum: sed solum accusantes miseram adulteram.

Qualis debeat esse iudex.

1. Reg. 4.

Eccl. 7.

Exo. 32.

Ioan. 8.

¶ *Redde rationem villicationis tuæ.* Quam exacta sit in morte exigenda ratio dispensationis nobis commissę, verbis explicari non potest. Redde, dicet tunc Dominus, rationem pueritiæ, iuuentutis, ac totius vitę temporis. Redde rationem, tā C sensuum exteriorum, quam potentiarum animæ: cu[m] [hæ]c omnia tibi concessa fuerint, vt Deum conditorem tuum, ac conseruatorem cognosceres, illique soli seruires. Quid enim oculi tui viderunt nisi vanitatem? Quid aures audierunt nisi mendacium? Quid os tuum locutum est nisi periuria, obmurmurationes, ac verba omni turpitudine & immūditia plena? Quid gustus, odoratus, & tact9 perceperūt nisi carnales voluptates? Redde rationem sacramētorum, quę ad salutem & medelā, ac vtilitatem animæ tuæ à Deo sunt instituta. Redde ratione omnium beneficio D rū, quæ tibi à domino gratis collata sunt. Redde rationem sanctarū inspirationū, salutis corporalis, cæterarumque corporis virium. Redde rationem bonorum externorum, quæ tibi sunt à Deo concessa, vt illis amicos parares: qui te reciperent in æterna tabernacula. Redde rationem subditorum, qui tibi sunt commissi. Redde etiam rationem proximi tui: cum vnicuiquē ego mandauerim de proximo suo. Quid obsecro tunc miser homo, ac seruus inutilis, & lignum aridum respondebit?

Exactissima est exigēda ratio in morte dispēsationis nobis cōmissæ.

Quid

Quid tunc dicet œconomus infœlix qui suis affectibus impendit, quod habebat: nec inde proximũ subleuauerit? Quid ad hæc peccator, cui⁹ cõsciẽtia mille testes; cuius cõscientia testabitur eius ingratitudinẽ, rebellionẽ, animi mollitiẽ, tarditatẽ, duritiẽ, propriũ amorẽ, ambitionẽ, irã, superbiã cæteraq; capitalia vitia? Quid faciet cũ sibi cõscius sit: cũ in memoriã reduxerit sui animi mutabilitatẽ, leuitatẽ, & inconstantiã? Quid cum audierit: iam non poteris villicare? Si ergo sapimus intelligentes hãc rationem strictè esse reddendam, antequam amoueamur à dispensatione, consilium & exemplum huius œconomi imitemur, atque sequamur.

¶ Si sapimus inquam libros conscientiæ nostræ in hac vita aperiamus: damnemusquẽ nos ipsos, ne in alio seculo cum aperti fuerint dãnemur. Hi sunt libri de quibus ait Daniel: iudicium sedit: & libri aperti sunt. Ac si diceret: vidi mentis oculis Christum mũdum iudicaturũ, coram quo libri cõscientiarum, in quibus scripta sunt acta nostra, patebũt. Et diuus Ioã. in Apoca. Vidi, inquit, mortuos magnos & pusillos stãtes in cõspectu throni: & libri aperti sunt. Et alius liber apertus est, qui est vitę: & iudicati sunt mortui ex ijs, qui scripta erant in libris secundũ opera ipsorũ. In his libris non solũ actiones, & verba, sed etiã cogitationes scribũtur. Et teste D. Paulo testimoniũ reddet illis cõscientia ipsorum, & inter se inuicẽ cogitationũ accusantiũ, aut etiã defendentiũ in die, cũ iudicabit Deus occulta hominũ. Legamus hunc librũ conscientiæ nostræ plenum peccatis, videamus crimina nostra, vt ea lachrymis deleamus, & ab illis in sacramento confessionis absoluamur. Si hoc facere neglexerimus, quid faciemus, cũ libri aperti fuerint, cũ vnicuiq; nostrũ cœlestis ille iudex iustus & seuer⁹ dixerit: *Redde rationẽ villicationis tuæ?* Quid illi respõdebunt superbi, quid auari? Quid illi, qui turpibus voluptatibus ducuntur? Quid illi, qui virorũ insigniũ pietate splendorẽ extinguere voluerunt? Quid illi, qui bellum intulerunt quiescẽtibus, vt eorũ veteres illibatasq; diuitias in profundissimã vanitatum suarũ voraginẽ profunderent? Quid deniq; illi respõdebunt scelerati, qui Deo contemptò huius seculi amore flagrarũt? Demus igitur operã vt liber conscientiæ nostræ in diuino conspectu bonorum operum plenus appareat: hoc enim erit gloriosum, & illustre & amplissimis laudibus decorandũ. Et vbi librum conscientię perpolierimus, ad intelligenda mysteria diuinę scripturæ accedamus, & librum illum, de quo ait Matthæus: liber generationis Iesu Christi, legam⁹, in quo, quid nos oporteat facere ad vitam æternam consequẽdam inueniemus.

Dani. 7.
Apo. 20.
Rom. 2.
Matth. 1.

¶ *Quid faciam, quia Dñs aufert à me villicationem?* Consultat hic œconomus quid facturus sit ne fame pereat ne mendicare cogatur: atq; in hoc laudatũr à domino. Prudentis sanè ac sapientis hominis est de futuris cogitare, ac præuidere mala, quę subsequi possũt: vt sibi caueat. Hinc est quod Christus Dñs multo ante de passione sua secum & cum discipulis agebat, illamque præuidendo dicebat: Ecce ascendimus Hierosolymam & fili⁹ hominis tradetur. Sapientis oculi in capite eius, ait Ecclesiastes: stultus vero in tenebris ambulat. Dicitur sapiens in capite oculos habere, quoniam à longè præuidet quæ ventura sunt, atque per hanc prouidentiam, ad ea quæ posita sunt bona se dirigit: à malis autem in quæ posset incidere cauet. Stultus verò quoniam nõ præuidet ventura in nouissimo, quæ longinqua videntur hominibus, Idcirco negatur oculos habere in capite. Si enim haberet in capite oculos, cum ipsum sit in supremo corporis situm, facile vtique oculis illis capiti infixis, non solum quæ ante pedes sunt, verum etiam quæ longè absunt videret. Quam sententiam Gregorius Neocæsariensis in sua Paraphrasi pulchrè exponit, hijs verbis. Qui virtutem sectatur similis est homini clarè sursum & vndequaque cernenti, viam illius fulgidissimo iubare illustrante. Contra, qui vitijs erroribusque implicitus cõparandus est erranti in tenebris. Cæcus enim est & oculos illi effoderũt opera sua tenebrosa. Hęc ille. Pro-

Prudentis est de futuris cogitare ac præuidere mala vt sibi caueat.
Matth. 20.
Eccle. 2. b
Gregor. Neocæsariensis.

uide ergo tibi & cogita quid facturus es quando quidē iā iā adest dies illa, dies calamitatis & miseriæ: quando Dñs auferet à te merendi facultatē. Nec erit tunc vnde viuas. Cū nihil tibi collegisti, dū licuit. Quodcūq; ergo facere potest manus tua (ait sapiens) instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. Ac si diceret: interim dū tēpus habes meriti operare sedulo & sollicite quicquid boni potes, vbicūq; occasionē natus fueris boni operis quicquā peragendi, ne negligas, sed cū diligentia & feruore multo accepta occasione operare quod offertur boni, ad similitudinē negotiatorū hominū atq; auarorū huius seculi, qui omnem occasionē lucri, quantūuis minimi, præterire nō sinunt: semper solliciti occasione oblata aliquid lucri colligere. Sic etiam hortatur Paul. dū tēpus, inquit, habemus operemur bonū ad omnes. Et iterū. bonū autē facientes, non deficiamus, tempore enim suo metemus, non deficientes. Cui etiā cōsonant verba eiusdē sapientis dicētis: bonū est te sustētare iustū, sed & ab illo ne subtrahas manum tuā. Merito verò in hoc tēpore instanter debent operari bonū mortales, quoniā hic omnis vita breuis est, & è vicino imminet vita alia, ac tēpus aliud, quo nō est benemerendi facultas. Nūc enim tēpus est acceptū. De quo Esaias ait: Tēpore accepto exaudiuite, & in die salutis adiuuite. Et de quo Apostolus ait: Ecce nunc tēpus acceptabile ecce nunc dies salutis: quoniā videlicet accepta grataq; nūc sunt Deo opera hominū. Quod autē post hoc tēpus succedit, non erit tempus acceptū in quo exaudiri possint clamātes, aut dies salutis in quo adiuuari, sed tēpus noctis erit & caliginis. Iuxta quod in euāgelio Dñs ait: Operamini dū dies est. Veniet enim nox, quādo operari nemo poterit. i. tēpus post præsentē vitā, quādo nō erit facultas faciēdi opera meritoria. Quod etiā in lib. Apoc. Signatū est per vocē angeli fortis, qui pedē dextrū ponens super mare, sinistrum autē super terram iurauit per viuentē in secula seculorū quia tēpus nō erit amplius. Atquē hoc est quod Eccle. c. 9. post exhortationē præmissam ad instanter bona operandū subiungitur his verbis: quia neq; opus nec ratio, nec sapientia, nec scientia erūt apud inferos quo tu properas. i. post tēpus præsentis vitæ huius transactū si vacuus tunc inuentus fueris ad inferos descendens: vbi sine vlla spe euasionis in æternū punieris, donec ad nouissimum vsque quadrantē (iuxta verbū euangelicū) persoluas omne debitum. Vbi non erit opus aliquod, quo possis amplius quicquā mereri, nec vitā æternā, neq; mali euasionē, imo neq; miseriæ leuamen. Neq; erit ratio neq; modus, neque sapientia, neque scientia, neq; vllū consiliū ad recuperandū bona per negligentiā amissa: aut effugienda mala inuenta. Quod autē dicitur: apud inferos, quo tu properas: potest hoc specialiter referri ad eos qui nunc propter desidiā cessant ab operando bonum. Vt sit sensus: ad quos inferos tu quam totius peruenies, atq; descendes: si non per continuū boni operis exercitiū tibi dum tēpus est prospicias, tuoq; animo nō cōsultes quid te oporteat facere. Quemadmodum dum ad superos properat omnis qui instanter operatur bonū quodcūq; manus sua inuenerit: ita ad inferos cōtrario itinere properat omnis qui nūc dum tēpus habet à bene operādo cessat. Iuxta quod etiā sanctus ait Apostolus: quomodo nos effugiemus si tantā neglexerimus salutē? Vel generaliter tā ad strenuos bonarū actionū operatores, quā ad desides cessatores referatur sermo. Vt properare ad inferos sit ad mortē tendere, vel ad sepulchrū, quomodo ex Hebræo potest legi. Habetur nāq; in Hebræo dictio seol, significans foueā. i. vel sepulchrū, vel infernū. Ad foueā autē sepulchri omnes tēdimus, qui nunc viuimus. Ad inferū quoquē ante Christi aduētum omnes properabant, quoniā ad limbū inferni omnib⁹ erat quātūlibet iustis descendendum: donec veniret qui eos de lacu captiuitatis educeret. Simili loquendi modo dolens Iacob pro abductione Beniamin dixit filijs suis: deducetis canos meos cum dolore ad inferos. Vt ergo redeamus vnde digressi sumus dum tempus habemus, consultemus nobiscū, quid in posterum agen-

agendū sit: timentes famē, paupertatē, & mendicitatē futurā: timētes rationē reddēdā: dispēsationē breui auferendā. Si enim Dñs iste tā exactā rationē exigere voluit ab œconomo illo rerū suarū, quā obsecro postulabit reddendā dñs Deus rerū non solū caducarū, & fluxarū: sed spiritualiū, quæ nobis in proximorū cōmodū cōmissa sunt? Optimū cōsilium ergo est de futuris prouidere. Quis enim rex (vt exēplo vtar Saluatoris) tam imprudens & incogitans est, vt si paret expeditionē aduersus aliū regem, non antea quam quicquā moliatur, per otium sedens expendat vires regni sui, an expediat occurrere, hosti venienti aduersum se, cū viginti milibus hominum, cū manu decem miliū. Quod si compererit vires sibi esse impares ad cōflictū, priusquā ille propius admoueat exercitum, mittit ad illum oratores, qui tractent de conditionibus pacis. Nam id sanē tolerabilius est, quam experiri martis aleam imparibus præsidijs. Honestius est enim ante præliū cōmissum, agere de rebus cōponendis, quam post cladē acceptā, in honestioribus etiā legibus accipere pacem. Quod si homines in rebus huiusmodi subducere norunt, quid præstare possint priusquā incipiant, quāto magis oportet idem facere in negocio spirituali, quo nō est aliud maius aut fortius? Cū ergo irā Dei superare non possis, cū vires tuæ sint impares ad tantū conflictū, obnixē pete ab eo pacē: amicos para tua pecunia emptos, qui de amicitia & pace cum dño tractent. Quod si nō feceris, sed prius experiri volueris irā Dei actū erit de te: sicut actū est de illis qui sero sapiētes pœnitentiáq; in inferno agentes post cladem acceptā, cōflictūq; cōmissum aiunt: quid nobis profuit superbia, & diuitiarū iactātia quid contulit nobis? Lassati sumus in via iniquitatis ambulauimus vias difficiles. Sicut etiā actum est de diuite illo euāgelico, qui sero sibi prouidit, oculosque aperuit: nimirū post bellū, post conflictū, post cladē, post mortē denique: quādo nullis etiā legibus accipere potuit pacem.

Luc 14.

Sap. 5.

In hoc. c.

¶ *Quid faciam?* Hæc dixit villicus iste: Non ait: quid dicā? Sed quid faciā? Intelligit enim vir sapiens, quod non sola fide, nec verbis acquiritur regnū Dei, sed bonis actionibus. Quod ostensum est Ezechili cū emissa similitudo manus apprehendit eū in cincinno capitis sui: vt ipse testatur. c. 8. aduerte, spiritus diuinus eū eleuauit, quē manus apprehēdebat: imo manus eū etiā eleuabat. Bona opera sunt, quæ nos apprehēdūt, & rapiunt in cœlū, viáq; muniunt ad gloriā immortalē consequēdā. Eos Deus effert in sublime, qui virtuti prędити sunt, qui in honestatis opera incūbentes, animos suos à corporis cōtagio abducentes, & cogitationes à populi temeritate se vocantes, se totos ad Christi imitationem cōtulerunt. Da operā, vt virtus te apprehendat, & trahat ad veram dignitatē: manus enim, hoc est, bona opera in gratia facta, decorata sanguine Christi, ex quibus christiana nobilitas redūdat, & efflorescit, te ad cœlestē patriā, ad mentiū beatarū sedes eleuabūt. Sequere Christū, adhęre illi, eum amplectere, & amore prosequere singulari, & eris etiā viuus à terra eleuatus, & in cœlo mēte & cogitatione constitutus. Et dices cū Apostolo: conuersatio nostra in cœlis est. Itaque in terra existens, nō eris terræ habitator, sed cœli cuius omnia tibi contēplanti pręclara & mirabilia videbantur. Et tunc si ad terrā oculos retuleris, quibusdā redimitā & circundatā cingulis, parua tibi videbitur, & instar pūcti respectu cœli: & intelliges planè esse humana omnia cōtēnenda, cœlestia autē semper spectāda. Et mētis acie contēplaberis sedes illas æternas admirabili splendore fulgentes, vbi sancti requiescunt, ad quas illi ascendūt, qui sunt operibus præclaris insignes, in humilitate fundati charitate cōspicui, diuinarū rerū contēplatione præstantes: qui effigiē quandam diuinæ bonitatis in suis moribus & factis adūbrant, & præstantibus ingenijs in vita humana diuina studia sectatur. Hos suscipit virtutū nubes, & eleuat in cœlū. Cum Christus Deus noster ascendit in cœlū, eleuatus est & vt ait D. Lucas in Actis Apostolorū nubes suscepit eū ab oculis discipulorū. Vbi q; creatura suo creatori pręstat obsequiū, astra dū indicant nascentē, obnubēt patientē, recipiunt nubes ad cœlū abeuntē. Ascendit

Non sola fide aut verbis sed bonis actionibus acquiritur regnū dei. Ezech. 8.

Phili. 3.

Lu. Act. 1. Omnis creatura præstauit suum obsequiū Christo.

Christus non alieno adminiculo, sed propria virtute, nã, vt ait in homil. quadã D. Grego. Redẽptor noster nõ curru, nõ Angelis subleuatus legitur, quia qui fecerat omnia, super omnia virtute sua ferebatur. Et quãuis virtute sua eleuatus est, nubes tamẽ eũ suscepit, quã aiunt fuisse lucidã, ab eximio splẽdore diuinæ maiestatis quasi procedentẽ. Nos faciamus splẽdentes nubes quæ nos erigãt in cœlum, quæ exeant á nobis, á corde procedentes. Sint nubes bonorũ operũ, precationũ, ieiuniorũ, eleemosynarũ, & omniũ deniq; virtutũ. Hæ nubes sunt manus, quæ nos apprehẽdent, & in cœlum asportabunt. Et tũc sequemur consilium huius œconomi dicentis quid faciam, &c. Scio quid faciã. Nõ. n. dicemus quid dicã: Scio quid dicã: sed quid faciã. Opera enim illorũ, ait Ioã. sequuntur illos: fides nãq; per charitatẽ operari debet, vt scriptura sacra docet.

D. Grego. — Apo. 14.

¶ *Fodere non valeo*. Heu heu miseros homines: quã innumeri modo sunt, qui ocio vacãtes nimisq; se indulgentes, ad cõparandũ proprio labore sibi victũ & vestitũ vires nõ habeant. Hi sunt qui stãt tota die otiosi. Otiũ sanẽ omniũ malorũ origo & fons de his triũphat: in his dominatur: hos insignes latrones, ac concubinarios reddit. Hos ad fodiendũ in agro aut alio aliquo honesto labore ad stipẽ diurnã parandã ineptos facit. De huiusmodi loquebatur D. Paul. cum dicebat: Si quis non vult operari non manducet. Audiuimus enim inter vos quosdã ambulantes inquietẽ, nihil operãtes: sed curiose agẽtes: his autẽ qui eiusmodi sunt denuntiamus, & obsecramus in Dño Iesu Christo: vt cũ silentio operantes suũ panẽ manducent. Indignus sanẽ es pane quo vesceris si otiosus sis. Vnde regius vates ait: Labores manuũ tuarũ quia manducabis beatus es & bene tibi erit. Magna sanẽ fœlicitas domestica est: pasci cibo proprio labore & industria parato, suauisq; est panis proprio sudore emptus. Idcirco panis quẽ in sacramento frãgimus, tã suauis nobis fidelibus esse solet: quod tãto labore Christi in cruce cõfectus sit. Atq; in hac re maximẽ incusandi veniũt parentes male liberos instituentes: nec curãtes vt filij arte aliqua cibũ acquirant, immemores illius, quod olim Dñs primo parenti prædixerat: in sudore vultus tui vesceris pane tuo. Quo verbo generaliter omnibus hominibus præcipitur labor, & opus: otiũ autẽ omniũ malorũ sentina prohibetur. Saturitas enim panis & otiũ omnia mala abũdare faciunt. Qui enim sunt turpi otio dediti vincũtur á voluptatibus falsisq; delicijs, quæ celeriter decidũt. Vt inculta terra gignit tribulos & sentes, sic homo otiosus impias gignit cogitationes, & scelera nefaria producit. Vult Deus ne vitã desidia & otio transeamus, veluti pecora, quæ natura terræ prona ventriq; obediẽtia finxit. In labore, dixit etiã Deus Adamo paulo ante, comedes omnibus diebus vitæ tuæ. Et in lib. Iob legimus: homo natus ad laborẽ. Et. D. Hieron. nullus labor durus, nllũ tẽpus longũ videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur. Et Pittachus apud Raphaelẽ Volaterra. totius honesti dux, & fundamentũ continẽtiæ labor imprimis est. Et Hesiodus apud Stobæũ per labores virtus incedit. Et Plato: breues virtutis labores æterna voluptas sequitur. Eijciẽda ergo mollities animi & corporis est, & danda opera vt arte & labore tã cœlestẽ quã terrenũ panẽ paremus. Sic antiqui illi patres, agricolæ ouiũq; pasto res erant: intelligẽtes, desidiã esse omniũ malorũ originẽ: otiũ, esse omniũ vitiorũ sentinã. En vides villicũ istum iniquũ, defraudantẽ dñm suũ, ac per fraudẽ, eius bona surripientem. Quod nec erat illi vnde viueret, nec ad fodiẽdum aut aliquo alio labore stipẽ diurnã parandã, vires erant.

Otium omnium malorum fons. — 2. Thes. 3. — Psal. 127. — Gene. 3. — Ezech. 16. — Iob. 5. — D. Hiero. — Pittachus — Hesiodus. — Plato.

¶ *Scio quid faciã*. Ecce cõmodũ quod venire debet in mẽtẽ peccatoris post multã animi indagationẽ & consultationẽ de salutari remedio. Parare videlicet amicos ex facultatibus dñi, eleemosynas s. porrigere. Hoc fuit salutare illud consilium quod sanctus Daniel œconomo illo scelerato, hoc est, Nabuchodonosori regi dedit dicens: peccata tua eleemosynis redime. Hoc idẽ adhibuit quibusdã diuitibus dissipãtibus bona dñi in euãgelio Christus, inquiẽs: quod superest date eleemosynã: & ecce omnia munda sunt vobis. Atque in ea etiam re Christiana profectio posi-

Parare deberet peccator amicos. i. pauperes ex bonis dñi. — Dani. 4. — Supra 11. 5.

ta

Matth. 19. ta est, dicente Dño iuueni cuidam opibꝰ & diuitijs prædito: si vis perfectus esse vẽde omnia quæ habes, & da pauperibus: Sed de hoc aliâs. Huius ergo, si sapis, consilium sequere, si tecum consultas quid facere debeas. *Scio*, inquit, *quid faciam: vt cum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas.* Vtinã saperes, & intelligeres, ac nouissima prouideres. Ad hoc.n. misericors iudex iram minatur vt ignoscat, ad hoc arcũ tetendit vt parcat.

¶ *Centum cados olei.* Græca lectio sic habet: ἑκατὸν βάτους. idest, *cẽtum batos olei.* Batus vero Hebraica vox est illis mensuram significans liquidorum, vt docet Iosephus lib. antiquitatum Iudaicæ generis octauo, ea capiebat sextarios septuaginta duos. At cadus Græca vox est cõtinens congios decem vel (vt alij volunt) duodecim. Primi in alpibus rustici cados ligneos circulis cinctos excogitarũt. Cõgius verò mensuræ liquidæ genus est capiens sex sextarios, sextarius autẽ dicitur quod sit sexta pars congij: quæ mensura apud antiquos tam liquidis quam aridis seruiebat. Capit autem sextarius cotylas binas, quæ & heminę dicuntur. Est enim cotyla siue hemina mensuræ genus continens dimidium sextarij.

Batos quid apud Hebræ. sit, & quid cadus Græcè, & quid cogius.

Sextarius quid & quid cotyla & hemina.

¶ *Accipe cautionẽ tuã.* Accipe, subaudi, à me. Quã tibi trado qua es her omeo obligatus. *Cautionẽ.* Literã syngrapham.

¶ *Scribe quinquaginta.* Subaudi, te mihi soluisse, quæ. 50. tantum contineat.

¶ *100. coros tritici.* Corus, mensura aridorum erat, capiens, medimnos atticos quadraginta vnum, vt idem Iosephus ait lib. 3. antiquitatum Iudaicæ generis. Medimnus vero, authore Budæo genus mensuræ erat, senos capiens modios.

¶ *Et laudauit Dñs villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset.* Fraus huius œconomi si comperta fuisset illi diuiti, non fuisset impune œconomo: sed tamen Dñs Iesus ad exemplum beneficẽtiæ laudauit apud discipulos suos œconomi huius fraudulentum, sed tamen prudens cõsilium, & ad huius imitationem adhortatur suos taxans nostram socordiam, quod homines huic mundo seruientes, in prospiciendo sibi de victu corporis prouidẽtiores sint, & attentiores, quam hi, qui abdicato mundo sectantur ea quę sunt ęternã, in prospiciendo sibi in vitam cœlestẽ. Si ergo laudibus effert Dñs prudentiam huius villici, hinc colliges quam prudẽs consilium erit de facultatibus nobis cõmissis, parare amicos in vitam cœlestem: contra verò quanta stultitia polleant homines auari aliâs fideles nolentes in pauperes bona sua distribuere, & dies noctesque dantes operam in aggerandis cõgregandisq; diuitijs, quas secum habeant. Quod ex multis coniectari poterit. Primum, stultus haberetur viator necessariò transiturus per loca latronibus plena, & necessario ibi spoliandus, qui secũ vellet omnia bona sua portare: nolletq; ea seruare in loco vbi non arriperentur à latronibus: stultus ergo & non prudens habẽdus est auarus, qui peregrinus ac viator est super terram, quod ad mortem vsque secũ ferre vult omia bona sua: cũ sciat miser, ibi esse spoliandus, ibi omnia esse, velit nolit, a mundo surripienda: nihil secũ ferendum. Dormierunt somnũ suum, ait Psalmographus, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarũ in manibus suis. Arcta atque angusta maxime est via quæ ducit ad vitam: arctior atq; angustior est porta mortis, quæ ducit ad inferos, per quam stultus auarus ingreditur quũ bonorum suorum sarcinas non possit capere. Vndè Bernar. Quid tu camele gibbose? Quid tu pecuniose proditoris loculos tollis? Nõ sic impie, non sic ingredieris: foramen acus huiusmodi sarcinas non admittit. Stultus sanè haberetur homo qui ob furtũ aliquod insigne suspendendus esset, si secũ in patibulũ omnia pretiosa vestimẽta sua ferre vellet: cũ certo sciret ibi à carnifice esse spoliandus. Fatuus ergo & imprudens auarus dicẽdus est qui opes suas secũ ad mortẽ vsq; quę patibulũ eius est, perducere vult, sciens ibi esse omnino denudandus: cũ posset eas, per manus pauperũ in loco tuto reponere. Vnde D. Gregor. Securius feruntur diuitiæ, de patria ad patriam per manus plurimorũ, quam vnius. ¶ Præterea, nonne insipiens diceretur, diues, qui nauigaturus, imminente periculo naufragij, secum bona sua

Nostra socordia taxatur.

Quam stultus sit auarus ostenditur.

Iacob. 5.

Psa. 76.

Matth. 7.

D. Bernar.

Simile.

D. Grego.

Eccl. 8.

consuluit. Quando denique tempus hoc incertum est cuique nostrum, & alioqui nulli non breue, properandum est, vt erogatis in pauperes terrenis facultatib9, paremus nobis viaticum in vitam æternam. Si enim iter facienti sanum cõsilium est parare annonam in vitam corporis, quãto satius erit illam parare in vitã animæ? Sequamur igitur prudétiam huius œconomi, non autem ignauiam illius cui dominus commisit vnum talentum, quod defodiens in terra, ac iussus reddere rationem non solum non agnoscit culpam inertiæ, verum etiam dominum insimulãs austeritatis & auaritiæ, crimen officij neglecti conduplicat. Domine, inquit, scio quia homo durus es, metis vbi non seminasti, &c. & timens abij & abscondi talẽtum tuum in terra, ecce habes quod tuũ est. Hunc sermonem dominus in suum caput retorquens, ait: serue male & piger, sciebas quia meto, vbi non semino, &c. Oportuit ergo te committere pecuniam meam numularijs, & veniens ego recepissem vtique quod meum est cum vsura. Male sanè œconomus ille inferebat & ideo ob eius imprudétiam damnatus est: optime tamen noster œconomus collegit dicens: Dominus auferet à me villicationem, &c. Scio ergo quid faciam, &c. Et ideo laudatur à Domino. Committamus ergo pecuniam Domini numularijs, hoc est, pauperibus: ne nobis contingat quod seruo isti, ne, inquam, submoueamur ab oculis Domini tãquam serui inutiles: & abijciamur in tenebras exteriores. Vbi pro gaudio Domini nostri quod promereri noluerimus, cruciabimur fletu & stridore dentium. En vides quanta bona afferat prudentia: quãta verò mala stultitia & imprudentia.

Matth. 25.

¶ *Quia filii huius seculi prudentiores filiis lucis sunt in generatione sua.* Quod homines huic mundo seruientes, in prospiciendo sibi de victu corporis, atque de rebus alijs omnibus huius mundi prouidentiores sint & attentiores quam filij lucis, in prospiciendo sibi in vitam cœlestem, probatione non egeticum & id experimento didicerimus, & multis exemplis comprobare possimus. In libro Geneseos cap. 4. legimus: quod Ada genuit Iabel, qui fuit pater habitantium in Tentorijs atque pastorum, & nomen fratris eius Iubal, ipse fuit pater canentium cithara & organo. Sella quoque genuit Tubalcain, qui fuit maleator, & faber in cũcta opera æris & ferri. Vbi obserua: quod filij hi Cain primo inuenerunt artes varias, acquirendi victum, cæteraque mundi bona quæ externa dicuntur. Sic enim filij huius seculi prudentiores sunt filiis lucis. Et quanquã hæ artes in se malæ nõ sint, imò ad præsentem vitam plurimum accommodæ nihil tamen impiis faciunt ad futuram vitam. Tota igitur impiorũ industria est in externis rebus: in spiritualibus autem nihil sunt. Atqui non satis est ad vitam, vt bonus sis musicus, aut artifex: sed aliud requiritur, nempe vt sis iustus. Habent quidem huiusmodi externæ artes laudem suam coram mundo: sed non coram Deo. Cæterum in filiis his huius seculi licet videre homines qui versantur in mundo, in quadruplici ordine esse. Nam alij dediti sunt rei pecuariæ, ac de loco ad locum transeunt, vt attigeant patrimonium, hi signantur per Iabel. Alios inuenimus quibus vita voluptuaria cordi est, & totos dies ducunt musicis instrumentis, hi signantur per Iubal: sunt deinde efferi quidam & truculenti militares animi, quibus ferrum & arma cordi sunt, aliosque violenter opprimunt, hi signantur per Tubalcain. Sunt postremo alij, qui tantum gloriam quærunt in vestibus, honoribus, magistratibus, &c. Hi signantur per Noemam sororem Tubalcain, quæ inuenisse dicitur artem texendi & pingendi, &c. Hæc, inquam, in praua hac generatione inueniuntur, auaritia, luxuria, ira, superbia: his dediti sunt filij huius seculi in quibus diligentiores, prouidentiores atque attẽtiores sunt quam sint filij lucis in liberalitate, castitate, patientia, & humilitate. Capite, rursus. 10. narrat idem Moyses tria notatu Digna de posteris eiusdem Caim. Primò, quod & si mali essent & maledicti, tamen in optimo terræ loco habitabant, in AEgypto, scilicet, & Syria regionibus fertilissimis: Sic enim im-

Multis exẽplis probatur filios huius seculi esse prudentiores filiis lucis in generatione sua.

Gen. 4.

Gen. 10.

Rom.6 d vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Hoc est, eadem cura, ac diligentia, qua peccatis dabatis operam, modo virtutibus, studiosisque actionibus incumbite. Quod fecit diuus Paulus vas electionis factus, quod fecit Matthęus in Euangelistam & Euangelicum scriptorem ex Teloneo ascitus: quod fecit mulier illa

Luc 7. in ciuitate peccatrix, quæ attulit alabastrum vngenti pretiosi, & stans retro secus pedes domini, lachrymis cepit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & vnguento vngebat. Membra enim quæ exhibuerat seruire iniquitati ad iniquitatem, sollicitè exhibuit seruire iustitiæ in sanctificationem.

Peccatores filii huius seculi & diabolo pater eorū princeps huius mūdi vocantur.

¶ *Filii huius seculi*. Ecce nomen, insigne sané, hominum mundo seruientium: ecce illorum titulus: filij huius mundi vocantur. Atque pater eorum diabolus, vocatur princeps mundi huius. Qualis & pater tales & filij. Hinc colliges qualis sit mundus, qualis glōria eius, quale sit hoc seculum. Ex rege nimirum & rectore atque sibi subditis id facille intelliges, atque venari poteris. Colliges etiam quid tibi velis, cum iniuriam proximo condonare non vis, quod mundo seruias respōdens: quod mundi mores sequaris, quod mundo mos gerendus sit: ac legibus eius parendum. Nonne ó miser & imprudens homo planè fateris diabolo seruire? Nōne constanter affirmas filium eius esse? Nonne ais, esse sub eius imperio & ditione? ¶ Deinde perpende & iniquorum & iustorum differentiam. Illi vocantur filij huius seculi: hi autem filij lucis. Illi, filij

Differentia inter filios huius seculi & filios lucis.

mundi huius. Mundus autem vocatur tenebræ. Ac princeps eius vocatur princeps tenebrarū harum à diuo Paulo: quare filij huius seculi vocabuntur, filij tenebrarum. Huius veritatis imaginem habemus in Exodo capi. 10. vbi narrat Moyses

Exo. 10. quod in terra AEgypti nemo AEgyptiorum tribus diebus vidit fratrem suū, nec mouit se de loco in quo erat: eò quod tenebris horribilibus, quæ palpari poterāt cooperti essent: vbicumque autem habitabant filij Israel lux erat. Impìj ergo ac

A scelesti homines in hoc mundo viuentes, in tenebris ambulant: & ideo filij seculi, hoc est, tenebrarum, meritò nuncupantur: iusti vero & virtute prædici in luce, & idcirco filij lucis dicuntur. Hinc est quod lachrymas fundens dominus, videns ciuitatem Hierusalem, ait: si cognouisses & tu. Cæca enim erat Hierosolyma ac tenebris vitiorū cooperta. De qua dominus olim per Prophetam prædixerat: excæca cor populi huius: & oculos eius claude: ne forte videat oculis, & corde

Infra. 19.

Esai. 6.

B suo intelligat. Vt enim sol dicitur nobis cæcitatem inferre, quando ab eo oculos claudimus, eumque videre nolumus: sic Deus dicitur cor hominis obcæcare, quādo ab eo gratiam subtrahit, quia homo eam acceptare renuit. Hanc ergo cæcitatem mundus hic secum affert vt filij eius oculos habeant & non videant, aures habeant & non audiant. Contra vero viri iusti, filij lucis appellantur cum sint Christi filij, Christus autem est lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mūdum: est lux, quę in tenebris lucet: & quam tenebrę cōprehendere non

Similitu.

Ioan. 1.

C potuerunt. Ex quo fit, vt viri iusti sint in Ecclesia veluti lumina nostram noctem illustrantia, de quibus ait Apostolus: inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. Sunt enim pij & virtute præstantes, stellæ cœli. Sicut enim stellæ firmamenti cursus suos in cœlo non deserūt, etiam si multi multa mentiantur de ipsis: sic sancti quorum conuersatio in cœlis est, quicquid impij homines in tenebris ambulātes, mentiantur: viam iustitiæ non deserunt neque interpolant: sed potius aiūt: mihi autem pro minimo est vt à vobis iu

Phi. 2.

D dicer aut ab humano die. Pręterea stellæ potius videntur fulgere in nocte quam in die: licet & in die quoque fulgeant: quamuis non ante hominum oculos. Sic iusti, ait Paulus, maxime splendent inter impios & sceleratos. Talis erat iustus ille de quo Ioannes ait: ille erat lucerna ardens, & lucens. Ardens vita, lucēs doctrina. Tales illi, de quibus Daniel: qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt sicut stellæ. Talis sponsa, de qua in canticis dicitur: quæ est ista, quæ progreditur, quasi

1. Cor. 4.

Ioan. 5.

Dan. 12.

Cant. 6.

aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol. Et alibi: Quasi stella matutina in medio nebulæ, quasi luna plena in diebus suis lucet: quasi sol refulgens, sic iste refulsit in templo Dei. Talis tandem mulier illa, quam vidit Ioannes, amicta sole, & luna sub pedibus eius & corona stellarum in capite eius. Iustus ergo filius lucis appellatur: quod Christi filius sit, quod virtute, & doctrina & exẽplo splendeat. Impius autem filius huius seculi, filius tenebrarum: quod mundum sequatur, mundum imitetur, quod in erroribus, aut vitijs versetur. Hanc differentiã inter impios & iustos volens multis alijs nominibus significare Paulus ait in posteriori episto. ad Corin. cap. 6. quæ participatio iustitię cum iniquitate? Aut quæ societas lucis ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus Dei cum idolis? Vos autem estis tẽplum Dei viui. Ecce vocantur fideles, iustitia, lux, Christus, fideles, templum Dei viui. Eam ergo differentiam, quæ est inter Christum & Belial, inter iustitiam & iniquitatem, inter lucem & tenebras, inter denique templum Dei & simulacra gentium, suo modo intellige inter membra Christi & sathanę, hoc est, inter fideles & infideles: inter filios tenebrarum & filios lucis.

Eccl. 50.

Apo. 12.

2. Cor. 6.

¶ *In generatione sua sunt.* Hebraismus est hic, pro, quandiu hic viuũt, vel, in ijs, quæ illis accidunt; aut in ijs, quæ gerunt.

¶ *Et ego dico vobis facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* Ac si dicat dominus: distribuite in pauperes diuitias vestras, vt cum migraueritis é vita, recipiamini ob eleemosynas vestras in gloria sempiterna. Et laudauit dominus, vt iam diximus, villicum iniquitatis, quod prudenter fecisset, nam aliena pecunia comparauit sibi amicos, qui eũ reciperent. Sed dices: si villicus iniquus erat, si inique fecit, cur fuit à domino laudatus? Audi obsecro. Vt in crudeli homicidio elegãter depicto artem pictoris miris laudibus efferes, rem verò ipsam detestaris, sic dominus industriam villici laudat, rem verò ipsam vituperat: Iniquum enim erat domini substantiam perdere, sed industria fuit, amicos, qui eum reciperent, eique postea consulerent, acquirere. Eodem modo qui pauperibus diuitias largiuntur, prudentes sunt, quoniam comparant amicos, quorum precibus in æterna gloria recipiantur. Et licet paupe res pro ipsis non fundant preces, ipsæ tamen eleemosynæ pro illis dominum deprecantur. Et non sunt villici iniquitatis sed misericordiæ, nec villicum iniquitatis in eo imitantur, quod substantiam à domino subripiebat, sed in eo, quod diuitijs amicos, qui in eum conferrent beneficia comparabat. Sed quanto beneficio afficiantur hi dominicæ substantię dispẽsatores strenui non solum hic docet Dominus: sed iam olim docuerat regius vates loquens de his Psalmo. 40. Beatus, inquiens, qui intelligit super egenũ & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. Misericordiam appellat ad beatam vitam certissimum aditum, & diem malam vocat tempus asperum & calamitosum, quo Deus viros non desinit misericordia præstantes. Et rursus: dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi. Nec hoc solum emolumentum misericors hinc percipit: sed in vita hac præsenti fructum cẽtuplum recipit. Vt putei & lacus aquarum viuẽtium sordibus obturati, & inquinati, si exhausti fuerint, fluent vberiore & pulchriore aqua, dimissi verò & quieti corrumpuntur, & putrent, sic opes distributæ, & in egenos translatæ crescunt, & opes edunt copiosas & salutares: nam accipientes reficiunt, dantium autem animos alunt ad æternitatem, reconditæ verò & quiescẽtes sunt penitus inutiles. Beati profecto misericordes quoniam ipsi misericordiã consequentur. Recipientur enim in ęterna tabernacula, cum é vinculis corporũ euolauerint. Non enim ad æterna supplicia, & cæcas inferorum tenebras relegabuntur, sed gaudio exultantes sedes illas cœlestes, & splendidissimam domum cõsequentur, vbi pulcherrimam diuini numinis, cæterarumque rerum scientiã obtinebunt; diuitijs nunquam interituris redun

Non laudatur factum villici sed industria.

Simile.

Ostẽditur quãtis muneribus afficiantur misericordes.

Psa. 40.

Psal. 111.

Simile.

redundabunt,& Deo ipso euo sempiterno fruentur. Auari homines contra cupiditatis stimulis concitati dabunt suorum flagitiorum pœnas: & qui posthabita animi cura,& diuinarum rerum contemplatione omnes cogitationes suas conferunt ad fallaces diuitias conquerendas, totoque studio in eam curam incumbūt, vt vitam alijs,& opes per summum scelꝰ eripiant, in æternum torquebuntur: in misera illa inferorum tabernacula à miseris dæmonibus recipientur. Et vt ait diuinus Psaltes; relinquent alienis diuitias suas, & sepulchra eorum domus eorū in æternum. Loca inferni, vbi impiorum animę sunt sepultę, vocat domum illorū in æternum. Erit illis seclusum iter à concilio cęlitum, excludentur à cætu mentiū beatarū,& ęternis pœnis in inferno cruciabuntur. Atque merito D. Ambro. sermone. 81. in auaros insultat: eosque insanos & amentes vocat: sicut hi, inquit, qui per insaniam mente translati sunt, non iam resipsas, sed phantasias passionis suæ vident, ita etiam mens auari semel vinculis cupiditatis astricta, semper aurū, semper argentum videt, semper reditus computat, gratius intuetur aurum quam solem. Ipsa eius oratio & supplicatio ad Deum aurum quærit. Et post pauca. Interdum etiam vsuræ arte nequissima ex ipso auro aurum nascitur: sed nec satietas vnquam nec finis aderit cupiditati. Et infra. Sed ait aliquis: quid iniustum est si cū aliena non inuadam propria diligentius seruo? O impudens, dictu: quid propria dicis? Quæ ex quibus recondis, in hunc mundum detulisti? Quando ingressus es in hanc lucem, quando de matris ventre existi, quibus facultatibus quæso, quibꝰ subsidiis stipatus ingressus es? Et post pauca, proprium nemo dicat quod est commune: quod plusquam sufficeret sumptui, etiam violenter obtentum est. Et infra. Nunquid iniquus est Deus, vt nobis non æqualiter distribuat vitæ subsidia? Vt tu quidem esses affluens & abundās: alijs vero deesset, & egerent? An idcirco magis, quia & tibi voluit benignitatis suę experimenta conferre, & alium per virtutem patientiæ coronare? Tu verò

Psa. 48.

D. Ambr. ser. 81. & habentur verba eius d. 47. c. sicut hi.

A susceptis Dei muneribus,& in sinum tuū redactis, nihil te reputas agere iniquum si tam multorum vitę subsidia solus obtineas? Quis enim tam iniustus, tam auarꝰ quam qui tam multorum alimenta non suum vsum, sed abundantiam & delicias facit? Neque enim minus est criminis habenti tollere, quam cum possis & abūdans sis, indigentibus denegare. Esurientium panis est quem tu detines. Nudorū indumentum est quod tu recludis. Et miserorum redemptio est,& absolutio pecu-B nia quam tu interra defodis. Tantorum te ergo inuadere scias bona, quantis possis pręstare quod velis. Hæc Ambrosius. Facite ergo ô auari amicos de mammona iniquitatis, conciliate vobis amicos ex re mala, vt cum iussu domini cogemini discedere ab isto domicilio corporis, illi recipiant vos in ęterna tabernacula. Fęlix permutatio est, cum caduca permutātur æternis. Quid autem vilius est, aut à virtute longius abest, quam opes huius mundi? Vix vnquam sine fraude parantur: nec alia est tuendi augendique ratio, C quam parandi. Onerosa possessio est, nec ea tuta interim, nec omnino diuturna. Non enim sequuntur herum suum hinc emigrantem. Sed his tamen emere licet, quod æternum est, quodque in futura vita sit vsui. Ita fiet vt quod reconditum iniustum facit hominem ac multis curis obnoxium id erogatum fiat instrumentum euangelicæ iustitiæ, dum & subleuatus necessarijs, qui seruit euangelio, aut qui pauper fidelis est, & merces ad largientē multum cum fenore redit, vt iam ostendimus. Aperi ergo viscera tua miseris & D egentibus: si Deo charus & esse & videri vis. Nam, vt Ioannes ait: qui viderit fratrem suum necesse habere,& clauserit viscera sua ab eo: quo modo charitas Dei manet in eo? Si ergo charitatis defectus viscera nostra claudit: eadē si adsit aperiet. ¶ Cæterum mammona iniquitatis, seu opes nequitiæ dicuntur, quas cum Dominus dedit ad impendia necessitatis fratrum, ac conseruorum nostrorum, nos tenemus nobis. Quod Hebręi iuxta linguā Syriacam vocant mammona, latinè appellatur diuitię, vt ait diuus Augustinus.

1. Ioan 3.

Mámona iniquitatis quare opes dicātur.

Atque

D. August. de ser. dñi in monte lib. 2. Et quæsti. euange. li. 2. c. 34.

Atque hinc magis sunt opes iniquitatis, si illas faciamus nobis diuitias, in ipsis cōstituentes nobis spem atque copiam nostræ beatitudinis. Diuitiæ ergo in se malæ & iniquæ non sunt: dicuntur tamen iniquæ, ob effectus quos sui causa filij huius seculi producunt. Quanta vero mala ex diuitijs subsequi soleant, vix multis explicare quis poterit. Diuitiæ sunt quæ suo pondere diuitem maximè grauant accrutiant: diuitiæ diuitem impediunt ne facilè possit viam mandatorum Domini percurrere: diuitiæ diuitem illaqueant vt à venatore diabolo capiatur: diuitiæ reddunt hominem serpentem, reddunt seruum emptitium, reddunt denique idolatram. Quare iure optimo mammona iniquitatis appellantur.

Mala quæ ex diuitiis subsequi soleant, si illis abutamur.

¶ Quòd suo pondere hominem alias iustum grauent, docet scriptura sacra Gene. 13. capite. Nam vbi nostra editio habet: erat enim Abraham diues valde in possessione auri & argenti. Hebræa & Græca habent: erat enim grauis valde siue vehementer in possessione auri & argenti. Distorquent opes huius mundi, excruciant & grauant: atq; ad terram vsque trahūt homines suo pōdere.

Gen. 13.

¶ Hinc oritur & originem trahit secundus diuitiarum effectus, quod ita animum impediant vt maturare non possit, nec currere in via domini ad exhauriendas aquas illas, ad quas per Esaiā inuitat Dominus omnes nos dicens: omnes sitiētes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, emite & comedite vinum & lac. Vbi aduerte. Non dicit: properate vos diuites, qui argenti copia abūdatis. Sed qui non habetis argentum properate: vt nos doceat eos non bene currere qui sunt argenti pondere præpediti & onerati.

Esai. 55.

¶ An vero opes diuitem irretiant & quasi reti quodam inuoluant nulli dubitare fas est: cum D. Paulus affirmet in epistola priori ad Timot. c. 6. Quod qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem & in laqueum diaboli & in desideria multa & inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.

1. ad Tim. 6.

¶ Quod autem viperas & serpentes veneno plenas, huius mundi mammona iniqua homines reddat, certa res est. Auarus enim similis est maledictæ serpenti, quam Deus sic maledixit vt comederet terram, & super terram graderetur: sic auarus nec animum nec mentem nec spiritum in Deum eleuat: sed super terram graditur cupidorum desideriorum, & terram comedit. Nonne terra est omnis terrena substantia, aurum, argentum, & res similes? Quæ omnia auarus quærit.

Gen. 3.

A

¶ Quod seruus sit, miser auarus, ipse sit testis, quod si de seipso testimonium perhibere recusset, velit nolit, vera esse fatebitur quod Salomon in Ecclesia. c. 6. scriptum nobis reliquit: Vidi, inquit, malum sub sole, & quidem frequentius apud homines: vir cui dedit Dominus Deus diuitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ, ex omnibus quæ desiderat, nec tribuit ei potestatem Deus vt comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud. Et rursum idem cap. 4. dicebat: Cōsiderans reperi & aliam vanitatem sub sole. Vnus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitijs, nec recogitat dicens. Cui laboro, & fraudo animā meam bonis? In hoc quoquè vanitas est & afflictio pessima. Maxima sanè hæc seruitus est, quod sibi non parcat auarus à labore, neque satientur oculi eius congregatis diuitijs quantacūquè congregauerit, nil iam parta videntur (vt Boetius ait) sed quæsita vorans sæua rapacitas, alios pandit hiatus.

B

Eccl. 6.

Eccle. 4.

C

¶ Quid denique dicam de iniquis diuitijs, cum hominem, idolatram efficiant suarum pecuniarum. Quot habet pecunias tot habet deos quos colit, adorat, suspicit, veneraturque. Idcirco Paulus auaritiam vocauit idolorum seruitutem. Et Osæas: Argentum & aurum suum fecerunt sibi idola. Vt diabolus Christum Dominum idolatram faceret, ostendit illi omnia regna mundi & omnes opes & diuitias eius: & iure hac tentatione vsus est: nam nihil magis hominis animū ad idolatriam trahit quàm pecuniarum appetitus. Si ergo diuitiæ, hæc, quæ enarrauimꝰ modo, mala, secum afferre solent: quid non appellabuntur mammona iniquitatis? Quid nō dicentur diuitiæ iniustæ? Quid non ex

D

Osæ. 8.

Matth. 4.

illis conciliabimus nobis bonos amicos vt cum e vita hac mortali migrauerim', illi recipiant nos in ęternas sedes? Via cœli, ait Augustinus, est pauper, per quem venitur ad patrem. Incipe ergo erogare si non vis errare. Et rursum ait: dicit tibi Christus da mihi ex eo, quod dedi tibi, de meo quęro: da, & redde: habuisti me largitorem, fac me debitorem. Habeam te fœneratorem. Temporalia mihi das, æterna tibi restituam, teipsum tibi reddã quãdo te mihi reddidero. Quæ ergo stultitia est, ait Chryso. illic relinquere, vnde exiturus es: & illic non præmittere, quo iturus es? Illic ergo substãtiam tuam colloca vbi patriam habes. Si ergo thesauros tuos præmittere in patriam vis: voca pauperes & in eorum manus illos repone. Hi enim sunt Christi, veri ac fideles thesaurarij & campsores: hi sunt qui hęc bona in cœlum vehũt, qui opes tuas portant, in tutoque reponunt. Hi sunt terra illa Isaac à Domino benedicta reddens fructum centessimum. ¶ Ex prædictis colliges non vocari diuitias iniquas & iniustas quod vi aut fraude aut rapina, aut vsura comparatę fuerint: sed quod ex illis, mala quæ retulimus frequenter eueniant. Cæterum ex rebus male acquisitis & paratis conciliare nobis bonos amicos non licet. Vnde D. Grego. ait: Non est putanda eleemosyna si pauperibus dispensetur, quod ex illicitis rebus acquiritur: quia qui hac intentione mala accipit vt bene dispenset, grauatur potius, quam iuuetur. Vnde etiam certum est quia & si monasteria vel xenodochia, vel quid aliud ex pecunia quæ pro sacris ordinibus datur, construantur: non proficit mercedi. Ne ergo sub obtẽtu eleemosynæ cum peccato aliquid studeamus accipere, prohibet scriptura dicens: hostiæ impiorum abominabiles sunt domino, quæ offeruntur ex scelere. Quicquid enim in Dei sacrificio ex scelere offertur, omnipotentis Dei non placat iracundiam, sed irritat. Hinc rursum scriptum est: honora Deũ de tuis iustis laboribus. Qui ergo male tollit, vt quasi bene præbeat: cõstat quia sine dubio dominum non honorat. Hinc quoque per Salomonem dicitur: qui offert sacrificium de substantia pauperis: idem est ac si victimet filium in cõspectu patris. Quantus autẽ dolor sit patris perpendamus, si in eius conspectu filius victimetur: & hinc facile cognoscitur quãtus apud Deum dolor exasperatur, quãdo ei sacrificium ex rapina tribuitur. Nimis ergo declinandum est sub obtentu eleemosynæ peccata simoniacæ hæreseos perpetrare. Nam aliud est propter peccata eleemosynas facere: aliud propter eleemosynas peccata perpetrare. Hæc Gregorius. Non ergo de rebus alienis si cognitus nobis sit dominus eleemosynas erogare licet. Hæc enim non recipiunt nos in cœlestia tabernacula. Atque de hac re vide quæ definiuntur in sacris canonibus. 14. q. 5. per totam quæstionem. Et. q. etiam 6. eiusdem causę.

Augu. ser. 25 de verb. Dñi.
Ibidem.
D. Chrys. in illud Matth. 6. nolite thesauri, &c.
Gen. 26.
D. Grego. epist. 110. lib. 7. & habetur. 1. q. 1. c nõ est putanda.
Prou. 21. d
Ibidẽ. 3. d
Eccl. 34. d

¶ *Qui fidelis est in minimo & in maiori fidelis est, &c.* Hunc locum superius explicuimus cum in principio huius capitis de duplici genere parabolarum agebamus.

¶ *Quod verum est quis credet vobis.* Verum, pro syncero, integro & incorrupto ponitur. Heb.

¶ *Et si in alieno fideles non fuistis.* i. si in alienis opibus nempe ijs quas dedit vobis dominus dispensandas. Nam hic vides quod superius docuimus diuites non esse tam vocandos dominos diuitiarum, quam dispensatores domini.

¶ *Quod vestrum est quis dabit vobis?* i. mercedem vestram quis dabit vobis? Quasi dicat, si opes à Deo vobis commissas non recte dispensaueritis, nullam mercedem accipietis.

¶ *Domi. 14. post Pent.*

NEmo potest duobus dominis seruire. Aut enim vnum odiet, et alterũ diliget, aut vni adherebit, et alterũ cõtemnet. Nõ potestis Deo seruire & mãmona.

Hoc

HOc simili probare contendit Dominus totum hominem postulare regnum Dei. Animum enim postulat ab omnium humanarum rerum amore liberum. Nec est quod quisque tétet miscere mũdum cum euãgelio, quod est regnum cœlorum. Etenim si nemo potest esse seruus communis duobus dominis, quod vix inter vllos homines sic conueniat, vt vnus seruus vtrique satisfacere possit suo obsequio, sed alterutro cõtempto cogatur vni adhærere: quanto minꝰ vos potestis Deo seruire & mãmone (ait Dominus Iudæis) dominis tam discordibus, vt inter illos nihil conueniat. Hæc hoc exemplo contendit docere Christus. Nunc singula verba perpendamus.

¶ *Nemo potest duobus dominis seruire.* Ex his verbis primum colliges quod plures serui vnum dominum cõmunem habere possunt, at vnus seruus communis esse non potest duobus dominis. Quod multi, vni domino optimé satisfacere possunt: vnus autem non potest multis dominis. Maximé cum sæpe contraria iubeant. Sic olim pluribus fœminis vnum habere virum licebat: contra veró minimé. Vt ostendit Augustinus de bono coniugali cap. 7. his verbis: Occulta, inquit, lege naturæ amant singularitatem quæ principantur, subiecta veró nõ solum singula singulis, sed si ratio naturalis, vel socialis admittit, etiam plura vni non sine decore subduntur. Nec enim sic habet vnus seruus plures dominos, quomodo plures serui vnum dominum. Ita duobus seu pluribus maritis viuis nullam legimus seruisse sanctarum, plures autem fœminas vni viro legimus coniunctas, cum gentis illius sotietas sinebat & temporis ratio suadebat. ¶ Secundó colliges quã consentaneum sit rationi non decere vt in ecclesia vni duo committantur officia. Quod D. Grego. his verbis suadet. Singula ecclesiastici iuris officia, singulis quibusque personis sigillatim committi iubemus. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus: omnia autem membra nõ eundem actum habent: ita in ecclesiæ corpore multa membra sunt secundum veridicam Pauli sententiam, in vno eodem que spirituali corpore conferendum est hoc officium vni: alij committendum est illud. Neque enim quantumlibet exercitatæ vni personæ vno tẽpore duarum rerum officia committenda sunt: quia si totum corpus est oculus, vbi auditus? Sicut enim varietas mẽbrorum per diuersa officia & robur corporis seruat, & pulchritudinem repræsentat, ita varietas personarũ per diuersa nihilominus distributa officia, & fortitudinem & venustatem sanctæ ecclesiæ Dei manifestat. Et sicut indecorũ est in corpore humano vt alterum membrum alterius fungatur officio: ita nimirum noxium simul quẽ turpissimum est si singula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa. Hæc Gregorius. ¶ Tertio hinc colliges quam turpe ac indecorum sit viris Deo sacratis ac Deo militantibus implicare sese negotijs secularibus. De qua re lege quæ differuntur in decretis. d. octuagessima octaua. Vbi prohibentur clerici cupiditatis negocia suscipere non tamen pietatis curam viduis & orphanis impendere. Nemo enim potest duobus dominis seruire.

¶ *Non potestis Deo seruire & mammonæ.* Seruit mammonæ qui magnam fœlicitatis partem collocat in diuitijs, eaque causa magno studio laborat, vt quam plurimum possideat, vt quod partũ est, tueatur, & augeat. Deo seruit, qui vel reiectis istius mundi bonis, vel neglectim possidendo summo studio curat ea, quę faciat ad æternam salutem. Sic curabat diues Abraham, sic diues Isaac, cęterique patres: qui & si opibus abundabant, Deo & non eis seruiebant. Habebant ac si nõ habuissent: in solo Deo fiduciam habentes, illique soli seruiẽtes. ¶ Auarus ergo Deo seruire non potest, cum sit seruus diuitiarum: quod & multis argumentis ostendi ac probari potest. Sic enim eum appellat regius vates dicens: Dormierunt somnũ suum, & nihil inuenerunt viri diuitiarũ in manibus suis. Ecce quo pacto dicuntur auari viri diuitiarum suarũ. nõ enim diuitię vocantur ipsorum, sed contra ipsi appellantur serui illarum. Nõ enim sunt illarum domini, sed custodes. Nam vt gl. ait:

Plures serui vnũ dominum habere possunt, non autem e contra.

D. Augu.

Consentaneũ est rationi vt in ecclesia vni duo non cõmittantur officia.

D. Grego. & habetur. d. 89. c. singula.

In decorũ est viris Deo sacratis implicare se negotiis secularibus, d. 88.

Qui sunt qui seruiunt mãmonæ & qui Deo.

Auarũ seruus est diuitiarũ & id quẽ ostenditur. Psa. 75.

Glo. hic

ait: seruit diuitijs, qui custodit vt seruus, sed qui seruitutis excussit iugum, distribuit vt Dominus. Non, inquam, eas possident nec habent dicēte Seneca: pecuniā magnam habet aliquis: si auarus est non habet. Si prodigus est non habebit. Quare iure optimo suadet idem Seneca: non sit tibi auaritia, quæ quicquid omnibus abstulerit, sibi ipsi neget. Et D. Bernar. in Canti. quæritur, inquit, à quouis eorum qui insatiabili corde lucris temporalib9 inhiant, quid sentiant de illis qui sua vēdentes, & pauperib9 erogantes, regnum cœlorum pro terrena substantia mercantur, sapienter ne agant? Respondebit procul dubio: sapienter. Quære iterum sibi, cur quod approbat, non facit. Non possum, inquit, quare? Profecto quia domina auaritia non permittit. Hæc ille. Non habet auarus, ea, quæ videtur habere, nisi eo dicendi modo, quo quis compeditus habet compedes quib9 compeditus est, qui potius ei dominantur quam seruiant. ¶ Quā verò misera & intolerabilis sit hęc seruitus ex multis cōiectare fas erit. Primùm, seruitus hæc, non corporalis est sed spiritualis: ac proinde grauior. Multo enim indignius est animo, peccato & diabolo & mundo seruire, quam corpore, domino cuicumque. An nō seruus, ait Bernardus, cui dominatur peccatū, & maxime: nisi tu forte indignius iudices hominem tibi, quam vitium dominari. ¶ Deinde indignius est terræ, hoc est, auro & argento seruire, quam homini. ¶ Præterea maxima profecto miseria est tota vita diuitijs seruire, obedire, corpore & animo parere sine spe aliqua mercedis. Desudant enim omnibus diebus vitæ suæ miseri auari in parandis diuitijs, in congregandis opibus, & tandem, instante atque adueniente nocte mortis, nihil mercedis accipiunt. Quod testatur regius vates dicens: Ne timueris cum diues factus fuerit homo & cum multiplicata fuerit gloria domus eius: nam cum interierit non sumet omnia, id est, nihil sumet. Et Eccle. cap. 14. qui congregat, inquit, ex animo suo iustè, alijs congregat, & in bonis illi9 alius luxuriabitur. Et sanctus Iob: diues cum dormierit, nihil secum auferet: aperiet oculos suos, & nihil inueniet. ¶ Adde his quod nefanda hæc auarorum domina, impia & nefanda auaris pręcipit. Hoc est, furta, latrocinia, homicidia, proditiones, periuria, aliaque his impietatibus similia. Imò hæc ipsa fuit quæ Iudæorum principibus iussit Deum venditum cruci affigere. ¶ Quid plura? Hæc, tam grauia ac intolerabilia suis præcipit, vt impleatur in eis, quod Hieremias ait: Seruietis dijs alienis, qui non dabunt vobis requiē die ac nocte. Et quod apud Esaiā dominus. Tradam Ægyptum in manibus dominorum crudelium. Sic auari seruiunt auaritię loco Dei, quæ minime eos quiescere sinit. Auaritia domina eos torquet, compedibus grauat; quibus compediri solent fugitiui atque scelerati serui. Vnde Eccle. 33. cap. dicitur: Seruo maleuolo tortura & compedes, mitte illum in operationem, ne vacet. Ad cōpedes onerat, ait Gregorius, quicquid homo præter necessaria curat. Hæc, auaros excæcat & ad molam rerum terrenarum molere cogit: exemplo Philisthinorum, qui oculis captū Sāsonē molere fecerunt. Denique miser auarus seruus emptitius est omniū illorū, qui aut cōferre aut auferre aut seruare eis opes suas possunt. Vnde Seneca: minus quam seruus est, qui seruos timet. Quo nam ergo pacto qui eiusmodi sunt, Deo seruire aut parere in omnibus potetunt, mammonæ cum seruiant. Quæ tam discordat à Deo, vt inter illos nihil conueniat. ¶ At contra, iusti & Deo dicati homines, huius mundi bona aut reijciūt vt euangelico negotio vacent: aut ita possident vt ea sibi seruire ad pietatē studeāt. Opes enim, vt ait in Luc. D. Ambrosius, vt impedimento sunt improbis, ita adiumenta virtutum sunt bonis. Nam viri iusti, vt modo dicebamus, posiidēt diuitias, & non possidentur ab illis: diuitiæ illi seruiunt: non illi diuitijs. Et, vt ait D. Greg. omnia possumus relinquere, etiam retinendo. Hinc est quod viri virtute præstātes, in fabricandis templis diuino cultui dedicatis, in pauperibus alendis, in captiuis redimendis, & in alijs huiusmodi operibus pijs & sanctis diuitias suas expendunt. Nobiles Israelitarum à Babylonica capti

Seneca. D. Ber. in can. ser 20 Quam misera sit seruitus auarorum ostenditur. Bernar. Psal. 48. Eccle. 14. Iob. 27. Hiere. 16. Esai 19. Eccl. 33. Iudi. 16. Seneca. Luc. 16. D. Ambr. D. Greg. 1. Esdr. 3.

captiuitate redeuntes, opes suas ad templum Domini ædificandum obtulerunt. Et Tobias alebat esurientes, & nudis vestimenta præbebat. Et magi orientales apertis thesauris suis obtulerunt Domino, aurum, thus, & myrrham. Amedæus subaudius nepos ex parte patris Amedæi ducis subaudiæ, & ex parte matris Iani Cypri Regis ex Anna filia nepos, à quibusdã oratoribꝰ, qui cũ eo sermones cõferebant, interrogatus haberet canes venaticos, ostendit eis mendicorum multitudinem simul discumbentiũ, vt refert lib. 3. Geographiæ Raphael Volaterranus. Atq; hi sunt, inquit, canes mei, quos alo quotidie, quibus cœlestem gloriam me spero venaturum. Magnifica verò vox, & Christiano principe digna. Hic non diuitijs seruiebat: sed neglectim possidendo eas sibi seruire cogebat. ¶ Audientes ergo iusti Dominum suum præcipiẽtem nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: audientes eum dicentem non potestis seruire Deo & mammonæ: intelligentes præterea, quam vera sit sententia Chrysostomi dicentis, si vis esse diues contemne diuitias: & Senecæ: breuissima ad diuitias per contemptum diuitiarum via est. Intelligentes etiam nihil esse abiectius, nihil dimissius quam amare diuitias: contra vero nil magnificẽtius, nihil illustrius quam contemnere si non habeas, si habeas inter pauperes distribuere, easque propter Christum ad beneficentiam & liberalitatem conferre: intelligentes denique in quantam miseriam & seruitutem Hebræi deuenerunt ob suam auaritiam. Alacri vultu, æquo animo atque libenti, diuitijs abiectis Deo seruire statuunt: in cœlo thesaurizare curant, vt verè diuites fiãt. Si ergo tu ô homo quisquis es, Deo seruire desideras, caue tibi: vide ne ab opibus decipiaris: quod si tibi à Deo cõcessæ fuerint & impartite, eò intellige & existima tibi cõcessas esse vt proberis. Nam vt aurum probatur lapide, ita homo auro: & vt ait apud Laertium Chilo Lacedęmonius, aurum nostri dat apertũ documentum. Ait Plutarchus in Apophthegmatum opere dixisse eundem Chilonẽ, id quod lydius lapis est auro, esse aurũ homini: lapis index affrictu prodit quale sit aurum, ipsum autem aurũ prodit qualis sit homo, iuxta illud: magistratus virũ ostendit. Nullus lydius est ita probatis gradus virtutum aut vitiorum, ac aurũ & diuitiarum abundantia. Quare semel atque iterum eadem repetens si sapis te prospice. Satius, vtilius, ac decentius est Deo seruire quam mammonæ. Imò hoc perniciosum illud salubre: hoc nociuum illud vero maxime salutare.

(Tob. 1. & 2. — Matth. 2. — Amedæus. — Volater. — Matth. 6. — Chryso. — Senecæ. — Chilo. — Plutarch.)

¶ *Audiebant autem omnia hæc pharisæi qui erant auari & deridebant illum.* Multi inter nos hodie sunt his pharisæis similes. Quorum animi veluti vtres antiqui, non capiũt hoc euangelicę doctrinę mustum. Sunt enim auari non solum pecuniarum, sed etiam gloriæ. Sunt elati, feroces, ac vindices. Proinde derident doctrinam euangelicam, cõtemnunt cõciones prouocantes ad beneficentiam, ad neglectum vindictæ, gloriæ, vitæ denique. Habet autem ac habebit semper hic mũdus suos pharisæos, qui suis freti præsidijs derideant doctrinam modestiæ, clementiæ, mansuetudinis, ac liberalitatis. Abhorret ab hoc musto cœlesti palatum assuetum vapæ mundanæ prudentiæ. Vtinam & horum sannas dignetur retundere dominus. Stultus, inquit, Salomon in Prouerbijs, irridet disciplinam patris sui. Qui autem custodit increpationes astutior fiet. Cum enim peccator fructum disciplinæ doctrinæque cœlestis ignorat, non mirum quod illam irrideat: at qui eius fructum & vtilitatem non ignorat, non solum irridere solet sed cauere in posterum. Sed væ irridentibus euangelicam doctrinam nam qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos: tunc loquetur ad eos in ira sua & in furore suo conturbabit eos. Vt Psalmographus canit Psal. 2. Et quod in hoc Psalmo dicitur de irrisione & subsannatione Dei contra impios: dicitur etiam in Prouerbijs: in cuius capite primo, sapientiam audimus clamantem & conquerentem in hæc verba. Despexistis, inquit, omne consilium, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id quod time-

(Mos mũdi est irridere eos qui virtutẽ sectantur & qui vera prædicãt. — Pro. 15. — Psal. 2. — Prou. 1.)

timebatis aduenerit. Quoniam autẽ non est hoc ridere, aut subsannare, secundum corporalem aspectum accipiendum, quo modo homines per oris certã dispositionem rident, & nasi cõtractionem aut corrugationem subsannant, sed secundũ mysticam proprietatẽ, idcirco quid sibi iste risus & subsannatio velint, in consequẽtibus edocet. Cum irruerit (inquit) repentina calamitas, & interitus quasi tẽpestas ingruerit: quando venerit super vos tribulatio & angustia, tunc inuocabunt me, &c. mane consurgent & non exaudiam, mane consurgent & non inueniẽt me, eo quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquieuerint consilio meo. Hoc enim est ridere, hoc subsannare dei, in nouissimo non parcere, non flecti misericordia, secundum seueritatem immobilis iustitiæ vindictam referre absque compassionis dolore, eosque confundere, & in erubescentiam mittere: quomodo illi qui irrident aut subsannat super eos quos rident aut subsannant nulla afficiuntur compassione misericordiæ, sed absque misericordia confundunt eos & erubescere faciunt. Neque multo aliud est hic risus & subsannatio quam in versu sequenti ira & furor. Iratus enim dicitur Deus, quatenus pœnã infert: & furorem in eo imaginamur, quatenus tunc erit implacabilis, nullasque excusationes vel recipere volet vel audire. Tales enim ferẽ videmus homines in ira & furore positos. Vę ergo irridentibus salutaria consilia Domini, quia nisi pœniteat Dominus irridebit eos. Atq; frustra in inferno pœnitẽtiam agentes & præ angustia spiritus gementes serò sapient, serò stultitiam suã cognoscẽt, serò insensatos se fuisse dicẽt: quando illis non profuerit ferocitas, superbia, diuitiarumque iactantia. De huiusmodi namque ait sapiens: illos autem Dominus irridebit & erunt post hæc decidentes sine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuũ, quoniam disrũpet illos inflatos sine voce, & cõmouebit illos à fundamentis, & vsque ad supremũ desolabuntur: & erunt gementes, & memoria illorum peribit. Venient in cogitatione peccatorum suorũ timidi: & traducent illos ex aduerso iniquitates ipsorũ. Non ergo contẽnamus euangelicam doctrinã, non irrideamus sapientiã & disciplinã Christi, si infœlices esse nolumus. Sapientiam enim & disciplinã qui abijcit, infœlix est: & vacua est spes illorũ, & labores sine fructu, & inutilia opera eorum ait idem sapiens. Sed hoc est ingenium mundi, Deum, Deiq; opera, atque doctrinam irridere. Si dicebat Christus non est mortua puella sed dormit: irridebat mundus. Si dicebat: non potestis seruire Deo & mãmonę, irridebat. Si prædicabant Apostoli cœlestem Euangelij doctrinam irridens mundus dicebat: quia musto pleni sunt. Si disserebat Paulus de resurrectione mortuorum irridebat hic qui in maligno positus est mundus. Hoc etiã est ingeniũ hominũ impiorũ cõciones audientiũ, irridere concionatorẽ, si vitiũ illorũ reprehẽdat: si verò alienã audiãt reprehẽdi, cõcionatorẽ miris laudibus efferre. Hinc erat quod Iudæi audientes Christi doctrinam nunc dicebãt nunquam sic locutus est homo: nũc autẽ eum audientes deridebant eum. Discant ergo euangelici prædicatores mũdi gloriã contẽnere, & tũc uera dicẽtes nõ curabunt an mundus eos derideat necne.

¶ *Et ait illis. Vos estis qui iustificatis vos corã hominibus Deus autẽ nouit corda vestra.* Tumebãt isti inanibus bonorũ simulacris, vẽditãtes sese apud homines, qui æstimãt hominẽ ex opulẽtia, ex dignitate, ex generis nobilitate ex quibus sibi conciliabãt etiã fœlicitatis laudẽ, quũ reuera nec diuites essent, nec fœlices, nec magni. Deus enim ex ipsis animi bonis ęstimat hominẽ, qui solus intuetur corda nostra. Audiant hæc hypocritæ fideles, Deus nõ irridetur. Scrutatur corda, nouit omnia. Quare sincerẽ & ex animo rẽ omnẽ agãt: nõ vt vẽditẽt apud homines laudẽ, nõ vt sese corã hominibus tantũ iustificẽt: sed si verẽ diuites, si verẽ fœlices esse volũt, veras diuitias quærãt: verã & nõ fucatã virtutẽ amẽt. Quãdo deus qui omnia nouit ex ipsis animi bonis hominem æstimat. Atq; is demũ diues est, qui apud deũ diues est: is iustus est, qui apud Deũ iustus est: is magnus est, qui sibi paruus, Dei iudicio magnus est.

Sap. 4. Sap. 3. Mar. 5. d Act. 2. b Act. 17. g

Ostēditur Christum esse Deum

¶Cæterũ hic obserua voluisse Christum subindicare se esse verũ Deũ: qui cognoscat corda nostra. Hoc enim testimonio id probare cõtendit. D. Hiero. in Esaiá. c. 66. in quo considerandũ inquit Hierony. quod non dixerit pater. Ĺ nouit corda vestra, ne filiũ videretur excludere, sed de9: quod patri filioq; cõmune est. In principio enim erat verbũ, & verbũ erat apud Deum, & Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deum. De quo idẽ Ioan. scribit: ipse autem Iesus non credebat se eis, quia sciebat omnes, & non habebat necesse, vt aliquis testimoniũ daret ei de homine. Ipse enim nouerat quid esset in homine. Cui & illud congruit: sciens autem Iesus cogitationes eorũ. Et in alio loco: sciens autẽ Iesus malitiá eorũ. Ac ne aliqua sit dubitatio hæreticis calũniam facientibus de verbo Dei, quod nouerit omnia: in epistola quę ad Hebręos scribitur, prolixius dicitur: viuus enim sermo Dei & euidens, & acutus super omnẽ gladiũ bicipitem, & diuidens vsq; ad partitionem animæ & spiritus: artuum quoq; & medullarum, & iudex cogitationũ & sensuum cordis. Nullaq; est creatura inuisibilis in conspectu eius, omnia autem nuda & aperta sunt oculis illius. De quo nobis est sermo. Hęc ille. Audiant hęc hypocritæ & timeant. Meminerint quid idem Dominus apud Oseam dicat: Vias eorum dedi in capita eorum, & cogitationes eorum reddam eis. Et quid regius Psaltes: qui fingit sigillatim corda eorũ, & intelligit omnia opera eorũ. Et apud Hieremiam: ego Deus appropinquás, & non de longẽ dicit Dñs. Nunquid abscõdet se, in absconditis homo, & ego ignorabo? Quare veros esse iustos, sanctos, ac virtute præstantes curent: nisi iustũ Dei iudicium subire volunt.

D. Hiero. in Esai c. 66 in illa verba & ego opera eorum.

Ioan. 1.

Ioan. 2.

Supra. c. 6

Matth 22.

Heb. 4.

Oseæ 4 b

Psa. 32 c

Hiere. 23. e

Ostẽditur discrimen inter mundi legem & Christi legem.

¶ *Quia quod hominibus altum est abominatio est ante Deum.* Hominibus enim videtur sublime quiddam ac suspiciendum, diuitias parare, honores mundi acquirere: gloriam ac famam apud homines venari: generis nobilitate & splendore florere: ab hominibus vocari Rabbi. At paupertatem sectari, diuitias contemnere, ex illis amicos parare, illatam iniu- A riam condonare, inimicos ex corde amore prosequi: pro illis preces Deo fundere, aliaque id genus quæ lex euangelica docet: mundi huius hominibus abominabile videtur. Quod mirum non est. Nõ enim sapiunt ea quæ Dei sunt: existimantes enim se esse sapientes stulti facti sunt: excæcauit profecto eos malitia eorum. Atque ea est causa, ob quam apud Matthæum maximas Christus patri gratias agit, dicens: confiteor tibi pater Domine rex cœli & terrę, quia abscondisti hæc á B prudentibus & sapientibus & reuelasti ea paruulis. Plurima enim erant abscondita á Philosophis mundi gloriam inanem diligentibus, plurima Iudæis mordicus tenentibus corticem legis, & in vmbris gloriantibus sese: quæ nunc reuelata sunt in lege euangelica. Iudæi siquidem Moysen tanquam paruulum in fiscella scirpea concluserunt. Sed hũc, Pharaonis filia é fiscella exclusit, & regio honore sublimauit. Quia ecclesia ex gentibus, ex paruulis, ex publicanis & peccatoribus sumpta Moysi legem honorat, C multos illi spirituales sensus tribuens, quam Iudæi iuxta solum literæ corticem intelligendam crediderunt. Et hoc est quod Esaias Propheta futurum prędixit. Deserta, inquit, in vbertatem versa aduenæ comederũt. Nam legis Moysi & Prophetarum dicta deserta apud Iudæos fuerunt, quia iuxta mysticum intellectum ea disserendo excolere noluerunt. Nobis autem in vbertatem versa sunt, quia & iuxta historiam, legis dicta largiente Deo menti nostræ spiritualiter sapiunt: & iam aduenæ comedimus, quæ ciues legis mãducare noluerunt. Propter quod Paulus D ait: dum Moyses legitur velamen positum est super cor Iudæorum vsque in hodiernum diem: quia cum audiunt legi scripturam illam non intelligunt nisi quod litera foris, carnaliter sonat: & ita celatur eis sensus interiorum. Vnde & Moyses cum ad eos loqueretur faciem velabat: significans quia populus ille verba quidem legis cognosceret: sed eiusdẽ legis claritatem omnino non videret. Sed velamẽ hoc Christus nobis abstulit: cũ nos docuit legẽ non carnaliter sed spiritua-

Rom. 1.

Matth. 11.

Exod. 2. Figure.

Esai 5.

2. Cor. 3.

Exod. 34

ritualiter esse intelligendam. In cuius sig num ipso moriente velū templi scissum est: vt ad interiores sensus oculus noster penetrare valeret. Ex multis autē mysterijs & arcanis quæ sub literæ cortice latitabant & ob hoc Iudæi ignorabant, vnū & non parum fuit, contēptus diuitiarū, comparatio amicorū ex māmona iniquitatis: quod Iudæis cæcis risu dignum videbatur. Et ideo ait illis Christus: quod hominibus altum est, abominatio est ante Deū. Contrà ergo licebit colligere: quod quidquid Deo sit sublime ac laude dignum, apud homines huius seculi habeatur abominandū: quale habebatur quod impresentiarum docebat Christus.

Matth. 27

¶ *Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem.* Videtur his verbis Christus respondere tacitæ obiectioni Iudęorū. Qui poterant obijcere præfatæ doctrinę Christi quam modo deridebant. Quo nā obsecro pacto tu tantopere diuitias cōtēnendas doces: quo nam modo eas mámonā iniquitatis appellas, cū hoc suis in hac vita Dn̄s proponat præmiū? Lege quę Dn̄s pollicetur in Deutero. c. 28. Obseruatoribus legis: & inuenies hęc nobis scriptis esse relicta. Si custodias omnia mādata eius quæ ego præcipio tibi: venient super te vniuersæ benedictiones istæ. Benedictus fructus terræ tuæ: fructus iumentorū tuorū: greges armētorū tuorū, & caulæ ouium tuarum. Benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ. Emittet Dn̄s benedictionē super cellaria tua, & super omnia opera manuū tuarū. Quid ergo si hæc ita pollicetur Dn̄s custodiētibus legem illā: nūc Christus ait diuitias esse iniquas, contemnendas, ex eis amicos parandos, atq; alia quæ docebat, ob quā causam pharisæi illū deridebant? Huic ergo quæstioni videtur tacitē propositis verbis respōdere Ac si diceret: ita res habet, olim sub lege eius cultores diuitijs, atq; opibus, alijsq; mūdi bonis premiari: sed iā aliud tēp⁹ adest: lex enim illa quæ tēporalia premia polli cebātur vsq; ad Ioan. Ab huius enim tēpore nūtiatur omnib⁹ adesse regnū Dei, quod lex prænuntiabat: quod Prophetæ prædixerāt. Ab eius enim tēpore iā multi bibunt mustū nouū, hauriūt doctrinā cœlestē: contēnunt terrena. Et bona externa pauperibus erogantes ditescūt bonis cœlestibus. Abijciut pecuniā, sed edūt miracula: nō habent arma, sed propellūt morbos. Nō gerunt magistratus, sed eijciunt dæmonia. Non sunt opulēti, potentes, & gloriosi iuxta mundū, nā quod altū est hominibus abominatio est ante Deum, sed modestia, mansuetudine, tolerātia, cæterisq; bonis animi verē sunt & diuites, & potentes, & gloriosi & benedictionibus pleni apud Deū. Lex ergo præfigurabat, Prophetæ antiqui prædicebant Christū venturū: iā igitur figura & prædicta vaticinia tēpore Ioan. adimpleta sunt. Nam quē lex figurabat & Prophetæ prædicebant, Ioan. adesse mōstrauit. Cū ergo pharisæi aliud tēpus adsit nō est quare Christū derideatis docentē contēptū diuitiarū iniquarū ob opes veras, stabiles, firmas & quæ hominē verē diuitē efficiunt: verisq; benedictionibus replent obseruantes legē euangelicā. Nō, inquā, est quare derideatis Christū: nā finis legis Christ⁹. Tandiu enim colūna nubis pręcessit vos, quādiu perduxit ad verā requiem Christū: & ad terrā promissam. Et tādiu durauit nox, quandiu ortus est sol iustitiæ. Et tādiu institit pedagogus, quandiu præsto fuit parens. Et tanto tēpore oblatus est agnus de grege, quanto non venit agnus qui tollit peccata mundi. Denique quicquid lex promisit in figuris, sacrificijs, ceremonijs, visionibus & prophetijs, Christus impleuit, vel implebit. Quēadmodū ergo trūcus aliquis initiū quoddam est statuæ futuræ, & sanguinis coagulū principiū est animalis: sic lex est, comparatione euāgelij. Et sicut corpus organicum se habet ad animā rationis participē, quæ illud perficit, mouet, ac viuificat, perfectū quē esse cōfert: sic euāgeliū veluti anima fuit legis & prophetiæ, illam perficiens. Neq; mysterio vacauit quod Ioan. in carcere coniectus iā iā moriturus discipulos suos ad Christum mitteret: quo significare voluit, quod pręsente fine legis: lex, cuius imaginē ipse gerebat, esset cessatura.

Dent. 28.

Sub lege viuētes diuitiis premiabātur sub lege Christi viuentes ad monemur eas contēnere propter regnū cœlorum.

Lege quæ Theophilatus hic ait.

Finis legis quæ Christum cōbrabāt fuit ipse Christus quem Ioā. digito mōstrauit. Rom. 10.

Num. 9.

Malach. 4.

Simile

¶ *Prophetæ vsque ad Ioannem.* His verbis satis aperte explicat Christus Dominus quod olim prædixerat Daniel. cap. 9. cui

Dani 9.

cui adhunc modum loquitur Gabriel angelus. Septuaginta hedomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, vt consumetur præuaricatio & finem accipiat peccatum & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, siue Prophetes. Quod Danieli dicitur adueniente Christo adimplendam esse visionem & prophetiá: ait in hoc loco Christus. Prophetæ inquit, vsque ad Ioannem. Ac si diceret: non erit vltra opus prophetiæ de aduentu Christi: adest enim iam Christus. Cæterum lege diuum Chrysostomum si placet oratione. 2. aduersus Iudæos. Hoc idé Dominus docuit apud nostrum Euangelistam. cap. 18. Ecce, inquit, ascendimus Hierosolymam, & consumabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. Et D. Ioannes. cap. 19. sciens Iesus quia omnia consumata sunt, vt consumaretur scriptura dixit: sitio: & paulo post cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit consumatum est.

Ioan. 9.

¶ *Ex eo regnum Dei euangelizatur: & omnis in illud vim facit.* Hebraismus, idest, ab huius tempore regnum Dei, hoc est, euangelium nuntiatur omnibus. Et multi lætis animis arripiunt fœlix nuncium. Vel quiuis ad illud auidissime rapipitur & omni connatu & vi tendit in illud. Subaudi: præter vos Israelitas. Ad hanc enim fœlicitatem nulli præcluditur aditus. Quod si pharisæi non dignati sunt intrare, occuparunt alij intrarunt gentes, intrarunt quælibet orbis nationes. Excludi nulli possunt, postquam apertum semel est ostium, irrumpent vi, si non admittantur. Vidimus accurrentes publicanos, milites, peccatores, meretrices. Qui spretis omnibus quæ possidebant, contemptis omnibus huius mundi voluptatibus freti promissis euangelicis, toto pectore studebát veris animi bonis: quos nos imitari debemus: ardore fidei, promptitudine animi, irrúpentes. Amat enim huiusmodi violentiam regnú Dei. Gradis enim est violentia, inquit Hiero. in terra nos esse generatos, & cœlorum sedem quærere: possidere per virtuté, quod non tenuimus per naturam. Scio, inquit

A tépore Ioánis multi arripiút regnú Dei hoc est euá gelium.

D. Hiero in Matth. 11.

Paulus, quia nó habitat in carne mea bonum. Corpus, præterea, quod corrumpitur, aggrauat animam: & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitanté. Quare qui vim inferunt regno cœlorum magni habendi sunt: quum concupiscentiam suam redigant vi quadam sub potestate sua. Tunc enim Sara dominatur Agar ancillæ. Tunc Dominus conterit satanam sub pedibus nostris. Non ergo succumbamus peccatis, ne peccata nostra vires præbeant hostibus nostris: sed cófortemur in Dño: & tunc cadent á latere nostro mille, & decé millia á dextris nostris: tunc tanquam strenui milites vim inferemus regno cœlorum: tunc lætis animis arripiemus doctrinam euangelicam. At peccatores facile carnis concupiscentiæ succumbentes, non viri, sed fœminæ dicendi sunt, non milites veterani, sed tyrones, & effæminati. Quorum non vnus persequitur mille: sed mille fugantur a decem de hostibus. Cuius oppositum cótingere, dicit lex, viris strenuis & strenué pugnantibus. Qui fugatis hostibus, hoc est, múdo, diabolo, & carne maximo charitatis ardore euágelicá doctriná arripiút

Rom. 7. Cap. 4. d
Gen. 16.
Rom. 16.
Psa. 90.
Iosue. 23.

¶ *Feria quinta post secundã dominicã. 40.*

HOMO quidam erat diues qui induebatur purpura et bysso: et epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mẽdicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus: cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, et nemo illi dabat, sed et canes veniebant: et lingebant vlcera eius. Factum est autem vt moreretur

tur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues, et sepultus est in inferno. Eleuans autem oculos suos cum esset in tormentis vidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu eius: et ipse clamans dixit, Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquã, vt refrigeret linguam meã, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham, Fili, recordare quia recipisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris, et in his omnibus, inter nos & vos, chaos magnum firmatum est: vt hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint: neque inde huc transmeare. Et ait: rogo ergo te pater vt mittas eum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormẽtorum. Et ait illi Abraham, habent Moysen, et Prophetas, audiant illos. At ille dixit, nõ

A *pater Abraham: sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi si Moysen, & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit credent.*

B HOmo quidam erat diues. Communis omnium sententia est, quod hæc parabola diuitis & Lazari historia sit, & non similitudo à Christo conficta. Solus Theophylatus non historiam esse putat sed fictio, sic enim ait super hunc locum. Parabola est hæc diuitis & Lazari, & non (vt quidam opinati sint) historia. At nos catholicam sequentes veritatem C dicamus cum Chrysostomo in homilia in Lucam de patre & duobus filijs. In parabola non sunt dicenda nomina. Parabolæ enim illæ sunt vbi exemplum ponitur, & tacentur nomina. Et Origen. capi. 1. in libro Iob. Perionio interprete, necessario, inquit, nominis Iob mentionem fecit Moyses, qui libri author est, nec si hominem solum diceret, argumentum aliquod fingere existimaretur. In historia ergo nomina ponuntur non in parabola. ¶ Secundo considera: quod sæpe D Deus solet dare impijs in hac vita diuitias, honores, & cætera huiusmodi. AEterna veró nunquam largitur nisi pijs & iustis hominibus. Abraham filiis concubinarum largitus est munera, sed solus Isaac successit in domo paterna, & possedit hæreditatem. Si dederit princeps (ait Dominus apud Ezechielem) domum alicui de filijs suis, hæreditas eius filiorum suorum erit. Si autem dederit legatũ de hæreditate sua vni seruorũ suorũ erit illius vsque ad annum remissionis. Hoc est vsque ad annum iubilei, qui erat anno 50. In quo omnia ad priorem dominum re-

Hæc parabola diuitis & Lazari historia est.

Chryso.

Orige.

Impiis solet ds largiri bona huius mũdi iustis vero æterna

Ezech. 46.

renettebantur, vt constat ex leuitico: potest tamen hoc referri ad annum septimũ qui appellabatur annus remissionis, vt constat ex libro Deuteronomij. Itaque filij habebunt firmam proprietatem, serui autem vsum duntaxat, vel fructum pro tempore. Nam vt ait apud Ioãnem Christus Deus noster: seruus non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum. Filij Dei sunt illi, De quibus ait diuus Ioannes: Quotquot autem eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Impij verò serui vocantur nequam & serui peccati: iuxta illud euangelicum: serue nequam omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me, &c. Et illud: qui facit peccatum, seruus est peccati. Id intelligens diuus Paulus aiebat in epistola ad Galatas: quoniam autẽ estis filij Dei, misit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem abba pater. Itaquè iam non est seruus, sed filius, quod si filius & hæres per Deum. Est autem hæc hæreditas gloria æterna, quam iusti obtinent, qui filij Dei sunt: impijs autem dantur ad tempus bona temporalia, quę illis in morte auferũtur, quoniam sunt serui. Quare mũdi diuitiæ non sunt verè in bonis connumerandæ, quoniam nullam habent firmitudinem, nullam perpetuitatem: & ab impijs hominibus sæpe numero possidentur. Perpulchrè autem hoc insinuatur in hac historia diuitis & Lazari.

Ioan. 8. d

Ioan. 1.

Matth. 18.

Ioan. 8.

Ad Gala. 4.

Iniqui sæpe prosperitate fiũt deteriores

¶ Illud est etiam in hac historia aduertendum iniquos plerumque prosperitate fieri deteriores, & in vitiositate confirmari, diuitias enim & potentiam comitatur superbia, superbia exit in tyrannidem, dum fœnum migrat in cornua. Ideo ait apud Ezechielem Deus: Confortastis manus impij, vt non reuerteretur à via sua mala, & viueret. Nam confirmati in sceleribus suis præcipitantur, & in sempiternum exitium rapiuntur. Sed tu si sapis audi consilium regij vatis dicentis: Noli æmulari in malignantibus, ne zelaueris facientes iniquitatẽ. Vel, vt potest verti ex Hebræo: ne succenseas ob improbos, nec inuideas impiorũ prosperitatẽ. Sequitur enim: quoniam tanquam fœnum velociter arescent. Ac si dicat: ne grauiter mouearis ob secundas impiorum res, eorumque successus ad voluntatem fluentes, quoniam nullam habent firmitudinem, nullam perpetuitatem: quin potius fluxæ sunt eorum prosperitates, & instar flosculorum euanescent. Et alio in Psalmo: quia zelaui super iniquos pacem peccatorum videns. Vel, vt potest etiam ex Hebraico trãsferri: quia vrebat me ira & æmulatio propter stultos, cum impiorum prosperitatem viderem. Ac si dicat: Fuit animus meus vehementer commotus, cum aspicerem insanos opibus & dignitatibus florere, & adeò conturbatus, vt parum abfuerit, quin de recta sententia abducerer, & impiorum infœlicitati inuiderem. Vbi aduerte pro iniquis esse in Hebraico stultos: omnis enim improbus est ignorans. Vnde Apostolus optata mala & impia in epistola ad Ephesios desideria erroris appellat. Sed quid mirum cum infideles hoc etiam intellexerint: Aristoteles enim peruerti iudicium iniquitate ait, omnemque iniquum stultum esse: & Cicero in oratione in Pisonẽ ita inquit. Sua, quemque fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia de sanitate & mente deturbat. Zelaui ergo (ait Dauid) propter stultos pacem peccatorum videns: atque enarrata eorum superbia & ferocitate ex prospera fortuna exorta, tandem eorum finem intuens ait: Veruntamen deiecisti eos dum alleuarentur: quomodo facti sunt in desolationem? subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam. Velut somnium surgentium Domine, in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges. In quantam amentiam, & stultitiam, atque crudelitatem deuenerit diues iste satis ex hac historia constat: quid tandem actum fuerit de illo satis apertè ostenditur: cum sepultus fuerit in infernum & transierint superbia sua & iactantia diuitiarum subito atque in temporis momento. Non ergo succẽseas ob impios nec inuideas eorum prosperitati quando tam cito euanescũt, nihil secum afferentes.

Ezech. 13.

Psal. 36.

Psal. 72.

Ephe. 4.

Aristo.

Cicero

Psal. 72.

¶ Quarto obserua voluisse Saluatorem in diui

indiuite epulone, & in paupere Lazaro depingere nobis vitas duas, alteram contemnendam, alteram vero minime fugiendam, sed potius eligendam, atque amplexandam: aut patienter ferendam. Contemnendam & aspernandam docet vitam huius Epulonis, eligendam, aut æquo animo tolerandam, vitam pauperem Lazari. Quam salutare consilium sit mundi gloriam, opes, diuitias, splendorem, & luxum contemnere: nulla dicendi vi explicari potest. Dic mihi (inquit Bernardus) vbi sunt amatores mundi: qui ante pauca tempora nobiscum fuerunt? Nihil ex eis remansit, nisi cineres & uermes. Attende diligenter quid sunt & fuerunt: homines fuerunt, sicut tu. Comederunt, & biberunt, risserunt. Duxerunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descenderunt. Hic caro eorum vermibus, illic anima illorum ignibus deputatur. Donec rursus infœlici collegio colligati sempiternis ignibus inuoluantur. Qui sotij fuerunt in vitijs: sotij erunt in pœnis. Vna namque pœna illos implicat, quos vnus amor in crimine ligat. Quæcunque ergo hic expetuntur, vt Lactantius admonet, non tantum negligat, sed effugiat quisque, potioremq; animam suam iudicet: quam bona ista fallacia, quorum incerta & caduca possessio est. Migrant enim quotidie, & multo velocius exeunt, quam intrauerant. Et tamen si nobis vsque ad vltimum liceat frui, alijs certe relinquenda sunt. Nihil nobiscum ferre possumus, nisi vitam bene, atq; innocenter actam. Quisquis igitur corruptelas terræ virtute calcauerit hunc arbitor ille summus & verax ad vitam, lucemq; perpetuam suscitabit. Nemo diuitijs, nemo fascibus, nemo regia potestate confisus sit. Immortalem ista non faciunt. Proinde vniuersos oportet, qui sapientes, qui homines merito dici volunt, fragilia contemnere, terrena calcare, humilia despicere, vt possint cum Deo beatissima necessitate copulari. Sed dices fortasse hæc mundi bona maximam mihi lætitiam & voluptatem afferunt, quare merito expetenda sunt. Sed falleris, sed tota erras via. Nam reuera ista quæ sic petis (ait Seneca) tanquam datura lætitiam ac voluptatem causæ

Salutare consilium est mundi prosperitatem contemnere. D. Bernar. lib. medit.

Lact. Firm. diui. instit. lib. 3.

Ibidem.

Lact. Firm. de ira Dei lib. 9.

Seneca ad Lucilium epist. 60.

A dolorum sunt. Omnes, inquam, illi tendunt ad gaudium, sed vnde stabile, magnumq; consequantur ignorant. Ille ex conuiuijs & luxuria, ille ex ambitione & circumfusa clientum turba, ille ex amica, alius ex studiorum liberalium vana ostentatione, & nihil sanantibus literis: Omnes istos oblectamenta fallacia & breuia decipiunt. Sicut ebrietas quæ vnius horæ hilarem insaniam longi temporis tædio pensat. Rursum obijcies: diuitijs possessis diuites & fœlices efficimur. Age iam, ita sit: si ergo diuitias appetis ac diues fieri desideras contemne

B diuitias. Breuissima enim (ait idem Seneca) ad diuitias per contemptum diuitiarum via est. Et rursum: Facile contemnit omnia, qui ad contemptum sui venit. Vis ergo habere omnia? Contemne omnia. Tandem replicabis: magni solent facere homines, dignitatem, maiorum magnitudinem, corporis vires, formam, imperium: ornamenta pretiosa, splendidas epulas alia que id genus quæ ad beate viuendum conducunt. Quod vel in hoc diuite videre est, qui induebatur bysso & purpura & epulabatur quotidie splendide. Sed & si mundi

C amatores hæc omnia suspiciant, nos quidem, vt Basilius ait, hanc humanam vitam nihil omnino esse arbitremur: nec bonum quicquam existimandum neq; appellandum quod vtilitatem nobis hucusq; suppeditet. Non itaq; dignitatem, non amplitudinem maiorum, ne corporis vires, non formam, non ipsum imperium, non magnitudinem, non a cunctis hominibus habitos honores: non quicquid dici potest in hac vita excellens. Sed longius nostræ procedunt spes. & ad alterius vitæ præparationem cuncta molimur. Hæc Basilius in lib. de

D modo legendi gentilium libros. ¶ Quanto vero amore ac desiderio a viro fideli sit prosequenda paupertas, mendicitas atq; tribulatio huius mundi potentibus illata: aut saltem quam patienter sit ob Dei amorem toleranda, docet suo exemplo mendicus iste nomine Lazarus. Docet D. August. in Psal. 60. In fornace, inquit, ardet palea, & purgatur aurum. Illa in cinerem vertitur. Fornax mundus, aurum iusti, ignis tribulatio, artifex Deus. Quod vult ergo artifex facio. Vbi ponit me artifex tolero.

Ad Lucilium epist. 63. Idem epist. 85.

Basilius.

Basilius.

D. August. in Psal. 60.

subeor, ego tolerare: nouit ille purgare. Ardeat licet palea ad incendendum me: & quasi consumendum me: illa quasi in cinere versatur, ego sordibus careo. Hæc ille. D. etiam Hiero. in epist. ad Cypria. ait: quãto in hoc seculo persecutionibus, paupertate, inimicorum potentiæ, vel morborum crudelitate fuerimus afflicti: tanto post resurrectionem in futuro maiora præmia consequemur. Afflicti enim ait Gregor. 2. Mora. terrena perdidimus: sed afflictionem humiliter sustinẽtes cœlestia multiplicamus. Mala (ait idẽ, Lazari purgauit ignis inopiæ: & bona diuitis remunerauit fœlicitas transeuntis vitæ. Illum paupertas afflixit & torsit. Quo fit vt iustus in pœnis gaudere debeat, vt Isidorus docet, & impius in prosperitatibus timere. Neque enim à iusto neque à reprobo Deus misericordiã suã abstrahit. Nam & bonos hic per afflictionem iudicat: & illic per misericordiam & miserationem remunerat. Malos autẽ hic remunerat per temporalem clementiam: & illic punit per æternam iustitiã. Hoc animaduerte in diuite & paupere. Vulnerauit hic Deus Lazarum paupertate, morbo & irrisione diuitis: quod eum ad salutem perpetuam præparabat: impium verò diuitem maximis in hac vita diuitijs ornauit: quod illic perpetuò ob sua scelera puniturus erat. Timeamus igitur cum diuites facti fuerimus, & cũ multiplicata fuerit gloria domuum nostrarum, ne cum é vita migrauerimus cũ hoc diuite sepeliamur in inferno: gaudeam9 in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur: patiẽtia autem probationem, probatio autem spem, spes autem non confundit. Vitam ergo Epulonis contemnamus, Lazari verò vitam aut amemus aut patienter toleremus: si tandẽ fœlices & beati esse volumus. Nũc ergo singula verba perpendamus.

D. Hiero. episto ad Cypria.

D Grego. 2. Mor.

Idẽ ho. 40

Isido. lib. 2. de summo bo. c. 1

Rom 5.

¶ *Homo quidam.* Huius diuitis nomen prodidit Euthymius Luc. c. 59. inquiẽs. Diuitis quidem nomen non addidit Euãgelista vt pote odio digni. Scriptum est enim: non sumam nomina illorum per labia mea. Mendici verò nomen addidit tanquam amore digni. Aiunt autem quidam ex traditione Hebræorũ, quod iuxta illa tempora diues ille fuerit Nineuis appellatus, & mendicus iste Lazarus. Cæterum nemo nostrum est qui ignoret, nõ dignari dominum, suo nomine vocare impios. Vt in hoc loco vides. Et alibi: de reprobis dicit: non noui vos, discedite à me omnes qui operamini iniquitatem: & virginibus fatuis: amen dico vobis nescio vos. Contrà vero de iustis inquit: gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. Et Esaias: qui educit in numero militiam cœlorum, & omnes ex nomine vocat. Vbi poteris per militiam cœli non solum stellas cœli intelligere, quas creauit Deus certo numero, & omnes eas clarissimé & perfectissimé cognoscit: nec solum angelos, & omnes cœlicum exercitus, sed omnes viros iustos, qui in ecclesia sunt veluti lumina nostram noctem illustrantia: de quibus ait Apostolus: inter quos lucetis sicut luminaria in mũdo. Hæ sunt stellæ illæ, quas Deus numeratas habet. Inter quas Lazarum mendicum hic legimus numeratum ac suo nomine vocatũ. Da ergo operam vt scribaris in libro iustorũ: vt à Deo tuo nomine voceris: quẽadmodum olim vocabatur Moyses, de quo Dominus ait: teipsum noui ex nomine. Satage per bona opera certam facere vocationem tuam: quando vides reprobos & iniustos non habere nomina scripta in libro vitæ, iustos verò & electos esse in eo scriptos & numeratos. De impijs audi quid regius vates canat: Increpasti gẽtes & perijt impius: nomen eorum delesti in æternum & in seculum seculi. De iustis autem alibi: & honorabile, inquit, nomen eorum coram illo. Quod si peccatores fuerimus precemur dominum vt nomen pristinum peccatorum deleat à nobis: vt comparata sua gratia & amicitia filij Dei post hac nominemur & sim9. Vnde quod in prædicto versu Dauidis impius dicitur ad increpationem domini perijsse: de bona perditione possumus intelligere: secundum quod alio in loco dicitur: verte impios & non erunt: hoc est, ad iustitiam eos conuerte, & non vltra erunt impij, quod fuerant aut sunt. Tunc enim perit impius, quando (iuxta

Huius diuitis quod fuerit nomen proprium.

Psa. 13.

Nõ dignatur Dñs suo nomine impios vocare. Matth. 25.

Suprà. c. 9

Esai. 40.

Phili. 2.

Exo. 33.

Psa. 9.

Psa. 75.

Pro. 12.

Esaias

Esai. 55. Esaiæ consilium) derelinquit viam pristinam, & iniquas cogitationes suas. Et secundum idem intelligitur, quod de nomine eorum dicitur delendo in seculum. Cui etiam consonat, quod in Psal. 15. subiungitur. Nec memor ero nominum illorũ per labia mea. Nominum, scilicet, veterũ non erit Deus memor, quæ hic ad eundẽ sensum dicuntur deleta in seculum. Quo modo autẽ nomina deleta sint per Christi aduentum & quotidie deleantur, nec vltra memoretur ea per labia sua, ipse per Osæam declarat dicens: Vocabo non plebem meam, plebem meam: & nõ dilectã, dilectã & non misericordiã consecutã, misericordiã consecutam. Et erit, in loco vbi dictum est eis, non filij mei vos, ibi vocabuntur filij Dei viui. Hinc Petrus Apostolus, fideles in Christum credentes honorificentissimis titulis appellat, dicens: vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Et per Prophetam prædictũ erat, quod nouo nomine suos esset nuncupaturus dominus Deus noster. Obnixẽ ergo si peccatores sumus, Deum deprecemur, vt ita nos increpet, vt destructis peccatis & pereuntibus iusti efficiamur. Et nomina quibus ante eorum destructionem nominabamur, non sint vltra in domini memoria: sed nomine nouo donet nos ac vocet. Vtiam non infideles sed fideles, non impij sed pij, non inimici, sed amici: non denique mancipia, sed filij nominemur & simus.

(Margin: Psal. 15. — Osee. 1. Rom. 9. — 1. Pet. 2. — Esai. 62.)

¶ *Erat diues.* Olim fuit heresis quorũdam dicentium: diuites fideles qui non omnibus renuntiant, quæ possident, spẽ apud Deum non habere. Ansam forsitan ex hac historia accipientes: quod tãdem mortuus fuerit diues hic, qui induebatur bysso & purpura, & sepultus in inferno. Quam hæresim damnat concilium Gangrense, ac docet: Diuitias cum iustitia & bonis operibus non esse damnãdas. Illud autem quod Dominus ait: Nisi quis renũtiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus: non iuuat his: nam his verbis solum prohibet Christus affectum rerum temporalium, nõ autem proprietatem. Ille enim visus est Christo

(Margin: Quod sit hæreticũ dicere teneri diuites ad renũtiandũ omnibus diuitiis ostẽditur. — Conci. Gangren. d. 30 hæc autem — Supra. 14.)

A omnibus renuntiasse, qui quamuis diuitias habeat, paratus est omnes perdere antequam Deum offendat. Quod si quis cõtendat illa esse intelligenda de renunciatione quantum ad opus, & non de renunciatione quantum ad affectum: dicat nobis tunc quo nam pacto intelligendum erit illud quod apud eundem Euangelistam idem Dominus ait: amen dico vobis nemo est, qui reliquerit domum, aut parẽtes aut fratres, aut vxorem aut filios propter regnum Dei, & nõ recipiat multo plura in hoc tempore, & in seculo futuro vitam æternam. Ecce qualiter præcipit relinquere domũ, quoniã eodẽ modo iubet illam relinqui, quo modo iubet relinqui parentes, & fratres, & vxorem, & filios. At hæc omnia non ita vult à nobis relinqui, vt illis careamus: sed ne in illis cor nostrum taliter figamus, quod illarum rerum amor nos ab amore Dei separet. Nam qui parentes habet, non potest illos relinquere sic vt illis careat, nisi parentes moriantur, quoniam quocũq; se vertat, dum viuunt, parentes erunt illius. Parentes autem interficere, est impium. Non ergo sic præcipitur parentes relinquere, vt parentes sui esse desinant: & per consequens nec sic etiam præcipitur domum aut aliam possessionem relinquere vt sua esse desinat, sed sic præcipitur, vt similia relinquat, ne videlicet illarum rerum affectus nos quoquo pacto ad Dei amorẽ aut omnino frigidos, aut tepidos efficiat. Sic ergo eas possidere oportet, vt fiat iuxta Prophetæ consilium dicentis. Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Præterea cum iuuenis quidam à Christo quæsiuisset, quid boni faceret, vt posset vitam æternã habere, ait illi Christus: si vis ad vitam ingredi serua mandata. Exprimens autem quæ essent hæc mandata, nullum de abdicanda rerum proprietate explicuit. Non est ergo necessariũ rerum abdicationem facere, quamuis sit opus maioris perfectionis: quod ipse ordo verborum Christi apertissimẽ ostendit: nam postquam dixit mãdatorum obseruantiam sufficientem esse ad vitam beatam parandam: postea exprimere volens maioris perfectionis statũ,

(Margin: B, C, D — Infra. 18. — Psal. 62. — Matth. 19.)

dixit, si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus, & sequere me. Hoc, inquam, perfectionis maioris est opus, non necessitatis. Rursum. Si nihil licet habere proprium quomodo beatus Paulus iubet reddi omnibus debita? Cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal. Si non licet habere proprium, nullum erit debitum principi tributum aut vectigal. Non ergo diues iste damnatus est quod diues esset: sed quod gulæ, luxuriæ cæterisque vitijs ex gula effluentibus deditus, quod auaritia plenus miserum pauperem fame perire sinebat. Si enim vt Zachæus in domum suã Christum, hoc est, mendicum Lazarum induceret, si redderet quadruplum, si dimidium bonorum suorum daret pauperibus: audire mereretur hodie huic domui salus a Deo facta est, eo quod ipse sit filius Abrahæ: qui hospitalitatem tantã sedulitate sectatus est, tantaque cura ac diligentia opera misericordiæ exercuit. Vnde D. Paulus diuites non damnat: sed ne auari superbiq; sint iubet. Diuitibus, inquit, huius seculi præcipe non sublime sapere: neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, (qui præstat nobis omnibus abunde ad fruendum) bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum vt apprehendant veram vitam.

Rom 13. b

1. Timo. 6

¶ *Induebatur bysso & purpura.* Huic diuiti nil deesse videbatur ad absolutam huius mundi fœlicitatem: magni nominis apud homines, quamuis apud Deum, obscurus & ignotus. Is ergo vestiebatur purpura & holosericis, non minus molliter quam splendidè. Diues iste idcirco dãnatur, quod his pretiosis vestibus vteretur non tam ob vsum earum, quam ob libidinem animi. In omnibus enim talib9, vt Augustinus ait, non vsus rerum, sed libido in culpa est. Quare non ex earum rerum natura quibus vtimur, sed ex causa vtendi, & modo appetendi, vel probandum vel improbandum est quod faciamus. Cæterum si Episcopus es, meritis fidei & vitæ potius quam pretiosis ornamentis autoritatem quære. Audi quid

Augu. lib. 3. c. 12 de doctrina Christia. Non vsus rerum sed libido in culpa est.

A ait concilium Carthaginense: Episcopus vilem supellectilem, ac mensam & victũ pauperem habeat. & dignitatis suæ autoritatem fidei & vitæ meritis quærat. Si clericus es aut religiosus professionem tuam & habitu & incessu proba: vt ibidẽ dicitur, & ideo nec vestibus nec calciamentis decorem quæras. Si autem prophanus es, audi quid tibi concilium Gangrense admoneat. Parsimoniam, inquit, cum veste humili non reprobamus: sicut etiam ornatum præter corporis diligentiam infucatum laudamus: dissolutos autem, & fractos vestibus & incessu non recipimus. Si verò mulier es prophana, & non Deo dicata: ne molliter & splendide vestiaris obsecro. Nam his mollibus & superbis ornamentis non vni vel alteri sed plurimis noces. Noces viro, occasionem ei præbens aut bona quæ habet dissipandi, aut si non habet aliena furandi, aut vi aut dolo acquirendi, aut nunquam si iniustè comparata fuerint, restituendi: noces tibi maximè, tum, quod is nimius ornatus, superbiendi materiam tibi præbet: tum etiam, quod si preces in ecclesia ad Deum fuderis minime exaudieris: superbus enim habitus, ait glo. non impetrat. Tum, quod tempus quo Deo vacare ac bonis actionibus incumbere debebas, amittis: dum enim comeris dum ornatis annus est. Nihil, inquit Bernar. pretiosi9 tempore, sed heu nihil hodie vilius reputatur. Tum denique quod is superbus ac splendidus nimiusque habitus male audit apud omnes. Vnde glossa superbus habitus non recta facit de se credi. Noces præterea vxoribus aliorum, quæ tuo cõmotæ exemplo, eadem purpura & holosericis vestiri affectent: tibi inuidentes. Ex quo sæpe domi turba maxima oritur, ac cum viris suis rixæ & dissidia. Sed vt missa omnia hæc nocumenta faciamus: memineris te esse in templum Dei vocatam, ne obsecro tuo luxu & immoderato superboque vestitu Dei templum incendas, comburas, omnino deleas. Memineris quod D. Paulus hortatur in priori ad Corint. episto. cap. 11. quod mulier habeat velamen super caput suum in ecclesia propter angelos. Offendunt enim hu-

Con. Cart. 4. c. 15

Con. Gangren. c. 21. Vide in decretis

Admonentur mulieres seculares ne splẽdidis vestibus induãtur. Quãdo ex hoc multa mala oriãtur.

Gl. 1 tim. 2. non in tortis crinibus.

Glo. ibidẽ.

1. Cor. 11

B

C

D

ius mundi mulieres tortis crinibus ornatæ, angelis, hominum, quos is ornatus ad se trahit, custodibus. Imò non solum angelis sed & Christo domino, totique contioni, in ecclesia congregatæ immoderatus ac luxuriosus iste ornatus tuus iniuriam non minimam facit. Astat ibi Christus tibi præsens quod non ignoras: astāt angeli. Nam quis fidelium, ait Gregori9, dubium habere possit, in ipsa immolationis hora, ad vocem sacerdotis cælos aperiri, atque in illo Christi mysterio choros angelorum adesse, summis ima sotiari, terrena cœlestibus iungi? Hæc ille. Nec dubitari debet, vbi dominici corporis & sanguinis mysteria geruntur, supernorū ciuium atque cœlestium spirituum conuentus adesse: qui monumētum, quo venerabile corpus positum ac reconditum fuerat, & vnde resurgendo abscesserat, tā sedulis excubijs seruabant. Pudeat ergo te tam superbè ac splendidè vestitam ad inanem gloriam comparandam, adesse atque astare coram Christo, coram angelis cœlestibus, coram supernis ciuib9, coram deniq3 cœtu fidelium in te vna oculos figentium. Ne filia huius miseri diuitis videaris, qui induebatur bysso & purpura. Sed potius eis vestimētis vtere, quę decent sanctam, fidelem, atque honestam fœminam: quæ decent Dei filiam, ac regni cœlorum hæredem.

D Grego.

A

¶ *Et epulabatur quotidie splendidè.* Ne quid huic misero deesset in hac mortali vita ad oblectamentum corporis, comessabatur quotidie magnificè. Simul & ambitioni seruiens, & luxui, & voluptati. ¶ Hic etiam ante omnia repetēdum est quod modo dicebamus. In omnibus talibus, inquit Augustinus, non vsus rerū sed libido in culpa est. Quod igitur locis, & temporibus & personis conueniat, diligenter attendendum est. Ne temere flagitia reprehendamus. Fieri enim potest vt sine aliquo vitio cupidinis vel voracitatis pretiosissimo cibo sapiēs vtatur: insipiens autem fœdissima gulæ flamma in vilissimū olus ardescat: & sanius quisquē maluerit more domini pisce vesci, quàm lenticula more Esau nepotis Abrahę, aut ordeo more iumentorum. Et rursum idem ait: Deliciæ quælibet si absq3 desiderio percipiantur, non officiunt: & viles cibi appetenter accepti impediunt profectum abstinētiæ. Dauid enim aquā male concupitam, effudit: & Elias benè carnes comedit. Idem alibi ait: non cogātur diuites pauperum cibis vesci. Vtātur consuetudine infirmitatis suæ, sed doleant aliter se non posse sustentari. Si consuetudinem mutant ægrotant. Vtantur superfluis, dent inopibus necessaria. Vtātur pretiosis dent pauperibus vilia. Lege hæc & alia ad rem eandem facientia in decretis. d. 41. Si ergo imprę sentiarum diues iste damnatur eó est quod vtebatur splendidis cibis ad voluptatem, ad luxum, ad ambitionem, atque ad ebrietatē sectandam: nec interdū miserebatur mendici fame pereuntis. ¶ Quam veró detestabile sit hoc gulæ & comessationis atquē ebrietatis vitium, vel locus iste satis ostendit. Vnde D. Basilius ait de isto Epulone loquens: terreat te diuitis exemplū, quem vita in delicijs acta tradidit incendio. Non enim ob crimen iniustitiæ sed ob vitę molliciem exustus est in camino ardente. Proinde vt hoc incendiū extinguamus aqua opus est. Caue igitur ne te aduersarius, ait idem Basilius, simili atq3 primum parentem peccato circūueniat, circunuentumque quam primum de paradiso deliciarum expellat. Nam qui illū callida escę obiectione ita malitiosè vita spoliauit, & item Iesum eodem se modo supplantaturū sperauerat, nihil est quod is vereatur, quin & tanto ausit confidentius tibi quoque primam malorum origi nem propinare. Etenim pręsentissimum hoc esse ille venenum intelligit. Siquidē gulæ vitium non in escarum copia naturæ suæ vim positam exercere nouit, sed in voluptate atque gustatu, licet modicis ad modum vtare. Quod si ita est, vt vel breuissima modò gustatu percepta delectatio obnoxium te istiusmodi morbo valeat efficere, haud dubie id te nullo negocio ad interitū dabit. Vt enim fons aquæ si in plures sitriuulos dissectus, vicina riuulis illis loca omnia herbarum viriditate conuestit, & quasi pubescere facit: sic vitium gulæ si per cordis tui venas se effude-

In episto. Ioan.

2. Reg 23. 3. Reg. 17.

lib. de verbis Dñi. ser. 5. secundū Matth.

B

d. 41.

Vitiū gulæ quā sit detestabile ostenditur.

D. Basi. homi. de laudibus ieiunii.

C

D

Similitu.

fuderit & distraxerit, indeque permeans sensus tuos omnes irrigarit, vbi libidinum multarum in te syluam conseuerit, animum tuum ferarum habitaculum efficiet. Et enarrans idem Basilius statim illiadem vitiorum ex vna ingluuie prognatam ait. Nam qui istiusmodi sunt, hi mendaces sunt, ad iusiurandum parati, periuriosi, litigiosi, pertinaces, clamorosi, & qui saturi edisse se pertinacissimè pernegent, illiberales, qui victu delicato apprimè gaudeant queruli, aliorum curiosi exploratores, totius honestæ vitæ de industria inimici, qui vt gulæ libidinem obtegãt, innumerabilib9 se alijs vitijs inuoluũt, qui cum habitu quidem inter saluos esse videantur, rebus ipsis inter perditos numerãdi sunt. Hæc fuit quæ Adæ interitum, & post ipsum etiam vniuersæ illius posteritati exitium apportauit. Gulæ libido ea est, per quam ludibrio habetur Noe: & Cainam maledictioni subijcitur. Per hanc primogenita amittit Esau, & cũ Chananæis affinitate coniungitur: Loth se cum filiab9 miscet: idem suipsi9 gener factus ac socer: & qui parẽs anteà, modo vir etiam postea efficitur & au9 & parens. Vtrinque in præscriptos à natura hominibus fines petulanter proterit9. Hęc Israelitas induxit, vt simulachrum adorarent: ijsdem causa fuit, quam obrẽ in illa solitudinis vastitate, eorum cadauera prostrata sint. Hęc Prophetam, quæ à Deo ad obiurgandum scelestum regem fuerat missus, ferę bestiæ deuorãdum obiecit: & de quo vniuerso regio suo apparatu Hieroboam rex pœnas sumere non potuerat, is gutturis fraude implicatus miserabili admodum morte consumitur. Quid contrà Daniel vir desideriorũ, nonne quod gulæ libidinem cõpresserit, regno potitur Chaldæorum? Nonne simulachra demolitur? Et draconem interimit, & leonum pedagogus efficitur, idoneusquè habetur, qui Deum humana se forma induturum prænuntiet, & abstructa mysteria palam interpretetur? Quid? Nõne facti gulę libidine superiores tres innocentes illi adolescentuli regiam iram pro nihilo duxerunt? Et horrificam illam fornacem Nabuchodonosoris regis iussu succensam intrepidi contempserunt? Et statuam illam auream, quam pro Deo coli ille iubebat, futilem ac nullius prorsus precij esse docuere. & quæ non nisi lõgo temporis spatio fabricari potuerat, eam repentino asportatam, opimum domino suo spolium attulere: ijdemque effecere, vt rex ipse insensissimus vna cum vniuersis ipsius, quem aduersus Deum copiarũ instruxerat apparatu, vniuersaque rerum natura, mirificis eum laudibus efferrent. Ac ne multa, si gulam in officio cõtinueris, paradisum habitabis: sin minus, hoc tibi persuade, pabulum te mortis futurũ. Hæc D. Basilius: caue igitur tanquam à pestifero ac mortifero veneno, gulæ vitium. Quod si hęc, quæ D. Basilius disseruit, non satis superque sunt: audi D. Paulum lachrymas fundentem in epist. ad Philip. c. 3. Multi, inquit, ambulant, quos sępe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi, quorum finis interitus quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum. Nonne videtur tibi grande vitium illud, quod ido latram facit? Nonne videtur maximum scelus, faciens hominem, vt ventrem adoret, in illumque finem collocet? Atque interim illud animaduersione non parua dignum est, nunquam diuinum hũc Paulum nisi in duobus suarum epistolarum locis affirmare, se cum lachrymis scribere, quæ scribit. Primus locus habetur in posteriori epistola ad Cor. c. 2. postquam eos ob peccata atque hæreses in quas inciderant reprehenderat. Nam ex multa, inquit, tribulatione & angustia cordis scripsi vobis per multas lachrymas: secũdus verò locus est quem modo adduximus: nunc autem & flens dico, vt hinc intelligamus quam magnum malum sit ventrem tanquam Deum colere: quantaquẽ mala ex hac spirituali idolatria oriatur. Quod intelligens Paulus, flebat, tristabatur, ac maximo dolore pręmebatur. Ecce diues iste ob hoc peculiare vitium, maximas pœnas in inferno luit. Quod volens docere dominus inducit Abrahã huic misero diuiti respondentem: fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nũc autem hic conso-

Marginalia: Attende illiadẽ vitiorum ex vna ingluuie prognatam. — Gen. 3. — Gen. 9. — Gen. 25. — Gen. 19. — Exo. 32. — Num. 11. — 3 Reg. 13. — Dani. c. 6. & c. 13. — Dani. c. 3. — D. Bas. ser mo. de abdicatione rerum. — Philip. 3. — 2. Cor. 2.

consolatur, tu verò cruciaris. Rerum sanè vices commutatæ sunt. ¶ Cæterum si omnibus fidelibus interdicitur & meritò quidem comessationis & ebrietatis vitium dicente Paulo: non in comessationibus & ebrietatibus: quanto magis sacerdotibus atque viris Ecclesiasticis id prohibebitur? De qua re lege in sacris canonibus. d. 44. vbi admonentur Episcopi & Ecclesiastici ne sint vinolenti, nec gulæ dediti. nec tabernas intrent nedum eas habeant: nec conuiuijs occupentur: nisi in ijs quæ intentione impendendæ charitatis fiunt. Tunc autem ex charitate veraciter prodeût, cum in eis nulla absentium vita mordetur, nullus ex irrisione reprehenditur: nec in eis inanes secularium negociorum fabulę, sed verba sacræ lectionis audiuntur: cum non plus quam necesse sit seruitur corpori, sed sola eius infirmitas reficitur, vt ad vsus exercendæ virtutis habeatur. Hæc itaque si Episcopi in suis conuiuijs agunt, abstinẽtiæ magistri erunt. Ait Gregor. episto. 37. lib. 2. ad Natalem Episcopum. ¶ Quod si ab hoc detestabili nefandoque gulæ vitio tentaris atque ab eo liberari vis consideratione non pauca opus tibi est. Considera igitur omne malum in mundum intrasse ob gulæ vitium. Vt superius retulimus. Animaduerte Christi ducis & antesignani fidelium incredibilem in deserto abstinentiam, eius per vitam totam admirabilem frugalitatem, qua semper est vsus: non solum in nostram redemptionem, sed vt nobis esset exemplo. Si ergo qui panis est angelorum, & qui dat escã omni carni, impletque omne animal aperiens manum suam benedictione famescit, esurit atque sitim patitur, felle aceto què potatur: quo titulo, qua ve ratione te Christi discipulum esse iactaris, comessans quotidie magnificè, ventrẽ pro Deo colens? Animaduerte præterea sanctorũ antiquorumque patrum admirabilem in desertis actam abstinentiam: qui nõ vno aut altero mense, sed multis annis, oleribus duntaxat sustentabantur. Si ergo hi Christi milites sic illum secuti ac imitati sunt: si per hanc viam ad cœlum iter suũ fecerũt: quid tu inepte & insipiẽs homo

Gula peculiariter à sacerdotibus vitanda.

Rom. 13. a

d. 44.

D. Grego.

Abstinentia cõmendatur multis exẽplis & rationibus.

A existimas cœlum cœlestemque patriam adire satur, ebrius, cibo potuque plenus? Non hac via cœlum itur. Abstinentię via quęrenda & perambulanda est. Memineris saltem Lazari huius, fame & siti pereũtis: cui nec micæ quidem dabantur rogãti, precanti, atque cum lachrymis eas postulanti. Et tamen tandem mortuus, qui mendicus & pauper erat, neglectusque ab hominibus, dum viueret, ab angelis Dei deportatur in sinum Abrahæ. Diues autem qui gulæ seruiebat, magnificaque B atque splendida conuiuia quotidie faciebat, mortuus tandem sepultus est in inferno. Mutãt enim vices frugalitas & ingluuies si satur in hac vita fuisti, in futura miser, pauper, mendicus, & famelicus eris: contrà verò si abstinentiæ temperãtiæq; deditus in hac mortali quam agis vita, in illa quæ perpetua & æterna est, saturaberis delitijs nectareque cœlesti.

¶ *Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat.* Habebat mendicus iste nomẽ ex C re, dictus Lazarus, quod omnibus mundi prę̨sidijs destitutus Dei solius auxilio niteretur. Huic nec domus erat, nec vestis, nec cibus, nec corporis quidem prospera valetudo. Erat enim vlceribus plenus: qualis legitur fuisse Iob. Iacebat autem ad ianuam diuitis, expectans vt aliquid mitteretur de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, quo placaret latrantem fame stomachum. Sed tanta erat in tanto luxu ac profusione erga pereuntem proximum parsimonia, tanta inhumanitas: vt nec micæ quidem darentur roganti. D Animaduerte hic obsecro: quam parca quam crudelis & inhumana sit diuitum auaritia. Hec pauperes & mendicos contemnit, hec vlceribus plenos irridet: eos què non admittit ne funesto spectaculo contristet oculos suorum. Vnde Ecclesiasticus ait: sicut abominatio est superbo humilitas, sic execratio est diuiti pauper. Hec nullatenus proximi pereuntis fame miseretur. Vnde sanctus Iob ait: Cor eius indurabitur quasi lapis. Cor enim diaboli, auarus est. Nonne auaritiæ expressam

Quã parca & inhumana sit diuitum auaritia ostenditur.

Eccle 13.

Iob. 40.

HOc simili probare contendit Dominus totum hominem postulare regnum Dei. Animum enim postulat ab omnium humanarum rerum amore liberum. Nec est quod quisque tẽtet miscere mũdum cum euãgelio, quod est regnum cœlorum. Etenim si nemo potest esse seruus communis duobus dominis, quod vix inter vllos homines sic conueniat, vt vnus seruus vtrique satisfacere possit suo obsequio, sed alterutro cõtempto cogatur vni adhærere: quanto minꝰ vos potestis Deo seruire & mãmone (ait Dominus Iudæis) dominis tam discordibus, vt inter illos nihil conueniat. Hæc hoc exemplo contendit docere Christus. Nunc singula verba perpendamus.

¶ *Nemo potest duobus dominis seruire.* Ex his verbis primum colliges quod plures serui vnum dominum cõmunem habere possunt, at vnus seruus communis esse non potest duobus dominis. Quod multi, vni domino optimè satisfacere possunt: vnus autem non potest multis dominis. Maximè cum sæpe contraria iubeant. Sic olim pluribus fœminis vnum habere virum licebat: contra verò minimè. Vt ostendit Augustinus de bono coniugali. cap. 7. his verbis: Occulta, inquit, lege naturæ amant singularitatem quæ principantur. subiecta verò nõ solum singula singulis, sed si ratio naturalis, vel socialis admittit, etiam plura vni non sine decore subduntur. Nec enim sic habet vnus seruus plures dominos, quomodo plures serui vnum dominum. Ita duobus seu pluribus maritis viuis nullam legimus seruisse sanctarum, plures autem fœminas vni viro legimus coniunctas, cum gentis illius societas sinebat & temporis ratio suadebat. ¶ Secundò colliges quã consentaneum sit rationi non decere vt in ecclesia vni duo committantur officia. Quod D. Grego. his verbis suadet. Singula ecclesiastici iuris officia, singulis quibusque personis sigillatim committi iubemus. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus: omnia autem membra non eundem actum habent: ita in ecclesiæ corpore multa membra sunt secundum veridicam Pauli sententiam, in vno eodemque spirituali corpore conferendum est hoc officium vni: alij committendum est illud. Neque enim quantumlibet exercitatæ vni personæ vno tẽpore duarum rerum officia committenda sunt: quia si totum corpus est oculus, vbi auditus? Sicut enim varietas mẽbrorum per diuersa officia & robur corporis seruat, & pulchritudinem repræsentat, ita varietas personarũ per diuersa nihilominus distributa officia, & fortitudinem & venustatem sanctæ ecclesiæ Dei manifestat. Et sicut indecorũ est in corpore humano vt alterum membrum alterius fungatur officio: ita nimirum noxium simul quẽ turpissimum est si singula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa. Hæc Gregorius. ¶ Tertio hinc colliges quam turpe ac indecorum sit viris Deo sacratis ac Deo militantibus implicare sese negotijs secularibus. De qua re lege quæ differuntur in decretis. d. octuagesima octaua. Vbi prohibentur clerici cupiditatis negocia suscipere non tamen pietatis curam viduis & orphanis impendere. Nemo enim potest duobus dominis seruire.

¶ *Non potestis Deo seruire & mammonæ.* Seruit mammonæ qui magnam fœlicitatis partem collocat in diuitijs, eaque causa magno studio laborat, vt quam plurimum possideat, vt quod partũ est, tueatur, & augeat. Deo seruit, qui vel reiectis istius mundi bonis, vel neglectim possidendo summo studio curat ea, quæ faciãt ad æternam salutem. Sic curabat diues Abraham, sic diues Isaac, cæterique patres: qui & si opibus abundabant, Deo & non eis seruiebant. Habebant ac si nõ habuissent: in solo Deo fiduciam habentes, illique soli seruiẽtes. ¶ Auarus ergo Deo seruire non potest, cum sit seruus diuitiarum: quod & multis argumentis ostendi ac probari potest. Sic enim eum appellat regius vates dicens: Dormierunt somnũ suum, & nihil inuenerunt viri diuitiarũ in manibus suis. Ecce quo pacto dicuntur auari viri diuitiarum suarũ. nõ enim diuitiæ vocantur ipsorum, sed contra ipsi appellantur serui illarum. Nõ enim sunt illarum domini, sed custodes. Nam vt gl. ait:

Plures serui vnũ dominum habere possunt, non autem e contra.

D. Augu.

Consentaneũ est rationi vt in ecclesia vni duo non cõmittantur officia.

D. Grego. & habetur. d. 89. c. singula.

In decorũ est viris Deo sacratis implicare se negotiis secularibus. d. 88.

Qui sunt qui seruiant mãmonæ & qui Deo.

Auarus seruus est diuitiarũ ad quẽ ostenditur.

Psa. 75.

Glo. hic.

ait: seruit diuitijs, qui custodit vt seruus, sed qui seruitutis excussit iugum, distribuit vt Dominus. Non, inquam, eas possident nec habent dicēte Seneca: pecuniā magnam habet aliquis: si auarus est non habet. Si prodigus est non habebit. Quare iure optimo suadet idem Seneca: non sit tibi auaritia, quæ quicquid omnibus abstulerit, sibi ipsi neget. Et D. Bernar. in Canti. quæritur, inquit, à quouis eorum qui insatiabili corde lucris temporalibꝰ inhiant, quid sentiant de illis qui sua vēdentes, & pauperibꝰ erogantes, regnum cœlorum pro terrena substantia mercantur, sapienter ne agant? Respondebit procul dubio: sapienter. Quære iterum sibi, cur quod approbat, non facit. Non possum, inquit, quare? Profectò quia domina auaritia non permittit. Hæc ille. Non habet auarus, ea, quæ videtur habere, nisi eo dicendi modo, quo quis compeditus habet compedes quibꝰ compeditus est, qui potius ei dominantur quam seruiant. ¶ Quā verò misera & intolerabilis sit hęc seruitus ex multis cōiectare fas erit. Primùm, seruitus hæc, non corporalis est sed spiritualis: ac proinde grauior. Multo enim indignius est animo, peccato & diabolo & mundo seruire, quam corpore, domino cuicumque. An nō seruus, ait Bernardus, cui dominatur peccatū, & maxime: nisi tu forte indignius iudices hominem tibi, quam vitium dominari. ¶ Deinde indignius est terræ, hoc est, auro & argento seruire, quam homini. ¶ Præterea maxima profectò miseria est tota vita diuitijs seruire, obedire, corpore & animo parere sine spe aliqua mercedis. Desudant enim omnibus diebus vitæ suæ miseri auari in parandis diuitijs, in congregandis opibus, & tandem, instante atque adueniente nocte mortis, nihil mercedis accipiunt. Quod testatur regius vates dicens: Ne timueris cum diues factus fuerit homo & cum multiplicata fuerit gloria domus eius: nam cum interierit non sumet omnia, id est, nihil sumet. Et Eccle. cap. 14. qui congregat, inquit, ex animo suo iustè, alijs congregat, & in bonis illiꝰ alius luxuriabitur. Et sanctus Iob: diues cum dormierit, nihil secum auferet: aperiet oculos suos, & nihil inueniet. ¶ Adde his: quod nefanda hæc auarorum domina, impia & nefanda auaris pręcipit. Hoc est, furta, latrocinia, homicidia, proditiones, periuria, aliaque his impietatibus similia. Imo hæc ipsa fuit quæ Iudæorum principibus iussit Deum venditum cruci affigere. ¶ Quid plura? Hæc, tam grauia ac intolerabilia suis præcipit, vt impleatur in eis, quod Hieremias ait: Seruietis dijs alienis, qui non dabunt vobis requiē die ac nocte. Et quod apud Esaiam domi nus. Tradam Ægyptum in manibus dominorum crudelium. Sic auari seruiunt auaritię loco Dei, quæ minime eos quiescere sinit. Auaritia domina eos torquet, compedibus grauat, quibus compediri solent fugitiui atque scelerati serui. Vnde Eccle. 33. cap. dicitur: Seruo maleuolo tortura & compedes, mitte illum in operationem, ne vacet. Ad cōpedes onerat, ait Gregorius, quicquid homo præter necessaria curat. Hæc, auaros excæcat & ad molam rerum terrenarum molere cogit: exemplo Philistinorum, qui oculis captū Sāsonē molere fecerunt. Denique miser auarus seruus emptitius est omniū illorū, qui aut cōferre aut auferre aut seruare eis opes suas possunt. Vnde Seneca: minus quam seruus est, qui seruos timet. Quo nam ergo pacto qui einsmodi sunt, Deo seruire aut parere in omnibus potesunt, mammonæ cum seruiant. Quæ tam discordat à Deo, vt inter illos nihil conueniat. ¶ At contrà, iusti & Deo dicati homines, huius mundi bona aut reijciūt vt euangelico negotio vacent: aut ita possident vt ea sibi seruire ad pietatē studeāt. Opes enim, vt ait in Luc. D. Ambrosius, vt impedimento sunt improbis, ita adiumenta virtutum sunt bonis. Nam viri iusti, vt modo dicebamus, posiidēt diuitias, & non possidentur ab illis: diuitiæ illi seruiunt: non illi diuitijs. Et, vt ait D. Greg. omnia possumus relinquere, etiam retinendo. Hinc est quod viri virtute præstātes, in fabricandis templis diuino cultui dedicatis, in pauperibus alendis, in captiuis redimendis, & in alijs huiusmodi operibus pijs & sanctis diuitias suas expendunt. Nobiles Israelitarum à Babylonica capti

Seneca.
D. Ber. in can. ser 20
Quam misera sit seruitus auarorum ostenditur.
Bernard.
Psal. 48.
Eccle. 14.
Iob. 27.
Hiere. 16.
Esai 19.
Eccl. 33.
Iudi. 16.
Seneca.
Luc. 10.
D. Ambr.
D. Greg.
2. Esdr. 5.

captiuitate redeuntes, opes suas ad templum Domini ædificandum obtulerunt. Et Tobias alebat esurientes, & nudis vestimenta præbebat. Et magi orientales apertis thesauris suis obtulerunt Domino, aurum, thus, & myrrham. Amedæus subaudius nepos ex parte patris Amedei ducis subaudiæ, & ex parte matris Iani Cypri Regis ex Anna filia nepos, à quibusdã oratoribus, qui cũ eo sermones cõferebant, interrogatus haberet canes venaticos, ostendit eis mendicorum multitudinem simul discumbentiũ, vt refert lib. 3. Geographiæ Raphael Volaterranus. Atq; hi sunt, inquit, canes mei, quos alo quotidie, quibus cœlestem gloriam me spero venaturum. Magnifica verò vox, & Christiano principe digna. Hic non diuitijs seruiebat: sed neglectim possidendo eas sibi seruire cogebat. ¶ Audientes ergo iusti Dominum suum præcipiẽtem nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: audientes eum dicentem non potestis seruire Deo & mammonæ: intelligentes præterea, quam vera sit sententia Chrysostomi dicentis, si vis esse diues contemne diuitias: & Senecæ: breuissima ad diuitias per contemptum diuitiarum via est. Intelligentes etiam nihil esse abiectius, nihil dimissius quam amare diuitias: contra vero nil magnificẽtius, nihil illustrius quam contemnere si non habeas, si habeas inter pauperes distribuere, easque propter Christum ad beneficentiam & liberalitatem conferre: intelligentes denique in quantam miseriam & seruitutem Hebræi deuenerunt ob suam auaritiam. Alacri vultu, æquo animo atque libenti, diuitijs abiectis Deo seruire statuunt: in cœlo thesaurizare curant, vt verè diuites fiãt. Si ergo tu ò homo quisquis es, Deo seruire desideras, caue tibi: vide ne ab opibus decipiaris: quod si tibi à Deo cõcessæ fuerint & impartite, eò intellige & existima tibi cõcessas esse vt proberis. Nam vt aurum probatur lapide, ita homo auro: & vt ait apud Laertium Chilo Lacedæmonius, aurum nostri dat apertũ documentum. Ait Plutarchus in Apophthegmatum opere dixisse eundem Chilonẽ, id quod lydius lapis est auro, esse aurũ homini: lapis index affrictu prodit quale sit aurum, ipsum autem aurũ prodit qualis sit homo, iuxta illud: magistratus virũ ostendit. Nullus lydius est ita probans gradus virtutum aut vitiorum, ac aurũ & diuitiarum abundantia. Quare semel atque iterum eadem repetens si sapis te prospice. Satius, vtilius, ac decentius est Deo seruire quam mammonæ. Imò hoc perniciosum illud salubre: hoc nociuum illud vero maxime salutare.

Tob. 1. & 2.
Matth. 2.
Amedæus.
Volater.
Matth. 6.
Chryso.
Senecæ.
Chilo.
Plutarch.

¶ *Audiebant autem omnia hæc pharisæi qui erant auari & deridebant illum.* Multi inter nos hodie sunt his pharisæis similes. Quorum animi veluti vtres antiqui, non capiũt hoc euangelicæ doctrinæ mustum. Sunt enim auari non solum pecuniarum, sed etiam gloriæ. Sunt elati, feroces, ac vindices. Proinde derident do- doctrinam euangelicam, cõtemnunt cõciones prouocantes ad beneficentiam, ad neglectum vindictæ, gloriæ, vitæ denique. Habet autem ac habebit semper hic mũdus suos pharisæos, qui suis freti præsidijs derideant doctrinam modestiæ, clementiæ, mansuetudinis, ac liberalitatis. Abhorret ab hoc musto cœlesti palatum assuetum vapæ mundanæ prudentiæ. Vtinam & horum sannas dignetur retundere dominus. Stultus, inquit, Salomon in Prouerbijs, irridet disciplinam patris sui. Qui autem custodit increpationes astutior fiet. Cum enim peccator fructum disciplinæ doctrinæque cœlestis ignorat, non mirum quod illam irrideat; at qui eius fructum & vtilitatem non ignorat, non solum irridere solet sed cauere in posterum. Sed væ irridentibus euangelicam doctrinam nam qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos: tunc loquetur ad eos in ira sua & in furore suo conturbabit eos. Vt Psalmographus canit Psal. 2. Et quod in hoc Psalmo dicitur de irrisione & subsannatione Dei contra impios: dicitur etiam in Prouerbijs: in cuius capite primo, sapientiam audimus clamantem & conquerentem in hæc verba. Despexistis, inquit, omne consilium, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id quod time-

Mos mũdi est irridere eos qui virtutẽ sectantur & qui vera prædicãt.
Pro. 15.
Psal. 2.
Prou. 1.

timebatis aduenerit. Quoniam auté non est hoc ridere, aut subsannare, secundum corporalem aspectum accipiendum, quomodo homines per oris certá dispositionem rident, & nasi cótractionem aut corrugationem subsannant, sed secundú mysticam proprietaté, idcirco quid sibi iste risus & subsannatio velint, in consequétibus edocet. Cum irruerit (inquit) repentina calamitas, & interitus quasi tépestas ingruerit: quando venerit super vos tribulatio & angustia, tunc inuocabunt me, &c. non exaudiam, mane consurgent & non inuenient me, eo quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquieuerint consilio meo. Hoc enim est ridere, hoc subsannare dei, in nouissimo non parcere, non flecti misericordia, secundum seueritatem immobilis iustitiæ vindictam referre absque compassionis dolore, eosque confundere, & in erubescentiam mittere: quomodo illi qui irrident aut subsannat super eos quos rident aut subsannant nulla afficiuntur compassione misericordiæ, sed absque misericordia confundunt eos & erubescere faciunt. Neque multo aliud est hic risus & subsannatio quam in versu sequenti ira & furor. Iratus enim dicitur Deus, quatenus pœná infert: & furorem in eo imaginamur, quatenus tunc erit implacabilis, nullasque excusationes vel recipere volet vel audire. Tales enim feré videmus homines in ira & furore positos. Ve ergo irridentibus salutaria consilia Domini, quia nisi pœniteát Dominus irridebit eos. Atq; frustra in inferno pœnitétiam agentes & præangustia spiritus gementes seró sapient, sero stultitiam suá cognoscét, sero insensatos se fuisse dicét: quando illis non profuerit ferocitas, superbia, diuitiarumque iactantia. De huiusmodi namque ait sapiens: illos autem Dominus irridebit & erunt post hæc decidentes sine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuú, quoniam disrú pet illos inflatos sine voce, & cómouebit illos á fundamentis, & vsque ad supremú desolabuntur: & erunt gementes, & memoria illorum peribit. Venient in cogitatione peccatorum suorú timidi: & traducent illos ex aduerso iniquitates ipsorú. Non ergo conténamus euangelicam doctriná, non irrideamus sapientiá & disciplinā Christi, si infœlices esse nolumus. Sapientiam enim & disciplinā qui abijcit, infœlix est: & vacua est spes illorú, & labores sine fructu, & inutilia opera eorum ait idem sapiens. Sed hoc est ingenium mundi, Deum, Deiq; opera, atque doctrinam irridere. Si dicebat Christus non est mortua puella sed dormit: irridebat mundus. Si dicebat: non potestis seruire Deo & mámonę, irridebat. Si prædicabant Apostoli cœlestem Euangelij doctrinam irridens mundus dicebat: quia musto pleni sunt. Si disserebat Paulus de resurrectione mortuorum irridebat hic qui in maligno positus est mundus. Hoc etiá est ingeniú hominú impiorú có ciones audientiú, irridere concionatoré, si vitiú illorú reprehédat: si veró alienú audiát reprehédi, cócionatoré miris laudibus efferre. Hinc erat quod Iudæi audientes Christi doctrinam nunc dicebát nunquam sic locutus est homo: núc auté eum audientes deridebant eum. Discant ergo euangelici prædicatores múdi gloriá contémnere, & túc uera dicétes nó curabunt an mundus eos derrideat necne.

¶ *Et ait illis. Vos estis qui iustificatis vos corā hominibus Deus autē nouit corda vestra.* Tumebát isti inanib9 honorú simulacris, véditátes sese apud homines, qui æstimát hominé ex opulétia, ex dignitate, ex generis nobilitate ex quibus sibi conciliabát etiá fœlicitatis laudé, quú reuera nec diuites essent, nec fœlices, nec magni. Deus enim ex ipsis animi bonis ęstimat hominé; qui solus intuetur corda nostra. Audiant hæc hypocritæ fideles, De9 nó irridetur. Scrutatur corda, nouit omnia. Quare sinceré & ex animo ré omné agát: nó vt véditét apud homines laudé, nó vt sese corá hominib9 tantú iustificét: sed si veré diuites, si veré fœlices esse volút, veras diuitias quærát: verá & nó fucatá virtuté amét. Quádo de9 qui omnia nouit ex ipsis animi bonis hominem æstimat. Atq; is demú diues est, qui apud deú diues est: is iust9 est, qui apud Deú iustus est: is magn9 est, qui sibi paruus, Dei iudicio magn9 est.

Sap. 4. | Sap. 3. | Mar. 5. d | Act. 2. b | Act. 17. g

Eee ¶ Cæ

Ostēditur Christum esse Deum. ¶ Cæterū hic obserua voluisse Christum subindicare se esse verū Deū: qui cognoscat corda nostra. Hoc enim testimonio id probare ostendit. D. Hiero. in Esaiā. c. 66. in quo considerandū inqui Hieronymus, quod non dixerit pater, scio & noui corda vestra, ne filiū videretur excludere, sed de⁹: quod patri filioq; cōmune est. In principio enim erat verbū, & verbū erat apud Deum, & Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deum. De quo idē Ioan. scribit: ipse autem Iesus non credebat se eis, quia sciebat omnes, & non habebat necesse, vt aliquis testimoniū daret ei de homine. Ipse enim nouerat quid esset in homine. Cui & illud congruit: sciens autem Iesus cogitationes eorū. Et in alio loco: sciens autē Iesus malitiā eorū. Ac ne aliqua sit dubitatio hæreticis calūniam facientibus de verbo Dei, quod nouerit omnia: in epistola quę ad Hebręos scribitur, prolixius dicitur: viuus enim sermo Dei & euidens, & acutus super omnē gladiū bicipitem, & diuidens vsq; ad partitionem animæ & spiritus: artuum quoq; & medullarum, & iudex cogitationū & sensuum cordis. Nullaq; est creatura inuisibilis in conspectu eius, omnia autem nuda & aperta sunt oculis illius. De quo nobis est sermo. Hęc ille. Audiant hęc hypocritæ & timeant. Meminerint quid idem Dominus apud Oseam dicat: Vias eorum dedi in capita eorum, & cogitationes eorum reddam eis. Et quid regius Psaltes: qui fingit sigillatim corda eorū, & intelligit omnia opera eorū. Et apud Hieremiam: ego Deus appropinquās, & non de longē dicit Dñs. Nunquid abscōdet se, in absconditis homo, & ego ignorabo? Quare veros esse iustos, sanctos, ac virtute præstantes curent: nisi iustū Dei iudicium subire volunt.

D. Hiero. in Esai. c. 66 inalla verba & ego opera eorum. Ioan. 1. Ioan. 2. Supra. c. 6 Matth 22. Heb. 4. Oseæ. 4 b Psal. 32. c Hiere. 23. e

¶ *Quia quod hominibus altum est abominatio est ante Deum.* Hominibus enim videtur sublime quiddam ac suspiciendum, diuitias parare, honores mundi acquirere: gloriam ac famam apud homines venari: generis nobilitate & splendore florere: ab hominibus vocari Rabbi. At paupertatem sectari, diuitias contemnere, ex illis amicos parare, illatam iniuriam condonare, inimicos ex corde amore prosequi: pro illis preces Deo fundere, aliaque id genus quæ lex euangelica docet: mundi huius hominibus abominabile videtur. Quod mirum non est. Nō enim sapiunt ea quæ Dei sunt: existimantes enim se esse sapientes stulti facti sunt: excæcauit profecto eos malitia eorum. Atque ea est causa, ob quam apud Matthæum maximas Christus patri gratias agit, dicens: confiteor tibi pater Domine rex cœli & terrę, quia abscondisti hæc à prudentibus & sapientibus & reuelasti ea paruulis. Plurima enim erant abscondita à Philosophis mundi gloriam inanem diligentibus, plurima Iudæis mordicus tenentibus corticem legis, & in vmbris gloriantibus sese: quæ nunc reuelata sunt in lege euangelica. Iudæi siquidem Moysen tanquam paruulum in fiscella scirpea concluserunt. Sed hūc, Pharaonis filia é fiscella exclusit, & regio honore sublimauit. Quia ecclesia ex gentibus, ex paruulis, ex publicanis & peccatoribus sumpta Moysi legem honorat, multos illi spirituales sensus tribuens, quam Iudæi iuxta solum literæ corticem intelligendam crediderunt. Et hoc est quod Esaias Propheta futurum prędixit. Deserta, inquit, in vbertatem versa aduenæ comederūt. Nam legis Moysi & Prophetarum dicta deserta apud Iudæos fuerunt, quia iuxta mysticum intellectum ea disserendo excolere noluerunt. Nobis autem in vbertatem versa sunt, quia & iuxta historiam, legis dicta largiente Deo menti nostræ spiritualiter sapiunt: & iam aduenæ comedimus, quæ ciues legis mā ducare noluerunt. Propter quod Paulus ait: dum Moyses legitur velamen positum est super cor Iudæorum vsque in hodiernum diem: quia cum audiunt legi scripturam illam non intelligunt nisi quod litera foris, carnaliter sonat: & ita celatur eis sensus interiorum. Vnde & Moyses cum ad eos loqueretur faciem velabat: significans quia populus ille verba quidem legis cognosceret: sed eiusdē legis claritatem omnino non videret. Sed velamē hoc Christus nobis abstulit: cū nos docuit legē non carnaliter sed spiritua

Ostēditur discrimen inter mundi legem & Christi legem. Rom. 1. Matth. 11. Exod. 2. Figura. Esai. 35. 2. Cor. 3. Exod. 34.

ritualiter esse intelligendam. In cuius sig num ipso moriente velū templi scissum est: vt ad interiores sensus oculus noster penetrare valeret. Ex multis autē mysterijs & arcanis quæ sub literæ cortice latitabant & ob hoc Iudæi ignorabant, vnū & non parum fuit, contēptus diuitiarū, comparatio amicorū ex mámona iniquitatis: quod Iudæis cæcis risu dignum videbatur. Et ideo ait illis Christus: quod hominibus altum est, abominatio est ante Deū. Contrà ergo licebit colligere: quod quidquid Deo sit sublime ac laude dignum, apud homines huius seculi habeatur abominandū: quale habebatur quod impresentiarum docebat Christus.

Matth. 27

¶ *Lex & Propheta vsque ad Ioannem.* Videtur his verbis Christus respondere tacitæ obiectioni Iudęorū. Qui poterant obijcere præfatæ doctrinę Christi quam modo deridebant. Quo nā obsecro pacto tu tantopere diuitias cōtēnendas doces: quo nam modo eas mámonā iniquitatis appellas, cū hoc suis in hac vita Dñs proponat præmiū? Lege quę Dñs pollicetur in Deutero. c. 28. Obseruatoribus legis: & inuenies hęc nobis scriptis esse relicta. Si custodias omnia mádata eius quæ ego præcipio tibi: venient super te vniuersæ benedictiones istæ. Benedictus fructus terræ tuæ: fructus iumentorū tuorū: greges armētorū tuorū, & caulæ ouium tuarum. Benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ. Emittet Dñs benedictionē super cellaria tua, & super omnia opera manuū tuarū. Quid ergo si hæc ita pollicetur Dñs custodiētibus legem illā: nūc Christus ait diuitias esse iniquas, contemnendas, ex eis amicos parandos, atq; aliā quæ docebat, ob quā causam pharisæi illū deridebant? Huic ergo quæstioni videtur tacitè propositis verbis respōdere Ac si diceret: ita res habet, olim sub lege eius cultores diuitijs, atq; opibus, alijsq; mūdi bonis premiari: sed iā aliud tēp⁹ adest: lex enim illa quæ tēporalia premia pollicebatur vsq; ad Ioan. Ab huius enim tēpore nūtiatur omnib⁹ adesse regnū Dei, quod lex prænuntiabat: quod Prophetæ prædixerāt. Ab eius enim tēpore iā multi bibunt mustū nouū, hauriūt doctrinā cœlestē: contēnunt terrena. Et bona externa pauperibus erogantes ditescūt bonis cœlestibus. Abijciūt pecuniā, sed edūt miracula: nō habent arma, sed propellūt morbos. Nō gerunt magistratus, sed eijciunt dæmonia. Non sunt opulēti, potentes, & gloriosi iuxta mundū, nā quod altū est hominibus abominatio est ante Deum, sed modestia, mansuetudine, tolerātia, cæterisq; bonis animi verè sunt & diuites, & potentes, & gloriosi & benedictionibus pleni apud Deū. Lex ergo præfigurabat, Prophetæ antiqui prædicebant Christū venturū: iā igitur figura & prædicta vaticinia tēpore Ioan. adimpleta sunt. Nam quē lex figurabat & Prophetæ prædicebant, Ioan. adesse mōstrauit. Cū ergo pharisæi aliud tēpus adsit nō est quare Christū derideatis docentē contēptū diuitiarū iniquarū ob opes veras, stabiles, firmas & quæ hominē verē diuitē efficiunt: verisq; benedictionibus replent obseruantes legē euangelicā. Nō, inquā, est quare derideatis Christū: nā finis legis Christ⁹. Tandiu enim colūna nubis pręcessit vos, quādiu perduxit ad verā requiem Christū: & ad terrā promissam. Et tādiu durauit nox, quandiu ortus est sol iustitiæ. Et tādiu institit pedagogus, quandiu præsto fuit parens. Et tanto tēpore oblatus est agnus de grege, quanto non venit agnus qui tollit peccata mundi. Denique quicquid lex promisit in figuris, sacrificijs, ceremonijs, visionibus & prophetijs, Christus impleuit, vel implebit. Quēadmodū ergo trūcus aliquis initiū quodam est statuæ futuræ, & sanguinis coagulū principiū est animalis: sic lex est, comparatione euāgelij. Et sicut corpus organicum se habet ad animā rationis participē, quæ illud perficit, mouet, ac viuificat, perfectā quē esse cōfert: sic euāgeliū veluti anima fuit legis & prophetiæ, illam perficiens. Neq; mysterio vacauit quod Ioan. in carcere coniectus iā iā moriturus discipulos suos ad Christum mitteret: quo significare voluit, quod pręsente fine legis: lex, cuius imaginē ipse gerebat, esset cessatura.

Deut. 28.

Sub lege vinctes diuitijs premiabātur sub lege Christi viuentes ad monemur eas contēnere propter regnū cœlorum.

Lege quæ Theophilatus hic ait.

Finis legis quæ Christum ebūbrabat: fuit ipse Christus quem Ioā. digitō mōstrauit. Rom. 10.

Num. 9.

Malach. 4.

Similius

¶ *Propheta vsque ad Ioannem.* His verbis satis aperte explicat Christus Dominus quod olim prædixerat Daniel. cap. 9. cui

Dani 9.

cui adhunc modum loquitur Gabriel angelus. Septuaginta hedomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, vt consumetur præuaricatio & finem accipiat peccatum & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, siue Prophetes. Quod Danieli dicitur adueniente Christo adimplendam esse visionem & prophetiá: ait in hoc loco Christus. Prophetæ inquit, vsque ad Ioannem. Ac si diceret: non erit vltra opus prophetia de aduentu Christi: adest enim iam Christus. Cæterum lege diuum Chrysostomum si placet oratione. 2. aduersu. Iudæos. Hoc idé Dominus docuit apud nostrum Euangelistam. cap. 18. Ecce, inquit, ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. Et D. Ioannes. cap. 19. sciens Iesus quia omnia consumata sunt, vt consumaretur scriptura dixit: sitio: & paulo post cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit consumatum est.

Ioan. 19.

§ *Ex eo regnum Dei euangelizatur: & omnis in illud vim facit.* Hebraismus, idest, ab huius tempore regnum Dei, hoc est, euangelium nuntiatur omnibus. Et multi lætis animis arripiunt fœlix nuncium. Vel quiuis ad illud auidissime rapitur & omni connatu & vi tendit in illud. Subaudi: præter vos Israelitas. Ad hanc enim fœlicitatem nulli præcluditur aditus. Quod si pharisæi non dignati sunt intrare, occuparunt alij. intrarunt gentes, intrarunt quælibet orbis nationes. Excludi nulli possunt, postquam apertum semel est ostium, irrumpent vi, si non admittantur. Vidimus accurrentes publicanos, milites, peccatores, meretrices. Qui spretis omnibus quæ possidebant, contemptis omnibus huius mundi voluptatibus freti promissis euangelicis, toto pectore studebát veris animi bonis: quos nos imitari debemus: ardore fidei, promptitudine animi, irrúpentes. Amat enim huiusmodi violentiam regnú Dei. Grádis enim est violentia, inquit Hiero. in terra nos esse generatos, & cœlorum sedem quærere: possidere per virtuté, quod non tenuimus per naturam. Scio, inquit

A tépore Ioánis multi arripiút regnú Dei hoc est euá gelium.

D. Hiero in Matth. 11.

Paulus, quia nó habitat in carne mea bonum. Corpus, præterea, quod corrumpitur, aggrauat animam: & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitanté. Quare qui vim inferunt regno cœlorum magni habendi sunt: quum concupiscentiam suam redigant vi quadam sub potestate sua. Tunc enim Sara dominatur Agar ancillæ. Tunc Dominus conterit satanam sub pedibus nostris. Non ergo succumbamus peccatis, ne peccata nostra vires præbeant hostibus nostris: sed cófortemur in Dño: & tunc cadent à latere nostro mille, & decé millia à dextris nostris: tunc tanquam strenui milites vim inferemus regno cœlorum: tunc lætis animis arripiemus doctrinam euangelicam. At peccatores facile carnis concupiscentiæ succumbentes, non viri, sed fœminæ dicendi sunt, non milites veterani, sed tyrones, & effæminati. Quorum non vnus persequitur mille: sed mille fugantur a decem de hostibus. Cuius oppositum cótingere, dicit lex, viris strenuis & strenué pugnantibus. Qui fugatis hostibus, hoc est, múdo, diabolo, & carne maximo charitatis ardore euágelicá doctriná arripiút

Rom. 7. cap. 9 d

Gen. 16. Rom. 16.

Psa. 90.

Iosue. 23.

Feria quinta post secundã dominicã. 40.

HOMO quidam erat diues qui induebatur purpura et bysso: et epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mẽdicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus: cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, et nemo illi dabat, sed et canes veniebant: et lingebant vlcera eius. Factum est autem vt morere-

tur

turmendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues, et sepultus est in inferno. Eleuans autem oculos suos cum esset in tormentis vidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu eius: et ipse clamans dixit, Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquã, vt refrigeret linguam meã, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham, Fili, recordare quia recipisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris, et in his omnibus, inter nos & vos, chaos magnum firmatum est: vt hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint: neque inde huc transmeare. Et ait: rogo ergo te pater vt mittas eum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormẽtorum. Et ait illi Abraham, habent Moysen, et Prophetas, audiant illos. At ille dixit, nõ A *pater Abraham: sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi si Moysen, & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit credent.*

B

H*Omo quidam erat diues.* Communis omnium sententia est, quod hæc parabola diuitis & Lazari historia sit, & non similitudo à Christo conficta. Solus Theophylatus non historiam esse putat sed fictio, sic enim ait super hunc locum. Parabola est hæc diuitis & Lazari, & non (vt quidam opinati sint) historia. At nos catholicam sequentes veritatem C dicamus cum Chrysostomo in homilia in Lucam de patre & duobus filijs. In parabola non sunt dicenda nomina. Parabolæ enim illæ sunt vbi exemplum ponitur, & tacentur nomina. Et Origen. capi. 1. in libro Iob. Perionio interprete, necessario, inquit, nominis Iob mentionem fecit Moyses, qui libri author est, nec si hominem solum diceret, argumentum aliquod fingere existimaretur. In historia ergo nomina ponuntur non in parabola. ¶ Secundo considera: quod sæpe Deus solet dare impijs in hac vita diui- D tias, honores, & cœtera huiusmodi. Aeterna verò nunquam largitur nisi pijs & iustis hominibus. Abraham filiis concubinarum largitus est munera, sed solus Isaac successit in domo paterna, & possedit hæreditatem. Si dederit princeps (ait Dominus apud Ezechielem) domum alicui de filijs suis, hæreditas eius filiorum suorum erit. Si autem dederit legatũ de hæreditate sua vni seruorũ suorũ erit illius vsque ad annum remissionis. Hoc est vsque ad annum iubilei, qui erat anno 50. In quo omnia ad priorem dominum re-

Hæc parabola diuitis & Lazari historia est.

Chryso.

Orige.

Impiis solet oñs largiri bona huius mũdi iustis vero æterna

Ezech. c. 46.

reuertebantur, vt constat ex leuitico. po A teſt tamen hoc referri ad annum ſeptimū qui appellabatur annus remiſſionis, vt conſtat ex libro Deuteronomij. Itaque filij habebunt firmam proprietatem, ſerui autem vſum duntaxat, vel fructum pro tempore. Nam vt ait apud Ioānem Christus Deus noſter: ſeruus non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum. Filij Dei ſunt illi, De quibus ait diuus Ioannes: Quotquot autem eum receperunt, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Impij verò ſerui vocantur nequam & ſerui peccati: iuxta illud euangelicum: ſerue nequam omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me, &c. Et illud: qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Id intelligens diuus Paulus aiebat in epiſtola ad Galatas: quoniam autē eſtis filij Dei, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra clamantem abba pater. Itaquè iam non eſt ſeruus, ſed filius, quod ſi filius & hæres per Deum. Eſt autem hæc hæreditas gloria æterna, quam iuſti obtinent, qui filij Dei ſunt: impijs autem dantur ad tempus bona temporalia, quę illis in morte auferūtur, quoniam ſunt ſerui. Quare mūdi diuitiæ non ſunt verè in bonis connumerandæ, quoniam nullam habent firmitudinem, nullam perpetuitatem: & ab impijs hominibus ſæpe numero poſſidentur. Perpulchrè autem hoc inſinuatur in hac hiſtoria diuitis & Lazari.

Ioan. 8. d

Ioan. 1.

Matth. 18.

Ioan. 8.

Ad Gala. 4.

¶ Illud eſt etiam in hac hiſtoria aduertendum iniquos plerumque proſperitate fieri deteriores, & in vitioſitate confirmari, diuitias enim & potentiam comitatur ſuperbia, ſuperbia exit in tyrannidem, dum fœnum migrat in cornua. Ideo ait apud Ezechielem Deus: Confortaſtis manus impij, vt non reuerteretur à via ſua mala, & viueret. Nam confirmati in ſceleribus ſuis præcipitantur, & in ſempiternum exitium rapiuntur. Sed tu ſi ſapis audi conſilium regij vatis dicentis: Noli æmulari in malignantibus, ne zelaueris facientes iniquitatē. Vel, vt poteſt verti ex Hebræo: ne ſuccenſeas ob improbos, nec inuideas impiorū proſperitatē. Sequitur enim: quoniam tanquam fœnum velociter areſcent. Ac ſi dicat: ne grauiter moueatis ob ſecundas impiorum res, eorumque ſucceſſus ad voluntatem fluentes, quoniam nullam habent firmitudinem, nullam perpetuitatem: quin potius fluxæ ſunt eorum proſperitates, & inſtar floſculorum euaneſcent. Et alio in Pſalmo: quia zelaui ſuper iniquos pacem peccatorum videns. Vel, vt poteſt etiam ex Hebraico traſferri: quia vrebat me ira & æmulatio propter ſtultos, cum impiorum proſperitatem viderem. Ac ſi dicat: Fuit animus meus vehementer commotus, cum aſpicerem inſanos opibus & dignitatibus florere, & adeò conturbatus, vt parum abfuerit, quin de recta ſententia abducerer, & impiorum infœlicitati inuiderem. Vbi aduerte pro iniquis eſſe in Hebraico ſtultos: omnis enim improbus eſt ignorans. Vnde Apoſtolus optata mala & impia in epiſtola ad Epheſios deſideria erroris appellat. Sed quid mirum cum infideles hoc etiam intellexerint: Ariſtoteles enim peruertii iudicium iniquitate ait, omnemque iniquum ſtultum eſſe: & Cicero in oratione in Piſonē ita inquit. Sua quemque fraus, ſuum facinus, ſuum ſcelus, ſua audacia de ſanitate & mente deturbat. Zelaui ergo (ait Dauid) propter ſtultos pacem peccatorum videns: atquè enarrata eorum ſuperbia & ferocitate ex proſpera fortuna exorta, tandem eorum finem intuens ait: Veruntamen deiecisti eos dum alleuarentur: quomodo facti ſunt in deſolationem? ſubito defecerunt, perierunt propter iniquitatem ſuam. Velut ſomnium ſurgentium Domine, in ciuitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges. In quantam amentiam, & ſtultitiam, atque crudelitatem deuenerit diues iſte ſatis ex hac hiſtoria conſtat: quid tandem actum fuerit de illo ſatis apertè oſtenditur: cum ſepultus fuerit in infernum & tranſierint ſuperbia ſua & iactantia diuitiarum ſubito atque in temporis momento. Non ergo ſuccēſeas ob impios nec inuideas eorum proſperitati quando tam cito euaneſcūt, nihil ſecum afferentes.

Iniqui ſæpe proſperitate fiūt deteriores

Ezech. 13.

Pſa. 36.

Pſa. 72.

B

Ephe. 4.

C

Ariſto.

Cicero

Pſa. 72.

D

¶ Quarto obſerua voluiſſe Saluatorem in diui

indiuite epulone, & in paupere Lazaro depingere nobis vitas duas, alteram contemnendam, alteram vero minime fugiendam, sed potius eligendam, atque amplexandam: aut patienter ferendam. Contemnendam & aspernandam docet vitam huius Epulonis, eligendam, aut æquo animo tolerādam, vitam pauperem Lazari. Quam salutare consilium sit mundi gloriam, opes, diuitias, splēdorem, & luxum contemnere: nulla dicēdi vi explicari potest. Dic mihi (inquit Bernardus) vbi sunt amatores mundi: qui ante pauca tempora nobiscum fuerunt? Nihil ex eis remansit, nisi cineres & uermes. Attende diligēter quid sunt & fuerunt: homines fuerūt, sicut tu. Comederunt, & biberunt, riserunt. Duxerunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descenderunt. Hic caro eorum vermibus, illic anima illorum ignibus deputatur. Donec rursus infœlici collegio colligati sempiternis ignibus inuoluantur. Qui socij fuerunt in vitijs: socij erunt in pœnis. Vna namque pœna illos implicat, quos vnus amor in crimine ligat. Quæcunque ergo hic expetuntur, vt Lactantius admonet, non tantum negligat, sed effugiat quisque, potioremq; animam suam iudicet: quā bona ista fallacia, quorum incerta & caduca possessio est. Migrant enim quotidie, & multo velocius exeunt, quam intrauerant. Et tamen si nobis vsque ad vltimū liceat frui, alijs certé relinquenda sunt. Nihil nobiscum ferre possumus, nisi vitam bené, atq; innocenter actam. Quisquis igitur corruptelas terræ virtute calcauerit hunc arbitor ille summus & verax ad vitā, lucéq; perpetuam suscitabit. Nemo diuitijs, nemo fascibus, nemo regia potestate confisus sit. Immortalem ista non faciunt. Proinde vniuersos oportet, qui sapiētes, qui homines merito dici volunt, fragilia contemnere, terrena calcare, humilia despicere, vt possint cum Deo beatissima necessitate copulari. Sed dices fortasse hæc mundi bona maximam mihi lætitiam & voluptatem afferunt, quare merito expetēda sunt. Sed falleris, sed tota erras via. Nā reuera ista quæ sic petis (ait Seneca) tanquā datura lætitiā ac voluptatē causæ

Salutare consilium est mundi prosperitatem contemnere.

D. Bernard. lib. medit.

Lact. Fir. diui. inst. lib. 3.

Ibidem.

Lact. Fir. de ira Dei lib. 9.

Seneca ad Lucilium epist. 60.

A dolorum sunt. Omnes, inquā, illi tendūt ad gaudium, sed vnde stabile, magnūq; consequantur, ignorant. Ille ex conuiuijs & luxuria: ille ex ambitione & circumfusa clientum turba: ille ex amica: alius ex studiorū liberalium vana ostentatione: & nihil sanātibus literis. Omnes istos oblectamenta fallacia & breuia decipiunt. Sicut ebrietas quę vnius horę hilarem insaniam longi temporis tedio pensat. Rursum objicies: diuitijs possessis diuites & fœlices efficimur. Age iam ata sit: si ergo diuitias B appetis ac diues fieri desideras cōtemne diuitias. Breuissima enim (ait idē Seneca) ad diuitias per contemptum diuitiarum via est. Et rursum: Facile contemnit omnia, qui ad contemptum sui venit. Vis ergo habere omnia? Contemne omnia. Tādem replicabis: magni solent facere homines, dignitatem, maiorum magnitudinem, corporis vires, formam, imperiū: ornamenta pretiosa, splendidas epulas alia quē id genus quæ ad beate viuendū conducūt. Quod vel in hoc diuite videre est, qui induebatur bysso & purpura & epulabatur quotidie splendide. Sed & si mūdi C amatores hæc omnia suspiciant, nos quidē, vt Basilius ait, hanc humanā vitam nihil omnino esse arbitremur: nec bonum quicquam existimandum neq; appellandum quod vtilitatem nobis hucusq; suppeditet. Non itaq; dignitatem, nō amplitudinem maiorum, ne corporis vires, nō formam, non ipsum imperium, non magnitudinē, non a cunctis hominibus habitos honores: non quicquid dici potest in hac vita excellens. Sed lōgius nostræ procedūt spes. & ad alterius vitæ præparationē cūcta molimur. Hæc Basilius in lib. de D modo legēdi gentiliū libros. ¶ Quāto vero amore ac desiderio à viro fideli sit prosequēda paupertas, mēdicitas atq; tribulatio huius mūdi potētibus illata: aut saltē quā patienter sit ob Dei amorē tolerāda, docet suo exēplo mendicus iste nomine Lazarus. Docet D. August. in Psal. 60. In fornace, inquit, ardet palea, & purgatur aurum. Illa in cinerem vertitur. Fornax mundus, aurum iusti, ignis tribulatio, artifex Deus. Quod vult ergo artifex facio. Vbi ponit me artifex tolero.

Ad Luciliū epist. 63.

Idem epist. 85.

Basilius.

Basilius.

D. August. Psal. 60.

subeor, ego tolerare: nouit ille purgare. Ardeat licet palea ad incendendum me: & quasi consumendum me: illa quasi in cinere vertitur, ego sordibus careo. Hæc ille. D. etiam Hiero. in episto. ad Cypria. ait: quanto in hoc seculo persecutionibus, paupertate, inimicorum potentiæ, vel morborum crudelitate fuerimus afflicti: tanto post resurrectionem in futuro maiora præmia consequemur. Afflicti enim ait Gregor. 2. Mora. terrena perdidimus: sed afflictionem humiliter sustinentes cœlestia multiplicamus. Mala (ait idē, Lazari purgauit ignis inopiæ, & bona diuitis remunerauit fœlicitas transeuntis vitæ. Illum paupertas afflixit & torsit. Quo fit vt iustus in pœnis gaudere debeat, vt Isidorus docet, & impius in prosperitatibus timere. Neque enim à iusto neque à reprobo Deus misericordiā suā abstrahit. Nam & bonos hic per afflictionem iudicat: & illic per misericordiam & miserationem remunerat. Malos autē hic remunerat per temporalem clementiam: & illic punit per æternam iustitiā. Hoc animaduerte in diuite & paupere. Vulnerauit hic Deus Lazarum paupertate, morbo & irrisione diuitis: quod eum ad salutem perpetuam præparabat: impium verò diuitem maximis in hac vita diuitijs ornauit: quod illic perpetuò ob sua scelera puniturus erat. Timeamus igitur cum diuites facti fuerimus, & cū multiplicata fuerit gloria domuum nostrarum, ne cum è vita migrauerimus cū hoc diuite sepeliamur in inferno: gaudeamus in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur: patiētia autem probationem, probatio autem spem, spes autem non confundit. Vitam ergo Epulonis contemnamus, Lazari verò vitam aut amemus aut patienter toleremus: si tandē fœlices & beati esse volumus. Nūc ergo singula verba perpendamus.

D. Hiero. episto. ad Cypria.

D. Gregor. 2. Mor.

Idē ho. 40.

Isido. lib. 3. de summo bo. c. 1

Rom 5.

¶ *Homo quidam*. Huius diuitis nomen prodidit Euthymius Lucę. c. 59. inquiēs. Diuitis quidem nomen non addidit Euāgelista vt pote odio digni. Scriptum est enim: non sumam nomina illorum per labia mea. Mendici verò nomen addidit tanquam amore digni. Aiunt autem quidam ex traditione Hebræorū, quod iuxta illa tempora diues ille fuerit Nineuus appellatus, & mendicus iste Lazarus. Cæterum nemo nostrum est qui ignoret, nō dignari dominum, suo nomine vocare impios. Vt in hoc loco vides. Et alibi: de reprobis dicit: non noui vos, discedite à me omnes qui operamini iniquitatem: & virginibus fatuis: amen dico vobis nescio vos. Contrà vero de iustis inquit: gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. Et Esaias: qui educit in numero militiam cœlorum, & omnes ex nomine vocat. Vbi poteris per militiam cœli non solum stellas cœli intelligere, quas creauit Deus certo numero, & omnes eas clarissimè & perfectissimè cognoscit: nec solum angelos, & omnes cœlicum exercitus, sed omnes viros iustos, qui in ecclesia sunt veluti lumina nostram noctem illustrantia: de quibus ait Apostolus: inter quos lucetis sicut luminaria in mūdo. Hæ sunt stellæ illæ, quas Deus numeratas habet. Inter quas Lazarum mendicum hic legimus numeratum ac suo nomine vocatū. Da ergo operam vt scribaris in libro iustorū: vt à Deo tuo nomine voceris: quēadmodum olim vocabatur Moyses, de quo Dominus ait: teipsum noui ex nomine. Satage per bona opera certam facere vocationem tuam: quando vides reprobos & iniustos non habere nomina scripta in libro vitæ, iustos verò & electos esse in eo scriptos & numeratos. De impijs audi quid regius vates canat: Increpasti gētes & perijt impius: nomen eorum delesti in æternum & in seculum seculi. De iustis autem alibi: & honorabile, inquit, nomen eorum coram illo. Quod si peccatores fuerimus precemur dominum vt nomen pristinum peccatorum deleat à nobis: vt comparata sua gratia & amicitia filij Dei post hac nominemur & simus. Vnde quod in prædicto versu Dauidis impius dicitur ad increpationem domini perijsse: de bona perditione possumus intelligere: secundum quod alio in loco dicitur: verte impios & non erunt: hoc est, ad iustitiam eos conuerte, & non vltra erunt impij, quod fuerant aut sunt. Tunc enim perit impius, quando (iuxta

Huius diuitis quod fuerit nomen proprium. Psa. 15.

Nō dignatur Dūs suo nomine impios vocare. Matth. 25.

Suprà. c. 9.

Esai. 40.

Phili. 2.

Exo. 33.

Psā. 9.

Psa. 71.

Pro. 12.

Esaias

Esai. 55. Esaiæ consilium) derelinquit viam pristinam, & iniquas cogitationes suas. Et secundum idem intelligitur, quod de nomine eorum dicitur delendo in seculum. Cui etiam consonat, quod in Psal. 15. subiungitur. Psa. 15. Nec memor ero nominum illorũ per labia mea. Nominum, scilicet, veterũ non erit Deus memor, quæ hic ad eundẽ sensum dicuntur deleta in seculum. Quo modo autẽ nomina deleta sint per Christi aduentum & quotidie deleantur, nec vltra memoretur ea per labia sua, ipse per Osæam declarat dicens: Osee. 2. Rom. 9. Vocabo non plebem meam, plebem meam: & nõ dilectã, dilectã & non misericordiã consecutã, misericordiã consecutam. Et erit, in loco vbi dictum est eis, non filij mei vos, ibi vocabuntur filij Dei viui. 1. Pet. 2. Hinc Petrus Apostolus, fideles in Christum credentes honorificentissimis titulis appellat, dicens: vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Esai. 62. Et per Prophetam prædictũ erat, quod nouo nomine suos esset nuncupaturus dominus Deus noster. Obnixẽ ergo si peccatores sumus, Deum deprecemur, vt ita nos increpet, vt destructis peccatis & pereuntibus iusti efficiamur. Et nomina quibus ante eorum destructionem nominabamur, non sint vltra in domini memoria: sed nomine nouo donet nos ac vocet. Vt iam non infideles sed fideles, non impij sed pij, non inimici, sed amici: non denique mancipia, sed filij nominemur & simus.

Quod sit hæreticũ dicere teneri diuites ad renũtiandũ omnibus diuitiis ostẽditur. Conci. Gangren. d. 30 hæc autem Supra. 14.

¶*Erat diues*. Olim fuit hęresis quorũdam dicentium: diuites fideles qui non omnibus renuntiant, quæ possident, spẽ apud Deum non habere. Ansam forsitan ex hac historia accipientes: quod tãdem mortuus fuerit diues hic, qui induebatur bysso & purpura, & sepultus in inferno. Quam hæresim damnat concilium Gangrense, ac docet: Diuitias cum iustitia & bonis operibus non esse damnãdas. Illud autem quod Dominus ait: Nisi quis renũtiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus: non iuuat his: nam his verbis solum prohibet Christus affectum rerum temporalium, nõ autem proprietatem. Ille enim visus est Christo

A omnibus renuntiasse, qui quanuis diuitias habeat, paratus est omnes perdere antequam Deum offendat. Quod si quis cõtendat illa esse intelligenda de renunciatione quantum ad opus, & non de renunciatione quantum ad affectum: dicat nobis tunc quo nam pacto intelligendum erit illud quod apud eundem Euangelistam idem Dominus ait: Infra. 18. tamen dico vobis nemo est, qui reliquerit domum, aut parẽtes aut fratres, aut vxorem aut filios propter regnum Dei, & nõ recipiat multo plura in hoc tempore, & in seculo futuro vitam æternam. B Ecce qualiter præcipit relinquere domũ, quoniã eodẽ modo iubet illam relinqui, quo modo iubet relinqui parentes, & fratres, & vxorem, & filios. At hæc omnia non ita vult à nobis relinqui, vt illis careamus: sed ne in illis cor nostrum taliter figamus, quod illarum rerum amor nos ab amore Dei separet. Nam qui parentes habet, non potest illos relinquere sic vt illis careat, nisi parentes moriantur, quoniam quocũque se vertat, dum viuunt, parentes erunt illius. C Parentes autem interficere, est impium. Non ergo sic præcipitur parentes relinquere, vt parentes sui esse desinant: & per consequens nec sic etiam prę cipitur domum aut aliam possessionem relinquere vt sua esse desinat, sed sic præcipitur, vt similia relinquat, ne videlicet illarum rerum affectus nos quoquo pacto ad Dei amorẽ aut omnino frigidos, aut tepidos efficiat. Sic ergo eas possidere oportet, vt fiat iuxta Prophetæ consilium dicentis. Psa. 61. Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. D Præterea cum iuuenis quidam à Christo quæsiuisset, Matth. 19. quid boni faceret, vt posset vitam æternã habere, ait illi Christus: si vis ad vitam ingredi serua mandata. Exprimens autem quæ essent hæc mandata, nullum de abdicanda rerum proprietate explicuit. Non est ergo necessariũ rerum abdicationem facere, quanuis sit opus maioris perfectionis: quod ipse ordo verborum Christi apertissimẽ ostendit: nam postquam dixit mãdatorum obseruantiam sufficientem esse ad vitam beatam parandam: postea exprimere volens maioris perfectionis statũ,

dixit, si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus, & sequere me. Hoc, inquam, perfectionis maioris est opus, non necessitatis. Rursum. Si nihil licet habere proprium quomodo beatus Paulus iubet reddi omnibus debita? Cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal. Si non licet habere proprium, nullum erit debitum principi tributum aut vectigal. Non ergo diues iste damnatus est quod diues esset: sed quod gulæ, luxuriæ cæterisque vitijs ex gula effluentibus deditus, quod auaritia plenus miserum pauperem fame perire sinebat. Si enim vt Zachæus in domum suã Christum, hoc est, mendicum Lazarum induceret, si redderet quadruplum, si dimidium bonorum suorum daret pauperibus: audire mereretur hodie huic domui salus a Deo facta est, eo quod ipse sit filius Abrahæ: qui hospitalitatem tantã sedulitate sectatus est, tantaque cura ac diligentia opera misericordiæ exercuit. Vnde D. Paulus diuites non damnat: sed ne auari superbiq; sint iubet. Diuitibus, inquit, huius seculi præcipe non sublime sapere: neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, (qui præstat nobis omnibus abunde ad fruendum) bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum vt apprehendant veram vitam.

Rom. 13. b

1. Timo. 6

¶ *Induebatur bysso & purpura.* Huic diuiti nil deesse videbatur ad absolutam huius mundi fœlicitatem: magni nominis apud homines, quanuis apud Deum, obscurus & ignotus. Is ergo vestiebatur purpura & holosericis, non minus molliter quam splendidè. Diues iste idcirco dãnatur, quod his pretiosis vestibus vteretur non tam ob vsum earum, quam ob libidinem animi. In omnibus enim talib9, vt Augustinus ait, non vsus rerum, sed libido in culpa est. Quare non ex earum rerum natura quibus vtimur, sed ex causa vtendi, & modo appetendi, vel probandum vel improbandum est quod faciamus. Cæterum si Episcopus es, meritis fidei & vitæ potius quam pretiosis ornamentis autoritatem quære. Audi quid ait concilium Carthaginense: Episcopus vilem supellectilem, ac mensam & victũ pauperem habeat. & dignitatis suæ autoritatem fidei & vitæ meritis quærat. Si clericus es aut religiosus professionem tuam & habitu & incessu proba: vt ibidẽ dicitur, & ideo nec vestibus nec calciamentis decorem quæras. Si autem prophanus es, audi quid tibi concilium Gangrense admoneat. Parsimoniam, inquit, cum veste humili non reprobamus: sicut etiam ornatum præter corporis diligentiam infucatum laudamus: dissolutos autem, & fractos vestibus & incessu non recipimus. Si verò mulier es prophana, & non Deo dicata: ne molliter & splendide vestiaris obsecro. Nam his mollibus & superbis ornamentis non vni vel alteri sed plurimis noces. Noces viro, occasionem ei præbens aut bona quæ habet dissipandi, aut si non habet aliena furandi, aut vi aut dolo acquirendi, aut nunquam si iniustè comparata fuerint, restituendi: noces tibi maximè. tum, quod is nimius ornatus, superbiendi materiam tibi præbet: tum etiam, quod si preces in ecclesia ad Deum fuderis minime exaudieris: superbus enim habitus, ait glo. non impetrat. Tum, quod tempus quo Deo vacare ac bonis actionibus incumbere debebas, amittis: dum enim comeris dum ornaris annus est. Nihil, inquit Bernar. pretiosi9 tempore, sed heu nihil hodie vilius reputatur. Tum denique quod is superbus ac splendidus nimiusque habitus male audit apud omnes. Vnde glossa superbi9 habitus non recta facit de se credi. Noces præterea vxoribus aliorum, quæ tuo cõmotæ exemplo, eadem purpura & holosericis vestiri affectent: tibi inuidentes. Ex quo sæpe domi turba maxima oritur, ac cum viris suis rixæ & dissidia. Sed vt missa omnia hæc nocumenta faciamus: memineris te esse in templum Dei vocatam, ne obsecro tuo luxu & immoderato superboque vestitu Dei templum incendas, comburas, omnino deijcias. Memineris quod D. Paulus hortatur in priori ad Corint. episto, cap. 11. quod mulier habeat velamen super caput suum in eccle sia propter angelos. Offendunt enim hu-

Augu. lib. 3. c. 12 de doctrina Christia. Non vsus rerum sed libido in culpa est.

Con. Carth. 4. c. 15

Con. Gangren. c. 21. V1 c. 41 in decretis

Admonentur mulieres secula res ne splẽdidis vestibus induãtur Quãdo ex hoc multa mala oriãtur.

Gl. 1 tim. 2. non in tortis crinibus.

Glo. ibidẽ.

1. Cor. 11

ius mundi mulieres tortis crinibus ornatæ, angelis, hominum, quos is ornatus ad se trahit, custodibus. Imò non solum angelis sed & Christo domino, totique concioni, in ecclesia congregatæ immoderatus ac luxuriosus iste ornatus tuus iniuriam non minimam facit. Astat ibi Christus tibi præsens quod non ignoras: astát angeli. Nam quis fidelium, ait Gregori9, dubium habere possit, in ipsa immolationis hora, ad vocem sacerdotis cælos aperiri, atque in illo Christi mysterio choros angelorum adesse, summis ima sotiari, terrena cœlestibus iungi? Hæc ille. Nec dubitari debet, vbi dominici corporis & sanguinis mysteria geruntur, supernorũ ciuium atque cœlestium spirituum conuentus adesse: qui monumẽtum, quo venerabile corpus positum ac reconditum fuerat, & vnde resurgendo abscesserat, tá sedulis excubijs seruabant. Pudeat ergo te tam superbé ac splendidé vestitam ad inanem gloriam comparandam, adesse atque astare coram Christo, coram angelis cœlestibus, coram supernis ciuib9, coram deniq; cœtu fidelium in te vna oculos figentium. Ne filia huius miseri diuitis videaris, qui induebatur bysso & purpura. Sed potius eis vestimẽtis vtere, quę decent sanctam, fidelem, atque honestam fœminam: quæ decent Dei filiam, ac regni cœlorum hæredem.

D Grego.

¶ *Et epulabatur quotidie splendidé.* Ne quid huic misero deesset in hac mortali vita ad oblectamentum corporis, comessabatur quotidie magnificé. Simul & ambitioni seruiens, & luxui, & voluptati. ¶ Hic etiam ante omnia repetẽdum est quod modo dicebamus. In omnibus talibus, inquit Augustinus, non vsus rerũ sed libido in culpa est. Quod igitur locis, & temporibus & personis conueniat, diligenter attendendum est. Ne temere flagitia reprehendamus. Fieri enim potest vt sine aliquo vitio cupidinis vel voracitatis pretiosissimo cibo sapiẽs vtatur: insipiens autem fœdissima gulæ flamma in vilissimũ olus ardescat: & sanius quisquẽ maluerit more domini pisce vesci, quam lenticula more Esau nepotis Abrahę, aut ordeo more iumentorum. Et rursum idem ait: Deliciæ quælibet si absq; desiderio percipiantur, non officiunt: & viles cibi appetenter accepti impediunt profectum abstinẽtiæ. Dauid enim aquá male concupitam, effudit: & Elias bené carnes comedit. Idem alibi ait: non cogá tur diuites pauperum cibis vesci. Vtátur consuetudine infirmitatis suæ, sed doleant aliter se non posse sustentari. Si consuetudinem mutant ægrotant. Vtantur superfluis, dent inopibus necessaria. Vtátur pretiosis dent pauperibus vilia. Lege hæc & alia ad rem eandem facientia in decretis. d. 41. Si ergo impresentiarum diues ille damnatur eò est quod vtebatur splendidis cibis ad voluptatem, ad luxum, ad ambitionem, atque ad ebrietatẽ sectandam: nec interdũ miserebatur mendici fame pereuntis. ¶ Quam verò detestabile sit hoc gulæ & comessationis atque ebrietatis vitium, vel locus iste satis ostendit. Vnde D. Basilius ait de isto Epulone loquens: terreat te diuitis exemplũ, quem vita in delicijs acta tradidit incendio. Non enim ob crimen iniustitiæ sed ob vitę molliciem exustus est in camino ardente. Proinde vt hoc incendiũ extinguamus aqua opus est. Caue igitur ne te aduersarius, ait idem Basilius, simili atq; primum parentem peccato circũueniat, circunuentumque quam primum de paradiso deliciarum expellat. Nam qui illũ callida escę obiectione ita malitiosé vita spoliauit, & item Iesum eodem se modo supplantaturũ sperauerat, nihil est quod is vereatur, quin & tanto ausit confidentius tibi quoque primam malorum origi nem propinare. Etenim pręsentissimum hoc esse ille venenum intelligit. Siquidẽ gulæ vitium non in escarum copia naturæ suæ vim positam exercere nouit, sed in voluptate atque gustatu, licet modicis ad modum vtare. Quod si ita est, vt vel breuissima modó gustatu percepta delectatio obnoxium te istiusmodi morbo valeat efficere, haud dubie id te nullo negocio ad interitũ dabit. Vt enim fons aquæ si in plures sit riuulos dissectus, vicina riuulis illis loca omnia herbarum viriditate conuestit, & quasi pubescere facit: sic vitium gulæ si per cordis tui venas se effude-

In epistol. Ioan.

2. Reg 23.
3. Reg. 17.

lib. de verbis Dñi. se. 5. secundũ Matth.

d. 41.

Vitiũ gulæ quá sit detestabile ostenditur.

D. Basi. homi. de laudibus ieiunij.

Similitu.

consolatur, tu verò cruciaris. Rerum sane vices commutatæ sunt. ¶ Cæterum si omnibus fidelibus interdicitur & merito quidem comessationis & ebrietatis vitium dicente Paulo: non in comessationibus & ebrietatibus: quanto magis sacerdotibus atque viris Ecclesiasticis id prohibebitur? De qua re lege in sacris canonibus. d. 44. vbi admonentur Episcopi & Ecclesiastici ne sint vinolenti, nec gulæ dediti. nec tabernas intrent nedum eas habeant: nec conuiuijs occupentur: nisi in ijs quæ intentione impendendæ charitatis fiunt. Tunc autem ex charitate veraciter prodeũt, cum in eis nulla absentium vita mordetur, nullus ex irrisione reprehenditur: nec in eis inanes secularium negociorum fabulæ, sed verba sacræ lectionis audiuntur: cum non plus quam necesse sit seruitur corpori, sed sola eius infirmitas reficitur, vt ad vsus exercendæ virtutis habeatur. Hæc itaque si Episcopi in suis conuiuijs agunt, abstinẽtiæ magistri erunt. Ait Gregor. episto. 37. lib. 2. ad Natalem Episcopum. ¶ Quod si ab hoc detestabili nefandoque gulæ vitio tentaris atque ab eo liberari vis consideratione non pauca opus tibi est. Considera igitur omne malum in mundum intrasse ob gulæ vitium. Vt superius retulimus. Animaduerte Christi ducis & antesignani fidelium incredibilem in deserto abstinentiam, eius per vitam totam admirabilem frugalitatem, qua semper est vsus: non solum in nostram redemptionem, sed vt nobis esset exemplo. Si ergo qui panis est angelorum, & qui dat escã omni carni, impletque omne animal aperiens manum suam benedictione famescit, esurit atque sitim patitur, felle aceto quẽ potatur: quo titulo, quave ratione te Christi discipulum esse iactaris, comessans quotidie magnificẽ, ventrẽ pro Deo colens? Animaduerte præterea sanctorũ antiquorumque patrum admirabilem in desertis actam abstinentiam: qui nõ vno aut altero mense, sed multis annis, oleribus duntaxat sustentabantur. Si ergo hi Christi milites sic illum secuti ac imitati sunt: si per hanc viam ad cœlum iter suũ fecerũt: quid tu inepte & insipiẽs homo

Gula peculiariter a sacerdotibus vitanda.

Rom. 13. a

d. 44.

D. Grego.

Abstinentia cõmendatur multis exẽplis & rationibus.

A existimas cœlum cœlestemque patriam adire satur, ebrius, cibo potuque plenus? Non hac via cœlum itur. Abstinentiæ via quærenda & perambulanda est. Memineris saltem Lazari huius, fame & siti pereũtis: cui nec micæ quidem dabantur rogãti, precanti, atque cum lachrymis eas postulanti. Et tamen tandem mortuus, qui mendicus & pauper erat, neglectusque ab hominibus, dum viueret, ab angelis Dei deportatur in sinum Abrahæ. Diues autem qui gulæ seruiebat, magnificaque B atque splendida conuiuia quotidie faciebat, mortuus tandem sepultus est in inferno. Mutãt enim vices frugalitas & ingluuies si satur in hac vita fuisti, in futura miser, pauper, mendicus, & famelicus eris: contrà verò si abstinentiæ temperãtiæq; deditus in hac mortali quam agis vita, in illa quæ perpetua & æterna est, saturaberis delitijs nectareque cœlesti.

¶ *Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat.* Habebat mendicus iste nomẽ ex C re, dictus Lazarus, quod omnibus mundi præsidijs destitutus Dei solius auxilio niteretur. Huic nec domus erat, nec vestis, nec cibus, nec corporis quidem prospera valetudo. Erat enim vlceribus plenus: qualis legitur fuisse Iob. Iacebat autem ad ianuam diuitis, expectans vt aliquid mitteretur de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, quo placaret latrantem fame stomachum. Sed tanta erat in tanto luxu ac profusione erga pereuntem proximum parsimonia, tanta inhumanitas: vt nec micæ quidem darentur roganti. D Animaduerte hic obsecro: quam parca quam crudelis & inhumana sit diuitum auaritia. Hec pauperes & mendicos contemnit: hec vlceribus plenos irridet: eosquẽ non admittit ne funesto spectaculo contristet oculos suorum. Vnde Ecclesiasticus ait: sicut abominatio est superbo humilitas, sic execratio est diuiti pauper. Hec nullatenus proximi pereuntis fame miseretur. Vnde sanctus Iob ait: Cor eius indurabitur quasi lapis. Cor enim diaboli, auarus est. Nonne auaritiæ ex-

Quã parca & inhumana sit diuitum auaritia ostenditur.

Eccle 13.

Iob. 41.

pressam

pressam imaginẽ vides in Epulone isto? Cuius tanta erat sua atque suorum crudelitas & inhumanitas vt nec micæ quidẽ de mensa eius tam opulenta cadentes illi darentur. Vbi aduerte non solum diuitis scælus, sed etiam suorum, qui cum possent pereuntem fame vel micis cadentibus de mensa pascere, nolebant. Hi sunt de quibus olim Propheta Amos dicebat: Bibentes vinum in Phialis, & optimo vnguento delibuti, nihil compatiebantur super cõtritione Ioseph. Væ illis: nam audient in die iudicij duram illam aduersus se prolatam sententiam: ite maledicti in ignem æternum: esuriui enim & nõ dedisti mihi mãducare, &c. Ex quo liquido constat inhumanitatem erga pauperes cœlestem ianuam obcludere: contrà verò, misericordiam in illos, eã aperire. Misericordi enim semper illæ patent fores: auaro autem atque inhumano semper sunt clausæ. Hinc est quod D. Iacobus ait: Iudicium enim sine misericordia illi, qui non fecerit misericordiam. Væ illis, qui potuerunt & non vsi sunt misericordia antequam iudicarentur: nam iudicabuntur absque misericordia. Certa ergo res est quod qui non vsus fuit misericordia cum debuit & potuit, quod non consequetur tunc misericordiam. Et qui non aperuit pauperi ianuam, quod tunc cœlestes fores non illi patebunt: & qui non frangere voluit in hac vita panẽ suũ esurienti, quod non illi tunc famescenti frãgetur. Quod vel in vno hoc Epulone videre licebit: cuius tanta fuit inhumanitas, vt nec micas saltem quæ de mensa cadebant, languenti ac famescenti Lazaro dare voluerit: & tandem mortuus est miser & sepultus est in inferno. Non quod aliena rapuerit, vt Augustinus docet, sed quod de suis bonis pauperi subuenire noluerit: & mutatis vicibus pauper Lazarus prædiues effectus est: diues autem infœlix, mendicus & vlcerosus: pauper Lazarus saturatur diuite perpetuò famem insatiabilem ac sitim inextinguibilẽ patiente.

Amos 6.

Matth. 25

Iacob. 2.

August.

¶ *Factum est autem vt moreretur mendicus & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ.* Quis non paulo ante iudicasset diuitem illum absolutum exemplar fœlicitatis, & hunc Lazarum exemplar infœlicitatis extremæ? Sed iam vides quod nequaquã ex his quæ contingunt in hac vita, æstimanda est hominis fœlicitas. Subito verò vices inuersæ sunt. Mors enim omnibus imminens vt diuitibus peccatoribus finis est omnium voluptatum, ita afflictis gratiæ affectis terminus est omnium dolorum. Euenit, vt vides, vt moreretur mendicus & qui neglectus erat ab hominibus quum viueret, mortuus ab angelis Dei deportatus atque delatus est in sinum Abrahæ. Hoc honore dignatus est eum Deus, quem diues non dignabatur tecto suo. Noli igitur post hac quemquam propter humilitatem & paupertatem despicere: sæpe enim sub humili & abiecto habitu & squalida forma, magni amici Dei latent. Id quod & in hoc mendico vides & in vno Iacob videre etiam poteris. Qui pauper & humilis & pedester egressus è domo patris & in Mesopotamiam veniens prædiues tandem effectus est. Vbi vide mirabile consilium Dei magna promiserat viro illi (vt in cap. 28. libri Geneseos legi potest) & tamẽ adhuc pauper & pedester incedit. Vnde vbi nostra versio habet profectus ergo Iacob venit in terram orientalem, Hebræa sic habet editio: substulit Iacob pedes suos & perrexit ad terram orientalem. Quis eum credidisset tam charum & acceptũ Deo, & tamen reuera, quantuncumque pauper esset, plus tamen eũ curauit Deus, quam omnes alios in ea regione. Non ergo sunt pauperes & mendici contemnẽdi sed potius magni habendi, & honorandi. ¶ Cæterum perpende: mendicum esse delatum in sinum & gremiũ Abrahæ, qui tam diues fuit vt de illo dicat scriptura: erat enim Abraham diues valde, &c. Vt hinc intelligas eos diuites seruari, qui in sinu suo habent Lazarum mendicum: qui, inquam sunt pauperes spiritu: qui & si exterius sint diuites interius habent Christum pauperem. ¶ *Vt portaretur ab angelis.* En vides diuinam peculiarẽque Dei prouidentiam erga suos. Angelis suis enim mandauit de illis vt custodiant illos in omnibus vijs suis, dum in hac

Gen. 28.

Gen. 29.

Dei prouidentia erga suos quanta se ostenditur.

hac mortali vita detinentur: & vita peracta in cœlestes illas sedes deportentur. De qua re lege quæ annotauimus superius.c.11.in illa verba: vestri capilli capitis omnes numerati sunt nolite timere.

Finis auari & pauperis Christi diuersus. Ser.25. de verb. Dñi.

¶ *Mortuus est diues & sepultus est in inferno.* Considera obsecro finem diuitis & pauperis. Cõsidera, inquam, rerum vicissitudines, perspexisti, inquit Augusti. opulentiam diuitis, & indigentiam mendicantis: vnum cibis æstuãtem, & alium fame deficientem. Ambo quidem homines, ambo carnales, ambo mortales, sed non ambo æquales. Natura vna, sed vita non vna. Nullus eorum à cõditione mortis immunis, tamen vnus epulatur splendidè, & alter in pœnis & in ærumna sordescit. Ille delicatis escis ad inuẽtionem coquorum gaudebat, iste si caderent micæ de mensa eius expectabat. Audiant nunc diuites, qui nolunt esse misericordes, audiant, quia vna omnes nascimur lege, vna viuimus luce, vnum spiramus aerem, vna quoque extinguimur morte, quæ si non intercederet nec pauper ipse duraret. Hic vlcerosus, & nudus iacens Lazarus, ad Abrahæ sinum angelorũ portatur manibus. Ecce diues refectus & splẽdidus tartareo carcere clauditur. Vbi est vestis byssina? Vbi vita abũdans & affluens copijs multis? Nonne morte omnia transeunt tanquam vmbra? Nihil intulimus in hunc mundum dicit Apostolus, sed nec quicquam afferre possumus. Nihil nobiscum tollimus, aut rapimus. Quid si aliquid tolleremus, nonne viuos homines voraremus? Quæ est ista auiditas concupiscentiæ, cum ipsæ beluæ habeant modum? Tunc enim rapiunt, quãdo esuriunt, parcent verò prædæ cum senserint satietatem. Inexplebilis sola auaritia diuitum. Semper rapit, & nunquam satiatur. Nec Deum timet, nec hominem reueretur: nõ patri parcit non matrẽ agnoscit, nec fratri obtemperat, nec amico fidem seruat: viduam opprimit, pupillũ inuadit, liberos in seruitutem reuocat, testamentum falsum profert. Res mortuã occupantur, quasi non & ipsi qui hoc faciant moriãtur. Quæ est ista rogo animarum insania, amittere vitã, appetere mortem, acquirere aurum & perdere cœlũ. Hæc Augustinus. En vides diuitem istum mortuum & sepultum in inferno.

1. Tim. 6.

A

Simile.

¶ Nõne etiam vides quo pacto diues auarus in inferis sepelitur? Vt enim vermiculus sericus gignit ex se fila quædam, ex quibus conficit folliculũ in quo reconditus moritur: ita diues cupiditate & auaritia ductus ex suis opibus sepulchrum in inferno construit, & parat. Et impletur quod in hoc loco dicitur, mortuus est diues & sepultus est in inferno.

B

In morte ostẽditur qualis vnusquisque fuerit in vita.

¶ *Mortuus est diues & sepultus est in inferno.* Hinc colliges quemadmodum in morte vniuscuiusque ostendatur qualis fuerit in vita. Mortuus est diues & deductus in infernum. Ergo, vita eius fuit cõtaminata peccatis. At pauper ductus est in sinũ Abrahæ: Igitur vita eius sancta, pia & ab omni labe fuit immunis.

Simile.

Falco & Nisus, & aliæ aues ex accipitrum genere, dum viuunt magni æstimantur: nutriuntur magnis delicijs, & in manibus geruntur magnatum, sed cum moriuntur proijciuntur in sterquilinium. Contra verò perdices dũ

C

viuunt affliguntur ab omnibus, quilibet agricola in eas irruit, & impetum facit: sed mortuæ afferuntur ad principis mensam, eique honorificè offerũtur. Ita multi, qui in hac vita illustres & præclari censentur, rebusque vtuntur secũdis, illis ad voluntatem flantibus, migrantes è vita mittuntur in inferni sterquiliniũ, in æternum cruciãdi: vt in hoc diuite vides: alij autem qui in vita varijs torquentur calamitatibus, & ob præclaras virtutis actiones in hominum sceleratorũ odia incurrunt, & à mundo contemnuntur, cum

D

excedunt è vita, ad mensam afferuntur principis cœlorum, vbi requiescunt, in gloria illa æterna summo honore, summisque gaudijs abundantes. Horum vitã censet mundus esse ornamentis omnibus spoliandam, cum eam deberet perpetuis monimentis ornare. Contrà verò eos celebrat sæpe numero, plenisque laudibus extollit atque nominis amplitudine, claritateque illustrat, qui se in impia ingurgitant scelera, qui sunt non solum ab honestate, sed etiam ab honestatis vestigio relicti. Hi sunt varijs plumis honorem mundi

mundi inaniter ornati, quas breui amittunt: & ea, quæ sunt diu, ac multo labore quæsita, vna eripit hora, & ipsi ad æternas pœnas relegantur. Ideo ait Ecclesiasticus: substantiæ iniustorum sicut fluuius siccabuntur: & sicut tonitruum magnum in pluuiis personabunt. Et Psalmographus: homo vanitati similis factus est, & dies eius sicut vmbra prætereunt. Moritur homo & cum eo omnis falsa gloria & prosperitas. Sed nec dum viueret vitam in tranquillitate traducebat: sed acerbis sæpe molestijs implicatus, in timore & dolore versabatur. Quemadmodum fumus excelsa petit, sic calamitas eos potissimũ inuadit, qui sunt in altiori gradu constituti, quo fit, vt eos inde sæpenumero in puncto temporis ignominiose præcipitẽt. O inanem mundi famam comparatã hominum temeritate vitiorum plerũq; laudatrice. O impiorum gloriam fluxam & tetris dedecoris maculis deformatam. Vbi est hic diues qui induebatur bysso & purpura, & epulabatur quotidie tã splendide. Vbi est eius gloria, potentia, & diuitiarum abundantia: euanuerunt omnia illa. Et vt est in lib. Sapientiæ literis mandatum: transierunt sicut vmbra, & tanquam nuntius præcurrens. Apud Ezechielem prædicit Dominus calamitatem principis Tyri. Qui cũ domicilio superbiæ & in sede insolentiæ collocatus omnia eximia sibi attribueret & arrogaret, incidit in summam abiectionem & calamitatem, & ciuitatem suam funditus euertit. Vnde ait inter alia Propheta. Interficient & detrahent te & morieris in interitu occisorum in corde maris. Hoc est morieris vulneribus confosus in vrbe tua quæ est in medio maris sita, quam tu inexpugnabilem putabas, & in qua fiduciam tuam figebas. Vel sic: vbi fueris hostium gladijs traiectus, proijcieris in cor maris vbi sepelieris. Mare erit frigidum & inquietum sepulchrum tuũ, vbi à piscibus deuoraberis, in quorum ventre erit cadauer tuum miseré sepultum. Vide obsecro superbi regis finem, & alta mente considera in quam miseram calamitatem fuerit eius insolens potentia cõuersa. Vidit vrbem suam euersam, opes suas direptioni commissas, & seipsum inimicorum telis traiectum, qui eum in profundum maris gurgitem proiecerunt. Quid illi profuit potentia, quid sapientia, quid opum abundantia? Merito dixit sapiens: Vanitas vanitatum & omnia vanitas: & rursum: Risum reputaui errorem, & gaudio dixi: quid frustra deceperis? Moriuntur potentes & aiunt in inferno: quid nobis profuit superbia & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Et quod miser diues iste: pater Abraham mitte Lazarũ, &c. quia crucior in hac flamma. Extulit se princeps Tyri in superbiam, sed eũ dedit Deus pastum piscib9. Extulit se diues iste & sepultus est in inferno. Extulit se Pharao & cõfregit Dominus caput eius, Vnde de illo loquẽs Psalmographus ait: confregisti capita draconis, dedisti eum escam populis AEthiopũ. Et in alio Psalmo: deiecisti eos dum alleuarẽtur. Quo modo facti sunt in desolationem: subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam. Et si impij valuerint potẽtia, omniumque affluentibus rerũ copijs floruerint, tamen eorum exitus infœlix fuit vt vidisti. Et vel in vno Dario videre etiã poteris. Fuit enim ditissimus & fastu ac potentia mortales omnes superabat, sed in tantam incidit calamitatem & inopiã & ignominiam, vt amitteret regnum, & opes, & videret exercitum suum profligatum, vxorẽ & filias suas captiuas, & eos, quos amore prosequebatur, interfectos. Et cum esset vulneribus traiectus, & mortem in visceribus haberet cõceptam, petijt à Polystrato poculum aquæ, quam cum sitiens obbibisset, ad id, inquit, ærũnarum perueni, vt tibi beneficium hoc, quod in me contulisti, nullo possim premio recompensare. Quibus dictis efflauit animam, significãs interruptis ac morientibus vocibus in quam infimam miseriã ex alto dignitatis gradu incidisset. Author est Ioannes Monachus post Quintum Curtium in vita Alexandri. Mitto alios innumeros quorũ miseriam expressit Esaias, alloquens his verbis Nabuchodonosorem: detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadauer tuum subter te sternetur tinea, & operimentum tuum

erunt

Margin: Eccle. 40. — Psa. 143. — Sap. 5. — Ezech. 28. — Eccle. 1. — Eccle. 2. — Sap. 5. — Psa. 73. — Psa. 72. — Esai. 14.

erunt vermes. Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? Corruisti in terram qui vulnerabas gentes. Cōfert vates regem Babylonis cum lucifero, qui ob superbiam suam de dignitate in qua fuerat constitutus decidit in inferno. Mitto denique Antichristū cuius gloria corruet subito, Sic enim de illo quidam vates ait: Super mōtes Israel cades tu, feris, auibus, omnique volatili cœli, & bestijs terræ, dedi te deuorandum. Intuere Dei iudicia, & mundi vicissitudines. Ille, qui potens erat, & magna satellitum caterua comitatus, qui mundum terrebat, quasi œstro, impetu scelerum absque vllo metu ad omnia maleficia incitabatur, corruit ignominiosé, & fuit a Deo interfectus, & eius cadauer factum est auium & ferarū alimentum. O mirabilem & breui tam celerem & tam variam mūdi cōmutationē. ¶ *Et sepultus est*. Lazaro nec honor sepulturæ habitus est. Diues autem magnifica funeris pompa elatus est. Præclaras exequias in hominum conspectu exhibuit huic purpurato, seruorum turba, nobilium amicorum caterua: sed multo clariores in cōspectu Domini vlceroso huic pauperi ministerium præbuit angelorū: qui eum non in marmoreum tumulum extulerunt: sed intulerūt in Abrahæ gremium. Magnifica funeris pompa magis ad solatium viuorum, quam ad mortuorum subsidium inuenta est. Non hoc tamen dicimus quod contemnenda sit hęc pompa, quādo de Domino scriptum fuerit erit requies eius honor & erit sepulchrum eius gloriosum. Sed eo dicimus quod non tam hæc habenda sit vt propterea pios & iustos insepultos manentes maximé doleamꝰ. Vnde quod dicitur in Psalmo: Posuerunt mortalia seruorum tuorum escas volatilibus cœli: magis ad exaggerandam eorum qui ista fecerunt crudelitatem, quam ad infœlicitatem eorum, qui ista perpessi sunt, dicta fuisse crede. Licet enim dura & crudelia in hominum conspectu hæc videantur: tamé illi sunt in pace. Pretiosa enim in conspectu domini mors sanctorū suorū. Narrat Valerius Maximꝰ de Theodoro, quod regi Lisymacho præcipienti vt cruci affigeretur, respōdit: Terribilis sit hęc erat purpuratis tuis: mea quidé nihil interest, humi an sublimi putrescam: cœlo enim tegitur, qui vrna caret. Narrat Iosephꝰ quod in funere Herodis sub quo natꝰ est Christus quingenti liberti thura adolebāt, cuius anima apud inferos à torrente sulphuris inuoluebatur. Iusti ergo non tam de sepulturæ apparatu & funeris pompa curant, quam de patria sua cœlesti ad quam aspirant: vbi habent patrem, patrimoniū, cognatos, amicos, qui summo desiderio præstolantur aduentum eorum. Nō tam de sepulchro curant, quam de bona, pia, ac Christiana morte: ne post illam sepeliantur in inferno. Hinc est quod Paulus aiebat in post. epistu. ad Corin. Audemus autem & bonam voluntatem habemus, magis peregrinari à corpore & præsentes esse ad dominum, & ideo contendimus siue absentes siue præsentes placere illi.

¶ *Eleuans autē oculos suos vidit Abraham à longè & Lazarum in sinu eius* Hic disputari potest an vicissim se videāt: illi qui sunt in inferno, & illi qui sunt in gloria? Cui quæstioni respondet sententiarū magister in. 4. lib. d. vlti. sicut sancti, inquit, tradūt, & boni malos, & mali bonos vident vsq; ad iudicium. Post iudiciū verò boni videbunt malos, sed nō mali bonos. Vnde D. Gregor. Infideles, inquit, in imo positi ante diem iudicij fideles super se in requie attendunt, quorum gaudia post contemplari non possunt. Augustinꝰ qué refert magister idem docet. Quantū igitur ad dānatos attinet: aliquid certum definiri potest: alia verò nōnulla sub iudice manebūt. Ex sacra .n. scriptura constat, dānatos nōnūquā visuros beatos. Stabūt, inquit sapiēs, iusti in magna cōstantia aduersus eos qui se angustiauerūt: illi autē nequam & scelerati, videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis. Tunc enim videbunt in quem transfixerunt vt Ioan. ait. Atq; in illa die extremi iudicij: lætabitur iustus cum viderit vindictā peccatorum vt regius vates prædixit. At verò quod obtrusi iam dānati in inferno, inde visuri sint beatos in cœlo, nullibi in sacra scriptura affirmatum habemus. Et im-

Fff pri-

Marginalia: Ezech. 9. — Esai. 11. — Psa. 78. — Psa. 115. — Valer. Max. 2. — Iosephus. — Esai. 30. — 2. Cor. 5. — An dānati videant beatos & beati dam nato. — Magi d vlti. 4. sent. — D. Gregō in Lu. 16. in glo. super illud, factum est autem ho. 40. — Sap. 5. — Ioan. 19. — Psa. 57.

primis modo animæ, cum oculis careant, non possint beatos corporeis oculis intueri. mentis autem acie eos intueri nulla est repugnantia: cum animæ à corpore separatæ optime alias animas à carne mortali separatas videre possint, veruntamen cum mentis acies finitæ limitatæq; virtutis sit: natura ipsa, in tantam distantiam protendi non potest. Imo quanuis fœlices illas animas damnati cernerent: earum tamen gloriam, quod supernaturalis sit, cernere minime possent. Gloriam enim nemo videt nisi qui accipit dicente Domino: vincenti dabo manna absconditum, & nomen nouum, quod nemo scit nisi qui accipit. Et diuus Paulus oculus non vidit neque auris audiuit quę preparasti diligentibus te. Sunt tamen aliqui in ea opinione vt existiment, Deum damnatis sanctorum gloriam reuelare, vt acrius contorqueantur, quod illam suis sceleribus ac demeritis amiserint. Cui opinioni ansam præbuerunt testimonia diui Augustini atque diui Gregorij à magistro adducta: ob quorum autoritatem solet à viris doctis hæc sententia affirmari. Damnati, si seclusa reuelatione res agatur, quanuis de imis illis sedibus, sanctorum gloriam non videant intuitiue, imo forté nec sanctos ipsos singulariter, eatenus tamen eorum fœlicitatem videre censentur, vt in genere & in cōfuso intelligant esse maximam. Quod ad eorum afflictionem atque intimum animi dolorem satis est. Priorem partem satis probatam esse credimus: cum nec naturaliter in tantam distantiam eorum acies extendi possit, nec reuelatione superna digni sint, nec talis reuelatio ad cruciatum tormentumque eorum sit necessaria. Secunda vero pars vel ex eo constare potest quod dæmones, ac fideles bene norunt, licet non clara distincta intuitiuaque notitia, quanta sit illa beatorum fœlicitas, quanta maiestas & gloria. Qui vero solo naturali lumine affecti è vita discesserunt, videntes illuc vbi ipsi detinentur, non occludi, nisi qui corruptis moribus Deum optimum maximum offenderunt, ex tormentorum magnitudine, quæ sciunt sibi tanquam in exilio à regno cœlesti exclusis, per iustitiam Dei distributiuam infligi, intelligunt quanta glorię claritate, & gaudiorum magnitudine, & honorum amplitudine, eos remuneret, qui eius regno & præsentia potiuntur. Imò quanuis non aliud intelligerēt, quam Deo esse præsentes, satis esset ad reliqua conijcienda. ¶ Hoc autem exemplum de Epulone, non vsque adeo mouet, ad probādum quod damnati beatos in cœlo existentes videant. Primó quod Abraham tunc & Lazarus nondum erāt beati: sed in limbo existebant vbi poterant ab Epulone videri: sed non inde colligere necesse est vt possint eos qui in cœlo sunt intueri. Deinde poterat illud per singulare priuilegium contingere.

Apo. 2.

1 Cor. 2.

¶ Discrimen autem quod Augustinus & Gregorius assignant inter damnatos ante iudicium, & post iudicium, vix sanè intelligitur, nisi diuina admittatur in damnatis reuelatio. Nā tenebræ non erunt tunc spiritualis cæcitatis maiores in inferno. Idemque ignis erit. Quare si modo non impedit quin damnatorum animę beatos videant, nescio quomodo impediat, ne postea beatos videant. Nisi dicamus (quia aliter Augustinus & Gregorius defendi non videntur) post diem iudicij solū in damnatis duraturam memoriam eiusdem diei, in qua vniuersam beatorum gloriam videbunt: quæ memoria sufficiet ad eorum tormētum & afflictionem. Sed quia ante illum diem necesse est, vt etiam contemplatione illius gloriæ torqueantur, nunc habent animæ miserę aliquam illius glorię reuelationem, quæ deinde tanquam non necessaria, cessabit. ¶ Sed ais quod sanctis in hac vita cōceditur, singulari quodā priuilegio cōceditur, quod non æquum affirmare idem esse concessum in inferis constitutis: Paulo veró tāquam admirabile priuilegium concessum est vt Dei arcana audiret, quę non licebat homini loqui: igitur non est credendum hoc idem esse damnatis donatum. Sed respondere possumus latissimum inter Paulum & miseros illos esse discrimen. Paulus enim ad illam cœlestem gloriam est raptus, vt spes eius perpetuó illam possidendi roboraretur, & confir-

Augusti. & Grego. expenuntur.

confirmaretur: imò vt illo singulari munere tanquam initio futuri præmij donaretur. Damnatis verò reuelatur, vt magis ac magis crucientur, doleant atq; torqueantur.

¶ Secunda verò sententia pro firmo tenenda, ea est: quod beati spiritus cæterique sancti supernas sedes tenentes pœnas damnatorum vident. Cum nihil eis negandum sit quod ad suam fœlicitatem pertineat: pertinet autē vt crucem damnatorum intueantur: tum, vt maiori perfruantur gaudio intelligentes à tantis tamque grauissimis pœnis esse liberatos: tum etiam, vt ingentiores ac cumulatiores Deo referant gratias. Non tamē opus est vt semper pœnas illas intueātur, sed cum illis libuerit poterunt tali tātoq; perfrui gaudio. Quanuis igitur quātum est ex natura rei, mortui nesciāt quæ hic geruntur: tamen beati ratione status optime sciunt quæ apud inferos fiant. Nā qui intus habent, ait Grego. Dei claritatem nullo modo credendum est, quod sit foris aliquid, quod ignorét. Prædicta sententia probari potest ex loco illo Esaiæ. c. vlt. Et egredientur & videbunt cadauera virorum qui præuaricati sunt in me: vermis eorum non morietur: & ignis eorum non extinguetur & erunt vsq; ad satietatem visionis omni carni. In quæ verba lege glossam.

Grego. 12. Mor. in illud Iob, siue nobiles fuerint filii eis, &c.

Esai. vlt.

¶ Tertia vero sententia sit beatos damnatorum miseriam videntes ad misericordiam non commoueri: imò lætari. Neque enim compatiuntur illorum cum talis passio & dolor in beatis esse nō possit: neque volunt eorum miseriam tollere cum sit iam à Deo stabilita perpetua eorum pœna. Delectantur autem & gaudent videntes eorū pœnas non quatenus habent rationem mali, hoc est, damni: cū talis lætitia esset indicium odij: sed quatenus sunt vindices diuinæ iustitiæ iuxta illud Psalmographi: lætabitur iustus cum viderit vindictam. Lege magistrū in d. illa vltima. 4.

Psal. 57. Sot. d. 50. arti. 6.

¶ *Pater Abraham miserere mei: mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meā.*

A Qui prius iustum expulerat nunc misericordiam eius postulat. Sic Gene. cap. 26. Rex Abimelech qui prius iustum Isaac eiicerat è suis finibus tandem ad eum venit, atque amicitiam eius ambit. Vnde & Sapiens: Tunc, inquit, stabunt iusti in magna constantia, aduersus eos qui se angustiauerunt. Patienter igitur expectemus sicut mendicus iste, & sicut Isaac, nā suo tempore certo aderit. Secundo hic docemur: plerumque contingere vt qui hodie diues est, cras ad paupertatem redigatur.

Patienter in hac vita toleràndi sunt labores usq; suo tempore semper s... derit Deus. Gen. 26. Sap. 5.

B Quod si in hac vita nihil tale contingat, at in futuro contingere potest. Exemplo tibi sit diues iste, qui post mortem coactus fuit auxilium implorare: ab eo quem maxime contempserat. Non igitur si diuites sumus, tam duri simus erga pauperes: sed cogitemus etiam nobis talia contingere posse. Hinc erat quod tam proni essent patres illi antiqui ad hospitalitatem, & ad misericordiam exhibendam alijs. Omni enim studio intenti erant, vt alijs benefacerent. Experientia didicerant, quid sit pauperem & peregrinum esse, & inter alienos conuersari.

Caueant sibi diuites ne duri sint erga pauperes nam veniēte morte nullus illorum miserabitur.

C Nostræ duritiæ maxima causa est, quod non experti sumus paupertatis & exilij incommoda. Hinc Moses non semel Israelitas monet: memento, inquit, quod & tu seruieris in AEgypto. Item, quod & tu aduena fuisti in terra aliena. Si miser iste diues expertus in vita fuisset paupertatis malum, non tam durus & crudelis esset in Lazarum. Sed nunc in maxima egestate constitutus, coactus est diuitem Lazarum adire. Audiamus ergo consilium Pauli dicentis in Epistola ad Romanos. capit. 12. Necessitatibus sanctorum communicantes.

Deu. 5. Deut. 24. Rom. 12.

D Vt, scilicet, cum defecerimus recipiant nos in æterna tabernacula. Quod quia non fecit diues iste cuius cor erat lapideum: mendicat modo stillam aquæ. Sed laborabit in æternum miser & viuet adhuc in finem. Meminisse debuerat male cordatus epulo quia olim Salomō scriptū reliquerat: qui obturat aurem ad clamorē pauperis & ipse clamabit & non exaudietur. Ficus nō floret, cū fructus habeat dulcissimos.

Psal. 48. Pro. 28.

Huiusmodi sunt qui multa habentes bona nihil intelligũt super egenum & pauperem. Quomodo autem animam suam epulo iste pro fratribus poneret, vt Ioan. admonet, qui cor plumbeum habebat. Si quando ergo fames & penuria & rerum omnium egestas opprimit mundum: sciamus hoc ex ira Dei descẽdere, qui, in pauperibus, si non accipiunt eleemosynam, famem pati dicitur: & sua portione fraudari. Beatus de cuius domo nunquam vacuo sinu pauper exiuit. Nec quisquam magis beatus quam qui intelligit super egenum & pauperem. Si ergo diues es, hoc tibi persuade: quod quoties à paupere rogatis, tentari te à Deo, an sis dignus exaudiri: disperge ergo & da pauperibus & iustitia tua manebit in seculum seculi. Carnem tuam ne despexeris atque peccata tua eleemosynis redime, & in futura vita non mendicabis, nec esuries neque sities. ¶Tertio perpende quo nam pacto nullus vnquam damnatus a domino, exauditus aut auxiliat⁹ fuit, à sanctis iam beatis aut aliam (qualem modo Abrahã) vitam degentibus. Cuius rei imaginẽ habes apud Matth. c. 22. vbi è conuiuio eiectus est ille qui non habebat vestem nuptialem: atque ligatis manibus & pedibus proiectus est in tenebras exteriores ad iussum regis, nullo conuiuarum pro illo intercedẽte. Hoc idem videre licet apud eundem Matthæ. c. 18. vbi qui abscondit in sudario talentum in easdem pœnas incidit. & tamen nullus aliorum, qui intrarunt sedes illas cœlestes, pro misero illo dominum deprecatus est: hoc etiam idẽ in virginibus fatuis intelligere poteris. Tandem iam vides infœlicem epulonem istũ ad ianuam Lazari & Abrahæ clamãtem: & nõ exauditum. Quare dum viuis tibi caue: nam apud inferos, quo tu scelestè properas: nulla est redemptio, nulla exauditio, nulla spes salutis.

1. Ioan. 3.
D. Hiero.
Matth. 25.
2. Cor. 8.
Esai. 58.
Dani. 4.
Nullus dãnatus exauditur à Deo nec à sanctis eius beatis.
Matth. 22
Matth. 18.

¶*Pater Abraham miserere mei & mitte Lazarum, &c.* Ait diues iste. Vbi vides quam vera sint quæ de huiusmodi diuitibus dixerat Iob. Diues cum dormierit nihil secũ auferet, aperiet oculos suos & nihil inueniet: apprehendet eũ quasi aqua inopia: nocte opprimet eũ tẽpestas. Sero diues iste aperuit oculos, inquit Gregor. quando Lazarum requiescentem vidit, quem iacentem ante ianuam videre contẽpsit. Intellexit ibi, quod hic facere noluit: in damnatione sua cognoscere compulsus est quid fuit quod perdidit, quando indigentem proximum non agnouit. Videamus nunc inopiam ardẽtis diuitis, cuius tanta abũdantia fuit epulantis. Ait enim pater Abrahã, miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam & refrigeret linguam meã, quia crucior in hac flamma. Quibus verbis nobis non hoc innotescitur, inquit Gregorius, quia illic in tanto ardore, vna tunc ad sufficientiam refrigerij aquæ stilla requiratur: quod is, qui de abundantia peccauerit, illic æstuanti nimis crementur inopia. Videmus enim in verbis diuitis ex subtilissimo Dei iudicio, quam digna tali culpæ pœna responderit. Agente namque inopia illic vsque ad minima petenda compulsus est, qui hic agente tenacia, vsque ad minima neganda peruenit. Quid tibi subtilius, quid districtius potest? Guttam aquę petijt, qui micas panis negauit. Apprehendit eũ, quasi aqua, inopia. Non immerito aquę tunc illa inopia comparatur: quia in inferno cruciat, qui susceptos in profundis absorbens, solet lacus nomine designari. Vnde per Prophetã quoq; humani generis voce dicitur: Lapsa est in lacũ vita mea. Ereptorũ vero exultatione cãtatur: Dñe Deus me⁹ clamaui ad te: & saluasti me. Dñe abstraxisti ab inferis animam meam, saluasti me à descendentibus in lacum. ¶Obserua præterea quo pacto, vt modo dicere incipiebamus, diues iste tunc incepit cognoscere culpam quãdo cœpit persentire pœnã. Sic Cain ait: maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear. Hic tãdem miser Cain incipit sentire peccatum, eiusque gravitatem, quantuncunque enim prius à Deo admoneretur, peccati sui, tamen nihili pendebat, nunc autem post latam sententiam, primum videt serio rem agi. Idem faciunt impij omnes, minime credunt Deum punituru peccata, nisi iam sentiant pœnã. Sic diues iste in inferno iam positus, primum incipit gratiam quęre

Infœlicitas ciuitis auari post mortem, quanta.
Iob. 27.
D. Grego.
D. Grego. 18 Mora. c. 10.
Thre. 3.
Psa. 29.
Impius tũc incipit cognoscere culpã quãdo incipit persentire pœnam.
Gen. 4.

quærere, sed frustra: audit enim fili, recordare, &c. Tempus præterijt, &c. Sic sapiens dicit: Impijs in inferno primum oculos aperiendos vt & suam miseriam, & sanctorum videant fœlicitatem. Videntes, inquit, turbabuntur timore horribili, &c. Quanto satius igitur esset, ante iudicium peccata nostra attendere, veniamque quærere? ¶ Deinde nota, quod pene semper epulas loquacitas sequitur. Cumque venter reficitur lingua defrenatur. Prius epulatus dicitur hic diues splendide: & post, aquã petere in lingua memoratur. Quia enim inter epulas valde defluere loquacitas soleat, ex pœna, indicat culpam. Cum eum quẽ epulatum quotidie splendidè veritas dixerit, in lingua plus ardere perhibeat. Vide Gregor. 1. Moral. cap. 5. ¶ Quanta mala, inquit Chrysosto. lingua habet, Iacobus in epistola sua loquitur: modicum quidem membrum est, sed magna exaltat. Qua plurimum peccauit amplius torquetur. Et quemadmodum medici febris corporei grauitatem ex lingua cognoscunt: sic ex eadem febris animæ dignosci potest.

Sap. 5.

Ferè semper epulas loquacitas sequitur.

Chryso. in hunc locum.

Iacob. 3.

¶ *Quia crucior in hac flamma.* Hic disserere solẽt sancti ac disputare quo nam pacto anima quæ corpus non habet discrucietur in inferno igne corporeo. Atq; vt impræsentiarum omittamus diuersas aliorum sententias: Ea tanquam probabilior mihi venit in mentẽ quæ ait: animas, ac dæmones à corporeo illo inferni igne, non solum velut in ergastulo & vinculis detineri: verum & illa tristitia excruciari, eiusdemque prorsus rationis, ac si corpora quibus essent vnita cõcremarẽtur. Enim verò quod ab illo igne detineantur (vt communis habet opinio) certissimum est quia illic tam animę quam dæmones veluti in carcere detrusæ sunt. Quare infernus per metaphoram portis & ferreis vectibus prædicatur occlusus: sic enim diuinus Psaltes: eduxit eos de tenebris & vmbra mortis & vincula eorũ dirupit: quia cõtriuit portas æreas & vectes ferreos confregit. Vnde D. Augusti. sicut anima, inquit, iungitur corpori dãs ei vitam, & ex illa coniunctione vehemẽter concipit amorem ad corpus, sic ligatur igni vt accipiens ab eo pœnam, & ex illa coniunctione concipit horrorem. D. etiam Gregorius lib. Dialogo. capit. 29. (quod & Iulianus Toletanæ vrbis Archiepiscopus vsurpauit) si viuentis, inquit, hominis incorporeus spiritus detinetur in corpore, cur non post mortem etiam corporeo igni teneatur? Ad cuius confirmationem adducit hunc locum Epulonis qui excruciabatur in flamma. ¶ At verò ita hoc verum est, vt tamen sufficere non videatur, vt anima peculiariter ab igne cruciari dicatur. Nam vt tantum esset carcer & vincula non plus ignis conferret, quam aqua vel aer. Imo solus Dei iussus sufficeret, vt dæmones & animas illic teneret. Ignis autem peculiariter tanquam crudelius diriusque affligens, dæmonibus paratus est: ergo alio peculiari modo illos affligit. Quo circa nec satis est respondere, quod detineantur animæ in igne, quod postea sit discruciaturus corpora. Nam & dęmones cruciat, quorum corpora non torquebit. Et epulo iste non solum ait: quia teneor in hac flamma, sed quia crucior: quasi eius incendium experiens, quod aquę gutula sedari cupiebat. Item, animæ resumptis corporibus acrius affligentur quam per detentionem, ob sensualem dolorem illius ignis qui erit in corpore: ergo & nunc eadem torquentur afflictione: nam pœna ignis tunc non crescet in anima. Crediderim ergo quorundam in hac re coniecturam esse probabilem: quod quemadmodum anima dum corpus, quod in hac vita viuificat, exuritur, peculiarem afflictionem & tristitiam patitur, aliam scilicet, quam si tormentum alterius generis pateretur, puta si suffocaretur aqua, vel pateretur febrim, ita in inferno exuta corpore eandem tristitiam & afflictionem sentit quam passura est dum corpus, quod resumpserit sensualem dolorem patietur. Atque hanc vim habet ille ignis tanquam instrumentum diuinæ iustitiæ in dæmones atque animas: nempe quod afflictionem quam in anima mediante dolore corporis resumpti effecturus est, faciat absq; illo dolore. Et hoc est quod ait

Quæritur quomodo crucietur anima carens corpore in inferno igne illo corporeo.

Psal. 106.

Augu. 21. de ciuit. c. 10. & lib. 21. c. 10.

ait Augustinus loco citato, quod quanuis miris tamen veris modis spiritus affligitur ab illo igne, recipiens ab illo pœnã non dando illi vitam. Et quod ait Gregorius, scilicet, quod res corporea incorpoream exurit: dum ex igni visibili ardor ac dolor inuisibilis trahitur: & quod incendium anima non solum videndo, sed experiendo patitur. Experiri enim incẽdium est perinde pati ac si corpus eius cõbureretur. Imò hoc est quod significat epulo iste petens aquæ gutulã quæ ardorẽ flammæ ei mitigaret. ¶ Cæterum quanto mærore & tristitia miser iste afficeretur cruciatus in hac flamma nemo verbis explicare poterit. Finge te viuum esse immissum in fornace aliquo qualis fuit ille Babylonicus & vmbram flammarum inferni, quas epulo iste patiebatur intelliges: Et tunc tibi cauebis, nisi desipias.

Soto. 4. de arti. 2.

¶ *Memento fili quia recepisti bona in vita tua, Lazarus autem similiter mala.* Pensantur, inquit Augu. pro diuitijs pœnæ. Refrigeriũ pro paupertate, pro purpura flãma, refectio pro nuditate, vt salua sit æquitas statere, & nõ mentitur modus illius mensuræ, in qua, inquit, mensi fueritis mensura, ita metietur vobis. Ideo negatur in pænis misericordia diuiti, quia ipse dum viueret noluit misereri. Ideo rogans diues non exauditur in tormentis, quia rogantem pauperem non exaudiuit in terris. Diues & pauper duo sunt sibi contraria, sed iterum duo sunt sibi necessaria. Nullus indigeret, si inuicem supportarent: & nemo laboraret, si se ambo iuuarent. Diues propter pauperem factus est, & pauper propter diuitem. Pauperis est orare, & diuitis erogare. Dei est pro paruis magna pensare. De misericordia eius parua, magna nascitur copia. Fæcundus est ager pauperum, cito reddit dominantibus fructum. Via cœli est pauper, per quam venitur ad patrem. Incipe ergo erogare si non vis errare. Patrimonij tui, quo es ligatus, compedem in hac vita resolue, vt liberè ad cœlum possis accedere. Abijce abs te diuitiarum onera, abijce vincula voluntaria, abijce anxietates & tædia, quæ te pluribus in annis inquietant. Da petenti vt possis ipse accipere: tribue pauperi, si non vis flamma exuri. Da in terra Christo, vt tibi reddat in cœlo: obliuiscere quod es, & attende quid futurus es: præsens vita fragilis est, & in mortem procliuis. Nemo potest stare, sed omnes cogimur transire. Nolentes imus, inuiti eximus, quia mali sumus. Si autem ante nos aliquid mitteremus, non ad inane hospitium veniremus. Quod enim pauperi damus, ante nos prætermittimus, quod autem rapimus, hic totum dimittimus. Hæc Augustinus. ¶ Deinde animaduerte, quod semper timet iustus, cum prospera hic habet, ne in hac vita remuneretur, quemadmodum diues iste, cui dictum est: recepisti bona in vita tua. Vnde & Christus dixit: væ vobis diuites, qui hic habetis consolationem vestram: væ, qui ridetis nunc. Hinc est quod Genes. capit. 15. ait Dominus Abrahæ, noli timere Abraham: ego protector tuus sum. Quæ verba sonare videntur, quasi Abraham in aliquo timore fuerit, nec tamen exprimitur quis fuerit ille timor. Volunt igitur aliqui, quod timuerit ne accepta tanta victoria totum iustitiæ præmium in hac vita accepisset, vt nihil illi expectandum esset in futuro: sed audiret: recordare fili, quia recepisti bona in vita tua. ¶ Præterea iam hic audis & vides diuitis & pauperis mutationem quam superius annotare incipiebamus. Genesis. capi. 47. dicitur: Quod Ioseph patri & fratribus suis dedit possessionem in AEgypto & optimo terræ loco Ramisses, & alebat eos, omnemque domum patris sui, præbens cibaria singulis. In toto enim orbe panis deerat & oppresserat fames terram. Mira rerum mutatio. Paulo autem Iacob cum suis egebat: AEgyptij abundabant. Nũc versa vice, Iacob benè habet: AEgyptij egent. Impletum est illud: repleti prius pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt. Itemque illud: esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Eadem rerum mutatio paulo post etiam nobis continget: beati, inquit Christus, qui nunc fletis, quia ridebitis. Et ẽ cõtrà. Væ vobis diuites qui habetis consolationẽ vestrã. Væ qui ridetis, &c, hãc rerũ mutatio

Augu. AEquitas stateræ diuinæ sẽper saluatur. Matth. 7.

Augu. ser. 20. de diuite & Lazaro. Iustus timet cũ in hac vita prospera ... tur, ne hic remuneretur. Luc. 6. Gen. 15.

Notãdae mutatio piorum & impiorum in hac vita & in futura. Gen. 47.

1. Reg. 2. Luc. 1. Luc. 6.

tationem sentit diues iste cui dictum est: fili recordare quia recepisti bona in vita tua, Lazarus autem mala. In die igitur bonorum memor sis malorum & econtra. Nunquam credidissent AEgyptij tantam famem futuram, at illá experti sunt. Et impij perpetuam sibi fœlicitatem pollicentur, sed falluntur. Quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna. Ecce etiam quid misero diuiti dicat Abraham. Agnosce fili rerum vices iuste commutatas. Id agnoscas oportet, si meminisse voles, quod tu quum viueres, tua bona receperis, Lazarus contra suis malis defunctus sit in vita. Nunc inuersis rebus hic, post afflictiones patienter toleratas refocillatur, tu vero post delicias, quibus te male oblectasti, merito cruciaris, auersabaris vlcerosum, ipse delibutus vnguento, nunc est in amplexibus meis, totus nitidus. Non dignabaris illo tecto tuo, ego dignor illum sinu meo. Tu nec cibo nec potu refocillasti egentem, nunc reficitur æterna quiete, quæ nec famis, nec sitis molestiam nouit. Et qua fronte nunc petis ab hoc refrigerium, qui pridem nullum abs te refrigerium impetrauit? Si tu nudum vestisses, si esurienté pauisses, si sitientem dedisses potum: si iacentem pro foribus collegisses in domum tuam, si curasses vlcerosum, nunc ille vicissim impetraret tibi solatium, ac relaxationem tuorum cruciatuum, ac te vicissim reciperet in hoc contubernium. Miser vbi nunc est tua byssus & purpura? Vbi vnguenta, vbi conuiuia, vbi choreæ, vbi tot ambitiosæ voluptates? Vinum ad omne vinum fastidiebas, tantæ erant palati tui deliciæ, nec interim aquam impartiebas sitienti: nunc nec aquæ guttam impetrare potes ad refocillandum incendium linguæ tuæ. Pro superbis ædibus habes tartarum: pro delicijs cruciatum æternum: pro iocis & cantionibus perennem exulatum. Et hoc deploratior est vestra calamitas, quod ingens hiatus nos dirimit: vt si qui vellint hinc istuc ire vobisque opitulari non liceat: neque si quis istinc huc conetur ascendere possit, postea quam incommutabili Dei iudicio sua quibusque sedes designata est. In vita tempus erat mutuis officijs subleuare proximum, & vicissim ab eo subleuari. Nunc serum est hic velle quod fieri non potest. In delicijs solus esse voluisti cum tuis similibus; quos nunc habes pœnæ socios, Lazarum ac Lazari similes non passus es venire in tuum cósortium, nunc paria referuntur. ¶ Præterea hic perpende, quam salubre sit in hac vita, mala patienter pati, quam periculosum nihil pati. Si enim quid graue ait Chrysostomus, in præsenti patimur vita iniusté, multa peccata dissoluimus. Idcirco magnum bonum est hic luere peccata, & nó illic: etenim diues, hic, graue nihil recepit, & propterea illic torquebatur. Et quod hoc esset in causa, ne vlla illic frueretur consolatione, audi quid dicat Abraham: fili, recepisti bona tua, itaque nunc dolorem patere. Quod autem Lazaro bona data sint, quia hic cum virtute infinitas passus molestias fuerit, Patriarcham & hoc dicentem audi. Cum enim dixisset diuiti, recepisti bona tua: intulit, & Lazarus mala, & propterea consolationem capit. Sicut enim in virtute viuentes & tribulati duplex habent emolumentú: sic & vitio viuens & gaudens duplicem habebit pœnam. Hæc ille. Si ergo ægrotamus (ait idem) si pauperes sumus, si ægrotatione conficimur, si frigore, si hospitium non habemus, lætemur, gaudeamus, accipiamus mala in vita nostra. Quando nos infirmitas & ægrotationis magnitudo premit, Lazarum cogitemus.

¶ *Et in his omnibus inter nos & vos Chaos magnum firmatum est*. Chaos. Vel hiatus, vorago. Idest, latissima & altissima fossa intercedit, vt nequeamus vltrocitroque commeare. Aduerte quod in hoc deploratio est calamitas damnatorum, quod ingens hiatus eos dirimebat á sanctis in limbo existentibus nedum modo dirimet á beatis in cœlo viuentibus: vt si qui velint é cœlo in infernum ire illisque opitulari, non liceat: neque si quis ab inferis in cœlum conetur ascendere possit, postea quam incommutabili Dei iudicio sua quibus-

[Margin: 2. Cor. 4. — Ho. 6 ad populum Antiochenum. — Chrysost. in hunc locum. — A, B, C, D]

quibusq; sedes designata est. In hac vita tempus est mutuis officijs sublevare proximum, & vicissim ab eo sublevari. Post mortem serum erit id velle, quod fieri nō potest. In delicijs dives iste solus esse voluit cum sui similibus, quos nunc habet pœnæ socios, Lazarum ac Lazari similes non passus est venire in suum consortiū: & ideo nunc paria referuntur. Cæterum vide quid magister scribat circa chaos istud in illa vltima. d. 4.

¶ *Rogo ergo te pater vt mittas eum in domum patris mei habeo enim quinque fratres vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Ita dives. Quē experta calamitas sero iam & supplicem fecit & Doctorem. Atque ex hoc loco ansam sumpserunt sancti Doctores quærendi an damnati bona voluntate vti valeāt. Atque in ea sunt opinione & sententia Doctores catholici neutiquam damnatos habere posse bonam voluntatem deliberatam: hoc est nullam posse elicere actionem, piam, sanctā, & studiosam. Duplex, inquiunt, est voluntas, naturalis, scilicet, & deliberata. Naturalis voluntas, inclinatio quædam est, pondusque naturæ ante actionem elicitam. Hæc tamen, effectus non est creaturæ sed potius creatoris eam imprimentis. Quare cū in damnatis naturalia, integra maneant, illa etiā inclinatio bona adesse & vivere permanet: imò verò ad beatitudinem etiā. Voluntas verò deliberata est actus elicitus à voluntate, prævia cognitione. Atque nullatenus in damnatis potest esse bona. Et huius causa est, quod omnem deliberatū actum ex illa obstinatione in malum & obdurato odio in Deum eliciunt, tanquā aversi ab vltimo fine in quem omnis voluntas formaliter vel virtualiter, vt sit bona refertur. Quapropter & si velle possint aliquid quod ratione obiecti est bonum, non tamen illud benè volunt, sed perversè referendo in malum finem. Præterea aiūt Doctores prędicti. Damnatos non posse suis propinquis & necessarijs, quos in hac vita reliquęrunt bonum aliquod optare: atque adeo nec tanquam eorum bonum, salutem eorū cupere, ne damnentur. Cuius ratio ea est, quod quē admodum beati firmati & stabiliti omnino sunt in charitate & amore ardentissimo Dei, ac subinde proximorum, ita & damnati quoniam in odio Dei sunt obstinati, similiter circa omnes tam existentes in hac vita mortali, quam defunctos siue beatos siue damnatos indurato odio affecti sunt. Quid ergo ad preces istas Epulonis dicēdum? Primum igitur dici potest, fortasse Christum dominum nihil aliud voluisse significare precibus illius miseri contendentis suos admonere fratres ne in illum locū irēt, quam attrocissimos illos acerbissimosque cruciatus inferni. Secundo responderi potest illis verbis significari inclinationem naturalem, quā vnusquisque erga suos habet, quæ suapte natura tanquam divinitus naturæ impressa, bona est. Sed tamen actus elicitus Epulonis, quia nullatenus fuit in Deum relatus vitiosus fuit. Sed tertio responderi solet, quod quamvis damnati nemini optare possint vel precari salutem, plus tamen illam alienis, quam suis inuident: & illa ratione Epulo admonendos curabat fratres suos. ¶ Cæterum rectè quidem nos admonet D. Paul. in epistola ad Ephe. cap. 5. dicens: Nolite fieri imprudētes. Tales fuerunt virgines illæ quas refert Christus apud Matthæum. Quæ expleto tempore, expletaque messe, finitaquē vindemia oleum quęrebant: sero sanē sapientes vt phriges quod aiunt. Talis Epulo iste, qui serò magister Doctorque incepit esse, cum iam nec discendi nec docendi tempus haberet: nolite igitur fieri imprudentes: sed intelligentes quæ sit voluntas Dei. Ecce nunc tempus acceptabile ait in alio loco D. Paulus. Hoc enim si semel transierit non revertetur oculus tuus vt videat bona. Idcirco dives quem inferni vltrix flamma cruciabat, quia sibi occlusum aditum vt ne revocaret pedes ad superos intelligebat, non sibi sed relictis fratribus prodesse satagebat dicens. Rogo ergo te pater: habeo quinq; fratres, &c. Solet namque mestum animum spes vel falsa refovere, sed quo reprobi pœnam suam gravius sentiant spes eis omnis de venia subtrahitur. Quādiu ergo dominus respicit Petrum, & duriciem

Marginalia: An damnati bona voluntate vti valeant. — Ephe. 5. — Matth. 25. — 2. Cor. 6. — Iob. 7. — Grego. — Matth. 26.

ciem eius emollit, festinemus egredi de atrio Pontificis, & curramus non ad laqueum sed ad lachrymas: anticipent vigilias oculi nostri, ne sero eos cum Epulone aperiamus.

¶ *Habent Moysem & Prophetas audiant illos. At ille dixit, non pater Abraham sed si quis ex mortuis ierit ad eos pœnitentiam agent. Ait illi: si Moysem & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Dubitaret forsitan hic aliquis, quonam pacto hæc verba vltima huius sancti Patriarchæ vera sint: cum multi ex gentibus ad veram fidem conuersi fuerint visis miraculis, qui tamē nec Moysem nec Prophetas habuerint. Præterea multo plus ac facilius quis ad fidem trahetur atque ad veram pœnitentiam: si simul cum doctrina legis & vaticinijs Prophetarum, videat aliquem ex mortuis ad nos redire, qui certa renuntiet, quam dira patiantur illic, qui vitam in vitijs hic transigunt: quam si solum legem & Prophetas audierit. His tamen minime obstātibus duo docere nos vult his verbis sanctus Abraham: primum illud est fidem quam profitemur esse nobis à Deo celitus missam. Neque est opus hominis solius: quanuis enim homo innumera miracula & signa viderit. Nisi pater cœlestis eum auxilio & gratia sua ad fidē traxerit nihil illi miracula proderunt. Atque hoc apertè significare volens Abraham ait: si Moysem & Prophetas non audiunt: neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. Ex quo colliges miracula visa minime sufficere ad parandam fidei virtutem: quam fideles habemus. Cæterum ad parandam fidem coactam (qua ex euidentia miraculorum & operum etiā dæmones tremunt & contremiscunt) miracula sufficiunt. Cum ergo sanctus iste loqueretur de fide formata, atque de vera pœnitentia quæ dono etiam comparatur cœlesti, verè dicit quod si quis fideliū (quales erant fratres diuitis cum patrem haberent Abraham) legem & Prophetas non audit, neque curat eorum doctrinā, vt conuertatur, veramque pœnitentiam agat: neq; audiet, si quis resurrexerit ex mortuis. Maior enim est apud fideles Moysi & Prophetarum autoritas quæ infallibilis est, quam esset hominis a mortuis resurgentis. Fideles enim causari nō possunt legem esse falsam, aut Dei Prophetas mentiri: causari tamen possunt resurgentem à mortuis esse phantasma, aut dæmonium. Et ideo qui monitis ac minis legis diuinæ ac Prophetarum, quibus fidem adhibet fide superna imbutus, non commouetur ad pœnitentiam, minus cōmouebitur prędicatione hominis è mortuis resurgentis, quem phātasma esse aut dæmonem dicere potest. Benè ergo ait pater iste si Moysem & Prophetas nō audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit credēt: cum de fidelibus loquatur. Secundo docere vult sanctus iste his verbis statutam pœnam fidelibus paruipendentibus ac contemnentibus sacrarum scripturarum monita, minas ac doctrinā. Quare sententia hæc Abrahæ nos admonere vult de iusto Dei iudicio atque diuina dispositione erga multos in peccatis obduratos: qui iusto Dei iudicio, quod legem & Prophetas paruipenderint, relinquuntur: ita vt etiam si edi miracula videant, minime conuertātur. Idque merito illis profecto contingit. Nam qui diuinam largitatem, quę illis sacram doctrinam diuinitus inspiratam contulit, contempserunt, nolētes illi parere: digni me Hercule sunt vt nec visis miraculis conuertantur, nec cœlestem amicitiā & gratiam comparent. Tales namque sic se habent ad veram in Deum conuersionem, ac si huiusmodi conuersio non diuinum sed vt prorsus humanum esset opus. Nā hinc, qui huiusmodi sunt edere atque emittere voces illas solent: si miracula nos modo videremus, atque cerneremus mira profecto & diceremus & faceremus. Ex quo fit vt qui eiusmodi sunt, ita suo iudicio relinquantur, vt etiam si miracula perspicerent minime conuerterentur. Quod Iudæis multis contigisse narrat D. Ioannes. c. 11. Suscitato enim à mortuis Lazaro, nonnulli crediderunt Christum esse verum Messiam: nonnulli verò, iusto Dei iudicio puniti, non solum non crediderunt sed reuersi Hierosolymam, referunt, inuidia & odio affecti, pharisæis mira

Ioan. 11.

miraculum. Quo audito Pōtifices & pharisæi, qui pro diuinæ virtutis tam euidenti declaratione Iesum colere debuerant, & Deo gratulari; inuidiæ stimulis acti, iã sibi non temperant amplius, sed impio concilio conuocato statuunt eum de medio tollere. Iusto ergo Dei iudicio, hi, qui legem & Prophetas de Christo loquentes non audierunt, relicti sunt vt nec Lazaro resurgenti conuerterentur. Tales erant huius Epulonis fratres: & ideo de illis peculiariter loquens sanctus Abraham respondit Epuloni dicenti, non pater sed si quis ex mortuis ierit ad eos pœnitentiam agent: si Moysem (inquit) & Prophetas non audiunt, &c. Ac si diceret: isti sunt fili, prætextus eorum, qui nũquam volunt quod malé amãt relinquere. Maior est apud illos, qui fideles sunt, Mosi & Prophetarum autoritas, quam esset Lazari mendici, quod si illos non audiunt, neque audituri sunt ob suam animi duritiem, & diuturnam peccandi cõsuetudinem, crede mihi quod neque audiét, si quis resurrexerit ex mortuis. Ita enim scelesti atque obstinati sunt vt si Lazarum mendicum viderent causarentur esse phantasma aut dæmonium. ¶ Cæterum vt obiectionibus in principio positis respondeamus, animaduertendũ est: quod & si commune hoc sit tam fidelibus quam infidelibus, quod, scilicet, credere sit donum Dei, & non ex solis hominum viribus quanuis miracula edi videamus: tamen diuina prouidentia, differentia ordinata videtur inter fideles & gentiles, quod fideles, qui Moysem & Prophetas habent si illos contemnunt, si non illos curant, neque audiunt, sibi ipsis relinquantur, ita vt nec visis miraculis ad se redeant, atque dolore animi afficiantur: gẽtes veró qui tali sacrilegio non sunt præditi: miraculis, disponendi, parandi, atq; iuuandi ad fidem sunt. Idcirco D. Marcus Euangelista cap. vlti. loquens de cõuersione gentium ait: domino cooperante & sermonem confirmante sequẽtibus signis. Quam differentiam vt designaret Abraham ait Epuloni: habẽt Moysem & Prophetas audiant illos. Quibus verbis significare voluit huius fratres de numero esse fidelium. Quare obiectio de gentium conuersione per miracula aduersus hanc opinionem & sententiam non militat. Ad aliud veró argumentum fateor quod multiplicatis argumentis, rationibus, & indicijs facilior est aditus ad conuersionem & pœnitentiam cæteris paribus: in pœnam tamen & supplicium aliquãdo datur fidelibus scelestib9 atq; impijs sacram doctrinam contemnentibus ne ad se redeant neque resipiscant nec doleant etiam multis visis miraculis. Multis quéalijs ad pœnitentiam multiplicatis motiuis atque incitamentis extrinsecis. Arrogantibus enim sibi ipsis conuersionem si viderẽt miracula resistit Deus subtrahendo conuersionis gratiam: scriptũ est enim Deus superbis resistit. Quanuis hæc ita sint, hæc tamen sentẽtia Abrahæ regulariter intelligenda est: nõ enim est propterea alligata manus Domini vt nõ possit ex gratia peculiari & speciali aliquem etiam obstinatum atque sacrarum scripturarum contemptorem, ad pœnitẽtiam salutaré trahere, excitando simul illum aliquo insigni fa[illegible]inore & miraculo ante oculos suos edito. Hæc ex Caietano. q. 4. Ientaculi quinti.

¶ *Credent.* Vel potius, persuadebitur illis. ¶ Cęterum totam hanc parabolam explicat D. Augusti. lib. 2. quæstionum Euãgelicarum. q. 38. allegoricé de populo Iudæorum & gentium quem lege si libet.

¶ *Et ait ad discipulos suos: impossibile est vt non veniant scandala.* In procinctu belli semper sunt vigiliæ militum distributæ, vt insidijs nil liceat, nihil pateat dolis. Perniciosissimus nimis repentinus est hostis. Aut inscios pręuenit, aut incautos occupat, aut opprimit dormientes. Hinc est quod Christus rex noster ante secula, per totam seculi noctem milites suos pręmandatis vigiliarũ vicibus commonuit contra veteris hostis subtilissimos dolos, contra latentes impetus vitiorum, cõtra scandala quę nobis varijs oriũtur ex causis. Impossibile est, inquit, vt non veniãt scandala: hoc est dicere: impossibile est vt non veniant hostes. Scandalorum autẽ genera sunt diuersa; & prima sunt illa

Marc. vlti.

Caie. q. 4. Ientaculi 5.

Augu. ca. 2.

De triplici genere scandalorum.

quæ

Petrus Ravenas.

quæ diaboli fraus parturit, secunda quæ generat calliditas humana, tertia quæ parit in nobis incauta natura. Non tamen omnium scandala æqua sunt lance pensanda. Aliter namque accipiēda sunt scādala pusillorum, & aliter pharisæorum. Illorum quippe scandalum de ignorantia, istorum de malitia est: illi scandalizātur quia veritatem nesciunt: isti, quia oderunt. Vnde cum Dominus ait qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, pusillos illos arbitror appellari, quod voluntatis quidem bonæ, sed non magnæ sciētiæ existentes, zelum Dei habeant, & si non secundum scientiam. Talium scandala, curam non iram prouocare solent spiritualium duntaxat virorum. Indignum namq; est humanam mereri indignationem, qui diuinam miserationem tam facilē consequantur.

Quod non omnia scā dala æqua sunt lance pendanda.

Bernar.

¶ *Væ illi per quem veniunt, vtilius est illi si lapis molaris imponatur circa collum eius, &c.* Expedit ei (inquit Bernar.) qui scandala suscitat in sancta fratrum cōgregatione, vt suspendatur in collo eius mola asinaria, & pro suaui iugo & leui onere Saluatoris, graui mola terrenæ cupiditatis humeris eius imposita, demergatur in profundum maris huius, quod est seculum nequam. Minus enim damnabile erat ei, in seculo perire, quā in monasterio. Perire autem necesse est hominem qui charitatem non habet.

D. Bern.

¶ *Attendite vobis.* Quo ista tendit admonitio præter vsum? Attendite vobis. Vagus oculus, passiuus intuitus, improbus aspectus, suas non respicit ad ruinas. Alienos currit & decurrit ad lapsus, sua cæcus ad crimina, ad aliena errata prælucet, malorum suorum nescius, alienorū est accusator & testis, suumque tepidus ad reatum, ad alterius & innocentis flammatur & excandescit examen. Vobis igitur attendite, vt oculus animæ sit fenestra, mentis speculum, membrorum dux, non introitus vitiorum. Nam ideo in orbem fit aspectus, arctatur angustissimus in pupillam, quatenus moderāte visu videat, nō in videat, præuideat, non præripiat.

Petrus Ravenas.

CAPVT XVII.

¶ *Cauendum à scandalo: remittenda offensa, &c.*

ET ait ad discipulos suos. Impossibile est vt non veniant scādala, væ autem illi per quem veniunt. Vtilius est illi si lapis molaris imponatur circa collum eius et proijciatur in mare, quam vt scandalizet vnum de pusillis istis.

In festo S. Michaelis.

IMpossibile est vt non veniāt scandala. Vbi difficile, aut impossibile ponitur, nō impossibilitas prætenditur, sed raritas demonstratur vt in hoc loco & ad Heb. 6. Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, &c. & prolapsi sunt rursus renouari ad pœnitentiam. Et Psalmo. 4. quis ostendit nobis bona? Et apud Esaiam: generationem eius quis enarrauit? Quis, rem impossibilem aut difficilem significat. His ergo verbis docere vult Dominus quod rarò aut nunquā contingat, quod non sint in hoc mundo, qui in maligno positus est, offendicula multa: hoc est dicta vel facta minus recta prebentia proximo occasionem ruinæ.

Quis, & impossibile in sacra scriptura quid significent.

Heb. 6.

Psa. 4. Esai.

¶ Hoc tamen testimonio forsitan cōmoti Priscillianistæ in ea sententia fuerunt, vt existimarent, homines fatalibus stellis alligatos esse: quare scandala quæ fato quodam eueniunt, nullatenus ab hominibus vitari posse. Quam hæresim damnat concilium Braccarēse primum. c. 9. Si enim ex astrorum virtute penderet quicquid agit homo, & non ex sua electione, prorsus tolleretur hominis arbitrium: at homines esse in suis electionibus liberos, innumera

Hæresis Priscillianistarū, existimātiū, scandala quæ fato quodā eueniunt, nullo modo à nobis vitari posse.

numera docent sacrarum scripturarum loca: quæ alias adduximus. Præterea si fato omnia in homine contingerent non erit quod laudemus in homine, aut vituperem'. In his enim quæ à natura insunt nec laudamur nec vituperamur. Sed offendiculum proximo prebens vituperatur in hoc loco à Domino dicenti: væ autem illi, per quem veniunt scandala.

¶ Rursus, si homines à fato ducuntur nullo consilio, nulla admonitione, nulla prohibitione est opus. In his enim quæ non possunt aliter euenire superflua est omnis consultatio, vanum omne consilium, inanis omnis cautio aut lex, aut admonitio. Nullus enim erit adeo demens vt de crastino solis ortu aut de hodierno occasu consultet, quia quocunque adhibito consilio, non est in nostra potestate vt sol hodie non occidat, & cras non oriatur. Non ergo diceret in hoc loco Dominus attendite vobis. Ac si diceret: & si vestrū non sit vitare quo minus in mundo exoriantur offendicula, vestrum tamē est cauere ne vestro vitio nascantur. Quare si vobis consulere vultis sic effugietis, ne vobis imputari possit offendiculum: si nō solum nulli vestra culpa præbueritis occasionem offendiculi, verum etiam ab alijs oblatum, aut tollatis vestra mansuetudine, aut patientia vestra toleretis, nō regeratis: cauete ergo vobis. Non ergo ita consuleret Dominus si fato & syderibus omnia geruntur. Rursus. Si omnia sic fiūt non erit nobis opus pugnare aduersus vitia: imò inanis esset talis pugna, sed expectandum erit quo fata ducant, quibus homo non potest repugnare, cum sit (vt dicunt) fato subiectus. Frustra igitur persuadetur boni amor & prosecutio, & dissuadetur vitium. Frustra ait Propheta regiꝰ: declina à malo, & fac bonum. Frustra Paulus. fugite fornicationem. Quis ergo suadebit alicui, illa quę non sunt sub eius potestate? Nullus nisi demens suadebit alicui vt ordinē cœli euertat. Deinde si fato homines subijciūtur nō erit opus legibꝰ. Vt quid pręcipitur mihi pax, si mea fata impellunt ad bellū? Iniustē mihi interdicitur furtū, si me furari fata cogunt. Peribit similiter iustitia, quæ vult vt bonis

Psa. 33.

1. Cor. 6.

A præmium, malis autem & discolis pœna irrogetur. Iniustē fur, aut adulter punitur, si à fato vterque sic cogitur, vt nec adulterium hic, nec furtum ille euitare vllo modo possit. Nulla certe erit causa propter quam bonum agens premio potius donetur, quam malū agens: aut quare hic puniatur, non autem ille, cum vterque ex necessitate, non autem ex libertate agat. Quod si alicui bonum, aut malū imputandum venit, imputabitur fato, quod ad bonum, aut malum impellit. At

B cum tale fatum sit iuxta istos certus ordo astrorum in causando, aut influendo, qui certus ordo est à Deo ordinatus, & illis sideribus tributus, conuincitur, vt in Deū etiam mala hominum referantur, qui fatum sic disposuit, vt hominem ad male agendum cogeret. Hoc autē adeò est impium, vt aures horreant audire, Deum esse authorem præcipuum nostrorum vitiorum. Sed quomodo, inquies, id fieri potest: nam si impossibile est, vt non veniant scandala, quo pacto ea euitare poterimus? Sed ad hoc iam in principio diximus

C impossibile in hoc loco, atq; in alijs sacræ Scripturæ pro difficile capi. Vult ergo Christus dicere: difficile est vt non veniant offendicula. Vbi verò difficile ponitur, vt Hieronymus ait, non impossibilitas (scilicet Logica) prætēditur, sed raritas demōstratur. Vix ergo aut raro aut nūquam contingit vt in hoc pessimo mūdo non eueniant offendicula. Adhunc modum ait Dominus apud Matthæum: quam difficile est diuitem intrare in regnum cœlorum: ac si diceret: raro aut nunquam contingit vt diuites intrent in regnum cœlorum. Et quanuis hoc ita sit ta-

D men Abraham, Isaac, & Iacob diuites, intrarunt in regnum cœlorum. Vnde concludit ibi Dominus. Hoc impossibile est apud homines. Apud Deum autem omnia possibilia sunt, idest, quod difficile est hominibus facile est apud Deum. Sic & si impossibile, hoc est, difficile sit vt non veniant scandala, facile est Dei gratia ea vitare. Quare minime excusatur ille, cuius culpa venerit offendiculū. Vnde merito ait Christus: væ autem illi per quem eueniunt. Quemadmodum iure optimo

D. Hiero. Matth. 19.

Matth. 19.

ait

ait de diuitibus, quos seruari difficile dixerat: vę vobis diuitibus. Nemo enim est quilibero suo arbitrio maxime Dei gratia quæ omnibus semper adest, adiuto, non possit & diuitiarum cupiditatem immoderatam abijcere, & fratribus offendiculo non esse. Cæterum si huic obiectioni aliter atque aliter satisfacere desideras lege quæ annotauimus in commentarijs super Matthæum. cap. 18 Et D. Chrysostomum homi. 60. in eundem locũ Matthæi. Et Doctorem sanctum. 22. q. 43. arta 2. in solutione ad primum argumentum. Et Abulen. in idem capud Matthæi. Et Chrysosto. etiam in varijs in Matthæum locis hom. 18.

Luc. 6. D. Chrys. S. Tho. Abulen. D. Chrys.

¶ *Vtilius est illi si lapis molaris imponatur circa collum eius & proiciatur in mare quam vt scandalizet vnum de pusillis istis.* Cum dominus Iesus Christus dicat, vtilius est ei, vt imponatur mola asinaria circa collum eius, & proijciatur in mare, quam vt scandalizet vnum de pusillis istis: quid est scãdalizare? Aut quomodo id euitare poterimus, ne a Deo horribile iudicium veniat in nos? Cui interrogationi respondet D. Basi. in reg. breuio. his verbis. Sanè scandalizat quidem aliquis, quandocũque dictis, factis vel legem violat, & exemplo suo alium ad legis violationem inducit: vt serpens Euam, & Eua Adam: vel quandocunque prohibet exequi voluntatem Dei: vt Petrus Dominũ, quando dixit, absit à te Domine, nõ erit tibi hoc. Cui tunc dictum est, vade post me satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominũ. Vel quando ædificat animum imbecilli ad aliquid eorum, quę vetita sunt: conuenienter illi quod scriptum est ab Apostolo his verbis. Si quis enim viderit te, qui habes scientiam, in idolo recumbentem, non ne conscientia eius cum sit infirma, ædificabitur ad manducandũ idolothyta? Quibus illico adiungit, qua propter si esca scandalizat fratem meum, nõ mãducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem. Oritur autem scandalum pluribus ex causis. Vel enim ab eo qui scandalizat, scandalum nascitur: vel ab eo qui scandalizatur, causa proficiscitur, cur scandalizetur, atque in his item, non vno atque eodem modo. Aliquando enim ex malicia, aliquando autem ex inscitia vel huius, vel illius. Est præterea, quando in ijs, quę rectè vel dicuntur, vel fiunt eorum, qui scandalizantur, malicia magis declaratur. Aut enim mandatum Dei aliquo faciente, aut his, quę in libera potestate posita sunt, liberè vtente, scãdalizatur qui scandalizatur. Quotiescunque igitur in ijs, quæ ex mãdato vel fiũt, vel dicũtur, homines offensionem incurrunt, & in his scandalizantur (vt in euangelio quidam in his, quæ à Domino ex voluntate patris fiebant, & dicebantur). enim vero tunc ea in memoriam nobis sunt reuocanda, quæ de huiusmodi hominibus idem Dominus responderit. Quãdo illum adeuntes discipuli, sic allocuti sunt: scis quod pharisæi, audito verbo hoc scandalizati sunt? Sic enim illis respondit, omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite illos. Cæci sunt, & duces cæcorũ. Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadent. Sanè quę multa huiusmodi cum in euangelijs, tum apud Apostolũ reperire quis facile posset. Vbi verò in his, quæ posita in potestate nostra sunt, impingit aliquis, scandalizatur ve, enim vero tunc veniendum & in memoriam eorum domini ad Petrũ verborum, quando dixit, ergo liberi sunt filij. Vt autem non scãdalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscẽ, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies staterem: illum sumens, da eis pro me & te. Et item eorum, quę Apostolus ad Corinthios scribit, his verbis: Non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem. Et alio in loco: Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. Quam autem metuendum sit in his, quæ videntur posita esse in potestate nostra, pati, vt frater scandalizetur, docet præceptum Domini, quo in vniuersum, modus omnis interdicitur scandalizandi, quando dicit, videte ne contemnatis vnum ex his pusillis: dico enim vobis,

Scãdalizare quid sit. D. Basi. Ab exẽplo confirmatio. Matth. 16. d. 1. Cor. 8. c. 1. Cor. 8. d. Scandalorum origo non vna. Non offi|cia te le|genda hæc. Matth. 15. d. Matth. 17. d. 1. Cor. 8. d. Rom. 14. d. Matth. 18. b.

bis, quia angeli eorũ in cœlis semper vidẽt faciem patris mei, qui est in cœlis. Quod ipsum testatur etiam Apostolus, alias quidem cum dicit, sed hoc indicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum. Alias autem, cum grauius etiam num ab huiuscemodi peccato deterrens, sic dicit, si quis enim viderit te, qui habes scientiam, in idolo recumbentem, nonne conscientia eius, cum sit infirmus, ædificabitur ad manducandum idolothita? Et peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quẽ Christus mortuus est. Quibus adiungit, sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizẽ. Et alio in loco cum dixisset, an ego solus & Barnabas non habemus potestatẽ non operandi: deinceps illud adiungit, sed nõ vsi sumus hac potestate: sed omnia sustinemus, ne quod offendiculũ demus Euãgelio Christi. Cæterum cum rẽ adeo formidabilem esse demonstratum sit in ijs quæ in potestate nostra posita sunt, fratrem scandalizare: quid de ijs dicendum erit, qui rebus vetitis faciendis loquẽdis ve scandalizent, & maximẽ quando vel scientia quadam maiore præditus videatur, qui scãdalizat, vel in sacro aliquo gradu censeatur, qui cum cęteris tãquam regula exemplar ve esse propositus debeat, si vel minimum quid neglexerit, eorum, quæ scripta sunt videlicet, aut eorũ, quæ interdicta sint, fecerit, aut eorũ, quæ iussa omiserit, aut denique huiusmodi aliquid dissimulãter prætererierit, vel in hoc vno tantum iudicium commeritus est illud, quod sanguis peccantis exquiretur de manibus eius. Hactenus D. Basilius lege eundem de baptismo. cap. 10.

Ro. 14. b. c

1. cor. 8. d

1. Cor. 9. e ibidem.

Gradus sublimitas addit epitasin scandalo.

Ezech. 3. c

¶ *Si lapis molaris.* Si mola asinaria, vel mola inferior retinens frumentum. Expressit supplicij genus peculiare Palesthinis. ¶ *Imponatur circa collum eius.* Complectatur collum eius. Vel ponatur circa collum eius.

¶ *Attendite vobis.* Quantum sit à viris Apostolicis, à prælatis Ecclesiæ, à sacerdo-

A tibus, à viris religionem profitentibus cauendum scãdalum docet hic locus. Hoc idem monet D. Paul. in Epist. ad Rom. c. 14. Ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum. Nihil enim ita nocet, vt scandali ansam præbere pusillis. Nam quando vident aliquos ex primoribus virtute conspicuos, huius vitæ negocia & curas è sublimi contemnere: admirãtur, obstupescunt, quod cum eiusdem naturæ nobiscum sint, non concedantur ipsis eadẽ eosque quoad possunt imitari conãtur. B Quando autem pusilli vident aliquod delictum in maioribus, statim ad eorum imitationem eadem committere non verentur. Quod maximum delictum est. Hinc est quod Dominus olim de suis cõquerebatur ansam scãdali & blasphemiæ suis peccatis præbentibus: dominatores eius iniquè agunt, & iugiter tota die nomen meum blasphematur. Vide quã pestilens sit principum flagitium, quoniam illis attribuit blasphemias populi. Vnde sicut hos qui per sua flagitia causam & ansam peccandi populo prębent, maxima pœna manet ac condẽnatio dicente nũc C Christo: væ autem illi, per quẽ eueniũt: væ enim, terribile verbum est, & horrore plenum: ita è diuerso virtutum studiosis & stantibus in Domino fit multarum coronarum materia: quod docens Christus dicebat: luceat lux vestra coram hominibus vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. Nam quemadmodũ pusilli delictis prælatorum & religiosorum offensi, linguã acuunt contra eos, ac sæpe contra dominum nostrum, sic etiam si virtutem exerceant prælati, non eos tantum laudabũt, D sed cum viderint opera sua lucentia & facies suas illustrantia, ad glorificãdum patrem qui in cœlis est prorumpent: cumquè hoc ab illis fit, rursum talium prælatorum rẽtributiones augebantur & multa tunc omnibus nobis bona concedet Deus eò quod ab illis laudatur. Quicunquẽ, inquit, honorauerit me, glorificabo eum. Omnia igitur faciamus, vt glorificetur Dominus, & nulli simus offendiculi occasio. Id quod perpetuo nos docet magister orbis beatus Paulus interim sic dicens;

Scãdalum est potissimũ iter vitãdum à prælatis.

Rom. 14.

Esai. 52. & Rom. 2.

Matth. 5.

1. Reg. 2. f

1. Cor. 6.

dicens: si esca scandalizat fratrem meum non manducabo carnem in æternum. Et subdit: sic autem peccantes in fratres, in Christũ peccatis. Minæ illæ austeræ sunt, & magnam secum condemnationem afferunt. Dicere enim vult: ne opineris quod damnum hoc ad illum qui offenditur solum pertineat, transit enim ad Christum ipsum, qui propter illum crucifixus est. Igitur si dominus tuus propter illum crucifigi non detrectauit, non tu omnia feres, ne quam scandali occasionem illi præbeas? Hoc vbique inuenies illum discipulis consiliũ dare. Hoc enim est quod vitam nostram conseruat: propterea & alibi scribens dicebat: nemo quod suum est quærat, sed aliorum. Et rursum: omnia mihi licent, sed non omnia ędificant. Vides Apostolicam sapientiam? Etiam si liceat, inquit, mihi aliquid facere, nihilquè hinc mihi damni accedat: sed quia hoc nõ facit ad proximi ædificationẽ, nequaquam hoc fieri sinam. Vides animam suauiter nos amãtem, quomodo nusquã, quod suum est quærit, sed omnibus modis ostendit, virtutum longè maximam esse, magnam curam gerere quomodo proximus ædificetur? Hæc obsecro omnia scientes, obseruemus, caueamusque ab his, quæ spiritualem virtutum thesaurum offendere possunt: & nihil vnquam faciamus, quo incommodetur proximꝰ. Hoc enim & peccatum auget, & grauius nobis adducit supplicium. Neq; vt rem paruam contemnamus frigida hæc verba, dicentes: quid mea refert, si offendatur proximus? Dic obsecro, quid dicis? Quid tua refert? Sic tuam fulgere vitam pręcepit Christus, vt non solum videntibus te sis admirationi, sed vt & Dominus tuus glorificetur: tu verò omnino contrarium agis, & pro gloria Dei blasphemias introduci facis, & hoc contemnis? Hoccine fuerit animæ piæ, legesque diuinas scientis? Cæterum qui prius hæc per malam consuetudinem dicere solitus fuit, suscepta nunc admonitione hac, desistat, oro, ab illicitis huiuscemodi sermonibꝰ, & sic omnia facere studeat, vt neque ab oculo, qui nunquam sopitur vel cęcutit, neque à conscientia sua cõdemnetur: neque eos qui se vident, in blasphemias aduersus dominũ inducat. Quod si hac obseruatione dispensabimus ea quæ nostra sunt, multa fruemur & apud Dominum misericordia, & diaboli insidias effugiemus. Videns enim nos ita sobrios & vigiles, & cogitans se operam perdere discedet & occultabitur.

1. Cor. 10. — D. Chrys. in c. 1. Gen. ho. 7.

¶ Feria. 3 p. 3. dominicã. 40.

SI peccauerit in te frater tuus increpa illum: & si pœnitentiam egerit, dimitte illi, et si septies in die peccauerit in te et septies in die cõuersus fuerit ad te dicens: pœnitet me, dimitte illi.

Matth. 18.

SCiens Dominus quod non ab impijs modo nobis oriuntur tumultus, verũ etiam inter nos, quoniam homines sumꝰ nonnunquam oriantur offensæ, conatur huiusmodi offensis mederi fraterna monitione quæ non prodit peccantem, si sanabilis est, & veniam habet paratam pœnitenti. Audiamus ergo dominum.

¶ *Si peccauerit in te frater tuus increpa illum.* His verbis docet Christus dominus quod si fors euenerit vt aliquid admittat in nos frater noster, non velimus dissimulare culpam, ne impunitas inuitet licentiam: sed fidum medicum vnusquisque nostrum agat, secreta obiurgatiuncula morbum suum illi ostendẽdo: vt pudore corrigatur. Faciliꝰ audiet amicum monitorem, quam turbulentum accusatorem, quem habiturus est pro hoste. Sic enim ferè est hominum ingeniũ vt acquiescant libentius consilijs, quam succumbant iniurię. Non potest non videri officium, cum quis secreto monet. Qui palàm defert, & ad pœnã vocat, non videtur velle mederi malo fratris, sed traducere. Duo ergo hic sunt annotãda. primum est non debere nos culpam proximorum

Culpa proximorum non est dissimulanda sed corrigenda. d. 86. c. facientis.

morum dissimulare. Nam qui negligit emendare quod valet, facientis culpã habet. Unde in dist. 86. decretorum dicitur: Facientis culpã procul dubio habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare. Scriptum quippe est: nõ solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, participes iudicantur. Et libat Domino prospera, qui ab afflictis pellit adversa. Et negligere cũ possis perturbare perdertos, nihil est aliud quam fovere. Nec caret scrupulo consentionis occultæ: qui manifesto facinori desinit obviare. Et probat odisse se vitia qui condemnat errantes. Neque reliquit sibi locum deviandi, qui non pepercit erranti. Et primus innocentiæ gradus est odisse nefanda. Et latũ pandit delinquentibus aditum qui iũgit cum pravitate consensum. Et nihil prodest alicui non puniri proprio qui puniẽdus est de alieno peccato. Hæc ibi. Lege similiter quæ a summis Pontificibus dicuntur in distinctione. 83. ¶ Alterum vero quod memoriæ mandare oportet, illud est, secreta objurgatione admonendum esse errantem. Unde D. Augustinus in sermo. 16. de verbis Domini inquit: Si peccaverit in te frater tuus corripe eũ inter te & ipsum solum. Quare? Quia in te peccavit. Quid est in te peccavit? Tu scis quia peccavit. Quia enim secretum fuit quãdo in te peccavit, secretum quære cum corrigis quod peccavit in te. Nã si solus nosti quia peccavit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non eris corrector erroris sed proditor. Attende quẽadmodum vir iustus Ioseph, tãto flagitio quod de uxore fuerat suspicatus, tãta benignitate pepercit, ante quam sciret unde illa conceperat, quam gravidam senserat: & se ad illam non accessisse noverat. Restabat itaque certa adulterij suspicio, & tamen quia ipse solus noverat, ipse solus sciebat quid dicit euãgelium. Ioseph autem cum esset iustus, & nollet eam traducere: voluit occulte dimittere eam. Ergo corripienda ipsa sunt coram omnib9: quæ peccantur coram omnibus. Ipsa vero corripienda sunt secretius, quæ peccãtur secretius. Distingue tempora & concordabit scriptura. Sic agamus & sic agẽdum est, non solum quando in nos peccatur, sed etiam quãdo peccatur ab aliquo, ut ab altero nesciatur, in secreto debem9 corrigere. Hæc August. cuius verba referuntur. 2. q. 1. c. si peccaverit. Lege quæ de fraterna correptione diximus super Matthæi 18. cap. ¶ *Si peccaverit in te frater tuus increpa illum.* Increpa illũ ut iudex, ut frater remitte, quia charitas & terrorem comprimit, & suscitat fratrem. Fuit frater, alicubi ægritudini, tu illum iuva ut frater. Ne furenti imputa commissum, sed febri, ut illius sanitas ad tuam gloriam recurrat, illius venia tuum redundet ad premium. Siquidem bona semper est venia, sed tunc dulcissima, cũ debetur.

d. 83. per totam.

Secreta objurgatione admonendus est peccator secreto errans.

D. August.

Matth. 1.

2. q. 1. c. si peccaverit

Petrus Ravenas.

¶ *Et si septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te, dicens: poenitet me, dimitte illi.* Numerus septenarius est Hebræis familiaris, propter diem septimum quem servant. Atque in scriptura sacra hic numerus definitus pro numero indefinito sumitur. Volens Esaias significare tam admirabilem futuram esse Hierosolymæ virorum paucitatem ob cladem Iudæorum, ut multæ viduæ apprehenderent virum unũ, quem vix possent invenire, dixit: apprehendent septẽ mulieres virum unũ. Ubi septem mulieres pro multis ponũtur. Et rursus: lux solis erit septempliciter: sicut lux septẽ dierum. Explicans Hieremias Hierosolymæ calamitatem & Hebræorum interitum, infirmata est, inquit, quæ peperit septem. Ac si diceret: oppressa est Hierosolyma mater multorum virorum, qui in prælio corruerunt. Mulier cum filijs augetur, dicitur corroborari: cum autem eos amittit, infirmari. Id quod est in Gene. omnis qui occiderit Cain septuplum punietur; hũc habet sensum. Qui Cain interfecerit multiplici poena mulctabitur, & perfecte punietur non quod septies puniatur, cum nec bis Deus iudicet idem, sed perfecte castigabitur. Quemadmodum dicitur in Psal. argentum igne examinatum, purgatum septuplum. In oratione Annæ, quæ refertur capite secundo libri primi Reg. ubi communis versio habet: sterilis peperit plurimos, est in Hebraico: sterilis pepe-

Numerus septenarius definitus pro indefinito sumitur in sacra scriptura

Esai. 4.

Esai. 30.

Hiere. 15.

Gen. 4.

Psal. 11.

1. Reg. 2.

perit septē: vbi aspicis accipi numerū definitū pro indefinito. Eodēmodo arbitror intelligi Prouerbiorū illud: septies in die cadit iustus. Atq; in hoc loco & si septies in die peccauerit in te, & septies in die cōuersus fuerit ad te dicēs: pœnitet me: dimitte illi. Ac si diceret: si frater tuus per humanā fragilitatē & infirmitatē relapsus fuerit in culpā, etiā si multoties eodē die peccauerit in te, ac toties in die resipuerit, teq; placare studens dixerit: peccaui, pœnitet, ignosce: cōdona illi ex animo culpā. Sed ais: si hoc nobis faciēdum præcipit Dñs: quonā modo ipse hoc idē nō facit. Ipse enim ait per Amos Prophetā: super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor nō conuertā eū: siue vt verti potest ex Hebræo, nō parcā ei. Ac si diceret: quoniā Damascus ter, & quater, hoc est, septies incidit in scelera, quoniā sæpe flagitia cōmittit, nō ea illi cōdonabo. Hoc tamen nō obstat, quo minus certa res sit, nulli peccatori quantūuis scelesto & sceleribus imbuto, nō esse aditū ad veniā: si doleat, si agnoscat culpā, si petat veniam. Quēadmodum ergo nos tenemur ex animo cōdonare culpā pœnitēti, etiā si sæpe in nos peccauerit: ita Deus cōdonat etiā si millies peccauerimus in eū. Cæterū apud Amos agit dñs nō de pœnitente, sed de peccatore obstinato: nullū faciēte finē peccādi. Huiusmodi erat Syria, cuius caput erat Damascus, de qua loco illo Deus per suū diuinū vatē loquebatur. Sed tanta est Dei misericordia, vt si bene aduertas, verbis illis, quibus Syris suppliciū minabatur, eos voluit excitare ad pœnitentiā, vt illis ad seipsum cōuersis flagitia cōdonaret. Tanta inquā, est Dei benignitas tanta pietas vt nolit mortē impij, sed vt cōuertatur à via sua & viuat, vt ipse apud Ezechielē testatur. Quibus verbis peccatores erigit promissione misericordiæ suæ, cohortans illos vt animū recipiāt, & spē cōferant in diuinā pietatē. Et si enim sint grauissimis sceleribus irretiti, tamen intelligāt infinitis partibus esse maiorem suā clementiā: qua freti, veniā suis flagitijs suppliciter postulent: quā concedet, quoties nos pœnitet. Quare confugiamus ad illū, quē inueniemus maiore alacritate paratē ad nos recipiendū, quā nos ipsos ad Deū amplexandū. Ipse est qui salutē nostrā desiderat, qui pro nobis acerbissima tormenta subiuit, qui in crucis ara se cōstituit hostiā, vt suo sanguine nostra crimina expiaret. Ipse est, vt verbis vtar d. Pauli qui vult oēs homines saluos fieri, & ad agnitionē veritatis venire. Ipse est qui nobis præcipit si septies in die peccauerit in te & septies dixerit pœnitet me, dimitte illi. Ipse est, qui dixit Petro dimittendū esse proximo non solū septies, sed septuagies septies. Ipse est qui ouē perditam quæsiuit, & inuenit & suis humeris asportauit. Ipse est qui filiū prodigū, qui omnia bona sua turpiter dissipauerat, benigne receperit. Ipse est pater misericordiarū & Deus totius cōsolationis. Accedamus ergo ad eū. Et vt ait D. Paul. adeamus cū fiducia ad thronū gratiæ eius, vt misericordiā consequamur, & gratiam inueniamus. Impius Cain vbi iustū Abel per summū scelus interfecit, dixit Deo: maior est iniquitas mea, quā vt veniam merear. Hieremias inducit impios ita loquentes. Desperauimus, post cogitationes nostras ibimus: & vnusquisque prauitatem cordis sui mali faciemus. Et D. Paul. aiebat: desperātes semetipsos tradiderunt impudicitiæ. Contra verò Iob dicebat: etiā si occiderit me in ipso sperabo. Et Esaias: Domine miserere nostri, te enim expectamus. Et Dauid viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino. Et Ecclesiasticus. Respicite filij nationes hominum & scitote quia nullus sperauit in Domino, & derelictus est. Et D. Paul. in episto. ad Heb. teneamus spei nostræ confessionē indeclinabilē. Quis desperaturus est de misericordia illius Dei, qui ait: viuo ego, nolo mortem impij, sed vt conuertatur & viuat. Viuo ego, est Dei affirmatio & veluti iuramentum. Et in hoc loco si septies peccauerit & septies pœnituerit dimitte illi. Quod verò nullum peccatum sit irremissibile ostendimus latius in commentarijs super Matthæum capite decimo octauo, in illa verba non dico tibi septies, sed septuagies septies: cum locum hunc ad mores componendos explicabamus.

¶ Sed ais secundo: si cōdonanda est culpa

Pro. 24. Amos. 1. Ezech. 33. 1. Tim. 2. Matth. 18. Supra. 15. Ibidem. Heb. 4. Gene. 4. Hiere. 18. Ephe. 4. Iob. 13. Psal. 30. Eccle. 2. Heb. 10.

primis modo animæ, cum oculis careant, non possint beatos corporeis oculis intueri. mentis autem acie eos intueri nulla est repugnantia: cum animæ à corpore separatæ optimè alias animas à carne mortali separatas videre possint, veruntamen cum mentis acies finitæ limitatæq; virtutis sit: natura ipsa, in tantam distantiam protendi non potest. Imo quanuis fœlices illas animas damnati cernerent: earum tamen gloriam, quod supernaturalis sit, cernere minime possent. Gloriam enim nemo videt nisi qui accipit dicente Domino: vincenti dabo manna absconditum, & nomen nouum, quod nemo scit nisi qui accipit. Et diuus Paulus oculus non vidit neque auris audiuit quę pręparasti diligentibus te. Sunt tamen aliqui in ea opinione vt existiment, Deum damnatis sanctorum gloriam reuelare, vt acrius contorqueantur, quod illam suis sceleribus ac demeritis amiserint. Cui opinioni ansam præbuerunt testimonia diui Augustini atque diui Gregorij à magistro adducta: ob quorum autoritatem solet à viris doctis hæc sententia affirmari. Damnati, si seclusa reuelatione res agatur, quanuis de imis illis sedibus, sanctorum gloriam non videant intuitiue, imo fortè nec sanctos ipsos singulariter, eatenus tamen eorum fœlicitatem videre censentur, vt in genere & in cōfuso intelligant esse maximam. Quod ad eorum afflictionem atque intimum animi dolorem satis est. Priorem partem satis probatam esse credimus: cum nec naturaliter in tantam distantiam eorum acies extendi possit, nec reuelatione superna digni sint, nec talis reuelatio ad cruciatum tormentumque eorum sit necessaria. Secunda vero pars vel ex eo constare potest quod dæmones, ac fideles bene norunt, licet non clara distincta intuitiuaque notitia, quanta sit illa beatorum fœlicitas, quanta maiestas & gloria. Qui vero solo naturali lumine affecti è vita discesserunt, videntes illuc vbi ipsi detinentur, non occludi, nisi qui corruptis moribus Deum optimum maximum offenderunt, ex tormentorum magnitudine, quæ sciunt sibi tanquam in exilio à regno cœlesti exclusis, per iustitiam Dei distributiuam infligi, intelligunt quanta glorię claritate, & gaudiorum magnitudine, & honorum amplitudine, eos remuneret, qui eius regno & præsentia potiuntur. Imò quanuis non aliud intelligerēt, quam Deo esse præsentes, satis esset ad reliqua conijcienda. ¶ Hoc autem exemplum de Epulone, non vsque adeo mouet, ad probādum quod damnati beatos in cœlo existentes videant. Primò quod Abraham tunc & Lazarus nondum erāt beati: sed in limbo existebant vbi poterant ab Epulone videri: sed non inde colligere necesse est vt possint eos qui in cœlo sunt intueri. Deinde poterat illud per singulare priuilegium contingere.

Apo. 2.

1 Cor. 2.

¶ Discrimen autem quod Augustinus & Gregorius assignant inter damnatos ante iudicium, & post iudicium, vix sanè intelligitur, nisi diuina admittatur in damnatis reuelatio. Nā tenebræ non erunt tunc spiritualis cæcitatis maiores in inferno. Idemque ignis erit. Quare si modo non impedit quin damnatorum animę beatos videant, nescio quomodo impediat, ne postea beatos videant. Nisi dicamus (quia aliter Augustinus & Gregorius defendi non videntur) post diem iudicij solū in damnatis duraturam memoriam eiusdem diei, in qua vniuersam beatorum gloriam videbunt: quæ memoria sufficiet ad eorum tormētum & afflictionem. Sed quia ante illum diem necesse est, vt etiam contemplatione illius gloriæ torqueantur, nunc habent animæ ferè aliquam illius glorię reuelationem, quæ deinde tanquam non necessaria, cessabit. ¶ Sed ais quod sanctis in hac vita cōceditur, singulari quodā priuilegio cōceditur, quod non æquum affirmare idem esse concessum in inferis constitutis: Paulo verò tāquam admirabile priuilegium concessum est vt Dei arcana audiret, quę non licebat homini loqui: igitur non est credendum hoc idem esse damnatis donatum. Sed respondere possumus latissimum inter Paulum & miseros illos esse discrimen. Paulus enim ad illam cœlestem gloriam est raptus, vt spes eius perpetuò illam possidendi roboraretur, &

Augusti. & Grego. exponuntur.

confir

confirmaretur: imò vt illo singulari munere tanquam initio futuri premij donaretur. Damnatis verò reuelatur, vt magis ac magis crucientur, doleant atq; torqueantur.

§ Secunda verò sententia pro firmo tenenda, ea est: quod beati spiritus cæterique sancti supernas sedes tenentes pœnas damnatorum vident. Cum nihil eis negandum sit quod ad suam fœlicitatem pertineat: pertinet autē vt crucem damnatorum intueantur: tum, vt maiori perfruantur gaudio intelligentes à tantis tamque grauissimis pœnis esse liberatos: tum etiam, vt ingentiores ac cumulatiores Deo referant gratias. Non tamē opus est vt semper pœnas illas intueātur, sed cum illis libuerit poterunt tali tātoq; perfrui gaudio. Quanuis igitur quātum est ex natura rei, mortui nesciāt quæ hic geruntur: tamen beati ratione status optime sciunt quæ apud inferos fiant. Nā qui intus habent, ait Grego. Dei claritatem nullo modo credendum est, quod sit foris aliquid, quod ignorēt. Prædicta sententia probari potest ex loco illo Esaiæ. c. vlt. Et egredientur & videbunt cadauera virorum qui præuaricati sunt in me: vermis eorum non morietur. & ignis eorum non extinguetur & erunt vsq; ad satietatem visionis omni carni. In quæ verba lege glossam.

Grego 12. Mor. in illud Iob. siue nobiles fuerint filii eis, &c. Esai, vlt.

§ Tertia vero sententia sit beatos damnatorum miseriam videntes ad misericordiam non commoueri: imò lætari. Neque enim compatiuntur illorum cum talis passio & dolor in beatis esse nō possit: neque volunt eorum miseriam tollere cum sit iam à Deo stabilita perpetua eorum pœna. Delectantur autem & gaudent videntes eorū pœnas non quatenus habent rationem mali, hoc est, damni: cū talis lætitia esset indicium odij: sed quatenus sunt vindices diuinæ iustitiæ iuxta illud Psalmographi: lætabitur iustus cum viderit vindictam. Lege magistrū in d. illa vltima. 4.

Psal. 57. Sot. d. 50. arti. 6.

§ *Pater Abraham miserere mei: mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meā.*

A Qui prius iustum expulerat nunc misericordiam eius postulat. Sic Gene. cap. 26. Rex Abimelech qui prius iustum Isaac eiecerat è suis finibus tandem ad eum venit, atque amicitiam eius ambit. Vnde & Sapiens: Tunc, inquit, stabunt iusti in magna constantia, aduersus eos qui se angustiauerunt. Patienter igitur expectemus sicut mendicus iste, & sicut Isaac, nā suo tempore certo aderit. Secundo hic docemur: plerumque contingere vt qui hodie diues est, cras ad paupertatem redigatur. B Quod si in hac vita nihil tale contingat, at in futuro contingere potest. Exemplo tibi sit diues iste, qui post mortem coactus fuit auxilium implorare: ab eo quem maxime contempserat. Non igitur si diuites sumus, tam duri simus erga pauperes: sed cogitemus etiam nobis talia contingere posse. Hinc erat quod tam proni essent patres illi antiqui ad hospitalitatem, & ad misericordiam exhibendam alijs. Omni enim studio intenti erant, vt alijs benefacerent. Experientia didicerant, quid sit pauperem & peregrinum esse, & inter alienos conuersari. C Nostræ duritiæ maxima causa est, quod non experti sumus paupertatis & exilij incommoda. Hinc Moses non semel Israelitas monet: memento, inquit, quod & tu seruieris in AEgypto. Item, quod & tu aduena fuisti in terra aliena. Si miser iste diues expertus in vita fuisset paupertatis malum, non tam durus & crudelis esset in Lazarum. Sed nunc in maxima egēstate constitutus, coactus est diuitem Lazarum adire. Audiamus ergo consilium Pauli dicentis in Epistola ad Romanos. capit. 12. Necessitatibus sanD ctorum communicantes. Vt, scilicet, cum defecerimus recipiant nos in æterna tabernacula. Quod quia non fecit diues iste cuius cor erat lapideum: mendicat modo stillam aquæ. Sed laborabit in æternum miser & viuet adhuc in finem. Meminisse debuerat male cordatus epulo quia olim Salomō scriptū reliquerat: qui obturat aurem ad clamorē pauperis & ipse clamabit & non exaudietur. Ficus nō floret, cū fructus habeat dulcissimos.

Patienter in hac vita toleranda sunt labores nā suo tempore semper siderit Deus. Gen. 26. Sap. 5.

Caueant sibi diuites ne duri sint erga pauperes nam veniente morte nullus illorum miserabitur.

Deu. 5.

Deut. 24.

Rom. 12.

Psal. 48.

Pro. 28.

Huiusmodi sunt qui multa habentes bona nihil intelligũt super egenum & pauperem. Quomodo autem animam suam epulo iste pro fratribus poneret, vt Ioan. admonet, qui cor plumbeum habebat. Si quando ergo fames & penuria & rerum omnium egestas opprimit mundum: sciamus hoc ex ira Dei descẽdere, qui, in pauperibus, si non accipiunt eleemosynam, famem pati dicitur: & sua portione fraudari. Beatus de cuius domo nunquam vacuo sinu pauper exiuit. Nec quisquam magis beatus quam qui intelligit super egenum & pauperem. Si ergo diues es, hoc tibi persuade: quod quoties à paupere rogatis, tentari te à Deo, an sis dignus exaudiri: disperge ergo & da pauperibus & iustitia tua manebit in seculum seculi. Carnem tuam ne despexeris atque peccata tua eleemosynis redime, & in futura vita non mendicabis, nec esuries neque sities. ¶Tertio perpende quo nam pacto nullus vnquam damnatus à domino, exauditus aut auxiliatus fuit, à sanctis iam beatis aut aliam (qualem modo Abrahá) vitam degentibus. Cuius rei imaginẽ habes apud Matth. c. 22. vbi è conuiuio eiectus est ille qui non habebat vestem nuptialem: atque ligatis manibus & pedibus proiectus est in tenebras exteriores ad iussum regis, nullo conuiuarum pro illo intercedẽte. Hoc idem videre licet apud eundem Matthæ. c. 18. vbi qui abscondit in sudario talentum in easdem pœnas incidit. & tamen nullus aliorum, qui intrarunt sedes illas cœlestes, pro misero illo dominum deprecatus est: hoc etiam idẽ in virginibus fatuis intelligere poteris. Tandem iam vides infœlicem epulonem istũ ad ianuam Lazari & Abrahæ clamãtem: & nõ exauditum. Quare dum viuis tibi caue: nam apud inferos, quo tu scelestè properas: nulla est redemptio, nulla exauditio, nulla spes salutis.

1. Ioan. 3. — D. Hiero. — Matth. 25. — 2. Cor. 9. — Esai. 58. — Dani. 4. — Nullus dãnatus exauditur à Deo nec à sanctis eius beatis. — Matth. 22 — Matth. 18.

¶*Pater Abraham miserere mei & mitte Lazarum, &c.* Ait diues iste. Vbi vides quam vera sint quæ de huiusmodi diuitibus dixerat Iob. Diues cum dormierit nihil secũ auferet, aperiet oculos suos & nihil inueniet: apprehendet eũ quasi aqua inopia: nocte opprimet eũ tẽpestas. Sero diues iste aperuit oculos, inquit Gregor. quando Lazarum requiescentem vidit, quem iacentem ante ianuam videre contẽpsit. Intellexit ibi, quod hic facere noluit: in damnatione sua cognoscere compulsus est quid fuit quod perdidit, quando indigentem proximum non agnouit. Videamus nunc inopiam ardẽtis diuitis, cuius tanta abũdantia fuit epulantis. Ait enim pater Abrahã, miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam & refrigeret linguam meã, quia crucior in hac flamma. Quibus verbis nobis non hoc innotescitur, inquit Gregorius, quia illic in tanto ardore, vna tunc ad sufficientiam refrigerij aquæ stilla requiratur: quod is, qui de abundantia peccauerit, illic æstuanti nimis cremetur inopia. Videmus enim in verbis diuitis ex subtilissimo Dei iudicio, quam digna tali culpæ pœna responderit. Agente namque inopia illic vsque ad minima petenda compulsus est, qui hic agente tenacia, vsque ad minima neganda peruenit. Quid tibi subtilius, quid districtius potest? Guttam aquę petijt, qui micas panis negauit. Apprehendit eũ, quasi aqua, inopia. Non immeritò aquę tunc illa inopia comparatur: quia in inferno cruciat, qui susceptos in profundis absorbens, solet lacus nomine designari. Vnde per Prophetã quoq; humani generis voce dicitur: Lapsa est in lacũ vita mea. Ereptorũ verò exultatione cãtatur: Dñe Deus meus clamaui ad te: & saluasti me. Dñe abstraxisti ab inferis animam meam, saluasti me à descendentibus in lacum. ¶Obserua præterea quo pacto, vt modo dicere incipiebamus, diues iste tunc incepit cognoscere culpam quãdo cœpit persentire pœnã. Sic Cain ait: maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear. Hic tãdem miser Cain incipit sentire peccatum, eiusque grauitatem, quantuncunque enim prius à Deo admoneretur, peccati sui, tamen nihili pendebat, nunc autem post latam sententiam, primum videt serio rem agi. Idem faciunt impij omnes, minime credunt Deum puniturũ peccata, nisi iam sentiant pœnã. Sic diues iste in inferno iam positus, primum incipit gratiam quęre

Infœlicitas diuitis auari post mortem, quanta. Iob. 27. — D. Grego. — D. Grego. 28 Mora. c. 10. — Thre. 3. — Psa. 29. — Impie tũc incipit cognoscere culpã quãdo incipit persentire pœnam. — Gen. 4.

quærere; sed frustra: audit enim fili, recordare, &c. Tempus præterijt, &c. Sic sapiens dicit: Impijs in inferno primum oculos aperiendos vt & suam miseriam, & sanctorum videant fœlicitatem. Videntes, inquit, turbabuntur timore horribili, &c. Quanto satius igitur esset, ante iudicium peccata nostra attendere, veniamque quærere? ¶ Deinde nota, quod pene semper epulas loquacitas sequitur. Cumque venter reficitur lingua defrenatur. Prius epulatus dicitur hic diues splendide: & post, aquã petere in lingua memoratur. Quia enim inter epulas valde defluere loquacitas soleat, ex pœna, indicat culpam. Cum eum quẽ epulatum quotidie splendidè veritas dixerit, in lingua plus ardere perhibeat. Vide Gregor. 1. Moral. cap. 5. ¶ Quanta mala, inquit Chrysosto. lingua habet, Iacobus in epistola sua loquitur: modicum quidem membrum est, sed magna exaltat. Qua plurimum peccauit amplius torquetur. Et quemadmodum medici febris corporei grauitatem ex lingua cognoscunt: sic ex eadem febris animæ dignosci potest.

Sap. 5.

Ferè semper epulas loquacitas sequitur.

Chryso. in hunc locum.

Iacob. 3.

¶ *Quia crucior in hac flamma.* Hic disserere solẽt sancti ac disputare quo nam pacto anima quæ corpus non habet discrucietur in inferno igne corporeo. Atque vt impresentiarum omittamus diuersas aliorum sententias: Ea tanquam probabilior mihi venit in mentẽ quæ ait: animas, ac dæmones à corporeo illo inferni igne, non solum velut in ergastulo & vinculis detineri: verum & illa tristitia excruciari, eiusdemque prorsus rationis, ac si corpora quibus essent vnita cõcremarẽtur. Enim verò quod ab illo igne detineantur (vt communis habet opinio) certissimum est quia illic tam animę quam dæmones veluti in carcere detrusæ sunt. Quare infernus per metaphoram portis & ferreis vectibus prædicatur occlusus: sic enim diuinus Psaltes: eduxit eos de tenebris & vmbra mortis & vincula eorũ dirupit: quia cõtriuit portas æreas & vectes ferreos confregit. Vnde D. Augusti. sicut anima, inquit, iungitur corpori dãs ei vitam, & ex illa coniunctione vehemẽter concipit amorem ad corpus, sic ligatur igni vt accipiens ab eo pœnam, & ex illa coniunctione concipit horrorem. D. etiam Gregorius lib. Dialogo. capit. 29. (quod & Iulianus Toletanæ vrbis Archiepiscopus vsurpauit) si viuentis, inquit, hominis incorporeus spiritus detinetur in corpore, cur non post mortem etiam corporeo igni teneatur? Ad cuius confirmationem adducit hunc locum Epulonis qui excruciabatur in flamma. ¶ At verò ita hoc verum est, vt tamen sufficere non videatur, vt anima peculiariter ab igne cruciari dicatur. Nam vt tantum esset carcer & vincula non plus ignis conferret, quam aqua vel aer. Imo solus Dei iussus sufficeret, vt dæmones & animas illic teneret. Ignis autem peculiariter tanquam crudelius diriusque affligens, dæmonibus paratus est: ergo alio peculiari modo illos affligit. Quo circa nec satis est respondere, quod detineantur animæ in igne, quod postea sit discruciaturus corpora. Nam & dęmones cruciat, quorum corpora non torquebit. Et epulo iste non solum ait: quia teneor in hac flamma, sed quia crucior: quasi eius incendium experiens, quod aquę guttula sedari cupiebat. Item, animæ resumptis corporibus acrius affligentur quam per detentionem, ob sensualem dolorem illius ignis qui erit in corpore: ergo & nunc eadem torquentur afflictione; nam pœna ignis tunc non crescet in anima. Crediderim ergo quorundam in hac re coniecturam esse probabilem: quod quemadmodum anima dum corpus, quod in hac vita viuificat, exuritur, peculiarem afflictionem & tristitiam patitur, aliam scilicet, quam si tormentum alterius generis pateretur, puta si suffocaretur aqua, vel pateretur febrim, ita in inferno exuta corpore eandem tristitiam & afflictionem sentit quam passura est dum corpus, quod resumpserit sensualem dolorem patietur. Atque hanc vim habet ille ignis tanquam instrumentum diuinæ iustitiæ in dæmones atque animas: nempe quod afflictionem quam in anima mediante dolore corporis resumpti effecturus est, faciat absque illo dolore. Et hoc est quod ait

Quæritur quomodo crucietur anima carens corpore in inferno igne illo corporeo.

Psal. 106.

Augu. 21. de ciuit. c. 10. & lib. 21. c. 10.

ait Augustinus loco citato, quod quanuis miris tamen veris modis spiritus affligitur ab illo igne, recipiens ab illo pœnã non dando illi vitam. Et quod ait Gregorius, scilicet, quod res corporea incorpoream exurit: dum ex igni visibili ardor ac dolor inuisibilis trahitur: & quod incendium anima non solum videndo, sed experiendo patitur. Experiri enim incẽdium est perinde pati ac si corpus eius cõbureretur. Imò hoc est quod significat epulo iste petens aquæ gutulã quæ ardorẽ flammæ ei mitigaret. ¶ Cæterum quanto mærore & tristitia miser iste afficeretur cruciatus in hac flamma nemo verbis explicare poterit. Finge te viuum esse immissum in fornace aliquo qualis fuit ille Babylonicus & vmbram flammarum inferni, quas epulo iste patiebatur intelliges. Et tunc tibi cauebis, nisi desipias.

Soto. 4. d. arti. 2.

¶ *Memento fili quia recepisti bona in vita tua, Lazarus autem similiter mala.* Pensantur, inquit Augu. pro diuitijs pœnæ. Refrigeriũ pro paupertate, pro putura flãma, refectio pro nuditate, vt salua sit æquitas staterę, & nõ mentitur modus illius mensuræ, in qua, inquit, mensi fueritis mensura, ita metietur vobis. Ideo negatur in pœnis misericordia diuiti, quia ipse dum viueret noluit misereri. Ideo rogans diues non exauditur in tormentis, quia rogantem pauperem non exaudiuit in terris. Diues & pauper duo sunt sibi contraria, sed iterum duo sunt sibi necessaria. Nullus indigeret, si inuicem supportarent: & nemo laboraret, si se ambo iuuarent. Diues propter pauperem factus est, & pauper propter diuitem. Pauperis est orare, & diuitis erogare. Dei est pro paruis magna pensare. De misericordia eius parua, magna nascitur copia. Fæcundus est ager pauperum, cito reddit dominantibus fructum. Via cœli est pauper, per quam venitur ad patrem. Incipe ergo erogare si non vis errare. Patrimonij tui, quo es ligatus, compedem in hac vita resolue, vt liberè ad cœlum possis accedere. Abijce abs te diuitiarum onera, abijce vincula voluntaria, abijce anxietates & tædia, quæ te pluribus in annis inquietant. Da petenti vt possis ip-

Augu. Æquitas stateræ diuinæ sẽper saluatur. Matth. 7.

se accipere: tribue pauperi, si non vis flamma exuri. Da in terra Christo, vt tibi reddat in cœlo: obliuiscere quod es, & attende quid futurus es: præsens vita fragilis est, & in mortem procliuis. Nemo potest stare, sed omnes cogimur transire. Nolentes imus, inuiti eximus, quia mali sumus. Si autem ante nos aliquid mitteremus, non ad inane hospitium veniremus. Quod enim pauperi damus, ante nos prætermittimus, quod autem rapimus, hic totum dimittimus. Hæc Augustinus. ¶ Deinde animaduerte, quod semper timet iustus, cum prospera hic habet, ne in hac vita remuneretur, quemadmodum diues iste, cui dictum est: recepisti bona in vita tua. Vnde & Christus dixit: væ vobis diuites, qui hic habetis consolationem vestram: væ, qui ridetis nunc. Hinc est quod Genes. capit. 15. ait Dominus Abrahæ, noli timere Abraham: ego protector tuus sum. Quæ verba sonare videntur, quasi Abraham in aliquo timore fuerit, nec tamen exprimitur quis fuerit ille timor. Volunt igitur aliqui, quod timuerit ne accepta tanta victoria totum iustitiæ præmium in hac vita accepisset, vt nihil illi expectandum esset in futuro: sed audiret: recordare fili, quia recepisti bona in vita tua. ¶ Præterea iam hic audis & vides diuitis & pauperis mutationem quam superius annotare incipiebamus. Genesis. capi. 47. dicitur: Quod Ioseph patri & fratribus suis dedit possessionem in AEgypto & optimo terrę loco Ramisses, & alebat eos, omnemque domum patris sui, præbens cibaria singulis. In toto enim orbe panis deerat & oppresserat fames terram. Mira rerum mutatio. Paulo autem Iacob cum suis egebat: AEgyptij abundabant. Nũc versa vice, Iacob benè habet: AEgyptij egent. Impletum est illud: repleti prius pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt. Itemque illud: esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Eadem rerum mutatio paulo post etiam nobis continget: beati, inquit Christus, qui nunc fletis, quia ridebitis. Et ẽ cõtrà. Væ vobis diuites qui habetis consolationẽ vestrã. Væ qui ridetis, &c, hãc rerũ mutatio

Augu. ser. 20. de diuite & Lazaro. Iustus timet cũ in hac vita prospera tur, ne hic remuneretur. Luc. 6. Gen. 15.

Notãda est mutatio piorum & impiorum in hac vita & in futura. Gen. 47.

1. Reg. 2. Luc. 1. Luc. 6.

tationem sentit diues iste cui dictum est: fili recordare quia recepisti bona in vita tua, Lazarus autem mala. In die igitur bonorum memor sis malorum & ecõtra. Nunquam credidissent AEgyptij tantam famem futuram, at illã experti sunt. Et impij perpetuam sibi fœlicitatem pollicentur, sed falluntur. Quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna. Ecce etiam quid misero diuiti dicat Abraham. Agnosce fili rerum vices iuste commutatas. Id agnoscas oportet, si meminisse voles, quod tu quum viueres, tua bona receperis, Lazarus contra suis malis defunctus sit in vita. Nunc inuersis rebus hic, post afflictiones patienter toleratas refocillatur, tu vero post delicias, quibus te male oblectasti, merito cruciaris, auersabaris vlcerosum, ipse delibutus vnguento, nunc est in amplexibus meis, totus nitidus. Non dignabaris illo tecto tuo, ego dignor illum sinu meo. Tu nec cibo nec potu refocillasti egentem, nunc reficitur æterna quiete, quæ nec famis, nec sitis molestiam nouit. Et qua fronte nunc petis ab hoc refrigerium, qui pridem nullum abs te refrigerium impetrauit? Si tu nudum vestisses, si esurientẽ pauisses, si sitientem dedisses potum: si iacentem pro foribus collegisses in domum tuam, si curasses vlcerosum, nunc ille vicissim impetraret tibi solatium, ac relaxationem tuorum cruciatuum, ac te vicissim reciperet in hoc contubernium. Miser vbi nunc est tua byssus & purpura? Vbi vnguenta, vbi conuiuia, vbi choreæ, vbi tot ambitiosæ voluptates? Viuus ad omne vinum fastidiebas, tantæ erant palati tui deliciæ, nec interim aquam impartiebas sitienti: nunc nec aquæ guttam impetrare potes ad refocillandum incendium linguæ tuæ. Pro superbis ædibus habes tartarum: pro delicijs cruciatum æternum: pro iocis & cantionibus perennem exulatum. Et hoc deploratior est vestra calamitas, quod ingens hiatus nos dirimit: vt si qui vellint hinc istuc ire vobisque opitulari non liceat: neque si quis istinc huc conetur ascendere possit, postea quam incommutabili Dei iudi-

2. Cor. 4.

A

cio sua quibusque sedes designata est. In vita tempus erat mutuis officijs subleuare proximum, & vicissim ab eo subleuati. Nunc serum est hic velle quod fieri non potest. In delicijs solus esse voluisti cum tuis similibus; quos nunc habes pœnæ socios, Lazarum ac Lazari similes non passus es venire in tuum cõsortium, nunc paria referuntur. ¶ Præterea hic perpende, quam salubre sit in hac vita, mala patienter pati, quam periculosum nihil pati. Si enim quid graue ait Chrysostomus, in præsenti patimur vita iniuste, multa peccata dissoluimus. Idcirco magnum bonum est hic luere peccata, & nõ illic: etenim diues, hic, graue nihil recepit, & propterea illic torquebatur. Et quod hoc esset in causa, ne vlla illic frueretur consolatione, audi quid dicat Abraham: fili, recipisti bona tua, itaque nunc dolorem patere. Quod autem Lazaro bona data sint, quia hic cum virtute infinitas passus molestias fuerit, Patriarcham & hoc dicentem audi. Cum enim dixisset diuiti, recipisti bona tua: intulit, & Lazarus mala, & propterea consolationem capit. Sicut enim in virtute viuentes & tribulati duplex habent emolumentũ: sic & vitio viuens & gaudens duplicem habebit pœnam. Hæc ille. Si ergo ægrotamus (ait idem) si pauperes sumus, si ægrotatione conficimur, si frigore, si hospitium non habemus, lætemur, gaudeamus, accipiamus mala in vita nostra. Quando nos infirmitas & ægrotationis magnitudo premit, Lazarum cogitemus.

B

Ho. 6 ad populum Antiochenum.

C

Chrysost. in hunc locũ.

¶ *Et in his omnibus inter nos & vos Chaos magnum firmatum est*. Chaos. Vel hiatus, vorago. Idest, latissima & altissima fossa intercedit, vt nequeamus vltrocitroque commeare. Aduerte quod in hoc deploratio est calamitas damnatorum, quod ingens hiatus eos dirimebat à sanctis in limbo existentibus nedum modo dirimet à beatis in cœlo viuentibus: vt si qui velint è cœlo in infernum ire illisque opitulari, non liceat: neque si quis ab inferis in cœlum conetur ascendere possit, postea quam incommutabili Dei iudicio sua

D

quibusq; sedes designata est. In hac vita tempus est mutuis officijs subleuare proximum, & vicissim ab eo subleuari. Post mortem serum erit id velle, quod fieri nõ potest. In delicijs diues iste solus esse voluit cum sui similibus, quos nunc habet pœnæ sotios, Lazarum ac Lazari similes non passus est venire in suum consortiũ: & ideo nunc paria referuntur. Cæterum vide quid magister scribat circa chaos istud in illa vltima. d. 4.

¶ *Rogo ergo te pater vt mittas eum in domum patris mei habeo enim quinque fratres vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Ita diues. Quẽ experta calamitas sero iam & supplicem fecit & Doctorem. Atque ex hoc loco ansam sumpserunt sancti Doctores quærendi an damnati bona voluntate vti valeãt. Atque in ea sunt opinione & sententia Doctores catholici neutiquam damnatos habere posse bonam voluntatem deliberatam: hoc est nullam posse elicere actionem, piam, sanctã, & studiosam. Duplex, inquiunt, est voluntas, naturalis, scilicet, & deliberata. Naturalis voluntas, inclinatio quædam est, pondusque naturæ ante actionem elicitam. Hæc tamen, effectus non est creaturæ sed potius creatoris eam imprimentis. Quare cũ in damnatis naturalia, integra maneant, illa etiã inclinatio bona adesse & viuere permanet: imò verò ad beatitudinem etiã. Voluntas verò deliberata est actus elicitus à voluntate, præuia cognitione. Atque nullatenus in damnatis potest esse bona. Et huius causa est, quod omnem deliberatũ actum ex illa obstinatione in malum & obdurato odio in Deum eliciunt, tanquã auersi ab vltimo fine in quem omnis voluntas formaliter vel virtualiter, vt sit bona refertur. Qua propter & si velle possint aliquid quod ratione obiecti est bonum, non tamen illud benè volunt, sed peruersè referendo in malum finem. Præterea aiũt Doctores prędicti. Damnatos non posse suis propinquis & necessarijs, quos in hac vita reliquęrunt bonum aliquod optare: atque adeo nec tanquam eorum bonum, salutem eorũ cupere, ne damnentur. Cuius ratio ea est, quod quę

An damnati bona voluntate vti valeant.

A admodum beati firmati & stabiliti omnino sunt in charitate & amore ardentissimo Dei, ac subinde proximorum, ita & damnati quoniam in odio Dei sunt obstinati, similiter circa omnes tam existentes in hac vita mortali, quam defunctos siue beatos siue damnatos indurato odio affecti sunt. Quid ergo ad preces istas Epulonis dicẽdum? Primum igitur dici potest, fortasse Christum dominum nihil aliud voluisse significare precibus illius miseri contendentis suos admonere fratres ne in illum locũm irẽt, quam attrocissimos

B illos acerbissimosque cruciatus inferni. Secundo responderi potest illis verbis significari inclinationem naturalem, quã vnusquisque erga suos habet, quæ suapte natura tanquam diuinitus naturæ impressa, bona est. Sed tamen actus elicitus Epulonis, quia nullatenus fuit in Deum relatus vitiosus fuit. Sed tertio responderi solet, quod quanuis damnati nemini optare possint vel precari salutem, plus tamen illam alienis, quam suis inuident: & illa ratione Epulo admonendos curabat fratres suos. ¶ Cæterum rectè quidem nos admonet D. Paul. in epistola ad Ephe. cap. 5. dicens: Nolite fieri imprudẽtes. Tales fuerunt virgines illæ quas refert Christus apud Matthæum. Quæ expleto tempore, expletaque messe, finitaquẽ vindemia oleum quęrebant: sero sanẽ sapientes vt phriges quod aiunt. Talis Epulo iste, qui serò magister Doctorque incepit esse, cum iam nec discendi nec docendi tempus haberet: nolite igitur fieri imprudentes: sed intelligentes quæ sit voluntas Dei. Ecce nunc tempus acceptabile ait in alio loco D. Paulus. Hoc enim si semel transierit non reuertetur oculus tuus vt videat bona. Idcirco diues quem inferni vltrix flamma cruciabat, quia sibi occlusum aditum vt ne reuocaret pedes ad superos intelligebat, non sibi sed relictis fratribus prodesse satagebat dicens. Rogo ergo te pater: habeo quinq; fratres, &c. Solet namque mestum animum spes vel falsa refouere, sed quo reprobi pœnam suam grauius sentiant spes eis omnis de venia subtrahitur. Quãdiu ergo dominus respicit Petrum, & duriciem

C D

Ephe. 5.

Matth. 25.

2. Cor. 6.

Iob. 7.

Grego.

Matth. 22.

ciem eius emollit, festinemus egredi de atrio Pontificis, & curramus non ad laqueum sed ad lachrymas: anticipent vigilias oculi nostri, ne sero eos cum Epulone aperiamus.

¶ *Habent Moysem & Prophetas audiant illos. At ille dixit, non pater Abraham sed si quis ex mortuis ierit ad eos pœnitentiam agent. Ait illi: si Moysem & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Dubitaret forsitan hic aliquis, quo nam pacto hæc verba vltima huius sancti Patriarchæ vera sint: cum multi ex gentibus ad veram fidem conuersi fuerint visis miraculis, qui tamē nec Moysem nec Prophetas habuerint. Præterea multo plus ac facilius quis ad fidem trahetur atque ad veram pœnitiam: si simul cum doctrina legis & vaticinijs Prophetarum, videat aliquem ex mortuis ad nos redire, qui certa renunciet, quam dira patiantur illic, qui vitam in vitijs hic transigunt: quam si solum legem & Prophetas audierit. His tamen minime obstātibus duo docere nos vult his verbis sanctus Abraham: primum illud est fidem quam profitemur esse nobis à Deo celitus missam. Neque est opus hominis solius: quanuis enim homo innumera miracula & signa viderit. Nisi pater cœlestis eum auxilio & gratia sua ad fidē traxerit nihil illi miracula proderunt. Atque hoc apertè significare volens Abraham ait: si Moysem & Prophetas non audiunt: neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. Ex quo colliges miracula visa minime sufficere ad parandam fidei virtutem: quam fideles habemus. Cæterum ad parandam fidem coactam (qua ex euidentia miraculorum & operum etiā dæmones tremunt & contremiscunt) miracula sufficiunt. Cum ergo sanctus iste loqueretur de fide formata, atque de vera pœnitentia quæ dono etiam comparatur cœlesti, verè dicit quod si quis fideliū (quales erant fratres diuitis cum patrem haberent Abraham) legem & Prophetas non audit, neque curat eorum doctrinā, vt conuertatur, veramque pœnitentiam agat: neq; audiet, si quis res surrexerit ex mortuis. Maior enim est apud fideles Moysi & Prophetarum autoritas quæ infallibilis est, quam esset hominis à mortuis resurgentis. Fideles enim causari nō possunt legem esse falsam, aut Dei Prophetas mentiri: causari tamen possunt resurgentem à mortuis esse phantasma, aut demonium. Et ideo qui monitis ac minis legis diuinæ ac Prophetarum, quibus fidem adhibet fide superna imbutus, non commouetur ad pœnitentiam, minus cōmouebitur prędicatione hominis è mortuis resurgentis, quem phātasma esse aut dæmonem dicere potest. Benè ergo ait pater iste si Moysem & Prophetas nō audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit credēt: cum de fidelibus loquatur. Secundo docere vult sanctus iste his verbis statutam pœnam fidelibus parui pendentibus ac contemnentibus sacrarum scripturarum monita, minas ac doctrinā. Quare sententia hæc Abrahæ nos admonere vult de iusto Dei iudicio atque diuina dispositione erga multos in peccatis obduratos: qui iusto Dei iudicio, quod legem & Prophetas paruipenderint, relinquuntur: ita vt etiam si edi miracula videant, minime conuertātur. Idque merito illis profecto contingit. Nam qui diuinam largitatem, quę illis sacram doctrinam diuinitus inspiratam contulit, contempserunt, nolētes illi parere: digni me Hercule sunt vt nec visis miraculis conuertantur, nec cœlestem amicitiā & gratiam comparent. Tales namque sic se habent ad veram in Deum conuersionem, ac si huiusmodi conuersio non diuinum sed vt prorsus humanum esset opus. Nā hinc, qui huiusmodi sunt edere atque emittere voces illas solent: si miracula nos modo videremus, atque cerneremus mira profecto & diceremus & faceremus. Ex quo fit vt qui eiusmodi sunt, ita suo iudicio relinquantur, vt etiam si miracula perspicerent minime conuerterentur. Quod Iudæis multis contigisse narrat D. Ioannes. c. 11. Suscitato enim à mortuis Lazaro, nonnulli crediderunt Christum esse verum Messiam: nonnulli verò, iusto Dei iudicio puniti, non solum non crediderunt sed reuersi Hierosolymam, referunt, inuidia & odio affecti, pharisæis

Ioan. 11.

miraculum. Quo audito Pōtifices & pharisæi, qui pro diuinæ virtutis tam euidenti declaratione Iesum colere debuerant, & Deo gratulari, inuidiæ stimulis acti, iā sibi non temperant amplius, sed impio concilio conuocato statuunt eum de medio tollere. Iusto ergo Dei iudicio, hi, qui legem & Prophetas de Christo loquentes non audierunt, relicti sunt vt nec Lazaro resurgenti conuerterentur. Tales erant huius Epulonis fratres: & ideo de illis peculiariter loquens sanctus Abraham respondit Epuloni dicenti, non pater sed si quis ex mortuis ierit ad eos pœnitentiam agent: si Moysem (inquit) & Prophetas non audiunt, &c. Ac si diceret: isti sunt fili, prætextus eorum, qui nūquam volunt quod malè amāt relinquere. Maior est apud illos, qui fideles sunt, Mosi & Prophetarum autoritas, quam esset Lazari mendici, quod si illos non audiunt, neque audituri sunt ob suam animi duritiem, & diuturnam peccandi cōsuetudinem, crede mihi quod neque audiét, si quis resurrexerit ex mortuis. Ita enim scelesti atque obstinati sunt vt si Lazarum mendicum viderent causarentur esse phantasma aut dæmonium. ¶ Cæterum vt obiectionibus in principio positis respondeamus, animaduertendū est; quod & si commune hoc sit tam fidelibus quam infidelibus, quod, scilicet, credere sit donum Dei, & non ex solis hominum viribus quanuis miracula edi videamus: tamen diuina prouidentia, differentia ordinata videtur inter fideles & gentiles, quod fideles, qui Moysem & Prophetas habent si illos contemnunt, si non illos curant, neque audiunt, sibi ipsis relinquantur, ita vt nec visis miraculis ad se redeant, atque dolore animi afficiantur: gētes verò qui tali sacrilegio non sunt prædití: miraculis, disponendi, parandi, atq; iuuandi ad fidem sunt. Idcirco D. Marcus Euangelista cap. vlti. loquens de cōuersione gentium ait: domino cooperante & sermonem confirmante sequētibus signis. Quam differentiam vt designaret Abraham ait Epuloni: habēt Moysem & Prophetas audiant illos. Quibus verbis significare voluit huius fratres de numero esse fidelium. Quare obiectio de gentium conuersione per miracula aduersus hanc opinionem & sententiam non militat. Ad aliud verò argumentum fateor quod multiplicatis argumentis, rationibus, & indicijs facilior est aditus ad conuersionem & pœnitentiam cæteris paribus: in pœnam tamen & supplicium aliquādo datur fidelibus scelestib9 atq; impijs sacram doctrinam contemnentibus ne ad se redeant neque resipiscant nec doleant etiam multis visis miraculis. Multis quę alijs ad pœnitentiam multiplicatis motiuis atque incitamentis extrinsecis. Arrogantibus enim sibi ipsis conuersionem si viderēt miracula resistit Deus subtrahendo conuersionis gratiam: scriptū est enim Deus superbis resistit. Quanuis hæc ita sint, hæc tamen sentētia Abrahæ regulariter intelligenda est: nō enim est propterea alligata manus Domini vt nō possit ex gratia peculiari & speciali aliquem etiam obstinatum atque sacrarum scripturarum contemptorem, ad pœnitētiam salutarē trahere, excitando simul illum aliquo insigni [illegible] & miraculo ante oculos suos edito. Hæc ex Caietano. q. 4. Ientaculi quinti.

¶ *Credent*. Vel potius, persuadebitur illis. ¶ Cęterum totam hanc parabolam explicat D. Augusti. lib. 2. quæstionum Euāgelicarum. q. 38. allegoricè de populo Iudæorum & gentium quem lege si libet.

¶ *Et ait ad discipulos suos: impossibile est vt non veniant scandala*. In procinctu belli semper sunt vigiliæ militum distributæ, vt insidijs nil liceat, nihil pateat dolis. Perniciosissimus nimis repentinus est hostis. Aut inscios pręuenit, aut incautos occupat, aut opprimit dormientes. Hinc est quod Christus rex noster ante secula, per totam seculi noctem milites suos prę mandatis vigiliatū vicibus commonuit contra veteris hostis subtilissimos dolos, contra latentes impetus vitiorum, cōtra scandala quę nobis varijs oriūtur ex causis. Impossibile est, inquit, vt non veniāt scandala: hoc est dicere: impossibile est vt non veniant hostes. Scandalorum autē genera sunt diuersa: & prima sunt illa quæ

Marg.: Mar. vlti. — Caie. q. 4. Ientaculi 5. — Augu. [illegible] — De triplici genere scandalorum.

Petrus Ravenas.

quæ diaboli fraus parturit, secunda quæ generat calliditas humana, tertia quæ patit in nobis in cauta natura. Non tamen omnium scandala æqua sunt lance pensanda. Aliter namque accipiēda sunt scādala pusillorum, & aliter pharisæorum. Illorum quippe scandalum de ignorantia, istorum de malitia est: illi scandalizātur quia veritatem nesciunt: isti, quia oderunt. Vnde cum Dominus ait qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, pusillos illos arbitror appellari, quod voluntatis quidem bonæ, sed non magnæ sciētiæ existentes, zelum Dei habeant, & si non secundum scientiam. Talium scandala, curam non iram prouocare solent spiritualium duntaxat virorum. Indignum namq; est humanam mereri indignationem, qui diuinam miserationem tam facilé consequantur.

Quod non omnia scādala æqua sunt lance pendanda.

Bernar.

¶ *Væ illi per quem veniunt, vtilius est illi si lapis molaris imponatur circa collum eius, &c.* Expedit ei (inquit Bernar.) qui scandala suscitat in sancta fratrum cōgregatione, vt suspendatur in collo eius mola asinaria, & pro suaui iugo & leui onere Saluatoris, graui mola terrenæ cupiditatis humeris eius imposita, demergatur in profundum maris huius, quod est seculum nequam. Minus enim damnabile erat ei, in seculo perire, quā in monasterio. Perire autem necesse est hominem qui charitatem non habet.

D. Bern.

¶ *Attendite vobis.* Quo ista tendit admonitio præter vsum? Attendite vobis. Vagus oculus, passiuus intuitus, improbus aspectus, suas non respicit ad ruinas. Alienos currit & decurrit ad lapsus, sua cæcus ad crimina, ad aliena errata prælucet, malorum suorum nescius, alienorū est accusator & testis, suumque tepidus ad reatum, ad alterius & innocentis flammatur & excandescit examen. Vobis igitur attendite, vt oculus animæ sit fenestra, mentis speculum, membrorum dux, non introitus vitiorum. Nam ideo in orbem fit aspectus, arctatur angustissimus in pupillam, quatenus moderáte visu videat, nō in videat, præuideat, non præripiat.

Petrus Ravenas.

CAPVT XVII.

¶ Cauendum à scandalo: remittenda offensa, &c.

In festo S. Michaelis.

ET ait ad discipulos suos. Impossibile est vt non veniant scādala, væ autem illi per quem veniunt. Vtilius est illi si lapis molaris imponatur circa collum eius et proijciatur in mare, quam vt scandalizet vnum de pusillis istis.

IMpossibile est vt non veniāt scandala. Vbi difficile, aut impossibile ponitur, nō impossibilitas prætenditur, sed raritas demonstratur vt in hoc loco & ad Heb. 6. Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, &c. & prolapsi sunt rursus renouari ad pœnitentiam. Et Psalmo. 4. quis ostendit nobis bona? Et apud Esaiam: generationem eius quis enarrauit? Quis, rem impossibilem aut difficilem significat. His ergo verbis docere vult Dominus quod rarò aut nunquā contingat, quod non sint in hoc mundo, qui in maligno positus est, offendicula multa: hoc est dicta vel facta minus recta prebentia proximo occasionem ruinæ.

Quis, & impossibile in sacra scriptura quid signi ficent. Heb. 6. Psal. 4. Esai.

¶ Hoc tamen testimonio forsitan cōmoti Priscillianistæ in ea sententia fuerunt, vt existimarent, homines fatalibus stellis alligatos esse: quare scandala quæ fato quodam eueniunt, nullatenus ab hominibus vitari posse. Quam hæresim damnat concilium Braccarēse primum. c. 9. Si enim ex astrorum virtute penderet quicquid agit homo, & non ex sua electione, prorsus tolleretur hominis arbitrium: at homines esse in suis electionibus liberos, in numera

Hæresis Priscillianistarū existimātiū, scandala quæ fato quodā eueniunt, nullo modo à nobis vitari posse.

numera docent sacrarum scripturarum loca: quæ alias adduximus. Præterea si fato omnia in homine contingerent non erit quod laudemus in homine, aut vituperem⁹. In his enim quæ à natura insunt nec laudamur nec vituperamur. Sed offendiculum proximo prebens vituperatur in hoc loco à Domino dicenti: væ autem illi, per quem veniunt scandala.

A

¶ Rursus, si homines à fato ducuntur nullo consilio, nulla admonitione, nulla prohibitione est opus. In his enim quæ non possunt aliter euenire superflua est omnis consultatio, vanum omne consilium, inanis omnis cautio aut lex, aut admonitio. Nullus enim erit adeo demens vt de crastino solis ortu aut de hodierno occasu consultet, quia quocunque adhibito consilio, non est in nostra potestate vt sol hodie non occidat, & cras non oriatur. Non ergo diceret in hoc loco Dominus attendite vobis. Ac si diceret: & si vestrû non sit vitare quo minus in mundo exoriantur offendicula, vestrum tamê est cauere ne vestro vitio nascantur. Quare si vobis consulere vultis sic effugietis, ne vobis imputari possit offendiculum: si nô solum nulli vestra culpa præbueritis occasionem offendiculi, verum etiam ab alijs oblatum, aut tollatis vestra mansuetudine, aut patientia vestra toleretis, nô regeratis: cauete ergo vobis. Non ergo ita consuleret Dominus si fato & syderibus omnia geruntur. Rursus. Si omnia sic fiût non erit nobis opus pugnare aduersus vitia: imò inanis esset talis pugna, sed expectandum erit quo fata ducant, quibus homo non potest repugnare, cum sit (vt dicunt) fato subiectus. Frustra igitur persuadetur boni amor & prosecutio, & dissuadetur vitium. Frustra ait Propheta regi9: declina à malo, & fac bonum. Frustra Paulus: fugite fornicationem. Quis ergo suadebit alicui, illa quę non sunt sub eius potestate? Nullus nisi demens suadebit alicui vt ordinê cœli euertat. Deinde si fato homines subijciûtur nô erit opus legib9. Vt quid pręcipitur mihi pax, si mea fata impellunt ad bellû? Iniustê mihi interdicitur furtû, si me furari fata cogunt. Peribit similiter iustitia, quæ vult vt bonis

Psa. 33.

1. Cor. 6.

præmium, malis autem & discolis pœna irrogetur. Iniustê fur, aut adulter punitur, si à fato vterque sic cogitur, vt nec adulterium hic, nec furtum ille euitare vllo modo possit. Nulla certe erit causa propter quam bonum agens premio potius donetur, quam malû agens: aut quare hic puniatur, non autem ille, cum vterque ex necessitate, non autem ex libertate agat. Quod si alicui bonum, aut malû imputandum venit, imputabitur fato, quod ad bonum, aut malum impellit. At cum tale fatum sit iuxta istos certus ordo astrorum in causando, aut influendo, qui certus ordo est à Deo ordinatus, & illis sideribus tributus, conuincitur, vt in Deû etiam mala hominum referantur, qui fatum sic disposuit, vt hominem ad male agendum cogeret. Hoc autê adeò est impium, vt aures horreant audire, Deum esse authorem præcipuum nostrorum vitiorum. Sed quomodo, inquies, id fieri potest: nam si impossibile est, vt non veniant scandala, quo pacto ea euitare poterimus? Sed ad hoc iam in principio diximus impossibile in hoc loco, atq; in alijs sacræ Scripturæ pro difficile capi. Vult ergo Christus dicere: difficile est vt non veniant offendicula. Vbi verò difficile ponitur, vt Hieronymus ait, non impossibilitas (scilicet Logica) prætêditur, sed raritas demôstratur. Vix ergo aut raro aut nûquam contingit vt in hoc pessimo mûdo non eueniant offendicula. Ad hunc modum ait Dominus apud Matthæum: quam difficile est diuitem intrare in regnum cœlorum: ac si diceret: raro aut nunquam contingit vt diuites intrent in regnum cœlorum. Et quanuis hoc ita sit tamen Abraham, Isaac, & Iacob diuites, intrarunt in regnum cœlorum. Vnde concludit ibi Dominus. Hoc impossibile est apud homines. Apud Deum autem omnia possibilia sunt, id est, quod difficile est hominibus facile est apud Deum. Sic & si impossibile, hoc est, difficile sit vt non veniant scandala, facile est Dei gratia ea vitare. Quare minime excusatur ille, cuius culpa venerit offendiculû. Vnde merito ait Christus: væ autem illi per quem eueniunt. Quemadmodum iure optimo

B

C

D. Hiero. Matth. 19.

Matth. 19.

D

ait

ait de diuitibus, quos seruari difficile dixerat, vę vobis diuitibus. Nemo enim est, qui libero suo arbitrio maxime Dei gratia quæ omnibus semper adest, adiutus, non possit & diuitiarum cupiditatem immoderatam abijcere, & fratribus offendiculo non esse. Cæterum si huic obiectioni aliter atque aliter satisfacere desideras lege quæ annotauimus in commentarijs super Matthæum, cap. 18. Et D. Chrysostomum homi. 60. in eundem locũ Matthæi. Et Doctorem sanctum. 22. q. 43. arti. 2. in solutione ad primum argumentum. Et Abulen. in idem capud Matthæi. Et Chrysosto. etiam in varijs in Matthæum locis hom. 18.

Luc. 6. D. Chrys. S. Tho. Abulen. D. Chrys.

¶ *Vtilius est illi si lapis molaris imponatur circa collum eius & proiciatur in mare quam vt scandalizet vnum de pusillis istis.* Cum dominus Iesus Christus dicat, vtilius est ei, vt imponatur mola asinaria circa collum eius, & proijciatur in mare, quam vt scandalizet vnum de pusillis istis: quid est scãdalizare? Aut quomodo id euitare poterimꝰ, ne à Deo horribile iudicium veniat in nos? Cui interrogationi respondet D. Basi. in reg. breuio. his verbis. Sané scandalizat quidem aliquis, quandocũque dictis, factis ve legem violat, & exemplo suo alium ad legis violationem inducit: vt serpens Euam, & Eua Adam: vel quandocunque prohibet exequi voluntatem Dei: vt Petrus Dominũ, quando dixit, absit à te Domine, nõ erit tibi hoc. Cui tunc dictum est, vade post me satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominũ. Vel quando ædificat animum imbecilli ad aliquid eorum, quę vetita sunt: conuenienter illi quod scriptum est ab Apostolo his verbis. Si quis enim viderit te, qui habes scientiam, in idolo recumbentem, non ne conscientia eius cum sit infirma, ædificabitur ad manducandũ idolothyta? Quibus illico adiungit, qua propter si esca scandalizat fratem meum, nõ mãducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem. Oritur autem scandalum pluribus ex causis. Vel enim ab eo qui scandalizat, scandalum nascitur: vel ab eo qui scandalizatur, causa proficiscitur, cur scandalizetur, atque in his item, non vno atque eodem modo. Aliquando enim ex malicia, aliquando autem ex inscitia vel huius, vel illius. Est præterea, quando in ijs, quę recté vel dicuntur, vel fiunt eorum, qui scandalizantur, malicia magis declaratur. Aut enim mandatum Dei aliquo faciente, aut his, quę in libera potestate posita sunt, liberé vtente, scãdalizatur qui scandalizatur. Quotiescunque igitur in ijs, quæ ex mãdato vel fiũt, vel dicũtur, homines offensionem incurrunt, & in his scandalizantur (vt in euangelio quidam in his, quæ à Domino ex voluntate patris fiebant, & dicebantur). enim vero tunc ea in memoriam nobis sunt reuocanda, quæ de huiusmodi hominibus idem Dominus responderit. Quãdo illum adeuntes discipuli, sic allocuti sunt: scis quod pharisæi, audito verbo hoc scandalizati sunt? Sic enim illis respondit, omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite illos. Cæci sunt, & duces cæcorũ. Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadent. Sanéq; multa huiusmodi cum in euangelijs, tum apud Apostolũ reperire quis facile possit. Vbi veró in his, quæ posita in potestate nostra sunt, impingit aliquis, scandalizatur ve, enim vero tunc veniendum & in memoriam eorum domini ad Petrũ verborum, quando dixit, ergo liberi sunt filij. Vt autem non scãdalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscẽ, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies staterem: illum sumens, da eis pro me & te. Et item eorum, quę Apostolus ad Corinthios scribit, his verbis: Non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem. Et alio in loco: Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. Quam autem metuendum sit in his, quæ videntur posita esse in potestate nostra, pati, vt frater scandalizetur, docet præceptum Domini, quo in vniuersum, modus omnis interdicitur scandalizandi, quando dicit, videte ne contemnatis vnum ex his pusillis: dico enim vobis,

Scãdalizare quid sit. D. Basi. Ab exẽplo confirmatio. Matth. 16. d. 1. Cor. 8. c. 1. Cor. 8. d. Scandalorum origo non vna. Non obscita te legenda hæc. Matth. 15. d. Matth. 17. d. 1. Cor. 8. d. Rom. 14. d. Matth. 18. b.

bis, quia angeli eorũ in cœlis semper vidẽt faciem patris mei, qui est in cœlis. Quod ipsum testatur etiam Apostolus, alias quidem cum dicit, sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum. Alias autem, cum grauius etiam num ab huiuscemodi peccato deterrens, sic dicit, si quis enim viderit te, qui habes scientiam, in idolo recumbentem, nonne conscientia eius, cum sit infirmus, ædificabitur ad manducandum idolothita? Et peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quẽ Christus mortuus est? Quibus adiungit, sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizẽ. Et alio in loco cum dixisset, an ego solus & Barnabas non habemus potestatẽ non operandi: deinceps illud adiungit, sed nõ vsi sumus hac potestate: sed omnia sustinemus, ne quod offendiculũ demus Euãgelio Christi. Cæterum cum rẽ adeo formidabilem esse demonstratum sit in ijs quæ in potestate nostra posita sunt, fratrem scandalizare: quid de ijs dicendum erit, qui rebus vetitis faciendis loquẽdis ve scandalizent, & maximè quando vel scientia quadam maiore præditus videatur, qui scãdalizat, vel in sacro aliquo gradu censeatur, qui cũm cęteris tãquam regula exemplar ve esse propositus debeat, si vel minimum quid neglexerit, eorum, quæ scripta sunt videlicet, aut eorũ, quæ interdicta sint, fecerit, aut eorũ, quæ iussa omiserit, aut denique huiusmodi aliquid dissimulãter prætereierit, vel in hoc vno tantum iudicium commeritus est illud, quod sanguis peccantis exquiretur de manibus eius. Hactenus D. Basilius lege eundem de baptismo. cap. 10.

Ro. 14. b. c

1. cor. 8. d

1. Cor. 9. a ibidem.

Gradus sublimitas addit epitasin scandalo.

Ezech. 3. c

¶ *Si lapis molaris.* Si mola asinaria, vel mola inferior retinens frumentum. Expressit supplicij genus peculiare Palestinis. ¶ *Imponatur circa collum eius.* Complectatur collum eius. Vel ponatur circa collum eius.

¶ *Attendite vobis.* Quantum sit à viris Apostolicis, à prælatis Ecclesiæ, à sacerdotibus, à viris religionem profitentibus cauendum scãdalum docet hic locus. Hoc idem monet D. Paul. in Epist. ad Rom. c. 14. Ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum. Nihil enim ita nocet, vt scandali ansam præbere pusillis. Nam quando vident aliquos ex primoribus virtute conspicuos, huius vitæ negocia & curas è sublimi contemnere: admirãtur, obstupescunt, quod cum eiusdem naturæ nobiscum sint, non concedantur ipsis eadẽ eosque quoad possunt imitari conãtur. Quando autem pusilli vident aliquod delictum in maioribus, statim ad eorum imitationem eadem committere non verentur. Quod maximum delictum est. Hinc est quod Dominus olim de suis cõquerebatur ansam scãdali & blasphemiæ suis peccatis præbentibus: dominatores eius iniquẽ agunt, & iugiter tota die nomen meum blasphematur. Vide quã pestilens sit principum flagitium, quoniam illis attribuit blasphemias populi. Vnde sicut hos qui per sua flagitia causam & ansam peccandi populo prębent, maxima pœna manet ac condẽnatio dicente nũc Christo: væ autem illi, per quẽ eueniũt: væ enim, terribile verbum est, & horrore plenum: ita e diuerso virtutum studiosis & stantibus in Domino fit multarum coronarum materia: quod docens Christus dicebat: luceat lux vestra coram hominibus vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. Nam quemadmodũ pusilli delictis prælatorum & religiosorum offensi, linguã acuunt contra eos, ac sæpe contra dominum nostrum, sic etiam si virtutem exerceant prælati, non eos tantum laudabũt, sed cum viderint opera sua lucentia & facies suas illustrantia, ad glorificãdum patrem qui in cœlis est prorumpent: cumquẽ hoc ab illis fit, rursum talium prælatorum retributiones augebuntur & multa tunc omnibus nobis bona concedet Deus eò quod ab illis laudatur. Quicunquẽ, inquit, honorauerit me, glorificabo eum. Omnia igitur faciamus, vt glorificetur Dominus, & nulli simus offendiculi occasio. Id quod perpetuo nos docet magister orbis beatus Paulus interim sic dicens;

Scãdalum est potissimũ vitandum à prælatis.

Rom. 14.

Esai. 52. &
Rom. 2. d

Matth. 5.

1. Reg. 2. f

1. Cor. 10.

dicens: si esca scandalizat fratrem meum non manducabo carnem in æternum. Et subdit: sic autem peccantes in fratres, in Christū peccatis. Minæ illæ austeræ sunt, & magnam secum condemnationem afferunt. Dicere enim vult: ne opineris quod damnum hoc ad illum qui offenditur solum pertineat, transit enim ad Christum ipsum, qui propter illum crucifixus est. Igitur si dominus tuus propter illum crucifigi non detrectauit, non tu omnia feres, ne quam scandali occasionem illi præbeas? Hoc vbique inuenies illum discipulis consiliū dare. Hoc enim est quod vitam nostram conseruat: propterea & alibi scribens dicebat: nemo quod suum est quærat, sed aliorum. Et rursum: omnia mihi licent, sed non omnia ędificant. Vides Apostolicam sapientiam? Etiam si liceat, inquit, mihi aliquid facere, nihilquė hinc mihi damni accedat: sed quia hoc nō facit ad proximi ædificationē, nequaquam hoc fieri sinam. Vides animam suauiter nos amātem, quomodo nusquā, quod suum est quærit, sed omnibus modis ostendit, virtutum longė maximam esse, magnam curam gerere quomodo proximus ædificetur? Hæc obsecro omnia scientes, obseruemus, caueamusque ab his, quæ spiritualem virtutum thesaurum offendere possunt: & nihil vnquam faciamus, quo incommodetur proximꝰ. Hoc enim & peccatum auget, & grauius nobis adducit supplicium. Neq; vt rem paruam contemnamus frigida hæc verba, dicentes: quid mea refert, si offendatur proximus? Dic obsecro, quid dicis? Quid tua refert? Sic tuam fulgere vitam pręcepit Christus, vt non solum videntibus te sis admirationi, sed vt & Dominus tuus glorificetur: tu verò omnino contrarium agis, & pro gloria Dei blasphemias introduci facis, & hoc contemnis? Hoccine fuerit animæ piæ, legesque diuinas scientis? Cæterum qui prius hæc per malam consuetudinem dicere solitus fuit, suscepta nunc admonitione hac, desistat, oro, ab illicitis huiuscemodi sermonibꝰ, & sic omnia facere studeat, vt neque ab oculo, qui nunquam sopitur vel cęcutit, neque à conscientia sua cōdemnetur: nequė eos qui se vident, in blasphemias ad uersus dominū inducat. Quod si hac obseruatione dispensabimus ea quæ nostra sunt, multa fruemur & apud Dominum misericordia, & diaboli insidias effugiemus. Videns enim nos ita sobrios & vigiles, & cogitans se operam perdere discedet & occultabitur.

1. Cor. 10. e

D. Chrys. in c. 1. Gen. ho. 15

¶ Feria. 3 p. 3. dominicā. 40.

SI peccauerit in te frater tuus increpa illum: & si pœnitentiam egerit, dimitte illi, et si septies in die peccauerit in te et septies in die cōuersus fuerit ad te dicens: pœnitet me, dimitte illi.

Matth. 18. e.

SCiens Dominus quod non ab impijs modo nobis oriuntur tumultus, verū etiam inter nos, quoniam homines sumꝰ nonnunquam oriantur offensæ, conatur huiusmodi offensis mederi fraterna monitione quæ non prodit peccantem, si sanabilis est, & veniam habet paratam pœnitenti. Audiamus ergo dominum.

¶ *Si peccauerit in te frater tuus increpa illum.* His verbis docet Christus dominus quod si fors euenerit vt aliquid admittat in nos frater noster, non velimus dissimulare culpam, ne impunitas inuitet licentiam: sed fidum medicum vnusquisque nostrum agat, secreta obiurgatiuncula morbum suum illi ostendėdo: vt pudore corrigatur. Faciliꝰ audiet amicum monitorem, quam turbulentum accusatorem, quem habiturus est pro hoste. Sic enim ferė est hominum ingeniū vt acquiescant libentius consilijs, quam succumbant iniurię. Non potest non videri officium, cum quis secreto monet. Qui palām defert, & ad pœnā vocat, non videtur velle mederi malo fratris, sed traducere. Duo ergo hic sunt annotāda, primum est non debere nos culpam proximorum

perit septē: vbi aspicis accipi numerū definitū pro indefinito. Eodē modo arbitror intelligi Prouerbiorū illud: septies in die cadit iustus. Atq; in hoc loco & si septies in die peccauerit in te, & septies in die cōuersus fuerit ad te dicēs: pœnitet me: dimitte illi. Ac si diceret: si frater tuus per humanā fragilitatē & infirmitatē relapsus fuerit in culpā, etiā si multoties eodē die peccauerit in te, ac toties in die resipuerit, teq; placare studens dixerit: peccaui, pœnitet, ignosce: cōdona illi ex animo culpā. Sed ais: si hoc nobis faciēdum precipit Dñs: quonā modo ipse hoc idē nō facit. Ipse enim ait per Amos Prophetā: super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor nō conuertā eū: siue vt verti potest ex Hebræo, nō parcā ei. Ac si diceret: quoniā Damascus ter, & quater, hoc est, septies incidit in scelera, quoniā sæpe flagitia cōmittit, nō ea illi cōdonabo. Hoc tamen nō obstat, quo minus certa res sit, nulli peccatori quantūuis scelesto & sceleribus imbuto, nō esse aditū ad veniā: si doleat, si agnoscat culpā, si petat veniam. Quęadmodum ergo nos tenemur ex animo cōdonare culpā pœnitēti, etiā si sæpe in nos peccauerit: ita Deus cōdonat etiā si millies peccauerimus in eū. Cæterū apud Amos agit dñs nō de pœnitente, sed de peccatore obstinato: nullū faciēte finē peccādi. Huiusmodi erat Syria, cuius caput erat Damascus, de qua loco illo Deus per suū diuinū vatē loquebatur. Sed tanta est Dei misericordia, vt si bene aduertas, verbis illis, quibus Syris suppliciū minabatur, eos voluit excitare ad pœnitentiā, vt illis ad seipsum cōuersis flagitia cōdonaret. Tanta inquā, est Dei benignitas: tanta pietas vt nolit mortē impij, sed vt cōuertatur à via sua & viuat, vt ipse apud Ezechielē testatur. Quibus verbis peccatores erigit promissione misericordiæ suæ, cohortans illos vt animū recipiāt, & spē cōferant in diuinā pietatē. Et si enim sint grauissimis sceleribus irretiti, tamen intelligāt infinitis partibus esse maiorem suā clementiā: qua freti, veniā suis flagitijs suppliciter postulent: quā concedet, quoties nos pœniteat. Quare confugiamus ad illū, quē inueniemus maiore alacritate paratū ad nos recipiendū, quā nos ipsos ad Deū amplexandū. Ipse est qui salutē nostrā desiderat, qui pro nobis acerbissima tormenta subiuit, qui in crucis ara se cōstituit hostiā, vt suo sanguine nostra crimina expiaret. Ipse est, vt verbis vtar d. Pauli qui vult oēs homines saluos fieri, & ad agnitionē veritatis venire. Ipse est qui nobis præcipit si septies in die peccauerit in te & septies dixerit pœnitet me, dimitte illi. Ipse est, qui dixit Petro dimittendū esse proximo non solū septies, sed septuagies septies. Ipse est qui ouē perditam quæsiuit, & inuenit & suis humeris asportauit. Ipse est qui filiū prodigū, qui omnia bona sua turpiter dissipauerat, benigne receperit. Ipse est pater misericordiarū & Deus totius cōsolationis. Accedamus ergo ad eū. Et vt ait D. Paul. adeamus cū fiducia ad thronū gratiæ eius, vt misericordiā consequamur, & gratiam inueniamus. Impius Cain vbi iustū Abel per summū scelus interfecit, dixit Deo: maior est iniquitas mea, quā vt veniam merear. Hieremias inducit impios ita loquentes. Desperauimus, post cogitationes nostras ibimus: & vnusquisq; quē prauitatem cordis sui mali faciemus. Et D. Paul. aiebat: desperātes semetipsos tradiderunt impudicitiæ. Contra verò Iob dicebat: etiā si occiderit me in ipso sperabo. Et Esaias: Domine miserere nostri, te enim expectamus. Et Dauid: viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino. Et Ecclesiasticus. Respicite filij nationes hominum & scitote quia nullus sperauit in Domino, & derelictus est. Et D. Paul. in episto. ad Heb. teneamus spei nostræ confessionē indeclinabilē. Quis desperaturus est de misericordia illius Dei, qui ait: viuo ego, nolo mortem impij, sed vt conuertatur & viuat. Viuo ego, est Dei affirmatio & veluti iuramentum. Et in hoc loco si septies peccauerit & septies pœnituerit dimitte illi. Quod verò nullum peccatum sit irremissibile ostendimus latius in commentarijs super Matthæum capite decimo octauo, in illa verba non dico tibi septies, sed septuagies septies: cum locum hunc ad mores componendos explicabamus.

¶ Sed ais secundo: si cōdonanda est culpa

Augu. ser. 4. in eodé festo Laurentii, qui est secũdus inter sermones Ambrosianos.

efficimur, quũ magis deploramus: ita ergo & cũ fidei christianę mandata percipimus, contristamur animo, affligimur corpore, ad lachrymas permouemur, & ipsam salutẽ nostrã cũ quodam fletu, ac mœrore cõsequimur. Inde enim nos ieiunia exasperant, illinc peccatorũ conscientia macerat: Hinc patrimonij iactura perturbat, & toto cõtristati habitu, magis salutẽ consequimur, si amplius defleamus, secundũ quod ait Dñs: vos plorabitis, & flebitis, mundus autẽ gaudebit. Sicut autẽ cũ sinapi caput forte curandum est, iubemur ad rasum capillos demere, impedimenta cutis vniuersa deponere, vt nudo corpori perfectius medicina perueneat: ita & cũ anima per fidẽ curãda est, præcipimur à nobis substãtiã auferre seculi. Vt & nudæ & soli animæ cõgruẽtius spiritalis medicina cõueniat. Quisquis enim rebus mundi, & diuitijs seculi obuolutus est, huic fidei medicina non proderit. Ergo quod succus sinapis in corpore, hoc fides christiana operatur in anima. Hæc Augusti. De hac ergo fide christiana existimant aliqui quod nõ loquebantur impresentiarũ Apostoli. Nã fidem petendo dicentes: adauge siue adijce nobis fidẽ: fidẽ magnã se habere monstrant, credẽdo quod Iesus possit infundere in animis eorum, donũ fidei, hoc est, donũ miraculorum. Hanc ergo fidẽ quæ ad salutẽ est necessaria & sine qua impossibile est placere Deo, petant à Cristo dño, & à patre cœlesti qui non habenti nã nemo potest venire ad Christũ nisi pater traxerit eũ. Est enim hæc fides donũ Dei vt Paulus testatur quare qui non habent dicant: Dñe adijce nobis fidẽ, & qui habẽt precẽtur: Dñe adauge nobis fidẽ. Sic enim precatur ecclesia da nobis fidei & spei & charitatis augmentũ. ¶ Alio modo accipi solet fides vt omnibus viris doctis cõpertũ est pro dono quodã gratis à Deo dato, quo æduntur miracula. De hac fide loquebatur Paulus cũ dicebat: alteri fides in eodẽ spiritu. Hæc est illa de qua loquitur Dñs cũ apud Matthæ. ait: Multi dicent mihi in illa die, Dñe, dñe, nõne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquã noui vos: fides igitur hæc qua miracula perpetrãtur est, cõfidentia videlicet specialis in Deo, qua quis non hæsitat, necessitate eminẽte: nã alias esset irridere seipsum inuocantẽ, nã Deus non irridetur. Hæc fides etiã haberi potest à nõ habente charitatẽ: qua poterit trãsferre mõtes. Vnde de illa loquens Paul. ait: & si habuero omnẽ fidẽ ita vt mõtes trãsferã: charitatẽ autẽ nõ habuero nihil sũ. Animaduerte quod D. Pau, ait: si habuero, inquit, omnẽ fidẽ videlicet, & illã qua credimus Deũ, & istã confidentẽ fidẽ gratis datã, qua etiã à malis & sceleratis fidelibus miracula aliquando ęduntur, vt diximus. De hac fide ait Dñs habete fidem Dei: amen dico vobis, quia quicũq; dixerit huic mõti tollere, & mittere in mare & nõ hęsitauerit in corde suo, sed crediderit quia quodcũque dixerit fiat: fiet ei. De hac ergo impresentiarũ loquũtur Apostoli cũ precantur dicentes: Dñe adauge nobis fidẽ: siue adijce nobis fidẽ. Atq; de eadem loquens Dñs ait illis per similitudinẽ: quod si haberint fidẽ. i. fiduciã, sicut granũ sinapis, quod minutũ est, atq; humile, nec exerit vim suã nisi contritũ, aut cõmansum: dicere possent arbori sycomoro quæ radicibus late actis, videtur nulla vi loco auelli posse: eradicator & trasplantator in mare, & obediet eis. ¶ Cęterũ per granũ sinapis potest etiã dñs intelligi: autore Hilario. Grano, inquit, sinapis se dñs comparauit, agri maximẽ, & omniũ seminũ minimo, cuius virtus ac potestas tribulationibus ac pressuris accenditur. Granũ hoc igitur postquã in agro satũ fuerat. i. vbi à populo cõprehensus, & traditus morti, tanquam in agro satione quadã fuit corporis cõsepultus, vltra mensurã omniũ olerũ excreuit, & vniuersam prophetarum gloriã excedit. Ait ergo Dñs. Si haberitis fiduciã quã ego habeo qui sum similis sinapi, &c.

Ioan. 16.

Fides etiã accipitur pro dono quodam gratis à Deo dato, quo fiunt miracula.

Matth. 7.

1. Cor. 13.

Marc. 11.

Per granũ synapis intelligitur etiam Christus.

Hilar. in comment.

QVIS autem vestrum habens seruum arãtem aut pascentem boues, qui regresso de agro dicat illi: statim

transi, et recumbe. Et non dicit para quod cœnem, & præcinge te, et ministra mihi, donec manducem et bibam, & post hæc tu manducabis et bibes? Nunquid gratiam habet seruo illi, quia fecit quæ ei imperauerat? Non puto. Sic et vos cū feceritis omnia quæ præcepta sūt vobis, dicite, serui inutiles sum9, quod debuimus facere fecimus.

SCopus & conclusio huius similitudinis est ne nobis arrogemus gloriā benefactorum, tantum fidelem operam pręstemus. Et quum omnia fecerimus, quæ præcepta sunt nobis, dicamus: serui inutiles sumus, quod debuim9 facere fecim9. Hæc enim modestia cōseruabit in nobis thesaurum spiritualem. Cætera relinquamus domino Deo nostro. Nemo sibi vindicet honorem, nemo domini iudicium anticipet. Nouit ille tempus, nec quenquā fraudabit suo præmio. Nos interim nihil aliud nos esse meminerimus, quam seruos operę debitores. Hanc modestiā didicerunt & habuerunt semper patres omnes virtute ac sanctitate præstantes. Gene. c. 47. narrat scriptura sacra post ingressum Iacob ac filiorum suorū in AEgyptum: dixisse Ioseph Pharaoni: pater meus & fratres venerunt de terra Chanaam: & ecce consistunt in terra Gessen. Vbi aduerte huius sancti Patriarchæ modestiam, simpliciter rem proponit, nihil expresse pro suis petit, non iactat beneficia sua in regem & populum: non recenset quod magna meruerit, sed merita sua regi ęstimanda relinquit. Hæc modestia nobis necessaria est, quoties cū Deo agere volumus, ne nos iactemur, ne propria merita æstimemus, sed Deo æstimāda permittamus, ideo hic Christus docet: cū feceritis omnia, dicite, serui inutiles sum9: & D. Pau. non me ipsum iudico, &c. Qui

[Margin: Modestia christiana cōmendatur & arrogantia dānatur. — Gen. 47. — 1. Cor. 4.]

A enim iudicat me dominus est. Veram modestiam & humilitatem ostēdebat publicanus ille, qui nec oculos audebat leuare in cœlum. Et Chananæa illa, quæ se canē agnoscens nihil aliud petebat, quā micas quæ cadebant de mensa filiorum. Et mulier illa quæ tantum cupiebat fimbriam vestimētorum Christi tangere. Et peccatrix illa quę retro ad pedes domini accessit. Et Centurio qui dixit, non sum dignus vt intres sub tectum meum. Et latro ille, qui nihil ausus petere à Christo tantum dixit. memento mei domine, &c. Eā

[Margin: Infra. 18. — Matth. 15. — Matth. 9. — Supra. 7. — Matth. 8. — Infra. 23.]

B demsanè modestiam ostendere volens Iacob cum benedicere voluit filios Ioseph ait: Deus in cuius conspectu ambulauerunt patres mei, &c. Obserua, quod Iacob hic ex humilitate nō allegat propria merita: sed merita patrum. Non enim dicit: Deus in cuius cōspectu ambulaui, sed in cuius conspectu ambulauerunt patres mei. Nimirum etiam tunc implens hoc euangelicum: cum feceritis omnia dicite: serui inutiles sumus: quātumuis enim magna dona habeat, nihil tamen inde ele

[Margin: Gen. 48.]

C uatur aut gloriatur. Secus fecit pharisęus ille, qui etiam de paruis gloriatur. Nempe quod ieiunaret, decimas daret, &c. In conspectu autem Domini ambulare est, secundum voluntatem eius viuere. Obliuioni ergo tradamus bona opera, & in memoriam reuocemus peccata nostra: vt illorum nos pœniteat, si serui vtiles esse volumus. Vnde Chrysost. Non ita claros nos reddit bonorum operum memoria, sicut memoria peccatorum: imò nos bonorū operū memoria, non solū claros nō facit, sed & cōfusione replet, & condēnabiles efficit. Peccatorum autem memoria

[Margin: Infra. 18. — D. Chrys. ser. de pœnitentia.]

D implet nos fiducia, iustitiaq; multa. Quis hoc dicit? Pharisæus & publicanus. Nam hic dictis peccatis, rediјt domum iustificatus: ille autē dictis bonis operibus, descendit factus publicano inferior. Vides quantum damnum sit meminisse operū, quanta vtilitas non obliuisci peccatorū? Et valde merito. Nam qui bona opera cō memorat, arrogans efficitur, hominesq; alios contēnit, id quod & pharisæo accidit. Non enim in tantam arrogantiam venisset, si non dixisset, vt cæteri homines:

si non

si non commemorasset ieiunia sua, & decimas? Peccatorũ autem memoria & mẽtem humiliat, & humiliter sapere facit, & per humilitatem conciliat ei gratiã Dei. Audi saltem quomodo Christ9 præcipit nos obliuioni tradere bona opera, quando hæc omnia feceritis, dicite serui inutiles sumus. Ego te non facio inutilem: tu autem si confessus fueris vilitatem tuam, ego te illustrem faciam, & coronabo. Vides per quot nobis demonstratũ est, quãtum lucri nobis ex peccatorum accrescat memoria? Et quanta vtilitas si bonorum operum nostrorum obliuiscamur? ¶Igitur curemus diligenter mandata Dei seruare: nam vt idem Chryso. ait: siue charitatem exhibuerimus, siue dederimus pecunias egenis, debitum implemus: nõ tãtum quoniam à beneficijs ipse cepit diligendo prius nos, sanguinem fundendo pro nobis inimicis: verum & quoniã ipsius bona distribuimus, si cũcta erogem9. Et postquam omnia fecerimus ea sit nostra modestia, ea humilitas vt nos tanquã inutiles reputemus. Quid ergo vos miseri auari, non facitis, quod debetis facere: quãdo Christ9 dñs pro vobis fecit quod nõ debebat? Ipse pro vobis inimicis sanguinem fudit: vos autem neq; pro benefactore pecunias: ipse pretiosum sanguinem suum: vos verò neq; pecunias nõ vestras: ipse ante vos, vos neq; post ipsum: ipse pro salute vestra, vos neque pro vestra quidem vtilitate. Agite nunc diuites & quod debetis facere, facite: & cum feceritis dicite: serui inutiles sumus. Hoc si sapimus, & facere & dicere debemus. Nã vt Grego. ait: perfecta quippe sciẽtia est, & cuncta sollicitè agere, & se de suis meritis scire nihil esse. Vnde & ipsæ nubes, hoc est, Apostoli, de hac perfecta scientia docentur in hoc loco, cum eis voce veritatis dicitur: dũ feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite serui inutiles sumus. Perfecta scientia est scire omnia, & tamen iuxta quendam modum scientem se esse nescire: quia & si iam Dei præcepta nouimus, & si iam virtutem verborum illius sollicita intentione pensamus, & si iam quæ intellexisse nos credimus, agimus, adhuc tamen acta eadem, qua districtione examinis sint discutienda nescimus, necdum Dei faciẽ cernimus, necdũ occulta eius cõsilia videmus. Quanta ergo est nostrũ scientia, quæ quousq; mortalitatis nostræ põdere premitur, ipse suæ incertitudinis nubilo cæcatur? De qua benè per Paul. dicitur: qui se existimat scire aliquid, nondũ cognouit quẽadmodũ oporteat eũ scire. In hoc itaq; mundo dũ viuimus, tunc perfectè quæ scienda sunt scimus, cũ proficientes per intelligentiã, nihil nos perfectè scire cognoscim9. Quare si sapere volum9 in bonis nostris actionibus non gloriemur: sed ea quæ præcepta sunt nobis alacri animo facientes, tanquã seruos inutiles nos ipsos reputemus: timẽtes ne opera nostra omnino rectè facta nõ fuerint: & intelligentes quod Dei beneficio, munere, & gratia sint facta, si recta fuerint. Quod si hanc modestiã habuerimus, & inanem gloriã fugiemus, & nostro præmio minime fraudabimur. ¶Interim tamẽ obserua: quod si viri virtute præstantes, cũ omnia fecerint, quę præcepta sunt eis, serui inutiles dicũtur: quid obsecro dicendũ de illis, qui nõ solũ mandata nõ faciunt, sed multa quotidie scelera perpetrant? Qui sibi vindicãt honorẽ, arrogant gloriã in prauis actionibus? Hi serui nõ solũ inutilissimi vocandi sunt, sed nequã, & scelestissimi. Hi sunt de quibus intelligebãt sanctus Iob cũ dicebat: cœli nõ sunt mũdi in oculis eius: quanto magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquã iniquitatem. Et regius vates: omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt. Qui à Deo declinat, inutilis est: quoniam fructum bonum (ad quem proferendum conditus est) facere non potest. Illud enim dicimus inutile, quod nõ seruit vsui ad quem factũ est. Hinc apud sapientẽ dicitur: homo apostata, vir inutilis. Quicunque enim à Deo se separat fit inutilis. Vtilis autẽ homo est, quisquis in Deo manet: quoniã seruit gloriæ Dei, ad quã cõdit9 est. Iuxta quã sentẽtiã Apostolus dicit: quosdã esse vasa in honorẽ sanctificata, & vtilia Dño, ad omne opus bonũ parata. Nemo tamẽ sic est ex sese Deo inutilis, quin Deus illum nouerit sibi facere vtilẽ: si nõ ad glorificandã misericordiam

Marginalia: Chry ho. 53. ad populum Antioch. — D. Grego. h. 27. Mo. c. 14. — 1. Cor. 8. — Iob. 15. b — Psa. 13. a — Prõ. 6. — 2. Timo. 2.

diam & bonitatem, certè ad demonstrandam potentiæ ac iustitiæ magnificentiã. Docet enim nos sanctus Apostolus, esse vasa iræ apta in interitum, in quibus ostẽdere velit Deus iram, & notam facere potẽtiam suam: & in alio loco, docet, in magna domo etiam fictilia vasa & terrea suũ locum, & vsum habere. Vnde docemur neminem (quantum ad Deum attinet) posse fieri inutilem, ita vt nulli vsui ipse eum valeat aptare: tametsi ex sese homo peruersus, ad omne bonum sit inutilis. Et secundum hanc inutilitatem posteriorẽ, intelligi debet potissimũ quod dicitur. Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt. Huic autem consonat, quod in euangelio Ioannis, ex ore Saluatoris discipulis dicitur: Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes nõ potest facere fructum nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis. Et si quis in me nõ manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum & in ignẽ mittẽt, & ardet. Quod enim proposito versu Psalmi declinare dicitur, hoc in verbo isto Saluatoris est, non in Christo & Deo permanere, inutilem autem fieri, est fructum non posse ferre & proinde ignibus tradi. Quemadmodum autem palmes, qui in vite non manserit, licet ad fructum natiuitatis faciendũ sit inutilis, est tamen aptus adhuc combustioni, & igni nutriendo vtilis: sic & homo postquam declinauit, & à Deo separatus est, licet ad faciendum fructum operationis studiosæ sit factus inutilis, manet tamen aptus, siue vtilis (vt ita dicam) Deo, ad escam ignis quã præparauit diabolo & angelis eius. Vnde & in parabola malos homines Christus zizaniæ, Ioannes autem paleæ comparat: quæ licet non sit vtilis, vt congregetur in horreum apta tamen est, vt projciatur in caminum. Ad vos igitur ò peccatores vt mea conuertatur oratio, gaudete quia frugi estis, quia apti estis, quia vtiles estis ad interitum scilicet, & ad ignem sempiternum. Quod inutiles facti estis ad omne opus bonum. Sed vos miseros: qui (vt Iob dicebat) bibitis quasi aquam iniquitatem. Esai. 59. Vos, inquã, miseros: quorum opera inutilia, & quorum cogitationes inutiles vt Esaias ait. Hos homines inutiles compatat Hieremias cum Myrica in loco arido & inculto nota. Est enim Myrica virgultum abiectum & syluestre, quod nec fructu, nec vmbra affert vtilitatem, nec amœnitatis specie iucunditatem, nec radice medicinam, aut remedium aliquod salutare, ad nullum vsum reseruatum, nisi ad secandum & incendio consumendum.

Rom. 9. 2. Tim. 2. Ioan. 15. Matth. 25. Matth. 13. Matth. 3. Esai. 59.

❡ *Domi. 13. post Pent.*

ET factum est dum iret in Hierusalem, trãsibat per mediam Samariam & Galilæam. Et cum ingrederetur quodam castellum, occurrerũt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longè: & leuauerunt vocem dicentes, Iesus præceptor, miserere nostri. Quos vt vidit, dixit, ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est: dum irent, mundati sunt, vnus autem ex illis vt vidit, quia mundatus est: regresus est cum magna voce magnificans Deum, et cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens: et hic erat Samaritanus. Respondens autem Iesus, dixit, nõne decem mundati sunt? Et nouem vbi sunt? Non est inuentus qui rediret, & daret

ret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Et ait illi, surge, vade: quia fides tua te saluum fecit.

HOC miraculo ostendit satis superque Dominus & suam benignitatem & nostram ingratitudinem. Illa ostenditur, tanta facilitate hos leprosos à lepra mūdādo, hec vero, quod ex decem qui mundati sunt, nullus repertus fuerit qui rediret, & glorificaret Deū præter vnum alienigenam. Nunc Euangelistam audiamus.

¶ *Et factum est: dum iret in Hierusalem, transibat per mediam Samariam, & Galilæam.* Gaudebat Dominus frequenter per occasionem attingere Samariam & Galilæam, vt hierosolymitis exprobaret suam incredulitatem: qui Samaritanos peius abominarentur quā Ethnicos, & Galilæos pro semipaganis haberent.

¶ *Occurrerunt ei. x. viri leprosi.* Solebat Dn̄s cum aliquid creditu difficile prædicabat, illud ipsamet experientia cōprobare. Prædixerat pharisæis: amen dico vobis publicani & peccatores præcedent vos in regno cœlorū. Quod vt oculis cernerent: trahit ad pedes suos accūbens in domo cuiusdā pharisæi præ cæteris cognitione legis, & sanctitatis opinione turgentis, mulierē quandā, in ea ciuitate nō tam peccatricē, quæ lachrymis rigaret illos: & capitis sui capillis extergeret. Ecce consequutū est hoc, in quo res ipsa poneret ob oculos, quod dn̄s verbis docuerat: de iustis repellendis & peccatoribus recipiendis. Pharisæi iusti sibi videbantur, & repulsi sunt: at Matthæus publicanus & mulier ista nota peccatrix recepti sunt. Prædicabat Dn̄s neq; Sacerdotes, nec Leuitas esse veros proximos, ac sæpe numero fieri, vt qui genere proximus est, alienior sit affectu, quā hostis: in qua concione vsus est similitudine illa hominis cuiusdā proficiscētis ab Hierosolymis Hierico: quā noster Luc. c. 10. refert. Atq; vt res ipsa doceret quod Dn̄s verbis prædicarat, adducit. 10. viros istos lepra infectos, quorū nouē qui fideles erant, noluerunt redire vt agerent Christo gratias & glorificarent Deum. Samaritanus autem vincens illorū religionē vbi sentit se planē liberatū à morbo, ilico reuersus est ad Iesum, clara voce clarificans Deū, & gratias agens. Sed iam ad mysticam euangelij explicationem accedamus.

Solebat Christus quum aliquid creditu difficile prædicabat illud ipsa experientia cōprobare.

Luc. 7.

Luc. 10.

¶ *Occurrerunt ei. x. viri leprosi.* Per hos leprosos imprimis credas significatos homines hæreticos, quod intus malis affectibus sint toti deprauati, foris variegata cute, veluti falsa veris permiscentes. Sic enim D. Grego. ait: habent quippe hoc hæretici propriū vt malis bona permisceāt, quatenus facile sensui audientis illudāt. Si enim semper praua dicerent, citius in sua prauitate cogniti, quod vellent minime persuaderent. Rursum si semper recta sentirent profecto hęretici non fuissent, sed dū fallendi arte ad vtraq; deseruiūt, & ex malis bona inficiunt, & ex bonis mala, vt recipiantur, abscondūt: sicut qui veneni poculū porrigit omnia poculi dulcedine mellis tangit: dumque hoc quod dulce est, primo attactu delibatur, etiam illud quod est mortiferum indubitanter absorbetur. Itaque hæretici permiscent recta peruersis, vt ostendendo bona auditores ad se trahant, & exhibendo mala latenti eos peste corrumpant. Hactenus Gregor. Ecce vides apertissimo Gregorij testimonio probari, semper hæreticorū doctrinam esse veram lepram ac veluti quoddā venenatū poculū. Eandē sententiā docet Leo Pontifex Maximus huius nominis primus. Qui in epist. ad Toribiū Astorigensem Episcopū. c. 15. præcipiēs, vt libri Priscillianistarū cōburantur ait. Quamuis enim sunt in illis quædā, quæ videantur speciē habere pietatis, nūquā tamen vacua sunt venenis, sed per fabularū illecebras hoc latenter operātur, vt mirabilium narratione seductos, laqueis cuiuscunque erroris inuoluant. Hæc Leo. D. etiam August. exponens hoc Euāgelium idē expresse docet. Quærendū est (inquit) quid ipsa lepra significet. Nō enim sanati sed mūdati dicūtur, qui caruerunt. Coloris quippe vitiū est, non valetudinis, aut integritatis sensuum, atque mēbrorū. Leprosi ergo nō absurde intelligun

Leprosi hæretici sunt

D. Grego 5. Mor.

Leo.

D. August.

liguntur, qui scientiam veræ fidei non habentes, varias doctrinas profitentur erroris. Nulla prorsus falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermisceat. Vera ergo falsis inordinate permixta in vna disputatione, vel narratione hominis, tanquam in vnius corporis colore apparentia, significant lepram, tanquam veris, falsisque colorum locis, humana corpora variantem, atque maculantem. Hæc Augustinus. Sunt adhuc multa alia in leproso consideranda, ex quibus apertius colligi potest leprosum veram esse hæretici figuram. Nam leprosus suo contactu alios inficiebat: & hæreticus sua cõuersatione fidelibus nocet. Leprosi anhelitus noxius erat, & ob hanc causam os illius veste cõtectum esse iubebatur. Et hæreticorum sermo Paulo testante, velut cancer serpit, & ob hanc causam prædicatio est illis interdicta. Quoniam (vt Salomõ ait) qui ponit stulto silentium iras mitigat. Ab huiusmodi lepra vt nos ipsos liberemus admonet D. Paul. in episto. ad Heb. c. 13. doctrinis (inquit) varijs & peregrinis nolite adduci. Atque hoc ipsum magno opere desiderabat sponsa: propterea petebat separari à corpore & esse cum Christo vt à tanto periculo liberaretur. Vnde sponso suo alloquens ait: Indica mihi vbi pascas vbi cubes in meridie: ne vagari incipiam post gregem sodalium tuorum. Quæ verba explicans D. Bernard. sic ait: Heu nec clara lux nec plena refectio, nec mãsio tuta: & ideo indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie. Beatã me dicis cũ esurio & sitio iustitiam. Quid hoc ad fœlicitatẽ illorum qui repleti sunt in bonis domus tuæ, qui epulantur & exultant in conspectu Dei, & delectantur in lætitia? Sed & si quid patior propter iustitiã, nihilominus beatam pronũtias. Et certé pasci, vbi timeas pati, iucunditatem habet sed non securitatem. Porro autem pasci & pati simul, nonne molesta iucunditas est? Omnia mihi cedunt hic citra perfectum, plura præter votum, & summum nihil. Quãdo adimplebis me lætitia cum vultu tuo? Vultum tuum Domine requiram. Vultus tuus meridies est. Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie. Scio satis vbi pascas nõ cubãs, indica mihi vbi pascas & cubes. Non ignoro vbi alijs temporibus pascere soleas, sed scire velim vbi in meridie pascas. Nam in tempore quidẽ mortalitatis meæ, & in loco peregrinationis meæ consueui sané sub tua custodia pasci & pascere in lege & Prophetis & Psalmis de te, necdũ in euangelicis paschuis, & apud Apostolos similiter requieui, frequenter etiam de gestis sanctorum & verbis & scriptis eorum victum mihi, atque attinentibus mihi mendicaui vt potui: frequentius autem (quoniam is magis ad manum fuit) manducaui panem doloris, & vinum compunctionis bibi, & factæ sunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie vbi est Deus tuus? Nisi quod de mensa tua, siquidem parasti in cõspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me. De ipsa, inquam, tuæ quidem beneficio miserationis accipio, in quo vtcũque respiro quotiescunque est tristis anima mea, & quoties conturbat me. Hæc pascua noui & frequentaui te secuta pastorem, sed indica quæso etiam quæ non noui. Sunt quidem & alij pastores qui dicunt se esse sodales tuos, & non sunt, habentes greges suos & fines suos pabulo mortis refertos, in quibus pascunt nec tecum nec per te, quorũ vtique terminos non intraui, nec appropiaui eis. Ipsi sunt qui dicunt: ecce hic est Christus, ecce illic est: promittentes sapientiæ & scientiæ paschua vberiora, & creditur eis, & cõfluunt ad eos multi, & faciunt eos filios gehennæ duplo quam se. Cur hoc, nisi quia nõ est ibi meridies & perspicua lux vt liquido veritas cognoscatur, facileque pro ea recipiatur falsitas propter verisimilitudinem, quæ non facile in obscuro à vero discernitur, præsertim quia aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior? Et propterea quæso vt indices mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie, id est, in manifesto, ne seducta incipiam vagari post greges sodalium tuorum, quemadmodum & ipsi vagi sunt, nulla stabiles certitudine veritatis, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes. Hæc sponsa propter hæreticorum varia dogmata.

2. Tim. 2.
Pro. 26.
Heb. 13.
Can. 1. b exponitur locus.
D. Ber.
Matth. 5. a
Psa. 64. a
Psa. 67. a
Matth. 5. a
Psa. 15. c
Psa. 26. c
Psa. 41. a
Psa. 22. b

Ber. se. 33. super Cãt.

mata. Hactenus D. Bernar. sermone. 33. super Can. ¶ Omnis etiam peccator leprosus dici potest. Etenim sicut molesta corporis lepra (inquit Chrysostomus) colorem variat, sic & vbi animam occuparit, duplex facit cor. Et quam iniucunda oculis humanis corporea lepra, tã insuauis est oculis Dei in plures secta partes anima. Et ob hoc ait scriptura: væ duplici corde, & animæ solutæ, & peccatori vias duas incedenti. ¶ Cum igitur hæreticorum ac peccatorum omniũ genus contagiosum, vt leprosorum, atque abominãdum sit, idcirco procul arceantur ab hominum consortio: quemadmodum olim arcebantur leprosi. Omni tempore (inquit lex) quo leprosus est & immundus, solus habitabit extra castra. Sic de hęretico loquens Paulus in epistola ad Titum. c. 3. ait: Hæreticum hominem post vnam, & secundam correptionem deuita: sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit cum sit proprio iudicio condemnatus. Et D. Joan. in sua secunda epistola canonica inquit: si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domũ, ne aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi aue: communicat operib9 eius malignis Quibus testimonijs adducti nonnulli Theologi illustres in ea fuerunt sententia vt existimarent, excommunicationis pœnam esse ex diuino iure hęreticis inflictam: & ne quis existimet hãc pœnam non ex diuino iure sed ex humano Apostolorum summorumque Pontificum dimanasse, audiat quid idem Paulus Thessalonicensibus scribat: Denuntiamus autem vobis fratribus (inquit) in nomine Domini nostri Iesu Christi: vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulãte inordinatè, & non secundum traditionem quam acceperunt à nobis. Ecce Paulus interdicit conuersationem cum illis, qui non ambulant secundum traditionem, quam ab eo acceperunt, neq; hoc nomine suo: sed nomine Domini nostri Iesu Christi se id præcipere dicit. Quæ verba declarans Theophilatus ait: sæpe alias diximus denuntiationem, austeram quandam præferre doctrinam. Nũc igitur tremendam magis hanc faciens, inquit, non enim nos id ipsum iniungimus, sed Christus ipse. Hæc Theophilatus. ¶ Non ignoro alios Theologos in ea esse opinione vt dicant, iustam esse excommunicationis sententiam contra hæreticos à iure prolatam: negant tamen illam iuris diuini robur tenere. Quæ istarum opinionum sit verior saniori relinquo iudicio. Hoc satis modo nobis sit quod hi, qui negant excommunicationis pœnam esse iure diuino inflictam, negare non poterũt esse iuri diuino admodum cõforme, pertinaces hæreticos excommunicare. Nam illum, qui fratrem semel & iterum admonentem de peccato contemnit, & Ecclesiam insuper non vult audire, Christus Saluator noster præcipit habendum esse tanquam Ethnicum & publicanũ. Quibus verbis concordi omnium catholicorum sententia, Saluator noster prælatis Ecclesiæ dedit potestatem excõmunicãdi illum: qui tertio admonitus, negligit emendari. Idem enim est dicere sit tibi sicut Ethnicus & publicanus: ac si dixisset nullam prorsus cum eo habeto communionem. Sicut populo Israel fuit olim à Deo interdicta cum gentibus conuersatio, ita etiam nunc populo Christiano interdicit Saluator, aut potestatẽ dedit prælatis interdicendi communionem cũ eo, qui Ecclesiam audire contemnit, dicens: Sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. Nã B. Chrysostom. hæc Matthæi verba interpretans ait: Vide qualiter duplicibus colligauit necessitatibus, & pœna, quæ hic est, scilicet, proiectione ab Ecclesia: Sit tibi sicut Ethnicus & publicanus: & supplicio futuro; quod est esse ligatum in cœlo. Hęc Chrysosto. Vt autem sententiam prælati excommunicantis nullus cõtemnere auderet: sed firmam, & ratam esse, omnes censerent, addidit: amen dico vobis, quęcunque alligaueritis super terrã, erunt ligata & in cœlis, & quęcũque solueritis super terram, erũt soluta & in cœlis. Quæ verba explicans D. Hierony. in commen. super Matth. ait: quia dixerat, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus, & poterat contemptoris fratris hæc occulta esse responsio, vel tacita cogitatio, si me despicis

Marginal notes: Omnis peccator dicitur leprosus. — D. Chriso. Ho. in illud Apos. cum autẽ subiecta fuerint ei, &c. — Eccle. 2. c — Leui. 13. — Ad Titũ. 3 — 2. Ioan. — An iure diuino hæretici sint excõmunicati. — Iodocus Clitoueus Iacobus Latomus, Echius, de hære. comburendis videtur idem sentire. Lege castro. de iusta. hę pu. li. 2. ..the. 10 — Matth. 18. — Chrysost. — D. Hiero.

ego te despicio: si tu me condemnas, & mea sententia condemnaberis, potestatē tribuit Apostolis vt sciant, qui à talibus condemnantur, humanam sententiam diuina sententia roborari, & quodcunque ligatum fuerit in terra, ligari pariter in cœlo. Hæc Hierony. Ex quibus verbis apertissimé constat, quia rata sit, & à Deo confirmata excommunicatio, quæ fertur in illum, qui secundo admonitus, Ecclesiam postea audire contemnit. Quis autē minus Ecclesiam audit, quam hęreticus, qui suam sentētiam difinitioni totius Ecclesię pręponit, & ab ea fide quā scit totā Ecclesiam tenere, proprio iudicio recedit. Nullus ergo iustius potest iuxta diuina decreta excommunicari quam hęreticus, qui propriæ innitens prudentiæ, Ecclesiam docentem, atque admonentem audire contemnit. Et forte hoc ipsum intellexerunt præfati illi doctissimi viri dicentes, excommunicationis pœnam iure diuino esse hæreticis illatam: quia iuri diuino innititur ius humanum, quod illam hæreticis inflixit. Rursum, iustā esse hanc hęreticorum excommunicationem ostenditur per id, quod Dominus Deus populo Isræl olim pręcipiens vt deleret Iebusęum, Chananęum, & reliquas quinqué nationes, addidit: non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum, neque sotiabis cum eis coniugia. Filiam tuam nō dabis filio eius, nec filiam ipsius sotiabis filio tuo: qui seducet filium tuū, ne sequatur me: & vt magis seruiat diis alienis. Attende, obsecro, causam, propter quā prohibuit cum gentibus illis contrahere matrimonia. Quia seducet, inquit, filiū tuū, ne sequatur me. Nōne simile periculum est in conuersatione hæreticorum, quorum sermo (iuxta Pauli sententiam) vt cācer serpit. Propter eādem igitur causam iustum est, vt sit omnibus Christianis interdicta hæreticorum conuersatio, ne fallaciis suis seducāt corda eorum, cum quibus conuersantur. Ideo Paulus ait: quæ pars fideli cum infideli? Tam potens est hæc causa, vt propter illam solam censuerit Paulus vxorem fidelem coniunctam viro infideli, qui non permittit illā in fide sua manere: sed quotidie sollicitat, & vrget ad infidelitatem, posse à viro suo separari. Sic enim ait Paulus: quod si infidelis discedit, discedat: non est enim seruituti subiectus frater, aut soror in huiusmodi. In pace autem vocauit nos Deus. Quæ verba declarans Theophilatus in com. super episto. Pauli ait: hoc est, si vir infidelis vxori fideli iniungat, secum vt sentiat, & particeps suæ fiat infidelitatis, dirimat potius matrimonium mulier, & à viro abscedat. Satius enim est connubium ipsum dissoluere, quam pietatē, & Dei cultum amittere. Si tecum ille eo iurgatur, quod suæ infidelitatis participare nil toleres, cōfestim secedito. Non enim es huiusmodi seruituti subiecta, hoc est, nil cogeris virum in rebus huiusmodi perpeti. Melius est enim secedere, quam altercari. Neque enim diuinæ illud est voluntatis, quippe qui nos in pace vocarit. Itaq; si litiget, & iurgiis vrgeat, præbuit ille diuortii causam. Hactenus Theophilatus. Deinde id, quod Deus olim cum leproso lege Mosayca fieri præcepit, manifestum est exemplar nobis propositū vt illo bene inspecto discamus inde quid in lege euangelica circa hæreticum fieri debeat.

¶ Præterea quantum cauere debeamus atque nos ipsos subtrahere à cōsortio hominum non solum hæreticorum, sed impiorum docet Ecclesiasticus. cap. 13. his verbis: Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea, & qui communicauerit superbo, induet superbiam. Si communicabit lupus agno aliquando sic peccator iusto. Quæ communicatio sancto homini ad canem. D. etiam Paulus in priori epistola ad Cor. cap. 5. ait tollendos esse de medio nostrum qui eiusmodi sunt. Et reddens rationem huius subiungit: nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum vt sitis noua conspersio. Huius modici fermenti exemplum habemus. 2. Reg. c. 20. in Seba rebellante contra Dauid: cuius caput nisi sapiens mulier cito amputatū per muros mittere ad Ioab, modicum fermentum totam ciuitatem in præcipitiū traheret, & ruinam. Expurgemus igitur vetus fermentum, expellamus (quoad fieri posŝit) malos de medio nostri, ne in totam

Marginalia: Deu. 7. | 2. Tim. 2. | 1. Cor. 7. | Theophi. | Castro de iusta. pu. hær. lib. 2. | Eccl. 13. | Ibidem. | 1. Cor. 5. | 2. Reg. 20.

tam communitatem celeriter lepra serpat, & virus.

§ *Qui steterunt à longè, & eleuauerūt vocem dicentes: Iesu praeceptor miserere nostri.* Docet hic locus Deum in tribulationibus esse inuocandum. Est enim adiutor in tribulationibus quae inuenerunt nos nimis. Hoc sanè emolumentum secū afferre solet afflictio vt confugiant afflicti ad Deum singulare refugium suum, & diuinam implorent clementiam. Atque ad iucundam diuini numinis cogitationem recurrant. Et quāquam exules aerūnosos, abiectos, expulsos ab hominū coetu, & vastas atque incultas solitudines peragrantes se videant, non deponūt tamē memoriam Dei. Versatur illis ante oculos diuina bonitas, & pietas: & eorum calamitas in suauissima coelestium rerū memoria conquiescit. Intelligūt enim ideo se in aerumnis vexari, vt ad diuinum consolatorem, tāquam ad arcem tutissimam confugiant. & à lepra peccatorum emūdentur. Hinc est quod rex Dauid aiebat: tu es refugium meū in tribulatione, quae circundedit me. Et iterum: iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit. Vnde secundum emolumentum ex afflictione oritur vt ipse Dominus soleat afflictis diuinum auxilium, gratiam, fauorem, consolationē implorantibus opitulari. Vt in his leprosis pietatem eius à longe petentibus videre licet. Ideo dicebat Apostolis apud Ioan. Tristitia vestra conuertetur in gaudium. Vnde D. Augustinus in Ioan. ait: Quod te Dominus permisit pati flagellum corrigentis est, non poena damnantis. Et D. Hierony. in epistola ad Heliodorū. Quis non tribulari velit, quis se non maledici desideret, vt mereatur laudari Christi voce, & coelesti copiosaque mercede numerari? O diuinam bonitatem, ò summam clementiam, ò infinitam Dei nostri misericordiam. Quis non admirabitur benignitatem tuam Deus sancte, qui ideo nos affligis, vt reficias, ideo nos premis, vt cōsoleris: ideo permittis vt in varias calamitates incidamus, vt nostram miseriam cognoscentes tuam misericordiam imploremus dicentes: Iesu praeceptor miserere nostri. Non igitur nos perdere vis, sed ad gloriam tuam patrisque tui perducere. § Contra vero hinc colliges quam inutilis imò quam nociua sit hominibus prosperitas, quę in causa esse solet, vt nō simus Dei memores, nedum illum inuocemus. Pharao in rebus prosperis & ad voluntatem fluentibus dicebat, vt in Exod. narrat diuina historia: quis est Dominus? Nescio Dominum. Deum non cognoscebat à quo omnia facta sunt, qui est totius orbis moderator & rector. At postea calamitatibus pręssus, Moysem & Aaronem rogabat vt pro eo ad Deū funderent pręcationes. Mundi prosperitas & vitae turpitudo, eū ad id dementiae perducebant, vt Deum ipsum negaret & creatorē suū non cognosceret nedum vt eum inuocaret. Quae poterat maior excogitari stultitia? De huiusmodi ignorantibus ait diuinus Psaltes: dixit insipiens in corde suo non est Deus. Et licet Chrysosto. Hoc de Saule dictum esse existimet, quod reiecto Deo consuluerit Pythonissam, & Arnobius hoc de illis intelligēdum putet, qui Christum ob carnis humilitatem & formam serui contempserunt, & Deum esse negarunt, existimo tamen diuinum vatē in genere hoc dixisse de omnibus his, qui vitiositate deprauati, & stultitia ducti, diuinam prouidentiam negarunt. Pro, insipiente, est in Hebraico Nabal, quod nomen significat non quencunque insipiētem, sed stultum malitiosum. Hic in cordis penetralibus statuit non esse Deum, qui mortalia curaret. Huius pestilentis opinionis omnia iura diuina & humana peruertentis originem esse existimo opū affluentiam, & morum corruptelam. Nā qui inflantur ob diuitiarum possessionē, qui pascuntur furijs, qui inflammantur libidinum facibus, qui torquentur inuidia, qui ob diuitias & potentiam & spem impunitatis alia huiusmodi scelera concipiunt, quibus se coinquinant & contaminant, hi, ad id deueniunt insaniae, vt sit ex eorum animis Dei cognitio, & memoria deleta, & penitus euulsa. Sed cum calamitatum prēmuntur angustijs, conuertuntur ad Deum aliquando, eum tormentis cognoscentes, quem in delicijs negauerunt.

Deus in tribulationibus inuocandus. Psa. 45. b
Psa. 31.
Psa. 33.
Ioan. 16.
D. Augu.
D. Hiero.
Prosperitas in causa esse solet vt Dei simus immemores.
Exod. 5.
Exod. 8. & deinceps
Psa. 13.
Chrysost.
Arnobius.

Psa. 88. runt. Ideo canebat diuinus Psaltes: Imple facies eorum ignominia & quærent nomen tuum Domine. Et Esaias, cum feceris, inquit, iudicia tua in terra, iustitiã discent habitatores orbis. Et paulo post: Domine in angustia quæsierunt te. Aspice quam vtilis sit afflictio, quę excitat ad cognoscendum & quærendum Deum, quem in prosperitate nec quærebas, nec cognoscebas, quin potius in erroribus intolerabilibus versabaris. Ecce hi leprosi afflicti agnouerunt morbum suũ: & ideo non accedunt proprius, sed procul stantes, voce sublata clamant Domino: Iesu præceptor miserere nostri. Ecce quęrunt illum & inuocant, quẽ in salute nec quærebant nec agnoscebant. ¶Obserua præterea nouem istorum esse fideles, hoc est, Iudæos: decimum verò infidelem, hoc est, Samaritanum. At Iudæi & Samaritani nullum habebant commertium: nefas enim esse ducebant Iudæi si quid haberent consuetudinis cum Samaritanis: eã ob causam aiebat mulier illa Samaritana Christo, quomodo tu Iudæus cum sis, bibere à me petis: cum sim mulier Samaritana? Ac si dicat: qui fit, vt tu Iudæus cum sis, quemadmodum è sermone cultuque coniicio, præter Iudęorum morem, à me muliere Samaritana poscas potum, cum soleatis vos Iudæi à commertio Samaritanorum abhorrere? Vnde addit Euangelista non enim couтuntur Iudæi Samaritanis. Quando hæc ita erant, quid, rogo, fuit in causa vt nouem isti leprosi non abhorrerent à consortio & sotietate atque consuetudine leprosi Samaritani? Nempe afflictio communis, morbus, paupertas. Nihil enim sic connectit extraneos quàm paupertas communis, labor & dolor, mundi aduersitas: contra verò nihil sic homines disiungit & à consortio, amicitia & commertio separat quam prosperitas. Hæc vt diximꝰ paulo ante Dei obliuiscitur: hæc seiungit patrem à filijs, fratrem à fratre. Illa verò non solum in causa est vt Deum imploremus, sed vt proximum diligamus: conciliat peregrinos, alienigenas amicos efficit, expensas cõmunes facit, illa, inquam, omnia bona facit communia. At prosperitas & bonorum

Esai. 26.

Ioan. 4.

Afflictio communis connectit extraneos, prosperitas separat etiam amicos & fratres.

A affluentia, iurgia inter fratres excitat, bona dissipat, inimicitias parat. Quod in vno Abrahamo & Loth videre facile est. Sic enim ait scriptura sacra de illis loquens: nec poterat eos capere terra, vt habitarent simul, erat enim substantia eorũ multa, & nequibant habitare communiter: vnde facta est rixa inter pastores Abraham & Loth. Diuisiq; sunt alterutrũ à fratre suo. Quanta vero mala subsecuta sunt sancto Loth ex hac separatione, omnibus compertum est, omnia namq; eius bona combusta sunt in Sodoma, atque

Gen. 13.

B ebrius cum filiabus suis dormiuit, &c. Fœlix & beata paupertas quæ pauperes connectit, coniungit, conciliat, ditat. Hec in causa fuit vt sociaret duos illos leprosos atque tandem ditaret quos. 4. Reg. c. 7. sacra refert historia. Hec, hos Iudæos & Samaritanum conciliauit atque occurrere fecit Christo domino. Diligamus igitur paupertatem & afflictionem quãdo multa bona pariter nobis veniunt cum illis. Non enim solum parãt amicos, atque habitare faciunt in vnum: sed quod his omnibus est præstantius & excellẽtius, Deũ

4. Reg. 7.

C adiutorem habent. At diuitiarum abundantia amicitias dissoluit & Dei penitus immemores reddit. Idcirco Salomon petebat: diuitias ne dederis mihi, ne forte saciatus illiciar ad negãdum & dicam: quis est Dominus? Paupertas fecit vt Iacob amaret Labam, & tot annis ei libenter seruiret: at diues factus fugit ab eo atque secum adduxit filias eius. Si ergo diuitiæ tot mala secum afferre solent, quid tanto pere desiderantur? Quid bona & non potius mala vocantur? ¶Deinde perpende quod antequam esset ingressus vicum

Pro. 30. b

D illum occurrerunt ei hi viri leprosi, & sanati sunt. Si enim expectarent donec penitus esset ingressus, minime curarentur. Sic peccatores occurramus ouiam sponso aptatis lampadibus, antequam ingrediatur, ac fores claudat; nã illo ingresso, quamuis clamemus cum fatuis virginibꝰ & dicamus: domine domine aperi nobis, non exaudiemur: imò audiemus: amẽ dico vobis nescio vos. Ante sepulturæ ingressum vngendus est Christus vnguento pretioso pœnitentię. Nam si illum vngens,

Peccatores leprosi debent occurrere Christo antequam ingrediatur & fores claudat. Matth. 25

gendum post sepulturam quæras cũ Magdalena, iam suscitatum inuenies: & nihil proderit vnguentum. Me, inquit, oportet operari opera Dei donec dies est: venit nox quando nemo possit operari. Antequam veniat nox mortis, debemus ei occurrere & misericordiam eius postulare, lachrymas salutares fundere, ad eũ clamare: eum, dum viuit in hoc mundo nobiscum, vnguento pœnitentiæ vngere: ante huius solis occasum dicamus Iesu præceptor miserere nostri: nam si semel ingressus fuerit nulla spes salutis reliqua esse potest, nullus locus misericordiæ conceditur: si semel anima é corpore migrauerit criminibus ac sceleribus obnoxia, & si sitiat, non solum potum aquæ frigidæ quo extingat ignem, non inueniet: sed neque aquæ guttam qua lingua recreetur. Quod epuloni euangelij contigisse nemo est qui ignoret. Si enim ante mortem stillam misericordiæ postulasset fieret in corde eius fons aquæ salientis in vitam æternam. Sed quod sero resipiscere voluerit, minime exaudiri meruit. Occurramus ergo ei antequam ingrediatur ne post ingressum atque discessum si ad eum redire voluerimus dicat nobis, quod olim sanctus Isaac regi Abimelech ac sotijs eius: quid venistis ad me, hominem quem odistis & expulistis á vobis? Dum tempus habemus contendamus intrare per angustam portam: sic enim admonet apud nostrum Lucam: contendite (inquit) intrare per angustam portam, quia multi dico vobis quærẽt intrare & non poterunt. Si enim post obitum ianuam quæsieris minime inuenies: aut si inuenias & intrare contenderis, nullo modo poteris: clauso nimirum aditu. Cum enim intrauerit paterfamilias & clauserit ostium, quod nunc patet omnibus adnitentibus: tunc seró resipiscens agnosces errorem tuũ, & inuidens his qui sunt ingressi, incipies obsidere ostium & pulsare fores, & nihil tibi proderit. Audi quid Salomon consulat: ante lãguorem adhibe medicinam, & ante iudicium interroga teipsum, & in conspectu Dei inuenies propitiationem. Post mortẽ enim inutilis & nullius momẽti est omnis medicina. Hoc ergo vt intelligeremus ait Euangelista occurrisse Christo leprosos istos cum ingrederetur vicum. § Animaduerte insuper hos leprosos agnoscẽtes morbum suum proprius non accessisse, sed procul stetisse. Vt hinc discamus primum agnoscere nos ipsos, agnoscere peccata morbosque animi cõtagiosos & humilitate affecti procul à Christo stare si volumus impetrare quod postulamus. Accessit proprius pharisæus elatus, stetit à longé publicanus humilis & precabatur dicens: Domine propitius esto mihi peccatori. Et ob tantam animi subm[i]ssionem & deiectionem descendit hic iustificatus ab illo. Stetit Magdalena retro secus pedes Domini & metuit audire remittuntur tibi peccata tua. Fœlix virtus humilitatis quam fugientem sequitur Deus, ad quam á longe stantem accedit proprius Deus: hæc iram Dei placat ac sententiam eius mutat. Nonne (ait Dominus Eliæ) uidisti humilitatum Achab coram me? Quia ergo humiliatus est mei causa non inducam malũ in diebus eius. Hæc, ad misericordiam Deum prouocat. Quanto enim magis ac magis sese Abraham humiliabat dicens: loquar ad dominum meum cum sim puluis & cinis tanto magis Deum ad parcendum Sodomitis alliciebat: ita vt tandem si inuenirentur decem iusti in medio ciuitatis non deleret illam propter eos, nedum propter quinquaginta aut. 30. aut viginti. Hæc, regnum parat. Parauit enim regnũ Sauli. Nam & si altior erat vniuerso populo ab humero & sursum humilior tamen erat omnibus corde & animo. Nonne (inquit Samuel) cũ paruulus esses in oculis tuis caput in tribubus Israel factus es? Sed quia in humilitate, qua cœperat, non permansit, regnum amisit: & datum est humili Dauidi: qui iam rex factus ludebat coram arca Domini & dicebat: Ludam & vilior fiam: eroque humilis in oculis meis. Cuius causam præmiserat dicens ludam ante dominum qui elegit me potiusquam patrem tuum. Ob hanc virtutẽ impetrauit Christus quicquid voluit. Vnde D. Pau. de illo loquẽs ait exauditus est pro sua reuerentia, hoc est, ob suã profundam

Marginalia: Ioan. 9. — Gen. 26. f. — Supra. 13. e — Eccle. 18. c — Agnoscere peccata oportet si emundari volumus à lepra & humiles esse. — Luc 18. — Supra. 7. — 3. Reg. 21. g — Gen. 18. — 1. Reg. 10 d — 1. Reg. 15. c — 2. Reg. 6. d — Heb. 5. b

dam humilitatem. Reuerentia enim & humilitas pro eodem accipiuntur in scriptura. A vn niño dezimos: hazed la reuerentia. Esto es, humillaos. Psa. 64. Tu scis improperium meum, cõfusionem meã, & reuerentiam meam. ¶ *Praceptor miserere nostri*. Quid obsecro ad rem attinet eum modo præceptorem, doctorem, aut magistrum appellare? Nonne magis ad rem faceret eum dominum, pium, aut misericordẽ vocare? Magister (inquiunt alibi pharisæi) volumus à te signum videre. Nonne satius & accomodatius esset eum vocare tũc dominum, ac dicere Domine, omnipotens, moderator totius orbis, qui portas omnia verbo virtutis tuæ volumus à te signum videre? Obserua imprimis nihil magis necessarium, nihil magis accommodatum petitionibus ac precationibus quã scientia. Dominus enim scit quid opus sit nobis, quid nos deceat, quid ad salutem necesse sit. Quare merito eum præceptorem ac magistrum omnia scientem vocamus. Ac si dicamus: domine tu scis an hoc quod postulo animi saluti expediat, præceptor es, doctor es, omnia nosti, si mihi expedit id concede: sin autem, minime id volo. Hoc precãdi modo vsi sunt Apostoli in electione Mathiæ. Tu Domine (inquiunt) qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus vnum, accipere locum ministerij huius. Ac si dicerent: magister es, præceptor es, quis idoneus ad Apostolatum sit, nosti: eum ergo postulamus vt ostendas. Quod olim Hebręi hoc petendi stylo non vsi sunt cum regem postulauere, concessus est illis, potius in suã perniciem, quam in suam salutẽ. Da nobis (inquiunt) regem, vt iudicet nos. Neque enim ea lege & conditione petebant, si illis, scilicet, expediret, si illis esset salutare, sed expediat necne, cõstitue, inquiũt, nobis regem vt iudicet nos, sicut vniuersæ habẽt nationes. Et ideo displicuit hæc petitio in oculis Samuelis vt ibidem narrat historia. At sancti non sic, sed potius Deo omnia scienti suas petitiones committunt vnde D. Paulus in episto. ad Ro. ait: nam quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse spiritus postulat pro no-

Psa. 64.

Matth. 12.

Nihil magis accommodatum petitionibus quam scientia.

Actor. 1. d

1. Reg. 8.

Rom. 8.

A bis gemitibus inenarrabilibus: qui autẽ scrutatur corda, scit quid desideret spiritus: quia secundum Deum postulat pro sanctis. Nos enim ignoramus quid nobis expediat, spiritus tamen sanctus docet, instruit atque postulare facit quæ nobis ad salutem necessaria sunt. Vnde hoc intelligentes Apostoli aiunt domino: Domine doce nos orare. Et dominus eos tanquam paruulos docet orandi modũ, suggerẽdo verba quibus in oratione vti deberent. Cum oratis, inquit, dicite pater B noster qui est in cœlis, &c. Ac si diceret: attendite vobis cum oratis, perpendite verba quibus oratis. Multa enim prudentia & animaduersione atque matura cõsideratione in petitionibus vt exaudiantur, vobis opus est. Pedetentim incedendum est, ne oratio à vero tramite aberret. Idcirco, inquit Paulus, Spiritus sanctus datus est nobis qui doceat nos orare. Ipse, inquit, postulat pro nobis, idest, postulare nos docet. Quomodo Matthæ. 10. ait Christus Apostolis: non estis vos qui loquimini: sed spiritus patris ve-C stri qui loquitur in vobis. Non quod verẽ loqueretur, sed quod verẽ loquendi gratiam largiatur: sic postulat, quando postulandi gratiam & orationis donum tribuit. Ad quod impetrandum præparationem à nobis postulat Ecclesiasticus his verbis. Ante orationem præpara animam tuam: & noli esse quasi homo qui tentat Deum. Ad iram prouocat homo Deum, qui sine animi præparatione ad precandum & colloquendum cum illo accedit. Sic accessit pharisęus quem re-D fert Euangelista: & nõ solũ non est exauditus, sed ad iracundiam Deum prouocans de templo redijt minus iustus quã publicanus, Imò verò forsitan descendit publicanus Deo gratus, pharisæus verò ingratus. Vt enim oratio sit accepta multis eget: idcirco doctore Spiritu sancto, qui eam in Deum dirigat, opus est. Dirigatur, inquit David, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Atque vt recta omnino sit, datur nobis spiritus Dei sanctus, dotur Christus dominus, qui docet inter alia & hortatur, vt postulemus in fide: nihil hæsitantes. Vnde D. Iacobus

Luc 11.

Luc. 11 a
Matth. 6 b

Rom. 8.
Matth. 10.

Eccl. 18.

Infra. c. 18

Psal. 140.

Iacobi. 1. in epistola sua canonica, cap. 1. ait: si quis indiget sapientia, postulet a Deo: qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans. Id est, postulet fideliter & cum fiducia non hæsitando de Dei potentia aut de eius misericordia. Quod solent facere qui mole peccatorum maxima sunt pressi minorem putantes Dei misericordiam, quam vt donari sibi venia possit. Sic enim non hæsitarunt de Dei potentia nec de Dei misericordia viri isti leprosi, sed potius clamádo dixerunt: Iesu præceptor miserere nostri, & exauditi sunt.

Præceptor & Dominus nuncupatur Christus vocatur. ¶ *Præceptor*. Nomen præceptoris & magistri propriè Christo conueniebat, sicut nomen Domini. Vos (inquit) vocatis me magister & domine & bené dicitis. Ad hoc enim in mundum venit vt & homines sua omnipotenti virtute & gratia seruaret, & eos de cœlestibus instrueret. Ioan. 13. Hinc est quod de doctrina sua loquens apud Esaiam pater ait: dedite in lucé gentium vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Esai. 42. Et rursum: hic est filius meus dilectus ipsum audite. Matth. 3. & 17. Et D. Ioan. gratia & veritas per Iesum Christum facta est: Ioan. 1. ac si diceret: nunc pro seueritate legis Mosaycæ, gratia exhibita est per Iesum Christum, qui per fidem spem & charitatem atque animi dolorem gratis condonat peccata omnia. Pro vmbris exhibita est veritatis lux: cuius ille non solum est præco, verum etiam autor & magister. Vnde quemadmodum nemo bonus nisi solus Deus, nemo sanctus, nemo dominus sic enim canit ecclesia: quoniá tu solus sanctus tu solus dominus: ita nemo propriè magister & præceptor vocandus est nisi Christus, nisi pater eius, nisi Spiritus sanctus. Cæteri namque mundi magistri demulcent sua doctrina hominum tantum aures, eas instruunt ad eas loquuntur: at Christus sua doctrina demulcet, instruit, illuminat erudit atque penetrat cor. Heb. 4. Viuus est enim sermo eius & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarũ. Quare meritò dicebat ipse suis discipulis: nolite vocari rabbi: vnus est enim ma- Matth. 23

A gister vester. Ac si diceret: vos mei discipuli nolim pharisæorũ esse similes, quin potius memores exempli doctrinæque meæ, fugite cognomen arrogans sapientiæ, neque vobis ipsis placeatis, si quis appellet rabbinos, hoc est, magistros nostros. Vnus est enim in quem veré nomé hoc competit, ei soli debetur laus sapientię, ei soli laus doctrinæ. Matth. 23. Harum enim si quid est in hominibus, vmbra quędam dumtaxat est, si ad doctrinæ & sapientiæ meæ magnitudinem conferatur, quare si B quid honoris tribuunt homines hominibus ob eorum doctriná mihi potius quã illis debetur, qui nõ solum aures sed corda instruo & erudio.

Leprosi oblatio ostéditur. ¶ *Ite ostendite vos sacerdotibus*. Ideo mittit eos ad sacerdotes vt legem latam pro leprosis seruarent. Leprosus enim qui mundari volebat duos passeres iubebatur offerre, & lignum cedrinũ, & vermiculum & hyssopum. Leui. 14. Figura. Ex quibus passeribus, vnus immolabatur in vase fictili super aquas viuentes, alius autem viuus cũ ligno cedrino & cocco & hyssopo tingebatur in sanguine passeris immolati, & Explicatur exactè C hoc aspergebatur septies leprosus, vt iure purgaretur. Hæc omnia in figura peccatoris contingebant illis. Leprosum figuram esse hominis peccatoris in superioribus iam ostendimus. Vnus passerum quos leprosus iubetur offerre Christus Saluator noster est, qui per Prophetam ait: vigilaui & factus sum sicut passer solitarius in tecto. Psal. 101. Esai. 63. Solitarius, inquam, quia torcular calcauit solus, qui & sustinens qui simul cum eo contristaretur non inuenit. Psal. 68. Hic est ille passer qui inuenit sibi domum: quoniam Christus qui in hoc Psal. 83. D mundo non habuerat vbi caput reclinaret: Luc. 9. ascendens in cœlum inuenit ibi domum. In qua deinceps firma statione maneret. Huic passeri alius iungitur, cum homo aliquis Christo se associat, vt illius vitam imitetur. Nam humilitas huiꝰ paupertas sanctorum per passerem designatur in Psalmo: in quo de cedris, idest, potestatibus seculi quas Deus in Ecclesia plantauit Dauid loquens ait: illic passeres nidificabunt: Psal. 103. quia scilicet pauperes Christi à diuitibus huius mundi necessa

perit septē: vbi aspicis accipi numerū definitū pro indefinito. Eodē modo arbitror intelligi Prouerbiorū illud: septies in die cadit iustus. Atq; in hoc loco & si septies in die peccauerit in te, & septies in die cōuersus fuerit ad te dicēs: pœnitet me: dimitte illi. Ac si diceret: si frater tuus per humanā fragilitatē & infirmitatē relapsus fuerit in culpā, etiā si multoties eodē die peccauerit in te, ac toties in die resipuerit, teq; placare studens dixerit: peccaui, pœnitet, ignosce: cōdona illi ex animo culpā. Sed ais: si hoc nobis faciēdum præcipit Dñs: quonā modo ipse hoc idē nō facit. Ipse enim ait per Amos Prophetā: super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor nō conuertā eū: siue vt verti potest ex Hebræo, nō parcā ei. Ac si diceret: quoniā Damascus ter, & quater, hoc est, septies incidit in scelera, quoniā sæpe flagitia cōmittit, nō ea illi cōdonabo. Hoc tamen nō obstat, quo minus certa res sit, nulli peccatori quantūuis scelesto & sceleribus imbuto, nō esse aditū ad veniā: si doleat, si agnoscat culpā, si petat veniam. Quēadmodum ergo nos tenemur ex animo cōdonare culpā pœnitēti, etiā si sæpe in nos peccauerit: ita Deus cōdonat etiā si millies peccauerimus in eū. Cæterū apud Amos agit dñs nō de pœnitente, sed de peccatore obstinato: nullū faciēte finē peccādi. Huiusmodi erat Syria, cuius caput erat Damascus, de qua loco illo Deus per suū diuinū vatē loquebatur. Sed tanta est Dei misericordia, vt si bene aduertas, verbis illis, quibus Syris suppliciū minabatur, eos voluit excitare ad pœnitentiā, vt illis ad seipsum cōuersis flagitia cōdonaret. Tanta inquā, est Dei benignitas: tanta pietas vt nolit mortē impij, sed vt cōuertatur à via sua & viuat, vt ipse apud Ezechielē testatur. Quibus verbis peccatores erigit promissione misericordiæ suæ, cohortans illos vt animū recipiāt, & spē cōferant in diuinā pietatē. Et si enim sint grauissimis sceleribus irretiti, tamen intelligāt infinitis partibus esse maiorem suā clementiā: qua freti, veniā suis flagitijs suppliciter postulent: quā concedet, quoties nos pœniteat. Quare confugiamus ad illū, quē inueniemus maiore alacritate paratū ad nos recipiendū, quā nos ipsos ad Deū amplexandū. Ipse est qui salutē nostrā desiderat, qui pro nobis acerbissima tormenta subiuit, qui in crucis ara se cōstituit hostiā, vt suo sanguine nostra crimina expiaret. Ipse est, vt verbis vtar d. Pauli qui vult oēs homines saluos fieri, & ad agnitionē veritatis venire. Ipse est qui nobis præcipit si septies in die peccauerit in te & septies dixerit pœnitet me, dimitte illi. Ipse est, qui dixit Petro dimittendū esse proximo non solū septies, sed septuagies septies. Ipse est qui ouē perditam quæsiuit, & inuenit & suis humeris asportauit. Ipse est qui filiū prodigū, qui omnia bona sua turpiter dissipauerat, benigne receperit. Ipse est pater misericordiarū & Deus totius cōsolationis. Accedamus ergo ad eū. Et vt ait D. Paul. adeamus cū fiducia ad thronū gratiæ eius, vt misericordiā consequamur, & gratiam inueniamus. Impius Cain vbi iustū Abel per summū scelus interfecit, dixit Deo: maior est iniquitas mea, quā vt veniam merear. Hieremias inducit impios ita loquentes. Desperauimus, post cogitationes nostras ibimus: & vnusquisq; quē prauitatem cordis sui mali faciemus. Et D. Paul. aiebat: desperātes semetipsos tradiderunt impudicitiæ. Contra verò Iob dicebat: etiā si occiderit me in ipso sperabo. Et Esaias: Domine miserere nostri, te enim expectamus. Et Dauid viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino. Et Ecclesiasticus. Respicite filij nationes hominum & scitote quia nullus sperauit in Domino, & derelictus est. Et D. Paul. in episto. ad Heb. teneamus spei nostræ confessionē indeclinabilē. Quis desperaturus est de misericordia illius Dei, qui ait: viuo ego: nolo mortem impij, sed vt conuertatur & viuat. Viuo ego, est Dei affirmatio & veluti iuramentum. Et in hoc loco si septies peccauerit & septies pœnituerit dimitte illi. Quod verò nullum peccatum sit irremissibile ostendimus latius in commentarijs super Matthæum capite decimo octauo, in illa verba non dico tibi septies, sed septuagies septies: cum locum hunc ad mores componendos explicabamus.

¶ Sed ais secundo: si cōdonanda est culpa

[Margin notes: Pro. 24. — Amos. 1. — Ezech. 33. — 1. Tim. 2. — Matth. 18. — Supra. 15. — Ibidem. — Heb. 4. — Gene. 4. — Hiere. 18. — Ephe. 4. — Iob. 13. — Psa. 30. — Eccle. 2. — Heb. 10.]

Augu. ser. 4. in eodé festo Laurentii, qui est secúdus inter sermones Ambrosianos.

efficimur, quũ magis deploramus: ita ergo & cũ fidei christianę mandata percipimus, contristamur animo, affligimur corpore, ad lachrymas permouemur, & ipsam salutẽ nostrã cũ quodam fletu, ac mœrore cõsequimur. Inde enim nos ieiunia exasperant, illinc peccatorũ conscientia macerat: Hinc patrimonij iactura perturbat, & toto cõtristati habitu, magis salutẽ consequimur, si amplius defleamus, secundũ quod ait Dñs: vos plorabitis, & flebitis, mundus autẽ gaudebit. Sicut autẽ cũ sinapi caput forte curandum est, iubemur ad rasum capillos demere, impedimenta cutis vniuersa deponere, vt nudo corpori perfectius medicina perueneat: ita & cũ anima per fidẽ curãda est, præcipimur à nobis substãtiã auferre seculi. Vt & nudæ & soli animæ cõgruẽtius spiritalis medicina cõueniat. Quisquis enim rebus mundi, & diuitijs seculi obuolutus est, huic fidei medicina non proderit. Ergo quod succus sinapis in corpore, hoc fides christiana operatur in anima. Hæc Augusti. De hac ergo fide christiana existimant aliqui quod nõ loquebantur impresentiarũ Apostoli. Nã fidem petendo dicentes: adauge siue adijce nobis fidẽ: fidẽ magnã se habere monstrant, credẽdo quod Iesus possit infundere in animis eorum, donũ fidei, hoc est, donũ miraculorum. Hanc ergo fidẽ quæ ad salutẽ est necessaria & sine qua impossibile est placere Deo, petant à Cristo dño, & à patre cœlesti qui non habent: nã nemo potest venire ad Christũ nisi pater traxerit eũ. Est enim hæc fides donũ Dei vt Paulus testatur quare qui non habent dicant: Dñe adijce nobis fidẽ, & qui habẽt precẽtur: Dñe adauge nobis fidẽ. Sic enim precatur ecclesia da nobis fidei & spei & charitatis augmentũ. ¶ Alio modo accipi solet fides vt omnibus viris doctis cõpertũ est pro dono quodã gratis à Deo dato, quo ęduntur miracula. De hac fide loquebatur Paulus cũ dicebat: alteri fides in eodẽ spiritu. Hæc est illa de qua loquitur Dñs cũ apud Matthæ. ait: Multi dicent mihi in illa die, Dñe, dñe, nõne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes

Ioan. 16.

Fides etiã accipitur pro dono quodam gratis à Deo dato, quo fiunt miracula. Matth. 7.

multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquã noui vos: fides igitur hæc qua miracula perpetrãtur est, cõfidentia videlicet specialis in Deo, qua quis non hæsitat, necessitate eminẽte: nã aliàs esset irridere seipsum inuocantẽ, nã Deus non irridetur. Hæc fides etiã haberi potest à nõ habente charitatẽ: qua poterit trãsferre mõtes. Vnde de illa loquens Paul. ait: & si habuero omnẽ fidẽ ita vt mõtes trãsferã: charitatẽ autẽ nõ habuero nihil sũ. Animaduerte quod D. Pau. ait: si habuero, inquit, omnẽ fidẽ videlicet, & illã qua credimus Deũ, & istã confidentẽ fidẽ gratis datã, qua etiã à malis & sceleratis fidelibus miracula aliquando ęduntur, vt diximus. De hac fide ait Dñs habete fidem Dei: amen dico vobis, quia quicũq; dixerit huic mõti tollere, & mittere in mare & nõ hęsitauerit in corde suo, sed crediderit quia quodcũque dixerit fiat: fiet ei. De hac ergo impresentiarũ loquũtur Apostoli cũ precantur dicentes: Dñe adauge nobis fidẽ: siue adijce nobis fidẽ. Atq; de eadem loquens Dñs ait illis per similitudinẽ: quod si haberint fidẽ. i. fiduciã, sicut granũ sinapis, quod minutũ est, atq; humile, nec exerit vim suã nisi contritũ, aut cõmansum: dicere possent arbori sycomoro quæ radicibus late actis, videtur nulla vi loco auelli posse: eradicator & trasplantator in mare, & obediet eis. ¶ Cęterũ per granũ sinapis potest etiã dñs intelligi: autore Hilario. Grano, inquit, sinapis se dñs comparauit, agri maximẽ, & omniũ seminũ minimo, cuius virtus ac potestas tribulationibus ac præssuris accenditur. Granũ hoc igitur postquã in agro satũ fuerat. i. vbi à populo cõprehensus, & traditus morti, tanquam in agro satione quadã fuit corporis cõsepultus, vltra mensurã omniũ olerũ excrescit, & vniuersam prophetarum gloriã excedit. Ait ergo Dñs. Si habueritis fiduciã quã ego habeo qui sum similis sinapi, &c.

1. Cor. 13.

Marc. 11.

Per granũ synapis intelligitur etiam Christus.

Hilar. in commen.

QVIS autem vestrum habens seruum arãtem aut pascentem boues, qui regresso de agro dicat illi: statim

transi, et recumbe. Et non dicit para quod cœnem, & præcinge te, et ministra mihi, donec manducem et bibam, & post hæc tu manducabis et bibes? Nunquid gratiam habet seruo illi, quia fecit quæ ei imperauerat? Non puto. Sic et vos cũ feceritis omnia quæ præcepta sũt vobis, dicite, serui inutiles sumꝰ, quod debuimus facere fecimus.

SCopus & conclusio huius similitudinis est ne nobis arrogemus gloriã benefactorum, tantum fidelem operam pręstemus. Et quum omnia fecerimus, quæ præcepta sunt nobis, dicamus: serui inutiles sumus, quod debuimꝰ facere fecimꝰ. Hæc enim modestia cõseruabit in nobis thesaurum spiritualem. Cætera relinquamus domino Deo nostro. Nemo sibi vindicet honorem, nemo domini iudicium anticipet. Nouit ille tempus, nec quenquã fraudabit suo præmio. Nos interim nihil aliud nos esse meminerimus, quam seruos operę debitores. Hanc modestiã didicerunt & habuerunt semper patres omnes virtute ac sanctitate præstantes. Gene. c. 47. narrat scriptura sacra post ingressum Iacob ac filiorum suorũ in AEgyptum: dixisse Ioseph Pharaoni; pater meus & fratres venerunt de terra Chanaam: & ecce consistunt in terra Gessen. Vbi aduerte huius sancti Patriarchæ modestiam, simpliciter rem proponit, nihil expresse pro suis petit, non iactat beneficia sua in regem & populum: non recenset quod magna meruerit, sed merita sua regi ęstimanda relinquit. Hæc modestia nobis necessaria est, quoties cũ Deo agere volumus, ne nos iactemus, ne propria merita æstimemus, sed Deo æstimãda permittamus, ideo hic Christus docet: cũ feceritis omnia, dicite, serui inutiles sumꝰ: & D. Pau. non me ipsum iudico, &c. Qui enim iudicat me dominus est. Veram modestiam & humilitatem ostẽdebat publicanus ille, qui nec oculos audebat leuare in cœlum. Et Chananæa illa, quæ se canẽ agnoscens nihil aliud petebat, quã micas quæ cadebant de mensa filiorum. Et mulier illa quæ tantum cupiebat fimbriam vestimẽtorum Christi tangere. Et peccatrix illa quę retro ad pedes domini accessit. Et Centurio qui dixit, non sum dignus vt intres sub tectum meum. Et latro ille, qui nihil ausus petere à Christo tantum dixit. memento mei domine, &c. Eãdem sanè modestiam ostendere volens Iacob cum benedicere voluit filios Ioseph ait: Deus in cuius conspectu ambulauerunt patres mei, &c. Obserua, quod Iacob hic ex humilitate nõ allegat propria merita: sed merita patrum. Non enim dicit: Deus in cuius cõspectu ambulaui, sed in cuius conspectu ambulauerunt patres mei. Nimirum etiam tunc implens hoc euangelicum: cum feceritis omnia dicite: serui inutiles sumus: quãtumuis enim magna dona habeat, nihil tamen inde eleuatur aut gloriatur. Secus fecit pharisęus ille, qui etiam de paruis gloriatur. Nempe quod ieiunaret, decimas daret, &c. In conspectu autem Domini ambulare est, secundum voluntatem eius viuere. Obliuioni ergo tradamus bona opera, & in memoriam reuocemus peccata nostra: vt illorum nos pœniteat, si serui vtiles esse volumus. Vnde Chrysost. Non ita claros nos reddit bonorum operum memoria, sicut memoria peccatorum: imò nos bonorũ operũ memoria, non solũ claros nõ facit, sed & cõfusione replet, & condẽnabiles efficit. Peccatorum autem memoria implet nos fiducia, iustitiaq; multa. Quis hoc dicit? Pharisæus & publicanus. Nam hic dictis peccatis, rediit domum iustificatus: ille autẽ dictis bonis operibus, descendit factus publicano inferior. Vides quantum damnum sit meminisse operũ, quanta vtilitas non obliuisci peccatorũ? Et valde merito. Nam qui bona opera cõmemorat, arrogans efficitur, hominesq; alios contẽnit, id quod & pharisæo accidit. Non enim in tantam arrogantiam venisset, si non dixisset, vt cæteri homines

Margin notes: A; B; C; D; Modestia christiana cõmendatur & arrogantia dãnatur. Gen. 47. 1. Cor. 4. Infra. 18. Matth. 15. Matth. 9. Supra. 7. Matth. 8. Infra. 23. Gen. 48. Infra. 18. D. Chrys. ser. de pœnitentia.

si non commemorasset ieiunia sua, & decimas: Peccatorũ autem memoria & mẽtem humiliat, & humiliter sapere facit, & per humilitatem conciliat ei gratiã Dei. Audi saltem quomodo Christ9 præcipit nos obliuioni tradere bona opera, quando hæc omnia feceritis, dicite serui inutiles sumus. Ego te non facio inutilem: tu autem si confessus fueris vilitatem tuam, ego te illustrem faciam, & coronabo. Vides per quot nobis demonstratũ est, quãtum lucri nobis ex peccatorum accrescat memoria? Et quanta vtilitas si bonorum operum nostrorum obliuiscamur? ¶ Igitur curemus diligenter mandata Dei seruare: nam vt idem Chryso. ait: siue charitatem exhibuerimus, siue dederimus pecunias egenis, debitum implemus: nõ tãtum quoniam à beneficijs ipse cepit diligendo prius nos, sanguinem fundendo pro nobis inimicis: verum & quoniã ipsius bona distribuimus, si cũcta erogem9. Et postquam omnia fecerimus ea sit nostra modestia, ea humilitas vt nos tanquã inutiles reputemus. Quid ergo vos miseri auari, non facitis, quod debetis facere: quãdo Christ9 dñs pro vobis fecit quod nõ debebat? Ipse pro vobis inimicis sanguinem fudit: vos autem neq; pro benefactore pecunias: ipse pretiosum sanguinem suum: vos verò neq; pecunias nõ vestras: ipse ante vos, vos neq; post ipsum: ipse pro salute vestra, vos neque pro vestra quidem vtilitate. Agite nunc diuites & quod debetis facere, facite: & cum feceritis dicite: serui inutiles sumus. Hoc si sapimus, & facere & dicere debemus. Nã vt Grego. ait: perfecta quippe sciẽtia est, & cuncta sollicitè agere, & se de suis meritis scire nihil esse. Vnde & ipsæ nubes, hoc est, Apostoli, de hac perfecta scientia docentur in hoc loco, cum eis voce veritatis dicitur: dũ feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite serui inutiles sumus. Perfecta scientia est scire omnia, & tamen iuxta quendam modum scientem se esse nescire: quia & si iam Dei præcepta nouimus, & si iam virtutem verborum illius sollicita intentione pensamus, & si iam quæ intellexisse nos credimus, agimus, adhuc tamen acta eadem, qua districtione examinis sint discutienda nescimus, necdum Dei faciẽ cernimus, necdũ occulta eius cõsilia videmus. Quanta ergo est nostrũ scientia, quæ quousq; mortalitatis nostræ põdere premitur, ipse suæ incertitudinis nubilo cæcatur? De qua benè per Paul. dicitur: qui se existimat scire aliquid, nondũ cognouit quẽadmodũ oporteat eũ scire. In hoc itaq; mundo dũ viuimus, tunc perfectẽ quæ scienda sunt scimus, cũ proficientes per intelligentiã, nihil nos perfectẽ scire cognoscim9. Quare si sapere volum9 in bonis nostris actionibus non gloriemur: sed ea quæ præcepta sunt nobis alacri animo facientes, tanquã seruos inutiles nos ipsos reputemus: timẽtes ne opera nostra omnino recte facta nõ fuerint, & intelligentes quod Dei beneficio, munere, & gratia sint facta, si recta fuerint. Quod si hanc modestiã habuerimus, & inanem gloriã fugiemus, & nostro prẽmio minime fraudabimur. ¶ Interim tamẽ obserua: quod si viri virtute præstantes, cũ omnia fecerint, quę præcepta sunt eis, serui inutiles dicũtur: quid obsecro dicendũ de illis, qui nõ solũ mandata nõ faciunt, sed multa quotidie scelera perpetrant? Qui sibi vindicãt honorẽ, arrogant gloriã in prauis actionibus? Hi serui nõn solũ inutilissimi vocandi sunt, sed nequã, & scelestissimi. Hi sunt de quibus intelligebat sanctus Iob cũ diceba: cœli nõ sunt mũdi in oculis eius: quanto magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquã iniquitatem. Et regius vates: omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt. Qui à Deo declinat, inutilis est: quoniam fructum bonum (ad quem proferendum conditus est) facere non potest. Illud enim dicimus inutile, quod nõ seruit vsui ad quem factũ est. Hinc apud sapientẽ dicitur: homo apostata, vir inutilis. Quicunque enim à Deo se separat fit inutilis. Vtilis autẽ homo est, quisquis in Deo manet: quoniã seruit gloriæ Dei, ad quã cõdit9 est. Iuxta quã sentẽtiã Apostolus dicit: quosdã esse vasa in honorẽ sanctificata, & vtilia Dño, ad omne opus bonũ parata. Nemo tamẽ sic est ex sese Deo inutilis, quin Deus illum nouerit sibi facere vtilẽ: si nõ ad glorificandã misericordiam

[Margin notes: Chry ho. 33. ad populum Antioch. — D. Grego. h. 27. Mo. c. 14. — 1. Cor. 8. — Iob. 15. b — Psal. 13. a — Pro. 6. — 2. Timo. 2.]

diam & bonitatem, certè ad demonstrandam potentiæ ac iustitiæ magnificentiā. Docet enim nos sanctus Apostolus, esse vasa iræ apta in interitum, in quibus ostēdere velit Deus iram, & notam facere potētiam suam: & in alio loco, docet, in magna domo etiam fictilia vasa & terrea suū locum, & vsum habere. Vnde docemur neminem (quantum ad Deum attinet) posse fieri inutilem, ita vt nulli vsui ipse eum valeat aptare: tametsi ex sese homo peruersus, ad omne bonum sit inutilis. Et secundum hanc inutilitatem posterioré, Intelligi debet potissimū quod dicitur. Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt. Huic autem consonat, quod in euangelio Ioannis, ex ore Saluatoris discipulis dicitur: Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes nō potest facere fructum nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis. Et si quis in me nō manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum & in ignē mittēt, & ardet. Quod enim proposito versu Psalmi decliuare dicitur, hoc in verbo isto Saluatoris est, non in Christo & Deo permanere, inutilem autem fieri, est fructum non posse ferre & proinde ignibus tradi. Quemadmodum autem palmes, qui in vite non manserit, licet ad fructum natiuitatis faciendū sit inutilis, est tamen aptus adhuc combustioni, & igni nutriendo vtilis: sic & homo postquam declinauit, & à Deo separatus est, licet ad faciendum fructum operationis studiosæ sit factus inutilis, manet tamen aptus, siue vtilis (vt ita dicam) Deo, ad escam ignis quā præparauit diabolo & angelis eius. Vnde & in parabola malos homines Christus zizaniæ, Ioannes autem paleæ comparat: quæ licet non sit vtilis, vt congregetur in horreum apta tamen est, vt projiciatur in caminum. Ad vos igitur ô peccatores vt mea conuertatur oratio, gaudete quia frugi estis, quia apti estis, quia vtiles estis ad interitum scilicet, & ad ignem sempiternum. Quod inutiles facti estis ad omne opus bonum. Sed vos miseros: qui (vt Iob dicebat) bibitis quasi aquam iniquitatem. Esai. 59. Vos, inquā, miseros: quorum opera inutilia, & quorum cogitationes inutiles vt Esaias ait. Hos homines inutiles comparat Hieremias cum Myrica in loco arido & inculto nota. Est enim Myrica virgultum abiectum & syluestre, quod nec fructu, nec vmbra affert vtilitatem, nec amœnitatis specie iucunditatem, nec radice medicinam, aut remedium aliquod salutare, ad nullum vsum reseruatum, nisi ad secandum & incendio consumendum.

Rom. 9. 2. Tim. 2. Ioan. 15. Matth. 25. Matth. 13. Matth. 3. Esai. 59.

¶ *Domi. 13. post Pent.*

ET factum est dum iret in Hierusalem, trāsibat per mediam Samariam & Galilææm. Et cum ingrederetur quodam castellum, occurrerūt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longè: & leuauerunt vocem dicentes, Iesus præceptor, miserere nostri. Quos vt vidit, dixit, ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est: dum irent, mundati sunt, vnus autem ex illis vt vidit, quia mundatus est: regresus est cum magna voce magnificans Deum, et cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens: et hic erat Samaritanus. Respondens autem Iesus, dixit, nōne decem mundati sunt? Et nouem vbi sunt? Non est inuentus qui rediret, & daret

ret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Et ait illi, surge, vade: quia fides tua te saluum fecit.

HOC miraculo ostendit satis superque Dominus & suam benignitatem & nostram ingratitudinem. Illa ostenditur, tanta facilitate hos leprosos à lepra mūdādo, hec vero, quod ex decem qui mundati sunt, nullus repertus fuerit qui rediret, & glorificaret Deū præter vnum alienigenam. Nunc Euangelistam audiamus.

¶ *Et factum est: dum iret in Hierusalem, transibat per mediam Samariam, & Galilaam.* Gaudebat Dominus frequenter per occasionem attingere Samariam & Galilæam, vt hierosolymitis exprobaret suam incredulitatem: qui Samaritanos peius abominarentur quā Ethnicos, & Galilæos pro semipaganis haberent.

¶ *Occurrerunt ei.10. viri leprosi.* Solebat Dn̄s cum aliquid creditu difficile prædicabat, illud ipsamet experientia cōprobare. Prædixerat pharisæis: amen dico vobis publicani & peccatores præcedent vos in regno cœlorū. Quod vt oculis cernerent: trahit ad pedes suos accūbens in domo cuiusdā pharisæi præcæteris cognitione legis, & sanctitatis opinione turgentis, mulierē quandā, in ea ciuitate notam peccatricē, quæ lachrymis rigaret illos: & capitis sui capillis extergeret. Ecce consequutū est hoc, in quo res ipsa poneret ob oculos, quod dn̄s verbis docuerat: de iustis repellendis & peccatoribus recipiendis. Pharisæi iusti sibi videbantur, & repulsi sunt: at Matthæus publicanus & mulier ista nota peccatrix recepti sunt. Prædicabat Dn̄s neq; Sacerdotes, nec Leuitas esse veros proximos, ac sæpe numero fieri, vt qui genere proximus est, alienior sit affectu, quā hostis: in qua contione vsus est similitudine illa hominis cuiusdā proficiscētis ab Hierosolymis Hierico: quā noster Luc. c. 10. refert. Atq; vt res ipsa doceret quod Dn̄s verbis prædicarat, adducit. 10. viros istos lepra infectos, quorū nouē qui fideles erant, noluerunt redire vt agerent Christo gratias & glorificarent Deum. Samaritanus autem vincens illorū religionē vbi sensit se plane liberatū à morbo, ilico reuersus est ad Iesum, clara voce clarificans Deū, & gratias agens. Sed iam ad mysticam euangelij explicationem accedamus.

Solebat Christus quum aliquid credi tu difficile prædicabat illud ipsa experientia cōprobare.

Luc. 7.

Luc. 10.

¶ *Occurrerunt ei.10. viri leprosi.* Per hos leprosos imprimis credas significatos homines hæreticos, quod intus malis affectibus sint toti deprauati, foris variegata cute, veluti falsa veris permiscentes. Sic enim D. Grego. ait: habent quippe hoc hæretici propriū vt malis bona permisceāt, quatenus facile sensui audientis illudāt. Si enim semper praua dicerent, citius in sua prauitate cogniti, quod vellent minime persuaderent. Rursum si semper recta sentirent profecto hęretici non fuissent, sed dū fallendi arte ad vtraq; deseruiūt, & ex malis bona inficiunt, & ex bonis mala, vt recipiantur, abscondūt: sicut qui veneni poculū porrigit omnia poculi dulcedine mellis tangit: dumque hoc quod dulce est, primo attactu delibatur, etiam illud quod est mortiferum indubitanter absorbetur. Itaque hæretici permiscent recta peruersis, vt ostendendo bona auditores adse trahant, & exhibendo mala latenti eos peste corrumpant. Hactenus Gregor. Ecce vides apertissimo Gregorij testimonio probari, semper hæreticorū doctrinam esse veram lepram ac veluti quoddā venenatū poculū. Eandē sententiā docet Leo Pontifex Maximus huius nominis primus. Qui in epist. ad Toribiū Astorigensem Episcopū. c. 15. præcipiēs, vt libri Priscillianistarū cōburantur ait. Quamuis enim sunt in illis quædā, quæ videantur speciē habere pietatis, nūquā tamen vacua sunt venenis, sed per fabularū illecebras hoc latenter operātur, vt mirabilium narratione seductos, laqueis cuiuscunque erroris inuoluant. Hæc Leo. D. etiam August. exponens hoc Euāgelium idē expresse docet. Quærendū est (inquit) quid ipsa lepra significet. Nō enim sanati sed mūdati dicūtur, qui caruerunt. Coloris quippe vitiū est, non valetudinis, aut integritatis sensuum, atque mēbrorū. Leprosi ergo nō absurde intelligun

Leprosi hæretici sunt

D. Grego. 5. Mor.

Leo.

D. August.

liguntur, qui scientiam veræ fidei non habentes, varias doctrinas profitentur erroris. Nulla prorsus falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermisceat. Vera ergo falsis inordinate permixta in vna disputatione, vel narratione hominis, tanquam in vnius corporis colore apparentia, significant lepram, tanquam veris, falsisque colorum locis, humana corpora variantem, atque maculantem. Hæc Augustinus. Sunt adhuc multa alia in leproso consideranda, ex quibus apertius colligi potest leprosum veram esse hæretici figuram. Nam leprosus suo contactu alios inficiebat: & hæreticus sua cõuersatione fidelibus nocet. Leprosi anhelitus noxius erat, & ob hanc causam os illius veste cõtectum esse iubebatur. Et hæreticorum sermo Paulo testante, velut cancer serpit, & ob hanc causam prædicatio est illis interdicta. Quoniam (vt Salomõ ait) qui ponit stulto silẽtium iras mitigat. Ab huiusmodi lepra vt nos ipsos liberemus admonet D. Paul. in episto. ad Heb. c. 13. doctrinis (inquit) varijs & peregrinis nolite adduci. Atque hoc ipsum magno opere desiderabat sponsa: propterea petebat se parari à corpore & esse cum Christo vt à tanto periculo liberaretur. Vnde sponso suo alloquens ait: Indica mihi vbi pascas vbi cubes in meridie: ne vagari incipiam post gregem sodalium tuorum. Quæ verba explicans D. Bernard. sic ait: Heu nec clara lux nec plena refectio, nec mãsio tuta: & ideo indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie. Beatũ me dicis cũ esurio & sitio iustitiam. Quid hoc ad fœlicitatẽ illorum qui repleti sunt in bonis domus tuæ, qui epulantur & exultant in conspectu Dei, & delectantur in lætitia? Sed & si quid patior propter iustitiã, nihilominus beatum pronũtias. Et certẽ pasci, vbi timeas pati, iucunditatem habet sed non securitatem. Porro autem pasci & pati simul, nonne molesta iucunditas est? Omnia mihi cedunt hic citra perfectum, plura præter votum, & totum nihil. Quãdo adimplebis me lætitia cum vultu tuo? Vultum tuum Domine requiram. Vultus tuus meridies est. Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie. Scio satis vbi pascas nõ cubãs, indica mihi vbi pascas & cubes. Non ignoro vbi alijs temporibus pascere soleas, sed scire velim vbi in meridie pascas. Nam in tempore quidẽ mortalitatis meæ, & in loco peregrinationis meæ consueui sanẽ sub tua custodia pasci & pascere in lege & Prophetis & Psalmis de te, necdũ in euangelicis paschuis, & apud Apostolos similiter requieui, frequenter etiam de gestis sanctorum & verbis & scriptis eorum victum mihi, atque attinentibus mihi mendicaui vt potui: frequentius autem (quoniam is magis ad manum fuit) manducaui panem doloris, & vinum compunctionis bibi, & factæ sunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie vbi est Deus tuus? Nisi quod de mensa tua, siquidem parasti in cõspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me. De ipsa, inquam, tuæ quidem beneficio miserationis accipio, in quo vtcũque respiro quotiescunque est tristis anima mea, & quoties conturbat me. Hæc pascua noui & frequentaui te secuta pastorem, sed indica quæso etiam quæ non noui. Sunt quidem & alij pastores qui dicunt se esse sodales tuos, & non sunt, habentes greges suos & fines suos pabulo mortis refertos, in quibus pascunt nec tecum nec per te, quorũ vtique terminos non intraui, nec appropiaui eis. Ipsi sunt qui dicunt: ecce hic est Christus, ecce illic est: promittentes sapientiæ & scientiæ paschua vberiora, & creditur eis, & cõfluunt ad eos multi, & faciunt eos filios gehennæ duplo quam se. Cur hoc, nisi quia nõ est ibi meridies & perspicua lux vt liquido veritas cognoscatur, facileque pro ea recipiatur falsitas propter verisimilitudinem, quæ non facile in obscuro à vero discernitur, præsertim quia aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior? Et propterea quæso vt indices mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie, idest, in manifesto, ne seducta incipiam vagari post greges sodalium tuorum, quemadmodum & ipsi vagi sunt, nulla stabiles certitudine veritatis, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes. Hæc sponsa propter hæreticorum varia dogmata.

Marginalia: 2. Tim. 2. — Pro. 20. — Heb. 13. — Can. 1. b exponitur locus. — D. Ber. — Matth. 5. a — Psa. 64. a — Psa. 67. a — Matth. 5. a — Psa. 15. c — Psa. 26. c — Psa. 41. a — Psa. 22. b

Ber. se. 33. super Cāt.

mata. Hactenus D. Bernar. sermone. 33. super Can. ¶ Omnis etiam peccator leprosus dici potest.

Omnis peccator dicitur leprosus.

D. Chriso. Ho. in illud Apos. cum autē subiecta fuerint ei, &c.

Etenim sicut molesta corporis lepra (inquit Chrysostomus) colorem variat, sic & vbi animam occuparit, duplex facit cor. Et quam iniucunda oculis humanis corporea lepra, tā insuauis est oculis Dei in plures secta partes animа. Et ob hoc ait scriptura: væ duplici corde, & animæ solutæ, & peccatori vias duas incedenti.

Eccle. 2. c

¶ Cum igitur hæreticorum ac peccatorum omniū genus contagiosum, vt leprosorum, atque abominādum sit, idcirco procul arceantur ab hominum consortio: quemadmodum olim arcebantur leprosi.

Leui. 13.

Omni tempore (inquit lex) quo leprosus est & immundus, solus habitabit extra castra. Sic de hęretico loquens Paulus in epistola ad Titum. c. 3. ait:

Ad Titū. 3

Hæreticum hominem post vnam, & secundam correptionem deuita: sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit cum sit proprio iudicio condemnatus. Et D. Ioan. in sua secunda epistola canonica inquit: si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domū, ne aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi aue: communicat operib9 eius malignis.

2. Ioan.

An iure diuino hæretici sint ex cōmunicati.

Quibus testimonijs adducti nonnulli Theologi illustres in ea fuerunt sententia vt existimarent, excommunicationis pœnam esse ex diuino iure hęreticis inflictam: & ne quis existimet hāc pœnam non ex diuino iure sed ex humano Apostolorum summorumque Pontificum dimanasse, audiat quid idem Paulus Thessalonicensibus scribat:

Iodocus Clitoueus Jacob9 Latomus, Echius, de hære. comburendis videtur idem sentire. Lege castro. de iusta. he pu. li. 2. ... the. 4.

Denuntiamus autem vobis fratribus (inquit) in nomine Domini nostri Iesu Christi: vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulāte inordinatè, & non secundum traditionem quam acceperunt à nobis. Ecce Paulus interdicit conuersationem cum illis, qui non ambulant secundum traditionem, quam ab eo acceperunt, neq; hoc nomine suo: sed nomine Domini nostri Iesu Christi se id præcipere dicit. Quæ verba declarans Theophilatus ait: sæpe alias diximus denuntiationem, austeram quandam præferre doctrinam. Nūc igitur tremendam magis hanc faciens, inquit, non enim nos id ipsum iniungimus, sed Christus ipse. Hæc Theophilatus.

¶ Non ignoro alios Theologos in ea esse opinione vt dicant, iustam esse excommunicationis sententiam contra hæreticos à iure prolatam: negant tamen illam iuris diuini robur tenere. Quæ istarum opinionum sit verior saniori relinquo iudicio. Hoc satis modo nobis sit quod hi, qui negant excommunicationis pœnam esse iure diuino inflictam, negare non poterūt esse iuri diuino admodum cōforme, pertinaces hæreticos excommunicare. Nam illum, qui fratrem semel & iterum admonentem de peccato contemnit, & Ecclesiam insuper non vult audire, Christus Saluator noster præcipit habendum esse tanquam Ethnicum & publicanū.

Matth. 18.

Quibus verbis concordi omnium catholicorum sententia, Saluator noster prælatis Ecclesiæ dedit potestatem excōmunicādi illum: qui tertio admonitus, negligit emendari. Idem enim est dicere sit tibi sicut Ethnicus & publicanus: ac si dixisset nullam prorsus cum eo habeto communionem. Sicut populo Israel fuit olim à Deo interdicta cum gentibus conuersatio, ita etiam nunc populo Christiano interdicit Saluator, aut potestatē dedit prælatis interdicendi communionem cū eo, qui Ecclesiam audire contemnit, dicens: Sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. Nā B. Chrysostom. hæc Matthæi verba interpretans ait: Vide qualiter duplicibus colligauit necessitatibus, & pœna, quæ hic est, scilicet, proiectione ab Ecclesia: Sit tibi sicut Ethnicus & publicanus: & supplicio futuro; quod est esse ligatum in cœlo. Hęc Chrysosto.

Chrysost.

Vt autem sententiam prælati excommunicantis nullus cōtemnere auderet: sed firmam, & ratam esse, omnes censerent, addidit: amen dico vobis, quęcunque alligaueritis super terrā, erunt ligata & in cœlis, & quęcunque solueritis super terram, erūt soluta & in cœlis. Quæ verba explicans D. Hierony. in commen. super Matth. ait: quia dixerat, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus, & poterat contemptoris fratris hæc occulta esse responsio, vel tacita cogitatio, si me despicis

D. Hiero.

ego te despicio: si tu me condemnas, & mea sententia condemnaberis, potestatē tribuit Apostolis vt sciant, qui à talibus condemnantur, humanam sententiam diuina sententia roborari, & quodcunque ligatum fuerit in terra, ligari pariter in cœlo. Hæc Hierony. Ex quibus verbis apertissimé constat, quia rata sit, & à Deo confirmata excommunicatio, quæ fertur in illum, qui secundo admonitus, Ecclesiam postea audire contemnit. Quis autē minus Ecclesiam audit, quam hæreticus, qui suam sententiam difinitioni totius Ecclesiæ præponit, & ab ea fide quā scit totā Ecclesiam tenere, proprio iudicio recedit. Nullus ergo iustius potest iuxta diuina decreta excommunicari quam hæreticus, qui propriæ innitens prudentiæ, Ecclesiam docentem, atque admonentem audire contemnit. Et forte hoc ipsum intellexerunt præfati illi doctissimi viri dicentes, excommunicationis pœnam iure diuino esse hæreticis illatam: quia iuri diuino innititur ius humanum, quod illam hæreticis inflixit. Rursum, iustā esse hanc hæreticorum excommunicationem ostenditur per id, quod Dominus Deus populo Israel olim præcipiens vt deleret Iebusæum, Chananæum, & reliquas quinque nationes, addidit: non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum, neque sociabis cum eis coniugia. Filiam tuam nō dabis filio eius, nec filiam ipsius sociabis filio tuo: qui seducet filium tuū, ne sequatur me: & vt magis seruiat dijs alienis. Attende, obsecro, causam, propter quā prohibuit cum gentibus illis contrahere matrimonia. Quia seducet, inquit, filiū tuū, ne sequatur me. Nōne simile periculum est in conuersatione hæreticorum, quorum sermo (iuxta Pauli sententiam) vt cancer serpit. Propter eādem igitur causam iustum est, vt sit omnibus Christianis interdicta hæreticorum conuersatio, ne fallacijs suis seducāt corda eorum, cum quibus conuersantur. Ideo Paulus ait: quæ pars fideli cum infideli? Tam potens est hæc causa, vt propter illam solam censuerit Paulus vxorem fidelem coniunctam viro infideli, qui non permittit illā in fide sua manere: sed quotidie sollicitat, & vrget ad infidelitatem, posse à viro suo separari. Sic enim ait Paulus: quod si infidelis discedit, discedat: non est enim seruituti subiectus frater, aut soror in huiusmodi. In pace autem vocauit nos Deus. Quæ verba declarans Theophilatus in com. super episto. Pauli ait: hoc est, si vir infidelis vxori fideli iniungat, secum vt sentiat, & particeps suæ fiat infidelitatis, dirimat potius matrimonium mulier, & à viro abscedat. Satius enim est connubium ipsum dissoluere, quam pietatē, & Dei cultum amittere. Si tecum ille eo iurgatur, quod suæ infidelitatis participare nil toleres, cōfestim secedito. Non enim es huiusmodi seruituti subiecta, hoc est, nil cogeris virum in rebus huiusmodi perpeti. Melius est enim secedere, quam altercari. Neque enim diuinæ illud est voluntatis, quippe qui nos in pace vocarit. Itaq; si litiget, & iurgijs vrgeat, præbuit ille diuortij causam. Hactenus Theophilatus. Deinde id, quod Deus olim cum leproso lege Mosayca fieri præcepit, manifestum est exemplar nobis propositū vt illo bene inspecto discamus inde quid in lege euangelica circa hæreticum fieri debeat.

¶ Præterea quantum cauere debeamus atque nos ipsos subtrahere à cōsortio hominum non solum hæreticorum, sed impiorum docet Ecclesiasticus. cap. 13. his verbis: Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea, & qui communicauerit superbo, induet superbiam. Si communicabit lupus agno aliquando sic peccator iusto. Quæ communicatio sancto homini ad canem. D. etiam Paulus in priori epistola ad Cor. cap. 5. ait tollendos esse de medio nostrum qui eiusmodi sunt. Et reddens rationem huius subiungit: nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum vt sitis noua conspersio. Huius modici fermenti exemplum habemus. 2. Reg. c. 20. in Seba rebellante contra Dauid: cuius caput nisi sapiens mulier cito amputatū per muros mittere ad Ioab, modicum fermentum totam ciuitatem in præcipitiū traheret, & ruinam. Expurgemus igitur vetus fermentum, expellamus (quoad fieri posūt) malos de medio nostri, ne in totam

Marginalia: Deu. 7. | Act. ... | 2. Tim. 2. | 2. Cor. 6. | Theophi. | Castro de iusta. pu. hær. lib. 2. | Eccl. 13. a | Ibidem. | 1. Cor. 5. | 2. Reg. 20.

tam communitatem celeriter lepra serpat, & virus.

¶ *Qui steterunt à longè, & eleuauerūt vocem dicentes: Iesu praeceptor miserere nostri.* Docet hic locus Deum in tribulationibus esse inuocandum. Est enim adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis. Hoc sanè emolumentum secū afferre solet afflictio vt confugiant afflicti ad Deum singulare refugium suum, & diuinam implorent clementiam. Atque ad iucundam diuini numinis cogitationem recurrant. Et quāquam exules ærūnosos, abiectos, expulsos ab hominū cœtu, & vastas atque incultas solitudines peragrantes se videant, non deponūt tamē memoriam Dei. Versatur illis ante oculos diuina bonitas, & pietas: & eorum calamitas in suauissima cœlestium rerū memoria conquiescit. Intelligūt enim ideo se in ærumnis versari, vt ad diuinum consolatorem, tāquam ad arcem tutissimam confugiant. & à lepra peccatorum emūdentur. Hinc est quod rex Dauid aiebat: tu es refugium meū in tribulatione, quæ circundedit me. Et iterum: iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit. Vnde secundum emolumentum ex afflictione oritur vt ipse Dominus soleat afflictis diuinum auxilium, gratiam, fauorem, consolationē implorantibus opitulari. Vt in his leprosis pietatem eius à longe petentibus videre licet. Ideo dicebat Apostolis apud Ioan. Tristitia vestra conuertetur in gaudium. Vnde D. Augustinus in Ioan. ait: Quod te Dominus permisit pati flagellum corrigentis est, non pœna damnantis. Et D. Hierony. in epistola ad Heliodorū. Quis non tribulari velit, quis se non maledici desideret, vt mereatur laudari Christi voce, & cœlesti copiosaque mercede numerari? O diuinam bonitatem, ò summam clementiam, ò infinitam Dei nostri misericordiam. Quis non admirabitur benignitatem tuam Deus sancte, qui ideo nos affligis, vt reficias, ideo nos premis, vt cōsoleris: ideo permittis vt in varias calamitates incidamus, vt nostram miseriam cognoscentes tuam misericordiam imploremus dicentes: Iesu præceptor miserere nostri. Non igitur nos perdere vis, sed ad gloriam tuam patrisque tui perducere. ¶ Contra vero hinc colliges quam inutilis imò quam nociua sit hominibus prosperitas, quę in causa esse solet, vt nō simus Dei memores, nedum illum inuocemus. Pharao in rebus prosperis & ad voluntatem fluentibus dicebat, vt in Exod. narrat diuina historia: quis est Dominus? Nescio Dominum. Deum non cognoscebat à quo omnia facta sunt, qui est totius orbis moderator & rector. At postea calamitatibus pręssus, Moysem & Aaronem rogabat vt pro eo ad Deū funderent pręcationes. Mundi prosperitas & vitæ turpitudo, eū ad id dementiæ perducebant, vt Deum ipsum negaret & creatorē suū non cognosceret nedum vt eum inuocaret. Quæ poterat maior excogitari stultitia? De huiusmodi ignorantibus ait diuinus Psaltes: dixit insipiens in corde suo non est Deus. Et licet Chrysosto. Hoc de Saule dictum esse existimet, quod reiecto Deo consuluerit Pythonissam, & Arnobius hoc de illis intelligēdum putet, qui Christum ob carnis humilitatem & formam serui contempserunt, & Deum esse negarunt, existimo tamen diuinum vatē in genere hoc dixisse de omnibus his, qui vitiositate deprauati, & stultitia ducti, diuinam prouidentiam negarunt. Pro, insipiente, est in Hebraico Nabal, quod nomen significat non quencunque insipiētem, sed stultum malitiosum. Hic in cordis penetralibus statuit non esse Deum, qui mortalia curaret. Huius pestilentis opinionis omnia iura diuina & humana peruertentis originem esse existimo opū affluentiam, & morum corruptelam. Nā qui inflantur ob diuitiarum possessionē, qui pascuntur furijs, qui inflammantur libidinum facibus, qui torquentur inuidia, qui ob diuitias & potentiam & spem impunitatis alia huiusmodi scelera concipiunt, quibus se coinquinant & contaminant, hi, ad id deueniunt insaniæ, vt sit ex eorum animis Dei cognitio, & memoria deleta, & penitus euulsa. Sed cum calamitatum pręmuntur angustijs, conuertuntur ad Deum aliquando, eum tormentis cognoscentes, quem in delicijs negauerunt.

Marginalia: Deus in tribulationibus inuocandus. Isa. 45. b — Psa. 31. — Psa. 33. — Ioan. 16. — D. Augu. — D. Hiero. — A — B — C — D — Prosperitas in causa esse solet vt Dei simus immemores. — Exod. 5. — Exod. 8. & 9. &c. 10. — Psa. 13. — Chryso. — Arnobius.

Psa. 83. runt. Ideo canebat diuinus Psaltes: Imple facies eorum ignominia & quærent nomen tuum Domine. Et Esaias, cum feceris, inquit, iudicia tua in terra, iustitiam discent habitatores orbis. Et paulo post: Domine in angustia quæsierunt te. Aspice quam vtilis sit afflictio, quæ excitat ad cognoscendum & quærendum Deum, quem in prosperitate nec quærebas, nec cognoscebas, quin potius in erroribus intolerabilibus versabaris. Ecce hi leprosi afflicti agnouerunt morbum suũ: & ideo non accedunt proprius, sed procul stantes, voce sublata clamant Domino: Iesu præceptor miserere nostri. Ecce quærunt illum & inuocant, quẽ in salute nec quærebant nec agnoscebant. ¶ Obserua præterea nouem istorum esse fideles, hoc est, Iudæos: decimum verò infidelem, hoc est, Samaritanum. At Iudæi & Samaritani nullum habebant commertium: nefas enim esse ducebant Iudæi si quid haberent consuetudinis cum Samaritanis: ea ob causam aiebat mulier illa Samaritana Christo, quomodo tu Iudæus cum sis, bibere à me petis: cum sim mulier Samaritana? Ac si dicat: qui fit, vt tu Iudæus cum sis, quemadmodum é sermone cultuque coniicio, præter Iudæorum morem, à me muliere Samaritana poscas potum, cum soleatis vos Iudæi à commertio Samaritanorum abhorrere? Vnde addit Euangelista non enim coutuntur Iudæi Samaritanis. Quando hæc ita erant, quid, rogo, fuit in causa vt nouem isti leprosi non abhorrerent à consortio & societate atque consuetudine leprosi Samaritani? Nempe afflictio communis, morbus, paupertas. Nihil enim sic connectit extraneos quam paupertas communis, labor & dolor, mundi aduersitas: contra verò nihil sic homines disiungit & à consortio, amicitia & commertio separat quam prosperitas. Hæc vt diximus paulo ante Dei obliuiscitur: hæc seiungit patrem à filijs, fratrem à fratre. Illa verò non solum in causa est vt Deum imploremus, sed vt proximum diligamus: conciliat peregrinos, alienigenas amicos efficit, expensas communes facit, illa, inquam, omnia bona facit communia. At prosperitas & bonorum

Esai. 26.

Ioan. 4.

Afflictio communis connectit extraneos, prosperitas separat etiam amicos & fratres.

affluentia, iurgia inter fratres excitat, bona dissipat, inimicitias parat. Quod in vno Abrahamo & Loth videre facile est. Sic enim ait scriptura sacra de illis loquens: nec poterat eos capere terra, vt habitarent simul, erat enim substantia eorũ multa, & nequibant habitare communiter: vnde facta est rixa inter pastores Abraham & Loth. Diuisiq; sunt alterutrũ à fratre suo. Quanta vero mala subsecuta sunt sancto Loth ex hac separatione, omnibus compertum est, omnia namq; eius bona combusta sunt in Sodoma, atque ebrius cum filiabus suis dormiuit, &c. Fœlix & beata paupertas quæ pauperes connectit, coniungit, conciliat, ditat. Hec in causa fuit vt sociaret duos illos leprosos atque tandem ditaret quos 4. Reg. c. 7. sacra refert historia. Hec, hos Iudæos & Samaritanum conciliauit atque occurrere fecit Christo domino. Diligamus igitur paupertatem & afflictionem quãdo multa bona pariter nobis veniunt cum illis. Non enim solum parãt amicos, atque habitare faciunt in vnum: sed quod his omnibus est præstantius & excellẽtius, Deũ adiutorem habent. At diuitiarum abundantia amicitias dissoluit & Dei penitus immemores reddit. Idcirco Salomon petebat: diuitias ne dederis mihi, ne forte satiatus illiciar ad negãdum & dicam: quis est Dominus? Paupertas fecit vt Iacob amaret Labam, & tot annis ei libenter seruiret: at diues factus fugit ab eo atque secum adduxit filias eius. Si ergo diuitiæ tot mala secum afferre solent, quid tanto pere desiderantur? Quid bona & non potius mala vocantur? ¶ Deinde perpende quod antequam esset ingressus vicum illum occurrerunt ei hi viri leprosi, & sanati sunt. Si enim expectarent donec penitus esset ingressus, minime curarentur. Sic peccatores occurramus obiam sponso aptatis lampadibus, antequam ingrediatur, ac fores claudat: nã illo ingresso, quamuis clamemus cum fatuis virginibus & dicamus: domine domine aperi nobis, non exaudiemur: imò audiemus: amẽ dico vobis nescio vos. Ante sepulturæ ingressum vngendus est Christus vnguento pretioso pœnitentiæ. Nam si illum vngens

Gen. 13.

4. Reg. 7.

Prou. 30. b

Peccatores leprosi debent occurrere Christo antequam ingrediatur & fores claudat. Matth. 25

gendum post sepulturam quæras cũ Magdalena, iam suscitatum inuenies: & nihil proderit vnguentum. Me, inquit, oportet operari opera Dei donec dies est: venit nox quando nemo possit operari. Antequam veniat nox mortis, debemus ei occurrere & misericordiam eius postulare, lachrymas salutares fundere, ad eũ clamare: eum, dum viuit in hoc mundo nobiscum, vnguento pœnitentiæ vngere: ante huius solis occasum dicamus Iesu præceptor miserere nostri: nam si semel ingressus fuerit nulla spes salutis reliqua esse potest, nullus locus misericordiæ conceditur: si semel anima é corpore migrauerit criminibus ac sceleribus obnoxia, & si sitiat, non solum potum aquæ frigidæ quo extingat ignem, non inueniet: sed neque aquæ guttam qua lingua recreetur. Quod epuloni euangelij contigisse nemo est qui ignoret. Si enim ante mortem stillam misericordiæ postulasset fieret in corde eius fons aquæ salientis in vitam æternam. Sed quod sero resipiscere voluerit, minime exaudiri meruit. Occurramus ergo ei antequam ingrediatur ne post ingressum atque discessum si ad eum redire voluerimus dicat nobis, quod olim sanctus Isaac regi Abimelech ac sotijs eius: quid venistis ad me, hominem quem odistis & expulistis à vobis? Dum tempus habemus contendamus intrare per angustam portam: sic enim admonet apud nostrum Lucam: contendite (inquit) intrare per angustam portam, quia multi dico vobis quærẽt intrare & non poterunt. Si enim post obitum ianuam quæsieris minime inuenies: aut si inuenias & intrare contenderis, nullo modo poteris: clauso nimirum aditu. Cum enim intrauerit paterfamilias & clauserit ostium, quod nunc patet omnibus adnitentibus: tunc seró resipiscens agnosces errorem tuũ, & inuidens his qui sunt ingressi, incipies obsidere ostium & pulsare fores, & nihil tibi proderit. Audi quid Salomon consulat: ante lãguorem adhibe medicinam, & ante iudicium interroga teipsum, & in conspectu Dei inuenies propitiationem. Post mortẽ enim inutilis & nullius momẽti est omnis medicina. Hoc ergo vt intelligeremus ait Euangelista occurrisse Christo leprosos istos cum ingrederetur vicum. ¶ Animaduerte insuper hos leprosos agnoscẽtes morbum suum proprius non accessisse, sed procul stetisse. Vt hinc discamus primum agnoscere nos ipsos, agnoscere peccata morbosque animi cõtagiosos & humilitate affecti procul à Christo stare si volumus impetrare quod postulamus. Accessit proprius pharisæus elatus, stetit à longé publicanus humilis & precabatur dicens: Domine propitius esto mihi peccatori. Et ob tantam animi submissionem & deiectionem descendit hic iustificatus ab illo. Stetit Magdalena retro secus pedes Domini & meruit audire remittuntur tibi peccata tua. Fœlix virtus humilitatis quam fugientem sequitur Deus, ad quam à longe stantem accedit proprius Deus: hæc iram Dei placat ac sententiam eius mutat. Nonne (ait Dominus Eliæ) uidisti humilitatum Achab coram me? Quia ergo humiliatus est mei causa non inducam malũ in diebus eius. Hæc, ad misericordiam Deum prouocat. Quanto enim magis ac magis sese Abraham humiliabat dicens: loquar ad dominum meum cum sim puluis & cinis tanto magis Deum ad parcendum Sodomitis alliciebat: ita vt tandem si inuenirentur decem iusti in medio ciuitatis non deleret illam propter eos, nedum propter quinquaginta aut. 30. aut viginti. Hæc, regnum parat. Parauit enim regnũ Sauli. Nam & si altior erat vniuerso populo ab humero & sursum humilior tamen erat omnibus corde & animo. Nonne (inquit Samuel) cũ paruulus esses in oculis tuis caput in tribubus Israel factus es? Sed quia in humilitate, qua cœperat, non permansit, regnum amisit: & datum est humili Dauidi: qui iam rex factus ludebat coram arca Domini & dicebat: Ludam & vilior fiam: eroque humilis in oculis meis. Cuius causam præmiserat dicens ludam ante dominum qui elegit me potiusquam patrem tuum. Ob hanc virtutẽ impetrauit Christus quicquid voluit. Vnde D. Pau de illo loquẽs ait exauditus est pro sua reuerentia, hoc est, ob suã profundam

Margin notes: Ioan. 9. — Gen. 26. f. — Supra. 13. e — Eccle. 18. c — Agnoscere peccata oportet si emundari volumus à lepra & humiles esse. — Luc 18. — Supra. 8. — 3. Reg. 21. g — Gen. 18. — 1. Reg. 10 d — 1. Reg. 15 c — 2. Reg 6. d — Heb. 5. b

Iacobi. 1. In epistola sua canonica, cap. 1. ait: si quis indiget sapientia, postulet a Deo: qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans. Idest, postulet fideliter & cum fiducia non hæsitando de Dei potentia aut de eius misericordia. Quod solent facere qui mole peccatorum maxima sunt pressi minorem putantes Dei misericordiam, quam vt donari sibi venia possit. Sic enim non hæsitarunt de Dei potentia nec de Dei misericordia viri isti leprosi, sed potius clamãdo dixerunt: Iesu præceptor miserere nostri, & exauditi sunt.

Præceptor & Dominus nomine Christus vocabatur. ¶ *Præceptor.* Nomen præceptoris & magistri propriè Christo conueniebat, sicut nomen Domini. Vos (inquit) vocatis me magister & domine & benè dicitis. Ad hoc enim in mundum venit vt & homines sua omnipotenti virtute & gratia seruaret, & eos de cœlestibus instrueret. Ioan. 13. Hinc est quod de doctrina sua loquens apud Esaiam pater ait: dedi te in lucẽ gentium vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Esai. 42. Et rursum: hic est filius meus dilectus ipsum audite. Matth. 3. & 17. Et D. Ioan. gratia & veritas per Iesum Christum facta est: ac si diceret: nunc pro seueritate legis Mosaycæ, gratia exhibita est per Iesum Christum, qui per fidem spem & charitatem atque animi dolorem gratis condonat peccata omnia. Ioan. 1. Pro vmbris exhibita est veritatis lux: cuius ille non solum est præco, verum etiam autor & magister. Vnde quemadmodum nemo bonus nisi solus Deus, nemo sanctus, nemo dominus sic enim canit ecclesia: quoniã tu solus sanctus tu solus dominus: ita nemo propriè magister & præceptor vocandus est nisi Christus, nisi pater eius, nisi Spiritus sanctus. Cæteri namque mundi magistri demulcent sua doctrina hominum tantum aures, eas instruunt ad eas loquuntur: at Christus sua doctrina demulcet, instruit, illuminat erudit atque penetrat cor. Viuus est enim sermo eius & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarũ. Heb. 4. Quare meritò dicebat ipse suis discipulis: nolite vocari rabbi: vnus est enim ma- Matth. 23

A gister vester. Ac si diceret: vos mei discipuli nolim pharisæorũ esse similes, quin potius memores exempli doctrinæque meæ, fugite cognomen arrogans sapientiæ, neque vobis ipsis placeatis, si quis appellet rabbinos, hoc est, magistros nostros. Vnus est enim in quem verè nomẽ hoc competit, ei soli debetur laus sapientię, ei soli laus doctrinæ. Matth. 23. Harum enim si quid est in hominibus, vmbra quędam dumtaxat est, si ad doctrinæ & sapientiæ meæ magnitudinem conferatur, quare si quid honoris tribuunt homines hominibus ob eorum doctrinã mihi potius quã B illis debetur, qui nõ solum aures sed corda instruo & erudio.

¶ *Ite ostendite vos sacerdotibus.* Ideo mittit eos ad sacerdotes vt legem latam pro leprosis seruarent. Leprosi oblatio ostenditur. Leprosus enim qui mundari volebat duos passeres iubebatur offerre, & lignum cedrinũ, & vermiculum & hyssopum. Leuit. 14. Figura. Ex quibus passeribus, vnus immolabatur in vase fictili super aquas viuentes, alius autem viuus cũ ligno cedrino & cocco & hyssopo tingebatur in sanguine passeris immolati, & Explicatur exactè. C hoc aspergebatur septies leprosus, vt iure purgaretur. Hæc omnia in figura peccatoris contingebant illis. Leprosum figuram esse hominis peccatoris in superioribus iam ostendimus. Vnus passerum quos leprosus iubetur offerre Christus Saluator noster est, qui per Prophetam ait: vigilaui & factus sum sicut passer solitarius in tecto. Psal. 101. Esai. 63. Solitarius, inquam, quia torcular calcauit solus, qui & sustinens qui simul cum eo contristaretur non inuenit. Psal. 68. Hic est ille passer qui inuenit sibi domum: quoniam Christus qui in hoc Psal. 83. D mundo non habuerat vbi caput reclinaret: ascendens in cœlum inuenit sibi domum. Luc. 9. In qua deinceps firma statione maneret. Huic passeri alius iungitur, cum homo aliquis Christo se assotiat, vt illius vitam imitetur. Nam humilitas siue paupertas sanctorum per passerem designatur in Psalmo: in quo de cedris, idest, potestatibus seculi quas Deus in Ecclesia plantauit Dauid loquens ait: illic passeres nidificabunt: quia scilicet pauperes Psal. 103. Christi à diuitibus huius mundi necessa-

ria

ria vitæ percipiunt. Hyssopus cùm sit herba quæ pulmonis inflationi, vt medici asserunt, medetur, fidem viuam significat, quæ (iuxta Petri testimonium) purificat corda hominum. Cedrus quæ ad alta se tollit, spem designat, quæ non terrena, & transitoria, sed cœlestia & perpetua nobis repromittit. Vermiculus denique, qui instar ignis flammescit charitaté denotat: quæ iustos in Dei amore facit ardentes. Ex his duobus passeribus: vnum offert leprosus cũ peccator credit Christum Redemptorem nostrum pro nobis in cruce immolatũ. Is enim verè immolat Christum: qui illum pro nobis immolatum esse firmiter credit. Sed quod passer iste in vase fictili immolari præcipitur hoc significat: quod Christum in solo corpore (quod propter fragilitaté vas fictile merito dici potest) immolatũ fuisse credendum est. Quod autem super aquas viuentes passer immolari præcipitur, hoc tendit: vt iuxta scripturarum autoritatem, Christus passus esse credatur. Nam aquæ viuentes sacræ sunt scripturæ, quoniam (vt Christus ait) verba quæ ego loquor vobis: spiritꝰ & vita sunt. Super aquas ergo viuẽtes passio Christi cõsumata est: quoniam prænũtiationi propheticæ, rerũ exhibitio superaddita est: hoc effectus ostendit, quod sermo prædixit. Et ita factum esse idem Christus ex mortuis resurgens comprobauit: cũ discipulos euntes in Emaus alloquens & aperiens illis sensus vt intelligerent scripturas, dixit: sic scriptum est, & sic oportebat pati Christum, & tertia die resurgere à mortuis. Passer itaque Christꝰ super aquas viuentes immolatus est: quia iuxta id, quod de eo lex & Prophetæ prædixerat Christus Saluator noster in ara crucis pro nobis oblatus est. In huius passeris immolati sanguine viuus passer tingitur: quia per Christi mortẽ vniuscuiusq; fidelis anima ad vitam resurgit: & eo moriente spes nobis redditur æternæ vitæ. Nec solus passer tingi iubetur, sed cum hyssopo & ligno cedrino & cocco: ita vt eorum quodlibet etiam sanguine passeris immolati tingatur. Tingitur hyssopꝰ, cum fides nostra in mysterijs dominicæ

Actor. 15.

Ioan. 6.

Infra. 24.

A passionis informatur. Tingitur lignum cedrinum cum omnis spes nostra in Redeptoris nostri sanguine radicatur. Tingitur coccus cum ex recordatione acerbissimæ illius passionis illum totis visceribus ardentissimé amamus. In sanguine ergo passeris immolati simul cũ vno passere: hyssopus lignum cedrinum & coccus tingitur, cum de morte Redemptoris fides nostra firmatur: spes per illam roboratur, charitas ardẽtior efficitur. Hoc

B sanguine septies aspergi iubetur qui immundus est, vt sic iure purificetur. Septenarius numerus septiformẽ Spiritus sancti gratiam significat. Septies aspergi iubetur vt remissio peccatorũ Spiritui sancto consecrata esse credatur. In cuius signum postquam Dominus discipulis suis dixerat, accipite Spiritum sanctum: continuò subiecit. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis. Quo verborum ordine innuit Apostolis, non potuisse hanc potestatem remittendi peccata habere, nisi prius virtutem Spiritus sancti accepissent.

C Homo igitur qui immundus fuerit, sanguine passeris immolati septies aspergitur: quia quisquis lepra spirituali fuerit infectꝰ sine Christi sanguine à peccatis suis non poterit purificari. Nullus enim peccator iure purificari poterit nisi sanguine passeris huius fuerit aspersus. Hic est enim agnus Dei qui solus tollit peccata mundi. Hic est, quẽ (vt ait Paulus) proposuit Deus propiciatorem per fidem in sanguine ipsius. Neque est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Sanguine ergo passeris mortui aspergitur leprosus

D vt iure mundetur, quia sanguine Christi pro nobis in cruce immolati mundatur omnis peccator. O sanctitas, ò potentia sanguinis huius, ò beatus sanguis cuius aspersione lepra nostra mundatur: cuius precio, qui captiuus tenebatur liber dimittitur: cuius denique tactu mortui suscitantur. Dauid qui se peccati lepra infectum agnoscebat, vt iure purificetur: hyssopo, hoc sanguine tincto, se aspergi petit dicens: asperges me Domine hyssopo & mundabor: lauabis me & super niuem dealuabor. Asperges me hyssopo profundissimæ

Ioan. 20.

Ioan. 1.

Rom. 3.

Actor. 4.

Psal. 50.

simæ humilitatis filij tui vt deinceps nõ intumescam superbia. Laua me sanguine Iesu Christi filij tui, in quo omnium peccatorum maculas scio facilimé posse mũdari. Omnes enim sancti lauerunt stollas suas in sanguine agni. Quod autem hoc sanguine tinctum super niuẽ dealbatur. Laua ergo me hoc sanguine vt sic mũdꝰ & super niuem dealbatus possim intra castra tua & intra muros ciuitatis tuæ Hierusalem recipi per merita Iusu Christi filij tui. Nos ergo lepra peccatorum infecti si mundati volumus eamus ad Ecclesię sacerdotes vt sanguine Christi in sacramento pœnitentię, contẽto, aspergamur. Id enim significare volens Dñs ait viris istis leprosis: ite ostẽdite vos sacerdotibꝰ. Sed vt hæc tã de hæreticis quos leprosos esse docebamus quã de cæteris omnibus peccatoribꝰ explicemꝰ audi quę sequũt.

Apoc. 2.

Castro ho. 22. in Psal. 50.

¶ *Ite ostendite vos sacerdotibus*. D. August. lib. 2. quæstionũ euangeliorũ per lepram esse intelligendam falsam doctrinã docet. Quẽ in superioribus adduximus. Sacerdotiũ vero Iudæorũ nemo (inquit idẽ Augu.) ferẽ fideliũ dubitat figurã fuisse futuri sacerdotij regalis quod est in Ecclesia, quo consecrantur omnes pertinentes ad corpus Christi, summi & veri principis sacerdotũ. Nã nunc & omnes vngũtur, quod tũc regibus tãtũ ac sacerdotibꝰ fiebat. Si ergo quæras quid insinuet dñs mittendo leprosos istos ad sacerdotes, nimirũ velle hæreticos aut infideles doceri & instrui in vera doctrina à sacerdotibus ac primoribꝰ ecclesiæ. Cætera nãq; vitia (ait August.) tanquã valetudinis, & quasi mẽbrorũ animę, atq; sensuũ, per seipsum interius & cõscientia & intellectu Dñs sanat & corrigit: doctrina verò vel imbuẽdi per sacramenta, vel catechizandi per sermonẽ sanantẽ atq; lectionem vbi color quidam intelligitur verus atq; sincerus, quia in prõptu est & foris eminentissimus. Non enim in occultis cogitationibus, sed & in manifestis operationibus hæc quæ aguntur proprie contributa sunt. Itaque & Paulus voce Domini audita, quid me persequeris? Et ego sum Iesus quem tu persequeris: ad Ananiam tamen missus est, vt illo sacerdotio quod in

Augu. lib. 2. quæstio euange. q. 40.

Mittũtur leprosi sacerdotibus vt intelligatur dñs hæreticos, & infideles instruendos esse a sacerdotibus in vera doctrina.

Acto 9.

A Ecclesia constitutum est, sacramentum doctrinæ fidei perciperet, & verus eius approbaretur color, non quia non potest per seipsum Dñs omnia facere, nam quis alius hæc facit etiam in Ecclesia? Sed vt ipsa sotietas congregatorũ fideliũ, approbando inuicem, atque cõmunicãdo veræ fidei doctrinã in omnibus quæ dicuntur verbis, vel signantur sacramentis, tanquã vnam speciem veri coloris abducat. Ad hoc etiam pertinet quod idem dicit Apostolus. Deinde post annos quatuordecim ascendi Hierosolymam, cum Barnaba assumpto & Tito. Ascendi autem secundum reuelationem, & exposui cum eis Euãgelium, quod prædico gẽtibus. Seor sum autẽ his, qui videbãtur esse aliquid, ne forte in vacuum curro aut cucurri. Et paulo post: cum cognouissent, inquit, gratiam quæ data est mihi, Iacobus, Petrus, & Ioannes, qui videbãtur columnæ esse, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ societatis. Ipsa enim collatio vnã doctrinæ speciem exclusa omni varie tate monstrabat, quod salubriter etiã Corinthios monet dicẽs: obsecro autem vos fratres per nomen Dñi nostri Iesu Christi: vt id ipsum dicatis omnes. Cornelius etiã cũ eleemosynæ eius acceptæ & preces eius audite, illi ab angelo nuntiarentur: propter doctrinę tamen sacramentorumque vnitatem, ad Petrũ iubetur mittere: tanquã illi & suis diceretur, ite ostendite vos sacerdotibus. Nam & cum irent mundati sunt. Iam enim ad eos venerat Petrus, sed tamen ipsi nondum accepto baptismatis sacramento, nondum spiritualiter ad sacerdotes peruenerunt: & tamen infusione Spiritus sancti, & admiratione linguarum, eorum mundatio declarata est. Hæc Augusti. ¶ *Ite ostendite vos sacerdotibus*. Si per leprosos intelligamus peccatores omnes, necesse habẽt adire sacerdotes ecclesiæ vt in sacramento pœnitẽtiæ ab animi lepra mũdẽtur. Hac. n. figura mysticẽ ostẽditur necessitas cõfessionis faciẽdæ sacerdotibus ecclesiæ. Talis autẽ necessitas satis superque declarata est illis verbis à dño prolatis apud Io. c. 2. accipite (inquit Apostolis) Spiritũ sanctũ, quorũ remiseritis peccata remissa erũt: & quorũ retinue ritis

B C D

Gala. 2.

1. Cor. 1.

Necessitas confessionis ostenditur.

Ioan. 20.

D. Chrys. lib. 3. de sacerdotio.

ritis retenta erũt. In quæ verba D. Chry. ait: quid ipsum, inquit, hoc aliud esse dicas, nisi omnium rerum cœlestium potestatem illis a Deo concessam? Quorum enim, ait, peccata remiseritis remittũtur, &c. Pater omnifariam filio potestatẽ dedit. Cæterum video ipsam eandem omnifariam potestatem à filio illis traditam. Hinc ergo planum colligitur argumentũ, quod & illic fuerit instituta confessio & animi lepræ manifestatio, & tanquam necessaria. Nã plenariã Deus potestatem impertitus est sacerdotibus remittẽdi & retinẽdi peccata: iudices ergo rei huius cõstituit: atq; adeo huius iudiciũ & sententiã necessariã esse voluit viã ad salutẽ: iudicare autẽ de peccatis rectè nequeũt, nisi illa nouerint: iuxta illud Prouerbiorum. 12. qui iudicat quod nouit, iudex iustitiæ est. Nam aliter non posset pro criminis quantitate pœnam metiri. Præsertim cum sacerdos sic sit iudex vt sit etiam Christi vicarius medicus, atque adeo debeat pro morborum ratione medicinales pœnitentias imponere: nosse verò nequeunt occulta & intima cordis nisi delinquentium confessione & lepræ spiritualis manifestatione, ergo sacramentalis confessio illic est ceu ad salutem necessaria, constituta. Quod vt mente concipias verborum Christi spiritum, accipe exemplum. Quemadmodum cum rex annulum suum tradens prætori ait, accipe sigillum hoc ad iudicandum causas, quorum delicta remiseris, remissa erunt: & quorum ad suppliciũ retinueris, retenta, perinde ac si ego facerem. Sic ergo Christus, qua ratione nos à peccatis redemit, vniuersalis iudex cõstitutus est omnium peccatorum: tam in hoc seculo, quam in futuro. Iuxta illud Ioan. 5. dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Eandem memorans potestatem ait. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: scilicet iudiciaria: sicut misit me viuens pater ego mitto vos, accipite ergo Spiritum sanctum, per quem ego meritorum scelerumque causas iudico, & peccata remitto, & mea prorsus autoritate vt mei vicarij iudices fungimini, conferẽdo gratiam eiusdem Spiritus sancti ad remittẽ-

Pro. 12.

Simile.

Ioan. 5.

Matt. vlt.

A dum peccata: vel illam impœnitentibus subtrahendo, ita vt sicut nemo nisi iudicio meo potest aut saluus fieri, aut condẽnari, sic qui vestro iudicio fuerit approbatus veniam obtinebit apud patrẽ. ¶ At ne Christi hęc institutio ratione caruisse hæreticis videatur, optima est, quam D. Thomas est meditatus. Cũ enim nemini nisi per Christi mortẽ salus pateat, quem Deus, vt ait ad Ro. 3. Paul. proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius: passio vero nemini, nisi ei applicata pro B sit, decentissimũ fuit, & religioni necessariũ, sacramenta ab ipso autore salutis nostrę institui, quibus eadẽ passio, tum ad remissionem originalis, tum deinde, ad remissionẽ actualiũ criminũ applicaretur, ad quæ ideo sacramenta suscipienda suã familiã obligaret. Qua propter sicut baptismus est ad originalis lepræ aliorũque peccatorũ ante baptismũ ablutionem necessarius, vt emundemur omnino & regeneremur in nouã vitã: ita & sacramẽtum pœnitentię ad remissionẽ actualium post baptismũ, vt ab eisdem morbis sanemur. C ¶ Quod si vrgentius quæras, cur nõ interior animi dolor & contritio ad huiusmodi applicationẽ sine externo sacramento sufficiat: quando quidẽ per ipsum gratia confertur: dicam tibi, quod diuinus honor & vtilitas nostra id exigebat: nẽpe, vt signis istis externis sacramentorũ profiteremur salutẽ, per supernã Dei virtutẽ nobis obuenire, quæ vt ait Grego. in illis secretiꝰ operatur. ¶ Accedit & noua ratio necessitatis cõfessionis ex vtilitate maxima & vsu, qui nobis inde prouenit. Cũ. n. naturę lumine doceamur, eis qui corrup D ti sunt moribus, magnũ esse emolumẽtũ corda sua amicis patefacere, à quibus vel re vel consilio iuuetur, consultissimẽ nobis Christus cõfessionẽ instituit, quæ sub tãtũ secretũ, quantũ sacerdotibus pręcepit, eis tãquã eiꝰ uicarijs morbos nostros exponeremus, qui eius autoritate & nos ab illis liberarent, & salutaria medicamina ad posterũ adhiberent: disponit enim omnia suauiter iuxta cuiusque naturam: & quia homines sumus ẽ re nostra maxime fuit, vt homines Deus nobis iudices relinqueret, ad quos nostras deferremus causas

S. Tho. d. 17. q. 3.

Rom. 3.

causas: præsertim spirituales. Hac enim ratione ad alia negocia transigenda Ecclesiæ præfecit tum summum eius vicarium, tum sub ipsum alios prælatos, qui Ecclesiasticam rempublicam administrarent. Fac, confessionem sacramentalem non esse necessariá, sed satis esse soli Deo confiteri, profecto tota republica plena esset occultis vitijs atq; sceleribus, quæ non possent non in publicum prodire: verecundia enim confitendi vehementissimé homines á peruersis moribus arcet.

A

¶ Preterea obserua non solú esse necessariá sed Dei præcepto diuinoq; iure mandatá. ¶ Hanc cõfitendi necessitaté & obligationé ostendere volens. D. Iacobus ait omnibus fidelibus: cõfitemini alterutrũ peccata vestra. Vbi primũ animaduerte noluisse. D. Iacobum instituere hoc sacramentũ dicendo confitemini. Dispẽsator enim erat & non institutor sacramẽtorũ vt Paul. docet. 1. Cor. 4. sed id admonere voluit quod Christus Ioã. 20. instituerat. Præmiserat enim similiter dicens: nolite iurare neq; per cœlũ, neque per terrã. Et tamen id nõ dicebat tanquã præcepti autor sed tanquam vel promulgator vel admonitor mandati diuini. Quod ergo Iacobus admonet signũ est diuini præcepti. Quod autẽ ait alterutrũ, scité interpretatur Vgo. Etenim cũ Apostolus præmonuerat induci præsbyteros, hoc est, sacerdotes Ecclesiæ, illic insinuauerat confessioné illis esse faciendam. Ait autẽ, alterutrũ. i. alter alteri puta, homo homini, ac si dixisset, non satis est hominẽ Deo confiteri, vt Dauid, qui aiebat. Dixi cõfitebor in iustitiam meã Dño, sed homini etiã propter Deum. Itaque alterutrũ, non id sonat, quod vnusquisq; promiscuẽ vnicuique puta, laicus laico, sed alterutrũ idem est, quod inter vos. s. homines hominibus, omnes pastoribus, subiecti prælatis. Præterquã quod & sacerdotes sacerdotibꝰ inuicẽ confitentur. Qua propter quod ait: & si in peccato sit remittetur ei, non solũ refertur ad præsbyterorũ orationẽ, qui orabant pro infirmo, quasi illa sola sit futura remissionis causa, sed ad absolutionem sacramentalẽ, quæ orationẽ præcedere debet. Et ideo subdit. Cõfitemini alterutrũ

B

C

D

Iacob. 5.

explicatur locus Iaco.

1. Cor. 4.

Vgo lib. 2. de sacra. pa. 14 c. 1

Psa. 31.

peccata vestra, & orate pro inuicẽ vt saluemini. Non solũ orate, vt saluemini; sed cõfitemini vt saluemini. Quare hoc potissimũ loco fundatur necessitas confessionis in mortis articulo. Accedit in eádem sententiá D. Augu. lib. 2. de visitatio. infirmo. c. 4. vbi cõtra illos qui existimabát satis esse Deo confiteri, hunc locũ adducit, quod. s. necessariũ sit confiteri alterutrũ: puta homines hominibus, nõ quibuslibet, sed accersitis præsbyteris. ¶ Huius præcepti figurá ostendere volens hodie Dñs ait viris istis leprosis: ite ostẽdite vos sacerdotibus. Hæc deniq; duo, & quod cõfessio sit necessaria, & iure diuino præcepta, multis in locis ab ecclesia sũt definita. Ac demũ in conci. Triden. sessio. 4. sub. Iulio. c. 5. decretũ fuit integrá peccatorũ confessionem á Dño fuisse institutam, & post baptismũ lapsis iure diuino necessariá existere. ¶ Et quanuis hæc vera sint, tamen ecclesiæ arbitrio & prudẽtiæ, relictũ est assignare tẽpus, quo fideles lepra peccatorum infecti teneantur ostẽdere se sacerdotibus. Nã cum in euangelio non sit determinatũ expressum tẽpus confessionis, illa determinatio commissa est Ecclesiæ. Quæ determinatio ponitur. c. omnis vtriusq; sexus de pœnitentijs & remissionibus. Præceptũ ergo humanũ habemus quo ad tẽpus. Diuinũ verò quo ad cõfessioné. Munus enim principis est ciues ad necessaria salutis officia legibus instituere: ergo si, vt probatũ est sacramentũ pœnitentiæ est iure diuino ad salutẽ necessariũ, fit vt de illo eodẽ iure sit singulare præceptũ. Eodẽ enim modo de baptismo argumentari solemus. Si enim ille est, vt vere est, necessarius ad salutẽ prudentis principis fuit de illo singularẽ legẽ stabilire. ¶ Scio hæreticos cauillari posse, quod licet testimonia & argumenta prædicta vim habeát necessitaté cõfessionis cõcludẽdi, nõ tamẽ clacularíæ illius, quæ fit in aures sacerdotis. Quibꝰ nos tamẽ respõdemus quod impresentiarũ hác nos tãdem conclusionem elicere contẽdimus, quod confessio, quæ fit sacerdotibus sit necessaria. Conditio autem illa, quod in secreto fiat aut in publico clam aut palam, non est de eius essentia, tametsi, vt confessio-

D. Augu.

Conc. Tri.

ficta redditur, nec dimidiata) quod verò hæc ita sint vel ex illo testimonio Ioã. c. 20. probari potest. Quorũ, inquit, remiseritis peccata, remissa erũt, &c. Illic enim absq; vlla restrictione potestas est Apostolis concessa remittẽdi peccata: ergo remittẽdi omnia. Et cũ illa remittere minime possint, nisi tãquã iudices, neq; de illis iudicare, nisi peccata & eorũ causas per clauẽ scientiæ cognoscant, fit vt totã suã familiam Christus dñs constrinxerit illis confiteri peccata mortalia etiã cordis occultissima. Nam cũ de operibus ex causis sit discernendũ ac iudicandum: & opera, vt Dñs ait, exeant ex corde, radices etiam peccatorum illic latentes sunt sacerdoti aperiendæ. ¶ Prætereà quemadmodum Deus, nequit vllum mortale absq; omnibus cõdonare nec remittere: quod remissio fiat per gratiam & eius diuinam amicitiam: ita nec sacerdotes eius vice & munere fungentes possunt nisi omnia simul remittere. Quare non ait: quæ remiseritis erunt remissa, & quæ retinueritis retenta: quasi eiusdem personę aliqua remittant, & aliqua non: sed quorum remiseritis. i. quem iudicaueritis venia dignũ in totũ absoluite. Alioqui in totũ ligate. Et hoc significat forma: absoluere autem vel ligare neminẽ possunt nisi de illo iudicando: pœnitens igitur qui omniũ veniã & cõdonationẽ petit omnia tenetur sacerdotis iudicio exponere. Nõ enim satis erat vt leprosus partẽ vnam corporis mundã esse ostenderet sed de omni lepra corporis totius sacerdos iudicabat. ¶ Adde his, nam sacramentalis confessio in eo differt à iudiciali & criminali, quod iudex in foro externo minime intendit nisi malefactorũ vindictã & punitionem, & ideo cõfessionẽ nõ requirit nisi illius criminis, de quo suppliciũ sumere vult: confessionis verò sacramentalis finis & scopus est recõciliare amicitiã Dei, & hominẽ emendare ac corrigere: hoc autẽ minime fieri potest, nisi pœnitens statũ, cõditionẽ, omnẽ vitãq; suam, male actã qualis fuerit sacerdoti pandat. Id quod nisi omnia peccata etiam cordis intima aperiat perficere nequit. ¶ *Ite ostendite vos sacerdotibus*. Obserua quod ait: ite ostendite

Ioan. 20.

A vos ipsos sacerdoti: ex quo cõtingit innotionẽ fieri non debere aut per nuntium aut per literas. Est enim confessio actus personalis, quo homo præsenti sacerdoti loquitur, & cui præsens emundãdus aut iudicandus est mundũ eũ esse à lepra. Quapropter licet ab excõmunicatione, ab alijsque censuris per literas possit homo à Pontifice Maximo petere absolutionẽ & eã obtinere: tamen absolutionẽ sacramẽtalẽ peccatorũ nõ nisi præsens per absolutionẽ. ¶ Accedit & alia ratio, quod confessio talis esse debet, per quam sacerdos certus fiat, talia peccata pœnitentẽ fecisse: quin etiã per quã possit eũ cõuincere: confessio autẽ per literas non est huiusmodi: nã sacerdos non est certus an literę illę ad eum missæ sint veræ an verò fictæ: imò posset postea pœnitens suas esse negare. ¶ Adde quod quando eũ per rescriptũ absolueret, fortasse iam tunc pœnitẽs mutauit sententiã, ita vt absolutione indignus esset, & fortasse esset vita defunctus. Sentẽtia est canonis, quẽ pœnitet. d. 1. de pœnit. vbi exẽplo eorũ qui à lepra curati iussi à Christo sunt ostendere se sacerdotibus, docetur corporali præsentia confitenda esse sacerdoti peccata, nõ per nũtiũ, nõ per scriptũ aut epistolã sed facie ad faciẽ. ¶ *Ite ostendite vos*. Nõ alios: vestra peccata, lepramq; vestrã non alienã. Non enim instituta est cõfessio vt aliorũ peccata ostẽderemus sed vt nostris mederemur. Atq; adeo hæc vera sunt vt existimarent aliqui nõ teneri nos ad confitẽdũ circunstantiã aggrauantẽ peccata nostra cũ iactura non solũ maxima sed mediocri cõplicis de qua re satis superq; disputant Doctores scholastici. ¶ *Ostendite vos sacerdotibus*. Hinc colliges etiam, solos sacerdotes esse ministros sacramenti pœnitentię. Nã sacramentũ hoc pœnitẽtiæ iudiciũ quodã est, quo homines virtute clauiũ ad regnũ cœlorũ admittuntur, aut inde excluduntur: eiusmodi autẽ claues eius Apostolis ac subinde eorũ successoribus sacerdotibus collatæ sunt: soli igitur illi ministri sunt. Matthæi enim decimosexto Petro singulariter dictum est. Tibi dabo claues regni cœlorum. Quodcunque solueris, &c. Et capit. 18. Apostо

B

C

D

Aliorum peccata nõ sunt in cõfessione dicenda sed propria.

Confessionis solus sacerdos est minister.

Matth. 16. & 18.

diam & bonitatem, certè ad demonstrandam potentiæ ac iustitiæ magnificentiã. Docet enim nos sanctus Apostolus, esse vasa iræ apta in interitum, in quibus ostẽdere velit Deus iram, & nõ tam facere potẽtiam suam: & in alio loco, docet, in magna domo etiam fictilia vasa & terrea suũ locum, & vsum habere. Vnde docemur neminem (quantum ad Deum attinet) posse fieri inutilem, ita vt nulli vsui ipse eum valeat aptare: tametsi ex sese homo peruersus, ad omne bonum sit inutilis. Et secundum hanc inutilitatem posteriorẽ, intelligi debet potissimũ quod dicitur. Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt. Huic autem consonat, quod in euangelio Ioannis, ex ore Saluatoris discipulis dicitur: Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes nõ potest facere fructum nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis. Et si quis in me nõ manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum & in ignẽ mittẽt, & ardet. Quod enim proposito versu Psalmi declinare dicitur, hoc in verbo isto Saluatoris est, non in Christo & Deo permanere, inutilem autem fieri, est fructum non posse ferre & proinde ignibus tradi. Quemadmodum autem palmes, qui in vite non manserit, licet ad fructum natiuitatis faciendũ sit inutilis, est tamen aptus adhuc combustioni, & igni nutriendo vtilis: sic & homo postquam declinauit, & à Deo separatus est, licet ad faciendum fructum operationis studiosæ sit factus inutilis, manet tamen aptus, siue vtilis (vt ita dicam) Deo, ad escam ignis quã præparauit diabolo & angelis eius. Vnde & in parabola malos homines Christus zizaniæ, Ioannes autem paleæ comparat: quæ licet non sit vtilis, vt congregetur in horreum apta tamen est, vt proijciatur in caminum. Ad vos igitur ô peccatores vt mea conuertatur oratio, gaudete quia frugi estis, quia apti estis, quia vtiles estis ad interitum scilicet, & ad ignem sempiternum. Quod inutiles facti estis ad omne opus bonum. Sed vos miseros: qui (vt Iob dicebat) bibitis quasi aquam iniquitatem. Esai. 59. Vos, inquã, miseros: quorum opera inutilia, & quorum cogitationes inutiles vt Esaias ait. Hos homines inutiles comparat Hieremias cum Myrica in loco arido & inculto nota. Est enim Myrica virgultum abiectum & syluestre, quod nec fructu, nec vmbra affert vtilitatem, nec amœnitatis specie iucunditatem, nec radice medicinam, aut remedium aliquod salutare, ad nullum vsum reseruatum, nisi ad secandum & incendio consumendum.

Rom. 9. 2. Tim. 2. Ioan. 15. Matth. 25 Matth. 13 Matth. 3. Esai. 59.

A B C D

¶ Domi. 13. post Pent.

ET factum est dum iret in Hierusalem, trãsibat per mediam Samariam & Galilæam. Et cum ingrederetur quodam castellum, occurrerũt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longè: & leuauerunt vocem dicentes, Iesus præceptor, miserere nostri. Quos vt vidit, dixit, ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est: dum irent, mundati sunt, vnus autem ex illis vt vidit, quia mundatus est: regressus est cum magna voce magnificans Deum, et cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens: et hic erat Samaritanus. Respondens autem Iesus, dixit, nõne decem mundati sunt? Et nouem vbi sunt? Non est inuentus qui rediret, & daret

ret gloriam Deo, nisi hic alie nigena. Et ait illi, surge, vade: quia fides tua te saluum fecit.

HOC miraculo ostendit satis super que Dominus & suam benignitatem & nostram ingratitudinem. Illa ostenditur, tanta facilitate hos leprosos à lepra műdádo, hec vero, quod ex decem qui mundati sunt, nullus repertus fuerit qui rediret, & glorificaret Deũ præter vnum alienigenam. Nunc Euangelistam audiamus.

¶ *Et factum est: dum iret in Hierusalem, transibat per mediam Samariam, & Galilæam.* Gaudebat Dominus frequenter per occasionem attingere Samariam & Galilæam, vt hierosolymitis exprobaret suam incredulitatem: qui Samaritanos peius abominarentur quã Ethnicos, & Galilæos pro semipaganis haberent.

Solebat Christus quum aliquid creditu difficile prædicabat illud ipsa experientia cõprobare.

¶ *Occurrerunt ei.10. viri leprosi.* Solebat Dñs cum aliquid creditu difficile prædicabat, illud ipsamet experientia cõprobare. Prædixerat pharisæis: amen dico vobis publicani & peccatores præcedent vos in regno cœlorũ. Quod vt oculis cernerent: trahit ad pedes suos accũbens in domo cuiusdã pharisæi præ cæteris cognitione legis, & sanctitatis opinione turgentis, mulierẽ quandã, in ea ciuitate nõ tam peccatricẽ, quæ lachrymis rigaret illos: & capitis sui capillis extergeret. Ecce consequutũ est hoc, in quo res ipsa poneret ob oculos, quod dñs verbis docuerat: de iustis repellendis & peccatoribus recipiendis. Pharisæi iusti sibi videbantur, & repulsi sunt: at Matthæus publicanus & mulier ista nota peccatrix recepti sunt. Prædicabat Dñs neq; Sacerdotes, nec Leuitas esse veros proximos, ac sæpe numero fieri, vt qui genere proximus est, alienior sit affectu, quã hostis: in qua concione vsus est similitudine illa hominis cuiusdã proficiscẽtis ab Hierosolymis Hierico: quã noster Luc. c. 10. refert. Atq; vt res ipsa doceret quod Dñs verbis prædicarat, adducit. 10. viros istos lepra infectos, quorũ nouẽ qui fideles erant, noluerunt redire vt agerent Christo gratias & glorificarent Deum. Samaritanus autem vincens illorũ religionẽ vbi sensit se plane liberatũ à morbo, ilico reuersus est ad Iesum, clara voce clarificans Deũ, & gratias agens. Sed iam ad mysticam euangelij explicationem accedamus.

Luc. 7.

Luc. 10.

Leprosi hæretici sunt

¶ *Occurrerunt ei.10. viri leprosi.* Per hos leprosos imprimis credas significatos homines hæreticos, quod intus malis affectibus sint toti deprauati, foris variegata cute, veluti falsa veris permiscentes. Sic enim D. Grego. ait: habent quippe hoc hæretici propriũ vt malis bona permisceãt, quatenus facile sensui audientis illudãt. Si enim semper praua dicerent, citius in sua prauitate cogniti, quod vellent minime persuaderent. Rursum si semper recta sentirent profecto hęretici non fuissent, sed dũ fallendi arte ad vtraq; deseruiũt, & ex malis bona inficiunt, & ex bonis mala, vt recipiantur, abscõdũt: sicut qui veneni poculũ porrigit omnia poculi dulcedine mellis tangit: dumque hoc quod dulce est, primo attactu delibatur, etiam illud quod est mortiferum indubitanter absorbetur. Itaque hæretici permiscent recta peruersis, vt ostendendo bona auditores ad se trahant, & exhibendo mala latenti eos peste corrumpant. Hactenus Gregor. Ecce vides apertissimo Gregorij testimonio probari, semper hæreticorũ doctrinam esse veram lepram ac veluti quoddã venenatũ poculũ. Eandẽ sententiã docet Leo Pontifex Maximus huius nominis primus. Qui in epist. ad Toribiũ Astorigensem Episcopũ. c. 15. præcipiẽs, vt libri Priscillianistarũ cõburantur ait. Quãuis enim sunt in illis quædã, quæ videantur speciẽ habere pietatis, nũquã tamen vacua sunt venenis, sed per fabularũ illecebras hoc latenter operãtur, vt mirabilium narratione seductos, laqueis cuiuscunque erroris inuoluant. Hæc Leo. D. etiam August. exponens hoc Euãgelium idẽ expresse docet. Quærendũ est (inquit) quid ipsa lepra significet. Nõ enim sanati sed mũdati dicũtur, qui caruerunt. Coloris quippe vitiũ est, non valetudinis, aut integritatis sensuum, atque mẽbrorũ. Leprosi ergo nõ absurde intelligun

D. Grego 5. Mor.

Leo

D. Augu.

liguntur, qui scientiam veræ fidei non habentes, varias doctrinas profitentur erroris. Nulla prorsus falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermisceat. Vera ergo falsis inordinate permixta in vna disputatione, vel narratione hominis, tanquam in vnius corporis colore apparentia, significant lepram, tanquam veris, falsisque colorum locis, humana corpora variantem, atque maculantem. Hæc Augustinus. Sunt adhuc multa alia in leproso consideranda, ex quibus apertius colligi potest leprosum veram esse hæretici figuram. Nam leprosus suo contactu alios inficiebat: & hæreticus sua cõuersatione fidelibus nocet. Leprosi anhelitus noxius erat, & ob hanc causam os illius veste cõtectum esse iubebatur. Et hæreticorum sermo Paulo testante, velut cancer serpit, & ob hanc causam prædicatio est illis interdicta. Quoniam (vt Salomõ ait) qui ponit stulto silentium iras mitigat. Ab huiusmodi lepra vt nos ipsos liberemus admonet D. Paul. in episto. ad Heb. c. 13. doctrinis (inquit) varijs & peregrinis nolite adduci. Atque hoc ipsum magno opere desiderabat sponsa: propterea petebat separari à corpore & esse cum Christo vt à tanto periculo liberaretur. Vnde sponso suo alloquens ait: Indica mihi vbi pascas vbi cubes in meridie: ne vagari incipiam post gregem sodalium tuorum. Quæ verba explicans D. Bernard. sic ait: Heu nec clara lux nec plena refectio, nec mãsio tuta: & ideo indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie. Beatũ me dicis cũ esurio & sitio iustitiam. Quid hoc ad fœlicitatẽ illorum qui repleti sunt in bonis domus tuæ, qui epulantur & exultant in conspectu Dei, & delectantur in lætitia? Sed & si quid patior propter iustitiã, nihilominus beatam pronũtias. Et certè pasci, vbi timeas pati, iucunditatem habet sed non securitatem. Porro autem pasci & pati simul, omne molesta iucunditas est? Omnia mihi cedunt hic citra perfectum, plura præter votum, & tutum nihil. Quãdo adimplebis me lætitia cum vultu tuo? Vultum tuum Domine requiram. Vultus tuus meridies est. Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie. Scio satis vbi pascas nõ cubãs, indica mihi vbi pascas & cubes. Non ignoro vbi alijs temporibus pascere soleas, sed scire velim vbi in meridie pascas. Nam in tempore quidẽ mortalitatis meæ, & in loco peregrinationis meæ consueui sanè sub tua custodia pasci & pascere in lege & Prophetis & Psalmis de te, necdũ in euangelicis paschuis, & apud Apostolos similiter requieui, frequenter etiam de gestis sanctorum & verbis & scriptis eorum victum mihi, atque attinentibus mihi mendicaui vt potui: frequentius autem (quoniam is magis ad manum fuit) manducaui panem doloris, & vinum compunctionis bibi, & factæ sunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie vbi est Deus tuus? Nisi quod de mensa tua, siquidem parasti in cõspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me. De ipsa, inquam, tuæ quidem beneficio miserationis accipio, in quo vtcũque respiro quotiescunque est tristis anima mea, & quoties conturbat me. Hæc pascua noui & frequentaui te secuta pastorem, sed indica quæso etiam quæ non noui. Sunt qui dem & alij pastores qui dicunt se esse sodales tuos, & non sunt, habentes greges suos & fines suos pabulo mortis refertos, in quibus pascunt nec tecum nec per te, quorũ vtique terminos non intraui, nec appropiaui eis. Ipsi sunt qui dicunt: ecce hic est Christus, ecce illic est: promittentes sapientiæ & scientiæ paschua vberiora, & creditur eis, & cõfluunt ad eos multi, & faciunt eos filios gehennæ duplo quam se. Cur hoc, nisi quia nõ est ibi meridies & perspicua lux vt liquido veritas cognoscatur, facileque pro ea recipiatur falsitas propter verisimilitudinem, quæ non facile in obscuro à vero discernitur, præsertim quia aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior? Et propterea quæso vt indices mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie, id est, in manifesto, ne seducta incipiam vagari post greges sodalium tuorum, quemadmodum & ipsi vagi sunt, nulla stabiles certitudine veritatis, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes. Hæc sponsa propter hæreticorum varia dogmata.

2. Tim. 2. — Pro. 20. — Heb. 13. — Can. 1. b exponitur locus. — D. Ber. — Matth. 5. a — Psa. 64. a — Psa. 67. a — Matth. 5. a — Psa. 15. c — Psa. 26. c — Psa. 41. a — Psa. 22. b

Ber. se. 33. super Cãt. Omnis peccator dicitur lepro- sus. D. Chriso. Ho. in illud Apos. cum autẽ subiecta fuerint ei, &c. Eccle. 2. c

mata. Hactenus D. Bernar. sermone. 33. super Can. ¶ Omnis etiam peccator leprosus dici potest. Etenim sicut molesta corporis lepra (inquit Chrysostomus) colorem variat, sic & vbi animam occuparit, duplex facit cor. Et quam iniucunda oculis humanis corporea lepra, tã insuauis est oculis Dei in plures secta partes anima. Et ob hoc ait scriptura: væ duplici corde, & animæ solutæ, & peccatori vias duas incedenti. ¶ Cum igitur hæreticorum ac peccatorum omniũ genus contagiosum, vt leprosorum, atque abominãdum sit, idcirco procul arcentur ab hominum consortio: quemadmodum olim arcebantur leprosi. Omni tempore (inquit lex) quo leprosus est & immundus, solus habitabit extra castra. Sic de hæretico loquens Paulus in epistola ad Titum. c. 3. ait: Hæreticum hominem post vnam, & secundam correptionem deuita: sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit cum sit proprio iudicio condemnatus. Et D. Ioan. in sua secunda epistola canonica inquit: si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domũ, nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi aue: communicat operib9 eius malignis. Quibus testimonijs adducti nonnulli Theologi illustres in ea fuerunt sententia vt existimarent, excommunicationis pœnam esse ex diuino iure hæreticis inflictam: & ne quis existimet hãc pœnam non ex diuino iure sed ex humano Apostolorum summorumque Pontificum dimanasse, audiat quid idem Paulus Thessalonicensibus scribat: Denuntiamus autem vobis fratribus (inquit) in nomine Domini nostri Iesu Christi: vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulãte inordinatẽ, & non secundum traditionem quam acceperunt à nobis. Ecce Paulus interdicit conuersationem cum illis, qui non ambulant secundum traditionem, quam ab eo acceperunt, neq; hoc nomine suo: sed nomine Domini nostri Iesu Christi se id præcipere dicit. Quæ verba declarans Theophilatus ait: sæpe alias diximus denuntiationem, austeram quandam præferre doctrinam. Nũc igitur tremendam magis hanc faciens, inquit, non

Leui. 13.

Ad Titũ. 3

2. Ioan.

An iure diuino hæretici sint excõmunicati.

Iodocus Clitoueus Jacob9 Latomus, Echius, de hære. comburendis: videtur idem sentire. Lege castro. de iusta. hæ pu. li. 2. ... the. 8.

A enim nos id ipsum iniungimus, sed Christus ipse. Hæc Theophilatus. ¶ Non ignoro alios Theologos in ea esse opinione vt dicant, iustam esse excommunicationis sententiam contra hæreticos à iure prolatam: negant tamen illam iuris diuini robur tenere. Quæ istarum opinionum sit verior saniori relinquo iudicio. Hoc satis modo nobis sit quod hi, qui negant excommunicationis pœnam esse iure diuino inflictam, negare non poterũt esse iuri diuino admodum cõforme, pertinaces hæreticos excommunicare. Nam B illum, qui fratrem semel & iterum admonentem de peccato contemnit, & Ecclesiam insuper non vult audire, Christus Saluator noster præcipit habendum esse tanquam Ethnicum & publicanũ. Quibus verbis concordi omnium catholicorum sententia, Saluator noster prælatis Ecclesiæ dedit potestatem excõmunicãdi illum: qui tertio admonitus, negligit emendari. Idem enim est dicere sit tibi sicut Ethnicus & publicanus: ac si dixisset nullam prorsus cum eo habeto communionem. Sicut populo Israel fuit olim à C Deo interdicta cum gentibus conuersatio, ita etiam nunc populo Christiano interdicit Saluator, aut potestatẽ dedit prælatis interdicendi communionem cũ eo, qui Ecclesiam audire contemnit, dicens: Sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. Nã B. Chrysosto. hæc Matthæi verba interpretans ait: Vide qualiter duplicibus colligauit necessitatibus, & pœna, quæ hic est, scilicet, proiectione ab Ecclesia: Sit tibi sicut Ethnicus & publicanus: & supplicio futuro; quod est esse ligatum in cœlo. Hæc Chrysosto. Vt autem sententiam D prælati excommunicantis nullus cõtemnere auderet: sed firmam, & ratam esse, omnes censerent, addidit: amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terrã, erunt ligata & in cœlis, & quæcũque solueritis super terram, erũt soluta & in cœlis. Quæ verba explicans D. Hierony. in commen. super Matth. ait: quia dixerat, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus, & poterat contemptoris fratris hæc occulta esse responsio, vel tacita cogitatio, si me despicis

Matth. 18.

Chrysost.

D. Hiero.

ego te despicio: si tu me condemnas, & mea sententia condemnaberis, potestatẽ tribuit Apostolis vt sciant, qui à talibus condemnantur, humanam sententiam diuina sententia roborari, & quodcunque ligatum fuerit in terra, ligari pariter in cœlo. Hæc Hierony. Ex quibus verbis apertissimè constat, quia rata sit, & à Deo confirmata excommunicatio, quæ fertur in illum, qui secundo admonitus, Ecclesiam postea audire contemnit. Quis autẽ minus Ecclesiam audit, quam hęreticus, qui suam sentẽtiam difinitioni totius Ecclesię pręponit, & ab ea fide quã scit totã Ecclesiam tenere, proprio iudicio recedit. Nullus ergo iustius potest iuxta diuina decreta excommunicari quam hęreticus, qui propriæ innitens prudentiæ, Ecclesiam docentem, atque admonentem audire contemnit. Et forte hoc ipsum intellexerunt præfati illi doctissimi viri dicentes, excommunicationis pœnam iure diuino esse hæreticis illatam: quia iure diuino innititur ius humanum, quod illam hæreticis infixit. Rursum, iustã esse hanc hęreticorum excommunicationem ostenditur per id, quod Dominus Deus populo Israel olim pręcipiens vt deleret Iebusęum, Chananęum, & reliquas quinque nationes, addidit: non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum, neque sotiabis cum eis coniugia. Filiam tuam nõ dabis filio eius, nec filiam ipsius sotiabis filio tuo: qui seducet filium tuũ, ne sequatur me: & vt magis seruiat dijs alienis. Attende, obsecro, causam, propter quã prohibuit cum gentibus illis contrahere matrimonia. Quia seducet, inquit, filiũ tuũ, ne sequatur me. Nõne simile periculum est in conuersatione hæreticorum, quorum sermo (iuxta Pauli sententiam) vt cancer serpit. Propter eãdem igitur causam iustum est, vt sit omnibus Christianis interdicta hæreticorum conuersatio, ne fallacijs suis seducãt corda eorum, cum quibus conuersantur. Ideo Paulus ait: quæ pars fideli cum infideli? Tam potens est hæc causa, vt propter illam solam censuerit Paulus vxorem fidelem coniunctam viro infideli, qui non permittit illã in fide sua manere: sed quotidie sollicitat, & vrget ad infidelitatem, posse à viro suo separari. Sic enim ait Paulus: quod si infidelis discedit, discedat: non est enim seruituti subiectus frater, aut soror in huiusmodi. In pace autem vocauit nos Deus. Quæ verba declarans Theophilatus in com. super episto. Pauli ait: hoc est, si vir infidelis vxori fideli iniungat, secum vt sentiat, & particeps suæ fiat infidelitatis, dirimat potius matrimonium mulier, & à viro abscedat. Satius enim est connubium ipsum dissoluere, quam pietatẽ, & Dei cultum amittere. Si tecum ille eo iurgatur, quod suæ infidelitatis participare nil toleres, cõfestim secedito. Non enim es huiusmodi seruituti subiecta, hoc est, nil cogeris virum in rebus huiusmodi perpeti. Melius est enim secedere, quam altercari. Neque enim diuinæ illud est voluntatis, quippe qui nos in pace vocarit. Itaq; si litiget, & iurgijs vrgeat, præbuit ille diuortij causam. Hactenus Theophilatus. Deinde id, quod Deus olim cum leproso lege Mosayca fieri præcepit, manifestum est exemplar nobis propositũ vt illo bene inspecto discamus inde quid in lege euangelica circa hæreticum fieri debeat.

¶ Præterea quantum cauere debeamus atque nos ipsos subtrahere à cõsortio hominum non solum hæreticorum, sed impiorum docet Ecclesiasticus. cap. 13. his verbis: Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea, & qui communicauerit superbo, induet superbiam. Si communicabit lupus agno aliquando sic peccator iusto. Quæ communicatio sancto homini ad canem. D. etiam Paulus in priori epistola ad Cor. cap. 5. ait tollendos esse de medio nostrum qui eiusmodi sunt. Et reddens rationem huius subiungit: nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum vt sitis noua conspersio. Huius modici fermenti exemplum habemus. 2. Reg. c. 20. in Seba rebellante contra Dauid: cuius caput nisi sapiens mulier cito amputatũ per muros mittere ad Ioab, modicum fermentum totam ciuitatem in præcipitiũ traheret, & ruinam. Expurgemus igitur vetus fermentum, expellamus (quoad fieri posũt) malos de medio nostri, ne in totam

Deu. 7.
2. Tim. 2.
Theophi.
Castro de iusta. pu. hær. lib. 2.
Eccl. 13.
Ibidem.
1. Cor. 5.
2. Reg. 20.

tam communitatem celeriter lepra serpat, & virus.

¶ *Qui steterunt à longè, & eleuauerunt vocem dicentes: Iesu praeceptor miserere nostri.* Docet hic locus Deum in tribulationibus esse inuocandum. Est enim adiutor in tribulationibus quae inuenerunt nos nimis. Hoc sanè emolumentum secū afferre solet afflictio vt confugiant afflicti ad Deum singulare refugium suum, & diuinam implorent clementiam. Atque ad iucundam diuini numinis cogitationem recurrant. Et quāquam exules ærūnosos, abiectos, expulsos ab hominū cœtu, & vastas atque incultas solitudines peragrantes se videant, non deponūt tamē memoriam Dei. Versatur illis ante oculos diuina bonitas, & pietas: & eorum calamitas in suauissima cœlestium rerū memoria conquiescit. Intelligūt enim ideo se in ærumnis versari, vt ad diuinum consolatorem, tāquam ad arcem tutissimam confugiant, & à lepra peccatorum emūdentur. Hinc est quod rex Dauid aiebat: tu es refugium meū in tribulatione, quae circundedit me. Et iterum: iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit. Vnde secundum emolumentum ex afflictione oritur vt ipse Dominus soleat afflictis diuinum auxilium, gratiam, fauorem, consolationē implorantibus opitulari. Vt in his leprosis pietatem eius à longe petentibus videre licet. Ideo dicebat Apostolis apud Ioan. Tristitia vestra conuertetur in gaudium. Vnde D. Augustinus in Ioan. ait: Quod te Dominus permisit pati flagellum corrigentis est, non pœna damnantis. Et D. Hierony. in epistola ad Heliodorū. Quis non tribulari velit, quis se non maledici desideret, vt mereatur laudari Christi voce, & cœlesti copiosaque mercede numerari? O diuinam bonitatem, ò summam clementiam, ò infinitam Dei nostri misericordiam. Quis non admirabitur benignitatem tuam Deus sancte, qui ideo nos affligis, vt reficias, ideo nos premis, vt cōsoleris: ideo permittis vt in varias calamitates incidamus, vt nostram miseriam cognoscentes tuam misericordiam imploremus dicentes: Iesu praeceptor miserere nostri. Non igitur nos perdere vis, sed ad gloriam tuam patrisque tui perducere. ¶ Contra vero hinc colliges quam inutilis imò quam nociua sit hominibus prosperitas, quę in causa esse solet, vt nō simus Dei memores, nedum illum inuocemus. Pharao in rebus prosperis & ad voluntatem fluentibus dicebat, vt in Exod. narrat diuina historia: quis est Dominꝰ? Nescio Dominum. Deum non cognoscebat à quo omnia facta sunt, qui est totius orbis moderator & rector. At postea calamitatibus pręssus, Moysem & Aaronem rogabat vt pro eo ad Deū funderent pręcationes. Mundi prosperitas & vitæ turpitudo, eū ad id dementiæ perducebant, vt Deum ipsum negaret & creatorē suū non cognosceret nedum vt eum inuocaret. Quæ poterat maior excogitari stultitia? De huiusmodi ignorantibus ait diuinus Psaltes: dixit insipiens in corde suo non est Deus. Et licet Chrysosto. Hoc de Saule dictum esse existimet, quod reiecto Deo consuluerit Pythonissam, & Arnobius hoc de illis intelligēdum putet, qui Christum ob carnis humilitatem & formam serui contempserunt, & Deum esse negarunt, existimo tamen diuinum vatē in genere hoc dixisse de omnibꝰ his, qui vitiositate deprauati, & stultitia ducti, diuinam prouidentiam negarunt. Pro, insipiente, est in Hebraico Nabal, quod nomen significat non quencunque insipiētem, sed stultum malitiosum. Hic in cordis penetralibus statuit non esse Deum, qui mortalia curaret. Huius pestilentis opinionis omnia iura diuina & humana peruertentis originem esse existimo opū affluentiam, & morum corruptelam. Nā qui inflantur ob diuitiarum possessionē, qui pascuntur furijs, qui inflammantur libidinum facibus, qui torquentur inuidia, qui ob diuitias & potentiam & spem impunitatis alia huiusmodi scelera concipiunt, quibus se coinquinant & contaminant, hi, ad id deueniunt insaniæ, vt sit ex eorum animis Dei cognitio, & memoria deleta, & penitus euulsa. Sed cum calamitatum pręmuntur angustijs, conuertuntur ad Deum aliquando, eum tormentis cognoscentes, quem in delicijs negauerunt.

Deus in tribulationibus inuocandus. Psa. 45. b
Psa. 31.
Psa. 33.
Ioan. 16.
D. Augu.
D. Hiero.
Prosperitas in causa esse solet vt Dei simus immemores.
Exod. 5.
Exod. 8. & 9. & 10.
Psa. 13.
Chryso.
Arnobius.

Psa. 82. Esai. 26.

runt. Ideo canebat diuinus Psaltes: Imple facies eorum ignominia: & quærent nomen tuum Domine. Et Esaias, cum feceris, inquit, iudicia tua in terra, iustitiã discent habitatores orbis. Et paulo post: Domine in angustia quæsierunt te. Aspice quam vtilis sit afflictio, quę excitat ad cognoscendum & quærendum Deum, quem in prosperitate nec quærebas, nec cognoscebas, quin potius in erroribus intolerabilibus versabaris. Ecce hi leprosi afflicti agnouerunt morbum suũ: & ideo non accedunt propius, sed procul stantes, voce sublata clamant Domino: Iesu præceptor miserere nostri. Ecce quęrunt illum & inuocant, quẽ in salute nec quęrebant nec agnoscebant. ¶ Obserua præterea nouem istorum esse fideles, hoc est, Iudæos: decimum verò infidelem, hoc est, Samaritanum. At Iudæi & Samaritani nullum habebant commertium: nefas enim esse ducebant Iudæi si quid haberent consuetudinis cum Samaritanis: eã ob causam aiebat mulier illa Samaritana Christo, quomodo tu Iudæus cum sis, bibere à me petis: cum sim mulier Samaritana? Ac si dicat: qui fit, vt tu Iudæus cum sis, quemadmodum è sermone cultuque conijcio, præter Iudęorum morem, à me muliere Samaritana poscas potum, cum soleatis vos Iudæi à commertio Samaritanorum abhorrere? Vnde addit Euangelista non enim coutuntur Iudæi Samaritanis. Quando hæc ita erant, quid, rogo, fuit in causa vt nouem isti leprosi non abhorrerent à consortio & societate atque consuetudine leprosi Samaritani? Nempe afflictio communis, morbus, paupertas. Nihil enim sic connectit extraneos quam paupertas communis, labor & dolor, mundi aduersitas: contra vero nihil sic homines disiungit & à consortio, amicitia & commertio separat quam prosperitas. Hæc vt diximꝰ paulo ante Dei obliuiscitur: hæc seiungit patrem à filijs, fratrem à fratre. Illa verò non solum in causa est vt Deum imploremus, sed vt proximum diligamus: conciliat peregrinos, alienigenas amicos efficit, expensas cõmunes facit, illa, inquam, omnia bona facit communia. At prosperitas & bonorum

Ioan. 4.

Afflictio communis connectit extraneos, prosperitas separat etiam amicos & fratres.

A affluentia, iurgia inter fratres excitat, bona dissipat, inimicitias parat. Quod in vno Abrahamo & Loth videre facile est. Sic enim ait scriptura sacra de illis loquens: nec poterat eos capere terra, vt habitarent simul, erat enim substantia eorũ multa, & nequibant habitare communiter: vnde facta est rixa inter pastores Abraham & Loth. Diuisiq; sunt alterutrũ à fratre suo. Quanta vero mala subsecuta sunt sancto Loth ex hac separatione, omnibus compertum est, omnia namq; eius bona combusta sunt in Sodoma, atque

Gen. 13.

B ebrius cum filiabus suis dormiuit, &c. Fœlix & beata paupertas quæ pauperes connectit, comungit, conciliat, ditat. Hec in causa fuit vt sociaret duos illos leprosos atque tandem ditaret quos. 4. Reg. c. 7. sacra refert historia. Hec, hos Iudæos & Samaritanum conciliauit atque occurrere fecit Christo domino. Diligamus igitur paupertatem & afflictionem quãdo multa bona pariter nobis veniunt cum illis. Non enim solum parãt amicos, atque habitare faciunt in vnum: sed quod his omnibus est præstantius & excellẽtius, Deũ

4. Reg. 7.

C adiutorem habent. At diuitiarum abundantia amicitias dissoluit & Dei penitus immemores reddit. Idcirco Salomon petebat: diuitias ne dederis mihi, ne forte saciatus illiciar ad negãdum & dicam: quis est Dominus? Paupertas fecit vt Iacob amaret Labam, & tot annis ei libenter seruiret: at diues factus fugit ab eo atque secum adduxit filias eius. Si ergo diuitiæ tot mala secum afferre solent, quid tanto pere desiderantur? Quid bona & non potius mala vocantur? ¶ Deinde perpende quod antequam esset ingressus vicum

Prou. 30. b.

D illum occurrerunt ei hi viri leprosi, & sanati sunt. Si enim expectarent donec penitus esset ingressus, minime curarentur. Sic peccatores occurramus ouiam sponso aptatis lampadibus, antequam ingrediatur, ac fores claudat: nã illo ingresso, quanuis clamemus cum fatuis virginibꝰ & dicamus: domine domine aperi nobis, non exaudiemur: imò audiemus: amẽ dico vobis nescio vos. Ante sepulturæ ingressum vngendus est Christus vnguento pretioso pœnitentiæ. Nam si illum vngens

Peccatores leprosi debent occurrere Christo antequam ingrediatur & fores claudat. Matth. 25.

gendum post sepulturam quæras cū Magdalena, iam suscitatum inuenies: & nihil proderit vnguentum. Me, inquit, oportet operari opera Dei donec dies est: venit nox quando nemo possit operari. Antequam veniat nox mortis, debemus ei occurrere & misericordiam eius postulare, lachrymas salutares fundere, ad eū clamare: eum, dum viuit in hoc mundo nobiscum, vnguento pœnitentiæ vngere: ante huius solis occasum dicamus Iesu præceptor miserere nostri: nam si semel ingressus fuerit nulla spes salutis reliqua esse potest, nullus locus misericordiæ conceditur: si semel anima é corpore migrauerit criminibus ac sceleribus obnoxia, & si sitiat, non solum potum aquæ frigidæ quo extingat ignem, non inueniet: sed neque aquæ guttam qua lingua recreetur. Quod epuloni euangelij contigisse nemo est qui ignoret. Si enim ante mortem stillam misericordiæ postulasset fieret in corde eius fons aquæ salientis in vitam æternam. Sed quod sero resipiscere voluerit, minime exaudiri meruit. Occurramus ergo ei antequam ingrediatur ne post ingressum atque discessum si ad eum redire voluerimus dicat nobis, quod olim sanctus Isaac regi Abimelech ac sotijs eius: quid venistis ad me, hominem quem odistis & expulistis á vobis? Dum tempus habemus contendamus intrare per angustam portam: sic enim admonet apud nostrum Lucam: contendite (inquit) intrare per angustam portam, quia multi dico vobis quærēt intrare & non poterunt. Si enim post obitum ianuam quæsieris minime inuenies: aut si inuenias & intrare contenderis, nullomodo poteris: clauso nimirum aditu. Cum enim intrauerit paterfamilias & clauserit ostium, quod nunc patet omnibus adnitentibus: tunc seró resipiscens agnosces errorem tuū, & inuidens his qui sunt ingressi, incipies obsidere ostium & pulsare fores, & nihil tibi proderit. Audi quid Salomon consulat: ante lāguorem adhibe medicinam, & ante iudicium interroga teipsum, & in conspectu Dei inuenies propitiationem. Post mortē enim inutilis & nullius momēti est omnis medicina. Hoc ergo vt intelligeremus ait Euangelista occurrisse Christo leprosos istos cum ingrederetur vicum. ¶ Animaduerte insuper hos leprosos agnoscētes morbum suum proprius non accessisse, sed procul stetisse. Vt hinc discamus primum agnoscere nos ipsos, agnoscere peccata morbosque animi cōtagiosos & humilitate affecti procul á Christo stare si volumus impetrare quod postulamus. Accessit proprius pharisæus elatus, stetit á longé publicanus humilis & precabatur dicens: Domine propitius esto mihi peccatori. Et ob tantam animi subm[i]ssionem & deiectionem descendit hic iustificatus ab illo. Stetit Magdalena retro secus pedes Domini & meruit audire remittuntur tibi peccata tua. Fœlix virtus humilitatis quam fugientem sequitur Deus, ad quam á longe stantem accedit proprius Deus: hæc iram Dei placat ac sententiam eius mutat. Nonne (ait Dominus Eliæ) uidisti humilitatum Achab coram me? Quia ergo humiliatus est mei causa non inducam malū in diebus eius. Hæc, ad misericordiam Deum prouocat. Quanto enim magis ac magis sese Abraham humiliabat dicens: loquar ad dominum meum cum sim puluis & cinis tanto magis Deum ad parcendum Sodomitis alliciebat: ita vt tandem si inuenirentur decem iusti in medio ciuitatis non deleret illam propter eos, nedum propter quinquaginta aut. 30. aut viginti. Hæc, regnum parat. Parauit enim regnū Sauli. Nam & si altior erat vniuerso populo ab humero & sursum humilior tamen erat omnibus corde & animo. Nonne (inquit Samuel) cú paruulus esses in oculis tuis caput in tribubus Israel factus es? Sed quia in humilitate, qua cæperat, non permansit, regnum amisit: & datum est humili Dauidi: qui iam rex factus ludebat coram arca Domini & dicebat: Ludam & vilior fiam: eroque humilis in oculis meis. Cuius causam præmiserat dicens ludam ante dominum qui elegit me potiusquam patrem tuum. Ob hanc virtutē impetrauit Christus quicquid voluit. Vnde D. Pau de illo loquēs ait exauditus est pro sua reuerentia, hoc est, ob suā profundam

Margin notes: Ioan. 9. — Gen. 26. f. — Supra. 13. e — Eccle. 18. c — Agnoscere peccata oportet si emundari volumus á lepra & humiles esse. — Luc 18. — Supra. 7. — 3. Reg. 21. g — Gen. 18. — 1. Reg. 10. d — 1. Reg. 15. e — 2. Reg. 6. d — Heb. 5. b

in epistola sua canonica, capi. 1. ait: si quis indiget sapientia, postulet a Deo: qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans. Idest, postulet fideliter & cum fiducia non hæsitando de Dei potentia aut de eius misericordia. Quod solent facere qui mole peccatorum maxima sunt pressi minorem putantes Dei misericordiam, quam vt donari sibi venia possit. Sic enim non hæsitarunt de Dei potentia nec de Dei misericordia viri isti leprosi: sed potius clamādo dixerunt: Iesu præceptor miserere nostri, & exauditi sunt.

Iacobi. 1.

¶ *Præceptor.* Nomen præceptoris & magistri propriè Christo conueniebat, sicut nomen Domini. Vos (inquit) vocatis me magister & domine & benè dicitis. Ad hoc enim in mundum venit vt & homines sua omnipotenti virtute & gratia seruaret, & eos de cœlestibus instrueret. Hinc est quod de doctrina sua loquens apud Esaiam pater ait: dedite in lucē gentium vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Et rursum: hic est filius meus dilectus ipsum audite. Et D. Ioan. gratia & veritas per Iesum Christum facta est: ac si diceret: nunc pro seueritate legis Mosaycæ, gratia exhibita est per Iesum Christum, qui per fidem spem & charitatem atque animi dolorem gratis condonat peccata omnia. Pro vmbris exhibita est veritatis lux: cuius ille non solum est præco, verum etiam autor & magister. Vnde quemadmodum nemo bonus nisi solus Deus, nemo sanctus, nemo dominus sic enim canit ecclesia: quoniā tu solus sanctus tu solus dominus: ita nemo propriè magister & præceptor vocandus est nisi Christus, nisi pater eius, nisi Spiritus sanctus. Cæteri namque mundi magistri demulcent sua doctrina hominum tantum aures, eas instruunt ad eas loquuntur: at Christus sua doctrina demulcet, instruit, illuminat erudit atque penetrat cor. Viuus est enim sermo eius & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarū. Quare meritò dicebat ipse suis discipulis: nolite vocari rabbi: vnus est enim magister vester. Ac si diceret: vos mei discipuli nolim pharisæorū esse similes, quin potius memores exempli doctrinæque meæ, fugite cognomen arrogans sapientiæ, neque vobis ipsis placeatis, si quis appellet rabbinos, hoc est, magistros nostros. Vnus est enim in quem verè nomē hoc competit, ei soli debetur laus sapientiæ, ei soli laus doctrinæ. Harum enim si quid est in hominibus, vmbra quędam dumtaxat est, si ad doctrinæ & sapientiæ meæ magnitudinem conferatur, quare si quid honoris tribuunt homines hominibus ob eorum doctrinā mihi potius quā illis debetur, qui nō solum aures sed corda instruo & erudio.

Præceptor & Dominus nomine Christus vocatur. Ioan. 13. Esai. 42. Matth. 3. & 17. Ioan. 1. Heb. 4. Matth. 23. Matth. 23.

¶ *Ite ostendite vos sacerdotibus.* Ideo mittit eos ad sacerdotes vt legem latam pro leprosis seruarent. Leprosus enim qui mundari volebat duos passeres iubebatur offerre, & lignum cedrinū, & vermiculum & hyssopum. Ex quibus passeribus, vnus immolabatur in vase fictili super aquas viuentes, alius autem viuus cū ligno cedrino & cocco & hyssopo tingebatur in sanguine passeris immolati, & hoc aspergebatur septies leprosus, vt iure purgaretur. Hæc omnia in figura peccatoris contingebant illis. Leprosum figuram esse hominis peccatoris in superioribus iam ostendimus. Vnus passerum quos leprosus iubetur offerre Christus Saluator noster est, qui per Prophetam ait: vigilaui & factus sum sicut passer solitarius in tecto. Solitarius, inquam, quia torcular calcauit solus, qui & sustinens qui simul cum eo contristaretur non inuenit. Hic est ille passer qui inuenit sibi domum: quoniam Christus qui in hoc mundo non habuerat vbi caput reclinaret: ascendens in cœlum inuenit ibi domum. In qua deinceps firma statione maneret. Huic passeri alius iungitur, cum homo aliquis Christo se assotiat, vt illius vitam imitetur. Nam humilitas siue paupertas sanctorum per passerem designatur in Psalmo: in quo de cedris, idest, potestatibus seculi quas Deus in Ecclesia plantauit Dauid loquens ait: illic passeres nidificabunt: quia scilicet pauperes Christi à diuitibus huius mundi necessa

Leprosi oblatio ostēditur. Leui. 14. Figura. Explicatur exactè. Psal. 101. Esai. 63. Psal. 68. Psal. 83. Luc. 9. Psal. 103.

ria vitæ percipiunt. Hyssopus cũ sit herba quæ pulmonis inflationi, vt medici asserunt, medetur, fidem viuam significat, quæ (iuxta Petri testimonium) purificat corda hominum. Cedrus quæ ad alta se tollit, spem designat, quæ non terrena, & transitoria, sed cœlestia & perpetua nobis repromittit. Vermiculus denique, qui instar ignis flammescit charitatẽ denotat; quæ iustos in Dei amore facit ardentes. Ex his duobus passeribus; vnum offert leprosus cũ peccator credit Christum Redemptorem nostrum pro nobis in cruce immolatũ. Is enim vere immolat Christum: qui illum pro nobis immolatum esse firmiter credit. Sed quod passer iste in vase fictili immolari præcipitur hoc significat: quod Christum in solo corpore (quod propter fragilitatẽ vas fictile merito dici potest) immolatũ fuisse credendum est. Quod autem super aquas viuentes passer immolari præcipitur, huc tendit: vt iuxta scripturarum autoritatem, Christus passus esse credatur. Nam aquæ viuentes sacræ sunt scripturæ, quoniam (vt Christus ait) verba quæ ego loquor vobis: spiritꝰ & vita sunt. Super aquas ergo viuẽtes passio Christi cõsumata est: quoniam prænũtiationi propheticæ, rerũ exhibitio superaddita est: hoc effectus ostendit, quod sermo prædixit. Et ita factum esse idem Christus ex mortuis resurgens comprobauit: cũ discipulos euntes in Emaus alloquens & aperiens illis sensus vt intelligerent scripturas, dixit: sic scriptum est, & sic oportebat pati Christum, & tertia die resurgere à mortuis. Passer itaque Christꝰ super aquas viuentes immolatus est: quia iuxta id, quod de eo lex & Prophetæ prædixerãt Christus Saluator noster in ara crucis pro nobis oblatus est. In huius passeris immolati sanguine viuus passer tingitur: quia per Christi mortẽ vniuscuiusq; fidelis anima ad vitam resurgit: & eo moriente spes nobis redditur æternæ vitæ. Nec solus passer tingi iubetur, sed cum hyssopo & ligno cedrino & cocco: ita vt eorum quodlibet etiam sanguine passeris immolati tingatur. Tingitur hyssopꝰ, cum fides nostra in mysterijs dominicæ passionis informatur. Tingitur lignum cedrinum cum omnis spes nostra in Redẽptoris nostri sanguine radicatur. Tingitur coccus cum ex recordatione acerbissimæ illius passionis illum totis visceribus ardentissimè amamus. In sanguine ergo passeris immolati simul cũ vno passere: hyssopus lignum cedrinum & coccus tingitur, cum de morte Redemptoris fides nostra firmatur: spes per illam roboratur, charitas ardẽtior efficitur. Hoc sanguine septies aspergi iubetur qui immundus est, vt sic iure purificetur. Septenarius numerus septiformẽ Spiritus sancti gratiam significat. Septies aspergi iubetur vt remissio peccatorũ Spiritui sancto consecrata esse credatur. In cuius signum postquam Dominus discipulis suis dixerat, accipite Spiritum sanctum: continuò subiecit. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis. Quo verborum ordine innuit Apostolis, non potuisse hanc potestatem remittendi peccata habere, nisi prius virtutem Spiritus sancti accepissent. Homo igitur qui immundus fuerit, sanguine passeris immolati septies aspergitur: quia quisquis leprà spirituali fuerit infectꝰ sine Christi sanguine à peccatis suis non poterit purificari. Nullus enim peccator iure purificari poterit nisi sanguine passeris huius fuerit aspersus. Hic est enim agnus Dei qui solus tollit peccata mundi. Hic est, quẽ (vt ait Paulus) proposuit Deus propiciatorem per fidem in sanguine ipsius. Neque est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Sanguine ergo passeris mortui aspergitur leprosus vt iure mundetur, quia sanguine Christi pro nobis in cruce immolati mundatur omnis peccator. O sanctitas, ò potentia sanguinis huius, ò beatus sanguis cuius aspersione lepra nostra mundatur: cuius precio, qui captiuus tenebatur liber dimittitur: cuius denique tactu mortui suscitantur. Dauid qui se peccati leprà infectum agnoscebat, vt iure purificetur: hyssopo, hoc sanguine tincto, se aspergi petit dicens: asperges me Domine hyssopo & mundabor: lauabis me & super niuem dealbabor. Asperges me hyssopo profundissimæ

Actor. 15. Ioan. 14. Luc. 24. Ioan. 20. Ioan. 1. Rom. 3. Actor. 4. Psal. 50.

simæ humilitatis filij tui vt deinceps nõ intumescam superbia. Laua me sanguine Iesu Christi filij tui, in quo omnium peccatorum maculas scio facilimè posse mũdari. Omnes enim sancti lauerunt stollas suas in sanguine agni. Quod autem hoc sanguine tinctum super niuẽ dealbatur. Laua ergo me hoc sanguine vt sic mũd9 & super niuem dealbatus possim intra castra tua & intra muros ciuitatis tuæ Hierusalem recipi per merita Iesu Christi filij tui. Nos ergo lepra peccatorum infecti si mundati volumus eamus ad Ecclesię sacerdotes vt sanguine Christi in sacramento pœnitentię, contẽto, aspergamur. Id enim significare volens Dñs ait viris istis leprosis: ite ostẽdite vos sacerdotib9. Sed vt hæc tã de hæreticis quos leprosos esse docebamus quã de cæteris omnibus peccatorib9 explicem9 audi quę sequũtur.

Apoc. 2.

Castro ho. 22. in Psal. 50.

¶ *Ite ostendite vos sacerdotibus*. D. Augus. lib. 2. quæstionũ euangeliorũ per lepram esse intelligendam falsam doctrinã docet. Quẽ in superioribus adduximus. Sacerdotiũ vero Iudæorũ nemo (inquit idẽ Augu.) ferè fideliũ dubitat figurã fuisse futuri sacerdotij regalis quod est in Ecclesia, quo consecrantur omnes pertinentes ad corpus Christi, summi & veri principis sacerdotũ. Nã nunc & omnes vngũtur, quod tũc regibus tãtũ ac sacerdotib9 fiebat. Si ergo quæras quid insinuet dñs mittendo leprosos istos ad sacerdotes, nimirũ velle hæreticos aut infideles doceri & instrui in vera doctrina à sacerdotibus ac primorib9 ecclesiæ. Cætera nãq; vitia (ait August.) tanquã valetudinis, & quasi mẽbrorũ animę, atq; sensuũ, per seipsum interius & cõscientia & intellectu Dñs sanat & corrigit: doctrina verò vel imbuẽdi per sacramenta, vel catechizandi per sermonẽ sanantẽ atq; lectionem vbi color quidam intelligitur verus atq; sincerus, quia in prõptu est & foris eminentissimus. Non enim in occultis cogitationibus, sed & in manifestis operationibus hæc quæ aguntur proprie contributa sunt. Itaque & Paulus voce Domini audita, quid me persequeris? Et ego sum Iesus quem tu persequeris: ad Ananiam tamen missus est, vt illo sacerdotio quod in

Augu. lib. 2. quæstio euange. q. 40.

Mittũtur leprosi sacerdotib9 vt intelligantur dñs hæreticos, & infideles instruendos esse a sacerdotibus in vera doctrina.

Acto. 9.

A Ecclesia constitutum est, sacramentum doctrinæ fidei perciperet, & verus eius approbaretur color, non quia non potest per seipsum Dñs omnia facere, nam quis alius hæc facit etiam in Ecclesia? Sed vt ipsa societas congregatorũ fideliũ, approbando inuicem, atque cõmunicãdo veræ fidei doctrinã in omnibus quæ dicuntur verbis, vel signantur sacramentis, tanquã vnam speciem veri coloris abducat. Ad hoc etiam pertinet quod idem dicit Apostolus. Deinde post annos quatuordecim ascendi Hierosolymam, cum Barnaba assumpto & Tito. Ascendi autem secundum reuelationem, & exposui cum eis Euãgelium, quod prædico gẽtibus. Seor sum autẽ his, qui videbãtur esse aliquid, ne forte in vacuum curro aut cucurri. Et paulo post: cum cognouissent, inquit, gratiam quæ data est mihi, Iacobus, Petrus, & Ioannes, qui videbãtur columnæ esse, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ societatis. Ipsa enim collatio vnã doctrinæ speciem exclusa omni varietate monstrabat, quod salubriter etiã Corinthios monet dicẽs: obsecro autem vos fratres per nomen Dñi nostri Iesu Christi: vt id ipsum dicatis omnes. Cornelius etiã cũ eleemosynæ eius acceptæ & preces eius auditę, illi ab angelo nuntiarentur: propter doctrinę tamen sacramentorumque vnitatem, ad Petrũ iubetur mittere: tanquã illi & suis diceretur, ite ostendite vos sacerdotibus. Nam & cum irent mundati sunt. Iam enim ad eos venerat Petrus, sed tamen ipsi nondum accepto baptismatis sacramento, nondum spiritualiter ad sacerdotes peruenerunt: & tamen infusione Spiritus sancti, & admiratione linguarum, eorum mundatio declarata est. Hæc Augusti. ¶ *Ite ostendite vos sacerdotibus*. Si per leprosos intelligamus peccatores omnes, necesse habẽt adire sacerdotes ecclesiæ vt in sacramento pœnitẽtiæ ab animi lepra mũdẽtur. Hac. n. figura mysticè ostẽditur necessitas cõfessionis faciẽdæ sacerdotibus ecclesiæ. Talis autẽ necessitas satis superque declarata est illis verbis à dño prolatis apud Io. c. 2. accipite (inquit Apostolis) Spiritũ sanctũ, quorũ remiseritis peccata remissa erũt: & quorũ retinuetitis

Gala. 2.

B

1. Cor. 1.

C

D

Necessitas confessionis ostenditur.

Ioan. 20.

D. Chrys. lib. 3. de sacerdotio.

ritis retenta erũt. In quæ verba D. Chry. ait: quid ipsum, inquit, hoc aliud esse dicas, nisi omnium rerum cœlestium potestatem illis a Deo concessam? Quorum enim, ait, peccata remiseritis remittũtur, &c. Pater omnifariam filio potestatẽ dedit. Cæterum video ipsam eandem omnifariam potestatem à filio illis traditam. Hinc ergo planum colligitur argumentũ, quod & illic fuerit instituta confessio & animi lepræ manifestatio, & tanquam necessaria. Nã plenariã Deus potestatem impertitus est sacerdotibus remittẽdi & retinẽdi peccata: iudices ergo rei huius cõstituit: atq; adeo huius iudiciũ & sententiã necessariã esse voluit viã ad salutẽ: iudicare autẽ de peccatis rectè nequeũt, nisi illa nouerint: iuxta illud Prouerbiorum. 12. qui iudicat quod nouit, iudex iustitiæ est. Nam aliter non posset pro criminis quantitate pœnam metiri. Præsertim cum sacerdos sic sit iudex vt sit etiam Christi vicarius medicus, atque adeo debeat pro morborum ratione medicinales pœnitentias imponere. nosse vero nequeunt occulta & intima cordis nisi delinquentium confessione & lepræ spiritualis manifestatione, ergo sacramentalis confessio illic est ceu ad salutem necessaria, constituta. Quod vt mente concipias verborum Christi spiritum, accipe exemplum. Quemadmodum cum rex annulum suum tradens prætori ait, accipe sigillum hoc ad iudicandum causas, quorum delicta remiseris, remissa erunt: & quorum ad suppliciũ retinueris, retenta, perinde ac si ego facerem. Sic ergo Christus, qua ratione nos à peccatis redemit, vniuersalis iudex cõstitutus est omnium peccatorum: tam in hoc seculo, quam in futuro. Iuxta illud Ioan. 5. dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Eandem memorans potestatem ait. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: scilicet iudiciaria: sicut misit me viuens pater ego mitto vos, accipite ergo Spiritum sanctum, per quem ego meritorum scelerumque causas iudico, & peccata remitto, & mea prorsus autoritate vt mei vicarij iudices fungimini, conferẽdo gratiam eiusdem Spiritus sancti ad remittẽdum peccata: vel illam impœnitentibus subtrahendo, ita vt sicut nemo nisi iudicio meo potest aut saluus fieri, aut condẽnari, sic qui vestro iudicio fuerit approbatus veniam obtinebit apud patrẽ. ¶ At ne Christi hęc institutio ratione caruisse hæreticis videatur, optima est, quam D. Thomas est meditatus. Cũ enim nemini nisi per Christi mortẽ salus pateat, quem Deus, vt ait ad Ro. 3. Paul. proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius: passio vero nemini, nisi ei applicata prosit, decentissimũ fuit, & religioni necessariũ, sacramenta ab ipso autore salutis nostrę institui, quibus eadẽ passio, tum ad remissionem originalis, tum deinde, ad remissionẽ actualiũ criminũ applicaretur, ad quæ ideo sacramenta suscipienda suã familiã obligaret. Quapropter sicut baptismus est ad originalis lepræ aliorũque peccatorũ ante baptismũ ablutionem necessarius, vt emundemur omnino & regeneremur in nouã vitã: ita & sacramẽtum pœnitentię ad remissionẽ actualium post baptismũ, vt ab eisdem morbis sanemur. ¶ Quod si vrgentius quæras, cur nõ interior animi dolor & contritio ad huiusmodi applicationẽ sine externo sacramento sufficiat: quando quidẽ per ipsum gratia confertur: dicam tibi, quod diuinus honor & vtilitas nostra id exigebat: nẽpe, vt signis istis externis sacramentorũ profiteremur salutẽ, per supernã Dei virtutẽ nobis obuenire, quæ vt ait Grego. in illis secretiꝰ operatur. ¶ Accedit & noua ratio necessitatis cõfessionis ex vtilitate maxima & vsu, qui nobis inde prouenit. Cũ. n. naturę lumine doceamur, eis qui corrupti sunt moribus, magnũ esse emolumẽtũ corda sua amicis patefacere, à quibus vel re vel consilio iuuentur, consultissimẽ nobis Christus cõfessionẽ instituit, quæ sub tãtũ secretũ, quantũ sacerdotibus pręcepit, eis tãquã eiꝰ uicarijs morbos nostros exponeremus, qui eius autoritate & nos ab illis liberarent, & salutaria medicamina ad posterũ adhiberent: disponit enim omnia suauiter iuxta cuiusque naturam & quia homines sumus ẽ re nostra maxime fuit, vt homines Deus nobis iudices relinqueret, ad quos nostras deferremus causas

Marginalia: Pro. 12. — Simile. — Ioan. 5. — Matt. vlt. — S. Tho. d. 17. q. 3. — Rom. 3.

Causas

causas: præsertim spirituales. Hac enim ratione ad alia negocia transigenda Ecclesiæ præfecit tum summum eius vicarium, tum sub ipsum alios prælatos, qui Ecclesiasticam rempublicam administrarent. Fac, confessionem sacramentalem non esse necessariã, sed satis esse soli Deo confiteri, profecto tota republica plena esset occultis vitijs atq; sceleribus, quæ non possent non in publicum prodire: verecundia enim confitendi vehementissimé homines à peruersis moribus arcet.

¶ Preterea obserua non solũ esse necessariã sed Dei præcepto diuinoq; iure mandatã. ¶ Hanc cõfitendi necessitatẽ & obligationẽ ostendere volens. D. Iacobus ait omnibus fidelibus: cõfitemini alterutrũ peccata vestra. Vbi primũ animaduerte noluisse. D. Iacobum instituere hoc sacramentũ dicendo confitemini. Dispẽsator enim erat & non institutor sacramẽtorũ vt Paul. docet. 1. Cor. 4. sed id admonere voluit quod Christus Ioã. 20. instituerat. Præmiserat enim similiter dicens: nolite iurare neq; per cœlũ, neque per terrã. Et tamen id nõ dicebat tanquã præcepti autor sed tanquam vel promulgator vel admonitor mandati diuini. Quod ergo Iacobus admonet signũ est diuini præcepti. Quod autẽ ait alterutrũ, scitẽ interpretatur Vgo. Etenim cũ Apostolus præmonuerat induci præsbyteros, hoc est, sacerdotes Ecclesiæ, illic insinuauerat confessionẽ illis esse faciendam. Ait autẽ, alterutrũ. i. alter alteri puta, homo homini, ac si dixisset, non satis est hominẽ Deo confiteri, vt Dauid, qui aiebat. Dixi cõfitebor in iustitiam meã Dño, sed homini etiã propter Deum. Itaque alterutrũ, non id sonat, quod vnusquisq; promiscuẽ vnicuique puta, laicus laico, sed alterutrũ idem est, quod inter vos. s. homines hominibus, omnes pastoribus, subiecti prælatis. Præterquã quod & sacerdotes sacerdotibꝰ inuicẽ confitentur. Qua propter quod ait: & si in peccato sit remittetur ei, non solũ refertur ad præsbyterorũ orationẽ, qui orabant pro infirmo, quasi illa sola sit futura remissionis causa, sed ad absolutionem sacramentalẽ, quæ orationẽ præcedere debet. Et ideo subdit. Cõfitemini alterutrũ peccata vestra, & orate pro inuicẽ vt saluemini. Non solũ orate, vt saluemini: sed cõfitemini vt saluemini. Quare hoc potissimũ loco fundatur necessitas confessionis in mortis articulo. Accedit in eãdem sententiã D. Augu. lib. 2. de visitatio. infirmo. c. 4. vbi cõtra illos qui existimabãt satis esse Deo confiteri, hunc locũ adducit, quod. s. necessariũ sit confiteri alterutrũ: puta homines hominibus, nõ quibuslibet, sed accersitis præsbyteris. ¶ Huius præcepti figurã ostendere volens hodie Dñs ait viris illis leprosis: ite ostẽdite vos sacerdotibus. Hæc deniq; duo, & quod cõfessio sit necessaria, & iure diuino præcepta, multis in locis ab ecclesia sũt definita: Ac demũ in conci. Triden. sessio. 4. sub Iulio. c. 5. decretũ fuit integrã peccatorũ confesionem à Dño fuisse institutam, & post baptismũ lapsis iure diuino necessariã existere. ¶ Et quanuis hæc vera sint, tamen ecclesiæ arbitrio & prudẽtiæ relictũ est assignare tẽpus, quo fideles lepra peccatorum infecti teneantur ostẽdere se sacerdotibus. Nã cum in euangelio non sit determinatũ expressum tẽpus confessionis, illa determinatio commissa est Ecclesiæ. Quæ determinatio ponitur. c. omnis vtriusq; sexus de pœnitentijs & remissionibus. Præceptũ ergo humanũ habemus quo ad tẽpus. Diuinũ verò quo ad cõfessionẽ. Munus enim principis est ciues ad necessaria salutis officia legibus instituere: ergo si, vt probatũ est sacramentũ pœnitentiæ est iure diuino ad salutẽ necessariũ, fit vt de illo eodẽ iure sit singulare præceptũ. Eodẽ enim modo de baptismo argumentari solemus. Si enim ille est, vt vere est, necessarius ad salutẽ prudentis principis fuit de illo singularẽ legẽ stabilire. ¶ Scio hæreticos cauillari posse, quod licet testimonia & argumenta prædicta vim habeãt necessitatẽ cõfessionis cõcludẽdi, nõ tamẽ clacularię illius, quæ fit in aures sacerdotis. Quibꝰ nos tamẽ respõdemus quod impresentiarũ hãc nos tãdem conclusionem elicere contẽdimus, quod confessio, quæ fit sacerdotibus sit necessaria. Conditio autem illa, quod in secreto fiat aut in publico clam aut palam, non est de eius essentia, tametsi, vt confessionis

Iacob. 5.

explicatur locus Iaco.

1. Cor. 4.

Vgo lib. 2. de sacra. pa. 14 c. 1

Psa. 31.

D. August.

Conc. Trid.

nis

nis religio omnium occultorum criminũ duret in ecclesia necessarium sit, vt secrete fiat, atque adeo fit vt eius secretũ & pœnitenti congruat, & sacerdoti confessionem audienti sit necessarium non solum ex iure pótificio sed ex diuino colligitur. Legẽ enim naturæ lex gratiç nõ destruit, sed perficit: lex autem naturæ docet, & admonet, ne occulta verẽdaque crimina in publicum nisi via iuris ad eorum vindictam proferantur, lex autem gratiæ diuina iubet omnia peccata etiam occulta cõfiteri: inde ergo colligitur cõfessionẽ, secretam esse debere, alioqui renuente natura aut homines non possent, aut nõ nisi violentissimẽ possent ad cõfessionem adduci: cũ tamen diuina prouidentia iuxta cuiusq; naturá & ingenium suauiter omnia disponat. Igitur cũ hæretici nos interrogando vrgent, vbi secrata confessio in euangelio reperiatur instituta, satis nobis est respondere in euangelio collatas esse ecclesiæ claues, & potestatẽ remittẽdi omnia peccata, quæ Deꝰ remittit: omnia ergo etiá occultissima cordis, & hoc nõ nisi per iudiciũ, quod causæ cognitionẽ requirit, & eius naturæ est ne occulta in publicũ proferantur: ergo in euangelio est secreta confessio instituta. Et quod id nõ sit solũ de iure positiuo cõfirmatur: ná si hoc esset verũ, posset nunc Ecclesia præcipere, vt occultorũ confessio in publico fieret, quod profecto falsum est: ná licet hoc non esset materiá omnino confessionis mutare, esset tamen sic eius modũ variare vt fieret intolerabilis. ¶ Huius tamen confessionis sacramentalis necessitas non est de iure naturæ, hoc est, sola natura eá docente ac dictante. Ius enim naturç, vt nomen sonat, minime ad supernaturalia extenditur: sacramenta verò euangelica sunt supernaturalia, tũ, quod sint protestationes supernaturalis fidei, tũ, quod effectũ habent supernaturalis gratiæ: dictamen ergo naturalis iuris docere non sufficit confitendũ esse sacerdoti spe veniæ obtinendæ. Adde his, quod naturale ius, vt Cicero docet, est illud quod nõ opinio ingenuit, sed naturalis quædá vis inseruit: nẽpe ex principijs naturç: sacramentorũ verò cognitionẽ, & iussionẽ non innata, sed diuina virtus nobis inseruit: igitur vt miraculorũ operatio, & mysteriorũ cœlestiũ reuelatio, sic & sacramẽtorũ institutio res supernaturalis est. Sed ais. De iure naturæ est nullum malũ manere impunitum, occultum tamen puniri non potest nisi confessione delinquentis probetur, ergo confessio est de iure naturç. Hęc sané collectio nulliꝰ est momẽti: cum satis sit quod occultum quod nõ punitur in hoc seculo, puniatur á Deo. Vt habetur. c. si omnia. 6. q. 1. Si rursum dicas: pœnitentia fundamentũ habet á iure naturæ, ergo & confessio, quæ est pars eius. Etiam collectio non est certa. Siquidẽ in iure naturç supposita illa scintilla fidei infusæ, quæ tunc hominibus cælitus infundebatur, qua Deus cognoscebatur retributor boni & mali, natura dictabat ab illo esse veniá efflagitandá, per internã verò mentis loquelá: sciebant enim Deum mentis cogitationes perspicere.

¶ Quanuis autẽ confessionis necessitas de iure naturæ non sit, non est tamen cõtra ius naturæ. Imò vero quáuis naturalis ratio ad eius notitiá non pertingat, supposita tamen per fidẽ cognitione virtutis huius sacramentalis, instinctus naturalis ad illud suscipiendũ instigat. Naturale enim est vt homo desideret á peccato liberari, & morbis suis spiritualibus mederi. Quare si naturale nobis est vt fido amico nostra secreta pandamus iuxta illud Eccles. 6. consiliarius sit tibi vnus ex mille: multo magis est rationi consentaneũ, vt vbi cum tanto secreto & fructu, id possumus, faciamus. ¶ *Ite ostendite vos sacerdotibꝰ.* His verbis præterea significare vult Dñs oẽs christi fideles teneri ad omnia crimina mortifera post baptisma, aut ore, aut corde, aut opere cõmissa: sacerdoti patefacere. Omnẽ náq; leprá viri leprosi ostendebát sacerdoti. Lege cõciliũ Florentinũ & ibi definitũ inuenies ad confessionẽ pertinere vt peccator omnia peccata, quorũ memoriá habet suo sacerdoti confiteatur integrẽ. Dixerim mortifera peccata, quoniá vt venialia de cõfessionis necessitate non sunt: ita quisque nostrum poterit eorum aliqua commissa fateri, aliaque tacitus præterire. Neque enim ideo cõfessio

Necessitas confessionis non est de iure naturæ.

Non est cõtra ius naturæ.

Eccle. 6.

Confessio omniũ peccatorum est mortaliũ necessaria.

Con. Flo.

ficta redditur, nec dimidiata) quod verò hæc ita sint vel ex illo testimonio Ioã. c. 20. probari potest. Quorũ, inquit, remiseritis peccata, remissa erũt, &c. Illic enim absq; vlla restrictione potestas est Apostolis concessa remittẽdi peccata: ergo remittẽdi omnia. Et cũ illa remittere minime possint, nisi tãquã iudices, neq; de illis iudicare, nisi peccata & eorũ causas per clauẽ scientiæ cognoscant, fit vt totã suã familiam Christus dñs constrinxerit illis confiteri peccata mortalia etiã cordis occultissima. Nam cũ de operibus ex causis sit discernendũ ac iudicandum: & opera, vt Dñs ait, exeant ex corde, radices etiam peccatorum illic latentes sunt sacerdoti aperiendæ. ¶ Præterea quemadmodum Deus, nequit vllum mortale absq; omnibus cõdonare nec remittere: quod remissio fiat per gratiam & eius diuinam amicitiam: ita nec sacerdotes eius vice & munere fungentes possunt nisi omnia simul remittere. Quare non ait: quæ remiseritis erunt remissa, & quæ retinueritis retenta: quasi eiusdem personę aliqua remittant, & aliqua non: sed quorum remiseritis. i. quem iudicaueritis venia dignũ in totũ absoluite. Alioqui in totũ ligate. Et hoc significat forma: absoluere autem vel ligare neminẽ possunt nisi de illo iudicando: pœnitens igitur qui omniũ veniã & cõdonationẽ petit omnia tenetur sacerdotis iudicio exponere. Nõ enim satis erat vt leprosus partẽ vnam corporis mundã esse ostenderet sed de omni lepra corporis totius sacerdos iudicabat. ¶ Adde his, nam sacramentalis confessio in eo differt à iudiciali & criminali, quod iudex in foro externo minime intendit nisi malefactorũ vindictã & punitionem, & ideo cõfessionẽ nõ requirit nisi illius criminis, de quo suppliciũ sumere vult: confessionis verò sacramentalis finis & scopus est recõciliare amicitiã Dei, & hominẽ emendare ac corrigere: hoc autẽ minime fieri potest, nisi pœnitens statũ, cõditionẽ, omnẽ vitãq; suam, male actã qualis fuerit sacerdoti pandat. Id quod nisi omnia peccata etiam cordis intima aperiat perficere nequit. ¶ *Ite ostendite vos sacerdotibus.* Obserua quod ait: ite ostendite vos ipsos sacerdoti: ex quo colliges cõfessionẽ fieri non debere aut per nuntiũ aut per literas. Est enim confessio actus personalis, quo homo præsenti sacerdoti loquitur, & cui præsens emundãdus aut iudicandus est mundũ eũ esse à lepra. Quapropter licet ab excõmunicatione, ab alijsque censuris per literas possit homo à Pontifice Maximo petere absolutionẽ & eã obtinere: tamen absolutionẽ sacramẽtalẽ peccatorũ nõ nisi præsens per absolutionẽ. ¶ Accedit & alia ratio, quod confessio talis esse debet, per quam sacerdos certus fiat, talia peccata pœnitentẽ fecisse: quin etiã per quã possit eũ cõuincere: confessio autẽ per literas non est huiusmodi: nã sacerdos non est certus an literę illę ad eum missæ sint veræ an verò fictæ: imò posset postea pœnitens suas esse negare. ¶ Adde quod quando eũ per rescriptũ absolueret, fortasse iam tunc pœnitẽs mutauit sententiã, ita vt absolutione indignus esset, & fortasse esset vita defunctus. Sentẽtia est canonis, quẽ pœnitet. d. 1. de pœnit. vbi exẽplo eorũ qui à lepra curati iussi à Christo sunt ostendere se sacerdotibus, docetur corporali præsentia confitenda esse sacerdoti peccata, nõ per nũtiũ, nõ per scriptũ aut epistolã sed facie ad faciẽ. ¶ *Ite ostendite vos.* Nõ alios: vestra peccata, lepramq; vestrã non alienã. Non enim instituta est cõfessio vt aliorũ peccata ostẽderemus sed vt nostris mederemur. Atq; adeo hæc vera sunt vt existimarent aliqui nõ teneri nos ad confitẽdũ circunstantiã aggrauantẽ peccata nostra cũ iactura non solũ maxima sed mediocri cõplicis de qua re satis superq; disputant Doctores scholastici. ¶ *Ostendite vos sacerdotibus.* Hinc colliges etiam, solos sacerdotes esse ministros sacramenti pœnitentię. Nã sacramentũ hoc pœnitẽtiæ iudiciũ quodã est, quo homines virtute clauiũ ad regnũ cœlorũ admittuntur, aut inde excluduntur: eiusmodi autẽ claues eius Apostolis ac subinde eorũ successoribus sacerdotibus collatæ sunt: soli igitur illi ministri sunt. Matthæi enim decimosexto Petro singulariter dictum est. Tibi dabo claues regni cœlorum. Quodcunque solueris, &c. Et. capit. 18.

Margin notes: Ioan. 20. — Confessio non est facienda per literas aut per nũtiũ. — Aliorum peccata nõ sunt in cõfessione dicenda sed propria. — Confessionis solus sacerdos est minister. — Matth. 16. & 18.

Apostolis eadé sunt repetita verba, quęcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo, &c. Et Ioan. 20. quorũ remiseritis peccata remissa erunt, &c. ¶ Accedit cõgruẽtissima ratio. Gratia enim quę per sacramenta confertur, à Christi capite deriuatur, qui in sua passione autor eius fuit, illamq; meritus est. Condecens igitur fuit vt soli illi, qui potestaté habét in corpus Christi verũ, ministri essent sacramentorũ, per quæ eadem gratia deriuatur in corpus mysticũ: illi autem sunt soli sacerdotes, quales fuerunt Apostoli in cœna ordinati ad idé corpus consecrãdũ: illi ergo soli, sacramentorũ sunt ministri, iuxta verbũ D. Pauli. 1. Cor. 4. sic nos existimet homo vt ministros Christi, &c. Et potissimũ sacramenti pœnitentiæ, per quod homines idonei fiunt ad suscipiendũ idem corpus Christi verũ in Eucharistia. ¶ Et quò hæreticorũ fallacias detegamus, addamus secundã rationẽ. Christus dñs instituit singulariter sacramẽta, quæ instrumenta essent suæ in nos deriuandæ gratiæ: igitur & singulares peculiaresq; ministros. Dum enim in republica ciuili iudicia sunt cõstituta publica, subsequenter & ministri sunt instituti, quibus solis illa administratio incũbat: vt videre est in regibus, cõsulibus, prætoribus, & in cũctis iudicantibus. Multo ergo est efficatior ratio, vt diuina sapientia sacramẽtorũ administrationẽ, quib9 suam gratiam hominibus impartitur, non quibuscũq; permitteret, sed selectis ministris, & ad id muneris à se creatis committeret, quales sunt sacerdotes. Iuxta verbum D. Paul. in episto. ad Ephe. c. 4. dedit quidem quosdam Apostolos, alios Prophetas, alios autem pastores, quo nomine intelliguntur prælati. ¶ Hinc colliges in nullo prorsus euẽtu necesse esse homini laico animi lepram per confessionẽ ostendere. Cum enim homo prophanus clauium potestatem non habeat, certissimum est vt nemini nem ab animi lepra sacramentaliter absoluere possit, neq; de illa iudicare. Alio qui in canone omnis vtriusq; sexus huius confessionis aliqua mentio fieret: cum tamen solũ dicatur vt vnusquisq; proprio sacerdoti confiteatur. ¶ Neq; ad opposi-

Ioan. 20.

S. Tho. d. 17 q. 3. ar. 5.

D. Paul.

Ephe. 4.

Laico non est confessio faciẽda necessario.

A tã sententiã probandã cogit ratio illa doctorũ ex similitudine baptismi sumpta. Nam baptismus est sacramentũ simpliciter necessitatis, potissimũ infantulis, qui bus ante vsum rationis nulla reliqua patet salutis via, quam per ipsum, & ideo à Deo prouisum est, vt in extrema necessitate à laico prophanoque homine sacramentũ illud cõcedi possit. Cũ igitur pœnitentiæ sacramentũ, non cõpetat nisi adultis vsumq; rationis habentibus, qui bus tunc cõtritio sufficit, & quanuis non B sint nisi attriti, nequeãt per confessionẽ laico factã fieri contriti, non est efficax si militudinis ratio, vt homo prophanus in necessitate perinde fiat pœnitentiæ minister, sicut & baptismi. Si autẽ cõtingat vt tunc tẽporis quis laico leprã suã spiritualẽ ostendat, peccataq; cõtritus fratri suo narret, acceptat profectò Deus suũ desideriũ, suãq; confitendi proprio sacerdoti voluntatẽ: quanuis ibi sacramentũ nõ efficiatur. Præterea erubescentia confitẽdi & cordis abiectio & humilitas, meritũ C illi addent: poteritq; tunc salutare consiliũ capere, medicamentũq; suis curandis animi morbis. Minime tamẽ poterit vir ille pœnitenti sacramentalẽ pœnitentiã imponere: cũ minister nõ sit huius sacramenti bene tamen cõfitenti cõsulere, vt hanc vel illam pœnitentiam exequatur. ¶ *Ostẽdite vos sacerdotibus.* Impij ac scelerati erant Iudæorũ sacerdotes & tamẽ ad illos mittũtur viri isti leprosi. Vt hinc intelligam9 sacerdotes etiã impios & sceleratos absoluere posse à peccatis. Imò generaliter loquendo, Ecclesiæ ministri etiam si pessimis moribus sint præditi sa D cramenta conferre possunt ita vt teneat factum. Quam sententiam inter alios docet D. Augu. tractatu. 5. super Ioannem. Et subdit: quid tibi facit malus minister, vbi bonus est Dominus? Præterea Ecclesiæ ministri instrumenta sunt Christi atque tanquam instrumẽta operantur. Eadẽ enim est ratio vt autor est Aristoteles ministri & instrumenti: instrumentum autem non agit secundum propriam formam & virtutem, sed vi virtuteque eius à quo mouetur, obidque accidentarium est instrumento, quatenus instrumẽtum est,

Sacerdotes etiã impii, possũt absoluere à peccatis.

D. Augu.

1. Polit.

est, qualemcunque formam habeat, præter illam, quæ instrumentalis est: sicut accidit corpori medici infirmum aut sanũ esse, si modo mens arte medica polleat: acciditque præterea fistulæ per quam aqua transit, argẽtea ne sit an plumbea: & candelabro super quem lucerna ponitur, an sit æreum vel aureum. Atque vt hæc exactius intelligas animaduerte obsecro testimonium illud Augustini interpretantis verbum Ioannis. Cum enim Christus ipse sit qui baptizat in Spiritu sancto, internam, scilicet, gratiam infundendo, fit vt qualitas ministri, per quem sacramentum applicatur, accidẽtaria sit. Sicuti quod hortorum aqua (quod est illud exemplum Augustini) per lapides trãseat, non obstat quominus fructus eosdẽ proferat, quos si per canales aureos transiret. Si ergo minister habeat illa quæ sunt de essentia sacramenti, satis habet vt sit verum instrumentum Christi. Quo fit vt laicus infidelis baptizans, verẽ baptizet, & sacerdotes hæretici, & schismatici, & apostatæ, veré consecrent, & Episcopi verẽ ordinent & absoluant. Quia habent quæ de essentia sunt sacramentorum istorum. Quo etiam fit vt qui nõ est sacerdos nec consecrare, nec absoluere possit, aut qui absque legitima intentione ecclesiæ, aut sine forma, aut vera materia sacramentum conferre tẽtauerit: hũc enim nihil perficere planum est.

Similia.

¶ *Ostendite vos sacerdotibus.* Hinc colliges ad confessionem & ostensionem hãc non teneri, qui nullius lepræ hoc est peccati sit sibi cõscius. Solus enim leprosus sibi de lepra conscius adire sacerdotẽ cogitur. Quare qui eiusmodi est neque in genere confiteri tenetur. Nam talis confessio generica pars sacramenti nõ est: cũ confessio actus sit iudicialis: iudicium verõ debet fieri in particulari: de illo autẽ, qui dicit se esse peccatorem, nullũ potest summi iudicium: nam & sanctissimi viri vbique fatentur se esse peccatores. ¶ Colliges deinde quod peccatis venialibus infectus non etiã teneatur ostendere se sacerdoti. Tũ quod pœnitentiæ sacramentũ (vt docent omnes sancti) est secunda tabula post naufragiũ: at veniale peccatũ cum non separet à Deo, nõ frangit innocentiæ nauim, atq; adeò non est naufragiũ: tum etiam quia non requirit gratiæ infusionem, quæ fit per sacramentum.

Qui peccati mortalis non est conscius non tenetur confiteri.

Soto. d. 18 q. 1. art. 3.

Venialia non sunt necessario confitẽda.

¶ Sed ais: iure diuino data est sacerdotib⁹ potestas remittendi omnia peccata tam mortalia, quã venialia: quorũ remiseritis peccata remittuntur eis: sed tanta esse debet subditorũ obligatio ad cõfitendum, quanta est prælatorũ potestas ad absoluendũ: ergo necessario venialia sunt ostẽdenda sacerdotibus. Hoc tamen non obstat: nã facultas remittẽdi peccata debuit esse amplissima, pro illis etiã, qui sua spõtẽ peccata quæ non tenentur, cõfiteri voluerint: vt si quis peccata iã cõfessa in cõfessionem reducere, & pariter si venialia quis cõfiteri voluerit. Obligatio verò ex ipsamet peccatorũ ac scelerũ natura iudicari debet, & quia confessio eò instituta est vt diuinam amicitiã iam amissam cõparemus, quã tamẽ per venialia nõ amittimus: inde est non teneri ad eorũ ostensionẽ. Leprosi enim hominum erat genus contagiosum & abominandũ, & idcirco procul arcebantur ab hominũ cõsortio. Hi sunt ergo qui coguntur adire sacerdotes: ite inquit & ostendite vos sacerdotes. Peccatores igitur qui mortalibus criminibus infecti sunt adire tenentur sacerdotes: atque peccatorum lepram illis patefacere, si emundari volunt.

¶ *Et factum est dum irent mundati sunt.* En vides fructũ sacramenti pœnitentiæ mysticẽ in his leprosis adeuntibus ad sacerdotes, atq; emundatis, pulchrẽ significatũ. Animi ergo mundities atq; iustificatio beneficiũ est absolutionis. ¶ Quãtũ sit hoc beneficiũ vix verbis explicari potest: vtcũq; tamen illud explicare libet, vt grati simus, vt cũ Samaritano isto maximas Deo gratias pro munere tanto reddamus. ¶ Beneficia igitur iustificationis quæ multa quidem, eaq; eximia sunt, ad quatuor sũma quædã, a sanctis Doctorib⁹ reduci solẽt. Primũ est, reconciliatio cum Deo. Secundũ est, remissio lepræ, hoc est, peccati, quoad culpã, & quoad pœnã vel partẽ ipsi⁹. Tertiũ est, renouatio interioris hominis. Quartũ, ius & acceptatio ad æternã fœlicitatẽ. Quæ sigillatim sũt explananda.

Beneficiũ absolutionis est animi mundities, quod maximum est.

Primū beneficium iustificationis reconciliatio cū Deo.

nanda. ¶ Est itaque primum beneficiū iustificationis, recōciliatio cum Deo. Habet hoc omne lætale peccatum, vt odibiles, & Deo exosos omnes peccatores constituat. Odio, inquit Salomon, sunt Deo, & impi9 & impietas eius. Et alibi: abominatio Domini est, omnis illusor. Et odisti, ait regius Psaltes Deo, omnes operantes iniquitatem. Et Ecclesiasticus, inquit, altissimus odio habet peccatores. Et sicut aliàs scriptura testatur, iniquitates sunt quæ inter nos & ipsum Deum diuidunt, quæque nos separant & elongant ab ipso. Longé etenim Dominus ab impijs, & cum sit summa sanctitas, & iustitia perfectissima respicere ad iniquitatem non potest, sed indicibili prosequitur odio omnes peccatores, & auertit, & abscondit oculos suos ab eis, neque eorum fœditatem & deformitatē videre sustinet. Sed tanquam leprosos à se abijcit. Et quamquam pro sua misericordiæ immensitate iram suam & odium in ipsos mirū in modum hic attemperat, & patienter, & longanimiter eorum impietatem ad temp9 fert, & cū iratus fuerit misericordiæ suæ recordatur, vt velut grauatē, & cum dolore maximo de illis vltionem & vindictā sumere videatur: tamen, tandem obstinatos & pertinaces irremediabilibus addicit pro suis demeritis, pęnis, & lætatur disperdens eos. Hoc autem tantum & tā graue malum quodque imprimis & super omnia lugendum est in peccatis aufert in pœnitentię sacramento primò iustificatio. Reconciliantur enim Deo leprosi, hoc est, peccatores, cum ab eo diuinitus emundantur à lepræ contagio. Et hoc beneficium Paulus expressit dicens: si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius: multo magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius. Et alibi: Deus erat in Christo mundum recōcilians sibi. Quantum autem, & quam incomparabile sit istud beneficium, non solum ex malo, cui opponitur, quod grauissimum est omnium malorum, & ex bonis quæ ex eo sequuntur, quæ statim aperiemus manifestum esse potest: sed ex seipso, si bene aduertamus facile possumus perspicere. Quis enim

Sap 14 b
Pro.3.d
Psa.5.
Eccl 14.
Esai.59.a
Pro.15.d
Abac.1.d
Rom.5.b
2.Cor.5.

A non magni facit in gratia sui Domini esse, in gratia suorum parentum, suorum prælatorum, suorum ducum, ac principum, ac regum? Quid sunt autem omnes prælati, & principes si ad regē & dominum dominantium & ad illū patrem misericordiarum optimum, sapientissimum, & potentissimū, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra, conferantur? Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei. Crescit verò hoc beneficium B non parum ex eo, quod ingratis & immeritis, & omnino indignis confertur. Nam quanto minus meretur aliquod beneficium, qui illud recipit, tanto probatur benignitas, & liberalitas illud conferentis esse maior. Auget & illud hoc beneficium, quod non solum redeunt peccatores, dum emundantur ac iustificantur in gratiam cum Deo, sed in eam gratiam redeunt, quæ propriè filiorum & amicorum est. Recipit sic benignè Deus leprosos clamantes ad se: Iesu præceptor miserere nostri, recipit, inquam, sic peccatores C reuertentes ad se, & ita viscera misericordię suæ illis aperit, vt & filiorum, & amicorum suorum nomine mox honorificet, neque dedignetur filios & amicos appellare, qui paulo ante ipso contempto, patrem alium sibi elegerant, & fœdus cum ipsius inimico pepigerant. Vos, ait, amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis. In quæ verba pulchrè Gregor. O quanta est misericordia cōditoris nostri, serui digni non sumus, & amici vocamur. Quanta est dignitas hominum, esse D amicos Dei. ¶ Secundum beneficium quod secum affert iustificatio nostra, est remissio peccati, quoad pœnā totam debitam, vel saltem quo ad pœnam ęternā. Sequitur quodcunque peccatum mortale reatus ad pœnas damni, & sensus ęternas, vt ex multis scripturæ locis perspicuum est. Non est enim inane, neque parum formidandum odium Dei. Neminē odit sine magno ipsius damno. Et primò quidem, quia peccatores auertentes se à Deo propter inobedientiam, & ingratitudinem suam, atque immunditiam & turpitudinem secutam ex pecato, indig-

Greg. ho. 27. in euange.

Secundum beneficiū iustificationis remissio peccati quoad totam pœnā vel saltem quo ad æternam.

ni

ni sunt, qui ad Dei conspectũ & pulcherrimam & mundissimam ciuitatem Hierusalem admittantur, miserando ac perpetuo exilio damnantur. Reique fiunt carendi in æternũ & visione Dei & societate sanctorum. Deinde verò, quia creaturas perperam amarunt, vt torqueantur à creaturis, & pugnet orbis terrarum cõtra insensatos, ad perpetua, & nunquam terminanda gehennalis ignis tormẽta obligantur, quibus comparata quæcumque hic nos affligunt, picta potius sunt quam viua tormenta. Et hæc sequitur vermis ille, qui non morietur, sed damnatorum omnium cõsciẽtias crudelissimé semper excarnificabit. Hisque malis accedet, societas omnium malorum, & totius nequitiæ mundi, & habitatio supra quam dici potest pessima, vbi nullus ordo, nulla lætitia, nulla pax, nulla quies, sed sempiternus luctus, sempiternus horror, sempitãnus dentium stridor, sempiterna iurgia, sempiternæ maledictiones, & blasphemiç. Ab his autem omnibus teterrimis & grauissimis malis liberat hoc secundum beneficium iustificationis & emundationis ab animi lepra. Quos enim in suã gratiam recipit Deus ab horum omniũ reatu eripit. Vnde & Paulus saluos esse ab ira per Christum, pronũtiat omnes Deo reconciliatos. Et par profectò non erat, neque omnino, saltem secundum legem Dei, fieri poterat, vt alicui tantorum malorum, quæq; Deus in solos peccatores, & sibi inimicos parauit, obnoxius esset, qui iustificatur à suis peccatis, & in gratiã ipsius redit. Atque ideo, mox vt aliquem Deus iustificat, & sibi reconciliat, vel ei omnem pœnam debitã pro peccatis condonat, vt in baptismo, vel certè à reatu pœnæ æternç absoluit, licet propter debilitatem & imperfectionem pœnitẽtiæ per quã ad ipsum plerũque redeunt peccatores, reos ipsos relinquat & obnoxios aliquibus pœnis temporalibus, vel hic, vel in purgatorio ab eis exoluendis.

Pau. Ro. 5

Tertiũ beneficiũ iustificationis & renouationis interioris hominis maculati peccatis.

¶ Tertium beneficium annexum iustificationis, est renouatio interioris hominis. Deturpant animam peccata, maculant, sordidant, fragilem & tardam ad bonum, instabilem & procliuem ad malum: debilem ad resistendum tentationibus efficiunt. Et eam languere vsque ad mortem faciunt, ne currat per viam mandatorum Dei, ne alacris sit, ne hilaris, ne læta, ne quiescat, ne somnũ dulcem vnquam capiat, sed iugiter, flamma suorum vitiorũ exęstuet, ardeat, & sibi ipsi displiceat. Vnde & à sanctis doctoribus, nunc lepræ, vt in hoc loco vides, nunc paralysi, nunc hydropisi comparantur. Et libertatem etiã spiritus peccata auferunt, & dæmoni, & mundo, & carni, & sibiipsis, hoc est, ipsis nostris prauis affectibus nos subijciunt, & duris vinculis, & compedibus miseras nostras animas constrictas, in seruitutem plusquam ferream, & AEgyptiacam, cõtrudunt. Hebetant & aciem nostrorum sensuum, ne audiam9 voces & inspirationes Dei, ne videamus mala quæ nobis imminent, ne trahamur post dominum odore fragrãtissimorum exemplorum, quæ nobis sancti præbuerunt, ne gustemus quam suauis est Dominus, ne sentiamus flagella, quibus excitamur ad pœnitentiam. Expoliant insuper nos peccata diuitijs spiritualibus donorum, & virtutũ, expoliant honore, decore, & bona fama, nudos nos, pauperes, viles, abiectos, infames & steriles bonis operib9 constituũt. Aurum tollunt sapientiæ, colorem optimum charitatis exterminant, lapides pretiosos virtutum dispergunt, aut certé obnubilant, & obscurant, pacem conscientiæ & lçtitiam expellunt, calorem & feruorem spiritus eliminant, & horrendos nos reddunt, & fætidos in cõspectu Dei, & sanctorum suorum. Et tandem impletur illud, quod olim lugebat Hieremias: filij Sion incliti, amicti auro primo, reputantur in vasa testea. Qui vescebãtur voluptuosé intereũt in vijs, & qui nutriebãtur in croceis, amplexantur stercora. Cãdidiores niue, nitidores lacte, & rubicundiores ebore antiquo, saphyro pulchriores, denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis. Adhæsit cutis eorum ossibus, aruit, & facta est quasi lignum. Cumque tot & tam grauia mala nobis concilient peccata, quando nos Deus emundat ac iustificat, non est contentus pro sua incomparabili benig

Thre. 4

nignitate & humanitate, nobis peccata remittere, & ad suam gratiam tot malis obnoxios recipere, nisi etiam misertus incomodorum, quæ nobis attulerunt peccata, interiorem nostrum hominem renouet, & reformet. Simul igitur cum iustificatione nostra lãgores & vulnera nostra sanat, sordes abluit, vincula peccatorum tollit, dominium prauorum affectuũ dirumpit, & à seruitute, & captiuitate dæmonis liberat. Horrorẽ & fœtorem peccati adimit, vitia fugat, fomitẽ mitigat, vitam & libertatem reddit, decorem, ac diuitias gratiæ & virtutum restituit. Pacem, ac lætitiam conscientię reddit, collapsas animæ vires reparat, & communit, debilitatos sensꝰ exacuit & corroborat, pronos in bonum facit, tardos & difficiles ad malum, fortesque & constantes ad resistendum tentationibus, atque fœcundos bonis operibus. Fidem, & spem viuificat, charitatem accendit; prudentiam, sapientiam, & scientiam largitur, religionem, & pietatem tribuit, iustitiã prębet, fortitudinem affert, temperantiam, humilitatem, impartitur. Deniq; sic omnia interiora innouat, vt merito Paulꝰ baptizatos omnes, renouatos dixerit, nouãque creaturam appellarit. Et eadem causa sanctificationem per baptismum natiuitatem Christus vocauit, & Ioannes & Iacobus generationem, & ipse Paulus regenerationem. Qui & ipsi Christi resurrectioni, eam comparauit. Et Dauid olim sub nomine creationis & renouationis omnem iustificationem expressit. Neq; qualiscũque est ista renouatio interioris hominis, quæ fit in iustificatione nostra: sed ita iustificatos omnes, pulchros, nitidos, diuites, fortes, constantes, sapientes, nobiles, & omnibus virtutibus ornatos facit: vt si omnem pulchritudinem corpoream, omnes diuitias terrestres, omnẽ gratiam naturalem, omnes honores mũdanos, omnem sapientiam, & nobilitatẽ, & gloriam huius seculi, imò etiam omnes virtutes studio, & diligentia humana partas: ad pulchritudinem, & diuitias, sapientiam, & gloriam, quam iusti hac renouatione assequuntur, conferamus: sicut flores agri marcescant: quantumcunque præcellẽtia sint, ac magnifica, suũq; nitorem, & splendorem perdant, & præ nimio iustificati hominis decore & fulgore obnubilentur, & obscurentur. Sicut enim cœlum terram, spiritus corpus, æternitas tempus: sic vita gratiæ, vitam antecellit naturalẽ, pulchritudo animæ pulchritudinem corporis, diuitiæ interiores diuitias exteriores, libertas spiritꝰ innatam libertatem voluntatis & fortitudo, & fœcunditas spiritalis fortitudinem, & fœcunditatem virium naturalium. Nã fortitudo, & fœcunditas, & pulchritudo, & vita corporis & diuitiæ exteriores limitatæ, & temporarię oculis duntaxat corporis appetibiles sunt, & ad ea cõcursus generalis satis est. Ad vitam autem, decorem, fortitudinem & libertatem fœcunditatem, & diuitias spirituales cõcurſu speciali et supernaturali Dei opus est, & infinita est suo modo eorum virtus. Ad æternitatem enim parant, & perducunt, & non in oculis duntaxat hominum, sed in oculis spirituum, & ipsius Dei, nitida, & pulchra, & speciosa, & pretiosa adeo sunt vt & cor illius vulnerent, & ad nostri amorem inflectãt, & quod dictu quoque admirabile est, nutui, & voluntati iustorum subijciant. Obediuit namque dominus Iosue, dum ad vocem ipsius solem & lunam stare fecit. Et ad Moysen dicit: dimitte me, vt irascatur furor meus. Atq; hinc Paulus confidenter dicebat: omnia possum in eo qui me confortat. Et rursum: quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? An angustia? An fames? An nuditas? An periculum? An persecutio? An gladius? Et mox certũ se esse subdidit, quod nulla creatura posset eũ separare à charitate Dei. Et hinc quoque nata sunt illa axiomata inter Theologos, minima gratia sufficit ad resistẽdum omnibus tentationibus: minimum opus bonum iustorum, valorem habet vitæ æternæ apud Deum, quę supernaturalia sunt præstãtioris sunt, & præcellentioris ordinis quam naturalia: & spiritualia, quam corporalia, & infusa quam acquisita. Et vbi hæc non sufficerent quæ quidem sufficientissima sunt, vel illud vnum abunde potest omnia ista cõfirmare: quod hæc

Iosue. 10. Exo. 32. b Philip. 4. Rom. 8. e

renouatione assequimur esse quodam diuini ordinis, ratione cuius ita perficimur, & supra nos tollimur, vt sicut Petrus explicuit, diuinæ fiamus consortes naturæ: & sicut Ioannes asseruit, filij Dei nominemur, & simus: veréque participatione quadam à doctoribus sanctis dij appellemur. Neque dissimulandum est hic vnũ, ex quo, & istud beneficium vehementer videtur augeri. Cum potuisset Deus ista omnia absque aliquibus habitibus infusis per peculiarem tantũmodo suam assistentiam, & cooperationem in nobis perficere, quo iustificati perfectiores, & potentiores essent, & in se haberent, vnde facilius, & promptius præstare & exequi possent, quæ ipsi placent, infundit eis omnibus, præcellentes virtutes, & præcellentia dona. Neq; his cõtẽta est largitas, & munificentia diuina. Recedente Deo per peccatum incipiunt in animabus nostris commorari viperæ, colubri, serpentes, dracones, & venenosa alia & pestilentissima animalia. Fiunt siquidem ob peccata animæ nostræ habitationes, & domus dæmonum, sicut expressit Christus in Euangelio & Cyrillus. 10. super Ioan. 5. Cum vero iustificamur, effugatis omnibus ipsis, & procul pulsis, illabitur animabus nostris illapsu quodam intimo & omnino admirabili tota trinitas, & ita se nobis vnit, & coniungit, & mansionẽ in nobis facit, tẽplaque nos sua constituit, vt & nos in ipsa, & ipsa in nobis lõge aliter & multo intimius, & præcellẽtius sit quam in cæteris creaturis. Et hoc cõmuniter tuentur scholastici Doctores post magistrum. Distingũt etenim inter communicationem Spiritus sancti & cõmunicationem donorum ipsius, et asserunt, iustis non tantum conferri in sua iustificatione dona spiritus, sed & ipsum Spiritum sanctũ. Et ante illos hæc docuerunt, Athanasius in epist. ad Serapionem. Ambrosi. de Spiritu sancto. Augustinus. 15. de Trinita. &. 19. de verbis Domini. Leo in sermone quodam de Pentecoste. Gregor. in hom. 30. super Euangelia. Et Augusti. contendit Spiritum sanctum dictũ esse dona, & à Dauide & ab Apostolo, quia cum ipsum sit donum cõmune membris Christi ab eo multa dona quæ sunt quibusque propria diuiduntur, & hanc eximiam & præcellentem gratiam, quæ nobis fit dum iustificatione nostra renouamur, expressit Christus, cum dixit. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mãsionem apud eum faciemus. Confirmauit & sæpe eandem Paulus, nescitis, inquit, quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Et rursus: An nescitis, quia membra vestra templum est Spiritus sancti, quem habetis à Deo, & non estis vestri? Et alibi: Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius. Et iterum: vos enim estis templum Dei viui. Et D. Ioãnes: qui manet in charitate in Deo manet: & Deus in eo. Quia vero posset Deus absque ista gratuita, & intima sua præsentia, iustificare & renouare interiorem nostrum spiritum, & à collatione reliquorum donorũ, & virtutum eam sciungere, posset & hic illapsus totius Trinitatis gratuitus seorsum ab alijs, quæ in se claudit nostra iustificatio, computari. Non est autem hoc visum conuenire, quia per hunc illapsum præcipué renouamur, & ab eo crediderim prouenire quæcumque iusti habent spiritalia dona, aut certé ad illum ordinari. Affert quippe Spiritus sanctus secũ sua dona, & templa sua ipse mundat & decorat: quasque sibi despõsat animas his muneribus exornat, vel saltem vt habitaculum ibi habeat non indecorum, neque omnino se indignum: cum statuit, eo venire prius natura his illas ornamentis decorat. Non enim nisi mundatam, & congrue ornatam domum inhabitare dignatur Spiritus sanctus. Vnde Augusti. dicit: Vt habitet Spiritus sanctus nonne vbi vult spirat, & charitas Dei sine qua nemo bene viuit, diffunditur in cordibus nostris? Porro neminem visitat sine magno commodo ipsius, & vbicumque recipitur, vberem facit hospitis mercedem: neque ociosé, & sine fructu manet. Cum viuus ignis sit intellectum illuminat, affectum inflammat, memoriam commonefacit, & ad orationis, & alia fidei, & pietatis, & reliquarum virtutũ opera, iugiter quos

Marginalia: 2. Petr. 1. d; 1. Ioan. 3.; Matth. 12. d; D. Cyril.; Illapsus gratificus.; d. 14. pri.; Athana.; Ambro.; Augusti.; Leo.; Grego.; Psa. 67.; Ephe. 4.; Ioan. 14.; 1. Cor. 3. c; 1. Cor. 6. d; Rom. 8.; 2. Cor. 6. d; I. Ioan. 4. c; Augu. epis. 105.; Vtilitas illapsus gratifici.; Heb. 12. g

2. Tim. 1. quos inhabitat hortatur, excitat, extimulat, adiuuat. Et hanc vtilitatem mansionis Spiritus sancti explicuit Apostolus cum alibi, tum vero disertissime ad Romanos, si spiritu, ait, facta carnis mortificaueritis, viuetis. Qui spiritu Dei aguntur hi sunt filij Dei. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus abba pater, ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filij Dei. Et paulo post, similiter autem & spiritus adiuuat infirmitatem nostram: nam quid oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit, quid desideret spiritus, quoniam secundum Deum postulat pro sanctis. ¶ Et ad hoc beneficium crediderim & illud posse reduci, quod & pro distincto fortasis posset computari, nempe omnes qui iustificantur, viua effici membra Christi. Est nempe hæc peculiaris, & non infima gratia omnium iustorum hominum, quod membra sint viua Christi. Et vos estis corpus Christi, ait Paulus, & membra de membro. Et ni fallor, hæc gratia non est pro eadem habenda cum ea, quæ iustis fit, dum merito Christi iustificantur. Sed separabilis est ab illa, & incrementum illius. Posset quidem Deus nos iustificare merito Christi, & non efficere membra ipsius viua. Verum qui nostræ humanitatis dignatus est fieri particeps, tantopere amat, & diligit nos, cum sumus grati suis beneficijs, & suę redemptionis fructu gaudere volumus, vt velut coniuncta & insita sibi mẽbra habeat nos, & vt talia nutriat, foueat, diligat. Et habet ista gratia nouas peculiares, & prægrandes prærogatiuas, quæque multũ cõferãt ad interioris hominis renouationẽ. Solicitã enim Christus habet curam omnium iustorum suorum & multo maiorem, quam nos corporis nostri, & velut caput in membra iugiter in eis virtutem influit, quæ ipsos teneat, & magis ac magis perficiat, & de virtute in virtutem in dies singulos proficere faciat. Et hac ratione opera iustorum, & magis meritoria & magis satisfactoria

Gala 4. 6.

Rom. 8. c

Rom. 8. c

1. Cor. 12 d

Gratia membrorũ Christi.

A esse crediderim quam alioqui essent etiã cæteris omnibus paribus. Placent nanque suo modo opera bona iustorum hominum patri cœlesti propter istam eorum vnionem, & connexionem ad Christum, sicut opera Christi, & ab eo velut sui ipsius filij quodammodo censentur, & acceptantur. Sicut enim Paulus dixit, viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Christus: ita iusti dicere possunt, mereor ego, iam non ego, meretur vero in me Christus, satisfacio ego, iam non ego satisfacit B vero in me Christus. Et alioqui nihil in re responderet huic tam frequenti metaphoræ, & in scripturis, & in Doctoribus sanctis, neque ex ea excitari debuissent iusti ad seruandum, & tuendum suam iustificationem, & agendum pro ea iuges gratias, sed duntaxat ex hoc quod sunt in gratia merito Christi. Et reuera si ita esset, neque verẽ incorporaremur Christo spiritualiter per fidem, neque cum iustificamur vere vt prædicant scripturæ, & tota ecclesia, efficeremur spiritaliter viua membra ipsius, neque ipse esset propriẽ C nostrum caput spiritale. ¶ Quartum beneficium quod in se continet nostra iustificatio, vel sextum potius si cui magis placeat seiungere ab alijs illapsum gratuitũ, & vnionem viuificam cum Christo, est acceptatio vel ius ad vitam ęternam. Propensissimus namque Deus noster ad misericordiam, ad beneficentiam, ad benignitatẽ, sicut omnes peccatores reos esse voluit æternarum pœnarum, ita omnes iustos ius voluit habere æternæ vitæ & gaudiorum ęternorum. Et cum potuisset remittere liberẽ hominibus peccata, imò D & iustos facere illos, & in amorem suum recipere, quin ad visionem sui & fruitionem acceptaret: noluit remittere peccata, quin iustificatos amaret, noluit amare, quin amicos faceret & filios, & ex consequenti vitæ æternæ hæredes. Et hæc est spes, quę exhilarare debet omnes iustos, & in omnibus suis angustijs & tribulationibus vehementer eos consolari. Quantuncunque enim viles, abiecti, & despecti sint mundo, quantuncũque grauibus angustijs ægritudinibus, laboribus, penurijs, persecutionibus, & tẽtationibus obnoxij

Gala. 2.

Quartum beneficiũ vel sextum acceptatio vel ius ad vitã æternam.

obnoxij, tamen grati sunt, & chari Deo, amicique & filij ipsius & ius habent certissimum & non impedibile, vt cum hac vita defuncti fuerint, angelorum intersint choros, cū beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistant, præsentē Dei vultum cernant, incircunscriptum lumen videntes nullo mortis aut alicuius alterius mali metu solliciti, incorruptionis & fœlicitatis perpetuæ munere lętentur. Et hoc tantū ius consequi iustificationē nostram aperuerunt nobis Ioannes & Paulus. Ioannes declarauit datam nobis potestatem, vt fiamus filij Dei: Paulus verò subinfert: si filij, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Si tamen compatimur, vt & cōglorificemur. Existimo enim quod non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futurā gloriam, quę reuelabitur in nobis. Et alibi ait: id enim quod momentaneum est, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur. Et mox subdit: scimus quoniā si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, ædificationem habemus ex Deo, domum non manu factam, sed æternam in cœlis. Et in Euangelio sub nomine vitæ æternæ, sæpe nobis eandē gratiam Christus expresserat. Est forsan Deus noster, vt aliqui tepidè, & parum amantes, quos amant parcè, atque inuide honorantes, quos sciunt dignos honore? Longè ista sunt à diuina bonitate & charitate. Omnes profectò iustificatos ad pręmia æterna, & incomparabilia amat, omnes sui participes & sibi arctissimè familiares vult facere, nihil illis inuidet, nihil eis subtrahit, se totum, & videndum, & fruendum, ipsis cum tota sua curia, benignissimè, & amantissimè, impartiri gestit. Potest scripturarū studiosus non obscurè ista omnia adumbrata perspicere in illis, quæ olim Deus per Moysen promisit Israelitico populo, siquidem seruaret mandata ipsius. Et quia ista tam grandia, & tam magnifica beneficia, inse claudit iustificatio, merito Augustinus in illa verba Ioannis: & maiora horum faciet, iustificationis opus creationi cœli & terræ antefert. Et nisi ita esset, non ei tantis laboribus nostra iustificatio extetisset, nō pro ea tantos sudores, & angustias tolerasset. Nō sanguinem pro ea effudisset propriū, qui vno verbo mundum hunc condidit, neque nos deberemus ei maiores gratias pro redemptione, & reparatione nostra, quam pro creatione. Hanc ergo animi munditiem, quæ in sacramento pœnitentiæ confertur, significare volens Dominus ait his leprosis: ite ostēdite vos sacerdotibus, qui dum irent mundati sunt.

Greg. — *Ioan. 1. b* — *Rom. 8. c* — *2. Cor. 4. d* — *2. Cor. 5. a* — *Ioan. 5.* — *Math. 19.* — *Luc. 22.* — *Vega super conci. Tridē. li. 5. c. 5. 6. 7. 8.*

¶*Vnus autem ex illis, vt vidit quia mundatus est: regressus est, cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens.* Si ergo homo iste vbi sensit se liberatum à morbo corporis non clam habuit diuinam erga se magnificentiam, sed ilico reuersus ad Iesum, eum adorauit, atque gratias egit: quāto magis peccator maximas Deo gratias agere debet vbi sensetit ab animi lepra per iustificationem liberatum? Quid o homo retribues Domino pro munere imo pro muneribus tantis? Si pro vili exiguoq; victu serui sedulò ac fideliter suis dominis æternum seruiunt ac perpetuū ministerium exhibent: si milites parua mercede sub ducibus militarę solent, vitamque millies periculo exponere non verentur: quid nos facere debemus qui cum peccatorum lepra essemus infecti, emundati à domino sumus? Atque ex inimicis amici, ex diaboli mancipijs, Dei filij: atque regni eius hæredes, facti sumus? Si Christ⁹ maximas Deo gratias egit pro Lazari corporali suscitatione, quātas nos illi gratias agere debemus pro nostra spirituali suscitatione? Reuoca obsecro in memoriam beneficia (quæ paulo ante retulimus) in iustificatione tibi collata & tunc, ni insipiens omnino sis, dices cū regio vate: quid retribuam Domino pro omnibus quę retribuit mihi? ¶Præterea discamus ex hoc loco non solum pro iustificationis beneficio Deum clarificare, adorare ac gratias agere: sed pro cæteris, quę innumera sunt, tam spiritualibus quam corporalibus muneribus. Quod si huius causam & rationem quæras audi Bernardum dicentem: sicut origo fontiū & fluminum omnium mare est, ita virtutum

Gratias agere debemus pro nostra iustificatione. — *Simili.* — *Gratiæ sūt agēdæ deo pro beneficiis spiritualibus, corporalibus, & quare.* — *Ber. ser. 13 super canț.*

tum & scientiarum Dominus Iesus Christus. Quis enim dominus virtutum nisi ipse est rex gloriae? Sed & iuxta Annae cãticum: idem ipse Deus scientiarum Dominus est. Continentia carnis, cordis induitria, voluntatis rectitudo ex illo fonte manant. Non solum autem, sed & siquis calet ingenio, siquis nitet eloquio, siquis moribus placet, inde est, inde scientiae, inde sapientiae sermo. Thesauri siquidem sapientiae & scientiae ibi omnes absconditi sunt. Quid? Casta consilia, iusta iudicia, sancta desideria, nonne riuuli fontis illius sunt? Quod si copię aquarum secretis subterraneisq; recursibus incessanter aequora repetunt, vt inde rursus ad visus vsusque nostros iugi & infatigabili erumpant obsequio, cur non etiam spirituales riui vt arua mentium rigare non desinãt, proprio fonti sine fraude & sine intermissione reddantur? Ad locum vnde exeunt reuertantur flumina gratiarum vt iterum fluant. Remittatur ad suum principium cœleste profluuium, quo vberius terrae refundatur. Qualiter inquis? Qualiter dicit Apostolus in omnibus gratias agentes. Quicquid sapientiae, quicquid te virtutis habere confidis, Dei virtuti, & Dei sapientiae deputa Christo. Fidelis reuera famulus es, si de multa gloria domini tui & si non exeunte ex te, tamen transeunte per te, nil tuis manibus adhaerere contingat. Tunc iuxta mandatum domini, lux tua lucet coram hominib9, ad glorificandum non te, sed patrem qui in cœlis est. Ioseph cum domum & omnia bona AEgyptij domini sui sibi credita sciret, dominam non ignorauit exceptam: & ob hoc non acquieuit contingere. Nõ est, inquit, ex omnibus bonis Domini mei quod non in mea potestate sit, vel non tradiderit mihi, praeter te, quae vxor eius es. Mulierem nouerat gloriam esse viri: & iniquum sibi iudicauit vice cõtraria inglorium facere eum, qui se fecerat gloriosum. Aduertit homo Dei sapientia prudens, virum vxorem fortiter tãquam propriã zelare gloriã, sibiq; ipsi retinuisse seruandã, nõ alij credidisse, & manũ ad non concessum extendere non praesumpsit. Quid ergo? Homo zelat gloriam suam: & Deum audet velle fraudare de sua quasi non zelante? Sed audi quid dicat. Gloriã, inquit, meã alteri nõ dabo. Soli ergo Deo sit honor & gloria pro tantis munerib9 spiritualib9 ab eo impẽsis. Omnis igitur de bonis multiformis gratiae apparentis in nobis referatur ad ipsum laus laudabilium siquidẽ vniuersorũ auctorem & largitorem. Idque non ficte, quemadmodum ab hypocritis, nec sola consuetudine, sicut á secularibus, sed nec quadam necessitate vt iumenta ferendis oneribus applicantur: sed sicut decet sanctos, sinceritate fida, deuotione solicita, hilaritate grata sed non dissoluta. Immolantes itaque hostiam laudis, & reddentes vota nostra de die in diem, curemus omni vigilantia iungere sensum vsui, affectum sensui, exultationem affectui, grauitatem exultationi, humilitatem grauitati, libertatem humilitati, quo interdũ liberis pugnatę mentis passibus procedamus, & excedamus per inusitatas quasdã affectiones spirituales laetitias in iubileis amœnitatibus, in lumine Dei, in suauitate, in Spiritu sancto, probantes nos comprehensos, in his quos Propheta intuebatur cum diceret: Domine in lumine vultus tui ambulabũt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iustitia tua exaltabuntur. Intueamur hunc Samaritanum qui clara voce clarificauit Deum, ac prostratus in faciem suam accidit ad pedes Iesu, adorans eum, & gratias agens, pro accepto beneficio. ¶ Quod si haec tam praeclara beneficia tibi à Deo collata nõ sufficiunt vt Deum diligas, clarifices, adores, atq; maximas quotidie gratias agas: audi alia, quae non solum nostrum sed & angelicum excelluntatque exuperãt cogitatum. An nõ est ipsemet filius Dei, donum ac beneficium ab immensa diuinaquẽ largitate nobis omnibus collatum? An non est ipse spiritus, donum à cœlesti misericordia ac pietate donatum? An nõ ipsemet pater misericordiarum ac Deus totius consolationis semetipsum ad omnem vsum necessarium gratis sese contulit nobis? Semetipsum enim dedit nobis in conditorem, conseruatorem, protectorem: in Deum, in patrem, in regem, in rectorem,

Marginalia: 1. Reg. 2. a; Simile; 1. Thes. 5; Matth. 5. b; Gen 39. Figura.; 2. Cor. 10.; Esai. 42.; Psal. 88.; Vide Guilelmũ Parisien. de Rhetorica diuina. C. 49. & 50.

ctorem, ac vnicum solatium & refugiũ. Quid plura? Nonne seipsum in beatificatorem ac præmium nostrum, ac præmiatorem nobis proposuit? Non enim parui æstimanda est promissio illa apud Ezechielem Prophetam declarata: & ero illorum Deus. Quid præclarius, quid excellentius? Quid illustrius hominibus accidere aut contingere potest? Quis tanto beneficiorum igne non calescet atque in laudes maximas nõ prorumpet exemplo huius Samaritani? Ego vero pro tanto tãque immenso beneficio laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude: & placebit Deo super vitulum nouellum, cornua producẽtem & vngulas. Gratius enim erit Domino hæc laus quã si bouem offeram, aut vitulum cornua producentẽ & vngulas.

Psal. 68.

Pro ministerio Angelorum gratias agere debemus

¶ Quod si mens nostra tantorum beneficiorum magnitudinem & immensitatem digne perpendere non potest: quod captũ eius excedant, ad minora beneficia oculos cõuertamus. Et vt de alijs taceam quis beatorum angelorum obsequium, quod nobis incessanter impendunt satis explicare poterit? Omnes enim sunt administratorij spiritus in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Quis satis mirari laudarique sufficiet vigilantissimam fortissimamque eorum custodiam, qua nos perpetuo custodiunt: malignos spiritus à nobis arcentes, & compescẽtes ne pro voto in nos sæuiant, insurgant, & incandescant: eos à nobis fugantes atque ne nobis noceant sæpe religantes? Quis præterea adeo ingratus, ac salutis suæ negligens, qui ipsorum erga nos beneuolẽtiam non attendat? Tanto enim amore nos prosequuntur vt & preces Deo pro nobis offerre, nostrasque illi semper afferre non cessent. Agnoscimus Domine agnoscimus tuę pietatis & tuę dulcedinis diuitias: quod tam fideles, tam industrios, tam diligentes ministros, custodes, ac mediatores inter te & nos pro tua benignitate nobis omnibus contuleris. Maximas pro hac re tibi gratias agimus. Exultate ergo iusti in Domino, rectos decet collaudatio confitemini Domino in cythara, in psalterio decem cordarum psallite illi.

Hebre. 1.

Psal. 32.

A ¶ Quis deinde sanctorum labores, studia, ac tormenta, quæ pro nobis ad fidem Deique gratiam trahendis perpessi sunt narrare facile poterit? Considera obsecro innumeram Apostolorum, Martyrum, Doctorumq; multitudinem nobis à Domino donatam, vt nos, nunc scribendo, nunc docendo, nunc prædicãdo, nũc vitam mortis periculo exponendo, ad Christum adduceret. Sed hęc omnia quę prædiximus spiritualia dona ac munera sunt: ad temporalia, nunc nostra sese conuertet oratio.

Pro ministerio sãctorum agẽdę sunt gratię

B Horum enim amor animum facile trahit, alligat, captiuat ac detinet. ¶ Attende igitur cœlorum magnitudinem, pulchritudinem & claritatẽ. Hos enim in hominis obsequium condidit orbis totius moderator & rector. Intuere solem & lunã cæteraque astra, quæ tibi dies noctesque lumen ministrant: aliasque multas virtutes quæ solis Philosophis sunt compertæ, incessanter impendunt. Contulit tibi Dominus solem in seruum strenuum & impigrum: singulis diebus tam mane surgentem, vt te domumque tuam, famulos & seruos cæteraque animalia domestica illuminet.

Pro ministerio rerũ corporaliũ agẽdæ sunt gratiæ

C Seruit igitur tibi sol, quasi seruus lucernam præferens, viarum discrimina tibi ostendens: ne corruas, ne cespites, ne offendas alicubi. ¶ Ventorum vtilitas & commoditas quanta sit, nemo est qui ambigat. Serenant cum opus est, nubes diffugantes: rursum nubes congregant tanquam vasa aquis plena ad hortos prataque tua irrigandum: ad aerem temperandum atque humectandum vt inde salubrior hominibus sit: & ad respirationes conueniẽtior.

D Ipsa namque ventorum agitatione & cõmotione depuratur aer: & ad vitã hominum animaliumque spirantiũ atque respirantium fit aptior. Vt interim mittam ventorum commoditates ad nauigandũ, atque ad iter à portibus littoribusque soluendum. ¶ Aquarum autem emolumentum quis satis explanare poterit? Quis fluminum, fontium, atque puteorum cõmoda? Extingunt sitim, pisces innumeros in condimenta diuersa præbent: corpora refrigerant atque emundant. Tempus sanè deficeret in aquarum commoditatibus

tatibus enarrandis. ¶Ad terram veniam quæ promptuarium creatoris, atque thesaurus diuitiarum reconditarum merito vocari potest. Ex ea enim velut ex promptuario quodam conditoris: & victus & vestitus, & tecta nobis ministrantur assidué. Ex ea etiam nobis nascũtur fruges, fructus & olera, herbæ atque legumina. Ex ea inquam nobis sunt & animaliũ carnes innumeræ, quibus vescimur, & nutrimur. Ex ea sunt linum, & cannabum herbæ notissimę, quæ in lanæ mollitiem cõtusæ, nẽtur in vsum vestium intimarum. Ex ea gignuntur animalia quorum lana, & pellibus, atque plumis induimur. Ex ea lapides & ligna, & sabulum, ex quib9, domus, turres, muri ac propugnacula fiunt. Quis autem medicamenta, quæ ex terra producuntur dinumerare poterit? Quis innumeras metallorum, gemmarũ, lapidum pretiosorum, atque marmorum æstimare sufficiet? Quis olei liquores, balsami, lactis mellis & vini & omnia gumi genera memoriter tenebit? Quis venatũ terræ multitudinem, atque lapidum earum varietatem vel dignoscere vel dinumerare valebit? Merito igitur terrã, Dei promptuarium nominauimus. Propter multitudinem vero auri & argenti, gemmarum, cæterorumque omnium, quę homines diuitias vocant, non minus rectè thesaurum eiusdem conditoris vocauimus. Nec tibi prætereundum est quot, quantisque vsibus tibi animalia quæ in terra gignuntur, deseruiunt. Alia quidẽ euectionibus, alia equitationibus, alia agriculturis, alia denique mille modis in hominum vtilitatem acommodatis. Ita vt carnes, lana & pelles, cornua & dẽtes, ipsę etiam superfluitates à varijs commoditatibus non vacent. Quis enim non videt ex Elephantorum dentibus, & ex bubulorum cornibus mira ornamẽta & instrumenta fieri? ¶Hæc enim omnia multaq; alia quæ breuitatis causa modo mittimus, intuenti & alta mente consideranti apparebit manifeste quanta sit conditoris nostri liberalitas, magnificentia, pietas, atque benignitas: quanta deniq; misericordia quæ tanta multitudine beneficiorum nos afficit, obruit, pascit, circundat, munit atque protegit aduersus omnia vulnerum, egritudinum atque infirmitatum incommoda ac nocumenta. Dicito obsecro mihi si rex aliquis magnus ac potẽs ea lege astrinxisset subditos omnes suos, vt tibi cuncti ad nutum parerẽt nonne illum maximo amore prosequnereris? Nonne illum clarificares? Nonne accederes ad pedes eius vt illum adorares? Nonne maximas illi gratias ageres? Ageres quidem ni insanires. Quãdo ergo rex regum & dominus dominantiũ hoc idẽ tecum agit: magnifica illum, ac genibus flexis adora, immensasque gratias age. Hoc intelligens Dauid rex dicebat Psalmo. 26. circuiui & immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis, cãtabo & Psalmum dicam Domino. Ac si diceret: propter hoc ingratiarum actionem, circuiui per omnia mihi facta à Deo beneficia, mente ea reuoluendo, & per singula diligenter recogitando, & quasi sacrificium gratissimum obtuli in templo eius, & ante conspectum eius hostiam laudis, & gratiarũ actionis ex animo deprõptæ, cum magno clamore & vociferatione, præ affectu gratitudinis, quemadmodum clamare solent & vociferare homines, prę nimia lætitia: nec cessabo in posterum à laude ipsius, sed cantare eius nomini propono, & Psalmos dicere, (quod est æquissimum) pro plurimis ijsdemque maximis quæ ab eo percepi beneficijs. ¶ Prętere a obserua. Quod leprosus iste post emundationem à lepra Deum magnificat vt intelligas iustorũ esse propriè Deum laudare, hos incitat Dauid Psalmo. 32. dicens: Exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio, confitemini Domino in cythara in psalterio decem cordarum psallite illi. Animaduerte obsecro quos deceat diuina laus. Rectos (inquit) decet collaudatio. Impios enim atque lepra peccatorum infectos non decet laudare Deum, donec in sua lepra & impietate secundum voluntatem persistunt. Omnis enim qui laudat Deũ, quasi præsens assistere debet Deo, quem magnificat, ac laudat, & cum eo velut colloqui. Nõ est autem decens, vt is qui lepra peccatorũ est inquinatus Deo assistat, illiusque majesta-

Adde si libet beneficia quę refert. D. Bern. de interiori domo. c. 9.

Simile.

Psalm. 26.

Vide Aug. & Titil. in hũc locũ

Psalm. 32.

Quos deceat magnificare Deũ atque laudare.

festati se objiciat. Hic enim leprosus iã à lepra mũdatus procidit ad pedes Iesu: & eũ magnificauit, adorauit, ac gratias egit. Vnde & in alio loco scriptũ est. Peccatori dixit De⁹, quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentũ meũ per os tuũ. Tu verò odisti disciplinã proiecisti sermones meos retrorsum. Quapropter si is qui leprosus ac peccator est, cupiat vna cũ iustis magnificare dñm, curet primũ in illis se similẽ reddere, per pœnitẽtiã abluẽs & emũdans sordes ac leprã peccatorũ, a que ita demũ accedat, redeat, procidat ad genua dñi, & speciosam tũc laudẽ Deo proferet in ore suo. Tũc.n. dicere poterit cũ eodẽ Propheta: Benedicã Dñm in omni tẽpore, semper laus ei⁹ in ore meo. Et rursum cum leproso isto verẽ psallere: quod idẽ vates ait. Expectãs expectaui dñm, & intẽdit mihi. Et exaudiuit preces meas & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fecis. Et statuit supra petrã pedes meos, & direxit gress⁹ meos. Et immisit in os meũ canticũ nouũ, carmen Deo nostro. Expectauit leprosus iste vehementi desiderio salutẽ. Et propitius factus Christus stetit, & oculos suę misericordię ad eũ cõuertit: & exaudiuit eũ clamantẽ ac dicentẽ: Iesu præceptor miserere mei, & direxit ad sacerdotes gressus eius, & tandẽ mundatus rediJt atq; clarificauit eũ, mirisque laudibus extulit. Hoc idẽ contingere solet ijs, qui vitiorũ lepra infecti salutẽ desiderãt, expectant ac postulant. Cũ enim attento desiderio, & oratione exaudita, nos educit Dñs de inferni dãnatione, & fœditate peccatorũ per leprã significata, super viã iustitiæ nos cõstituit, vt mũdi ambulem⁹ in ea, nec vltra inquinem⁹, vel baptismo vel pœnitentia lota vestimenta nostra. Et ne in via aut deficiam⁹ propter infirmitatẽ, aut aberremus propter ignorantiæ cæcitatẽ, donat nobis cõfirmatorẽ, aut directorem Spiritum sanctum. Quod intelligens idem vates precabatur in hunc modum: spiritu principali confirma me. Et alibi: spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Sic autem ambulantes per viam iustitiæ docet nos cantare cantica lętitiæ, docet nos ex animo pro tantis susceptis beneficijs eum magnificare & in iubilo cordis immensas ei laudes dicere in gratiarũ actionẽ. Dũ Rex Dauid in peccato erat silebat, tacebat, laudes Deo minime dicebat: at emũdat⁹ à lepra Deũ miris laudibus efert. Hinc est quod ipse ait Psalm. 29. Audiuit Dñs & misertus est mei: Dñs factus adiutor meus. Cõuertisti plãtũ meũ in gaudiũ mihi: conscidisti saccum meum, & circundedisti me lætitia, Vt cantet tibi gloria mea & non compũgar: domine Deus meus in æternum confitebor tibi. Curemus igitur à peccatis liberari & tunc Deo cantemus, atque confiteamur. Nam tunc hoc sacrificium laudis (ait domin⁹) honorificabit me, & illic iter quo ostendam illi salutare Dei.

[Marginal notes: Psalm. 49. — Psalm. 33. — Psalm. 39. — Psal. 50. — Psa. 142. — Psal. 29. — Psal. 49. — A — B]

¶Translato à Moyse cęterisque Israeliticis mari rubro, atq; submerso Pharaone eiusque populo, cecinit Moyses cãticum cũ populo. Hymnũq; Deo Maria cũ mulieribus gratulationis obtulit. Tu ergo (inquit Origenes) si mare rubrum trãsieris, si AEgyptios mari submergi videris, & extingui Pharaonem, atque in abyssi profundum præcipitari, potes hymnum canere Deo, potes vocem gratulationis emittere, & dicere: cantemus Dño gloriose enim magnificatus est, equum & ascensorem proiecit in mare. Tũc erit laus tua speciosa & iucunda. Nõ enim est speciosa laus in ore peccatoris: vt Ecclesi. testatur. c. 15. igitur qui timetis dñm laudate eum, vniuersum semen Iacob glorificate eũ. Laudate dñm, quoniam bonus est Psalmus, Deo nostro iucũda sit laudatio. In quẽ locũ lege Augu. lege præterea totum Psal. 102. in quo psaltes docet quo pacto agendæ sunt dño maximæ gratię post liberationẽ & emundationẽ à peccatis. Benedic, inquit, anima mea dño. & omnia quę intra me sunt nomini sancto ei⁹. &c. Qui propiciatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat oẽs infirmitates tuas, &c.

[Marginal notes: Figura. — Orige. hom. 6. in Exo. — Eccle. 15. — Psa. 21. & — Psal. 146. Augu. ibi. — Psa. 102. — C — D]

¶*Nonne. 10 mundati sunt & nouẽ vbi sunt? Non est inuentus qui rediret & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* ¶Imprimis hic mirari nõ desinet aliquis quod noluerit modo Christus celari sua beneficia cum apud Marcũ. c. 7. præceperit ne cui dicerent quod hominis cuiusdã aperuerit aures, & soluerit vinculum linguæ

eius. Atque hoc idem fecit cum principis filiam suscitauit. Sed non est quare quis miretur, nam vtrumque fecit Dñs vt homines erudiret. Quicquid homo facit præclari, cupiat esse tacitum, vt sileatur hominis gloria, & prędicetur gloria Dei. Periculosè laudatur homo, sed meritò prędicatur potestas ac bonitas Dei. Hic ergo debet esse affectus euangelici viri, vt quod ad ipsum attinet, cupiat soli Deo notus esse. Idcirco Christus apud Marcũ hominis imaginem gerens vt illum erudiret, præcepit ijs, qui mutum adduxerant ne cui dicerent. Affectans verò gloriam Dei ait modo nõne. 10. mũdati sunt & nouem vbi sunt? Non est inuentus qui rediret, & daret gloriã Deo, nisi hic alienigena. ¶Secundo obserua quod non nouit Dñs ingratos: & indignos ostendit accepto beneficio, qui non agũt gratias benemerito. Gratitudo virtus profectò est reddens gratiã non solũ Deo sed & cæteris benefactoribus. Ad has agẽdas nos admonet D. Pau. in epi. 1. ad Thes. c. 5. Semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Hæc est enim voluntas Dei in Christo Iesu in omnib9 vobis. Vnde August. in epis. ad Marcellinũ. Quid melius & animo geramus, & ore promamus, & calamo explanemus, quã Deo gratias. Hoc nihil dici breuius, nec audiri lętius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest. Has agebat qui dicebat: tota die repleatur os meum laude. In quę verba D. Augu. ait. Quid est tota die, i. sine intermissione laudare: in prosperis quia consolaris: in aduersis, quia corrigeris: antequã essem, quia fecisti me: cũ essem, quia salutẽ dedisti. Cũ peccassẽ, quia ignouisti: cum conuersus essem: quia adiuuisti: cum perseuerassem, quia coronasti. Disce ergo in ferendo gratias (ait Bernard.) non esse tardus, non segnis. Disce ad singula dona gratias agere. Nam meliora meretur suscipere (vt Casianus docet) qui collata bona de corde non probatur amittere. Nullum profectò (ait Seneca) officium magis quam referenda gratia, necessarium est: nam si Hesiodus iubet reddere maiore mensura, quam accẽperis vtenda, quid debemus facere pro-

Vi. Tho. 22. q. 106. & 107. de gratitudine & ingratitudine.
1. Thes. 5.
Psa. 70. b Augu. ibi.
Ber. In cãt
Casian. in psa. 25.
Seneca in quadam episto.

uocati beneficio? Imitare agros fertiles, qui multo plus reddunt, quam acceperint: quia si non dubitamus bona conferre ijs, quos speramus nobis profuturos, quales debemus esse in eos, qui iam profuerunt? Nam demus vel nõ demus in nostra potestate est, non reddere vero bono viro non licet, si absque iniuria id facere possit. ¶At vero quã grande malũ sit, ingratitudo docet D. Ber. super Cant. Ingratitudo, inquit inimica est animæ, exinanitio meritorũ, virtutũ dispersio, beneficiorũ perditio, ventus vrens, siccans fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ. Hæc facit vt fęneretur peccator & non soluat (vt Dauid ait) accipiat & nõ reddat. Hoc est non reddat gratiarum actionem. Quid enim (inquit Augus.) à te vult De9, aut quid exigit Deus nisi quod tibi promisit? Et quãta accepit peccator pro quibus nõ soluit? Accepit vt sit, accepit vt sit homo, multũq; inter sit inter ipsũ & pecus. Accepit corporis formã, accepit in corpore distinctionẽ sensuũ: ad vidẽdũ oculos, ad audiendũ aures, ad odorandũ nares, ad gustandũ palatũ, ad cõtrectãdũ manus, ad ambulandũ pedes, salutẽq; ipsam corporis. Sed adhuc ista & cum pecore habemus cõmunia. Accepit etiã amplius. i. mẽtẽ, quæ posset intelligere, quæ posset capere veritatẽ, quæ posset iustum ab iniusto discernere, quæ posset indagare, desiderare, creatorẽ laudare, & inhærere illi. Hęc omnia accepit & peccator: sed nõ bene viuendo, nõ reddit, quod debet. Ergo fœneratur peccator & nõ soluit. Nõ reddit ei, à quo accepit: non agit gratias, imò verò repẽdit mala ꝓ bonis. Blasphemias, murmur, aduersus Deũ indignationẽ, ergo ille fœneratur & nõ soluit. Iustus autẽ miseretur & retribuet. Iusti. n. verba sunt illa quid retribuã Dño pro omnib9, quę retribuit mihi: calicẽ salutaris accipiã & nomẽ Dñi inuocabo. Ac si dicat: quam gratiam referam domino pro illis omnibus quæ in me contulit beneficijs? In cõuiuio gratulatorio quo gratiæ aguntur pro accepta salute, attollam calicem, quo significem conuiuis, me illius ope seruatũ. Et semper dñm colã. Quia enim libamina in huiusmodi sacrificijs ꝓ gratiarũ actione

Ber. super canti.
Ingratitudo quã grave malum sit.
Psal. 36. Augu. ibi.
Psal. 115.

Caieta. Vatab.

actione interueniebant ideo à calice descripsit. Eiusdē etiā iusti laus est illa totius Psal. 150. Et quia neque corde, neque ore ad laudandū sufficimus, vt etiā manus & mēbra cætera attestari valeant, perfectæ laudis desideriū, assumere hortatur omne genus instrumentorū ad agēdas gratias.

Psal. 150.

Laudate, inquit, eū in sono tubæ, laudate eū in psalterio & cythara, laudate eum in tympano & choro, laudate eum in chordis & organo, &c. Omnis deniq; spiritus laudet Dñm. i. quicquid emittit anhelitū, & recipit: quicquid spirat, & respirat laudet dñm pro tātis susceptis beneficijs. ¶ Tertio considera in hoc loco depictam omniū nostrū naturam. Quoniam (vt D. Chryso. annotauit) & nos, si quādo fame, pesteq; fluctuamus, & grandine, & siccitate, & incendijs, & hostiū incursibus: nōne leprosos istos imitamur? Nonne per dies singulos, ad ecclesiā conuentus, multitudo ploratu ac gemitibus resonat, ac plurima nobis inest philosophia, despectusque rerum domesticarum, & neque pecuniarum cupido, neque gloriæ desiderium, neque libidinis conflictus, neq; prauus alius cogitatus tunc surrepens impedit. Sed vniuersos nos ad Dei conferimus cultum, cum oratione & lachrymis: & fornicator quidem de castitate tunc agit, ut iurgator & conuiciosus conciliationi inhæret, auarus ad eleemosynam flectitur, iracundus & furens ad mitem animum mansuetumque reuertitur. Atquē vbi Deus iram illam depulerit, deque tot fluctibus fecerit trāquillitatem, protinus iterum priores ad actiones damnatasque properamus. Similes his nouē leprosis, qui leprā infecti clamabant: misericordiam ac pietatem Christi seruatoris obnixe petebant: at vero emundati nihil minus curabant quam redire ad dandam gloriam Deo: tanti beneficij penitus obliti.

D. Chry. to. 5 no. 4. de pœnit.

¶ *Non est inuentus qui rediret & daret gloriam Deo nisi hic alienigena.* Mos fuit Iudæorum acceptis muneribus non solum gratos non esse, sed nec deinceps spem suam in vno Deo tantorum beneficiorum largitore collocare. De qua re lege si libet totum Psalmum. 77. Vbi enu-

Psal. 77.

A merantur particulatim ac sigillatim penè omnia beneficia, quæ in eductione huius populi ex AEgypto, ei collata fuere, vel in deserto post eductionem, vel in AEgypto plagis varijs ante eductionem, ac etiam post introductionem in terram promissionis, sub temporibus iudicum, vbique interponens cum magna exaggeratione Iudæorum ingratitudinem, & perpetuam rebellionem. Populus verò Christian9 cuius imaginem hic alienigena gerit, non sit immemor beneficiorum domini, vt ponat in illo spem suam.

B De illo namque ait regius vates in illo Psalmo: Vt cognoscat generatio altera, &c. Altiori enim intellectu rectè populus Christianus intelligi potest ista generatio altera, de qua in Psal. 21. legimus, annuntiabitur Domino generatio ventura, & annuntiabunt cœli iustitiam eius, populo qui nascetur, quem fecit Dominus. Pro hac autem generatione scripta sunt gesta omnia veteris testamenti, quemadmodū apertè testatur Paulus Apostolus, dicens: Quæcunque scripta sunt propter nostram doctrinā scripta sunt: vt per pa-

Psal. 21. Rom. 15.

C tientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Item in alia epistola, omnia in figura contingebant illis, (patrib9 videlicet antiquæ generationis) scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines seculorum deuenerunt. Cui expositioni satis fauet, quod ex Hebræo vertit fœlix: vt cognoscat generatio nouissima. Rectè enim generatio nouissima dicitur populus in plenitudine temporis, in ętate vltima (quæ nouissima hora est, quasi occidente mundo) genitus, qui est popul9 Christi fidelium, in quem

1. Cor. 10. 1. Ioa. 2.

D fines seculorum deuenerunt, quosque nouissima occupauit hora, quotidie præstolantes aduentum Domini. Cognoscat ergo hic alienigena, qui peregrinatur in terra & ad cœlestem illam patriam anhelat: cognoscat hæc generatio nouissima tanta tamque innumera beneficia patribus antiquis sibique collata: & ponat in Deo spem suam, & non obliuiscatur operum Dei, sed potius det illi gloriam exemplo huius alienigenæ: & mandata eius exquirat. Verè enim populus Christianus

1. Cor. 10.

alienigena dicendus est: qui non habet hic ciuitatem permanentem sed futuram inquirit. Verè hic est qui dat gloriã Deo, hoc est, qui credit pollicitationibus eius nihil hæsitans, nihil quærens, exemplo illius alienigenæ Abrahæ de quo D. Paul. ait: Considerauit quidẽ corpus suũ emortuũ, cum iam ferè centũ annorũ esset, & emortuam vuluã Saræ: verũ in repromissione Dei non hæsitauit fide. Natura quidem & ætas, inquit, faciebant, vt desperaret: sed fides spem bonã mouebat. Sed cõfortatus est fide, dãs gloriam Deo, & plenissimè sciens, quia quæcunq; promisit, potẽs est facere. Vides quemadmodũ qui ratus & certior de reb9 istis est, quas De9 asserit, gloriã reddit. Ecclesia igitur catholica verè dat gloriam Deo: cum illi fidem adhibeat nihil dubitans. Deniq; ipsa est quæ dat gloriã Deo, hoc est, quæ clarificat, adorat, ac pro susceptis beneficijs quotidie gratias agit dicens: Deus canticum nouum cantabo tibi: in psalterio decacordo psallam tibi.

Chrysost. to. 5. ho. 2. de incomprehensibili Dei natura.

Rom. 4.

Psal. 143. b

¶ *Regnum Dei intra vos est.* Intra nos nihil aliud esse potest quam scientia aut ignorãtia veritatis, & vel vitiorũ amicitia vel virtutũ. Per quæ aut diabolo aut Christo regnũ paramus in corde. Cuius etiam regni qualitatẽ describit Apostolus ita dicens: nõ est enim regnũ Dei esca & pot9: sed iustitia & pax & gaudiũ in Spiritu sancto. Itaq; si regnũ Dei intra nos est, & ipsum regnũ Dei iustitia & pax & gaudiũ: è cõtrario illi qui in iustitia, & discordia, & tristitia, mortẽ operante versantur, in regno diaboli & in inferno ac morte sunt cõstituti. His enim indicijs vel Dei vel diaboli discernitur regnum.

quibus indicijs Dei regnũ vel diaboli discernitur.

Casianus.

¶ *Venient dies quando desideretis videre vnum diem filij hominis & non videbitis.* Quam pretiosum sit tẽpus huius vitæ nemo est qui vel longa oratione satis explicare possit. Quantũuis enim breuissimũ sit satis profectò est ad placandũ iram Dei, si pœnitere voluerim9. Sic Niniuitę, vix dũ inceperãt pœnitere, cũ statim Dñs sententiã reuocauit. Sic latro ille, cũ Christo crucifixus, vix vnã adhuc horam vitæ huius habebat, & tamen in tã breui tempore, & peccatorũ remissionẽ, & vitã æternã promeruit. Infœlicissimi igitur sunt, qui nobilẽ hunc thesaurũ, tẽpus s. gratiæ, tam nihili pendunt, tam inutiliter consumũt: veniet hora (ait in hoc loco Dñs) quãdo desiderabunt vnũ diem videre filij hominis & non poterunt: veniet tẽpus cum claudetur ianua & excludentur fatuæ virgines, quæ in hac vita oleum sibi non cõpararunt.

quam pretiosum sit tempus huius vitę ostenditur.

Ionæ. 3.

Luc. 23.

Matth. 25. a

¶ *Et sicut factum est in diebus Noe: ita erit et in diebus filij hominis. Edebat et bibebant, et vxores ducebant, et dabantur ad nuptias vsque in diem qua intrauit Noe in arcam et venit diluuiũ et perdidit omnes, etc.* Videntur contrarietates in scripturis de nouissimo Dei iudicio disserentibus, quibusdam docentibus, quod dies ille veniet inopinatus, & improuis9, tempore pacis & securitatis, & quando omnia putabuntur esse in tuto: alijs verò contrariũ docentibus, signa & prodigia multa in cœlo & in terra, & tribulationes in vniuerso mundo præcedere diem illũ. Vnde Paulus cum præmisisset de iudicij die, quod ipse Dñs cum iussu & voce Archangeli descendet de cœlo, subiungit: de temporibus autẽ & momentis fratres, nõ indigetis vt scribam vobis. Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Dñi in nocte sicut fur, ita veniet. Cũ enim dixerint, pax & securitas, repentinus eis superueniet interitus. Cui & conuenit verbum Christi in hoc loco dicentis: sicut factum est in diebus Noe, ita erit & in diebus filij hominis, &c. His autem contrariantur scripturæ multæ, quibus de nouissimo die iudicij Prophetę & Apostoli, insuper & ipse Christus sic prophetauerunt, vt mirabilia quoque opera, signa insuper & prodigia, prius in vniuerso mundo pronuntiauerint esse futura. Sed non esse in his vllam contrarietatem docent sancti patres, Hiero. & Augustinus, exponentes scripturas in istis rebus apparenter contrarias, propter personas diuersas, & tempora diuersa non discordare ex scripturis probantes ante iudicium illud nouissimum, futurum esse tempus aliquod dierum, in quo videbuntur pax & securitas, omniaque esse in tuto. Verum ante tempus illud, præcedet persecutio Anti-

Scripturæ de die iudicij in specie cõtrariæ.

1. Thes. 4. d

Eod. 5. a

Driedo. in lib. 4. ca. 2. p. 3.

Antichristi contra Ecclesiam in vniuerso mundo. Hæc autem persecutio & tribulatio, quæ ventura est sub Antichristo, ad Ecclesiã pertinet, non ad Antichristum & satellites eius, & alios reprobos, qui Ecclesiam vexant & tribulant: qui interfectis Enoch & Helia, dicent: pax & securitas.

¶ *In illa hora quis fuerit in tecto, & vasa eius in domo: non descendat tollere illa et qui in agro similiter non redeat retro. Memores estote vxoris Loth.* Vtitur in hoc loco Dominus figura quam Græci vocant paradigma. Est enim paradigma propositio, aut enarratio exẽpli hortantis, aut deterrentis. Hortantis, vt illud Iacobi. 5. Helias homo erat similis vobis passibilis, & oratione orauit, vt non plueret super terram: & non pluit annis tribus, & mensibus sex. Sic & illud Matthę. 6. Respicite volatilia cœli quoniam non serunt, neque metunt, neque congregãt in horrea, & pater vester cœlestis pascit illa. Deterrentis: simile est hoc quod in hoc loco ait Dominus. In illa hora quis fuerit in tecto, &c. Memores estote vxoris Loth. Hoc tropi genere vtimur, cum exemplis, quas figuras appellamus, ad mores ex vtroque testamento, imò & ex humanis authoribus vtimur, & ad res cõfirmandas deducimus. Elegans est vtriusque paradigma, hortantis Virgil. Æneidos. 1.

Paradigma inuenitur in sacris scripturis & quid sit.

Iacob. 5.

Matth. 6.

¶ *Antenor potuit Medijs elapsus Achiuis*
Illiricos penetrare sinus, atq; intima tutus.
Regna Liburnorum.

¶ Deterrentis.

At non sic phrigius penetrat Lacedemona pastor
Ledaamq; Elenam Troianas vexit ad vrbes.

¶ *Memores estote vxoris Loth* Gene. capi. 19. sacra refert historia quod respiciens vxor Loth post se reuersa est in statuam salis. O altitudo diuitiarum, quam incomprehẽsibilia sunt iudicia eius? Tãtum quatuor euaserant & tamen ne hi omnes seruantur. Quid igitur præsumimus? Quid tam securi sumus? Quasi semel liberatis, nihil amplius timẽdum sit. Euaserat etiã mulier illa, sed tamen quia inobediens est, perit. Respexit autẽ post se vel amore rerum, quas reliquerat, vel ex curiositate muliebri, vel ex compassione ad clamorem pereuntium. Leue videtur peccatum, sed tamen punitur. Quos enim Deus semel liberauit, grauius imputantur peccata quam alijs. Videmus igitur hic in rebus diuinis moram esse periculosissimã. Videmus item quam periculosum sit ad vomitum reuerti, & ad pristina vitia, cum hæc tantum retro aspiciens punita sit. Videmus item quam male cesserit ipsi Loth electio sua, qui iussus montem conscendere elegit ciuitatulam. Interim enim dum circunflectit iter, vxorem perdidit. Sic ruunt qui contra Dei verbum propria ratione se regere volũt. Cur autem in statuam salis versa sit ex verbis Christi sumi potest: nempe in exemplum nostrum, vt per hanc ipsius pœnam saliamus & condiamus cibos nostros, vitam nostram, ne similiter moram nectamus, ne retrospiciamus. Memores, inquit, estote vxoris Loth, eius enim pœna nobis in medicinam versa est & in cõdimentum.

Gen. 19. Rom. 2.

In hac vita nulla est securitas.

CAPVT. XVIII

Dicebat autem et parabolã ad illos, quoniam oportet semper orare et non deficere, dicens: iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum nõ timebat, et hominem non reuerebatur. Vidua autẽ quædam erat in ciuitate illa: &

Eccle. 18 & 1. Thes. 5. d

veniebat ad eum, dicēs, vindica me de aduersario meo. Et nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se, et si Deum non timeo, nec hominem reuereor: tamē quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouissimo veniens sugillet me. Ait autē Dominus, audite quid iudex iniquitatis dicit. Deus autem nō faciet vindictam electorum suorū clamantium ad se die ac nocte: & patientiam habebit in illis? Dico vobis quia cito faciet vindictam illorū. Veruntamen filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?

D*icebat autem parabolam ad illos. Quoniam oportet semper orare & non deficere, dicens. Iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat.* Multiplex esse genꝰ parabolarū aliàs ostēdimus. Inter parabolas igitur, aliæ sunt, quibus adhibentur similia, ad insinuandū euāgelicæ veritatis mysteria, seu officia. Aliæ verò sunt parabolæ, in quibus talia quędā insinuantur, nō secundum similitudinem, sed per similitudinē, ex qua cognoscere possumus, quid sit inter dissimili. Quemadmodum in hoc loco Christus docens, quod ad resistendum hostibus & superandum inimicos, oportet nos semper orare, & non deficere, de iniquo iudice sumpsit parabolam, qui & si neque timeret Deum, neque re-

Multiplex genus parabolarum.

A uereretur hominem, tamen importunitate quadam impulsus tandem cessit assiduis eiusdem viduæ interpellationibus, ne sibi ab illa tedium fieret: in e veniens (inquit) sugillet me. Hoc est vituperet me ac deroget. ¶ In hac parabola iniquus iudex, neque Deum neque hominem timens, nullatenus personam Dei gerit, sed per ipsum coniici potest, quantum Deus iustus & bonus curet deprecātes, cum neque homo potest contemnere eos, qui illum assiduis precibus tundunt. Tāquam diceret: si apud iniquum

B iudicem vsque ad effectum implendi desiderij valuerat perseuerantia viduæ deprecantis, quāto certiores esse debemus, apud Deum fontem iustitiæ & misericordiæ valere orationem Ecclesiæ in tribulatione suppliciter & perseueranter deprecantis. Eiusdem generis est parabola Lucæ. 11. de amico media nocte veniente ad petēdum panes: & parabola eiusdem c. 16. de villico iniquitatis de quibus suis in locis disseruimus. Vide Driedonem de Dogma. fol. 1, 3.

Supra. 11. & 16.

C ¶ *Oportet semper orare, & non deficere* Siue non segnescere, hoc est defatigari. ¶ *Oportet semper orare.* Hoc idem admonet diuus Paulus in priori epistola ad Thessalo. capi. 5. Semper gaudete sine intermissione orate. Hoc etiam idē suadet Ecclesiasticus. cap. 18. Non impediaris (inquit) orare semper. Daniel orabat tribus vicibus per singulos dies: hoc est, principio: medio: & fine. Ille enim semper orat qui semper æterna meditatur, & desiderat. Dabit enim propter improbitatem non tantum tres panes sed quotquot habemus necessarios. Nam si ille Dauid san-

Oportet semper orare. Thessa. 5. Eccle. 18.

D ctus, & qui regni erat necessitatibus occupatus, septies in die Domino laudes dicebat: matutinis, & vespertinis laudibus, atque sacrificijs semper intentus: quid nos facere oportet: quorum caro semper infirma: quos subinde satanas expetit vt cribret sicut triticum? Semper ergo est orandum: quia ille semper circuit ouile dominicum. ¶ Quod si scire velis quid sit in causa quod nos ipsi Deum oremus ac minime impetremus, ea est, quod non instanter ac sine intermissione oremus.

Psal. 118.

Quare orantes nō exaudiamur.

oremus. Audi obsecro quid de hac re D. Chrysostomus scribat. Nos ergo nos ipsi causa nostræ perditionis existimus: non enim instanter ad eum accedimus, nõ interpellamus assidue, non rogamus quemadmodum pro tanta dignum causa rogare: sed etsi eum adeamus, aliquando ita facimus hoc, quasi non desideremus accipere: neque cum ea fide qua cõgruit deprecantes: sed oscitantes prorsus, ac tota mẽte torpẽtes, ea quæ videmur postulare negligimus: Et certé vult se à nobis exigi Deus, hec quippe illi omnino vis grata est: nam si vehemẽtius instare viderit exigentes, etiam illa quæ nõ petimus largietur: nũc autem liberalitatẽ suã differet, non quia præstare nolit, sed quia nostra illum delectat exactio. Et propterea tibi aliud quoq; posuit exẽplum: nunc illius amici, qui noctu instabat petendo: nunc iudicis neq; Deũ timentis, neque hominẽ omnino reuerentis. Nec verò tantummodo vsque ad exẽpla peruenit, sed ipsis quoq; operibus ostendit, cum. s. Chananæam illã mulierẽ magno certé dono implẽtã remisit. In hac vero euidenter ostẽdit, quoniã Deus etiã illa quæ nobis parata nõ sunt, dare possit si vehementius postulentur. Non, inquit, est bonum tollere panẽ filiorũ, & dare canibus: & tamen dedit, quia illa etiam vehemẽter exegit. Iudæis vero è regione monstrauit, quia desidiosis nec illa quidem tribuat, quæ eis fuerant præparata: deniq; illi acceperẽt nihil, imò etiam propria perdiderunt. Et ideo quia minime quæsierunt, nec sua acceperunt quidem: illa verò quia violẽter incubuit vẽdicare, & rem filiorũ accepit canis: tantũ quippe bonum est fides sedula, & deprecatio perseuerans. Noli ergo dicere, quia tibi sit inimicus Deus, teque omnino nolit audire. Cito tibi responde bit, si assidue illum, & (vt ita dixerim) molestẽ interpellare non desinas: & si enim non ob amicitiã at propter sedulitatem istud efficiet: neq; inimicitiarũ importunitates, neq; vllum patietur impedimentum omnino: Nec dicas: non sum dignus audiri, & idcirco non oro: nam & Chananæa illa etiam talis fuit, sed nihilominus impetrauit. Nec dicas, & multũ peccaui, & non possum ad me iratũ vocare: nõ enim meritum tuum Deus, sed solam interim considerat voluntatẽ. Si enim iudicẽ non timentẽ Deum, neque homines erubescentẽ vidua inflexit, multo magis bonũ iudicẽ interpellatio assidua. Et si igitur nõ fueris amicus, & si non ea quæ tibi cõpetere videntur, expostules, & si bona patris luxuriosus absumpseris, lõgũq; tẽporis à facie eius abfueris: & si degener, atq; omniũ prorsus extremus, & indignãtem illũ iratũq; conuenias, incipe tantũmodo orare, atque ad ipsum redire & recipies profecto cuncta, & confestim omnẽ irã pœnãq; restingues. Sed ecce (inquis) oro, & nihil amplius sequitur. Non enim ita postulas, quẽadmodũ illos legimus postulasse. Chananæã dico, & amicum nocte pulsantẽ, & viduam iudici frequenter molestã, & filiũ qui patris cũcta decoxerat: si enim sic orasses, proculdubio celeriter impetrasses. Nam & si à te accepit iniuriam, tamẽ pater est: & si iratus est, tamen amantissimus filiorum est, & vnum est tantũmodo quod requirit: non exigere de iniurijs vltionem, sed te videre ad meliora conuersum, sibiq; iugiter supplicantem. Vtinam nos ita erga illum seruaremus affectum, vt illius viscera nostra charitate flãmentur. Sed tantummodo occasionem Deus istius ignis requirit, & si modicam scintillam ipse præbueris, ingentem omnino flãmam beneficiorum in te eius accendes. Non enim quia iniuriam accepit, irascitur: sed quia tu est author iniuriæ, per quam etiam velut ebrius desipis. Si enim nos cum simus maligni, iniuriam accipientes à filijs, tamen pro illis dolemus: multomagis qui nullam omnino sentit iniuriam, pro tuo tantum commodo qui illam facere ausus es, irascitur. Nam si nos, qui secũdum naturam diligimus filios, satis tamen profecto eos diligimus: multomagis ille diligit, qui diligit vltra naturam. Sed & si obliuiscatur mulier infantem, inquit, vteri sui, ego tamen non obliuiscar tui, dicit Dominus omnipotens. Accedamus igitur ad eum, atque dicamus: etiam Domine, nam & canes edunt de micis, quæ cadunt de mẽsa dominorum suo-

D. Chrys. hom. 23 in Matt. c. 6.

Luc. 11. 8

Matth. 25

Esai. 49. 4

Matth. 15

suorum. Accedamus, inquam, importune, imò hoc nunquam est importunè accedere, sicut enim respirare importunè omnino nunquam est, ita etiam non quidem petere, sed non petere potius importunum est. Sicut enim respirare hoc iugiter indigemus, ita etiam eo quod à Deo præstatur auxilio. Quod si voluerimus, facile illum ad nos poterimus inflectere & hoc profecto declarans, atque ostendens Deum promptum esse semper ad beneficia largienda dicebat, sicut diluculū paratum inueniemus eum. Quotiescunquè enim venire, & ad illum voluerimus accedere, expectatas ab illo esse preces nostras continuo sentiemus. Si vero nihil de redūdante illo fonte bonitate haurimus, nostra est omnis culpa, non fontis. Hoc etiam Iudæis imputādo dicebat: misericordia vt nubes matutina, & sicut ros diluculo cadens. Quod vero dicit huiusmodi est: ego quidem, quæ à me petenda erant, cuncta largitus sum: vos verò quasi quidam ventus vrens aduersus nebulam, roremque contenditis, & idcirco retrahitur à vobis: ita præ nimia malignitate vestra facietis immēsæ liberalitatis Dei dona cohiberi, quod tamen ipsum dispensatio prouidentiæ est. Cum enim nos viderit non mereri, dignissimè proculdubio beneficia sua continet, ne nos vtique desides faciat, non digne inquirentibus largiendo. Si verò paululum in meliora mutemur, & vel tātulum quidem, vt nos saltem peccasse doleamus, supra quā omnes fontes subito ebullit, copiosius quam omne prorsus pelagus effunditur: quantoque amplius acceperis, tanto ille plus gaudet, & hoc ipso ad dandum plura consurget, diuitias enim suas nostram esse ducit salutem, & ipsam dandi petētibus largitatem: quod certe dicebat Paulus, qui diues est in omnibus, qui inuocāt illum: non enim nisi quando non postulamus, irascitur: tunc etiam nos solum, quando non poscimus, auersatur. Propterea enim & pauper factus est, vt nos diuites faceret: & illa omnia sustinuit, vt nos ad petē dum plenius incitaret. Nequaquam igitur desperemus, sed habentes tot occasiones salutis, spesque meliores, etiā si quoti die peccemus, accedamus tamen rogantes, proque delictis assidue veniam deprecemur. Sic enim & ad peccandum efficiemur absque dubio tardiores, & diabolū repellemus, & Dei in nobis misericordiā prouocabimus, & bona consequemur futura, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi, cui gloria & imperium in secula seculorum, Amen. Hactenus Chrysosto. ¶*Oportet* igitur *semper orare.* Sed ais: Paulus ter Dominum rogauit sed minime exauditus est, neque tres illos panes accepit. Fateor: sed accepit gratiam pro gratia. Sufficit, inquit, tibi gratia mea, quia virtus in infirmitate perficitur: hoc est, virtus & potentia mea in tuis afflictionibus & in afflictionibus cæterorum martyrū perfectior & illustrior redditur: dum per illas tyrānis fortiores euadit. Quibus verbis ostenditur frequenter Deum non concedere quod postulamus, quod inutilia iudicet, quæ nos pro futura existimamus. Sed nihilominus semper est orandum pro nobis, pro cæteris peccatoribus, pro Ecclesia denique: etiam si audiamus cum Propheta: tu noli orare pro populo isto, quia non exaudiam te. Oratio namque nostra tunc conuertetur in sinum nostrum: dicente Psalmographo, ego autem cum mihi molesti essent induebar cilicio: humiliabam in ieiunio animā meā & oratio mea in sinu meo conuertetur. Oratio dicitur in sinū orantis conuerti, quando pro alijs effusa & velut foras emissa, in propriam vtilitatem reddit eius à quo effusa est. Ex communi autem loquendi consuetudine, hic sermo accipitur. Quod enim in sinu habemus, nondum perijsse dinoscitur. Et quod in sinum nobis reuertitur, nōdum perijt fructus eius. In sinu enim seruabitur. Atque per hunc modum ècontrario dicimus in ventum vel in aerem abire orationem illorum, qui neque sibi neq; alijs, fructum orando faciunt. Quemadmodum sunt superborum & impiorum inacceptabiles preces. Quæ enim in ventum effunduntur, pereunt. Petamus denique incessanter quia accipiemus. Amē dico vobis (ait Dominus) quicquid orantes petitis credite quia accipietis & euenient

Margin notes: Similitu. — Oseæ. 6. b & 13 a — Rom. 10. c — 2. Cor. 12. b. Exponitur locus. — Sepe non exaudimur quia nobis inutilia & noxia petimus — Hiere. 7. — Psal. 34. — Marc. 11. c

Ioan. 16. nient vobis. Accipiemus enim vel quod petimus vel gratiam pro gratia, quam nō petebamus.

Heb. 5. Orabat Christus semper & non defatigabatur. § *Et non deficere.* Sic orare solebat Christus vt docet D. Paul. ad Hebræ. cap. 5. in diebus carnis suæ preces, supplicationes, ad Deum cum clamore valido & lachrymis offerens: exauditus est pro sua reuerētia. Tota quidem vita pro nobis, ac pro sua resurrectione, aut magis pro nostra in sua patrem orabat Christus. Clamor autē validus, non exaltationem vocis, sed ingens desiderium significat. Exauditus est autem, inquit, pro reuerētia sua, idest, sui passiuē. Græcē εὐλαβεία, quod & pietatem & reuerentiam ad venerationem significat. Chrysostomus reuerentiam seu venerationem interpretatus & ad humanitatem refert, quod Christus homo ratione tamen verbi dignus erat, quē honore pater afficeret, adeo quod tam ex gratia patris exauditus est, quam ob suam dignitatem: quippe qui dignus esset qui ob sui dignitatem exaudiretur. Tantum ergo ac talem antesignanum & ducē imitemur, qui nunquam ab oratione cessabat. Eum sequebatur sanctus Episcopus Martinus qui inuictum ab oratione spiritum non relaxabat. Sic orabat olim Susanna cuius cor erat fiduciam habens in Domino: sic etiam mansuetissimus ille Moyses cui Dominus dicebat: Quid clamas ad me? Dirigatur ergo semper oratio nostra sicut incensum in cōspectu Domini: & eleuatio manuum nostrarum sacrificium vespertinum & sic nō segnescemus in oratione.

Gagnatius. Dan. 13. Exod. 14. Psal. 140. Albe. Mag.

§ *Iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat & hominem non reuerebatur.* Tales sunt multi iudices inter nos impij & impudentes. Impietas facit vt non timeant Deum, impudentia verò & potentia vt non reuereantur hominē. De huiusmodi loquebatur Iob cap. 9. cum dicebat: Terra data est in manus impij: vultum iudicum eius operit. Hæc vna vel præcipua causa est quod in hoc mundo boni grauiter affligi soleant: quod mundus tradatur à Deo in manus impij diaboli, qui est rex super omnes filios superbiæ, & in manus ministrorū eius, hominum quidem tyrannorum & crudelium, quos permittit hic hominibus præesse. Munus verò impij, hoc est, diaboli non aliud est, quam faciem eorum, qui sunt iudices & gubernatores operire, excæcando oculos eorum, vt non ad Deum attendāt, neque videant quę iusta ac sancta sunt: seu pro sua corrupta voluntate omnia faciant, vt sit pro ratione volūtas, vt nulla alia sit iustitiæ lex quam potentia sua. Ex quo fit vt mala quam plurima super innocentes veniant: impijs huiusmodi iudicibus immaniter affligentibus ac præmentibus homines virtute præstātes: vitijs verò imbutos magnis honoribus afficientibus: contra omnem æquitatem, & legem quæ vult præesse iudices ad vindictam malorum, laudem verò bonorum. Hi sunt iudices illi, de quibus dicebat Esaias capi. 1. Principes tui infideles, socij furum. Quę verba possunt referri ad fidem Theologicam, sed melius ad eam, quæ est dictorum conuentorumq; substantia, quæ est fundamentum iustitiæ. Hoc ergo fundamento carentes impij iudices omnia iura diuina & humana peruertunt: socij efficiuntur furum, quod fures defendant, sæpiusque eorum pascātur. Hi imprimis Deum minime timent, imò dicunt illud Iob: quis est omnipotēs vt seruiamus ei? Non enim tanti illis est Deus, vt propter eum sua relinquant desideria, suosque mortificent affectus, vt æquitatem sequantur. Hinc est quod iustificant impium pro muneribus, & iustitiam iusti auferunt ab eo: vt Esaias ait. c. 5. hos appellat D. Iacobus iudices cogitationum iniquarum. Contrà verò iudices Deum timentes munera super innocentem non accipiunt vt Dauid ait: sed potius virga directionis virga regni eorum. Debet ergo iudex Deum imprimis timere si iustitiam seruare vult, & omnia æquitatis norma mensurare. Quod si timeat, tūc ita paruum vt magnum audiet, quum sciat quod Domini sit iudiciū: vt Deuterono. c. 1. dicitur. Nulla enim respublica sine iustitia cōseruari diu potest: nulla potestas, aut imperium. Eam ob causam, & sapienter quidem, veteres Philosophi iustitiam Ioui assidentem esse dixerunt,

Multi sunt iudices inter nos impij & impudentes. Iob. 9. Esai. 1. Iob 21. Esai. 5. Iacob. 2. Psal. 14. Psal. 44. Deut. 1. Quare olim iustitia Ioui assidere dicebatur.

runt, significantes sine iustitia neque ipsum Iouem posse imperare. Ea verò iuxta Hesiodum est virgo quædam incorrupta, castitatis, vtilitatis, & pudoris amantissima. At iniquus iudex qualis iste erat, arundo est piscatoris, quæ capto pisciculo manet recta, si autem trahitur piscis magnus, flectitur & contorquetur. Impietas igitur prima causa est iniustitiæ. Secunda verò est impudentia quæ facit vt iudices multi, hominem non reuereantur. Quibus verè dicere possumus quod aiebat Ezechiel. cap. 3. omnis domus Israel attrita fronte est, & duro corde. Et quod Hieremias. c. 3. facies mulieris meretricis facta est tibi: noluisti erubescere. Timeant ergo iudices Deum, reuereantur hominem, & tunc iustè iudicabunt.

Simile.

Ezech. 3.

Hiere. 3.

Alb. Mag.

Vidua autem erat in ciuitate illa. De huiusmodi viduis loquitur Dominus Esaias. capit. 1. dicens iudicibus: subuenite oppresso, defendite viduam. Magna cura ac diligentia debent iudices ferre opem viduis, iniuriamque ab ijs quibus infertur propulsare. Hinc colliges quam iniqui sint illi qui despiciunt preces viduarum: qui causam viduæ non iudicant: vt Hieremias testatur: item, vt Esai. ait. Qui pupillo non iudicant & causa viduæ nō ingreditur ad illos. Cuius rei causam prædixerat Propheta dicens: Omnes diligunt munera. Cū ergo omnia pro muneribus agant, facilè pauperes pupillos, & viduas miserandas contemnunt. Væ igitur, qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo. Væ qui accipitis munera, quæ excæcant etiam prudētes, & subuertunt verba iustorum. Vos estis illi, qui dicitis: pauperem iustum opprimamus: non parcamus viduæ: non lōgeuos senis annos reuereamur. Principes ac iudices qui omnia suis commodis metiuntur, nō reipublicæ vtilitate, pauperē opprimi permittunt, viduam non defendunt: pupillum derelinquunt: ex quo fit vt tota respublica euertatur. Ita vt de illa dici possit quomodo facta est meretrix, ciuitas fidelis? Plena iudicij: iustitia habitauit in ea nunc autem homicidæ. Quis enim lachrymas continere poterit vidēs multarum ciuitatum casus & ærumnas: cum pro religione hæreses, pro iustitia iniquitates, pro charitate homicidia, pro alijs deniq; virtutibus nepharia scelera succedant. De huiusmodi etiam ciuitate dici etiam potest quod Dauid ait Psa. 54. audiui contradictionem in ciuitate: tota die super muros eius iniquitas: & labor in medio eius & iniustitia: & non defecit de plateis eius vsura & dolus.

Esai. 1.
Magna diligentia debent iudices ferre opem viduis.

Hiere. 5.
Esai. 1.

Exod. 23.

Deu. 16.

Alb. & Pan.

Esai. 1.

A

Psa. 54.

¶ *Et veniebat ad eum dicens: vindica me ab aduersario meo: & nolebat per multum tempus*. En vides multorum iudicū iniquè agentium morem. Discurrunt viduæ & pauperes, festinant, suscitant iudices, non dant somnum oculis suis: at ipsi non curant eos defendere. Quare nullū aliud superest remedium nisi vt clament cum regio vate & dicant: Iudica Domine nocentes me, impugna impugnantes me. Apprehende arma & scutum: & surge in adiutorium mihi. Væ vobis o iudices. Nonne lachrymæ viduæ ad maxillā descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas? A maxilla enim ascendūt vsque ad cœlum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis: fluunt enim ab oculis viduæ lachrymæ: cuius ad Deum clamor ascendens pro oppressione sibi iniustè facta, vindictam petit ab oppressione qui eas lachrymas fundere facit. A maxilla enim ascendunt vsque ad cœlū angelo eas deducente, & præsentante ante tribunal iudicis superni. Et quidem exaudit eam Dominus, minimeque delectatur lachrymis eius: quinimo magis ac magis aduersus opprimentem viduā concitatur.

Mos impiorū iudicū describitur.

B

Psal. 34.

Eccle. 35.

C

Glo.

¶ *Post hæc autem dixit intra se. Et si Deum non timeo, nec hominem reuereor: tamen quia molesta est mihi hæc vidua vindicabo illam: ne in nouissimo veniens sugillet me*. Quod ius, lex, atque æquitas impetrare non potuerunt, tandem timor propriæ vexationis obtinuit. Solet enim vexatio, vt verbis vtar Esaiæ, dare intellectum. Hinc est illud quod Psaltes ait Psal. 15. Multiplicatæ sunt infirmitates eorū: postea accelerauerūt. Multiplicatis enim ærumnis & afflictionibus solent impij celeritate maxima ad Deum conuerti: & quod æquū ac iustum est facere. Sic hunc locum

D

Vexatio solet dare intellectū.

Esai. 28.
Psal. 15.

locum Psalmi nonnulli exponunt. Quos enim nec timor Dei nec pudor hominū æquitatem seruare non facit: id metus futuræ vexationis facere solet: vt in hoc iniquo iudice videre est. Non enim erat timor Dei ante oculos eius: & erubescere aut confundi coram hominibus nesciebat tamē quoniam hæc vidua illi molesta fuit sua improbitate, subleuauit illā à molestia aduersarij, non quod illi bene velet, sed ne tādem rediret, ac toties spreta, conuitijs suis notam aliquam inureret famę suæ, qui cum summi iudicis locum teneret in illa ciuitate, tamen oppressæ viduę pertinaciter defuerit. Ne in nouissimo (inquit) veniens sugillet me, idest, vituperet, ac deroget. Nam id significat sugillare. Metu ergo infamiæ & detractionis fecit iudex iniquus à vidua frequēter interpellatus quod non faceret, si illa finem faceret interpellandi. Nos igitus exemplo huius viduæ tota die clamemus ad Dominum, si exaudirį volumus. Nam oratio humiliātis se penetrat nubes: & donec propinquet non consolabitur: & nō discedet donec altissimus aspiciat: ait Ecclesiasti. cap. 35.

Psal. 25. Hiere. 6.

Eccles. 35.

¶ *Ait autem Dominus audite quid iudex iniquitatis dicit. Deus autem non faciet vindictam electorum suorū clamantium ad se nocte ac die, & patentiam habebit in illis?* Caueant ergo iniqui iudices, caueānt principes, caueant denique homines huic mōdo dediti ab oppressione viduarum & hominum piorum: nam qui tangit illos, tangit pupillam oculi domini vt ipse affirmat apud Zachar. cap. 2. Audiant quid omnibus dicat idem Dominus Psal. 104 Nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari. Timeant vocem illam Dei, Deuter. capi. 32. Mihi vindictam & ego retribuā. Clamātiusti afflicti & oppressi ab improbis & exaudit eos dominus. Vnde Dauid persecutus à Saule ait: Ad Dominum cū tribularer clamaui: & exaudiuit me. Intrat enim in conspectu eius gemitus compeditorum: & cum sit omnipotens, & singulorum causas intueatur, vt asserit sanctus Iob: non habet in impijs pios persequentibus patientiam, Vnde Eccle. cap. 35. inquit, Dominus iudicabit iustos, & fortissimus nō habebit in illis patientiā. Cum sit Deus vltionum liberé agit, redditque retributionem superbis. Et quan nis iusti patienter ferāt hominum impiorum conuicia, opprobria, iniurias & persecutiones: quanuis voce vindictam non postulent: ipsa ab impijs irrogata contumelia clamat ad iustum supernumque iudicem: sicut clamabat olim sangnis Abel iusti: quam exaudiuit Dominus: hoc ergo docere volens Dominus in hoc loco ait: *Audite quid iudex iniquitatis dicit. Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte: & patientiam habebit in illis?* Ac si diceret: iudex iniquus victus improbitate precum succurrit viduæ: & Deus qui iustissimus est, ac misericors erga suos electos, interpellatus illorū nocturnis, diurnisque precibus & clamoribus, obsurdescet, nec liberabit illos a violentia opprimentium, sed lento lenique animo patietur illos affligi impunè?

Caueant principes & iudices ab oppressione piorum, & nolunt tangere pupillam oculi Dei.

Zache. 2.

Deu. 32.

Psa. 103.

Psal. 78.

Eccle. 35.

Psa. 93.

¶ *Verumtamen filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?* Appropinquante namque huius mundi termino: iuxta Lactātium: humanarum rerum statum conturbari necesse est: & indeterius nequitia inualescente prolabi; vt iam nostra hæc tempora, quibus iniquitas & malitia (charitate frigescente) vsque ad summum gradum creuit: in illius tamen infanabilis mali comparatione felicia & prope aurea possint iudicari. Ita etenim iustitia rarescet: fugata pace, impietas & cupido & auaritia crebrescet: vt si qui tunc forte fuerint boni (putas enim, ait in hoc loco Dominus, inueniet fidem super terram cum venerit?) predæ sint sceleratis: ac diuexentur vndique ab impijs. Soli mali opulenti sint: boni verò egestate tabescant. Confundetur omne ius, & leges veterabunt. Nihil tunc quispiam habebit, nisi quod vi & armis præoccupauerit. Non fides, non pax, non pudor, nō virtus erit: atque ita neque securitas, neque aliquis in republica ordo: omnis enim terra tumultuabitur: frement vndique bella: non licebit ab armis vel punctū discedere. ¶ Si modo dicere possumus quod de

Lactantius

Matth. 24. Si modo est in mundo tanta iniquitas, quanta erit appropinquante iudicio?

Psal. 11. de hominibus dicebat David Psal. 11. Defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates à filijs hominum: Esaias. capit. 59. Esai 59. Corruit veritas in plateis & æquitas non potuit ingredi: Hieremias. cap. 7. Perijt fides, ablata est ab ore eorum. Micheas. c. 7. Hiere. 7. Micheæ 7. Perit sanctus de terra, & rectus in hominibus non est: quid obsecro dicemus de tempore futuro quum venerit filius hominis? An repetturus est fidem in terris? Tanta enim erit malorum & multitudo & improbitas, vt apud paucissimos sit sa perstes futura fides. Sed apud quoscúq; reperta fuerit illa constans in Deum dilectum fiducia, liberabuntur autore Deo.

¶ *Domi. 10 post Pent.*

Dixit autem & ad quosdã qui in se confidebant tanquam iusti, et aspernabantur cæteros, parabolam istã, dicens, Duo homines ascendebant in templum vt orarent: vnus Pharisæus, et alter Publicanus. Pharisæus stans, hæc apud se orabat, Deus gratias ago tibi quia non sum sicut cæteri hominum: raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus. Ieiuno bis in Sabbato: decimas do omnium quæ possideo. Et Publicanus à longe stans nolebat nec oculos ad cælum leuare: sed percutiebat pectus suum, dicẽs. Deus propitius esto mihi peccatori. Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo. Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat exaltabitur. Supra. 14. Matt. 23. b

Est hominum genus fidentium operibus suis, & despicientium alios præ se, quos Dominus execratur tanquam ignorantes Dei iustitiam, & suam statuere volentes vt Paul. ait ad Roma. c. 10. Hi sunt hypocritæ illi, similes omnino Episcopo Laudicææ, cui Dominus ait Apoca, cap. 3. Vtinam frigidus aut calidus esses, sed quia tepidus es incipiam te euomere ex ore meo. Frigidus dicitur qui Spiritus sancti gratia & illuminatione plené destitutus est: feruidus qui Spiritu sancto feruet: tepidus verò qui ex suis operibus tam iustum ac sanctum se esse existemet: vt sibi maximé placeat, sibi soli iustitiam arroget: se solum diuitẽ esse diuitijs spiritualibus existimet eò quod nonnullis actionibus moraliter bonis det operam: homines sané arrogantes & lõgé eam ob causam à salute positi: nõ animaduertentes, omne datum optimũ é sursum esse vt Iacobus ait. Et quod nihil habeant, quod non acceperint: vt testatur D Paul. in priori ad Corint. c. 4. Non intelligentes omnes eorum iustitias esse tanquam pannus menstruatæ vt Esaias ait. cap. 64. nec considerantes: quod qui seruiunt ei, non sunt stabiles: & quod in angelis suis reperit prauitatẽ. Vt sanctus ille ac patiẽtissimus Iob docet. c. 4. Quãto magis qui terrenum habent fundamẽtum, qui habitant domos luteas, infirmi in virtute & instabiles in bonis actionibus erunt, nisi Dei auxilio nitantur? Non etiam curantes neminem scire certo ex suis actionibus studiosis an odio sempiterno vel amore dignus sit. Denique non videntes esse vitam illorum vento mutabiliorem, folio infirmiorẽ: quod, velint nolint, ipsi fatentur apud Esai. cap. 64. cecidimus quasi folium: vniuersæ iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. Hoc ergo genus hominum taxat in hac parabola Dominus.

Describitur hominũ genus fidentiũ in operibus suis. Rom. 10. Apoc. 3. Iaco. 1. 1. Corin. 4. Esai 64. Iob 4. Esai. 64. Alb. Magn.

¶ Dixit

Nō dignatur Dn̄s nominare homines dele præsumentes tā quā iustos. Psal 15.

¶ *Dixit autem ad quosdam, qui in se confidebant tanquam iusti.* Obserua hic primum: quod huiusmodi homines non hic nominantur quoniam nomine indigni apud Dominum iudicantur. De huius generis hominibus ait Dominus: nec memor ero nominum illorū per labia mea.

Confidentia diuitū stulta.

¶ Secundo obserua: quam stulta sit confidentia diuitum confidentium in diuitijs suis: quam vana confidentia potentum: quando vana iudicatur istorum confidentia, quæ non in diuitijs aut honoribus sed in nonnullis operibus quæ studiosa videbantur, nitebatur. Non ergo fidant diuites in opibus & diuitijs: nam qui confidit in diuitijs, corruet inquit Salo. in Pro. c. 11. non in munitionibus suis: ne illis dicatur quod Dominus ait Hiere. 48. pro eo quod habuisti fiduciam in munitionibus tuis, & in thesauris tuis, tu quoque capieris. Sed his omissis ad hypocritas veniamus, suis actionibus cōfidentes: & iustos apud Deum se esse putātes nedum apud homines.

Pro. 11. Hiere. 48.

Quanta sit hypocritarum stultitia ostenditur. Pro. 28.

¶ Quanta quidem istorum stultitia sit, docet Salomō in Prouerbis. capi. 28. his verbis: Qui confidit in corde suo, stultus est. Verè profectò stulti dicendi sunt homines de se, suisque operibus præsumentes. Tunc quod natura sua sufficiētes non sint ad vitam studiosam inchoandam: dicente Paulo in priori epist. ad Co. cap. 15. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est. Tum etiā quod neque sufficientes sunt ad perseuerandum in bonis actionibus inchoatis, vt statim dicebamus: Domine (inquit Ber.) scio, me nequaquam posse peruenire ad te, nisi gradiendo post te: sed nec hoc quidem nisi adiuuer à te: ideo precor vt trahas me post te, beatus siquidem est, cuius est auxilium abs te. Homo quidem de seipso præsumens atque alios præ se contēnens, maledictus dicitur apud Esaiam. c. 5. Væ qui sapientes estis in oculis vestris. Et qui eiusmodi est facilè cadit: cōtrà verò humilis & abiectus in Deo confidentiam omnem suam collocans, facilè hostes inferorum vincit. Petrus præ cæteris cecidit: qui præ cæteris præsumpsit. De huiusmodi hominibus sibi iustitiam immeritò arrogantibus loquebatur apud Ezechie. Dominus dicens: occidam in te iustum & impium. Per iustum intelligēs eum, qui cum sit sceleribus imbutus sibimet iustus videtur, nomenque iusti sibi insolenter arrogat. Quod intelligentes 70. pro iusto & impio verterūt iniquum & iniustum. Vt lanx libræ quanto leuior est, tanto amplius sursum ascēdit, sic quāto homo vanior est, & inutilior & iniustior, tanto sublimius se extollit: & cum sit impius iustitiam sibi iactabundus assumit, & iusti nomen impudenter vsurpat. Talis erat Pharisæus iste. Contrà verò, quemadmodum bilancis pars grauior & plenior se deprimit deorsum, sic vir virtute clarus se abijcit: & quanto est apud alios virtutibus onustior, tanto apud seipsum iudicatur imperfectior.

Cor. 15.

D. Ber. in illud. c. 1. trahe me post te ait in persona ecclesiæ.

Esai. 5.

Ezech. 21.

Simile.

¶ *Pharisæus autem stans orabat.* De vtroque, scilicet, de pharisæo & publicano, dicitur: quod stans orabat. Sed per stationem hanc primam, superbiam intellige pharisæi. Nam hic habitu & gestu superbus agnoscitur, at de publicano dictū est, quod steterit. Sed vide quæ sequuntur: quod neque oculos in cœlo voluerit extollere, vnde statio eius incuruata erat.

¶ *Deus gratias ago tibi quod non sum sicut cæteri hominum.* Tu vero vir pius & fidelis si sapis pharisæum istum non imiteris. Sed potius dicito: Domine maximas tibi gratias ago, quod gratia tua, & peccata omnia mea dimissa sunt: & ne alia commiserint adiutus sum. Domine maximas tibi gratias ago, quod per gratiam tuam scio, non solum quid agere, quid vitare, quid appetere debeam, sed vt quod faciendum cognouerim, etiam facere diligam & valeam: nam sicut doces hominem scientiam, ita charitas ex te tuoque munere venit. Maximas, inquā, tibi gratias ago, quod gratia mihi tua collata est: non solum vt facilè, sed vt possim implere omnia mādata tua. Sine te enim nemo nostrū aliquid potest facere. Quare Domine cum me ipsum seducerem, si dicerem quod peccatum nō habeam, cū me ipsum deciperem si affirmans quod non sum sicut cæteri hominum, dimitte mihi obsecro peccata ac debita mea: propitius

Vide Conc. Mile. a c. 3 vsq; ad. 8. qualis esse debeat gratiarū actio iustorum.

Psal 61. 1. Ioan. 4.

Ioan. 3.

1. Ioan 1.

Psal. 142. pitius esto mihi peccatori: non intres in A iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Dan. 9. Fateor Domine quod peccaui, quod iniquitatem feci. Nō igitur gloriandum est cum pharisæo, sed potius dicendum: Infra. 17. cum fecerimus omnia quæ præcepta sunt nobis, serui inutiles sumus: quod debuimus facere fecimus. Ambros. Non te iactes, ait Ambrosius, si bene seruisti, quia facere debuisti. Obsequitur sol, obtemperat luna, seruiūt angeli: Vas gentilium electus à Domino, 1. Cor. 15. non sum (inquit) dignus vocari Apostolus: quia persecutus sum Ecclesiam Dei. Deinde alibi, nullius se ostendens conscium culpæ, subiecit: sed non in hoc iustificatus sum: Et nos ergo non à nobis laudes exigamus, ne percipiamus iudicium Dei, & præueniamus sententiam iudicis, sed suo tempore suo iudicio reseruemus. Hæc Ambro. Bonum ergo ac sanum nobis erit, vt in timore Domini stemus. Timor habendus. D. Ber. Audi quid diuus Bernardus vnicuique nostrum dicat: in veritate didici nihil eque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore coram Deo inueniaris non altū sapere, sed timere. Pro. 28. Beatus homo qui semper est pauidus. Si adest gratia time ne non digne operetis ex ea. Si subtracta est gratia time, quia reliquit te virtus tua & custodia. Si reuersa est gratia time, ne forte contingat recidiuum pati & cōtingāt tibi deteriora. Hæc ille. ¶ *Gratias ago tibi domine quia non sum sicut cæteri hominum raptores, iniusti, velut etiam hic publicanus. Ieiuno bis in Sabbato, &c.*

Regula. Scriptura primū nos à malo auertit deinde ad bonum inducit. ¶ Primum scriptura (inquit Euthy. Psal. 33.) nos à prauis operibus auertit, deinde sublatis impedimentis ad bene operandum inducit dicēs: declina à malo & fac bonum. Simile. Nam quemadmodum impossibile est aliquem ad sanitatem restitui, nisi prius à morbo liberetur, ita etiam impossibile est aliquem bene operari, qui à vitijs prius non abscesserit. Hiere. 1. Hinc est quod Dominus ait Hieremiæ: Ecce cōstitui te super gentes, vt euellas & destruas, ædifices & plantes. Psal. 1. Et regius vates Psal. 1. Beatus (inquit) vir qui non abijt in consilio impiorum, &c. Sed in lege Domini fuit voluntas eius, &c. Et Christus apud Ioā. Ioan. 10. capit. 10. prius ponit indicia mali pastoris & postea boni dicens: qui non intrat per ostium, ille fur est & latro: qui autem intrat per ostiū, pastor est ouium. Et in hoc loco vides quod prius enarrat conditionem pharisæi sua iactantis: deinde publicani seipsum coram Deo deprimētis. Petr. Martinez. 31. Denique in decalogo prius collocantur præcepta negatiua, & deinde affirmatiua subiunguntur. ¶ *Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, &c.* Primū B aduerte hunc pharisæum sua iactantem, Superbus non est sicut cæteri hominū sed sicut diabolus. reuera nō esse sicut cæteri hominum: sed potius esse imaginem expressam diaboli. D. Grego. Sic enim ait D. Gregor. Apostatæ angelo similis efficitur homo, dum homo, hominibus similis esse dedignatur. ¶ Secundo considera hominis superbi verba tumentia omnique vento plena. Quare rectè Eccle. 28. profecto Salomon dicebat Ecclesia. 11. sicut eructant præcordia fœtentium & superborum cor. Non sum, inquit, sicut cæteri hominum. Talia sanè olim eructauit pater istius, atque omnium sua iactantiū diabolus, qui dixit in corde suo ascēdam C super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Ezech. 14. Rup. lib. 1. de victoria verbi Dei c. 10. Nimirum nubium nomine (inquit Rupertus) cæteros omnes angelos cognominās, fortasis ob magnitudinem & pulchritudinem suam, quia non paruus erat in oculis suis, tanto omnes angelos semetipso viliores iudicans, quāto nubes, licet aliquatenus cādidę, vel lucidæ, obscuriores sunt pulchritudine luciferi. Esai. 14. Luciferum namq; volebat se haberi. Vnde & cum improperio ei dicitur: quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris. Profecto quia vbi dixisse legi- D tur. Ascendam super altitudinem nubiū, ibidem quando cum exprobatione Lucifer nuncupatur, datur intelligi, quod cæteros angelos in corde suo quasi nubes reputauerit, arbitrans de semetipso, quod esset tanquam lux qua nubes indigent vt illustrentur. Sed illud occurrit, quod ibidem vtrumq; dixit: super astra Dei exaltabo solium meum, & ascendam super altitudinem nubium. Ad quod dicendum, quod neque astra hęc visibilia, neque nubes tunc erant, & idcirco per astrorum &

nubium vocabulum intelligi oportere ordines angelorum, quos ille quanuis essent astra Dei, reputabat nubes comparatione sui. Cæterum quoquomodo hæc dixerit, illud constat, quod despectui cunctos habuit, nam omne sublime videt, & ipse est rex super omnes filios superbiæ. Hæc Rupertus. Huic ergo similes sunt homines superbi & elati qui thrasonem agunt, suas canunt laudes, suorum gestorum historiographi fiunt: qui alios contemnunt præ se: existimantes non esse similes cæteris hominibus. Hi sunt de quibus in Prouerbijs Salomon ait. Generatio quæ sibi munda videtur, & tamen nō est lota à sordibus suis. Generatio cuius excelsi sunt oculi & palpebræ eius in alta surrectę. ¶ *Deus gratias tibi ago quia non sum sicut cæteri hominum.* Hinc colliges quod non omnis gratiarum actio grata sit Deo. Neque enim ista (inquit Ber.) (si bene recolis Euangelium istud) gratiorem eum fecit. Quare? Quia quicquid in ore deuotum sonuit, cordis non sufficit excusare tumorem apud eum qui alta à longé cognoscit. Deus, ô pharisæe, non irridetur. Putas tu habes aliquid quod nō accepisti? Nihil, inquit, & ideo gratias refero largitori. Si omnino nihil, ergo nec meritum præcessit in te vllum vt illa de quibus gloriatis acciperes. Quod si & fatearis, primo quidem frustra inflaris aduersus publicanum, qui ideo non habet quod tu, quia non accepit vt tu. Deinde vide etiam ne non integre sua dona resignes Deo, & tibi inflectes aliquid de gloria & honore ipsius, fraudis merito arguaris, & fraudis in Deū. Si enim de his quæ iactas, ex te tibi quippiam forte arrogares, falli te magis quā velle fraudare crederem, & errorem corrigerem. Nunc verò quia gratias agendo, probas te tibi nihil tribuere, sed Dei esse dona, tua merita prudenter agnoscere: certe cæteros aspernendo prodis te quod in corde & corde locutus sis, altero commodans linguam mendacio, altero veritatis vsurpans gloriam. Non enim iudicares publicanum contemnendum præ te, si non præ illo te honorandum censeres. Sed quid respondes Apostolo pręscribenti & dicenti: soli Deo, honor & gloria? Quid angelo distinguenti & docenti quid sibi retinere placeat Deo, & quid partiri dignetur hominibus? Nam gloria, inquit, in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Cernitis ne pharisæum agentem gratias, labijs quidem honorare Deum, cordis autem sententia le? Sic vsu quodā magis quam sensu vel affectu personare in ore multorum gratiarum actionē aduertere est, in tantum vt homines quoq; sceleratissimi ad quæque flagitia & facinora sua soleant gratias Deo agere quod bene prospereque (vt quidē ipsi sapiunt) cesserit sibi in adimpletione peruersarū voluntatum suarum. Audias (verbi gratia) furem cum impiæ machinationis male cupitum manipulū reportarit, exultātem clam, & dicentem: Deo gratias, non inanes vigilias feci, nocturnum laborem meum non perdidi. Similiter qui hominem interfecit, nonne gloriatur, & refert gratias quod prçualuit aduersus æmulū, aut de hoste se vindicauit? Et nihilominus adulter tripudians gestit in Dei laudes, quod diu optato concubitu tandem potitus sit. Non ergo omnis gratiarum actio accepta est Deo nisi quæ de cordis pudica & mera simplicitate procedit. Hactenus Bernar. Pharisæus igitur iste non peccauit, quod gratias pro bonis ac beneficijs acceptis non egerit Deo: hoc enim esset vicium maximum atq; homini maxime nociuum cum dicat D. Bernard. ingratitudo est ventus vrēs, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ. Peccauit igitur quod non habētem similia bona contempserit: vt D. Bernardus docuit. ¶ Primus ergo gradus humilitatis est cognoscere ac intelligere nihil in nobis boni esse, quod non à Deo, tāquam à vero fonte dimanet. Quod significare volens Dominus, attulit apud Ioānem exemplū vitis & palmitis. Christus enim est radix ac stirps vitis, nos mēbra sua, ceu palmites é stirpe prognati. Pater Christum plātauit, nimirum qui genuit. Ab hoc stirps est profecta, nos à stirpe. Ad patrem igitur velut ad fontem redit totius beneficij gratia. Non enim sufficientes sumus cogitare aliquid ex nobis quasi ex

Pro. 30. — Ostēditur quomodo non omnis gratiarum actio Deo grata sit. — D. Ber. ser. 33. in can. — Psal. 37. b — 2. Cor. 4 b — 1. Tim. 1. d — Luc. 2. b — Tres sunt interalios gradus humilitatis. — Ioan. 15. — 2. Cor. 3.

ex bonis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti, ait diuus Paulus. ¶ Secundus vero humilitatis gradus est ex animo fateri, beneficia ac bona omnia, à Deo nobis collata fuisse non ex meritis proprijs: sed originem trahere à gratia & misericordia Dei nobis præuenienti, nobiscum operanti, actionibus nostris vim ac valorem tribuenti. Et quemadmodum si pecunijs, quas rex aut amicus nobis largitus est, equũ eius emeremus: emptio, ac gratia, in ea commutatione reperiretur: sic pretium, quo regnum cœlorum emimus, à diuina gratia nobis collata, ortum habet: reddit ergo nobis gratiam, hoc est, beatitudinem, pro gratia, hoc est, pretio, originem & vim suam trahenti à gratia. Quod significare volens Esaias ait. c. 55. Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum & lac. In eo quod ait emite, hominis industriã & negociationem significare voluit: in eo vero quod ait, absque argento, & absque vlla commutatione: diuinam ac cœlestem gratiam ostendit. Non est igitur quare gloriemur: cum omnia opera nostra operetur in nobis dominus, cum nihil habeamus quod non acceperimus, cum gratia Dei simus, quod sumus: cum sine vllis meritis nostris, imò præcedentibus (vt Augustinus ait) malis meritis nostris Christus indebita largitate ad fidem & amicitiam suam traxerit: ac dona sua contulerit. Vt enim fides (inquit) qua. s. credimus in Christum & venimus ad Christũ, per dilectionem operetur, Dei donum est: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctũ qui datus est nobis. Datus est autem post Christi in cœlum ascensionem, sicut scriptum est, ascẽdens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Hæc dona (inquit) sunt merita nostra, quibus ad summum immortalitatis bonum & beatitudinem peruenimus. Perditio ergo nostra ex nobis, at auxilium ad bene operandum à Deo accipimus: quare non est cur de nostris meritis præsumamus, aut superbiamus. Sed omnia bona opera nostra à Deo tanquam à vero fonte proficisci fateamur absque meritis præcedentibus. ¶ Tertius tandem humilitatis gradus est lynceos habere oculos vt bona proximorum à Deo sibi collata intueamur, laudemus, ac miris encomijs efferamus: nostra verò bona, talparũ oculis prospiciamus: sic enim cum timore & tremore salutem nostram operabimus. Sic etiam & tutiora & securiora semper erũt. Nam & si bona, quæ externa nominantur, tanto magis sunt periculi expertia, quanto magis ab hominibus æstimantur: atque ab eisdem prospiciuntur: tamen bona spiritualia, quanto minus à possessoribus sint cognita, tanto in minori periculo sunt posita. Hoc igitur gradu humilitatis carebat pharisæus iste, qui, & si Deo maximas gratias agebat pro acceptis muneribus quæ sibi inesse videbantur: tamen in eo superbus erat, quod & publicanum & alios cõtemneret præ se: & quod existimaret multa habere bona, quibus reuera carebat. Quæ non parua superbia est. Atque in eodem quidem errore positus erat ille, cui Dominus apud Ioannem dicebat: Incipiam te euomere ex ore meo, quia dicis: diues sum, & locupletatus, & nullius egeo: & nescis quia tu es miser, & miserabilis & pauper, & cæcus & nudus. Huius profecto factionis & farinæ sunt, qui existimant se aliquid esse, cum parum aut nihil sint: qui multum sibi arrogant, cæteris vero derogant: existimantes se plus lucis, plus spiritus, prudentiæ, ac virtutis habere quam alij. Iam ergo (vt Bernardus admonet) si quis deuotus, si quis sollicitus, si quis spiritu feruens est, caueat sibi ne suis fidat meritis, ne suis operibus innitatur: alioquin nec huiusmodi quidem animum intrat gratia: nimirum plenus est, nec in eo iam inuenit gratia locum sibi. Consideretis pharisæum illum orantem, non erat raptor, non iniustus, non adulter. An sine fructibus pœnitentiæ erat? Ieiunabat bis in Sabbato: decimas dabat omnium quę possidebat. Sed ingratum forsitan suspicamini. Audite quid dicat. Deus gratias ago tibi. Sed nõ erat vacuus, nõ erat exinanitus, non erat humilis, sed elatus. Non enim quid sibi deesset scire studuit, sed exaggerauit meritum suum, nec

Simile. — Esai. 55. — Augu. lib. 13. de Tri. c. 10. — Rom. 5. — Ephes. 4. — Apoc. 3. d — Ber. ser. 3 in annunc. dominica.

ne erat solida plenitudo, sed tumor. Vacuus proinde rediit, quia plenitudinē simulauit. Nā publicanus, qui exinanire se ipsum, qui vacuum vas exhibere curauit, gratiā retulit ampliorē. Nos ergo sollicitisimus & deuotos nos Deo, & verè humiles exhibere: huiusmodi enim animas gratanter respicit Deus pio illo respectu, de quo sapiens ait: quoniam gratia & misericordia Dei est in sanctos eius, & respectus in electos illius. Hæc Ber. Hoc intelligēs regius ille psaltes olim dicebat: Credidi propter quod locutus sum ego autē humiliatus sum nimis: ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax, quæ verba explicans idem Ber. sic ait. Credidi (inquit) veritati dicenti, qui sequitur me non ambulat in tenebris. Credidi ergo sequēdo, propter quod locutus sum cōfitēdo. Post quam autē & credidi ad iustitiā & locutus suum ad salutē humiliatus sum nimis. Ego quidem cū adhuc veritatem nō nossem, aliquid me putabam esse, cum nihil essem. At postquam in Christum credendo i. eius humilitatem imitando, veritatem agnoui, ipsa quidē exaltata est in me, ex mea confessione, sed ego humiliatus sum nimis. i. valde vilui mihi, ex mei consideratione. Humiliatus Propheta in hoc primo gradu veritatis, semetipsum attendat, & ex propria miseria generalem perpendat, sicque ad secundum trasiens dicat in excessu suo omnis homo mendax. Quid est omnis homo mendax? Omnis homo infirmus, omnis homo miser, & impotens, qui nec se. nec aliū possit saluare. Sicut dicitur fallax equus ad salutem, nō quòd equus aliquem fallat, sed quia is seipsum fallit, qui in fortitudine eius confidit: sic omnis homo mendax dicitur. i. fragilis, mutabilis, à quo salus non possit vel sua vel aliena sperari, quin potius maledictionē incurrat, qui spem suā in homine ponit. Proficiens itaque humilis Propheta perducatum veritatis, quodque in se lugebat, videns in alijs, dum apponit scientiam apponat & dolorem, ac generaliter, sed veraciter dicat omnis homo mēdax. Vide quam longè aliud senserit de se pharisæus iste superbus. Quid deprompsit in excessu suo? Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum. Dum in se singulariter exultat, alijs arroganter insultat. Dauid autem aliter. Ait enim omnis homo mendax. Neminem excipit, ne quem decipiat: sciens quia omnes peccauerunt, & omnes egent gloria Dei. Pharisæus se solum decipit, quem solum excipit, dum cæteros damnat. Propheta se non excipit à communi miseria, ne excipiatur à misericordia. Pharisæus exsufflat misericordiam, dum dissimulat miseriam. Propheta affirmat tam de omnibus quam de se, omnis homo mendax: Pharisæus confirmat de omnibus præter se. Nō sum, inquiens, sicut cæteri hominum. Et gratias agit, non quia bonus, sed quia solus: non tam de bonis quæ habet, quā de malis, quæ in alijs videt. Nōdum de suo trabem eiecerat, & festucas in oculis fratrum enumerat. Nam subdit. Iniusti, raptores. Hæc ex Bernardo.

¶ *Quia non sum sicut cæteri hominū.* Longè profectò pharisæus iste atque omnes eius imitatores absunt à fine, quē optant, assequendo. Nā vt D. Ber. ait: si quis plane vult assequi quod intēdit, inter alia illud imprimis est illi necessariū, vt subtrahat se ab omnibus transitorijs rebus & terrenis, & nihil de eis curet, ac si non essent: quod assequetur si omnibus modis quibus poterit vilificet se nihil reputādo esse sed credendo omnes homines esse bonos, & meliores se, magisque placere Deo. Si nihil vnquā de se loquatur, quod laudē importet; quantūcūque sit familiaris ille cū quo loquitur. Imo plus laborare debet celare virtutes quam vitia. Si de nullo prorsus sinistrè loquatur, quātūcūque sit verū vel manifestum. Si solicitudinē adhibeat quantūcūque potuerit, vt vilitati suæ solidus intendat. Contrà verò pharisæus ille de seipso præsumens ait, non sum sicut cæteri hominū, &c. Ieiuno bis in Sabbatho ex quo factū est vt nō solū nō fuerit voti sui compos: sed quod publicanus abierit domū suā in oculis Dei iustior illo. Si ergo Christi verū mēbrū es (vt D. Bona ait) nō te præferas alteri mēbro: cū minime tibi cōcessū sit tuā dignitatē cognoscere, sed soli Christo cuius es mēbrū iudiciū tuū relinquas. Quēadmodū n. (vt Chrys. docet) homo

Marginalia: Sap. 4. — Psal. 115. — D. Ber. tract. de gradibus humilitatis. — Psal. 32. d — Rom. 3. — Ber. in tract. qui incipit notabile documentum. — D. Bona. — Chryso.

homo probè intelligit suorũ membrorũ differentiam, nempe quod sit honestum quod inhonestum, quod honore dignũ & quod indignũ: ipsa autẽ corporis membra id non calent neq; cognoscũt: sic discrimen & differentiã inter sanctũ & sanctũ, inter piũ & pium, Christus dñs, cuius omnes nos mẽbra sumus, solus nouit. Sanctis verò ipsis concessum non est id cognoscere, ne dicãt cũ pharisęo Dñe gratias ago tibi quia non sum sicut cæteri hominum. ¶ Præterea si labi non vis de teipso nõ inaniter præsumas. Est enim iactantia maximæ ruinæ causa. Imitare Petrum, vt Ambrosi. ait, tertio dicentem: Dñe tu scis quia amo te. Etenim qui tertio negauerat, tertio confitetur. Sed negauit in nocte, confitetur in die. Hæc autẽ ideo dicta sunt, vt sciam9 neminẽ iactare se debere. Nãs Petrus lapsus est, quia dixit. & si alij scandalizati fuerint in te, sed ego non: quis alius iure de se præsumit? Denique & Dauid qui dixerat: ego dixi in abundãtia mea, nõ mouebor in æternũ: eã sibi iactantiã obfuisse confitetur dicens: auerti sti faciẽ tuã a me & factus sum conturbatus. ¶ Tertio obserua quid pharisęus dicat: Nõ sum, inquit, sicut cæteri hominũ: quid verò publican9: Deus propitius esto mihi peccatori. Et tamen ille dãnatus est: iste verò seruatus. Quia vt sanctus Calixtus ait: causa. 11. q. 3. c. iniustũ: melior est in malis factis humilis cõfessio, quã in bonis superba gloriatio. Tacuit pharisæus iste peccata, quę cõfiteri. & iactauit bona quæ tacere debebat, & idcirco dãnatur. Qui enim sana mẽbra medico ostẽdit: & vulnerata tegit nunquã curari poterit. Similis huic pharisæo fuit aliquãdo Dauid qui tacuit peccatum ad confessionẽ: clamauit verò iustitiã per iactãtiã. Sic enim nõnulli sancti intelligũt locũ illũ Psa. 32. Quoniã tacui inueterauerũt ossa mea dũ clamarent tota die. Peccata quæ cõfiteri debuerat, celauit: bona si quæ fecerat publicauit. Et quia sic clamãs tacebat, inueterauerunt illius ossa, hoc est, omnes animę virtutes.

Lege D. Ber. de doctrina cordis. c. 70.

Iactantia fugienda. D. Ambr.

Psal. 29.

6. q. 1. c. imitare Petrum.

11. q. 3. c. iniustum.

Psal. 32. Hiero. Augusti. Cassiodo.

¶ *Quia non sum sicut cæteri hominum.* Maxima quidem stultitia est se alijs præferre. Tum quod qui eiusmodi est parui, vel minimi à Deo ęstimatur, qui humilia respicit & alta à longè cognoscit. Quandiu Saul paruus fuit in oculis suis, à Deo plurimi factus est, & ad regiam dignitatẽ sublatus. Contra autem cum magnus sibi visus est, à solio & dignitate fuit deiectus, vt sacra pagina refert. 1. lib. Reg. c. 15. Tum etiam quia nemo quantumuis iustus sit, nouit finem suum. Quare non est cur alios cõtemnat: non, inquam, est cur cæteris se præponat. Sunt iusti, ait sapiẽs, quorũ opera sunt in manu Dei: & tamen nescit homo vtrum odio vel amore dignus sit. Multi namque sunt qui maxima sanctitate pollere videntur, & tandem peccatis obnoxij præcipitantur in infernum. Contrà verò alios flagitijs atq; sceleribus innumeris obsessos videmus tandem seruari: in vitæ fine cum latrone dicentes: Domine memento mei dum veneris in regnum tuum: & cũ publicano: Deus propitius esto mihi peccatori. De primis ait idem sapiens: Vidi impios sepultos: qui cum adhuc viuerent in loco sancto erant, & laudabantur in ciuitate quasi iustorum operum. Spiritu enim prophetico vidit Salomon plurimos in inferno sepultos, qui dum viuerẽt sancti, & iusti credebantur. Quare stultum est se velle alijs præferre aut comparare. Hinc est quod D. Bernar. admonet hortaturq; vnunquemque nostrum dicens: Noli te comparare maioribus, noli minorib9, noli aliquibus, noli vel vni. Nemini te non dico præponas: sed ne præsumas comparare. Et rursum ait: In anima planè non est timenda quantalibet humiliatio, horrenda autem nimiumque pauenda vel nimia temerè præsumpta erectio. Nam, vt Augustinus ait, ostium paradisi est humile, quod si sano capite volumus intrare, oportet nos caput dimittere. Præterea non parua stultitia censenda est, credere solem minime lucere nisi in domo, hoc est, anima nostra. Idcirco Ber. aiebat: nolo vt nusquam arbitreris lucere diem nisi in cella tua: nusquam esse serenum nisi penes te: nusquam operari gratiam Dei nisi in conscientia tua: malo te cogitare vbique esse serenum, nisi apud te: & peius de te, quam de aliquo alio æstima-

Stultũ est se alijs præferre.

1. Reg. 15

Eccle. 9.

Infra. 23.

Eccle. 8.

D. Ber.

Idem.

D. Augu.

D. Ber.

re. Tandem qui sua iactat coram Deo, illi ostentat diuitias suas, quę sane ostentatio fontē diuinę misericordię obstruit. Vnde Ber. Pharisæus, inquit, exsufflat diuinam misericordiā, dū dissimulat miseriā. ¶ Nec stultitia solū censenda est huiusmodi iactatio, sed iniquitas nō parua: cū & Deo & proximo maxima iniuria fiat. Deo qui dē cū illi soli datū sit a patre de aliorū vita & moribus iudiciū. Pater, inquit, omne iudiciū dedit filio. Cum etiā qui talis est Dei imaginē despiciat. Qui enim calūniatur egētē (ait Salo.) exprobat factori eius, qui fecit talē. Proximo vero, quia iudex eius vitæ indebite fit. Nam tu quis es, qui iudicas alienū seruū? Dño suo stat, aut cadit. Satius profecto esset vitā tuam exactē examinare, quā proximorū tuorū mores inique iudicare. Nā vt D. Ber. inquit, qui perfectē semetipsum examinando intelligit, suo peccato nullius peccatū par esse existimat, quod non sicut suū intelligit. Quod si secus feceris cōtinget tibi quod olim misero Aman, proximo vero tuo, quod Mardochęo. Credebat infœlix ille Aman quod a rege esset maximo honore afficiendus, cū tamen esset suspendēdus. Cogitans enim miser homo, quod nullū aliū nisi se rex Assuerus honorare vellet respondit interroganti: homo quem rex honorare cupit debet indui vestibus regijs, & imponi super equū, qui de sella regis est, & accipere regiū diadema super caput suū, &c. Et tandē subdit scriptura quod suspensus est Aman superbus in patibulo, quod parauerat Mardochęo. Humilis vero Mardochæus, quem Amā suspendere volebat, maximis honoribꝰ à rege est affectus. Sic etiā tumidus iste phariſęus, quod sibi placebat, & in proximū cōtumeliosus erat, præcipitatus est in ꝓfundum: contra publicanus totus sibi displicēs in cœlū fuit exaltatus. ¶ Sed ais. Quis obsecro hanc gloriā tam fortē tam potētem, hoc est, superbiā, iactantiam, ac præsumptionē, quæ vbiq; serpit, superare poteris? Quis queris? Dauid. s. procedat ergo Dauid manu fortis, quoniā nō est vincere tantū hostem nisi in manu forti. Accedat ipse contra Goliam, & sic non reputabit Goliæ proceritatem. Colligat nimirum de torrente huius sęculi lapides quinque hoc est, cōminationem, dilectione, imitationē & orationē: & in vase memoriæ suæ reponat, considerans quanta nobis cōminetur Deus, quāta promittat, quantam nobis exhibeat charitatem, & quam multa nobis charitatis exēpla proponat, quēadmodū denique orationum nobis vbique cōmendat instātiam. Quotiescunque ergo vanitatis cogitatio mentem pulsat, si intimo cordis affectu expauescere ceperis comminationes, seu promissiones eius desiderare, nō sustinet Golias vtriuslibet lapidis iactū, sed reprimitur illo tumor omnis. Quod idem cōtinget si aliquo cæterorum lapidum illum percutias. De qua re lege D. Berna. sermone de Dauid & Golia.

D. Ber. — Se aliis praeferre iniquitas est maxima — Ioan. 5. — Pro. 14. — Roma. 14. — D. Ber. — Esther. 6. — 1. Reg. 17. Figura.

¶ *Et publicanus.* Et, pro, at, Hebraismus.

¶ *Et publicanus à longe stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare.* Hinc discamus quod si ad Deum accedere volumus persistere in timore debemus. Non præsumptuosè accedamus vt pharisæus sed humiles & trementes sicut publicanus iste, & Emorroissa. Timet homo naturaliter cum ad Deum accedere debet, quem iudicem suū esse scit: hic tamen timor ad multa vtilis est. Hinc fuit vox illa primi parentis vocem tuam audiui & timui. Ac si diceret: iam pręter morem solitū te duriorem inuenio & longē aliam vocem audio quam hactenus, hinc factū est quod præ timore me sic abscondo: non est amplius mihi talis fiducia, vt sic comparere possim coram te: audiui iram tuam quam ferre non possumus, &c. Sic nimirū peccator in conscientia sua confusus, non audet oculos ad cœlum leuare. Discamus igitur & nos Deum timere. Si enim publicanus iste non audebat oculos ad cœlum leuare præ timore & reuerentia: si mulier illa in ciuitate peccatrix timore correpta, stare non est ausa coram Domino: sed stetit retro secus pedes eius: si sanctus ille Patriarcha Abrahamus loqui cum Domino Deo suo volens dicebat: loquar ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis: quanto magis miser peccator, putredo & vermis, puluis & cinis, vitiorum ac miseriarum omniū abyssus,

Timor vtilis. — Matth. 9. — Gen. 3. — Supra. c. 7. — Gen. 18.

timere debet, si ad Dominum accedat. Displiceamus igitur nobis ipsis ob peccatorum conscientiam, & procul exemplo huius publicani obsistamus à sacris, adeò pudentes; pœnitentesque nostri vt ne oculos audeamus in cœlum leuare. Adeò timentes præ admiratione & reuerentia vt dicamus cum D. Petro: exi à me Domine, quoniã homo peccator sum. Sciebat peccator iste quã longé sit à peccatoribꝰ salus. & ideo suã indignitatem ostendere volens longé stabat. sciebat, ozã olim subitò corruisse, quod arcæ testamẽti inclinatæ indignus appropinquaret: idcirco appropinquare minime audebat. Sciebat signũ animæ fornicantis esse in oculorũ extollentia Cũ Eccle. 26. scriptum sit: fornicatio mulieris in extollentia oculorũ eius, & in palpebris eius agnoscitur: propterea nõ audebat oculos ad cœlũ tollere. Imo illos deprimẽs intra se dicebat: pater peccaui in cœlũ & corã te. iam non sum dignus vocari filius tuus. Vnde D. Ber. ait. nolebat oculos ad cœlum leuare, vt per humilitatẽ cœlũ ad se posset inclinare. Quod postulabat cum Dauid dicẽs: Dñe inclina cœlos tuos, & descende.

Supra le. 5
Psal 118.
2 Reg. 6.
Eccles. 26.
Bernar.
Psal. 143.

¶ *Sed percutiebat pectus suum.* Iure sanè pectus suũ peccator percutit: quãdo peccata quæ cõmittit, de pectore exeant. De corde enim exeunt, vt ait Christus, furta, adulteria, falsa testimonia & alia id genꝰ scelera, quæ coinquinant reuera hominem.

Matth. 15.

¶ *Deus propitius esto mihi peccatori.* Docet nos hic publicanus modũ, veniam à Deo impetrãdi. Primũ, Deũ inuocare debemus: cuius est, prouidere miseris omnibus in eũ fiduciam firmã habẽtibus. Ideo enim ait Psalmista: iacta super dñm curã tuã. Et Augu. proijce te in Deũ, quia non est ita crudelis, vt se subtrahat, & cadere permittat. Et D. Petrus in. 1. sua cano. c. 2. Omnẽ solicitudinẽ vestrã proijcientes in eum. Deinde eius clemẽtiã imploremus quoniã apud ipsum propitiatio est: imo ipse est propitiatio pro peccatis nostris vt affirmat D. Ioan. 1. cano. 2. cuius typꝰ olim fuit propitiatorium illud sanctum Exod. 37. Cum ergo crimen aliquod perpetrauerimus statim ad Dei misericordiã humiles accedentes dicamus: Deus propitius esto mihi peccatori: exemplo huius publicani, exemplo etiam Dauidis dicentis Psalm. 88. Propitius esto Domine peccatis nostris: ne quando dicant gẽtes vbi est Deus eorum. Tãdem nos esse peccatis obnoxios confiteamur dicẽtes cum publicano & cum Daniele: peccauimus, iniquè egimus in omnem iustitiam tuã. Et cum Dauide: ego sum qui peccaui, ego iniquè egi. Et rursum. 2. Para. 6. peccauimus, iniquè egimus, iniustè fecimus.

Modus veniam à deo impetrãdi describitur.
Psal 44.
D. Augus.
1. Pet. 5.
1. Ioan. 2.
Exo 38.
Psal. 88.
Dani. 9.
2. Reg. 12.
2. Para. 6.

¶ *Sed percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Dico vobis, descendit hic iustificatus in domũ suam ab illo.* Hinc discamus quod quantũuis grauissimi peccatores simus, si exẽplo huius publicani ad Deum cum timore & tremore atque animo contrito confugiamus, exaudiemur. Reuolue ergo Deo actiones tuas & earum faciem flagitiorum maculis contaminatam ante eius oculos pone, eum vehementer obsecrans exemplo huius publicani, velit labes tuas expiare. Vt enim mendicus membra sana tegit ea autem ostendit quæ sunt saucia, vt eleemosynam obtineat, sic peccator non est virtutis actiones Deo ostensurus vt pharisæus sed vlcera animæ vt publicanus iste & sic misericordiam cõsequetur. Sed ais: si hæc vera sunt quomodo apud Esaiam ait Dominus: cum extẽderitis manus vestras, auertã oculos meos à vobis. Et cum multiplicaueritis orationem, nõ exaudiam. Et rursum apud Ioannem cæcus ait: scimus quia peccatores Deus non exaudit. Fateor ad hoc, minime Deũ exaudire peccatores nolentes se à sceleribus abducere, nec de sua conuersione cogitare. Cum Deum non quærant ex animo, sed solum lingua. Vnde statim, apud Esaiam, vt redderet Dominus causam cur auertat oculos suos à peccatoribus, cum ad ipsum manus extendunt, addit: manꝰ enim vestræ sanguine plenæ sunt. Qui ergo declinauerit aurem suam, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Vt Salomon ait in Pro. Non enim abbreuiata est manus Dñi, vt saluare nequeat peccatores omnes ad eũ ex animo cõfugiẽtes: neque aggrauata est auris eiꝰ, vt nõ exaudiat, sed

Esai. 1.
Ioan. 9.
Pro. 28.
Esai 59.

sed (vt Esaias docet) iniquitates nostræ sunt quæ diuidunt inter nos & Deum nostrum, & peccata nostra sunt quæ abscondunt faciem eius à nobis ne exaudiat. Est enim peccatum nostrum murus quidam, qui nos à Deo diuidit & separat. Est etiã nubes quædam quæ radiorum cœlestiũ splendorem impedit. Idcirco Dñs alloquens Hiere. ait: posuisti nubem ne transeat oratio. Vbi vides peccatũ nostrũ esse cum nube cõparatum. Nam vt nubes fumus est eleuatus, à terra egressus, sic peccatum fumus est, à nobis qui terra sumus consurgens. Et vt nubes radiorum solis splẽdorem impedit, sic peccatum ob suã caliginem & densitatem, est nobis impedimento, ne diuinę gratiæ splendida luce collustremur. Ex quo efficitur vt anima peccatoris iaceat in obscuro, diuino hoc lumine priuata, & à Deo non exaudita. Quandiu ergo peccatores nolunt se à peccatis abducere, ne de sua cõuersione cogitare, nõ exaudiũtur. Sed audi tu qui peccator es, similis huic publicano: quanuis Deum offenderis, ne peccatis tuis desperationem adhibeas, sed animo pœnitẽti & contrito clama, Deum ardenter obsecra, dicito cum publicano, Deus propitius esto mihi, peccatori, & ipse te exaudiet. Contemplare Ionam, qui cum Deũ offendisset, & proiectus esset in mare, & à pisce magno deuoratus, tamen animum erexit, & ad Deum leuauit, preces fudit, & liberatus est. ¶ Præterea discamus ex hoc loco & contẽptos homines Deũ exaudire, imò vel maxime: id quod in hoc publicano videmus, qui præ pharisæo iustificatus in domũ suã descẽdit. Id etiã quod in Abel audiuimus. Quanuis enim Cain qui iure primogenituræ sacerdos erat, & primus obtulisse, tamen eius sacrificiũ reiectũ fuit, è contra autẽ eius qui contemptior erat, & secundo loco offerebat, gratũ fuisse refertur sacrificiũ. Vnde discimus, Deũ non curare quis honoratior sit: sed quis humilior qui magis eũ timeat ac reuereatur. ¶ Tertio disce: quanta stultitia laborent, seipsos suaque iactantes, aliosq; præ seipsis contemnentes, cum suas actiones quantumque ex se studiosas, amittãt. Nulla est tinea, quæ sic vestes terat ac iactantia virtutem. Quæ à nobis abijciẽda est. Nam si semel insideat, se efferet insolẽtius. Sacrificante Abrahamo ait diuina scriptura descẽdisse volucres super cadauera, eũque illas abegisse. Quid aliud est Abrahamũ volucres abigere, quam debere virũ iustum laudes rerum gestarum fugere. Non sicut pharisæus iste qui sua iactans dicebat gratias tibi ago Dñe quia non sum sicut cæteri homines: cuius iactatio in causa fuit vt omnes bonas actiones suas amitteret: & quod humilis publicanus descenderet iustior illo. ¶ Quarto discamus quam vera sit sanctorũ omniũ sententia, quod Deus ideo mala permittere soleat, vt eliciat bona. Ex peccatis huius publicani eduxit Deus humilitatem: extraxit dolorem ex animo. Cõficere monile preciosum & elaboratũ industria ex auro excellenti non est mirũ, sed ex vili plũbo efficere purũ aurũ, hoc est absque dubio mirabile. Ex auro quilibet artifex cõficiet monile, sed ex infimo cupro preciosum aurũ educere, & aureum monile conflare, emblemate pictũ, & mirabiliter elaboratum, est alchimia cœlestis. Ita ex bono bonũ facere, bonum est, sed humanũ: at ex vitio depromere virtutem, hoc est diuinum. Homines ex auro virtutum efficiunt monilia meritorum, sed aurifex ille, qui ex scelerum plumbo extraxit virtutum aurum Deus est. Ille ex culpa nostra elicit cõmodum nostrum. Nam largitur nobis timorem, dolorem, humilitatẽ, ac fauore suo pœnitentiam agimus. Incidunt homines in peccata, & ipse misericordiã suam ostendit, pœnitentibus flagitia remittens. Vt in hoc publicano vides. Ex nostris ergo malis ingẽtia bona depromit. Ideò ait Augu. Deus adeo bonus est, vt non permitteret malum, nisi præuidisset posse inde aliquod elicere bonum.

¶ *Descendit hic iustificatus ab illo*, vel præ illo. Aut, & non ille, vel magis quam ille. Nota quod Hebræi sua conficiunt comparatiua per præpositionem, men i. ab. (quam interpretes aliquando vertũt quam) positiuis subiuncta. Vt bonus sum ego à fratribus meis. i. melior quã fratres mei. Et in hoc loco amẽ dico vobis descẽdit hic iustificatus ab illo. i. magis quã ille phari-

[Marginalia: Thre. 3. — Simile. — Ionæ. 2. — Deus contemptos & abiectos homines exaudire solet. — Gen. 4. — Iactãtia est tinea sanctitatis. — Gen. 15. — Deus mala permittit vt inde eliciat bona. — Simile. — D. Augu. — Regula de comparatiuis apud Hebræos.]

Gen. 3. c

pharisæus, qui sanctitatem sibi vẽtitabat. Et in Gen. vbi in vulgata editione nos legimus: maledictus es inter omnia animãtia & bestias terræ. 70. dicũt. maledictus tu ab omnibus pecoribus terræ. Hoc est, præ omnibus.

Exemplis ostenditur & locis multis sacre scripturæ quod omnis qui se exaltat humiliatur.

¶ *Quia omnis qui se exaltat humiliabitur.* Quã vera sit hęc Christi sententia innumera exẽpla demonstrant. Sic exaltati sunt Aman, Antiochus, Golias, Olophernes, Sẽnacherib, Alexãder, Cyrus & alij, vt lapsu grauiori caderent. Sũmis (inquit Boetius) negatũ est stare diu. Tolluntur in altũ, vt lapsu grauiori cadant. B Deposuit potentes de sede ait virgo beatissima, & exaltauit humiles. Et D. Iacob⁹ in sua ca. Deus superbis resistit: humilib⁹ autẽ dat gratiam. Et Abdias: si exaltatus fueris vt aquila, & si inter sidera posueris nidum tuũ, inde traham te dicit Dñs. Et Psal. 36 Vidi impiũ superexaltatũ & eleuatũ sicut cedros Libani, & transiui & ecce nõ erat: quæsiui eũ & nõ est inuentus locus eius. Superbi enim & si florere videantur, infœlices tamẽ sunt quoniã miseros exitus cõsequũtur: & ex illo illustri rerũ statu sæpenumero cadũt, & quod peius est, in pœnas æternas præcipitantur. Quẽadmodũ hyeme frigore vigente, & ęstate nimio calore omnia inflãmante raro cadunt ingẽtia fulmina, vt ait Plinius lib. 2. sed vere & autũno quando aer est serenus & tranquillus, tũc maxime adducunt & feriũt, sic maximæ calamitates prosperitati insidiãtur: nõ eos quærũt, qui frigore & æstu in humili statu laborant. Sed illos repẽtino vulnerant impetu, eos deijciũt & incendio cõburunt, qui in tranquillo prosperitatis vere & autũno, superbia extollũtur.

Luc. 1.
Iacob 4.
Abdi 1.
Psal. 36.
Plinius.

¶ Hinc colliges quãto odio prosequatur Dñs superbiã: quãdo insolentiã superborũ se se efferentiũ tantũ deprimere soleat. Odibilis corã Deo & hominib⁹ est superbia affirmat Ecclesi. Et rursum: initiũ omnis peccati est superbia. Et Iob de diabolo loquens ait: ipse est rex super omnes filios superbiæ. Egressi latrũculi quidã de Syria captiuã duxerunt puellã Israeliticã, quã Naamã Syrię principi tradiderũt. Syria cuius Naaman princeps erat sonat elationẽ & superbiã, cuius dæmon princeps est qui dixit: ascendã super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Naaman idem est quod pulcher, siue præparans motum. Talis fuit Lucifer, admirabili pulchritudine decoratus, sed præparans motũ sibi à cœli fastigio ad inferni profunditatem, imo ipse est qui in hominum cordibus motus superbiæ & perturbationes arrogantiæ pręparat. Latrones sunt appetitus nostri, qui puellã, hoc est, anima nostram principi Syriæ tradunt, cum superbia elati omnem nobis excellẽtiam arrogamus & in domicilio & in arce insolentiæ collocati omnia contemnimus, nobisque inferiora ducimus, atque ipso Dei tẽplo vanẽ & superbẽ gloriamur vt olim gloriabantur superbi Iudæi: ipsisque bonis actionibus vanẽ extollimur vt extollidus iste pharisæus. Humilia ergo si sapis spiritũ tuũ quoniã vindicta carnis impij ignis & vermis ait Ecclesi. Quid superbis terra & cinis? Quid te eleuat cor tuum, & quasi magna cogitans attonitos habes oculos? Cũ Alexander ille Magn⁹ ad id superbiæ deuenisset vt solus vellet C esse totius orbis imperator, & Dario dimidiũ regni sibi offerenti responderet, nec terrã duos soles, nec Asyam duos reges ferre posse, decreuit vt illum omnes Deũ appellarent. At ostendit ei Deus fragilitatẽ suã, nam cum in prælio vulnus sagittæ acciperet in crure, multis occurrẽtibus, qui ei diuinitatem tribuebant, dixit: vos vocatis me Deũ impatibilẽ, & immortalẽ, at hic sanguis ostẽdit me esse hominẽ, fragilem, & caducũ. Miser hic homo quia extulit & exaltauit seipsum à Deo fuit humiliatus. Quẽadmodum & superbus ille D rex Tyri, de quo ait Dñs apud Ezechi. Eo quod eleuatũ est cor tuũ quasi cor Dei, idcirco ego adducã super te robustissimos gẽtiũ, interficiẽt, & detrahẽt te, & morieris interitu occisorũ in corde maris. Voce enim vna Dei cadũt impij, voce vna Dei pręcipitãtur iactãtes seipsos, iuxta id quod ait Psalmista, vox dñi cõfringẽtis cedros, & confringet dñs cedros Libani, & cõminuet eas tanquã vitulũ Libani. Vbi per cedros Libani potẽtes & superbi hui⁹ mũdi principes intelligũtur, qui fulmine Dei verbi percussi corruunt, & euanescunt instar

Ecclesi.
Ibidem.
Iob. 41.
4. Reg 5.
Figura.
Esai 14.
Eccle. 7.
Eccle. 10.
Iob. 15.
Ezech. 28.
Psa 28.

instar vituli illius, quem ab Hebræis in Horeb fabricatum comminuit ac dissipauit Deus per Moysem. Quam obcausam verba huius Psalmi ita connectuntur. Et cõminuet eas arbores Libani, tanquã vitulum qui fuit in puluerem redactus, vel vt legit Euthymius: & cõminuet eas tanquam vitulum: Libanum. Vt sit sensus. Quemadmodum Deus confregit vitulũ ab Hebræis conflactum in Horeb, sic has cedros cõminuet. Deinde posito puncto, legitur perse dictio, Libanũ: quasi dicat non solum confringet & cõminuet arbores Libani, sed ipsum Libanum totum. Esaias etiam, dies, inquit, Domini super omnes cedros Libani sublimes & erectas. Hoc est super principes & magnates. Hinc est quod regem Assyriorum comparat Deus cedro Libani vt ostendat fœlicitatem eius atque superbiam. Ecce inquit Assur quasi cedrus in Libano, pulcher ramis, & frõdibus nemorosus, excelsusque altitudine: & inter condensas frõdes eleuatum est cacumen eius, &c. Pro eo quod eleuatum est cor eius in altitudine sua, tradidi eum in manibus fortissimis gentium. Hoc est Nabuchodonosori regi Chaldæorum. Hæc aspiciant reges superbientes, & supplices se rationi subijciant, ne à Deo eijciantur. ¶ *Et qui se humiliat exaltabitur.* Duo in hoc loco se offerunt explicanda: primum quæ sit vera humilitas de qua impresentiarũ loquitur dominus: deinde quã vera sit hæc sentẽtia quod quisquis se deiecerit apud sese, sublimis erit in oculis Dei. ¶ Humilitas ergo quæ hominem exaltat cum sanctitate coniungitur. Hæc si vera est non debet esse fucata, nec simulationibus & fallacijs ficta, sed ex animo. De qua olim apud Danielem loquebãtur tres illi pueri cum canebant: benedicite sancti & humiles corde dominum. Non enim humilitas ostentatione exteriore rumusculos populi aucupante, sed corde & animo approbatur. Ideo Christus dominus discite, inquit, à me quia mitis sum & humilis corde. Simulata enim humilitas est duplex superbia, ideo non potest esse diuturna. Qui simulatione non modo sermone, sed etiam vultu firmam se gloriam consecuturos esse existimant, longè profecto falluntur opinione. Debet quidem humilitas in exterioribus esplendere, ic ex animo prodire: vt omnis gloria filiæ regis sit ab interiore, & foris etiam in fimbrijs aureis, vt verbis vtar Dauidis, circũamicta varietate. Vt canticorum illud in illa cõpleatur. Quam pulchra es amica mea, oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. Ne quis putaret elegantiã & ornamentum sponsę, per quam Ecclesia & anima Deo grata intelligitur, ex ijs rebus solum constare, quæ oculis aspiciũtur, ait omnem eius pulchritudinem esse in intima mẽte collocatam: ex qua in externa ornamenta procedit. Arca testamẽti nõ solum foris, sed intus præcipue erat deaurata, & diuinam legem, virgam Aaronis & manna cibum cœlestem continebat. Tabernaculum Moysis in parte interiore erat ex cortinis, & prçstantibus aulæis mirabiliter ornatum, ex parte verò exteriore erat sagis cilicinis minoris pretij contectum. Nam vt Apostolus ait. c. 1. epistolæ posterioris ad Corin. Gloria nostra hęc est, testimonium conscientiæ nostræ. Qui virtutis speciem & ostentationem magnifaciunt, ipsam autem virtutẽ contemnunt, Deo non immolantur: nisi prius pellem, hoc est, virtutis simulationem proijciant. Animal Deo immolatũ vt ipse Deus Leui. c. 1. præcipiebat, detracta pelle in frusta concidebatur. Considera Dauidis humilitatem, ex intimo animo deprompt am, qui cum Deo loquens aiebat: Dñe non est exaltatum cor meum neque elati sunt oculi mei, neq; ambulaui in magnis, nec in mirabilib9 super me. Ideo te abijce, & vilẽ reputa, & vt verbis vtar Nahũ. c. 3. intra in lutũ, & calca, subigens tene, siuę tere laterem. Hoc est, intra in temetipsum, & sentiens te esse abiectum luctum, cõculca illud, & animi amplectere humilitatẽ. Et vt ait. c. 13. Eccle. humiliare Deo, & expecta manus eius.

¶ Hæc ergo est humilitas de qua modo Dñs loquitur. Qui hanc possident sublimes sunt in oculis domini. Qui hanc habent mirum in modum exaltantur. Vnde idcirco Petrus ait in prima sua canonica capite. 5. Humiliamini sub potenti ma

Marginalia: Euthymius; Esai. 2.; Ezech. 31.; Quæ sit vera humilitas. Et quæ simulata; Dani. 3.; Matth. 11.; Psal. 44.; Cant. 4.; Exo. 25. Heb. 9.; Exo. 26.; 2. Cor. 1.; Leui. 1.; Psa. 130.; Nahum. 3.; Eccle. 13.; 1. Cano. 5.

manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis. Et D. Iacob. cap. 4. Humiliamini in conspectu Domini & exaltabit vos. Stat enim sententia: qui se humiliat exaltabitur, eam obcausam Christus docuit cap. 17. Vt inuitati ad nuptias non in primo sed in vltimo loco discumbamus. Ipse enim humilitatem dilexit, & docuit. Quæsitus ad regnũ fugit, & ad cruciatus & contumelias se obtulit. Quapropter eleuatus est à patre, ac in cœlum sublatus. De illo enim ait ita Paul. ad Philip. ca. 2. Semetipsum exinaniuit formam serui accipiens. Et paulo post: humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem auté crucis. Propter quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Vis ad verá ascendere dignitatem? descende per animi abiectionem. In excelsis ædificijs construendis solent opifices lapides elaboratos sursum ferre funibus volubili artificio in sublimi constitutis. Et quãto plus funis ex vna parte descendit, atque vi & attractione fabricatorum deprimitur, tãto altius ex altera parte extollitur cum lapide: sic quanto se quis abiectius & demissius per animi humilem prosternit: tã to sublimius ascendit per decus & ornamentum. Consistit enim verus honor in falsi honoris despicientia. Et solet Deus eos, quos mundus abijcit, si ipsi humilitatem amplectentur, honore afficere: vt nõ solum non delitescant, sed celebrem obtineant nominis claritatem. Eos qui obscuri & inglorij iacebant, é tenebris in lucem & gloriá vult sępe numero eos Deus euocare. Vt lignum vi ac impetu in gurgitem proiectum tametsi vergat ad profundum, non potest tamen diu esse sub aquis, quin sursum ascẽdat, & proferatur in lucem: sic vir plus, virtute præditus, & scientiæ ornamentis perpolitus, tametsi ab improbis & inuidis sit cõtemptus, qui ei noctem offundere velint, eumque in tumulo perpetuæ obliuionis sepelire, nõ tamen ibi diu latebit: nam Deus eum extollet, & in sublimibus honorum gradibus collocabit. Id intuens diuus Ambro. in Lucam: Bona, inquit, humilitas nihil appetendo, totum quod contemnit, adipiscitur. Et Gregorius lib. 8. Moral. quisquis nunc se sponte nõ humiliat, nequaquam húc sequens gloria exaltat. Et Bernardus in quadã epistola: iacta in te fundamentum humilitatis, & peruenies ad fastigium charitatis. Admirabilis quippe est virtus humilitas: imò virtutum cõseruatrix. Hieronymus in epistola ad Celantiam: nihil, inquit, est, quod nos ita & hominibus gratos, & Deo faciat, quam si vitę merito magni, humilitate tamen infimi simus. Augustinus de verbis Domini: cogitas magnam constituere fabricã celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis. Eam ob causam ait diuus Paulus cap. 2. ad Philip. nihil per contentionem neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes. Ac si dicat nihil faciatis inflati opinione, aut inani gloria ducti. Sed vnusquisque alios præstãtiores se esse existimet. Et capite. 4. ad Ephes. obsecro vos ego vinctus in domino, vt digné ambuletis vocatione, qua vocati estis cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia supportãtes inuicem in charitate. Et quia humilitas est cum alijs virtutib9 copulata, ideo in illo trium puerorum cantico humiles cum sanctis coniungũtur. Et hi sunt qui exaltantur à Deo. Quanto ergo maior es, humiliate in omnibus, & cõram Deo inuenies gratiam ait Ecclesiast. Granum frumenti in terram deiectũ cespites frangit, & deorsum tendit: & quò profundi9 descendit eius radix, eò excelsius eius culmus crebris geniculis interfectus sursum erigitur. Naturæ propositum est ex semine illo fructum producere, illumque sursum extollere: vt autem hoc faciat opus est, vt radix profundius defigatur: cum verò sursum extollitur, solem quærit, absque quo non vegetatur. Eodem modo qui altius volunt efferri, in Dei contemplationem rapi, & veram dignitatem adipisci, debent per animi humilitatem descendere, imbecillitatem suam intueri, seque omni honore penitus indignos iudicare. Et ita erigentur solem iustitiæ quærentes, in eoque totam spem suam collocantes. Implebiturque in illis quod sanctus Iob ait. cap. 22. qui humiliatus

Margin notes: Iaco. 4. — Supra. 17. — Phili. 2. — Simili. — Similitu. — D. Ambro. — D. Grego. — D. Bernar. — D. Hiero. — D. August. — Ad phil. 2. — Ephes. 4. — Eccle. 3. — Simile.

tus fuerit, erit in gloria: & qui inclinauerit oculos suos ipse saluabitur. § *Omnis qui se exaltat humiliabitur & qui se humiliat exaltabitur.* Tam iustus est dominus vt superbis resistat eosq; condignas pœnas humiliando dare soleat. Hinc est quod olim Naum dicebat: Reddidit dominus superbiam Iacob, sicut superbiam Israel. Alij codices habent: quia sicut reddidit domin9 superbiam Iacob, sic superbiam Israel. Sumitur Iacob pro duabus tribubus, quas oppugnauerat & afflixerat Sennacheribus, Israel autem pro decem, quas Salmanasar in Assyriam asportauerat. Sensus est tu Niniue euersa eris: quia sicut domin9 vlciscetur superbiam & contumeliam illatã Hierosolymæ ab exercitu Sẽnacheribi ita eam vlciscetur, quæ illata est Samariæ, ab exercitu Salmanasatis. Ac ita accidit re ipsa: nam exercitus Assyriorum perijt nocte vna, qua interfecti sunt centum octoginta quinque millia illorum: & Sennacheribus se conferens in fugam, fuit à filijs suis vita priuatus. Lege cap. 19. lib. 4. Regum, &. 37. Esaiæ, &. 1. Tobiæ. Et Nina ciuitas fuit à Babylonijs capta, direptioni commissa, & penitus euersa. Verbũ, reddidit, ponitur pro, reddet: quemadmodum alia multa in hoc capite præterita pro futuris. Sũmitur hic reddere pro retribuere: vt sit sensus. Retribuet Deus Assyrijs iuxta eorum superbiam: dabunt pœnas insolẽtiæ & immanitatis suæ. In eandem significationem sumitur capi. 2. Ruth, reddat tibi dominus pro opere tuo. Et. 25. lib. 1. Reg: malitiam Nabal reddidit dominus in caput eius. Et Psalmo. 27. Redde retributionem eorum ipsis. Et. 2. ad Romanos: Qui reddit vnicuique secundum opera eius. Sumpsit autem dominus supplicium de Assyriorum superbia, quia superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Hanc sententiam inuenies cap. 5. epistolæ prioris diui Petri, &. 4. epistolæ diui Iacobi. Quare viri sapientes nõ solũ superbiam, animi fastidium, & insolentiam detestantur, sed eorum consuetudinem declinãt, quos his vicijs inflatos esse intuentur. Illud Psal. 25: cum iniqua gerentibus non introibo: traducit Hieronymus: cum superbis non ingrediar, ac si dicat Dauid: nulla hominum superborum vtar familiaritate: quin potius cum viris humilibus necessitudinem & coniunctionem sancte colẽdam puto. Quemadmodum apes vt aiunt onustę melle submissius volant, quam cum leuitate ductę vacuæ ferũtur in sublime, sic homines pleni virtute & sapientia humiles sunt: quãto autem magis expertes sunt rerum harũ, tanto sé altius & arrogantius extollunt. Balsamum preciosus liquor in aqua positus fundum petit, hebenum lignum ad imum descendit. Qui volunt cognoscere & expendere casiam fistulam, & herbarum semina, ad harum rerum pondera recurrũnt. Inanes enim & leues minimum valẽt: graues autem & ponderosæ plurimum præstant. Idem iudicium est de hominibus faciendum. Quanto quis leuior est, elatior & insolentior, tanto est à vera ac solida virtute alienior: quanto autem plus habet ponderis, humilitatis & animi abiectionis, tanto est iustior & sapiẽtior. Qui in aquis prosperitatis positus ad ima per sui contemptionem descẽdit, magni æstimandus: qui se vero superbè extollit, pro nihilo putandus. Quare superbiã fugiamus, quæ vt Ecclesiasticus ait, odibilis cõram Deo & hominibus est, & iuxta Christi Dei nostri sentẽtiam, qui se exaltat humiliabitur, qui autem se humiliat, exaltabitur.

[Marginal notes: Iustus Dñs superbis resistit. — Naum. 2. — Exponitur locus. — 4. Reg. 19. Esai. 37. Tob. 1. — Ruth. 2. 1. Reg. 25. — Psal. 27. Roma. 2. — 1. Pet. 5. Iacob. 4. — Psal. 25. Hieronym. — Similitu. — Aptæ similitudines. — Eccle. 10. Matth. 23. Luc. 7. & 18.]

AFferebant autem ad illum et infantes vt eos tangeret. Quod cum viderent discipuli, increpabant illos. Iesus autem conuocans illos, dixit, sinite paruulos venire ad me, et nolite vetare eos, talium est enim regnum Dei. Amẽ dico vobis quicũque non acceperit regnũ Dei vt puer, nõ intrabit in illud.

[Marginal note: Matth. 19. Mar. 10.]

ECce autem altera occasio, qua nobis modestiam cum simplicitate coniũctam commendaret dominus.

¶ *Afferebant autem ad illum & infantes vt eos tangeret.* Matres afferebant ad Iesum infantes suos vt tangeret, & benediceret, existimantes futurum vt hoc pacto tutiores essent à casib9 ac morbis quibus illa ętas solet esse obnoxia.

¶ *Quod cum viderent discipuli increpabant illos.* Ideo discipuli increpabãt pueros quod domino satis alioquin, vt ipsis videbatur, occupato, rebus huiusmodi leuioribus facesserent negocium. Iesus autem tametsi non ignoraret, hæc ab ipsis officiosa quadam sedulitate geri, tamen vt nobis exprimeret exemplum simplicitatis, modestię, & innocentiæ, simulque pastores doceret non oportere quẽquã, humilem aut imbecillem, despicere, conuocauit discipulos ad se dixitque eis.

¶ *Sinite paruulos venere ad me, talium est enim regnum Dei. Amẽ dico vobis quicũque non acceperit regnum Dei vt puer, non intrabit in illud.* Hinc colligemus quibus Deus detegat sua mysteria, paruulis, scilicet, hoc est humilibus, simplicibus, non elatis, non superbis. Sic enim affirmat Dauid Psal. 118. dicens: declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Siue vt ex Hebręo verti potest: ostium sermonum tuorum illuminat, &c. Quibus verbis vult Propheta significare diuinam legem etiam in principio mentes illuminare eorum, qui ad eam humiliter accedunt, paruuli enim & infantes pro humilibus & simplicibus accipiũtur: vt in hoc loco docet Dominus. Horum intellectum illustrat doctrina euangelica non superborum, non arrogantium, non denique sua iactantium. Ostiũ diuinæ scripturæ eos illuminat, qui per illud ingrediuntur, ingrediuntur autem per illud paruuli, submissi, & humiles, qui se subijciunt, & inclinant, non autem elati, insolentes, arrogantes: hi enim cum se nolint ad ostij introitum inclinare, retrorsum cadunt. De huiusmodi paruulis etiam ait Dominus apud Matthæũ: confiteor tibi pater, Domine cœli & terræ, qui abscondisti hæc à prudentibus & sapientibus & reuelasti ea paruulis. Horum ait in hoc loco esse regnum Dei. Et alibi affirmat: quod nisi cõuersi humiliemur, & efficiamur vt paruuli non intrabimus in regnum cœlorum. Aiunt perspectiui hominem in profundo antro, siue in imo altissimi putei absque aqua constitutum etiam in luce meridiana videre stellas in cœlo, quas fieri non poterat, vt videret, si esset super antrum siue puteum collocatus. Sic qui se ob animi submissionẽ abijcit, & ad id humilitatis descendit, vt in profundo specu cognitionis sui ipsius se deat, aspiciet meridie alta mysteria in cœlo sacræ paginæ instar micantium siderũ fulgentia, quę nequaquam intueretur si esset fastu & supercilio insignis. Vnde Salomo. in Prouer. ait: vbi fuerit superbia, ibi erit contumelia, vbi autem est humilitas ibi est sapientia. Et D. Chryso. inter sapientes, inquit, sapientior est, qui humilior est. Didimum Philosophum legimus Alexãdro Magno dixisse. Paratus est De9 ad dandum tibi sapientiam, sed non habes, vbi eam recipias, cum sis superbia refertus. Quemadmodum arboris ramus, quò est plenior, eò est grauior, quãto plures & vberiores fructus producit, tanto profundius se abijcit, sic qui sapientior est, humilior est, quò quisque magis est sapientię fructibus onustus, eò magis se deorsum inclinat. At superbus instar inanis rami se erigit in sublime, non animæ vtilitatem quærens, sed vanitatem. Quã obcausam ad diuinam accedens scripturam interitum sibi ipsi machinatur: ea enim est mõs ille, quò si quis accedat in figura hominis, vitam belluæ gerens, lapidibus obruitur, vnde veram sapientiam poterat obtinere si ad doctrinam euangelicam cum humilitate & paruuli imagine accederet, inde exitium certũ refert, quoniam eam vult ingenio tumente penetrare. De huiusmodi hominibus ait Salomo. Qui scrutator est maiestatis opprimetur à gloria. Quemadmodum si quis vellet in splendidam solis sphæram fixe aspicere, obcæcaretur, quia fragilis oculorum acies non potest per se tantũ splendorem sustinere, sic qui suo fretus ingenio tentauerit in admirabilem diuinorũ arca

Marginalia: A; B; C; D; Simplicibus detegit Deus sua mysteria; Psal. 118.; Matth. 11.; Matth. 19; Simile.; Pro. 11.; D. Chrys.; Simile.; Exod. 19.; Pro. 25.

arcanorum claritatem mentis oculos cōijcere, obruetur tanto splendore, & obcęcata mentis acie id, quod volebat nequaquam consequetur: quoniam summi Dei mysteria non possunt hominum ingenio superbia elato comprehendi. Id significabant ea, quæ in sanctis sanctorum erant quondam tecta & velata. Fidens fortasse Paulus ingenio suo, volebat, priusquam Christi fidem reciperet, eius mysteria penetrare, sed ea non percipiens, in magno errore versabatur, cum incensus odio Christianos affligeret, eosque, quos ne voce quidē vulnerare deberet, ferro trucidare cupiebat. At circunfulsit eum lux de cœlo, qui cadens in terram nihil videbat, etiam apertis oculis. Qua in re fuit eius dispositio significata. Sed postea cū se abijceret, cum animi humilitatem & infantis simplicitatem amplecteretur, & deposita omnino animi elatione accederet ad Ananiam, visum recepit. Et in hac humilitate cōstitutus aiebat: ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignꝰ vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. In Psalmo, vbi communis editio iuxta translationem. 70. habet: firmamentum est Dominus timentibꝰ eū, pro firmamēto est in hebraico, sod, quę dictio arcanum significat, qua ratione ductus vertit D. Hierony. in hunc modum locum illum: secretum domini timentibus eum. Quibus verbis promittit Deus, se hominibus humilitate & pietate conspicuis secreta & arcana aperturū, quæ sanctis scripturis continentur. Hoc est magnum Dei beneficium in homines mansuetos seque submissē gerentes collatum, quo nihil excellentius, nihil salutarius excogitari potest. Ad huiusmodi homines respicit Deus apud Esai. Ad quem respiciam nisi ad pauperculum, & contritum corde & tremētem sermones meos? Vbi, 70. habent: super quem intuear, nisi super humilem & quietum & tremētem sermones meos? Hi sunt paruuli quos Christus ad se venire iubet, hi sunt infantes quos benedicit, & amplexatur: & quorum esse regnum cœlorum affirmat. De huiusmodi paruulis loquens Apostolorū princeps in. 1. sua canoni. cap. 2. ait: Deponentes igitur omnem malitiam, & omnē dolum, & simulationes & inuidias, sicut modo geniti infantes rationale & sine dolo lac concupiscite: vt in eo crescatis in salutem. Pro, deponentes, in Græco est ἀποθέμενοι aoristus: est ergo sensus: depositā igitur (in baptismo scilicet) omni malitia, &c. rationabiles & sine dolo, lac cōcupiscite, vt in eo crescatis in salutem, id est, semel in spirituali natiuitate in baptismo regenerati, tales estote per huius natiuitatis gratiam, quales decet nuper natos infantes per innoxię ætatis naturā, ignari, scilicet, malitiæ & doli, inuidere nescij: & sicut illi lac maternum desiderant: quo aliti in maturam ætatem crescant, ita vos de matris Ecclesiæ vberibus lac concupiscite & sugite, idest, simplicia fidei rudimenta, nō arduas fidei quæstiones, qui cibus est grandium, & in scripturis exercitatos sensus habentium, quærite: vt huiusmodi lacte primum aliti crescatis in viros perfectos, & perfectam salutem adipiscamini, hæc prope ex Beda. Quod autē noster interpres Tò rationabiles & sine dolo refert ad Tò deponentes, Græci referunt ad Tò lac, nam quod ille legit λογικοὶ & ἄδολοι, Græca quæ nūc extant habent, τὸ λογικὸν καὶ ἄδολον, idest, rationabile & sine dolo lac concupiscite. Vocat aut lac rationale ad differētiam lactis corporei, vel etiā si metaphoram sequamur ad differentiam lactis animalis, carnalis scilicet doctrinæ hæreticæ, quæ se dolosē insinuat. Huiusmodi ergo lac, inquit, concupiscite. Tales igitur sunt paruuli qui veniunt ad Christum, & quorum est regnum cœlorum. De eiusmodi etiam sunt paruuli de quibus scribit Paul. 1. Corin. cap. 14. nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote sensibus autem perfecti estote. Salmandræ perpusilli animantis tamen tātus est rigor, vt ignem contactu non aliter quā glacies extinguat. Est igitur corpore parua: malitia verò magna. Huiusmodi est piscis Remora sexquipedalis, qui tamen nauim ventis citatam remoratur. Habet enim fides sua rudimenta, & gradus: habet lac, holera, solidum cibum. Paulus cū esset paruulus sapiebat vt paruulus, &c. quod

Marginalia: Exo. 40. 3. Reg. 6. & 8. — Act. 9. — 1. Cor. 15. — Psal. 25. — Esai. 66. — 1. Pet. 2. — Explicatur locus Petri. — Beda. — Gagneius. — 1. Cor. 14 — Salmādres — Remora.

quod verò ad malitiam attinet: stote simplices sicut columbæ: quoniam nisi efficiamini sicut paruulus hic, non intrabitis in regnum cœlorū. Ait Christus Matthæ. 18. malitia paruuli estote: sensibus autem prudentes sicut serpentes.

Matth. 18.

Pietas Christi commendatur.

¶ *Sinite paruulos venire ad me*. Marcus cap. 10. addit & complexans eos, & imponens manus super illos, benedicebat. Satis hac similitudine docet dominus eius quam verè dicat Paul. in episto. ad Hebr. capi. 7. Talis enim decebat vt esset nobis pontifex, pius, innocens, impollutus, &c. Vide eius pietatem, considera eius innocentiam, animaduerte obsecro viscera eius. Amplexabatur hos pueros, eos in proprium sinum eleuans, propiciatus facturam suam qui ab eo ceciderat ab initio. Nec solum in sinum, sed in humeros euexit ouem errantem tanquam pius ac misericors. Quid dicam in humeros cum scriptum sit apud Esaiam: Audite me domus Iacob, qui portamini à meo vtero, qui gestamini à me à vulua: vsque ad senectam ego ipse, & vsque ad canos ego portabo. Et patris & matris & nutricis, atque gerulę officio fungens. Quibus verbis satis ostenditur mirabilis Dei affectus erga peccatores plusquam paternus. Nō quod ineffabilis Dei incomprehensibilisque maiestas vterum habeat aut vuluam, sed hæc dicit, quo nos affectum Dei & pietatem per nostra verba discamus. Sensus est: quod mater indulgens & affectibus amoris plena facit erga fętum suū, hoc ego præsto volens affectu: quanquam me offendistis, tamen ego gesto, & gestare vos pergam, etiam vsque ad senectutē non meam sed vestram. mater aliquando deponit curam filij sui, quando scilicet factus est vir, ego autem nunquam deponam curam vestri. Vide Dei nostri summam erga nos misericordiam. Qui non solum nos amplexatur, sed fouet, & protegit, ac si in suo vtero velut mater nos portasset, & ipse nos concepisset. Creator enim omnium pater creaturæ suæ vocatur, & pastor bonus, quoniam talis decebat vt esset nobis pontifex.

Heb. 7.

Luc. 15.

Esai. 46.

¶ *Talium*, inquit, *est enim regnum cœlorum*. Talium, id est, simplicium est quidem regnum cœlorum, cum simplicibus (ait Salomon) sermocinatio eius. Idcirco monebat sapiens sapientiæ. cap. 1. dicens: Sentite de domino in bonitate: & in simplicitate cordis quærite illum. Hoc intelligens ipsemet Salomon dicebat. 1. Paralipo. cap. 29. Scio Deus meus quod probes corda, & simplicitatem diligas, vnde & ego in simplicitate cordis mei obtuli vniuersa hæc. ¶ Talium etiam, id est, humilium est regnum cœlorum. Nam vt Salomo. in Pro. ait: Humilem spiritu suscipiet gloria. Quicunque ergo se humiliauerit sicut paruulus: hic maior vocabitur in regno cœlorum vt verbis vtar seruatoris Matthæ. 8. ¶ Talium denique est regnum cœlorum, id est, hominum existimantium se omnino indignos esse donis à Deo sibi collatis, est regnum cœlorum. Talis erat paruulus ille qui dicebat: minor sum cūctis miserationibus tuis Gen. 32. Qui eiusmodi igitur sunt aptissimi sunt ad doctrinam euangelicam percipiēdam. Quorū imaginem gerebat Zachęus qui statura pusillus erat: & festinans descendit ab arbore & excepit Iesum gaudens. ¶ Paruuli ergo simus simplicitate & humilitate. Paruuli simus veritate. Tales siquidem sunt paruuli in quorum ore non inuenitur mendacium & ideo sine macula sunt ante thronum Dei. Apo. 14. Paruuli simus, hoc est, immemores iniuriarum: quales sunt paruuli. Vnde recte adhortatur D. Paul. ad Ephes. capit. 4. Sol non occidat super iracundiam vestrā & tunc apti & idonei erimus ad regnum cœlorum, hoc est, ad doctrinam euangelicam & ad eius mysteria prudentibus & sapientibus huius mundi recondita, percipienda.

Simplicis esse regnum cœlorum ostenditur

Pro. 3.

Sapien. 1.

1. par. 29.

Pro. 29.

Matth. 18.

Gen. 32.

Luc. 19.

Apo. 14.

Ephe. 4.

Et interrogabat eum quidam princeps, dicens: magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo? Dixit autem ei Iesus. Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi

nisi solus Deus. Mandata nosti. Non occides, non machaberis, non furtum facies, non falsum testimonium dices, honora patrem tuum, & matrem. Qui ait: hæc omnia custodiui à iuuentute mea. Quo audito Iesu ait ei, adhuc vnum tibi deest: omnia quecunque habes, vende & da panperibus, et habebis thesaurum in cœlo: et veni, sequere me. His ille auditis cõtristatus est: quia diues erat valde. Videns autem Iesus illum tristem factum dixit: quam difficilè qui pecunias habent in regnum Dei intrabũt? Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnũ Dei. Et dixerunt qui audiebant, quis poterit saluus fieri? Ait illis. Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.

E*T interrogauit eum quidam princeps dicens: magister bone quid faciens vitam æternam possidebo?* Tales esse debent quæstiones principum & magnatum: talis cura & diligentia inquirendi quid illis facto opus sit, vt vitam illam beatam & sempiternam sibi comparent. Hanc habebat rex Iosias vir omni

Cura magnatŭ esse debet inquirere quid illis facto opus sit vt saluētur.

A sanctitate & pietate ornatus de quo Dominus apud Esaiam ait.capi.32. & de sibi similibus: princeps ea quę sunt principis cogitabit: decet enim principes quæ necessaria sunt & ad salutē æternam parandam & ad rempublicam gubernandam scire. In libro Leuiti. præcepit Deus ne animal sibi oblatum esset cæcum. In templo Salomonis erant bases, in quibus erant sculpti leones, & boues & cherubin. Quid igitur sunt bases in illo templo nisi B principes & magnates & præsules? Quid per leones in basibus sculptis nisi istorũ fortitudo significatur? Quid per bouēs nisi labores & actiones strenuæ? Quid per cherubin nisi scientiæ plenitudo? Significant enim cherubin scientiæ plenitudinem. Quemadmodum ergo bases illæ, non erant sine cherubin sic non debēt esse sine scientia & cognitione necessariorum ad salutē & vitam æternam assequēdam.

Esai.32.

Leui.2.

3.Reg 7. 2.Para.22

¶ *Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi solus Deus.* Annotare oportet pro huC ius loci plena intelligentia, dominum nõ nunquam sermonem suum accomodare solere ad interrogantium mentem, eorũ verbis neglectis. Et ideo nisi altius res consideretur nonnunquam responsio sermoni instituto nõ videtur quadrare vt Chrysostomus autor est.ho.63.in Matth. Christus, inquit ille, sæpe ad mentem interrogantium orationem accomodat, non ad verba illorum. Vt in hoc loco vides. Nã cum princeps iste interrogaret magister bone quid faciens vitam æternam possidebo? Quoniam ceu ad hominem nudũ & vnum è multis Iudæorũ magistris adD ijt, idcirco, ei quasi homo respondit. Nemo bonus nisi solus Deus. Et apud Ioan. cum Dominus loquitur cum Samaritana, quę arbitrabatur Christum esse vnum è plebe Iudæorum, loquitur vt vnum ex eis. Nos, inquit, adoramus quod nouim9, vos adoratis quod nescitis. Et iterum loquens cum Iudæis, qui arbitrabantur eũ esse mendacem & deceptorem, ait. Si ego testor de me ipso, testimonium meum nõ est verum, est alius qui testimonium perhibet de me. Lege Cyrillum lib.2.thesauri.cap.1.

Regula. Christus aliquando sermonem suum accõmodabat ad interrogantiũ mētem eorũ verbis neglectis. Chryso.

Ioan.4.

Ioan.5.

Cyrilius.

¶ Quid

Non sola fides sed etiam opera sunt necessaria ad salutem æternam.

¶ *Quid faciens vitam æternam possidebo. Et dixit illi Iesus. Mandata nosti. Non occides, &c.* Iam hic aperte vides quam falsa sit hæreticorum nostri temporis sententia dicentium solam fidem homines iustos reddere, atque vitam æternam præstare. O perditam hominum libidinē, o derelictos ab omni sana mente viros, qui id docere, qui id defendere audeant? Nunquid rogatus Christus dominus ab hoc principe, quid sibi faciēdum esset vt ad vitam perueniret æternam, tātum vt crederet præcepit? Nonne vt omnia seruaret mandata? Qui cum in iudicium vniuersum terrarum orbem vocaturus est, ob eam rem alios damnaturum testatur, quod parci, & acerbi in pauperes fuerunt: alios vita beata donaturum, quod in eosdem clementes, benignique fuerint. Num fidem tantum in hac re cōmendauit? Num vllam illius mentionem fecit? Quare hoc? Quoniam intelligebat sapientissimus magister à nonnullis iustam, si nunquam audissent, quod nō crediderint, excusationem afferri posse: nullam vero accepturum, quod benignitatis, & charitatis officia prætermiserint.

Cur Christus in futuro iudicio nullam fidei mentionem fecit.

Matth. 7. Qui apud Matthæum improbos homines cognoscere docens, ait, a fructibus eorum cognoscetis eos: nunquid colligunt de spinis vuas? Aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor, malos fructus facit. Et paulo post postulat non solum vt credamus: sed etiam vt faciamus, dicens: omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ędificauit domum suam supra petram, &c. Et omnis qui audit verba mea hæc, & nō facit ea: similis est viro stulto qui ędificauit domum suam supra arenam. Et apud nostrum Lucam narrans exemplum de illo, qui ascendebat in Ierico: conclusit docens quid nobis factu opus sit: vade, & tu fac similiter: non dixit, crede: sed fac. Et apud Ioannem vos (ait) amici mei eritis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Sicut igitur multis locis tantum petit vt credamus: sic multis alijs exigit vt faciamus. Ergo quemadmodum his non excluditur fides, quod nulla de illa mentio fiat: sic nec

Supra 10. *Ioan. 15.*

A illis facta excluduntur, quod non simul nominentur. Videamus præterea quid eius verissimi, & præstantissimi discipuli, qui puram, & incorruptam eius hauserunt doctrinam, de hac re sentiant: quanti facta, & officij munera faciant. Paulus scribit ad Romanos: Non auditores legis iusti sunt apud Deum: sed factores legis iustificabuntur. Idem scribit Iacobus dicens: Estote factores verbi & non auditores tantum: fallentes vos metipsos: quia siquis auditor est verbi & non factor, hic B comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo: considerauit enim se, & abijt, & statim oblitus est qualis fuerit. Qui autem perspexerit in lege perfectæ libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis: hic beatus in facto suo erit. Idem Petrus docet dicens: Vos autem curā omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem C fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Hæc autem si vobiscum adsint, non vacuos, nec sine fructu vos cōstituent in Domini nostri Iesu Christi cognitione. Cui enim præsto non sunt hæc, cæcus est, & manu tentans, obliuionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum. Ioannes etiam amantissimus Christi discipulus ait, Filioli nemo vos seducat, qui facit iustitiam iustus est: sicut & ille iustus est. Et paulo post, qui non diligit manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est: & scitis quoniā D omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. Dauid etiam quærit, Domine quis habitabit in tabernaculo tuo: aut quis requiescet in monte sancto tuo? Cui ipse quæstioni respondit dicens, qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam: qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit aduersus proximos suos. Et Esaias viā nobis salutis ostendens ait, quiescite agere peruerse, discite benefacere, quærite iudicium, subuenite oppre

Rom. 2. *Iacob 1.* *2. Pet. 1.* *1. Ioan. 3.* *Psal. 14.* *Esai. 1.*

oppresso iudicate pupillo, defendite viduam, quid igitur isti audent tam perfidos sermones inducere, nullum esse peccatū nisi incredulitatem: nullum officiū gratum esse Deo nisi fidem. Sed istos tanquā perfidos omittamus proprio iudicio subuersos. Et si seruari cupimus, vitamque assequi æternam sapientissimum nostrum magistrum audiamus, si vis ad vitam ingredi serua mandata. Et apud Ezechielē si dixero impio: morte morieris: & egerit pœnitentiam, &c. & in mandatis vitæ ambulauerit vita viuet. Vbi mandata vitę vocat pręcepta sua quæ sunt media ad vitam æternam. In lege enim etiam veteri custodientibus Dei mandata vita promittebatur. Vnde Leuiti. cap. 18 ait idem Dominus: custodite leges meas, atque iudicia, quæ faciens homo, viuet in eis. Et quanquam sint qui dicant, illud intelligi de vita duntaxat corporali ac temporali, paraphrasies tamen Chaldæus de ęterna intelligit, ita vertens: quæ faciens homo viuet in eis vita sempiterna. Audiamus etiam eundem dominum Deutero. capi. 4. etiam dicentem: Audi præcepta & iudicia, quæ ego doceo te, vt faciens ea viuas. Et apud Ezechie. cap. 18. & 20. Eadē est sententia. Quare non solum nos sed & illi fidē habentes Messiæ venturi (semper enim fides necessaria fuit) & spem & charitatem, illa legis obseruantia, & virtutum actionibus vitam æternam consequebantur. Et cœlorum ingressum post Christi mortem: viuentes & bona opera in gratia facientes vitam æternam merebantur. & cœlorum gloriam immortalē, quam fuerunt post Christi mortem consecuti. ¶ Quamuis ergo nulla sit lex siuē sit ceremonialis, siue sit moralis, cuius operibus nos ex viribus naturæ nostræ iustificemur dicente Paulo Apostolo ex operibus legis non iustificatur omnis caro, tamen præuia fide & diuino auxilio adiuti, diuinaque gratia iustitiam consecuti, Deoque qui est æterna iustitia per pœnitentiam reconciliati, poterimus verē implere legem, & opera illa in gratia facta vitam æternam merētur. Hæc sunt opera de quibus in hoc loco intelligit Christus. Et apud Matthæum cum ait: Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Et Paul. Circuncisio nihil est, & præputium nihil est, sed obseruatio mandatorū Dei. Nō ergo sat est fides vt hæretici autumāt: Neque sat est obseruantia mandatorum vt vitam sempiternā nobis paremus, sed vtrumque necessarium esse dicimus, qui dicit sine fide impossibile est placere Deo, etiam dicit: si vis ad vitam ingredi serua mandata. Et in hoc loco interrogāti quid faceret vt vitam æternam assequeretur respondet mandata nosti, &c. Huius mysterij typus & figura fuit porta illa templi quā se vidisse narrat Ezechiel, habens decem cubitos in latitudine, & tredecim cubitos in longitudine (appellat enim altitudinem portæ, longitudinem). Numero denario decem pręceptorū decalogi additur ternarius numerus, quia ille legis perficit mandata, qui fide viua in sanctissimam credit Trinitatem. Qui autem huiusmodi est apud Deū obtinet vitam æternam vt impræsentiarū ait Dominus. Et illud, scio quia mandatum eius vita æterna est.

Ezech. 33. Leui. 18. Deut. 4. Ezech. 18. & 20. Gala. 2. & ad Ro. 3. Matth. 19. 1. Cor. 7. Ezech. 40. Figura.

¶ *Mandata nosti.* Non adhūc solum, sed ad omnes gentes sonat hæc vox. Quare nullam habere possunt excusationem. Gentes enim incultæ & immanitate barbaræ mandata hęc nouerunt. Nam insitū est eis à natura parente lumen quoddam quo declinare à malo & operari possunt bonum. Sic enim intelligunt multi illud Psalmi. 4. multi dicunt: quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Quamuis alij aliter intelligant. Iudæi quoque præcepta nouerunt. Cunctus, inquit, populus audiebat voces. Exo. 20. Quam obcausam Propheta Baruch. c. 4. ait: Animæquior esto populus Dei, quia quæ Deo placent nota sunt nobis. Nos autem qui verum Deū atque hominem confitemur ab eo & edocti sumus & quotidie voce prædicatorū suorum edocemur. Quare si boni æmulatores fuerimus vitam sempiternam assequemur.

Ioan 12. Omnes homines tenētur seruare mandata Dei naturalia. Psal. 4. Exo. 20. Baruch. 4.

¶ *Omnia quæcunque habes vende & da pauperibus & habebis thesaurum in cœlis.* Fœlices illi, qui hoc cōsilium Christi sequuntur. Qui diuitias terrę pauperibꝰ distri

Beati qui diuitias suas pauperibus distribuunt. Simile.

distribuunt, veras diuitias inueniét in cœlo. Vt aquæ ad loca ima descendunt, eaqué irrigant, & frugifera reddunt: sic opum affluentia debet in pauperes & abiectos deriuari, eosque cõsolatione permulcere. Et ita non nocebit, sed proderit. Vnde Dauid Psal. 111. dispersit, inquit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in seculũ seculi. Et Ecclesia. 7. Pauperi porrige manum tuam, vt perficiatur propiciatio & benedictio tua. Et Salomon Prouerb. 28. Qui dat pauperibus, non indigebit. Et dominus Iesus in hoc loco da pauperibus & habebis thesaurum in cœlis. ¶ Ex hoc loco discamus quam sancta sit volũtaria paupertas propter regnum cœlorũ sumpta, & promissa. Christus. n. pauperē amare discipulum significat in hoc loco. Et alibi dicens: Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet non potest meus esse discipulus. Idcirco Petrus gloriatur nomine discipulorum dicens: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Nam sicut est (vt Paulus ait) cupiditas radix omnium malorum, ita ex contrarijs argumẽtari possumus paupertatem voluntariam esse bonorum omnium radicem. Cum diuitiæ enim omnia bona, quæ ad corpus spectant, virtute contineant, voluptates, honores, & alia humana commoda, quia facilè pecunijs comparari possunt, qui diuitias contemnunt, omnia externa bona contempsisse videtur. Quod est quidem præclarę virtutis munus. Paupertatē præterea verbis & exemplis nos Christus perfectissimé docuit: nam de se dicit. filius hominis nõ habet vbi caput suum reclinet. Hinc perspicuum etiam est, sanctissimé quidem eum agere, qui copias & facultates, adeò contemplatione, & euangelij prædicatione, laudibusque diuinis posteriores duci, vt dum se totum ad harum rerum curam conferat, in mendicitate non vereatur esse contra quam Ioannes Vuicleph & Luterus docent: qui monachos mendicos, conuitijs omnibus, & ignominijs appetunt: siquidem cum discipulos suos Christus prædicatum mitteret, aurum, argentum, atque pecuniam secũ ferre prohibuit. Quare si nemo sumptus necessarios suppeditaret, stipem necessario petere illi cogerentur. Paulus quoque Corinth. scribit in Ecclesijs Galatiæ viritim pecunias colligi, ad sanctos homines alendos, qui erant in Hierusalem. Lazarus etiã vehementer in Euãgelio à Christo commendatus, mendicus fuit. Quare non solum fas sed etiam pium esse duco, vitam in mendicitate degere. Quo circa paupertatis, & mendicitatis votum nuncupare, honestissimum & officij plenum est. Ioannes tamen Vuicleph, & Luterus mendicitatem his argumentis reprehendunt: quia in Deutero. dicitur, omnino egens, & mendicus nõ erit inter vos. Sed his verbis Moyses Iudæos suadet, vt in pauperes largi, benigni, ac clemẽtes sint: nam loquitur de anno septimo, quo debitores omni ęre alieno gratis legibus liberabãtur. Citant præterea illud Psalmi: non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Sed hoc loco docet Dauid, Deum quæ sua magna clementia, & benignitas est, non solum bonos viros, sed eorum etiam liberos respicere solere: secundum illud faciens misericordias in mille generationes. Itaque licet bonos viros fortunis interdum ab iniquis spoliari patiatur: aut ipsi eas consumpserint benigne facien do alijs, eorum filij Deo maximæ curæ sunt. Et ob eam rem subijcit ipse Dauid in eodem Psalmo, tota die miseretur, & commodat, & semen illius in benedictione est. Loquitur autem superiori loco de mendicitate ea, quæ calamitatem importet, non quę voluntate suscepta sit: qualis eorum est, qui omni cura soluti, Deo tantum placere student: quorũ profecto mendicitas, omnibus regnis, & imperijs anteferenda est.

Psal. 111. Eccl. 7. Pro. 28.

Paupertas volũtaria commẽdatur. Sup. c. 14.

1. Tim. 6.

Matth. 8.

Ioan Vui. Luterus.

Honestam esse monachorũ mẽdicitatem.

Luc. 16.

Ioan. Vui. Luterus. Deute. 15.

Psal. 36.

Exod. 32. Locus Psalmi declaratur.

¶ *Quam difficile qui pecunias habent in regnum Dei intrabũt. Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum Dei.* Si hæc vera esse dicimus vt dicendum est nõ est quare huius mundi opes in bonis annumeremus. sed potius dignę sunt vt eas despiciamus: cum ingressum impediant cœlestis patriæ, & ostium ad æternam beatitudinem intercludant. Acham quod auream regulã Iericho acceperit, fuit morte multatus, & quiete terræ promissionis

Mũdi opes dignæ sũt vt abijciantur quãdo ingressum regni cœlorum impedire soleant. Figura Iosue. c. 7.

mi

minime potius. Hierico est mundus hic, regula aurea est eius potentia, & diuitiarum copia: propter quam nobis aditus ad regnum Dei, ad gloriam sempiternam, quæ est vera terra promissionis, quietis plenissima, interdicitur. Id quod est. capi. 10. Prouerbio. mandatum: non affliget dominus fame animam iusti, & insidias impiorum subuertet: ait Pagninus in thesauro, posse verti: & propter diuitias impios subuertet. Ex quo colligas esse diuitias plerunque causã exitij multorũ, & æterni regni impedimẽtũ. Eã ob causã seruator noster: beati, inquit, pauperes spiritu, quoniã ipsorũ est regnũ cœlorum. Et iterũ: nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. Et rursum: nõ potestis seruire Deo, & mãmonæ. Et tãdem in hoc loco facilius est camelũ per foramen acus transire quã diuitẽ in regnũ Dei. Vbi diues cupidus camelo comparatur pondere sarcinæ oppressor qui opibus onustus non intrat per foramen acus, hoc est per viam arctam ad cœleste regnum. Vt camelus non facile caput sursum effert: ita diues difficilẽ mentem suam extollit ad cœlum. Et vt camelus authore Plinio, priusquam bibat perturbat aquam, aliter potu non gaudet: ita cupidus nulla animi tranquillitate oblectatur, sed turbulentis perturbationibus, & vitæ sordibus ducitur & gaudet. Theophilatus per camelum intelligit funem, seu rudentem nauticum, cuius opinio fuit iucunda & plausibilis & a iunioribus approbata. Eam sequuntur Ioannes Gagnæius, Franciscus Titelmanus, Ioannes Ferus, Ioannes Soarius & alij. Non enim videtur tam apta similitudo ingressus animalis per foramen acus instrumenti sutorij, quam funis seu rudentis. In Græco est κάμηλος quod vocabulũ & animal significat, & funem nauticum, cui anchora solet alligari, & similitudine, vt mea fert opinio, cameli animalis tortuosi. Funis ille ex se integer & contortus fieri non potest vt per foramen acus introeat: at si illum disiungeris, & in fila dissolueris ingredietur filum vnũ & postea alterum, & singula vsque ad vltimum: & ingressis illis omnibus totus funis ingreditur. Eodẽ modo diues dũ fuerit cum diuitijs colligatus & coniunctus, earumque cæca cupiditate implicatus, in cœlum haud quaquam penetrabit: si eas diuiserit, si fila quędam inter pauperes distribuerit, quædam inter peregrinos, quædam inter viduas, quędam in captiuorum redẽptionẽ erogauerit, &c. poterit in regnũ cœlorũm introire. Sed veteres autores per camelũ pro animali tortuoso sarcinis apto in hoc euãgelij loco intelligendũ ducũt. Hi sunt Hiero. in c. 60. Esai. Aug in li. quæstio. euang. Chryso. & Euthy. in Matthæũ, & ante eos Origenes. Fortassis erat in muris hierosolymæ arcta quędã porta vocata foramen acus: qua etiã si animalia ingredi possent, camelus tamen onustus ob magnitudinẽ & flexuosum dorsum ingredi non poterat, nisi onus deposuisset. Sed hac in re cõiectura tantũ ducor ad suspicandũ. Sed siue hoc loco accipiatur camelus pro animali, siue pro fune, vtroque modo ostẽdit, diuites in cœlestẽ beatitudinẽ, siue in doctrinã euangelicã difficulter introire, nisi onus deposuerint, vel in fila eleemosynę diuitias distribuerint. ¶ Cõtẽnamus igitur diuitias quũ certo sciamus quod qui amat diuitias, fructũ non capiet ex eis. Et quod qui volũt diuites fieri incidũt in tẽtationẽ & in laqueũ diaboli & in desideria multa & nociua, quæ mergunt hominẽ in interitũ & perditionẽ. Et quod diuitũ huiusmodi mos sit opprimere pauperes Christi per potẽtiã: & ipsos blasphemare bonũ nomen quod inuocatũ est super eos: vt D. Iacob. affirmat. Cõtẽnamus diuitias quæ introitũ in regnũ cœlorũ impediũt. Nec ꝑpter hoc cõcidat facies nostra nec mœrore afficiamur: quẽadmodũ princeps iste affectus est, qui nõdũ ad puerorũ formã, qui paulo ante ad Christum allati fuerãt, peruenerat: cuius animus occupauerat amor diuitiarũ. Quod si fecerimus boni profecto negociatores erimus: quales fuerunt Tyrij illi, de quibus olim prædixerat Esai. c. 23. Et erũt negotiationes eius & merces eius sanctificatæ dño, nõ cõdẽtur neque reponẽtur. Vaticinatur de cõuersione Tyri ad Christũ. Multi. n. ex Tyrijs receperũt fidẽ Act. 21. Est igitur sensus: Tyrij negociationes terrenas in spirituales cõmutabũt: erũt. n. eorum merces dño dicatæ.

Pro. 10.
Matth. 5.
Supra 6.
Matth. 6.
Similis.
Plinius.
Theophi. per camelum funẽ intelligit.
Gagneius.
Titelma.
Ioã. Ferus.
Soarius.
Veteres doctores per camelum intelligunt animal.
Hiero.
Augustin.
Chryso.
Euthymi.
Origenes.
Eccle. 5.
1. Timo. 6.
Iaco. 2.
Esai 23.
Acto. 21.

homo probè intelligit suorũ membrorũ differentiam, nempe quod sit honestum quod inhonestum, quod honore dignũ & quod indignũ: ipsa autẽ corporis membra id non calent neq; cognoscũt: sic discrimen & differentiã inter sanctũ & sanctũ, inter piũ & pium, Christus dñs, cuius omnes nos mẽbra sumus, solus nouit. Sanctis verò ipsis concessum non est id cognoscere, ne dicãt cũ pharisæo Dñe gratias ago tibi quia non sum sicut cæteri hominum. ¶ Præterea si labi non vis de teipso nõ inaniter præsumas. Est enim iactantia maximæ ruinæ causa. Imitare Petrum, vt Ambrosi. ait, tertio dicentem: Dñe tu scis quia amo te. Etenim qui tertio negauerat, tertio confitetur. Sed negauit in nocte, confitetur in die. Hæc autẽ ideo dicta sunt, vt sciam9 neminẽ iactare se debere. Nã si Petrus lapsus est, quia dixit. & si alij scandalizati fuerint in te, sed ego non: quis alius iure de se præsumit? Denique & Dauid qui dixerat: ego dixi in abundãtia mea, nõ mouebor in æternũ: eã sibi iactantiã obfuisse confitetur dicens: auertisti faciẽ tuã à me & factus sum conturbatus. ¶ Tertio obserua quid pharisæus dicat: Nõ sum, inquit, sicut cæteri hominũ: quid verò publican9: Deus propitius esto mihi peccatori. Et tamen ille dãnatus est: iste verò seruatus. Quia vt sanctus Calixtus ait: causa. 11. q. 3. c. iniustũ: melior est in malis factis humilis cõfessio, quã in bonis superba gloriatio. Tacuit pharisæus iste peccata, quę cõfiteri. & iactauit bona quæ tacere debebat, & idcirco dãnatur. Qui enim sana mẽbra medico ostẽdit: & vulnerata tegit nunquã curari poterit. Similis huic pharisæo fuit aliquãdo Dauid qui tacuit peccatum ad confessionẽ: clamauit verò iustitiã per iactãtiã. Sic enim nõnulli sancti intelligũt locũ illũ Psa. 32. Quoniã tacui inueterauerũt ossa mea dũ clamarent tota die. Peccata quæ cõfiteri debuerat, celauit: bona si quæ fecerat publicauit. Et quia sic clamãs tacebat, inueterauerunt illius ossa, hoc est, omnes animę virtutes.

¶ *Quia non sum sicut cæteri hominum.* Maxima quidem stultitia est se alijs præferre. Tum quod qui eiusmodi est parui,

Lege D. Ber. de doctrina cordis. c. 70.

Iactantia fugienda.

D. Ambr.

Psal. 29.

6 c q. 1. c. Imitare Petrum.

11. q. 3. c. iniustum.

Psal. 32.

Hiero.

Augusti.

Cassiodo.

A vel minimi à Deo ęstimatur, qui humilia respicit & alta à longẽ cognoscit. Quandiu Saul paruus fuit in oculis suis, à Deo plurimi factus est, & ad regiam dignitatẽ sublatus. Contra autem cum magnus sibi visus est, à solio & dignitate fuit deiectus, vt sacra pagina refert. 1. lib. Reg. c 15. Tum etiam quia nemo quantumuis iustus sit, nouit finem suum. Quare non est cur alios cõtemnat: non, inquam, est cur cæteris se præponat. Sunt iusti, ait sapiẽs, quorũ opera sunt in manu Dei: & tamen

B nescit homo vtrum odio vel amore dignus sit. Multi namque sunt qui maxima sanctitate pollere videntur, & tandem peccatis obnoxij præcipitantur in infernum. Contrà verò alios flagitijs atq; sceleribus innumeris obsessos videmus tandem seruari: in vitæ fine cum latrone dicentes: Domine memento mei dum veneris in regnum tuum: & cũ publicano: Deus propitius esto mihi peccatori. De primis ait idem sapiens: Vidi impios sepultos: qui cum adhuc viuerent in loco sancto erant, & laudabantur in ciuitate quasi iustorum operum. Spiritu enim

C prophetico vidit Salomon plurimos in inferno sepultos, qui dum viuerẽt sancti, & iusti credebantur. Quare stultum est se velle alijs præferre aut comparare. Hinc est quod D. Bernar. admonet hortaturq; vnunquemque nostrum dicens: Noli te comparare maioribus, noli minorib9, noli aliquibus, noli vel vni. Nemini te non dico præponas: sed ne præsumas comparare. Et rursum ait: In anima planẽ non est timenda quantalibet humiliatio, horrenda autem nimiumque pauenda vel nimia temerẽ præsumpta erectio.

D Nam, vt Augustinus ait, ostium paradisi est humile, quod si sano capite volumus intrare, oportet nos caput dimittere. Præterea non parua stultitia censenda est, credere solem minime lucere nisi in domo, hoc est, anima nostra. Idcirco Ber. aiebat: nolo vt nusquam arbitreris lucere diem nisi in cella tua: nusquam esse serenum nisi penes te: nusquam operari gratiam Dei nisi in conscientia tua: malo te cogitare vbique esse serenum nisi apud te: & peius de te, quam de aliquo alio æstimate.

Stultũ est se alijs pręferre.

1. Reg. 15

Eccle. 9.

Infra. 23

Eccle. 8.

D. Ber.

Idem.

D. Augu.

D. Ber.

re. Tandem qui sua iactat coram Deo, illi ostentat diuitias suas, quę sanè ostentatio fontē diuinę misericordię obstruit. Vnde Ber. Pharisæus, inquit, exsufflat diuinam misericordiā, dū dissimulat miseriā. ¶ Nec stultitia solu censenda est huiusmodi iactatio, sed iniquitas nō parua: cū & Deo & proximo maxima iniuria fiat. Deo qui dēcōsilit sibi datū sit a patre de aliorū vita & moribus iudiciū. Pater, inquit, omne iudiciū dedit filio. Cum etiā qui talis est Dei imaginē despiciat. Qui enim calūniatur agētē (ait Salo.) exprobat factori eius, qui fecit talē. Proximo vero, quia iudex eius vitæ indebite fit. Nam tu quis es, qui iudicas alienū seruū? Dño suo stat, aut cadit. Satius profecto esset vitā tuam exactē examinare, quã proximorū tuorū mores iniquē iudicare. Nā vt D. Ber. inquit, qui perfectē semetipsum examinando intelligit, suo peccato nullius peccatū par esse existimat, quod non sicut suū intelligit. Quod si secus feceris cōtinget tibi quod olim misero Aman, proximo vero tuo, quod Mardochęo. Credebat infœlix ille Aman quod a rege esset maximo honore afficiendus, cū tamen esset suspendēdus. Cogitans enim miser homo, quod nullū aliū nisi se rex Assuerus honorare vellet respondit interroganti: homo quem rex honorare cupit debet indui vestibus regijs, & imponi super equū, qui de sella regis est, & accipere regiū diadema super caput suū, &c. Et tandē subdit scriptura quod suspensus est Aman superbus in patibulo, quod parauerat Mardochęo. Humilis vero Mardochæus, quem Amā suspendere volebat, maximis honoribꝰ à rege est affectus. Sic etiā tumidus iste phariſęus, quod sibi placebat, & in proximū cōtumeliosus erat, præcipitatus est in ꝓfundum: contra publicanus totus sibi displicēs in cœlū fuit exaltatus. ¶ Sed ais. Quis obsecro hanc gloriā tam fortē tam potētem, hoc est, superbiā, iactantiam, ac præsumptionē, quæ vbiq; serpit, superare poterit? Quis queris? Dauid. s. procedat ergo Dauid manu fortis, quoniā nō est vincere tantū hostem nisi in manu forti. Armetur ipse contra Goliam, & sic non reputabit Goliæ proceritatem. Colligat nimirum de torrente huius sęculi lapides quinque hoc est, cōminationem, dilectione, imitationē & orationē: & in vase memoriæ suæ reponat, considerans quanta nobis cōminetur Deus, quāta promittat, quantam nobis exhibeat charitatem, & quam multa nobis charitatis exēpla proponat, quēadmodū denique orationum nobis vbique cōmendat instātiam. Quotiescunque ergo vanitatis cogitatio mentem pulsat, si in imo cordis affectu expauescere ceperis comminationes, seu promissiones eius desiderare, nō sustinet Golias vtriuslibet lapidis iactū, sed reprimitur illo tumor omnis. Quod idem cōtinget si aliquo cæterorum lapidum illum percutias. De qua re lege D. Bernar. sermone de Dauid & Golia.

¶ *Et publicanus.* Et, pro, at, Hebraismus.

¶ *Et publicanus à longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum leuare.* Hinc discamus quod si ad Deum accedere volumus persistere in timore debemus. Non præsumptuosē accedamus vt pharisæus sed humiles & trementes sicut publicanus iste, & Emorroissa. Timet homo naturaliter cum ad Deum accedere debet, quem iudicem suū esse scit: hic tamen timor ad multa vtilis est. Hinc fuit vox illa primi parentis vocem tuam audiui & timui. Ac si diceret: iam pręter morem solitū te duriorem inuenio & longē aliam vocem audio quam hactenus, hinc factū est quod præ timore me sic abscondo: non est amplius mihi talis fiducia, vt sic comparere possim coram te: audiui iram tuam quam ferre non possumus, &c. Sic nimirū peccator in conscientia sua confusus, non audet oculos ad cœlum leuare. Discamus igitur & nos Deum timere. Si enim publicanus iste non audebat oculos ad cœlum leuare prætimore & reuerentia: si mulier illa in ciuitate peccatrix timore correpta, stare non est ausa coram Domino: sed stetit retro secus pedes eius: si sanctus ille Patriarcha Abrahamus loqui cum Domino Deo suo volens dicebat: loquar ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis: quanto magis miser peccator, putredo & vermis, puluis & cinis, vitiorum ac miseriarum omniū abyssus, timere

Marginal notes: D. Ber. — Se aliis præferre iniquitas est maxima — Ioan. 5. — Pro. 14. — Roma. 14. — D. Ber. — Esther. 6. — 1. Reg. 17. Figura. — Timor vtilis. — Matth. 9. — Gen. 3. — Supra. c. 9 — Gen. 18.

timere debet, si ad Dominum accedat. Displiceamus igitur nobis ipsis ob peccatorum conscientiam, & procul exemplo huius publicani obsistamus à lactis, adeò pudentes; pœnitentesque nostri vt ne oculos audeamus in cœlum leuare. Adeò timentes præ admiratione & reuerentia vt dicamus cum D. Petro: exi à me Domine, quoniã homo peccator sum. Sciebat peccator iste quã longè sit à peccatoribus salus. & ideo suã indignitatem ostendere volens longè stabat. sciebat, Ozã olim subitò corruisse, quod arcæ testamẽti inclinatæ indignus appropinquaret: idcirco appropinquare minime audebat. Sciebat signũ animæ fornicantis esse in oculorũ extollentia. Cũ Eccle. 26. scriptum sit: fornicatio mulieris in extollentia oculorũ eius, & in palpebris eius agnoscitur: propterea nõ audebat oculos ad cœlũ tollere. Imo illos deprimẽs intra se dicebat: pater peccaui in cœlũ & corã te. iam non sum dignus vocari filius tuus. Vnde D. Ber. ait. nolebat oculos ad cœlum leuare, vt per humilitatẽ cœlũ ad se posset inclinare. Quod postulabat cum Dauid dicẽs: Dñe inclina cœlos tuos, & descende.

[Supra le. 5. — Psal. 118. — 2 Reg. 6. — Eccles. 26. — Bernar. — Psal. 143.]

¶ *Sed percutiebat pectus suum.* Iure sanè pectus suũ peccator percutit; quãdo peccata quæ cõmittit, de pectore exeant. De corde enim exeunt, vt ait Christus, furta, adulteria, falsa testimonia & alia id genus scelera, quæ coinquinant reuera hominem.

[Matth. 15.]

¶ *Deus propitius esto mihi peccatori.* Docet nos hic publicanus modũ, veniam à Deo impetrãdi. Primũ, Deũ inuocare debemus: cuius est, prouidere miseris omnibus in eũ fiduciam firmã habẽtibus. Ideo enim ait Psalmista: iacta super dñm curã tuã. Et Augu. proijce te in Deũ, quia non est ita crudelis, vt se subtrahat, & cadere permittat. Et D. Petrus in. 1. sua cano. c. 5. Omnẽ solicitudinẽ vestrã proijcientes in eum. Deinde eius clemẽtiã imploremus quoniã apud ipsum propitiatio est: imo ipse est propitiatio pro peccatis nostris vt affirmat D. Ioan. 1. cano. 2. cuius typus olim fuit propitiatorium illud sanctum Exod. 37. Cum ergo crimen aliquod perpetrauerimus statim ad Dei misericordiã humiles accedentes dicamus: Deus propitius esto mihi peccatori: exemplo huius publicani, exemplo etiam D. Dauidis dicentis Psalm. 88. Propitius esto Domine peccatis nostris: ne quando dicant gẽtes vbi est Deus eorum. Tãdem nos esse peccatis obnoxios confiteamur dicẽtes cum publicano & cum Daniele: peccauimus, iniquè egimus in omnem iustitiam tuã. Et cum Dauide: ego sum qui peccaui, ego iniquè egi. Et rursum. 2. Para. 6. peccauimus, iniquè egimus, iniustè fecimus.

[Modus veniam à deo impetrãdi describitur. — Psal. 44. — D. Augus. — 1. Pet. 5. — 1. Ioan. 2. — Exo 37. — Psal. 78. — Dani. 9. — 2. Reg. 24. — 2. Para. 6.]

¶ *Sed percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Dico vobis, descendit hic iustificatus in domũ suam ab illo.* Hinc dicamus quod quantũuis grauissimi peccatores simus, si exẽplo huius publicani ad Deum cum timore & tremore atque animo contrito confugiamus, exaudiemur. Reuolue ergo Deo actiones tuas & earum faciem flagitiorum maculis contaminatam ante eius oculos pone, eum vehementer obsecrans exemplo huius publicani, velit labes tuas expiare. Vt enim mendicus membra sana tegit ea autem ostendit quæ sunt saucia, vt eleemosynam obtineat, sic peccator non est virtutis actiones Deo ostensurus vt pharisæus sed vlcera animæ vt publicanus iste & sic misericordiam cõsequetur. Sed ais: si hæc vera sunt quomodo apud Esaiam ait Dominus: cum extẽderitis manus vestras, auertã oculos meos à vobis. Et cum multiplicaueritis orationem, nõ exaudiam. Et rursum apud Ioannem cæcus ait: scimus quia peccatores Deus non exaudit. Fateor ad hoc, minime Deũ exaudire peccatores nolentes se à sceleribus abducere, nec de sua conuersione cogitare. Cum Deum non quærant ex animo, sed solum lingua. Vnde statim, apud Esaiam, vt redderet Dominus causam cur auertat oculos suos à peccatoribus, cum ad ipsum manus extendunt, addit: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Qui ergo declinauerit aurem suam, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Vt Salomon ait in Pro. Non enim abbreuiata est manus Dñi, vt saluare nequeat peccatores omnes ad eũ ex animo cõfugiẽtes: neque aggrauata est auris eius, vt nõ exaudiat,

[Esai. 1. — Ioan. 9. — Pro. 28. — Esai 59.]

sed

sed (vt Esaias docet) iniquitates nostræ sunt quæ diuidunt inter nos & Deum nostrum, & peccata nostra sunt quæ abscondunt faciem eius à nobis ne exaudiat. Est enim peccatum nostrum murus quidam, qui nos à Deo diuidit & separat. Est etiã nubes quædam quæ radiorum cœlestiũ splendorem impedit. Idcirco Dñs alloquens Hiere. ait: posuisti nubem ne transeat oratio. Vbi vides peccatũ nostrũ esse cum nube cõparatum. Nam vt nubes fumus est eleuatus, à terra egressus, sic peccatum fumus est, à nobis qui terra sumus consurgens. Et vt nubes radiorum solis splẽdorem impedit, sic peccatum ob suã caliginem & densitatem, est nobis impedimento, ne diuinę gratiæ splendida luce collustremur. Ex quo efficitur vt anima peccatoris iaceat in obscuro, diuino hoc lumine priuata, & à Deo non exaudita. Quandiu ergo peccatores nolunt se à peccatis abducere, ne de sua cõuersione cogitare, nõ exaudiũtur. Sed audi tu qui peccator es, similis huic publicano: quanuis Deum offenderis, ne peccatis tuis desperationem adhibeas, sed animo pœnitẽti & contrito clama, Deum ardenter obsecra, dicito cum publicano, Deus propitius esto mihi, peccatori, & ipse te exaudiet. Contemplare Ionam, qui cum Deũ offendisset, & proiectus esset in mare, & à pisce magno deuoratus, tamen animum erexit, & ad Deum leuauit, preces fudit, & liberatus est. ¶Præterea discamus ex hoc loco & contẽptos homines Deũ exaudire, imò vel maxime: id quod in hoc publicano videmus, qui præ pharisæo iustificatꝰ in domũ suã descẽdit. Id etiã quod in Abel audiuimus. Quanuis enim Cain qui iure primogenituræ sacerdos erat, & primus obtulisse, tamen eius sacrificiũ reiectũ fuit, ẽ contra autẽ eius qui contemptior erat, & secundo loco offerebat, gratũ fuisse refertur sacrificiũ. Vnde discimꝰ, Deũ non curare quis honoratior sit: sed quis humilior qui magis eũ timeat ac reuereatur. ¶Tertio disce: quanta stultitia laborent, seipsos suaque iactentes, aliosq; præ seipsis contemnentes, cum suas actiones quantumque ex se studiosas, amittãt. Nulla est tinea, quæ sic vestes terat ac iactantia virtutem. Quæ à nobis abijciẽda est. Nam si semel insideat, se efferet insolẽtius. Sacrificante Abrahamo ait diuina scriptura descẽdisse volucres super cadauera, eũque illas abegisse. Quid aliud est Abrahamũ volucres abigere, quam debere virũ iustum laudes rerum gestarum fugere. Non sicut pharisęus iste qui sua iactans dicebat gratias tibi ago Dñe quia non sum sicut cæteri homines: cuius iactatio in causa fuit vt omnes bonas actiones suas amitteret: & quod humilis publicanus descenderet iustior illo. ¶Quarto discamus quam vera sit sanctorũ omniũ sententia, quod Deus ideo mala permittere soleat, vt eliciat bona. Ex peccatis huiꝰ publicani eduxit Deus humilitatem: extraxit dolorem ex animo. Cõficere monile preciosum & elaboratũ industria ex auro excellenti non est mirũ, sed ex vili plũbo efficere purũ aurũ, hoc est absque dubio mirabile. Ex auro quilibet artifex cõficiet monile, sed ex infimo cupro preciosum aurũ educere, & aureum monile conflare, emblemate pictũ, & mirabiliter elaboratum, est alchimia cœlestis. Ita ex bono bonũ facere, bonum est, sed humanũ: at ex vitio depromere virtutem, hoc est diuinum. Homines ex auro virtutum efficiunt monilia meritorum, sed aurifex ille, qui ex scelerum plumbo extraxit virtutum aurum Deus est. Ille ex culpa nostra elicit cõmodum nostrum. Nam largitur nobis timorem, dolorem, humilitatẽ, ac fauore suo pœnitentiam agimus. Incidunt homines in peccata, & ipse misericordiã suam ostendit, pœnitentibus flagitia remittens. Vt in hoc publicano vides. Ex nostris ergo malis ingẽtia bona depromit. Ideò ait Augu. Deus adeo bonus est, vt non permitteret malum, nisi præuidisset posse inde aliquod elicere bonum.

¶*Descendit hic iustificatus ab illo*, vel præ illo. Aut, & non ille, vel magis quam ille. Nota quod Hebræi sua conficiunt comparatiua per præpositionem, men i. ab. (quam interpretes aliquando vertũt quam) positiuis subiuncta. Vt bonus sum ego à fratribus meis. i. melior quã fratres mei. Et in hoc loco amẽ dico vobis descẽdit hic iustificatus ab illo. i. magis quã ille phari-

Marginalia: Threni 3. — Simile. — Ionæ 2. — Deus contemptos & abiectos homines exaudire solet. — Gen. 4. — Iactãtia est tinea sanctitatis. — Gen. 15. — Deus mala permittit vt inde eliciat bona. — Simile. — D. Augu. — Regula de comparatiuis apud Hebræos.

pharisæus, qui sanctitatem sibi vẽditabat. Et in Gen. vbi in vulgata editione nos legimus: maledictus es inter omnia animãtia & bestias terræ. 70. dicũt: maledictus tu ab omnibus pecoribus terræ. Hoc est, præ omnibus.

Gen. 3. c

¶ *Quia omnis qui se exaltat humiliabitur.* Quã vera sit hęc Christi sententia innumera exẽpla demonstrant. Sic exaltati sunt Aman, Antiochus, Golias, Olophernes, Sẽnacherib, Alexãder, Cyrus & alij, vt lapsu grauiori caderent. Sũmis (inquit Boetius) negatũ est stare diu. Tolluntur in altũ, vt lapsu grauiori cadant. Deposuit potentes de sede ait virgo beatissima, & exaltauit humiles. Et D. Iacob⁹ in sua ca. Deus superbis resistit. humilib⁹ autẽ dat gratiam. Et Abdias: si exaltatus fueris vt aquila, & si inter sidera posueris nidum tuũ, inde traham te dicit Dñs. Et Psal. 36 Vidi impiũ superexaltatũ & eleuatũ sicut cedros Libani, & transiui & ecce nõ erat: quæsiui eũ & nõ est inuentus locus eius. Superbi enim & si florere videantur, infœlices tamẽ sunt quoniã miseros exitus cõsequũtur: & ex illo illustriorẽ statu sæpenumero cadũt, & quod peius est, in pœnas æternas præcipitantur. Quẽadmodũ hyeme frigore vigente, & ęstate nimio calore omnia inflãmante raro cadunt ingẽtia fulmina, vt ait Plinius lib. 2. sed vere & autũno quando aer est serenus & tranquillus, tũc maxime adurunt & feriũt, sic maximæ calamitates prosperitati insidiãtur: nõ eos quærũt, qui frigore & æstu in humili statu laborant. Sed illos repẽtino vulnerant impetu, eos deijciũt & incendio cõburunt, qui in tranquillo prosperitatis vere & autũno, superbia extollũtur.

Exemplis ostenditur & locis multis sacrę scripturæ quod omnis qui se exaltat humiliatur.

Luc. 1.
Iacob 4.
Abdi 1.
Psal. 36.
Plinius.

¶ Hinc colliges quãto odio prosequatur Dñs superbiã: quãdo insolentiã superborũ se efferentium tantũ deprimere soleat. Odibilis corã Deo & hominib⁹ est superbia affirmat Ecclesi. Et rursum: initiũ omnis peccati est superbia. Et Iob de diabolo loquens ait: ipse est rex super omnes filios superbiæ. Egressi latrũculi quidã de Syria captiuã duxerunt puellã Israeliticã, quã Naamã Syrię principi tradiderũt. Syria cuius Naaman princeps erat sonat elationẽ & superbiã, cuius dæmon princeps est qui dixit: ascendã super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Naaman idem est quod pulcher, siue præparans motum. Talis fuit Lucifer, admirabili pulchritudine decoratus, sed præparans motũ sibi á cœli fastigio ad inferni profunditatem, imó ipse est qui in hominum cordibus motus superbiæ & perturbationes arrogantiæ pręparat. Latrones sunt appetitus nostri, qui puellã, hoc est, animã nostram principi Syriæ tradunt, cum superbia elati omnem nobis excellẽtiam arrogamus & in domicilio & in arce insolentiæ collocati omnia contemnimus, nobisque inferiora ducimus, atque ipso Dei tẽplo vanẽ & superbẽ gloriamur vt olim gloriabantur superbi Iudæi: ipsisque bonis actionibus vanẽ extollimur vt extollidus iste pharisæus. Humilia ergo si sapis spiritũ tuũ quoniã vindicta carnis impij ignis & vermis ait Eccles. Quid superbis terra & cinis? Quid te eleuat cor tuum, & quasi magna cogitans attonitos habes oculos? Cũ Alexander ille Magn⁹ ad id superbiæ deuenisset vt solus vellet esse totius orbis imperator, & Dario dimidiũ regni sui offerenti responderet, nec terrã duos soles, nec Asyam duos reges ferre posse, decreuit vt illum omnes Deũ appellarent. At ostendit ei Deus fragilitatẽ suã, nam cum in prælio vulnus sagittæ acciperet in crure, multis occurrẽtibus, qui ei diuinitatem tribuebant, dixit: vos vocatis me Deũ impatibilẽ, & immortalẽ, at hic sanguis ostẽdit me esse hominẽ, fragilem, & caducũ. Miser hic homo quia extulit & exaltauit seipsum a Deo fuit humiliatus. Quẽadmodum & superbus ille rex Tyri, de quo ait Dñs apud Ezechi. Eó quód eleuatũ est cor tuũ quasi cor Dei, idcirco ego adducã super te robustissimos gẽtiũ, interficiẽt, & detrahẽt te, & morieris interitu occisorũ in corde maris. Voce enim vna Dei cadũt impij, voce vna Dei pręcipitãtur iactãtes seipsos, iuxta id quod ait Psalmista, vox dñi cõfringẽtis cedros, & confringet dñs cedros Libani, & cõminuet eas tanquã vitulũ Libani. Vbi per cedros Libani potẽtes & superbi hui⁹ mũdi principes intelligũtur, qui fulmine Dei verbi percussũ corruunt, & euanescunt instar

Ecclesi. 10
Ibidem.
Iob. 41.
4. Reg 5.
Figura.
Esai 14.
Eccle. 7.
Eccle. 10.
Iob. 15.
Ezech. 28.
Psal. 28.

instar vituli illius, quem ab Hebræis in Horeb fabricatum comminuit ac dissipauit Deus per Moysem. Quam ob causam verba huius Psalmi ita connectuntur. Et cōminuet eas arbores Libani, tanquā vitulum qui fuit in puluerem redactus, vel vt legit Euthymius: & cōminuet eas tanquam vitulum: Libanum. Vt sit sensus. Quemadmodum Deus confregit vitulū ab Hebræis conflatum in Horeb, sic has cedros cōminuet. Deinde posito puncto, legitur per se dictio, Libanū: quasi dicat non solum confringet & cōminuet arbores Libani, sed ipsum Libanum totum. Esaias etiam, dies, inquit, Domini super omnes cedros Libani sublimes & erectas. Hoc est super principes & magnates. Hinc est quod regem Assyriorum comparat Deus cedro Libani vt ostendat fœlicitatem eius atque superbiam. Ecce inquit Assur quasi cedrus in Libano, pulcher ramis, & frōdibus nemorosus, excelsusque altitudine. & inter condensas frōdes eleuatum est cacumen eius; &c. Pro eo quod eleuatum est cor eius in altitudine sua, tradidi eum in manibus fortissimis gentium. Hoc est Nabuchodonosori regi Chaldæorum. Hæc aspiciant reges superbientes, & supplices se rationi subijciant, ne à Deo eijciantur. ¶ *Et qui se humiliat exaltabitur.* Duo in hoc loco se se offerunt explicanda: primum quæ sit vera humilitas de qua impræsentiarū loquitur dominus: deinde quā vera sit hæc sentētia quod quisquis se deiecerit apud sese, sublimis erit in oculis Dei. ¶ Humilitas ergo quæ hominem exaltat cum sanctitate coniungitur. Hæc si vera est non debet esse fucata, nec simulationibus & fallacijs ficta, sed ex animo. De qua olim apud Danielem loquebātur tres illi pueri cum canebant: benedicite sancti & humiles corde dominum. Non enim humilitas ostentatione exteriore rumusculos populi aucupante, sed corde & animo approbatur. Ideo Christus dominus discite, inquit, à me quia mitis sum & humilis corde. Simulata enim humilitas est duplex superbia, ideo non potest esse diuturna. Qui simulatione non modo sermone, sed etiam vultu firmam se gloriam conse cuturos esse existimant, longè profecto falluntur opinione. Debet quidem humilitas in exterioribus esplendere, & ex animo prodire: vt omnis gloria filiæ regis sit ab interiore, & foris etiam in fimbrijs aureis, vt verbis vtar Dauidis, circūamicta varietate. Vt canticorum illud in illa cōpleatur. Quam pulchra es amica mea, oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. Ne quis putaret elegantiā & ornamentum sponsę, per quam Ecclesia & anima Deo grata intelligitur, ex ijs rebus solum constare, quæ oculis aspiciūtur, ait omnem eius pulchritudinem esse in intima mēte collocatam: ex qua in externa ornamenta procedit. Arca testamēti nō solum foris, sed intus præcipue erat deaurata, & diuinam legem, virgam Aaronis & manna cibum cœlestem continebat. Tabernaculum Moysis in parte interiore erat ex cortinis, & pręstantibus aulæis mirabiliter ornatum, ex parte verò exteriore erat sagis cilicinis minoris pretij contectum. Nam vt Apostolus ait. c. 1. epistolæ posterioris ad Corin. Gloria nostra hęc est, testimonium conscientiæ nostræ. Qui virtutis speciem & ostentationem magnifaciunt, ipsam autem virtutē contemnunt, Deo non immolantur: nisi prius pellem, hoc est, virtutis simulationem proijciant. Animal Deo immolatū vt ipse Deus Leui. c. 1. præcipiebat, detracta pelle in frusta concidebatur. Considera Dauidis humilitatem, ex intimo animo deprompta m, qui cum Deo loquens aiebat: Dn̄e non est exaltatum cor meum neque elati sunt oculi mei, neq; ambulaui in magnis, nec in mirabilibꝰ super me. Ideo te abijce, & vilē reputa, & vt verbis vtar Nahū. c. 3. intra in lutū, & calca, subigens tene, siue tere laterem. Hoc est, intra in temetipsum, & sentiens te esse abiectum lutum, cōculca illud, & animi amplectere humilitatē. Et vt ait. c. 13. Eccle. humiliare Deo, & expecta manus eius.

¶ Hæc ergo est humilitas de qua modo Dn̄s loquitur. Qui hanc possident sublimes sunt in oculis domini. Qui hanc habent mirum in modum exaltantur. Vnde idcirco Petrus ait in prima sua canonica capite. 5. Humiliamini sub potenti

manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis. Et D. Iacob. cap. 4. Humiliamini in conspectu Domini & exaltabit vos. Stat enim sententia: qui se humiliat exaltabitur, eam ob causam Christus docuit cap. 17. Vt inuitati ad nuptias non in primo sed in vltimo loco discumbamus. Ipse enim humilitatem dilexit, & docuit. Quæsitus ad regnū fugit, & ad cruciatus & contumelias se obtulit. Quapropter eleuatus est à patre, ac in cœlum sublatus. De illo enim ait ita Paul. ad Philip. ca. 2. Semetipsum exinaniuit formam serui accipiens. Et paulo post: humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autē crucis. Propter quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Vis ad verā ascendere dignitatem? descende per animi abiectionem. In excelsis ædificijs construendis solent opifices lapides elaboratos sursum ferre funibus volubili artificio in sublimi constitutis. Et quāto plus funis ex vna parte descendit, atque vi & attractione fabricatorum deprimitur, tāto altius ex altera parte extollitur cum lapide: sic quanto se quis abiectius & demissius per animi humilem prosternit: tāto sublimius ascendit per decus & ornamentum. Consistit enim verus honor in falsi honoris despicientia. Et solet Deus eos, quos mundus abijcit, si ipsi humilitatem amplectentur, honore afficere: vt nō solum non delitescant, sed celebrem obtineant nominis claritatem. Eos qui obscuri & inglorij iacebant, è tenebris in lucem & gloriā vult sæpe numero eos Deus euocare. Vt lignum vi ac impetu in gurgitem proiectum tametsi vergat ad profundum, non potest tamen diu esse sub aquis, quin sursum ascēdat, & proferatur in lucem: sic vir pius, virtute præditus, & scientiæ ornamentis perpolitus, tametsi ab improbis & inuidis sit cōtemptus, qui ei noctem offundere velint, eumque in tumulo perpetuæ obliuionis sepelire, nō tamen ibi diu latebit: nam Deus eum extollet, & in sublimibus honorum gradibus collocabit. Id intuens diuus Ambro. in Lucam: Bona, inquit, humilitas nihil appetendo, totum quod contemnit, adipiscitur. Et Gregorius lib. 8. Moral. quisquis nunc se sponte nō humiliat, nequaquam hūc sequens gloria exaltat. Et Bernardus in quadā epistola: iacta in te fundamentum humilitatis, & peruenies ad fastigium charitatis. Admirabilis quippe est virtus humilitas: imò virtutum cōseruatrix. Hieronymus in epistola ad Celantiam: nihil, inquit, est, quod nos ita & hominibus gratos, & Deo faciat, quam si vitę merito magni, humilitate tamen infimi simus. Augustinus de verbis Domini: cogitas magnam constituere fabricā celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis. Eam ob causam ait diuus Paulus cap. 2. ad Philip. nihil per contentionem neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes. Ac si dicat nihil faciatis inflati opinione, aut inani gloria ducti. Sed vnusquisque alios præstātiores se esse existimet. Et capite. 4. ad Ephes. obsecro vos ego vinctus in domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia supportātes inuicem in charitate. Et quia humilitas est cum alijs virtutib9 copulata, ideo in illo trium puerorum cantico humiles cum sanctis coniungūtur. Et hi sunt qui exaltantur à Deo. Quanto ergo maior es, humiliate in omnibus, & cōram Deo inuenies gratiam ait Ecclesias. Granum frumenti in terram deiectū cespites frangit, & deorsum tendit: & quò profundi9 descendit eius radix, eò excelsius eius culmus crebris geniculis interfectus sursum erigitur. Naturæ propositum est ex semine illo fructum producere, illumque sursum extollere: vt autem hoc faciat opus est, vt radix profundius defigatur: cum verò sursum extollitur, solem quærit, absque quo non vegetatur. Eodem modo qui altius volunt efferri, in Dei contemplationem rapi, & veram dignitatem adipisci, debent per animi humilitatem descendere, imbecillitatem suam intueri, seque omni honore penitus indignos iudicare. Et ita erigentur solem iustitiæ quærentes, in eoque totam spem suam collocantes. Implebiturque in illis quod sanctus Iob ait. cap. 22. qui humiliatus

[Margin notes: Iac. 4. — Supra. 17. — Phili. 2. — Simili. — Similitu. — D. Ambro. — D. Grego. — D. Bernar. — D. Hiero. — D. August. — Ad phil. 2. — Ephes. 4. — Eccle. 3. — Simile.]

tusfuerit, erit in gloria: & qui inclinauerit oculos suos ipse saluabitur. ¶ *Omnis qui se exaltat humiliabitur & qui se humiliat exaltabitur.* Tam iustus est dominus vt superbis resistat eisq; condignas pœnas humiliando dare soleat. Hinc est quod olim Naum dicebat: Reddidit dominus superbiam Iacob, sicut superbiam Israel. Alij codices habent: quia sicut reddidit domin9 superbiam Iacob, sic superbiam Israel. Sumitur Iacob pro duabus tribubus, quas oppugnauerat & afflixerat Sennacheribus, Israel autem pro decem, quas Salmanasar in Assyriam asportauerat. Sensus est tu Niniue euerteris: quia sicut domin9 vlciscetur superbiam & contumeliam illatã Hierosolymæ ab exercitu Senacheribi ita eam vlciscetur, quæ illata est Samariæ, ab exercitu Salmanasaris. Ac ita accidit re ipsa: nam exercitus Assyriorum perijt nocte vna, qua interfecti sunt centum octoginta quinque millia illorum: & Sennacheribus se conferens in fugam, fuit à filijs suis vita priuatus. Lege cap. 19. lib. 4. Regum, &. 37. Esaiæ, &. 1. Tobiæ. Et Nina ciuitas fuit à Babylonijs capta, direptioni commissa, & penitus euersa. Verbũ, reddidit, ponitur pro, reddet: quemadmodum alia multa in hoc capite præterita pro futuris. Sumitur hic reddere pro retribuere: vt sit sensus. Retribuet Deus Assyrijs iuxta eorum superbiam: dabunt pœnas insolẽtiæ & immanitatis suæ. In eandem significationem sumitur capi. 2. Ruth, reddat tibi dominus pro opere tuo. Et. 25. lib. 1. Reg: malitiam Nabal reddidit dominus in caput eius. Et Psalmo. 27. Redde retributionem eorum ipsis. Et. 2. ad Romanos: Qui reddit vnicuique secundum opera eius. Sumpsit autem dominus supplicium de Assyriorum superbia, quia superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Hanc sententiam inuenies cap. 5. epistolæ prioris diui Petri, &. 4. epistolæ diui Iacobi. Quare viri sapientes nõ solũ superbiam, animi fastidium, & insolentiam detestantur, sed eorum consuetudinem declinãt, quos his vicijs inflatos esse intuentur. Illud Psal. 25. cum iniqua gerentibus non introibo: traducit Hieronymus: cum superbis non ingrediar, ac si dicat Dauid: nulla hominum superborum vtar familiaritate: quin potius cum viris humilibus necessitudinem & coniũctionem sanctè colẽdam puto. Quemadmodum apes vt aiunt onustæ melle submissius volant, quam cum leuitate ductæ vacuæ ferũtur in sublime, sic homines pleni virtute & sapientia humiles sunt: quãto autem magis expertes sunt rerum harum, tanto sẽ altius & arrogantius extollunt. Balsamus preciosus liquor in aqua positus fundum petit, hebenum lignum adimum descendit. Qui volunt cognoscere & expendere casiam fistulam, & herbarum semina, ad harum rerum pondera recurrũnt. Inanes enim & leues minimum valent: graues autem & ponderosæ plurimum præstant. Idem iudicium est de hominibus faciendum. Quanto quis leuior est, elatior & insolentior, tanto est à vera ac solida virtute alienior: quanto autem plus habet ponderis, humilitatis & animi abiectionis, tanto est iustior & sapiẽtior. Qui in aquis prosperitatis positus ad ima per sui contemptionem descẽdit, magni æstimandus: qui se vero superbè extollit, pro nihilo putandus. Quare superbiã fugiamus, quæ vt Ecclesiasticus ait, odibilis cõram Deo & hominibus est, & iuxta Christi Dei nostri sentẽtiam, qui se exaltat humiliabitur, qui autem se humiliat, exaltabitur.

Iustus Dñs superbis resistit. Naum. 1. Exponitur locus. 4. Reg. 19. Esai. 37. Tob. 1. Ruth. 2. 1. Reg. 25. Psal. 27. Roma. 2. 1. Pet. 5. Iacob. 4. Psal. 25. Hieron. Similitu. Aliæ similitudines. Eccle. 10. Matth. 23 Luc. 7. & 18.

AFferebant autem ad illum et infantes vt eos tangeret. Quod cum viderent discipuli, increpabant illos. Iesus autem conuocans illos, dixit, sinite paruulos venire ad me, et nolite vetare eos, talium est enim regnum Dei. Amẽ dico vobis quicũquè non acceperit regnũ Dei vt puer, nõ intrabit in illud.

Matth. 19 Mar. 10.

Ecce autem altera occasio, qua nobis modestiam cum simplicitate coniũctam commendaret dominus.

¶ *Afferebant autem ad illum & infantes vt eos tangeret.* Matres afferebant ad Iesum infantes suos vt tangeret, & benediceret, existimantes futurum vt hoc pacto tutiores essent à casib9 ac morbis quibus illa ętas solet esse obnoxia.

¶ *Quod cum viderent discipuli increpabant illos.* Ideo discipuli increpabãt pueros quod domino satis alioquin, vt ipsis videbatur, occupato, rebus huiusmodi leuioribus facesserent negocium. Iesus autem tametsi non ignoraret, hæc ab ipsis officiosa quadam sedulitate geri, tamen vt nobis exprimeret exemplum simplicitatis, modestię, & innocentiæ, simulque pastores doceret non oportere quẽquã, humilem aut imbecillem, despicere, conuocauit discipulos ad se dixitque eis.

¶ *Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum Dei. Amẽ dico vobis quicũque non acceperit regnum Dei vt puer, non intrabit in illud.* Hinc colligemus quibus Deus detegat sua mysteria, paruulis, scilicet, hoc est humilibus, simplicibus, non elatis, non superbis. Sic enim affirmat Dauid Psal. 118. dicens: declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Siue vt ex Hebręo verti potest: ostium sermonum tuorum illuminat, &c. Quibus verbis vult Propheta significare diuinam legem etiam in principio mentes illuminare eorum, qui ad eam humiliter accedunt, paruuli enim & infantes pro humilibus & simplicibus accipiũtur: vt in hoc loco docet Dominus. Horum intellectum illustrat doctrina euangelica non superborum, non arrogantium, non denique sua iactantium. Ostiũ diuinæ scripturæ eos illuminat, qui per illud ingrediuntur, ingrediuntur autem per illud paruuli, submissi, & humiles, qui se subijciunt, & inclinant, non autem elati, insolentes, arrogantes: hi enim cum se nolint ad ostij introitum inclinare, retrorsum cadunt. De huiusmodi paruulis etiam ait Dominus apud Matthæũ: confiteor tibi pater, Domine cœli & terræ, qui abscondisti hæc à prudentibus & sapientibus & reuelasti ea paruulis. Horum ait in hoc loco esse regnum Dei. Et alibi affirmat: quod nisi cõuersi humiliemur, & efficiamur vt paruuli non intrabimus in regnum cœlorum. Aiunt perspectiui hominem in profundo antro, siue in imo altissimi putei absque aqua constitutum etiam in luce meridiana videre stellas in cœlo, quas fieri non poterat, vt videret, si esset super antrum siue puteum collocatus. Sic qui se ob animi submissionẽ abijcit, & ad id humilitatis descendit, vt in profundo specu cognitionis sui ipsius se deat, aspiciet meridie alta mysteria in cœlo sacræ paginæ instar micantium siderũ fulgentia, quę nequaquam intueretur si esset fastu & supercilio insignis. Vnde Salomo in Prouer. ait: vbi fuerit superbia, ibi erit contumelia, vbi autem est humilitas ibi est sapientia. Et D. Chryso. inter sapientes, inquit, sapientior est, qui humilior est. Didimum Philosophum legimus Alexãdro Magno dixisse. Paratus est De9 ad dandum tibi sapientiam, sed non habes, vbi eam recipias, cum sis superbia refertus. Quemadmodum arboris ramus, quò est plenior, eò est grauior, quãto plures & vberiores fructus producit, tanto profundius se abijcit, sic qui sapientior est, humilior est, quò quisque magis est sapientię fructibus onustus, eó magis se deorsum inclinat. At superbus instar inanis rami se erigit in sublime, non animæ vtilitatem quærens, sed vanitatem. Quã obcausam ad diuinam accedens scripturam interitum sibi ipsi machinatur: ea enim est mos ille, quò si quis accedat in figura hominis, vitam belluæ gerens, lapidibus obruitur, vnde veram sapientiam poterat obtinere si ad doctrinam euangelicam cum humilitate & paruuli imagine accederet, inde exitium certũ refert, quoniam eam vult ingenio tumente penetrare. De huiusmodi hominibus ait Salomo. Qui scrutator est maiestatis opprimetur à gloria. Quemadmodum si quis vellet in splendidam solis sphæram fixe aspicere, obcæcaretur, quia fragilis oculorum acies non potest per se tantũ splendorem sustinere, sic qui suo fretus ingenio tentauerit in admirabilem diuinorũ arca

Marginalia: Simplicibus detegit Deus sua mysteria. Psal. 118. — Matth. 11. — Matth. 19. — Simile. — Pro. 11. — D. Chry. — Simile. — Exod. 19. — Pro. 25.

arcanorum claritatem mentis oculos cōijcere, obruetur tanto splendore, & obcęcata mentis acie id, quod volebat nequaquam consequetur: quoniam summi Dei mysteria non possunt hominum ingenio superbia elato comprehendi. Id significabant ea, quæ in sanctis sanctorum erant quondam tecta & velata. Fidens fortasse Paulus ingenio suo, volebat, priusquam Christi fidem reciperet, eius mysteria penetrare, sed ea non percipiens, in magno errore versabatur, cum incensus odio Christianos affligeret, eosque, quos ne voce quidē vulnerare deberet, ferro trucidare cupiebat. At circunfulsit eum lux de cœlo, qui cadens in terram nihil videbat, etiam apertis oculis. Qua in re fuit eius dispositio significata. Sed postea cū se abijceret, cum animi humilitatem & infantis simplicitatem amplecteretur, & deposita omnino animi elatione accederet ad Ananiam, visum recepit. Et in hac humilitate cōstitutus aiebat: ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignꝰ vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. In Psalmo, vbi communis editio iuxta translationem. 70. habet: firmamentum est Dominus timentibꝰ eū, pro firmamēto est in hebraico, sod, quę dictio arcanum significat, qua ratione ductus vertit D. Hierony. in hunc modum locum illum: secretum domini timentibus eum. Quibus verbis promittit Deus, se hominibus humilitate & pietate conspicuis secreta & arcana aperturū, quæ sanctis scripturis continentur. Hoc est magnum Dei beneficium in homines mansuetos seque submissè gerentes collatum, quo nihil excellentius, nihil salutarius excogitari potest. Ad huiusmodi homines respicit Deus apud Esai. Ad quem respiciam nisi ad pauperculum, & contritum corde & tremētem sermones meos? Vbi. 70. habent: super quem intuear, nisi super humilem & quietum & tremētem sermones meos? Hi sunt paruuli quos Christus ad se venire iubet, hi sunt infantes quos benedicit, & amplexatur: & quorum esse regnum cœlorum affirmat. De huiusmodi paruulis loquens Apostolorū princeps in. 1. sua canoci. cap. 2. ait: Deponentes igitur omnem malitiam, & omnē dolum, & simulationes & inuidias, sicut modo geniti infantes rationale & sine dolo lac concupiscite: vt in eo crescatis in salutem. Pro, deponentes, in Græco est ἀποθέμενοι aoristus: est ergo sensus: depositā igitur (in baptismo scilicet) omni malitia, &c. rationabiles & sine dolo, lac cōcupiscite, vt in eo crescatis in salutem, id est, semel in spirituali natiuitate in baptismo regenerati, tales estote per huius natiuitatis gratiam, quales decet nuper natos infantes per innoxię ætatis naturā, ignari, scilicet, malitiæ & doli, inuidere nescij: & sicut illi lac maternum desiderant: quo aliti in maturam ætatem crescant, ita vos de matris Ecclesiæ vberibus lac concupiscite & sugite, idest, simplicia fidei rudimenta, nō arduas fidei quæstiones, qui cibus est grandium, & in scripturis exercitatos sensus habentium, quærite: vt huiusmodi lacte primum aliti crescatis in viros perfectos, & perfectam salutem adipiscamini, hæc prope ex Beda. Quod autē noster interpres Tò rationabiles & sine dolo refert ad Tò deponentes, Græci referunt ad Tò lac, nam quod ille legit λογικοὶ & ἄδολοι, Græca quæ nūc extant habent, τὸ λογικὸν καὶ ἄδολον, idest, rationabile & sine dolo lac concupiscite. Vocat aut lac rationale ad differētiam lactis corporei, vel etiā si metaphoram sequamur ad differentiam lactis animalis, carnalis scilicet doctrinæ hæreticæ, quæ se dolosè insinuat. Huiusmodi ergo lac, inquit, concupiscite. Tales igitur sunt paruuli qui veniunt ad Christum, & quorum est regnum cœlorum. De eiusmodi etiam sunt paruuli de quibus scribit Paul. 1. Corin. cap. 14. nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote sensibus autem perfecti estote. Salmandræ perpusilli animantis tamen tātus est rigor, vt ignem contactu non aliter quā glacies extinguat. Est igitur corpore parua: malitia verò magna. Huiusmodi est piscis Remora sexquipedalis, qui tamen nauim ventis citatam remoratur. Habet enim fides sua rudimenta, & gradus: habet lac, holera, solidum cibum. Paulus cū esset paruulus sapiebat vt paruulus, &c. quod

Exo. 40. 3. Reg. 6. & 8.

Acto. 9.

1. Cor. 15.

Psal. 25.

Esai. 66.

1. Pet. 2.

Explicatur locus Petri.

Beda.

Gagneius.

1. Cor. 14

Salmādres

Remora.

quod verò ad malitiam attinet: stote simplices sicut columbæ: quoniam nisi efficiamini sicut paruulus hic, non intrabitis in regnum cœlorũ. Ait Christus Matthæ. 18. malitia paruuli estote: sensibus autem prudentes sicut serpentes.

Matth. 18.

¶ *Sinite paruulos venire ad me.* Marcus cap. 10. addit & complexans eos, & imponens manus super illos, benedicebat. Satis hac similitudine docet dominus Iesus quam verè dicat Paul. in episto. ad Hebr. capi. 7. Talis enim decebat vt esset nobis pontifex, pius, innocens, impollutus, &c. Vide eius pietatem, consuera eius innocentiam, animaduerte obsecro viscera eius. Amplexabatur hos pueros, eos in proprium sinum eleuans, propiciatus facturam suam qui ab eo ceciderat ab initio. Nec solum in sinum, sed in humeros euexit ouem errantem tanquam pius ac misericors. Quid dicam in humeros cum scriptum sit apud Esaiam: Audite me domus Iacob, qui portamini à meo vtero, qui gestamini à me à vulua: vsque ad senectam ego ipse, & vsque ad canos ego portabo. Et patris & matris & nutricis, atque gerulę officio fungens. Quibus verbis satis ostenditur mirabilis Dei affectus erga peccatores plusquam paternus. Nõ quod ineffabilis Dei incomprehensibilisque maiestas vterum habeat aut vuluam, sed hæc dicit, quo nos affectum Dei & pietatem per nostra verba discamus. Sensus est: quod mater indulgens & affectibus amoris plena facit erga fętum suũ, hoc ego præsto vobis affectu: quanquam me offendistis, tamen ego gesto, & gestare vos pergam, etiam vsque ad senectutẽ non meam sed vestram: mater aliquando deponit curam filij sui, quando scilicet factus est vir, ego autem nunquam deponam curam vestri. Vide Dei nostri summam erga nos misericordiam. Qui non solum nos amplexatus, sed fouet, & protegit, ac si in suo vtero velut mater nos portasset, & ipse nos concepisset. Creator enim omnium pater creaturæ suæ vocatur, & pastor bonus, quoniam talis decebat vt esset nobis pontifex.

Pietas Christi commendatur.
Heb. 7.
Luc. 15.
Esai. 46.

¶ *Talium, inquit, est enim regnum cœlorum.* Talium, id est, simplicium est quidem regnum cœlorum, cum simplicibus (ait Salomon) sermocinatio eius. Idcirco monebat sapiens sapientiæ cap. 1. dicens: Sentite de domino in bonitate: & in simplicitate cordis quærite illum. Hoc intelligens ipsemet Salomon dicebat. 1. Paralipo. cap. 29. Scio Deus meus quod probes corda, & simplicitatem diligas, vnde & ego in simplicitate cordis mei obtuli vniuersa hæc. ¶ Talium etiam, id est, humilium est regnum cœlorum. Nam vt Salomo. in Pro. ait: Humilem spiritu suscipiet gloria. Quicunque ergo se humiliauerit sicut paruulus: hic maior vocabitur in regno cœlorum vt verbis vtar saluatoris Matthæ. 18. ¶ Talium denique est regnum cœlorum, id est, hominum existimantium se omnino indignos esse donis à Deo sibi collatis, est regnum cœlorum. Talis erat paruulus ille qui dicebat: minor sum cũctis miserationibus tuis Gen. 32. Qui eiusmodi igitur sunt aptissimi sunt ad doctrinam euangelicam percipiendam. Quorũ imaginem gerebat Zachęus qui statura pusillus erat: & festinans descendit ab arbore & excepit Iesum gaudens. ¶ Paruuli ergo simus simplicitate & humilitate. Paruuli simus veritate. Tales siquidem sunt paruuli in quorum ore non inuenitur mendacium & ideo sine macula sunt ante thronum Dei. Apo. 14. Paruuli simus, hoc est, immemores iniuriarum: quales sunt paruuli. Vnde recte adhortatur D. Paul. ad Ephes. capit. 4. Sol non occidat super iracundiam vestrã & tunc apti & idonei erimus ad regnum cœlorum, hoc est, ad doctrinam euangelicam & ad eius mysteria prudentibus & sapientibus huius mundi recondita, percipienda.

Simplicibus esse regnũ cœlorum ostenditur
Pro. 3.
Sapien. 1.
1. paral. 29.
Pro. 29.
Matth. 18.
Gen. 32.
Infra, 19.
Apo. 14.
Ephe. 4.

ET interrogabat eum quidam princeps, dicens: magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo? Dixit autem ei Iesus. Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi

nisi solus Deus. Mandata nosti. Non occides, non machaberis, non furtum facies, non falsum testimonium dices, honora patrem tuum, & matrem. Qui ait: hæc omnia custodiui à iuuentute mea. Quo audito Iesu ait ei, adhuc vnum tibi deest: omnia quecunque habes, vende & da panperibus, et habebis thesaurum in cœlo: et veni, sequere me. His ille auditis cõtristatus est: quia diues erat valde. Videns autem Iesus illum tristem factum dixit: quam difficilè qui pecunias habent in regnum Dei intrabũt? Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnũ Dei. Et dixerunt qui audiebant, quis poterit saluus fieri? Ait illis. Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.

Cura magnatũ esse debet inquirere quid illis facto opus sit vt saluentur.

E*T interrogauit eum quidam princeps dicens: magister bone quid faciens vitam æternam possidebo?* Tales esse debent quæstiones principum & magnatum: talis cura & diligentia inquirendi quid illis facto opus sit, vt vitam illam beatam & sempiternam sibi comparent. Hanc habebat rex Iosias vir omni

A sanctitate & pietate ornatus de quo Dominus apud Esaiam ait. capi. 32. & de sibi similibus: princeps ea quę sunt principis cogitabit: decet enim princepes quæ necessaria sunt & ad salutẽ æternam parandam & ad rempublicam gubernandam scire. In libro Leuiti. præcepit Deus ne animal sibi oblatum esset cæcum. In templo Salomonis erant bases, in quibus erant sculpti leones, & boues & cherubin. Quid igitur sunt bases in illo templo nisi principes & magnates & præsules? Quid

Esai. 32.

Leui. 4.

3. Reg 7.
1. Para. 22

B per leones in basibus sculptis nisi istorũ fortitudo significatur? Quid per boues nisi labores & actiones strenuæ? Quid per cherubin nisi scientiæ plenitudo? Significant enim cherubin scientiæ plenitudinem. Quemadmodum ergo bases illæ, non erant sine cherubin sic non debet esse sine scientia & cognitione necessariorum ad salutẽ & vitam æternam assequẽdam.

¶ *Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi solus Deus.* Annotare oportet pro huius loci plena intelligentia, dominum nõ

Regula Christus aliquando sermonem suum accõmodabat ad interrogantiũ mẽtem eorũ verbis neglectis.

Chryso.

C nunquam sermonem suum accomodare solere ad interrogantium mentem, eorũ verbis neglectis. Et ideo nisi altius res consideretur nonnunquam responsio sermoni instituto nõ videtur quadrare vt Chrysostomus autor est. ho. 63. in Matth. Christus, inquit ille, sæpe ad mentem interrogantium orationem accomodat, non ad verba illorum. Vt in hoc loco vides. Nã cum princeps iste interrogaret magister bone quid faciens vitam æternam possidebo? Quoniam ceu ad hominem nudũ & vnum è multis Iudæorũ magistris adijt, idcirco, ei quasi homo respondit. Ne-

Ioan. 4.

Ioan. 5.

Cyrillus.

D mo bonus nisi solus Deus. Et apud Ioan. cum Dominus loquitur cum Samaritana, quę arbitrabatur Christum esse vnum è plebe Iudæorum, loquitur vt vnum ex eis. Nos, inquit, adoramus quod nouimus, vos adoratis quod nescitis. Et iterum loquens cum Iudæis, qui arbitrabantur eũ esse mendacem & deceptorem, ait. Si ego testor de me ipso, testimonium meum nõ est verum, est alius qui testimonium perhibet de me. Lege Cyrillum lib. 2. thesauri. cap. 1.

¶ Quid

¶ *Quid faciens vitam æternam possidebo. Et dixit illi Iesus. Mandata nosti. Non occides, &c.* Iam hic aperte vides quam falsa sit hæreticorum nostri temporis sententia dicentium solam fidem homines iustos reddere, atque vitam æternam præstare. O perditam hominum libidinẽ, o derelictos ab omni sana mente viros, qui id docere, qui id defendere audeant? Nunquid rogatus Christus dominus ab hoc principe, quid sibi faciẽdum esset vt ad vitam perueniret æternam, tãtum vt crederet præcepit? Nonne vt omnia seruaret mandata? Qui cum in iudicium vniuersum terrarum orbem vocaturus est, ob eam rem alios damnaturum testatur, quod parci, & acerbi in pauperes fuerunt: alios vita beata donaturum, quod in eosdem clementes, benignique fuerint. Num fidem tantum in hac re cõmendauit? Num vllam illius mentionem fecit? Quare hoc? Quoniam intelligebat sapientissimus magister à nonnullis iustam, si nunquam audissent, quod nõ crediderint, excusationem afferri posse: nullam verò accepturum, quod benignitatis, & charitatis officia prætermiserint. Qui apud Matthæum improbos homines cognoscere docens, ait, a fructibus eorum cognoscetis eos: nunquid colligunt de spinis vuas? Aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor, malos fructus facit. Et paulo post postulat non solum vt credamus: sed etiam vt faciamus, dicens: omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ędificauit domum suam supra petram, &c. Et omnis qui audit verba mea hæc, & nõ facit ea: similis est viro stulto qui ędificauit domum suam supra arenam. Et apud nostrum Lucam narrans exemplum de illo, qui ascendebat in Ierico: conclusit docens quid nobis factu opus sit: vade, & tu fac similiter: non dixit, crede: sed fac. Et apud Ioannem vos (ait) amici mei eritis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Sicut igitur multis locis tantum petit vt credamus: sic multis alijs exigit vt faciamus. Ergo quemadmodum his non excluditur fides, quod nulla de illa mentio fiat: sic nec

Non sola fides sed etiam opera sunt necessaria ad salutem æternam.

Cur Christus in futuro iudicio nullam fidei mentionem fecit.

Matth. 7.

Supra 10.

Ioan. 15.

A illis facta excluduntur, quod non simul nominentur. Videamus præterea quid eius verissimi, & præstantissimi discipuli, qui puram, & incorruptam eius hauserunt doctrinam, de hac re sentiant: quanti facta, & officij munera faciant. Paulus scribit ad Romanos; Non auditores legis iusti sunt apud Deum: sed factores legis iustificabuntur. Idem scribit Iacobus dicens: Estote factores verbi & non auditores tantum: fallentes vosmetipsos: quia siquis auditor est verbi & non factor, hic B comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo: consideravit enim se, & abijt, & statim oblitus est qualis fuerit. Qui autem perspexerit in lege perfectæ libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis: hic beatus in facto suo erit. Idem Petrus docet dicens: Vos autem curã omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem C fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Hæc autem si vobiscum adsint, non vacuos, nec sine fructu vos cõstituent in Domini nostri Iesu Christi cognitione. Cui enim præsto non sunt hæc, cæcus est, & manu tentans, obliuionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum. Ioannes etiam amantissimus Christi discipulus ait, Filioli nemo vos seducat, qui facit iustitiam iustus est: sicut & ille iustus est. Et paulo post, qui non diligit manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est: & scitis quoniã D omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. Dauid etiam quærit, Domine quis habitabit in tabernaculo tuo: aut quis requiescet in monte sancto tuo? Cui ipse quæstioni respondit dicens, qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam: qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit aduersus proximos suos. Et Esaias viã nobis salutis ostendens ait, quiescite agere peruerse, discite benefacere, quærite iudicium, subuenite

Rom. 2.

Iacob 1.

1. Pet. 1.

1. Ioan. 3.

Psal. 14.

Esai. 1.

oppresso iudicate pupillo, defendite viduam, quid igitur isti audent tam perfidos sermones inducere, nullum esse peccatū nisi incredulitatem: nullum officiū gratum esse Deo nisi fidem. Sed istos tanquā perfidos omittamus proprio iudicio subuersos. & si seruari cupimus, vitamque assequi æternam sapientissimum nostrum magistrum audiamus, si vis ad vitam ingredi serua mandata. Et apud Ezechielē si dixero impio: morte morieris: & egerit pœnitentiam, &c. & in mandatis vitæ ambulauerit vita viuet. Vbi mandata vitę vocat pręcepta sua quæ sunt media ad vitam æternam. In lege enim etiam veteri custodientibus Dei mandata vita promittebatur. Vnde Leuiti. cap. 18 ait idem Dominus: custodite leges meas, atque iudicia, quæ faciens homo, viuet in eis. Et quanquam sint qui dicant, illud intelligi de vita duntaxat corporali ac temporali, paraphrastes tamen Chaldæus de ęterna intelligit, ita vertens: quæ faciens homo viuet in eis vita sempiterna. Audiamus etiam eundem dominum Deutero. capi. 4. etiam dicentem: Audi præcepta & iudicia, quæ ego doceo te, vt faciens ea viuas. Et apud Ezechie. cap. 18. & 20. Eadē est sententia. Quare non solum nos sed & illi fidē habentes Messiæ venturi (semper enim fides necessaria fuit) & spem & charitatem, illa legis obseruantia, & virtutum actionibus vitam æternam consequebantur. Et cœlorum ingressum post Christi mortem: viuentes & bona opera in gratia facientes vitam æternam merebantur. & cœlorum gloriam immortalē, quam fuerunt post Christi mortem consecuti. ¶ Quanuis ergo nulla sit lex siue sit ceremonialis, siue sit moralis, cuius operibus nos ex viribus naturæ nostræ iustificemur dicente Paulo Apostolo ex operibus legis non iustificatur omnis caro, tamen præuia fide & diuino auxilio adiuti, diuinaque gratia iustitiam consecuti, Deoque qui est æterna iustitia per pœnitentiam reconciliati, poterimus verè implere legem, & opera illa in gratia facta vitam æternam merētur. Hæc sunt opera de quibus in hoc loco intelligit Christus. Et apud Matthæum cum ait: Si

Ezech. 33.
Leui. 18.
Deut 4.
Ezech. 18. & 20.
Gala. 2. & ad Ro. 3.
Matth. 19

A vis ad vitam ingredi serua mandata. Et Paul. Circuncisio nihil est, & præputium nihil est, sed obseruatio mandatorū Dei. Nō ergo sat est fides vt hæretici autumāt: Neque sat est obseruantia mandatorum vt vitam sempiternā nobis paremus, sed vtrumque necessarium esse dicimus, qui dicit sine fide impossibile est placere Deo, etiam dicit: si vis ad vitam ingredi serua mandata. Et in hoc loco interrogāti quid faceret vt vitam æternam assequeretur respondet mandata nosti, &c. Huius mysterij typus & figura fuit porta illa templi quā se vidisse narrat Ezechiel, B habens decem cubitos in latitudine, & tredecim cubitos in longitudine (appellat enim altitudinem portæ, longitudinem. Numero denario decem pręceptorū decalogi additur ternarius numerus, quia ille legis perficit mandata, qui fide viua in sanctissimam credit Trinitatem. Qui autem huiusmodi est apud Deū obtinet vitam æternam vt impresentiarū ait Dominus. Et illud, scio quia mandatum eius vita æterna est.

C ¶ *Mandata nosti.* Non adhuc solum, sed ad omnes gentes sonat hæc vox. Quare nullam habere possunt excusationem. Gentes enim incultæ & immanitate barbaræ mandata hęc nouerunt. Nam insitū est eis à natura parente lumen quoddam quo declinare à malo & operari possunt bonum. Sic enim intelligunt multi illud Psalmi. 3. multi dicunt: quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Quanuis alij aliter intelligant. Iudæi quoque præcepta nouerunt. Cunctus, inquit, populus audiebat voces. Exo. 20. Quam obcausam Propheta Baruch. c. 4. ait: Animęquior esto D populus Dei, quia quæ Deo placent nota sunt nobis. Nos autem qui verum Deū atque hominem confitemur ab eo & edocti sumus & quotidie voce prædicatorū suorum edocemur. Quare si boni æmulatores fuerimus vitam sempiternam assequemur.

¶ *Omnia quæcunque habes vende & da pauperibus & habebis thesaurum in cœlis.* Fœlices illi, qui hoc cōsilium Christi sequuntur, Qui diuitias terrę pauperib9 distri

1. Cor. 7.
Ezech. 40.
Figura.
Ioan 12.
Omnes homines tenētur seruare mandata Dei naturalia.
Psal. 3.
Exo. 20.
Baruch. 4.

minime potius. Hierico est mundus hic, regula aurea est eius potentia, & diuitiarum copia: propter quam nobis aditus ad regnum Dei, ad gloriam sempiternam, quæ est vera terra promissionis, quietis plenissima, interdicitur. Id quod est. capi. 10. Prouerbio. mandatum: non affliget dominus fame animam iusti, & insidias impiorum subuertet: ait Pagninus in thesauro, posse verti: & propter diuitias impios subuertet. Ex quo colliges esse diuitias plerūq; causā exitij multorū, & æterni regni impedimētū. Eā ob causā seruator noster: beati, inquit, pauperes spiritu, quoniā ipsorū est regnū cœlorum. Et iterū: nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. Et rursum: nō potestis seruire Deo, & mammonæ. Et tādem in hoc loco facilius est camelū per foramen acus transire quā diuitē in regnū Dei. Vbi diues cupidꝰ camelo comparatur pondere sarcinæ oppressus qui opibus onustus non intrat per foramen acus, hoc est per viam arctam ad cœleste regnum. Vt camelus non facile caput sursum effert: ita diues difficilē mentem suam extollit ad cœlum. Et vt camelus authore Plinio, priusquam bibat perturbat aquam, aliter potu non gaudet: ita cupidus nulla animi tranquillitate oblectatur, sed turbulentis perturbationibus, & vitæ sordibus ducitur & gaudet. Theophilatus per camelum intelligit funem, seu rudentem nauticum, cuius opinio fuit iucunda & plausibilis & à iunioribus approbata. Eam sequuntur Ioannes Gagnæius, Franciscus Titelmanus, Ioannes Ferus, Ioannes Soarius & alij. Non enim videtur tam apta similitudo ingressus animalis per foramen acus instrumenti sutorij, quam funis seu rudentis. In Græco est καμηλος quod vocabulū & animal significat, & funem nauticum, cui anchora solet alligari, & similitudine, vt mea fert opinio, cameli animalis tortuosi. Funis ille ex se integer & contortus fieri non potest vt per foramen acus introeat: at si illum disiungeris, & in fila dissolueris ingredietur filum vnū & postea alterum, & singula vsque ad vltimum: & ingressis illis omnibus totus funis ingreditur. Eodē modo diues dū fue-

Pro. 10.

Matth. 5.

Supra 6.

Matth. 6.

Similis.

Plinius.

Theophil. per camelum funē intelligit.

Gagneis. Titelma. Ioā. Ferg. Soarius.

A rit cum diuitijs colligatus & coniunctus, earumque cæca cupiditate implicatus, in cœlum haud quaquam penetrabit: si eas diuiserit, si fila quędam inter pauperes distribuerit, quædam inter peregrinos, quędam inter viduas, quędam in captiuorum redēptionē erogauerit, &c. poterit in regnū cœlorūm introire. Sed veteres autores per camelū pro animali tortuoso sarcinis apto in hoc euāgelij loco intelligendū ducūt. Hi sunt Hiero. in c. 60. Esai. Aug. in li. quæstio. euang. Chryso. & Euthy. in Matthæū, & ante eos Origenes. B Fortassis erat in muris hierosolymæ arcta quædā porta vocata foramen acus: qua etiā si animalia ingredi possent, camelus tamen onustus ob magnitudinē & flexuosum dorsum ingredi non poterat, nisi onus deposuisset. Sed hac in re cōiectura tantū ducor ad suspicandū. Sed siue hoc loco accipiatur camelus pro animali, siue pro fune, vtroque modo ostēdit, diuites in cœlestē beatitudinē, siue in doctrinā euangelicā difficulter introire, nisi onus depoluerint, vel in fila eleemosynę diuitias distribuerint. ¶ Cōtē-C namus igitur diuitias quū certo sciamus quod qui amat diuitias, fructū non capiet ex eis. Et quod qui volūt diuites fieri incidūt in tētationē & in laqueū diaboli & in desideria multa & nociua, quæ mergunt hominē in interitū & perditionē. Et quod diuitū huiusmodi mos sit opprimere pauperes Christi per potētiā: & ipsos blasphemare bonū nomen quod inuocatū est super eos: vt D. Iacobꝰ affirmat. Cōtēnamus diuitias quæ introitū in regnū cœlorū impediūt. Nec ꝑpter hoc cōcidat facies nra: nec mærore afficiamur: quēadmodū prin-D ceps iste affectus est, qui nōdū ad puerorū formā, qui paulo ante ad Christum allati fuerāt, peruenerat: cuius animus occupauerat amor diuitiarū. Quod si fecerimus boni profecto negociatores erimus: quales fuerunt Tyrij illi, de quibus olim prædixerat Esai. c. 23. Et erūt negotiationes eius & merces eius sanctificatæ dño, nō cōdētur neq; reponētur. Vaticinatur de cōuersione Tyri ad Christū. Multi. n. ex Tyrijs receperūt fidē Act. 21. Est igitur sensꝰ: Tyrij negociationes terrenas in spirituales cōmutabūt: erūt. n. eorum merces dño dicatæ.

Veteres doctores per camelum intelligunt animal.
Hiero.
Augustī.
Chryso.
Euthymi.
Origenes.

Eccle. 5.
1. Timo. 6

Iaco. 2.

Esai 23.

Acto. 21.

dicatæ. Non condentur neque reponentur, hoc est, non facient thesauros in terris, sed diuitias inter pauperes distribuét, vt iuxta consiliũ Christi in cœlis thesaurizarent.

¶ *Facilius est camelum per foramen acus transire quam diuitem intrare in regnum cælorum.* Hiperbole esse videtur, figura à Cicerone vocata superlatio, ab alijs excessus, cum sententia aliqua fidẽ excedit augẽdæ rei gratia: vt cũ dicimus esse aliquid niue cãdidus. Talis est illa locutio Christi apud Matth. 6. non cognoscat sinistra tua, quid faciat dextera tua. Ac si dicat: tãtum absit, vt alijs ostentes eleemosynã quã feceris, vt nec tu quidẽ illud scias, quod facis. Exaggerat verbis quã fugienda sit in benefactis ostentatio. Volentes exploratores à Moyse missi magnitudinem vrbium terrę promissionis significare, & earũ murorũ altitudinẽ, dixerunt: vrbes sunt magnæ, & ad cœlum vsq; munitæ. Ezechiel etiam volens significare nullum fuisse regem similem Assyrio, qui tot diuitijs, tantaq; potentia floreret, ait: cedri nõ fuerũt altiores illo in paradyso Dei. Vbi poteris per paradysum Dei, magnũ aliquẽ pomariũ, amœnum, arborũq; proceritate insignẽ intelligere. Solet enim diuina scriptura ea quę magna sunt, Dei appellare, vt cũ dicit cedros Dei, mõtes Dei, visiones Dei, &c. Paradisus idẽ est quod hortus. Vnde vertit Pagninus ita hunc locũ. Cedri non abscõderunt eũ in horto Dei. Hoc est non eam ramis cooperuerũt, quia illa erat excelsior illis in illo magno horto. ¶ Cæterũ non mirũ, quod facilius esse dicat Dñs camelũ intrare per foramen acus quam diuitẽ ingredi regnũ Dei. Nã camelus pondere vno corporis impeditur quo minus intrare non possit per foramen acus: at diues vt D. Bernar. annotauit duo habet pondera, alterum, diuitiarum, alterum pondus peccatorum: quibus miser impeditur ne ingredi possit per portam regni cœlorum ad vitam ducentis. Arcta est enim & angusta maxime. Nam quamuis onus diuitiarũ iuxta portam mortis deponat velit nolit: dicente domino Eccles. 5. Diuitiæ conseruatæ in malum Dñi sui, pereunt enim in afflictione pessima. Sicut egressus est nudus ex vtero matris suę ita reuertetur: peccatorũ tamẽ & scelerũ suorũ põdus, quod ex nimio diuitiarũ amore cõtraxit, secum deferet: quocũ intrare nõ potest in cœleste regnũ. Quare consiliũ Dñi audiẽtes & pondus diuitiarũ & pondus immoderati erga opes & pecunias amoris omnino relinquamus, ne à tam vtili introitu regni cœlorum priuemur. Audiamus Apostolũ in epis. ad Heb. c. 12. dicentem: Deponentes omne pondus, & circunstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen. Imitemur inter alios Moysen populi Dñi quondam ducẽ: qui, vt verbis vtar Pauli, fide grãdis fact9, negauit se esse filium filiæ Pharaonis: magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucũditatem. Maiores diuitias æstimãs thesauris Ægyptiorum improperium Christi. Improperiũ autẽ Christi vocat afflictiones, murmurationes & inuidias, quas exẽplo Christi à contribulibus suis sustinuit. Sicut enim egregiẽ de se meritum & Saluatorem suũ Christum iniuria & contumelijs Iudæi afficiebant, sic & liberatorem suum Moysen plerumque iniuria affecisse Hebræi legũtur, quas tamẽ iniurias & afflictiones Pharaonis thesauro prætulit. ¶ D. Chrysostomus homilia. 33. in Matthæum explicans allegoricẽ hæc verba domini docet Christum esse acum. Acus (inquit) est verbum Dei, quod est filius Dei ipse: cuius prima pars subtilis est atque acuta. Subtilis secũdum causam diuinitatis ipsi9: acuta autẽ secundum causam incarnationis eius, tota recta & nullam habens reflexionem, aut scrupulum per cuius vulnus passionis gẽtes ingressæ sunt vitam æternam, qui vulnera consuere solum potest, à quo consuta est immortalitatis tunica, quæ olim cõscissa erat super Adam. Ipsa est acus quæ spiritui consuit carnem, vlterius separare se non potentem. Hæc acus vtrumque populum iunxit simul: de quo dicit Apostolus, qui fecit vtraque vnũ. Hæc est acus quæ diruptam amicitiam angelorum & hominum copulauit. Hæc est acus, quæ configit & pertransit, & vulnus non facit. Per hanc igitur diuites, cameli similitudinẽ gerẽtes, onusti diuitiarũ amore nimio intra

Marginalia: Hiperbole figura frequens in sacra scriptura. — Matth. 6. — Deut. 1. — Ezech. 31 — Psal. 79. Psal. 35. Sap. 2. — Eccle. 5. — Heb. 12 — Heb. 11. — Chrysost. — Per acum Christus significatur & quare. — Ephe. 2.

intrare non possunt: deponant ergo oportet hunc amorem & tunc ingredi facile poterunt: quod vt faciat Deum instanter precentur: nam quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt Deo. Cameli autem proprietates describit ibidem D. Chrysostomus quas habuisse docet gentes antequam ad Christi fidem venerint quas etiam habent peccatores. Vide illum.

¶ In communi Apostolorum & in communi confess. Pon. & non Ponti.

AIT autem Petrus. Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te. Qui dixit eis: Amen dico vobis, nemo est qui reliquit domũ, aut parentes, aut vxorem, aut filios, propter regnum Dei, et non recipiat multo plura in hoc tempore et in seculo futuro vitam æternam.

EX sermone quem præmiserat dominus Iesus, quo perturbationem suorum consolatus est dicés: quod apud homines impossibile est, apud Deum possibile est: bonam spem concipiũt Apostoli, quorum plerique reliquerant id, quicquid erat quod antea possidebant. Horũ igitur nomine loquitur Petr⁹ hæc verba. ¶*Ecce nos dimisimus omnia & secuti sumus te.* Ac si diceret: ecce præstitim⁹ quod ab illo diuite exigebas, exigebas vt tuam paupertatem propter Euangelium imitaremur: ecce illam imitati sumus. Hinc discamus exemplo Apostolorũ, Christi paupertatem voluntariam imitari: si eius discipuli esse cupimus. Quod si primum vis Christi paupertatem videre vt scias qualem paupertatem præfiteri debeas, intuere Christi ortum, vitæ cursum, & interitũ.

Paupertas Christi describitur.

Natus est in alieno & abiecto domicilio, vbi Virgo Deigenitrix Maria, vt ait noster Lucas. c. 2. eum reclinauit in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio. Ille cuius est cœlum & terra, non habuit in diuersorio locum: quam ob causam in vili iacuit præsepio: ó fœlix domicilium, ó ciuitas Bethleem admiranda: quã gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. In illã paupertate nasci voluit totius vniuersi imperator, vt nos doceret, esse christianam philosophiam in diuitiarum contemptione cõstitutam. Memoria repete eius vitam, & inuenies eam ortui respondere, Ipse enim ait. c. 9. vt superius dixi, 9. vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autẽ hominis non habet vbi caput suum reclinet, Quid dicã de eius morte? Nudus, vestibus spoliatus, in summa inopia cõstitutus excessũt é vita. Qui terram herbarum viriditate, florumq; pulchritudine, variarumque plantarum ornamẽtis vestit, qui cœlos fulgentissimis stellis, splẽdidissima luna, & clarissimo sole induit & ornat, nudus animam efflauit. Quæ res vnquã fuit mirabilior? Quæ cõmendatior hominum memoriæ sempiternæ? Qui cũ diues esset propter nos egenus factus est, vt ait Apostolus. Hãc ergo paupertatem imitati ei⁹ Apostoli dicebãt: ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te. Eam nos imitemur, & veram dignitatem in huiusmodi imitatione collocãtes omnem nostram curam & cogitationem ad comparãdas animi diuitias conferamus. Qui enim omnia propter Deum relinquit nihil existimat se reliquisse: dum perpendit thesaurum, quem pro opibus contemptis inuenit: dum diligenter cõsiderat thesaurum charitatis & sapientiæ quem comparat. Experitur imprimis quam veré in canticis dictum sit: si dederit homo omnem substantiam domus suæ, pro dilectione, quasi nihil dispiciet eam, scilicet, substantiam: ac si diceret: tanti pretij est ista sancta dilectio, hæc gratia, hæc pax & gaudium in Spiritu sancto, hoc regnum cœlorum, vt sine comparatione excedat omnem substantiam corporalem quantumlibet multam & pretiosam: adeo vt si quis pro comparanda dilectione hac vniuersam sub-

Supra. 9. Matth. 27. Marc. 15. Inf. c. 23. Ioan. 19. 2. Cor. 8. Cant. 8.

stantiam diuitiasque omnes, possessiones, suppellectilia, quamlibet splendida & pretiosa expenderit, existimare debet prorsus nihil se expendisse, debeatque omnia illa sic expensa quasi nihil reputare, in comparatione ad pretiosissimum charitatis thesaurum. Hoc idem de thesauro sapientiæ vir perfectus propter illum omnia relinquens iudicat. Scit enim quid de illa scribat sanctus ille Iob his verbis: non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius. Non conferetur tinctis indiæ coloribus, nec lapidi sardonico pretiosissimo vel saphyro. Non adæquabitur ei aurum vel vitrum: nec commutabuntur pro ea vasa aurea. Excelsa & eminentia non commemorabuntur in comparatione eius. In libro quoque sapientiæ eadem illa vera sapientia simili modo commendatur. Diuitias (inquit sapiens) nihil esse dixi in cōparatione illius. Nec comparaui illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione eius quasi arena exigua est, & quasi lutum æstimabitur argentum in conspectu eius. Nemo igitur magnum aliquid fecisse se putet si ob hunc thesaurum comparandum vendat omnia quæ habet & det pauperibus: si patrem aut matrem, fratres aut sorores, filios ac filias, domos aut agros reliquerit aut abnegauerit. Cum multo plura, multo maiora, ac pretiosiora in hac vita recipiat nedum in futura vt hic ait Christus. ¶ *Ecce nos dimisimus omnia.* Merito profecto discipuli Domini omnes huius mundi opes atque diuitias contempserunt. Nam fructus earum idolatria est, labor & dolor est, hydropisis quædam est, denique paupertas & inopia, & insolentia est. Si homines ex auro non cōflant statuas quas adorent, vt olim fecerunt filij Israel in deserto, certé multi ex illis ipsum aurum colunt: & vnicé tanquam Deum suum diligunt: quod satis indicauit princeps paulo ante commemoratus qui mærore maximo affectus est audiens quod si vellet ingredi regnum Dei, abiret, & venderet quicquid possidebat, & erogaret pauperibus. Id intelligens Ecclesiasticus cap. 8. Multos, inquit, perdit aurum & argentum, & vsque ad cor regum extendit, atque conuertit. Vel vt alij vertunt: & corda regum peruertit. Et cap. 38. qui aurum diligit nō iustificabitur: & qui insequitur consumptionem, replebitur ea. Multi dati sunt in auri casus, & facta est in specie ipsius perditio eorum. Lignum offenssionis est aurum sacrificantium: væ illis qui sequuntur illud: & omnis imprudens peribit in illo. Hæc ibi. Aurum sacrificantium vocat, quia illud tanquam idolum illi colunt, qui cæcæ cupiditatis stimulis concitantur. Huiusmodi hominibus dicebat Hieremias. capit. 16. seruietis dijs alienis die ac nocte. Qui non dabunt vobis requiem. Ac si diceret: Dabitis operam diuitijs, quibus veluti dijs cultum exhibebitis. Ideo diuus Paulus ad Colossen. c. 3. Mortificate, inquit, auaritiam, quæ est simulachrorum seruitus. Et in epistola ad ephes. cap. 5. eamdē repetit sententiam. ¶ Infima etiam est auarorum conditio, & nunc irridenda, nunc miseranda, qui ex auro & diuitijs non habent nisi laborem, dolorem, curas, anxietates & ærumnas. Perierunt, ait Sophonias, omnes inuoluti argēto. Vbi pro, inuoluti, est in Hebræo netile, quod vocabulum baiulos significat. Vt sit sensus peribunt ignibus æternis ij, qui diuitias cupidé & auare cumulant & retinent: qui velut baiuli alienorū pōderum premuntur labore, & sudant, nullum inde aut exiguum lucrum reportantes. Paraphrasis Chaldaica, pro inuoluti argento, vertit diuites: & rectè quidem: diuites enim auaritia laborantes nō diuitiarum domini, sed baiuli tantū sunt. ¶ Præterea ego profecto nescio cur homines tot tantis conflictentur incommodis propter pecuniæ cupiditatem quæ nunquam expletur: nunquam enim satiatur diuitiarum sitis. Crescit enim amor nummi quantum ipsa pecunia crescit vt Iuuenalis ait. Vt enim ille, quem momorderit situla animal venenatum, statim sitit, & quanto magis bibit, tanto ardentiore appetitione bibendi flagrat, vt aiunt: sic ille, quem cupiditas vulnerauerit, siti diuitiarum inceditur, & quanto ampliores comparat opes, tanto ardentius earum auidi

Iob. 28. Sap. 7. Fructus diuitiarum ostēdūtur. Exo. 32. & Exo. 14. Primus fructus, idolatria. Eccl. 8. & 38. Hiere. 16. Colos. 3. Ephes. 5. 2. fructus perpetuus labor & dolor. Sopho. 1. 3. fructus diuitiarū est hydropisis animi. Iuuenalis. Similitudo.

auiditas crescit. Quare diues oppellari non debet. Nam, vt diuus ait Chrysostomus. Si diues vis fieri, non augeas diuitias, sed tolle cupiditatem. Et Seneca: diues est, non qui plus habet, sed qui minus cupit. Idsentiebat Democritus, qui interrogatus quomodo quis diues fieri posset: si, inquit, cupiditatum pauper fuerit. Ita hoc refert in sermonibus Maximus. Id quod etiam cleanti attribuit Stobæus. ¶ Ex quo efficitur vt diues paupertate laboret. Est enim simul diues & pauper. Eam ob caus. aiebat in Apocalypsi diuus Ioannes, dicis: Diues sum & locupletatus, & nullius egeo, & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus & nudus. Cur igitur diuitias concupiscimus quarum affluentia est plena inopia, quarum desiderium est insatiabile, quarum possessio affert secum paupertatem? Maximè cum hæc diuitiarum vanitas afferre soleat secum insolentiam & superbiam. Id intelligens Ezechiel aiebat capite vigesimo nono. Acquisiuisti aurum & argentum in thesauris tuis. Et paucis adiectis. Eleuatum est cor tuum in robore tuo. Hic ergo est diuitiarum fructus, vt in principio diximus, funestus & venenatus: quare iure optimo Petrus cæterique Christi discipuli diuitijs opibusque despectis dicunt, ecce nos dimisimus omnia. Sed ais. Diuitiæ malæ non sunt cur ergo sunt contemnendæ, cur fugiendæ? Adhæc, fateor equidem diuitias per se malas non esse: nam vt rectè obseruauit beatus Ambrosius non in facultatibus crimen est, sed in abusu. Vt enim diuitiæ impedimento sunt flagitiosis: ita viris iustis virtutis sunt adiumentum. At considerata imbecillitate & deprauatione nostra periculosæ sunt, & metuendæ. Vt Amigdalæ authore Plinio libro vigessimo tertio, homines nutriunt, eorumque varijs morbis medentur, vulpes autem interficiunt, sic diuitiæ quæ alijs vtiles sunt, alijs detrimentum ferunt. Alijs medicamentum sunt, alijs venenum. Sed plerumque noxiæ quidem sunt & idcirco fugiendæ & dimittendæ.

Chrysost. Seneca. Democri. Maximus Stobæus. 4. fructus diuitiarũ est paupertas. Apo 3. 5. fructus est insolentia. Ezech. 29. Obiectio Responsio. Non in diuitiis crimẽ est sed in abusu earum. Plinius.

A ¶ Et secuti sumus te. Vt ferrum sequitur adamantem, ita & nos sumus Christum secuturi. Magnes ferrum trahit, vt adamas: at si hi duo lapides simul adsint, ferrum sequitur adamantem: & fugiens magnetem ab eo se abstrahit, & abducit. Deus est adamas cœlestis, diabolus magnes, homines ferrum. Vterque nos vocat, Deus ad gloriam cœlestem per virtutem, diabolus ad cruciatus æternos per vitia. At nos dæmonem declinantes: qui nos inuitat & allicit: ad Christum nos trahere & adducere volentem B confugere debemus: ipse enim ait huic principi diuitias multas possidẽti: sequere me. Et rursum: sequere me: & dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Et diuus Petrus in prima canonica sua: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Eos imitemur qui dicunt ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te. Et alibi dicitur: at illi continuo relictis retibus secuti sunt eum.

Adamas comparatur Christo & magnes diabolo & ferrũ homini. Marc. 9. 1. Canon. 2. Matth. 4.

¶ Sunt, qui videntur sequi Christum, C qui propter eum, vt ipsi aiunt, opes aliquas relinquunt, sed retia non relinquunt, ea retinent, vt illis piscentur & multo plures, & maiores diuitias adipiscantur. Alij sequuntur Christum, sed in calamitatibus tantum, & veluti coacti: nempe cum se vident discriminibus expositos, a quibus intelligunt non posse ope humana liberari. Corpus illud cæleste quod Philosophi appellant primum mobile, reliquos omnes globos cœlestes complectitur & continet: qui D quamuis naturaliter retro versentur contrario motu ad extremum cœlum, ab ipso tamen rapti ipsum sequuntur, sed motu quasi coacto ac veluti violento. Eodem modo multi voluntate propria à Deo recedunt, sed procellis ac tempestatibus iactati, quæ multæ variæque in vita versantur, vndique cincti quasi compulsi Christum sequuntur. At nos voluntario impetu ad illum curramus iuxta id quod ait Dauid Psa. 33. Accedite ad eum & illuminamini. Vel vt Hieronymus vertit ex Hebræo: & confluite. Nam

Variè homines dicuntur sequi Christum. Simile. Psal. 33. Hieron.

 vt

A

vt fluuij ex mare dimanantes ad ipsum mare impetu fluunt & festinanter: sic nos ad Deum, à quo conditi sumus, debemus impetu & conatu animi confluere instar fluuiorum ad altum tendentium. Verbum enim Hebræum fluere etiam significat. ¶ Sunt alij, qui libenter & ardente voluntate sequuntur Christum: sed qualibet causa etiam leuissima desistunt ab incepto, similes canibus venaticis, sed ignobilibus, abiectaque eorum & obscura stirpe: qui quamuis vehementi impetu aggrediuntur prædam, eam tamen inuento cadauere statim relinquunt: sic illi alacri & prompto animo incipiunt dare operam virtuti & Christum sequi: sed interposito quocunque impedimento etiam futilissimo, de sententia discedunt. Non permanent in proposito susceptoque consilio, nisi quandiu prospero vtuntur flatu in virtutis cursu, à quo quacunque tentatione deflectunt: nam blandis voluptatibus ducuntur, obstricti cupiditatibus tenentur, terrore calamitatum debilitantur. Et Ecclesiasticus cap. 5. Esto, inquit, firmus in via Domini, & in veritate sensus tui & scientia. Et Paulus ad Galatas. 5. Currebatis bene, quis vos impediuit veritati non obedire? Et Christus Iesus apud Matthæum capi. 10. Qui perseuerauerit vsque ad finem, hic saluus erit. At viri iusti constantia præditi veluti venatici & generosi canes currunt ad prædam vsque ad finem: & charitate inflammati cœlestem in terris vitam imitantur, & vt ait Ioannes Apocalyp. 14. sequuntur agnum, quocunque ierit. Hi possunt dicere cum Apostolis ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te; & cum tribus pueris quos refert Daniel. c. 3. in toto corde te sequimur.

¶ Amen dico vobis, nemo est qui reliquerit domum, &c. propter regnum Dei, & non recipiat multo plura in hoc tempore, & in seculo venturo vitam æternam.

Hinc disces quanta sit virtus eleemosynæ & contemptionis diuitiarum propter regnum Dei. Parat enim in hac vita multa bona & in futura perpetuam fœlicitatem. Longè enim plura ac meliora imprimis accipit in hac vita qui aliquid dimiserit, deditque pauperibus ob regnum Dei. Nam vt triticum in horreo non augetur, sparsum autem in terra mirum in modum multiplicatur, sic opes retentæ non crescunt, pauperibus autem distributæ maximé propagantur: & ex vno grano centum nascuntur: vt in hoc loco & apud Matthæum capite 19. docet Dominus. Vnde Augustinus de verbis Domini: Fœcundus, inquit, ager pauperum cito reddit donantibus fructum. Et Chrysostomus in capit. 10.

B

Matthæi. Cui non proderunt eleemosynæ si rex idolorum cultor poterat illis redimere peccata? Id quod Danielis. 4. legimus. ¶ Quemadmodum etiam aquæ, vt superius dicebamus, descendunt ad loca ima, eorum plantas nutrientes, humoreque vitali educantes: sic diuitiæ debent ad pauperes abiectosque homines delabi, quos leuent inopia & calamitate atque beneficijs recreent & reficiat. Hi enim in causa sunt vt diuites benigni eleemosynis dediti recipiantur in cœ-

C

lum, vitamque æternam recipiant: ideo ait illis Dominus: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Nec solum eleemosyna & contemptu diuitiarum, obtinetur cœlum in vita altera, sed etiam, vt modo diximus, in hac ipse opes augentur. Ait enim Salomon Prouerbiorum. 19. Fœneratur Deo, qui pauperis miseretur. Et capite. 28. Qui dat pauperibus non indigebit. Et Christus Dominus: in hoc loco multo plura, ait, in hoc tempore accepturum ac

D

meliora. Liberalis & benignus erga pauperes domum sibi præparat in cœlo. Et in hac vita amplificatur: contrà verò diues auarus hic eget, & postea in inferno sepelitur. Vt enim vermiculus sericus gignit ex se fila quædam ex quibus conficit foliculum in quo reconditus moritur; ita diues cupiditate & auaritia ductus, ex suis opibus sepulchrum sibi in inferno parat. Et impletur id quod ait noster Lucas cap. 16. Mortuus est autem diues & sepultus est in inferno.

¶ Sed

Marginalia: Matth. — Eccle. 5 — Ad Gala. 5 — Matth. 10. — Apoc. 14. — Dan. 3 — quanta sit virtus eleemosynæ ostenditur — Similitu. — August. — Chrysost. — Dan. 4 — Luc. 16. b — Pro. 19. & 28. — Simile. — Supra 16.

Ostenditur nulla bona esse suauiora, honestiora, vtiliora bonis quibus ditantur in hac vita Christi pauperes, & eius sectatores.

¶ Sed vt libentius omnia mundi bona pro Christo atque pro doctrina euangelica eius relinquamus, altiori mête mecum considera quantis hic bonis Christi imitator locupletetur. Nihil enim esse potest suauius, nihil honestius, nihil vtilius bono quod comparant Dei sectatores. Certe si potentiam, sapientiam, & bonitatem Christi spectes: neque huius vitę malis perturbaberis, neque vlla alia bona desiderabis. Quid enim mali timeat sectator & imitator Christi Iesu? Aut quid aliud boni desideret? Sût tantæ voluptates, quibus Christi imitatores pascuntur & reficiuntur: vt gustu illarum istas quas mundus magnifacit, ex opibus, & honoribus, & carnis delicijs existentes, facilè spernant: quod mundus capere non potest, existimans illos esse mendaces hypocritas, neque posse fieri, vt ista infima & sordida, quibus ille infixus adhæret, homo verè contemnat. Hinc Dauid: quam magna (clamat) multitudo dulcedinis tuæ domine: quam abscondisti timêtibus te? Hoc est, quã seruis tuis dedisti oculis mũdi omnino absconditam. Nihil amaritudinis aut tędij habet hic cum Christo côuictus: sed dulcissimus est, insatiabilis suauitatis & iucundissimus totius vitæ comes, atque in aduersis maximi solacij ac roboris. ¶ Iam quantus sit honor familiarium vitę Christi discipulorum, aperte ij vident, quorũ oculos Deus aperuit. Etenim sunt serui Dei: in illo tremendo Iudicio à Christo domino tales agnoscentur: à filio & patre diliguntur & honorãtur: fratres Christi nominantur: filij denique & hæredes Dei ac cohęredes Christi sunt. Quæ omnia sigillatim explicare libet. Quantæ quidem sit dignitatis seruũ Dei vocari, vt alia taceam, Apostoli plane indicarunt: qui in epistolis suis hoc honoris titulo maxime ornantur: Paulus seruus Iesu Christi: Iacobus seruus Iesu Christi: Petrus seruus Iesu Christi. Et sanè tãto domino seruire, regnare est. Iam quanti erit splendoris in illo cômuni omnium iudicio, corã omnibus audire Christum patri dicentem: hic mihi, pater, fidelis seruus in multis angustijs & aduersis hostium meorum oppugnationibus perstitit: atque in varijs afflictionibus nomini meo gloriam dedit. Cuius confessionis domini promissio sæpe ab eo iterata est: quo & certissimam eam esse monstraret & suos inter tot ac tantos hostes hic degentes confirmaret. Neque verò tantum tûc illi à Christo hac côfessionis laude honorabuntur sed & iam nunc à Christo & patre diliguntur. Nam qui diligit me (ait dominus) diligetur à patre meo. Ac Ioannes cum multa honoris priuilegia referre potuisset, quod Apostolus, quod tãta rerum diuinarum luce à Christo illustratus fuerit, quod in cœna super domini pectus recubuerit, quod Christo moriens, ipsius curæ & obsequijs matrẽ cômendatam reliquerit: illius tantum sæpe meminit, quod esset is discipulus, quẽ Iesus diligeret. Neque solum a patre & filio illi diliguntur, sed addit dominus: a d eũ veniemus & mãsionem apud eũ faciemus. Patre autem & filio vna cum Sancto spiritu in nobis manentibus, quãto honore cumulamur? Et quidẽ à patre ipso hos pro Christo bonorũ contemptores & studiosos discipulos honorari, Dñs testatus est: si quis, inquiẽs, mihi ministrauerit: honorificabit eũ pater meus. Eosdẽ etiã Dñs vocauit amicos. Nã discipulis: vos iã, inquit, non dicã seruos, sed amicos. Imo & fratres suos nominauit. Mater enim, ait, mea & fratres mei, hi sunt, qui verbũ Dei audiunt & faciunt. Atque à morte excitatus, Mariæ Magdalenæ dixit: Abi ad fratres meos, & dic eis: ascendo ad patrem meum & patrem vestrum Deum meũ & Deum vestrum. Quantæ postremo dignitatis extitit, filium Dei atque hæredem regni cœlestis & dici, & esse? Videte, inquit Ioãnes, qualẽ charitatẽ dedit nobis pater, vt filij Dei vocemur. Ac paucis interiectis adijcit: charissimi, nunc filij Dei sumus: & nondũ apparuit id, quod futuri sumus. Ac quod crassiores & rudiores mirari possunt, hi Christi discipuli nô tantũ mundi honores & bona vilipendunt & conculcant: sed etiam quum calumnijs, opprobrijs, iniurijs, tormentis, morte diuexantur, in magno se honore à Deo haberi reputant. Hinc Apostoli ibant gaudentes à conspectu concilij, quod digni ha-

Psal. 30. — Ioan. 14. — Ioan. 12. — Ioan. 15. — Supra. 8. — Ioan. 20. — 1. Ioan. 3.

Act. 5. habiti essent, pro nomine Iesu contumeliam pati. Hos autem honores, quibus Deus suos prosequitur, mundus etiam neque videt, neque credit. Verum in his, quemadmodum & in veris voluptatibus iudicandis, non crassi & stulti mundi sensui, sed iudicio Dei, & seruorum eius, qui perspicaci mentis visu & recta ratione hæc discernere possunt, stãdum est. Nam & nos, quum aliquid recte diiudicare optamus: eos tãtum in iudicium vocamus, qui & mentis perspicacitate & sano iudicio præditi, optimé valent de ea iudicare. ¶ Vtilitates porro, quas hi vitæ Christi imitatores capiunt, tot & tantæ sunt, partim apertę, & omnibus notę, partim occultæ, & multorum oculis non apparétes: vt neque verbis numerari, neque animo etiam integre cogitari possunt: earum tamen quasdã hic apponamus: quo earũ magnitudo alios ad studiosam vitæ Iesu

Matth. 11. Christi imitationé inuitet. Si ergo Christus dominus suauissimis & verissimis verbis, omnes qui ab eo etiam longé absunt, adse côuocans: venite (ait) ad me omnes, qui onerati estis: & ego reficiam vos: quomodo eos, quos videt sibi familiariter cõiunctos & vestigijs ipsius insistentes pondere variarum afflictionum grauatos, leuabit? Quomodo illis manum porriget? Hoc autem dico, illos quidem grauibus vitæ oneribus, hoc est, varijs laborum generibus premendos: sed non opprimendos tamen virtute Christi, ita illos roborantis: vt illis nõ succumbant. Hic est sen-

2. Cor. 4. sus ille Pauli: in omnibus premimur & non anxij reddimur, laboramus, at nõ destituimur: persecutionem patimur, at nõ deserimus: deijcimur, at nõ perimus: semper mortificationem Iesu in corpore nostro circunferentes: vt & vita Iesu manifestetur in corporib9 nostris. Quibus verbis Apostolus docet discipulos Christi, non solum afflictionum magnitudine & multitudine non superari, sed eos etiam illis solere oppugnari: vt quemadmodũ Christus multis laboribus, tormentis, & morte cruciatus est: ac postea immortalis resurrexit: ita & illi quotidianis oppugnationibus & mortibus obnoxij, eripiãtur ex illis, vitam æternam victuri: ac si-

A militudinem quandam tum passionis & mortis Christi, tum etiam resurrectionis & vitæ eius exprimunt. Quamuis igitur discipuli Christi multis huius vitæ molestijs, & grauitationibus, onerentur: in eis tamen nunquam a Deo ita derelinquuntur, vt earum oneri succumbentes, ab illo auertantur: sed auxilio eius semper victores euadant aut ex eis gloriosé liberati, aut eas fideliter & fortiter perferétes. Quod enim malũ inimicos Christi superet: qui & facile potest quoscunque & maxime

B vult suos iuuare? ¶ Neque veró in his tãtum Christus suis adest: sed cum sit via, veritas, & vita: sine vllo errore recté ad patrem cœlestem eos ducit. Nemo enim venit ad patrem nisi per filium. Atque eis patrem indicat. Nemo enim nouit patrem, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Hæc est autem vita ęterna, teste ipso domino, vt cognoscant homines patrem & filium. Eos quoque in tam densis & periculosis huius vitæ tenebris ad pté recte qué vitam semper & vbiq; diligendam illuminat. Nã si Christus lux est illa, quæ

C illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: certé ijs, qui studiosé curant eius vestigia sectari, singulari illustratione splendebit. Ac quidem hic multa & magna mysteria illis detegit. Discipulis enim suis: nõ dicam (ait) vos, seruos sed amicos: quoniam omnia, quæ audiui á patre meo, nota feci vobis. Et denique cum per Christũ pater promiserit, se hominibus vitam æternam daturum, Christus tandem sui imitatores eó perducet: stabit enim sententia: Amen dico vobis quod nemo est qui reliquerit domũ, &c.

D propter regnum Dei, & nõ recipiat multo plura & in hoc tẽpore & in futuro vitam æternam. Vides igitur quantas voluptates, quantos honores, & quanta commoda consequantur qui omnia reliquerint propter regnum Dei: quid obsecro alias vtilitates quæ ex Christi sectatione sequuntur, commemorem: cum innumeræ sint? ¶ Etenim hoc veré sapiens imitationis Christi desiderium, peccatores sordidos mundat, minutioribus sordibus istorum cor etiá expurgat. Hoc affectus prauos ex animo expellit. Hoc in satanæ

Ioan. 14.

Matth. 11.

Ioan. 14.

Ioan. 1.

Ioan. 15.

oppug

oppugnationibus opportunum est refugium. Hoc in periculis tutum est asylum. Hoc in angustijs animi læta latitudo. Hoc in laboribus quietem affert: in cordis æstibus, magnum refrigerium: in mæroribus dulcem lætitiam. Hoc, vagos animi excursus comprimit, atque mentem in Dei & eius voluntatis cõtemplatione, detinere studet. Hoc, in delitijs vitæ purgãdis medicina quædã est saluberrimi amatoris. Hoc, in miserijs huius vitę, velut vnguẽtum quodam est suauissimi solacij. Hoc, in aduersis depressos erigit: & in lætis elatos deprimit, ac in vtrisque hominem eodem vultu & fronte semper esse iubet. Hoc, munit nos aduersus mundi põpam & stultitiam, aduersus fraudes & machinas satanæ, aduersus carnis illecebras. Hoc, in periculis prudentiam, in calamitatibus leuamen, & ad perferẽda quæuis tormenta robur confert. Hoc, apud sanctos viros, & præsertim apud sanctorum Reginam Mariam Virginem, mirabilem fauorem nobis conciliat: vidẽtes Iesum, quem tantopere ipsi amãt à nobis etiam studiosè expeti. Hoc, piorum hominum mentes linguasque ita complet, vt neq; aliud cogitare, neque loqui, quam Christum velint. Hoc, omnium virtutum exẽpla spectat, quæ in vita Christi perfectissimè splenduerunt. Hoc, veros pauperes, veros misericordes, veros liberales & alijs perfectis virtutibꝰ prędìtos instituit. Hoc, christiani hominis vitam consilijs Christi perficit. Hoc, nos ad Deum amandum maxime accendit, atque charitate hic nos ei vnit & vnitos postea ad perpetuò illo beate fruendum perducit. Quando igitur tantis, tam pręclaris, tamque innumeris bonis Deus afficit etiam in hac vita mundi contemptores, Christi eiusq; Euangelij veros amatores: cõtemnamus obsecro, & nos etiam quæ mundus suspicit, honores, glorias, diuitias, quæ sunt, vt Augustinus loquitur, voluptatum terrenarum satellites. Paupertatem verò, opprobria & iniurias, & alia id genus, à quibus totus mundus longè abhorret pro Christi regno patiẽter feramus: & Christum Iesum sequi, & imitari, exemplo Apostolorum dicentium ecce nos dimisimus omnia & secuti sumus te, pluris faciamus, quam omnibus illis caducis bonis abundare, ac toti orbi imperare. Quando tanta bona nobis reposita & in hac vita & in futura manent. Dicat iam vnusquisqué nostrum, quod Paulus ait, mihi absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi: & mẽti infixum illud semper habeat; qui se dicit in Christo manere, debet & ipse ambulare, sicut ipse ambulauit. Quod si fecerit, audiet quod hic suis discipulis relinquẽtibus omnia & sequẽtibus eum: dixit. Amen dico vobis quod nemo est qui reliquerit domum, &c. propter regnum Dei & non recipiat multo plura & in hoc tempore & in seculo venturo vitam æternam.

Gala. 6. 1. Ioan. 2.

In dominica quinquagesima.

ASsumpsit autẽ Iesus duodecim. Et ait illis. Ecce ascendimus Hierosolymam, & cõsumabũtur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, et illudetur, et postquã flagellauerint occidẽt eum. Et tertia die resurget. Et ipsi nihil horũ intellexerũt: & erat verbum istud abscõditũ ab eis, et nõ intelligebant quæ dicebantur.

A*Ssumpsit autem Iesus duodecim. Et ait illis: ecce ascendimus Hierosolymam.* Maxima sanè admiratione dignum est quod Christũ hodie gessisse narrat Lucas. Fingite obsecro cõcionatorem aliquem euangelicum ac sapiẽtissimum pro sugestu dicentem coram innumera hominum multitudine, subito dum ista

omni turba, cum duodecim hominibus selectis secedentem, ac secreto loquenté: nonne iudicaretis ibi magnũ aliquid tractari, magnaque de causa id factum ab illo fuisse? Considerate igitur atque alta mente perpendite Christum dominum, ipsam Dei sapientiam, magna populorũ turba stipatum, duodecim Apostolos eligentem, seorsumque cum illis hæc colloquia habentem. Ecce ascendimus Hierosolymam, & consumabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis, &c. Non dubium magnum hoc esse negocium, magnumq; hic latere mysterium, Idque factum fuisse in magnam totius populi commoditatem. Disseramus ergo de hoc mysterio, quare, scilicet, Dominus assumpserit hos duodecim secretò & illis detegerit mortem suam tam immanem & acerbam dicens: Ecce ascendimus Hierosolymam. ¶ Obseruemus igitur quod licet tota nostri animi iustitia à fide sola non pendeat; tamen vt concilia African. & concilium Tridentinum ex Pauli Apostoli testimonijs & maximé ex epistola ad Roma. testantur, illa initium est iustitię ac sanctitatis nostræ. Vnde est illud: iustificati igitur ex fide. Fides autem quæ iustificationis initium & primum fundamentum est, fides est mortis Christi, dicéte diuo Paulo Apostolo in epistola ad Romanos: quem proposuit Deus propiciatorem, per fidem in sanguine ipsi9. Sicut enim olim qui serpentino veneno infecti, serpentem æneum conspicientes salutem & integram sanitatem consequebãtur: sic modo qui labe ac veneno alicuius peccati infecti sunt, si Christum in cruce affixum, cuius typus atque figura erat serpensille, intuitus fuerit oculis fidei, initium salutis habebit. ¶ Sed ais: si fides mortis Christi, nostræ salutis est fons & principium atque nostræ iustitiæ ianua, Iudæi ergo ac sarraceni, qui certò credũt Christum dominum morte crucis affectum fuisse, ianuam habebunt salutis, atque suæ iustificationis initium. Audi obsecro & cognosce ò fidelis dignitaté tuã ac cœleste supernumque intellectus donum tibi à Deo diuinitus collatum. Non quidem est initium salutis nostræ credere hominem illum, quem nos Christum vocamus, mortuum fuisse, animamque in cruce, sicut solent cæteri mortales, exalasse: omnes enim morimur & tamquam aqua dilabimur. Sed fons nostræ salutis in eo situs est vt credamus verum illum Deum atque hominem, à Prophetis omnibus patribusque pre missum, mortem obijsse, vt & vitam nobis omnibus cœlestem præstaret: peccatum deleret, ac mũdi principem superaret, é mundoque eijceret: itaque mors Christi non mors sed potius vita appellanda est; quando nobis vitam attulit: potius vita appellanda est, quando mortem interemit: ero, inquit, mors tua, ò mors, quando ab inferis patres gloriosos ac immortalitate amictos eduxit; ero, inquit, morsus tuus inferne. Vita, inquam, potius appellanda est, quã do per illã dux ille cœlestis de huius mũdi principe, rectore ac gubernatore triũphauerit. Nunc, inquit, princeps mundi huius eijcietur foras. Vita denique vocãda est, quando in causa fuit, vt Christus dominus rex noster tertia die tam gloriosus appareret. Quãuis ergo veré mortuus fuerit, tamen quod eius mors tanta bona attulerit, tamque parum durauerit, poti9 vita dicenda est. Hinc est quod D. Ioan. in Apocal. capi. 5. scribat se vidisse in medio seniorum stantem agnum tanquam occisum. Quod mors agni non tam fuerit mors eius, quam dæmonis, quam mortis, quã peccati. Hinc similiter est, quod Ecclesia catholica, in dominica sancta palmarum percontatur, qua de causa, populus frequens cum palmis ac oliuarum ramis ouiam Christo veniens, cecinerit Hosan na: & tandem respondet: intellexit enim tunc beata illa hominum multitudo præfigurari, quod Redemptor noster humanis condolens miserijs, pro totius mundi vita, cum mortis principe esset pugnaturus, & moriendo triumphaturus: & ideo talia obsequés administrauit, quæ in illo & triumphos victoriæ & misericordiæ pinguedinem declararent. Vt igitur huius tam admirabilis mysterij testes essent Apostoli eos assumpsit, & exposuit atque patefecit mortem suam. Nihil enim eos oportebat ignorare eorum, quæ

Margin notes: Fides mortis Christi initiũ est iustificationis. — Rom. 5. — Rom. 3. — Num. 21. b — Obiectio. — 2. Reg. 14. — Osee. 13. — Ibidem. — Ioan. 12. — Apo. 5.

que gerebantur pro salute generis humani. Hoc igitur est discrimen inter fidem fidelium & paganorum: quod hi credunt Christum solum hominem atque ea morte perijsse qua solent cæteri homines, illi verò credunt esse verum Deum & hominem & propter nos homines & propter nostram salutem, mortem tam acerbam fuisse perpessum: hi credũt, in sepulchro perpetuò permansisse, atque carnem suã vidisse corruptionem, qualem vident cæteri mortales: illi autẽ credunt tertia die splẽdidum ac gloriosum suscitatum fuisse: nec derelictum in inferno, nec carnẽ suam corruptam aut vermibus consumptam fuisse: sic enim olim per os Dauidis patrem precatus fuerat: quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionẽ. Hi credunt ob scelera sua inter iniquos ac sceleratos homines ẽ vita migrasse, atque cruci affixum fuisse: illi verò credũt, iustum ac sanctum iniustẽ ac impie damnatum & cum iniquis reputatum propter seruandos iniquos. Hi existimant, solum mortuum fuisse: illi verò, mortuum fuisse certò putant ob superandam mortem, vincendum peccatum, & triumphãdum de mundo ac eius imperatore. Hi, inquam, opinãtur quod per mortem à suis hostibus fuit victus: illi verò quod eos vicerit. Hi, quod moriendo spoliatus fuerit: illi, quod spolia ab aduersario abstulerit. Quarum rerum vt fidem dominus faceret, adhibuit testes: qui apertum testimonium perhiberent mundo, sua voluntate hierosolymam ascendisse, atque liberẽ & non coactẽ mortem propter homines pati voluisse. Idcirco ait ecce ascendimus, &c. Nostra igitur fides & non paganorum aut Iudæorum salutis est origo.

Psal. 15.

¶ *Assumpsit Iesus duodecim, & ait illis. Ecce ascendimus, &c.* Non omnibus secretá sua detegit Christus dominus sed solum duodecim quos in amicos elegerat. His seorsum & secreto arcana sua patefecit. Vt hinc discamus nõ omnia cum omnibus sed cum amicis solum deliberare: sed de ipsis prius. Post amicitiã, vt ait Seneca, credendum est, ante amicitiam iudicãdum. Diu ergo cogita, an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit: cum placuerit fieri, toto illum pectore admitte, tam audacter cum illo loquere, quam tecum. Tu quidem ita viue vt nihil tibi cõmittas, nisi quod committere etiam inimico tuo possis: sed quia interueniunt quædam, quæ consuetudo fecit arcana, cum amico omnes curas, omnes cogitationes tuas misce. Quidam quæ tantum amicis committenda sunt, obuijs narrãt, & in quaslibet aures, quicquid illos vrit, exonerant: quidam rursum charissimorũ conscientiam reformidant, & si possent ne sibi quidem credituri, interius premunt omne secretum. Neutrum faciendum est. Vtrumque enim vitium est, & omnibus credere, & nulli: Christus Dominus prius elegit duodecim amicos, & deinde cũ illis secreta sua cõmunicauit: quod in hoc loco vides. Et alibi: iam non dicam vos seruos sed amicos, quia omnia quæcunque audiui à patre meo nota feci vobis. Pretiosus quidem liquor nõ in vase vitreo & fictili sed in aureo solido, vt in tuto sit, perpetuòque seruetur, inijciendus & immittendus est. Pretiosissimus Christi domini sanguis nõ in populi vulgiq; pectore, quod vas vitreum erat, sed in amicorum animis, qui, illum tãquam vasa aurea solida seruarent, infundendus erat: idcirco illos assumpsit seorsum, & sui sanguinis mysterium modo seruandũ, suo tamen tempore effundendum, & annunciandum, illis indixit. Erant enim vasa solida nulla ex parte perstillantia. ¶ Ex hoc loco etiam discent reipublicæ tã spiritualis quam temporalis gubernatores, à maioribus suis secreta commissa seruare. Sit eorum vnusquisque alter Areopagita. Ita vt de illo dici possit iure optimo, Areopagita taciturnior. Quod prouerbium olim dicebatur de eo, qui commissum arcanum optimẽ contineret. Athenis in Areopago causæ capitales audiebantur, id que noctu & magna attentione. Et fortassis nephas erat illis, quæ ibi fuissent acta apud vulgus effutire. ¶ Vt igitur ad textum nostrum reuertamur: assumpsit dominus discipulos suos, & seorsum illis indicauit instare tẽpus suæ mortis: suis, inquam, tanquam amicis & familiari-

Amicis solum secreta committenda sunt, & non vulgo.

Seneca li. 1. Epis. 3.

Ioan. 15.

Simile.

Secreta a maioribus commissa seruanda sunt.

lliaribus hoc secretum indicare voluit: vt dum eum morientem cernerent, de eius resurrectione minime dubitarent. Sic solet dominus suis amicis secreta sua patefacere. Hinc est quod olim (vt in lib. Genesis cap. 18. narrat Moyses) aiebat dominus: nunc celare potero Abraham quæ gesturus sum? Scio enim quod præcepturus est domui suæ post se, vt timeat nomẽ meum. Ex quo loco etiam videmus Deũ plerumque suis manifestare secreta sua, atque ea quæ futura sunt. Hinc est quod Amos ait: Non faciet dominus verbum suum nisi ostenderit suis Prophetis. Ideo autem manifestat futura: tũ, vt à fide non cadamus: tum, vt eum glorificemus sicut fecit Daniel: tũ etiam, vt iudicia eius prævidentes à peccatis abstrahamur: tandem id facit dominus vt veritatẽ eius cognoscamus: Apostolis futuram mortem suam hodie indicauit, ne à vera fide deficerent: iustis futuram fœlicitatem sibi paratam sæpe indicat: vt eum glorificent: impijs venturam pœnam, vt à sceleribus abstineant: & de agenda pœnitentia curent. Omnibus denique suum aduentum, vitam, mortem, & resurrectionẽ annuntiat, vt agnita veritate ad eum tãquam ad fontem salutis veniant.

Gen. 18.
Amos. 3.
Dan. 2.

¶ *Ecce ascendimus Hierosolymam.* His verbis imprimis significare voluit dominus, mortem suã non descensum sed ascẽsum, non abiectionem sed exaltationem, non ignominiam sed gloriam esse. Hinc est quod sæpe alias eam exaltationem vocauit. Ego, inquit, si exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad me ipsum. Et rursum: cum exaltaueritis filiũ hominis tunc cognoscetis quia ego sum. Item oportet exaltari filium hominis. Qui enim suffigebantur in crucem, in alto pendebant: quod mortis genus tam infame & probrosum elegit dominus vt illo significaret mortẽ suam potius exaltationem dicendam esse quam opprobrium. Et meritò quidẽ, nã propter illam Deus exaltauit illum & dedit illi nomen quod est super omne nomen. ¶ Deinde, his rursus apertius cœpit inculcare de morte, quam Hierosolymæ sciens ac volẽs esset oppetiturus, iuxta vaticinia prophetarum. Sciebat enim eos vehementer perturbandos morte domini sui, eoque crebrius sermonem hunc inculcat, vt tandẽ insideat animo, ac paulatim assuescant ferre, à cuius mentione prorsus abhorrebant illorũ aures. Atque hæc quidem non incredulitas erat, sed vehemens quidem animus erga præceptorem. ¶ Præterea his verbis latis ostendit dominus alacritatem & gaudiũ quo ad mortem pro hominum salute tendat: ecce (inquit gaudio perfusus) ascẽdimus Hierosolymam. Nec verbis solum sed factis sæpe hanc animi sui lætitiam, ob mortem quam erat subiturus, ostendebat. In monte namque Thabor quod Moyses & Elias dicturi erant ac collocuturi de eius morte, gaudio perfusus, vestitus est gloria, atque indutus vestimentis regijs, refulsit enim facies eius, in morem solis, ac vestimenta niueo quodam candore refulgebant. Paucis etiam ante diebus acriter reprehendit Petrum eius mortem impedire studentem: eumque satanam vocauit. Abi, inquit, post me satana. Ac si diceret: quod ego tam alacri animo pro tua omniumque salute subire volo, tu impedire contendis? Ne aduerseris voluntati meę, non obsistas, impedire cupiẽs, quod ob vitam humani generis tam alacri ac prompto animo facere volo. Hoc igitur gaudium ostendere hodie volens assumpsit secreto suos & enarrauit illis aduenisse iam tempus tamdiu ab eo desideratum. Hinc fuit vt in signum tantæ lętitię cum non procul esset ab Hierico, verbo reddidit oculos cuidam cæco sedẽti iuxta viã. Et vt narrat D. Matthæus cum exiret eandem vrbem, duobus alijs cæcis idem beneficium pro sua maxima liberalitate cõtulit. Quid hoc est domine? Modo oculos cæcis præbes, cũ potius omnes essent illis omnino priuandi, ne te nudum & tãta ignominia affectum in cruce pendere viderent? Imo verò ait dominus: Nunc tempus est vt quotquot in mundo sunt, me spinea corona coronatum intueantur. Ad omnes vox illa pertinet. Filię Hierusalem venite & videte regem Salomonẽ in diademate, quo coronauit eum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lętitiæ cordis eius. Diem passionis suæ, diem

Mors christi non descẽsus, sed ascẽsus est dicenda.
Ioan. 12. e
Ioan. 8. d
Ioan. 3. d
Philip. 2. b

Verbis & factis ostẽdebat christus gaudiũ mortis suæ.
Matth. 17
Matth. 16
Matth. 20
Cant. 3. d
Explicatur locus.

diem appellat lætitiæ cordis sui, diuinus iste sponsus. Quod nemini absurdum videri debet. Nam & si secundum exteriorem hominem dies illa dies luctus & mæroris videretur: essetque veré secundum eam partem quæ infirma erat, idest, secūdum carnem: secundū interiorem tamen hominem, secundum spiritum patris voluntati obedientissimum, nostræque salutis amantissimum, & auidissimum, dies fuit maximæ lætitiæ. Quod satis hodie indicauit, atque in superioribus, cum discipulis dixit: baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor vsque dum perficiam illum? Videlicet baptismo sanguinis sui, desiderabat baptizari: ad quem tā to desiderio anhelabat, vt videretur præ nimia affectionis vehementia, quasi constrigi, coarctari, vri, siue affligi, donec hora sibi tamdiu desiderata aduentaret. Veluti cum quis moræ impatiens, pręnimio desiderio rei cuiuslibet intra se æstuat, coarctatur, & affligitur. Iuxta illud sapiētis: spes vel desiderium quod differtur, affligit animam. Eandem quoque affectus vehementiam exprimit vox illa: desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Vehementi enim desiderio ad paschatis illius manducationem anhelasse se dicit: nō ob carnalē agni illius esum, aut vini typici potum, sed quia cœna hæc nouissima passioni diu desideratæ, per quā salus erat mundo conferenda, initium daret. En vides quanta hodie alacritate sit noster spōsus affectus, quod iam tempus adsit ascendēdi hierosolymam, locum á Deo præparatum ad mortem suam, siue ad nuptias celebrandas cum Ecclesia sponsa sua. Solēt imperatores, atque huius mundi principes, & reges, cum vxores ducunt, per magnifica dona suis largiri: multamque pecuniarum summam in signū maximæ lætitiæ populo effundere: sic rex noster imperatorque totius orbis, qui cœlum terramque continet, ac gubernat, ducturus Ecclesiam, hierosolymam ascendit: atq; in signum tanti gaudij innumera suis largitur munera. Nam hodie cæcis præbet visum, Malcho restituit auriculam, Petro neganti concedit veniā: seipsum sub specie panis & vini exhibet comedendum, pro persecutorib9 in cruce patrem orat; latroni cęlorum regnum, Ioanni matrem condonat: mortuos denique é sepulchris educit. ¶ Vt hinc discamus alacri vultu, ærumnas & labores pro Christo perpeti. Quod facere solēt eius veri discipuli, qui aiunt: quoniam propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis. ¶ *Ecce ascendimus, &c.* Christus dominus occurrit ouiam morti, ad illam se præparat, illam meditatur: vt doceat nos esse semper paratos, & vigiles, vt doceat non esse expectandum vt illa præueniat nos: quare egregium est, vt Seneca docet, mortem, quæ semel á nobis subeūda est, discere. Meditare, dicebat Epicur9 relatus ab eodem Seneca, vtrum commodius sit, vel mortem transire ad nos, vel nos ad eam. Ac si diceret. Egregia res est mortem condiscere. Superuacuum forsitan putas, id discere quo semel vtendum est. Hoc est ipsum quare meditari debeamus. Semper discendum, quod an sciamus, experiri non possumus. Meditare mortem. Qui hoc dicit, meditari libertatem iubet. Qui mori didicit, seruire dedidicit. Supra omnem potentiam est, certé extra omnem. Quid ad illum carcer, & custodia, & claustra? Liberum ostium habet. Vna est cathena, quæ nos alligatos tenet, amor vitæ, qui vt non est abijciēdus, ita minuendus est: vt si quādo res exiget, nihil nos detineat. Nec impediat quo minus parati simus, quod quandoque faciēdū est, statim facere. Hęc Seneca. Simus ergo parati vt morti cum venerit occurramus exemplo Christi. ¶ *Ecce ascendimus hierosolymam, &c.* Si tradendus es domine gentibus hierosolymæ, cur illā petis? Heu fuge potius crudelem ciuitatem odio & inuidia plenam. Eó (inquit) hierosolymam peto vt ponam animam meam. Ecce ego vado: ecce ego pono animam meam: nemo tollit eam à me. Nulla vis est hominum, quę mihi nolenti vitam auferrat, sed ipse volens, eam impendo saluti gregis. Alij moriuntur, cum nolint: ego vero eo ad mortem sciens & prudens & volens: alij tolluntur, ego pono illam: alij extrahuntur é vita, atque inuiti exeunt,

Marginalia: Supra. 12. f. — Infra. 22. — Simile. — Infra. 22. — ibidem. e — Ibidem. b. — A — B — C — D — 1. 22. f. — ibiden g. — ibiden h. — 5. 23. — 1 19. e. — Math. 27. f — Psa. 43. d — lib. 1 epist. episto. 26. — Summa Christi charitas ostenditur in eo quod voluntariè se morti obtulit. — Ioan 10. — Lege Senecam in lib. de breuita te vitæ.

exeunt, ego volūtariè. Illi negocium suū non consumauerunt: ego perfici. Quod si Paulus quia bonum certamen certauerat, cursum consumauerat, cupit dissolui, quā-to magis qui, opus quod dedit illi pater consumauit, desiderio redeundi ad patriā teneretur? Qua in re sūma charitas Christi consideranda est. Summa enim charitas est apud homines, si quis ingruente periculo se non subducat. At Christus hodie plus præstat, qui se volens & vltro in mortem dedat. Erant qui insidiarentur vitæ eius, horum tamen malicia nihil in illum posset, nisi sibi decretum esset pro salute suorum mortem oppetere. Habebant quidem Iudæi voluntatem homicidij, nō occiderent tamen nisi volentem. Igitur illi non abstulerunt ei vitam, sed ipse volens eam impēdere voluit saluti suorū. Quod significare volens, in cruce inclinato capite tradidit spiritum. Prius inclinauit caput, deinde exalauit animam: contra verò nos omnes prius expiramus deinde inclinamus capita. Christus verò vt ostēderet se cum voluit animam emisisse, prius inclinauit caput, & deinde volens, eam patris in manus commēdauit. Potestatem enim habebat ponendi animam suam, & potestatem habebat iterum sumendi eam. Et hoc maxime mirati sunt (inquit Augustinus) sicut Euangelium loquitur, qui præsentes erant, cum post illam vocem in qua figuram peccati nostri edidit, continuo tradidit spiritum. Longa enim morte cruciabantur ligno suspensi. Vnde latronibus vt iam morerentur, & de ligno ante Sabbatū deponerentur, crura confracta sunt. Ille autem, qui mortuus inuentus est, miraculo fuit. Hoc etiam Pilatum legimus fuisse miratum, cum ab ipso sepeliendum corpus domini peteretur. Demonstrauit ergo dominus quod vitam non amisit inuitus, sed quia voluit, quando voluit, quo modo voluit. Quippe Dei verbo ad vnitatem inserta erat humana eius natura. Lege Augustinum. 4. de Trinitate. c. 13.

2. Timo. 4. — Ioan. 19. — August. 4. de Trini, c. 13.

¶ *Ecce ascendimus hierosolymam, &c.* Sæpe Christus repetit mortem suam vt suo exemplo doceat nos sæpe etiam mortem nostram vt supra dicere incipiebamus in memoriam reuocare. Mortis enim memoria & vitia fugat, & mundi, nostrique contemptum parit, vitam instituit, immoderatam lætitiam aut tristitiam temperat: multaque alia bona secum affert, quæ longum esset enarrare. Imprimis vitiorum exercitum aut fugat aut saltem territat. Neque enim impij & scelerati latrones tam timent iudicis aduētum, quam vitia mortem. Quare astante morte aut omnino hominem deserunt, aut saltem eum tremere faciunt. Quod populus ille Iudæorū mortis immemor erat, idcirco sordibus peccatorū plenus erat: vnde Hieremias in Threnis flendo dicebat: Sordes eius in pedibus eius, non est recordata finis sui. Quemadmodum iumenta se cauda à muscis tuentur, sic homines à vitijs & sceleribus mortis memoria ac consideratione. ¶ Deinde mortis memoria frequēs, est causa vt mūdum contemnamus. Facile (inquit Hierony.) contemnit omnia, qui se semper cogitat moriturum. Et Ecclesiasticus capit. 10. ait: Si annis multis vixerit homo, & in ijs omnibus lętus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis & dierum multorū, qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita. In morte enim omne quod est in mūdo, vanitatis arguitur. I. concupiscentia oculorum, concupiscentia carnis, & superbia vitę. Concupiscentia oculorum in eo, quod homo nudus in terram reuertitur. Nudus (inquit Iob) egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc. Concupiscentia verò carnis in eo, quod corpus in delitijs & voluptatibus nutritum, vermibus datur. Superbia verò vitæ in eo, quod qui alios præ se contemnebat, qui cæteris superior esse volebat in infimam omnium elementorum terram deijcitur.

quanta bona secum afferat memoria mortis. — Thren. — Hiero. — Eccle. 10. — Iob. 1.

¶ Præterea mortis recordatio docet nos, homines, miserosque mortales esse: & hoc erat quod olim Psaltes Dauid orabat dicens: Sciant gētes quoniā homines sunt, idest, de humo sumpti atque formati. Ex quo fiet, vt nos ipsos non magni sed parui faciamus. ¶ Quid quod mortis in mentem frequens reuocatio, vitam nostram benè instituat, regatque gubernet? Quēadmodum aues cœlestes ac pisces marini se cauda regunt, ille volando, hi verò natando: sic homo bene morigeratus, finis sui

Psal. 9. — Simile.

Iob.12. | Similitu.

sui recordatione vitam suam moderatur, ac in virtute continet. Idcirco Iob nos ad iumenta mittit dicens: Interroga iumenta & docebunt te, & volatilia cœli & indicabunt tibi, &c. Et quemadmodum nauis gubernator, in nauis fine sedet, vt eam recté gubernet: sic vir sapiens, mortis consideratione vitam, moresque suos instituit atque regit. ¶ Tandem mortis memoria est, quæ lætitiam in rebus prosperis & tristitiam in aduersis temperat ac moderatur. Est enim amara memoria eius ó mors, inquit Ecclesiasticus, quam amara est memoria tua homini iniusto. Quare maxime proderit ad moderandas effrenatas aut lætitiæ aut mœroris passiones & immoderatos affectus. Idcirco ergo Christus dominus tam frequenter inculcat mortem suá vt doceat etiam nos nostræ mortis esse memores: non solum vt eam cóstanti animo subeamus, sed vt commoda quę retulimus reportemus. ¶ *Ecce* (inquit) *ascendimus hierosolymam*. Quasi insinuare volens in ianuis iam esse mortem ait: ecce: vt doceat nos vigilare intelligentes iam adesse mortem: nec oportere pœnitétiam salutarem differre. Audiamus ergo Ecclesiasticú monentem nos, vt cito conuertamur, quádo mors in foribus atq; in prospectu nostro est. Non tardes (inquit) conuerti ad dominum, & ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius: & in tempore vindictæ disperdet te. Vir profecto sapiens, cor suum tradet ad vigilandum diluculo, ad dominum qui fecit illum. Vt idem ait. Cæterum hierosolymam Christus ascendit vt in ea mortem pro nobis subeat; idqué non sine maximo mysterio: pacem enim sua morte nobis attulit: & idcirco appellatur eius passio ab Esaia disciplina pacis nostræ; disciplina (inquit) pacis nostræ super eum: cuius liuore sanati sum9. Siue vt Pagninus vertit: castigatio pro pace nostra super eum. Eam ergo ob causam in loco pacis patitur: & in pace factus est locus passionis eius; vt verbis vtar Dauidis. Vt hinc quoque nos intelligamus, per multas tribulationes & ærumnas pro Christo æquo animo toleratas, pacem spiritualem esse comparandam. Non pacem huius múdi, sed pacem illam, quam dominus suis

Eccle. 41. | Vigilare oportet cum mors sit in ianuis. | Eccle. 5. | Eccle. 39. | quare christus in hierosolyma mori voluit. | Esai. 53. | Psal. 75. | Ioan. 14.

A attulit, & reliquit. ¶ *Ecce ascendimus hierosolymam, & consumabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis*. Si causam quæras quare Christus Apostolis suis prædixerit passionem & resurrectionem suam modo: imo non solum modo, sed multo ante per prophetas illá múdo vaticinatus fuerit, in promptu est. Nam id factum fuit vt eius passio facilius crederetur. Tale enim est hominum ingenium & natura, vt quæ noua sunt, & de improuiso atque inopinato orta, figmenta esse credamus. Ea veró quæ iá olim fuerant, diuinis præsertim oraculis, prædictæ: B quoniam eorú expectatione tenebamur, facile recipimus. Hinc est quod Christus dominus postquam suis discipulis morté, & á mortuis resurrectionem prædixerat, ait. hoc dixi vobis priusquam fiat, vt cum factum fuerit credatis. Et in Actis Apostolicis diuus Petrus Apostolorú princeps, quo fidei plus & autoritatis dictis suis adstrueret, nos, inquit, vobis annunciamus eam, quę ad patres nostros, repromissio facta est. Hac ergo de causa Deus tot ante seculis mittendum à se in carne filium pollicitus est mundo; nempe vt tanto myste- C rio percipiendo sese homines fide exercétes prępararét: vt poté quod si ex templo nos imparatos occupasset, ingenti opus fuisset negotio, magnaque diligentia & persuassione antequam mentibus nostris conciperetur.

quare christus toties prædixit morté suá tá sé q quá prophetarum ore. | Ioan. 13. | Act. 13. 6

¶ *Consumabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas*. Considera obsecro Christi Iesu immésam erga homines charitatem, qui non solum vitam pro illis exposuit, sed voluit vt multó ante prophetę probra sua scriberent, ac publicé prædica- D rent. Illa ergo inter alios scripsit regius vates nam Psal. 2. imprimis vaticinatur concilium generale hierosolymis actum: quo definitum est expedire eum mori ne tota gens periret: quare, inquit, fremuerunt gentes, &c. astiterunt reges terræ & principes conuenerunt in vnum aduersus dominum & aduersus Christum eius. Quem locum diuus Petrus spiritu Dei afflatus de Christo eiusq; morte à principibus sacerdotum, atque Pilato & Herode definita, exponit vt refert Luc. in Actis. c. 4.

Vaticinia multa affe runtur de morte Christi, eo ordine quo passus est. | De cócilio cótra christum facto vaticinatur Dauid Psal. 2. | Act. 4.

¶ Quod

De captione eius David & Hiere. Psal. 21.

¶ Quod apprehendendus erat à Iudæis & ligatis manibus in carcerem coniiciẽdus prædixit idem vates Psal. 21. Circundederũt me, inquit, vituli multi, tauri pingues obsederunt me, aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens. Et Hieremias Threno. 4. Spiritus oris nostri dominus Christus captus est in peccatis nostris, cui diximus in vmbra eius viuemus in gentibus. Et rursum idem Hieremias: Tu autem domine demonstrasti mihi & cognoui: tu ostendisti mihi studia eorum & ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam, & non cognoui quia cogitauerunt super me concilia dicẽtes: mittamus lignum in panem eius, id est, venenum in doctrinam eius & eradamus eum de terra viuentium & nomen eius nõ memoretur amplius.

Thre 4.

Hiere 11.

De proditione Iudæ David Psal. 40.

¶ Quod à Iuda prodendus esset prædixit David his verbis: qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum suum. Quod verò vendendus esset triginta argenteis, quibus tandẽ ager pro peregrinorum sepultura emendus erat, prænuntiauit Hieremias. Et acceperunt, inquit, triginta argenteos precium appreciati, quod appreciauerunt à filijs Israel, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi dominus. Adiungit Matthæus agrum illum Christi precio emptũ etiam temporibus suis, sanguinis agrum cognominari.

De venditione. 30. argenteis. Zacha. 11.

Matth. 27

De fuga Apostolorum. Zach. c. 13

¶ Quod discipuli erant eum, cum comprehenderetur, derelicturi, docuit Zacharias capit. 13. framea suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi dicit dominus exercituum: percute pastorem & dispergentur oues.

De alapis & flagellis Esai. 50.

¶ Quod alapis & flagellis cedendus ait Esai. cap. 50. Corpus meum dedi percutientibus & genas meas vellentibus, faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus in me.

De odio Iudæorũ quo persecuti sunt vt cruci affigeretur. Salomon.

¶ De odio intestino Iudæorum ob vitæ suæ innocẽtiam, sanctitatem, & pietatem; ac de morte crucis omnium turpissima: apertè Salomon in libro sapientiæ. Circũueniamus, inquit, iustum, quoniam insuauis est nobis, & exprobrat nobis peccata legis, promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat, factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum: grauis A est nobis etiam ad videndum: quoniam dissimilis est alijs vita illius, & immutatæ sunt viæ illius: tanquam nugaces existimati sumus ab eo, & continet se à vijs nostris, & immunditijs, & præfert nouissima iustorum, & gloriatur patrem se habere Deũ. Videamus ergo si sermones illius veri sint, & tentemus quæ ventura sunt illi. Contumelijs & tormẽtis interrogemus eum, vt sciamus reuerentiam illius, & probemus patientiam illius. Morte turpissima condemnemus eum. Hæc cogitauerunt, & er B rauerunt. Excæcauit enim illos stultitia eorum, & nescierunt sacramenta Dei. Hæc Salomon.

Quod tot probra propter nostram salutem libera sua voluntate susceperit prædixit propheta Esai. 52. & 53.

¶ Quod tot opprobijs, contumelijs, iniurijs propter hominum salutẽ sua libera voluntate à Iudæis gentibusq; affectus fuerit, prophetauit quintus ille Euangelista Esaias dicens: Ecce intelliget seruus meus, & exaltabitur & eleuabitur, & sublimis erit valde. Sicut stupuerunt super te multi sic inglorius erit, inter viros aspectus eius, & forma eius inter filios hominum. Iste asperget gentes multas: super ipsum continebunt reges os suum, quia C quibus non est narratum de eo viderunt, & qui non audierunt contemplati sunt. Quis credidit auditui nostro? Et brachiũ domini cui reuelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti. Non est species ei, neque decor. Et vidimus eum, & non erat aspectus: & desiderauimus eum despectum, & nouissimum virorum. Virum dolorũ & scientem infirmitatem. Et quasi absconditus vultus eius, & despectus, vnde nec reputauimus eum. Verè langores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Et nos reputauimus eum quasi leprosum, & per D cussum à Deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oues errauimus vnusquisque in viam suam declinauit, & posuit dominus in eo iniquitatẽ omnium nostrorum, oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum, Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. De angustia & de iudicio sublatus

Esai. 53.

blatus est. Generationem eius quis enarrabit? Quia abscisus est de terra viuétiú, propter scelus populi mei percussi eũ. Et dabit impios pro sepultura, & diuites pro morte sua Eo quod iniquitaté nõ fecerit, nec dolus fuerit in ore eius. Et dñs voluit côterere eũ in infirmitate. Si posuerit pro peccato animã suã, videbit semen lõgeuũ, & voluntas Dñi in manu eius dirigetur. Pro eo quod laborauit anima eius, videbit & saturabitur. In scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiã ei plurimos & fortium diuidet spolia, pro eo quod tradidit in morté animã suã. Et cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum tulit. Pro transgressoribus rogauit. Quod auté Esaias in verbis superioribus de redemptione vltima, quæ per Messiã accipienda erat, locutus sit: patet per proœmiũ quodam ab eo his verbis ita præpositũ. Quã pulchri super montes, pedes annuntiantis pacé, annuntiantis salutẽ, dicẽtis Sion, regnabit Deus tuus. Et infra: parabit dñs brachiũ sanctũ suũ, in oculis omniũ gentiũ, & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Et rursum: præcedet vos dñs & cõgregabit vos Deus Israel. Quæ omnia multaque alia his similia, ad Messiã pertinere, omnes tam Iudæi quam christiani cõsentiũt. Deinde subdit: ecce intelliget seruus meus. Quod iste seru9 sit Messias declarat etiam Chaldæa trãslatio hunc in modũ: ecce intelliget seruus me9 Messias. Rursus quod Messias iste sit Deus, Iudæi interpretes talmutici Esaiã hic exponentes, sic ostendunt: Exaltabitur, plusquã Abrahã. Eleuabitur, plusquã Moyses, Sublimis erit valde, plusquã angeli. Quã verò pretiosa sit redẽptio huiusmodi per Messiã, patet per illud Esaiæ, Israel saluatus est in dño, salute æterna; nõ confundemini, & nõ erubescetis vsq; in seculum seculi. Non igitur corporalis, vel tẽporalis futura erat per Messiã salus, qualis Ægyptiaca, vel Babylonica, & similes, sed spiritualis & sempiterna. Quanuis autem prophetia hæc Esaiæ. Ecce intelliget seruus meus, &c. Ad Iesum nostrum manifesté pertineat, tamen rabbi Salomon peruersæ voluntatis homo, ausus est verba hæc peruertere, extorquens ea ad Iudaicũ populum in hodierna miseria viuẽtem. Cui quidẽ cõtradicit translatio Chaldæa vt iã diximus. Contradicunt etiam omnes antiqui Iudæi interpretes prophetarũ, qui seruum illũ esse Messiã volunt angelis valde sublimiorem, quæ excellentia plebeculæ huic Iudaicæ vili & vitiosæ, cõuenire nõ potest. Vnde rabbi Moyses gerũdẽsis hoc Salomone cõtẽpto secutus est priscus. Ita in Genesis cõmentarijs, dicit. Regem Messiam cor suum traditurum ad supplicandũ pro Israel, ieiunia pro illis & humillima quæque passurum, adducens illud Esaiæ. Ipse auté vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Hæc ille. ¶ Et quanuis Iudaica fex hodie multum afflicta sit, & quasi vulnerata & attrita, eodẽ pene modo quo Esaias Dei seruum depingit afflictum, nullo tamen modo Esaiæ verba huic plebi conuenire possunt. Quod quidem sex potissimum signa nobis ostendunt. Primum: & si populus hic grauiter est oppressus non tamen hoc propter gentium iniquitates, & scelera patitur: ita vt propter Iudæorum passionem & merita gentes quæ illos affligunt, à Deo veniam & salutem consequantur, imo Iudæi omnes vindictam à Deo aduersus gentes expectant. Cum ergo Esaias de seruo Dei asserit, quod liuore eius alij sanati sunt, & quod Deus in eo iniquitatem cæterorum posuit, certè non loquitur de populo Iudæorum ob cuius pœnas, alij non seruantur: sed (vt ipsi asserunt) puniuntur. Secundum signum: Esaias ait, quod seruus ille Dei iniquitatem non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Iudæi autem auaritiæ, fænori, mendatio, sceleribus mancipati sunt. Ac etiam ipsimet concedunt, propter scelera sua in hac miseria viuere, & autoritate Deuteronomij compulsi fatentur, quod si deposita prauitate conuerterentur ad Deum, statim liberarentur. Vnde Doctores eorum confitentes hanc miseriam ex peccatis suis prouenire, inquirunt quænam sint illa peccata. Rabbi Salomon cultum vituli in deserto fabricati criminatur, quod crimen iamdiu Deus puniuerat & ignouerat ante Iesum. Alij occultũ vo-

Exponitur totus iste locus Esaiæ de passione Christi voluntaria.

Esai. 45.

Sex signis ostenditur hũc Esaiæ locum de Christo ad literã esse intelligendum & nõ de iudaica plebe per totum mũdum modo errantẽ

volunt esse peccatum, cuius culpa supplicia pendunt. Tertium signum: Esaias in fine capituli dicit, quod seruus ille Dei pro transgressoribus exorauit: Iudæi contrà, ter saltem qualibet die, in execrabilibus sacris suis Romano imperio, Ecclesiæ Christi, cunctis gentibus præterquam Iudæis, terribilissima imprecantur: atque in talmuticis cōstitutionibus iubentur Christianos vtcumque possint vel vi vel fraude dolo ve lædere. Quartum, quo nam pacto eruditio & disciplina pacis quam in seruo Dei esse Esaias ait, in hac indocta & peruersa Iudæorum plebecula ponenda est? Quintum, quo nam pacto sublimior est populus iste quam Angeli Dei, qualem esse illum seruum Dei, omnes antiqui Iudæi proculdubio consenserunt? Sextum, cum dicat Esaias, ab iniquitatibus populi mei ductꝰ est ad mortem siue vt nostra editio habet propter scelus populi mei percussi eum: quis non videat alium esse seruum Dei illum, qui ad mortē ducitas atque percussus est, alium Dei populum ob cuius scelus & iniquitates occiditur? Nisi forte quis velit Esaiam omniū scriptorum elegantissimum sic absurdé locutum fuisse, vt intelligi voluerit propter scelus populi mei percussi populum meū, siue ab iniquitatibus populi mei ductus est populus meus ad mortem. Proinde si populus Iudaicus peccatū non habet, falsò hic de populo Iudaico loquitur Esaias, si habet, falsò loquitur statim quando subdit: iniquitatem non fecit, si modò tunc de populo loquitur. Seruꝰ igitur ille Dei nullomodo populus esse potest. ¶ Sed operæ precium est verba ipsa Esaiæ in duodecim conclusiones redigere, quemadmodū Paulus Burgensis Episcopus Theologus insignis redegit. Prima, seruus Dei apud Esaiā descriptus, cūctis creaturis est excellentior: dicit enim exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit valde. Secūda, ipse ab initio fuit paruulus, humileq; habuit ortū. Dicit enim ascendet sicut virgultū, & sicut radix de terra sitiēti. Tertia, in suo progressu contēptus est, & pro nihilo habitꝰ. Ait enim, vidimus eū despectū, & nouissimum virorum vnde nec reputauimus eū. Quarta, vulneratus fuit propter iniquitates nostras. s. purgandas. Vnde illud: & liuore eius sanati sumus. Et infra: iustificabit ipse iustus seruos meos multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Quinta, omnes iusti propter ipsum ex cōmuni lege à via salutis aberrauerunt: ipse autē omniū portauit iniquitatē. i. pro omnibus pænas dedit. Hinc illud: omnes nos quasi oues errauimus, & Deus posuit in eo iniquitatē omniū nostrorū. Sexta, hęc supplicia & post illa etiā mortē libenter sustinuit: de quo dicit, oblatus est quia ipse voluit, & sicut ouis ad occisionē ducetur, & quasi agnus corā tondēte, &c. Iudæi autē non libenti, sed inuiti & ægro animo passiones ferūt. Septima id cōtigit propter scelꝰ populi: erat autē ille innocēs, de hoc ait: propter scelꝰ populi mei percussi eū, & infra: qui peccatū non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Octaua, seruus ille Dei, parta victoria fortiū spolia diuisurus erat: eo quod vitā suā morti tradidisset. Huc illud tēdit: ideo dispertiā ei plurimos, & fortiū diuidet spolia: quia morti tradidit animā suā. Nona, existimandus erat iniquus. Ob hoc ait: & cū sceleratis reputatus est. Decima, seruꝰ huiusmodi licet per illa quę tolerauit, sufficienter peccata omniū sustinere ac delere potuerit, nō tamen in effectu omniū mala diluit, sed multorū. Quapropter adiungit: & ipse peccata multorū tulit. Vndecima, tanta in eo fuit charitas, vt etiā pro hostibus, homicidisq; suis Deū orauerit. Ad hoc subdit: pro transgressoribus orauit. Duodecima, quæ in hac prophetia traduntur naturalis ingenij vires excedunt: quo circa exclamauit: quis credidit auditui nostro? Hæc omnia soli Iesu Nazareno conueniunt. ¶ De vestimentorum verò partitione inter milites ait psalmographus, partiti sunt vestimenta mea & super vestem meam miserunt sortem. ¶ De plagis verò dicit alter propheta: quę sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Cui ipsemet dominus respōdet: his plagatus sum in domo eorum qui diligebant me. Et rursum Dauid: Foderunt manus meas & pedes meos, & dinumerauerunt omnia ossa mea. Quod verò inter iniquos ac sceleratos latrones suspēdēdꝰ esset, & quod ꝓ hostibus suis esset preces ad patrem

Paulus Burgensis.

De vestimentorū partitione Dauid Ps. 21.

De plagis Zacharias 13. c. Dauid Ps. 21.

Quod inter latronas effectus pendens Esai.53. & pro inimicis oratarus Esai.

patrem cum lachrymis & clamore effusurus, vt ignosceret eis: iam docuit Esaias in illo c.53. a nobis modo exposito. Quod cum pater cœlestis esset derelicturus prædixit Dauid suo nomine exclamans. Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? De eius sepultura meminit alius Propheta his verbis: Et erit sepulchrum eius gloriosum. Quid autem dicã de eius gloriosa resurrectione nisi quod Oseas Propheta nobis suo vaticinio reliquit. Viuificabit nos, post duos dies, in die tertia suscitabit nos. Et idem: Ero mors tua, ó mors, morsus tuus ero inferne. Et Dauid: Caro mea requiescet in spe, quoniam nõ derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptioné. Hæc ergo omnia scripserunt Prophetæ de filio hominis: & ad verbum perfecta sunt in Hierusalem. Traditus enim est gẽtibus & ab illis illusus, & flagellatus, & occisus, sed tãdem tertia die resurrexit. Hic est vitulus ille de quo Dominus ait Ezechieli. sumes vitulum de armento immaculatum, & expiabis sanctuarium. Et tolletsacerdos de sanguine, quod erit pro peccato, & pones in postibus domus, &c. Vitulus hic pro peccato oblatus, cuius sanguis erat labes nostras expiaturus, Christus est, verus Deus noster, cuius meminit diuina scriptura primo cap. Leuit. dicens: Immolabitque vitulum coram Domino vt offerant filij Aaron sacerdotis sanguinem eius, fundentis per altaris circuitum. Et dixerat antea: masculum immaculatũ afferet ad placãdum sibi dominum. Ideo dicitur immaculatus quia iuxta Esaiæ vaticinium iniquitatem non fecit, nec fuit dolus in ore eius. Quem locum diuus Petrus in prima epistola sua de Christo interpretatur. Et ad hoc alludens D. Ioan. in prima epistola ait: Scitis, quia ille apparuit vt peccata nostra tolleret, & peccatũ in eo non est. Eam etiam obcausam dicitur de armento, quia nullo fuit peccati iugo pressus. Vel de armento dicitur, quia fuit de grege Patriarcharum, quem diuus Matthæus vocat filium Dauidis, filium Abraham. Hic est vitulus saginatus lacte sacratissimę Virginis pro filij prodigi salute occisus, opprobrijs affectus & cruci tan-

quod á patre esset derelinquendus. Psa.21. de eius sepultura. Esai. 11. De eius resurrectione Oseas c.6 & 13. Dauid Ps. 15.

Ezech.45. Figura.

Leui. 1.

Esai.53.

1.Pet.2.

1.Ioan.3.

Matth 1.

Supra.15.

dem crudeliter affixus. Ecce vitulus iste iam ascẽdit hierosolymam sacrificiorum locum vt immoletur.

¶*Consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis.* Imo non sólum in passione consum ita sunt quæ scripta sunt per prophetas de Christo: sed omnia quę scripta sunt in lege. Perfecit enim Christus dñs in passione sua omnem legẽ vt autor est doctor sanctus. Perfecit enim præcepta moralia, ceremonialia, & iudicialia. Moralia quidem quæ in præceptis

B charitatis fundantur, in quantum passus est ex dilectione patris (dicente Christo apud Ioan. Vt cognoscat mundus quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater sic facio, surgite eamus hinc. Ad locum. s. passionis) & etiam ex dilectione qua nos omnes prosequitur. dicente diuo Paulo Apostolo: dilexit me, & tradidit se metipsum pro me. Ceremonialia veró, quæ ad sacrificia & oblationes præcipué ordinata sunt, impleuit Christus sua passione in Hierusalẽ, in quantũ omnia illa antiqua sacrificia, imagines & figuræ fue-

C runt veri illius sacrificij, quod Christus in cruce patri obtulit pro nobis moriendo. Hinc est illa vox Pauli nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, quę sunt vmbra futurorũ, corpus autẽ Christi, illa ergo vmbra erãt, Christus autẽ corpus. Adueniente igitur corpore, vmbra euanescit. Iudicialia autẽ quæ instituta præcipue fuerant ad iniuriã satisfaciendã: sua morte impleuit Christus dñs, quoniã, vt Psalmographus ait, quę nõ rapuit tũc exoluit: permittẽs se ligno affigi pro pomo cõtra Dei mandatum rapto. Hæc ergo omnia legis precepta cõsumata

D sunt. Quod & ipse testatus est apud Ioã. dicens: consumatum est. Hæc ex S. Tho. 3. p. q.47. art.2. ad primũ argumentũ. ¶*Consummabuntur omnia.* Si omnia perfecta sunt in passione Christi, quid est quod D. Pau. in epi. ad Colo. c.1. ait. Adimpleo quæ desũt passionũ Christi in carne mea? Ad hoc respondet Augu. vt adimpleã, quid? Quæ desunt. Cui desunt? Pressurarũ siue passionũ Christi. Et vbi desũt? In carne mea. Nũ quid aliquid pressurarũ deerat in illo homine, quod factũ est verbũ Dei, natum ex

Christus in passione omnem legem impleuit. S. Tho. 3. p. q.47. ar. 2. ad primum.

Ioan.14.

Gala.2.

Colo.2.

Psa.68.

Ioan.19. S. Tho.

Si Christo omnia consumantur quomodo Paul. dicit adimplere passiones Christi. D. Aug. in Psa. 86.

Maria Virgine? Passus enim est, quicquid pati deberet, ex sua voluntate: non ex peccatis necessitate: & videtur quia omnia. In cruce enim positus accepit acetũ in vltimo, & ait: consumatũ est: & inclinato capite emisit spiritũ. Quid est cõsumatũ est? Iam de mẽsura passionũ nihil mihi deest. Quia omnia quæ de me dicta sunt, cõpleta sunt: tanquã ideo expectaret, vt cõplerentur. Quid est qui sic proficiscatur, quo modo ille de corpore egressus est? Sed quis est qui hoc potuit? Qui primo dixerat, potestatẽ habeo ponendi animã meã: & potestatẽ habeo iterũ sumendi eã. Nemo tollet eam à me, sed ego pono eã a me: & iterũ sumo eã. Posuit quando voluit, sumpsit quãdo voluit: nemo abstulit, nemo extorsit. Ergo impletę erãt omnes passiones sed in capite: restabant adhuc Christi passiones in corpore. Vos autẽ estis corpus Christi, & mẽbra. In his ergo mẽbris cũ esset Apostolus dixit: vt adimpleã quæ desunt pressurarũ Christi in carne mea. Ergo illuc imus quo Christus præcessit: & adhuc Christus illuc pergit quo præcessit. Præcessit enim Christus in capite, sequitur in corpore. Et adhuc Christus hic laborat. Et Christus hic patiebatur a Saulo, quando audiuit Saulus. Saule Saule quid me persequeris? Quomodo solet lingua dicere calcato pede: calcas me. Linguã nullus tetigit, cõpassione clamat: non attritione. Adhuc Christus hic eget, hic peregrinatur, Christus hic ægrotat, Christus hic in carcere includitur vt ipse in die iudicij fatebitur quod Matthæ. narrat. c. 25. Hæc ex Augu. ¶ *Quæ scripta sunt de filio hominis.* Quare Christus dñs se filium hominis vocet lege in cõmẽtarijs nostris in Matt. c. 20. in illa verba: ecce ascendimus hierosolymã & filius hominis, &c. Vocat se filium Adę merito quidem quoniam patris peccatum morte sua luere voluit.

Ioan. 2.
1. Cor. 12.
Act. 9.
Matth. 25.

Tradetur enim gentibus. Obserua primũ quod Christus dñs à multis traditꝰ est. Nã traditus est à patre, à seipso, à Iudæis, à Iuda proditore, & à Pilato. Pater illũ tradidit: tũ, quod æterna sua volũtate mortem eius ad generis humani libertatẽ præordinauit. Vnde Esai. ait: Dñs posuit in eo iniquitatẽ omniũ nostrũ: & rursum: Dñs voluit cõterere eum in infirmitate. Tũ etiã, quod voluntatẽ pro nobis patiendi eius animo inspirauit: charitatẽ maximã ei infundendo. Vnde statim Esai. addidit: oblatus est, quia ipse voluit. Tum deniq; pater filiũ tradidisse dicitur, quod eũ omnino in passione dereliquerit. Hinc fuit vox illa exclamantis: Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me? Quod à seipso traditus fuit affirmat Esaias dicens: Tradidit in mortẽ animã suã. Et D. Paul. Dilexit me & tradidit semetipsum pro me. A Iuda verò traditũ fuisse, nulli dubiũ est. Vt testatur ipsemet Dñs apud Ioã. c. 6. A Iudæis autem, testatus est Pilatus apud eundẽ Ioã. c. 18. Gẽs (inquit) tua, & pontifices tui, tradiderunt te mihi. Tandem Pilatus eum tradidit, vt crucifigeretur: vt idem Euangelista refert c. 23. Secundo hic obserua: eandem actionẽ secundũ radices diuersas à quibus proficiscitur & dimanat, nunc bonã, nunc malam à sapientibus diiudicari. Quare Christi traditio, bona iudicãda est vt à patre & à seipso processit: nam ex nimia erga homines charitate orta est. Mala vero censetur vt à Iuda, & à Iudæis, atq; Pilato originem traxit. Quod Iudãs auaritia, Iudæi inuidia, Pilatus timore affecti eum tradiderunt. Hæc ex D. Tho. tertio tandem aduerte non solum passum fuisse Christum dñm a Iudæis, sed etiam à gentibus. Tradetur inquit gẽtibus, & ab illis illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, &c. Nã quẽadmodũ effectus & fructus mortis ac passionis Christi in Iudæis inchoauit, ac resplẽdere cœpit, vt testatur Lu. in Actis Apostolorũ. c. 2. & 3. Baptizati n. sunt Iudæorũ plurimi, & tãdẽ ipsismet Iudęis prædicãtibus ad gẽtes pertrãsiuit: sic etiã cõueniẽs fuit vt Christus à Iudæis pati inciperet: & tãdẽ Iudæis illũ tradẽtibus, per manus gentiũ eius gloriosa passio finiretur.

Christus est traditꝰ a patre, a seipso, a Iuda, a Iudæis & a Pilato.
Esai. 53.
Ibidem.
Matth. 27.
Esai. 53.
Gala. 2.
Ioan. 18.
Idem. 23.
Lege magistrũ. d. vlti. & S. Tho. 3. part. q. 47. arti. 3.
Acto. 2. & 3.
Lege sanct. Thom. arti. 4.

¶ *Tradetur enim gentibus & illudetur, &c.* Contigit iudicio meo adæ, quod hæreticis fugientibus contingere solet. Cum enim ipsi ab inquisitoribus hæreticæ prauitatis capi nõ possunt vt comburantur, eorum statuæ publicẽ comburuntur. Itaque imago persoluit quod ille, quem refert, soluturus erat. Peccauit Adam ac post peccatum fugit à facie Domini,

Simil'itu;

mini,

Gen. 5. Psal. 58. b

mini, soluit eius filius, qui peccatoris ima go quædam erat, pro patre suo. Quę non rapuit filius Adæ, tunc exoluit. Qui non nouerat peccatum sed Adam pater eius, pro illo, ac pro omnibus nobis Adæ filijs, peccatum, idest, sacrificium pro peccato fecit vt Paul. ait.

2. Cori. 5.

¶ *Tertia die resurget.* Typus & figura mortis Christi fuit Abel iustus a fratre immaniter interfectus: resurrectionis verò fuit Seth qui loco Abel natus est. Abel enim interpretatur resurrectio loco ergo Abel, nascitur Seth, quia mortuus Christus qui est primus præcipuusque lapis ciuitatis Dei resurrexit tertia die. Ex Augustino. 15. de ciuita. capite. 18.

Abel typus fuit mortis Christi & Seth typus resurrectionis.

Augusti.

¶ Interim obserua quod in hoc miserrimo mundo extrema gaudij luctus occupat: at in domo Dei contra cõtingit: nam extrema luctus gaudium occupat. Traditus est Christus dominus gentibus vt illuderetur & flagellaretur, & occideretur: sed tandem tertia die resurrexit. Mundus comediam suis repræsentare solet: at Christus tragediam. Hinc est quod suis ait: tristitia vestra conuertetur in gaudium. Et rursum reprobis dicit: væ vobis, qui nũc ridetis, quoniam flebitis. Quisquis ergo pati voluerit cum Christo tertia die resurget alacris & gloriosus cum illo. Nam beati qui nunc fletis quoniam ridebitis. Ait ibidem Dominus.

Ioan. 16.

Supra. 6. d

Ioan. 16. d

¶ *Et ipsi nihil horum intellexerunt. Erat enim verbum istud absconditum ab eis.* Cum hic sermo ingratus erat, non descendebat in animos Apostolorum, vt difficile credimus, quæ nolimus esse vera. Nondũ autem percipere poterant mysterium crucis, vnde nouo Dei consilio salus erat orbi proditura. Nõ libebat credere morte violẽta moriturum hominem tam charum: nec poterant credere occidendum ab impijs hominibus, qui tam admirãdis factis polleret, qui toties ẽ manibus impetentiũ elapsus esset: deniq; nõ dubitabant, quin facilius esset illi futurum efficere, ne moreretur, quam vt à morte reuiuisceret. Et satius esse ducebant omnino non mori, quam post mortem vitæ restitui. Quanquam autem de domini sui fide dubitare non poterant, tamen ita blandiebantur suis affectibus, & interpretabantur in his Iesu sermonibus subesse tropum aliquem cuiusmodi dominus peculiariter vti consueuit. Huiusmodi suspicionibus blandiebantur affectui suo, & sermonem quidem audiebant, sed tanquam in somnis, vim autem sermonis penitus non intelligebant: & hoc pro temporis ratione, permittente domino, vt paulatim assuescerent ei, quod futurum amarissimum, ne ante tempus à præceptore suo diffugerent, cuius colloquio multis de rebus adhuc erant erudiẽdi. Nondum perspicere poterant arcana consilij diuini, quoniam oculos mẽtis habebant multa adhuc caligine cæcutiẽtes. Quanuis credebant, non tamen intelligebant multa quæ à Christo dicebantur. Nã vel nondum habebant donum illud cœleste, quod vocamus donum intellectus: de quo Esaias ait: Requiescet super eum spiritus domini, spiritus sapientiæ & intellectus: quo dono indiget homo vt penitus intelligat ac penetret quæ naturali lumine cognoscere nõ potest. Vel si hoc supernum donum habebant, nondũ erat perfectũ, donec spiritu Dei sancto repleti sunt. Nam ante hoc tempus multa non intelligebant. Hinc erat vox illa domini: multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum venerit spiritus ille veritatis docebit vos omnem veritatem. Dabit enim vobis donum intellectus quo intelligetis omnem veritatem. Nam donũ intellectus habebant cum recordati sunt, quia scriptum est: zelus domus tuæ comedit me. Et cum dictum est illis: vobis datũ est, nosse mysterium regni Dei. Sed quanuis hæc ita sint nondum, vt iam diximus, intelligere poterant Apostoli omnia mysteria fidei, quoniam intellectus aciem habebãt multa caligine cęcutientẽ. Sed magis etiam caligabant cæteri, qui minus erãt dño familiares. Fons autẽ salutis est cognitio Iesu. Cognoscere enim est videre. Lumen est fides, tenebræ sunt terrenæ cupiditates. Et ecce casus qui nobis ponat ob oculos, quomodo possimus cernere Iesum: & in vno cęco forma ꝓponitur, quo pacto possit à multis tolli cæcitas animæ. Vnus occurrebat corporeis oculis captus: sed quam multi sectabantur Iesum, qui

Esai. 11.

S. Thom. 22. q. 8. ar. 4

Ioan. 16.

Ioan. 2. c.

Matth. 13.

Supra. 8. b

qui multo minus videbant animo, postea quam & duodecim adhuc habebant oculos sic obductos ignorantiæ tenebris, vt manifestum domini sermonem non intelligerent. Accidit igitur quod statim nostet Euágelista narrat.

¶ Dominica in 50.

Matth. 20. & Mar. 10.

Factum est autem cum appropinquasset Hierico, cæcus quidā sedebat secus viā, mendicans. Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quia hoc esset. Dixerūt autem ei, quod Iesus Nazaræus transiret. Et clamauit, dicēs: Iesu fili Dauid miserere mei. Et qui præibant increpabant eum, vt taceret. Ipse vero multo magis clamabat, fili Dauid, miserere mei. Sstans autem Iesus, iußit illum adduci ad se. Et cum appropinquasset, interrogauit illum, dicens, quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine vt videam. Et Iesus dixit illi. Respice: fides tua te saluū fecit. Et confestim vidit: et sequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs vt vidit dedit laudem Deo.

Cæcus est peccator.

Factum est autem cum appropinquasset Hier., cæcus quidam sedebat secus viam, mendicans. Cæcus iste vt omnes doctores sancti fatentur imago est peccatoris. Est enim peccator tam cæcus vt minime oriatur illi lux illa de qua regius vates ait: lux orta est iusto & rectis corde lætitia. Quæ verba exponens D. Augusti. ait. Quæ lux orta est iusto? Quæ non oritur iniusto: non ista lux quam facit oriri super bonos & malos. Est alia lux quæ oritur iusto. De qua luce non sibi orta in fine dicent iniusti. Ergo errauimus à via veritatis: & iustitiæ lumen non luxit nobis: & sol non ortus est nobis. Ecce amando istum solem: in tenebris cordis iacuerūt. Quid profuit oculis videre istum: & mente non videre illum? Tobias cæcus erat, & filio suo viam Dei docebat dicens: fili fac eleemosynas, quia eleemosynæ non permittunt ire in tenebras. Nec timuit nec diceret in corde suo filius ipsius: tu enim eleemosynas fecisti, quare cæcus mihi loqueris? Ecce eleemosynæ ad tenebras te perduxerunt. Et quomodo mihi dicis eleemosynæ non sinunt ire in tenebras? Quare ille dicebat ista cum fiducia nisi quia aliam lucē videbat? Filius patri manum tenebat, vt ambularet: sed pater filium viam docebat, vt viueret. Est ergo alia lux quæ oritur iusto. Lux orta est iusto & rectis corde lætitia. Vis illam nosse? Esto rectus corde. Quid est rectus corde? Noli tortuo corde esse ad Deum: resistens voluntati ipsius: & volens illum curuare ad te: & non te dirigere ad illum. Et senties lætitiam & iucunditatem quam sentiunt omnes qui recto sunt corde. Hæc Augustinus. Peccator ergo verè cæcus dicendus est & in tenebris iacere: cui non oritur lux cœlestis. Qui non videt, quo vadit, ne qua vadit. Qui dulce putat amarū & amarum dulce, hoc est, virtutem vitiū, & vitium virtutem. Qui ne aliter incedit nisi ab alio ducatur. Pecorum enim ritu sequitur antecedentium gregem, pergēs non quo eundum est, sed quo itur. Dimisso namque rationis vsu vulgi opinionem, morem & vsum sequitur miser pecator. Vnde Seneca. Nulla res nos maioribꝰ malis implicat, quam quod ad rumorem cōponimur, optima rati ea, quę magno assensu recepta sunt. Peccator ergo qui à vulgo cæco ducitur, cęcus profecto est. Vnde nō mirū quod ambo in foueā cadāt. Hinc est quod vtrisque contingat quod in strage homi-

D. Augus. in Psal. 96. Sapi. 5. Tobiæ. 4. Psal. 96. Seneca.

Simile. hominum magna euenit, cum ipse se populus præmit, nemo ita cadit vt nō alium in se attrahat: primi exitiose iuctibus sunt. Hoc in omni vita accidere videas licet, nemo sibi tantum errat ac cæcus est, sed alteri etiam erroris & cæcitatis causa & autor est. Nocet enim applicari antecedētibus, & dum vnusquisque mauult credere (more cæcorum qui ab alijs ducantur) quam iudicare, nunquam de vita iudicatur, semper creditur. Versatq; nos & præcipitat traditus per manus error, alienisq; perimus exemplis. Sanabimur si modo separemur à cœtu etiam cæco, rudi & imperito. Lege Senecā de vita beata. c. 1. & 2. Seneca.

¶ Cæcus præterea peccator dicendus est, quod careat principio cœlesti, hoc est, gratia habituali, naturali lumini rationis superaddito, priuatur enim ob sua demerita peccator talis superno principio. Hinc est quod de quibusdam ait sapiens. Excæcauit illos malitia eorum: & nescierunt sacramenta Dei. Caret diuina sapientia sua culpa, noluit enim intelligere vt bene ageret. Aut supercecidit ignis. s. prauę concupiscentiæ, & ideo non videt solem iustitiæ. ¶ Et quod magis dolendum est, quod hi miseri cæcitatem suam non agnoscant. Quibus profecto accidere solet, quod narrat Seneca, cuidam accidisse fatuæ. Hec fatua, inquit, subito desijt videre. Incredibilem rem narro, sed verā: nescit se esse cæcam. Inde pedagogū suū rogat vt migret, ait domum tenebrosam esse Hoc quod in illa ridemus, omnibus nobis accidere liqueat tibi. Nemo se auarū esse intelligit, nemo cupidum. Cæci ducē quęrunt. Nos sine duce erramus, & dicimus: nō ego ambitiosus sum, sed nemo aliter in vrbe viuere potest: nō ego sumptuosus sum, sed vrbs magnas expensas exigit. Quid nos decipimus? Nō extrinsecus malum nostrum, intra nos est, in visceribus sedet, ideo difficulter ad sanitatem peruenimus, quod nos ægrotare nescimus. Precemur igitur Dominum ne caligo peccati mentem nostram operiat: vt dicere possimus cum sancto Iob, ne faciem meam operuit caligo. Qui enim semper (inquit Gregorius) diuinę fortitudinis pondus aspexit, eius cordis faciem caligo peccati non operuit.

Sapi 2. Psa. 55. a Psa. 57. b D. Thom. 22. q. 15. artic. 1. Grego. 16 Mora.

A Precemur, inquam, dominum ne cæci simus vt illi panes offerre possimus. Leuitici enim. c. 21. ait dñs ad Moysen: loquere ad Aaron: homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, nō offeret panes dño Deo suo: nec accedat ad ministerium eius. Vbi & repente subiungitur: si cæcus fuerit, si claudus, &c. Cęcus quippe est (ait Grego.) qui supernæ contēplationis lumen ignorat: qui præsentis vitæ tenebris pressus, dum venturam lucem nequaquam diligendo conspicit: quo gressus operis porrigat, nescit. B Hinc etenim prophetante Anna dicitur: pedes sanctorum suorum seruabit: & impij in tenebris conticescent. Miser ergo peccator cæcus est. Huius figura fuit Sedechias Iudæorum Rex, qui cum se in fugam conijceret, comprehensus est ab exercitu Chaldæorum, & adductus ad regem Babylonis, qui ei oculos abstulit eumque catenis astrictum adduxit Babylonem, vbi habitabat: sed eā non videbat. Omnes enim qui scelere pascuntur, a diabolo obcęcantur, & peccatorum catenis vincti, relicta hierosolyma Babylonem transferuntur, a C visione pacis ad mundi confusionem traducti. Quū autem sint in medio mundi, ipsum mundum nequaquā vident. Si enim homines flagitiosi mūdi vanitates, dolos, labores, & ęrūnas aspicerent, fieri nō posset, quin ab eo discederent, & in pacis ac tranquillitatis visionem se conferrent, vt sumq; , hoc est, gratiam ac sempiternā gloriam consequerentur. Vt enim oculus corporis videre non potest nisi interiecta sit aliqua distantia inter ipsum & obiectum, ita illi qui in mundo sunt, ipsum mūdum non vident: quoniā nullū est inter eos, & D mundum interuallū. Exi igitur a mūdi cāpo & saltem sede iuxta viam, hoc est, Christum & summis precibus ab eo visum postula, & exauditus penitus egredieris a mūdi limitibus & terminis, & ingressus viam vitæ, & mundi calamitates & labores facilē videbis exemplo Esaiæ, atque omnium habitantium hierosolymam: qui Babylonis miserias intuebantur: ipsi vero Babylonij non miserias sed mundi gloriam respiciebāt. Onus (inquit Esaias) Babylonis, quod vidit Esaias filius Amos.

Leui. 21. Figura. Grego. 1 par. pasto. curę c. 11. 1. Reg. 2. 4. Reg. 25. Figura. Simile. Esai. 13.

¶ Adde his, quod cæcitas in homine contingere primo modo solet, quando ipsomet oculo manente visus subtrahitur. tales sunt qui sapientia mundi huius pollētes, spiritu ad vidēdum cœlestia mysteria carent; similes profecto simulachris de quibus regius Propheta ait: Oculos habent, & non videbunt: neque enim est spiritus in ore ipsorum. De his ait Esaias. c. 6. Educ foras populum cæcum & oculos habentem: & surdum & aures ei sunt. Cæcitas etiam secūdo modo euenire solet, quā do pelle teguntur oculi. Tales sunt peccatores qui, pelle carnalis affectus, aut incredulitatis, oculos cordis velatos habēt. De eiusmodi dicebat diuus Paulus. Vsque in hodiernum diem velamen est positum supra cor eorū. Istorum figura & typus fuit Aman de quo in lib. Hester. cap. 7. scribitur: Adhuc verbum erat in ore regis & operuerunt faciem eius, & suspenderunt Aman: qui iniquus interpretatur. Hoc erat velamen quod ab oculis suis tolli ardenti desiderio postulabat David his verbis: Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Hic fuit scopus & finis aduentus seruatoris in mundum: vt diceret his, qui vincti sunt, exite: & qui in tenebris sunt, reuelamini. Cæcitas præterea vsu venire contingit, quando puluere iniecto in oculis excæcātur. Tales sunt auari: qui oculos suos statuerunt declinare in terram. Quorum imaginem gerebat Tobias: qui calido hirundinis stercore excæcatus est. Stercora sunt huius mundi instabilis & fugacis tanquam columba, omnia bona quæ externa nominantur: & stercora ea vocat Paulus ad Philip. 3. Hæc sunt quæ hominum oculos excæcare solent, ita vt lumen cœli non videant. Istorum ergo omnium figuram præfefert cæcus iste qui erat secus viam.

Psal. 113. & 134. Esai. 6. 2. Cori. 3. Hester. c. 7. Psal. 118. Esai. 49. Tobiæ. 2. Philip. 3.

¶ *Secus viam.* Quidam sunt in via. Hi boni Christiani sunt qui Christum Iesum sequuntur, qui est via, veritas, & vita. Vt ipse testatur, apud Ioā. Quidam verò sunt longē à via. Hi sunt infideles omnes. Procul enim sunt ac longē à Christo, atque à salute sua. De quibus dici potest illud psalmographi: longē à peccatoribus salus, hoc est, Christus qui est salus & salutare, & Saluator. Salus etiam, hoc est, Dei gratia & amicitia. Quidam autem sunt secus viam, quales sunt omnes peccatores fidem habentes, qui cum in via non sint, Christum quē non habeant, mendicant huius mundi voluptates ac perituras consolationes.

Iusti sunt in via infideles longe a via peccatores fideles secus viā & quare. Ioan 14. Psal. 118.

¶ Hic cæcus erat secus viam clamās, ac misericordiam petēs: sic peccatores sunt, qui & si in via, hoc est, in Christo, per amicitiam non sint, tamē sunt prope viam, hoc est, prope Christum. Nam & si in peccato sint tamen desiderant ab illo liberari & ideo clamant agnoscentes fragilitatem suam, ac miserum statum. De his ait D. Gregor. interim fac quicquid boni potes vt Deus illustret cor tuū ad pœnitētiam. Manifestum est enim & indubitatum, omnem illum qui pœnitere desiderat, & quærit hoc ipsum lachrymis, precibus, vel alienis suffragijs, aut quibuscunque alijs modis, quod aliquatenus potest dici dolere de peccatis suis. Veruntamen non vera ac perfecta pœnitentia est. Quemadmodum neque illius qui dicebat: concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas, in omni tempore. Proculdubio desiderabat iustificationes Dei, cum desideraret, desiderare eas. Cur enim desiderabat desiderare eas, nisi propter ipsa? Ita quibusdam peccatoribus contingit quorum pœnitētia non est nisi conatus quidam, ac desiderium quoddam quo præparantur ad verā pœnitentiam. Hi secus viam sunt: & tandē aperiuntur oculi eorum vera pœnitentia tacti, vt videant fontem misericordiæ.

D. Gregor. Psal. 118. Lege de hac re Guiller. Paris. de rethor. diui. a c. 4 vsq; ad. 15

¶ *Secus viam mendicans.* Fidelis existentis secus viam, scripturas tamen ignorantis typus & figura fuit Agar iuxta fontem plorantem. Errabat Agar (inquit Origenes) per desertum, cum puero, & puer plorabat. Et proiecit eum Agar dicens: ne videam mortem filij mei. Post hoc cum iam quasi moriturus fuisset abiectus, & fleuisset, adest eiangelus domini, & aperuit oculos Agar, & vidit puteum aquæ viuæ. Sic nos frequenter circa puteum iacemus aquæ viuæ, & secus viam, idest, circa Christum, aut eius scripturas, & erramus in ipsis. Et ideo opus est lachrymis, & orationibus indesinentibus clamare & postulare, vt dominus aperiat oculos nostros, quia hic

Ho. 8. super Gen. Via dicitur lex diuina vel ipse Christus.

bic cæcus qui sedebat in Hierico nisi cla masset ad dominum, non fuissent aperti oculi eius. Et quid dico vt aperiãtur oculi nostri? Quia iam aperti sunt. Iesus enim venit aperire oculos cæcorum, aperti ergo sunt oculi nostri & de litera legis velamen ablatum est. Sed vereor ne nos ipsi eos somno iterũ profundiore claudamus, dum non vigilamus in intellectu spirituali, neque solliciti sumus, vt somnum discutiamus ab oculis nostris, & cõtemplemur quæ spiritualia sunt, vti ne cum populo carnali, circa ipsam aquã positi erremus: quin potius vigilemus, & cum Propheta dicamus, si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, aut requiem temporibus meis, donec inueniã locum domino, tabernaculũ Deo Iacob. Si ergo fuerimus iuxta viam, hoc est, iuxta diuinas scripturas & earum intelligentiam desideramus, Dei misericordiam imploremus. Quæ tanta est vt si quid aliter quam verum est sapiamus, id ipse nobis reuelabit (vt August. ait) siue per occultas inspirationes, atque admonitiones, siue per manifesta eloquia sua, siue per fraternas sermocinationes. Quod minime continget hominibus prophanis procul ab ista via astantibus. Lex ergo Dei via est & via vocatur à regio vate dicente: Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Si ergo sederis iuxta hanc viam & clamaueris sine dubio illuminaberis. Nã declaratio sermonum Domini illuminat, & intellectum dat paruulis vt idẽ ait. Est enim lucerna pedibus nostris verbũ Dei; & lumen semitis nostris. ¶ Sed væ cæcis illis, qui ad hanc viam lucis, nõ solum non accedunt: sed ab ea maxime elongantur. De quibus verè dicitur illud Iob. c. 24. ipsi fuerunt rebelles lumini: nescierũt vias eius, nec sunt reuersi per semitas illius. Ac si apertius diceret: idcirco tanta mala perpetrant, quoniam lumini diuino nescierunt acquiescere, imo etiam repugnare sunt ausi, aduersantes & Deo, qui est lumen primum, & pater luminum & lumini naturali, quod ab illo secundum participationẽ in hominum mẽtes defluit. Nolunt vt bene agant intelligere vias, quas perambulandas demonstrabat ducatus il-

Psa. 131. a

August. l. de Trini. c. 3.

Psa. 118.

Psa. 118.

Ibidem.

Iob. 24.

A lius luminis, idest, Dei mandata, secũdum quæ viuendum constituit hominibus: sed ambulant magis in vijs cordis sui, in desiderijs prauis, & concupiscentijs pessimis. Neque post multa patrata scelera saltem reuerti voluerunt à vijs suis prauis, vt pœnitentiam agerent peccatorum præteritorum, ac vel tandem ad diuinorum mandatorum custodiam se conuerterent. Hi nõ secus viam sed procul à via domini sunt.

¶ *Et cum audiret turbam prætereuntẽ.* B Maxima sanè multitudo hominum sequebatur semper dominum Iesum: quidam vt eius miracula viderent. Hinc Ioan. ait: sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa super his, qui infirmabantur. Hi eum sequebãtur curiositate sola commoti; quod cõtingit sæpius. Quidam vt à mala valitudine sanarentur: vt testatur Lucas noster capi. 4. Omnes (inquies) qui habebant infirmos ducebant illos ad Iesum & curabantur. Quidam vt ab eo docerentur. Tales erant, qui dicebant: ad quem ibimus verba vitæ æternæ habes? C Quidam vt vestigia eius imitarẽtur. Hinc vox illa quam refert Matthæus. c. 8. Magister sequar te quocunq; ieris. Quidam vt illi ministrarent. Ideo namque ascenderant mulieres quædam ait Lucas & Marcus vt ministrarent ei de facultatibus suis. Iam alij eum sequebãtur vt ab eo reficerẽtur. Quibus dominus aiebat apud Ioan. c. 6. Quæritis me, nõ quia vidistis signa: sed quia mãducastis, & panibus saturati estis. Alij verò vt illi insidias pararent & eũ caperent in sermone vt Matthæ. affirmat. c. 22. Tandem multi Christi vestigia sequebantur, ardentissimo amore & desiderio D videndi faciem eius. Vnde quidam eorũ dixerunt Philippo (vt commemorat Ioannes) domine volumus Iesum videre. Multis ergo de causis tanta hominum multitudo Christum sequebatur. Nos ergo illum perpetuo sequamur vt eius vestigia imitemur: vt eum tandem in cœlesti patria videre mereamur. Hęc ergo erat turba, quã modo prætereuntem audiuit cæcus ille.

¶ *Interrogabat quid hoc esset.* Qui interrogat addiscendi desiderio teneri solet. Quare etiam nos interrogemus ambulantes cum Iesu si visum spiritualem recipere

Multis de causis turbæ sequebantur Christum.

Ioan. 6.

Supra. c. 4

Ioan. 6.

Matth. 8.

Supra. 8. Marc. 15.

Ioan 6.

Matth. 22

Ioan. 12.

Eccl.46.

tor appellatus es. Si enim olim fortis in bello Iesus naue qui fuit magnus secundum nomen suum, maximus in salutem sertuorum Dei, expugnare insurgentes hostes, vt consequeretur hæreditatẽ Israel: quãto fortior in bello aduersus hostes nostros tu eris ô bene Iesu: quanto maior secundum nomen tuum, tueris ad conferẽdam salutem seruis tuis, & expugnando hostes nostros? Memor etiam esto patris tui Dauidis, qui etiam in inimicos misericors fuit quærentes eum perdere: ac contendentes eũ immaniter occidere. Tu es domine Dauid ille, quem nobis promiserat pater tuus apud Hieremiam capit. 23. his verbis: Suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit. Ad te ergo attinet collapsa regni restituere: ad te pertinet adimplere quod pater tuus pollicitus fuerat per Amos cap. 9. dicens: Suscitabo tabernaculum Dauid quod cecidit, & reędificabo ruinas murorũ eius. Quando igitur tibi data es sedes Dauid patris tui: restitue nobis animas nostras ab hostibus tuis ablatas: restaura murorum ruinas: redde nobis lumen ablatum, fuga tenebras: mentes illustra. Miserere cæcitatis nostræ. Nam quod quæso gaudium in hac misera ac mortali vita nobis esse potest si te lumen cœli, non viderimus? Tu lumen vitę. Ad hoc lumen ambulabat sanctus Iob in tenebris vt ipse testatur cap. 29. In hoc etiam lumine tuo videbimus omnes nos in cœlesti patria & in hac mortali lumen illud immensum. In illa quidem, facie ad faciem, in hac vero ęnigmaticẽ. Quo carẽtes miseri & infœlices profecto sumus: quare miserere nostri. Non amoueas orationem nostram & misericordiam tuam à nobis. His ergo verbis, alijsque similibus Christi misericordia à nobis lumine gratiæ cœlestisque sapiẽtiæ orbatis, incessanter inuocanda est. Quod si fecerimus proculdubio exaudiemur.

Hiere. 23.

Amos. 9.

Iob. 29.

Psal. 65.

¶ *Et qui praeibant, increpabant eum, vt taceret*. Eò enim turba quæ præcedebat Iesum, increpabat cæcum, iubens eum obticescere, quod suspicaretur eum vulgarẽ eleemosynam petere, ac metueret, ne homo sordidus, ac mendicus publicus, molestus esset domino. Cæterũ multi sunt hodie qui turbam istam imitantur. Nã quandiu homo est iuxta viam mendicans, hoc est, quandiu peccator peccatis ac sceleribus multis obcæcatus mendicat hæc vana ac caduca mundi bona, quæ animum non explent: nemo eum increpat, nemo reprehendit, nemo eum tacere iubet: sed potius laudat, applaudet, atque adulatur. Sed si clamet ad Iesum, si ad eum conuertatur ex animo, si mores mutet, virtutem sectando: non desunt qui illum reprehendant, ac vehementer obstrepẽt. Vnde meritò D. Hierony. plangendo dicebat: Si autem fiscellam iunco texerem, aut palmarum folia complicarem: vt in sudore vultus mei comederem panem, & ventris opus sollicita mente pertractarem: nullus morderet, nemo reprehenderet. Nunc autem quia iuxta sententiam saluatoris, volo operari cibum, qui non perit, falsarius vocor. Idcirco Christus dicebat: si de mũdo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Tu ergo si sapis hũc cœcum imitari: & quo magis obstrepent huius mundi sectatores, tanto vehementius clama, memor illius quod D. Petrus ait: si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quod si contra feceris, poterit iure optimo de te dici, quod regius vates ait: verba iniquorum præualuerunt super nos. Clama, inquam, cum cæco: & dicito: in domino confido, quomodo dicitis animę meæ transmigra in montem sicut passer? Et rursum clama: nonne Deo subiecta erit anima mea, quoniam ab ipso patientia mea? Et illud: Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me, multi insurgunt aduersum me. Intelligens optimè Rex Dauid, quanta pati necesse sit eum, qui se ad pœnitentiam emendationemque conuertit, quomodo derelinquant eum amici & proximi sui, & longè efficiantur pro eo quod ipse se ad exomologesin peccati sui mærorem que conuertit, ait: amici mei, & proximi mei, aduersum me appropinquauerunt, & steterunt. In quæ verba Origenes sic ait: intellige mihi fidelem quidem hominem, sed tamen infirmum qui etiam vinci ab aliquo peccato potuit, & propter hoc

Multi sũt hodie qui peccatorẽ a cæcitate exire volẽtem nõ solũ non laudant sed reprehendũt & increpant.

D. Hieron. in 2. prologo in Iob.

Ioan. 15.

1. Pet. 4.

Psal. 44.

Psal. 10.

Psal. 61.

Psal. 3.

Psal. 37.

Orige. in Psa. 37. ho. 2.

In illa verba amici mei, & proximi mei, &c.

hoc mugientem pro delictis suis, & omni modo curam vulneris sui sanitatemque requirentem, licet praeuectus sit & lapsus, volentem tamen medelam ac salutem reparare. Si ergo huiusmodi homo memor delicti sui confiteatur quae commisit, & humana confusione parui pendat eos qui exprobrant eum confitentem, & notant, vel irrident, ille auté intelligent. Per hoc veniá sibi dari & in die resurrectionis pro ijs quibus nunc confunditur coram hominibus, tunc ante angelos Dei confusionem atque opprobria euasurum, vt nolit tegere & occultare maculam suam, sed pronuntiet delictum sum, nec velit esse sepulchrum dealbatum, quod deforis quidem appareat hominibus speciosum, idest, vt videntibus se quasi iustus appareat, intus autem sit repletus omni immunditia & ossibus mortuorũ. Si ergo sit aliquis insi delis vt si quid coscius sit sibi, procedat in medium, & ipse sui accusator existat, hi autem qui futurum Dei iudicium nõ metuunt, haec audientes, cum infirmantibus quidem non infirmentur, cum scandalizátibus non vrantur, cum lapsis non iaceát: sed dicant, longe te fac á me, neque accedas ad me, quoniam mundus sum, & detestari incipiant eum quem ante admirabátur, & ab amicitijs recedant eius qui delictum suum noluit occultare. Super his ergo cõsequenter dicit qui exomologesin, idest, cõfessionem, facit: Amici mei & proximi mei aduersum me appropinquanerunt & steterunt, & proximi mei de lõge steterunt: sed haec non oportet formidare eum qui post delictum saluari cupit, neq; notam eorum pertimescere, qui sua quidem peccata non cogitant, nec memores scripturae sunt diuinę dicentis, Noli improperare homini conuertenti se á peccato, sed memor esto quoniam omnes sumus in culpis. Non ergo cogitet de talibus, sed cogitet de anima sua exorans Deum, vt ab ipso exaudiatur, & subleuetur post casum suum, vt possit etiam dicere quae sequuntur. Quoniam iniquitatem meam ego pronuntiabo, & cogitabo pro peccato meo. Licet amici mei, & proximi mei contrarij sint, & propinqui mei longe se faciant á me, dum ego ipse mei accusator

Psa. 37. b

A efficior, dũ crimina mea nullo me arguente confiteor, dum nolo imitari eos, qui etiam cum in iudicijs arguantur, & testibus conuincantur, & tortoribus etiam arguãtur, tegunt tamen mala sua, & plus apud eos obtinet commissi pudor quam cruciãtis poena. Ego verò qui scio nihil latere Deum sed nuda esse omnia & manifesta cõspectui eius, quicquid abscondo, occulto quod nouit, cur non potius ipse me arguo, ipse me confuto? Quid specto accusatorem cum accusator meus conscientia

B mea mecum sit? Si forte & ille mihi parcet: si mihi ipse non parcam. Haec Orige. Non ergo audiamus reprehensores istos sed soli Deo placere curemus. Ad eum cõtemptis murmuratoribus clamemus. Amatores lubrici (inquit Augustinus) & amabiles foeminarum, quádo amatę ipsorum componunt illos secundum oculos suos, si ipsis placeant, non curant eos, quibus displiceant: putantes sibi sufficere quod earum oculis placent ad quas affectant: & plerumque grauibus displicent, imò semper grauibus displicent, & meliori iudi-

C cio reprehenduntur. Non bené tonsus es, dicit vir grauis lasciuo adolescenti: non te decet cum talibus cincinnis incedere. Nouit auté ille capillos suos placere nescio cui. Odit te reprehendentem vero iudicio: & seruat ipse quod placet peruerso consilio. Inimicum te putat, quia turpitudinem demis: fugit oculos tuos, & omnino non curat, quare regula iustitiae reprehendatur. Si ergo illi non curant reprehẽsores veraces, vt sint formosi fallaces: nos in his rebus, in quibus placemus sapiẽtiae Dei: non debemus curare irrisores iniu-

D stos, non habentes oculos vnde videant quod amamus. Hęc Augu. Ille enim probatus est, vt ait Paulus, non quem homines sed quem Deus cõmendat: & rursum in epistola ad Roma. c. 12. Nolite (inquit) conformari huic seculo. Nam, vt Iacobus ait, si quis vult amicus esse seculi huius, inimicus Dei constituitur. Si ergo te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis. Si peccatores, inquam, te persuaserint vt ad Deum non clames, dicito cum regio vate quoniam brachia peccatorum conterentur, confirmat autem iustos dominus. Potestas

August. in Psal. 32. ser. 1. Simile.

2. Cor. 10 d

Rom. 12. a

Iaco. 4 a

Pro. 1. b

Psal. 36.

testas enim peccatorum conteritur: vt in diuite videre est qui torquebatur apud inferos. Iustos autem dominus confirmat dicens eis: sustine dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine dominum. Quid est (inquit Augustinus) sustine dominum? Ad tempus laboras, in æternū non laborabis. Breuis est molestia tua, æterna erit beatitudo tua.

Psal. 26.
Augu. ibi.

¶Cæterum homines isti qui increpabant cæcum vt taceret sunt illis similes, aduersus quo D. Paul. loquitur in priori episto. ad Thessa. cap. vlti. dicens. Spiritum nolite extinguere. Extinguere enim conātur aliorum spiritum, hoc est, aliorum diuinā confessionem & laudem. Vocat enim Apostolus spiritum, laudes quæ redduntur Deo. Sic alibi: Psallam spiritu, hoc est, voce, iuxta illud: exultabunt labia mea, cum cantauero tibi: psallam & mente. Et anima mea, inquit, quam redemisti. Præterea spiritum hi conātur extinguere, si per spiritum intelligamus etiam Spiritus sancti gratias ac dona: dum eos, qui ad Deum clamant, eiusque opem & misericordiam implorant, increpant, reprehendunt, atq; obstrepere non cessant. Si ergo tibi homines impij à virtute retrahere conentur dicentes te esse debilem, infirmum, minime potentem concupiscentijs insurgentibus resistere, ne acquiescas eis: sed potius dices cum Psalmographo: Vox Domini in virtute, vox dñi in magnificētia. In quæ verba Richardus ait: rectè quidem qui infirmus est, desperat de sua fortitudine: speret tamen de domino: quia vox domini in virtute. Qui sensu coarctatur, non præsumat de sua prudētia: sensum autem suum à dño dilatari postulet: quia vox domini in magnificētia. Postulet autē in fide, qui indiget sapientia, ab eo qui dat omnibus affluenter, & non improperat. Noli timere pusille grex: dominus virtutē populo suo dabit: quia vox domini in virtute. Qui confidunt in domino mutabunt fortitudinem: quia vox domini in virtute. Quemadmodum cæcus iste qui mutanit fortitudinē, & quanto magis increpabatur, tanto magis ac magis clamabat ad dominum, in quo totam spem suam collocauerat. Cæterum væ illis, qui suis moni-

1. Thess. vl.
2. Cor. 14.
Psa. 70.
Psal. 28.
Richar.
Iacobi. 1.
Richard. par. 2. a. 18. lib. 2.

A tis & increpationibus peccatorem impediant, quo minus clamet, & conuertatur ad dominum: nam æternas pœnas dabūt. Væ, qui potum dat amico suo mittens fel suum, & inebrians aspicit nuditatem eius, ait vates quidam. Ac si diceret: væ tibi ô homo scelestis, qui prauis tuis consilijs inebrias deceptus, vt aspicias eos nudos a bonis operibus, atque a conuersione sua, a veraque pœnitentia. Iniquum cōsilium vocat potum felle mixtum.

Abac. 2.

B ¶*Et qui præibant, increpabant eum, vt taceret.* Sunt nonnulli ait Gregor. qui mox vt ab egenis fratribus fuerint necessaria postulata, prius in eos contumeliosa verba iaculantur. Qui si rebus ministeria perficiunt pietatis, in verbis cōtumeliosis humanitatis gratiam perdunt: ita plerumq; videantur iniuriæ illatæ satisfactionem exoluisse, cum post contumelias dona largiūtur. Non ergo debet qui misericordia in mendicos vtitur improperare. Stultus enim ait Salom. acriter improperabit. Et rursum: Datus insipientis non erit tibi vtilis: oculi enim illius septemplices sunt: exigua dabit & multa improperabit: & apertio oris illius inflammatio est. Declina ergo pauperi sine tristitia aurem tuam, & responde ei, in pacifica mansuetudine: vt idem Salomon admonet. Quod si multi inter nos tā iniqui sunt vt misericordiam ab eis petentes increpent, vt taceant: quā iniquiores ac scelestiores iudicandi sunt illi, qui pauperes reprehendunt quod ab alijs miseriam suam subleuare volentibus misericordiam petant? ¶*Et qui præibant*, Obserua quod non ait noster Lucas: qui sequebantur, vel cōmitabantur. Sed quid ait? Et qui præibant. Quoniam præsules & principes qui cæteris præsunt, esse solent primi, qui alios reprehendere solent, quod mundum relinquant, animi cæcitatem deplorent, ad Deum confugiant, eiusqué misericordiam implorent. De his ergo intelligentes, dicamus cum Dauide Psal. 39. Auertantur retrorsum, & reuereātur: qui volunt mihi mala. Præcedere volebat Petrus dominum, & consilium dare magistro suo dicens: absit a te domine. Dominus autem vt non eum faceret præcedentem, sed sequentem: vade, inquit, re-

Grego.
qui misericordia in mendicos vtitur nō debet eos improperare
C Eccl. 18. c 20. c Eccl. 4
Præsules & principes solent esse primi qui eos reprehendāt qui misericordiam a Deo implorant.
D
Psal. 39. Math 16. Augu. ibi.

tro satana. Sic dominum precemur, vt qui præeunt, nos increpantes, & retardantes à virtute, conuertantur retrorsum, intelligentes quam iniquè agant.

Tanta est orationis vis vt deū stare faciat.

¶ *Stetit.* Qui semel atque iterum vociferantem dissimulauerat, vt euidentiorem redderet hominis fiduciam, tandem restitit. Iussitque cæcum adduci ad se, vt omnium oculos ad miraculi consyderationem prouocaret. ¶ Vel ex hoc loco disces, quāta sit orationis vis: quæ Deum stare facit. Hinc est quod olim dicebat Dñs Moysi oranti: Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, faciamque te in gentem magnam. Disces etiam Dei bonitatem quę expectat nos vt misereatur nostri Esai. 30.

Exo. 32.

Esai. 30.

¶ *Quid tibi vis faciam?* Non ignorabat quid optaret cæcus, sed mali confessionem exprimebat, vt euidentius esset miraculum. Solent enim fingere quidam cæcitatem, quo plus accipiant: & fortasis erant complures in turba, qui nihil aliud sperare auderent quam stipem. Solebat enim & dominus tametsi iuxta mundum pauper, ex his quę donabantur ab amicis, aliquid elargiri pauperibus. ¶ His tamen omissis, cōsidera hic apertissimè liberum arbitrium. Quod innumera alia testimonia contestantur. inter quæ, illud est vnū quod habetur Ecclesiastici cap. 15. Deus, inquit, ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui: adiecit mandata, & præcepta, si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam seruare. Apposuit tibi aquam & ignem, ad quam volueris porrige manum tuum. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. Alterum testimonium simile huic est in Deuteronomio, vbi ita scriptum est: considera quod hodie posuerim in conspectu tuo vitam & bonum, & è contrario mortem & malum, vt diligas dominum Deum tuū, & ambules in vijs eius, & custodias mandata illius, ac ceremonias, atque iudicia, & viuas, ac multiplicet te, benedicatque tibi in terra, ad quam ingredieris possidendam. Si autem auersum fuerit cor tuum, & audire nolueris, atque errore deceptus adoraueris deos alienos, & seruieris eis, prædico tibi

Liberū arbitrium ostenditur.

Eccle. 15.

Deut. 30.

A hodie, quod pereas, & paruo tēpore morieris in terra ad quam Iordane transmisso ingredieris possidendam. Testes inuoco hodie cœlum & terram, quod proposuerim vobis vitam, & bonū, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, vt & tu viuas, & semen tuum. Aspicis hæc loca apertissimè demonstrare arbitrij libertatem. Essent enim penitus superuacanea, & ridicula, nisi liberum esset arbitriū. His adde præcepta & consilia, quibus plenum est vetus testamentum, quæ essent omnino inutilia, & prorsus irridenda, si B nihil esset in nostra potestate, sed omnia fataliter, vt aiūt, & necessario euenissent. Ex quo sequeretur nullam esse omnino religionē. Quis enim locus precationibus? Quis votis? Quis sacrificijs relinqueretur si cuncta ineuitabili necessitate futura esse crederētur. Aristote. in lib. de interpretatione apertè ostendit non omnia necessario euenire sed esse liberum hominum arbitrium, quod à Socrate & Platone alijsque excellentibus philosophis fuerat antè assertum. Fuerunt tamen hæretici non C nulli, qui aduersus sacrarū literarum euidentissima testimonia liberum arbitrium negarunt: quorum sectam ab Ecclesia dānatam renouauit modo Lutherus qui articulo, 36. suarum hæresum liberum arbitrium ait esse rem de solo titulo, sed reuera nihil prorsus esse. ¶ Attende verò atque alta mente considera Christi liberalitatē & magnificentiam: quæ tanta est, vt in potestate & libera voluntate postulantis cōstituat, quid aut quantum sit daturus: dicens: Quid tibi vis faciam? Sic sapiens D in libro sapientiæ capi. 16. ait: Voluntati vniuscuiusque eorum deseruiēs: ad quod quisque volebat, conuertebatur. Talem magistrū imitari solent discipuli, qui semper parati ac prompti sunt ad bene de omnibus merendum. Habes huius egregium exemplum in. 4. libro Regum. capi. 2. vbi ait Elias discipulo suo Elisæo: postula, quod vis: vt faciam tibi, antequam tollar a te.

Aristo.

Socrates Plato.

Sapi 16.

4. Reg. 2.

¶ *At ille dixit: domine vt videam.* Hoc idem & nos postulare debemus. Nam remunera merces tota nostra, hæc est, videre Deum. Vnde Esaias cap. vltimo ait: Videbitis

Videre Deū postulare debemus, & quare.

Esai. vltim.

A bitis & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra quasi herba germinabũt. Visio quidẽ rerum mundanarum consolationem corpori affert: at visio Dei cordis consolationẽ adducit. Hinc Christus discipulis suis dicebat: iterum autem videbo vos: & gaudebit cor vestrum. Hæc præterea visio maximo gaudio homines afficere solet. Nam quemadmodum spiritus tristis exiccat ossa vt dicitur Prouerbiorum.17. sic spiritus lætus dicitur ossa viridia & florida efficere. Et hoc est quod ait Esaias: quasi herba ossa vestra germinabunt. Præterea, hæc visio cognitio Dei est. Quod ipsemet Dominus testatur: hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum & quem misisti Iesum Christum. Hæc visio vita æterna est. Vidi dominum, ait Iacob, facie ad faciẽ & salua facta est anima mea. Quæ visio typus & figura fuit illius visionis, qua in hac vita per fidem & in cœlesti patria videbimus Dominum facie ad faciẽ. Vnde non absre dictum est: ortusq; est ei sol postquam transisset Phanuel, quod interpretatur facies Dei. Effusa namque benedictione ortus est sol iustitiæ populo sanctorum, dando salutem in remissionem peccatorum, per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto, illuminare ijs qui in tenebris & in vmbra mortis sedebant.

Ioan.17. Pro.17. Gen.32. Luc.1.

Omnes peccatores sunt cæci.

¶*Domine vt videam.* Certa res est, atq; in superioribus satis probata, omnes peccatores cæcos esse. Errant enim qui operãtur malum, ait Salomon in Prouerbijs. Et Philosophus in Ethicis definit omnẽ peccatorem esse ignorantem. Quod non solũ de his qui ignorantia delinquunt intelligendum est, sed de his etiam qui animi infirmitate & imbecillitate offendũt ita aut passione aliqua concitati. Turbatus est, inquit Dauid, à furore oculus meus. Quod si hi cæci merito dicuntur, quanto magis hoc nomine vocandi sunt, qui ex malitia & non ex ignorantia, aut infirmitate delinquunt? De huiusmodi ait scriptura sacra excæcauit eos malitia eorum. Quiergo peccatores sunt, si mentis visum recipere desiderant, magna cum fiducia dicant nihil addubitantes: Domine da mihi visum. Redde mihi donum sapientiæ & intellectus, scientiæ & consilij, quibus te videam, contempler ac in te aciem meam figam. Cognoscant miseriã suam & ad fontem misericordiæ confugiant: veniam petant ex corde & visum recipient. Dicant inquam, domine vt videam. Nouerim te & nouerim me. Nam istorum ignorantia omnium malorũ fons est & origo. Nihil enim pro nostra vtili magis curemus quam nosse Deum ac nos ipsos cognoscere. Quod vix perfecte assequi poterimus dicente Dauide: mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est & non potero ad eam, idest, scientia & industria illa qua me formasti, mirabilior est, quam vt illa a me capi possit: sublimior est, quam vt queam intelligere. Quod si meipsum intelligere nõ possum nisi tu dederis, quo pacto teipsum cognoscam. Da ergo Domine visum, vt & te & me videam. Dicant denique. Domine vt videam. s. quæ sunt procul diuinitus mihi collata prouidentia: vt videam & intelligam quæ vere mala sunt, quamuis boni nonnullam speciem habeant. vt vndique videam. Obnixè ergo petamus à domino prouidentiam: cuius munus & officium est, ex præteritis, & præsentibus futura perpendere. Quo visu carent peccatores. Vnde Boetius ait: nõ quod ante oculos situm est, sufficit intueri, rerum exitus prudẽtia metitur. Imprudens viam respicit quo iturus est: prudẽs verò finem viæ attendit. Postulemus etiã à Christo domino circumspectionẽ: cuius est, diligenti cõsideratione & animaduersione inter extrema cõtrariaque vitia medium tenere. Ad hanc virtutem pertinet sic liberalitatem seruare, vt fugiendo auaritiam in prodigalitatẽ non incidamus. Et sic a temeritate recedere quod timidi nõ videamur. Precemur igitur vt in omnib9 circunspecti simus. Ad quod nos Salomõ incitat in Prouerbijs dicens: omni custodia serua cor tuum. Notanter ait sapiens vt omni custodia seruemus cor: ne nobis contingat vt hinc hostibus fores claudamus: & aliunde aditum pandamus. Huius mysterij figura erat animal illud quod vidit Ezechiel cuius corpus plenum erat oculis: & animalia illa quæ intuitus est Ioãnes quæ plena erant oculis ante & retro.

Pro.14. Psal.6. Sap.2.d

Peccatores petant dona spiritus sancti quibus videant.

Petant secundo cognitionem Dei & sui.

Psa.138.a

Petant tertio prouidentiam, cautionẽ, & circunspectionẽ.

Boetius 5. de conso.

Pro.4. Ezech.1. Apo.4.

Peta

Petamus denique à Deo debitam cautionem, qua discernamus à virtutibus vitia virtutum speciem præferentia. Nam quę dam vitia (vt Isidorus ait) virtutum speciē præferunt, vnde semper perniciosius suos sectatores decipiunt, quæ se sub velamine virtutis tegunt. Nam sub prætextu iustitiæ crudelitas agitur, & remissa segnities mansuetudo creditur. Nullæ sunt (inquit Cicero) occultiores insidiæ, quā hæ quæ latent in similitudine officij. Et D. Gregor. in lib. Moral. Plerumque (inquit) vitia colore virtutum tincta tāto nequiora sunt, quanto & esse vitia minime cognoscuntur. Hostis nostri malitia cautē se arte palliat: vt plerumque ante deceptæ mentis oculos culpas virtutes fingat, vt inde quis quasi expectet præmia, vnde æterna dignus est inuenire tormenta. Cautio ergo apparens bonum interius inspicit, & malitiam ibi perpendit. Incauti verò sunt illi de quibus Esaias ait: væ qui dicitis bonum malum, & malum bonū. Quibus ergo Deus restituit mentis visum, & prouident futura, & circunspiciunt vndiquē, & cauent à malis. Quare si Dominus interroget quid vis vt faciam tibi? Dicat vnusquisque nostrum magna cum fiducia: Domine vt videam. Et tunc Dominus respondebit: Recipito visum. Fides tua te saluum fecit.

Isidorus.

Cicero.

D. Grego.

Esai. 5.

¶ *Respice. Fides tua te saluum fecit, &c.* Fide mēdicus iste cōspexerat Iesum, priusquam oculis corporis cerneret. Hæc nimirum est quæ nihil non impetrat à clemētissimo domino: hæc est quæ in medijs vitiorum tenebris, tamen procul compellat Iesum, vt misereatur. Obstrepit clamāti malorum conscientia: sed hoc acrius intendit vocem ardor fidei. Huiusmodi mēdicos amat dominus Iesus, & ideo differt nonnunquam quod petitur, vt plura promereatur, qui mendicat. In tenebris altissimis versantur, qui pro Deo colunt lapides, ac ligna: quibus pecunia, quibus Deꝰ venter est: qui seruiunt ambitioni, qui libidini, qui furialibus seditionibus tumultuantur. Hi si nondum possunt accedere ad Iesum, quia videre non possunt, saltem ad strepitum toto orbe Iesu gloriam prædicantium interrogent: quid est hoc rei?

Fidei ardor multa bona comparat.

A Vbi cognouerint præterire Iesum, ne sinant elabi præsentem occasionem, sed mirabili clamore fatigent aures illius, & si malorum præteritorum conscientia suadeat silentium, tanto instantius fidentis animi clamor ex vero dolore & intimo amore exortus pulset aureis. Non est cuipiam surdus Iesus, qui petit cum fiducia, verbo dare potest quod petitur. Transit quidem, sed non præteribit longius si vocem intenderis. Fœlix autem mēdicus, postea quam ad ipsius vocem restitit Iesus.

B Quid miri, si ad vocem interpellantis restitit, qui ad ouem perditam tanto itinere venire dignatus est? Fœlicior autē cæcus, postquam adducitur ad Iesum, iam enim saluti proximus est. Nec diu cæcus esse potest, quisquis accesserit ad fontem omnis lucis. Non aspernatur mēdicum dominus ille fons omnis gloriæ, & homo peccator fastidit proximum suum. Vbi coram veneris, vbi à te ipso recesseris, non est opus prolixa oratione, tantum dic quid velis, sed dic cum fiducia nō de tuis meritis, sed de illius virtute à pari bonitate concepta, ac protinus redibit visum vna cum salute.

C Mox enim vt dixerat Iesus: aspice: vidit, & ex mendico factus est Iesu sectator, ac prædicator diuinę bonitatis. Vnde Lucas noster ait.

Erasmus

¶ *Sequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs vt vidit, dedit laudē Deo.* Egregiē sanè regius vates hæc omnia quę huic cæco acciderunt depingit Psalmo illo. 39. dicens: Expectans expectaui dominum: & intendit mihi. Et exaudiuit preces meas: & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fecis. Et statuit supra petrā pedes meos: & direxit gressus meos. Et immisit

D in os meum canticum nouum, carmē Deo nostro. Videbunt multi & timebūt, & sperabunt in domino. Quæ omnia in cæco isto adimpleta fuisse facile quisque intelliget. Quotidieque adimpleri in nobis videmus. Notemus ergo diligenter ordinē sermonis. Expectaui (inquit) & intēdit, & exaudiuit preces: exaudiuit, & eduxit: eduxit de lacu & de luto, & statuit supra petram pedes: statuit pedes, & direxit gressus. Parum enim esset de lacu & de luto nos fuisse erutos, nisi super viam lapidibꝰ

Psal. 36.

Exponitur Psal.

Omnia quæ huic cæco a Christo illuminato cōtigerūt etiam contingunt peccatorī illuminato & liberato a peccato.

stra

stratam ac paratam (.i. super viam bonam, & securam) constituerentur pedes nostri. Quid enim prodesset de luto semel fuisse erutos, si iterum eodem in luto esset volutandum? Deniq; non vsq; adeò multum prodesset, super viam firmá consistere, nisi esset director & dux viæ, qui vacillantem, & viam ignorantem deduceret. Iam verò qui in via bono comite securi ambulant, ad itineris leuamen, in exaltatione vocis cantare solent cantica gaudij: ita vt qui ouiam processerint canentibus, pariter & ipsi in hilaritate eorum oblectentur. Ita sanè per omnem modú, & nobiscú agit benignus Dñs noster. Cú enim, atténto desiderio, & oratione exaudita, nos educit de inferni dánatione & fœditate peccatorú, super viá iustitiæ nos constituit, vt mundi ambulemus in ea, illumq; sequamur sicut cæcus iste iá illuminatus, nec vltra inquinemus, vel baptismo, vel pœnitentia lota vestimenta nostra. Et ne in via aut deficiamus propter infirmitatem, aut aberremus propter ignorantiæ cæcitaté, donat nobis confirmatoré, & directoré Spiritú sanctú: de quo, quantú ad cófirmationé, Psal. 50. postulat Propheta, spiritu principali confirma me. Quantú verò ad ducatú viæ, Psa. 142. spiritus tuus bonus deducet me in terrá rectá. Sic auté ambulantes in via iustitiæ, ad consolationé laboris docet nos cantare cantica lætitiæ in iubilo cordis & confessione oris, iuxta quod in Psa. 118. dicitur: Cantabiles mihi erát iustificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ. Videntes auté proximi, qui vel nondú conuersi sunt, vel nódú plené cóuersi sunt ad dñm, ita seruos Dei cú iucunditate & animi alacritate seruire dñm, ac illum exéplo huius cæci sequendo magnificare, animantur & ipsi ad seruiendú eidem: pariter & ipsi cátantes in via Dñi, eandé á Dño misericordiá consecuti: exéplo huius plebis, quæ viso miraculo dedit laudé Deo. ¶ Imitemur ergo plebé istá quæ Christú sequebatur: & conuersi ad dñm illú mitis laudibus efferamus. Nam rectos decet collaudatio. Rectos, inquam, non peccatores quibus Dñs ait: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentú meú per os tuú. Et meritò ná vt Salo. ait: non est speciosa laus, in ore peccatoris. Ideo enim in canticis: Benedicite omnia opera dñi dño. & laudate dñm de cœlis, nó dicitur: benedicite, vel laudate peccatores dñm. Inuitantur ad diuinas laudes cócinédas bestiæ & vniuersa pecora, serpentes & volucres pénatæ, dracones & omnes abyssi, & multa alia: at peccatores sub nomine peccatorú nó inuitantur, quod sint multo peiores serpétibus, & ea scelera & maleficia, cócipiát vt belluas immanes etiá immanitate superent. Et quamuis aliquando clamét, dñmq; laudent, animo tamen silent, iuxta id quod dictum est in Psalmo. Quoniá tacui inueterauerunt omnia ossa mea, dum clamarem tota die. Clamabat tota die; & clamans tacebat, quia non ex intimo cordis clamabat. Qui flagitijs pascútur, & de sua cóuersione nequaquá curát sed in sua cæcitate manere volút miseri & mendici, loquentes silent, & clamantes non exaudiuntur. Non sic cæcus iste non sic plebs ista qui ex animo sequebatur Christú & illú magnificabat ac illi laudé tribuebat hinc est vox illa iustorum: te decet hymnus Deus in Sion. In Sion, inquit, non in Babylone laudandus est dñs. Etenim (inquit Augu.) quisque cú ceperit innouari, iam corde in Hierusalé cantat, dicente Apostolo: Conuersatio nostra in cœlis est. In carne enim ambulátes, (inquit) non secúdum carnem militamus. Iam desiderio ibi sumus, iam spem in illá terram quasi anchoram præmisimus, ne in isto mari turbati naufragaremus. Qui ergo secundum hanc spem cantat ibi cantat. Ergo dicat: te decet hymnus Deus in Sion. Peccatores ergo qui corde & corpore in illa mundi Babylone habitant digná laudem Deo non tribuunt. Fugiamus igitur Babylonem & in cœlesti illa Sion corde viuamus & túc dabimus laudem Deo, quæ erit illi maximè grata, maximè accepta, ac perpetua beatitudine digna, qualis fuit laus huius cæci qualis & plebis Christum laudantis. ¶ Imitemur ergo cæcum istú, qui tam egregiú munus Christo Dño obtulit: quando seipsum obtulit vt eum sequeretur. Hoc idem fecit Hieremias Propheta: cum dicat: non sum turbatus te pastorem sequens. Est enim pastor ille bonus: qui cum proprias oues emiserit,

Psal. 50. Psal. 142. Psa. 118. Psal. 32. Psa 49. Eccle. 15. Dani. 3. Psal. 148. Iusti sunt qui laudát & dát gloriam Deo ex corde. Psa. 31. Psa. 64. ibi Aug. Phili. 3. 2. Cor. 10. Chrysost. Offeramus nos ipsos Christo, illum sequendo. Hiere. 17.

(Ioan. 10.) ante illas vadit: & oues illum sequuntur. Alienum autem non sequuntur, quia nō nouerunt vocem alienorum. Quem ergo alium ouis ista sequi debebat quam suum pastorem? Quem alium cœcus iste quam (4. Reg. 5.) suam lucem? Quinimo dicat cum Naamā Syro. Verè scio quod non est alius Deus nisi dominus Deus Israel. Maximis etiam laudibus Christum Redemptorem nostrū etiam extollamus, pro luce spirituali gratiæ & fidei suscepta. Benedicentes dominum exaltemus eum, quantum possimus: maior est enim omni laude vt Ecclesiasti-(Eccle. 43.) cus hortatur. c. 43. Ad has laudes nos quo-(Psal. 33.) que excitat regius vates Psalm. 33. dicens: Magnificate dominum mecum & exaltemus nomen eius in idipsum. ¶Interim obserua: quod viso tanto miraculo, non scribæ, non pharisæi inuidi & obcæcati, dant gloriam Deo: vt in illis verè adim-(Psal. 111.) pleretur quod psaltes ait Psal. 111. Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet: desiderium peccatorum peribit. Plebs autem simplex & inuidiæ fraudisque expers est, quæ viso tanto miraculo gratias Deo maximas agit: laudes non minimas efundit. Turba est, quæ di-(Ioan. 12.) cere solebat: benedictus qui venit in no-(Roe. 15.) mine domini. Cantemus & nos domino: gloriosè enim magnificatus hodie est ędē-(Deu. 32.) do tantum miraculum. Demus magnificētiam Deo nostro: Dei enim perfecta sunt (Apo. 19.) opera. Laudem dicite Deo nostro omnes sancti eius, & qui timetis Deum, pusilli & magni. Imo omnes huius mundi creaturas ad laudes diuinas excitare debemus. (Psal. 102.) Benedicite igitur domino omnia opera eius in omni loco dominationis eius. Lau-(Psal. 150.) date eum in virtutibus eius: laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius.

CAPVT. XIX.

¶Christus ingressus Hierico, ad Zacchæum diuertit: iudicij timorem sub. x. minatum commissione incutit; super pullum asinæ (A) Hierosolymam ingressus, à templo negociatores eijcit.

¶ *In dedicatione Ecclesiæ.*

ET ingressus perambulabat Hiericho. Et ecce vir nomine Zacchæus et hic princeps erat publicanorū, & ipse diues, et quærebat videre Iesum, quis esset: & nō poterat (B) *præ turba quia statura pusill9 erat. Et præcurrēs ascēdit in arborē sycomorū, vt videret eū, quia inde erat trāsiturus. Et cū venißet ad locū, suspiciēs Iesus vidit illū, et dixit ad eū, Zacchæe, festinās des-* (C) *cēde: quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinās descendit, et excepit illū gaudens. Et cū viderent omnes, murmurabant, dicentes: quod ad hominē peccatorem diuertisset. Stans autē Zacchæus dixit ad Iesum: Ecce* (D) *dimidiū bonorū meorū Dn̄e do pauperibus: et si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplū. Ait Iesus ad eū: quia hodie salus domui huic facta est: eo quod & ipse filius sit Abrahæ. Venit enim filius hominis quærere et saluū facere quod perierat.*

Et

Hiericho ciuitas. Iosue 6.

ET ingressus ambulabat Hiericho. Hiericho est ciuitas de qua Iosue cap. 6. scribitur. Destructa enim fuit à Iosue. Sola verò Raab meretrix cum vniuersis qui in domo eius erant seruata est. Hanc postea reædificauit impius rex Achab vt narrat scriptura sacra tertio libro Regum cap. 16. in hac ciuitate erat Dei ecclesia ædificanda. ¶ Obserua quod sanato cæco confestim dominus ad conferendum alijs sua beneficia transit. Non cessat benefacere: non quiescit eius animus, ardet sanè desiderio nostræ salutis. Hinc vox illa: desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum & quomodo coarctor donec perficiatur. Vt hinc discamus instare bonis actionibus: sicut instabat ille, qui dicebat charitas Christi vrget nos. Item ad rem facit quod Salo. ait in Prouerbijs cap. 22. Vidisti virum velocem in opere suo: coram regibus stabit: & non erit ante ignobiles. Cuius figura erant animalia illa visa ab Ezechiele capit. primo. Quæ ibant in similitudinem fulguris coruscantis. Discurre ergo, festina, suscita amicum tuum, nõ des somnum oculis tuis. Exemplo Dauidis dicentis: si dedero somnum oculis meis: & palpebris meis dormitationem, donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.

3. Reg. 16. — Instare debemus bonis actionibus exemplo Christi. — Luc. 22. — 2. Cori. 5. — Prou. 22. — Ezech. 1. — Pro. 6. — Psal. 131.

¶ *Et ecce vir nomine Zacchæus.* In viris doctissimis lapsum memoriæ esse admittendum, multa exempla documento nobis esse possunt: Hieronymus enim in libro de optimo genere interpretandi ait: in fine Malachiæ scriptum est, ecce ego mitto angelum meum, cum sit in medio Malachiæ, nempe circa principium capitis. 3. Et Ezechie. 3. citat Abachuc iuxta Theodotionem, cum illa verba sint ex Daniele desumpta. Item Clemens. 4. stro. cum tractat hunc locum nostri Euangelistæ, Ecce vir nomine Zacchæus, & hic princeps erat publicanorum, & ipse diues. Ait: Zacchæum ergo, alij autem dicunt Matthiam publicanorum principē. Nisi mauis dicere duplicem esse lectionem, quod nunquam alibi legi.

In viris doctissimis lapsum memoriæ inueniri. — Hiero. — Malach. 3. — Ezech. 3. — Clemens. — De hac re vide Martinez lib. 6 hypo. col. 433.

¶ Cæterum ex re nomen habebat Zacchæus, ardens studio iustitiæ, cum esset publicanorum princeps, & idem prædiues, cum neque vitæ genus, neque fortunæ indulgentia satis congrueret huic animo.

¶ *Quærebat videre Iesum, & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum vt videret eum.* Hac figura discimus, quod si vere sapientes esse, atque ipsam sapientiam contemplari cupimus, stultos nos humiliter cognoscamus. Relinquamus noxiam sapientiam, discamus laudabilem fatuitatem. Hinc quippe scriptum est: stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientes. Hinc rursum dicitur: si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat vt sit sapiēs. Hinc noster Euangelista testatur: quia Zacchæus cum videre præ turba nihil posset, sycomori arborem ascendit, vt transeuntem Dominum cerneret. Sycomorus quippe ficus fatua dicitur: pusillus itaque Zacchæus sycomorum subijt, & dominum vidit: quia qui mundi stultitiam humiliter eligunt, ipsi Dei sapientiam subtiliter contemplantur. Pusillitatem namque nostram ad videndum Dominum turba præpedit: quia infirmitatem humanæ mentis ne lucem veritatis intendat, curarum secularium tumultus premit. Sed prudenter sycomorum ascendimus, si prouidè eam, quæ diuinitus præcipitur stultitiam mente tenemus. Quid enim in hoc mundo stultius quam amissa non quærere, possessa rapientibus relaxare, nullam pro acceptis iniurijs iniuriam reddere, imò adiunctis alijs patientiam præbere? Quasi enim sycomorum nos ascendere dominus præcipit, cū dicit: qui aufert quæ tua sunt, non repetas. Et rursum: Si quis te percusserit in dextram maxillam præbe illi & alteram. Per sycomorum Dominus transiens cernitur: quia per hanc sapientem stultitiam & si nec dum vt est solidè iam tamen per contemplationis lumen Dei sapientia quasi in transitu videtur. Quam videre nequeunt, qui sibi sapientes esse videntur: quia ad conspiciendum dominum in elata cogitationum suarum turba deprehensi, adhuc sycomori arborē nō inuenerūt. Hæc Grego. 27. mor. in fine. ¶ Deinde hoc facto edocemur, quod ne-

Si sapientes veros nos esse cupimus stultos nos humiliter cognoscamus. — 1. Cor. 1. — 1. Cor. 3. — Supra. 6. — Matth. 5. — D. Grego. 27. mor. in fine.

Sycomoro quid signi ficet. mo suis viribus videre Deum poterit, nisi sycomori, hoc est, crucis Christi, quæ gentibus stultitia est, adiumento iuuetur. Tertio edocemur huius mundi turbam relinquere, quæ iter cœleste impedire solet, atque non satis est desiderio teneri videndi Iesum, sed vt ascendamus in hanc arborem necesse est: vt nostri voti compotes simus.

¶ *Quærebat*, inquit, *videre Iesum & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat.* Tenebatur Zacchæus ingenti desiderio videndi Iesum, vt eum de facie quoque nosse posset, de quo rumor tam admiranda sparserat. Credebat, & amabat quod audierat, & ideo iuxta votum Simeonis ac patriarcharum, sancta cupiditate gestiebat & oculos explere fœlici spectaculo, maiora quoque conaturus nisi modestia obstitisset: & ob hoc ipsum dignior, cui Iesu maior fieret copia. Diu tenuerat & Herodem desiderium videndi Iesum. Vidit & aspernatus est. Nam frustra videt Iesum, qui vicissim à Iesu non videtur. Zacchæum viderat Iesus antequam ab ipso videretur. Herodes videre cupiebat, qui miraculo quopiam ædito delectaret curiosos regis oculos. Zacchæus ideo videre cupiebat, vt sciret quis esset: nimirum vnicus ille filius Dei totius salutis autor omnibus ipsi fidentibus. Non magnum est videre Iesum iuxta carnem his oculis, quibus eum quotidie cernebant Pharisæi, & deridebant. Sed discipulorum oculi beati prædicantur, qui videre meruerunt. Quod multis terræ principibus negatum esset. Beatus pronunciatur Simon Bariona, qui viderat, quis esset Iesus, quum sic pronunciaret. Tu es ille Christus, filius Dei viui. Non viderant quis esset Iudæi, qui dicebant: Nonne hic est filius Fabri? Sed pio desiderio Zacchæi obstabat pudor, quo minus ad Iesum perrumperet. Obstabat vndique circumfusa multitudo hominum. Obstabat humilitas corporis, Erat enim statura pusillus. Humiles sunt qui rebus sordidis ac fluxis incumbunt. Nam humile est, quicquid habet hic mundus, si conferatur ad maiestatem euangelicam. His non est conspicuus Iesus nisi sese subducant in altum. Iesus humili ac populari turbæ mixtus non cernitur, nisi ab his, qui fastigium humanarum rerum calcarint pedibus. Et ideo vt à pusillis omnibus vndique gentium conspici posset, ipse post conscendit sublime lignum crucis. Zacchæus itaque pusillus, non solum corporis statura, sed animi quoque modestia: quo sublimis videret humilem Iesum, præcurrens occupauit locum, quo Iesus erat transiturus. Suggestum præbebat arbor dicta sycómorus, quod ficus gignat sui generis, vnde & ficus AEgyptia dicitur, sed folijs morum arborem referens. In hanc ergo arborem ascendit vt videret Iesum. Sic enim ait Euangelista.

Frustra videt Iesum qui vicissim à Iesu non videtur.

Infra. 23.

Matth. 13.

Matth. 16

Matth. 13.

¶ *Ascendit in arborem sycomorum vt videret eum.* Animaduerte hic mecum obiecto quam admirabilis res fit impijs iustus. Considerant enim ordinem vitæ, morum compositionem, virtutes admirantur. Cum audiret semel Zacchæus iste famam Christi, conscendit (vt hic ait Lucas) ad arborem sycomorum. Cum enim esset statura pusillus nō poterat eum propter turbam videre, vidit & admirabatur. Sic Numerorum capit. 23. Iniquus ille Propheta Baalam, montes conscendit, & ad petratum verticem reptando ascendere nititur, vt populum Israel videat quem Dominus benedixerat. De summis (inquit) silicibus videbo eum, & de collibus cōsiderabo illum. Hinc est quod Canti. capite sexto dicitur: Quid videtis in sunnamite nisi chorus castrorum? Reuertere reuertere (inquit) sunamitis, reuertere reuertere vt intueamur te. Fugiunt iusti terga impijs vertentes, imò quod plus est si fieri posset, nollent à Deo bona sua videri: ita vt post eos Dominus currat & vt reuertantur adhortetur vt eos videat.

Admirabilis res valde, impijs iustus.

Num. 23.

Cant. 6.

¶ *Et cum venisset ad locum suspiciens Iesus vidit illum.* In sacra scriptura vultus & facies Christi pro fauore accipi solet. Vt in Psalmo: vsquequo auertis faciem tuam à me. Et iterum: Ostēde nobis faciē tuam & salui erimus. In hunc sensum interpretantur nonnulli locum illum Psalmographi: signatum est super nos lumen vultus tui

Vultus & facies Christi pro fauore accipi solet.

Psal. 12.

Psal. 79.

Psal.4. tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo. Lumen vultus vocat faciem lucidam & lætam. Et est sensus fauore tuo domine, nos prosecutus es, respiciens nos vultu hilari instar amātis, dilectum suum suauiter intuentis. Hinc effectum est vt respicere & oculos figere in aliquem, significet eum prosequi beneuolentia & fauore. Ita intelligitur Geneseos illud: respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Et Leuitici illud. Respiciam vos, & crescere vos faciam. Hoc intelligens Dauid canebat: Respice in me & miserere mei. Et alibi: Oculi Domini in pauperem respiciunt. Ac si diceret: eum Dominus amore complectitur, erga eum benignitatem suam ostendit, qui animi submissione seipsum abijcit, nihil de se altum cogitans. Ita verba illa apud Esaiam intelliguntur: ad quem respiciam nisi ad pauperculum & contritum spiritu. Vbi septuaginta pro pauperculo tapinon, hoc est, humilem transtulerunt. Nec solum in literis diuinis sed in humanis etiam, oculi significant fauorem, & beneficentiæ signum. Vnde Latinus Poeta de suo Ioue loquens, ait: Constitit & Libyæ defixit lumina regnis. Iam in hoc loco vides huius rei exemplum. Subleuans enim misericordiæ oculos vidit Christus Dominus Zacchæum. Iam mihi salutem aliquam & fauorem insignem expecta, quoties ob tutu suo quempiam dignatur Iesus. Habent enim illius oculi salutarem fascinum. Semoue ergo te ab humilibus ac sordidis rebus, & suspiciet in te Iesus, te suo maximo fauore prosequetur.

(Gen.4. — Psal.85. — Psal.10. — Esai.66.a)

¶ Sed aduerte: si Deus tot beneficia contulit Zacchæo transiens, quid faciet sedens? Vide quid dicat Lucas: quod perambulabat Hiericho Iesus & cum venisset ad locum vbi erat Zacchæus vidit illum, &c. Et rursum Matthæus ait: Cum transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in Telonio, Matthæum nomine, & ait illi. sequere me. Transibat & hominem oculis misericordiæ suæ aspiciens, eum vocauit. Precemur ergo dominum vt perambulet animam nostram, & oculos suæ pietatis in eam inijciat, ne pereat. Vt transeat percutiens AEgyptios, hoc

(Matth.9. — Exod.16. Figura.)

A est, deprauatos affectus nostros. Cumque viderit sanguinem suum in superliminari & in vtroque poste domus nostræ, hoc est, in memoria, intellectu & voluntate animæ nostræ, nō eam interficiat: sed potius misereatur. ¶ Deinde aduerte quod Euangelista ait, venisse, scilicet, dominum ad locum, quem præcurrens occuparat Zachęus. Vt hinc discamus quod præcurrenti semper se Dominus obijcit, & gaudio perfusus ingerit. Occurristi lætanti, ait Esaias, & facienti iustitiam: in

(Præcurrenti se dñs obuiat. — Esai.64.)

B vijs tuis recordabuntur tui. Ac si diceret: Tu Domine liberasti & seruasti eum, qui in te lętabatur, & opera bona, iusta, & sanctafaciebat: & illis fauisti, qui tuis vijs nō declinantes, te memoria tenebant. Sic occurrit Magdalenæ, eum quęrenti, & videre cupienti, vt diuus Ioannes narrat, capi. 20. Sic alijs sanctis mulieribus: quando eum quęrentes pedes eius tenuerunt. Et ecce Iesus (inquit Matthæus) occurrit illis, dicens: Auete. Illę autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Sic denique occurrit modò

(Ioan.20. — Matth.28.)

C Zacchæo. ¶ Pręterea non sine magna causa addit Euangelista Iesum suspexisse Zacchæum. Nam significare volens difficultatem conuersionis Zacchæi, ideo oculos in cœlum leuat. Quod etiam fecit quum Lazarum iam fœtidum suscitauit. Non enim erat minoris virtutis & misericordiæ Lazarum de inferis ad vitam reuocare: quam Zacchæum de barathro vitiorum reuocare ad veram pœnitentiam. Suspexit etiam, vt ostenderet tam admirabilem Zacchæi conuersionem à patre luminum descendere, quod intelligens

(Quare Christus suspexit Zacchæū. — Ioan.11.)

D Dauid dicebat: Leuaui oculos meos in montes: vnde veniet auxilium mihi. Suspexit denique, vt suo exemplo doceret Zacchæum sursum aspicere: & nos quoquē moneret vt cum Dauide semper dicamus: Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis: ecce sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum, &c. Ita oculi nostri ad dominum Deum nostrum.

(Psal.120. — Psal.122.)

¶ *Zacchæe* (inquit.) Eum dñs suo nomine vocat, in signum peculiaris atque specialis notitiæ. Sic solet dñs cū amicis agere. Hinc est quod Moysi ait: ego ostēdam tibi

(Solet Dñs amicos suos vocare suo nomine.)

Exo. 33. tibi omne bonum: inuenisti enim gratiã corã me. Et te ipsum noui ex nomine. Et apud Esai. c. 45. dicit dñs Cyro regi: Dabo tibi thesauros absconditos, vt scias quia ego dñs, qui voco nomen tuũ Deus Israel & vocaui te nomine tuo. Ac si diceret: ostendi me tibi velle fauere.

Esai. 45.

Magno feruore ad Deum venire debemus. ¶ *Festinans.* Vult hoc verbo insinuare dñs quanto charitatis feruore ad illum venire debeamus. Nescit enim tarda molimina Spiritus sancti gratia. Huius imaginẽ gerebat Eliezer ille seruus Abrahã, qui festinus reuertebatur ad dñm suũ. Eandẽ imaginem præseferebat Rebecca quæ viso Isaac in itinere occurrenti descẽdit de camelo & tollens citò palliũ suũ, operuit se. Descendit anima humiliando se corã dño & citò se charitatis pallio operit vt intra domũ suscipiat. Vnde ad Heb. c. 13. Paulus scribit: charitas fraternitatis maneat in vobis & hospitalitatis nolite obliuisci. ¶ *Zacchae festinans descende.* Hinc discemus quãto desiderio teneatur Christus nostræ salutis, quando vel nobis inopinantibus, & nos oculis suæ misericordiæ intuetur, & ad se festinanter venire iubet. ¶ Interim tamen aduerte quod qui ascenderat, modo iubetur descendere: vt hinc discamus initiũ nostræ iustificationis à nostri cognitione & à propriæ fragilitatis consideratione proficisci. Quod nos doceret Dñs ait Hieremiæ: descende in domum figuli: & ibi audies verba mea. In domum figuli vasa lutea fingentis tunc descendimus, cum nostram imbecillitatem & fragilitatẽ cognoscimus. Intra huiusmodi vasa abscõdit Deus thesaurum suæ gratiæ & charitatis, ita vt etiam in hoc sensu dicere possimus, idque verẽ, quod D. Paulus scribit in posteriori epistola ad Corin. c. 4. Habemus thesaurum istum, in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. Nõ enim nostra merita, sed sublimis Dei potentia in causa fuit vt tantus thesaurus diuinæ fidei & charitatis abscõderetur & in fragili corpore & in hominibus imbecillibus & parui momenti. Descendamus igitur in cognitionem propriã, si tam augusto thesauro ditari cupimus. Descendamus festinanter, si audire volumus quod Zacchæus iste: quia hodie in domum tuã oportet me esse. Zacchæus vocatus à Christo festinãter descendit. Eodem modo pastores venerunt festinantes ad videndum Christum natum. Sic beata virgo cum festinatione ascendit mõtana Iudæ. Sic Abraham festinauit ad Saram, & cucurrit ad armentum. Sara accelerans cõmiscuit tria sata farinæ, puer verò festinauit, & coxit vitulum vt peregrinos hospitio exciperent: vt sacra narrat historia Gen. 18. nemo piger in domo sapientis & ad pietatis opera tam serio se incumbentis. Nec mirum, cum tam egregium viderent exemplum in sancto sene. Qui primò non abscondit se, quod facere solent auari, & tenaces: deinde non expectat donec ab hospitibus rogetur: præterea nec seruum mittit, quum tot seruos haberet, sed ipse per se, quanuis centenarius, it obuiam, imò currit ne prætereant, ne quis officiũ pietatis præripiat: itemque vt alacritatem animi monstraret ad hospites. Ad Saram etiã festinat, quam & ipsam tanti boni participem esse vult, quæ & simili alacritate perurget omnia: nihil ea domo per otium geritur. Non his contentus Abraham, sed interim ad armentarium currit, non mittit famulos, magna voluntate domino Deo seruire se credens. Non in principio tantũ festinus fuit vt plerique, sed perseuerauit in feruore. Postquã igitur è sublimi speculatus fueris Iesum per fidem descende festinanter ad officia pietatis, exemplo sanctorum illorum. Non enim satis est contẽplari Iesum, quoties eget hospitio: eget autem, quoties eget proximus. Vnde Paulus ad Hebr. c. 13. ait. Hospitalitatis nolite obliuisci, per hanc enim quidam placuerunt, etiam angelis hospitio receptis. Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, animalia illa quæ vidit Ezechiel. Impetu spiritus ducũtur iusti, qui animum excitat ad virtutes. Impetu autẽ carnis scelerati, qui excitat ad vitia, si Dei es, spiritũ sequeris, si autẽ diaboli, carnẽ. Cõsidera quo impetu ducaris, & intelliges cuius seruus sis. Pedes enim impiorũ ad malũ currũt, & festinant vt effundãt sanguinẽ innocentẽ, at iusti festinãt vt opera pietatis adimpleãt. Hinc est, ait Ambrosius, quod patres illi antiqui festinantes manducabant pascha suf-

Gen. 24.
Gen. 24.
Heb. 13.
Initiũ nostræ iustificationis à propriæ fragilitatis cognitione debet incipere.
Hiere. 18.
2. Cor. 4.
Luc. 2.
Luc. 1.
Gen. 18.
Heb. 13.
Ezech. 1.
Esai. 59.
Ambr. lib. 1. de Cain & Abel, c. 8.

succincti lumbos,& pedes suos calceamentorum exuentes vinculis & tāquam onus corporeum deponētes, vt essent parati ad transitum. Pascha enim domini transitus est a passionibus ad exercitia virtutis. Et ideo pascha domini dicitur, quoniam & tunc in typo illo agni veritas dominicæ passionis anūtiabatur, & nūc eiꝰ celebratur gratia. Cito ergo hoc quære anima, vt citò etiā audias, sicut audiuit & Zacchæꝰ: hodie huic domui salus facta est. Lege si placet de hac re Augu. sermo. 35. de verbis domini tomo. 10. ¶Nihil Zacchæus respondet. Ingens enim affectus vocem admire solet, sed nihil cōtatus obtemperat. Festinanter descendit. Non enim conuenit contari, quoties nos vocat Iesus. Iudæi vocabantur, & excusant se, Zacchæus gestiens & gaudens excepit Iesum in ædes suas. O miseram synagogam, quæ perdidit hospitem Iesum. O fœlicem Ecclesiæ domum, quę sua promptitudine prouocauit ad se totiꝰ fœlicitatis autorē Iesum. Vides initiū Ecclesiæ collectæ ex gentibus. Nūc considera iudaici liuoris imaginem.

¶*Et cum viderent omnes, murmurabant dicentes, quod ad hominem peccatorem diuertisset.* i. in culpam illū vocabant, quod diuertisset ad palam flagitiosum hominē. O contaminatam & inuisam Deo iustitiā, quæ mauult fastidire, quā sanari: mauult inuidere proximo, quam cōmunicare. Ad hominem, inquiūt, peccatorem, quasi nō primum omnium peccatum sit inuidere proximo. Quid stas extra fores ecclesiæ inuide Iudęe? Licet & tibi ingredi. Quod si recusas, tamen apud Zacchæum decretū est Iesu manere. Gloriātur gentes tali hospite, quem nō expectarant. Et hoc gratius est, quia non solum præter meritum, verū etiam præter expectationem euenit. Vt nunc obmurmuratū est Iesu propter Zacchæum, ita post obmurmuratum est Petro propter Cornelium Centurionem: quare introiisti ad viros præputiū habentes? Sed Iudæis omissis ad murmuratores fideles nostra conuertatur oratio. Detrahere enim atq; obmurmurare malum est, quod vbique serpit. Vnde D. Chryso. est (inquit) in consuetudine mortalium illud grauissimum, quoniam bona quæ sunt & laudabilia proximorū facilè prætereūt: si fuerint vel multa vel maxima. Contra verò, si fuerit aliquid dignum reprehensione vel leue apparuerit, atq; longo interuallo accidēs, & cito sentiunt, & paratissimè inuadunt: diuque meminerunt: ita vt leuis vituperatio multorū minuerit gloriā. Celebre igitur est malū hoc: ideoque in multis feruet hoc vitiū, quia penè ab omnibus libenter auditur. Atq; de hac re lege quæ scriptura sacra narrat, lib. 2. Reg. c. 10. in principio. Quod si nobis hęc esset cura vt passim obtrectantibus & obmurmurātibus. Vultum seuerū ostenderemus, ac diceremus quod latro latroni in cruce dicebat, nec tu times Deū, qui in eadē dānatione es: iā omnes detrahere timerent. Verumtamen iuxta antiquū prouerbium, qui loquitur quæ vult, auditurus est aliquando & quæ non vult: audiet enim durā illā atque rigidam sententiā, ite maledicti in ignē æternum, hi sunt, de quibus Paul. in episto. ad Rom. c. 1. loquitur dicens, repleti omni iniquitate, susurrones, detractores, &c. Hi sunt scorpionibus similes obliquè percutientibus atque in cauda venenū habentibus, quorum munus est, laudes iustorum minuere, aut male de illis prædicare, similes etiā nuntijs à Moyse missis ad explorādam terram promissionis, qui reuersi & afferentes inde fructus miræ magnitudinis, cōcionati sunt apud populū dicentes: terra quā lustrauimus reuera optima est, quod ex his quos inde attulimus fructus perfacilè est animaduertere. Sunt tamē in ea viri de semine gigantæo quibus cōparati locustæ videbamur, terra illa habitatores suos deuorat: populus quē aspeximꝰ proceræ staturæ est, stirpem Enach vidimus ibi. Quid igitur? Melius est vt constituamus nobis ducē & reuertamur in AEgyptū. Talis est mos detrahentiū, qui principio laudant, vt tandem detrahant. Laudabat turba hæc Christum Iesum, quod tanta miracula ederet, & tandem obmurmurat dicens: quod ad hominem peccatorem diuertisset. Esto quod esset peccator, ò miser homo, non est quare peccatori detrahas. Nā peccator est qui medico eget, vt Christꝰ ait apud Matth. c. 9. Cæterū nemo dicat, inquit Chryso: quia si vera dico non

Marginal notes: Actor. 11. — Chryso. — Detractio reprehenditur. — 2. Reg. 10. — Luce. 23. — Matth. 25. — Rom. 1. — Num. c. 13. — Matth. 9. — Chryso.

non detraho. Nam & pharisæus ille publicano veridicus male dixat, & adhuc nihilo interim audiente: & tamen descendit de templo priuatus omnibus bonis, licet publicus peccator esset cui insultabat. Hoc est enim maxime ridiculum quod talem habentes vitam, & conscientiam cauterio notatam, ea posthabita, alienam carpunt. Comprime ergo si sapis linguam tuam, nã tacuisse nũquam pœnitebit: locutum fuisse, sæpe. Est autem huic vitio loquacitatis & detractionis maximè propensum genus fœmineum. vnde celebratur vetus prouerbium, mulierem ornat silentium. Cum autem fœmininarum virtus sit, teste Philosopho, corporis quidem forma & proceritas: animi vero pudicitia & operã di studium: quantum dedecus est, ipsas quidem nihil operis agere, sed otiosas domus scrutari alienas, & quæ alibi secreta rescriũt, alijs hæc ipsa effutire, indecorè loquentes, ac murmurantes de nuptijs, de dissidijs, de peccatis ac vitijs domesticis aliorum. Hæc sunt de quibus diuus Paulus ait in priori epistola ad Timot. capi. 5. Quod otiosæ cum sint, discunt circumire domos, nõ solum autem otiosæ: sed et verbosæ, & curiosæ, loquentes quæ nõ oportet. De huiusmodi detractoribus intelligebat Hieremias, cum cap. 6. dicebat: Ambulantes fraudulenter, vt æs & ferrũ. Qui locus poterat verti. Ambulantes in detractione, aut in fraudibus similes sunt æri & ferro. hoc est, impudentes sunt, frontẽ habentes chalybeam & ferream.

1. Ad Ti. 5.

Hiere. 6.

¶ *Stans autem Zacchæus, dixit ad dominum, ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui reddo quadruplum.* Do pauperibus, & reddo quadruplum, præsentia pro futuris. i. dabo & reddam, verba sunt hominis agnoscentis peccatum. Et si quid, inquit, aliquem defraudaui, vel si quid per calũniam eripui, vel si quemquã defraudaui, vel si quicquã delationibus, vel malis artibus extorsi. ¶ Zacchæus contempto murmure populi iudaici stat ante Iesum, ambiens etiam in discipulorum asciscì numerum, ostendens quousq; iam profecisset. Ait enim ad Iesum: ecce dimidium bonorum meorum domine do pauperibus: & si quid quemquã defraudaui, reddo quadruplum. Audis pharisæe? Non commemorat Zacchæus victimas, non lotiones, aut genus, sed opera charitatis adducit. Iam his peccator vincit iustos, ac de sua sanctimonia gloriantes publicanus antecellit. Siquidem pharisæus ille prædicator suorum benefactorum, decimas duntaxat bonorum suorum dabat pauperibus. Hic dabat dimidium, nec dabat e præda, sed si quid fraude partum erat, etiam si ante iudicis condemnationem nõ teneretur, sua tamen voluntate restituebat fænore quadruplo. Deinde de iustè quæsitis largiebatur dimidium egenis. ¶ Tota ergo humilitate (inquit Bernardus) ad misericordiã recurramus, quæ sola potest saluare animas nostras & solicitè pensemus quod dominus ait: Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur, & simul cum misericordia iustitiam esuriamus exemplo Zacchæi qui breuiter vno verbo vtrumque complexus est, dicens: dimidiũ bonorum meorum do pauperibus, & si quempiam defraudaui, reddo quadruplum. Vides quantum esuriuit iste iustitiam, cui non suffecit æqua mensura reddere nisi reddat quadruplum, misericordia quoque magna est, quod dimidium bonorum suorum dat pauperibus. Fœlices illi qui hunc Zacchæum, cuius laus est in hoc euãgelio quod dimidium bonorum suorum dedit pauperibus imitantur. Intuere obsecro religiosorum monasteria, & multos Zacchæos ibi videbis imo multos Petros qui nihil sibi ex omnibus reliquere, qui magna cum fiducia loqui possunt domino. Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te. quibus Dominus respondet: Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur. Imitemur inquã Zacchæum istum, & faciamus amicos de mammona iniquitatis vt cum defecerimus recipiant nos in æterna tabernacula. Quod vt hoc melius facere possimus singula eius verba notemus. ¶ Ecce inquit nam quemadmodum publicè sua insatiabili auaritia offendit omnes: ita publicè misericordiæ in pauperes exemplum præbere vult. Sic ergo luceat etiam lux nostra coram hominibus vt videãt opera nostra bo-

Præsens pro futuro in sacra scriptura.

Vi. Tho. 22. q. 62. art 3.

Ber ser. de omniũ sanctorum.

Matth. 5. Simul cum misericordia, est anobis esuriẽda iustitia exemplo Zacchæi.

Matth. 19

Luc. 16.

Qui publicè peccauerunt publicè benefaciant.

Matth. 5.

bona, & glorificent patrem nostrum qui in cœlis est. Dimidium bonorum suorum contulit Zacchæus iste pauperibus: sic & nos huiusmodi exemplū intuentes, si multum nobis fuerit, abundanter tribuamus: si parum, ipsum impertiri studeamus: si enim seminam⁹ parcè: parcè & metemus: quod si seminauerimus in benedictionibus, de benedictionibus & metemus vitā æternam. De bonis proprijs & non de alienis Zacchęus largitus est eleemosynam: sic & nos honoremus dominum de nostra substantia: & de primitijs omnium frugū nostrarum demus pauperibus. Sic enim Salomon admonet in Prouer. capit. 3. Dat Zacchæus non inuitus sed libere: dat & non improperat nec differt in crastinum. Sic nos gratis & æquo animo statim demus. Ne dicas amico tuo vade, & reuertere: cum possis statim dare, ait Salo. Pro. 3. Et rursum Ecclesia. 4. Cor inopis ne afflixeris & ne protrahas datum angustianti. Propter dominum confert Zacchæus bona sua mendicis: sic & nos propter Christum bona nostra impertiamur: scientes quod fœneratur domino, qui miseretur pauperis. Pauperibus elargitur & non diuitibus: sic etiam nos quando pauperes habemus semper nobiscum: non auertamus facies nostras ab illis: imo exemplo sancti Iob fleamus super eo qui afflictus fuerit: & compatiatur anima nostra pauperi.

Tob. 4.
2. Cor. 9.
Pro. 3.
Ibidem.
Eccle. 4.
Pro. 9.
Ioan. 12.
Tob. 4.
Iob. 30.

¶ *Et ait Iesus ad eum: quia hodie huic domui salus facta est, eo quod & ipse filius sit Abrahæ.* Alij vertunt. Eò quod & ipsa (scilicet domus) filia sit Abrahę. Continēs pro contento. i. imitatrix Abrahę, per obedientiam fidei. Ac si apertius diceret Dominus. Illud affirmo vobis, quod hodie salus contigit huic familiæ, eo quod ipsa quoque pertineat ad parētem Abraham, quo generis autore vos gloriamini. Quisquis enim fide, ac synceritate vitæ, pietateque refert Abraham, is filius est Abrahæ, consors benedictionis olim Abrahæ promissæ. Non obstat huic genus ab Abrahæ stirpe diuersum, non vitę genus ante hac in peccatis actum, quisquis à priori vita resipiscens ac illius pœnitens, amplectitur doctrinam euangelicam, quisquis

qui dicuntur filii Abrahæ.

A Abrahę vestigijs ingressus, sequitur verā iustitiam, filius est & hæres Abrahæ. Filius ergo Abrahæ dicitur Zacchęus (ait Beda) nō quia de eius stirpe generatus, sed quia eius est fidem imitatus. ¶ Vel aliter hic locus explicari potest. Hodie, inquit, huic domui salus facta est eò quod & ipse Zacchæus natura & fide esset filius Abrahæ. Vnde aliqui existimant, hunc Zacchæum fuisse de stirpe Abrahæ. Tum quod legē Mosaycam minime ignoraret & ideo volens illam ad verbū seruare ait. & si quid B aliquem defraudaui reddo quadruplum: tum etiam quod Iudæi isti non murmurabant quod ad ethnicum, sed quod ad hominem peccatorem diuertisset. Neque huic sententię obstat, quod homo iste esset publicanus: nam & Matthæus, publicanus erat, tamen ex tribu Leui originem trahebat. Sed quicquid de hoc sit illud certum est quod omnes qui imitantur fidem & obedientiam Abrahę appellantur à Ioāne filij eius. Potens (inquit) est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. C Ac si diceret post hac non cognatione sanguinis, sed æstimatione fidei æstimabuntur filij Abrahæ. Agnoscet Abraham pro filijs, etiam Gothos, & Scythas, Messiam amplectentes, vos o Iudęi nisi credideritis, habebit pro alienigenis. Hinc est vox illa Pauli, non enim omnes, qui ex circumcisione sunt Israel, ij sunt Israelitæ. neque quia semen sunt Abrahæ, omnes filij: sed in Isaac vocabitur tibi semen, idest, non qui filij carnis, ij filij Dei: sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine. ¶ Si igitur salutem optamus filij simus Abrahę, hoc est, eius fidem & obedientiam imi- D temur. Vt sicuti Abraham terram, cognationem, domumque paternam ob spem futuræ hæreditatis, domino iubente, deseruit: ita & nos quo thesaurum in cœlis adquiramus, bona nostra pauperibus partienda relinquamus.

An Zacchæus fuerit natura & fide filius Abrahæ.
Supra. c. 3.
Rom. 9.

¶ *Venit enim filius hominis quærere & saluum facere quod perierat.* Hoc sermone Iesus declarabat post hac non esse gloriandum in obseruatione legis, sed quicquid dotis obtigisset cœlesti munificētia, id totum eò conferendum, vt quam plurimos homines pertrahamus ad salutē. Nā

 hoc

hoc lucro potissimum delectatur Deus, qui in hoc miserat filium suum, vt vniuersas nationes gratis cōdonatis peccatis adiungeret sibi. Vnde diuus Cyprianus (vt refert Augustin9 lib. 3. de peccatorum meritis & remissione cap. 5) ait: Filius hominis non venit animas hominum perdere sed saluare, quare quantum in nobis est, si fieri potuerit, nulla anima perdenda est. ¶ Atque hoc idem quod in hoc loco Christus ait: etiam & Apostolus dicit, in prima epistola ad Timoth. cap. 1. Fidelis, inquit, sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in mundum peccatores saluos facere, quorú primus ego sum. Quæ verba explicans diuus Augusti. nulla (inquit) causa fuit veniendi Christo domino, nisi peccatores saluos facere. Tolle morbos, & tolle vulnera, & nulla causa est medicinæ. Si venit de cœlo magnus medicus, magnus per totum orbem iacebat ægrotus. Ipse ægrotus genus humanum est. Sed non omnium est fides. Nouit Dominus, qui sunt eius. Superbiebant Iudæi iustos se putabant, & dominum colligentem peccatores insuper recusabant. Qui vero superbiebant, & alta sapiebant, relicti sunt in montibus, ad nonaginta nouē pertinent. i. relicti sunt in tumore terreno, & in sinistra numerantur. Vnum adde, ad dexteram trāsitur. Venit ergo filius hominis quærere & saluare quod perierat. Totum enim perierat ex quo peccauit vnus. Vbi erat totum, perierat totum, sed venit vnus sine peccato, qui saluos faceret à peccato. Isti autē superbiendo, quod est peius, & ægrotabant & sanos se esse credebant. Periculosius ægrotant, qui mentē febribus perdiderunt. Illi rident, & sani plorant. Ridet enim phræneticus sed non est sanus. Porrò autem qui mētis est sanæ, plorat phræneticum ridentem. Isti enim qui sanos se putabant, multo periculosius ægrotabant, & ipsa ægritudine qua mentes perdiderant, non solum medicum cædebant, sed occidebant. Ille autem etiam cum cæderetur medicus erat, vapulabat, & curabat: patiebatur phræneticum, nec deserebat ęgrotum: tenebatur, alligabatur, colaphis percutiebatur, arundine plagas accipiebat, irridebatur, insultabatur ei, postremo audiebatur, damnabatur, ligno suspendebatur, vndique circumfremebatur, & medicus erat. Agnoscis phræneticos, agnosce & medicum. Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Illi perdita mente sæuiebant, & medici sanguinem seuiendo fundebant, ille autem etiam de ipso sanguine suo, ægrotis medicamenta faciebat. Non enim frustra dixit. Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Orat Christianus, & exauditur, orat Christus & non exauditur? Nam qui exaudit cum patre, quia Deus est, quomodo non exauditur homo, quod pro nobis factus est? Prorsus exauditus est. Ibi erant, ibi sæuiebant. De his erant qui reprehendebāt eum, & dicebant: ecce cum publicanis & peccatoribus conuescitur. Et in hoc loco murmurabant quod ad peccatorem diuertisset. Et tandem post Christi resurrectionem, medicum agnoscunt: medicinam veram quærunt: denique loquente sibi Petro compuncti sunt, & factū est illis, quod Psalmus prædixerat: conuersus sum in ærumna, cum configeretur spina. Quid est spina? Compunctio pœnitentiæ. Sic habes & verba ipsa scripturæ in Actibus Apostolorum. Compuncti sunt corde, & dixerunt ad Apostolos, quid faciemus? Ac si dicerent: nouimus quid fecimus. Quantū ad nostrum factum pertinet, desperatio est salutis. Sit ergo in vestro cōsilio, si fieri potest, spes aliqua sanitatis. Nouimus quid fecerimus, dicite quid faciamus. Quibus Petrus. Agite pœnitentiam, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, vt transeatis de nonaginta & nouem ad centum: quia cum nonaginta & nouem essetis, pœnitentiam vobis necessariam non putabatis, & domino colligentes peccatores, & volente eos facere pœnitentes, insuper exultabatis. Agite ergo pœnitentiam, & remittentur vobis peccata vestra. Reducti sunt in spe, doluerunt, gemuerunt, conuersi sunt, sanati sunt. Ipsi erant illi Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciūt. Hæc ex Augu. ¶ Cæterum hoc idem quod in hoc loco affirmat dominus etiam affirmat apud Ioannem dicens: Non enim Deus misit filium suum in mundo vt iudicet mundum; sed vt

Marginalia: D. Cypri. Augusti. — 1. Timo. 1 — D. Augus. ser. 9. de verbis Apost. to. 10 — Nulla causa aduētus Christi fuit nisi salus nostra. — Simile. — Isaia. — Matth. 9. — Psal. 31. — Acto. 2.

Ioan. 3. & 12. vt saluetur mundus per ipsum. Et cap. 12. non enim veni vt iudicem mundum. Venerat & olim Deus sed cum iustitia, cum gladio. Gen. 3. Posuit enim gladium versatilē ad introitum paradisi: sed fidelis sermo, quia venit dominus Iesus per sanguinem crucis suæ iustificare peccatores.

¶ In communi confe. Pontif. et non Pontif.

HAEc illis audiētibus adijciens dixit illis parabolam, eo quod esset prope Hierusalem, et quia existimarēt quod confestim regnum Dei manifestaretur. Dixit ergo. Matt. 25. b *Homo quidā nobilis, abijt in regionem longinquam, accipere sibi regnum & reuerti. Vocatis autem decem seruis suis dedit eis decem mnas, et ait ad illos, negotiamini dū venio. Ciues autem eius oderant eum, & miserunt legationem post illum, dicentes, nolumus hunc regnare super nos. Et factum est vt rediret accepto regno, et iussit vocari seruos, quibus dedit pecuniam: vt sciret quātum quisquè negotiatus esset. Venit autem primus, dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisiuit. Et ait illi, euge bone serue, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem ciuitates. Et alter venit dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait, et tu esto super quinque ciuitates. Et alter venit, dicens, domine ecce mna tua quam habui in sudario repositam. Timui enim te, quia homo austerus es, tollis quod non posuisti, et metis quod non seminasti. Dicit ei, de ore tuo te iudico serue nequam. Sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, et metens quod non seminaui: & quare non dedisti pecuniam meam ad mensam: et ego veniens cum vsuris vtique exegissem illud? Et astantibus dixit, auferte ab illo mnam, & date illi qui decem mnas habet. Et dixerunt ei, domine habet decem mnas. Dico autem vobis quia omni habēti dabitur, et abundabit: ab eo autē qui nō habet, et quod habet auferetur ab eo.* Sap. 6. c Matt. 13. b 25. g

ERant inter discipulos qui putabant, mox vt venisset hierosolymā, cui iam cœperat esse vicinus, appariturum regnum cœlorum, de quo toties meminerat, imaginantes regnum aliquod mundano

no simile. Quum Christus sentiret de regno spiritus euangelici, per quem opprimitur tyrannis peccatorum. Id autem regnũ non constat copijs, armis, aut vi, sed fiducia & amore erga Deum, sed beneficencia in proximum, sed clementia, sed synceta ac liberali dispensatione sermonis euangelici. Porrò maiestatem huius regni, quæ pios decorabit immortali gloria, impios æternis supplicijs addicet, non statim esse proferendam, sed suo tempore nobis incognito prodendam. Interim illud omnibus modis agendum, vt quam quisq; dotem habet, primum meminerit esse pecuniam domini, cui debemus omnia, & in huius lucrum erogãdum bona fide quod accepimus, non quod ille vllius rei sit indiguus, sed quod pro sua erga genus humanum charitate, sitiat omnium salutem: magnoque sese lucro auctum existimet, si homo per hominem resipiscat á vitijs, atque anteactæ vitæ pœniteat, & ad euangelicę pietatis studium conuertatur, vt habeat quod in vtroque remuneretur, & eo qui iuuat beneficio, & eo qui adiutus est. Nec enim est quod hinc nobis vendicemus laudis aut gratiæ. Serui sumus domini omnes, operam debemus domino. Sors tota illius est, cuius sumus & ipsi, tantum hoc pro sua cuique virili enitendum est, vt augeat rem domini, de pręmio relinquat arbitrium domino, qui suo tempore reddet vnicuique secundum merita sua, promptamque voluntatem nostram, ac fidelem nostri arbitrij conatum largissimé remunerabitur. Hæc continet in summa parabola, quæ sic habet.

¶ *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reuerti. Vocatis autem decem seruis suis dedit illis decem mnas.* Hæc parabola similis parabolæ de talentis quam refert D. Matthæus. c. 25. ¶ *Homo quidam nobilis.* i. clarus & claro genere prognatus. Hæc nobilitas nos admonet & nobilitatem ac claritatem tam virtutis quam generis. De qua intelligebat Salomon cum dicebat in Prouerbijs: Nobilis in portis vir eius, quãdo sederit cum senatoribus terræ. Deus enim clarus est ac nobilis qui est Ecclesiæ maritus. Per mnas intellige minas. Latini

Pro. 31.

A enim interponunt. i. dicentes minas. Mina veró valebat, vt aliqui affirmant, como quatro mil marauedis. Singulis ergo tradidit res iste singulas minas, hoc est, dies ducados. ¶ Deus igitur tantum in Iudæa notus, vnius tantum ciuitatis regulus esse videbatur, cum diabolus impuné regnaret in alieno, per diuersas orbis nationes. Cupiens autem sibi vindicare per euangelij prædicationẽ, quod sibi satanas per tyrannidem occuparat, reliquit Iudæorũ terram, ac profectus est in cœlũ, sed prius B diligenter instructis discipulis ad munus euangelicæ negociationis, quibus credidit euangelici sermonis dispensationem, veluti sortem quandam, vnde lucrum ingens per illos accresceret domino talium lucrorum auidissimo: attraherent ad regnum euangelicum quoscunque possent, publicanos, meretrices, milites, Græcos, Romanos, Scythas, Gallos, Gothos, Sarmatas. Hoc autem agerent vsque ad reditum domini, qui rediturus est in fine huius mundi, distributurus cuique pro suis factis æterna præmia. Sed audiamus quid C seruis suis dicat.

¶ *Negociamini dum venio.* Negociatores sunt Apostoli, negociatores sunt sancti, negociatores vult dominus vt simus omnes Christiani. Non ergo debemus esse otiosi, sed incumbere negociationi euãgelicę. Memores quod serui sumus huius regis cœlestis, ac serui emptitij: empti enim estis precio magno ait diuus Paulus. Memores etiam illius cœlestis præmij seruis bene negociantibus promissi. Memores tandem domini qui exinaniuit semetipsum formá serui accipiens. Magna profecto superbia esset velle quiescere seruũ ex quo laborat dominus. Non est enim discipulus super magistrũ, nec seruus super dominum suum. Quando igitur nobis cõmissa est mina euangelicæ prædicationis nõ vt prodigamus aut seruemus otiosam apud nos, curemus vt nostra negotiatione crescat, vt reuersus dominus, eam reperiat auctam. Olim (vt sacra narrat historia) in deserto colligebant mané singuli filiorũ Israel manna quantum sufficere poterat ad vescendum. Hi studiosos operarios & negociatores significant, qui studiosi sunt

Negociatores sunt omnes fideles.

1. Cor. 6.

Philip. 2.

D

Matth. 10.

Exod. 16. Figura.

opera

operarij, ac diligentes negociatores, operantur & negociantur cibum qui non perit incipientes mane, idest, mox initio fidei, vel conuersationis. Negligentes verò negociatores, & operarij significãtur per eos, qui relinquebant & seruabant manna in crastinum, & idcirco scatebat vermibus. Gratia enim fidei in eo qui non operatur: gratia quoque sapientiæ, vel scientiæ siue gratia sermonis, quum steriliter habetur, & in bonum vsum non assumitur, sicut manna in vermem vertitur, quia bonum Dei donum ei in malum cedit, à quo male habetur. ¶ *Negociamini dum venio.* Omnes nos in hac vita mortali negociatores sumus: sed alij, forte & pecunia domini sibi tradita negociantur æternam illam beatitudinẽ supernamque fœlicitatem, de qua diuinus ille Apostolus dicebat: oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Nobis autẽ reuelauit per spiritum suum. Neq; enim oculus mentis acutissimus philosophorũ: nec auris Iudæorum quæ à Moyse legem audiuit: neque in cor hominis ethnici & agareni ascendit aliquando quãta & qualis sit beatorum gloria. Nobis verò fidelibus detegit hæc mysteria Deus optimus maximus homo iam factus. Mina ergo nobis à domino tradita, hoc est, lege euangelica decem præcepta continenti: negociemur hanc margaritam pretiosam, hanc ciuitatem cœlestem, hoc tam insigne præmium. Si vis (inquit) ad vitam ingredi serua mandata. Si vis, inquam, audire: euge serue bone & fidelis, intra in gaudium domini tui: negotiare pecunia tibi credita. Sed nos miserrimos & infœlicissimos: qui non cœlestem patriam pecunia nobis commissa emimus & negotiamur: sed otio torpentes terram illam tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, nostra negociatione paramus. Nos enim sumus serui pigri, malæ fidei, & insimulatores domini nostri: à quibus auferẽda est mina, nisi posthac sapiamus: nostraque industria ingens lucrum accrescat domino. Contrà verò iusti & pij sunt serui fideles, & industrij. Quibus dominus ait: Ego posui vos, vt eatis, & fructum afferatis: & fructus vester maneat. In hoc enim delegit dominus suos vt sibi insiti per charitatem mutuã, semper in melius proficerẽt. Et quemadmodum palmes succo vitis semper alitur, latius sese propagine spargens: ita illi quoque per omnes orbis regiones copiosum euangelij fructũ proferrent, & ita prodessent alijs, vt fructus illorum illis quoque maneret incolumis. Vitis enim vulgaris alijs fructum ædit, eũ quẽ mox periturum: & ideo palmites eius temporalium fructum ædunt, quoniam adhærent viti peritur&. At iusti quoniam adhærent immortali stirpi fructum adferunt nunquam periturum, sed eis incolumem futurum in vitam æternam. Hos ergo posuit dominus in platea mũdi huius, vt irent de virtute in virtutem; & negociarentur ea pecunia atque laborarent: non vt essent otiosi & pigri: imitarenturque suum dominum qui ad mortem vsque laborauit: animam Deo patri reddere volebat & nondum à negociatione cessabat: imô tunc instantius animarum lucro operam dabat clamando ac dicendo: pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Quodcumque ergo potest manus tua instanter operare: quia neque opus, nec ratio, nec sapientia erit apud inferos quo tũ properas. ¶ *Negociamini dum venio.* Quãuis hæc vox Christi ad omnes pertineat: tamen peculiariter dominus cum primoribus Ecclesiæ ac doctoribus loquitur. Illis enim credidit euangelicæ prædicationis munus, vt attrahant ad Christi fidem aut gratiam quoscunque possint. Illis contulit euangelici sermonis dispẽsationem, veluti sortem quandam vt ingẽs lucrum animarum afferant domino. Quod si sui voti compotes prælati, concionatores, ac ecclesiastici doctores esse volunt: primũ laudabiliter viuant. Nam non obedienter auditur (vt Augusti. ait) qui seipsum non audit. Deinde vt minam euangelicæ doctrinæ, non sibi sed Deo tribuant: quoniã Christus seminat (ait Augusti.) ego qui sum vix cophinus seminantis, in me ipse ponere dignatur quod velit spargere. Nolite ergo atendere ad vilitatem cophini, sed

Marginalia: Alii negociantur cœlũ alii infernũ, in hac vita. — 1. Cor. 2. — Mina lex euangelium. — Matth. 19. — Iob. 10. — Ioan. 15. — Simile. — Eccle. 9. — Primores ecclesiæ peculiariter negociatores dicuntur. — Aug. 4. de doct. chris. c. 27. — Augu. lib. de doctri. christia.

sed ad qualitatem seminis, & potestatem seminatoris. Tertio doctrinæ suæ preces & orationes præmittant. Nam si Regina Esther pro suæ gentis temporali salute locutura apud Regem, orauit vt in os eius congruum sermoné dominus daret: quanto magis orare debet ait idem Augustin⁹, vt tale munus accipiat, qui pro æterna hominum salute in verbo & doctrina laborat? Quarto, vt sententiam plus amet quam verba. Bonorum enim ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare non verba. Quintò, vt in scripturis sacris authoris més & sensus requiratur. Titubabit (inquit Augustinus) fides, si diuinarum scripturarum vacillat autoritas. Sexto, in scripturis sanctis non vbique mysterium requiratur. Non sané, ait idem, omnia quæ gesta narrantur, significare aliquid putanda sunt: sed propter illa, quæ aliquid significant, & ea quæ nihil significant attexuntur. Solo vomere terra proscinditur, sed vt hoc fieri possit etiam cætera aratri membra sunt necessaria. Septimò, dicendo veritatem non deserant. Minus intelligantur, minus placeant, minus moueant quæ dicuntur, vera tamen dicátur, & iusta ait idem sanctus. Octauò, vt doctrina facile ab auditoribus intelligatur. Vnde Salo. in Prouer. ait: Doctrina prudétum facilis. Et D. Paul. in priori ad Cori. cap. 14. ait: Si incertam vocem det tuba, quis præparabit se ad prælium? Nonò, vt doctrina sit breuis. Nam vt Ecclesiasticus ait. Verba sapientum statera ponderabuntur. Et sicut ingratus est qui cognita obnubilat (inquit) sic onerosus est qui cognita inculcat. Decimò, vt doctrina sit vtilis. Quisquis scripturas diuinas, vel quamlibet earú partem intellexisse sibi videtur, ita vt eo intellectu non ædificet geminam charitatem Dei & proximi, nondum intellexit. Has igitur conditiones si Ecclesiæ præsul & doctor in dispensatione euágelici sermonis diligenter seruauerit, non dubium qvin lucrum maximum per illú accrescet domino talium lucrorum auidissimo. Conuertet enim & alliciet ad regnum cœlorú innumeros peccatores. Præcipué si magna cura ac diligentia talis seruare curet quæ diuus Augustinus. 4. lib. de doctrina christiana seruanda euangelicis doctoribus ac prædicatoribus docuit: ita. s. debere dicere eloquétem, vt doceat, vt delectet, vt flectat. Docere necessitatis est, delectare suauitatis, flectere victoriæ. Docendi necessitas in rebus est constituta quas dicimus: reliqua duo, modo quo dicimus. Qui ergo dicit, cum docere vult, quandiu non intelligitur, nondum se existimet dixisse quod vult ei, quem vult docere. Si veró intelligitur, quocunque modo dixerit, dixit. Quod si delectare vult eú cui dicit, aut flectere: interest quomodo dicat: sicut autem vt teneatur ad audiédum delectandus est auditor, ita flectendus vt moueatur ad agédum. Et sicut delectatur si suauiter loqueris, ita flectitur si amet quod polliceris, timeat quod minaris, oderit quod arguis. Tandem vt huic rei finé imponamus omni timore & formidine cócionator Christi & euangelicus doctor carere debet. Nam qui timuerit ne semen cadat in terram malam, nó perueniet ad bonam. Iactamus semina, spargimus semina, sunt qui contemnunt, sunt qui reprehendunt, sunt qui irrident. Ista si nos timuerimus nihil habemus seminare, & in messe habemus esurire. Idcirco Paulus dicebat Timotheo Doctori & præsuli: prædica verbum, insta opportuné importuné. His ergo ait Dominus: Negotiamini dum venio. Gen. cap. 3. sacra narrat historia quod posuit Deus primum mundi præsulé, hominumque parentem in medio paradisi vt custodiret illú, & operaretur in eo. Vt doceret omnes Ecclesiæ principes nó esse debere otiosos, aut pigros, sed diligentes operarios, & negociatores. Quibus Paulus hortatur in. 2. epistol. ad Corinth. cap. 6. dicens: Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Munus euágelici sermonis in vacuum recipiunt, qui nó illo alijs prodesse pro suis viribus contendunt. Et ad Timothæum Episcopum ait: Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam: cum impositione manuum præsbyterij. Episcopatum appellat Paulus gratiam sibi datam. Vel gratiá appellat doctrinæ gratiam quæ sibi data est per prophetiam, idest, sacrorum literarum cognitionem. Et rursum in. 2. epistola ait: Tu

Idem in eodem to. de doct. chri. c. 30. | Idem. | 2. de doct. christia. | 16. de ciuita. Dei. | Li. de doc. chri. | Pro 15. | 1. Cor. 14. | Eccl. 14. | Li. de doc. chri. | Ibidem. | 4. de doct. chri. c. 27. | Augu. lib. de discipli na christ. | 2. Timo. 4 | Gen. 3. | 2. Cori 6. | 1. Timo. 4. | 2. Timo. 2

Tu veró vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple. Quicunque ergo neglexerit gratiam sibi datam, & abiens absconderit talentum siue minam domini sui, minimus vocabitur in regno cœlorum, idest, excludetur à regno cœlorum. Noli ergo somno indulgere sed vigila, noli otio vacare, sed in omnibus labora, & verbo & exemplo opus fac Euangelistæ. Noli dicere ecce mina tua reposita est in sudario: auditurus alioqui quod apud Ezechielem Prophetam scriptum est. Tu autem prophane impie dux Israel, aufer cidarim, tolle coronam. Quæ verba dicta Sedechiæ vltimo regi Iudá, pigro & infideli præsuli aut concionatori euangelico conueniunt: eó quod in cathreda pestilentię sedit: occupans locum alterius fidelis dispensatoris ac negotiatoris. Nam & simia, simia est etiam si aurea gestet insignia. Noli igitur tu negligere gratiam ne audias auferte ab eo cidarim & coronam: hæc enim insignia nō faciunt sacerdotem, sed ostendunt. Vigilet ergo speculator domini: etiam dormiens non dormiat. Canes enim non sibi timent sed gregi: idcirco excubias agunt cum eo cuius vox est vigilate & orate. Ne dicatur de te merito illud: hic vigilans somniat. Opus fac Euangelistæ testando opere quod ore philosopharis: vt torqueatur os turturis ad assellas, & sint mala punica & tintinabula in extremis oræ hyacinthinæ tunicę. Fœlix qui dicere poterit, plus omnibus laboraui. Si labor terret, merces inuitet. Vnusquisque enim secūdum suum laborem mercedē accipiet. Et si ille plus omnibus laborauit, non tamen totum elaborauit, & adhuc locus est. Exi ergo ó prę sul in agrum domini tui. Et considera diligenter quantis hodieque de veteri male dicto syluescat spinis ac tribulis. Exi, inquam, in mundum: ager est enim mūdus: is creditus tibi. Exi in illum non tanquam dominus, sed tanquam seruus, tanquam villicus, videre & procurare vnde exigendus es rationem. Age igitur puta tempus putationis adesse. Accingere gladio tuo, gladio spiritus, quod est verbum domini. Glorifica manum & brachium dextrum in faciendo vindictam in nationibus, increpationes in populis, in alligādo reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Si hæc facis, honorificas ministerium tuum & ministerium te.

Matth. 25 | Matth. 5. | Ezech. 21. | Ezech. 3. | Matth. 26. | Leui. 1. c | Exo. 28. | 1. Cor. 10 b | 1. Cor. 3 b | D. Ber. lib. 2. de consideratione | Can. 2. | Psa. 44. | Psa. 149.

¶ *Negotiamini dum venio.* Semper negotiandum est, semper proficiendum, nūquam à virtute cessandum vsque ad mortem laborādum est. Porro vera virtus (ait Bernar.) finem nescit. Vnde est illud: charitas nunquam excidit. Item patiētia pauperum non peribit in finem. Et, timor domini sanctus permanet in seculum seculi. Nūquam iustus arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit, satis est: sed semper esurit, sititque iustitiam. Ita vt si semper viueret, semper quantum in se est, iustior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Nō enim ad annum, vel ad tempus instar mercenarij, sed in æternum diuino se mancipat famulatui. Audi deniq; vocem iusti. In æternum nō obliuiscar iustificationes tuas, quia in ipsis viuificasti me. Et rursum: Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum. Non igitur ad tempus, proinde iustitia eius manet nō aliquanto tempore, sed in seculum seculi. Sempiterna itaque iusti esuries, sempiternam meretur refectionem. Non ergo stemus, sed semper in hac vita proficiamus in bonis actionib9. Quid enim stat in hoc seculo? Et certé de homine specialiter dictum est: fugit velut vmbra & nunquam in eodem statu permanet. Ipse denique hominis seculique autor quandiu in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est, nūquid stetit? Et quidem teste scriptura pertransijt benefaciendo, & sanando omnes. Pertransijt ergo sicut nō infructuose, ita non remissé: non pigré, non lento gressu, sed quemadmodum item de eo scriptum est: Exultauit vt gigas ad currendam viam. Porró currentem non apprehēdit, qui & ipse pariter non currit. Et quid prodest Christum sequi: si non contingat consequi? Ideo Paul. aiebat: Sic currite, vt comprehendatis. Ibi tu Christiane fige tui cursus profectusque metam, vbi Christus posuit suam. Factus est, inquit, obediens vsque ad mortem. Quantumlibet ergo cucurreris: si vsque ad mortem non

Vsque ad mortē negociandū est. | Bernar. | 1. Cor. 13. b | Psal. 9. d | Psa. 18. c | Philip. 3. c | Psal. 118 | Ibidem. | Psa. 111. b | Iob. 14. a | Acto. 10 | 1. Cor. 9. d | Phili. 2. b

perue

perueneris, brauium non apprehendis. Brauium Christus est. Quod si illo currente tu gradum sistis: non Christo appropias, sed te magis elongas: timendumque tibi est quod ait Dauid: Ecce qui elongāt se à te domine, peribunt. Itaque si proficere currere est: vbi proficere, ibi & currere desinis. Vbi verò non currere, ibi & deficere incipis. Hinc plane colligitur quia nolle proficere, non nisi deficere est. Vidit scalam Iacob & in scala angelos, vbi nullus residens, nullus subsistēs apparuit, sed vel ascēdere vel descēdere videbantur vniuersi: quatenus palā daretur intelligi, inter profectū & defectū in hoc statu mortalis vitæ nihil medium inueniri: sed quomodo ipsum corpus nostrum continuè, aut crescere constat, aut decrescere, sic necesse sit & spiritum, aut proficere semper, aut deficere. Hæc ex Bernardo. ¶ *Vocatis* (inquit) *seruis suis dedit illis decem mnas. Et ait ad illos, negotiamini dum venio.* Vocat imprimis Deus nūc aliquos interna Spiritus sancti inspiratione quēadmodum vocasse à quibusdam dicitur Paulum & Barnabam Actor. 13. cum dixit Spiritus sanctus: segregate mihi Saulū & Barnabam in ministerij opus ad quod assumpsi eos. Nunc exteriori vocatione qualis fuit duodecim discipulorū quos & Apostolos nominauit vt refert Matth. cap. 10. Nunc denique muneris & officij impositione. Vnde diuus Paulus ad Titum scribens cap. 1. ait: Huius rei gratia reliqui te Cretæ: vt cōstitueres per ciuitates episcopos & presbyteros: sicut tibi disposui. Aliter enim constitutus indignus est ministerio domini. Vnde Paulus: Nec quisquā sumit sibi honorē, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron: quemadmodum Christus non semetipsum clarificauit vt Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Vocat ergo rex cœlestis seruos suos: seruos vocat, vt intelligāt non esse vocatos ad munus ecclesiæ more principum gētium, qui dominantur subditorum: sed vt serui & ministri sint seruorum Dei. Vt dominus testatur Matth. 20. His non vendit dominus minas suas, sed gratis dat: vt quod gratis serui acceperūt gratis dent. Negociatores eos spirituales ac bonorum spiritualium constituit: non quales inter nos sunt nonnulli domū domini facientes speluncam latronum. De quibus verè dici potest quod olim dicebat dominus de Ephraim: Circundedit me Ephraim in negotiatione sua. Et quod apud Naum ait: Plures fecisti negotiationes tuas quam sunt stellæ cœli. Sed væ his, nam tandem rediturus est dominus, & rationem rigidam sumpturus de omni commisso, siue spirituali, siue externo talento.

¶ *Ciues autem eius oderant eum. Et miserunt legationem post illum dicentes. Nolumus hunc regnare super nos.* Dum Apostoli cæterique eorum successores negociantur pecunia domini sui, Iudæi apud quos solos Deus hactenus regnare videbatur, propter cognitionem legis ac religionis autoritatem, ciues illius ex quibus & apud quos natus fuerat, quum imprimis illum amare debuerint, & in vindicādo regno adesse modis omnibus, non solū nullam opem addiderunt, verum etiā obstiterunt clamantes apud prætorem: non habemus regem nisi Cæsarem. Idem fecerunt & post, denunciantes Apostolis cæsis, ne post hac de nomine Iesu facerēt mētionem. Mosen volebāt regem, Christum nolebant: oderant enim illum, quod aduersaretur eorū prauis cupiditatibus. Videmus autem & hodie, quomodo natio Iudæorum, se subduxerit à regno euangelico, quamque pertinacibus odijs conspirarit aduersus eum, cui data est à patre omnis potestas in cœlo & in terra. Nolumus, inquiunt, hunc regnare super nos: dirūpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum. Et dum nolunt seruire Christo & patri eius, seruiunt omnibus huius mundi tyrannis: seruiunt satanæ tyranno sæuissimo: cumque passim toto terrarum orbe videant Christianos gaudere libertate spiritus, ipsi mordicus etiā nunc tenent literam insipidam, cui seruiunt velut ascripti glebæ. Sed his frustra reclamantibus vindicatur & confirmatur Ecclesiæ regnum, in quo parando constabiliendoque qui fidelem nauarint operam pro modo fructus, quem attulerunt in vinea domini: gloria & honore coronabuntur

Marginalia: Psa. 72. | Gen. 28. | Ber. epist. 254. | Multis modis vocantur fideles a Deo. | Actor. 13. | Matth. 10. | Ad Titū. 1. | Heb. 5. | Matth. 20. | Matth. 10. | Osee. 12. | Naum. 3. | Iudæi sunt qui nolue runt regē habere Christum. | Ioan. 19. | Matth. 28. | Psal. 2.

tur in regno cœlesti. Iudæi sunt de quibus conquerebatur Christus dicens: quoniam odio habuerunt me gratis: hi sunt, qui noluerunt eum habere regem. Vnde dominus apud Hiere. ait: A seculo cōfregisti iugum meum, rupisti vincula mea & dixisti: non seruiam. Id lamentabatur Esaias dicens: Væ genti peccatrici populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis: dereliquerunt dominum, blasphemauerunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. Et quoniam Iudæi Deum suū verumque regem eiecerunt idcirco eos eiecit Deus per Oseam Prophetam. Propter malitiam adinuentionum eorum de domo mea eijciam eos, non addam vt diligam illos. ¶ Istorum imitatores sunt inter nos multi, qui nolunt regnare Christū super eos: sed potius in sceleribus & vitijs obstinati, confringunt iugum leue & suaue domini: rumpunt vincula charitatis & dicunt. Non seruiam. Hi sunt qui dicere solent quis est omnipotens vt seruiamus ei: quid nobis proderit si orauerimus illum. Hi, inquam, sunt qui vertūt ad Deū terga & non facies. Vt Hieremias ait. Qui eiusmodi sunt iā iudicati sunt. Qui enim non credit (inquit Christus) iam iudicatus est: quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei. Et qui tam impij ac scelerati sunt, vt factis suis fidē, quam professi sunt non exprimant: sed potius cōtemnant, nō consistent in iudicio. De huiusmodi aiebat diuus Iacobus cap. 4. Quicunque voluerit amicus esse huius seculi: inimicus Dei constituitur. Hi sunt ciues ciuitatis mūdi huius, de qua in figura dicitur apud Oseam Prophetā cap. 6. Galaad, ciuitas operantium idolum, supplantata sanguine. Idola enim vanitatis colit: & peccatis de corrupto sanguine exortis supplantatur. Ciues profecto huius ciuitatis cæci sunt & claudi, ignorantes, scilicet, & claudicantes errantesque à via virtutis recta. Quorū imaginem gerebant ciues illi cæci & claudi de quib9 dicitur regi Dauid lib. 2. reg. c. 5. Non ingredieris in ciuitatem, nisi abstuleris cæcos & claudos qui sunt super murum: odientes animam Dauid, hoc est, Christi, qui in mundo erat, & mūdus per ipsum factus est: & mundus eum non cognouit. Hi sunt qui non cessant mittere legationē post Christū, verū Deum & hominē. Verūque regē regū. Mittere nō cessant huius mundi tyrāni legatos suos diaboli satellites: vt Christū persequantur. Qui significati sunt Apoca. c. 12. In flumine illo, quod emisit draco ex ore suo: vt flumine mulierem parturientem, hoc est, Ecclesiā adse traheret: & sic regnum Christi absorberet. Omnes enim qui piè volūt viuere, persecutionē patientur vt Paul. ait. Hi ergo aiunt: Nolumus hunc regnare super nos. Isti fuere rebelles lumini & ignorauerunt semitas eius. Et ideo nolunt Christū regnare super eos, cui seruire regnare profecto est: sed potius dicunt: Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Quibus dn̄s respondere potest quod Esai. ait. c. 8. Eo quod abiecit popul9 iste aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio: adducet dn̄s super eū aquas fluminis multas. Qui abijciunt regnū Siloe, hoc est, missi Christi, incidētin regnū diaboli: & in tartarū missi pœnas perpetuas dabunt. Absorbentur enim tartareo flumine.

¶ *Venit autē primus dicens. Dn̄e mna tua 10. mnas acquisiuit.* Obserua: quod nō ait seruus iste fidelis. Dn̄e mina tua acquisiui 10. minas. Sed quid ait? Dn̄e mina tua acquisiuit. 10. minas hic enim egregius modus referendi omnia ad Deum. Intelligūt enim iusti quod omne datū optimū & omne donū perfectū desursum est procedēs à patre luminū vt D. Iacobus testatur. Intelligunt quod nihil boni habēt quod nō acceperint: & si acceperunt quod non est quare glorientur. Intelligūt aqueductus esse non fontes, manus nō dona: medicos non ipsam medicinam. Operarios non dominos vineæ: negociatores & procuratores quorum industria ac fide mina Dn̄i sui crescat ad decem minas. Et idcirco omnia in illū referunt tanquā in præcipuū autorē. Sciunt denique quam vera sit illa sententia Esaiæ: Nūquid gloriabitur securis cōtra eū qui secat in ea: aut exaltabitur serra contra eum à quo trahitur? Quomodo si eleuetur virga contra eleuantē se: & exaltetur baculus qui vtique lignum est. Denique certo illis compertum est: quod nō est volētis, neq3 currētis sed Dei miserētis.

Marginalia: Ioan. 15. p. 24. — Hiere. 2. d — Esai. 1. — Osee. 9. — Multi sūt inter nos qui peccādo nolum9 regnare Christum sed diabolum super nos. — Iob. 21. — Hiere. 32. — Ioan. 3. — Iaco. 4. — Osee 6. — 2. Reg. 5. — Ioan. 1. — Apo. 12. — 2. Tim. 3. — Iob. 24. — Iob. 21. — Esai. 8. — Iusti omnia opera sua referunt in Deum tanquā in præcipuum autorem. — Iaco. 1. — 1. Cor. 4. — Simile. — Esai. 10. — Rom. 9.

Hinc est quod Paulus ait: Dispensatores sumus mysteriorum Dei: siue vt Græca æditio habet: œconomi sumus arcanorũ Dei. OEconomi enim rẽ administrãt, sed alienã: & vnde rationem sunt reddituri. Hinc etiã est quod Eliphaz Themanites falsò putãs sanctum Iob maxima præsumptione esse affectum ait: quid tumet contra Deum spiritus tuus, vt proferas de ore tuo huiusmodi sermones. Dicamus igitur dño: Tu es dñs vniuersorũ quæ de manu tua accepimus: hæc offerimus tibi. Non nos sed gratia tua nobiscum tãtum lucrũ ex bonis tuis acquisiuimus. Gratia enim tua sumus, id quod sumus: & gratia tua in nobis vacua non fuit. Ecce ad te venimus cum magna confidentia, nihil timentes: nihil dubitantes: minime trepidantes: nihil denique excusationis prætendentes: quemadmodum venit villicus ille iniquitatis: qui vocatus vt rationem procurationis redderet: timidus & trepidus aiebat: Quid faciam quia Dominus meus aufert à me villicationem? Non sic nos sed alacres & prompti accedimus vt de talentis tuis exactam rationẽ reddamus.

Job. 15.

Hester. 4.

1. Para. vl.

1. Cor. 15

Supra. c. 16

¶ *Euge serue bone.* Euge aliquando in sacra scriptura est vox irrisionis sic Psalm. 39. Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi euge euge. Aliquando est gaudij & laudis, vt in hoc loco vides. i. rectè bone serue. Collaudat enim seruũ, functum officio suo.

Euge, aliquando irrisionis, aliquando laudis signum est.

¶ *Quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem ciuitates.* Collaudat dominus industriam ac fidem optimi præsulis quod cum res & bona sibi collata à domino essent angustiora, in exigua pecunia spiritualis declarauit se fidelẽ, & amantem erga dominum suum augendo rem suam, idcirco particeps factus est maioris fortunæ spiritualis: ampliorum inquam, gratiæ ac meriti. Atq; ex isto loco considera quanta sit liberalitas quãta magnificẽtia: quã abundans cõpensatio dñi. Cum cõtulerit seruo isti fideli omnia quæ cum pecunia sibi cõmissa lucratus est. Et vltra hoc præfectus factus fuerit decẽ ciuitatum. Esto ergo fidelis auge pecuniam domini quando omnia quę aucta fuerint tibi parantur. Cum dominus nihil sibi ve

Liberalitas Dei cõmẽdatur.

A lit. sed vtilitatem & commodum nostrum quærat. ¶ Eris, inquit, quo verbo præmij æternitas significatur. Vnde Grego. erit enim quod nunquã deerit: & hoc erit ęternum. Vnde Esai. c. 60. ait: Populus tuus omnes iusti in æternum hæreditabunt terram. Eris ergo potestatem habens. Potestas enim iusti potestas æterna, quæ nõ auferetur: & regnum eius quod nõ corrumpetur. Super decẽ, inquit, ciuitates. Hoc est, maximis diuitijs in cœlo frueris. Fideles ergo simus dispensatores si tanto præmio affici volumus. Sed heu quam pauci B modo sunt qui fideles inueniantur. Multi enim homines misericordes vocantur: virum autem fidelem quis inueniet? Vnde Dominus: Quis (inquit) putas est fidelis seruus & prudens: quem constituit dominus super familiam suam? Qui talis ergo inuentus fuerit audiet ad ianuam ciuitatis supernæ: euge serue bone & fidelis, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem ciuitates.

Esai. 60.

Dan. 7.

Pro. 20.

Matth. 24.

¶ *Et alter venit, & dicit: Domine ecce mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: tu esto super quinque ciuitates.* Quam ve C ra atque certa sit catholicorum sententia præmiorum ac meritorum inæqualitatem asserentium, vel ex ista parabola apertissimè constat. Alter enim seruorum qui mina domini decem minas acquisiuit pręfecturam accepit decem ciuitatum: alter verò quinque, &c. Atque hoc ipsum luculentius Christus fecit parabola illa de semine iacto in terram bonam, cuius pars sexagesimum, pars trigesimum fructum attulit. Non enim potest respondere rei ipsi parabola, si æqualiter fructificat in omnibus bonis verbum Dei. Et idem est D vitium seminis, quod cecidit secus viam, & super petram, & super spinas. Et stultum sanè erat, vt verissimè dicit Hieronymus. Si nulla erat inæqualitas, neque in bonis, neque in malis: pro duabus speciebus sex species numerare. ¶ Præterea Paulus in priori ad Corin. cap. 15. ait: Stella à stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorũ. Quod si ex his verbis liquidũ est, inæqualẽ fore gloriã corporis sãctorũ, erit profectò inæqualis gloria animæ. Par quippe est de vtraq; ratio, & deinceps pro-

Non omnes fuisse erunt æquales in præmio sicut nõ fuerit in merito.

Matth. 13.

Hiero.

1. Cor. 15

1. Cor. 15.

profectò esset vt habentes æqualem gloriam in anima, non haberent æqualem in corpore. Loqui verò Paulũ in illa similitudine de solis iustis certa res est: & probata à D. Hieronymo cõtra Iouinianum. Itaq; quod dicit Apostolus: sic & resurrectio mortuorũ, ita est intelligẽdum, vt alius videlicet claritate solis luceat, alius lunæ splendore rutilet, alius lucifer sit, alius arcturus, alius oriõ, & alij cæteræ stellæ quæ sacratæ in Iob volumine continentur. Et pulcherrima sanè allusio hæc est Pauli ad intelligendum pro meritorum varietate, & inæqualitate, diuersas fore, & inter se impares, glorias iustorum. Vt enim astra omnia recipiunt quidem à sole suum splẽdorem, quodlibet tamen secundum probabiliorem philosophorũ sententiã, iuxta suã qualitatem, & prout magis minus ve solidum est, & diaphanum, plus, vel minꝰ refulget, ita & quanuis omnes iusti de plenitudine Christi, qui sol est fulgẽtissimus, gloriam animæ & corporis participaturi sunt, nequaquam tamen ex æquo, sed iuxta quãtitatem & modũ suæ dispositionis, hoc est bonorum operum, & meritorum suorum, gloriam animæ & corporis recipient. Dabit namq; Deus pro bona voluntate sua, vnicuique seminum propriũ corpus. Et sicut tanto melius & perfectius est corpus cuiuis semini respondens, quanto melius & perfectius fuerit semen in terrã iactũ, vnde illud prodit, tãto nobiliora, & splẽdidiora corpora Deꝰ iustis dabit, quãto illi meliores & perfectiores fuerint, cũ absoluto huius vitæ cursu fuerint terræ, velut semina mox victura, mandati. Vnde & Daniel, cum eos qui dormiunt in terræ puluere euigilaturos pronuntiasset alios quidem in vitam æternam, alios vero in opprobrium, vt declararet eximiam fore gloriam bonorum doctorũ, & multo maiorem quã aliorũ, adiecit è vestigio. Qui autem docti fuerint fulgebunt quasi splẽdor firmamenti, & qui ad iustitiã erudiũt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. ¶Deinde iustitia distributiua seruãda in bonorum retributione, manifestè exigit, vt inæqualis sit gloria iustorũ. Vnde in vtriusq; testamenti pagina palã edocemur, reddendum esse vnicuiq; premium

Dan. 12.

3. argum.

A in iudicio diuino, iuxta mensuram suorũ operum, ideo Daniel libros dixit esse aperiendos in iudicio, quia omnia nostra opera exactiss. mẽtunc expendentur. Et iuxta eorum merita suum cuique pręmium, vel pœna retribuetur. Et Paulus. Omnes nos, inquit, manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit siue bonum siue malum, vel vt legit Hiero. & magis cõuenit cum cõmunibus modo Græcis exemplaribus, vt recipiat vnusquisque quæ gessit B per corpus, siue bonum, siue malum. Et alibi: vnusquisq; propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Et Ioan. in Apoca. aperte ait: Mortuos in Domino opera sua consequi, nempe vt iuxta eorũ bonitatem præmium recipiant. Atque hoc ipsum est quod Paul. dicere voluit cũ dixit: qui parce seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus hoc est abundanter de benedictionibus & metet, idest, etiam abundanter colliget.

Dan. 7.

Paul 2. Cor. 5.

1 Cor. 3.

Apo 14.

2. Cor. 9.

Lege de hac re Vegam lib. 9. c. 4.

C ¶*Domine ecce mna tua quam habui repositam in sudario timeo enim te, quia homo austerus sis: tollis quod non posuisti, &c.* Reprehenditur miser iste & iure optimo à domino quod non negotiatus fuerit mina domini sui: ad hũc etiam modum damnabitur præsul euãgelicus aut fidelis omnis qui sola fide aut euangelica sapientia contentus virtutibus non dat operam. Finis enim moralis philosophiæ potiꝰ est facere quã scire. Quid tibi prodest definitionem virtutis percipere, si ipsam nõ habeas virtutem? Non in sermone regnum Dei est, inquit Apostolus, sed in virtute. Et Aristo. non de virtute, inquit, scire sat D est, sed enitendum est ipsam habere. Hijs. qui in virtutis actiones incubuerint, dicet dominus: venite benedicti patris mei, percipite regnum, quia opera misericordiæ impleuistis. Non dicet: percipite regnum, quia scientia fuistis instructi, sed quia in bonis operibus fuistis versati. Ideo non ait: discite, dum venio, sed negotiamini, dum venio. Bona est scientia, sed debet esse cum virtute copulata. Vt malum limeum solum nõ comeditur, sed cũ perdice, aut alio eiusmodi cibo: sic sciẽtia per se sola absq; virtute esca est inutilis,

Præsul plger qui mina sibi tradita nõ negociatur damnabitur.

1. Cor. 4.

Matth. 25.

Simile.

at cum virtute mista, magnam offert vtilitatem, & virtutem reddit iucundiorem & illustriorem. Negocia, ad quæ nos Deus inuitat, dicens: negotiamini, dum venio, operasunt honesta, & actiones virtutum. Contemplatio actio etiam est, sed mentis & intellectus. Quædam sunt animæ, quædam corporis actiones, & ad vtrasque nos dominus inuitat. Ex his duobus generib9 actionum resultant duæ vitę, actiua & cōtemplatiua, ex quarum mistione efficitur & consiliatur mirabilis quædam compositio, vita quædam euãgelica, & christiana ac sublimis philosophia. Ad has duas vitas nos hortatur Dñs, dicēs: sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardētes in manibus vestris. Per lũborum pręcinctionem, & præparationem ad labores intelligitur vita actiua, per lumen verò intellectus & lucernas ardentes vita contemplatiua. Quæ duæ vitę nomine Liæ & Rachelis significantur. Lia enim idem est quod labor, Rachel verò idem est, quod videns Deũ. Tertia vita ab his duabus distincta & separata, quæ est posita in delitijs, & flagitijs, nō hominis est, sed bruti. Non enim dicēdus est homo, qui ducitur appetitu, qui est verecundiæ expers, qui diffluit illecebris, qui perturbationibus animi succũbit, qui virtutem spernit, & vitiũ sectatur, qui cũ animũ habeat, quo nihil est in vita præstãtius, sic se abijcit vt nihil inter se ac inter quadrupedem aliquem putet interesse.

Supra,12.

Gen.29. Figura.

¶ Illud igitur exigitur à fideli dispensatore euãgelici sermonis cæterorũq; mysteriorũ & arcanorũ Dei, vt dñi pecuniã in sudario nō reponat: sed vt ea negocietur. Nec sufficit dicere mina tua reposita est in sudario quia metis vbi non seminasti. Opinio reuera quædã erronea aggrauata mortalibus auget crimina: minuit bona: ea verò est opinari quod ea quæcũque possidemus in vsũ vitæ aut in aliorũ cōmodũ, possidemus vt dñi. Hospites sumus & villici, atque vtinã non iniquitatis: vtinã non vt seruus iste. Timeamus igitur ne in nostrũ ipsum caput proferamus sentẽtiam. Et conemur vt gratia Dei in nobis vacua non sit. Nã qui beneficij magnitudinem nō recordãs, ad deteriora delabitur: in isto gratia Dei & opulenta largitio, paupertate te-

Theophi.

2.Cor.?

Hiero.

nuatur. Ecce, inquit, mna tua quã habui repositã in sudario, &c. Qui etiã dono accepto pigritia laborat is ait: ecce mna tua quam habui repositã in sudario, &c. Is in quam ait: quod in Pro.c.22. Salomon scriptum reliquit. Leo est foris in medio platearũ occidendus sum. Como el niño que teme y no quiere yr a la plaça por miedo del toro. Sic piger ad bona opera, ad confitendã fidem quã corde tenet, est maxime timidus: non audeo, inquit, fidē confiteri, ne me persecutor malis afficiat aut perimat: timeo vehementer charitatis opera exercere & in publicum prodire: ne forte me vel antiqui hostis aduersitas grauior tẽptet: vel quilibet peruersus irrideat: conuitijs confundat: iniurijs afficiat: aut quẽadmodũ plurimos alios pietate & virtute præditos tormentis cōsumat. Timeo etiã quod dñs exactissimè rationẽ requiret de negotiatione, hoc est, de cura animarũ mihi cōmissa aut cōmittenda, de absolutione peccatoribus sua crimina fatentibus exhibenda: quare tutius erit minime negociari, mina mihi tradita. Hæc & alia huiusmodi pigro & infideli seruo occurrere solẽt: quib9 cōmouetur ne mina, hoc est, dono spirituali sibi tradito negocietur. Sed audi quid dñs ei respondeat.

Pro.22.

Glo.

¶ *De ore tuo te iudico serue nequam.* Nihil Deo magis displicet quam siquis dona eius abscōdat. Cui rei exemplo esse potest seruus iste, tã acriter reprehensus. Qui pecuniã suã in sudario seruãs, tradere nũmularijs neglexerit. Non enim vult ille orbis terrarũ pater nos esse steriles, neque apud nos retinere quæ proximis nostris vsui esse possunt: quando ipse tã munificè in nos quæ apud ipsum delitescẽbat effudit. In principio, inquit, Moyses creauit Deus cœlũ & terrã. Et mirũ valde est, quod cum dñs sit tam largus ex proprijs, seruus sit ex alienis, quæ detinere prohibetur tam auarus. Et expende quæso quæ sunt illa, quæ tam abundè pius pater diffundit. Nũquid est argentum aut aurum? Absit. Sed quæ? Cœlum & terram, &c. Quibus neque aurum neque argentum comparari valent. Sed quibus? Nunquid amicis, aut domesticis? Minime. Sed quibus? Ipsum audi Deut.4. Caue, inquit, tibi ne forte eleues oculos

Nil Deo magis displicet quã siquis dona eis abscondat.

Gen.1.

Deut. 4. oculos tuos ad cœlum & videas solem & lunam, omnemque militiam cœli, & erres: & incurues te eis, & colas ea quæ diuisit dominus Deus tuus in ministerium cũ ctis gentibus. Non, inquit, solis amicis, sed cunctis gentibus etiam idolatris. Pudeat ergo te, seruum auarum tam liberalis domini exhibere. & dona eius in sudario abscondere. Quod si non te pudeat, audies dominum dicẽtem ad horam mortis tuæ: de ore tuo te iudico serue nequã. Ac si dicat: Condemnabit te os tuum & non ego: & labia tua respondebunt tibi. Seruus es, & tanquam seruus seruies fratribus tuis. Seruus, inquã, piger & iners, nolens proficere semper in melius: exemplo Dauidis: qui ibat proficiens seipso robustior effectus. Vt quando ego venirem rationem exigiturus, & tu astaras ante tribunal meum, redderes mihi bona tibi tradita cum lucro. Sed tu piger huius immemor noluisti imitari Paulum dicentẽ. Omnibus omnia factus sum: vt omnes lucrifacerem.

Iob. 15. Gen. 9. 2. Reg. 3. 1. Col. 9.

¶ *Sciebas quia homo austerus sum, &c. quare non dedisti pecuniam meam ad mẽsam:* Dominus non tantum offensus ignauia serui, verum etiam quod culpam suã referret in mores domini, commotus ait: serue piger malæ fidei, & insuper insimulator domini tui, in tuũ ipsius caput protulisti sententiam. Noueras, vt ais, quod homo sim austerus & lucri auidus, inde tollens vbi nihil deposui, inde metẽs vbi nihil seminaui: at qui hoc ipsum te debebat ad industriam excitare, vt meam pecuniam traderes mensarijs. ¶ Hic querit D. Basilius quæ sit mensa ista, de qua Dominus loquens ait. Quare non dedisti pecuniam meam ad mẽsam? Cui quæstioni in hunc modum respondet. Sanè quæ afferũtur similitudines, nequaquã esse omnino singulis earum rerum ad quas allatæ sunt, partibus respondent. Sed illud agunt, vt mentem ad id, de quo agitur, argumentũ dirigant. Quẽadmodũ igitur fieri solitum est, vt pecunia numularijs ad quæstum detur: sunt enim qui illam recipiant, & hoc quod dico, præstent: sic necessario quicũquẽ aliquod à Deo cuiꝰ vis generis donũ acceperit, id cum eo cõmunicare debet, cui illo sit opus. Vel illud facere, quod ab Apostolo dictum est de doctrina, hæc cõmenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Naturaliter enim hoc non tantum in doctrina fieri consueuit, sed in quacũque etiam alia re. Quoniã sunt qui administrandũ vires acceperunt, alij qui peritiam ad gubernandum. Hæc Basilius. ¶ *Sciebas quia homo austerus sum, tollens quod non posui: metẽs vbi non seminaui.* Deus nihil à nobis requirit, nihil postulat nisi bonũ quod in nobis seminauit. Quare seruus iste immerito culpã suam referebat in mores dñi. Verbum ergo istud ait D. Tho. aut intelligendũ est secundum prauam opinionẽ & existimationẽ huius pigri & infidelis serui, existimantis se à dño nihil accepisse, cũ nihil habeamus quod ab illo non acceperimus: aut intelligendũ est quantũ ad hoc, quod Deus à nobis exigat fructꝰ donorũ qui sũt & ab illo & à nobis: quãuis ipsa dona à Deo sint sine nobis. ¶ Verum si accuratius hæc verba perpendamus, quanuis falsò de Deo dicantur vt sonãt, alias tamẽ verissima sunt. Nam reuera Deus, homo austerus dicitur, hoc est, inexorabilis: quod nullũ malũ impunitũ relinquat: metit etiã vbi non seminat. Eo quod ex nostris sceleribus prauisquẽ actionibus maximã sibi gloriam metit. Simili quoque modo gloriam congregat vbi non sparsit peccata: ordinando tũ vitia, tũ peccata nostra in gloriã suã. Itaq; dñs in omnibus gloriã suã augere contendit: siue benẽ siue male negotiemur. Exigit enim pœnas à seruis malæ fidei, quibꝰ pecuniã suã crediderat vt per illos cresceret. ¶ Sed si verbum istud intelligamus secundũ prauã opinionẽ huius serui reuera, vt modo dicebamus, mentiebatur. Nam nõ austerus sed potius mitissimus est Dñs. Discite (inquit) à me quia mitis sum, & humilis corde: quare immerito dñm austerũ esse iudicauit. Hinc est vox illa domini Iob. 40. Nunquid irritum facies iudicium meum, & condemnabis me, vt tu iustificeris? Quod si daremus eum esse austerum in præceptis suis: eius austeritas, ait Chrysosto. cõtemni non debuit. Sed homo iste atque eiꝰ sectatores confregerunt iugum: ruperunt vincula vt Hieremias testatur

D Basilius inter rogatione. 252.

Parabolicæ similitudines quatenus accipiendæ.

Solutio persimile.

22. qu. 6. art. 4. ad. 3

An reuera Deus dicatur homo Austerus cum alias sit mitissimus

Math. 11.

Iob. 40.

Chrisost.

Ooo 3

Hiere. 5. statur capite quinto. Praeterea si de more suo tollit, vbi non posuit: multo ergo magis tollit vbi posuit, posuit autem minam ad lucrum: merito ergo lucrum pro rata temporis exiget. Tandem mendacium profert asseuerando, Dominum metere vbi non seminauit: cum in omnibus semen iustitiae naturalis sparserit: quare iure quidem optimo fructu metere affectat.

¶ *Et astantibus dixit: auferte ab illo minam.* Auferte mina ab inutili seruo quando donum quod diuina liberalitate accepit, per inertiam & ignauiam aut perit aut minuitur. Donum namque intellectus minuitur hebetaturque per inertiā: perit autem à memoria decidendo. Donum autem gratiae & virtutis per ignauiam paulatim obstruitur vitijs & tentationibus. Et quemadmodum in horto aliquo bona semina ac bonae stirpes malis suffocantur plantis: hoc idem vsu venire solet in corde nostro: perire solent plātae & semina donorum spiritualiū. Et hoc est quod ait in hoc loco Hierony. auferte ab illo minam. Hoc idem significare voluit Iob capit. 24. Conteratur quasi lignum infructuosum: pauit enim sterilem, & quae non parit. Sterilis reuera est inertia & torpor quorumdam, cui deseruiunt dantque operam sibi ipsis viuentes: nihil de salute aliorum quibus praesunt, curantes. Quare non immerito tanquam arbor infructuosa conteruntur. Hinc dominus apud nostrum Lucam ait. Succide ergo eam vt quid etiam terram occupat.

(Margin: quid do minadata in utili seruo dicatur auferri. — Simile. — Iob. 24. b — Luce. 13.)

¶ *Et date*, inquit, *illi qui decem mnas habet.* Nō numero datur mina ablata sed specie. Qui ille in dies & in virtute & in merito proficit in hac vita. Praeterea in coelesti illa patria non datur mina serui negligentis quantum ad vsum cum ibi omnino merendi tēpus non sit: sed quo ad gaudium & laetitiam. Gaudebunt enim iusti in illa coelesti patria non solum pro donis sibi diuinitus collatis, sed pro muneribus alijs hominibus, aliàs pigris & negligentibus, à diuina liberalitate donatis. Atque hāc ob causam monebat dominus episcopo Philadelphiae: tene quod habes, ne alius teneat coronam tuam. Ac si diceret: acceptum à me donum, siue etiam comparatā per te virtutem, in commodum proximi expēde: labora sicut bonus miles, fidei & praedicationis fructus carpere, ne deficias, vt non alius tibi praecipiat honorem: alioqui velut negligens condēnaberis & non deerit qui loco tui substituatur. Sicut enim expulsis malis angelis illorū coronas possident homines in angelorum loca suffecti: sic enim Deus impleuit illorū ruinas Psal. 109. & sicut corona apostolatus Iudae ablata tradita est Mathiae, vt praedixerat idem vates Psal. 108. sic ad eum modū monetur hic episcopus vt seruet sua merita, alioqui corona dignitatis & gloriae eius auferetur ab eo: & dabitur alteri iusto, vt sit completus numerus beatorum. Sic illud Iob. 34. intelligitur: conteret multos innumerabiles, & stare faciet alios pro eis. Hinc idem dñs ait cuidā episcopo Apoc. c. 2. sin autē, veniam tibi cito. Et mouebo cādelabrum tuum de loco suo, nisi poenitentiā egeris. Vbi per candelabrū intelligunt patres dignitatē ecclesiasticā. Nam per cādelabra, ecclesias significari Apo. c. 1. certū est. Sic Sauli non agenti poenitentiā motū fuit cādelabrū regni Israel & transmissum in Dauidē, à quo non fuit candelabrū, hoc est, regnū ablatū, eo quod egerit poenitentiā memor vnde exciderit. 2. reg. 12. & Ps. 50. Sic Pharaoni, Nabuchodonosor, Balthasāri, ablata sunt candelabra. Sic in hoc loco non lucranti aufertur munus. Vnde addit dñs. Dico autē vobis, quia omni habēti dabitur, ab eo autē qui nō habet, & quod habet auferetur ab eo. Rectè, inquit Beda, amittit collatā gratiā, quā praedicādo alijs cōmunicare neglexit, vt ei augeatur, qui inde laborauit. Iuxta quod angelo Ephesi ecclesiae dicitur: & mouebo cādelabrum tuum de loco suo, nisi poenitentiā egeris. Quadrat etiam quod dñs apud Esaiam ait Sobnae praeposito tēpli. Quid tu hic, quia excidisti tibi hic sepulchrum? Ecce dñs asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinacius: quasi pilam mittet te in terrā latam, ibi morieris. Et expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te. In quae verba legendus est diuus Hieronymus. Huc spectare videntur quae de vestibus sacerdotalibus habentur Exod. c. vigesimo octauo. Vbi super humerale quo

(Margin: Apo. 3. — Psal. 109. — Psal. 108. — Iob. 34. — Apo. 2. Per candelabrum dignitas ecclesiae intelligitur. — Apo. 1. — 2. Reg. 12. Psal. 50. — Beda. — Esai. 22. — Exod. 28.)

quo significatur dignitas humeris imposita sacerdotis & prælati, multiplici catenarum vinculo cum rationali nexum traditur. Per rationale verò quod pectori hæret sufficientia & idoneitas designatur. Sunt autem hæc ita colligata, vt si tollatur rationale, idest, virtus prælati, simul auferatur & superhumerale, idest, dignitas, & donũ à Deo collatum: sicut ablatũ fuit ab hoc inutili seruo.

¶ Dom. in ramis palmarum.

ET his dictis præcedebat ascendẽs hierosolymam. Et factum est: cũ appropinquasset ad Beth, Phage, et Bethaniam, ad montẽ qui vocatur Oliueti, misit duos discipulos, dicens: ite in castellum quod contra vos est: in quod introeuntes inuenietis pullũ asinæ alligatũ, cui nemo vnquam hominum sedit: soluite illũ, et adducite. Et si quis vos interrogauerit, quare soluitis? Sic dicetis ei. Quia dominus operã eius desiderat. Abierunt autem qui missi erant, & inuenerunt sicut dixit illis, stantem pullum. Soluentibus autem illis pullum, dixerunt Domini eius ad illos. Quid soluitis pullũ? At illi dixerunt, quia dominus eum necessarium habet, et duxerunt illum ad Iesum. Et iactantes vestimenta sua supra pullum, imposuerunt Iesum. Eunte autem illo substernebant vestimenta sua in via. Et cum appropinquaret iam ad descensum montis Olueti cœperunt omnes turbæ descendentium gaudẽtes laudare Deum voce magna, super omnibus quas viderant virtutibus, dicentes. Benedictus qui venit Rex in nomine domini pax in cœlo et gloria in excelsis.

Matt. 21. a — Marc. 11. a — Ioan. 12. b

POstquam locutus est Dominus parabolam de mina, pergebat ire hierosolymam, vbi perfecturus erat illud eximium sacrificium pro salute generis humani, & specula crucis, omnia per tracturus ad se. Quanquam enim multi vbique fuerunt, & futuri sint, qui clament factis ipsis: nolumus hunc regnare super nos vt in præcedenti parabola audiuimus: tamẽ nulla est natio tam procul semota à Iudæis, vnde non plurimos pertrahat ad sese. ¶Rursus igitur facto inculcat, quod prius designarat in Zacchæo, quod mox prolixiore parabola præcedenti explicuit. Procurat interim illud Dominus, quod & ante sępe procurauit, vt liqueat omnibus, sese sponte volentem, ac scientẽ pati, quicquid passurus erat, alioqui posse quicquid vellet. Quare prima causa ob quam hodie tam gloriosè triumphatẽ voluit, ea est: vt apertè ostenderet se æquo animo atque alacri mortem pro nobis subire voluisse. Hinc fuit vox illa potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Nemo tollet eam à me, sed ego pono eam à me, & iterum sumo eam. Sed de hoc iam superius diximus.

Quare Christus ante mortem intrare voluit hierosolymam triũphans.

Ioan. 10. Augu.

¶ Deinde hoc tam admirabili facto ostendere voluit Dominus quod triumphaturus erat in cruce de morte, de mundo, de diabolo: ac morte sua liberaturus peccatores obnoxios morti. De qua re vi. August. 13. de Trin. cap. 14. & 15. ¶ Tertio, quoniã decreuerat Dominus per summam ignominiam ac deiectionem asserere sibi summam apud homines gloriam, & discipuli nondum ad plenum capaces huius mysterij, nescio quid magnificum ac præclarũ iuxta mundum expectabant à Domino, voluit ante mortem ad tempus illorũ blãditi. vel illudere afferre & irridere huius mundi gloriam: ostẽdens quam sit inanis & infida, quum tantos applausus, tam honorificas acclamationes, tantum populi studium mox secuta sit crux. ¶ Quartò, cum triumpho pergit Christus dominus ad mortẽ vt doceat nos debere morti occurrere & non expectare vt nobis renuentibus & inuitis ipsa occurrat. De morte non timenda lege Senecam libro tertio epistola. 26. libro etiam. 4. epistola. 32. admonet huius vitæ cursum percurrendum esse: atque quam pulchra res sit consumare vitam ante mortem, deinde expectare securum reliquam temporis sui partem, vide locum. Libro denique. 8. episto. 62. docet quomodo sapiens debet habere animum paratum ad mortem. Desinamus, inquit, quod volumus velle. Ego certe id ago senex, eadem velle, quæ puer volui. In hoc vnum eunt dies, in hoc noctes, hoc opus meum est, hæc cogitatio, imponere veteribus malis finem. Id ago, vt mihi instar totius vitæ, sit dies. Nec me tanquam vltimum rapio, sed sic illum aspicio, tanquam esse vel vltimus possit. Paratus exire sum, & ideo fruor vita, quia quãdiu futurum hoc sit, non nimis pendo. Ante senectutem curaui, vt bene viuerem, in senectute vt bene moriar. Bene autẽ mori est libenter mori. Da operam, ne quid vnquã inuitus facias, quicquid necesse futurum est. Repugnanti nõ volẽti necessarias est, in volente necessitas non est. Itaque sic animum componamus vt quicquid res exiget, id velimus, & imprimis finem nostri sine tristitia cogitemus, ante ad mortem quam ad vitam præparandi sumus. Vt satis vixerimus, nec anni nec dies faciunt, sed animus. Hæc ille.

Augu. 13. de Trini. c. 14. & 15.

Seneca.

¶ *Præcedebat ascendens hierosolymam.* Ad mortem vadit dominus Iesus & tanquam strenuus dux præcedit suos milites. Vt discant principes & magnates populũ præcedere in actionibus studiosis & arduis. Debent esse similes hircis maioribus qui præcedunt capras, & viam præparãt. Vnde in sacra scriptura ea ob causam hirci appellantur. Ex quo fit, vt vbi editio vulgata apud Zachariam habet: super hircos visitabo, poterat latinè verti ex Hebræo super principes visitabo. Aspicis igitur principes & præsules ob eam causam hircos appellari quia præcedere debent, & viam subiectis aperire, esseque in principio tanquam clypeos totum exercitum protegentes. Eam ob causam clypei vocantur. Et in Psal. 46 vbi nos legimus. Quoniam dij fortes terræ vehementer eleuati sunt: potest verti ex Hebræo quoniã Deo adhæserunt clypei terræ, vehementer eleuatus est. Quos in principio carminis ptincipes populorũ vocat, eos nũc clypeos terræ appellat: quod eorum virtute populi muniantur. Et apud Oseam, vbi nos habemus: dilexerunt afferre ignominiã protectores eius: potest verti: clypei eius, pro quo Pagninus vertit: principes eius.

Princeps præcedere debet populum in virtute.

Zach. 10.

Psal. 46.

Osea. 4.

¶ *Ite in castellum quod contra vos est.* Contra pro coram siue ẽregione hic accipitur. Sic Ezech. 7. ponam contra te abominationes. Hoc est, ponam coram te scelera tua. Psal. 50. & peccatum meum contra me est semper, hoc est, peccatum meũ assidue video, semper coram me habeo, dies ac noctes mihi ante oculos versatur. Et Ecclesi. 6. Si humiliauerit se contra te. Et Matth. 27. Sedentes contra sepulchrũ. Nec solum, hoc est, in literis diuinis, sed etiam in humanis. Vt apud Virgiliũ: vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere Coloni, Carthago. Italiam contra. Hoc est ẽregione Italiæ. Et in Psal. 49. Arguam te & statuã contra te faciem tuam. Ac si diceret: Ostẽdam tibi flagitia tua, & statuam te coram te, vt ea valeas aspicere. In Genesi vbi nos legimus de Nemrod. erat robustus venator coram domino. Legit Augustinus lib. 16. de ciuitate Dei. Iste venator contra dominum.

Contra quid in sacra scriptura significet.

Ezech. 7.

Psal. 50.

Eccle 6.

Matth. 27

Psa. 49.

Gen. 10.

Augu.

minum. Hoc deprompsit Augustinus ex translatione septuaginta quæ habet: iste erat Gigas venator contra Dominum. In Græco enim pro contra Dominum, est ἐναντὶ κυρίου. Et paulo post: ἐναντίον κυρίου. Dictio enantion significat contra, & coram. Vnde enátios significat contrarium. Quare vtroque modo potest é Græco in latinum transferri, Sed rectius est vt transferatur coram domino, siue in conspectu domini. Quod si dicas contra dominum, contra pro coram accipiendum est.

¶ *Abierunt autem qui missi erant & inuenerunt stantem pullum, &c. & duxerũt illum ad Iesum.* Nec moueat quod Matthæus & asinam dicit & pullum, cæteri autem de asina taceant. Nam sæpe quod vnus Euãgelista narrat alter tacet. Tacuit ergo Lucas & alij Euangelistæ de asina de qua Matthæus locutus est. Vbi ergo vtrũque factum potest intelli, nulla repugnantia est, nec si alius aliud, & aliud alius commemoraret: quãto minus vbi alius vnum, alius vtrumque. Lege de hac regula diuũ Augustinum lib. 2. de consensu Euangelistarum cap. 66. Quare argumentum á negatione nullius est momenti. Quamuis enim Lucas solum narrat quod iactauerũt discipuli vestimenta sua super pullum nõ inde fit quod alij nõ proiecerint vestiméta sua & ramos in via. Quod narrant Matthæus & Ioannes.

Concordã tur Matthæus & Lucas, & alij Euangelistæ.

Augu.

¶ *Et iactantes vestimenta sua super pullum, imposuerunt Iesum.* Nõ sine maximo mysterio Apostoli pullum ornauerunt vestimentis suis non iussi, & ipsum Dominũ desuper sedere fecerunt. Lege Euangelistas singulos, lege expositores omnes sacros, & non reperies Christum mandasse Apostolis, vt pullum suis vestibus adornarent: sed tantum vt adducerent. Vt edoceremur reuera non delinquere sacerdotes & præsules Ecclesiæ si cum rudem quem libet ad sacramenta adducũt vestibus suarum precum, supra verba sacramẽtorum adornent, quo sessorem Iesum aptius mereantur suscipere. Vnde D. Hiero. De his pullo & asina disserens ait. Postquam apostolicas suscepere vestes, pulchriores facti dominum merentur habere sessorem. Vestis autem apostolica vel doctrina virtutũ vel editio scripturarum intelligi potest: sicut ecclesiasticorum dogmatum varietas, quibus nisi anima instructa fuerit, sessorem habere dominũ non meretur. Hæc ille. Sed ais si hæc vestimenta imagines erant obseruantiarum Ecclesiæ, cur non recipimus veteres obseruantias? Quod sic dicat dominus. Nouis superuenientibus vetera proijcientur. In cuius figuram hodie iam insedente domino, & eũte, Iudæi in via strauerunt vestimenta sua conculcãda sub pedibus: at Apostoli instrauerunt sua pallia iumento. Vnde diuus Anselmus ait. Vide quod super iumentum ponet ãt Apostoli vestimenta sua: sed sub pedibus iumenti cętera turba Iudaica ponit vestimenta sua: quia mandatis Apostolorum instruimur Christiani & ornamur: legis autem mandata conculcamus, dum carnales obseruationes & circuncisionem reprobamus. Ornemur igitur ecclesiasticis præceptis, ceremonijs, & obseruantijs, alijsq; dogmatibus: vt Christum sessorem promereamur. Audiamus Augustinum dicentem in illum locum Psal. 141. Tu cognouisti semitas meas: vis vt ducat te per ipsas semitas? Esto mitis, esto mansuetus: noli esse ferox, noli esse superbus, noli excussa & erecto ceruice incedere, sicut equus & mulus quibus non est intellectus. Cum fueris mitis cum fueris mansuetus insidet Dominus, & diriget te per vias rectas. Si igitur mitis pullus aut asina esses o heretice non excussa ceruice sicut pullus ferox apostolicas vestes, hoc est, preces sanctas, ieiunia, Psalmos, dies festos, templa imagines, cultus vestium, sacerdotum benedictiones, aliaque id genus excuteres sed potius his sanctis actibus doctrinam Saluatoris nostri Dei ornares, vt Paulus admonet in epistola ad Titum cap. 2. De huiusmodi fugiendis grande præceptum fert Aposto. in. 1. ad Timo. dicẽs: Hæc, inquit, doce & exortare: si quis aliter docet, non acquiescens sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei quę secũdum pietatem est doctrinæ, superbus est, nihil sciens, sed langens circa quæstiones, & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspitiones malæ, conflictationes hominum mente corrup-

Vestes Apostolorũ impositæ super pullum quid significabant.

D. Hiero.

Leui. 26.

Anselmus.

Augu.

Ad Tit. 2.

1. Timo. 6

 torum.

ptorum,& quia veritate priuati sunt, existimant quæstum esse pietatem. Tandem tu autem homo Dei, hæc fuge. Quod sub interminatione hæc fugere docet & acquiescere sermonibus Domini nostri Iesu Christi: adijciens, & ei quę secundum pietatem est doctrinæ, doctrinam & traditionem voluit intelligi.

Lege tho. Vualden. de sacramentalib. in præfatione.

¶ *Et imposuerunt Iesum.* Iumenta mansueta nos esse vult dominus (inquit Augustinus) sed iumentum domini, id est, esto mansuetus: & sedebit ille super te, ipse reget te ne offendas & eas in præceps. Pullus asini es sed Christum portans. Nam & ipse in pullo asinæ venit ad ciuitatem: & fu ta illud iumentum mansuetum. Sit igitur vir pius asinus domini & nõ sit equus & mulus quibus non est intellectus, (vt Psalmista ait) sit mitis, sit mansuetus, & nõ erigat ceruicem. Equus enim & mulus erigunt ceruicem aliquando: & sua ferocitate excutiunt a se sessorem suum. Domantur frænis, chamo, verberibus, donec discant subijci: & portare dominum suũ. Tu autem antequam fręno tribulationum & ærumnarum tundantur ora tua, esto mansuetus: & porta dominum tuum, & ipse te portabit, & deducet in sanctam ciuitatẽ illam Hierusalem cœlestẽ, per bona opera, & quemadmodum asellus qui ferebat dominum, minime à præcedentibus & cõsequentibus laudabatur, sed ille qui portabatur audiebat, Osanna fili Dauid: benedictus qui venit in nomine domini, ita tu qui portaris à domino in Hierusalẽ cœlestem, noli ab hominibus laudari: sed laudes & præconia ad illum referenda procura. ¶ Tandem hoc facto mansuetudinem suam ostendere voluit esse Rex noster vectus hodie non equo sed pullo. Quod idẽ etiam verbis prædixerat Zacharias Propheta. cap. 6. dicens: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis. Hunc aduentũ regis nostri in mansuetudine, postulabat olim sanctus Iob cum dicebat: Auferat à me virgam suam, & pauor eius nõ me terreat. Quę verba explicans D. Gregor. ait, per legem quippe virgam Deus tenuerat, cum dicebat: si quis hæc, vel illa fecerit, morte moriatur. Sed incarnatus virgam

Augusti. Pullus & asinus significãt mãsuetos fideles super quos sedet dñs.

Psal 31.

Vide August. in Ps. 33.

Sessio christi super pullũ esse regẽ mansuetum significabat, Zach. 6.

Iob. 9.

Grego.

A abstulit, quia vias vitæ per mansuetudinem ostẽdit. Vnde etiam per Psalmistam dicitur: Intende, prospere procede, & regna: propter veritatem, & mãsuetudinem, & iustitiam. Timeri quippe quasi Deus noluit, sed quasi pater vt amaretur inspirauit. Quod liquido Paulus dicit: Nõ enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorũ, in quo clamamus, abba pater. Vnde in eodem loco idem Iob apte subiungit: Loquar & nõ timebo eum. Vir enim B sanctus, quia humani generis Redemptorem venire mitem conspicit: non metum ad dominum, sed affectum ad patrẽ sumit & timorem despicit, quia per adoptionis gratiam ad amorem surgit. Hinc Ioannes ait: Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. Hinc Zaccharias dicit: vt sine timore de manu inimicorum nostrorũ liberati seruiamus illi. Quod benẽ in Elisæo Sunamitis filiũ suscitante signatur: qui cum baculo puerum mittens extincto filio vitam minime redidit: per semetipsum veró veniens, seC quẽ super mortuum sternens, atque ad eius membra se colligens, huc illucque deambulans, & in ore mortui septies aspirans: hunc ad rediuiuam lucem, protinus per ministerium compassionis animauit. Author quippe humani generis Deus, quasi mortuum puerum doluit: cum extinctos nos iniquitatis aculeo miseratus aspexit, & quia per Moysen terrorem legis protulit, quasi per puerum virgam misit. Sed puer cum baculo mortuum suscitare non valuit, quia Paulo attestante: nihil ad perfectũ duxit lex. Ipse autem per D semetipsum veniens, & super cadauer se humiliter sternens, ad exequãda sibi mortui membra se colligit: quia cũ in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se equalem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens: in similitudinem hominum factus & habitu inuentus vt homo. Huc illucque ambulat, quia & Iudæam iuxta, & longẽ positas gentes vocat. Super mortuum septies oscitat, quia per apertionem diuini muneris, gratiæ septiformis speciem in peccati morte iacentibus aspirat. Moxque viuens erigitur: quia

Psal. 44.

Rom. 8.

1 Ioan. 4.

4. Reg. 4. Figura.

Heb. 7.

Philip. 2.

quia is quem in terroris virga suscitare non potuit, per amoris ipsum puer ad vitam rediit. Dicat itaq; beatus Iob, ex sua, dicat ex voce humani generis: auferat a me virgam suam, & pauor eius non me terreat: & non timebo eum. Et rursus dicamus nos iam illi: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus sedens super asinam & pullum, quare non est quod timeas virgam eius, sed potius lætare quoniam virga sua, virgam exactoris superabit, imo confringet: sicut in die Madian. Hunc eũdem aduentum postulauit idem Iob. c.13. dicens: Manum tuam longè fac a me, & formido tua non me terreat, idest, percussionis duritiam remoue a me, formidinis pondus tolle, sed irradiante gratia dilectionis, spiritũ securitatis infunde: quia si longè a percussione & formidine non fuero, scio quia a districtione tui examinis non abscondar: quoniam in conspectu tuo iustus esse nõ valet, qui tibi nõ per dilectionem sed per formidinem seruit.

Grego. 9. Mora c.31 & 32.

Iob.13.

Greg. 12. mor. c. 22.

¶*Et cum appropinquaret iam ad descẽsum montis Oliueti, cœperunt omnes turba discentium gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus quas viderãt virtutibus, dicentes. benedictus qui venit rex in nomine domini: pax in cælo: & gloria in excelsis. Et quidam pharisæorum de turbis, dixerunt ad illum, magister, increpa discipulos tuos. Quibus ipse ait. dico vobis, quod si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Obserua, quod pueri Hebræorum & rudis turba, ac simplices Apostoli sunt qui inflatis buccis laudant modo Christũ. Ex ore enim infantium & lactentium (vt hodie testatus est Dominus quod alter Euangelista retulit) perfecit Deus laudem suam: siue (vt in Hebræo habetur) fundauit suam fortitudinem. Quod nõ sine magno mysterio factum est. Vt nimirũ ostenderet quod per homines rudes, & simplices ac paruulos fidei mysteria inducturus erat in mundo. Si enim per homines potẽtes, & nobiles aut eruditos Deus euangelicæ fidei mysteria induxisset mundo, poterant dicere inimici fidei, quod non ipsa perse vicisset veritas, sed vi potentiæ, aut sapientiæ, aut eloquentiæ secularis introducta fuisset, quasi per violentiam in mundum, quemadmodum de impijssima illa secta, quam ab authore, Mahumeticã vocamus. a Christi fidelibus dicitur, & verissimè dicitur. Nunc verò dum per hominũ simplicium, & impotentum atque ignobilium ora, veritatem fidei per vniuersum orbem fecit Deus superuincere, mirum in modum laudem suam perfecit, & fortitudinem suam stabiliuit & commẽdauit. Atque hoc est quod Paulus Apostolus cõ pluribus in locis testatur. Veluti c. 1. epist. 1. ad Corin. vbi fideles suos alloquens, ait, Videte vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, vt ea quæ non sunt destrueret, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius. Atq; iterum cap. 2. Et ego fratres, inquit, quum venissem ad vos, veni non in sublimitate sermonis aut sapientiæ, annuntians vobis testimoniũ Christi. & sermo meus & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiç verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis: vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Et iterum alio in loco, loquens de cõmissa sibi gloria euangelicæ administrationis: habemus (inquit) thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. Dum verò ita hæc sanctis Apostolis atque discipulis Domini aptamus, nemo nos existimet iniuriam facere, aut contradicere verbis Domini, qui pharisæis respondens (vt Matth. narrat) pro Hebræorum pueris piũ sibi Osanna in templo acclamantibus, versum præ dictum Psalmi. 8. paruulis istis Hebræorũ applicabat, dicens, Nunquã legistis, quia ex ore infantium, & lactentium Deus perfecisti laudem tuam? Nequaquam enim huic Saluatoris aduersamur sentẽtiæ, nã & de illis paruulis loquitur ad literã. Arbitror tamen puerulos istos in Hierusalẽ clamantes, figuram fuisse paruulorum illorum, per quos erat proclamãdum Osanna (idest diuina laus & vera salus annuntianda) non intra solius Hierusalem angu-

quid laus ista puerorum ac turbæ, atque discipulorum præsagiret, explicatur.

1. Cor. 1.

1. Cor. 2.

2. Cor. 4.

Matth. 21.

Psa. 8. Declaratur hic locus ad longum.

sta

sta menia, sed per latissima terrarum spacia: de quibus paruulis Christus dominus patri suo confitetur in euangelio, dicens, Cõfiteor tibi patre dñe cœli & terrę, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, ita pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Et de his paruulis puto principaliter intelligi Psalmum præsentem, magis quam de pueris illis ad horam clamantibus. Neque enim valde sunt destructi inimici scribæ & pharisæi per illorum horariũ clamorem, qui silentio mox finiebatur ad increpationem pharisaicam. Imo istorum clamorem à domino maxime permissum arbitror, vt figuram subsequuturi clamoris & prædicationis aliorum nostrorum paruulorum, per quos sibi laudem perfectam facere decreuerat. Vnde & illud quod impresentiarũ adiecit Saluator. Dico autem vobis, quod si hi tacuerint, lapides clamabunt, forsitã euangelicam prædicationem respicit: vt hoc sermone significare voluerit Dominus, si Iudæorum paruuli si turbæ si discipuli sui clamare noluerint, gentiles annũtiaturos pro eis, & in eorum locum subrogandos, vt clament, vt euangelicam veritatem prædicent: id quod iamdiu impletum cernimus. Cessant enim Iudæi, & vltra clamare nolunt: atque ideo lapides leuauerunt vocem, neque desinunt clamare. Gentiles enim per lapides rectè nouimus significatos, propter cordis olim in idolatria alijsque vitijs obstinati, duriciẽ. Vnde & Ioan. dicebat: Potens est Deus de lapidibus his suscitare filios Abrahæ: nihil dubium quin significare volens, si Iudæi quibus prædicabat nollent pœnitentiam agere, suscitandos esse ex gentibus, qui verum fierent Abrahæ semen, & veri secundum fidem Patriarcharum filij.

Matth. 11. Matth. 3.

¶Sed roget forsitan aliquis, quur sanctos Apostolos infantes vocet Propheta & Christus dominus in illo loco Psalmi, quibus tale os datum est à domino suo, cui non possent resistere omnes eorum aduersarij: ita vt vniuersa sacerdotum synagoga nihil inueniret, quo vel vnius illorum posset refellere sermonem. An verò ita fari, infantium est? Rursus quomodo lactentes dici possunt, quibus non vt imperfectis lac erat in pabulum, sed potius vt perfectis solidus cibus? Perfectorũ enim (cuiusmodi ipsi fuerunt) est cibus solidus. Cũ enim aduersus inimicos & vltores perficere debebant illi laudem, non iam de illorum numero esse poterant, de qualibus dicit Apostolus, tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Verum huic quæstioni dupliciter responderi potest. Primum quidem, vt illos consideremus secundum eum gradum in quo ante spiritus aduentum præfuerant, verè infantes, verè paruuli, verè lactentes, & lacte opus habentes. Quum enim tunc fuerant, vt ita dicam, infantes, Petrus mõstrauit cum tertio interrogatus nec semel quidem fari potuit, quod fari debuit, vt promiserat audacter. Quam autem paruuli, quam lacte opus habentes, quam non capaces cibi solidioris, docet toties increpata eorũ ruditas, & tarditas. Quare, inquit Dominus, non intelligetis? Nec dum intelligitis? Adhuc & vos sine intellectu estis? Quare dubitatis modicę fidei? Quid est quod cõquiritis inter vos? Item quod in fine iam abscedens, dicebat: Iam non multa loquar vobiscum. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Quid enim hoc est aliud, quam tãquam paruulis tantum lac in potum do, non escam? Non enim capere potestis. Et tamen ex ore horum infantium, horum lactentium ipse Deus suam laudem perfecit & stabiliuit per vniuersam terram. Dedit enim infantib⁹ istis linguas ferreas, & infatigabiles, & infantium linguas fecit discretas: lactantis autem ablactauit, & solido spiritualis sapientię cibo cõfirmauit, inque viros perfectos fecit excrescere. Potest & altera via ipsa quæstio dissolui, ex ipsa significatione vocabulorum. Infans enim hoc loco non amplius quam paruulum significat vel iuuenem. Nam Græcè est νήπιον, quod frequenter in sacris euangelijs paruulus vertitur, vt illic reuelasti ea paruulis, &c. Sinite paruulos venire ad me. Similiter & quod in Hebræo habetur vllim, proprie non significat impotentem ad loquendum, sed tantum iuuenem siue paruulum: propter quod secundum similitudinem, etiam virgulta, sic nõnunquã appel

Infra. 21. 1. Cor. 3. Matth. 26. ibidem. Matth. 15. Marc. 8. Marc. 9. Ioan. 14. Matth. 14. Sap. 10. Matth. 11. Matth. 19.

appellatur, teste Ioanne Reuchlino in rudimentis Hebraicis. Quod autem paruuli fuerint Apostoli, non est ambiguum: quando quidem à præceptore audierunt constituto paruulo in medio, nisi cōuersi fueritis, & efficiamini velut paruulus iste, nō intrabitis in regnū cælorum. (Matth. 18) Vnde ex his paruulis vnus, etiam cum iam gentium doctor esset, dicebat, facti sumus tanquam paruuli, in medio vestrum. (1. Thess. 2; 2. Cor. 10) Et alibi. In facie humilis sum inter vos. De lactentibus autem, non magna quæstio est, non enim lac semper pro infirmiori doctrina & imperfectorum cibo, vt in loco Pauli supra allegato, accipitur. sed interdum generaliter doctrinam omnem salutarem significat, quæ tum propter candorem veritatis, tum propter dulcedinem saporis, recte lac dici potest. Vnde cum Petrus suos monet, deposita omni malitia, sine dolo, lac concupiscere, vt in eo crescāt in salutem, (1. Pet. 2) manifestum est, non imperfectam in illo doctrinam tantum significari. Similiter & de eo dici potest, quod Dominus clamat apud Esaiam dicens: (Esai. 55) Venite, emite absq; argento, vinum & lac. Eadem enim sapiētia salutis, & vinum & lac rectè dicitur: (Iud 9. Psal. 103) Vinum, quia lætificans & fortificans cor hominis: lac verò, quia dulcis & suauis, & enutriens corda potentium. Ex ore ergo istorum paruulorum & lactentium perfecit dominus Iesus laudem suam. Quorum typus & figura erant paruuli Hebræorum & turba simplex & rudes Apostoli hodie magnificantes dominum. ¶ Hi sunt pueri illi quos olim spiritu prophetico ad diuinas laudes ob beneficium nostræ redemptionis incitabat Dauid cum canebat: (Psal. 112) Laudate pueri dominum, laudate nomen Domini, &c. Quarū laudum causam reddens addit: quis sicut dominus Deus noster qui in altis habitat, & humilia respicit, in cœlo & in terra. Suscitans à terra inopem & de stercore erigens pauperem. Vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui. Ecce Rex noster iam aduenit, qui sua immēsa bonitate & inæstimabili misericordia, non solum de terra suscitabit, vel exaltabit inopem, nō solum nos, qui puluis & cinis sumus exaltabit ad gloriam & immortalitatem, sed ad candem

A sublimitatem euehet etiam fœdissimis inquinatos sordibus vitiorum, si modo in humilitate spiritu contribulato, & corde contrito agant pœnitentiam. Quod autē sequitur: vt collocet eum cum principibus cum principibus populi sui, illi respōdet quod in Euangelio ait Dominus: (Matth. 8) Dico vobis quod multi venient ab oriēte & ab occidente, & recumbent cum Abrahā Isaac & Iacob in regno cœlorum. Ob tantum ergo beneficium laudemus Dominū dicamus benedictus qui venit Rex, in no B mine domini. Quoniam venit ad suscitandos nos inopes & erigendos de stercore peccatorum, & ad collocandum cum sanctis in regno suo. ¶ Hanc etiam diem tantæ lætitiæ & iubilationis præuidit idem regius vates Psal. 117. (Psa. 117. Explicatur hic locus Psal.) Hæc (inquit) est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. O domine saluum me fac ò Domine bene prosperare: benedictus qui venit in nomine domini. Hæc est dies illa, de qua fit etiam sermo apud Esaiā, dicētē (Esai. 49.) in tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Quod verbum tractans C Apostolus. 2. Corint. 6. ita subiungit: (2. Cor. 6.) ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. De qua etiam die Romanis scribit dicens: (Rom 13) Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus. Hanc autem diē specialiter Deus fecit, quoniam tempus hoc gratiæ singulari beneficio nobis contulit, vt in eo gaudeamus, & exultemus semper, quomodo nos monet sanctus Apostolus dicens, (Phili 4. a) Gaudete in domino semper, iterum dico gaudete: merito ergo tur D ba ista gaudebat, & maxima lętitia perfundebatur quod tempus tamdiu desideratum adesset. ¶ Quid verò acclamarent addit in illo Psalmo Propheta, & in hoc loco Euangelista. Dicebant enim pueri, dicebant discipuli, dicebant denique qui præibant & sequebantur. Hosiah-na, benedictus qui venit in nomine domini. Vnde aduertēdum est, quod pro eo quod nos habemus in illo versu Psal. saluū fac, in Hebręo habeē Hosiah na (pro quo vulgo nos legimus Osanna) quod significat, salua obsecro. Nam Hosiah, significat salua, vel sal-

saluum fac, &, na, interiectio est blandientis. Quod autem quidam legunt ò Domine, saluum me fac, male legitur. Neque enim lectio Hebræa, illud pro nomen habet, neque Græca, neque etiam latina exēplaria psalterij gallicani correctoria. Simpliciter verò legendum est, ò domine, saluum fac, idest, salua nunc, salutem confer, perfice salutem humani generis, tamdiu à patribus nobis expectatam, libera populum tuum de captiuitate: & perfice opus ad quod missus es à patre. Illud autē quod secūdo loco dicitur, ò Domine bene prosperare, potest exponi secundum actiuam & transitiuam significationem, adhûc sensum, fac nos prosperari in salute per te collata, vel fac nobis prospere cedere hāc salutem per te operatam siue operandam. Cui consentit quod vertit ad marginem fœlix, Dei prosperitatē. Potest tamen proprie accipi, in hunc sensum. Obsecro Domine, prosperum habe successum, & (quomodo in alio Psalmo dicitur) prospere procede, in operatione huius salutis nobis tā topere desideratæ, et tam vehementi desiderio expectatæ. In eo vero quod sequitur. Benedictus, &c. Legendum est: Benedictus qui venit in nomine domi. In tempore præsenti. Non, qui venturus est, vt quidam habent codices. ¶ Laudant hi dominum qui venit, exultant quia venit & petunt saluari. Hæc duo docet Psalmus 125. primum quatuor prioribus versibus. In conuertendo inquit Dominus captiuitatem Sion: facti sumus sicut consolati. Tunc repletum est gaudio os nostrum & lingua nostra exultatione. Tunc dicent inter gentes: magnificauit dominus facere cum eis. Magnificauit dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes. Ecce exultant iusti, ecce lętantur quod Christus dominus venerit. Secundum vero petunt dicentes: conuertere domine captiuitatem nostram sicut torens in austro. Ac si diceret. Tu domine, qui de captiuitate misera genus humanum fecisti liberum, perge quæso cæptum opus implere: & captiuitatem humani generis cōuerte, idest, eos qui adhuc in sua captiuitate detinentur, propter infidelitatem, aut cætera peccata, in quibus per suæ propriæ voluntatis prauitatem adhuc permanent, sub seruitute pristina mortis, peccati, atque diaboli: hos tu dignanter cōuerte, & reduc eos de omnibus finibus orbis terrarum, ac libertatem quam parasti atque donasti omnibus credentibus sancto nomini tuo: conuerte, inquam, vt ad te vndiquaquā confluant, quasi aqua inundans: quemadmodum torrens rapidus, qui ardente sole siccatus fluere cesat: flante australi vēto, qui humectus est, & plubias adducēs, iterum suum fluxum atque rapidum cursum resumit, confluente ex omni parte aquarū copia. Hæc igitur duo quæ in hoc Psalmo canebat olim Dauid, canūt hodie omnes turbæ gaudentes ac dicentes: Osanna benedictus qui venit rex in nomine domini pax in cœlo, & gloria in excelsis. ¶ Hoc quidem mysterium cecinerat idem vates Psal. 52. vbi primum depingit statum huius mundi peruersum ante aduētum Messiæ: deinde optat eius aduentum dicens: Quis dabit ex Sion salutare Israel. Tandē describit lætitiam & gaudium & exultationem de aduentu eius dicens: cum conuerterit dominus captiuitatē plebis suæ, exultabit Iacob & lætabitur Israel. Ecce exultat hodie Iacob & lætatur Israel. Omnes enim turbæ cæperunt laudare Deum voce magna, maximo gaudio perfusæ, dicentes: Benedictus qui venit Rex Israel in nomine domini pax in cœlo, &c. ¶ Alter Euangelista ait, quod qui præibant & sequebantur clamabant dicentes: Osanna, &c. Quo significare voluit Spiritus sanctus tam præcedentes patres, quā nos, seruandos esse per fidem Christi & passionem eius, vnde diuus Paulus in epistola ad Romanos cap. 3. hoc docere volens dicebat: Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionē præcedentium delictorum, in sustentatione Dei ad ostensionem iustitię eius in hoc tēpore: vt sit ipse iustus, & iustificans eū qui est ex fide Iesu Christi. Per sanguinem ergo Christi potuerunt remitti omnia peccata nō solum præsentia sed præterita, eo quod huius sanguinis tam preciosi virtus per

Psal. 125. | Psal. 52. | Tam præcedentes quam sequētes seruātur per fidē Christi. | Rom. 3. | Lege August. & D. Thom. in hunc locū.

per fidem operetur: quam fidem tam patres qui præcesserunt, quam nos qui subsequti sumus, habemus. Vnde D. Paul. in posteriori ad Corint. capi. 4. ait: Habentes eundem spiritū fidei credimus. Fuit enim Christus dominus omnium caput. Et quēadmodum caput influit in membra, tam quæ prius, quam quę posterius capite nascūtur: sic Christus qui est caput nostrum nō solum nobis qui subsecuti sumus eum, sed & antiquis illis patribus in eum credētibus, vitam & iustitiam contulit. ¶ Verum est tamen quod quemadmodum qui anteibant hodie Christum, illum non intuebantur: qui verò sequebantur, in eum oculos figebant: sic fideles illi antiqui fidē habebant implicitam: nos verò illam habemus explicitam promulgato iam euangelio. Primum quidem docet August. lib. 19. contra Faustum capi. 14. Antiqui iusti, ait, sacramentis suis intelligebant venturam prænuntiari reuelationem fidei, ex qua licet adhuc operta, & abscondita, etiā ipsi viuebant. Et infra, tunc ergo occulta erat fides. Nam eadem credebant, eademquè sperabant omnes iusti, & sancti etiam temporum illorum. Nunc autem reuelata est fides, in quam conclusus erat populus quando sub lege custodiebatur. Hæc ille. Præterea D. Paul. ad Gal. 4. comparat fidem illius populi veteris fidei populi noui, illam paruuli vocat, hanc grandioris iā viri, & ne longum faciam. cap. 1. episto. ad Colo. circa finem capi. 3. episto. ad Ephes. circa medium, toto denique capi. 3. epist. posterioris ad Corint. hoc discrimen insinuat. Illud verò secundum, scilicet, post promulgatum euangelium, esse necessariam ad salutem fidem explicitam satis cōstat ex illo Marc. vlti. Prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, qui verò nō crediderit condemnabit. Vbi Bernard. ad Hugo. epistol. 77. Diligenter aduertit, nō esse dictum, qui non baptizatus fuerit cōdemnabitur, sed qui non crediderit, &c. Vt maior quædam necessitas fidei in Euangelium, quam baptismi præscriberetur: fit enim vt sine baptismo quis saluetur, qui s. baptismi suscipiendi non est facultas: at credendi Euangelio tanta necessitas est,

2. Cor. 4. | Fideles antiqui fidē implicitā Christi habebāt, nos autem explicitam. August. | Gala. 4. | Colo. 1. Ephe 3. 2. Cor. 3. | Mar. vlti. | D. Ber.

A vt omni euentu, qui non crediderit condemnatur. Item Ioan. 3. Sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Qui credit in eum non iudicatur, qui autem non credit, iam iudicatus est: quia non credit in nomine filij Dei. Et infra. Qui credit in filium habet vitam æternam, qui autem incredulus est filio non videbit vitam. Et tamen si non est medium ad salutem necessarium, cum possit B inuincibiliter ignorari, vt ex doctrina cōmuni supponimus, potest quis esse incredulus filio, hoc est, credere filium non esse Deum, & in hoc errore saluari, quod falsum est. ¶ Præterea obserua diligenter quod quando Christus dominus magnificatur, atque ab omnibus laudatur, & benedicitur tunc moritur. Quare merito poterat dicere quod Dauid ait Psal. 108. Sicut vmbra cū decliat ablatus sū. Hoc est, sicut vmbra in sua declinatione (qualis est vmbra vespertina) ablatus sū. Christus enim quando apparuit grandis & excelsus, tum è vita sublatus est. En vides quod ante C dies quinque mortis eius clamauit populus, benedictus Rex qui venit in nomine Domini: & deinceps quotidie mane ibat idem populus ad eius doctrinam euāgelicam libenter audiēdam. Et sic ad mortem est ductus, quemadmodum vmbra inclinata: quę cum est maxima tunc deficit. ¶ Adde his, quod Dominus hodie à pueris ac simplicibus extollitur, à senioribus verò statim cruci affigitur. Vt intelligamus quod qui veterem hominem portant, hi sunt, qui Christum crucifigunt: at qui nouum induunt, laudant, magnificant atq; D in cœlum vsque extollunt.

¶ *Ad descensum montis Oliueti.* Vel ad cliuum montis.

¶ *Omnes turba descentium.* Idest, vniuersa turba discipulorum.

¶ *Super omnibus quas viderant virtutibus.* i. factis potentibus.

¶ *Benedictus qui venit.* i. celebrādus, fœlix, beatus.

¶ *Et gloria in excelsis.* i. cum summa gloria & laude agantur gratię patri.

¶ *Cœperunt omnes turbæ descentiū gaudent-*

Ioan. 3. | Lege de hac re cano in 2. parte p relectionis. | Psal. 108. | Caietan.

dentes laudare Deum voce magna, &c. benedictus qui venit rex in nomine domini, &c. Hoc testimonio cõmota ecclesia merito laudes Christi quotidie a mane vsque ad vesperam decantat publicé, duo etiam seraphin imitatur: quos vidit Esaias clamare alter ad alterum, sanctus, sanctus, sanctus, dominus Deus Sabaoth. Plena est omnis terra gloria eius. Ad quorum similitudinem duo chori in ecclesia fiunt, qui per vices alternas cantant, & tanquã duo seraphin alter ad alterum clamant. Expedit enim orationem clamorosam in communi fieri, vt alij hoc audientes excitẽtur ad Dei laudem. Vnde dominus apud Matthæ. ait luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est. Et de oratione ipsa & laude ait Propheta: Benedicam Dominum in omni tẽpore, semper laus eius in ore meo. In Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti & lætentur. Magnificate dominum mecum, & exaltemus nomen eius in id ipsum. Ecce ergo cui rei deseruit illa publica & alta laudum decantatio. Propterea Dauid dicebat: Cantate ei canticum nouum, bene psallite ei, in vociferatione. Præterea, christo nato facta est cũ angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum, & dicentiũ: gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Deinde vt cantus hic magis comprobaretur ipse Dominus cum discipulis suis cantare dignatus est. Nam instante morte sua, post cœnã vltimam hymno dicto cũ discipulis suis, abijt in montem Oliueti. Hymnus Græca vox est Græcé ὕμνος, latiné autem valet tantum ac cãticum, siue laus quæ Deo tribuitur. Vnde Augusti. in Psal. 72. in expositione tituli sic ait: Hymni laudes sunt Dei cum cantico. Hymni, cantus concinẽtes laudes Dei. Si sit laus, & non est Dei, non est hymnus. Oportet ergo vt sit hymnus, vt habeat hæc tria, & laudem, & Dei, & canticũ. Hæc August. Si ergo iuxta Matthæum & Marcum Christus dixit hymnũ cum discipulis suis, inde fit vt cantauerit. Quem imitati postea Silas & Paulus media nocte adorantes laudabãt Dominum: & audiebant eos qui in custodia erant: vt

A mane vsque ad vesperam ecclesia laudes Christi decãtat istorũ exẽplo cõmota.

Esai. 6.

Matth. 5.

Psal. 33.

Psal. 32.

Supra. 2. b

Matth. 26

August.

A narrat Lucas in Actis Apostolorum. c. 16. Et vt omittam alia testimonia, illud vnum citabo, eo cæteris efficacius, quod ab homine extraneo & nostræ religionis inimico prolatum est. Plinius namque secundus in quadam epistola ad Traianum de Christianis tunc (vt sic dicam) nascẽtibus loquens, ait: Affirmabat autem hãc fuisse summam vel culpæ suæ vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem conuenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum inuicem. Hæc ille. Lege concilium

B Agathense cap. 30. de hac re. ¶ Interim tamen obserua, quod non solum vocibus & acclamationibus regem nostrum honore afficiebant: sed vestimẽtis stratis in via, ramisque plurimis quos in manibus ferebant. De vestimẽtis stratis in via habemus aliud exemplum. 4. libro Regum capit. 9. Quando electus est in regẽ Israel, vir quidam nomine Iehu. Festinauerunt, inquit, & vnusquisque tollens pallium suum posuerunt sub pedibus eius, in similitudine tribunalis, & cecinerunt tuba, atque dixerunt. Regnauit Iehu. De ramis autem, le-

C ge apud Plutarchum in vita Thesei vbi enarrantur festa Thesea, in quibus insultabant ramos in manibus habẽtes. 2. etiam lib. Macha. cap. 10. refertur quod cum lætitia diebus octo solẽnem festum celebrãtes thyrsos, & ramos virides, & palmas præferebant ei, qui prosperauit mundare locum suum. Nos igitur exemplo istorũ, vel vestimenta nostra sternamus, eleemosynas in Christi pauperes erogando: vel ramos bonæ vitæ ex arboribus, hoc est, patribus antiquis præscindamus: vel saltem dies noctesque in hymnis & canticis tran-

D sigamus.

¶ *Benedictus qui venit rex in nomine domini.* Terreni homines terrenum cupiunt Messiam. At Messias verus in lege eorum promissus Christus Deus noster non terreę sed cœli diuitias attulit, quæ sunt veræ diuitiæ, quibus gloriam sempiternam consequamur. Zacharias Propheta de Messia loquens ait. Exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalem, ecce rex tuus veniet tibi, iustus & Saluator, ipse pauper, & ascendẽs super asinam, &c. Id quod hodie impletũ esse vides, cũ dominus introiuit hierosolymam

Act. 16.

Plinius. 2.

Castro. verbo cantus.

4. Reg. 9.

Plutarch.

2. Mach. 10

Vere Messias non fuit Rex quales sũt reges huius mundi, sed fuit Rex spiritualis & cœlestis

Zach. c. 9.

lymam sedens super pullum, sternentibus hominibus vestimenta sua in via, & arborum ramos cędentibus, quibus viam tegebant, vt narrat euangelica historia. Cum rex aliquis seculi vrbem celebrem cum regia pompa ingreditur, & magnificé excipitur, fertur sub eleuato pallio ex serico & auro confecto ad aeris intemperiem euitandam, & summum apparatum ostendendum. & ita sub hoc tegumento virgis eleuato incedit princeps, terram videns, nō autem cœlum: nec mirum cum rex sit terræ non cœli. At Christo Deo nostro, cum rex sit cœlestis, qui de seipso ait: regnum meum non est de hoc mundo, non cœlum operiebant pallio, sed terram vestibus: & ramis. Et vt verus Messias paupertatem diligendam ostenderet, nō super equum sedēs introiuit, sed iuxta Zachariæ propheciā, super asinā, & super pullum filium asinę. In eius persona dixerat Dauid: pauper sum ego & in laboribus à iuuentute mea. Vbi igitur sunt apparatus regij? Vbi magnificentia munerum terræ? Vbi phalerati equi? vbi magnificæ pompæ? Vbi militum copiæ? Vbi temporalis regni ornamenta? Si Messias venturus esset mundi diuitias daturus, diceret Zacharias: ecce rex tuus venit, potens, diues, equo, aut curru triumphali vectus, & satellitum turba comitatus. At intelligens Messiā fore spiritualem, & cœlestem regem, & mūdi opes contempturum, eum pauperem, & saluatorem appellauit, omnesque eius apparatus descripsit. Eodem modo Dauid eū inopem fore prædixit, sed mundi scelera deleturum apertissimé ostendit. Ita enim ait: Et ipse redimet Israel, ex omnibus iniquitatibus eius. Dicens, ex omnibus iniquitatibus, declarauit fore Christum animorū redemptorem. Iniquitates enim vincula sunt, quibus impij in dæmonis captiuitate detinentur. Hoc docuit idem Messias per Hieremiam ita dicēs: propitiabor iniquitati illorum, & peccati eorum non recordabor amplius. Et per Esaiam: Deleui vt nubem peccata tua, & quasi nubeculā iniquitates tuas. Hic est Messias in Iudæorum lege promissus, non terrenus, non mundi diuitijs affluens, sed diuinus & diuinas tribuens opes, paupertatem verò in hoc seculo & verbis & factis docens. Hoc intelligens D. Paul. ait. Scitis gratiam dñi nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset diues: vt vos illius inopia diuites essetis. Hunc, regem benedictum vocant turbę, hūc, laudāt pueri Hebræorū, hunc extollunt discipuli in vitis Iudæis dicentes benedictus qui venit rex in nomine dñi. ¶De hoc rege atq; eius regno loquebatur pater cœlestis secūdum aliquos apud Ezechielem cap. 17. his verbis. Sumam ego de medulla cedri sublimis & ponam de vertice ramorū eius: tenerum distringam, & plātabo super mōtem excelsum, & eminentem. In monte sublimi Israel plantabo illud, & erumpet in germen, & faciet fructum, & erit in cedrum magnam, & habitabunt sub ea omnes volucres, & vniuersum volatile sub vmbra frondium eius nidificabit. Sumpsit enim Deus pater Messiam qui secundū carnem fuit ex semine Dauid: & constituit eum regem in Ecclesia catholica: & factus est arbor magna & cedrus excelsa, & mundi salus. Hunc ramum tenerū, hoc est, pium & misericordem, de regia stirpe decerpit, vt plantaret in monte Sion, hoc est, ecclesia catholica: quę fuit tā magnus mons vt de illo diceret Esaias: erit præparatus mons domus domini in vertice mōtiū. & eleuabitur super omnes colles. Hic ramus tam tenerus factus est tam magna cedrus, hoc est, tam sublimis & gloriosus, vt post eius reditum ad vitam diceret: data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Et Paul. propter quod Deus exaltauit illum. Tam sublimis effectus est vt sub illo habitarent omnes fideles: qui quoniā alis fidei & charitatis altius volāt, merito volucres appellantur. ¶Præterea hic est rex ille de quo idē Ezech. ait. c. 37. faciam eos in gentē vnā, in terra, in mōtib9 Israel & rex vnus erit. Cum hac vaticinatione cōuenit id quod ait Sophonias: lætare, & exulta in omni corde filia Hierusalem. Abstulit Dñs iudicium tuum, auertit inimicos tuos: rex Israel Dñs in medio tui, non timebis malum vltra. Et Zacharias: exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalem, ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & Saluator, ipse pauper, &c. Hic est

Ioan. 18. Psal. 87. Psal. 129. Hiere. 31. Esai. 44. 2. Cor. 8. Ezech. 17. Esai. 2. Matt. vlt. Philip. 2. Ezech. 37. Sopho. 3. Zach. 9.

Rex, quem diuini vates prædixerunt esse homines in varijs mundi partibus dispersos in vnam Ecclesiam congregaturum: quemadmodum modo dicebat Ezechiel. & Esaias: Congregabit filios Hierusalem, & dispersos Iuda colliget à quatuor partibus terræ. Non id silentio transiuit Hieremias, sed ita inducit Messiam loquentem: Congregabo eos de vniuersis terris, & reducam ad locum istum & habitabunt confidenter. Et diuinus Psaltes ædificans Hierusalem Dominus: dispersiones Israelis congregabit. Hic Dominus est Rex ille, de quo in adducto loco ait Ezechiel: & Rex vnus erit omnibus imperans. Hic est de quo dicebant Magi Orientales: vbi est qui natus est Rex Iudæorum? Non dicunt: vbi est Rex Iudæorum: sed qui natus est Rex: priusquam enim nasceretur, Rex erat, & iam natus est Rex. De eo dixit Angelus Virgini sanctissimæ Mariæ: Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Et Nathanael apud Ioannem, Christum alloquens, Rabbi, inquit, tu es filius Dei: tu es Rex Iudæorum. Multi sunt in republica Christiana reges & dominatores, sed vnus est omnium Rex regum & dominus dominantium: cui alij parere debent: quem colere & sequi tenentur. Tunc enim Reges & Principes & præsules recte munere suo fungentur, & nomen suum commendabunt immortalitati, cum Christo paruerint, & ei per charitatem adhæserint & in rectæ iustitiæ ac virtutum actiones incubuerint. Fœlix appellabitur regnum, quod tales obtinuerit gubernatores, calamitosum verò quod fuerit à tyrannis gubernatum. Vt homo oculis priuatus manet in tenebris, ita respublica orbata iustis & sapientibus rectoribus circunfunditur caligine. Est enim gubernator oculus reipublicæ: quemadmodum dux oculus exercitus. Eam ob causam Demas insignis orator, cum videret, migrasse Alexandrum Magnum é vita exercitum Macedonum cum cyclope comparauit.

Esai. 11. Hiere. 32. Psal. 146. Matth. 2. Supra. c. 1. Ioan. 1.

¶ *Magister increpa discipulos tuos. Quibus ipse ait. Amen dico vobis quod si hi tacuerint lapides clamabunt.* Iesus piam simplicis turbæ professionem non solum non compressit, sed pharisæorum cæcitatem oblique taxauit, qui non verentur ea, quæ magnificé gerebat Dominus, tribuere beelzebub principi dæmoniorum. Et ideo respondit: qua fronte compescam gloriam merito canentes Deo, & quod à Prophetis olim dictum est, nunc pijs vocibus occinentes? Illud affirmo vobis, adeo Deus non vult hanc laudem suam sileri, vt si homines conticescerent, ipsi lapides clamaturi sint? Et lapidibus duriores sunt, qui tot beneficijs, tot miraculis prouocati, non possunt ad prædicandam Dei gloriam permoueri. ¶ Diuus Augustinus in sermonibus de tempore sermone vigessimo quatto existimat in hoc loco Dominum per lapides intellexisse Gentiles qui postea ad fidem conuersi Christum publicé confessi sunt. Hos enim vocat lapides apud Matthæum idem Dominus dicens: Dico vobis potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ, idest, ex gentibus. Quarum figuram gerebant Petræ illæ qui in morte Christi scissæ sunt. Sic enim appellatæ sunt propter cor durum ac lapideum quod habebant authore Augustino atque alijs. Hoc enim cor lapideum abstulit ab eis Dominus & dedit illis cor carneum. Sed de hoc iam superius diximus.

D. August. Per lapides gentiles intelliguntur. Matth. 3. Matth. 27.

¶ Hac itaque triumphali gloria ac pompa, & huiusmodi stipatu Dominus Iesus ibat hierosolymam. Tantulum enim illi libuit gustare de huius mundi gloria, antequam subiret crucem: & hanc professionem extorsit ab ea gente, à qua mox erat crudelissimé perimendus, vt Iudæi sua ipsorum voce condemnarentur, quod suum Messiam ac seruatorem adegissent in crucem. ¶ Subest autem in hac rerum gestarum historia nó parum mysterij. Asina stabat, stabat & pullus asinæ filius. Asina iam assueuerat sessori, legis iugum ferre solita, nimirum Iudæorum natio. Pullus asinæ filius, quoniam salus à Iudæis cœpit exordium: gentium populus adhuc rudis erat, nec legis iugo præssus, nec per euangelicam obedientiam Iesum sessorem tergo vehens. Vtrumque iumentum

Explicatur allegoricé triumphus iste.

tum erat alligatum; quoniam & synagoga carni legis seruiebat, non aspirans ad libertatem spiritus, & gentes Philosophorum decretis, ac dæmonum cultui erant obnoxiæ. Habebant tunc communes dominos, eosque non paucos. Siquidem in Iudæorum simul ac gentium populis plerique seruiebant auaritiæ, ambitioni, inuidiæ, cæterisque fœdis & inclementibus dominis. Hos iussu domini soluunt Apostoli duo, Petrus Doctor circuncisionis, & Paulus Doctor gentium, dum per fidem euangelicam & baptismum condonant vtriusque omnia peccata vitæ pristinæ, vt soluti post hac mereantur habere sessorem Iesum. Dedit enim hanc potestatem discipulis suis, non solum inter Iudæos, verum etiam inter gentes, vt quicquid soluerent in terris, idem solutum esset in cœlis. Quid autem mirum si priores illi domini non possunt impedire solutionem, quando qui soluunt, illius domini iussu soluunt, cuius voluntati nemo resistit? Illi talibus iumentis opus est, talium dorsis gaudet insidere, qui simpliciter obediunt, qui suaue iugum Euangelicæ doctrinæ libenter accipiunt, qui non ferociunt aduersus sessorem, qui placido incessu corporibus suis portant & glorificant dominum Iesum, donec peruenerint in ciuitatem sanctã & in templum Domini. Non in illam interfectricem prophetarum, sed cœlestem illam, quæ nescit rebellionem. Mundi principes amant feroces caballos, ac bello natos, & edoctos. Dominus Iesus tales amat asinos, qui mites mitem vehant dominum, nec sessorem tergo excutiant. Hanc vectationem rident elati principes huius mundi, rident superciliosi Philosophi, rident tumidi pharisæi, sibique videntur fœlices, quod tergo vehant immitissimum sessorem diabolum, quod tot dominis inclementissimis seruiant, quum vni Domino seruire fœlicitas sit. Nihil his pusillis ac simplicibus fœlicius, postea quam semel soluti sunt á seruitute, postea quam semel tergo receperunt Dominum Iesum. Iuxta mundum asinini generis videntur idiotæ, simplices, nescij fraudis, sed habent rectorem Dominum, qui non sinit illos aberrare; qui non solum dignatur insidere dorsis illorum, verum etiam inhabitare pectora, quæ suo spiritu moderatur. Erant nuda iumenta prius, sed Apostolis suis pallijs conuestiunt, sua doctrina, sanctæque vitæ exemplis eam præparantes conscensuro Iesu, qui quod semel fecit iuxta carnem, nunquam non facit iuxta spiritualem sensum. Via erat aspera, sed hanc quoque discipulis substratis vestibus communiunt, ostendentes facilem esse viam pietatis, si quis per sanctorum exempla ingrediens, subdat se Domino Iesu. Itur per ramos palmarum, per frondes arborum virentes, per semper florentem ac virentem memoriam martyrum, virginum, & confessorum. Quanta enim vis exemplorum offert sese vndique viam pietatis ingressis? Huiusmodi magnam copiam suppeditant ipsi Iudæorum libri gentibus quoque. Aggratulantur huic pullo, quicunque Christum agnoscunt Dominum. Nec hodie desunt pharisęi, neque vnquam defuturi sunt, quos vrat Christi gloria, mallent enim acclamare sibi Osanna in excelsis: benedictus qui venit in nomine Domini: quum non veniant in nomine Domini, sed in nomine suo. Sed Iudæis hodie tacentibus Christi gloriam cui inuident, lapides clamitant, iam facti filij Abrahæ. Hierosolymitæ clamant: Tolle, Tolle, crucifige eum, gentes clamant: benedictus qui venit in nomine Domini. Habet & illud salubrem aliquam significationem, quod ex monte descensus est, deinde iter per planiciem, mox rursus ascensus in montem Sion: nam in hoc extructum erat templũ Domini. Nisi mons haberet oleum vnde fidei lumen aleretur, non esset descensus á fiducia legis, qua tument Iudæi: á fiducia philosophiæ, qua sibi placent gentes. Nam initium profectus ex fide est. Oportet autem accedere ad domum buccę, nam id Syris sonat Bethphage. Hæc enim est bucca, non quæ tumet fastu, sed parturit cõfessionẽ admissorũ. Nec procul abesse oportet á Bethania, quæ dicitur domus obedietiæ. Nõ omnes autẽ obediũt euãgelio. Sed hinc tamen est salutis initiũ. A descensu

censu iter est per planitiem, vndique constratam ramis bonorum exemplorum, donec tursus ascendatur in montem Sion, quæ specula dicitur. Nimirum hoc est illud virtutis fastigium, vnde veluti sublimi specula despiciuntur omnia, quæ mūdus hic ostentat veluti sublimia. Iamque animus cœlo vicinus, contemplatur ea quæ sunt æterna, quæque exuperant omnem sensum humanum.

¶ Domi. 9. post Pente.

ET vt appropinquauit, videns ciuitatem, fleuit super illā dicens. Quia si cognouisses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, et circundabunt te inimici tui vallo, et circundabunt te, et coangustabunt te vndique, et ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt: et non relinquent in te lapidē super lapidem: eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ. Et ingressus in templum, cœpit eÿcere vendentes et ementes, dicens illis, scriptum est, quia domus mea domus orationis est, vos autem fecistis illam spelūcam latronum. Et erat

Matt. 24. a
Matt. 13. a

In illo.
Matt. 21. b
Marc. 11. b

A *docens quotidie in templo.*

VIdens ciuitatem, fleuit super illam. Contemplare obsecro Christi domini summam pietatem. Appropinquans enim hierosolymæ, vidēs eam, vim lachrymarum profudit, quoniam erat eam per Romanos euersurus. Hanc eius misericordiam significare volens apud Esaiam dicebat: Heu consolabor super hostibus meis. Solent homines iniuria lacessiti vltione inimicorum suorum delectari. B Tu verò considera Christi summam pietatem. Volens pœnas sumere, prius ingemit. & plorat. Est enim particula, heu, interiectio dolentis, & plorantis. Hanc eandem misericordiam significare volens idem Esaias ait alio in loco. Vt faciat opus suum, alienum opus eius, vt operetur opus suum, peregrinum opus eius ab eo. Opus alienum ab eo & peregrinum vocat vltionem, quam erat de reprobis sumpturus: opus autem suum appellat misereri & parcere, quemadmodum canit Ecclesia dicens: Deus cui proprium est misereri semper & parcere: non punit Deus C ex animo sed quia ita exigunt peccata nostra. Vult enim vt ait Apostolus, omnes homines saluos fieri. Vnde Hieremias ait: Non enim humiliaui ex corde suo, & abiecit filios hominum. Et Abacuc: Cum iratus fueris misericordiæ recordaberis. Et Dauid, Ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius. Quæ loca ostendunt Deum misereri nostri, non solum quando in nos confert beneficia, sed etiam quando nos punit. Quod sentiens Dauid, Miserationes, inquit, eius super omD nia opera eius. Quem locum diuus Hieronymus ita vertit: Misericordiæ eius in omnia opera eius. Ac si diceret: Nullum est opus Dei, in quo ille non vtatur misericordia. Hanc Christi pietatem & misericordiam imitabantur olim sancti patres atque Prophetæ, qui à longè prospicientes deuastationem hanc Hierusalem à Romanis inferendam mœstissima lamenta intimis gemitibus sotiata, & cū amarissimis suspirijs cōiuncta, Deo dicata flebiliter canebāt, Lege lamenta Hieremiæ, lege etiā Esaiam

Esai. c. 1. Pietas Christi maxime notanda.
Esai. 28.
1. Timo. 2
Threno. 3
Abacuc. 3.
Psal. 29.
Psal. 144.

Esai. 22. Esaiam capi. 22. Recedite à me, inquit, amare flebo. Cum enim hæc deplorabant, animo intuebantur miserabilem illam euersionem & cladem à Romanis inferendam, de qua ita ait Iosephus, oculatus testis: captiuorum quidem omnium, qui toto bello comprehensi sunt, nonaginta & septem millium comprehensus est numerus. Mortuorum verò per omne tempus obsidionis vndecies centum millia. Sed Christus sanctique patres atque vates illi non tam Iudæorum cladem, quam scelera & impietates, ob quas illi in illas ærumnas inciderunt, deplorabant. Vnde Christus flendo dicebat apud Esaiã: in vacuum laboraui sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi.

Ioseph. li. 7. de bello iudaico. c. 28.

Esai. 49.

¶ *Fleuit* (inquit) *super illam*. Considera etiam atque alta mente perpende quod quando hierosolyma erat in maxima quiete, quando maxima diuitiarum affluentia vtebatur, quando venturas sibi miserias ignorabat, tunc Christus eam deplorat: & in illo maximo triumpho, quẽ enarrauimus, lachrymas profudit. Nos igitur non ita gaudeamus, vt tutos nos esse existimemus: quin potius cogitemus fieri posse, vt ex lætitia excidentes subitò in lachrymis versemur, & à potentia ad miseriam recidamus. Id quod euenit hierosolymitanis atque olim Babylonijs qui perpetuum principatum & nominis celebritatem, sibi ipsis pollicentibus, in captiuitatem incurrerunt. De qua re lege Esaiam capitulo quadragessimo septimo. In die ergo bonorum ne immemor sis malorum. Hoc significauit diuus Paulus dicens Corinthijs: Qui gaudent, tanquam non gaudentes. Illa pars vitæ est periculosior, quæ ob nimiam securitatem videtur esse tutior. Multi ex magnis periculis liberi euaserunt, & in magnis procellis constantem vitæ cursum tenuerunt, vt nunquam exciderint. Nam videntes rerum humanarum varietatem, non illis fidebant, quin potius munientes se virtute & consilio, in Deo spem omnem collocabant. At postea obtinentes res prosperas, existimantes se esse securos dederunt se otio & inertiæ: ex quo effectum est vt miserè perirent. Ideo oportet vt in prosperitate meminerimus aduersitatis, ne turpiter excidamus.

In prosperis memores simus malorũ euentuum.

Esai. 47. Eccle. 11.

1. Cor. 7.

¶ *Fleuit super eam.* Iam vides adimpletum quod olim ipse Dominus Iesus apud regium vatẽ dicebat Psalmo. 54. Contristatus sum in exercitatione mea, & conturbatus sum. Pulcherrimè, inquit Cassiodorus, Domini Saluatoris vno sermone vitæ cursus exponuntur. Exercitationem quippe dicimus, quæ nulla remissione nullo otio conquiescit: sed intenta iugi labore in virtutis gloria perseuerat. Exercitabatur namque miraculis, exercitabatur sanctitate doctrinæ: sed contristabatur eo maxime, quia fructum iustitiæ perfidi non probabantur afferre: sicut Euangelista dicit in hoc loco: quod contristatus est super Hierusalem, & fleuit super illam. O bonitatem pijssimi creatoris, vt se contristatum, & conturbatum dicat: quod prædicationibus saluberrimis obstinati populi vesania non credebat. O diuine Isaac quid tanto dolore afficeris ob mortem matris? Venient dies quando adeo diligas Rebeccam, hoc est, Ecclesiam, vt dolorem qui ex morte matris synagogæ hodie accidit, temperes. ¶ *Fleuit super eam.* Flet misericors Dominus super ciuitatem Hierusalem: & tamen stetit sententia & iudicium & ira Dei aduersus eam. Vt hinc intelligamus quam verè sponsa de illo dicebat: Crura illius, columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas. Crura sponsi, viæ sunt illius, scilicet, misericordia & iudicium, siue misericordia & veritas, sicut ait Psalmista: vniuersæ viæ Domini, misericordia & veritas. Nam veritas ipsa est iudicium verum. Crura ista, viæ istæ, columnæ marmoreæ, idest, rectissimæ sunt, atque firmissimæ, nec est qui posset eas infirmare, aut iustè reprehendere: nam iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa. Exempli gratia: cum penderet dilectus iste crucifixus, latronum duorũ medius, alterum ex eis pœnitentem misericorditer suscepit, secumque in paradisum assumpsit, alterum blasphemantem iusto iudicio reprobauit. Cũ similiter populũ quõdã nõ suũ, populũ Gẽtilẽ, credẽtẽ atque confitẽtem assumit, & populũ quondã suum, populum Iudaicum, non credentem imò con

Psal. 54.

Cassio. in Psal. 54.

Gen. 24. Figura.

Cant. 5. Misericordia & iudicium crura sponsi & quare.

Psal. 24.

Psal. 18.

contradicentem atque blasphemantem dereliquit: quis iustè reprehendere quis immutare possit? Nemo vtique, quia rectæ sunt istæ viæ eius vniuersæ. Ergo crura illius columnæ sunt marmoreæ. Quid eo quoque versus, quod ait: quæ fundatę sunt super bases aureas? Bases namque aureæ consilia sunt sapientiæ diuinæ. Denique super huiusmodi bases ita fundatæ sunt illæ mirabiles columnæ, vt in iudicando siue misericordiam faciendo dilectus iste nihil possit à semetipso facere. Flere hodie potuit super ciuitatem Hierusalem, subuersionem & damnationem suæ gentis præuidens, & tamen animum suum inducere non potuit, vt auerteret ab eis iram imminentem. Stabant quippe inflexibilia crura eius tanquam columnæ marmoreæ super bases aureas, idest, non qualis esset humanitatis suę voluntas, sed diuinæ iustitiæ rationes attendebat. Hoc idem significare volens idem Dominus olim cum decreuit destruere Hierusalem, postquam eius deuastationem depingere fecit Ezechieli in latere quodam, addit: & tu sume tibi sartaginem ferream inter te & inter ciuitatem, & obfirmabis faciem tuam ad eam. Per hanc sartaginem intellige iram Dei vrbem hierosolymam euertere decernentis. Cum Iudæi se vitijs contaminassent, quibus obcæcati omnia iura humana & diuina violarent, decreuit Deus constanter euertere eorum ciuitatem: & eos in miseram captiuitatem adducere. Eam ob causam præcepit Ezechieli, vt inter se & ciuitatem describeret murum ferreum, quoniam inter eum & vrbem apponebatur iusta Dei ira: mista tamen pœna & dolore. Vnde Gregorius. Ferrum, inquit, forte metallum est. In sartagine cibus frigitur: per sartaginem ergo ferream spiritualis zeli fortis frixura signatur. Qui Dei aut Doctoris animam frigit, quia valde cruciatur: dum videt infirmos æterna deserere: tẽporalia quærere. Dominus ergo tunc valde cruciabatur videns ciuitatem vitijs contaminatam: sed tamen nullis precibus dimoueri potuit à sua sententia. Hoc idem modo vides: nam videns ciuitatem illam ædificijs magnificam ac splendidam, viris, opibus, ac religionis opinione florentem, superbam rebus præsentibus, ignoratione venturæ calamitatis securam: misericordia motus, illachrimauit: ac verbis abruptis, veluti prædolore singultiens, deplorauit illius exitum. Et tamen ita eius inflexibilis stetit, eo quod ipsa ciuitas obstinata & indomabilis permansit. Tunc enim Dei ita est inflexibilis cum nos obstinati & obdurati manemus. Tunc crura illius tanquam columnæ marmoreæ & tãquam sartago ferrea stant.

Bases aureæ consilia diuina & immobilia.

Rupert li. 5. super Cãti. in. c. 5.

Glos.

§ *Videns ciuitatem fleuit super illam.* Debemus & nos videntes mala proximorum nostrorum deplorare exemplo Christi Domini: qui cum videret Hierusalem in extremam perditionem inductam, ita vt non posset iam ab infirmitate reduci, lachrymas fudit. Cuius exemplo diuus Paulus. Non cessauit per omnem vitam suam eos qui exciderant, & resurgere postea noluerant, deplorare tam amarè, vt hac valida determinatione significaret, & scriberet Romanis dicens: Tristitia mihi est magna, & continuus dolor cordi meo pro fratribus meis: qui mihi cognati secundum carnem. Et rursum: Quis infirmatur, inquit, & ego non infirmor, quis scandalizatur, & ego non vror. Imitemur igitur etiã nos & Dominum nostrum & conseruum. Nam nobis horum lamentorum non parua erit merces. Non enim vulgariter repræhenduntur à Deo, qui absque compassione suorum membrorum mala contemnunt. Amos enim cum alijs reprehensionibus, comessationis & ebrietatis, etiam adijcit reprehensibilem contemptum cõpassionis, sic dicens: Neque compatiebantur super contritione Ioseph, & eos qui habitabãt ciuitatem AEnam propter hoc reprehendit, sicut iterum dicit, quod non exiuit vt ploraret domum contiguam. Si autem ibi Deus irascitur, & reprehendit eum, qui non compatitur ei qui punitur iustè: qua venia dignus erit qui non condolet cũ eo, qui in peccatũ prolapsus est? Neque mireris, si oporteat nos simul dolere cum ijs qui puniuntur: quanuis Deus puniat. Neque enim Deus ipse qui punuit, vult hoc facere. Non enim volo mor

Aliena mala deplorare debemus exemplo Christi.

Ex Chrysost. quod regulares fœminæ viris cohabitent. to. 3.

Rom. 9. a

2. Cor. 11.

Amos. 6. b

Ezech. 18

mortem peccatorum, dicit. Si igitur qui vindictam sumit, non vult vindictam sumere, multò magis nos veniam concedere oportet his qui puniuntur: forte hac via illos eripiemus, forte reparabimus. Incipiamus igitur luctuosum hoc canticum neque enim confundemur cum Hieremia hoc facere, & Esaia, & Paulo, & in primis cum Domino nostro. Incipiamus igitur & dicamus: væ tibi anima: ad quam vocata es dignitatem per benignitatem Dei? Qualem reliquisti? Qualem accipies regionem propter ignauiam tuam? Væ tibi quia ipse te ad thalamos traxit spirituales. Tu autem teipsam ab hac gloria abrupisti, & inducta es in diaboli ignem, & ad incurabilia supplicia: vbi planctus & stridor dentium, vbi nullus qui consolaturus est, qui ve manum porrecturus: sed tenebræ omnia & perplexitas, & turbatio, & mala: neque consolationem, neque finem habentia. Hæc tibi omnia mundi fecit amicitia, quia prætulisti cœlo terram, & noluisti audire vocem sponsi continuò admonentis. Nihil enim vobis & præsentis seculi rebus commune. Quis te miseram, & calamitosam misereri potest postea? Nam & si ipsum videas Noe, qui in communi totius orbis diluuio totam domum saluauit, & in hac ira patrocinantem, & si Iob, & si Danielem, cumque illis Moysen & Samuelem, & si Patriarcham Abraham, nullus tibi manum postea porriget. Etiam si genere illum attingas, etiã si filia sis, etiam si soror, etiam si suppliciũ multum, sicut diues ille omnia frustra & inuanum facies. Quomodo excedisti é cœlo, quæ non sicut Lucifer, neque sicut mane oriens, sed ipsis solis fulgoribus plus radiare potuisses. Quomodo sedes deserta? Atque adeò haud quis aberrauerit, si in captiuam hanc animam & plura lamenta quam quæ in ciuitatem illam dicta sunt, transferat. Lege etiam de hac re Chrysosto. homilia. 18. ad populum Antoichenum.

Supra 16.

¶ *Videns ciuitatem, fleuit super eam.* Non mirum quod Christus dominus deplorauerit ciuitatem quam erat deuastaturus, quum esset pietate & misericordia plenus: quando idem fecisse viros AEthnicos & infideles legamus. Narrat diuus Augusti. lib. 1. de ciuitate cap. 6. & lib. 3. c. 14. Marcum Marcellum qui Syracusas vrbem ornatissimam cepit, eam prius fleuisse ruituram, & ante eius sanguinẽ suas illi lachrymas effudisse. Apud Virgilium etiam pius AEneas laudabiliter dolet, hostem etiam sua peremptum manu. Vt discant iudices, discant reges, discant denique prælati cum aliquem iustè punire statuũt: communem cogitantes conditionem flẽdo eius misereri. ¶ *Videns ciuitatem fleuit super illam.* Non tam deflet Dominus vastationem murorum & ædificiorũ quam desolationem ciuium impiorũ, qui ob suam impietatem deleti omnino sunt. Vt hinc discamus, vt Chrysosto. ait, quod virtus sola inhabitantes ciuitatem ornat. Ciuitas enim quantuncunque splendida nõ habens pios ciues omni villa vilior est, & quacunque spelunca ignobilior. Qualis erat hierosolyma. Imo non solum ipsa ciuitas, sed quod erat omni ciuitate venerabilius, ipsum hierosolymitanum Dei tẽplum tam splẽdidum & magnificum pro nihilo habitum est. Illud anquam, templum, in quo sacrificia, & orationes & cultus, vbi sancta sanctorum, & Cherubin & testamentum & phiala aurea, magna indicia diuinæ circa genus illud prouidentiæ. Vbi oracula supernè continua ferebantur, vbi Prophetæ diuini fiebant: vbi non humanæ artis apparatus, sed diuinæ sapiẽtiæ expressio erat: vbi multo parietes vndique fulgebant auro, & supra omnem modum, tum materiæ preciosissima species, tum artis diligentia coniunctæ singulare super terram templum huiusmodi tunc fuisse demonstrauerunt: imò verò non artis tãtum diligentia, verum & Dei sapientia simul illud ornauit ædificiũ. Nõ enim ex proprio, nec à semetipso, sed à Deo cuncta Salomon discens & descriptionem cælitus capiens, sic ipsum designauit & erexit. Verũtamẽ tẽplũ tã pulchrũ, & mirabile, & sanctũ, vt ẽtibus ipso perditis tãtæ ignominiæ habitũ est, sicque contẽptũ & prophanũ redditũ, vt ante captiuitatem quidem spelunca vocaretur latronum, & spelæũ hyænæ, post hæc verò barbaricis, & immũdis, & prophanis manibus

D. Augu.

Iudicis & maiorum conditio qualis.

Sola virtus inhabitantes ciuitatem ornat

Chrysost. ho. 17. ad populum Antiochen.

Matth. 21

traditum sit. Vis & de alijs ciuitatibꝰ hoc idem discere? Quid sodomis & coniūctis ciuitatibus fuit præclarius? Etenim domꝰ & ædificia splendida & parietes pulcherrimi apud ipsos erant, & regio pinguis, & fertilis, & paradyso Dei assimilata. Cella verò Abraham vilis & parua, & nullū habens munimen. Sed exorto quandoque bello barbarico, vrbes quidam mœnibus munitas suffoderunt, & ceperunt barbari, & incolas captiuos facientes abierunt: solitudinis autem ciuem Abraham ingruentem non pertulerunt. Nec immeritò: multitudinis enim & murorū munimine multo maiorem vim habebat, pietatem scilicet. Virtus ergo est quæ splēdidam ciuitatem & illustrem facit, nō ędificia: qua deficiente deflet dominus: & ira commotus illam deuastare definit.

¶ *Si cognouisses & tu.* Quemadmodum scilicet, ego cognoui diem perditionis & desolationis tuę. Atque hoc est quod olim ipse dominus per os Dauidis Psal. 58. dicebat. Deus ostendit mihi super inimicos meos: ne occidas eos, ne quando obliuiscātur populi mei. Disperge illos in virtute tua: & depone eos, protector meus domine. Delictum oris eorum, & sermonem labiorum ipsorum: & comprehendātur in superbia sua. Primo quidem versu significat Christus dominus sibi ostensam à patre vindictam, quam esset facturus aduersus Iudæos de qua impresentiarum intelligebat: ipse verò orat, non prorsus occidi, nec prorsus deleri populum Iudaicū, sed vel reliquias remanere, ne penitus in obliuionem veniat populus eius, & ne in totum repulisse ac repudiasse videatur populum suum, quem olim habuit tam peculiarem: pœnam tamen dispersionis in omnes gentes, & humiliationis, in priuatione regni, admittit, in versu sequenti dicens. Disperge illos in virtute tua, & depone eos, protector meus domine. Et reddere volens causam addit. Delictum oris eorum, sermonem labiorum ipsorum. Vbi subaudienda est præpositio propter, vt sit sensus: propter delictum oris eorū, & propter sermonem labiorum ipsorum disperge illos, &c. ¶ Cæterum, vt ad nos connectatur oratio, si cognouisses & tu ò peccator mala, quæ dominus cognouit, in te ventura, forsitan pœnitentiam egisses: si attendisses quæ tibi expediunt, eaque animo & ratione perpenderes defleuisses vitam maleactam: disce igitur o miser & cognosce, quod discendum atque cognoscēdum Persius increpat dicens.

Psal. 58. Exponitur locus prædicens desolationē Iudæorum.

August. 2. de ciuitat. c. 6.

Disciteq́, ò miseri, et causas
cognoscite rerum,
Quid sumus, aut quid nāvi
cturi gignimur, ordo
Quis datus, aut metæ quam
mollis flexus, & vnde:
Quis modus argēto, quid fas
optare, quid asper
Vtile nummus habet: patriæ
charisq́, propinquis
Quantū elargiri deceat, quē
te Deus esse
Ius sit, et humana qua parte
locatus es in re.

¶ *Si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi. Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Figura aposiopesis quam latini reticentiam vocant: cum inter nos ea supprimimus, quæ dicturi videbamur. Ita Dauid cum teneretur ardēti desiderio adeundi ad templum Dei, à quo ob Saulis impietatem abesse cogebatur, eamque ob causam dolore premeretur, ait: Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum vbi ponat pullos suos. Altaria tua domine virtutum, Rex meus & Deus meus. Ac si diceret: Inueniūt aues locum, vbi cubilia sibi nidosq; construant, vt possint cum pullis suis conquiescere: at ego ad aras tuas, in quibus acquiesco, domine exercituum Rex meus & Deus meus: subaudi: adire nō possum. Nō perfecit orationem ob dolorem & singultus: nam animi affectio verba solet interrumpere. Sicut illud. Ego ne illam, quę illum,

Figura aposiopesis

Psal. 83.

Ezech. 18. illum, quæ me, quæ non Et Ezechi. c. 18. ait dominus: Si erit vobis vltra parabola hæc in prouerbium. i. si deinceps hoc vtemini in prouerbio, ego in vos grauiter animaduertam. ¶ Vult ergo dominus dicere his verbis: si tu quoq; cognouisses quẽadmodum ego cognoui húc tuum diem, quæ tibi pax offertur, ac remissio pristinorum criminum, studeres amplecti quod offertur. Nimirum hic tuus dies est, quo prouocaris ad pœnitentiam, & inuitat te Dei bonitas ad resipiscentiam animique dolorem, inuitat autẽ extremo gradu benignitatis, ad quem nihil potest adiungi. Toties abs te spreta Dei clementia, nouo quodam modo dignatur te inuisere, vt saltẽ hac ratione mitescas. Veniet alius dies, non tuus, sed Romanorum, & vltionis diuinæ, quo pœnas dabis omnium scelerũ tuorum, quæ cumulare quam deplorare maluisti. Nunc autem ne diem tuum agnoscis, nec illum nõ tuum prospicis, quoniam vterque absconsus est ab oculis tuis, quos habes præsentis fœlicitatis temulentia cęcutientes. Nec recordaris præteritorum malorum, quæ commisisti, nec prospicis futura, quæ tibi imminent: nec agnoscis præsentem Dei erga te benignitatem, quam quoniam pertinacissimẽ spernis, ó ciuitas immedicabilis, venient alienigenæ, aduersum te, qui tibi adferent exitiũ insperato. Caueamus & nos, diem diuinæ pacis agnoscamus, pœnitentiam agamus ne veniat super nos repentina calamitas, & exitium sempiternum: timeamus diem illum vltionis diuinæ absconsum ab oculis nostris, quo ni sapimus condignas pœnas dabimus.

¶ *Et quidem in hac die tua.* Habet (inquit Gregorius) in hac vita diem suum anima peruersa, quæ transitorio gaudet in tẽpore: & lætifera carnalis delectationis perfruitur iucunditate. Hinc est quod Saluator noster præuaricatrici Hierusalem, destructionis suæ iustum excidium comminans ait in hoc loco. Et quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi. Diem enim suam ille tunc populus habebat, quia in rerum labentium opulentia confidens, quiete & successu gaudebat. Quorum nimirũ oculos prosperitas clauserat: vt nec visitationis suæ tempus cognosceret: nec imminẽtium malorum contritionem videret. Sicut enim cordis oculos flagella aperiunt, sic mentis aciem aliquoties successus prosperi retundant: adeo vt seipsam mens cognoscere non valeat: quam prosperitatis mundanæ oblectatio captiuat. Hinc namque Salomon ait: Auersio paruulorum interficiet eos: & prosperitas stultorum perdet eos. Israeliticum ergo populum prosperitas perdidit: cuius in die sua oculos ne futuri excidij vastitatem cognosceret clausit: hæc est dies de qua Hieremias ait: Diem hominis nõ desideraui. Hi sunt dies de quibus rex Dauid intelligebat cum dicebat. Quia defecerunt sicut fumus dies mei. Per dies suos hic vult intelligi omne tempus quo mandata Dei postposuit: & funestis periturarum rerum accensus desiderijs, sibi non Deo militans carnaliter vixit. Fumus sicut est omnibus notum in altum se inprimis erigit: sed cito deficiens quasi non fuerit euanescit. Sic nimirum sic humana superbia cum rerum opulentia intumescens se in altum extulerit á statu suæ celsitudinis corruens ad ima ruit. Hinc namq; per semetipsum veritas ait. Omnis qui se exaltat humiliabitur: & qui se humiliat exaltabitur. Hinc per Prophetam scriptum est. Vidi impium superexaltatum: & eleuatum sicut cedros Libani. Transiui & ecce non erat: quęsiui eum & non est inuentus locus eius. Qua in re pensandum est peruersorum potentia qualiter destruitur, quorum nec locus quidem post modicum inuenitur. Quod in desolatione & deuastatione Hierusalem videre est. Transit ergo dies peccatoris sicut fumus. Trãsit eius gloria & prosperitas: quare dicat anima fidelis: in quacunq; die inuocauero te velociter exaudi me: quia defecerunt sicut fumus dies mei. Cognoscat diem suam esse vanam, transitoriam, & perituram & conuertatur ad dominũ & miserebitur eius. Quia Hierusalem hanc diẽ suam non cognouit miserabiliter perijt.

Gregor. in Psal. 5. Pœnitẽtialiũ. anima peruersa habet suã diẽ suam.

Pro. 1.

Hiere. 17.

Psal. 101.

Supra. 14.

Psal. 36.

¶ *Quia venient dies in te: et circundabunt te inimici tui vallo, et circundabunt te, et coangustabũt te vndiq;, et ad terrã pſternent te, et filios tuos qui in te sunt: et non relinquẽt in te lapidem super lapidẽ.*

Exitium Hierusalẽ contigit ob occisionẽ Christi. Thren. 1.

Hoc exitium Hierusalem contigit ob tantum tamque immane flagitium quod cõmiserunt impij Iudæi occidendo verum regem suum. Peccatum peccauit Hierusalem (vt Hieremias ait) propterea instabilis facta est. Sicut enim tũc temporis propter infidelitatis peccatum à Chaldæis est omnino deleta, sic modo deuastata est à Romanis, quod credere noluerunt Christo, imò quod eum immaniter interfecerũt. Quod si sanguis Abel qui effusus est super terrã clamabat aduersus Cain: quãto magis clamaturus erat sanguis filij Dei? Væ ciuitati sanguinũ, olim dicebat Ezechiel: sanguis enim eius in medio eius est, super limpidissimam petram effudit illum. His calamitatibus oppressa est hierosolyma quia plena est sanguine Prophetarum, maxime sanguine Christi quem ad interitum publicè vocauit: ideo subdit: super limpidissimam petram effudit illum. Non effudit illum super terram, vt possit operiri puluere. Per terram videlicet, & puluerẽ peccatores, per petram vero limpidissimam iustum signans, qui grauibus peccatorum contagijs non exasperatur. Sãguinem ergo ciuitas ista sanguinum super limpidissimam petram effudit quãdo innocentem Iesum interfecit. Propterea hæc dicit dominus: Væ ciuitati sanguinũ cuius ego grandem faciam pyram. Congere ossa quæ igne succendam, cõsumentur carnes, & adcoquetur vniuersa compositio, & ossa tabescent. His verbis indicat acerbissimas Iudæorum ærumnas. Nam tunc Babylonij deinde Romani feri & immanes olim propter sanctorum sanguinẽ quem effuderunt Iudæi, modo propter Christi domini sanguinem, ad eorum cædam rapti sunt. Hæc Iudæorũ pœna qua propter interitum Christi affecti sunt, describitur Psal. 68. vbi postquam prioribus versibus Propheta descripserat pœnas attrocissimas, quas Iudęi regi suo Christo intulerunt, adiungit illorum pœnas & ærũnas dicens: Obscurentur oculi eorum ne videant: & dorsum eorum semper incurua. Effunde super eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta: & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet: quoniam quem tu

Gen. 4.

Ezech. 24.

Greg. 15. mor. c. 15.

Ezech. 24.

Psal. 68.

A percussisti persecuti sunt: & super dolorẽ vulnerum meorum addiderunt: appone iniquitatem eorum, & non intrent in iustitiam tuam. Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur. Præterea Psalmo. 108. à versu. 5. vsque ad. 19. similiter prædicit Propheta attrocissimas pœnas quas daturus erat Iudæorum populus ob Christi mortem. Constitue, inquit, super eum peccatorem & diabolus stet à dextris eius, &c. Hoc idem describit idem vates Psalmo. 34. nouem prioribus versibus.

B ¶ Quod si has pœnas dederunt impij Iudæi, quas obsecro dabunt impij Christiani, qui post notitiã veritatis Deũ suis prauis actionibus iterum cruci affigunt? Minus enim, ait Augustinus, peccauerunt Iudęi crucifigentes in terra ambulantem: quam qui contemnunt in cœlo sedentem. Quod si ille interitus antiquus à serpentibus, & ab exterminatore illa perditio, & gladij trucidatio, si hæc Hierusalem deuastatio figuræ fuerunt & in figura (vt Apostoli vtar verbis) contingebant illis: quanto maiori diligentia pietatis (vt Augustinus ait) cauendæ sunt pœnæ, quarum figuræ illæ fuerũt.

C Proculdubio quippe sicut in bonis rebus, multo amplius bonum est in eo quod per figuram significatur, quam in ipsa figura: ita & in malis longè vtique peiora sunt quæ significantur figuris: quum tanta mala sint etiam significatæ figuræ. Nam sicut terra illa promissionis quo ille populus ducebatur in comparatione regni cœlorum nihil est, quo Christianus populus ducitur: ita & pœnę illę, quæ figuræ fuerunt cum tam sint attroces, in comparatione pœnarum quas significant, nihil sunt. Si (vt Origenes annotauit)

D qui maledicebat patri aut matri, morte olim moriebatur: quid illi facient, qui Deum patrem maledicis vocibus lacessunt? Irritam quis faciẽs legem Moysi (vt Paul. ait) sine vlla miseratione, duobus vel tribus testibus moritur, quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratię contumeliam fecerit? Scimus enim eum qui dixit: mihi vindictam & ego retribuam: horrendum

est

Psal. 108.

Lege Augusti. Caieta. Titelmanum super hos Psalmos.

Maiores pœnas dabunt quã Iudæi impij christiani.

Augu Psal. 68. ser. 2.

Orig. hom. 11. in Leuiti.

Heb. 10.

est incidere in manus Dei viuentis. ¶ Cæterum non sine magna causa factum est vt nõ solum perderet Dominus Iudæos propter crimen in quod inciderunt, sed ipsa vrbis mænia, templum, ædes, superbaque ædificia solo æquauit, quod idẽ olim propter scelus & flagitium Sodomorum fecerat: nimirum vt non solum (inquit Chrysosto.) qui id temporis superstites essent, sed & posteri item locorum vastitate admoniti, continentiores viuerent. Si enim ad homines solos supplicium peruasisset, futurum erat, vt factum id postea ab alijs minime crederetur: propterea locus ipse & vrbs ipsa plagam accepit, qui tempore prorogari potest, quique & subsequentia omnia secula admonet, lege cautum esse, vt qui similia commiserint peccata, ij similes pœnas luant. ¶ Sed peculiari alia ratione accidit vt tota Hierusalem terrena, quę typus & figura erat Hierusalem cœlestis, hoc est, Ecclesiæ catholicæ, penitus deuastaretur adueniẽte vera Hierusalem. Omnia enim in figura contingebant illis, quare adueniente figurato cessare & corruere debebat figura. Sicut hi quibus artificium est (inquit Origenes) signa exære facere, & statuas fundere, antequam verũ opus ęris producant, aut argenti, vel auri, figmentum prius luti ad similitudinem futuræ imaginis formant, non quod figmentum necessarium sit, sed vsquequo opus quod principale est, expleatur: cum autẽ fuerit effectum opus illud propter quod figmentum luti fuerat formatũ, vsus eius vltra non quęritur, tale aliquid intellige etiam in his quæ in typo futurorum gesta sunt. Erat prius Hierusalem vrbs illa magna regalis, vbi templum famosissimũ Deo fuerat extructum. Postea verò quam venit ille, qui erat verum templum Dei, & dicebat de templo corporis sui, soluite templũ hoc: & quia cœlestis Hierusalẽ cæpit aperire mysteria, deleta est hęc terrena, vbi cœlestis aparuit, in templo illo non remãsit lapis super lapidem. Ex quo verum tẽplum facta est caro Christi. Erat prius Pontifex sanguine taurorum & hircorum purificans populum, sed ex quo venit verus Põtifex, qui sanguine suo sanctificaret credentes, nusquam est ille Pontifex prior,

D. Chrys. lib. cõtra gentes.

Ho. 10. in Leui. Simile.

Ioan. 2.

A nec vllus ei relictus est locus. Altare fuit prius & sacrificia celebrabantur: sed vt venit verus agnus, qui seipsum hostiam obtulit Deo, cuncta illa veluti pro tempore posita cessauerunt. Non ergo tibi videtur quod secundum figuram, quam supra posuimus, veluti formæ fuerint quædam ẽ luto fictæ, per quas veritatis exprimerentur imagines? Propterea denique diuina dispensatio procurauit, vt & ciuitas ipsa, & templum & omnia illa pariter subuerterentur, ne qui forte adhuc paruulus, & B lactens in fide si videret illa constare, dum sacrificiorum ritum, dum ministeriorum ordinem attonitus stuperet, ipso diuersarum formarum raperetur intuitu. Sed prouidens Deus infirmitati nostræ, & volens multiplicari Ecclesiam suam, omnia illa subuertisecit, & penitus aufferri, vt sine vlla cunctatione illis cessantibus hęc vera esse, pro quibus in illis typus præcesserat, crederemus. Hæc Origenes. ¶ Sed quærat hic aliquis quare Deus qui tam misericors est, vrbium desolationem & deuastationem permittat: cum in eis sint non scelerati tantum sed etiam plurimi iustitia & C sanctitate præstantes. Ad quod Augustinus ait id accidere vt mali puniantur propter scelera propria, boni verò quia non correxerunt aliena. Item quia nihil mali inde bonis eueniat, etiam si omnibus bonis externis spolientur: etiam si trucidentur: etiam si inhumati relinquãtur. Vt docet idem Augustinus. ¶ *Quia non cognouisti tempus visitatiinis tuæ.* Ac si apertiꝰ diceret Dominus: erunt hæc quę dixi quidem miseranda, sed tuo merito accidẽt: eo quod toties prouocata, olim per Pro- D phetas diuersos, nunc etiam per Ioãnem, ac Messiam tuum, obstinatè spernas Dei misericordiam. Senties igitur tempus vindictę, quę tempus visitationis nosse nolueris. Poteras & ipsa amplecti salutem oblatam. Nunc saltem tuo exitio salutiferum exemplum præbebis alijs, ne simili modo spernant Dei bonitatem ad meliora prouocantem. Obserua: quod quando visitat nos Dominus prospera bona tribuendo, prędicatores sanctos qui nos doceant mittendo, &c. vt nos ad se trahat, atque ad amorem suum alliciat: & nihil prodest nobis:

1. de ciuit. c. 9.

1. de ciuit. c. 10. 11. & 12.

Quando prosperitate Dñs nos visitat & non conuertimur, aduersis visitat vt conuertamur

bis: sed potius Dei bonitate abutentes in peccatis obdurati manemus: tunc visitat nos ærumnis vt ad eum cõuertamur: iuxta id quod Dauid ait: Conuersus sum in ærumna mea dum configitur spina. De hac visitatione loquebatur Dominus quum dicebat per Esaiam quid facietis in die visitationis, & calamitatis, de longinquo venientis? Idest, quid facietis ô Iudæi qui non cognouistis tempus visitationis vestræ salutaris, in die visitationis de longinquo veniẽtis per Romanos? Eodem modo Hieremias capi. 6. Tempus afflictionis, tempus visitationis his verbis appellat: in tempore visitationis suæ corruent, dicit Dominus: & cap. 23. Afferam super eos mala, annum visitationis eorũ. Obserua, calamitatem magnam, vocat in prædicto loco Esaias eam, quę venit de lõginquo. Vt enim fluuius magnus ortum habet in locis remotis, longéque distantibus, & paulatim vires auget, & longius latiusque propagatur, donec rapidissima inundatione omnia secum rapiat, & in immensum mare trudat, sic acerba & luctuosa calamitas veniens de longinquo paulatim crescit donec omnes oblectationes absorbeat, & in vastum ærumnarum gurgitem profundat. Cognoscamus igitur tempus, quo nos Deus sua misericordia visitat in hac vita, ne veniat super nos tempus illud & dies ille, quem Propheta Sophonias vocat diem iræ, diem tribulationis & miseriç, angustiæ & calamitatis. ¶ *Quia non cognouisti*, inquit, *tempus visitationis tuæ*. De hoc conquerebatur olim Dominus apud Esaiam cap. 1. dicens: Cognouit bos possessorem suum & asinus præsepe Domini sui Israel autem me non intellexit. Arguit Israelis ingratitudinem & ignorãtiam brutorum comparatione. Quid stolidius boue? Quid stupidius asino? Et nihilominus eos cognoscunt qui eis tribuunt beneficia: at Israel Deum à quo innumera beneficia acceperat non cognouit, & populus meus non intellexit. Si esset populus extraneus non esset ita mirũ. Sed est meus, quod amplificat criminis grauitatem. Non fuisse autem Christum notũ à Iudæis ipse apud Ioan. in hunc modum testatur: hoc facient vobis, quia non

Psal. 31. | Esai. 10. | Dies visitationis vocatur dies afflictionis. | Hiere. 6. | Hiere. 23. | Simile. | Sopho 1. | Esai. 1. Ingratitudo reprehenditur. | Ioan. 16.

A

nouerunt patrem neque me. Etijdem Iudæi dicebant apud Ioan. hunc autem nescimus vnde sit: & in hoc loco ait non relinquent super te lapidem super lapidem, eo quod nõ cognoueris tempus visitationis tuæ. Egressis Iudæis ex Aegypto dedit illis Deus in deserto panem de cœlo, de quo ait. d. vates. Pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis: panẽ angelorum manducauit homo. Viso autẽ cœlesti pabulo dicebant filij Israelis: Manhu? Quod significat quid est hoc? Ignorãtes & rei nouitate commoti quid illud esset inuicem querebant. Habes hanc historiam Exo. 16. & quoniam illa (vt ait Paul.) in figura contingebant illis, per panem illũ cœlestem Christus significabatur, qui de seipso ego sum, inquit, panis viuus qui de cœlo descendi. Quid igitur per illa Iudæorum verba significabatur nisi venturum esse tempus, quando Iudæi de pane illo cœlesti Christo seruatore nostro dicerent: quid est hoc? Tu quis es? Hic nescimus vnde sit. Anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo. Voluit Spiritus sanctus figura illa ostendere Iudæos nõ esse Christum cognituros quod hic per Lucam ipse testatur, & per Esaiam loco superius adducto. Non cognouerũt autem eum quia malitia obstinati, eum cognoscere noluerunt. De illis enim est in lib. Sapiẽtiæ monimentis mandatum. Excæcauit illos malitia eorum & sacramenta Dei ignorauerunt. Atq; obid maximas pœnas tulerũt. Cum domum domini cui es seruiturus ingrederis, & alios plorantes ob pœnas quas dare non cessant vides: alios verò exultantes ob maxima premia sibi à domino collata, interrogas causam: vt à priorum delicto caueas, & nouissimorum sequaris virtutem. Si ergo vides Hierusalem pœnas tam acerrimas dare, quod non cognouerit tempus visitationis suæ: nosce tu tempus visitationis tuæ, ne in simile incidas calamitatis exitium.

¶ *Et ingressus templum capit eiicere vendentes & ementes*. Hoc facto Dominus declarauit, quantam perniciem adferant Ecclesiæ, qui sub pretextu pietatis studẽt fœdo quæstui, qui sub titulo religionis suũ agunt negocium, non pascentes gregem, sed

Ioan. 9. | Psal. 77. | Exo. 16. | 1. Cor. 10. | Ioan. 6. | Figura. Num. 21. | Sap. 2.

B C D

sed deuorantes,& in syncera doctrina perimentes animas, quas syncera debebant viuificare. ¶Obserua, quod non fuit sine maximo mysterio quod correcturus dominus sacerdotes, non correxit eos, sed vendentes: quemadmodum olim non est maledictus Chan Noe filius, sed Chanaan puer, propter sacerdocij reuerentiam. Sacerdotes enim secreto, laici verò publicè sunt reprehendendi. ¶ Præterea non sine causa aut mysterio non eiecit eos de templo virga, vel lapide, vel baculo aliquo sed funiculis quãtum est credibile, vt iam alias fecerat, quod narrat Ioan. cap. 2. Vt ostenderet quod ideo eos templo eijciebat, quod essent multis peccatorum vinculis irretiti. Quæ omnia in figura contingebant illis. Quare si figura erat illud templum, vt verè erat, manifestum est, inquit Augustinus, quia & corpus Christi quod est verum templum cuius illa imago erat: habet permixtos ementes & vendentes: idest, sua quærẽtes non quæ Iesu Christi. Sed excluduntur inde flagello resticulæ. Restis enim peccata significat, sicut dicitur per Prophetã: Væ eis qui trahunt peccata velut restem longam. Illi trahunt peccata sicut restem longam, qui addunt peccata peccatis: qui cum fecerint vnum peccatum, vt cooperiant illud faciunt aliud. Quomodo enim vt restis fiat additur spartum sparto, nõ autem in rectum it: sed torquetur: sic omnia praua facta quæ sunt peccata cum adduntur sibi, & addendo peccatum peccato, & peccatum ad peccatum annectitur fit restis longa: quorum semitæ prauæ, & flexuosi gressus eorũ. Quo valet autem ista restis nisi vt inde ligentur ei manus & pedes & proijciatur quisque in tenebras exteriores? Meministis enim de quodam peccatore in Euãgelio dictũ: ligate illi manus & pedes, & proijcite illũ in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. Non ergo esset vnde illi ligarentur manus & pedes, nisi ipse sibi restem fecisset. Vnde apertissimé alio loco scriptum est: criniculis peccatorum suorũ vnusquisque constringitur. Ergo quia de peccatis suis homines vapulant, ideo Dominus flagellum de resticula fecit: & inde expulit de templo omnes qui sua quærebant: non quæ Iesu Christi. ¶*Domus mea domus orationis vocabitur.* Reuera Ecclesia catholica domus Dei est, templum Dei est. Omnes credentes & Deum diligentes (vt author est Augustinus) tanquam lapides sunt viui: de quibus templum Dei ędificatum est: & tanquam ligna imputribilia, quibus arca illa compacta est: quæ in diluuio mergi non potuit. Hoc autem tẽplum est, idest, ipsi homines, vbi rogatur Deus & exaudit. Quisquis enim pręter tẽplum Dei orauerit Deum, non exauditur ad illam pacem supernam Hierusalem, & si exauditur ad quædam temporalia quæ Deus & paganis donauit. Nam & ipsi dæmones exauditi sunt vt irent in porcos. Exaudiri ad vitam æternam aliud est, nec cõceditur nisi ei, qui in templo Dei orat. Ille autem in templo Dei orat, qui orat in pace Ecclesię, in vnitate corporis Christi: quod corpus Christi cõstat ex multis credentibus in toto orbe terrarum & ideo exauditur: quia orat in templo. Ipse enim orat in spiritu & veritate, qui orat in pace Ecclesiæ, non in illo templo vbi figura erat. Secundum enim figuram dominus exclusit homines de templo, illos qui sua quærebant. Quod templum iam cecidit adueniente vero templo, in illo priori corporali figurato. Cecidit ergo domus orationis nostræ? Absit. Non enim illud templum quod cecidit, hoc potuit dici domꝰ orationis de qua dictum est, domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus. Audistis enim quid dixerit Christus. Scriptum est: domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus: vos autem fecistis eam speluncam latronum. Nunquid illi qui voluerunt facere domũ Dei speluncam latronum, fecerunt vt rueret templum? Sic & illi qui malé viuunt in Ecclesia catholica, quantum in ipsis est domum Dei volunt facere speluncam latronum: nec ideo euertunt templum. Veniet enim tempus quãdo de peccatorum suorum reste foras mittentur. Augusti. in præfatione Psalmi. 130. ¶*Domus mea domus orationis vocabitur.* Locus hic secundum translationem septuaginta citatur à Matthęo, Marco, & Luca, præsertim si addas sequentia, cunctis gẽtibus. Quæ addidit

Marginalia: Non sine mysterio Christus eiecit emẽtes & vendentes de templo funiculis, Ioan. 2. — August. in Psal. 130. præfatione. — Esai. 5. — Simile. — Matth. 22 — Prov. 5. — Ioan. 2. — Phili. 2. — Augusti. Ecclesia catholica verum tẽplũ est.

dit Marcus, vt significetur vocatio gentium ad Ecclesiam. Vnde planior est ista interpretatio septuaginta, quam Hebraica versa à Hieronymo. s. domus orationis vocabitur cunctis populis. Nam licet vtraque translatio sit vera idem significás, verior tamen est quam citat Marcus, vt dicatur domum Dei futuram domum orationis cunctis nationibus quæ ad fidem erát vocandæ, iuxta illud: ite prædicate euangelium omni creaturæ, cui domus Dei, futura erat domus orationis.

¶ *Vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Lugendum sané est vt Ecclesiæ sacerdotes qui aurum & lux esse debebant, ita diabolo, sua auaritia subdantur, vt latrones à Domino appellentur. Quare meritó de ipsis dici potest, quod Iob loquens de diabolo sub nomine Leuiathan, ait: sub ipso erunt radij solis. Sternet sibi aurum quasi lutū. Quid per solis radios nisi acumina sapientium demonstrantur? Quia enim multi qui in sancta Ecclesia luce sapientiæ resplendere videbantur, auaritia capti Leuiathan istius se ditioni subijciuntur recté dicitur: sub ipso erunt radij solis. Ac si aperté diceretur: hi qui intra sanctā Ecclesiam per acumina sapientiæ quasi radios videbantur lucis aspergere, & per autoritatem dignitatis desuper resplendere, suis immoderatis desiderijs terrenisq; lucris diabolo famulātur. Toties veró Leuiathan istius pedibus se radij solis subdunt: quoties hi qui doctrinæ vel dignitatis videntur lumine splendere obliti cœlestium, terrena ambiunt. Rursum: auri nomine splendor dignitatis & sanctitatis accipitur: de quo splēdore loquebatur Hieremias cum dicebat: Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optim9. Aurum enim obscuratur cum consequentibus iniquitatum tenebris dignitatis & sanctitatis pulchritudo deseritur. Principes ergo Ecclesiæ per aurum significatos sternit quasi lutum diabolus, quando terrenarum rerum cupidos reddit. Quando eos multiplicare facit non sua, ac congregare sub religionis specie & sanctitatis pietatisque prætextu diuitias: quas vocat & meritó, Abacuc cap. 2. densum lutum. Lege si libet Gregorium lib. 34. Moral. c. 7. & 8. Vbi hunc locum Iob explicat prolixé. ¶ Cæterum tu fidelis qui in domo Dei habitas cura diligēter ne illam facias tuis impijs ac immoderatis lucris speluncam latronum. Caue obsecro ne huius seculi dulcedo fauces tuas indulcet. Nam in magnam amaritudinem tandem cōuertetur. Ecce peccasti & lucrum fecisti. Quid est quod fecisti lucrū? Vt lucrū faceres offendisti Deū: vt augeres pecuniā fides aut religio aut charitas diminuta est: & aurū crescit. Quid perdidisti? Et quid acquisisti? Quod acquisisti aurū vocatur, quod perdidisti fides aut charitas aut religio vocatur. Cōpara has spiritnales diuitias auro: si venales essēt hæc diuitiæ innūdinis haberēt precium. Lucra tua cogitas, damna tua nō cogitas? De arca gaudes, de corde non plāgis? Abundat nescio quid in arca tua, sed vide quid imminutū sit in corde tuo. Cū aperueris arcam inuenies solidos qui non erant. Bene quia gaudes esse ibi, quod ibi non erat. Attende arcam cordis. Erat ibi charitas & nunc est. Si hac gaudes, quare hac non plangis? Plus perdidisti quam acquisiuisti. Vis videre quid perdideris? Nec naufragio tibi posset auferri. Nā aliquando perdunt omnia homines in mari, & nudi exeunt. Multi naufragauerunt cū Paulo amatores huius seculi passi sunt naufragium, & nudi omnes exierunt illi. Et quod foris habebant amiserunt, & domū cordis suæ inuenerunt inanem. Paulus autem in corde ferebat patrimonium fidei suę: nullus fluctibus, nullus tempestatib9 potuit auferri. Nudus exijt, & diues exijt. Tales diuitias debemus acquirere. Tales comparare quod si fecerimus non faciemus domum Dei, templum Dei, speluncā latronum. Sin autem mortis flagello percussi eijciemur de Ecclesiæ catholicę templo in tenebras illas longé ob omni luce sepositas. ¶ Deinde nota hanc liberam potestatem increpandi, corrigendi, ac verbo Dei flagellandi homines potentes, contulit Christus sanctis prædicatoribus suis. Vnde de illis intelligens regius Propheta dicebat Psal. 149. Gladij ancipites in manibus eorum, ad faciēdam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Ad alligandos reges eorum in compedibus & no-

Marginalia: Præsules auari latrones vocantur. — Iob 40. — Thre 3. — Abacuc. 2. — Fidelis curare debet ne lucris iniustis studeat. — Lege August. in Psal. 123. ibi forsitā per transisset anima nostra, &c. — Psal. 149. — Lege August. & glos. inter.

nobiles eorũ in manicis ferreis, vt faciant in eis iudicium conscriptum. Contulit dominus autoritatem sermonis sanctis suis, vt Dei verbo, tanquam gladio bis acuto, dicerent vbi vellint, & cui vellint, & occiderent peccatores illo gladio bis acuto: secundum illud Deutero. cap. 32. Ego occidam & ego viuere faciam. Atque mandatis & præceptis Dei alligarent tanquã vinculis reges & principes huius seculi: atq; suis increpationibus liberis eijcerent de templo Domini, hoc est, de conscientia & corde suo omnem auaritiam, ita vt cõtemptis omnibus Christum pauperem sequerentur. Ad hoc autem habent hoc flagellum, & hunc gladium in manibus, vt faciant prædictum iudiciũ: quod olim scriptum erat à patribus sanctisque Prophetis. Ex quo fiet vt propter hoc æternã illã felicitatem consequantur. Gloria enim hæc est omnibus sanctis eius.

Deut. 32.

¶ *Et erat docens quotidie in templo.* Velut in suo regno Dominus versans, quotidie docebat in templo palam. Contempta pharisæorum insatiabili malicia.

¶ *Principes autem sacerdotum & scribæ, & principes plebis, quærebant illũ perdere, & non inueniebant quid facerent illi. Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum.* Quod id tẽporis iuxta historiam accidit, id frequẽter euenit iuxta tropologiam, quoties hi, qui religionis arcẽ tenent, quique sacræ doctrinæ professione conspicui sunt, conspirant, cum prophanis principibus aduersus Iesum, tũ imminet ingens exitium populo. Id fit quoties autoritas sacerdotum ac sacræ doctrinæ professorum adulatur huius mundi monarchis, & illorum affectibus subseruiunt autoritate sua, quorum potentiam oportebat potiꝰ salubribus ac liberis monitis cohibere: ac vicissim monarchæ suis opibus nonnullorum prælatorum ac Doctorum prauas cupiditates, hoc est, auaritiam, ambitionem, fulciunt ac muniunt: quanquã neutri alteros amant, tamẽ impia collusione in perniciem Euangelicę veritatis tradunt operas mutuas. Horum scelerata cõiuratio maius exitium adfert orbi, quam tunc afferebat põtificum, scribarum, pharisæorum ac primorum cõspiratio. Quod sané exitium pro dolor in Angliæ, Germania, alijsque quam plurimis Europę regionibus euenisse videmus. Omnes enim cõspirauerunt aduersus Iesum.

Impii principes tã seculares quam Ecclesiastici cõspirare, solent contra Iesum.

¶ *Principes* (inquit) *sacerdotum.* Primores quidem esse solent quorum iussu & autoritate omnia reipublicæ mala dimanari solent. Hi sunt qui colligunt concilium aduersum Iesum: & qui eum interficere decernunt. Scribæ etiam sunt siue legis periti, quorum consilio multoties mala omnia diriguntur: secundum illud quod Hieremias attestatur cap. 4. Sapiẽtes sunt vt faciant mala: bene autem facere nescierunt. Et rursum cap. 5. ait: Prophetæ prophetabant mendacium: & sacerdotes applaudebãt manibus suis: & populus meus dilexit talia. Sequitur enim populus mores & consilia primorum, & ... quemadmodum vmbra corpus. Quod 1. lib. Esdræ. capit. 9. significatur his verbis: Non est separatus populus Israel & sacerdotes & leuitæ à populis terrarum: commiscuerunt semen sanctum cum populis terrarum. Manus etiam principum & magistratuũ fuit in transgressione hac prima. Hi ergo in causa sunt vt Christus interficiatur vt in hoc loco vides. Hi sunt qui apud sapientem aiunt: Circunueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis: & cõtrarius est operibus nostris. Vnde ipse Dominus conquerebatur olim Hieremiæ c. 2. Cogitauerunt contra me consilia dicẽtes: venite mittamus lignum in panẽ eiꝰ: & eradamus eum de terra viuentium: & nomen eius nõ memoretur amplius. Sed minime profuerunt vnde statim subiungit noster Lucas.

Ioan. 11.
Hiere. 4.
Hiere. 5.
1. Esdr. 9.
Sap. 2.
Hiere. 2.

¶ *Et non inuenerunt quid facerent illi.* Non deerat mala mens, sed non affulgebat spes perficiẽdi quod volebant. Quod solet huiusmodi hominibus sæpe sæpius contingere. Hinc est illud Esaię capit. 16. Superbia eius & arrogantia eius, & indignatio eius plusquam fortitudo eius. Talibus enim resistit dominus iuxta vaticiniũ illud Beatæ Virginis. Deposuit potentes de sede: & exaltauit humiles. Iuxta illud etiam quod Dominus per Osæam ait: Sepiam viam tuam spinis: & semitas suas inueniet. Frustra quidem tentare volebãt homi

Frustrãtur impii magnates desiderio suo malo.
Esai. 16.
Luc. 1.
Osea. 2.

homines isti scelerati perditionem & interfectionem domini: quoad vsque adesset tempus ab eo præfixum. Stat quidem sententia. Nemo tollet á me animam meã, sed ego pono eam, & iterum sumo eam. Quod si causam quæras ob quam non potuerunt modo perficere quod desiderabant audi quid Euangelista subiungit.

Ioan. 10.

¶ *Omnis, inquit, populus suspensus erat audiens illum.* Non enim deposuerant vocẽ di animũ: sed timore correpti sese ab hoc tanto malo abstinuerunt. Cum sit timida nequitia, ait sapiens, data est in omnium timidorum condemnationem. Semper enim præsumit sæua perturbata conscientia, nequitia quidem timidos facit peccatores & ideo timida nuncupatur. Atque huiusmodi timor quo afficiuntur homines scelerati, pœna quædam ipsorum est. Conscientia enim perturbata timore pœnæ: semper præestimat mala magna aduentura. Principes igitur isti & legis periti audientes acclamationes populi, & videntes in templo totam multitudinem suspensam pendere ab ore Redemptoris (tanta erat diuini sermonis & vis & gratia) non audebant in illum manus conijcere. Cæterum imitemur etiam nos turbam istam audientem Dei sapientiam. Nã hæc est diuina sapientia quæ ore Salomonis ait: Audite me quoniam de rebus magnis locuturus sum.

Sap. 17.

Glo.

Pro 8.

CAPVT XX.

¶ *Potestatẽ suam Iudæis celat: illos sub vineæ agricolis locatæ parabola reprobos indicat, censum Cæsari debitum resurrectionem expectãdam, et se Dei filium probat.*

ET factum est in vna dierum docente illo populum in templo A *et euangelizante, conuenerunt principes sacerdotum et scribæ cum senioribus dicentes ad illum: dic nobis in qua potestate hæc facis aut quis est qui dedit tibi hanc potestatem.*

Matt. 21. a
Mar. 11. d

ANte omnia hic nota quod prima die Christus ingressus templum, eiecit ementes & vendẽtes: & vespere reuersus est in Bethaniam: secunda die rediit Hierosolymam, & in itinere male dixit ficui. Tertia die iterum rediens hierosolymam, & ingressus templum, interrogatus est qua potestate hæc faceret: quod narrat Lucas hic. vide Augustinum libro 2. de consensu Euangelistarum. Deinde nota quod non poterant hi homines impij Christi admiranda facta damnare quæ tam multa, teste populo fecerat. Non poterant refellere doctrinam, quæ cum lege cũque voluntate Dei consentiebat. Hinc igitur meditantur calumniam quod hanc docendi populum autoritatem sibi sumpsisset, cum ab ipsis oportuerit accipere: videlicet illud agentes, vt vel gloriam Deo debitã in se transferrent, vel Christo struerent calumniam motę seditionis, qui sine publica principum autoritate cõuocaret ac detineret populũ. Simul igitur adeunt Iesum in templum, dicentes si vis vt nos quoque credamus tibi, dic nobis qua nã autoritate facis ista quæ facis. Baptizas, prædicas, sanas in Sabbatis, doces in templo, colligis discipulos, auocas ac detines populum. Nobis ignotus es, nulla potestate publica præditus es. Quis igitur dedit tibi hanc potestatem? Iesus autem intelligens hanc percontationem, ab impia cogitatione proficisci, nimirum vt calumniarentur, non vt discerent: non conatus est eos docere, sed retudit illorum maliciam, veluti clauum clauo pellens. Ioannem enim Baptistam plurimi fecerant, & ad eius baptismum confluxerant. Et is colligerat disci-

Augusti.

discipulos,& is turbis prædicabat in desertis,& circa Iordané,instare regnum Dei:libere dánabant vitia quorúlibet,& inuitabat ad pœnitentiá. Nec huic tributa erat autoritas a sacerdotibus,pharisæis,aut primoribus populi,sed é deserto veluti nouꝰ homo prodierat, afflatus ac missus à Deo iuxta vaticiniú Esaiæ.Cæterú hoc tendebat insidiosa procerú interrogatio , vt si Christus respódisset eá autoritatem sibi à Deo traditá,accusarent eum blasphemię, quod homo sibi vindicaret familiare colloquiú cú Deo. A pontificibus,aut pharisæis,aut scribis non acceperat. Supererat iuxta collectioné illorú,seditiosam esse potestatem,& ex instinctu satanæ,quã sibi sumeret.Contendebant enim omnem potestatem diuinam ad ipsos deuolutam esse, nec quicquam pié geri,quod non ex ipsorum autoritate gereretur. Et interim odio cæci,non cogitabant quod Ioánem nulla hominum autoritate similia faciétem suspexissent,adeo vt Messiam esse contenderent,nisi quod Ioánes non ędebat miracula. Atque hoc nomine minus debebát obstrepere Christo. Ac ne illud quidem illis veniebat in mentem, quod iam olim Deꝰ tradidisset hanc potestatem, loquens per Prophetas suos.Prophetarú autoritaté reciprebát,& rem à Prophetis prędictá reijciebát. Itaque Dńs maliciosam illorú prudentiam,& stultam fraudulentiam vollés illudere,respondit in hunc modum.

§ *Interrogabo vos & ego vnum verbum. Respondete mihi Baptismus Ioánis de cœlo erat,an ex hominibus?* Sensit illico cornutá interrogationem impia Iudæorú cóscientia.Si vera respondere voluissent,simplex ac parata erat veritatis oratio:sed sentiunt sese eadé arte peti,qua petebant. Ineutur itaque cósilium dolosum. Nihil enim operosius simulatione,& fraus fraudé, dolus dolum trahit. Conferútigitur inter se quid ad hoc problema responderent.

§ Quia si dixerimus(inquiunt) *de cœlo. dicet.quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus ex hominibus,plebs vniuersa lapidabit nos.Certi sunt enim Ioannem Prophetam esse.* Non erat his curæ, vt verú respóderét,sed vt quod ipsis esset cómodú. Sic respódét falsi doctores,nó quod

A docet scriptura,sed interpretantes, quod ad ipsorú facit affectus. Si dixissent verú, periclitabatur apud populú illorú autoritas cú Ioánes de Christo testificatꝰ fuerit: cú cófessus fuerit se minoré, & indignum qui gestaret calciamenta Christi. Cófessꝰ fuerit se terrenú terrena,& humilé humilia loqui,Christú de cœlis profectú maioré esse omnibus. Sin auté respódissent falsum,metuebát vitæ suæ.Formidabant homines,qui Dei timorem abiecerát. Itaqꝫ respondent se nescire.Hac vna rima supe-

B rerat,qua elaberentur , sed elapsi simul à quæstione liberant dominum.

§ *Et Iesus ait illis. Neque ego dico vobis in qua potestate hæc facio.* Noluit Christꝰ eis dicere qua autoritate faceret quę videbát:tú quia hoc minime ignorabát. Ná vt ipse apud Ioá. ait:opera quæ faciebat tam mirãda,testificabátur qua autoritate faceret quæ hi percótabátur. Tú etiá quia frustra dixisset eis qua autoritate hęc faceret, cú adhuc increduli permanerent: nec aliud querebát quam calumniam.

Ioan. 10.

C § *Fer.6.post Domini.2. 40.*

COEpit autem dicere ad plebem parabolam hanc, homo quidam plantauit vineam,et locauit eam colonis et ipse peregre fuit multis téporibus. Et in tempore illo misit ad cultores seruum, vt de

Matt. 21. d
Mar. 12. a
Esai. 5.

D *fructu vineæ darent illi. Qui cæsum dimiserunt eum inanem. Et addidit alterum seruum mittere. Illi autem hunc quoque cædentes et afficientes contumelia dimiserunt inanem. Et addidit tertium mittere: qui et illum vulnerantes eiecerunt. Dixit autē*

dominus vineæ, quid faciã? Mittam filium meum dilectum: forsitan cum hunc viderint, verebuntur. Quem cum vidissent coloni, cogitauerũt intra se, dicentes, Hic est hæres, occidamus illum vt nostra fiat hæreditas. Et eiectũ illum extra vineam, occiderunt. Quid ergo faciet illis dominus vineæ? Veniet, et perdet colonos istos, et dabit vineam alijs. Quo audito dixerunt illi. Absit. Ille autem aspiciens eos, ait. Quid est ergo hoc quod scriptũ est. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? Omnis qui ceciderit super illum lapidem, cõquassabitur: super quem autẽ ceciderit, comminuet illũ. Et quærebant principes sacerdotum, et scribæ mittere in illũ manus illa hora: & timuerũt populum, cognouerunt enim, quod ad ipsos dixerit similitudinem hanc.

Act. 4. b
Rom. 9. g
Pet. 2. a
Esai. 28. d

¶Posuit Dñs ac subiecit hanc parabolã, quę poneret ob oculos immedicabilẽ Iudæorũ maliciã exitio dignã, qui tot modis à Deo prouocati ad pœnitentiã, semper in deterius profecissent, contẽpta lege, cæsis & occisis prophetis, occisuri post hos & extremũ malorũ remediũ filiũ Dei, & hũc

A rursus in Apostolis & martyribus frequẽter, afflicturi. ¶Obserua, quod inter alia innumera mala quę in animis hominũ peccatũ operatur, illud præcipuũ & maximũ est, quod peccator derelinquatur à corde suo. Hinc est quod Dauid ait Psal. 39. Cor meum dereliquit me. Quid mirũ (inquit August.) si cor tuũ desertum est à Deo tuo: quãdo seipsum deseruit? Quid est cor meũ dereliquit me? Nõ est idoneũ cor meũ ad cognoscendũ se, hoc dixit: Cor meũ dereliquit me: corde meo Dñm volo videre, &

Peccator derelinquitur a corde suo.

August. in Psal. 39.

B non possum prę multitudine peccatorum meorũ. Quia ergo Iudæos ob ingentia crimina cor suũ dereliquerat atq; ideo seipsos, verũq; regẽ suũ, verũ Messiã, verũque Dñm cognoscere nõ poterant, voluit dñs, vt se cognoscerent, ob oculos in hac parabola vitã suã ponere: voluit in hac similitudine tanquã in speculo mores suos, cordis duriciẽ, & cæcitatẽ depingere: vt vel sic admoniti à peccatis suis reuocarentur. Sic olim Iudæis legem dñs in tabulis lapideis descripsit. Quãuis enim signatũ erat super illos lumen vultus Dñi: sed quia se

C homo deseruerat, nec legebat in se quod sibi expediebat ad vitã, idcirco in tabulis sibi data est lex. Vt in tabulis legeret quod in tabulis cordis legere nolebat. ¶Itẽ considera quo pacto tandẽ cępit Christus vulpes has, quæ ne caperentur paulo ante in suis tenebris permanserãt. Hę sunt vulpes (ait August.) significatæ nobis in canticis canticorũ, vbi dicitur: Capite nobis vulpes pusillas exterminantes vineas. Latentes in cauernis tortuosis. Vulpes, insidiosos, dolosos, fraudulẽtos, cauernosis anfractibus latentes, & decipientes homines significant: odore etiã tetro putentes. Con-

Vt. August. in Psa. 57. ibi si verè vtique iustitiam loquimini, &c.

August. in Psal. 80. ibi Israel si me audieris nõ erit in te Deus recens.

D tra quẽ odorẽ dicit Apostolus: Christi bonus odor sumus Deo in omni loco. Capite, inquit, nobis: conuincite nobis. Capis enim eum quẽ de falsitate conuincis. Cõtradicentibus enim vt modo diximus vulpeculis dño, & dicẽtibus: in qua potestate hæc facis? Respõdete mihi & vos, inquit, vnum sermonem. Baptismus Ioãnis vnde est: de cœlo an ex hominibus? Vulpes autem solent habere tales foueas, vt ex vna parte intrent, & ex alia parte exeant. Ad vtrumque foramen captor vulpium

2. Cor. 2.

tetia posuit: dicite mihi, de cœlo est, an ex hominibus? Sentiunt illi eum ex vtraque parte tetendisse vnde caperet, & aiunt apud se. Si dixerimus de cœlo, dicturus est nobis, quare ergo non credidistis? Ille enim testimonium Christo perhibuit. Si dixerimus de terra, lapidabit nos populus: quia vt Prophetam eum habent. Sentientes ergo hac atq; hac esse vnde caperetur, responderunt: nescimus. Et Dñs: nec ego vobis dico in qua potestate ista facio. Quia ergo ex nulla parte exire ausæ sunt vulpes istæ, sed in suis tenebris permanere, hac parabola vineę tanquam rete quodã occulté iusto, eas Dñs exire fecit dicendo: malos male perdet: & vineam suam dabit alijs agricolis vt Matth. c. 21. refert; atque adhunc modum captæ sunt & conuictæ. ¶ Prætereadiscant hic euangelici cōcionatores ac præsules ecclesiæ, qualiter admonere debeant suos auditores, aut sibi subditos: aliter enim sunt admonẽdi principes & nobiles, aliter veró pauperes & humiles. Nõnunquã enim superbus princeps aut diues exhortationis blandimẽto (inquit Gregor.) placandus est, quia plerũque dura vulnera per lenia fomenta mollescunt, & furor insanorum sępe ad salutẽ medico blandiente reducitur. Cumq; eis in dulcedine condescenditur, langor insaniæ mitigatur. Neque enim negligenter intuendum est, quod cum Saulem spiritꝰ aduersus inuaderet, apprehensa Dauid cythara eius vesaniam sedebat ac tẽperabat. Quid enim per Saulem nisi elatio potentum, & quid per Dauid innuitur nisi humilis vita sanctorum? Cum ergo Saul ab immundo spiritu arripitur, Dauid canẽte eiꝰ vesania temperatur: quia cum sensus potẽtum per elationem in furorem vertitur, dignum est vt ad salutem mentis, quasi ad dulcedinem cytharæ, locutionis nostræ trãquillitate reuocetur. Quod sæpe faciebat Christus. Aliquando autem cũ huius seculi potentes arguuntur, prius per quasdam similitudines velut de alieno negocio requirendi sunt. Et cum rectam sentẽtiam quasi in alterum protulerint, tunc modis congruentibus de proprio reatu feriendi sunt, vt mens temporali potentia tumida, contra corripiẽtem nequaquam

Aliter sũt corrigẽdi magnates aliter humiles homines.

D Grego. 3 lib. pasto 22. c. 3.

1. Reg. 16.

A se erigat, quæ suo sibi iudicio superbiæ ceruicem calcat, & in nulla sui defensione se exerceat, quem sententia proprij oris ligat. Hinc est enim, vt apud Matthæum dicere incipiebamus, quod Nathã propheta arguere regem venerat, & quasi de causa pauperis contra diuitem iudicium quærebat, vt prius rex sententiam diceret, & reatum suum post modum audiret, quatenus nequaquam iustitiæ contradiceret, quam ipse in se protulisset. Vir itaque sanctus & peccatorem considerans, & regem B miro ordine audacem, reum prius per cõfessionem ligare studuit, & post modum per inuectionem secare. Cælauit paululũ quod quæsiuit, sed percussit repẽté quem tenuit. Pigrius enim fortasse incideret, si ab ipso sermonis exordio aperté culpam ferire voluisset, sed præmissa similitudine eam quam occultabat exacuit increpationem. Ad ęgrum medicus venerat, secandũ vulnus videbat, sed de patientia ægri dubitabat. Abscondit igitur ferrum medicinale sub veste, quod eductum subitó fixit in vulnere, vt secantem gladium sentiret æger antequam cerneret, ne si ante cerne C ret sentire recusaret. Hac arguendi ratione vsus est impresentiarum dominus. Vnde proposita parabola, velut de alieno negocio eos requisiuit dicẽs: quid faciet dominus vineę agricolis illis? Et cum rectã sententiam quasi in alios protulerunt dicentes: malos malé perdet, quod Matthęꝰ refert, tũc de proprio reatu cõuicti sunt.

¶ *Homo quidam plantauit vineam & locauit eam colonis & ipse peregre fuit multis temporibus.* Nõ sine magna ratione pater cœlestis homini comparatur: quum tã mitis, tam humanus, & benignus sit. Igno D ras (inquit Paulus) quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. Quod si filius mitis est & mitis dicitur: pater etiam mitissimus est quum peccatores ad se venientes tam mansueté atque clementer recipiat. Pater ergo cœlestis fuit qui olim plãtauit synagogam: vnde Exod. 15. dicitur: introduces & plantabis eos in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo quod operatus es domine. Deinde plantauit ecclesiam. Tandem plantat animas nostras vnde Paul. 1. Cori. 3. ait: Dei agricul-

2. Reg. 12.

2. Reg. 12.

Deus homini comparatur non sine magna ratione.

Rom. 2.

Exo. 15.

Vinea dicitur synaga, & ecclesia & anima nostra.

1. Cor. 3.

taraestis. Primam vineam tradidit Deus primoribus synagogæ: secūdam prælatis ecclesiæ: tertiam his de quibus dicitur illud: vnicuiq; mādauit Deus de proximo suo. Sed iam veré dici potest de huiusmodi agricolis: quod Salomon ait in lib. Pro. c. 24. per agrum pigri hominis transiui, & per vineam viri stulti: & ecce totū operuerant vrticæ: & repleuerant superficiē eius spinæ. Tota. n. vinea dñi Sabbaoth vrtica concupiscentię carnalis: & spinis, hoc est, sollicitudinibus huius seculi operta est in curia & negligentia prælatorum.

Eccle. 17.

Pro. 24.

¶ *Et in tempore misit ad cultores, seruū vt de fructu vineæ darent illi: qui cæsum dimiserunt eum inanem. et addidit alterū seruum mittere: illi autem, hūc quoque cædentes et afficientes contumelia dimiserūt inanem. Et addidit tertium mittere qui et illum vulnerantes eiecerunt.* In quē obsecro prophetarum & sanctorum patrū antiquorū quos olim miserat Dñs ad populū Israeliticum vt redderet fructū enatū, nō sæuitum est? Filij matris meæ, inquit sponsa, pugnauerunt contra me. Et pulchrē filios matris suæ non autem patris sui illos vocat, qui non habebant patrem Deū, sed ex patre diabolo erant: homicidæ vtiq;, sicut & ille homicida erat ab initio. Quāquam ecclesia illa fidelium ab exteris persecuta etiam fuit à iuuentute sua, tamē maxima persecutio fuit quæ orta illi est à suis domesticis. Quare spōsa id expressius plāgit, quod & sentit differentius, quo;que vigilātius nobis cauendū existimat. Quid nam hoc? Malum vtique intestinum, atq; domesticum. Hoc est quod Saluator ait: inimici hominis domestici eius. Hoc & in Propheta. Homo (inquit) pacis meæ, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. Item: quoniā si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique, &c. tu veró homo vnanimis dux meus & notus meus, qui simul mecū dulces capiebas cibos. Hoc est, quod à te patior cōuiua & contubernali meo, id molestius sentio: Fero ægrius. Et alibi sponsa illa conqueritur dicens: amici mei & proximi mei aduersum me appropinquauerunt & steterunt. Hæc ergo ecclesia antiqua, congregata ex sanctis, fidelibusque

Cant. 1.

Ioan. 8.

Mat. 10. c

Mich. 7. b

Psal. 39. c

Psal. 54. b

Psal. 37. a

Patriarchis, & Prophetis, seruis Domini missis ad colonos, fuit quę semper persecuta fuit. Alios enim lapidabant, alios veró fugabant, alios denique immaniter trucidabant.

Ber. serm. 29. in cant. in principio.

¶ *Hic est hæres.* An Iudæi cognouerint Christum dominū esse Messiam quē præstolabantur, disputat D. Tho. 3. p. q. 47. art. 5. quem vide. Nos veró iam in cōmen. super Matth. de hac quæstione nonnulla diximus. ¶ *Hic est hæres venite occidamus illum vt nostra fiat hæreditas.* Hoc accidit quando per os pontificis habito consilio dixerunt: expedit vt vnus moriatur homo, ne tota gens pereat. Hoc consilium tam impiū præuidens dominus Iesus multo ante per Prophetam regiū dicebat: Inimici mei dixerunt mala mihi: quādo morietur, & peribit nomen eius. Et si ingrediebatur vt videret, vana loquebatur: cor eius congregauit iniquitatem sibi: egrediebatur foras & loquebatur in idipsum. Aduersum me susurrabant omnes inimici mei, aduersus me cogitabant mala mihi. Verbum iniquū constituerunt aduersum me. Ita sanè res accidit: nam aduersarij hi Christi locuti sunt aduersus illum: venite occidamus eum: expedit vt moriatur: tolle tolle crucifige eum. Quando aderit iam dies illa desiderata & expectata satis: in qua ad mortem sic à nobis perducendus: vt omnino nomen, fama & memoria eius deleatur penitus ab hominib9. Huiusmodi sermonibus conceptum atque firmatū contra Christum mortale odium protestabant. Et quidem si ad illum ingrediebantur (vt illum viderent aut audirent docentem, aut miracula edentem) cōsiderabāt diligenter illum, vt aliquid possent in calumniam trahere: si, inquam, sic ad illum ingrediebantur, vana loquebātur calumnias videlicet & opprobria. Congregauērūt sibi in cordibus suis iniquitates dū ita per odiū quotidie excrescerent malitiosæ cogitationes eorum. Cū veró foras ab illo egrediebātur similia loquebāt, detractiones & blasphemias impudētissimas: cōgregatiq; pariter tractare cæperūt quomodo eū perderent. Aduersus illū in eius perniciem in occulto in conciliabulis suis tractabant pariter: quando illum dolo tenerent,

D. Tho.

Ioan. 11. f

Psal. 41.

rent,& interficerent, vt eorum fieret hæreditas: Firmauerunt contra illum sermonem impium, crudele decretum & iniquissimam sententiam: certa definitate statuerunt illū sine causa interficere. Hoc tanquam irreuocabile & firmiter, quacūque tandem via, quocunque tandem consilio adimplendum, ita firmauerunt. Hic est hæres, inquiunt, venite occidamus eū. ¶ Causam verò propter quam statuerunt hæredem occidere addunt dicentes: *vt nostra fiat hæreditas*. Et miseri ob eandem causam amiserunt & hæreditatē terrenam, nam venerunt Romani & abstulerunt ab eis regnum, & cœlestem: nam ingressi sunt gētes & exclusis illis cœlestem hæreditatem possederunt. Cuius rei figurā habemus in Esau & Iacob. Vt explicat D. Augustinus in Psal. 46. duo fratres erant Esau & Iacob: in vtero matris ambo confligebant & de conflictu viscera materna quatiebantur: & ibi cum duo essent electus est minor & præpositus est maiori, & dictum est: duo populi sunt in vtero tuo: & maior seruiet minori. Per omnes gentes maior, per omnes gentes minor: Sed minor in bonis Christianis, pijs, fidelibus: maior in superbis, indignis, peccatoribus, contumacibus, sua peccata defendentibus, magis quam confitentibus. qualis ipse populus Iudæorum fuit ignorans Dei iustitiam & suam volens constituere. Sed quia dictum est maior seruiet minori, manifestum est, quod pijs subdētur impij, & humilibus subdentur superbi. Prior natus est Esau & posterior natus est Iacob: sed qui posterior natus est prælatus est primo nato qui per gulam perdidit primogenita sua. Sic habes scriptum: desiderauit lenticulam & ait illi frater eius: si vis vt dem tibi, da mihi primogenita tua. Ille plus amauit quod corporaliter concupierat: quam quod spiritualiter prius nascendo meruerat: & deposuit primogenita sua, vt manducaret lenticulam. Lenticulam autem inueniemus esse cibum AEgyptiorum: nam ibi abundat in AEgypto: vnde magnificatur lenticula Alexandrina: & venit ad terras nostras vsque, quasi hic non nascatur lenticula. Ergo desiderando cibum AEgyptium perdidit primatum. Sic & populus Iudæorum, de quo dictum est: conuersi sunt corde in AEgyptum, desiderauerunt quodammodo lenticulam: & primatum perdiderunt. Ne perderent regnum temporale occiderunt Christum: & eam ob causam & temporale & spirituale, hoc est, regnum cœlorum amiserunt. Vt eorum fieret hæreditas interfecerunt hæredem, & ideo hęreditas Dei alijs translatā est auferetur, inquit, à vobis regnum Dei & dabitur genti facienti fructus eius. Nos ergo si hos impios Iudæos imitati fuerimus, auferet Dominus à nobis regnum suum, doctrinam suam, gratiam suam, cęteramque fœlicitatem suam: sin autem, dabit nobis fructum spiritualem ferentibus, regnum cœlorum: ita vt dicere verè possimus cum regio vate: elegit nobis hæreditatem suam, speciem Iacob quem dilexit. Non ergo propter terrenā hæreditatē, Christū nostris flagitijs occidamꝰ ne nobis cōtingat quod his auaris agricolis cōtigit.

¶ *Et eiecerunt eum extra vineam.* Christus extra hierosolymam interfectus, figuratus fuit in vitulo quem Leuit. 16. præcepit dominus cremari extra castra. Ad quod alludens Paul. ad Hebræ. 13. ait: Propter quod Iesus vt sanctificaret per suum sanguinem populū, extra portam passus est: exeamus nos ad eum extra castra improperium eius portantes. ¶ *Quid ergo faciet illis dominus vineæ?* Ait Matthæus respōdisse *Malos male perdet et vineam suam locauit aliis agricolis* Coegit illos dominus ipse sententiam dicere. Atque hoc est quod in Psal. 57. Psalmista olim dicebat, Deꝰ cōteret dentes eorū in ore ipsorū Quid est, inquit August. in ore ipsorū? Vt ore suo contra se pronūciarent: coegit illos ipse sententiam dicere. Quod & aliā multoties fecit. Vt quando, vt illi calumniarentur, interrogarunt, an liceret censum dare Cæsari. Quando etiam proposuit pharisæo parabulam & comparationem duorum debitorum, contriuit dominus dentes eorū in ore ipsorū. Lege totū hūc Psal. 57. & inuenies omnia quæ in hac parabola continentur. Nā primo loco Psal. ait Iudæis dn̄s: si verè vtiq; iustitiā loquimini rectè iudicate filij hominū. Vtiq; iusti-

Margin notes: August. in Psal. 46 ibi elegit nobis, &c. — Gen. 27. — Figura. — Rom. 9. — Rom. 10. — Gen. 25. — Matth. 21. — Psal. 46. — Leui. 16. — Heb. 13. — Psal. 57. Multoties Dn̄s cogebat Iudæos ipse sententiā dicere. — Matth. 22. — Luc. 7. — Psal. 57. — Section letters: A, B, C, D.

iustitiam loquebantur cum dicebant, hic est hæres: & rursum: magister scimus quia verax es, & nullius personam accipis: at non rectè iudicabant cum dicebant, venite occidamus eum. Non rectè iudicabant cum clamabant: crucifige, crucifige eum: & rursum reus est mortis: sed non mirum, nam alinati sunt hi peccatores ab vtero, idest, ab eo tēpore quo e vulua egressi sunt: locuti sunt falsa dicentes in beelzebu principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Furor illis secundum similitudinem serpentis sicut aspidis surdæ obturātis aures suas: quæ non exaudiuit vocem incantantis, venefici incantantis sapienter. Misit pater cœlestis incantatores, hoc est, euāgelicos cōcionatores, misit prophetas diuino numine afflatos, qui hos agricolas, has serpentes incantarēt: at illi furore succensi obturantes aures suas impetum fecerunt vnanimiter primum in prophetas, deinde in Christum, & in eius Apostolos atque discipulos: at Deus contriuit dētes eorum in ore ipsorum: ipsi enim contra se sententiam tulerunt dicentes: malos male perdet. Atque ita euenit: nam sicut cera quę fluit, ablati sunt: super cecidit ignis, & non viderunt solem. Ad nihilum deuenerunt tanquam aqua decurrens. Cecidit super eos lapis quem reprobarunt & contriti sunt ac demolliti. ¶ *Quid ergo faciet illis dominus vineæ?* Matthęus vt modo diximus ait eos respondisse: malos malè perdet. Lucas verò scribit Christum statim addidisse: *veniet & perdet colonos istos & dabit vineam aliis: quo audito dixerunt illi: absit.* Sed non est cōtradictio. Nam vt Augustinus docet. 2. lib. de cōsensu Euangelistarum cap. 70. quidam ex plebe quæ audierat parabolam & non intellexerat, responderunt *malos male perdet*, quod Matthæ. narrat quorum sentētiam statim approbauit Christus: quod Lucas scribit: quidam verò ex scribis & pharisęis intelligentes statim parabolam responderunt *absit*. Quæ vox horrentium est tantā pœnam. ¶ Obserua quod abstulit dominus à Iudæis regnum quod male illud gubernauerunt: sic etiam continget ecclesiæ prioribus si inique agant: si seipsos & non gregem dñi pascant: si iustitiam nō seruēt,

Matth. 22
Intra. 23.
Matth. 26
Psal. 57.
Matth. 9.
Concordātur Euāgelistæ.
August.
Aufert deus dignitates a malis ecclesiæ prioribus sicut abstulit a Iudæis

A pietatem non colant. Hinc est quod dñs ait in Apoc. Angelo Ephesi, hoc est, Episcopo illius Ecclesię. Memor esto vnde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem, venio tibi, & mouebo cādelabrum tuum de loco suo. i. subtraham à te dignitatem tuam & dabo illam alteri. Quod Saul nō rectè populum Dei gubernauit abstulit dñs ab eo regnū eius & dedit Dauid. 1. Reg. 15. à seruo Pigro abstulit Deus talentum & contulit seruo fideli qui cum talentis quinque alia quinque cōparauit: atque lucratus est. Ad rem hanc facit quod apud Esaiam. c. 22. Dñs ait. Vade (inquit) ad Sobnam præpositū templi, & dices ad eum. Quid tu hic? &c. ecce Dñs asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus, & quasi amictum sic subleuabit te. Coronans coronabit te tribulatione, quasi pilam mittet te in terram latā & spaciosam & ibi morieris. Et expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponā te. Et vocabo seruum meū Eliacim, & induam illum tunica tua, & potestatē tuā dabo in manus eius. Aufert enim dñs à malis sacerdotibus, qualis fuit Sobna, dignitatem suam: cū nihil habent præter titulū sacerdotij aut pontificatus: & confert illā altari qui dignus ea dignitate sit. Lege quæ capite præcedenti annotauimus in illa verba *& date illi, qui 10. mnas habet.*

¶ *Veniet & perdet colonos istos & dabit vineam aliis.* Matthæus ait etiam dixisse. auferetur à vobis regnum Dei: & dabitur genti facienti fructus eius. Hoc dicto significabat Dñs sublata funditus Iudæorum religione per Apostolos Euangelij fructū transferendum in gentes. Huius mysterij figuram admirabilem habemus in lib. Iudi. c. 6. vbi Gedeon in vellere, & area, probare voluit Dñm: an per manus eius esset seruaturus Israel. In hac probatione Gedeonis hoc quod dñs prædicere ac prænuntiare volebat, ostendit: in compluto videlicet vellere, & area tota circūquaque sicca figurare primum populum Israel, vbi erant sancti cum gratia cœlesti, tāquam pluuia spirituali, de qua locutus est Moyses in cantico suo, & postea compluta area siccato vellere, figurare Ecclesiam Dei toto orbe diffusam: habentem non in

Apo. 2.
B
C
D
1. Reg. 15.
Esai 22. de
Doctrina euangelica trasferenda a Iudæis in gētes.
Iudi. 6.
Figura notanda.
Deut. 32.

In vellere tanquam in velamine, sed in aperto cœlestem gratiam: cum locutus est nobis pater in filio, cum misit paterfamilias filium suum. Cuius aduentum sub nomine pluuiæ expectabat Propheta dicens: Rorate cœli desuper & nubes pluant iustum, priori interim populo in perpetua ariditate relicto. Quoniam ipse prior reliquit fontem aquæ viuæ, ipse prior contempsit non solum seruos sed & ipsum verum naturalemque filium patris familias: nec contempsit solum sed immaniter interfecit. Vnde factum est vt translata sit vinea in gentes, & deserta manserit & arida Iudæa. Sicut scriptum est: quia multos dies sedebunt filij Israel sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, & sine Theraphim, vel secundum septuaginta sine sacerdotio & manifestationibus. Theraphim quidem secundum Hieronymum propriè significat μορφώματα, idest, figuras & simulachra quæ nos possumus in præsenti duntaxat loco, Cherubin & Seraphin, vel quęcunque alia templi ornamenta dicere. Post passionem Domini vsque ad præsentem diem annus millessimus quingentessimus nonagessimus sextus ferè expletur: quantum verò tempus ad finem mundi vsque residuum sit, nec angeli norunt: & hi sunt dies multi, quibus infelix synagoga, & mulier adultera, hordeo pascitur. Vt hic ait Oseas: & sedet contracta sine rege Christo, nudata vellere sacerdotalium indumentorum. Quoniam non solum nō suscepit eum tanquā verum hæredem: sed perdidit. Hunc ergo mysterij ordinem sanctus Gedeon prophetico spiritu intuens: etiam secundum signum conuerso ordine petit. Sciebat enim rorem diuinum, qui est aduentus filij Dei, non solum iudæis, sed etiam gentibus effusum iri: quia ex incredulitate Israel salus facta sit gentibus: hoc enim est quod pro ariditate velleris, vniuersa terra, diuini roris gratia infunditur. ¶ Aliam etiam huius ruinæ Iudæorum & exaltationis gentium imaginem habemus primo Regum capit. 3. vbi legimus locutum fuisse dominum Samueli in hūc modum. Ecce ego, inquit, facio verbum in Israel: quod quicunque audierit, tinient ambæ aures eius. Et sequitur: pugnauerunt Philistijm, & cæsus est Israel & facta est plaga magna nimis: & ceciderunt triginta milia peditum, & arca Dei sedētis super Cherubin capta est: & duo filij Heli mortui sunt. Quæ omnia cum rescisset Heli qui sedebat in sella sua contra viam expectās, cecidit retrorsum & fracta ceruice mortuus est. Mortuus est itaq; Heli & eadem die mortua est & vxor Phinees filij Heli, dum post occasum mariti viuere non tolearet, pepe ritque filium septem mensium quem appellauerunt Icaboth, idest, inglorium: quod eo tempore gloria Dei translata fuerat ad gentes: arca videlicet testamenti. Itaque Pontifice corruente de Sella Pontificis sedes remanet vacua: & gloria sacerdotij veteris est extincta: sic quē defecit sacerdotium & pontificatus Mosaycæ legis: sed & gloria Israel ad gentes translata est: & collocata in templo, quod fidei series, non lapidum structuræ fundauit. Hunc sermonem quicumque Iudæorum audierit tinient ambæ aures eius: propterea quod audire noluerint patrem mittentem ac loquentem ad eos per filium, per quem fecit & secula: Nec solum illum non sint veriti, sed intelligentes eum esse verum hæredem vineæ, verum hęredem regni eiectum eum extra vineam occiderunt. Quare meritò perdidit Deus colonos istos & dedit vineam suam alijs. ¶ Quantum verò vbique per orbem dilatauerit pater iste familias terminos vineæ suæ, hoc est, Ecclesiæ, à die illa qua hierosolymis à filijs matris suæ expugnata est, & exturbata, verbis explicari non potest. Non enim perijt prorsus vinea Domini, sed migrauit, & etiam creuit & dilatata maxime est, alijs locata agricolis: qui reddiderunt fructus eius in tempore suo. Leua oculos tuos, & vide si non operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros Dei: si non extendit palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines eius. Nec mirum: Dei enim ædificatio est, Dei agricultura est. Ipse fœcundat, ipse propagat, ipse putat, ipse purgat eam vt fructum plus afferat. Quando nempe sua destitueret cura vel opera,

Marginalia: Esai. 45. — Hiere. 2. — Oseæ. 3. — 1. Reg. 3. Figura. — Psal. 79. — 1. Cor. 3. — Ioan. 15. — A, B, C, D

quam plantauit dextera eius? Non planè habenda neglectui, in qua Apostoli fuerunt agricolæ patrisfamilias. In fide plantata, in charitate mittit radices, defossa sacculo disciplinæ, stercorata pœnitentium lachrymis, rigata prędicantium verbis, & sic sanè exuberans vino in quo est lætitia, sed non luxuria, vino totius suauitatis, nullius libidinis. Hoc certè vinum lætificat cor hominis, hoc constat & angelos bibere cum lætitia. Denique gaudent in conuersione & pœnitentia peccatorum, salutem hominum sitientes. Lachrymæ pœnitentium vinum eorum, quod in illis vitæ odor, sapor gratiæ sit, indulgentiæ gustus, reconciliationis iucunditas, sanitas redeũtis innocentiæ, serenatę suauitas conscientiæ. Hanc ergo vineam cui benedixit Dominus abstulit dominus à primis agricolis, hoc est, Iudæorum primoribus & locauit eam Apostolis cæterisque prælatis vita & sanctitate præstantibus, qui redderẽt suo tempore fructum Domino. ¶ Qua in re considera iustum Dei iudicium, cuius est (vt Iob ait) conterere multos innumerabiles & stare facere alios pro eis. Quare diligenter cauendum est, ne nobis idem contingat. Si enim fructum vineæ, hoc est, animæ nostræ Deo non reddiderimus, proijciet nos Dominus à se sicut proiecit primos colonos, abijciemurque à lũbis eius cuius sumus lumbare. Sicut dicitur Hieremiæ cap. 13. Sicut adhæret lumbare ad lumbos viri, sic aglutinaui mihi omnem domum Israel. Abiecti autem cõputrescemus in flumine Euphrate. Quantis autem tunsionibus linum tunditur vt ad candorem deducatur: indeque fiat lũbare aptum lumbis summi Dei nemo ignorat. Natura nascimur filij iræ, nigri sumus & AEthyopes: quipe qui diu seruiuimus in fornace ferrea AEgypti: ipse lauit & super niuem dealbauit nos: vt apti efficeremur qui lumbis Dei circundaremur. Quare hoc certum & compertum sit nobis quod si prioribus non pepercit Deus, sed abiecti computruerunt ob suam incredulitatem & immanitatem: quod nec nobis parcet sed abijciet, & perdet quemadmodum perdidit colonos istos. Timeamus igitur Dei iustum iudicium, & sic dabimus fructum in tempore suo: & non veniet quis alius qui subripiat nobis benedictionem, quam subripuit Iacob fratri suo Esau, dum profugus & vagus perambulabat terram. ¶ *Veniet* (inquit) *& perdet colonos istos & dabit vineam aliis.* Hanc deuastationem colonorum istorum, & nouam locationem vineæ explicare & significare volens Dominus: fecit vt Iob scinderet vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adoraret. Tunc (inquit) surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, & tõso capite in terram adorauit. Ruente domo, extinctis filijs (inquit Gregorius) Iob surrexit: quia Iudæa in infidelitate perdita, prædicatoribus, quos s. ad illam mittebat, in pauore mortis cadentibus, Redemptor humani generis semetipsum à carnis suæ morte suscitauit: quia quanto iudicio persecutores suos desecuerit, demonstrauit. Surgere quippe eius est, qua districtione peccatores derelinquat ostendere: quasi enim iacere eius est, patienter mala tolerare. Surgit ergo cum contra reprobos iudicium iustitiæ exerit. Vnde & rectè vestimenta scidisse perhibetur. Quid enim vestimentum domini nisi synagoga extitit: quæ Prophetis prædicantibus expectationi incarnationis illius adhæsit? Sicut enim his nunc vestitur à quibus diligitur Paulo attestante qui ait: Vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem rugam, aut maculam. Quæ enim maculam aut rugam nõ habere dicitur: profectò vestis rationalis & per actionem munda, & per spem tensa monstratur. Ita cum incarnandum eum Iudæa credidit adherendo, nihilominus vestis fuit. Sed quia expectatus venit, veniens noua docuit, docens mira exercuit, mira faciens, praua tolerauit, vestem qua indutus fuerat, scidit: dum in Iudæa alios ab infidelitate sustulit, alios in incredulitate dereliquit. Scribas & pharisæos dereliquit, eorũque imitatores: Apostolos verò adsetraxit. Quid autem per decisos capillos nisi sacramentorum subtilitas, quid per caput, nisi summa sacerdotij dignitas designatur? Vnde ad Ezechielem Prophetam dicitur: Tu fili hominis sume tibi gladiũ acutum, radentem pilos, & assumes eum, &

D. Ber. ser. 30. in can. in principio.

Iob. 34. c

Hiere. 13.

Gen. 27.

Expulsio infidelium Iudæorũ ostenditur Iob. 1.

2. Mora. c. 29. 30. & 31.

Ezech. 5.

& duces super caput tuum, & barbam: vt videlicet Prophetæ facto iudicium Redẽptoris exprimatur, qui in carne apparens caput rasit: quia à Iudaico sacerdotio præceptorum suorum sacramenta abstulit. Barbam rasit, quia regnum Israeliticũ deserens, decorem virtutis eius amputauit. Quid vero hoc loco per terrã, nisi homo peccator exprimitur? Primo quippe homini peccanti dictum est: terra es & in terram ibis. Mediator igitur noster quasi tõso capite in terram corruit: quia Iudæam deserens, dum vineam suam, hoc est, sacramenta sua ab eius sacerdotio abstulit, ad notitiam gentium venit. Capillos enim à capite rasit: quia sacramenta legis ab illo primo suo sacerdotio sustulit, & in terram corruit: quia saluandis se peccatoribus dedit: dumque eos qui sibi iusti videbantur, deseruit: hos, qui se iniustos & fatebantur & nouerant, assumpsit. Hinc ipse in Euangelio dicit: Ego in iudicium veni in hunc mundum, vt qui non vident videant: & qui vident cæci fiant. Hinc & columna nubis quæ in eremo populũ præibat, splẽdore ignis non in die, sed in nocte radiabat: quia videlicet Redemptor noster suæ conuersationis exemplo, ducatum sequẽtibus præstans, de iustitia sua confidentibus, nulla luce claruit: peccatorum veró suorum tenebras agnoscẽtibus, ignem sui amoris infulsit. Nec quod corruere Iob dicitur, indignum mens hoc significationi Redemptoris arbitretur. Scriptum nãque est: verbum misit Dominus in Iacob, & cecidit in Israel. Iacob quippe supplantator, Israel veró videns Deum dicitur. Et quid per Iacob, nisi Iudaicus populus, quid per Israel nisi gentilis populus designatur? Quia quem Iacob per carnis mortem supplantare studuit, hunc nimirũ per oculos fidei gentilitas Deum vidit. Ad Iacob ergo missum verbum, in Israel cecidit: quia eum quem adesse veniẽtem Iudaicus populus respuit, hunc repenté confitens populus gentilis inuenit. De sancto quoque spiritu scriptum est: cecidit spiritus domini super eos. Idcirco autem verbum domini vel Spiritus sanctus in sacra scriptura cadere dicitur, vt inopinatus eius aduentus exprimatur. Quod enim ruit,

Gen. 3.

Ioan. 9.

Exo. 13. Figur. 2

Esai. 9.

Acto. 10.

A vel cadit ad ima repenté venit. Mediatorẽ ergo in terram quasi corruisse, & nullis signis præcurrentibus inopinaté ad gentem venisse. Bené autem dicitur quod corruẽs adorauit: quia dum ipse humilitatis carnem suscepit, ipse credentibus vota humilitatis infudit. Fecit enim quia fieri docuit: sicut & de eius spiritu dicitur. Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, idest, postulare facit. Quanuis hoc & in semetipso Redemptor noster ostendit, qui patrem etiam dum passioni B propinquaret, exorauit. ¶ Hoc idem mysterium de reprobatione istorum colonorum, hoc est, Iudæorum figuratum fuit in facto Dauidis & Vriæ atque vxoris eius Bersabe. Quod sacra narrat historia. 2. Regum. 11. Cuius obsecro Dauid in solario deambulans (inquit Grego.) typum tenet, nisi eius de quo scriptum est: in sole posuit tabernaculum suum? Et quid est Bersabe ad se perducere, nisi legem literæ, carnali populo coniunctam, spiritali sibi intellectu sociare? Bersabe enim puteus septimus dicitur: quia nimirum per cognitionem C legis infusione spiritalis gratiæ perfecta nobis sapientia ministratur. Quem veró Vrias nisi Iudaicum populũ designatur. Cuius nomen interpretatum dicitur. lux mea Dei. Iudaicus enim populus quia de accepta legis scientia extollitur, quasi de Dei luce gloriatur. Sed huic Vriæ Dauid vxorem abstulit sibique coniungit: quia videlicet manu fortis quod Dauid dicitur, in carne Redemptor apparẽs dum de se spiritualiter loqui legem innotuit: per hoc quod iuxta literam tenebatur, hanc à Iudaico populo extraneam demonstrauit, sibique coniungit: quia se per illã præ D dicari declarauit. Vriam tamẽ ad domum ire Dauid admonet, pedes lauare: quia incarnatus Dominus veniens Iudaico populo præcepit, vt ad conscientiam redeat, sordes operum fletibus tergat, spiritualiter legis mandata intelligat: & post tantam duritiam præceptorum, fontem baptismatis inueniens: ad aquã post laborem recurrat. Sed Vrias qui arcam Domini esse sub pellibus meminit: respondit: quod domum suam intrare non possit. Ac si Iudaicus populus dicat: ego mandata Dei in ta

Rom. 8.

2. Reg. 11.

Grego. 3. mora c. 26 Psal. 18. Figura.

crificijs carnalibus video, & redire ad cõscientiam per spiritalem intelligentiã non requiro. Quasi enim arcam esse sub pellibus dicit, qui præcepta Dei non nisi ad exhibendum ministerium sacrificij carnalis intelligit. Hunc tamẽetiam redire ad domum nolentem, Dauid ad mensam vocat, quia quamuis Iudaicus populus ad conscientiam reuerti contemnat, ei tamen Redemptor veniens mandata spiritalia prædicat dicens: si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi. De me enim ille scripsit. Legem itaque Iudaicus populus tenet, quæ eius diuinitatem loquitur: cui idem populus credere dedignatur: vnde & Vrias ad Ioab cũ epistolis ex quibus occidi debeat, mittitur: quia idẽ ipse iudaicus populus legem portat, qua conuincente moriatur. Dum enim mandata legis retinent implere renititur: ipse nimirum defert iudicium vnde damnetur. De quo iudicio dominus impresentiarum ait: veniet & perdet colonos istos. ¶De hac etiam reprobatione iudæorum & vocatione gentium explicat Augustinus locum illũ Psalmi. 41. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, quoniam dij fortes terræ vehementer eleuati sunt. Lege illũm. ¶De hac eadem intelligebat rex Dauid cum in Psal 68. canebat: Deleãtur de libro viuentium & cum iustis non scribantur. Ante enim Christi aduẽtum videbatur sola gens iudaica hunc librum occupare, quoniam propter electionem (vt ait Apostolus) charissimi erant, & soli populus Dei peculiaris, genus electum, gẽs sancta: cæteris interim populis sub ira Dei cõclusis, atque ita vt filijs mortis in mortis libro descriptis. Post Christi autem passionem, & in cœlos ascensionem, iudæis nolẽtibus oblatam gratiam recipere, gentibus autem ẽcontrario ambabus (vt aiunt) manibus Dei gratiam excipientibus, mirabilis facta est commutatio: meritoque deleta est iudaica gens de libro vitæ, in quo patres eorum quos persecuti sunt, vt populus dilectus, scripti erant, fuerantque & ipsi non delendi, si nõ seipsos indignos præstitissent: populus autẽ nationum, in librũ vitæ meruit sua credulitate ex Dei munere scribi. Atque ita quidem in generali, populi totius reprobatio designatur: nõ quidem ita vt ex eis nemo possit salutẽ consequi, aut quasi singuli fuerint exclusi, sed quia non amplius tota gens illa, vt olim, in electione & peculio Dei (vt ita loquar) permansit. ¶Esaias etiam specialiter intuens huius populi iniquitatem eò quod & Prophetas & Christũ occiderint: intuens etiam eorum perditionem propter scelera à se commissa ait: quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis plena iudicij: iustitia habitauit in ea: nũc autem homiccidæ. Argentum tuum versum est in scoriam: vinum tuum mistũ est aqua, principes tui infideles socij furum. Omnes diligunt munera sequuntur retributiones. Pupillo non iudicant: & causa viduæ non ingreditur ad eos. Propter hoc ait Dominus exercituum fortis Israel. Heu ego cõsolabor super hostibus meis & vindicabo de inimicis meis. Quæ verba & si ad tempora Prophetæ referantur, tamen specialiter ad Christi incarnationem pertinent. Quando penitus recesserunt à Deo patre familias & filium eius occiderũt ob suam detestabilem & insatiabilem auaritiã. Vnde admiratus ait: Quomodo facta est meretrix, non tam opere quam mente à Deo suo recedendo, ciuitas illa olim fidelis: plena veri iudicij? Iustitia enim tanquam in propria domo tunc temporis habitauit in ea: nunc autem habitant homiccidæ prophetarum, atque ipsius veri domini veriquẽ heredis. Argentum tuum versum inquit est in scoriam, hoc est, eloquia scripturæ sacræ versa sunt in sordis prauæ doctrinæ scribarum & pharisæorum. Vinum tuum mistum est aqua. Idest austeritas legis mista est cum mollicie pharisaicæ traditionis. Principes tui infideles. i. scribæ & pharisæi & sacerdotes tui qui debebant iudicare populum, in Christum nõ credentes, nec suis præceptis parentes infideles inuẽti sunt. Hi omnes socij sunt furum, quod diligant munera, quod sequantur retributiones, hoc est, quod auaritia scateãt: qua affecti dixerunt: hic est hæres venite occidamus eum: & nostra fiet hæreditas. Propter quod hæc dicit dominus Deus, hoc est, pater familias vineæ. Heu ego cõsolabor super hostibus meis, & vindicabo de inimicis

Ioan. 5.
Psal. 41.
Psal. 68.
VI. Titel. in annota.
Esai. 1.
Explicatur locus.

micis meis: ac si diceret: perdam colonos istos, fures, & homicidas: perdam pharisæos & scribas istos, & auferã vineam ab eis, & dabo illam genti facienti fructus eius. Quod vt significaret addit Dominus statim. Et conuertam manum meam ad te i. conuertam ad puniẽdum te manũ meã, quam patiendo diu, quasi plicatam tenui: & excoquam, igne tribulationis, ad purũ scoriam tuam, hoc est, sordes vitiorũ tuorum: & restituam iudices tuos vt fuerunt prius & consiliarios tuos sicut antiquit9. i. loco Moysis, Aaron, Gedeonis, Iosue dabo tibi Apostolos aliosque Ecclesiæ rectores tanquam vineæ colonos; qui consilia Dei & mysteria cœlestia tibi aperiãt. Post hæc vocaberis ciuitas iusti. Ciuitas, scilicet, Christi quę cum sit supra montem posita abscondi non potest. Et vrbs fidelis, eo quod in Christum credas. Sion in iudicio redimetur. i. Ecclesia fidelis congregata ex reliquijs Israel redimetur sanguine filij missi à patrefamilias. Et reducent eam in iustitiam: reducent inquam, eã ad Christum Apostoli noui coloni eius. Et conteret sceleratos & peccatores simul. Dominus enim conteret, perdet ac deuastabit sceleratos colonos, hoc est, sacerdotes & peccatores subditos, qui in hæredis morte consenserunt. Et qui dereliquerunt dominum consumentur. Hic, scilicet, & in futuro quod in sua malicia permanserint.

Vi. gl.

¶ Dauid etiam mirificé quidem hanc Iudęorum perditionem & populi fidelis vocationem & electionem in spiritu describere volens ait Psal. 106. posuit flumina in desertum & exitus aquarum in sitim. Terram fructiferam in salsuginem à malicia inhabitantium in ea: posuit desertum in stagna aquarum & terram sine aqua in exitus aquarũ & cætera quæ vsque ad versum. 38. sequuntur. Obserua versus singulos diligenter & videbis quam admirabilem commutationem fecerit Deus pater familiasque cœlestis in temporis plenitudine, post euangelicæ statim prædicationis initiũ. Posuit, inquit, flumina in desertum: hoc est, terra Iudeæ, quæ prius lege Dei, eiusque cultu sola videbatur aquis irrigata facta est quasi desertum absque aqua: dum repellẽtes filium hæredem, euã

Psal. 106. Explicatur locus.

A gelicæque gratiæ prædicationem, iusto Dei iudicio bonis omnibus sunt priuati. Vt viuant modo in maxima ariditate absque vera scientia Dei & lege, idest, absq; humore omnis gratiæ, vt summa iam siti veri potus priuentur. Terram, inquit, fructiferam in salsuginem à malicia habitantium in ea. Terram istam quæ olim in cultu Dei vberes fructus ferebat: in qua sola colebatur & agnoscebatur Deus: conuertit in terram infœcundam, & in terrã quasi esset sale perfusa, vt amplius fructum nõ posset perducere: idque non propter Dei

B mutabilitatem (sine pœnitẽtia enim sunt dona Dei) sed propter maliciam eorũ qui habitabant in terra illa. Propter Iudæorũ nimiam impietatem & consumatam tandem maliciam: qui sicut à principio eductionis de AEgypto semper fuerunt rebelles, ac post etiam prophetarum interfectores, ita tandem in temporis plenitudine prophetarum dominum interfecerunt. Hic est, inquiunt, hæres venite occidam9 eum: & non solũ dominum sed plerosque seruorum eius: vt adimplerent mẽsuram patrum suorum: & veritati euangelicæ,

Rom. 11.

C quam Deus voluit mundo prædicari, pertinacissime restiterunt, vt merito super eos veniret omnis sanguis interfectorum, & vltio de eis perfecta sumeretur, in eorũ reprobatione & totali abiectione. Econtrario verò loca deserta & inaquosa, in quibus ante nulla fuerat aqua commutauit Deus in stagna aquarum, & ideo ait Propheta: posuit desertum in stagna aquarum & terram sine aqua in exitus aquarũ. Hoc est, populũ gentium (qui prius quasi non populus æstimatus, totus erat omni humore bono destitutus, non habens sciã

D Dei, neque legis, neque prophetarum in summa viuens ariditate) per apostolicam prædicationem Deus abundé rigauit, sciẽtia fidei donauit, spiritu sancto suo fœcundauit, & omnibus bonis copiosé adimpleuit, ita vt nihil desit illis in vlla gratia. Et collocauit (inquit) illic esurientes. Hoc est Deus collocauit in populo gentium famelicos, quos omnes ibi congregauit, tãquẽ in ouili suo, vt illic esurientes pascetet, & impleret bonis, diuitibus illis & fastidiosis Iudæis in vacuitate sua relictis:

&

& constituerunt ciuitatem habitationis, idest, congregati gentium populi in vna fide in vna spe vocationis suæ, in vna doctrina veritatis, in vno baptismo, in vno domino, in vno spiritu, constituerunt ciuitatem Dei, quę est sancta Ecclesia, vt habitarent in ea, tanquam in domo domini Dei sui: quomodo olim populus Iudaicus ille synagogam constituerat, ita hac abiecta, succedens in electione & vero cultu Dei gentium populus, nouam composuit Ecclesiam, quæ supra firmam petram fundata, & per architectos peritissimos constructa voluntate Dei non deficiet vsque ad consumationem seculi. Et seminauerunt agros & plantauerunt vineas. i. qui hanc ciuitatem inhabitant, qui priores in eam fuerunt ingressi, soliciti fuerunt de proximorũ salute, in opere Dei se fideles exhibuerunt, nequaquam otiosi defecerunt, sed viriliter egerunt, soliciti in vicinis locis & regionibus seminare verbum Dei, aliasque particulares Ecclesias fundare, quasi vineas Domini Sabaoth electas: alius seminabat, alius plantabat, alius rigabat, nec frustrati sunt labore suo: nam fecerunt fructum natiuitatis. Nõ inquam fuit absque fructu labor eorũ, Deo enim incremẽtum dante, & interius efficaciter illis cooperante, fructum bonum protulerunt agri & vineę vt in hoc loco parabolę propositæ affirmat Dominus. Nec mirũ: Nã benedixit eis & multiplicati ideo sunt nimis: Adfuit illis desuper benedictio Dei per aquam abundanter multiplicati sunt fideles, qui ante pauci erant: multiplicauit etiam iumenta habitãtium Ecclesiam nedum minorauit, idest, fideles simplices, qui tanquam iumenta in sua simplicitate sub obedientia maiorum viuunt, nõ paucos effecit, sed plurimos. Copiosa enim Dei benedictio Ecclesiam adimpleuit fidelibus: qui licet simplices sint & non multum alta eruditione, recta tamen fide & bona obedientia ecclesiæ subditi, sicut iumenta suis dominis, diriguntur à præpositis in via salutis. ¶ Esaias cap. 5. egregie depingit hanc eandem parabolam vineæ & perditionem Iudęorũ ad literam quæ etiam exponi potest de ecclesia catholica in genere & de singulis hominibus fidelibus in particulari. Lege glossam. ¶ Atque idem Esaias cap. 50. mirificé describit Iudæorum abiectionem, quod Christum nõ solum non receperint sed crudeliter & immaniter occiderint. Lege glosam.

Esai. 5. (margin)

Esai. 50. (margin)

¶ *Ille autem aspiciens eos ait.* Vt doceret eum esse illum hæredem quem interficere cogitabant: in illos oculos direxit: & vt suam perditionem imminentem intelligerẽt: sic res agi solet cum superbis. Vnde sanctus Iob cap. 40. ait. Respiciens omnem arrogantem humilia. Et huic consonat quod in Prouer. cap. 20. Rex qui sedet in solio iudicij: dissipat omne malum intuitu suo.

Iob. 40. (margin)

Prou. 20. (margin)

¶ *Quid est ergo hoc quod scriptum est: lapidem quem reprobauerunt ædificantes hic factus est in caput anguli.* Solet scriptura inquit Augustinus in multis locis dicere aliquid, quod in illa re gesta quam videtur commemorare non inuenitur, aut saltem aliter esse inuenitur. Nam in plagis AEgyptiorum quæ numerãtur in Exod. vbi maxime scriptura curauit, vt ea quibus afflicti sunt, omnia, ex ordine dicerentur, sed non inueniuntur illa quæ leguntur Psal. 77. & dedit ærugini fructus eorum. Illud etiã quod in eodem Psalmo legitur. Et tradidit grandini iumenta eorum, & possessionem eorum igni. De iumentis grandine occisis legitur in Exodo quod veró possessio eorum igne cremata sit, omnino non legitur. Quanuis voces & grãdines cum igne fierent, sicut tonitrua cum fulgoribus solent, non tamen scriptum est, aliquid traditum igni, vt arderet. Quod in Psalmo isto. 117. legitur lapidem quem reprobauerunt ædificantes ita accidit: & tamen in historia ædificationis templi, in libris Regum & Paralipo. hoc scriptum non inuenimus. Ioan. 8. dicitur; Quod Iudæi Christum vocabant Samaritanum. Nonne (inquit) benẽdicimus nos, quod Samaritanus es tu, & dæmoniũ habes? Sed nunquam legimus aliquo euangelij loco Christum dominum Samaritanum fuisse vocatum. Multa ergo contigerunt quæ in suis proprijs locis non inueniuntur: cuius rei innumera scriptura tibi suppeditabit exempla. ¶ *Ille autem aspiciens eos ait. Quid est ergo hoc quod scrip*

Augu. Psal. 77. (margin)

Psal. 77. (margin)

Ioan. 8. (margin)

Psal 117.d Acto.4.b Rom.9.g 1.Pet.2.a Esai 28.d

scriptum est: lapidem quē reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Omnis qui ceciderit super illum lapidem conquassabitur, &c. Intelligebat enim vt diximus, totam hanc parabolam in ipsos dictam primores illorum: & cum nō abominarentur tam impium consilium colonorum, tamen detestantur impij consilij iustam vindictam. Iesus autem vt ostenderet & hoc, quod illi negabant euenturum, fuisse prædictum à Prophetis, intuitus est eos, & veluti compellans illorum conscientiam, ait: Si non creditis meæ parabolæ, quid est igitur quod legistis in Psalmis? Lapis ille quem reiecerunt ædificantes, factus est caput anguli. Se lapidem cœlestē significat Christus, quem Iudæi reprobauerunt, ædificantes synagogam absque Christo, sed Deus hunc fecit lapidem angularem, connectentem, & continentem vtrumque parietem, duosq; populos per fidem euangelicam absque legis ceremonijs in vnam ecclesiam copulantē. Atque in hos duos populos tanquam in duos parietes distribuit dominus vt Apostolus annotauit, suam misericordiam & veritatē. Ait enim Christum ministrum fuisse circuncisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones patrū. Ecce quia non fefellit Deus, ecce quia non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit. Etenim cum de casu Iudæorum ageretur, ne quis putaret sic illos improbatos, vt nihil frumenti ex illa ventilatione in horreum mitteretur, ait Apostolus: Non repulit Deus plebem suam quam præsciuit. Nam & ego Israelita sum. Si totum illud spinæ fuerunt vnde hoc granum? Ergō impleta est veritas Dei, in his quæ ex Israelitis crediderunt: & venit vnus paries ex circuncisione applicans se ad lapidem hunc angularem. Sed hic lapis angulum nō faceret, nisi alium parietem ex gentibus suscipe-ret. Ille itaque paries tanquā proprie pertinet ad veritatem: ille autem alius ad misericordiam. (Cum quibus stat sententia alia Pauli ad primum parietem pertinentis non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos sed secūdum suam misericordiam saluos nos fecit) Ait ergo Paulus, dico Iesum Christum ministrum fuisse circuncisionis

Christus lapis angularis connectens vtrūque populum.

Vi. Augu. in Psa 86. in illa verba in cælis præparabitur veritas tua.

Rom. 15.

Rom. 11.

Ad Titū 3

A propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum: gentes autem super misericordia glorificare Deum. Hos ergo parietes lapis noster reprobatus à Iudæis connectere voluit. Alterum ex misericordia, alterum verò ex promissione: quanuis non sine misericordia. Hic est lapis ille preciosus super quē ædificata est ecclesia catholica ex vtroque populo collecta quod mirificē sub allegoria temporalis Hierusalē describit Dauid Propheta Psal. 86. his verbis. Fundamenta eius in montibus sanctis. Fundamentum primarium ecclesiæ Christus fuit de quo Pau. fundamētum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Cui fundamento & lapidi angulari posteriora fundamēta hoc est Apostoli & Prophetæ nituntur. De quibus idem ait: super ædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Hęc enim sunt duodecim fundamēta ciuitatis quæ in se vidisse scribit in Apoc. Ioannes. Hæc ergo fundamenta fuerunt montes isti sancti. Christus dominus fuit præparatus mōs domus domini supra verticem montium, idest, Apostolorum & Prophetarum qui montes dicuntur à regio vate Psal. 71. Suscipiant (inquit) montes pacem populo. In his ergo montibus esse fundamenta ciuitatis Dei nihil aliud sibi vult, quam montes istos esse eius fundamenta. Diligit dominus (inquit) portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Per Sion ecclesiam, per Iacob synagogam: per portas munitionē & firmitatem huius ciuitatis, per tabernacula quæ nullam habere solent firmitatē, instabilitatem synagogæ significat vates. Et quidem quandiu in synagoga Iudæorum tantum, Deus habitabat, quasi in tabernaculo potiusquam in domo, in tentorio potiusquam in ciuitate habitabat. Nimirum vnde post modicum erat migraturus: in noua verò ecclesia stabilem sibi posuit mansionem. Ecce (inquit) ego vobiscum sum vsque ad consumationem seculi. Vt ergo dominus stabilitatem ecclesiæ designaret & synagogæ repudiationē ait Propheta diligere dominum portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Memor

Exponitur Psa 86

1. Cor. 3.

Ephe 2.

Apo. 21.

Esai. 2.

Psal. 71.

Matth 28.

ero Raab & Babylonis scientium me. Per Raab quę meritrix fuisse dicitur & Babylonem, per quam solet peccatorum congregatio designari intelligimus peccatores nominatissimos, quorū Deus memor fuit in tempore ędificationis Ecclesiæ de quibus Dominus dicebat: Multi venient ab Oriente & ab Occidente: & recumbēt cum Abraham Isaac & Iacob in regno cœlorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores. Ecce (inquit) alienigenæ, idest, Palestini, & Tyrus & populus AEthyopum hi fuerunt illic. Sub istarum gētium nomine, quæ fuerunt ante à Deo maxime alieni, intelligit gentes omnes. Ex omnibus enim gētibus, & tribubus & linguis congregauit Dominus ecclesiam suā atque ex illis tanquam ex lapidibus viuis ædificauit illam. Nunquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus? Ac si diceret: Nūquid aliquis homo sufficiet ipsi Sion exponere, enarrare & explicare, quod sequitur: videlicet quod homo sit natus in Siō, qui idem ipse fundauit eam? Sed licet hoc mysterium ipsi Sion homo dicere nō potuit, licet non homo id persuadere potuerit: Deus tamen reuelās mysteria, fecit id nobis esse credibile. Propter quod statim subditur. Dominus narrauit in scripturis populorum. Alij aliter exponunt sed nos ad rem & propositum præsens ita exponendum duximus. ¶ Lapis ergo Christus vocatur in hoc loco à Dauide: hic est lapis ille de quo etiam alius Propheta scripsit: Quia ecce (inquit) lapis quem dedi coram Iesu. Persistens quidem in hoc loco propheta in ea sententia, in qua semper versatus est, vt non solum materialis, sed etiam spiritualis Hierusalem ædificanda sit: sumpta occasione ex lapidibus materialibus, quos tractabant, sermonem facit de lapide isto spirituali eximio totius vrbis spiritualis fundamento, qui est Christus Iesus. Quia ecce lapis (inquit) quem dedi coram Iesu, idest, lapis de quo locutus sum, cum de Iesu dicerem, & quem ab ipso spectari volo. Quem ante vocauit vates iste germen, modo vocat lapidem. Eadem propę ratione. Sicut enim germē est totius amœnitatis fundamentum: ita & lapis, de quo hic loquimur totius spiritualis ædificij. Et quemadmodum ablato germine, tollitur vna & folium, & flos, & fructus: ita sublato lapide fundamēti, ruinæ periculum struitur. Et quemadmodum reliqui lapides omnes, lapide fundamenti diriguntur ita, vt omnes illo nitantur: ita omnis ædificijs spiritualis structura Christo, ne ruat, niti debet. Ita Paul. dicit: estis ciues sanctorum, & domestici Dei, super ædificati supra fundamentum Apostolorum & prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio cōstructa crescit. Differt tamen inter germē & lapidem: quod germen mollissimū est, lapis durissimus. Ita Christus vna ex parte sueuissimus est, si cum iustis, & pœnitentibus, licet quassatis, & fumigantibus confe_ratur: at alia ex parte durissimus, si cū inimicis comparetur. Ita ipse in hoc loco ait: Omnis qui ceciderit super illum lapidē, conquassabitur: super quem autem ceciderit, comminuet illum, idest, qui lapidē ferro, & insidijs appetierit, illum comminuet cupiens, ipse damnum accipiet: conquassabitur enim: in quos verò lapis corruerit, sine dubio ab ipso etiam cōminuentur. Semper enim Christus vincit, siue bellum sustineat, siue inferat: est enim lapis ille sine manibus abscisus: qui teste Daniele infregit statuam, idest, omnia mundi regna. Confugiamus ergo omnes nos ad hunc lapidem qui tutissimum & præsidium aduersus omnes insultus mundi, ac satanæ ijs, qui credentes illi inhærent & innituntur. Quod si rebelles fuerimus væ nobis. Nam certè solidus est, & inuictus rebellantibus. Nulla est enim tanta potestas huius mundi, quin cōquassetur, si in hūc lapidem impigerit: impingit autem, qui repugnat, ac reijcit. Porro comminuetur etiam, in quem inciderit ille. Incidit autē in eos, quos diu toleratos, vindicta Dei tādem opprimit inopinantes. Idem enim lapis salus est innitentibus, exitium aduersantibus. Audi obsecro quid Esaias dicat cap. 30. Subito dum non speratur, veniet contritio eius: & cōminuetur sicut conteritur lagena figuli cōtritione perualida: & non inuenietur de fragmētis eius testa, in qua portetur igniculus de incēdio: aut hau-

Matth. 8.

Zachar. 3. Explicatur locus.

Cur lapis Christus dicatur.

Omnis structura spiritualis Christo ne ruat niti debet.

Ephe. 2. b

Christus vna ex parte durissimus, ex alia vero mollissimus.

Esai. 42. c

Sēper christus vincit siue bellū sustinens, siue inferens.

Esai. 30.

hauriatur parum aquæ de fouea. Precemur ergo dominum si peccauerimus vt nos corripiat sed non ita vt conteramur. Dicamus cum propheta. Corripe me Domine, sed non in furore tuo ne forte ad nihilum redigas me. Calamum quassatum non conteras: vt Esaias pollicetur. ¶ *Lapidē quem reprobauerunt ædificantes hic factus est in caput anguli, &c.* Psalmus iste citatur à tribus Euangelistis iuxta translationem septuaginta. Et apud hos tres Euāgelistas hæc verba Psalmi de se Dominus interpretatur. Quare dicendum est hunc Psalmum de Christo loqui. Nec audiendi sunt Rabini & si qui alij sunt, qui hos versus Psalmi, & totum Psalmum à Christo auertunt.

Hiere. 10. Esai. 42.

¶ *Et quærebant principes sacerdotum & scribæ mittere in illum manus illa hora. et timuerunt populum: cognouerunt enim quod ad ipsos dixerit similitudinem hanc.* Etenim homines sibi mali conscij: nunc hoc ipso fiunt ad malefaciendum irritatiores, quo deberent à malicia deterreri. Si enim peccatoribus vitam suam male actam depingas, & interitum, nisi resipiscant ac doleant, prænuncies: non solum non reuocantur à vitijs, sed eo ipso fiunt deteriores: statimque volunt in corripientem manus inijcere. Quod facerēt nisi ab impio facinore iudicis metus cohiberet. Aiunt enim qui eiusmodi sunt inter se illud quod Salo. scribit in Prouerbijs capit. 1. Insidiemur sanguini: abscondamus tendiculas contra insontem frustra: deglutiamus eum sicut infernus viuentem, & integrum quasi descendentem in lacum. Hi sunt de quibus Amos propheta cap. 5. ait: Odio habuerunt corripientem in porta: & loquentem perfecte abominati sunt. Et de quibus Dominus Psalmo. 108. pro eo vt me diligerent detrahebāt mihi: ego autem orabam.

Pro. 1. Amos. 5. Psal. 108.

¶ Domi. 22. post Pent.

ET obseruātes miserunt insidiatores, qui se iustos simularent vt caperent eum in A sermone. Et traderent illum principatui, et potestati præsidis. Et interrogauerunt eū, dicentes, Magister scimus quia recte dicis, et doces: et non accipis personam sed viā Dei in veritate doces, licet nobis tributum dare Cæsari, B an non? Considerans autem dolum illorum, dixit ad eos, Quid me tentatis? Ostendite mihi denarium. Cuius habet imaginem et inscriptionem? Respondentes dixerunt, Cæsaris. Et ait illis. Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari: C & quæ sunt Dei, Deo. Et nō potuerunt verbum eius reprehendere coram plebe: & mirati in responso eius, tacuerūt.

Matt. 22 b Marc. 12 b Rom. 13. e

¶ Metu plebis exclusi pharisæi à palam occidēdo Christo, quod iam in animo patrarant, postquam decreuerant, per cuniculos aggrediūtur efficere, hoc etiam sceleratiores, quod fraudem addūt maliciæ: D quemadmodum scéleratior est, qui veneno occidit, quam qui gladio. Audi nunc dolos & artes impiorum sacerdotum, qui ideo Iesum volūt extinctum, hoc est, ideo veritatem euangelicā volunt oppressam, quia per eam aufertur cultura vineæ (de qua paulo ante dicebamus) cuius dominatum sibi perpetuum atque hæreditarium promiserant. Dissimulant iram, & obseruant omnem occidendi occasionem. Submittunt verò quosdam qui se iustos simularent (nihil autem simulata iustitia capitalius) vt ex illius sermonibus venarentur aliquid, quod deferri posset apud Cæla-

teos

reos præfectos ac præsidem Pilatum, qui tum in Iudæa nomine Cæsaris rerũ summa potiebatur, vt inuidia facti transferretur in hos, quorum sententia fuisset occisus, ipsi velut innoxij temperasse viderentur à sanguine sed quo magis humana versutia conantur dissimulare, hoc magis ac magis traducunt suam insignem maliciã. Nunc Euangelistam audiamus.

¶ *Et obseruantes, miserunt insidiatores, qui se iustos simularent, vt caperent eum in sermone.* Sicut multi fuerunt hodie obseruantes omnem occasionem occidendi Christum: & ideo confœderati in vnum conueniunt: sic multi sunt hostes qui omnem occasionem obseruant interficiendi animas nostras. Caro enim mũdus, ac diabolus, nos vndique circundant & obseruant vt perire faciant: submittunt simulatam iustitiam, sanctitatem, & religionem aut delitias, vt horum prætextu nos venẽtur. Quibus si sapimus respõdendum est: quid me tentatis hypocritæ? Vt ab his insidiatoribus & obseruatoribus liberaretur Dauid præcabatur Dominũ dicens: Erue me à circundantibus me. Tot sunt hostes qui nos circundant & qui obseruant omnem tentandi occasionem simulatam. Vt cum Iob dicere possimus: Obsederunt in gyro tabernaculum meum. In gyro obsident: quia ab omni parte parant laqueos mortis. Nulla est pars ab hoste libera. Hinc caro nos impetit simulatẽ: illinc mũdus oppugnat hypocrisi: alia ex parte quasi exalto dæmon in angelum lucis transfiguratus inuadit: & suis astutijs subtilissimis mentem perforare nititur: vt ad illam intrare valeat. Merito ergo quisque nostrum tantam hostium multitudinem circunspiciens Dauidem imitatus dicere poterit: Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me: multi insurgunt aduersum me. Oppugnamur ab hominibus hypocritis qui suo fuco & simulatione nos in suos errores aut vitia trahere contendũt. Quibus dicẽdum est quid me tentatis hypocritæ? Obseruamur à carne, quæ eo periculosior est hostis, quo magis domesticus. Hæc sub prætextu salutis aliás ad Deo seruiendum conseruandæ, nos à sanctis ieiunijs, vigilijs, peregrinationibus quibus

Multi sũt hostes qui omnem occasionẽ obseruant interficiẽdi animas nostras.

Psal. 31.

Iob. 19.

Psal. 3.

A misera caro castigatur, reuocare curat. Sunt alij multo & potentiores & callidiores hostes, semper obseruantes qua via nocere possint. Dæmones hi sunt. Quorum astutia tanta est, vt sicut bestia ante hominem, sic ante dæmonem sit astutissimus hominum. Quam ob causam (quantum mea fert opinio) dæmones venatores appellãtur in scriptura sacra: quoniã nos ad illorum astutiam & simulationem relati, bestiæ sumus, illorum venationi expositi. Ipse liberauit me (inquit Dauid) de laqueo venantium. B Dæmones propter illorum in decipiendis & capiendis hominibus astutiam, appellauit venatores: à quorũ insidijs & laqueis occultis quia se proprijs viribus eripi posse non credit, in adiutorio altissimi habitare conatur: & in protectione Dei cœli commorari. Nam quia suis viribus diffidit, auxilium implorat diuinũ dicens: exultatio mea, erue me à circundantibus me. Nos igitur idem faciamus si à tot obseruatoribus liberari cupimus. ¶ Præterea obserua: quod pharisæi se Christi domini amicos simulant: vt C eum dolo caperent. De huiusmodi hominibus aiebat olim Dauid Psalmo. 5. Virũ sanguinum & dolosum abominabitur dominus: vide quam grande malum sit esse dolosum, quod virum dolosum cum viro sanguinum coniungit: & æqua illum lance pensat. Et merito quidem, quoniam (vt de ipso Esaias ait) ipse cogitationes cõcinnauit ad perdendos mites in sermone mẽdacij. Et Hieremias ait: In ore suo pacem cum animo suo loquitur, & occultẽ ponit ei insidias. Propter quod rectẽ Eliu apud Iob ait: Simulatores & callidi prouocant D iram Dei. Hi sunt de quibus rex Dauid in Psalmo. 11 ait: Labia dolosa in corde, & corde locuti sunt. Dicens in corde, & corde, duplex cor significat. Qui autem sic duplex est corde, grauissimẽ peccat. Tum, quod mendax esse cõuincatur: tum, quod qui talis est proximum cui loquitur, & cũ quo cõuersatur decipere optat: quod impræsentiarum in his pharisæis obseruantibus Christum videre est. At ille qui fratrẽ decipit & dolis suis ei damnum aliquod inferre contendit, perpetuam fœlicitatẽ non consequetur. Nam interrogãte eodẽ

Psal. 90.

Psal. 5.

Vir dolosus cũ viro sanguinũ coniungitur, & merito.

Esai. 32.

Hiere. 9.

Iob. 36.

Psal. 11.

Psalmi

Psalmista Dnm: quis habitaret in taberna culo eius: aut quis requiesceret in monte sancto illius: responsum accepit huiusmodi: qui loquitur veritatẽ in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua. Et post pauca ait: qui iurat proximo suo & non decipit: ex quibus colligimꝰ, eum qui agit dolum in lingua sua, aut proximum suum decipit, in monte Dei sancto, hoc est æterna illa beatitudine requiescere nõ posse. At nullus nisi peccator arcetur ab illo sancto Dei monte. Peccatorem ergo oportet esse illum qui dolum agit in lingua sua, & proximum suum decipit. Nec leue putandum est hoc peccatum, sed grauissimum: vt pote quod omnem humanum tollit conuictum. Si veritas in ore non est: nullus alteri credet: si credulitas abest & inconfidentia, aberit etiam omnis humana conuersatio. Quis volet audire illum, de quo dubitat an verẽ aut simulate & dolosẽ loquatur? Quis illi fidet? Quis paciscetur cum illo? Fide, veritate, & sinceritate abrogatis perit omnis cõuictus: perit omnis ciuilitas: imo ipsam totam ciuitatem perire necesse est: cum iam nihil supersit, quod illam animorum vnitatem quæ ad veram ciuitatem exigitur conseruare valeat. Cum terra esset vnius labij & eũdem sermonem haberent omnes homines, cœperunt ædificare turrim Babel: vt autem Deus eorũ linguam confudit, statim cessatũ est ab opere: nec amplius ædificare potuerũt. Quomodo potuissent ædificare: si alius alium in opere adiuuare nõ poterat? Quomodo potuissent se inuicem adiuuare, si vnus alium non intelligebat? Possibile sané non est, vt vnus alteri ministret, præbens illi quod petit nisi illum iubentem intelligat. Nam aliás contingere necesse est, vt sæpe lapidem pro calce, ligna pro clauis offerat. Quo rerum gerendarum ordine, ædificium male profecisset. Sic etiam eueniet inter eos qui duplici sunt animo: quoniam nullus alium intelligit: eò quod eorum quilibet specialem habet linguam, quam alius intelligere non potest. Si quod ore affirmas, hoc maxime corde negas: si quod ore probas, hoc mente damnas, nullus tuam linguam cognoscere poterit. Si hosti vultum prætendis amicum: vel amicũm tractas vt hostem, quis te intelliget? Vel duo, vel nemo: nemo Hercule nemo. Deinde si quis te non agnoscit amicum, quo pacto veniet illi in mentem vt tibi vicem reddat: aut saltem gratias agat? Si tu etiam hostem tuum putares amicum, quo pacto te obseruabis ab illo? Vix certẽ fieri potest vt eius manus effugias. Propter quod Propheta regius hoc agnoscens, in alio quodam Psalmo diuinum implorabat auxilium: vt ab huiusmodi hominibꝰ liberaretur. Saluũ me fac Dñe quoniam defecit sanctus: quoniã diminutæ sunt veritates á filijs hominum. Vana vel (vt alia trãslatio habet) mẽdaciũ locuti sunt: vnusquisq; ad proximum suũ: labia dolosa in corde & corde locuti sunt. Ideo se á Deo saluari petit: quod non putet se ab huiusmodi hominibus liberari posse. Qua propter pœnam huiusmodi hominibus paratã statim subiũgit: disperdat (inquit) dñs vniuersa labia dolosa. Quę verba nõ sunt imprecantis aut vltionẽ optantis: cũ non sit consuetudo aut mos sanctorũ maledicere: sed verba sunt hominis diuinã sententiam prophetico spiritu pronũciantis, in eũ qui dolosẽ agit cum proximo suo. Tales erant pharisęi isti, tales scribę & legis periti: qui sua simulata versutia, adoriuntur Iesum, sese iustos simulantes: vt ex illius verbis venarentur aliquid, quo accusari posset apud iudices Cæsaris. Ab his precabatur Christus liberari: & precari nos debemus, dicentes cum regio Propheta Psal. 27. Exaudi dñe vocem orationis meę: dum oro ad te. Ne simul tradas me cũ peccatoribꝰ: qui loquuntur pacẽ cũ proximo suo, mala autem in cordibus eorum: da illis secũdũ opera eorũ, &c. Hoc idẽ postulabat Christus dñs á patre Psal. 34. dicens: Non super gaudeant mihi: qui aduersantur mihi iniquẽ: qui oderũt me gratis & annuũt oculis: quoniã mihi quidẽ pacifice loquebantur & in iracũdia terræ dolos cogitabant. Hi reuera pharisæi odio maximo psequebãtur Christũ, & nihilominꝰ secũdũ exteriorũ signorũ iudiciũ inimicitias dissimulãt, & simulãt fingũtq; amicitiã, oculis illi & nutibꝰ (vt solẽt amici amicis) annuẽtes. Nam illi quidẽ ore pacem monstrabant,

Psal. 14.

Dolus in lingua quã graue peccatum sit.

Psal. 11.

Psal. 27.

Psal. 34.

& velut amici loquebantur, cum pace & reue entia dicentes: magister scimus quia verax es, &c. verũ intrinsecus in iracũdia terrena & pessima inuidia, (quã ipsi ex terrenis affectibus contra illũ cõceperant) dũ illi loquerẽtur, dolos cõtra illũ voluebant in cordib9 suis. In Psal. etiã. 139. orat idẽq; petit tã Christus quã quilibet iustus Eripe me dñe (inquit) ab omni malo, à viro iniquo eripe me. Qui cogitauerũt supplantare gress9 meos: abscõderũt superbi laqueũ mihi. Superbi erant homines isti, & tamẽ vt caperent Christũ in sermonibus sese iustos simulabãt. Clamemus & nos ad Dñm vt ab eiusmodi simulatoribus, dolosisque hominibus nos liberet: vt dicere possim9 cũ Christo: ad dñm cũ tribularer clamaui: & exaudiuit me. Dñe libera animã meã à labijs iniquis, & à lingua dolosa. ¶ Deinde cõsidera quo pacto Christus dñs sua sapiẽtissima respõsione. istorũ sapientiũ cõsiliũ dissipauerit: quod minime mirandũ est, cũ ipse sit de quo sanct9 Iob ait: apud ipsum est sapiẽtia: ipse nouit & decipientẽ, & eũ qui decipitur: adducit cõsiliarios in stultũ finem. Quod in hoc loco vides. Per vias. n. quas sapiẽtes isti elegerũt ad venãdũ Christũ, ipsi capti sunt: suoq; fine & desiderio frustrati. Nõ. n. est cõsiliũ cõtra dñm. Imò, neq; cõtra seruos eius. Vnde Dauid ait: captabũt in animã iusti: & sanguinẽ innocẽtẽ cõdẽnabũt. & fact9 est mihi dñs in refugiũ & Deus meus in adiutoriũ spei meæ. Impij. n. persequutionẽ excitare solent, & quasi venationẽ instituũt aduers9 animas iustorũ: cupiẽtes eos in laqueũ & perditionẽ inducere: occasionesq; semper querũt, quibus innocẽtes possint de vita tollere: sed nõ est cõsiliũ cõtra eos: quoniã aduersus oẽs dolos & machinamẽta prauorũ, factus est illis dñs in refugiũ. Eos. n. protegit dñs à cõuentu malignãtiũ, & à multitudine operantiũ iniquitatẽ: exacuẽtiũ vt gladiũ linguas suas: intendentiũ arcũ rẽ amarã vt sagittẽt in occultis immaculatos: eos protegit ab impijs subito sagittãtib9 eos: & firmantibus sibi sermonẽ nequã: & abscõdẽtibus laqueos & dicẽtibus quis videbit nos? Sed heu miseros illos: nã & si scrutati sint iniquitates: defecerũt tamen scrutãtes scrutinio: & tanquã sagittæ paruulorũ factæ sunt plagę eorũ: & infirmatæ sunt cõtra eos linguę eorũ. malũ. n. linguę eorũ in ipsos reflexũ est, quoniã ex verbis suis iudicatur & condẽnatur impius. Quæ omnia in hoc loco & facto cõtigisse cõstat: si attẽta mente euãgeliũ hoc legimus. ¶ *Miserunt insidiatores.* Hi sunt de quibus sanctus Iob scribit. c. 31. simulatores & callidi pronocant irã Dei. Hi se esse iustos simulant & iustũ responsum propter iustitiã & nõ ob aliã causam quærere affirmant. De his ait Salo. in Prouer. c. 11. Simulator ore decipit amicũ suũ: iusti autẽ liberabuntur scientia. Sed frustra iacitur rete ante oculos pẽnatorũ vt idẽ ait. ¶ *Vt caperent eũ in sermone.* Prohibe linguã tuã à malo, & labia tua ne loquãtur dolũ: si capi non vis in sermone. Diligenti ergo cura linguã tuã custodi. Nã in multiloquio nõ deerit peccatũ vt Salo. in Pro. testatur. Lingua dicitur, quia lingit. Lingit adulando, mordet detrahẽdo: occidit mẽtiẽdo. Ligat & ligari nõ potest: labilis est, & teneri nõ potest, sed labitur, & fallitur. Labitur vt anguilla, penetrat vt sagitta: tollit amicos, multiplicat inimicos, mouet iras, seminat discordias. Vno ictu multos percutit, & interficit. Blanda est, & subdola, lata & parata ad exhauriẽda bona, & miscẽda mala. Qui custodit linguã suã, custodit animã suã: quoniam mors & vita in potestate linguæ est. ¶ *Magister.* Obserua, quod nõ his, sed discipulis ait dñs: vos vocatis me magister, & dñe. & benedicitis. At vero his quid respõdet? Quid me tẽtatis hypocritæ? Commendat. n. Christus discipulorũ cõfessionẽ. tũ, quod veritatẽ dicebant: tũ etiã, quia verè illi sese Christi doctrinæ subijciebant. At verò istorũ pharisæorũ cõfessionẽ non cõmedat: quod eius cœlesti doctrinæ nõ subdebantur: quare illis non ait: benedicitis, sum etenim. Atq; ob eandẽ causam ei qui dixit: magister bone, respõdit: quid me vocat bonũ? Ex fatuis virginibus dicẽtibus: dñe dñe aperi nobis: nõ dixit, vos vocatis me, dñe dñe, & benedicitis: sed quid ait? Amen dico vobis nescio vos. Doctrinã ergo Christi ex animo suscipiamus, atque sequamur, si volumus vt nostrã confessionẽ maxime cõmendet. Alias enim respondebis: quid me tentatis hypocritæ.

Marginalia: Psal. 139. — Vi. Aug. — Psal. 119. — Iob. 12. — Psal. 93. — Psal. 63. — Iob. 31. — Pro. 11. — Pro. 1. — De vitiis linguæ Ber. de interi. domo c. 50. — Pro. 10. c — Ibidem. 18 d — Ioan. 13. — Matth. 25 — S. Tho. in Ioan. 13.

¶ Magi-

¶ *Magister, scimus quia recte dicis, & doces: & non accipis personam, sed viam Dei in veritate doces.* Respondere poterat his verbis Christus quod Dauid in eius persona dicebat: si veré vtique iustitiã loquimini, recté iudicate filij hominũ: si veré sum magister, si recté dico & doceo: si viam Dei in veritate doceo vt vos dicitis: quare mala iudicatis? Quare me dignum esse morte dicitis? Quare me modo adorimini dolosis verbis? Quare Cæsaris imaginem mihi rerum omnium conditori ostéditis, & meã imaginem in cordibus vestris depictam deletis? ¶ *Nõ accipis personam.* i. liberé loqueris: nec est apud te respectus personarũ, vt ingratiã vllius quãlibet potentis mentiri velis, sed semper habes præ oculis Deũ, quod illi gratũ est, simpliciter ac libere doces. Quam veré hęc personati isti satellites pharisæorum dixerint vel ex Christi responsione colligi potest. Quid me (inquit) tentatis hypocritæ? Liberé enim eos hypocritas vocat vt alter Euãgelista narrat. Hæc quidé est sanctorũ in reprehendédo libertas vt nullus apud illos sit personarum respectus: nullis enim insidijs, nullis minis, nullis pœnis terrentur. Hinc est vox illa Pauli. Laboro vsque ad vincula quasi malé operãs, sed verbũ Dei non est alligatũ. Ac si diceret: hasta quidé suppliciorũ ferior: sed tamen verborũ sagittas emittere non desisto. Vulnera crudelitatis accipio: sed cor infideliũ vera libere loquendo transfigo. Quãuis ergo dicatur illud Iob: super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta & clypeus, nunquã á loquendi libertate atque feruore suo per ista vir sanctus conpescitur. Contra equũ quippe Dei. i. iustum, quia prauorũ consilia perstrepunt, pharetra sonat: quia aperta pœna exquiritur, hasta vibratur: quia veró ei etiã disputationi resistitur, clypeus antefe rtur. Sed nũquid á feruore suo per ista cõpescitur? Vir enim sanctus, quo maiore persecutione premitur: eó ad prædicandũ veritaté acrius instigatur: & cũ patienter persecutores tolerat, ardéter ad se auditores trahere festinat. Vnde & bené adhuc de equo Dei subditur in Iob: feruens & fremens sorbet terrã: nec reputat tubę sonaré clangoré. Primo nãq; peccanti homini dictũ est: terra es, & in terrã ibis. Tubæ auté clangũt, cũ huius seculi potestates loqui sanctos terribiliter prohibet. Quia igitur prædicator zelo sancti spiritus inflãmatus, vel inter supplicia positus, quoslibet peccatores ad se trahere nõ desistit: feruẽs proculdubio terrã sorbet: quia veró persecutorum minas minime formidat, clangoré tubæ sonare nõ reputat. Tuba enim quæ discrimen belli denunciat, quid est aliud quã vox seculariũ potestatũ: quæ contẽpta resistẽtibus, mortis certamen parat? Hęc á principibus sacerdotũ tuba sonuerat, cũ flagellatos Apostolos de Deo loqui prohibebant, sicut scriptum est: cæsis denunciauerũt, ne loquerẽtur in nomine Iesu. Sed videamus quomodo equũ Dei clangor tubę nõ terreat. Ait Petrus: obedire oportet Deo magis quã hominibus. Qui & alijs quoq; persequẽtibus dicit: Nõ enim possumus quæ vidimus & audiuimus, nõ loqui. Equus ergo clangoré tubæ nõ metuit, quia prædicator egregius despectis potestatibus seculi nullos minarũ sonitus pertimescit. Paulus etiam erat verus equus Dei, qui nec lapidibus obrutus á veritate sermonis remoueri nõ potuit vt videre est apud Lu. Acto. 14. Esaias ille insignis vates erat verus equus Dei, qui nullis terroribus commotus dicebat: audite verbũ dñi principes Sodomorũ: & rursum alius Propheta liberé loquẽs aiebat: Radix tua & generatio tua de terra Chanã: pater tuus Amorrhæus, & mater tua Chetæa. Hãc ergo fortitudinem & audaciã in reprehédédo cõtulit dñs equis suis, hoc est, sanctis prædicatoribus suis de quibus allegoricé dñs apud Iob dicebat: Nũquid prębebis equo fortitudinem, aut circũdabis collo eius hinnitũ? Equus Dei habet fortitudiné, quia aduersa cõstanter tolerando liberé loquitur veritaté: habet hinnitũ, quia ad superna blandiẽs vocat.

Ostendite mihi denariũ. Cuius habet imaginẽ? Inter alias causas quę assignari solẽt quare Christus interroget quæ ipse optime nouerat, assignatur á Chrysost. ho. 17. in Matth. Hæc quando dñs (inquit) interrogat, non quia ignorat interrogat, sed quia per responsioné ipsorũ, obnoxios pœnę esse vult ostédere. Vt cum in hoc loco

Marginalia: Psal. 57. — Matth. 22 — Libertas sanctorum in reprehédendo ostenditur. — 2. Timo. 2 — D. Gregor. 31. Mora. c. 23. — Iob. 3. — Gen. 3. — Acto. 5. — Ibidem. — Acto. 4. — Acto. 14. — Esai. 1. — Ezech. 16 — Iob. 39. — quare Christus aliquando interrogabat quæ optime nouerat.

interrogat cuius esset effigies numismatis, eum illi Cæsaris respondissent, illico subiungit. Reddite igitur quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Nõ enim ait, date, sed Reddite.

A

¶ *Ostendite mihi denarium. Cuius habet imaginem & inscriptionem? Dicunt ei: Cæsaris. Et ait illis. Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ sunt Dei Deo.* Intelligens Iesus fraudulentæ blanditiæ, & insidiosa interrogatio, quo tẽderent: nimirũ huc, vt si, quod sperabãt fore, respõdisset, nõ esse fas vt populus Deo sacer seruiret ac censum penderet impio & idolatræ principi: quam opinionẽ pharisæi probabant, etiam si profiteri non auderent: rursum subornarent, qui deferrent eum apud Pilatũ Cæsaris præsidem læsæ maiestatis: sic euangelica prudentia fraudulentiam illorum elusit, vt & illis adimeret captatã ansam lædendi, & admoneret quid ipsos oporteret facere, quod sine dubio nemo nõ sine certo salutis suæ periculo foret omissurus. Neque enim in hoc venerat Christus vt doceret quãtum Cæsaribus aut Cæsarum præceptis pendi deberet, sed quid ex spirituali censu deberetur Deo, qui dñs est omnium. Ostendite (inquit) mihi denariũ. Nõ enim agnoscit Cæsaris imaginem, qui nihil habet in terris. Exhibito nũmo rogauit quæ nam esset imago & cuius haberetur inscriptio. Nec ista nouit qui verẽ Christianus perfectus est omnia mundi bona contemnens: aiũt qui nouerant, nimirum mundo dediti: Cæsaris: subijcit Iesus, reddite igitur Cæsari, si quid ad Cæsaris ius pertinet. Neque enim hoc mea refert, quid exigant huius mundi principes. Cæterum illud magis ad rem pertinet, vt reddatis Deo quod illi debetis. Agnoscite illius imaginem expressam in animis vestris, agnoscite titulum illius, & inscriptionem. Totus animus illi debetur, nec alij seruire debet, quam ei qui cõdidit & corpus & animam: cur autem Dei gerens imaginem datur diabolo? ¶ Ex his colliges primũ nos esse nũmos Dei: natura & gratia Dei ferentes imaginẽ, & inscriptionẽ. In principio enim fecit Deus hominẽ ad imaginem & similitudinem Dei. Quæ est ergo illa imago Dei ad cuius imaginis similitudinem factus est homo, (ait Origenes) nisi Saluator noster, qui est primogenitus omnis creaturæ? De quo scriptũ est, quia sit splendor æterni luminis, & figura expressa substantiæ Dei: quia & ipse de se dicit: ego in patre, & pater in me: & qui me vidit, vidit & patrem. Sicut enim qui viderit imaginem alicuius, vidit eũ cuius imago est: ita & per verbum Dei, quæ est imago Dei, Deũ quis videt. Et ita verũ erit quod dixit. Qui videt me, videt & patrẽ. Ad huius ergo imaginis similitudinẽ homo factus est: & propterea Saluator noster, qui est imago Dei, misericordia mot9 pro homine, qui ad eius similitudinem factus fuerat vidẽs eũ deposita sua imagine, maligni imaginẽ induxisse, ipse motus misericordia, imagine hominis assumpta, venit ad eũ, sicut Apostolus contestatur dicens: cũ in forma Dei esset, non rapinã arbitratus est esse se æqualẽ Deo, sed semetipsum exinaniuit formã serui accipiens in similitudinẽ hominũ factus, & habitu inuentus vt homo: humiliauit semetipsum vsq; ad mortẽ. Quicũq; ergo veniunt ad eũ, & rationabilis imaginis participes esse student, per profectũ suũ secundũ interiorẽ hominẽ renouantur quotidie ad imaginẽ eius, qui fecit eos, ita vt possint conformes corporalis claritatis eius effici, sed vnusquisq; pro viribus. Apostoli se ad eius similitudinẽ reformarũt in tãtum vt ipse de eis diceret: vado ad patrẽ meũ & patrẽ vestrũ: Deum meum, & Deũ vestrum. Ipse verò iam petierat patrem pro discipulis suis, vt ei9 similitudo pristina redderetur: cum dixit: pater da, vt sicut ego & tu vnũ sumus, ita & isti in nobis vnum sint. Semper ergo intueamur istam similitudinẽ & imaginem Dei, vt possimus ad eius similitudinem reformari. Si enim ad imaginem Dei factus homo, contra naturam intuens imaginem diaboli per peccatũ similis ei9 effectus est, multo magis intuens imaginẽ Dei, ad cui9 similitudinẽ factus est à Deo, per verbum & virtutem eius, recipiet formam illam quæ data ei fuerat per naturã. Sed nemo desperet videns similitudinem suam magis esse cum diabolo, quam cum Deo, posse se iterum recuperare formam imaginis Dei: quia non venit Saluator vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.

B

C

D

Nos sum9 nũmi Dei quũ imaginem gerentes.
Gen. 1.
Hom. 1. in Gen.

tiam. Matthæus publicanus erat, & vtiq; imago eius diabolo similis erat, sed veniés ad imaginem Dei dominum & Saluatoré nostrum, & sequens eam, transformatus est ad similitudinem imaginis Dei. Paulus ipsius imaginis Dei persecutor erat. Vt autem potuit decorem eius & pulchritudinem contueri, visa eam tantum ad eius similitudinē reformatus est, vt diceret: an documētū quæritis eius qui in me loquitur Christus? Hæc Origenes. Intuere enim tu igitur filium Dei & similis ei efficieris: ille filius Dei natura, tu filius Dei gratia. Vnde de talibus filijs loquens Paulus in epistola ad Roma. cap. 8. ait: Non enim accepistis spiritum seruitutis iterū in timore: sed spiritum adoptionis filiorum. Et in epistola ad Ephes. cap. 1. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorū per Iesum Christum in ipsum. Quibus verbis aperte docet Paulus hanc spiritualem adoptionem & similitudinem fieri per Christum. Quemadmodum enim ferrum ignitum ignis similitudinem non referret nisi ignis veri participatione: sic nec nos similitudinem & imaginem Dei & adoptioné filiorum eius habere possemus nisi per Christum verum filiū Dei veramque eius imaginem & figurā. Sicut ergo hactenus portauimus imaginem terreni: curemus post hac portare imaginem cœlestis. Vt cū apparuerit nobis in futura vita vel in extremo iudicio, similes omnino ei simus: corpore s. & anima. ¶ In lege præcipiebatur summo sacerdoti, cuius vita exemplar erat totius populi: facies laminā de auro purissimo: in qua sculpes opere celatoris sanctum dñi: ligabisq; eam vitta hyacinthina. & erit super Tiaram imminens fronti Pontificis. Tunc autem sanctum Dñi auro sculptum in fronte portamus, quando expurgati a seculi huius pristina conuersatione, & abiecta imagine diaboli, atq; hominis terreni: imaginem & similitudinis expressionem in vita portamus, ad quam conditi sumus: vt sicut portauimus imaginem terreni, ita portemus imaginem cœlestis. In fronte auté portatus, vt luceat vita nostra corā omnib9. Vitta vero hyacinthina qua lamina fronti ligatur, illud significat, quod nostra conuersatio in cœlis

Origenes. | Roma. 8. | vi. S. Tho. ad Eph. 1. | Simile. | 1. Ioan. 3 | Exo. 28. Figura. | 1. Cor. 15.

A sit. Vnde cū Anaxagoræ peregrinātī patria, quidam diceret: nō est tibi cura de patria? Extēso brachio & ostenso cœlo dixit: imō mihi cura est de patria. Agnoscamus igitur hanc Dei imaginé expressam in cordibus nostris, & tūc ei reddemus vitā, corpus, actionesque omnes nostras sibi debitas. Reddant huius mūdi amatores Cæsari suo, quæ sua sunt: nos verò soli Deo seruire curemus, nihil cōtra eius legē cōmittentes. Et tunc agnoscet nūmū, agnoscet titulū & inscriptioné. Nouit enim dñs qui sunt eius. Neq; enim rogabit cuius habet

B imaginē & inscriptionē? Nec dicet nō noui vos: sed scio vos: sed heu nos miserrimos: qui cū ad imaginē Dei (vt Hiero. ait) cōditi simus, ex vitio nostro personas nobis plurimas superinducimus. Et quomodo in theatralibus scenis vnus atq; idem histrio, nūc Herculē robustū ostēdit, nunc mollis in venerē frangitur, nūc tremulus in cybelemita, & nos (qui si é mūdo nō essemus odiremur à mūdo) tot habemus personarū similitudines quot peccata. Vnde cū in vno homine, animarū tam diuersa sit facies, Propheta dñm deprecatur, dicens:

C Dñe in ciuitate tua imaginem eorum dissipa. Precemur hoc idem nos si peccatores sumus, vt dissipatis tot tantisque peccatorum imaginibus, Dei veram similitudiné induti à Christo agnoscamur.

¶ *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Nocerá Christo cōmunero. Quare mirū profecto est quod huius mūdi principes eum persequerētur. Persequebātur sané gratis vt ipse apud Dauidē testatur dicens: Principes persecuti sunt me gratis. Quid enim Christus aut Christiani læserāt regna terrena: quamuis eis regna cœlorum promiserit?

D Quid, inquam, læserant regna terrena? Nunquid aliquando Rex cœlestis milites suos prohibuit impēdere & exhibere quæ debebātur regib9 terræ? Nōne de hoc sibi calūniā hodie molientibus Iudæis ait: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari & quę sunt Dei Deo? Nonne tributū de ore piscis etiā ipse persoluit? Nonne præcursor eius militibus regni huius quid facere deberent pro æterna salute quærentibus, non ait: cingulum soluite, arma proijcite, regem vestrum deserite, vt possitis domino militare:

Hiero. in tertio in principio epistolæ ad Marcellā. | Simile. | Augu. Psal. 118. | Matth. 17. | Supra. 3.

tare:

tare: sed ait: Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis: sufficiat vobis stipendium vestrum? Nonne vnus militum eius & dilectissimus comes eius, commilitonibus suis & quodammodo Christi prouincialibus dixit: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit? Et paulo post ait: Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem: nemini quicquam debeatis, nisi vt in uicem diligatis. Nonne præcepit vt pro ipsis etiam regibus oraret ecclesia? Quid ergo? Eos Christus ac Christiani offenderunt? Quod debitum non reddiderunt? In quo non sunt terrenis principibus obsecuti? Ergo gratis hi Christum persecuti sunt. Gratis dixerũt hunc inuenimus prohibentem tributa dari Cæsari. Quid enim hoc mendacio impudentius cum in hoc loco dicat: reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari. Sed minime mirandum nam his similibusque mendacijs oppugnare solent veritatem Euangelicam impudentissimi mendaciorum artifices. ¶ Præterea obserua in hoc loco licitum & sanctum esse exemplo Christi contentiosos in causa vtili arte præuenire: quod etiam nos scriptura sacra alibi docet: nam secundo libro Regũ cap. 5. legimus quod cum ascendissent Philistæi aduersus Dauidem: diffusique essent in valle Raphaim: consulenti Dauidi Dominus respondit: non ascendes ouiam eis, sed gyra post tergum eorum, & venies ad eos, ex aduerso pyrorum. Philistæi namq; (inquit Rupertus) quod interpretatur potione cadentes: tunc in valle Raphaim, id est, curationum diffunduntur, quãdo sanctam ecclesiam in qua est vera animarum cura, & cognitores suos veritas à vetusto peccati seruitio liberat, contentiosi opprimunt: quibus meritis exigentibus, miscuit dominus calicem soporis, & spiritum vertiginis, vt fiat via illorum tenebræ, & lubricum, & apprehendat eos laqueus, & in ipso cadant, quem absconderunt: contra quos tunc Dauid non ascendit sed gyrat post tergum eorum, cũ vir pius & sanctus, quantum potest, contentiones declinans, secundum Apostolum dicentem, si fieri potest quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes, dicta sua moderatur competenti circuitu rationis, vt & veritatem defendat, & tamen litigiosorum flammas augescere non faciat. hoc in domino Iesu præcũctis hominibus mirandum est mãsuetudinis indicium: quia nunquam vlli aduersariorum ex opposito repente occurrit, sed semper aduersarios à longe rationum circundat agminibus, quas erumpere nullus astutia possit. Sicut in præsenti disputatione videre est, & in præcedenti, quando interrogauit eos an baptismus Ioannis esset à Deo an ab hominibus, & alias multis in sacræ scripturæ locis. ¶ Docet preterea hic locus non esse contrariam libertatem Christianam obedientiæ quam superioribus nostris tã prophanis, quã sacris exhibere debemus. Cõstat enim dominum Iesum non venisse in mundum nisi vt nobis exemplum præberet, vt quod ipse efficeret, & nos quoque efficeremus. Ipse autem non venit vt faceret voluntatem suam (vt ipse dixit) qui tamen filius Dei legitimus erat, idemq; vnicus: sed venit vt faceret voluntatem eius qui misit illum, obediens ei vsque ad mortem. Nec hoc contentus, sed voluit iam iã nasciturus vt mater sua censum Cæsari persolueret, & ipse natus & adultus, parentibus secundum carnem se subdit, vectigal reddidit, quæ Cæsaris sunt iussit Cæsari dari, & quod magis mirandum ac stupendũ est, coram Pilato & Herode impijs principibus stetit iudicandus vt subditus, & dãnandus pro nobis vt reus. Nos ergo idem facere debemus. Qui enim dicit se in ipso manere (ait Ioan.) debet sicut ipse ambulauit, & ipse ambulare. Ambulauit ipse per hæc, factus obediẽs vsq; ad mortẽ, nos ergo etiam oportet sic ambulare, humiliari nos cõuenit, si volumus exaltari: obedire maioribus, si volum9 cũ Christo regnare. Vide insuper quid dicat veritas ipsa. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucẽ suã, & sequatur me: & qui nõ tollit crucẽ suã, nõ est me dignus. Quæ est ista crux, nisi mortificatio carnis, tribulationũ sustinentia, & tentationum virilis perpessio? Quid aliud est abnegare volũtatem, quam non facere quod lubeat, sed quod deceat? Suspecta est post peccatum

Marginalia: Rom. 13. — Infra c. 23. a — Iniqui homines quales sunt hæretici non contentiosis verbis sed rationum gyro vincendi sunt, Rupertus in Ioan. c. 8. ibi vos ex patre diabolo estis. — Artificiosa disputatio Christi. — Libertas Christiana contraria nõ est obedientiæ de bitæ maioribus. — 1. Ioan. 2. — Matt. 16.

tum voluntas nostra, ideo oportet eam abnegare, & iudicio maiorum & meliorum viuere, & freno obedientiæ coercere, vt non quod tibi præscripseris facias, sed quod ratio & maiorum autoritatas iniunxerit. In hoc (inquit Petrus) vocati estis, quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius, qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, tradebat autem iudicanti se iniustè, idest, nō reluctabatur alicui potestati. Cum igitur Christiana vocatio, tota sit crux dum in hac vita militat, tota sit subiectio, & mortificatio, quid vani hæretici iactant, venditantes nobis pro libertate Euangelica meram corruptionem, & inauditam barbariem? ¶ Adhæc, cum per Dei voluntatem sit vtraque potestas tam sacra quam prophana, Dei voluntas etiam est vt eis obediamus. Qui enim potestatem nobis præponit, ex consequenti nos subditos esse vult. Omnis anima, ait Paulus, potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt à Deo ordinata sunt, itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Et infra: Ideoque necessitati subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim tributa præstatis, ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes, reddite ergo omnibus debitum: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal. Non cernis potestates à Deo esse, qui alibi dicit. Per me reges regnant? Collige ergo te subditum illis esse debere, alias Deo resistis, vt Paulus ait. Et ne putares hanc obedientiam tuo arbitrio esse relictam, audi quid addat: qui autem resistunt ipsi sibi damnationem acquirūt: non pœnæ temporalis solum, sed in conscietia reus est, qui potestati resistit: nō solum propter iram dicit Apostolus sed propter conscientiam. Rectè diuus Augustinus exponens & perpendens allegatum locum Pauli, terminum libertatis Christianæ nobis exposuit, commendans nobis principum obedientiam pro istius vitæ necessitate. Rectissimè (inquit) admonet Apostolus, ne quis ex eo quod à Domino suo in libertatem vocatus est factus Christianus, extollatur in superbia: & non arbitretur in huius vitæ itinere seruandum esse ordinem suum, vt potestatibus sublimioribus, quibus pro tempore rerum temporalium gubernatio tradita est, existimet non esse subdendum. Cum enim constemus ex anima & corpore, quandiu in hac vita temporali sumus, etiam rebus temporalibus ad subsidium degendæ huius vitę vtamur, oportet nos ex ea parte quæ ad hanc vitam pertinet, subditos esse potestatibus, idest, hominibus res humanas cum aliquo honore administrantibus. Ex illa verò parte qua credimus Deo, & in regnum eius vocamur, non nos oportet esse subditos cuiquam homini id ipsum in nobis euertere cupienti, quod Deus ad vitam æternam donare dignatus est. Siquis ergo putat, quoniam Christianus est, non sibi esse reddendum vectigal, aut tributum, aut non esse exhibendum honorem debitum eis qui hæc curant potestatibus, in magno errore labitur: sed modus iste seruandus est quem Deus ipse præscribit, vt reddamus Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo, quæ Dei sunt. Hæc Augustinus.

1. Pet. 2.

Rom. 13.

Pro. 8. b

August. in exposi. epi sto. ad Romanos.

¶ *Et non potuerunt verbum eius reprehendere coram plebe. Et mirati in responso eius tacuerunt.* In libro Leuitici scriptum ac præceptum legimus: non edetur de sacrificio sacerdotis, sed holocaustum erit: quod certum est ad domini & Saluatoris nostri personam referri. De illius enim sacrificio non edetur, sed holocaustum erit. Hoc in loco sacrificium verbum ipsum accipiendum est, & doctrina, de qua nullus edet, hoc est, nullus disputat, nullus retractat, sed holocaustum est. Quidquid enim dixit, quidquid statuit æterna consecratione perdurat, nec aliquis ita insanus inuenitur, aut prophanus, qui retractare de eius sermonibus possit, quos tanquam holocaustum, sacrificium Deo oblatum, in omni cultu & veneratione habere debemus. Quia cœlum & terra transibunt, verba autem eius non transibunt, sed semper manent, sicut & ipse semper manet. Iam hic vides quid Euangelista dicat

Orig. ho. 6. in Leui. ad calcem eius.

non potuerunt (inquit) verbum eius reprehendere: sed mirati sunt subdoli captatores tam cautum responsum. Vt interim intelligas quod habet euangelica simplicitas suam prudentiam. Hinc disces respõdere stulto secundum stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur. Quod Salomon admonet in lib. Prouer. capit. 26. Nam vt diuus Augustinus docet dẽtem caninum retundit solidissima veritas. Vt in hoc loco vides. Tacuerunt enim hominis illi. Obstructum sané est os loquentium iniqua, aut saltem iniquo animo. Huc pertinet quod Iob testatur cap. 39. qui male locutus sum respondere quid possum? Disces præterea quam vere dicere potuit dominus hodie quod ait idem Iob capi. 9. nõ inuenietis in lingua mea iniquitatem: neque in faucibus meis stoltitia personabit.

Pro. 26. — Psal. 62. — Iob. 39. — Iob 6.

¶ *Mirati in responso.* Vel super responso, vel propter responsum.

ACcesserunt autem. Quidã Sadducæorum qui negãt esse resurrectionem, et interrogauerunt eum, dicentes, Magister: Moyses scripsit nobis. Si frater alicuius mortuus fuerit habens vxorem, et hic sine liberis fuerit, vt accipiat eam frater eius vxorẽ, & suscitet semen fratri suo, septem ergo fratres erant: & primus accepit vxorẽ, et mortuus est sine filijs. Et sequens accepit illã, & ipse mortuus est sine filio. Et tertius accepit illam. Similiter et omnes septem: et non reliquerunt semen, et mortui sunt. Nouissime omnium mortua est, & mulier. In resurrectione ergo, cuius eorum erit vxor? Siquidem septem habuerunt eam vxorem. Et ait illis Iesus, filij huius sæculi nubunt, et traduntur ad nuptias: illi vero qui digni habebuntur sæculo illo et resurrectione ex mortuis neque nubent, neque ducent vxores, neque vltra mori poterunt, æquales enim angelis sunt: et filij sunt Dei, cum sint filij resurrectionis. Quia verò resurgãt mortui, & Moyses ostendit, secus rubum sicut dicit dominũ Deũ Abraham, et Deum Isaac, & Deum Iacob. Deus autem non est mortuorum, sed viuorum, omnes enim viuunt ei. Respondentes autem quidã scribarum dixerunt ei, Magister bene dixisti. Et amplius non audebãt eum quicquam interrogare.

Matt. 22. c — Mar. 12. c — Neque nubunt neque ducunt vxores.

¶ *Accesserunt autem quidam Sadducæorum qui negant resurrectionem, & interrogauerunt eum dicentes.* Hic annotare libet originem scribarum & Pharisæorum & tandem Sadducæorum. Sub tempore igitur Ioánis Hircani ducis & sacerdotis Iudæorum, qui regnare cepit annis 102. antequam Herodes Ascalonita regnare cepisset, duæ nobiles familiæ seu collegia Samai, & Hillel: orta sunt. Ex quibus orti

Origo scribarum & pharisæorum & sadducæorũ.

orti sunt scribæ & pharisæi, quorum susce pit scholam Rabbi AKibas, quem magistrum aquilæ proselyti nonnulli putant. Et post AKibam Meir, cui successit Ioannan filius Zachæi, & post eum Eliezer, ac per ordinem Delphon. Et rursum Ioseph Galilæus, denique vsque ad captiuitatem Hierusalem, Iosue. Scimai igitur & Hillel non multo prius quam dominus nasceretur, orti sunt in Iudæa, quorum prior dissipator interpretatur, sequens prophanus: eo quod per traditiones & δευτερώσεις suas legis præcepta dissipauerint, atque maculauerint. Et has esse duas domus, quæ saluatorem non receperint, qui factus sit eis in ruinam & in scandalū docet Hieronymus ex Nazaræis Esai. 8. de quibus Esa. ait: & erit vobis in lapidem offensionis & in petram scandali, duabus domibus Israel. Eodem etiam tempore fuit Rabbinus quidam Antignus Sochæus vocatus cuius discipuli Sadoc & Baiethos, sectam Sadducæorū, quæ etiam nunc hodie Cōstantinopoli perseuerat, introduxerūt, negantes legem ore traditam nec fidem habentes vlli rei, quæ non esset quinque libris Mosaycis consignata: vnde Karaim q. Biblici seu legistæ dicti sunt. Quare neque Prophetas & Hagiographos recipiebant, neque Spiritus sancti aut angelorū subsistentiam. Vt nec mortuorum resurrectionem credebant.

Hiero. ex Nazaræis in c. 8. Esaiæ.

Esai. 8. c.

Elias in Thisbi.

Genebrardus fo. 31. & 32.

¶ *Similiter & omnes septem.* Vel cæteri.
¶ *Filii huius seculi.* i. homines huius seculi. Hebraismus.

¶ *Illi vero qui digni habebuntur seculo illo & resurrectione ex mortuis.* i. illi verò qui digni fuerint habiti vt viuant in seculo illo, postquam resurrexerint.

¶ *Neque nubent, neque ducent vxores.* Neque nubunt neque ducūt vxores. Præsentia pro futuris more Hebræorum.

¶ *Neque enim vltra morientur.* Sic etiā Paulus hanc Christi sententiam cōfirmat 1. Corin. 15. Nouissimè autem destruetur, & ipsa inimica mors: & rursum: Absorta est mors in victoria. Et D. Ioan. in Apoc. 21. Neque mors (inquit) erit vltra, neque dolor, quia prima abierunt. Quomodo mors non erit vltra? Aut quomodo nullo modo erit? Sed non erit iustis, quia nemo

Iusti post resurrectionē non amplius morituri. 1. Cor. 15. Apo. 21.

A eorum morietur: erit autem damnatis, qui conclusi in carcerem inferni, perpetua ibidem morte tenebuntur. Non erit ergo mors iustis vltra, neque luctus neque clamor, & quæ sunt reliqua malorum genera, quum caput & velut origo & fons horum auferetur, videlicet mors: quæ cum vita priore simul tollentur. Haymonius. Postquam enim omnes à mortuis resurrexerimus: in electis iam vltra mors nō erit, neque corporis neque animæ. Primus nāque homo ea lege conditus fuit in paradiso,

B vt si non peccasset, immortalis foret, & completo electorum numero, ab illa terrestri paradiso, absque mortis gustu, ad patriam cœlestem remearet, alias morti esset obnoxius legem prævaricando. Quæ mors morte domini cōtrita, locum in beatis non habet, postquam omnes ad vitam resurgemus prędestinati: ideo deinceps neque mori, neque peccare poterimus. Quare nec erit nobis vltra, aut lamento aut clamore opus, quia nec vllus aderit malorum dolor. Et ideo Ioannes ait: neq; mors erit vltra, neque dolor, quia prima abierunt. Corpora enim tunc nostra animalia

C nō erunt sed potius spiritualia: quo modo Paulus affirmat. 1. Corin. 15. seminatur corpus animale surget corpus spirituale. Et talia corpora, vt Augustinus ait, Mēbra quidem generationis, non quæ concupiscentiam moueant: sed quæ sapientiam ordinatis mundum ostendant.

Apo. 21. b

1. Cor. 15.

¶ *AEquales enim angelis sunt.* Iusti quidem similes tunc erūt angelis in lumine. Tunc enim fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum ait dominus Matthæ. 13. & sapientiæ. 3. Fulgebunt iusti: & tāquam scintillæ in arundineto discurrent. Simi-

D les in immortalitate: Apoc. 21. Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum, hoc est, auferet causam omnem lachrymarum à morte & passibilitate & huius vitę afflictionibus prouenientium. Alludit autem Ioan. in hoc verbo ad piæ matterculæ morem, quæ suis ipsa manibus flentis sui nati extergit lachrymas, dat oscula, mulcet amplexibus, māmam ori inserit, aut poma dat vt fletū illi blandius adimat. Vnde Christus ego (inquit) vitā æternam do eis. Et Esai. Gaudium & lætitiam

Iusti post resurrectionem similes erūt angelis in multis. Matth. 13. Sap. 3. Apo. 21.

Ioan. 10. Esai. 35.

obtinebunt: fugiet dolor & gemitus. Similes etiam erunt angelis in puritate & castitate. Vnde Christus Matth. 22. dicit: Neque nubent, neque nubentur, sed erūt sicut angeli Dei in cœlis.

¶ *Cum sint filii resurrectionis*, i. consortes & capaces resurrectionis.

¶ *Sicut dicit dominum Deum Abraham, & Deum Isaac et Deum Iacob.* Subaudi: verba sibi fecisse. Concisus est sermo.

¶ *Quod vero resurgant mortui, et Moses ostendit secus rubum, sicut dicit dominum Deum Abraham, et Deum Isaac et Deum Iacob. Deus autem non est mortuorum sed viuorum, omnes enim viuunt ei.* Ac si diceret cum hæc dominus dicebat iā Abrahā, Isaac & Iacob sepulti erāt: quod si iuxta vestram sententiam totus & irrecuperabiliter perit homo qui moritur, quomodo Deus se vocat Deum illorū qui non sunt? Quū enim Deus sit ipse viuens, imò vita ipsa: non conuenit vt se vocet Deum eorum, qui iam prorsus interierūt. Sed non interierunt, quorum potior pars superest, videlicet ea pars, qua viuimus. In cęteris animantib9 mors interitus est: siquidem & corpus collabitur a vita destitutum, & anima, quę in illis nihil aliud est, quam harmonia qualitatum corporis, & soluta temperatura, euanescit. In hominibus mors nihil aliud est, quam diuulsio animæ à corpore, sic, vt melior nostri pars maneat incorrupta, solum corpus ad tempus non intereat, sed corrumpatur. Id autem in resurrectione restitui virtute diuina, mirum vobis videri non debet, quum quotidie videatis ex arido grano seminis in terram abiecti, atque inibi putrefacti, enasci nouam ac viuam arborem, quæ latebat in exiguo mortuoque grano iam sepulto. Proinde qui mortui sunt, vobis quidem mortui sunt, qui eos non potestis reuocare in vitam: Deo autem viuunt omnes, etiam qui mortui sunt, cui in manu est, vbi volet, diuulsas animas suis quasq; corporibus restituere. ¶ Cæterum quod biblici isti, vt superius diximus, Prophetas cæterosque agiographos non reciperent, noluit dominus hūc fidei articulum alijs testimonijs apertiorib9 probare. Nobis autem fidelibus ait Esai. cap. 25. Præcipitabit mortem in sempiternum, hoc est, Christus morte sua mortem euertet, & vitam resurrectione reparabit. Hanc vaticinationem, & nos credimus & diuinæ literæ contestantur impletam esse. Surrexit Christus caput nostrum, ergo & nos resurgemus. Quid est autem mortuorum resurrectio, nisi mortis destructio? Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, vt verbis diui Pauli vtar, tunc fiet sermo qui scriptus est: absorta est mors in victoria. Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus? Hic locus est Osææ Prophetę, quem Apostolus alijs verbis, sed in idē incidentibus citat: verba enim prophetæ hæc sunt. De manu mortis liberabo eos: de morte redimam eos. Ero mors tua ó mors, morsus tuus ó inferne. Hanc de morte victoriam reportauit Christus sua morte, & reditu ad vitam, sed in mundi consumatione cum corpora resurrexerint videbimus apertissimé mortem ipsius mortis. De qua ait Apostolus: Nouissimé autem inimica destruetur mors, quam tamē iam Christus sua morte & resurrectione occiderat. Sed ais, si omnes mortales resurrecturi sunt: quomodo idem Esaias precatur in 26. capite dicens: Morientes non viuant, gigantes non resurgant? Ad hoc certam rem esse dicimus omnes mortales tā iustos quam iniustos resurrecturos, cum Christus venerit é cœlo ad iudicium vniuersale exercendum. At scelerati & impij non dicuntur resurgere, quia eorum resurrectio non erit ad vitam æternam, sed ad iustam suam damnationem audiēdam. Id vult Esaias hoc loco significare. Morientes, inquit, qui ad inferos descenderūt nō viuāt cum iustis, nec ad veram & beatam vitam resurgant: sed damnati seclusique à cætu beatorum in perpetuas pœnas relegentur. Ita dicitur in Psalmo: Ideo nō resurgunt impij in iudicio, neque peccatores in consilio iustorum. In iudicio enim extremo neque impij, hoc est, infideles, consurgent ad litem & causam suam agendam, cum iam condemnati sint, vt Ioan. ait: Neque peccatores fideles consurgent, sed procul à cætu iustorum consistent. Sic vulgò solet explicari hic locus. ¶ Rursum idem Esaias inferius apertius de mortuorum

A mortuis suscitatio ostenditur multis locis sacræ scripturæ. Esai. 25.

Explicatur locus Esaiæ.

2. Cor. 15. Oseæ. 13.

1. Cor. 15.

Obiectio

Esai. 26.

Responsio

Psal. 1.

Esai. 26.

rum resurrectione prædicens ait: Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent. Alloquitur ecclesia Deum asserens mortuorum resurrectionem: de qua Christus disseruit apud Ioã.c.5. & in hoc loco alijsq; in locis. Septuaginta habent. Resurgent mortui, & resurgent de sepulchris. Addit Propheta: Expergiscimini, & laudate qui habitatis in puluere. Apostrophe est ad defunctos. Quia ros lucis ros tuus, & terram gigantum detrahes in ruinam. Sensus est. Tu domine mortuos suscitabis. Et quemadmodum herbæ languescentes rore matutino pullulant, & excitantur, sic virtute tua mortui reddibunt ad vitam in mundi consumatione, quando tu domine gigantes, hoc est fortes & potentes, ac superbos homines perdes, & eorum corpora simul cum anima in æterna supplicia relegabis. Vides hic apertum locum de resurrectione corporum. Per terram gigantum corpora sceleratorum præsertim potentium intelliguntur. Vade populus meus intra cubicula tua, claude ostia tua super te, absconde re modicum ad momentum donec pertranseat indignatio mea. Apostrophe est ad sanctos, qui salutes fecerunt in terra. Sensus est: interea donec pertranseat indignatio mea, idest, donec in peccatores & impios ira mea deseuiet, vos electi mei quiescite in sepulchris vestris (cubicula enim sepulchra vocat) quasi dicat: Nõ est quod vos popule meus horreatis mortẽ, mors est ad tempus tantum, mors est tantum ad momentum, non eritis in sepulchris vestris diutius quam iudicij dies aduenerit, quod breue ad modũ tempus est. Ecce (inquit) Dominus egredietur de loco suo, vt visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum, & reuelabit terra sanguinem suum, & non operiet vltra interfectos suos. Idest, Dominus veniet é cœlis, vt impijs qui toto corde inhærent terrenis, retribuat quod merentur, & tunc reuelabit terra iustorum sanguinem, quem suscepit & imbibit: & reddet & refundet mortuos suos tanquam ex gremio, quo iã eos concludit. ¶Eandem mortuorum resurrectionem aperté prænunciat Propheta Daniel cap.12.dicens: Et multi de his qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt. i. omnes mortui resurgent. Particula multi, vt hoc loco annotauit Theophilatus accipitur pro, omnes. Eandem sententiam confirmauit Christus dominus Ioã. 15. Omnes (inquit) qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei, & procedent, qui bona fecerunt in resurrectionẽ vitæ: qui vero mala egerũt, in resurrectionem iudicij. Qui locus videtur esse huius Danielis loci explanatio. Certe ei similimus est, vt ait Augustinus lib.20. de ciuit. Dei cap.23. Aspicis particulam multi, per inde valere, atq; omnes. Eo schemate vtitur Apostolus ad Rom.5. dicens: Si vnius delicto multi mortui sunt, &c. i. omnes mortui sunt. Et paulo post: Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores cõstituti sunt multi: hoc est, omnes. Nam in eodem loco ait Apostolus omnes in Adã peccauerũt. Verbum etiam dormire, pro mori accipi in sacra scriptura tam certum est vt non indigeat probatione. Deut.31. ait Dominus Moysi: Ecce tu dormies cũ patribus tuis. 3.Reg.2. Dormiuit (inquit) Dauid cum patribus suis. Iob.7. Ecce nũc in puluere dormiam. Matthę.27. Multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt cum eo. Passim de hac phrasi inuenientur testimonia. Omnes igitur resurgemus, in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba, canet enim tuba & mortui resurgent incorrupti. Aiunt leonem filios natos mortuos rugitu & clamore excitare: ita Christus leo ille de tribu Iuda voce angeli clamãtis, surgite mortui venite ad iudicium: omnes mortuos ad vitam reuocabit: quò ingreditur caput possunt ingredi membra, atqui Christus quem Apostolus vocat caput ecclesiæ, cuius nos membra sumus, ingressus est ad immortalitatẽ per resurrectionem, ergo nos ad eam introire valemus. Hunc Danielis locum explicat copiosé D. Ambrosius in lib. de fide resurrectionis. ¶Ezechiel similiter cap.37. expressam nobis huius mysterij imaginem descripsit dicens (postquam illi ostenderat dominus in campo innumera mortuorum ossa) ossa arida audite verbum domini hæc dicit dominus. Ecce ego intromittam in vos spiritum, & viuetis, &c. Et accesserunt ossa ad ossa vnumquodque ad iuntu-

Ioan.5. Adamus. Dan.12. Exponitur locus Danielis. Ioan.5. August. Rom.5. Deut.31. 3.Reg.2. Iob.7. Matth.27. 1.Cor.15. Similitudo Ephe.2. & 3. & 4 Coloss.1. Ezech.37.

iunturam suam. Et vidi & ecce super ea nerui, & carnes ascenderunt. & extẽsa est in eis cutis desuper, & spiritum non habebant. Et dixit ad me: vaticinare ad spiritũ. A quatuor ventis veni spiritus & insuffla super interfectos istos & reuiuiscant. Et prophetaui, & ingressus est in ea spiritus & reuixerunt. Quibus verbis voluit apertè resurrectionem mortuorum significare. Quoniam capite superiori prædixerat inenarrabilia vitæ æternæ bona, voluit hic ostendere resurrectionem, & viros iustos in corpore & anima suscitatos bona illa esse obtenturos. Nec te moueat quod Paulus dicat resurrectionem mortuorum futuram esse in momento, in ictu oculi: Ezechielem autem in hoc loco dicat neruos & carnes ascendisse, & cutem desuper extensam esse, & postea dicat, spiritũ fuisse ingressum in ossa, illisque vitam tribuisse, quæ omnia videntur innuere resurrectionem fore successiuè. Non, inquam, te hoc moueat: nam omnia hæc, quæ narrat Ezechiel simul facta fuerunt, sed non potuerunt simul à diuino Propheta explicari. Non intelligas tamen per momentum, illud instans significari partium expers, in quo aiunt Philosophi nihil fieri, sed tempus breuissimum: instans enim non est tempus, sed nec pars temporis, vt asserit Aristote. lib. 4. Phisi. cap. 11. sed id quo temporis partes connectuntur: quod autore Aristotele lib. Phisicorum capit. 3. Inuisibile est, ita vt in eo nihil moueatur. De hoc igitur instanti non loquitur Apostolus, sed de parua temporis mora, in qua erit collectio cinerum & mortuorum resurrectio. Immensa est enim Dei virtus quæ in tam breui tempore rem tam admirabilem operabitur. Hunc Ezechielis locum exponit D. Ambro. de resurrectione mortuorũ in libro de fide resurrectionis: & Tertullianus in libro de resurrectione carnis. ¶ Sanctus quoque Iob cap. 19. tam apertè locutus est de resurrectione vt nihil clarius dici possit. Credo inquit quod Redemptor meus viuit & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meũ, quẽ visurus sum ego ipse & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo. Quo in loco & si variæ sint translationes, tamen ex omnibus illis Christianam pietatem redolentibus satis aperte resurrectionis mysterium colligitur. Antiqua itaque æditio Græca, in latinum versa sic habet. Scio enim quod æternus sit qui me soluere habet, aut soluturus est, super terram, suscitare pellem meam, vel suscitabitur pellis mea, quæ ista perfert. A dño enim hæc mihi consumata sunt, quæ ego mihi ipsi persuasi, quæ oculus meus vidit & non alius. Omnia autem hæc mihi consumata sunt in sinu. Quæ lectio iuxta fidei catholicæ normam ita rectè intelligitur. Scio quod æternus & immortalis sit qui me soluet olim, & liberabit ab omni miseria & corruptione, cui in vita ista mortali viuo subiectus: tunc nimirum quãdo immutatum hoc corpus resurget, ita vt (iuxta Apostoli verbum) mortale hoc induerit immortalitatem, & corruptibile hoc induerit incorruptionem. Ac tunc quidem pellis eadem ista, cum carne & ossibus (sub continente enim & conteta intelliguntur) eadem, inquam, pellis & caro, quæ nunc tantas exhaurit molestias, secundum numerũ eadẽ, diuina virtute resuscitabitur. Quod si quærat aliquis vnde hæc scio. Dico, non ab homine sed ab ipso Deo ista didici, qui sui spiritus vnctione me ista docuit, & consummauit mihi. i. perfecta & certissima doctrina instruxit: propter quod & ego sciens veracem esse Deũ, certissimè mihi ista persuasi, eaque fide certissima credo, & confiteor, mentisque oculis in ea intendere ad spei mei corroborationem iuuat: non autem ista capiunt qui à Deo sunt alieni & diuinam instrùctionem non habent, vel etiam contemnunt, qui de resurrectione nihil vel scire vel audire volunt, penitus reperire sine vlla spe resurrectionis existimantes corpus istud, vbi semel fuerit in puluerem resolutum. Mihi verò quicquid tandem sentiant alij hoc quod iam professus sum de mortuorum resurrectione certissimè & perfectissime est persuasum, & intimo cordis sinu, Dei digito, indelebiliter insculptum. ¶ Nunc verò & eas varietates quæ ex Hebraica ambiguitate nascuntur perscrutemur, atque ad

Obiectioni respondetur. 1. Cor. 15.

Aristo.

Iob. 19.

Explicatur locus Iob secundũ varias eius interpretationes.

ad catholici dogmatis normam accomodemus. Huius ergo loci initium aliter ex Hebræo sic potest verti. Ego noui Redéptorem meum, viuum, & nouissimum, qui super terram, aut super puluere surget. Christus quatenus Deus appellatur viuus & nouissimus. Sic in Apoca. ipse ait: Ego sum primus & nouissimus. α & ω. & viuꝰ & fuit mortuus, & ecce sum viuens in secula seculorum. Fuit ergo æternus secundũ partem anterioré æternitatis & ideo dicitur viuus, fuit etiam æternus secundũ partem posteriorem æternitatis & ideo dicitur nouissimus. Hic ergo æternus & si in tempore pro nostra salute mortuus est, tertia tamen die resurrexit vt eius resurrectio exemplar esset nostræ resurrectionis. Vel dices de resurrectione generali omnium locum hunc intelligi in hunc modum: ipse Christus qui æternus est tádem veniens de cœlo descẽdet ad terras, & stabit super puluere nostro, sic, inquam, stabit per omnipotentiam suam, quomodo artifex stat super opere vel incumbit operi: stabit, inquam, super puluere nostro vt illum rursum compingat in corpus aptũ ad in habitationem animæ: iuxta ordinẽ & dispositionem membrorum omnium quæ ante habuerat. Atque ita apte cohæret quod sequitur: Rursum circundabor pelle mea. ¶ Potest etiam legi locus iste in hunc modũ. Scio Redemptorem meũ viuum, qui nouissimũ super pulpere surget. i. qui in temporis plenitudine (vt vocat Paulus) vel in nouissima hora (vt vocat Ioan.) surget á mortuis. Vel, qui in nouissimo die & consumatione seculi, cõsurget ad miserendum pulueris nostri, & stabit super illum; vt eum iterum resuscitet ad vitam. Cuius tandiu videbatur oblitus, donec sine spiritu illum in terra reliquerat mortuũ. De Christi ergo resurrectione vel de generali intelligi potest locus iste. Addit sanctus Iob. Et rursum circundabor pelle mea. Vbi propter ambiguitatem Hebraici verbi, alij vertunt & iterum circundabuntur hęc pelle mea: vt per, hæc, demonstrentur omnia, quæ in pelle continentur. Alij vero sic. Post pellẽ meam contriuerunt vel consumpserunt hanc, in hunc sensum: vermes, aut vlcera, aut dœmones, non solum pellem absumpserunt, sed post cutem, etiam hanc carnem corroserunt. Qui sensus cum sequentibus pulchré cohæret, sicque connectitur: quãuis nunc in corpore meo tantam subitaneo miseriam, vt non solum pellis corrodatur, sed etiam interior consumatur caro, attamen nõ obstante illa miseria certissimé confido, quod de hac ipsa eadẽ carne olim resuscitata & in melius diuina virtute reparata, Deum meum hisce corporeis oculis intuebor. In eo autem quod sequitur. Quem visurus sum ego ipse & nõ alius. Nihil est diuersitatis in Hebræo. Nisi quod ad verbum legendũ videtur: quẽ visurus sum ego mihi, idest, meo maximo commodo, & sempiterno emolumẽto. Secundum illud Pauli. Scimus quod cũ apparuerit Christus vita nostra, quod & nos cum eo apparebimꝰ in gloria. Postremo, pro eo quod nos legimus: Reposita est hæc spes mea in sinu meo: alij vertũt: defecerunt, vel consumpti sunt renes mei in sinu meo. Ac si dicat. hæc omnia quæ dixi certissima spe expecto, etiam si nũc ita sim corruptione putrefactus, vt etiam renes mei qui in occultissimis corporis latitant, in lumbis, á corruptione non sint liberi. Iuxta ergo omnes lectiones clarissime hoc dogma nostræ fidei traditur. Quanuis nostra sit omnibus apertior. Quod nihil dubium est fidei interpretis magni Hieronymi esse tribuendũ, qui sicut fidei Christianæ mysteria nouit exactius & plenius credidit, ita & exprimere clarius potuit, iuxta quod idem ipse alias ait: quæ melius intelligimus, melius & proferimus. ¶ Nõ solum fideles sed etiam Sarraceni, & Turcæ mortuorum resurrectionem profitentur. Hoc enim dogma docuit Mahumeticus in lege suá. Præterea si sententias Platonis & Porphirij coniungas hoc dogma Christianum inuenies apud illos. Plato dixit sine corporibus animas in æternũ esse non posse. Ideo enim dixit, etiam sapientium animas post quamlibet lõgum tempus, tamen ad corpora redituras. Porphyrius autem dixit animam purgatissimam cum redierit ad patrem adhęc mala mundi nunquam esse redituram. Si ergo Porphyrius dicat cum Platone animas ad corpora

Marginalia: Apo. 1. — Gala. 4. — 1. Ioan. 2. — Colo. 3.

pora redituras, & Plato dicat cũ Porphyrio ad mala mundi sanctas animas non esse redituras, hæc non erunt nisi illa quæ promisit Christus, beatas animas in æternum cum sua æterna carne facturus. Lege Augustinum 22. de ciuita. capit. 26. & 27. & 28. vbi confert sententias Platonis & Porphyrij & Varronis, quorum opiniones si in vnam sententiam côuenissent, ad veram resurrectionis fidem conferre potuissent. ¶ Sed his omissis, hoc certum est quod multę ex gentibus idolorum cultricibus, spe reditus ad vitam tenebantur. Id indicat epitaphium quoddam Romæ repertum, à Petro Apiano & Bartholomæo Amantio in codicem relatum, qui inscribitur, inscriptiones sacrosanctæ vetustatis, cuius hæc sunt verba. Aurelio Balbo vita integerrimo, moribusq; ornato, qui se quietioris perfectiorisque vitæ desiderio, ex negocijs ciuilibus, in quibus fuerat cum laude versatus, Iouis beneficio abduxit, hic in spe resurrectionis quiescenti locus publicé datus est. ¶ De hac resurrectionis materia differit Augusti. lib. 22. de ciuitat. Dei. Nam cap. 13. quærit an aborti ui resurgent. Quam quæstionem sub dubio relinquit. capi. 14. definit quod infantes in ea sunt resurrecturi habitudine corporis, quam habituri erant ætatis accessu. Creatori enim qui creauit cuncta ex nihilo non deesse poterit, vnde addat, quod addẽdum esse mirus artifex nouit. cap. 15. concludit quod non ad dominici corporis modum omnium mortuorum resurrectura sunt corpora, sed suam recipiet quisquẽ mensuram, quam uel habuit in iuuẽtute, etiã si senex fuerit mortuus, vel fuerat habiturus si ante est defunctꝰ. cap. 17. probat testimonio Christi quod in suo sexu resuscitanda atque mãsura sunt corpora fœminarum mortuarũ. In resurrectione (inquit) neque nubent neque vxores ducent: sed sunt sicut angeli Dei in cœlo. Æquales vtique angelis immortalitate, ac fœlicitate, non carne: sicut nec resurrectione, qua non indiguerunt angeli: quoniam nec mori potuerunt. Nuptias ergo Dominus futuras negauit esse in resurrectione, non fœminas: & ibi negauit vbi talis quæstio vertebatur, vt eam negato se-

Augu. 22. de ciuit. c. 26. 27. 28.

August.

A xu muliebri, celeriore facilitate dissolueret, si eum ibi prænosceret non futurum: imo etiam futurum esse firmauit, dicẽdo. Non nubent, quod ad fœminas pertinet, neque vxores ducunt, quod ad viros. Erũt ergo, quæ, vel nubere hic solent, vel ducere vxores, sed ibi non facient. Non enim libido ibi erit, quę confusionis est causa. Nam priusquam peccassent, nudi erant: & non confundebantur vir & fœmina. Corporibus ergo illis vitia detrahentur: natura seruabitur. Non est autem vitium sexus B fœmineus, sed natura: quæ tunc quidem, & à concubitu, & à partu immunis erit: erunt tamen membra fœminea non accõmodata vsui veteri, sed decori nouo, quo non alliciatur aspicientis concupiscentia, quæ nulla erit, sed Dei laudetur sapientia, atque clementia: qui, & quod non erat fecit, & liberauit à corruptione quod fecit. Lege denique cap. 19. 20. 21. vbi alias de hac re quæstiones disputat.

¶ *Respondentes autem quidam scribarum, dixerunt ei, magister, benedixisti.* C Scribę approbarũt Iesu sermonem, quod hac de re inter pharisæos & scribas conueniret aduersus sectam Sadducęorum. Sed vt rectior erat in hac parte scribarum & pharisæorum opinio, quam Sadducæorum, ita sceleratior erat animus. Minus enim est ibi maliciæ, vbi plus est ruditatis. Quare scribæ isti non animo sincero & suaui, sed fraudulento, & fuco atque simulatione pleno, Christum laudant ac magistrum vocant, eiusque sententiã probant. Non enim loquebãtur ea animi suauitate quam docet Paul. in 2. Corint. capit. 6. his verbis: in omnibus exhibeamus nos sicut D Dei ministros: in suauitate in Spiritu sancto, in charitate non ficta: in verbo veritatis. In suauitate (inquit) in Spiritu sancto, hoc ait Paulus quoniam multi sunt qui per dulces sermones seducere solent corda innocentum: quod in Absalone videre est: ad quem cum accederet aliquis ex populo vt salutaret eum, extendebat manum suam, & ap prehendens osculabatur eum. Faciebatque hoc omni Israeli veniẽti ad judicium vt audiretur à rege: & sollicitabat corda filiorum Israel. Quare non hanc verborum fictam suauitatem, sed à Spiri

2. Cor. 6.

2. Reg. 15.

Spiritu sancto ortam, exhibere debemus: si veros Dei ministros esse, ac videri volumus. Præterea debemus nos exhibere sicut ministros Dei, in charitate non ficta. Charitas enim ficta est, quæ osculo tradit filium hominis: quæ illum magistrum vocat, responsaque laudat vt aduletur: aut dolo aliquo capiat. Charitas ficta est, quæ loquitur pacem cum proximo suo, mala autem in corde. Charitas igitur ficta odiũ verum est: salue (inquit) mi frater. 1. Reg. cap. 20. & venoni poculum melle litum. Denique docet Paul. nos exhibendos esse tamque Dei ministros in sermone veritatis. Vna (inquit Seneca) omnium contentio est, vt quis blandissime fallat. Tales erant scribæ isti, qui dulcibus verbis, blandis suauibusque sermonibus loquebãtur Christum dicentes: magister, bene dixisti. Sed quid mirum quod approbarent Christi sermonem, quum nunquam sic locutus fuerit homo. Quid etiam mirũ quod nullus ausus fuerit eum amplius sermonibus lacessere, vt statim Euangelista refert: quãdo diuo Stephano tanta vis & sapientia à Christo data est, vt non possent hi resistere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur. Quod D. Lucas scribit in Actis cap. 6. stetit semper & stat sententia illa. Ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes aduersarij. Si ergo Christi discipulos hi mundi sapientes conuincere suis argumentis non poterant, quid igitur mirum quod ipsiusmet sapientiæ Dei minime possent sermones non probare? Christi quidem figuram ferebat Daniel quando os draconis oppilauit pice & adipe, & pilis simul coctis. Pix enim significare dicitur fœtorem & tenacitatem infidelitatis pharisæorum & Sadducæorum. Adeps autem designat pinguedinem auaritię qua imbuti erant: pili verò vim maximam mentis diuinæ & acutiem intellectus Dei, veritatisque subtilitatem. Hæc tria zeli igne & flamma, Christus dominus simul coxit: infidelitatem istorum aliquando manifestè ostendendo & confutando: aliquãdo pinguedinem auaritiæ sub quadam sancta simulatione latentem: interserendo subtilissimos pilos veritatis. De mẽte sua, ac deitate quasi pili dimanãtes: quo

Infra. 22. Psal. 27. 1. Reg. 20 Ioan 7. Act. 6. Infra. 21. Dani. 14.

A quidem modo os draconis virus & venenum euomentis oppilauit. Atque in hũc tandem modum illum destruxit. Et quemadmodum ab eo tempore homines illi Babylonici nihil aliud contendebant quam sanctum vatem interficere: sic etiã Iudæi nolunt Christum amplius interrogationibus lacessere, sed pro suis viribus mortem eius procurare.

¶ *Domi. 17. post Pent.*

B *Dixit autem ad illos: quomodo dicunt Christum filium esse Dauid: et ipse Dauid dicit in libro Psalmorũ: dixit dominus domino meo, sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Dauid dominum illum vocat, & quomodo filius eius est?*

C

Postquam frustra tentatus esset à diuersis Iudæorum sectis (nam & pharisæis responderat, vt narrat Matthæus, de maximo præcepto legis) nullus ausus est eum amplius quæstionibus lacessere dicit noster Lucas. Iesus igitur vltro prouocauit: illos simul collectos, quæstione non insidiosa: sed quæ ad illorum salutem pertinebat, Rogauit cuius filiũ scriptura pronunciaret fore Messiam. Illi non ignari D prædictum, quod è stirpe Dauid nasciturus esset, incontanter responderunt: Dauid: adhęc Iesus, at qui Dauid afflatus cœlesti spiritu, sic de Messia loquitur in Psalmis: Dixit dominus domino meo, &c. qui conuenit vt dominũ appellet eum, quem agnoscit filium. Filius enim minor est patre: ac magis conuenit, vt filius patrem honoris gratia, dominum appellet, quam cõtrà. Hanc quæstionem nemo poterat dissoluere, & id temporis satis erat Iesu, per ęnigma significasse diuinam naturam, iuxta

ta quam maior erat omnibus Patriarchis, nimirum æqualis Deo patri: quanquam & secundum humanam naturam præcellebat omnes: quare iure optimo à patre suo Dauid dominus etiam secundum naturam humanam poterat appellari. Mittamus ergo Iudæos ignorantes & incredulos & nos in fidelium gratiam hunc præclarum Psalmum explicemus.

Psal. 109. ¶ *Dixit* (inquit Dauid) *dominus domino meo*. Eo ipso quod erat Filius Dauid Christus, factus est dominus Dauid. Illud enim quod natum est ex semine Dauid: ita honoratum est, vt esset dominus Dauid. Ita admiraris hoc (inquit Augustinus) quasi & in rebus humanis ista non fiant. Si enim contingat filium cuiusquam regem fieri patre priuato: non ne erit dominus patris? Admirabilius est quod potest contingere, vt non solum rex factus priuati filius, dominus sit patris sui: sed episcopus factus laici filius sit pater patris sui. Ergo & eo ipso quod carnem accepit Christus, quod in carne mortuus est, quod in eadem carne resurrexit, quod in eadẽ carne ascendit in cœlum, & sedet ad dexterã patris, & in eadem ipsa carne sic honorata, sic clarificata, sic in cœlestem habitum commutata, & filius est Dauid, & dominus est Dauid. Secundum hanc enim dispensationem transitus Christi, etiam illud ab Apostolo dicitur: propter quod illũ exaltauit à mortuis, & donauit illi nomen quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genuflectatur, cœlestiũ, terrestrium, & infernorum. Donauit (inquit) ei nomen, quod est super omne nomen. Christo secundum hominẽ mortuo, Christo secundum carnem resurgenti, ascendẽti, donauit nomẽ quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genuflectatur cœlestium, terrestrium, & infernorũ. Vbi erit Dauid vt non ei sit dominus: in cœlo sit, in terra sit, in inferno sit, dominus eius erit: qui est dominus cœlestium, terrestrium, & infernorum. Gaudeat ergo nobiscum & Dauid filij sui natiuitate honoratus, dominatu liberatus, & gaudens dicat, vt à Gaudẽtibus audiatur: dixit dominus domino meo: sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

August. in Psal. 109.

Exponitur Psalmus totus

Philip. 2.

¶ *Sede* (inquit) *a dextris meis.* Dextera signum est amoris. Quare Iacob filium suum dilectum vocauit Beniamin, hoc est, filium dexteræ, idest, sibi charissimum. Quem habuit in senectute ex Rachele: quam singulari prosequebatur amore. Porro Deus pater collocauit filium suum vnigenitum à dextera, vt in hoc loco docet Dauid: ad quem etiam alludit Apostolus cap. 15. prioris ad Corint. & 1. ad Ephes. Constituit, inquit, eum ad dexteram suam in cœlestibus. Et 1. ad He. Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis. Habitat enim Christus dominus in excelsis, in eadem maiestate & dignitate cum patre ab eo dilectissimus: hinc est quod ostensurus Deus electis amorem & honorem, quo eos est prosecuturus, illos ad dexteram in die iudicij constituet, quorum multos mundus sinistros esse putabat: cõtra vero ad sinistram quæ signum est odij, collocabit quos mundus dextros censebat. Imo non solum ad sinistram eos collocabit, sed scabellum pedum suorum efficiet, ideo ait. ¶ *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Idest, donec conijciantur reprobi in tenebras exteriores per te dicentem: ite maledicti in ignem æternum. Qua sententia audita, ibũt impij in supplicium æternum. Quorum figuram gesserunt olim Ephratæi qui volentes transire Iordanem, iussi à Galaaditis vt proferrent Xibbolet, cum non possent proferre Xibbolet, sed Sibbolet in Iordanis transitu interficiebantur. Porro Xibbolet vt graues tradunt autores significat spicam plenam granis, Sibbolet autem spicam granis destitutam, Iordanis autem teste Hieronymo idẽ est quod fluuius iudicij. In illo ergo Iordane, in illo terribili die iudicij interrogabimur sim⁹ necne Christiani, at qui nõ potuerint proferre spicam cum granis, fidem cum bonis operibus in charitate, sed paleas vanitatum & flagitiorum damnabũtur: & scabellum pedum domini fient. Qui vero fidem ostenderint charitate formatam, qui grana solidarum virtutum in apertũ protulerint ad dexteram Christi collocabuntur: vitamque æternam consequentur. Mutabit tunc temporis verus Iacob Christus

Gen. 35.

1. Cor. 15. Ephe. 1. Heb. 1.

Matth. 25.

Iudi. 12. Figura.

Hiero.

Gen. 48. Figura.

stus præter opinionem mundi super Manassem & Ephraim in illa benedictione manꝰ. ¶ Cęterū in hoc loco illa particula, donec, auffert dubitationē pro eo tēpore quo poterat haberi: Dubitari poterat an Christus esset regnaturus vsq; in diē iudicij, siue quousq; inimicos omnes suos sub pedibus poneret: & vt tolleretur hæc suspitio ait Dauid, Christū regnaturū donec omnes inimicos suos sibi subijceret. Similis loquēdi modus habetur. 2. Reg. 6. Michol filiæ Saul nō est natus filius, vsq; in diē mortis suę. Vide in Matth. c. 2. super illa verba: Ioseph non cognouit eā donec peperit filiū suū primogenitū: cū ea ad literā exposuimus. ¶ *Virgam* (inquit) *virtutis tuæ emittet Dñs ex Sion*. Verba sunt Prophetæ vel Dei patris loquētis de se in tertia persona. q. d. efficiā vt euangelium quod est robur tuū prædicetur vndiq; ducto initio à hierosolymis. Euangeliū vocat virgā virtutis eius. De qua illud potest intelligi quod apud Esaiā legitur: Percutiet terrā virga oris sui. Et illud quód in Psal. 2. idē Dauid ait: Reges eos in virga ferrea. Hæc igitur virga à hierosolymis initium accepit. Ex Sion, inquit Propheta, exiuit lex, & verbū dñi de Hierusalem. Lege nostrū Lucā infra. c. 24. referentē verba Christi dicentis quoniā sic scriptū est: & sic oportebat Christū pati, & prædicari in nomine eius pœnitentiā in omnes gētes: incipientibus à hierosolymis. Vel per virgā hanc intellige imperiū Christi. Quod in alio Psal. significare volens ait: Virga directionis, virga regni tui. Hoc est, sceptrum regni tui est sceptrū rectitudinis. i. regnū & imperiū tuū est in iustitia & rectitudine. Atq; hoc sceptrū Christi forte & prævalidū emissum est è Siō. Quia in Iudæa cępit Christi fides & ecclesia, atq; à Iudęa in gentibus se dilatauit. Mitto modo aliā aliorū intelligentiā per virgā intelligētiū humanā Christi naturā Dei verbo coniunctā, per quā (sicut Moyses per virgam) edebat miracula. ¶ *Dominare* (ergo) *in medio inimicorū tuorū*. Dominare in hoc loco pro dominaberis accipitur. Nemo. n. Christi dominiū effugiet siue fidelis qui antea inimicus fuerat, siue infidelis in sua infidelitate permanens: velint nolint cūcti mor

2. Reg. 6.
Matth. 2.
Esai. 11.
Psal. 2.
Esai. 2.
Infra. 24.
Psal. 44.

tales eius ditioni tādē subijcientur: in cuius ditione cuncta sunt posita, & cuius pedibus à patre subiecta sunt omnia. ¶ *Tecum principium in die virtutis tuæ in splēdoribus sanctorum ex vtero ante luciferū genuite*. Obserua quod hoc spirituale & diuinum Christi regnū eluxit mirabiliter die paschatis, quo ipse ad vitam redijt, sanctosq; patres qui in limbo detinebantur, ad vitam claritate micantes reuocauit. Id intuens Dauid ait in hoc loco tecum principium, &c. Pro principio habent septuaginta ἀρχὴ, archi, quod & principium significat, & principatum siue regnū. Vnde potest ita verti locus iste: tecum principatus in die resurrectionis tuæ, inter splēdores sanctorum: eorum. s. qui cum Christo ad vitā reuertebantur: ex vtero terræ multo mane genui te. Hæc est dies virtutis de qua idem vates alibi canebat: Dñs regnauit decorem indutus est, indutus est Dñs fortitudinem & præcinxit se. Mitto alias huius loci cōmunes explanationes. Lege Titelmanū cæterosq; expositores. ¶ Alij hunc locum ex Hebræo sic vertunt: Populus tuus voluntatum (vel spontanei) in die roboris tui, in splendoribus sanctitatis: ab vtero (&) ab aurora ros natiuitatis tuæ. Subaudi erit. De Apostolis ministris euangelij loquitur in hoc loco vates. Ac si diceret: ô Christe, Apostoli tui sponte sua, non coacti, volētes prædicabūt euangelium: & hoc eo tempore, quo quasi virtute bellica mundū & satanā tibi subiugabis. Et vbi: In splendoribus sanctitatis, i. in Hierusalē vrbe splendida, vbi primū illuscescere cæpit euangelij splendor. Sequētibus verbis reddit rationē cur Apostoli sponte essent Christo seruituri: quia ô Christe ros natiuitatis tuæ. i. gratiæ illæ quæ tibi dōnabūtur à patre dū carnē assumes, obuenient tibi iam inde ab vtero & prima natiuitate tua. Per rorem intelligit gratiam quā natus accepit à patre. De qua Esai. 9. puer natus est nobis filius natus est nobis, &c. ¶ Vel dicas hoc hemistichiū nō pendere à versu superiori: sed Prophetā plenitudinē gratiarū laudare in Christo à tēpore natiuitatis. Nisi malis locū istū ab vtero auroræ tibi ros natiuitatis tuę sic intelligere. Ab vtero auroræ, hoc est, à ventre Virginis

Psal. 8.
1. Cor. 15.
Psal. 92.
Vatablus
Esai. 9.

san-

sanctissimæ tibi ô Christe est corpus generatum. Vt cum terræ vapor vi solis fertur in sublime, atque ibi sub aurora concretus conuertitur in rorem, qui decidens terram reddit fertilem & lætam: sic purissimus sanguis virginis virtute Spiritus sancti vterum influens sine vlla virilis seminis commistione concreuit in corpus Domini nostri Iesu Christi, qui editus in lucem terram gaudio affecit, & generi humano spiritualem fœcunditatem tribuit, vt vberes virtutum fructus produceret: hunc cœlestem rorem postulabat Esaias cum dicebat. Rorate cœli desuper & nubes pluant iustum aperiatur terra & germinet Saluatorem.

¶ *Iurauit Dominus & non pœnitebit eũ tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Fuit Christus & rex & sacerdos. Sacerdotis officium est rerum salutarium scientia homines instruere, eorumque scelera sacrificio expiare, ac Deũ pro illis preces fundere. Regis autem officium est, rempublicam rectè gubernare, & ab hostibus tueri. Hæc munera in solo Christo perfecta reperiuntur. Hoc intelligens Paulus in epistola ad Hebræ. hunc locum de Christo exponit. Hoc igitur sacerdotium imprimis fuit æternum: quod significare volens Propheta ait fuisse iuramento confirmatum. Aaronis autem sacerdotium quoniam erat commutãdum, non fuit iureiurando constitutum. Quod in morte Heli & Abiatharis, & constitutione Samuelis, & Sadoc voluit Dominus ostendere. Antiquandum, scilicet, esse vetus sacerdotium, & euangelicum constituendum. Hoc idem adumbrare volens Dominus præceperat olim vt Zona sacerdotis legalis atque cinctorium siue balthæus esset opere plumarij. Erat enim similitudinem pellis colubri, qua exuit senectutem, polymita arte distinctus: vt ait Hierony. epistola ad Fabiolam, de veste sacerdotali. At Balthæus Christi veri sacerdotis sapphirinus esse visus est ab Ezechiele cap. 9. Vbi enim nostra æditio habet, vir quoq; vnus in medio illorum vestitus erat lineis, & atramentarium scriptoris ad renes eius, septuaginta habent & Zona sapphiri super lũbos eius. Balthæus ergo Christi multo preciosior erat longè quẽ præstantior Balthæo sacerdotis legalis. Vt ostẽderetur Christi sacerdotiũ multo esse præstantius sacerdotio illo Aaronico. Et meritò. Nam legis sacerdos offerebat vitulos, Christus autẽ obtulit seipsum, nobis corpus suum sacratissimũ, & sanguinem pretiosissimũ sub speciebus panis & vini relinquens, & se in crucis ara pro nobis hostiam constituens. Fuit enim vt in hoc loco dicitur sacerdos in æternũ secundum ordinem Melchisedech. Significat quidem Melchisedech regem iustitię, qui rex erat Salem, quæ pacem sonat, iustitia enim & pax osculatæ sunt. Et erat sine patre & matre, quę omnia Christo cõueniũt. Ipse enim est rex iustitiæ & pacis, sine matre, secundum generationem diuinã. De qua Esaias ait: generationẽ eius quis enarrabit? Sine patre vero secũdum tẽporalẽ, ex immaculata sẽper Virgine Maria absq; virili operatione. Adumbrauit præterea Melchisedech Christũ, quod panẽ obtulit, & vinũ in signum sacramenti Eucharistiæ, quod Christus erat cõstituturus. Ideo non Zona opere plumarij cõtexta præcinctus apparet sacerdos noster secundũ ordinem Melchisedech, sed Zona saphirinã pretiosa. Ea illũ vidit præcinctum D. Ioã. dicens in Apoc. Vidi in medio. 7. candelabrorum similem filio hominis vestitũ podere, & præcinctum ad mammillas Zona aurea. Significat Zona aurea dignitatem non solum sacerdotalem, sed etiam regiã. De qua Dauid dixerat: Dominus regnauit decorem indutus est, indutus est dominus fortitudinem & præcinxit se. Et alibi: Ego autẽ constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius Iurauit ergo dominus & non pænitebit eum. i. & non mutabit sententiam, tu es sacerdos in æternum, &c. Quibus verbis ostenditur Christus mediator Dei & hominum.

¶ *Dñs à dextris tuis.* q. d. semper tibi præsto est vt opẽ ferat: *confregit in die iræ sua reges.* Preteritum pro futuro de more scripturæ. Quare alij sic vertũt: *& confringet in die iræ sua reges.* Quasi dicat. & vulnerabit in gratiam tuam etiam summos reges, tempore quo se iratum declarabit. ¶ *Iudicabit in nationibus.* Idest, iudicium

Mes-

Heb. 5. 7.

Exod. 28. 29. 39. de hoc Balthæo multa dicuntur.

Ezech. 9.

Psal. 84.

Heb. 7.

Esai. 53.

Apoca. 1.

Psal. 92.

Psal. 2.

Messias exercebit: quando, scilicet, destruxerit Hierusalem. *Et tunc implebit ruinas.* Idest, omnia in ea deuastatione plena erunt cadaueribus. *Ac conquassabit capita in terra multorum.* Hebræ. percutiet capita super terram multam, idest, percutiet principes qui præsunt regionibus amplis. ¶ *De torrente in via bibit, propterea exaltauit caput.* Quasi dicat: fundetur tantum sanguinis vt etiam liceat victori bibere é sanguinis torréte cæsorum, in via, idest, dum persequetur hostes. Proter eam victoriam multum attolletur, & euadet clarissimus Christus. ¶ Vel dicito, quod verbo bibendi pœnarum & afflictionum perpessio significatur: nomine verò viæ vita hæc caduca intelligitur. Volens igitur significare Dauid fore, vt Christus dolores perferret acerbissimos, illum prędixit torrente potaturum. Non ex quibuscunque aquis, sed ex turbidis & concitatis, quales sunt aquæ torrentis tempore sæuientis procellæ: vt his verbis vim & magnitudinem dolorum, contumeliarum & tormentorum exprimeret, & denique turbulentas afflictionum aquas, quas ille erat pro nobis exhausturus. Sed non in casum eas est calamitates perpessus: nam propter illas dedit illi Deus nomen super omne nomen, atque ad cœlum vsque euexit. Prædicit ergo hic Psalmus & Christi regnum post ascentionem: & quod sit verus sacerdos, verusque iudex in hostes euangelij. Denique ostendit eius glorificationem post passionem.

Vatablus.

¶ *Feria tertia post secundã domini quadra.*

AVudiente autem omni populo dixit discipulis suis. Attendite à scribis qui volunt ambulare in stollis, & amant salutationes in foro et primas cathredas in synagogis, & primos discubitus in conuiuiis. Qui deuorant domus viduarũ simulantes longam orationem: hi accipient damnationem maiorem.

A

HIS verbis depingit dominus quorundam hominum hypocritarũ maliciam. Qui cum sint omni religione vacui, tamen summam simulant pietatem, non alio spectantes quam ad gloriam & quæstum suum, & hac de causa modis omnibus obstrepentes gloriæ Dei, ac proximorum saluti. Nulli sunt enim hostes capitaliores verę pietatis, quam qui simulatione sanctimoniæ sibi conciliant autoritatem, & hoc freti simplicem populum auocant à vera pietate. Hoc histrionum genus duplici potissimum morbo laborat: ambitione, quæ vergit in tyrãnidem: & inexplebili auaritia. Nunc audi quibus coloribus eos depingat Dominus vt cognitos vites.

B

C

¶ *Attendite à scribis.* Sicut discipulos docet Dominus cauere à legisperitis, qui iam sæpe illum dolo adoriebantur: sic nos cauere debemus à falsis concionatoribus profitentibus scientiam euangelij, & aduersus mentem euangelij pertinacissime repugnantibus. Habẽt Deum in ore, sed reuera aduersantur gloriæ Dei. Profitentur se curare rem populi, quum sui commodi gratia simulent omnia quæ faciunt. Fugitant consortia peccatorum, cum ipsi intus toti madeant tetrioribus vitijs, inanis gloriæ siti, fastu, liuore: sed in primis auaritia, quæ est idolorum cultura. Quoniam autem intelligunt populum visibilibus rebus potissimum cõmoueri, talium rerum præstigijs captant autoritatem apud simplices.

D

¶ *Volunt ambulare in stollis.* Primum hoc est quo hypocritæ huiusmodi simplicem plebem fallere nituntur. Venditant enim sese nouitate vestis, gaudẽtes obambulare conspicui magnificis stolis ad terram vsque demissis, & vultibus

ad grauitatem compositis, vt venentur opinionem sanctimoniæ apud vulgum, qui nondum intelligit, quibus sita sit vera religio.

§ *Et amant salutationes in foro*. Ecce secundum hypocritarum ac falsorum concionatorum vitium. Crebro enim versantur in foro & hominum cætibus, vt illic adorentur & salutentur Rabbini. Quare nō sine magna ratione docebat Christus verus cœlestisque magister, qui docet hominem scientiam, vt sui discipuli non vocarētur Rabbini, nec magistri: vt vel hoc nomine in conspectu hominum versati adorarentur. Amat quidem Christus in doctoribus Ecclesiæ & concionatoribus humilitatem: odit superbiam. Hinc est quod Augustinus admonet epistola. 132. his verbis. Solicitissime cauendum est in docendo superbiæ vitium, quod in discendo non ita est. Vnde & sancta scriptura nos admonet dicens: Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Et ille in Psalmo ait. Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, continuoque subiecit: & exultabunt ossa humiliata. Vidit enim in audiendo facilime seruari humilitatem, quæ difficilis est in docendo, quoniam necesse est vt Doctor habeat superiorem locum, vbi laboriosum est obtinere ne subrepat elatio. Quo periculo non nos solum sed etiam ille Doctor gentium periclitatum se esse testatur cum dicit: ne in magnitudine reuelationū mearum extollar datus est mihi stimulus carnis meæ. Vnde & ipse Dominus tumoris huius admirabilis medicus. Nolite (inquit) ab hominibus vocari Rabbi: vnus est enim magister vester Christus. Quod retinens idem ipse Doctor gentium dicit: neque qui plantat est aliquid neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Hoc & ille meminit qui in natis mulierum, quanto magnus erat, tanto se in omnibus humiliabat. Indignum se affirmans, qui Christi calciamenta portaret. Quid enim aliud ostendit vbi ait: Qui habet sponsam sponsus est, amicus autem sponsi stat, & audit eum: & gaudio gaudet propter vocem sponsi? Hic est ille auditus

Augusti. episto. 132

Iacob. 1.

Psal. 50.

2. Cor. 12

Matth. 23.

1. Cor. 3.

Ioan. 3.

A de quo paulo ante commemoraui in Psalmo positum, auditui meo dabis exultationem & lætitiam & exultabunt ossa humiliata. Quando ergo in docendo tanto periculo exponimur, salubre consilium est, vt docere recusemus, aut humilitatem sectemur: ne scribis istis similes simus: qui hominum cœtibus conuersabantur, vt vocarentur Doctores & magistri, quę magna superbia & vanitas erat.

§ Præterea, homines isti superbi inconsessibus ambiunt primi honoris sellas, &

B in conuiuijs appetunt in accubitu locum honoratiorem vt magni videantur apud homines, cum apud Deum sint execrabiles. Qui etiam se humiliat exaltatur, at qui se exaltat humiliatur. Inanes tantum & stulti videri poterant si præter popularem auram & salutationum fumos nihil ambirent, nihil est illis rapacius. Non exercent vsuram, non sunt telonæ, sed artes habent illorum arte sceleratiores. Simpliciores venantur ad prædam, captant viduas beatas, & maritorum præsidio destitutas. Sexus est idoneus fraudi, & pium videtur adesse destitutis.

Supra. 14.

C His itaque facilè imponunt simulatione sanctimoniæ. Plurimum grauitatis præseferunt in vultu, honorantur ab hominibus, vestitus ipse vndique clamitat sanctimoniam. Addunt prolixas preces, idque in publico. Factum est hoc & à Ioanne & à veteribus Prophetis, sed non vt laudarentur ab hominibus. Isti non orant sed venantur. Quid igitur mirum, si tot fucis falluntur viduæ? Ad has postea quam ii referunt, deuorant eorum domus: quasque tueri debebant, expilantes & quod erat erogandum in vsus paupe-

D rum, in suum quęstum conuertunt. Tales id temporis erant scribæ & pharisæi, qui sine fine repugnabant Euangelio. Quanquam & hodie sunt, & semper futuri sunt scribę qui dū suis seruiunt cōmodis, & populi cōmodis aduersantur, & Iesu gloriæ resistunt: idque falso prætextu religionis, cultu, titulis, prolixis precationibus venantes opinionem sanctimoniæ apud vulgum, qui nondum intelligit, quibus in rebus sita sit vera religio. Quid autem

aduer-

aduersus hos facient Christi discipuli, qui ex animo veram pietatem sectantur, qui Deum & proximum verè diligunt qui veram & non fucatam sanctimoniam profitentur, qui lædere nesciunt, vt pote simplicitate columbina præditi? Nimirum hic adhibebũt & serpentis astutiam. Si moniti non resipiscũt, vitandi sunt insanabiles: & admonendi simplices, vt ab illorum insidijs caueant. Manet illos sua pœna vt in hoc loco concludit Christus.

¶ *Hi accipient damnationem maiorem.* Ecce manet hypocritas istos sua pœna. Cum enim ventum erit ad tribunal illius iudicis, qui non iudicat ex his, quæ videntur oculis corporeis, sed ex occultis affectibus animorum, tum grauioribus pœnis addicentur, quam qui palam ac simpliciter flagitiosi sunt, hoc minus noxij, quod morbum suum præseferunt. Quod si huius causam exactam queras ea est, quod armis, hoc est, orationibus & doctrina quibus hostem diabolum impugnare debebant, Deum adoriuntur. Hi sunt de quibus Esaias ait capite tertio, Linguæ eorum, & adinuentiones eorum, contra dominum vt prouocarent oculos maiestatis eius. Vocauerunt eum Samaritanum, dæmonem habentem, seductorem, & alia multa, quibus eius nomen & gloriam extinguere conabantur: idcirco & in hac & in futura vita tam miserabiliter pœnas dederunt. Præterea eo etiam hi maiores pœnas dabunt: quod Doctores cum sint, suo exemplo alios docere deberent: quemadmodum fecisse Christum certò scimus. Tandem maiori afficientur pœna, quia quod gratis acceperunt: gratis dare noluerunt; contra præceptum Christi dicentis: quod gratis accepistis, gratis date.

Esai. 3.
Ioan. 8.
Matth. 27.
Acto. 1.
Matth. 10.

Finis capitis. XX.

¶ *Viduam in Gazophylacium mittentem cæteris præfert: templum prædicit euertendum & ciuitatem solo æquandam cum ciuium summa miseria, et signa iudicium præcedentia interim futura.*

CAPVT. XXI.

RESPICIENS *autem vidit eos qui mittebant munera sua in Gazophylacium diuites. Vidit autem & quandam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo. Et dixit verè dico vobis, quia vidua hæc pauper plusquam omnes misit: Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei: hæc autem ex eo quod deest illi, omnem victum suum quem habuit misit.*

Mar. 12. d

HOC exemplo viduæ dominus Iesus & eleemosynam maxime commendat, & auocat suos à fiducia rerum visibilium, quibus diuites auri nimium tribuunt, ad studium euangelicæ pietatis, quæ in animi syncertis affectibus sita est.

¶ Obserua primum, esse multos qui ab eleemosyna abstinent, quod metuant ne patrimonium suum forte deficiat, si operari ex eo largiter cœperint. Qui profectò

maxime falluntur. Quando enim (inquit Cyprianus) factum est vt iusto possent de esse in bonis, cum scriptum sit: non occidet fame dominus animam iustam. Elias in solitudine coruis ministrantibus pasci tur: & Danieli in lacu ad leonum predam iussu regis incluso, prandium diuinitus apparatur, & tu metuis ne operanti & Deum promerenti desit alimentum? Quando ipse in Euangelio ad exprobrationem eorum, quibus mens dubia est & fides prava contestetur, & dicat: Aspicite volatilia cœli quoniam non seminant neque metunt, neque colligunt in horrea, & pater vester cœlestis alit illa, nonne vos pluris estis illis? Tu Christiano, tu Dei seruo, tu operibus bonis dedito, tu domino suo charo aliquid putas defuturum? Nisi si putas quia qui Christum pascit, a Christo ipse non pascitur, aut eis terrena deerunt, quibus cœlestia & diuina tribuuntur: vnde hæc incredula cogitatio? Et vnde hæc impia & sacrilega meditatio? Quid facit in domo fidei perfidum pectus? Quid qui Christo omnino non credit appellatur & dicitur Christianus? Pharisæi tibi magis congruit nomen. Quid tu tristis ineptis & stultis cogitationibus plaudis, quasi metu & solicitudine futurorum ab operibus retardaris? Quid vmbras & præstigias quasdam vanæ excusationis obtendis? Confiteri imò quæ vera sunt, & quia scientes non potes fallere secreta & abdita mentis exprome. Obsederunt animum tuum sterilitatis tenebræ, & recedente inde lumine veritatis, carnale pectus alta & profunda auaritiæ caligo cæcauit: pecuniæ tuæ captiuus & seruus es, catenis cupiditatis & vinculis alligatus es, & quem iam soluerat Christus, denuo vinctus es: seruas pecuniam, quæ te seruata non seruat: patrimonium cumulas, quod te pondere suo onerat: intuere in hoc Euangelio viduam præceptorum cœlestium memorem, inter ipsas pressuras & angustias egestatis operantem, in Gazophylacium duo quæ sola sibi minuta fuerant, mittentem. Quam cum animaduerteret Dominus, & videret, non de patrimonio sed de animo opus eius examinans, non quantum sed ex quanto dedisset, respondit & dixit: Amen dico vobis, quoniam vidua ista plus omnibus misit in dona Dei. Pudeat diuites sterilitatis atque infœlicitatis suæ: vidua & inops, vidua in opere inuenitur. Cumque vniuersa quæ dantur, papillis & viduis confertantur, dat illa quam oportebat accipere, vt sciamus quæ pœna diuitem sterilem maneat, cum hoc ipso documento operari etiam pauperes debeant. Lege Cyprianum in sermone primo de eleemosyna. Vbi satis docet quanta commendatione digna sit eleemosyna. Quæ re uera non tam ex quantitate, quam ex animo & voluntate pensatur a Deo. Apud Deum igitur qui non spectat rei modum, sed animum: vidua hæc benignius contulit, quam pharisæi. Siquidem illi ex eo liberales fuerunt, quod ipsis domi superaret. Hæc autem studio pietatis ex sua penuria dedit, totamque substantiam, quam domi habebat, scilicet, duos æreos nummulos, qui conficiunt quadrantem, misit in Gazophylacium, quare meritò à Christo Iesu laudata est. Genesis capite decimo nono ait scriptura sacra quod sanctus Loth compulit angelos oppido vt diuerterent ad eum: & ingressi domum illius fecit conuiuium, & coxit azima & comederunt. Ecce liberalitatem in re tenui: plus enim animus & voluntas quam ipsa cœna perpenditur. quod in nostra hac vidua vidimus.

¶ *Vidit autem viduam mittentem ær a minuta duo.* Nomina numeralia ab vno vsque ad quinque solent in scriptura poni ad significandum diminutionem. 3. Regum. 17. ait mulier: En colligo duo ligna, idest, pauca. Esai. 17. Erit sicut quærens spicas in valle Raphaim, & relinquetur in eo sicut excussio oleæ duarum vel trium oliuarum in summitate rami, siue quatuor aut quinque cacuminibus eius, fructus eius. Et. 1. Cori. 14. & in hoc loco duo æra minuta, idest, pauca.

¶ *Hæc autem omnem victum suum quem habuit misit.* Post hæc verba sic addunt quædam exemplaria Græca. Hæc dicens clamabat, qui habet aures audiendi audiat. Laudat dominus viduam quod studio pietatis ex sua penuria dedit, totamque substantiam, quam domi habebat, misit in Gazophylacium.

Cypria. ser. 1 de eleemosy. Pro. 10. 3. Reg 17 Dani. 14. Matth. 6. Christianus diuinã meretur qui Christo nõ credit. Auarus captiuus. Diuitũ exprobratio Gen. 19. 3. Reg. 17 Esai. 17. 1. Cor. 14

lacium. Hinc colligemus quam vera sint verba illa Ecclesiastici: Ne dicas in multitudine munerum meorum respicit Deus, & offerente me Deo altissimo munera mea suscipiet. Vnde diuus Hieronymus: non quantum, sed ex quanto offeras respicit Deus. Ita Iesus vbique per omnem occasionem auocauit suos à fiducia rerum visibilium, quibus Iudæi nimium tribuebant, ad studium euangelicæ pietatis. quæ in animi synceris affectibus sita est. Iudæi verò præcipuam gloriam habebát in templo Hierosolymitano, quod operosissimé constructum, magnificisque donarijs locupletatum, magna religione vilebatur, non solum ab omnibus Iudæis, verum etiam ab alienigenis. Iam autem venerat tempus, cú cessaret illius templi religio cum suis victimis, ac Deo pararetur templum animi, Spiritu sancto consecratum, in quo illi quotidie immolarentur victimæ gratissimæ: non pecudum, sed votorum & gratulationum. Purus enim animus cuiuslibet etiam pauperis, sanctius ac magnificétius templú est deo quam sumptuosissimum illud templum tot annis structum. Pudicitia, modestia, charitas, ornamenta sunt longé preciosiora in oculis Dei, quá illa marmora, Ebur, cedrus, aurum, argentum, gemmæ, quibꝰ superbiebát sacerdotes & pharisæi. Quod vt intelligamus, audiamus quæ statim in nostro Luca sequantur.

D. Hiero.

Similitudo

¶ *Et quibusdam dicentibus de templo quod bonis lapidibus et donis ornatum esset, dixit: hæc quæ videtis venient dies in quibus non relinquetur lapis super lapidem.* Animaduerte obsecro: hi de re hac magna ante oculos posita loquebantur: Christus verò huius rei finem & vastationem in memoriam reuocat. Quo voluit nos docere cum cogitauerimus rem aliquam humanam insignem, oportere eius finem in animo versare. Nihil nobis est salutarius ad coercendas inanes cogitationes, turbidosque motus acerrimé propulsandos, quam finem animo intueri. Nam vt vinum purum iudicium turbat, at aqua temperatum non nocet, sic rerum humanarum pulchritudo, generis nobilitas, diuitiarum abundantia, & cætera huiusmodi ad quæ plerique mortalium cæca auiditate inflammati rapiuntur, per se intemperanter sumpta sunt vinum, purum illud quidem, quod humanum iudicium lædit & perturbat. At si omnia hæc fuerint temperata memoria finis, & consideratione inconstantiæ, ita possunt sumi, vt nequaquam noceant. Quin in ipsorum affluentia poteris viuere in tranquillitate cupiditatum ardore sedato.

Nó res insignes, sed finé illarú cogitare debemus, & quare.

Similitudo

Venit tibi in mentem res quædam, qua nimium oblectaris, sed quæ te suis illecebris potest á Deo separare, cogita. statim quam cito res illa finietur, quæ & si aliquandiu durauerit, euanescet tamen, & penitus tandem extinguetur. Et considera quam stultum erit, pro breui voluptate, pro re caduca, velle amittere summam illam ac æternam beatitudinem, vbi viri sancti, qui é corporum vinculis tanquam ex carcere euolauerunt, summo illo ac sempiterno bono fruuntur. Peritus gubernator nauis non in principio & in medio ambulat, sed in fine, hoc est in puppi sedet, ex quo loco totam nauem regit, eamque paruo clauo moderatur, & ita adoptatum portum tandem peruenit. Vis totam vitam tuam ita gubernare, vt salutis portum consequaris? Non quiescas in medijs solum considerandis, sed respice finem. Sede cum cogitatione in exitu rerum humanarum, & ita transibis mundi mare, gubernans vitæ nauem clauo rationis, donec ad portum beatitudinis peruenias. Hoc fuerat adumbratum in Iacob, qui vt sacræ scripturæ testátur, Esau fratris sui vterini plantam pedis manu arripuit. Ille qui est veré Iacob, qui est veré supplantator, Deo gratus & acceptus, plantam pedis mundi, hoc est, rerum humanarum finem comprehendit. Ex quo efficitur vt animum habeat paratum ad legem diuinam adimplendam. Id fortasse significare volens David dicebat: Inclinaui cor meum ad faciendas iustitias tuas in æternum propter finem. Vnde verbum Hebraicum & finem & plantam & retributionem significat: vnde vbi nos habemꝰ propter retributioné, recté verti-

Similitudo

Gen. 25

Psal. 118

potest propter finem. Ac si diceret: ego re rum finem considerans, mundi gloriam contempsi, quam vidi fugacem esse & caducam, & tandem consumi, & te solum Deum quæsiui atque ad legem tuam cõplendam animum præparaui. Nos igitur finem humanarum rerum cõtemplemur vt ad legem Dei seruandam animum con uertamus. Purus animus cuiuslibet etiam pauperis sanctius ac magnificẽtius templũ est Deo, quam sumptuosissimum illud tẽplum tot annis extructum. Pudicitia, modestia, charitas, ornamenta sunt lõgè preciosora in oculis Dei, quam illa marmora, ebur, cedrus, aurum, argentum, gemmæ quibus superbiebant sacerdotes & pharisæi. Quum igitur quidam ostenderent Iesu templi mirabilem structuram, respondit: Parate Deo templum spirituale, quod nec vetustas exedat, nec tempestas deijciat, nec ignis exurat, nec vlla vis hominũ demoliatur. Nam hęc omnia quæ nunc miramini tamq; Deo digna, futurum est vt funditus diruantur. Quando igitur tanti faciat Deus templum spirituale, curemus diligenter illud Deo ædificare: quo perpetuò laudetur, adoretur, & colatur. Nescitis, inquit Paulus, quod templũ Dei estis & spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Et iterum: vos estis templum Dei viui. Iusti ergo templũ Dei sunt ebore, auro, argento, gemmisq; virtutum structum: quod non destruetur, si velint, sed in æternum durabit, nec solũ templum sunt, sed & sanctuaria vocãtur: vnde vbi nos apud Dauidem legimus mirabilis Deus in sanctis suis, vertunt quidã terribilis Deus in sanctuarijs suis. Vbi nos per sanctuaria viros sanctitate præstantes intelligimus, in quibus Deus inhabitat per gratiam.

Iusti tẽpla Dei sunt & sanctuaria.

1. Cor. 3.

2. Cor. 6.

Psal. 67.

¶ *Præceptor quando hæc erunt, & quod signum cum fieri incipient?* Iesus autẽ volens suos semper esse paratos ad omnes malorum incursus ambiguis sermonibus suspendit illorum animos, cõmiscens multa de afflictionibus, quas essent perpessuri ob prædicationem Euangelij: de subuersione miserabili vrbis hierosolymæ: de fine mundi, cuius tempus voluit omnibus esse incognitũ, vt semper sint parati. Discipuli de regno cogitabant Dominus autẽ hoc eos scire mauult, quod magis ad illos pertinet, & à quorum commemoratione abhorrebat imbecillium animus. Malebant enim audire iucunda, quam salutaria. Regnum illud beatum aliquando venturum est, & suo tempore venturum, eius rei curam magis expedit Deo committere: nostrum est interim sic nos gerere, ne regno videamur indigni. Nec enim peruenitur ad regni gloriam, nisi per magnas afflictiones. Aduersus has oportet armatos esse animos nostros. Audiamus ergo eas à Christo relatas.

¶ *Videte ne seducamini multi enim venient in nomine meo, dicentes quia ego sum, & tempus appropinquauit, nolite ire post eos. Cum autem audieritis prælia & seditiones nolite terreri, oportet primum hæc fieri sed nondum statim finis.* Siquidem hæc nihil aliud erunt quam præludia vltimi finis, illiusque extremæ calamitatis, quę malos perdet, bonos examinabit pargabitq;. Vt corporis interioris signa sunt validi morbi, ex vitiosa temperatura qualitatum exorti, ita mundi finem prædicũt horrendi tumultus, quos homines ipsi sibi consciscunt, prauis cupiditatibus infecti. Horum peruersitate concutietur ipsa rerum natura, veluti maliciam hominum detestata, & in scelerum vindictam insurgens.

similitudo

¶ *Surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum.* Porro cum nihil sit calamitosius bello, tamen hanc pestem sibi cõciliant & accersunt homines ambitione, stultitia, auaritia, odijs, similibusque vitiosis affectibus.

¶ *Et terremotus magni erunt per loca.* i. addet & ipsa natura graues terremotus pluribus in locis, velut indignante mundo, quod homines tam impios ferre cogatur.

¶ *Et pestilentiæ.* quasi dicat. Accedent & pestilentiæ, suo contagio plurimos absumpturæ, velut ipso aere armato in vindictam malorum, qui in hoc datus est vt salutarẽ aura vitam conferat, & alat omnibus.

¶ *Et fames.* Quasi dicat: accedet expro uen

uentus inopia fames, veluti terra negante suam alimoniam filijs tam impijs aduersus Deum, cui muta quoque famulantur elementa.

¶ *Terroresque de cælo.* Idest, cœlum ipsum prodigia dabit, iram Dei testantia, sole subito verso in tenebras, luna in sanguinem, cometis noua specie sese proferentibus, alijsque prodigijs nouis & admirandis. Verum vt corpus hominis non statim emoritur morbis ingentibus concussum, sed tamen morbi subinde recurrentes, declarant non procul abesse mortis diem: Ita cum huiusmodi malis frequenter concutietur mundus, significationem dabūt mundi iam senescentis & ad ruinam tendentis. ¶ Obserua hic calamitates, quæ Iudęis superuenerunt ob Christi necem, & quæ ante iudicium superuenturæ sunt. Prima calamitas erit, quod magnis tumultibus surget gens Romanorum aduersus gentem Iudęorum: & regnum Romanorum aduersus istorum regnū. Et gens ipsa Iudęorum aduersus seipsos, quæ calamitas tanta fuit, vt de illa verè dici potuit qd olim Esaias capi. 9. dicebat: Vnusquisque carnem brachij sui vorabit. Manasses Ephraim & Ephraim Manassem: & simul ipsi contra Iudam, non enim solum irruerunt Iudęi aduersus Romanos: sed etiam inter se seditiones & factiones & bella cōcitata sunt. Sic etiam ait idem Propheta corruet populus, vir ad virū vnusquisque ad proximum suum tumultuabitur. Quibus verbis describit tumultuosum reipublicę statum. Nullus, inquit, erit ordo, tumultuabitur puer contra senem, & ignobilis contra nobilem, nulla erit ratio nec ætatis, nec dignitatis, nec sapientiæ. Hæc omnia acciderunt in obsidione hierosolymę per Romanos, cū populus fuit in tres partes distractus, vt refert Iosephus, & ad intestinas seditiones conuersus. Secunda calamitas illis euenit ex terremotibus solito maioribus, qualis factus est cum Christum dominum interfecerunt. De his prædixerat Esaias cap. 24. his verbis. Concutientur fundamenta terræ. Confractione confringetur terra, contritione conteretur terra, commotione cōmouebitur terra, agitatione agitabitur terra, sicut ebrius & auferetur sicut tabernaculū vnius noctis: quia grauabit eam iniquitas sua. Tertia calamitas fuit pestilentia. Vnde tunc etiam adimpletum est illud Hiere. c. 21. percutiam habitatores huius ciuitatis, scilicet, Hierusalem. Homines & bestiæ pestilentia magna morientur. Et quod Ezechie. cap. 5. Pestilentia & fames pertransibūt per te. Quarta calamitas accidit illis, quam vocat dominus famem. Vt etiam adimpleretur quod prædixerat Ezechie. cap. 5. Mittam in eos famem & bestias pessimas vsque ad internectionem. Quę tanta fuit vt vix credi ab aliquo possit de qua mira profecto narrat Egisippus. Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos: & facti sunt eis in cibum ait Hiere. Threno. 4. quod etiam contigit in illa obsidione Hierosolymitana. Tandem vltima ærumna accidit ex nouis apparitionibus è cœlo venientibus: quales euenisse narrantur. 2. Macha. 5. Hæc omnia Iudęis ob Christi interfectionem euenerunt & ante mūdi consummationem.

¶ *Sed ante hæc omnia inijcient vobis manus suas, et persequentur tradentes in synagogas et custodias, tradentes ad reges et præsides.* ¶ Iam hic vides quomodo in hac misera ac mortali vita sancti prædicātes nomen Christi & virtutem sectantes omni genere malorum persequantur ab impijs. Ioseph fuit in vinculis AEgypti retentus, de quo dicitur in lib. sapietię. Descenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum. Hieremias fuit etiam vinculis traditus in Iudęa. Ezechiel ductus est captiuus in Chaldæam. Ioānes Baptista, quo inter natos mulierum nullus dicitur surrexisse maior, fuit ab impio Herode in vincula coniectus. Et infiniti alij de quibus ait Apostolus: alij verò ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tētati sunt, in occisione gladij mortui sunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. ¶ Quod si causas istarum calamitatum quæras facilè inuenies. Primum, vult Deus suos his calamitatibus versari, quò ab animi ægritudine præseruentur. Vt ille qui filium habet in-

Marginalia: Similitudo. — Esai. 9. — Esai. 3. — Matth. 27 — Esai. 24. — Hiere. c. 21. — Ezech. 5. — Threi. 4. — 2. Mach. 5 — Gen. 39. — Sap. 10. — Hiere 37. — Matth. 11. — Heb. 11. — Prima causa persecutionum istorum.

Vt ab animi ægritudine præseruetur. Similitudo

tegra valitudine pollentem, & seruum ægritudine laborantem, Seuerius tractat filium quam seruum, non quod magis diligat seruum, sed quod velit eum integritati restituere, quem scit graui morbo laborare, filium autem quem amore incredibili prosequitur, reprehendit & vexat: sic Deus interdum filios quos diligit affligit, permittens eos, in carcerem conijci, pertrahi in conciliabula veluti nocentes ac maleficos, reos peragi apud reges & præsides, vt vel his præssuris in Dei amicitia conseruentur, maximaque virtutum merita accumulent: in sceleratos autem homines indulget: vt externas commoditates consequantur quo ab animi morbo liberentur. Hoc intelligens D. Paul. dicebat: quem diligit dominus castigat: flagellat autem omnem filium, qué recipit. Eá ob causam dicebat alibi: Gloriamur in tribulationibus: & rursum: Mihi autem absit gloriari nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Vbi per crucem Christi afflictiones intelligit, in quibus ipse Apostolus propter Christum versabatur: nam omnes (vt ipse etiam ait) qui pié volunt viuere in Christo persecutionem patientur. Hæc erat visio (inquit Ezech.) discurrens in medio animalium, splendor ignis, & de igne fulgur egrediens. Ex igne amoris Christo egrediebatur fulgur calamitatum. Vt fulgur ferit terram, sed cœlū illustrat, sic afflictio propter Deum tolerata corpus debilitat, mentem clariorem reddit. ¶ Secundo vult dominus suos his ærumnis & præssuris affligi: vt eorum fortitudo & constantia & in virtute perseuerantia mundanis hominibus ostendatur. Sunt enim viri iusti similes adamāti vt vates quidam testatur dicēs: Vt adamantem & silicem dedi faciem tuā, ne timeas eos. Vel potest verti ex Hebræo: vt adamantē duriorem silice reddidi frontem tuā, quā ob rem ne metuas eos. Vbi Amos ait iuxta vulgatam editionem: Ecce Dominus stās super murum litum, & in manu eius trulla cæmentarij, habent septuaginta. Ecce dominus stans super murū adamantinū, & in manu eius adamas. Vbi D. Hieronym⁹ per adamātem, in manu Dei virum iustū

Heb. 12. Rom 5. Gala. 6. 2. Tim. 3. Ezech 1. Similitudo. Secunda causa ærūnarum hominū piorum. Ezech. 3. Amos. c. 7. D. Hiero.

A præsertim Apostolos interpretatur: nam vt sapiens ait in lib. sapientiæ: Iustorū animæ in manu Dei sunt: & Christus Dominus: Non rapiet (inquit) eos quisquam de manu mea. Firmi igitur adamantes sunt sancti martyres cæterique iusti charitate præstantes & in manu Dei sunt: ideo ergo dominus permittit eos varijs calamitatibus agitari, vt eorum fortitudinē ostēdat: ad quam ostendendā nihil magis conducit quam calamitas ipsa. Intuebatur olim animo Propheta Balaam istius Christiani populi cōstantiam, & fortitudinem,

B & dicebat admiratione incredibili detentus: ecce populus vt leæna consurget & sicut leo erigetur. Sicut enim (inquit Origenes) leo & leæna, nullum animal, nullam bestiā timent, sed sunt eis cuncta subiecta, ita & perfecto Christiano qui tollit crucē suam, & sequitur Christum, qui potest dicere mihi mūdus crucifixus est, & ego mūdo, cuncta calcantur cuncta subiecta sunt. Despicit enim omnia quę in hoc mundo sunt, & imitatur eum qui leo de tribu Iuda dicitur, quia sicut lux est mundi, & discipulis suis dedit vt & ipsi essent lux huiꝰ

C mundi, ita & cum ipse sit leo, credentibus inse nomen leonis adscripsit. Vide autem quam euidenter non de illo qui tunc erat populo Israelitico, sed de hoc qui futurus erat, ista dicuntur. Ecce populus vt leæna cōsurget, & sicut leo erigetur. Exsurrectusum dicit populum videlicet qui futurus erat. Nam si de eo diceret quem videbat dixisse sine dubio, ecce populus sicut leæna consurgit. Sed certum est quod de illo populo dicat de quo in Psalmis scriptum est: Et anunciabunt cœli iustitiam eius populo qui nascetur, quem fecit Dominus.

D Hęc ex Orige. Viri iusti amittere possunt opes, & dignitates, & magistratus, atq; vitam ipsam, virtutem autem animi & constantiam non amittent. Quemadmodum fulmē quicquid inuenit in terra ferit, pręter laurum, vt autor est Plinius lib. 2. c. 55. Sic magna calamitas omnia potest auferre præter formam virtutem & animi stabilitatem. Qua propter hortatur nos Paulus dicens: Fratres mei dilecti stabiles estote & immobiles abundantes in omni opere domini semper. Vnde fiet vt in die iudicij maxi

Sap 5. Ioan. 10. Nume. 23. Orig. ho. 16. in nu. Psal. 21. Simile. Plinius. 1. Cor. 15.

maxima gloria maximusque honos nobis accrescat: dicente Apostolorum principe: in quo exultabitis, modicum, nunc si oportet contristari in varijs tentationibus: vt probatio vestræ fidei multo preciosior auro (quod per ignem probatur) inueniatur in laudem & gloriam, & honorem in reuelatione Iesu Christi. ¶ Tertio premit Deus iustos suos innumeris martyrijs & afflictionibus, vt ostendat in eorum tolerantia virtutem & omnipotentiam suā. Hinc est, quod Paulo ter domino roganti, vt stimulum carnis suæ angelum sathanæ illū colaphizanti, ab eo auferret: respondit dominus. Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Vbi Græci addunt μου, idest, mea. Virtus, inquit, mea in infirmitate perficitur: vt sit sensus quod potentia Dei in martyrum afflictionibus perfectior & illustrior redditur, cum per illas tyrannis fortiores euadunt. Quod intelligens Paulus non solum amplius non petijt à Deo vt eum à tātis infirmitatibus, hoc est, calamitatibus liberaret, sed in illis maximè gloriabatur: vnde addit: Libenter igitur gloriabor in infirmitatib9 meis: i. præssuris & persecutionibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi, idest, vt potētia Christi magis elucescat in me. propterea quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo: cum enim infirmor tunc potens sum. Mūdi potentia in curribus & militibus & equis innotescit, dicente Dauid: hi in curribus, & hi in equis: potentia verò Dei in præssuris martyrum elucescit hæc Dei virtus tum alias, tum in facto Gedeonis, qui persecutus ab hostibus innumeris eos tandem cū 300. militibus inermib9 debellauit. Hinc & illa nō minus victoria mirabilior: quod cum audisset Abraham captum videlicet Loth fratrem suum, numerauit expeditos vernaculos trecentos decem & octo, & innumerabiles hostes deuicit: atque hoc ipsum contingebat in bello spirituali martyrum. Ostendebat enim Deus suam potētiam, innumeras gentes immanitate barbaras, vel vno martyre ad se trahendos. Quare tutissimum est cū Paulo nobis in calamitatibus placere. Hedera enim quæ

1\. Pet. 1.

Tertia causa pressurarū sanctorum.

Nota.

2\. Cor. 12.

Psal. 19.

Iud. 7.

Gen. 14.

Similitu.

A semper viret, cōplexu enecat arbores: huiusmodi est prospera fortuna, quæ dum arridet & blanditur perdit. è spinis autē nascitur rosa, è tribulationibus elucescit magis ac magis & constantia nostra & virtus atque potentia Dei. Transeamus ergo libenter per ignem & aquam, hoc est, per omnia suppliciorū genera, significata per ignem & aquam, elementa contraria: sicut transierunt martyres, cæterique viri apostolici, vt innotescat per nostram tolerantiam potentia Christi. ¶ Quarto, eō Dominus mille mortis generibus suos premit, vt sua morte corporis de diabolo mirabiliter triumphent: Quam ob causam regius Dauid dicebat: preciosa in conspectu domini mors sanctorum eius. Audiat peccator & irascatur, dentibus suis fremat & tabescat. Deprehensus est in astutia sua; cecidit in foueam quam fecit, in laqueū incidit, quem tetendit. Inuidia siquidem diaboli mors intrauit in orbem terrarum, sed ecce preciosa facta est mors sanctorū. Audi igitur hostis vitæ, mortis autor attēde. Quid valet iam fraus tua, versutia tua quid nocet? Imo verò vt plus doleas, etiā omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti: Neque enim aliter quam ipsa (quæ tui est operis) de te sancti morte corporis triumpharunt: fecerant siquidem de necessitate virtutem, pœnam peccati in meritum gloriæ commutarunt: fideles se probarūt in modico, vt digni inueherentur supra multa constitui. Modicum namque erat & omnino modicum quicquid prius acceperant animæ illæ beatæ, quantum ad eam gloriam quam præsenti promeruerunt passione: Omnis enim delectatio huius mundi, vniuersa eius gloria, quicquid denique in eo concupiscitur, prorsus modicum est, in illius fœlicitatis, in illius gloriæ, in illius beatitudinis cōparatione: si tamen vel modicum dici debet, & non potius nihilum, vapor ad modicum parens. Acceperant multi sanctorum, amplas possessiones, hæreditatem multam: acceperāt hæc vniuersa à domino: Dei enim dona sunt hæc: fideles ergo se probarunt ei qui dederat, cum pro eius amore omnia contempserunt, omnia detrimentum facientes,

B

C

D

Psal. 65.

quarta causa

D. Ber. in ser. de sancto Clemēte.

Psal. 115.

tes, & arbitrati vt stercora, vt lucrifaceret Christum, & morte mortem diabolumque superaret. Sed forte murmurat etiam nunc inimicus, pellem, inquiens, pro pelle, & omnia quæ habet homo dabit pro anima sua. Quid ergo? Putas quod in ipsa corporum suorum vita, quam acceperunt à Domino, infideles inueniantur, vt vel ipsam præferant illi? Ecce habes potestatem irrue in eos per satellites, conijce in carcerem, eos perage apud regum tribunalia, modis omnibus conare eos è mundo abolere, varia & immania exquire genera tormentorum, sed noueris te illis fabricare coronas. Sicut enim ipsa vitæ huius ornamenta & adiumenta contempserunt, sic contemnunt & ipsam, & corpora omnia tibi exponunt in mortem, & in faciem maledicunt tibi, dominũ Deum suum etiam inter tormenta tua liberè prædicant, in igne confitentur. Coronabuntur igitur quia legitimè certauerunt: de te gloriosè denique triumphabunt. ¶ Hos igitur gloriosos sanctos apostolicosque viros imitamini viri Christiani, quando quidem tantam victoriam de diabolo reportabitis. Nolite labores & calamitates ab eo immissas timere: nam polliceor vobis tẽpus fore quo in æternũ coronemini, tempus fore quo egregium trophæum erigatis. Quod si mihi minime fidem adhibere vultis: eam Dauidi spiritu cœlesti afflacto adhibete: ipse enim vobis ait: Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri. Qui vocabulum Hebraicum (vbi nos habemus cleros) aiunt significare vncinos, scilicet ferreos, in quibus animalia immolanda suspendebantur ad excoriandum, asserunt etiam tripodes & ollas, & locum vbi sunt ollæ, significare. Aiuntque hunc esse verum huius Psalmi intellectũ. Et si nunc tam sordidi & atri sitis, quam hi, qui inter fuliginosas ollas, & tripodes, & vncinos iacent, eritis tamen postea nitidi, & tanto candore affecti, vt possitis cũ columba comparari, quæ pulchra est, & alas habet argenteas, corporisque pennas auro fuluo similes, & excellente colore affectas. Ac si diceret o larius Propheta: & si nũc ò præsules sancti, ô martyres gloriosi, ô viri virtute præstantes, in luctu & gemitu versemini, & acerbis calamitatibus à diabolo mundoque præmamini, tamen polliceor vobis victoriam, triumphum, atque coronam. Polliceor vobis tempus fore, quo perpetuo gaudio sitis perfusi, & in vestrum decus restituti. ¶ Non est profecto quare vir pius & Christianus qui omnia contempsit, hostem & inimicũ metuat. Vnde enim vel ex qua causa nocere ei potest diabolus? Pecunias ille non habet, aut eas habet ac si non haberet: quare damnum non est cur metuat, patriam non habet in terris, vt exilium sibi inimicus intentet, gloriam non optat, vt dedecus timeat. Vnum reliquum est, mors, scilicet, sed eam qui sibi intulerit, nõ modo illum lædet, aut aliquo afficiet mœrore, verum summa quoque illi conferet emolumenta. Namque eum ad aliam transmittit vitam, quam ille summis ambit desiderijs, cuius gratia cuncta & agit & molitur itaque laborum illa sibi finis erit, non pœna, sudorumque absolutio & requies. Triumphat ergo sua morte vir pius de mũdo ac de diabolo. Quare preciosa iure optimo illius mors appellanda est.

¶ *Propter nomen meum.* Quasi dicat, hæc patiemini non ob vllum vestrum maleficium, sed ob ingens beneficium, videlicet ob professionem nominis mei, quod modis omnibus conabuntur abolere, cũ per illud gratis liceat pœnitentibus assequi vitam æternam. Hinc erat vox illa martyrũ apud Dauidem Psal. 43. Quoniam propter te mortificamur tota die æstimati sumus sicut oues occisionis quæ verba refert D. Paul. in episto. ad Roma. cap. 8. Propter te (inquit) quia vt autor est Augustinus, martyrem non facit pœna, sed causa. Vt enim Christus inter latrones diuersa causa crucifixus est, ita & in hac area ecclesiæ diuersis de causis eadem mala patiuntur homines. Traduntur enim latrones propter culpam: ambitiosi propter inanẽ huius mundi fallacemque gloriam: atque alij propter cupiditates alias sese morti libenter obijciunt. Aiunt enim & aueri idolo suo, propter te mortificamur tota die, sed respondet martyribus Christus, ait Augustinus, si martyris inuenies. & me simul

Job. 2. b

Psal. 67. Explicatur locus.

Psal. 43.

Rom. 8.

Augu. serm. de martyribus.

Augu.

mul & te, respondeat auaris aurum, si nau fragaueris, & me perdes & te. Quo circa Christus non simpliciter dixit: Beati qui persecutionem patiuntur, sed adiecit, propter Iustitiam. Nec, qui perdiderit animã suam, inueniet eam, sed, qui perdiderit animam suam propter me. Et princeps Apostolorum ait: Nemo vestrum patiatur vt homiccida aut fur, si autem vt Christianus non erubescat. Cum enim Christus dominus pro nobis, hoc est, caput pro mēbris, innocens pro iniquis animam suam posuerit, cur non membrum pro summa gloria ducat capiti suo vitam suam rependere? Atque eò magis quod membra natura ipsa pro capite vitam exponere soleant: quod si Christus dominus bonorũ nostrorum nõ indigens, in hoc passus est, vt nobis à morte redemptis vitam sempiternam impertiret: cur nos vitam mortalem pro immortali non commutabimus? Quod intelligentes martyres libēter mortem propter Christum subire non metuebāt. Mortē, inquā, acerbissimā: quā vt significaret Propheta addit nomine sanctorum martyrum: æstimati sumus sicut oues occisionis. Quibus verbis aptissimé martyrum specimen, nobis exhibetur: nõ modò propter eorum, tum innocētiam, tum patientiam, qui sine armis, sine pera, sine baculo expectabant immanissimos lupos, sed propter modum atque animum quo à lupis, hoc est, crudelissimis tyrannis interficiebantur. Quando enim qui hostis est, iniuriam inferre arbitratur, minus profecto metuendus est: quum sedato odio, extincta animi ira, ab incepto cessare possit: sed illi sunt maximé extimescendi, qui cũ sint immanissimi, existiment id ex lege & religione decere. Tales erant tyranni illi imperatores & reges, qui pium, sanctum, ac religiosum, atque necessariũ existimabant, Apostolos cæterosque Christianos tanquam legum imperatorum ac religionis sacræ peruersores supprimere, omninoque extinguere: quos ideo perinde atque pecudes victui necessarias quotidie cędebant, discruciabant, dissecabant, ac dilaniabant. Iuxta verbum domini Iesu dicentis apud Ioan. Venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequiũ præstare Deo. Inter quos Apostoli in primis habebantur secundũ illud quod in. 1. epist. ad Corin. ait Pau. Puto, quod Deus nos Apostolos nouissimos ostēdit, tāquam morti destinatos, quia spectaculum facti sumus mundo. Idest, ideo quod quotidie veluti ad bestias theatro damnati circum agimur ad mortem, atque ita mundi spectaculum atque fabula efficimur.

Matth. 5. & 10. — 1. Pet. 4. — Psal. 43. — Ioan. 16. — 1. Cor. 4.

¶ *Propter nomen meum.* Hoc est nomen illud magnum, quod est super omne nomen de quo D. Paul. ad Philip. capi. 2. Dedit, inquit, illi nomen, quod est super omne nomen. Hoc est nomen illud admirabile de quo Genesis cap. 32. ait angelus: cur quæris nomen meum, quod est mirabile. Hoc est nomen de quo Esaias cap. 65. Vocauit seruos suos nomine alio: in quo qui benedictus est, benedicetur in Deo Amē. Qui enim Christum Iesum receperunt, non vocantur iam ethnici, nec Iudæi, sed Christiani, pro nomine alio, transtulerūt septuaginta nomine nouo. Hoc est nomē illud de quo dicitur in Apocal. Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum cādidum & in calculo nomen nouum, quod nemo scit nisi qui accipit. Ac si dicat Deus: illi qui hostes suos spirituales vicerit, dabo cœlestem quandam dulcedinem & puram conscientiam, in qua habet scriptum se esse verum Christianũ, & moralibus cõiecturis sciet se esse in gratia constitutum, quanquam alij existimēt eum esse infidelem, aut saltem sceleribus contaminatum. Denique hoc est nomen quod os domini nominauit de quo Esai. c. 62. Vocabitur (inquit) tibi nomen, quod os domini nominauit. Ob professionem ergo huius nominis, quod modis omnibꝰ conabantur tam ethnici, quam Iudæi abolere: Prædicta mala Apostolis & sanctis martyribus contigere.

Philip. 2. — Gen. 32. — Esai. 65. — Apoc. 2. — Esai 62.

¶ *Continget autem vobis in testimoniũ.* Idest, hoc autem accidet vobis, vt & vestra probata sit constantia, & illorum intelligatur merito damnata malicia. Vel aliter: hoc autem cõtinget vobis vt morſ vestra sit fidei quam prædicaturi estis certum electis testimonium. Vnde Hieronymus Hedibiæ scribens ait: Triũphus Dei est, passio martyrum, & pro Christi nomine

D. Hiero. ad Hedibiam.

ne cruoris effusio, & inter tormenta læti-tia. Cum enim quis viderit tanta perseuerantia stare martyres, atque torqueri, & in suis cruciatibus gloriari, odor notitiæ Dei disseminatur in gentes: & subit tacita cogitatio, quod nisi verum esset Euangelium nunquam sanguine defunderetur.

Neque enim delicata & diuitijs studés ac secura confessio est, sed in carceribus, in plagis, in persecutionibus, in fame, in nuditate, & siti. Hic triumphus est Dei Apostolorumque ac cæterorum martyrum victoria. Et D. Chrysosto. mors quippe iustorum bonis in adiutorium est: malis in testimonium: vt inde peruersi sine excusatione pereant: vnde electi exemplum capiūt vt viuant. Hæc ille. Boni quidem erūt cœlum & terra, quos in testes vocabit Dominus aduersꝰ impios & sceleſtos homines, eos in hac vita ob professionem nominis Christi persequentes. Tūc quidem dicet Dominus sedens pro tribunali: testes inuoco contra vos cœlum & terram.

D. Chrys. — Deu. 30.

¶ *Ponite ergo in cordibus vestris.* Heb. quem Matthę cap. 10. & Marc. c. 13. exponūt his verbis ne autem soliciti sitis quid locamini, neque meditemini, &c.

¶ *Ponite ergo in cordibus vestris nō præmeditari quemadmodum respondeatis, ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarii vestri.* Ac si diceret: Vos autem meo præsidio, vestraque innocentia freti, nō est quod metuatis illorum tribunalia, ne quod solicite meditemini apud vos quomodo sitis acturi causam homines idiotæ apud concessum magnatum aut principes. Neque est quod rhetorem, patronum, aut iurecōsultum aduocatum adhibeatis. Ego per meum spiritū vobis adero patronus, aduocatus inuictus, qui vobis suppeditabit & linguam, & sapientiam, cui nec resistere poterunt, nec cōtradicere aduersarij vestri, quantumuis crudeles, aut diserti mundana sapientia.

¶ Iam hic vides quanta sit vis & virtus sapientiæ Christi: quod mūdi sapientes, ei, per os hominum aliàs idiotarum loquenti, resistere minime potuerunt. Quod vel in vno Stephano videre est: de quo enarrat Lucas in Actus Apostolorum c. 6. quod

Act. 6.

A surrexerunt multi sapientes de synagogis, disputantes cum Stephano, & non poterant resistere sapiētię & spiritui qui loquebatur. Tanta erat in illo vis dicēdi, vt multa turba sacerdotum obediret fidei: vt ibidem refertur. Atque hoc vnum erat quod maxima admiratione affectus olim prædixerat Dauid Psalmo. 8. Ex ore (inquit) infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos vt destruas inimicum & vltoré. Quo in loco per inimicos & vltores intelliguntur Christianæ fidei

Psal. 8.

B persecutores, qui dolentes de Christi domini cultu & gloria, conati sunt vltionem facere, & vindictam, siue euacuatæ legis veteris, siue contemptæ & cōculcatæ idolatriæ, siue dissipatæ mundanæ humanæque sapientiæ. Nam huiusmodi triplices vltores sensit fidelium populus, & contra triplices huiusmodi inimicos paruuli nostri & lactentes sancti Apostoli dimicarūt: contra videlicet Iudæos, pro suę legis litera non secundum scientiam zelantes, quā illi iam præteritam denuntiabant & euacuatam: contra principes sæculi, & idolorum pontifices, qui idolatriam suam (ad-

C uersus quam illi prædicabát, & quam eliminare laborabant) armis & omni potentia tueri conabantur: aduersus quoq; mūdi sapientes, quorum sapientiam vanam, illi coarguebant verbi virtute & spiritus Christi per illos loquentis potentia. Exhibuerunt autem isti sese vltores pro sua vanitate, aduersus infantes & lactētes, & aduersus veritatem quā Deo inspirante prædicabant: sed mori poterant tamen vinci non poterant: nam super omnia vincebat eorum veritas cui non poterant suis argu-

D mentis, & tormentis resistere. ¶ Atque hoc erat quod olim promiserat Deus Abrahamo Gen. 22. dicens possidebit semē tuum portas inimicorum suorū. Per portas significantur ipsę ciuitates, imo omnis potestas, vis, fortitudo, ob id quod vt plurimum vrbes munitissimæ sunt circū portas. Hoc autem in Christo primum impletum est, qui verum semen Abrahæ est, ipse enim principem mūdi deiecit, mortem destruxit, infernū spoliauit. Vnde in Propheta. Ero mors tua, o mors, ero morsus tuus inferne. Possidebit igitur semen tuū portas

Gen. 22. — Ioan. 12. — Oseæ 13.

portas inimicorum suorum. Quasi dicat: fidei veritas destruet mēdacium, veri Dei cultus idololatriam, omnisque altitudo humiliauit se Christo semini tuo. Præualebit verbum eius vniuersę sapientiæ, potētiæ, maliciæ huius mundi. Vnde in hoc loco ait: Dabo vobis os, & sapiētiam cui nō poterūt resistere omnes aduersarij vestri. ¶ Hoc os, hęc sapientia erant saggitæ illæ acutæ de quibus loquebatur Psaltes Dauid Psal. 44. dicens: Sagittę tuę acutæ, (populi sub te cadent) in corda inimicorum regis. Quod dicitur, populi sub te cadent videtur interiectum tanquam parenthesis: vt hęc sit sententia, sagittæ tuæ acutæ in corda inimicorum regis, subaudi infigētur, vel transibunt: vnde fiet, vt sub te cadant populi. Per istas autem sagittas intellige veritatis eloquia, iacula euangelicæ prædicationis: quas partim per se ipse, partim per alios sagittarios iaculatus est, per vniuersum orbem. Misit enim spōsus rex noster in fines orbis terræ viros sagittarios, pharetras plenas habentes sagittis acutis, ad vulnerandum in loco cordis nationes gentium: idest, sanctos Apostolos emisit, aliosque viros apostolicos plenos eloquijs veritatis ardentibus & acutis ex virtute Dei: vnde habebāt vt corda penetrarent: ac intima animorum infigerent. Atque hę sunt sagittę, quas alibi postulat, qui inter odientes pacem laborat in exilio, contra linguas dolosas. Has sagittas emittebat ille, qui in Apocalypsi super equum album sedens, tenebat in manu arcum, exijtque vincēs vt vinceret. Cuneus enim prædicatorum primitiuæ Ecclesiæ, (qui per equum illum candidum significabatur, Christum sessorem portantē) per sagittas huiusmodi, quasi ex manu & virtute Dei emissas, gētes & regna sessori suo Christo subiecerunt. Beatus verò, quibus istiusmodi sagittis acutissimis contigerit vulnerari: & fœlices, qui sic eis vulnerantur, vt sub regis manibus occisi cadant. Notandum verò, quod sagittę iste, non in manum, aut in caput aut in pedem infigātur, sed in corda inimicorum regis: quoniam, cui diuinorum eloquiorum iacula verò infixa fuerint, hunc mori necesse est vitæ veteri & affectibus pristinis, idest, (vt

Psal. 44. — Psal. 119. — Apo. 6.

A Paulus ait) peccato: viuere autem Deo, cui prius fuerat mortuus. Vnde & quidā ex his vulneris sagitta perculsus, dicebat: Christo confixus sum cruci. Viuo autem iam non ego, quoniam videlicet in corde mihi fixa est sagitta: viuit verò in me Christus, sub quo vulneratus cecidi, cui me ipsum totum amodò subieci. Tu vero ò vir sancte, non succumbas synagogæ sathanę, quæ semper aduersatur fideli, parato mortem pro Christo pati: potiusquam eius fidem abnegete aut amicitiam illius amittere. erige ergo animum, nam tibi etiam B dabitur os & sapientia, cui non possunt resistere aduersarij: quare si te insidijs perdere voluerint, erige animum, esto constans in veritate & in virtute: nam vitam caducam & vanam auferre poterūt: nō autem veram & sempiternam. ¶ Vt ergo redeamus vnde cæpimus, spiritū Dei afflati loquebantur sancti quando in ius trahebātur. Quemadmodum enim organa modulationem ad motū temperantis emittunt: sic sancti bona quæ loquebantur ad volūtatem & motum Christi inspirantis. Per C hoc autem ait Chrysost. ad Prophetarum eos dignitatē reduxit: qui de spiritu sunt locuti. Vnde Gregorius: Ac si membris suis infirmantibus dicat: nolite pertimescere, uos ad certamē acceditis: sed ego præliabor: vos verba editis, sed ego sum qui loquor: hinc Paulus ait: an experimētum quæritis eius qui in me loquitur Christus? Securi ergo ibant, quocunque ducebantur. Securius enim ad prelium vadit, qui talibus armis, & sub tali principe pugnat: Securus ad consiliū pergit, qui tali patrono causam suam defendit. ¶ Obserua ta D men quod his verbis dominus Iesus nō intendit meditationem loquendi apud iudices & magistratus cū de fide agitur secludere, si adsit oportunitas vel scientia: sed tantum præstat fiduciam maximam suis; vt oportunitate deficiente cogitandi quæ dicenda sunt: aut deficiente peritia vel quod subitò præoccupentur à tyrannis: in diuino confidant consilio: quia cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solū habemus residui vt oculos mentemq; nostram ad dominum Deum nostrū dirigamus vt dicitur. 2. Paralip. 21. Aliàs si homo quan

Gala. 2. — Simile. — Chrysos. — Grego. — 2. Cor. 13 — 2. Parali. 21

quantumuis iustus, negligat præmeditari quid respondere aut facere debeat si tem pus aut peritia adsit: solo Dei auxilio fretus, Deum tentare videretur. Oculi ergo tui videant recta: & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos: quæ maxima prudentia est. Sic enim monet Salo. in Prou. cap. 4. In initio ergo nascentis Ecclesiæ os & sapientiã dominus dabat fidelibus, quod vel illiterati ac simplices essent, vel subitò ad reges, & principes traherentur: non enim deficit Deus nec deserit suos, quãdo vel scientia vel oportunitas vel tẽpus præmeditandi quæ agenda sunt illis deest.

S. Thom. 22. q. 53. ar. 4 ad p. argumẽtũ.

Prou. 4.

¶ Cæterum vide quæ ex Cypriano scripsimus infra in illa verba in patientia vestra, &c. secũdò repetita. Maior enim est Deus ad protegendum suos, quam diabolus ad impugnandum: quare quando opus est præbet illis os, & sapientiam, cui non possint resistere aduersarij, & præbet libentissimè. Hinc est quod Apocaly. 10. offert vltro librum Ioanni dicens: Accipe librum & deuora illum. Dat enim dominus postulanti sapientiam affluentè vt Iacobus scribit. capi. 1. Sic liberaliter porrigit librum & eum apertum, Ioanni petenti: quia simul & scripturam & eius intelligentiam Christus suis communicat. Stat quidem sententia, ego dabo vobis os & sapiẽtiam.

Apo. 10.

Iaco. 1.

¶ *Trademini autem a parentibus & fratribus et cognatis et amicis: et morte afficient ex vobis: et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.* Nonne miraris quam atrox odium totus mundus cõcepit in Apostolos & martyres ob Christi professionem? Quidquid in illos audebant, hoc in Christi contumeliam faciebant. Ipse lædebatur, ipse occidebatur in eis. Quare Christi fuit, & martyribus consulere, & persecutorum vlcisci maliciam. Quare ex hoc colliges, quod quantumuis desæuierint in iustos Christi diligentes, ac fidem eius profitentes, persecutionum humanarũ procellæ, non est quod metuant, videlicet Christo protectore. De hac immani parentum atque amicorum & cognatorum cæterorumque impiorũ in pios persecutione loquebatur dominus cũ dicebat per os Dauid, nõne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem, qui deuorat plebem meam sicut escam panis? Illi dicuntur populum Dei deuorare, qui eũ afficiunt calamitatibus: ei eripiũt cibum, & substantiam eius inexplebili deuorant cupiditate. Ita intelligitur illud Psal. Dũ appropiant super me nocentes, vt edant carnes meas. Et illud: de absconditis tuis, adimpletus est venter eorum. Absconditos appellat viros iustos. Nam in Psalmo vbi nos habemus: cogitauerunt aduersũs sanctos tuos: habet litera Hebræa cogitauerunt aduersus absconditos tuos. Vita enim iusti abscondita est cum Christo in Deo vt autor est Paulus. Vnde Dauid dicebat: Absconde eos, in abscondito faciei tuæ. Igitur horum verborum: de absconditis tuis adimpletus est vẽter eorum: hic est sensus: homines nefarij, qui libidinum facibus inflammantur: qui se hominum cruore satiant, qui alijs victum eripiunt, qui rapina & maleficio pascuntur, viros pios & iustos deuorant, eos spoliantes vel propter confessionem fidei quantumuis alias filij, cognati, aut amici fuerint, vel propter constantiam in virtute & religione. Tales erant parentes & fratres & cognati & amici qui populum Christi ob nomen eius deuorabant, persequebantur, affligebant, bonis spoliabant, deferebant, & inius vocabant: & denique interficiebant. Vide quale tunc incendium ardebit persecutionis: vt nec sibi ipsi parcat natura. Quomodo autem tunc patronorum fidem integram quæras, cum videris amicitiam fraternitatis & paternitatis esse extinctam? Si enim amicitia in ipsa natura deficiet, quomodo inuenietur extra naturam.

Psal. 23.

Psal. 26.

Psal. 16.

Psal. 26.

Colo. 3.

Psal. 83.

Chrysos.

¶ *Et eritis odio omnibus hominibus.* i. amatoribus mundi humana sapientibus, qui inimici Dei sunt. Homo. n. hic magis dicit viciũ, quam naturam. Distant enim & mundi & Dei amor.

¶ *Et capillus de capite vestro non peribit.* Ac si diceret: quantumuis desæuierint in vos parentum, fratrum, cognatorũ ac totius mundi persecutiones & calamitatum fluctus, non est quod timeatis, videlicet me protectore. Non enim committam, vt vel pilus capitis vestri pereat: tantum abest vt sim vobis defuturus. Proniden

dētiam & protectionem peculiarem quā habet Deus erga suos designat hic locus. Si enim non perit capillus, qui minima pars est animati corporis, quomodo Deus sinet alia suorū membra perire. Hac quidem confidentia cōmotus Machabæus ille, de quo 2. lib. Machabęorum. c. 7. describitur, postulatus linguam cito protulit. & manus constanter extēdit: & cum fiducia ait: é cœlo ista possideo, & propter Dei leges hæc ipsa despicio: quoniam me ab eo hæc eadem iterum recepturū spero. ¶ Cæterum, &, in hoc loco pro, sed, ponitur more Hebræorum. Et capillus de capite vestro non peribit, pro, sed capillus de capite vestro non peribit. Siue vt Gręca lectio habet, non perit accipiēdo præsens tēpus pro futuro de more scripturæ vt sæpe diximus.

2. Mach. 7.

¶ *In patientia*. In, pro, per, patientiam, per tolerantiam.

¶ *Possidebitis*. possidete, obtinete, Matthæ. 24 sic hanc sententiā effert. Qui perseuerauerit vsq; in finem hic saluus erit.

¶ *In patientia vestra possidebitis animas vestras*. q. d. Ne respiciatis ad humana pręsidia, copias, arma, machinas: sola tolerātia vestra defendetis vitā vestrā. Nō potest perire, qui ob mei nominis professionē occiditur. Nō peribitis ante diē. Nec enim tātū permittā humanæ violētię. Ille vero verē seruauerit animā suā, qui mea causa cōstanter mortē oppetierit. ¶ Hinc primum colliges, quod qui possident animas suas cōsequētur immortalitatē, at qui sunt patientia induti eas possident, dicēte in hoc loco Christo: in patientia vestra possidebitis animas vestras, illi igitur immortalitatē adipiscentur. Hoc intelligēs D. Iacobus ait: Patiētes estote & vos, & cōfirmate corda vestra. Et D. Grego. nos sine ferro & flāma martyres esse possumus, si patientiā in animo verē custodierimus. Postquā Deus minatus est Hebræis calamitates, vt flagitia sua intelligerent, & lachrymis delerēt, excitat eos ad patientiā ne calamitatibus adhibeant desperationē, sed eas æquo animo ferant, nā illis promittit se esse eos ab illa captiuitate erepturū, in quas illos coniecerat, nō vt perderet sed ad sui cognitionē adduceret. Nos autē qui Christiano nomine gloriamur, eo animo esse oportet quē veritas & ratio pręscribit, vt nihil pręter culpā & peccatū homini accidere posse arbitremur, quod sit horribile ad pertimescendū, omnia alia humana placatē & moderatē feramus. Cū nos vehemēter afflictos viderimus, cūcta sanctorū memoria repetamus qui sola tolerātia in medio ærūnarū vitā suā immortalē defenderūt: adsit nobis princeps fortitudo, quæ nobis animū eriget, & aduersa obruet memoria virorū illustriū, qui varijs fuerūt ærūnarum procellis concussi. & tamen cōstanter eas perpessi sunt: nō existimantes se perire si ob Christi nomen occiderentur. His fuit Daniel in lacum leonū proiectus, sed non legimus eū in his iniurijs & pressuris succensuisse hostibus suis, nec quærebundas voces emisisse, nec eos maledictis vulnerasse. Qua tolerantia possedit tandem ac defendit vitam suam. ¶ Maxime nos ad tolerantiam in ærumnis & calamitatibus mouere debent exempla tum malorum, tum hominum prophanorum, tum sanctorum. Animaduerte obsecro mala innumera & intolerabilia, quæ, impij ac scelerati homines, vt peccata sua perpetrent, in hoc mundo tolerare ac perpeti soleant. Qui quotidianis cruciatibus, interitum cruciatumque merentur æternum: dicente Ecclesiastico: Via peccantium complātata lapidibus & in fine illius inferi, & tenebræ, & pœnæ. Lassantur miseri æquo animo in via iniquitatis & perditionis & ambulant, vt sui voti scelerati sint compotes, vias difficiles: vt ipsi in inferno testantur: si ergo illi in patientia & tolerātia sua possidere voluerunt non vitam, sed mortem: non animas, sed pœnas: non est quare nos, non æquo animo pressurarum procellas toleremus: quando in huiusmodi tolerantia animas nostras possidebimus.

Iaco. 5.

D. Greg.

Cōsideratio exēplorum triplicis generis hominū nos excitat ad patientiam.

Eccle. 21.

Sap. 5.

¶ Quod si huius mundi homines, pro comparandis bonis caducis & inanibus, tot tantaque mala pati libenter volunt: quare & nos, pro æternis, pro veris summisque bonis, multo maiora, si necesse fuerit, non sustinebimus? Audiamus diuum Iacobum hoc argumentum proponentem in epist. sua. cap. 5. Ecce (inquit) agricola expectat preciosum fructum terrę, patiēter ferens,

donec accipiat temporaneum & serotinum: patientes igitur estote & vos: & confirmate corda vestra: quoniam aduentus domini appropinquauit. ¶ Tandem intueamur viros omni virtute præstantes tã veteris quam noui testamenti, & eorũ tolerantiã imitemur: vt animas nostras possideamus. Intueamur, inquam, Tobiæ tentationem, quã illi euenire permisit Deus vt posteris daretur exẽplũ patientiæ eius, sicut & sancti Iob: vt in lib. Tobiæ testatur Spiritus sanctus. Non enim est contristatus contra Deum, quia plaga cæcitatis euenerit eum vt ibidem scribit. Exemplũ ergo accipite fratres (vt Iacobus monet) exitus mali & longanimitatis, laboris, & patiẽtiæ, prophetas qui locuti sunt in nomine domini. Ecce beatificamus nos qui sustinuerũt. Sufferentiam Iob audistis, & finem domini vidistis, idest, qualis illis finis & exitus à dño Deo fuerit. Fuit enim patientia Iob tãdem à dño remunerata, quãdo duplicia recepit in vita sua peracta tentatione. Quis sanctorũ (inquit Hieron.) sine patiẽtia coronatus est? A cunabulis ecclesiæ non defuit iniquitas premens, & iustitia patiens. Facta (ait Grego.) præcedentium patrum consideremus, & non erunt grauia quę toleramus. ¶ Inter exempla vero sanctorum præcipuum & maximũ est, Christi exemplum. Recogitate (inquit D. Paul.) eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt nõ fatigemini animis vestris deficientes. Exemplum Christi est quasi scutũ fortissimũ animi ac cordis nostri. De quo dicere possimus quod Hieremias ait in Threnis: dabis eis scutum cordis laborem tuum. Hinc est quod Apostolorum caput ac princeps in. 1. sua canonica dicat: Christo in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini. Vtrumque es mihi domine Iesu, & speculum patiendi: & præmium patientis: ait D Bernardus. ¶ *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Lege Cyprianum sermone tertio de bono patientiæ egregie disserentem. Lege etiam eundem in libello de exhortatione ad martyrium. Vbi inter alia multa ostendit cap. 9. pressuras & persecutiones fieri, vt probemur. In Deuteronomi. tentat vos

Iaco. 5. | Tob. 2. | Iaco. 5. | D. Hiero. | D. Greg. | Heb. 12. | Thre. 3. | 1. Pet. 4. | D. Ber. | Patienter ferre debemus ærumnas quã dantur a Deo vt probemur. | Deu. 13.

A Deus vester, vt sciat si diligatis eum, ex toto corde vestro, &c. Et apud Salomon. Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Et Paulus. Gloriamur in spe claritatis Dei. Non solum autem sed gloriamur in pressuris, scientes quoniam pressura tolerantiam operatur, tolerantia autem probationem, probatio autem spem, spes autem non confunditur, quia dilectio Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Et Petrus. Charissimi no- B lite mirari ardorem accidentem vobis, qui ad tentationem vestram fit, nec excidatis tanquam vobis nouum aliquid contingat. Sed quotiescunque communicatis Christi passionibus, per omnia gaudete, vt in reuelatione facta claritatis eius gaudentes exultetis. Si improperatur vobis in nomine Christi, beati eritis, quia maiestatis & virtutis domini nomen requiescit in vobis, quod quidem per illos blasphematur, per nos autem honoratur. Capite verò 10. ostendit idem Cyprianus ti- C mendas non esse persecutiones, quia maior est dominus ad protegendum quam diabolus ad impugnandum. Dicente Ioãne in epistola prima maior est, qui in vobis est, quam qui in isto mundo. Item in Psalmo: Nõ metuam quid mihi faciat homo. dominus mihi auxiliator est. Iterum: hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri inuocabim9. Ipsi obligati sunt & ceciderunt: nos autem surreximus & erecti sumus. Item in Exodo declarat scriptura diuina pressuris multiplicari nos potius & augeri: dicẽs. Quãtoq; D eos deprimebant tanto plures fiebant, & inualescebãt magis. Et in Apo. Protectio diuina promittitur in passionibus nostris: nihil (inquit) horum timeas, quæ passurus es. Ne alius securitatẽ nobis pollicetur & protectionẽ, quã qui & per Esaiã Prophetã loquitur dicẽs: Noli timere quia redemi te, & vocaui te nomine tuo, meus es tu. Cũ transieris per aquas tecũ ero, & flumina non operient te: cum ambulaueris in igne non combureris & flamma non ardebit in te, quia ego Dominus Deus tuus sanctus Israel Saluator tuus. Qui & in euãgelio promittit auxilium diuinũ Dei seruis

Eccle 27. | Rom. 5. | 1. Pet 4. | Non sunt timendæ persecutiones cum Deus sit protector noster. | 1. Ioan. 4. | Psal. 117. | Psal. 19. | Exo. 1. | Apo. 2. | Esai. 43.

nisi in persecutionibus non de futurum di cés: cum autem vos tradiderint nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritꝰ patris vestri qui loquitur in vobis. Et in hoc capite: ponite ergo in cordibus vestris, non præmeditari quẽadmodũ respondeatis. Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere adversarij vestri. Sic & in Exodo ad Moysen cunctantem & ad populũ trepidantẽ Deus loquitur dicens: quis dedit os hominis? Et quis fecit mutum? Et quis surdum, & quis videntem & cœcum? Nõne ego dñs Deus? Et nunc perge, & ego ero in ore tuo, doceboque te quid loquaris. Nec difficile est Deo aperire os hominis deuoti sibi, & cõfessori suo inspirare constantiam & fiduciam loquendi, qui in numeris, aduersus Balaam prophetam etiam asinam fecit loqui. Quare in persecutionibus nemo cogitet quod periculum diabolus importet, sed consideret quod auxilium Deus præstet, nec mentem labefaciat humana infestatio, sed corroboret fidem diuina protectio. Quando vnusquisque secundum dominica promissa & fidei suæ merita tantũ accipiat de Dei ope, quantum se credit accipere, nec sit quod omnipotens præstare non possit, nisi accipientis fides caduca defecerit. Hæc Cyprianus. ❡ Tandem capi. 12. ostendit quæ spes & merces maneat iustos & martyres patienter tolerantes propter nomen Domini tanta tormentorum genera. Idque ostendit ex Salomone præcinenti: & si coram hominibus tormenta passi sunt, spes eorum immortalitate plena est. Et si in paucis vexati, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentauit illos, & inuenit eos dignos se. Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausta hostiæ accepit illos, & in tempore erit respectus illorum. Iudicabunt nationes & dominabuntur populis, & regnabit dominus illorum in perpetuum. Item Psal. 115. precium & merces passionis ostẽditur: preciosa inquit in cõspectu domini mors sanctorum eius. Et Ps. 125. qui seminant in lachrymis in exultatione metent, &c. Psal. 118. Beati qui scrutãtur testimonia eius, sine martyria eius, in toto corde exquirunt eum. Et dominus in Euangelio. Beati eritis cum vos oderint homines & persecuti vos fuerint, &c. gaudete & exultate quoniã merces vestra copiosa est in cœlis. Idem Apo. 20 Roma. 8. Quis ergo non omnibus viribus elaboret ad tãtam claritatem peruenire, vt post tormenta & supplicia terrena, ad prẽmia diuina perueniat? Si militibus secularibus gloriosum est, vt hoste deuicto, redeant in patriam triumphantes, quanto potior & maior est deuicto zabulo, ad paradisum triumphantes redire, & vnde Adam peccator eiectus est, illuc prostrato eo, qui ante deceperat, trophęa victricia reportare? Clauduntur oculi in persecutionibus terræ, sed patet cœlũ: minatur Antichristus, sed dominus Christus tuetur, mors infertur, sed immortalitas sequitur: occiso mũdus eripitur, sed restituto paradysus exhibetur: vita tẽporalis extinguitur, sed æterna reparatur. Quam est gloriosum claudere in momẽto oculos, quibus homines videbantur & mũdus, & aperire eosdem statim vt Deus videatur & christus, tam velociter migrandi quanta velocitas vt terris repẽte subtraharis & in regnis cœlestibus reponaris? Hæc oportet mente cõtemplari, hæc die ac nocte meditari. Si talẽ persecutionis dies Christi militem inuenerit, vinci non poterit virtus ad præmiũ própta. Et tunc stabit sententia quod in patientia sua possidebit vir iustus animam suam.

❡ *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Vt excellens aurũ tactum & percussum non sonat, vile autem orichalcum statim edit sonitũ: ita vir pius & iustus cõtumelijs & ærũnis affectus tacet, & æquo animo fert, quicquid euenit: impius autẽ irascitur, & execrationibus plenis stomachi & quærelarũ omnium aures obtũdit. Ideo ait Salo. 19. Prouer. doctrina viri per patientiam cognoscitur. Ac plerumq; innocẽtes liberantur: Id sentiens idẽ Salo. ait. c. 20. Ne dicas reddã malũ pro malo expecta dñm & liberabit te. Quare nos in cõtumelijs & calamitatibꝰ patiẽtiã amplectamur. Audiamus diuum Paul. in. 2. ad Corinthios. c. 6. loquẽtem: in omnibus exhibeamus nos metipsos sicut Dei ministros

Exo 4. Num 22. Quæ merces manet martyribus. Sap. 3. Psal. 115. Psal. 125. Psal. 118. Matth 5. Apo. 20. Rom. 8. Similitudo Patientia cõmẽdatur. Pro. 19. Pro. 20. 2. Cor. 6.

Heb. 12. strosin multa patientia. Et ad Hebræos capite duodecimo. Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen: aspicientes in autorem fidei & consumatorem Iesum qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem. Si fuerimus ita perturbati & victi ab illa, non erimus in potestate nostra, si autem dilexerimus patientiam, tenebimus nos ipsos: iuxta id quod ait Christus Deus noster in hoc loco: in patientia vestra possidebitis animas vestras. Imitemur dominum Deum nostrum, de quo ait vates quidam: Dominus patiens & magnus fortitudine. Et regius Propheta: Deus iudex iustus, fortis & patiens. Pro, dominus patiens, vertunt nonnulli, dominus tardus ad iram: hoc est, lentus ad vltionem. Imitemur cœlum, quod Philosophi appellant primum mobile. Hoc enim mouet alios cœlos qui versantur retro cõtrario motu, ac est extimus globus cœlestis, qui reliquos omnes complectitur. Sic ratio agitet appetitus nostros, vt aduersus propensionem & procliuitatem suam, iuxta ipsius rationis motum & impulsum dimoueantur. Ac ita tolerantiæ nostræ fructum percipiemus, nam vt Dauid ait Psal. 9. Patientia pauperum non peribit in finem, hoc est, afflictorum patientia nõ perpetuo frustrabitur, imo remunerationem à Deo tandem recipiet. Hæc est nobis necessaria, vt diuus ait Paulus capite decimo epistolæ ad Hebræos, vt reportemus promissionem. Homo nulla patientia munitus similis est scorpioni, qui prouocatus statim pungit: cymbalo, quod pulsatum confestim sonum reddit: vitro, quod percussum mox frangitur: patiens autem vir Deum, quem Dauid, & Nahum patientem vocat, imitatur. Sectemur igitur hãc virtutem si multa gubernari volumus sapientia: nam vt Salomon in Prouerbijs ait: qui patiens est, multa gubernatur sapientia: si doctrinam nostram vtilem alijs esse volumus. Quia tanto quisque minus ostenditur doctus, quanto minus patiens. Neque enim potest veraciter bona docendo impendere: si viuendo nescit aduersa æquanimiter tolerare. Amemus hanc virtutem si pro arbitrio & nutu animam possidere cupimus. Nam vt idem ait. c. 15. qui acquiescit increpationibus, possessor est cordis. Quia sedatis, scilicet, passionibus, est iustus sui ipsius dominus. Deniq; si hac virtute decorati fuerimus fortiores leonibus erimus. Vnde Salomõ. Melior (inquit) est patiens viro forti: & qui dominatur animo suo fortior est expugnatore vrbiũ. Sapientia enim in verbis, & patientia in verberibus omnia vincũt. Hæc sunt alæ illæ duę quę datæ sunt mulieri quam vidit D. Ioã. in Apocalypsi capite duodecimó, quæ Ecclesiam catholicam significat: quibus volat in desertum, vt à dracone, hoc est, diabolo qui illam persequitur, defendatur.

[Margin: Luc. 21. Nahum. 1. Psal. 7. Psal. 9. Heb. 10. Luc. 21. Similia. Pro. 19. Glo. Pro. 15. Pro. 16. Apo. 12.]

¶ Domi. 24. post Pent.

CVM autem videritis circundari ab exercitu Hierusalem: tunc scitote quia appropinquauit desolatio eius, tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: et qui in medio eius, discedant: & qui in regionibus non intrent in eã: quia dies vltionis hi sunt vt impleantur omnia quæ scripta sunt. Væ autem prægnantibus & nutriẽtibus in illis diebus. Erit enim pressura magna super terram, et ira populo huic. Et cadent in ore gladij, et captiui ducẽtur in omnes gentes, & Hierusalem calcabitur à gentibus donec impleantur tempora nationum.

[Margin: Matt. 24. b Matt. 13. b Dan. 9. g Matt. 24. e]

IN hoc loco prædicit Dominus ciuitatem illam opulentam Hierusalem, qua tunc superbiebant Iudæi, & in qua sibi regnare videbantur, funditus subruendam

dam esse à gentibus, quod factum fuisse omnibus est compertum. In qua deuastatione depingere solent sancti Doctores deuastationem & desolationem futuram Ecclesiæ ab Antichristo. Quod non ad literam sed per allegoriam fieri debet tam hic quam apud Matthæum capite vigesimo quarto.

Lege Dried. lib. 3. de dog. c. 3. fol. 161. & 162.

§ *Cum autem videritis circundari exercitu Hierusalem, &c. tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes, &c.* Ac si diceret: solet ibi quisque in bellis blandiri spe victoriæ: cauete ergo ne quem hæc spes fallat, sed qui tunc temporis fuerit in Iudææ confinijs, subducat se in loca montana & inuia. Et qui in meditullio Iudææ habitarint, demigrent alio. Quos vero calamitas hæc deprehenderit in exteris regionibus, ne recipiant sese in Iudæam. Habeant omnia pro derelictis, tantum vitæ suæ quisque consulat. Romani Duce Tito Vespasiano filio Vespasiani hierosolymam expugnarunt, templum Dei vastarunt, & Iudæos crudelissimé vexauerunt. Lege Iosephi historiam, de bello Iudaico: qui hæc oculis vidit, verisque monimentis consignauit. Iudæi illi qui destructo templo permanebant hierosolymæ, occidebantur immaniter, aut conijciebantur in vincula: qui vero se fugæ mandabant poterant quodammodo immanem illam vitare perniciem. Eam ob causam ait modo Christus: tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes, &c. §Hinc discamus si iram Dei fugere volumus in montem fugere. Beati omnes illi qui non in medio huius mundi habitant: sed ædificant sibi solitudines vt sanctus Iob ait: Qui fugiunt ad montes instante & vrgente tantorum inimicorum inuisibilium deuastatione & intestino bello. Omnes enim filij huius mundi densis cogitationum tumultibus in corde vexantur ac comprimuntur. Circundatur ac obsidione cingitur misera eorū anima, misera illa quōdam ciuitas pacis. Obsidetur, in quam, ab exercitu prauorum cogitationum: ex quo intelligere possumus imminere vastationem illius. Mens itaque hæc quasi quendam exercitum patitur, quæ insolenti cogitationum tumultu vastatur. Alius iræ se dominio sternit, alius

Iob 3.

Filii huius mūdi obsidentur à prauis cogitationibus, at filii Dei fugiūt ad mōtem contēplationis.

A iuri se auaritiæ tradit, alius se tyrannidi superbiæ subijcit. At contra sancti viri qui nihil huius mundi appetunt: nullis proculdubio in corde hostibus, premuntur. Vnde rectè de illis ait Iob: qui ædificant sibi solitudines. Solitudines ædificare, est à secreto cordis, terrenorum desideriorum tumultus expellere: hi consilium domini secuti, fugiunt ad montes. Ascendunt ad montes illos cœlestes, vbi tuti sunt à mundi obsidione. Hoc consilium secutus Dauid dicebat: Ecce elongaui fugiens & mansi in solitudine. Fugiens se

A Edificare solitudines quid.

B elongat: quia à turba desideriorum temporalium in altam Dei contemplationem se subleuat. Manet verò in solitudine: quia perseuerat in remota mentis intentione. De qua bene solitudine, domino Hieremias ait: A facie manus tuæ solus sedebam, quoniam comminatione replesti me. Facies quippe manus Dei, est illa percussio iusti iudicij, quæ superbientem hominem à paradiso repulit: & in hac cæcitate præsentis exilij inclusit. Cōminatio verò eius, est terror adhuc suppli

Psal. 54.

Hiere. 15.

C cij sequentis. Post faciem igitur manus adhuc nos minę terrificant: quia per experimentum iudicij iam nos & pœna pręsentis exilij perculit. & si peccare non desistimus, æternis adhuc supplicijs addicit. Cōsideret ergo vir sanctus. proiectus hinc, vnde homo ceciderit, atque hunc post ista peccantem, quo adhuc iustitia iudicantis rapit: & cunctas à se desideriorum temporalium turbas eijciat: seque in magna mētis solitudine abscondat dicens: A facie manus tuæ solus sedebam: quoniam comminatione replesti me. Ac si dicat: Dum

D considero quid iam per iudicij experimētum patior: à tumultu desideriorum temporalium trepidus mentis successum pecto, quia & adhuc illa acrius quæ minaris æterna supplicia formido. Hi ergo sunt qui instante huius mundi spiritali bello fugiunt ad montes: & ædificant sibi solitudines. Lege Gregor. 4. lib. Moral. capi. 33. 34. & 35.

D. Grego.

§*Cū autem videritis circundari ab exercitu Hierusalē, tunc scitote quia appropinquauit desolatio eius, tūc qui in Iudæa sūt &c.* Monstrū horrendū ingens videbatur

Euersio Hierusalē ab exercitu Romano ostenditur.

ciuitatem illam Hierusalem tam insignē A tam illustrem, tam opulentam esse omnino deuastandam: populumque illum Dei desolandum. Sed ita factum est: Iudæa enim cuius caput erat Hierusalem, quæ apud se legem habebat, & quæ regibus claruerat & Prophetis, quasi sapphiris & glebis aureis, quia mortem & resurrectionem Christi credere noluit, igne inuidiæ succensa penitus perijt: quod mystica intelligentia docere volens sanctus Iob ait capit. 28. Lapidem caliginis & vmbram mortis diuidit torrens à populo peregrinante. Per lapidem caliginis perfidum Iudæorum populum, qui autorem vitæ per fidem videre noluit quē per prophetiam prædixit, intellige: crudelitate enim durus extitit & infidelitate nebulosus. Qui alio quoq; vocabulo vmbra dicitur. Vmbra quippe talis exprimitur, qualia eius rei de qua trahitur, fuerint lineamenta. Vocatur verò vmbra mortis, hoc est, diaboli cui nomen est mors Apocalyp. 6. quia iniquitatem illius sequens eius in se imaginem expressit. Torrens ergo ille igneus iræ Dei qui egreditur à facie eius diuisit in hac vita lapideum istum populū, & vmbrā diaboli, à populo Dei. Desolata enim est ab ira Dei Hierusalem: desolata est Iudæa à torrente igneo: atque diuisa à populo peregrinante, hoc est, à populo Christiano qui peregrinus est super terrā, non habens hic ciuitatem permanentem sed futuram inquirens. Addit Iob: Terra de qua oriebatur panis, in loco suo igni succensa est. Panem Iudæa dare consueuerat, quæ legis verba proferebat. Sed hæc terra igne Romanorum subuersa est. Locus (inquit) sapphiri lapides eius, & glebæ illius aurum. Auget reatum culpæ sequentis, præconium gloriç præcedentis. Quid enim hoc loco per lapides pretiosos nisi sanctorum ac fortium mentes accipimus? De quibus Petrus: & vos tanquam lapides viui super ædificamini domus spirituales. Et Esaias. Ecce ego sternam: per ordinem lapides tuos & fundabo te in sapphiris, &c. & ponam iaspidem propugnacula tua, &c. vniuersos filios tuos doctos à domino. Quia igitur de Iudæa nūquam sanctę animę quæ cœlestem

Iob. 28. Explicatur locus.

Apo 6.

Dan. 7.

1 Pet. 2.

Esai. 54.

vitam ducerent, defuerunt, dicitur: Locus sapphiri lapides eius. Et quia magna vitæ & sapientiæ claritate per fidem fulsit, adiungit: Et glebę illius aurum. Glebæ autē ex humore & puluere constringūtur. Omnes ergo qui rore gratiæ infusi ex mortis debito se puluerem esse veraci cognitione confessi sunt, dum vitę virtute clarescerent, quasi aureę in illa glebæ iacuerunt. Glebas hæc terra habuit in Prophetis, glebas in Doctoribus, glebas in patribus antiquis, qui magna se infusione gratię in pro B fessionis & operis vnanimitate tenuerunt. Dicat ergo: Et glebæ illius aurum: quia in ea multitudo spiritalium tanto maiori virtute clatuit, quanto se in Deum ac proximum maiori vnanimitate constrinxit. Sed hoc aurum, perfidiæ est postmodum tenebris obscuratum. Cuius profectò nigredinem, Hieremias Propheta intuens deplorat, dicens: Heu quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? Aurum enim obscuratum est, quia in eis ille antiquus fidei atque innocentiæ splēdor, irruente perfidia malitiæ se nocte fuscauit. Quia igitur quid fuit audiuimus: lo C cus scilicet sapphiri lapides eius, & glebæ illius aurum, nunc iam dilectus ille Deo populus, cur tanta hæc bona perdiderit audiamus. Sequitur apud Iob: Semitam ignorauit auis, nec intuitus est oculos vulturis. Quis hoc loco auis nomine, nisi ille signatur, qui corpus carneum quod assumpsit ascendendo ad æthera liberauit? Qui aptè quoque vulturis appellatione intelligitur. Vultur quippe dum volat si iacens cadauer conspicit, ad esum se cadaueris deponit, & plerumque sic in morte capitur, dum ad mortuum animal de D summis venit. Rectè ergo mediator Dei & hominum vulturis appellatione signatur, qui manens in altitudine diuinitatis suæ, quasi quodam volatu sublimi cadauer mortalitatis nostræ, conspexit in infimis, & se de cœlestibus ad ima submisit. Fieri quippe propter nos homo dignatus est, & dum mortuum animal petijt, mortem apud nos, qui apud se erat immortalis, inuenit. Sed huius vulturis oculus fuit ipsa intentio nostræ resurrectionis: quia ipse ad triduum mortuus ab

Thren. 4.

ætes

æterna nos morte liberauit. Ille ergo perfidus Iudææ populus mortalem vidit, sed quomodo morte sua, nostram mortem destrueret, minime attendit. Conspexit quidem vulturem, sed oculos vulturis nó attendit. Quia dum humilitatis eius vias quibus nos ad alta subleuauit, considerare noluit, semitam auis ignorauit. Neque enim pensare studuit, quod eius nos humilitas leuaret ad cœlestia, & mortis eius intentio reformaret ad vitam. Semitam igitur ignorauit auis, nec intuitus est oculos vulturis: quia & si vidit eum, quem in morte tenuit, videre noluit quanta vitæ nostræ gloria de eius morte sequeretur. Vnde & ad crudelitatem quoque persecutionis exarsit: verba vitæ recipere renuit: prædicatores regni cœlorum prohibendo, sæuiendo, feriendo repulit. Quia ergo non cognouit tempus hoc visitationis suæ visitatus est populus iste à Deo, hoc est, desolatus, depopulatus, atque omnino eius templum deuastatum, eiusque vrbs tam insignis & præclara funditus euersa. Quam deuastationem prædicere volens dominus ait: Cum autem videritis, &c.

Vi. Greg. 18. Mora. a capi 17. vsque ad. c. 22. vbi de his multa.

¶ *Quia dies vltionis hi sunt*. Sicut hi miseri Iudæi & in hac vita, quod pœnitere noluerunt, & in futura æternum puniti sunt: sic multi peccatores nolentes vitam pristinam mutare & in hac & in futura vita maximis pœnis afficiuntur à Deo. Solet enim Dominus incipere per mala præsentia, irrogare iam tormenta sequentia. Nisi enim delictis exigentibus iustus iudex & nunc & postmodum quosdam percuteret, Iudas Apostolus minime dixisset: Secundo: eos qui non crediderunt perdidit. Et de iniquis Psalmista non diceret: induantur sicut diploide, confusione sua. Diploidem quippe duplum vestimentum dicimus: confusione ergo sicut diploide induti sunt, qui iuxta reatus sui meritum, & temporali, & perpetua animaduersione feriuntur. Hi ergo dies vltionis venerunt super populum istum perfidum. Neque enim præsentia mala eos correxit, & ideo ad sequentia æterna perducti sunt. Hinc est quod Dauid ait Psal. 32. multa flagella peccatoris. In hac

Deus solet peccatores dupliei pœna afficere.

Iudas Apostolus.

Psal.

Grego. 9. Mor. c. 33.

Psal. 32.

A enim vita mortali multa ferunt mala peccatores obdurati maiora laturi in futura. In hac, inquã, vita varia sunt flagella quibus puniuntur quum aliquando fame vt videre est. 4. Reg. 6. aliquãdo morbo. Ioã. c. 5. ait dominus paralytico ecce sanus factus es noli amplius peccare: aliquando peste Ezech. 14. pestilentia & sanguis transibunt per te. Aliquãdo captiuitate. Exo. 2. & 3. 4. Regũ. 17. & 24. enarrantur variæ captiuitates populi Israelitici. Tãdé licet hæc multa sint & dura flagella vnũ superest multo magis horrendum, etiam ex his B quæ in hac vita tolerantur hæreticorum doctrina: vt cæcus cæcum ducẽs ambo pariter ad barathrum inferni cadant. Et quoniam tam tantum Iudæorum creuerat malitia vt ipsum mundi autorem ac seruatorem pro nobis hominem factũ morte turpissima damnare non erubuerint, fame, siti, peste, morbis, perpetuaque captiuitate puniti fuerint: quoniã suis sedib9 expulsi sub aliorum imperio exules & afflicti miserrimam vitam degunt. Quæ flagella in hoc capite enarrat dominus. Sed nos per-C ditos, nam nõ opus est Iudæorum calamitates cõmemorare: cum apud nos tot sint iam flagellorum exempla: maxime exemplum captiuitatis. Cum Grecia tota quæ bona est Europæ pars non solum populorum frequentia & agrorum fertilitate, sed ingeniorum fœcunditate laudatissima, eò quod à vera Christiana religione defecerit in manus Turcarum tradita est. Quid de hæreticis dicam cum tam laté pateat eorum falsa doctrina & prædicatio? Et non mirum hoc est, quia dies vltionis hi etiam sunt. Quamuis longé inter huius vitæ & se-D quentis flagella interest, quoniam quæ hic dantur monitiones sunt, quæ autem illic supplicia. Quare si sapimus ad nos redeamus, & vitam mutemus in melius, vt ab his flagellis, & ab hac diuina vltione, & in hac vita & in futura liberemur: maxime ab vltione futura, quæ tanta erit vt vix à nemine satis explicari possit. Inebriabitur tunc terra impiorum sanguine (ait Esaias) & humus eorum adipe pinguium: quia dies vltionis Domini, annus retributionis iudicij Sion. Et rursum dicit dominus per eundem vatem: dies vltionis

4. Reg. 6. Ioan. 5.

Ezech. 14. Exo. 2. & 3. 4. Reg. 17. 24.

Esai. 34.

tionis in corde meo: annus retributionis meæ venit. Vbi nonnulli codices habent: annus redemptionis meæ venit. Sed non multum refert. Nam retributio pro redemptione accipitur. Appellatur tempus illud vltionis. Propter euersionem hierosolymæ, infideliumque Iudæorum vastitatem, redemptionis vero seu retributionis, propter beneficia in viros fideles à Deo collata. Vel per diem vltionis intellige calamitates illas superuenturas impijs hominibus in nouissimo die, & per annum retributionis, præmia quibus pios & sanctos homines tunc afficiet. Sed animaduerte. Loquens de infidelium vltione ponit diē, & de fidelium retributione annum, vt suam diuinam clementiam & immensam pietatem significaret. Quamuis enim pœna impiorum tanta sit, vt vix ab aliquo explicari possit vt modo dicebamus, adhuc tamen est multo minor meritis illorum. Caue ergo tibi o homo quisquis tu es. Nā, vt Abdias ait: sicut fecisti fiet tibi: retributionem tuam conuertam in caput tuum.

Abdias.

¶ *Vt impleantur omnia quæ scripta sunt.* Hæc ita ventura prædixerunt olim Prophetæ, præcipuè Daniel. capi. 9. & erit in templo, inquit, abominatio desolationis, & vsque ad consumationem & finem perseuerabit desolatio. Idest, euertetur templum Hierosolymitanum ab exercitu Romanorum. Exitium illud appellatur abominatio propter ignominiam sancto Dei templo illatam, & abominatio desolationis propter eiusdem templi euersionem. Nonnulli per abominationem desolationis intelligunt detestabilem veterum sacrificiorum oblationem, post planè denunciatam euangelij veritatem, alij statuam Tiberij Cæsaris quam Pilatus statuit in templo, alij statuam Adriani imperatoris, quam ipse in templo iussit collocari. Alij impiā Antichristi doctrinam. Alij ipsum Antichristum. Sed quia Christus Deus noster loquens de hac abominatione desolationis, monet vt eam videntes fugiant ad montes, ne in vrbe acerbissimis afficiantur vulneribus, existimo nomine eius significari templi Hierosolymæque oppugnationem, vel impium Romanorum exercitum templum inuadētem, & vrbem obsidentem ad illam spoliandam & euertendam. Huic expositioni fauet Lucas noster verba domini referens: cum autem videritis (inquit) circundari ab exercitu Hierusalem tunc scitote quia appropinquabit desolatio eius, &c. vt impleantur omnia quæ scripta sunt, scilicet, à Daniele Propheta. Hanc ergo desolationem vocauit Daniel abominationem desolationis, hoc est, abominabilem desolationem. Cui expositioni fauet etiā litera Hebræa quæ potest verti (vbi nos legimus erit abominatio desolationis) erit expansio abominationis desolationis, hoc est, extensio vexilli exercitus Romani. Potest quoque hic locus verti: erit per alā abominatio euersionis. Hoc est, delebitur templum per exercitum Gentilium: ala enim aliquādo accipitur pro exercitu. At rectissima est litera editionis vulgatæ habens: erit in templo abominatio desolationis. Et ita habet versio Græca Theodotionis. Et ita Christus dominus hunc locum apud Matthæū citauit. ¶ Addit Propheta quod vsque ad consumationem & finem perseuerabit desolatio. Idest, perseuerabit vastitas templi vsque ad finem mundi. Id voluit diuus Paul. significare cum dixit in epistola prima ad Thessaloni. peruenit ira Dei super illos vsque in finem. Hæc igitur Prophetia Danielis, atque aliæ huiusmodi quæ superius adduximus adimplendæ sunt ait Christus. Nam necesse est venire, quicquid prædixit euenturum scriptura, quæ non fallit, quippe diuini spiritus afflatu scripta. Nec ideo tamen incidet hæc calamitas, quia sic fore prædixerint Prophetæ, sed ideo prædictū est, quod Deus præuiderit hominum pertinacem impietatem, quæ diuinam vltionem iuste prouocarent. Vnde illa particula, vt, non dicit causam sed consequutionem vt in illo loco: tibi soli peccaui, &c. vt iustificeris in sermonibus tuis, &c. de qua acceptione aliās diximus.

Dan. 9.

Exponitur locus Danielis.

Matth. 24

1. Thes. 4

¶ *Et qui in regionibus.* Idest, qui peregrè agunt.

¶ *Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.* Quasi dicat: minus infœlices erunt, quos illa procella malorū ingruens offenderit accinctos ad fugam. Væ autem

grauidis ac mamma lactantibus, quoniã onustæ sarcina, quã deponere nec volent, nec poterunt, non erunt expeditæ ad fugiendum. Nec erit nisi in fuga spes incolumitatis. ¶ Quemadmodum deflet dominus prægnãtes mulieres quoniam onustæ sarcina fugam capere non poterũt: sic etiam deflet miseras animas prægnantes, quæ ab hæreticis quotidie capiuntur: & ab Antichristo eiusque satellitibus, hoc est, falsis doctoribus capientur. Vnde obserua: quod mulier prægnans dicitur anima, quæ nuper Dei concepit verbum. De tali autem cõceptione legimus in alio loco scriptum: A timore tuo concepimus domine in vtero & peperimus. Anima autẽ quæ concepit & in ventre retinet, & non parit verbum Dei, ista mulier appellatur, non vir: sicut & Propheta dicit: Dolores partus aduenerũt ei & virtus pariendi nõ est in ea. Huiusmodi animæ infirmæ quales sunt cathecumeni facilé ab hæreticis, atque pseudoprophetis seducuntur: væ illis ait Dominus. Aliæ sunt animæ verbum Dei nutrientes quales sunt quæ gratiam baptismi sunt consecutæ, quæ adhuc infirmę sunt & tenerę in fide, hæ etiam facilé, quod experimento didicimus, capiuntur à falsis doctoribus: Facilé vel in pristinos errores reuocantur, vel in alios perniciosiores trahuntur. De huiusmodi mulieribus prægnantibus & de doctoribus eas seducentibus explicat mysticé Origenes locum illum Exo. 21. si percusserit quis mulierem prægnãtem & abortiuum quidem fecerit, subiacebit damno quantum arbitri iudicauerint: sin autem mors eius fuerit subsecuta, reddet animam pro anima, &c. Vide illum Homo. 10. in Exod. Cuius explicationem affert etiam Glos. ordina. Vide etiam Glo. inter. & inter alios D. Hierony. in episto. ad Algasiam. q. 4.

Mulier prægnans vocatur anima & quare.

Esai. 26.

Origē. Exo. 21.

Glo.

Hiero.

¶ *Erit enim pressura.* Quo artatio, anxietas.

¶ *Donec impleantur tempora nationum,* vel gentium. i. donec expleta fuerint tempora, quibus Deus passurus est Israelitas deuastari à gentibus.

¶ *Erit enim pressura magna super terram, & ira populo huic. Et cadent in ore gladii et captiui ducentur in omnes gentes, et Hie-*

A *rusalem calcabitur a gentibus donec impleantur tempora nationum.* ¶ Imprimis quæri in hoc loco potest quare Dominus prædicere soleat tribulationes & calamitates hominibus venturas: item & bona quę post illas sunt secutura. Ad quam dubitationem D. Augustinus in epist. 137. respondet dicens: Non solum Dominus bona, quæ sanctis & fidelibus suis est redditurus, verũ etiam mala quibus erat hic mundus abundaturus ante prędixit, vt bona post seculi B finem secutura certiores expectaremus, quum mala similiter prænuntiata ante seculi finem præcedentia sentiremus. Vnde & Apostolus dicit: Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinã scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus ad Deum. Quid autem opus erat vt ipse dominus Iesus nõ solum diceret: tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris sui, quod post seculi finem futurum est, verum etiam exclamaret, væ mũdo à scandalis, nisi vt nobis non C blandiremur venire nos posse ad sedes fœlicitatis æternæ, nisi temporalibus malis excitati non defecerimus? Quid opus fuit vt diceret. Quoniam abundabit iniquitas refrigescet charitas multorum, nisi vt illi de quibus continuo locutus adiunxit: qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit, cum hac iniquitatis abundantia refrigescentem charitatem viderent, non perturbarentur, non expauescerent, nõ quasi rebus insperatis contristati deficerent, sed potius videntes accidere, quæ futura prædicta sunt ante finem patienter perseuerarent vsque in finem, vt securi mererentur D regnare post finem, in ea vita quæ non habet finem. Hæc ille. Hanc ergo magnam Iudęorum pressuram prædicit Dominus vt sibi caueant, vt admoneantur, vt electi ferant illam æquo animo: & increduli à sua incredulitate desistant. Quod in fine huius capitis docet dñs dicẽs: Vigilate vt digni habeamini fugere ista omnia, & stare ante filium hominis. ¶ Deinde non mireris quod dominus tanta in hoc mundo mala contingere permittat: cum id nõ factum fuerit sine magna causa. Neq; enim Deus (inquit idem Augustinus) illam, nõ

Quare prædicit dñs calamitates futuras, item & bona post illas ventura.

Augusti. epist. 137.

Rom. 15.

Matth. 25.

Matth. 18.

Matth. 24.

August.

dico angelorum, sed vel hominum crearet, quem malum futurum esse præsciisset, nisi pariter nosset, quibus eos bonorum usibus commodaret, atque ita ordinem seculorum tanquam pulcherrimum carmen etiam ex quibusdam quasi Antithetis honestaret. His Antithetis siue oppositis, etiam Paul. in. 2. ad Cor. epist. illum locum suauiter explicat, vbi dicit. per arma iustitiæ a dextris & a sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam: vt seductores & veraces: quasi morientes & ecce viuimus: coerciti & non mortificati: vt tristes, semper autem gaudentes: sicut egeni, multos autem ditátes: tanquam nihil habentes & omnia possidentes. Sicut ergo ista contraria contrarijs opposita sermonis pulchritudiné reddunt, ita quadam non verborum, sed rerũ eloquentia, contrariorum oppositione seculi pulchritudo componitur. Apertissimé hoc positũ est in ecclesiastico hoc modo: contra malum bonũ est, & contra mortem vita, vnum contra vnum. Hæc ille. 11. de ciuit. cap. 18. ¶ Quare autem cum malis, flagellentur etiam boni, docet etiam Augustinus. 1. de ciuita. cap. 9.

2. Cor. 10

11. de ciuita. c. 18.

¶ Domi. 1. Aduentus.

Matth. 24. Mar. 13. Esai. 13. b Eze. h. 32. Ioel. 3. c

ET erunt signa in Sole et Luna & Stellis: et in terris pressura gentium. Præ confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus præ timore et expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi, nam virtutes cælorũ mouebuntur: et tunc videbunt filium hominis venientem in nube, cum potestate magna & maiestate. His autem fieri incipientibus, respi- A *cite et leuate capita vestra: quoniam appropinquat redẽptio vestra. Et dixit illis similitudinem. Videte ficulneam & omnes arbores: cum producũt iam ex se fructum, scitis quoniã prope est æstas.* B *Ita & vos cum videritis hæc fieri scitote quoniam prope est regnum Dei. Amen dico vobis quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cælum et terra transibunt: verba autem mea non transibunt.*

Rom. 8. d

Rom. 13. d

C ERunt signa in sole & luna & stellis. In hoc loco describit Dominus signa quæ aduentum eius ad iudicium protendent. Erit enim ille dies horribilis, præsertim ijs, qui Christi tempus placidum, & vltro beneficijs inuitans ad mẽtem meliorem, spernunt. Proinde rerum elementa velut exhorrescent ad huius aduẽtum. Sol ille fons luminis solitus exhilarare rerum mundi faciem, subita caligine, vultũ obducet. Nec lunæ quidem erit suum lumen mutuum: quod hominibus impartiat. Stellę sanguine rubẽtes, de cœlo descendent in terras. ¶ Obserua quod sol & D luna & stellæ contra naturam suam obscurabuntur tunc temporis, vt ostendant esse alienum a clementissimo Deo, ostendere rigorem in districtissimo illo vltimo iudicio. Ostendent igitur cœli meroiem, quia Deus, qui semper pius est & misericors, cuius proprium est misereri, tunc dure castigabit reprobos, & ad supplicia æterna absque vlla remissione relegabit, eo iustitiæ rigore vtens, qui a blanda & suaui clementia sua, & ab antiqua pietate videbitur alienus. Ille enim est qui vult omnes homines saluos fieri: qui si pater misericors

1 ratio istorum signorum est vt ostẽdát esse alienũ à Deo ostẽdere rigorem.

Vi. Augu. Psal. 134. cordiarum, & Deus totius consolationis: Et qui fulgura in pluuiam facit, idest, minas ad misericordiam flectit. Sed tunc seueritatem iustitiæ exercebit, & districtè iudicabit. Volentes antiqui vates mundi excidium describere adumbratum in excidijs vel Babylonis vel aliarum ciuitatũ hæc eadem signa prędicebant. Vnde Esai. sub tristi Babyloniorum excidio mundi vastitatem volens describere ait: Stellæ cœli & splendor earum non expandent lumen suum. Obtenebratus est sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo. Et sub Iudæorũ excidio & interitu idem prædicere volens, ita Deum loquentem facit: induam cœlos tenebris, & saccũ ponam operimentum eorum. Eodem modo Ioel: sol & luna obtenebrati sunt: & stellæ retraxerunt splendorem suum. Et Ezech. c. 32. Et operiam cum extinctus fueris cœlos, & nigrescere faciam stellas eius: solem nube tegam, & luna non dabit lumen suũ. Omnia luminaria cœli mærere faciam super te, & dabo tenebras super terram tuã dicit dominus Deus. ¶ Hæc signa similiter prædixit Dauid Psal. 75. dicens: De cœlo auditum fecisti iudicium, idest, per signa in cœlo ostensa significasti propinquum esse iudicium. Sanctus etiam Iob hæc signa ventura ante iudicium docuit cap. 14. dicens: Homo cum dormierit non resurget, donec atteratur cœlum non euigilabit, nec consurget de somno suo. Vide Gregor. 12. Mora. capi. 5. hunc locum explicantem. Et capi. 26. postquam vir sanctus ea quæ ad primum Christi aduentum pertinebant, descripserat: de signis secundi sic ait: Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum eius, & cum vix paruam stillam viarum eius audiuerimus: quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri? Ac si apertè dicat: si humilitatis eius admirãda vix ferimus, horrendum atque terribilem maiestatis eius aduentum qua virtute tolerabimus? Hunc tonitruum aduentus ipsius etiam Psalmista insinuat dicens: Deus manifestè veniet, Deus noster & non silebit: ignis in cõspectu eius ardebit & in circuitu eius tempestas valida. Omnia enim in illo die cœlestia & terrestia conturbabuntur. Hunc diem terribilem tot tantis-

Esai. 13.

Esai. 50.

Ioel. 2.

Ezech. 32.

Psal. 75.

Iob. 14.

D. Gregó. Iob. 26.

2. ratio est vt insinuent terribilem iram iudicis venientis.

Psal. 49.

A que signis, monstrisque plenum Sophonias Propheta denuntiat dicens: Iuxta est dies domini magnꝰ, iuxta & velox nimis. Vox diei domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies illa dies iræ, dies tribulationis & angustiæ; dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarũ & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris. Terrorẽ ergo districti examinis, quem Sophonias tubam, beatus verò Iob tonitruum appellat, Ioel quoque considerans, ait: Conturbentur omnes habitatores terræ: quia venit dies domini, quia prope est dies tenebrarum & caliginis; dies nubis & turbinis. Magnus enim dies domini & terribilis valde & quis sustinebit eum? Si humilis cum apparuit ac comprehendi voluit vocem illam mitissimam edens; ego sum, armatos persecutores suos protinus in terram strauit: quid ergo facturꝰ est, cũ iudicaturus venerit, qui vna voce hostes suos percussit, etiam cum iudicandus venit? Quid est illud iudicium quod immortalis exerit, qui in vna voce nõ potuit ferri moriturus? Quis eius iram toleret, cuiꝰ & ipsa non potuit mansuetudo tolerari?

Sopho. 1.

Ioel. 2.

Ioan. 18.

C Consideret ergo vir sanctus, & dicat: cum vix paruam stillam sermonum eius audierimus quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri? Grego. lib. 17. Mora capi. vltimo. Erunt ergo ante aduentum eius signa in sole & in luna & in stellis, &c. vt terribilem iram iudicis venientis insinuẽt. ¶ Pręterea non sine magna causa hæc signa ventura ob oculos ponit dominus cunctis mortalibus, vt terrore illorum cõmoti à peccatis abstineant. Sin autem, sciant se infœliciter perituros. Arcum suum tendit (ait Dauid) & parauit illum, & in eo

D Grego. lib. 17. Mora. c. vlti.

3. ratio vt terrore illorum cõmoti pœniteant.

D parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit. Arcum namque suũ dominus tetendit; quia cunctis peccatoribus per scripturam sacram minas exhibuit. Erunt inquit signa in sole, &c. In quo arcu vasa mortis præparat: quia secundum eloquij sui sententiam, eos qui nunc corrigi negligunt, reprobos damnat. In quo etiam sagittas suas ardentibus effecit, quia in eos quos per terrorem corrigit, accensas verborum sententias emittit. De hoc prædicatorum arcu per Esaiam dicitur: cum sagittis

Psal. 7.

gitis & arcu egrediuntur illuc, quia nimirum Christus cæterique Apostoli ad feriendam nostræ vitæ duritiam cum districtis verborum spiculis veniunt. Erunt (inquiunt) signa in sole & luna & stellis, &c. Hæc mortis vasa, has sagittas venturæ calamitatis, hæc signa, hos denique fluctus timent sancti & ideo in honesta vita continétur. Vnde Iob ait capi. 31. Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre nō potui. Fluctus enim cum tumentes desuper imminent, cumque eam quam deferunt mortē minantur, nulla tunc nauigātibus rerum cura temporalium, nulla carnis delectatio ad mentem reducitur: ea ipsa quoque ex naui proijciunt. Pro quibus lōga nauigia sumpserunt, cunctę res in despectum mentis veniunt, amore viuendi. Quasi ergo tumentes super se fluctus Deum metuit: qui dum veram vitam desiderat timore tantarum calamitatum tantorumq; signorum mortem æternam minantium correctus, peccata dimittit quib9 oneratus iter agebat: tempestas quippe cum oritur, prius lenes vndæ, & postmodum volumina maiora concitantur, ad extremum fluctus se in alta erigunt, & nauigantes quosque ipsa sua altitudine subuertunt. Sic nimirum extrema illa properat, quę vniuersum mūdum subruat tempestas animarum. Nunc enim bellis, & cladibus quasi quibusdam vndis sua nobis exordia ostendit, & quāto ad finē quotidie propinquiores efficimur, tanto grauiora irruere tribulationum volumina videmus. Ad extremum verò commotis omnibus elementis, superueniens iudex, finem omnium apportat, quia videlicet tunc tempestas fluctus in cœlum leuat. Vnde & dicitur: adhuc modicum, & ego mouebo non solum terram, sed etiam cœlum. Erunt inquit signa in sole & luna & stellis. Quam quidem tempestatē quia sancti viri vigilanter aspiciūt, quasi tumētes super se quotidie fluctus expauescunt, atque ex his tribulationibus quæ mundū feriunt, præuident quæ sequantur. Vnde autem subditur: & pondus eius ferre non potui: quoniam qui extremi iudicij aduētum attenta mente considerat, profecto videt, quia tantus pauor imminet, quantū

Greg 19. Mor. c. 18.
Job. 31.
Similitudo
Agge. 2.

A non solum tunc videre, sed se etiam nunc præuidere pertimescat. Consideratione namque tanti terroris, metu animus palpitat, & intentionis suæ oculos declinans, intueri quod prętiidet recusat. Bene ergo dicitur: Et pondus eius ferre nō potui, quia cum supernæ maiestatis vim ad iudicium venientis, terroremque tanti examinis considerando animus conatur exquirere, mox ad semetipsum refugiens, se se expauescit inuenire. Hæc ex Grego. 21. Mora. c. vltimo. Caue igitur ò homo peccator, caue tibi: & quando dominus tanta B mala futura tibi proponit, ad te redi. Hodie enim hortatur te (vt Augustinus ait) ne iudicet te: & qui iudex tuę futurus est: ipse est hodie aduocatus tuus. Hinc est quod spernit dominus omnes qui hæc futura signa considerare c[on]temnunt dicente Psalmista: Spreuisti omnes discedentes à iudicijs tuis, quia iniusta cogitatio eorū. Et in Psal. 52. ait idem vates: Nonne scient omnes operantes iniquitatem? Ac si diceret: Non considerabunt iustum Dei iudicium? Non erunt memores signorum ter- C ribilium quæ ante iudicis aduentum ventura sunt, vt expauescant, doleant, & per veram cordis contritionem resipiscant? Nonne scient Deum futurum iudicem? Corrupti profecto tales sunt & abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis: qui tot minis non commouentur. Beati illi, qui intendente domino arcum suum infirmantur. Sunt enim nonnulli quibus accidit quod Dauid ait: Intendit arcum suum donec infirmentur. Minæ Dei non cessant arcus ergo Dei (inquit Augustinus) minæ Dei sunt. Intenditur arcus: nondum ferit. D Intendit arcum suum donec infirmentur. Et multi infirmati sunt ipsius intensione arcus territi. Nam hinc infirmatus est ille qui dixit. Quid me iubes facere? Ego sum (inquit) Iesus Nazarenus quem tu persequeris. Qui clamabat de cœlo: arcum tendebat. Multi ergo qui fuerunt inimici metu signorum, terrore iudicis venturi, infirmati sunt, & conuersi: noluerunt erigere ceruices suas aduersus perseuerantiam extenti arcus. Hos igitur nos imitemur vidētes Deum extendentem arcum suum ac dicentem: Erunt signa in sole & luna & stellis

D. Grego. 21. Mora. c. vlti.
August. Ps. 31.
Psal. 118.
Psal. 52.
August. Ps. 57.
Acto. 9.

lis & alia quæ sequuntur. Ac intelligẽtes, esse maximam misericordiam Dei, hæc signa tam terribilia nobis ante oculos ponere: vt saltem territi ad pœnitentiam curramus. Quod rectè talentes iusti dicũt cum Dauide: Deus repulisti nos: iratus es & misertus es nobis. Commouisti terram & cõturbasti eam: sana contritiones eius quia commota est. Ostendisti populo tuo dura: potasti nos vino compunctionis. Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus: vt liberentur dilecti tui. Calamitates ergo istas proponit Deus suis datque illis eum metuentibus hæc signa, aliaque huiusmodi tribulationum, vt effugiant arcum illum quem iam tetẽdit fortissimus iudex, vt vltionis illius venturę (quæ erit absque misericordia) sagittas euadant. ¶ Vnde hic aduerte, quod dæmon tendit arcum suum dicente Psalmista Psal. 10. Ecce peccatores intenderũt arcum parauerunt sagittas suas in Pharetra & dominus Iesus intendit, vt iam diximꝰ, arcum suum. Verum id longè alia ratione accipiendũ est, quam hic de dæmone eiusque sectatoribus sit dictum. Hic arcum suum tendit cupiditate nocendi, & desiderio mortificandi. Ille verò non vult mortem peccatoris, neque in perditione delectatur hominum. Tamen æquitas & iustitiæ rigor arcum illum tendit, vt eos qui sua voluntate mortem quæsierũt dum viuerent, eamque verbis & manibus sibi accersierunt mortis æternæ sagittis confodiat. Illud quoque diligenter notandum est, quod cum Deus arcum tenens describitur, sagittæ minime occultantur. Non enim dicitur quod in Pharetra sagittas habeat, sed in arcu dicit Propheta esse parata vasa mortis, & sagittas ignitas aptatas in eo. Impij autem cum arcũ tensum gestẽt, tamen sagittas in Pharetra absconditas & nihilominus ad sagittandum paratas, habent. Scilicet dominus (cuius non est voluntas vt moriatur impius, sed magis vt cõuertatur & viuat) multo antequam feriat, suum arcum paratum ostendat vt in hoc Euangelio vides. Erunt inquit signa, &c. Vt vel terrore impios desinere ab impietate compellat, sicque sagittis parcat, ne in illo iaculetur. Ob hoc arcum suũ quasi in propatulo gerit, sagittas ostentat, eatẽque terrorem denuntiat, dum per scripturas sacras, per prædicatores veritatis, suæ vltionis terribilia signa præcedentia, terribilem iudicem, terribilemq; sententiam prænũciat peccatoribus, ad cautelam. Impij verò, qui non nisi mortem quærunt afficere, hi nimirum arcum tensum habent, ad nocendum vt cupidi, ita parati: sagittas autem nõ ostentant in arcu, sed in pharetra gestant: ita tamen gestant in pharetra, vt paratas habeant ad emittendũ, vbicũque viderint occasionem. Ita enim frequenter ad nos diabolus accedit, quasi inermis, quasi sagittas non habens. Sic & ministri eius in vestimentis ouium, quasi absque sagittis, accedunt aliquando ad dominicas oues. Verum in pharetra iacula mortis gestant abscõdita: & vbi minima se obtulerit occasio, educta quam totius iacula proferent ad interficiendum animas.

Psal. 59. — Psal. 10. — Psal. 7. — Matth. 7.

¶ *Et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris.* Et in terra anxietas gentium, vel coarctatio gentium præ perplexitate. Id est, angustia animi, & quasi cõtractio cum anxietate fluantis & frementis maris. Id est, similis illi, qua qui nauigant, afficiuntur: cum mare ęstuat & præ ira fremit.

¶ *Et in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi.* Si tot tantaque signa contingent tunc in sole & luna & stellis, quæ signa obsecro in terra cæterisque elementis speranda erant? Cõmotis in republica capitibus eam gubernantibus, tota respublica seditionibus ac factionibus commouentur. Si oportet mũdum hunc inferiorem gubernari ac regi latronibus cœlestibꝰ vt Aristoteles autor est: si virtutis cœlestis defectus huiusmodi patiantur quales erũt terrarum, maris, atque aeris, cæterisque alterationes? Quales mutationes? quales contra naturam defectus? Intumescet mare, tristique fragore resonabunt fluctus. Terra cõtremiscet, aer & æter inficientur. Hæc & huiusmodi portenta, quæ se proferent vndique ex omni parte mundi declarabunt, ingruere terribilem vltionẽ Dei. Eoque mortales extabescent

Signa quæ in terris euenient ante iudicij diem enarrantur.

bescent & exanimabuntur metu & expe- A ctatione eorum, quæ mox superuenient vniuerso orbi. Concutietur enim tota terrarum natura: neque terra solum & mare commutabuntur, verum etiam illa solidissima mundi corpora, quæ hactenus ab elementorum mutatione fuerunt immunia, solitaque tantum agere in ea, quæ subiecta sunt, non autem vicissim ab illis affici, commouebuntur. Cum hæc contigerint, quid miseri mortales facient? Quid cogitabunt? Qualis eorum vultus & facies? Qualis vox & loquela? Tūc (ait Saluator) erit in terris pressura gentium. Vehemēs enim animorum anxietas, ac rerum desperatio corripiet mortales. Quid nam hoc est dicent. Hęc tam horrenda atque insolita & inaudita portēta quò tendūt? Quid præseferunt, aut significant? Arescent tūc homines, extabescent, pallescet eorum facies, seipsos intuentes existimabūt se phātasmata videre. Quid agant nescient in tanta rerum cōfusione: percutient pectora sua inter densissimas tenebras ambulantes. Nihil eis tunc suaue, nihil placidū, sed omnia tristia & luctu atq; mærore plena videbuntur. Non solum negotiorum, sed cibi potusque obliti in ferarum bestiarūque speluncis habitabunt: correcti timore, & expectatione eorum, quę superuenient vniuerso orbi. Mens, lingua, tempusque deficiet si monstra tunc ventura enarranda essent. Quare silentio potiusquam verbis exaggeranda venιūt; cum nulla facundia, nulla dicendi vi, mala, quæ miseris & infœlicibus mortalibus minantur, satis explicari possint. ¶ Hanc pressurā gentium vocat Matthæus capit. 24. terræ motū. De quo etiam loquitur Ioan. Apo. cap. 6. & vidi cum aperuisset sigillum sextum, & ecce terremotus factus est magnꝰ, id est, factus est magnus terrenorum hominum timor & anxietas. Ita Anselmus, Richardus, Ansbertus, & D. Tho.

Matth. 24. Apo. 6. Ansel. Richar. Ansber. D. Thō.

¶ *Arescentibus hominibus præ timore, et expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi.* Quanto timore & terrore afficiebatur sanctus ille Iob cum hæc sibi imminētia signa ac Dei iram venturam contemplabatur: Satis ipse docet cum ait cap. 6. Vnde verba mea dolore sūt plena, quia sagittæ domini in me sunt. Quarum indignatio ebibit spiritum meum. Et terrores militant contra me. Ac si aperte diceret: Ego in exilij damnatione nō gaudeo, sed sub iudicio positus doleo, quia vim percussionis agnosco. Agnosco sagittas Dei, signa & portenta ventura mihi mortem minantia. Et istarum sagittarum indignatio ebibit spiritū meū. Arescit spiritus meus, expauescit, comprimitur consideratione istorum signorum. Vnde Grego. Sagittæ domini spiritum hominis ebibunt: cum supernæ animaduersionis sententiæ afflictam mentem ab elatione cōpescunt. Pen- B sant namque tūc iusti vnde, vel quo lapsi sunt, pensant à quāta beatitudine, ad quæ corruptionis suæ tormenta ceciderunt, & non solū gemunt in his quæ sustinent, sed insuper metuunt hoc quod districtius iudex delinquentibus de gehennæ ignibus minatur. Vnde rectè subiungitur. Et terrores domini militant contra me. Iustorum mens non solum perpendit quod tolerat, sed etiā pauet quod restat. Arescent enim tunc homines iusti præ timore & expectatione, quę superuenient vniuerso orbi. Iā C ergo sententiam tolerabunt in pœna calamitatum præsentium quas visis tot portentis patientur, sed minas adhuc venturi iudicis formidabunt ex culpa. Hinc Psalmista ait: In me pertrāsierūt iræ tuę, & terrores tui conturbauerūt me. Interni quippe iudicis postquam irę pertranseunt etiā terrores conturbant, quia iam aliud de dānatione patimur & adhuc aliud superuēturum de æterna vltione formidamꝰ. Vir igitur tunc sanctus perpendēs mala quæ venientibus tot signis tolerat, dicat: sagittæ domini in me sunt, quarum indignatio D ebibit spiritum meū. Sed grauiora in perpetuum metuens, adiūgat: & terrores militant contra me: ac si aperte dicat: percussus quidem de præsentibus malis doleo, sed hoc in dolore fit grauiꝰ, quia & in pœna positus, adhuc supplicia æterna pertimesco. Quod si tunc iusti arescent & tanto timore & terrore corripientur expectatione malorū, quæ mox superuenient vniuerso orbi, quid facient miseri mortales quorum spiritum sagittæ domini præsentes nō ebibent, hoc est, qui tot visis signis

Iob 6.

Explicatur locus Iob.

Vi. Greg. 7. Mo. c. 2. & 3.

ab animi sui elatione non comprimētur: sed in sua perdurabūt perfidia & duritie? Quid, inquam, per sentiēt peccatores obdurati, expectantes tanta mala sibi superuentura? Desperabunt, blasphemabūt, rerum omnium conditori millies maledicent: alij in ignem, alij in aquam se inijciētes miseras animas exhalabunt. ¶ *Arescentibus, &c.* Hoc interest inter bonos & malos, quod boni sunt viri de lignū, quod non facile comburitur, aut inflammatur, aut arescit tribulationibus huius seculi: mali verò sicca sunt ligna, quæ ignis tribulationis in momēto deuorat. Quod enim sancti ligno viridi assimilentur Saluator ipse testatur infra cap. 23. Filiæ Hierusalē, &c. quoniam si in ligno viridi hoc faciūt, in arido quid fiet? Idest, si me qui lignum viride sum sic passionum ignis ardet, in vos qui estis aridum quid fiet? Ardet in sanctis flamma tribulationis & nonnunquam grauis: ipsi tamen non solum non comburuntur ab igne, sed suam semper seruant viriditatem. Sicut seruauit rubus Moysis, qui ardebat & non comburebatur & insuper pungebat: sic viri iusti non solum non comburuntur, sed pungūt: nō solum nō superantur sed persecutores maximas pœnas dant. Impij verò timore & tribulatione in die iudicij exsicabuntur: vt tanquam ligna arida perpetuo in inferno ardeant, & comburantur. Ideo apud Matth. cap. 3. vocantur paleæ igni inextinguibili comburendæ.

Infra. 23.

Matth. 3.

¶ *Erunt signa in sole, & luna & stellis et in terris pressura gentium arescentibus hominibus præ timore et expectatione quæ superuenient vniuerso orbi: nam virtutes cœlorum mouebuntur.* Hæc omnia quæ in summa narrantur à diuo Luca ventura ante iudicium refert ad longum D. Ioannes Apocaly. cap. 6. his verbis: Et vidi cū apeṛuisset sigillum sextum: & ecce terremotus factus est magnus: & sol factus est niger tanquam saccus cilicinus: & luna tota facta est sicut sanguis: & stellæ ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos, cum à vento magno mouetur: & cœlum recessit sicut liber inuolutus, & omnis mōs & insulæ de locis suis motæ sunt: & reges terrę & principes & tribuni: & diuites & fortes, & omnis seruus & liber, absconderunt se in speluncis, & in petris montium. Et dicent montibus & petris cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum: & ab ira agni, quia venit dies magnus iræ illius: & quis poterit stare? Cuius loci verba singula sunt annotatione digna ideo libet singula exponere. *Ecce* (inquit) *terremotus factus est magnus*. Inter signa ergo præcedentia iudiciū, terremotus præfertur. Obserua, quod sicut appropinquantem vitæ interitum solent præcedere turbationes, quas Græci paroxismos vocant prænuntiantes mortis aduentum: & quanto robustius est animal quod perit, tāto maiores sunt paroxismi: sic mundi huius finem aduentantem suæ præcedent paroxismi, & terribiles cōmotiones in inferis & insuperis regionibus. Vt in his locis ostendunt Lucas & Ioānes & etiam Matthæus cap. 24. Prima ergo paroxismus erit terremotus. ¶ Vnde notandum est quod quāuis communis patrum sententia sit quod hic accipiatur terremotus pro terrestrium hominum terrore & anxietate: nam quem Matthæus & Ioannes vocant terremotum, appellat hic D. Lucas pressuram gentium: non dubito tamen quin tunc temporis erit motus maximus terrę ex generatione & corruptione, ad statū stabilem sine generatione & corruptione. Itaque ad literam terremotus, mundi exitum & finem præcedet. *Sol*, ait, *factus est niger tanquam saccus cilicinus.* Ecce secunda mundi paroxismus. Proditū est memoriæ solem obscuratum fuisse in die passionis domini, à sexta hora vsque ad nonam horam. Similiter futurū dixit Saluator sub hoc tempus, quod notat Matthæus cap. 24. dicens: sol obscurabitur, & Lucas hic illud insinuat: erunt, inquiens, signa in sole: & clarius noster Ioannes scribens: sol factus est niger tanquam saccus cilicinus. Quod etiam prædixit Ioel. cap. 3. Sol & luna, ait, obtenebrati sunt. Et Ezechie. cap. 32. Operiam cœlos: & nigredine faciam stellas eius. Ecce saccum cilicinū, quo operitur cœlum. Et Esaias cap. 50. Induam cœlos tenebris, & saccum ponam operimentum eorum. Quod si literaliter futurum esse non negemus, spiritualiter autem

Apo. 6. Signa ventura ante iudiciū ad longū referuntur.

Locus Ioānis designis ante iudicium declaratur.

Similitudo

Ita Theologi in 4. & Soto d. 40. q. 2. art. 2. q. 3. Infra. 23.

Matth. 24.

Ioel. 3. Ezech. 32.

Esai. 50.

autem sub eo tempore multo magis. Quis sol nisi Christus? De quo Malachiæ. 4. Vobis Deum timentibus orietur sol iustitiæ & sanitas in pennis, idest, in radijs eius. Obstinatis ergo occidet: obstinatis non apparebit. Non enim apparebit tunc in ecclesia illa magnificentia miraculorum, ille splendor fidei: & ideo dicitur sol indutus sacco cilicino: quæ est vestis vilis. Cilicinus verò dicitur saccus, à cilicibus populis, apud quos fuit inuētum hoc genus vestimenti, quod texebatur pillis caprinis. Addit statim D. Ioan. Et luna facta est velut sanguis. Ecce tertia paroxismus huius mundi. Imprimis erit hoc signum in luna nam tunc temporis sanguinolenta apparebit. Præterea si spiritualiter hoc signum explicemus, quæ est hæc luna nisi ea de qua Cant. 4. dicitur. Pulchra vt luna. Maius luminare Christus verus sol, minus luminare ecclesia vera luna, quæ à sole Christo lumē accipit. Hæc luna, velut sanguis facta est: & tota quidem ex persecutione Antichristi. Sanguis tum futura erit ecclesia quando cæ libus madebit ex occisione sanctorum. Item, tum fiet luna hæc tota sanguis, vt rem plus expendamus, quando magna pars fidelium deficiet a solari lumine quod in sanguinem defluant multi & carnem. Caro & sanguis synonama sunt: vnde Dominus dixit Petro, caro & sanguis non reuelauit tibi Matthæ. 16. & Paul. Caro & sanguis regnum Dei nō possidebunt. Pauci namque tum spirituales erunt: hoc est vere fideles. Huius futuri mali figura fuit excidium Hierosolymitanum, quo ea ciuitas facta est sanguinea. De quo Iosephus ad longum mira narrat. Et stellæ, inquit, ceciderūt de cœlo super terram sicut ficus emittit grossos suos cū à vento magno mouetur. Hunc stellarum casum etiam Matthæus retulit. c. 24. Stellæ ergo ceciderunt de cœlo, idest, igneæ impressiones, siue cometæ ceciderunt de cœlo, idest, de aere qui vocatur cœlū Psal. 8 volucres cœli, inquit, &c. ¶ Stellæ etiam in lege docti sunt, quorum officium est ad iustitiam erudire plurimos. Dan. 12. qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiā erudiūt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Hæ stellæ ceciderunt in terram, idest, cadent, & subitò cadent: quia plerīq; doctores, à cœlesti & spirituali candore deficient: & ad terrena & carnalia defluent. Sed quomodo? Sicut ficus abijcit grossos suos, idest, fructus, quum à vento magno mouentur. Ventus vrens, typus est tribulationis omnia vastantis, omnia peruren- tis. Tempore igitur illo stellæ istæ cadent à fide & religione vento persecutionis cōcussæ: velut grossi vento iactantur. Grossi autem ficus sunt immaturi, vt D. Haymoni placet, & fructus primi tēporis qui antequam perueniant ad maturitatem vento valido concussi cadunt in terram: de quibus Cāt. 2. dicitur: Ficus protulit grossos suos. Ita & illi, qui nedum peruenerūt ad maturitatem bonorum operum, concussi vento persequutionis extremæ, decident in terram, hoc est in terrenas delectationes defluent. Addit Ioannes: & cœlū recessit sicut liber inuolutus. Nullus vt vno verbo diceret, splendor è toto corpore cœli micabit, sed occultum erit & obscurum, sicut liber plicatus & inuolutus. Nunc enim extendit Deus cœlum sicut pellem vt Dauid ait Psal. 103. Tunc autem inuoluet quasi implicans pellem. Per recessum autem cœli Anselmus intelligit silentium prædicatorū tempore Antichristi: qui sunt cœli enarrantes gloriam Dei. Psal. 18. Richardus verò intelligit insignes viros ecclesiæ, qui illis temporibus latebunt: nec sese nisi paucis manifestabūt: quemadmodum liber inuolutus, quem vulgus ignarum non legit. Et est locus similis huic apud Esai cap. 34. Et complicabuntur sicut liber cœli. Quod de extremo iudicio intelligit Hierony. Denique hac cœlorum plicatione apte intelligi potest sacra scriptura, quæ nunc visibilis exponitur legenda. Sed illo tempore mysteria sacræ scripturæ non explicabuntur, ideo cœlum erit inuolutum sicut liber. Pauci enim euoluēt scripturam sanctam. Et omnis (inquit) mons & insulæ de locis suis motæ sunt. Si de montibus & insulis propriè hoc intelligatur dicēdū est quod vtitur Ioannes repetitione per speciem, iā enim in genere de terremotu dictum est. Nam tūc (sicut olim quando dabatur lex) montes

Malach. 4. | Cant. 4. | Matth. 16. | Matth. 24 | Psal. 8. | Dan. 12. | Cant. 2. | Psal. 103. | Anselmus. | Psal. 18. | Richard. | Esai. 34.

montes exultabunt sicut arietes & colles sicut agni ouium à facie Dñi quia venit iudicare terram Psa.113. Sed patres malũt hæc per metaphoram interpretari, vt mõtes dicantur viri altitudini contemplationis dediti: de quibus Psalmista Psal.71. ait: Suscipiãt mõtes pacem populo & colles iustitiam. Insulæ veró dicantur fideles negocijs occupati: qui fluctibus, vndisque quatiuntur. Nam insulæ pro insulanis habitatoribus capiuntur Esai. 41. insulæ legem eius expectabunt. Hæc ergo diuersa hominum genera mutabunt sedes & in solitudinibus errabunt: vt Paul. ait ad Heb. 11. Fugientes consortium eorum qui seducti sunt per Antichristũ. Ita Beda, Richardus, Anselmus, & D. Tho. hanc fugam in figura destructionis Hierusalem consulit Dñs Matth.24. dicens: Tunc qui in Iudęa sunt fugiant ad montes. Et reges terræ (ait Ioan.) & principes, & tribuni, & diuites, & fortes, & omnis seruus, & liber abscõderũt se in spelũcis & in petris montiũ. Diuersa pro qualitate dignitatũ, officiorũq; ac vitiũ cõmemorans ecclesiæ mẽbra: nullum ab hoc persequutionis malo immunẽ, nullũ prædicit fore alienẽ, quando diluuium id malorũ occupaturũ sit vniuersos: nãq; iuxta præsentẽ scripturã, & reges terræ, & principes quiq; cõmouebuntur: & nihil vsquã erit aut dignitatũ aut potentiæ, siue sit regia sublimitas, siue pricipat9, siue militaris ordo, siue diuitiæ, aut aliquod robur, aut seruitus aut libertas, quod immunẽ faciat ab eiusmodi persequutione. Hi enim dũ tot Antichristos, in Christũ & veritatẽ eius insanire cõspiciũt: pro cõtẽpta Dei gloria nimio zelo incẽsi dolent: vtq; abominationẽ tantã vitent, cõsultius sibi fore iudicãt, vt in die abscõdãtur, quã huiusmodi manifesto se discrimini objiciãt: quibus omnib9 magni æstimatur & Christi gloria & salus propria. Huius autẽ tam acerbissimæ perturbationis exẽplũ quod dã præcessit in iudæis, qui (vt Ioseph9 est autor) imminẽtibus Romanorũ copijs exterriti, catervatim ad spelũcas mõtium & petrarũ secreta cõfugiebãt. Deniq; tãta erit tunc malorũ colluuies vt prędicti omnes vno ore dicant mõtibus & petris cadite super nos, & abscõdite nos a facie sedentis super thronum, & ab ira agni, quia venit dies magnus iræ illius, & quis poterit stare? Quæ verba explicabimus inferius c.23. quũ Dñs dicet filiæ Hierusalem nolite flere super me, &c.

Psal.113. Psal.71. Esai.41. Heb.11. Matth.24.

¶ *Tunc videbunt filium hominis venientem in nube.* Qui nunc aspernati sunt filiũ hominis placidum, mitem ac beneficum, tunc videbunt eũ, sed suo malo videbunt, sublimem, venientem in nube. Hunc filium hominis sic venientem multo antẽ animi oculis præuidit Daniel. c.7. Ecce (inquit) cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat. Eum quem in visione statuę Nabuchodonosoris appellauit lapidem, hic filium hominis appellat. At vt illic lapis omnia regna contriuit per metalla statuæ significata: ita hoc loco omnia regna delet per bestias intellecta. Appellatur autem Christus filius hominis qui verus est homo, cũ sit verus Deus, duas enim habet naturas, sed vna tãtum persona est. Voluit hoc loco Christus, & in illo loco Daniel, significare vẽturũ esse Christũ ad iudiciũ cũ corpore humano. Idẽ asseruerũt angeli dicentes Acto.1. Viri Galilæi quid statis aspicientes in cœlum? Hic Iesus qui assumptus est vobis in cœlum, sic veniet, quẽmadmodum vidistis eum euntem in cœlũ. Et quemadmodũ ascẽdit in nube iuxta illud Acto.1. Nubes suscepit eum ab oculis eorum: ita veniet ad iudicium in nubẽ. Ideo canit ecclesia: ecce apparebit Dñs super nubem candidam, & cum eo sanctorũ millia. Ipsẽ in hoc loco ait tunc videbunt filiũ hominis venientem in nube. Et Ioan. c.1. Apoc. ecce venit cum nubibus & videbit eum omnis oculus, & qui eum pugnauerũt. Nonnulli per has splendidas nubes intelligũt sanctorum splendores cũ Christo venientium. Nec te moueat quod in prædicto loco Daniel dicat: quod ipse veniet quasi filius hominis. Nam particula, quasi, in hoc loco non similitudinem significat, sed certissimam confirmationem: vt apud Ioan. c. 1. Vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à patre. Hoc est talem gloriam conspeximus in Christo, qualem decet habere eum, qui est vnigenitus filius Dei. Traya la magestad al fin como hijo de quien era.

Dan.7. Dan.2. Acto.1. Acto.1. Apo.1. Ioan.1.

[In die iudicii non solū iusti sed etiā impii faciem dñi videbūt iusti faciē misericordiæ peccatores autē faciē iustitiæ.]

¶ *Tunc videbunt filium hominis.* Non solum iusti sed etiam impij faciem domini videbunt. Sed iusti faciē misericordiæ, peccatores autem faciē iustitiæ. Est enim in Deo duplex facies, s. iustitiæ & misericordiæ. Quia enim per faciē melius quisque cognoscitur: hinc est vt illud mysticè in sacris literis facies cuiusq; dicatur: per quod melius in notitiā illius peruenitur. Quo fit vt iustitia Dei facies Dei dicatur: & misericordia eius eodē nomine appelletur, quoniam per vtramq; Deus agnosci potest. De facie iustitiæ dicit Iob: [Iob. 23.] A facie ipsius turbatus sum: & considerans cū timore solicitor. A facie domini turbatur, qui bene cognoscit quanto rigore iudicij peccatores quosq; dñs in iudicio puniet. Qui coram oculis suis, terrorē diuinæ maiestatis proponit, & se ad reddendā rationē non sentit idoneū: meritò à facie illius turbatur. Propter quod subditur: & considerās, timore solicitor. Hæc est facies illa. De qua Daniel dicebat: [Dan. 7.] de facie Dei fluuius igneus rapidusque egreditur: fluuius dicitur eius diuina iustitia districtúque iudiciū: quia nunquā ille iustitiā facere desinit: sed ad modū fluuij semper fluit. Rapidus dicitur, propter celerrimā suæ sententiæ executionē. Hāc faciē timebat sanctus Iob: [Iob. 13.] & ideo dicebat: vbi me abscondam à vultu iræ tuæ. Abscondi à facie Dei nunc quærit, qui aliàs queritur cur Deus faciē suam illi quasi inimico absconderet. Hāc iustitiæ faciem timebat Dauid cum dicebat: [Psal. 50.] auerte faciem tuam à peccatis meis.

¶ Alia est Dei facies: videlicet misericordia. Hæc est illa Assueri facies de qua Esther regina dicit. [Esther. 15.] Valde enim mirabilis es domine, & facies tua plena est gratiarū. Plena siquidem est gratiarum diuina misericordia, de cuius plenitudine nos oēs accepimus gratiā pro gratia. Et propter hāc causam facies illius in Apo. [Apo. 1.] dicitur esse sicut sol. Sol enim super omnem hunc visibilem mundum expādit radios suos: sic Dei misericordia oritur super bonos & malos. Hæc est illa facies Salomonis [2. Para. 9.] quā omnis populus videre desiderat. Quoniā nemo est, qui non imploret diuinam misericordiam. Nam (vt in alio quodam Psalmo dicitur) [Psal. 103.] Auertente Deo faciem suam omnia turbabuntur, hoc est, auertēte Deo misericordiam suam omnia in nihilum redigentur. Quod intelligens Dauid dicebat alibi: [Psal. 29.] Auertisti faciē tuā à me, & factus sum conturbatus. Ab hac facie timebat eijci Dauid cum dicebat & orabat: [Psal. 50.] ne proijcias me à facie tua. Ecce qui nunc timet proijci à facie misericordiæ: alias quærit locum quo à facie iræ & iustitiæ Dei fugiat dicens: Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiā? [Psal. 138.] In die ergo iudicij, ait Dominus, videbunt filium hominis venientem in nube. Videbunt tunc suo malo impij vultum Domini, de quo Dauid ait: Vultus autem Domini super facientes mala. [Psal. 33.] Suo verò bono iusti videbunt faciem eius hilarem, vultū eius alacrem, placidum, misericordia plenum. Ostendet enim tūc animal illud diuinum facierum [Ezech. 1.] & hominis & leonis, iustis faciē hominis pij ac benigni: impijs verò faciē leonis rugientis. Quod si leo tunc rugiet quis peccatorum nō timebit? Variabitur tunc vultus illius ad variationem meritorum nostrorū. Quēadmodū enim speculū [Simile.] sine sui variatione, talem reddit faciē, qualis est ea quæ sibi obijcitur: si tristis obijcitur facies: tristē etiam ostēdit, si hilaris hilarē. Sic tunc Deus qui, iuxta sapientē, cādor est lucis æternæ & speculū sine macula, talem se nobis ostendet quales nos illi præsentabimur. Si degeneres fuerimus, non vultū patris sed iudicis ostēdet. Si verò filij nominati fuerimus, vultum iudicis auertet: & pientissimi patris vultum nobis tunc offeret. In cuius figura legimus in Ezechiele Propheta [Ezech. 1.] quod super capita sanctorum quatuor animalium pennatorum erat aspectus crystalli horribilis. Christi figura est crystallus, quoniam crystallus ex aqua congelata fit. Cum enim aqua mollis & fluxa sit, congelata solidatur, & crystallus fit. Christus Dominus ante mortem suam corpus habens mortale & passibile, quasi quædam aqua fuit; quæ per multas tribulationes & corporis ærumnas defluens ad mare amarissimum mortem videlicet suam peruenit sed tandem resurgens à mortuis, quoniam iam non moritur, nec mors illi vltra dominabitur, virtute resurrectionis indu

induruit & factus est crystallus: quoniam corruptio eius est in incorruptionem cõmutata. Sed crystallus ille horribilis dicitur; quod quidem iuxta naturam vix fieri est possibile, imo nec intelligibile. Nã cum crystallus sit pulcherrimus, fieri nequit vt sit etiam horribilis: quoniam non bene conueniunt neque in vna sede morantur pulchritudo & horror. Pulchritudo enim oculos ad se conuertit, horror autem intuentium oculos auertit. Qui fit ergo vt quicquam sit pulchrum simul & horribile? Sed si hæc quæ nunc proximè diximus ad memoriam reuocemus: facile crystallum inuenimus qui simul & pulchritudinem & horrorem habeat. Nam Christus seruator noster cum iudex in fine seculi venerit alium alijs ostendet vultum iustis quidem benignum, peccatoribus iratum. Iustis erit vt agnus, peccatoribus autem vt leo. Iustis apparebit pulcher: peccatoribus autem horribilis. Iustis clarus & gloriosus: impijs verò obscurus & tenebris nubibusque obuolutus. Vnde sanctus Iob capi. 29. ait de Deo loquens: Et lux vultus mei non cadebat in terram. Quid namque terra (ait Gregorius) nisi peccator vocatur: cui prima sententia dictum est: terra es, & in terram ibis? Lux ergo vultus domini in terram nequaquam cadit, quia visionis eius claritas peccatoribus non apparet. Scriptum namque est: tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Quasi enim lux in terram caderet, si in extremo iudicio veniens, claritatem maiestatis suæ peccatoribus aperiret. Hæc Gregorius. ¶ Tunc videbunt omnes filium hominis, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra: & cui flectetur omne genu, & confitebitur omnis lingua: à cuius indignatione commouebitur terra & non sustinebunt gentes comminationem eius. Tunc videbunt filium hominis qui est legislator & iudex, qui potest perdere & liberare: qui flagellat & saluat, deducit ad inferos & reducit: & non est, qui effugere possit manum eius. Quis tunc non timebit te ò rex gentium. Quis enim tunc dicet tibi, quid fecisti? Aut quis stabit contra iudicium tuum? Non est alius Deus quam tu, cui cura est de omnibus vt ostendas quoniam non iniuste iudicas iudicium. Neque rex, neque tyrannus in conspectu tuo tũc inquirent de his quos perdideris. Omne quidem quod volueris, facies, & sermo tuus potestate plenus erit. Nec dicere tibi quisquam poterit, quare ita facis? Heu, heu, heu, domine Deus, qui fecisti cœlum & terram in fortitudine tua magna & in brachio tuo extenso, fortissime, magne, & potens qui facis misericordiam in millibus, non intres tunc in iudicium cum misero seruo tuo. Quis enim similis tui, & quis sustinebit te, & quis erit, qui resistat vultui tuo? Tu es enim domine qui vitæ & mortis habes potestatem, & ducis vsque ad portas mortis & reducis, qui potes animam & corpus perdere in gehennam. Pone ergo tũc me domine ad dexteram tuã, ne manus tua fortis & valida pugnet contra me.

Iob. 29.
30. Moral. c. 4.
Matt. vlt.
Rom. 14.
Hiere. 10.
Iacob. 4.
Tobiæ 13
Hiere. 10.
Esai. 43. & 44.
Eccl. 8.
Hiere. 32.
Hiere. 50

¶ *Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate.* Hic est filius hominis quem diuus Ioannes vidit in Apocalypsi venientem ad iudicandum. Et vidi & ecce nubem candidam & super nubem sedentem filio hominis similem: habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam. Et misit falcem suam angelus in terram & vindemiauit vineam terræ, & misit in lacum iræ Dei magnum: & calcatus est lacus extra ciuitatem. Vidi (inquit) per intelligentiam spiritualem nubem candidam. Idest, assumptã humanitatem, & super nubem sedentem, ipsum videlicet Christum secundum eminentem & regnantem diuinitatem: similẽ filio hominis, quia iam impassibilis & immortalis factus metas humanæ fragilitatis transcendit. In hoc enim quodammodo non iam filius, sed similis filio hominis, in sacra visione apparuit, quod à morte impassibilis & immortalis resurrexit. Habentem in capite suo coronam auream: coronam, per æternitatis infinitatem, auream propter sapientiæ claritatem: & in manu sua falcem acutam. i. iudiciariã sententiam: habet coronam vt iustos coronet: habet falcem acutã vt iniustos condẽnet. Talis nimirum iudex omnium in sacra vi-

Apo 14.
Explicatur locus.
Richar. li. 2. in Apo. c. 8.

sione describitur, vt per ipsam descriptionem & bonis & malis debita stipendia reddituras agnoscatur. Et misit angelus falcem suam in terram & vindemiabit vineam terræ. Mittet enim Christus magni cōsilij angelus falcem suam in terram, iudicium exercēdo: & vindemiabit vineam terræ, perfectè malos auferendo: Et mittet in lacum iræ Dei magnum, eos in inferno cōdemnando: & calcabitur locus, per eorundem punitionem, extra ciuitatem sanctam, videlicet Hierusalem cœlestem. Sancta quippe ciuitas superna, sicut erit immunis ab omni culpa, ita ab omni pœna erit aliena. Et lacus iræ Dei extra eam calcabitur: quia damnatorum congregatio in æternum punitur. Continens itaquè hic ponitur pro cōtento. Lacus enim calcabitur, quia in lacum damnati calcabuntur.

¶ *Tunc videbunt filium hominis venientem, &c.* Non ait: tunc videbunt Deum venientem: sed quid ait? Tunc videbunt filium hominis venientem. Magna sanè iustorum cōsolatio erit, videre iudicem suū esse verum hominem, qui condolere possit imbecillitatibus & infirmitatibus illorum: sic eum venire olim sponsa petebat dicens: Reuertere, similis esto dilecte mi, capreæ hinnuloque ceruorū. Postulat Ecclesia vt quando sponsus eius persuaderi non poterat quin ascenderet in cœlū, vbi erat: prius saltem promissum denuo maturaret aduentum. Quod enim optat & postulat similem fore feris, præter celeritatē aduentus: non minus signanter exprimitur etiam infirmitas, & quidem sexus in caprea, ætatis in hinnulo. Vult itaque eū (vt diuo Bernardo videtur) etsi cum potestate venire, non tamen in forma Dei in iudicio apparere, sed sane in ea qua non modo natus, sed & paruulus natus est nobis, idque solo de infirmiori fœmineo sexu. Cur hoc? Nempe vt ex vtroque admoneatur infirmo mitescere in die iræ, memineritque in iudicio misericordiam superexaltare iudicio. Etenim si iniquitates obseruauerit, etiam electorum quis sustinebit? Astra non sunt mūda in conspectu eius, & in angelis suis reperit prauitatem. Vt ergo cum iratus fuerit misericordię recordetur, rogatur ab Ecclesia apparere in misericordiæ habitu, illo de quo Apostolus: & habitu inuentus vt homo. Necessariè quidem. Si enim cum hoc quoq; temperamento tanta erit in iudicio æquitas, in iudice feritas, in maiestate sublimitas, nouitas in facie ipsa rerum, vt (secundum Prophetam) non possit cogitari dies aduētus eius: quid putas fore, si ignis ille consumens, (Deum loquor omnipotentem) in illa suæ diuinitatis magnitudine, fortitudine, puritate, venisset cōtra folium quod vento rapitur ostensurus potentiā suā & stipulam siccam persecuturus? Et homo est (inquit) & quis videbit eum? Et quis stabit ad videndum eum? Quanto magis Deum nobis absque homine exhibentem nemo hominum ferret: vt pote claritate inaccessibilem, celsitudine inattingibilē, incomprehensibilem maiestatē? Nunc verò cum exarserit in breui ira eius, quā grata propter filios gratiæ apparebit blanda quedam visio hominis, sanè firmamētum fidei, spei robur, fiduciæ augmentū, quod scilicet, gratia & misericordia sit in sanctos eius, & respectus in electos illius. Denique ipse pater dedit filio suo iudicij potestatē, non quia suus, sed quia filius hominis est. O verè pater misericordiarū vult per hominem homines iudicari, quo in tanta trepidatione & perturbatione malorū, electis fiduciam præstet naturæ similitudo. Prædixerat hoc quondam sanctus Dauid orans pariter & prophetans: Deus (inquiens) iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis. Liquet ex his omnibus sponsam in se diuinum habere consilium, & mysterium supernæ voluntatis, minime ignorare, qui sub vmbra imbellium imbecilliumque animantium naturam infirmiorem, vel potius inferiorem quia iam infirma non erit) in iudicio exhibendam, & orantis affectu, & spiritu prophetantis enunciat, quatenus qui cœlum terrāq; mouebit in virtute sua, accinctus potentia cōtra insensatos, & suauis nihilominus & mitis, & quasi omnino inermis appareat, ꝓpter electos. Vbi hoc quoq; addi potest, quia ad discernēdū alterutros á se, opus erit quodammodo illi, cum hinnulis quidem saltibus, luminibus capreæ

Marginalia: Cant. 2. — Ber. ser. 73 in cant. — Iob. 15. — Iob. 4. — Abacuc. 3. — Ad Phi. 2. — Malach. 3. — Iob. 19. — Malach. — Psal. 2. — Sap. 4. — Ioan. 5. — Psal. 71.

preæ, quatenus videre & discernere in tãta multitudine & in tanta turbatione possit in quos nam salire, & quos transilire oporteat, ne forte contingat iustum pro impio conculcari cum in ira populos confringet. Hæc Bernar.

Aduentus secundus non erit occultus sed omnibus manifestus. Psal.49. Explicatur locus.

¶ *Tunc videbunt filium hominis venientem* Non erit tunc aduentus filij hominis occultus sed omnibus manifestus. Atque hoc erat quod regius vates olim prædixerat Psalmo.49. Deus manifeste veniet: Deus noster & non silebit. Non(inquit) silebit sicut in primo aduentu, qui venit sicut agnus non aperiens os suum. Exclusio silentij, publicum ac manifestũ significat aduentum. Non enim veniet tacitus sed manifestus, hoc est, cũ gloria explicante & apertè ac manifestè declarãte quis est. Ignis(inquit) ante ipsum præcedet, & in circuitu eius tempestas valida. Apparatus hic est iudicem terribilem præcedẽs. Ignis enim cõflagrationis exiet vorans atque cõsumens vegetabilia omnia, hoc est, plantas, &c. & ante ignem mixtio quædam aquæ, venti, turbinis, grandinis, &c. hæc enim ignem conflagrationis præcessura credimus. Vnde in Hebræo dicitur in præterito, & circuitibus eius tempestas fuit valde. Aduocauit cœlũ desuper: & terram, discernere populum suum. Aduocabit tunc dominus cœlũ vnde veniẽt & angeli & animæ sanctorum: aduocabit terram, vt reddat corpora in illa sepulta. Vt omnibus resurgentibus ac veniẽtibus ante manifestum tribunal Christi discernat & iudicet dominus populum suũ, hoc est, populum fidelem: nam incredulus populus iã iudicatus est dicente Christo: qui non credit, iam iudicatus est, el mismo se traera entõces la sentencia dada. Congregate illi sanctos eius: qui ordinant testamẽtum eius super sacrificia. Fædera enim olim absque hostijs nõ sanciebantur: si inuiolabilia esse deberẽt. Præcipiet ergo dominus cum manifestè venerit, congregari sanctos suos, qui inuiolabiliter seruarunt fædus inter se & illos sancitum: vt pro meritis digna præmia reddat. ¶ *Tunc*, inquit, *videbunt*. Quasi dicat: tunc veniet illud tempus de quo ipse prædixerat apud Dauid dicens: Cum accepero tempus ego iu-

Ioan.3.

A stitias iudicabo. Accepit quidẽ iã Christus potestatem faciendi iudiciũ. Data est(inquit) mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Nondũ tamen accepit tẽpus in quo suũ debeat cõpelere iudiciũ: quia nondũ tempus illud aduenit iudicandi, quod à patre ab æterno est prędifinitũ. Cũ ergo hoc tempus acceperit tunc videbũt omnes eũ venientẽ ad iudicandũ iustitias hoc est iusta, sic enim hic locus est intelligendus: vnde illũ vertit Hiero in hunc modũ. Ego recta iudicabo. Facere bonitatẽ, idẽ est in sacra scriptura, quod facere bonũ, & facere iustitiã quod iustè agere, facere iniquitatẽ, quod facere iniquum. Iustitias ergò tunc dñs iudicabit reddendo vnicuiq; secũdũ opera sua. Sed dices. Quare dñe iudicabis tunc impios? Quare eos in perpetuas pœnas dãnabis? Cur prius illos non admonebis: non aduertes vt sibi caueant? Quibus dñs respondet: Liquefacta est terra, & omnes qui habitant in ea: Ac si diceret ante meũ aduentũ multis signis admonebuntur mortales: nã erũt signa in sole & luna, &c. liquefiet etiam terra & igne cõflagrationis purgabitur, cũ omnibus habitatoribus. Iã etiã millies per me atq; meorũ prædicationẽ. Dixi iniquis: Nolite iniquẽ agere & delinquentibus nolite exaltare cornu. i. nolite superbire. Sũpta metaphora, à tauris feris, qui gloriãtur cornuũ potẽtia: quomodo peruersi homines gloriãtur ac eleuãtur suis opibus, magistratibus ac honoribus vanis. Sed quia noluerũt sapere admoniti, tunc videbunt filiũ hominis venientẽ, ac habentẽ in manu sua calicẽ vini meri, plenũ mixto. Vnde Propheta addit: Et calix in manu dñi vini meri, plenus mixto. Erit enim in manu iudicis huius dispẽsatio cõdignę retributionis & distributio promeritę mercedis, tanquã calix in manu hominis alicuius, tanquã calix (inquã) vini fortissimi, & impotabilis, plenus cõmixtione fecũ & sordiũ, totusq; turbulẽtus & feculẽtus vt horror sit ex illo bibere, illũ ve gustare. Est enim hic calix iræ & indignationis Dei, omnipotẽtis, qui continet vltionem amarissimam, & importabile iudicium, quod & tanquam vinum meracissimum, fortissimum, durissimum, & prorsus feculentum, quod sit im

Ioan 5. Matth 28. Act. 10.

B

C

D

portabile. Et inclinauit ex hoc in hoc: veruntamen fex eius non est exinanita. Inclinauit Dominus hunc calicem, quem in manu tenet, ex parte vna in aliam, quemadmodum fieri solet cum diuersis ex eodem calice datur bibere: ex eodem hoc poculo potum propinat omnibus impijs, quos omnes simili iudicio condemnat: eodemque condemnationis poculo potat: veruntamen quantumcunque peccatores ex hoc poculo bibant adhuc non est fex eius prorsus exhausta, neque vnquam exhaurietur. Bibent omnes peccatores terræ. Bibent, inquam, ex hoc calice iræ & indignationis Dei omnes qui super terram mala patrarunt, nec egerunt pœnitentiam. Huiusmodi omnes bibent amarissimas feces calicis huius, horum ne vnus quidem effugiet mortis iudicium. Hic est calix ille, de quo Ioannes in Apocalypsi capite decimo tertio ait: Si quis adorauerit bestiam & imaginem eius, &c. hic bibet de vino iræ Dei, quod mixtum est mero in calice iræ ipsius.

Apoc. 3.

¶ *Tunc videbunt filium hominis cum potestate magna*. Tunc impij videbunt in quem transfixerunt: videbunt eum in porta regni cœlorum, hoc est, in die iudicij & conterentur in porta, (vt Iob ait) & non erit, qui eripiat. Nam sicut vrbis aditus porta dicitur: ita est dies iudicij porta regni, quia per eum ab electis omnibus ad cœlestis patriæ gloriam intratur. Vnde & hunc diem cum ad retributionem sanctæ Ecclesiæ Salomon appropinquare conspiceret, dixit: Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terræ. Vir quippe est Ecclesiæ, humani generis Redemptor qui in portis se nobilem ostendit, qui despectus prius in contumelijs extitit, sed in ingressu regni sublimis apparebit. Nam tunc videbunt eum cum potestate magna & maiestate. Qui cum terræ senatoribus sedet: quia iudicij sententiam cum sanctis eiusdem Ecclesiæ prędicatoribus decernet, & sicut ipse in Euangelio dicit: Vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos iudicantes duodecim tribus Israel. Quod Esaias quoque longè ante prænuncians ait: Dominus ad iudicium veniet, cum senioribus populi sui. De his portis Salomon iterum dicit: Date ei de fructu manuum suarum: & laudent eam in portis opera eius. Tunc quidem sancta Ecclesia de fructu manuum suarum accipit, cum eam ad percipienda cœlestia, laboris sui retributio attollit. Tunc eam sua opera in portis laudant, quando eius membris in ipso regni aditu dicitur: esuriui & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere, &c. Peccatores autem in hac porta, vt modo dicebam, conterentur: quia amatores huius seculi in ipso regni aditu quando vir Ecclesiæ venerit cum potestate magna & maiestate magna sanctorum comitatus multitudine, æterna animaduersione ferientur. Et (vt Iob addit) non erit qui eripiat. Illos quippe veritas ab æterna animaduersione eripit, quos in temporalibus prosperis per disciplinam premit. Qui ergo nunc renuit premi, tunc nõ valebit eripi: quia in illo qui eum quem per disciplinam negligũt habere patrem: afflictionis suę tempore per adiutorium non inuenient ereptorem. ¶ Hoc idem mysterium significare volens, idem sanctus Iob ait: Lampas contempta apud cogitationes diuitum parata ad tempus statutum. Christus enim dominus lampas veraciter extitit, qui pro redemptione nostra in cruce moriens, tenebrosis nostris mentibus, lucem per lignum fudit. Hac nos lampade Ioannes illuminati conspexerat, cum dicebat: Erat lux vera, quę illuminat omnem hominẽ venientem in hunc mundum. Quam tamen apud cogitationes diuitum contemptam vidit. Cum paulo post subdit: in propria venit & sui eum non receperunt. Coram Herode Rege quod lampas ista splẽdere miraculis noluit contempta est: spreuit (inquit Euangelista) illum Herodes cum omni exercitu suo, & illusit indutum veste alba. Sed contempta lampas, quæ in terra irrisiones tolerat, de cœlo lucidius per iudicium coruscat. Tunc (inquit) videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & ma-

Porta regni cœlorũ vocatur dies iudicij. Iob. c. 5. D. Grego. 6. Mo. c. 4. Salo. Pro. 31. Matth. 19. Esai. 3. Pro. 31. Matth. 25. Iob. 12. Greg. 10. Mor. c. 30. & 31. Ioan. 1. Infra. 23.

& maiestate. Vnde apud Iob apte subiungitur: *parata ad tempus statutum*. De quo videlicet tempore per Psalmistam dicitur: Cum accepero tempus ego iustitias iudicabo. Hinc in Euangelio per semetipsam veritas denuntiat, dicens: Tēpus meū nondum aduenit. Lampas ergo quæ nūc contemnitur, ad statutum tempus ventura præparatur, quia ipse peccata in die vltimo iudicat, qui nunc peccātium derisiones portat. Et tanto tunc durius districtionem exerit, quanto nunc vocandis peccatoribus suam lenius patientiam sternit. Qui ergo nunc humilis & benignus apparens contemptus ab irrisoribus atque diuitibus superbis est, tūc in eorum malum & perpetuum interitum potens & terribilis apparebit. Quod sanctus Iob percussus à Deo dicebat, mutatus es mihi incrudelem & in duritia manus tuæ aduersaris mihi: eleuasti me & quasi in ventum ponens elisisti me valde. Quid tunc dicent miseri peccatores cum viderint filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate ad eos iudicandum? Se plus feriri æstimabunt quam mereri putabunt: & crudelitatem arbitrabuntur iudicis, districtionem æquissimam sectionis. Conuertimini ergo peccatores, ad vos redite preuaricatores nisi enim cōuersi fueritis gladiū suū vibrabit. Ipse enim homo Dominicus (inquit Augustinus) gladius Dei est bis acutus, idest framea: quem nō vibrauit primo aduentu, sed tanquam in vagina humilitatis abscondit. Vibrabit autem cum in secūdo aduentu veniens iudicare viuos & mortuos in manifesto splendore claritatis suæ, iustis lumine suo, & terrore impijs corruscabit. ¶ Resipiscite ó miseri mortales nam iam Dominus parauit in iudicio thronum suum & ipse iudicabit orbem terræ in æquitate, iudicabit populos in iustitia. Ipse inquam tribunal suum, atque iudiciariam sedem parauit, disposuit atque constituit in iudicio & æquitate, non potens nisi quod æquum est iudicare: ipse enim est qui veniet cum potestate magna & maiestate ad iudicandum vniuersos inhabitatores orbis terrarum in iustitia, & populos omnes in rectitudine, redditurus vnicuique secundum opera. Quaré vobis nisi modo preces lachrymasque effunditis nulla tunc spes erit reliqua salutis. Si enim nos ipsos modo diiudicaremus non vtique tunc iudicaremur. Bonum iudicium (ait Bernardus) quod me illi districto diuinoque iudicio subducit, & abscondit. Prorsus horreo incidere in manus Dei viuentis. Volo vultui iræ iudicatus præsentari, non iudicandus. Spiritualis homo omnia diiudicat, & ipse à nemine iudicatur. Iudicabo proinde mala mea, iudicabo & bona. Mala melioribus curabo corrigere actibus: diluere lachrymis, punire ieiunijs, cæterisque sanctæ laboribus disciplinæ, in bonis de me humiliter sentiam, & iuxta præceptum Domini seruum me innutilem reputabo, qui quod facere debui, tantum feci. Dabo operam ne folia pro granis, nec paleas cum granis offerre. Scrutabor ergo vias meas & studia mea: quo is qui scrutaturus est Hierusalem in lucernis, nihil inscrutatum in me siue indiscussum inueniat. Neque enim iudicaturus est bis in id ipsum. Tu ergo ó peccator fac similiter & tunc videbis filium hominis non tā iudicem quam patrem, non tam terribilem quam benignum & mansuetum.

¶ *Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate.* De hoc terribi. aduentu loquens Rex Dauid ait Psalmo. 82. Deus quis similis erit tibi? Ne quæ taceas, neque compescaris Deus. Quasi dicat: Multi enim similis in humilitate esse voluisti: vsque adeò vt & latronibus qui tecum sunt crucifixis. Sed in claritate cum venies, quis similis erit tibi? Quid enim magnum dicitur cum Deo dicitur: quis similis erit tibi? Nisi illi dicatur, qui similis esse in hominibus voluit: formam serui accipiens in similitudinem hominū factus, & habitu inuentus vt homo? Et ideo non ait: quis similis est tibi: quod vtique rectè diceretur, si hoc ad diuinitatem referretur. Quia vero ad formam serui relatum est, tunc eius à cæteris hominibus dissimilitudo apparebit: quando appa

Marginalia: Iob 12. — Iob 30. — Psal. 7. Augu. ibi. — Psal. 9. — 1. Cor. 11. D. Ber. ser. 55. in cant. — 1. Cor. 2. — Supra. 17. — quam erit terribilis aduentus Christi vltimus ostē ditur. Psal. 82.

apparebit in gloria. Ideo sequitur: ne taceas, neque compescaris Deus. Qui aptissimo tacuit vt iudicaretur, quando sicut agnus coram tondente se fuit, sine voce: sic non aperuit os suum. Cui dicitur hic ne taceas: de illo alibi dicitur: Deus manifeste veniet: Deus noster & non silebit. Cui dicitur hic, ne taceas: ipse alibi dicit: tacui, nunquid semper tacebo? Tacuit enim vt iudicaretur, quando venit occultus. Non autem tacebit vt iudicet quando venerit manifestus. Tunc videbunt eum peccatores libere loquentem & reddentem retributionem superbis. Quod olim magnopere, videre desiderabat Dauid, idque ex animo petebat, dicens in Psalmo. 93. Deus vltionum dominus, Deus vltionum libere egit: exaltare qui iudicas terram, redde retributionem superbis.

Psal. 93.

¶ *Tunc videbunt filium hominis, &c.* De iudiciaria potestate Christi lege doctorem sanctum egregiè vt solet omnia disserentem. 3. p. q. 59. per totam quaestionem.

¶ *His autem fieri incipientibus respicite: & leuate capita vestra quoniam appropinquat redemptio vestra.* Ac si diceret. Porro cum hęc cęperint fieri, subrigite oculos, gaudio maximo & lętitia affecti attollite capita vestra ad cœlestem illam ciuitatem Hierusalem: quoniam in propinquo erit regnum Dei, in quo nulla iã erit malorum afflictio, sed perpetua tranquillitas & ęterna fœlicitas. Iubet Dominus electis vt non solum non timeant sed alacri animo sint. Vnde olim Psalmista dicebat: Lętetur Mons Sion, & exultent filię Iudę propter iudicia tua domine. O mons Sion (ait Augustinus) ò filię Iudę, laboratis modo inter zizania, inter paleas, inter spinas laboratis: sed exultate propter iudicia Dei. Non errat Deus in iudicando: discrete viuite, & si cõcrete natę estis. Non frustra vox exijt de ore & de corde vestro: Ne perdas cum impijs Deus animam meam: & cum viris sanguinum vitã meam. Ille ventilabit tãtus artifex: in manu ventilabrum portabit, vt vnum granũ tritici non cadat in aceruum paleę cõburẽdũ: nec vna arista paleę transeat ad massam in horreo recõdendã. Exultate filię Iudę ꝓpter iudicia dei: leuate capita vestra, & non sitis tristes. Lętetur mons Siõ & exultent filię Iudę propter iudicia tua domine. Ne autem putetis filias Iudę Iudęas esse. Iuda cõfessio est. Omnes filię cõfessionis filię Iudę sunt: quia salus ex Iudęis, nihil est aliud quam Christus ex Iudęis. Hoc ait & Apostolus. Non enim qui in manifesto Iudęus est, neque quę in manifesto, in carne, ex circuncisio: sed qui in abscondito Iudęus est, & circuncisio cordis in spiritu, non littera: cuius laus nõ ex hominibus, sed ex Deo est. Talis Iudęus esto: gloriare de circuncisione cordis: & si non habes circuncisionem carnis. Exultent ergo animę sanctę Deum toto corde confitentes cum viderint signa iudicij: & filium hominis aduentum: nam appropinquat redemptio illarũ. Et si hanc iudiciorum Dei summam ęquitatem homines sibi male conscij, faciant sibi doloris causam, (ingemiscunt enim si quando ista attentius recogitant, mallentq; esse Deum vt hominem, quem vel minis suę potentię perterrefacere possent, aut astutia possent decipere ne recta iudicaret iudicia. Sic enim spem haberent euadendi ęterna supplicia, quę iam certo expectant, & cõsequendi bona cœlestia de quibus desperant) filię tamen Iudę, fideles summam in hac ęquitate accipiũt consolationem: nimirum hac ex re certissimi, quod suorum laborũ pręmio non poterunt fraudari, neque pro vlla re quam ipsi non cõmiserint, vltionem pati. Nam si nõ essent iusta Dei iudicia vere misere ageretur nobiscũ. Et pro hac re tunc lętaretur synagoga satanę & exultarent filij Belial, si dexterã haberet Deus cõmixtam cũ iniustitia. Mons autem Sion lętari debet, & exultare oportet filias iudę propter iusta iudicia Domini. Vnde & in alio Psalmo, in eandem sententiam dicitur: Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes. Lętentur & exultent gentes quoniam iudicas populos in ęquitate & gentes in terra dirigis. Hinc erat quod sanctus Dauid cõsolabatur & attollebat caput cum iudiciorum domini memor erat. Vnde dicebat Psal. 118. Memor fui iudiciorum tuorum domine & consolatus sum. Ac si diceret à seculo ex quo genus humanũ sumpsit exordium,

Iusti attollent capita atque gaudio maximo afficientur adueniente iudicio.

August. in Psal. 47.

Rom. 2.

Psal. 66.

August. in Psal. 118.

dium, memor fui iudiciorum tuorum super vasa iræ, quæ parata sunt in perditionem: & consolatus sum: quia per hęc quoque ostēdisti diuitias gratiæ & gloriæ tuæ in vasa misericordiæ. ¶ Minime profecto mirandum quod cum inceperint hæc fieri boni maximo gaudio perfruantur.

Quod reuera boni non habeant vnde timeant, sed potius vnde lætentur, cum iam videant appropinquari redemptionē eorum. Cur timebo in die mala (ait Dauid) iniquitas calcanei mei circundabit me. Quibus verbis induit personā hominum impiorū. Dies enim iudicij dies mala dicitur: non quidem bonis qui tunc leuabunt capita sua, sed impijs (quibus iuxta prophetarum oracula) erit dies vltionis, dies interfectionis, dies tribulationis, dies tenebrarū, dies magnus, terribilis & crudelis, dies furoris, & indignationis, & consumatæ iracundiæ Dei. Habet ergo impius cur timeat in die illa quia iniquitas calcanei sui circundabit illum, hoc est, quia iniquitas qua proximū suum circunuenit & supergreditur, quasi calcaneo ipsum supplantās, ipsa est quæ illū circūdabit in die mala, & in nouissimo comprehēdet, constringet & in perpetuam damnationem obligabit: ac proinde, eadem ipsa est propter quam in die illa merito timere debeat. At iusti nō habent vnde timeāt sed potius vnde lætentur. Et ideo ait illis dominus: his autem fieri incipientibus leuate capita vestra, quoniā appropinquat redemptio vestra. Appropinquat annus iubilei, annus libertatis. Quando multi qui nunc sunt ad sublimem euecti dignitatem in sempiternam ignominiam deijciantur: vos verò qui modo inopes, & nulla mundi gloria insignes, sequentes tamē pietatem obtinebitis gloriam immortalē. Vos qui modo estis serui, captiui & abiecti obtinebitis redemptionem. Non est enim redemptio, nisi præcedat captiuitas. Cum autem aduentante mundi fine, appropinquet iustorum redemptio, apperte concluditur, eos antea captiuos fuisse: & ex consequenti vitam hanc esse eorū captiuitatem. Id intelligens Dauid canebat: Conuertere domine captiuitatem nostrā sicut torrens in austro. Tunc erit iubilæus iustorum, & annus remissionis atque veræ libertatis. Cum conuerterit dominus captiuitatem nostram sicut torrens in austro. Auster est ventus efficiens pluuias copiosas, quibus torrentes mirum in modū augentur, & magno impetu fluunt: orat igitur Deum vates & multitudo liberandorum à captiuitate imitetur torrētes austro flante abundantēs. ¶ Interim considera domini Iesu Christi pietatē. Loquebatur de vltimi iudicij terrore, & seueritate, & in medio præconiorum iustitiæ, non obliuiscitur misericordiæ. Ideo aiebat Abacuc cap. 3. Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Imo ipsi terrores misericordiam ostendunt. Iudex enim cum vult reum comprehendere & punire, nō illum prius hortatur: qui ei carcerem minatur, non vult illum in carcerem conijcere. Eodem modo Deus qui nobis cœli caliginē, elementorum perturbationem & inferni pœnas minatur, vult nos eripere. Ipse enim ait apud Ezechie. 33. nolo mortē peccatoris: sed vt magis conuertatur & viuat. Nihilominus tamen tantus erit terror iudicij vniuersalis: vt dicat Iob capit. 14. Quis mihi tribuat vt in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus, & cōstituas mihi tempus, in quo recorderis mei. Ita erit formidabilis dies ille vt desiderent homines in obscuris locis inferni abscondi, donec transeat furor iudicij, & tūc in cœlum euocari. Sed tunc appropinquabit iustorum redēptio. Coniungit Christus misericordiam cum iustitia, vt aptam efficiat harmoniam. Dulcis sonus cytharæ cum sonora voce humana efficiunt suauem quādam musicam, quæ nec iam sonus cytharæ solum est, nec vox duntaxat humana, sed admirabilis concētus ex illis conflatus, quolibet illorum excellentior. Eodem modo iustitia cum misericordia copulata, efficit temperatam quandam armoniam, quæ neque est separata iustitia nec separata misericordia, sed præcellens quædam musica, his duabus rebus confecta, qualibet earum illustrior, dulcior, & præstantior. Qui ea vsus fuerit, viuet, iuxta illud Prouer. 21. Qui sequitur iustitiam, & faciet misericordiam inueniet vitam. Quod est intelligendum nō

[Margin: Psal. 48. — Psal. 125. — Abac. 3. — Similitudo — Ezech. 33. — Iob. 14. — Similitudo — Pro. 21.]

solum de vita hac caduca, sed de æterna. Hanc pollicetur Christus suis dicens: Leuate capita vestra quoniã appropinquat redemptio vestra. § *Respicite & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Stringi videntur sancti in hac vita, & compediti quasi captiui, sicut ex his verbis colligitur: sed post hãc vitam soluuntur. Hinc est quod Dñs ad Moysen Exod. 3. Vidi (inquit) afflictionem populi mei in AEgypto & clamorem eius audiui propter duritiam eorũ qui præsunt operibus: sciens dolorem eius descendi, vt liberem eum de manibus AEgyptiorum & educam de terra illa in terram bonam & spaciosam, &c. pro summis malis summa bona Deus mutare solet. Et ideo hic ait appropinquat redemptio vestra, i. tempus quo manifestum fiet vos esse liberatos à morte æterna per me. Leuate (inquit) capita vestra, idest, erigite mentes vestras quę animarum capita sunt in Deum omnium bonorum vestrorum remuneratorem. Hinc est quod Paulus hortatur fideles in hoc mũdo afflictos vt currãt. Per patientiam curramus, inquit, ad propositum nobis certamen, aspicientes in autorem fidei, & consumatorem Iesum: qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem. Et rursum ibidem scribit. Recogitate eũ qui talem sustinuit aduersus semetipsum à peccatoribus contradictionem: vt non fatigemini animis vestris deficientes: nondum enim vsque ad sanguinem restitistis aduersus peccatum repugnantes. Quasi diceret: Parum est quod conuicia pertulistis, quod facultatibus vestris estis spoliati. Nondum enim vsque ad sanguinem, i. mortem restitistis aduersus peccatum repugnantes, i. vel aduersus infidelitatẽ, quę principaliter peccatum dicitur, vel aduersus quodlibet aliud peccatum. Sic ergo in autorem salutis vestræ caput leuate quoniam cito ab eo estis redimendi, & ducendi in cœleste regnum vbi nulla erit afflictio.

Sancti in hac vita constricti in futura soluentur.

Exod 3.

Heb. 12.

Ibidem.

§ *Non præteribit generatio hæc.* Non præterierit ætas hæc, idest, finis huius ætatis non erit, priusquam hæc omnia euenerint.

§ *Cælum & terra transibunt: verba autem mea non transibunt.* Gene. 8. ait Dominus peracto diluuio, cunctis diebus terræ, sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies non requiescent. Obseruandum hoc non esse contrarium his verbis Christi dicentis: cœlũ & terra transibunt. Nam nõ simpliciter dicit hæc semper sic mansura, sed cunctis diebus terræ: quo verbo significat aliquando cessatura: neque enim terra semper manebit vt nũc est. Vt in hoc loco ait Dominus: cœlum (inquiens) & terra transibunt.

Gen 8.

§ *Verba autem mea non transibunt.* Idest, quæcunque promisi, iussi, & prædixi, non manebunt infecta. Ex quibus verbis colligere aperte licet, Deum nulla potentia nec per se nec per alium mentiri posse. Cum sit (inquit Augustinus) omnipotens, mori non potest, falli non potest, mentiri non potest. Et rursum idem, dum de omnipotentia Dei (ait) tam multa diximus, si volũt inuenire, quod omnipotens nõ potest, habent prorsus: ego dicam, mẽtiri nõ potest. Præterea & illud Apostoli testimonium ad Roma. 3. Est enim Deus verax, omnis autem homo mẽdax idem apertè demonstrat. Quo loco Paul. non significat quidem omnes homines mentiri, sed eo esse ingenio vt mentiri possint. De natura quippe agit, non de more. Nam reperire liceat viros aliquando, qui vel rationem rectam ducem sequentes, vel euangelij gratia legeque adiuti ac moniti à mendacio abhorrent, veritatem amplectuntur. Sed quoniam humanitatis est ea imbecillitas, vt veritatem, quam tenet, destituere interdũ possit: idcirco scriptura omnem hominem dixit esse mendacem. Ex quo intelligitur in eo sensu Deũ appellari veracem. Quod cum diuina naturã mendacium pugnet. Id quod non modo probabili ratione & argumentatione, sed etiam necessaria Theologorum collectione cõcluditur. Nam quæ contrarietas est mali & boni, eadem est veri & falsi sed primæ bonitati repugnat facere malum: ergo & primæ veritati dicere falsum. Hinc enim illa sunt, fidelis dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Et fidelis Deus, & absque vlla iniquitate. Tam alienus itaque est Deus à falsitate

Deus mentiri nõ posse ostenditur.

Libro de symb. c. 1.

Lib. 20 de ciui. c. 25

Rom. 3.

Psal. 144

Deu. 32.

te quam ab iniquitate: & sicut nec per se nec per aliam iniquitatem facere, ita nec fallere quempiam potest. Quod si quispiam Deo autore falleretur, iam à fonte veritatis mendacium emanaret. At nō solum Euangelista testāte, sed natura etiam duce cōgnouimus omne mendacium nō esse ex veritate. At reuera (vt eo vnde egressa est referat se oratio) vtrumq; & malum facere, & falsum dicere cum natura stabili immobilique pugnat. Inde enim cum scriptura dixisset, non est Deus vt homo vt mentiatur, è vestigio subdidit: nec vt filius hominis vt mutetur. Mendacium enim mobilis naturæ nota est. Atque vt semel finiam, si Deus mentiri posset, merito etiam nos formidare poterimus, an fuerit aliquando mentitus. Nec satis est huic obiectioni respondere de potentia ordinaria constare eum non posse mentiri. Nam cum hoc, nisi per reuelationem constare nequeat, qui scire possumus an illa ipsa reuelatione Deus potentia sua absoluta fuerit abusus? Stet ergo firma sententia cœlū & terra transibunt verba autem mea non transibunt.

1. Ioan, 2.

¶ *Attendite autem vobis, ne forte grauentur corda vestra in crapula et ebrietate.* Detestabile vitium est ebrietas à qua cauendum admonet in hoc loco Dominus. Excusari poterat olim Loth quod vinum biberat ad leniendam tristitiam mētis, quam ex perditione ciuitatum conceperat. Minus tamē excusatur quā Noe. Is enim nōdū sciebat vini virtutē: nec vllum exēplū ebrietatis ante se viderat, aut audierat, denique semel tantum inebriatus est. Loth autem sciebat vini virtutem, viderat plerosque ebrios in Sodomis, nec tamen sibi cauet, imo bis inebriatur. Quod si Loth non excusatur, quam excusationē habebunt qui data opera se & alios inebriant idque omni die, nec peccare se putant, cum tamen multipliciter peccent. Primò enim abutuntur Dei donis, quibus pauperes consolari possent. Secundò, offendunt Deum, prohibuit enim Christus in hoc loco ne grauentur corda nostra ebrietate. Tertiò viciant naturam atque adeo seipsos occidunt. Quartò, in bestias se conuertunt. Quintò, diabolo ligatos & captiuos se trādunt. Denique sibi ipsi causam & uccasionem præstat ad omnia peccata. Obliuiscuntur Dei, iustitiæ, honestatis.

Aduersus ebrietatē. Gen, 19.

¶ *Vigilate itaque omni tempore orantes vt digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, et stare ante filium hominis.* Nihil magis gratiā impetrare solet ad tolerandas patienter calamitates atque ad fugiendam venturam iram quam oratio ex corde orta. Hæc est ros qui ardorem refrigerat tribulationum. Nōne ardorem refrigerabit ros? Ait Ecclesia. cap. 18 Hieremias cap. 17. ait: De ligno plantato iuxta aquas: quod nō timebit, cum venerit æstus Ideo Dominus apud Matthę. cap. 26. Appropinquante tribulatione & calamitate passionis, ad vigilandum & orandum discipulos hortatur dicens: Vigilate & orate ne intretis in tentationem. Et in hoc loco prædicta vltimi iudicij grandi tribulatione ad orandum eos monet. Vigilate (inquit) omni tempore orantes. Vt digni habeamini fugere quæ ventura sunt. Esaias hinc ait cap. 19. Clamabunt ad Dominum, à facie tribulantis & mittet eis Saluatorem. Et Dauid. In tribulatione inuocasti me, & liberaui te. Iaco. cap. vlti. Tristatur aliquis vestrum oret. Fugiamus igitur somnolentiam, non velimus dormire voluptatibus & curis huius mūdi: sed studio rerum cœlestium perpetuo vigilemus continenter deprecantes, vt nos Deus dignetur habere in numero eorum, qui poterunt effugere hæc tanta rerum pericula, & subsistere ante iudicem ineuitabilem filium hominis, qui vt nunc omnes magna lenitate prouocat ad pœnitentiam, ita tūc magna seueritate iudicabit viuos & mortuos. Nemo suis fidat præsidijs, nemo feret hoc iudicium nisi præmunitus fauore diuino. Sed is non aderit, nisi qui interim summo studio conantur sese præbere dignos eo fauore. Tunc implorare clementiā illius, serum fuerit his, qui nunc abutuntur illius lenitate. Cū autem instaret tempus mortis, dominus Iesus exemplo suo docuit discipulos, tunc maxime inuigilandum pijs studijs, quum imminet dies vitæ supremus. Nam quod orbi est dies ille supremus, de quo iā multa prædixerat, hoc vni-

Oratio ex corde orta maxime iuuat ad tolerandas calamitates & fugiendū venturam irā. Eccl. 18 Hiere. 17. Matth. 26

Esai. 19.

Psal. 80. Iaco. vlti.

vnicuique est suus obitus dies. Proinde Dominus interdiu ducebat (vt Lucas noster subiungit) populum in templo, non cessans benefacere his, à quibus se nouerat occidendum: noctu verò dimigrabat in mótem Oliueti, quo magis vacaret precationi, qua continenter patrem pro salute mundi interpellabat, minimum temporis somno impartiens. Populus autem diluculo ventitabat ad illum in templo, vt audiret eum docentem.

¶ Iudas cum Iudæis super Iesu traditione paciscitur, Christus cœna facta à Iuda post orationem in monte Iudæis traditur: ad Caypham ductus à Petro negatur, & facie velatus colaphis cæditur.

CAPVT. XXII.

Ordo historiæ huius obseruanda est.

Appropinquabat autem dies festus azimorum. Imprimis hic obserua ordinem historię. Reuera quinto die ante pascha dominus Bethania hierosolymam venit, multa hominum turba comitante, ac vocibus & animis exultante: atque ingressus templum post eius expurgationem, multa per tres dies docuit: quorũ plurima Matthæus, aliqua verò reliqui Euangelistæ commemorarunt. Vbi igitur dominus docendi finem fecit: biduo ante passionis tempus, mortem suam Apostolis prædixit. Vnde Matthæus: & factũ est, cum consumasset Iesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis. scitis quia post biduum pascha fiet & filius hominis tradetur, &c. Ac tunc pharisæi & principes aduersus illum cõsilium inierunt: quod machinantibus: ecce (ait noster Lucas) vnus è duodecim Apostolis triginta argenteis dominum suum illis vendidit. Primo autem die azimorum, discipuli locum domi- A no parauerunt, vbi cum ipsis vesperi discubuit, agnum paschalem comesturus. Hæc hoc ipso ordine, Matthæus, Marcus, & Lucas narrãt: duo tamẽ illi priores, his per recordationem historiam mulieris illius inter seruerunt: quę precioso vnguento caput & pedes domini Bethaniæ, sexto die ante passionem eius vnxerat. Cum ergo Matthæus dixit: Tunc abijt vnus de duodecim: illud tunc, nõ ad proximẽ præcedentem historiam de vnctione domini referendum est: sed ad illud superius: tũc cõgregati sunt principes sacerdotum. B Noster ergo Euangelista cum ait: appropinquabat autem dies festus azimorũ, & quærebant principes sacerdotum, &c. Loquitur de biduo ante pascha, vt explicuerunt Matthæus & Marchus, quo tempore principes illi inter se conferebant quomodo Christum occiderent: & tunc adfuit traditor Iudas, &c. Lege si libet de hac re D. Augustinum lib. 2. de consensu Euange. cap. 78 & 79.

Matth. 26
Marc. 14.

¶ *Appropinquabat autem dies festus azimorum, quæ dicitur pascha: & quærebant principes sacerdotum & scribæ quo- C modo eum interficerent.* Quo magis populus pendebat ab ore domini, hoc magis ac magis incitabantur sacerdotes, & scribæ, & pharisæi coniurati cum primoribus populi ad occidendum Iesum. Iam autem & tempus appetebat, quo decretum erat & conueniebat immolari vaccam illam rufam pro peccatis omnium hominum, de qua in figura agitur Nume. c. 19. Iam tempus aderat vt occideretur piscis ille, cuius felle cæcum genus humanum restitueretur in pristinũ visum. De quo in typo scribitur in libro Tobiæ cap. 11. Iam denique D aderat dies expectata satis à patribus, promissa à Prophetis quo stabilitum erat à patre, agnum illum immolari & victimã salutarem pro salute generis humani. Delectus enim erat ad hoc consilium dies longe omnium religiosissimus, quem Iudæi vocant azimorũ, quod nefas esset Iudæis per eius festi dies vesci panibus fermentatis, atque idem phase, siue pascha, quod syris sonat trãsitum, ab agno anniculo, cuius cruore summi postes ædium illinebantur, vt eas præteriret angelus Domini ex-

Christus figuratur in vacca rufa in pisci, & agno immaculato, & quare

Figura: Num. 19.

Tobiæ 11. Figura.

Figura: Exo. 12.

tinctor omnium, qui hoc signum non haberent in foris. Hic dies erat minime commodus sacerdotibus & scribis, qui malue-rant mortem illius obscuram esse ac vulgari nocentium supplicio simillimam. Iesus autem voluit suam mortem esse celebrem & solennem, ac per omnia veteris testamenti figuris ac prophetarum oraculis congruere. Hic enim erat agnus ille nescius omnis maculæ, cuius carne veri Israelitæ per orbem vniuersum quotidie reficiuntur: cuius sacrosancto sanguine emundati, subducti sumus ab exitio, liberati à tyrannide peccati: & quotidie longè recedentes ab AEgypto, properamus ad cœlestem illá terram omni genere fœlicitatis exuberantem, abstinentes interim à panibus fermentatis, ac versantes in simplicitate ac synceritate spiritus euangelici. Hic igitur dies ad verum illud sacrificiũ delectus est Deo, quum non placeret pharisæis. Mortuus est enim non ex arbitrio Iudæorum, sed ex patris suoque arbitrio, quando voluit, vbi voluit, & quomodo voluit. Nihil enim hic temerè casuve gestum est. Nihil hactenus potuerat pharisæorũ malicia, subinde mortem Domino machinantium: quia tametsi non deerat praua voluntas, non est tamen data diuinitus perficiendi, quod destinarant facultas. Sic [illegible] interim illi miscent ac conferunt [illegible] consilia, quasi suis præsidijs possent efficere quod volebant. Gestiebat enim multis modis irritata pharisæorum ac sacerdotum malicia, inijcere manus in dominum, & ad mortem pertrahere: & ideo noster Euangelista ait: quærebant principes sacerdotum & scribæ quomodo eum interficerent.

¶ *Metuebant vero plebem.* Quem scilicet videbant æditis miraculis ac beneficijs illi conciliatum pendere ab ore ipsius. Vnde periculum erat ne si coram multitudine tentassent illi manus inijcere, coorto tumultu per vim eriperetur ex ipsorũ manibus, atque ita conatus in vanum caderet, etiam in posterum sibi prospiciente, qui semel fuisset elapsus. Immemores interim erant, quod toties è manibus vesanæ multitudinis euasisset incolumis. Offendebat eos & dies parum ad rem gerendam idoneus, ob celebritatem & frequentiam populi: sed præter spem aliunde prebita occasio, cum impia ipsorũ voluntate coniuncta, excussit scrupulũ diei festi. Vnde addit Euangelista.

¶ *Intrauit autem satanas in Iudam qui cognominabatur Iscariotes, vnum de duodecim.* Satanas enim, qui prius per se Iesum tentauerat, nunc eundem per suos ministros & organa persequens, occupat cor Iudæ Iscariotæ, qui fuit vnus è duodecim illis selectis quos Apostolos nominarat. Singula verba perpendamus. ¶ *Intrauit satanas.* Satanas intrare modo dicitur, non quod antea non esset in peccato, nã fur erat & loculos habebat, vt Ioan. ai cap. 12. item idem ait cap. 13. cum iam diabolus misisset in cor vt traderet eũ Iudas. Dicitur tamen modo intrare, vt Augustinus est autor, immittendo in cor eius cogitationem qua traderet Christum pecuniæ comparandæ studio. Et tandem intrauit idem satanas post acceptam buccellam panis à domino, vt idem Ioannes refert, non ad hoc vt alienum tentaret, sed vt proprium plenius possideret. Lege eundem Augustinum libro. 2. de gene. contra Manichæum capi 14. vbi docet quo nam modo princeps potestatis aeris huius operatur in filijs diffidentiæ. Nũquid (inquit Augustinus) visibiliter eis apparet, aut quasi corporeis locis accedit ad eos, in quibus operatur? Non vtique. Sed miris modis per cogitationes suggerit quicquid potest. Quibus suggestionibus resistunt qui verè dicunt, quod item dicit Apostolus. Non enim ignoramus astutias eius. Quomodo enim accessit ad Iudam quãdo ei persuasit vt dominum traderet? Nũquid in locis, aut per hos oculos ei visus est? Sed vtique, vt dictum est, intrauit in eum. Repellit autem illum homo si paradisum custodiat. Vnde notat Augustinus quod sicut diabolus per Euã decepit Adã sic diabolus per carnis affectus decepit rationem cuius figura fuit Adam. Nõ enim ratio nostra deduci ad consensionem peccati potest, nisi cum delectatio mota fuerit in illa parte animi, quę debet obtemperare rationi tanquam rectori viro. Etiam nunc in vnoquoque nostrum, nihil aliud agitur,

Ioan. 12. & 13.

Tract. 62 in Ioan. cap 13.

Intrare diabolũ in cor nostrũ quid significat. August.

2. Cor. 2.

agitur, cum ad peccatum quisque delabitur, quàm tunc actum est in illis tribus: serpente, muliere, & viro. Nam primo fit suggestio siue per cogitationem, siue per sensus corporis; vel videndo, vel tangendo, vel audiendo, vel gustando, vel olfaciendo. Quæ suggestio, cū facta fuerit, si cupiditas nostra nō moueatur ad peccandum, excludetur serpentis astutia, si autem mota fuerit, quasi mulieri iam persuasum erit. Sed aliquando ratio viriliter etiam cō motam cupiditatem refrænat. Quod cū fit, non labimur in peccatum, sed cum aliquanta luctatione coronamur. Si autem ratio consentiat, & quod libido commouerit faciendum esse decernat, ab omni vita beata tanquam de paradiso expellitur homo. Iam enim peccatum imputatur, etiam si nō subsequatur factum, quoniam rea tenetur in consensione conscientia. Hæc Augustinus. D. Chrysosto. in acta Apost. cap. 28. ostendit non esse diabolum semper in nobis causam peccati. Multi enim absque illo pereunt. Si autem alicubi ipse autor, nos initium adhibemus. Dic enim oro cur diabolus tātum valuit in Iuda? Quia ingressus est, inquit, in illum satanas. Sed audi causam. Quia fur erat & quæ mittebantur portabat. Quare nō diabolus initium imponit: at nos illum suscipimus & vocamus. Intrare igitur diabolū nihil aliud est quam suggestionem immittere. De his suggestionibus Dauid ait Psa. 77. Immissiones per angelos malos. Obdurationes enim AEgyptiorum operationes fuerunt malorum angelorum: quorū munus est instigare ad obstinatum animum.

Chrys. | Psal. 77. | Caie.

¶ *Qui cognominabatur Iscariotes.* Addit hoc, quia erat alius Iudas cognominatus Thadæus Christi domini cognatus. Hinc est quod in canone missæ ponitur Thadæus. Ne quis suspicaretur si Iudas poneretur, esse hunc traditorem. Et hac eadem ratione ponitur in hoc loco cognomen huius proditoris.

¶ *Vnum de duodecim.* Vnde Ioã. cap. 6. idem dominus ait: Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus vestrum diabolus est? Dicebat autem de Iuda Simonis Iscariotæ: hic enim erat, qui traditurus erat eum, cum esset vnus è duodecim. Quid igitur miramur si aliquem à Christo deficere videmus. Nonne Christus dominus duodecim discipulos vt eximios ex omnibus elegit: & tamen è tam paucis & singulariter delectis vnus diabolus fuit: qui prodidit eum, cuius corpus ederit, & sanguinem biberit, cuius audierit sermonem, cuius miracula conspexerit. Qui stat ergo videat ne cadat. Precemur dominum vt non deficiamus nec deuiemus à recta via, & vt semper ad meliora proficiētes perseueremus, donec digni efficiamur vt in illum transformati vitam æternam consequamur.

Ioan. 6.

¶ *Et locutus est cum principibus.* Vel sermones contulit, aut collocutus est, &c.

¶ *Et magistratibus.* Vel præfectis. Videtur autem eos intelligere militum præfectos, qui templum tuebantur. Habebant enim sacerdotes armatam manum sed nō in hoc datum sed vt templum tuerentur. Vt statim patebit. Nam noster Euāgelista ait cum comprehenderetur dominus: dixit autem ad eos qui venerant ad se, sacerdotes & magistratus templi, &c.

¶ *Et gauisi sunt & pacti sunt pecuniam illi dare. Et spopondit.* Gauisi sunt sacerdotes & præfecti exercitus templi oblatū histrionem, qui huius rei primas ageret partes. Placuit Iudę consilium, conuenit de precio, quod ille sané mediocre postulauit, ne res non responderet prophetiæ. Illi polliciti sunt pecuniam, hic operam. Constituerūt ei (inquit Matthæus) triginta argenteos. O iniquam cōmutationem, ó crudelissimum factum: ó auaritiæ pestē inauditam. O impie proditor, nunquid male sentiebas de domino? Nunquid ab eo aliquando fueras offensus? Nunquid causam aliquam habebas cur illi malé velles? Minime profectó: sed auaritiæ pestiferum venenum occupauit cor tuū vt tam vili precio, é libero faceres seruum, é domino captiuum & vile mancipium. Ecce iam verus Ioseph vēditus á fratribus pro tam vili precio vt posiit veré dici quod Amos ait: Eò quod vendidistis pauperem pro calciamento, idest, adeo exiguo precio vt vix inde calciamenta cōparare possitis. Maxima cæcitas fratrum fuit pro tā exiguo lucro tantum facinus perpetrare: sed

Gen. 37. | Amos. 2.

sed multo insignior fuit Iudę cęcitas, multo maior iniquitas pro tam vili precio dominum, magistrum, regem, beneficum Deum denique in manus non extraneorum solum, sed inimicorum, sed hostium immanissimorum tradere occidendum. Congruè autem Ioseph, quia tantum homo erat, corpus & animam habens, pro viginti, idest, bis decem argenteis venditus est, Christus autem qui præter corpus & animam, etiam Deus erat, triginta, idest, terdecem argenteis venditus fuit. Quod si sequamur septuaginta interpretes dicentes: Ioseph viginti aureis vēditum fuisse: non est quare miretur D. Hieronymus in Matth. cap. 26. dicens: Ioseph non, vt multi putant iuxta septuaginta interpretes, viginti aureis venditus est. sed iuxta Hebraicam veritatem, viginti argenteis, neque enim preciosior poterat esse seruus quàm dominus. Non, inquam, est ò Hieronyme sancte quare de hoc mireris: nam reuera vilior, & abiectior esse voluit dominus omnibus seruis suis: quare non mirum, vt seruus Ioseph preciosior haberetur quam Dominus omniū qui exinanire voluit semetipsum, atque omnibus hominibus cōtemptibilior em haberi. ¶ Interim aduerte quod non accepit traditor iste modo pecuniam sed modo pollicita est illi, post traditionem verò fuit collata.

D. Hiero. in Matth.

¶ *Et querebat opportunitatem, vt traderet illum sine turbis.* Vtinam qui bona agunt sic opportunū ad hoc tempus quærerent, quemadmodum peccatores. Sic Cain Gene. 4. vt occideret fratrem expectauit vt ambo essent in agro. Oculus adulteri (ait Iob) obseruat caliginem. Norunt ergo peccatores suam opportunitatē malis operibus quærere, quam boni vix ad bona opera curant. Hinc etiam fuit vt vxor Putipharis expectarit vt nō esset quisquam ex viris domus, domi, vt Ioseph ad adulterium incitaret. Gen. 39. Ecce Iudas quærens occasionem, qua quod Iudæi volebāt, traderet illis Iesum semotum à turba, ne quid à fautoribus oriretur tumultus. Nouerat enim ille omnes Domini secessus.

Gen. 4.

Iob. 24.

Gen. 39.

¶ *Venit autem dies azimorum, in qua necesse erat occidi pascha.* Vel ex hoc vno testimonio satis colligi potest dominum Iesum non immolasse agnum, quem Iudæi à transitu, vt dixi, vocant phase, luna decima tertia: præueniendo diem, qua iudæi agnum occidebāt: confecisse eucharistiæ sacramentum in pane fermentato, sed in azimo. Ecce noster Lucas ait venit autem dies azimorum, in qua necesse erat occidi pascha. Præterea si hanc diem Christus dominus præuenisset sine aliqua dubitatione iudæi apud tribunal Pilati hoc crimen illi intenderent & obijcerent. Quod scilicet cunctis videntibus legem Domini frāgere ausus fuisset. Cum ipse dicat in Exodo quod decimaquarta luna ad vesperam & non decimatertia agnus occidatur & manducetur. Adde his, quod maximo offendiculo Christus dominus esset discipulis videntibus, quod celebraret alio die pascha quam celebrabant iudæi. Quam rationem confirmare possumus ex eo quod Apostoli bono animo & simplici accessisse videtur Christum & interrogasse aduenīēte iam die azimorum: vbi bis paremus tibi comedere pascha? Ergo tunc erat iam decimaquarta luna, hoc est, feria quinta hebdomadæ sanctæ: & non decima tertia, hoc est, feria quarta. Tandem si dominus diem præuenisset azimorum, ansam præberet offendiculi, hospiti: ad quem misit discipulos suos vt præberet illis cœnaculū vbi paschalem agnum comēderet cū suis. Dicere siquidem poterat, se mirari quod ante tempus agnum comedere tentasset, cōtra legem Dei, ac morem iudæorum: neque acquiescere iussis. ¶ Sed ais, Ioannes Euangelista cap. 13. ait: Ante diem festū paschæ sciens Iesus quia venit hora eius, &c. & cœna facta, &c. Non ergo decimaquarta luna, hoc est, feria quinta sed ante illā, hoc est, feria quarta, cœnauit dominus: & confecit diuinum illud sacramentum eucharistiæ. Pro huius explicatione animaduertendum est apud iudæos festum inchoare à vespera præcedētis diei vsque ad vesperam sequentis. Itaque non solum decimaquinta, sed etiam decimaquarta luna, erat festū ad vesperam. Ioannes ergo Euāgelista in prædictis verbis accepit festum paschæ, pro eo quod decimaquinta luna celebrabatur. Feria enim sexta erat principale

Non luna 13. sed luna 14. comedit Christus agnum paschalem.

Exo. 12.

Primū argumentū.

Respondetur

pale festum. Ante hanc ergo feriam, hoc est, feria quinta ad vesperam, sciens Iesus quia venit hora eius vt transiret de hoc mundo ad patrem, & comedit agnum, & lauit pedes suorum discipulorum & confecit in azimis sacramentum. ¶ Secundo argues ex illo testimonio eiusdem Ioannes cap. 18. dicentis. Adducūt ergo Iesum à Caipha in prætorium. Erat autem manè: & ipsi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarēt pascha. Nondum ergo ab illis comestus erat agnus paschalis. Quando igitur mortuus est Christus erat luna decimaquarta, quando pascha ad vesperam comedebatur: ex quo fit vt decimatertia luna & comederit agnum Christus & confecerit sacramentū infermentato & non in azimo. Communis solutio huius argumenti esse solet, pascha; in hoc Ioānis testimonio nō pro agno, sed pro azimis vsurpari: noluerunt ergo ingredi prætorium, ne contaminarentur, propterea quod comedendus esset panis azimus, ad cuius esum puri volebant accedere. Quæ tamen solutio non omnino placet: tum quod in lege Moysi non habetur quod immundus prohiberetur ab esu azimorum: tum etiam quia si quis illis septem diebus immundus redderetur, fame periret: cum panes fermentati non essent; nec illi licebat secūdum istorum sententiam de azimis edere. Nec etiā sententia Burgēsis placet, fingentis, quod licet Christus dominus confecerit & agnum paschalem comederit luna decima quarta, & mortuus fuerit luna decima quinta: tamen Iudæi non comederūt pascha nisi feria sexta. s. luna decimaquinta ad vesperum: transferentes festum paschę in Sabbatum ratione Sabbati. Nam quando luna decimaquarta occurrebat feria quinta: & luna decimaquinta, feria sexta, pascha transferebant in Sabbatum. Et sic dominus Iesus festi huius obseruantiam preuenit. Hæc inquam sententia minime placet: nam si Iudæi hunc morem seruassent apertissime in legem peccarent, cum illa absolute dicat: quod decimaquarta luna ad vesperum pascha comedatur. Quare primo huic obiectioni respondendum est, quod tam Christus quam populus Iudæorum debito tempore atque solito agnum manducauerunt: at primores Iudæorum circa mortem Christi occupati: atq; circa multa alia ad eius captionem pertinentia, non manducauerunt pascha luna decimaquarta ad vesperum, sed seruarunt eius esum, ad lunam decimāquintā. Vnde quamuis à principio dicebant: non in die festo ne forte tumultus fieret in populo, tamen postea videntes & temporis & loci opportunitatem: & oblatam occasionem, inuidia, odio, & liuore obcœcati omnia posposuerunt, dum modo Iesum comprehenderent. Secundo responderi potest. Quod in eo loco Ioānis nomen pascha, sumitur pro animalium sacrificijs toto tempore paschæ oblatis. Nam in scriptura sacra etiam pascha in hac significatione sumitur. Vnde 2. libro Paralip. cap. 35. sacra narrat historia regem Iosiam magnū pascha, ac celeberrimè phase celebrasse. Vbi per phase omnis victima paschalis intelligēda est. Vnde ibi dicitur inter alia Dedit præterea Iosias omni populo qui fuerat inuentus in solennitate phase, siue vt alia editio habet, ad phase, hoc est, ad victimas paschales, agnos & hœdos de gregibus, & reliqui pecoris triginta millia, boum quoquè tria millia. Atque adhunc modū respondet D. Chrysost. ho. 82. in Ioan. Quid (inquit) significat non tamen ingrediuntur prætorium ne cōtaminarentur, vt mā ducarent pascha? At qui Iesus iam fecerat vna die azimorum: siue ergo totū pascha appellat solennitatem, siue quod tunc faciebant. Christus autem pridie eadem suam in parasceue reseruans, quando antiquitus celebratū erat, ipse autem armati, quod non licebat, fundentes sanguinē, locum canent, Pilatum aduocant. Quod verò Christus agnū comederit eo die quo omnes Iudæi solebant colligi etiam potest ex his quæ idem Chrysosto. ait hō. 82. et cap. 26. diui Matthæi. Et Origenes ho. 35. in eūdem. ¶ Tertio quis obijciet. Exo. cap. 12. & Leuiti. 23. scribitur quod luna decimaquinta esset celeberrima: in qua nullum opus seruile erat faciēdum: sed in die mortis Christi mulieres aromata parauerunt, quod noster Lucas narrat cap. 23. in fine: non ergo illa parauerunt luna decima

2. argumētum.

Burgen in c. 26. Mat.

2. Para 35.

Chrysost.

Chrysost. Origenes Exod 12. Leui. 23.

Luc. 23.

cimaquinta ex quo fit vt Christus Dñs nõ luna decimaquinta sed potius luna decimaquarta mortuus fuerit. Ad hoc respondendum est non tam strictè reliqua alia festa quantúcunq; celeberrima à Iudęis seruari sicut Sabbatum. Quare non à seruilibus abstinebant eadem ceremonia, quemadmodũ Sabbatis. Hinc est quod quando in lege præcipitur & fit mentio de hoc festo celebri dicitur dies prima erit sancta atq; solénis, & dies septima eadẽ festiuitate venerabilis: nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendũ pertinent: quod tamen minime licebat in Sabbato. Vnde Leui. 23. dicitur: Sex dieb9 facietis opus: dies septimus quia Sabbati requies est, vocabitur sanctus, omne opus nõ facietis in eo. Quare sicut in alijs festiuitatibus licebat parare cibos sic etiã licebat & mortuos sepelire, & aromata parare quod tamen nõ licebat in Sabbato. ¶ Tandẽ si argues quod in die mortis Christi Iudæi Simonẽ qui de villa venerat angariauerunt vt tolleret crucem Dñi homo tamen Iudæus neq; de villa veniret nec illũ angariarent in die tam celebri paschæ nõ ergo Christus est passus in illa die, hoc est, luna decimaquinta hæc tamen argumentatio responsione non eget: cum angariare græcè idem sit quod latinè adigere, compellere, vel trahere aliquem ad aliquid: coactus ergo est Simon vt tolleret crucem Iesu.

Responsio

Exo. 12.

Leu. 23.

¶ Verum siue Christus dñs in ipso die paschæ manducauerit pascha, siue ante diem festũ paschæ (vt Græci volunt) hoc tamen negare non possunt Christum manducasse pascha, ipsumque agnum paschalẽ qui sæpius pascha dicitur. Sic enim dicũt ipsi discipuli vbi vis paremus tibi pascha: sic ipse Dominus: magister apud te vult manducare pascha: & desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum: quod si ita est, pascha iuxta legem Dei Exod. capite duodecimo. Deuterono. capite decimosexto, Absque azimis non comedebatur: ergo & Christus dominus cum manducaret pascha azimis secundum legem Dei vescebatur. Hoc ita fuisse docet Chrysostomus cuius illa verba supra Matthæum sunt. Dominus demonstrauit quod à principio circuncisionis suæ, vsq; ad diem paschæ extremum, non erat contrarius diuinæ legi. Huius autem ceremoniæ, pulcherrimæ ac verissimæ sunt consecutæ conuenientiæ, partim vt designetur corpus illud & sanguinem sine vlla peccati aut virilis seminis commistione conceptum: taleque à Domino susceptum esse, partim vt illi instruantur qui ad eam mensam accedunt, vt & ipsi cum omni puritate mentis & corporis, purgati ab omni vetustate & corruptione peccati, Non in fermento veteri neque in fermẽto malitiæ, sed in azimis sinceritatis & veritatis, eius carnem manducent & eius bibant sanguinem: partim etiam vt ostendatur cibum hunc viæ & peregrinationis non patriæ esse qualis ille panis azimus fuit. Lege Stanislaum in censura orientalis ecclesiæ cap. 10.

Exo. 12.
Deu. 16.

A

B

¶ *Necesse erat occidi pascha*. Multa in sacra scriptura dicuntur necessaria secundum legis præscriptum. Oportet (inquit Paulus) Episcopum sine crimine esse. Pudicum, sobrium, non vinolentum. Oportet nos semper orare, & non deficere. Necesse erat occidi pascha. Oportet nos nasci denuo. Accedentem ad Deum oportet credere. Vos oportebat primũ loqui. Paulo in nocte apparuit Iesus, dicens: Sicut testificatus es de me in Hierusalem, sic te oportet & Romæ testificari. In huiusmodi scripturis per verbum, oportet, & per verbum necesse, significatur non absoluta necessitas rerum, aut euentuum, sed legis aut iustitiæ debitum, quo quis sic necessitate constringitur, vt hæc faciat, si velit seruare iustitiam. Vitare peccatum, & euadere iustitiæ reatum. Ait ergo noster Lucas quod iam aderat ille dies Iudæis sacerrimus, in quo iuxta legis præscriptum necesse erat occidi agnum. Quem Iudæi, à transitu, vocabant phase. Verum autem phase erat Dñs Iesus agnus ille purissimus, iuxta patris æternum consilium immolandus pro salute hominum. Iesus igitur quo penitus infigeret animis suorum mortis suæ memoriam, doceretq; se præsciũ ac volentẽ hæc omnia perpeti voluit in extrema cœna, quam cum illis erat acturus mysticis signis hoc apud eos repre-

Oportet & necesse quid in sacra scriptura.
Ad Tit. 1.
Supra. 18.
Ioan. 3. a
Heb 11. b
Act. 13. 8
& 23. c

C

D

sentare, quod postridie. Peracturꝰ esset in cruce, non ignarus quam essent sua morte perturbãdi. Occupat igitur tempus, dum adhuc illorum animi monitorum essent capaces. Hoc negocium dat duobus Apostolis præcipue dilectis, Petro & Ioanni.

¶ *Ite euntes* (inquit) *parate vobis pascha, vt manducemus. At illi dixerunt vbi vis paremus?* Quoniam dominus nõ habebat proprium aut certum domicilium, quum esset conditor, ac Dominus vniuersorum: rogant discipuli, vbi nam sibi vellet adornari cœnam paschalem. Erant autem vsq; adeo hospites ac peregrini discipuli in ciuitate vt vix domum aliquam certo cognitam haberent. Tales enim oportet esse veros Christi discipulos in hoc mundo. Vnde Petrus Apostolorum princeps in sua 1. canonica ait: Obsecro vos tãquã aduenas & peregrinos. Sed de hoc inferius dicemus. c. 24.

1. Pet. 2.

¶ *Et dixit eis: ecce introeuntibus vobis in ciuitatem occurret vobis homo amphoram aquæ portans sequimini eum in domum in quam intrat. Et dicetis patrifamilias domus: dicit tibi magister vbi est diuersoriũ vbi pascha cum discipulis meis manducẽ. Et ipse ostendet cœnaculum magnum stratum: & ibi parate.* Illud in hoc loco imprimis considera. Ignotus hospes est, qui præbet cœnaculũ: & aquæ baiulus dux est ad hanc domũ, in qua Christus celebrat pascha Per baptismum enim & sacrã doctrinã ingressus est in ecclesiã purgat aqua viua sermonis euangelici, purgat & aqua sacramẽti. O aqua (inquit Ambro.) quæ humano aspersum sanguine, vt præsentiũ lauacrorũ figura præcederet, orbẽ terrarum lauisti. O aqua quæ sacramentũ Christi esse meruisti, quæ lauas omnia, nec lauaris. Tu incipis prima, tu comples perfecta mysteriã. A te principiũ, in te finis: vel potius tu facis, vt finẽ nesciamus. Per te fœtor tabidæ carnis aboletur, & pereuntia situ viscera asperso sale in multã seruantur ætatẽ. Per te arentibus æstu corporibꝰ, dulcis ad gratiã, salutaris ad vitã, suauis ad voluptatẽ potꝰ infunditur. Tu nomẽ prophetis & Apostolis, tu nomẽ Saluatori dedisti. Illi nubes cœli, illi sal mũdi, ille fons vitæ est. Quæ motibus pressa, non clauderis: quæ scopulis illisa, nõ frãgeris: quæ terris infusa, nõ deficis: sed intimis scatuciens venis, aut spiritũ inclusa vitalẽ inhalas, aut succũ diffusa fertilẽ præstas, aut rigatũ super fusa ad cõmodũ subministras, ne siccatis exanimata vitalibus solennes neget terra prouẽtus. Omniũ elementorũ substantia, cœlũ, aer, mare, & terra te reddũt. Te prophetico percussa tactu, vt sitientiũ rigares corda populorũ vomuit petra: te, cũ de latere Saluatoris erũperes, percussores viderũt, & crediderũt: & ideo regenerationis nostræ de tribus vna es testibꝰ. Tres enim testes sunt, aqua, sanguis, & spiritus. Aqua ad lauacrũ, sanguis ad preciũ, spiritꝰ ad resurrectionẽ. Hæc Ambros. Paterfamilias hic nõ habet nomẽ, quoniã vbiq; Christi est ecclesia: primũ ex obscuris initijs exorta, sed in dies latius se diffundẽs in vniuersum mũdũ. Quoniã autẽ principiũ omnis salutis est fides, credunt Dño, & obtẽperãt discipuli. Abeunt in ciuitatẽ *et inuenerũt sicut dixit illis* reperierunt enim baiulũ hydriæ, sequũtur præeuntẽ, referũt patri familias, quæ iussi fuerãt. Ille agnouit præceptoris titulum, sicuti Dñi vocabulũ agnouerat Dñs asinæ & pulli, Dicentibus Apostolis: Dñs his opus habet. Et statim hospes iste commonstrauit Apostolis cœnaculum ingens. Amplum enim sit oportet quod omnium orbis nationum sit capax. Nam Iudæorũ synagoga angusta est. Et procul à terrenis submoti debent esse, qui volunt vesci cibo cœlesti. Hic igitur discipuli cœnam parant, nimirũ pastorũ fungentes officio quorũ est cœnam cœlestem parare populo. ¶ Interim tamen obserua, quod quantum ex coniecturis colligere licet non fuisse patremfamilias istũ, hominem vilem, & pauperem, & abiectum, vt Ambrosio visum est: sed diuitem & nobilem. Quod dicat in hoc loco Dominus: ipse ostendet vobis cœnaculum grãde stratum. Adde his: quod postea Spiritus sanctus descẽdit super multitudinem discipulorum in hoc eodem cœnaculo. Signum ergo est Dominum huius domus non pauperem & humilem sed hominem diuitem & non ignobilem fuisse, ¶ Præterea nota, non misisse Christum ad hominem ignotum: sed ad hominem sibi notum:

Baptismi & doctrinæ virtus quinta. Ambro.

Num. 20.

Ioan. 19.

1 Ioan. 5.

notum: quē suo nomine vocauit: quamuis Euangelista nomen tacuerit: ait enim D. Matth. dixisse Christū discipulis: ite in ciuitatē ad quendā. τὸν δεῖνα significat certū quendā, quē tunc nominauit Christus: Euangelista autē nō nominat. Quod nos Hispanè dicere solemos narrando historiam aliquam, y d á fulano. Libuit hæc in hoc loco repetere nam aliqui existimant eū non fuisse à Christo nominatū. ¶ Cæterum hospitalitatem sectemur exēplo huius patris familias, libenter Dñm in domū suam recipientis. Aperiamus Dño domū cordis nostri libenter: en ipse stat ad ostiū & pulsat: si illi aperiamus, intrabit & cœnabit nobiscum.

Matth. 26.

¶ *Et cum facta esset hora discubuit.* i. cū iam aduentasset vespera, quæ erat tempus cœnandi agnum venit cū Iesus & accubuit. Vnde hanc horam volens Matthæus explanare ait: vespere autem facto, discūbebat cum duodecim discipulis suis. Vnde qui ceremoniam horæ à lege constitutæ & signatæ seruauit, certum etiam est, quod seruauerit diem, hoc est, lunam decimam quartam.

Matth. 26.

¶ *Discubuit, & duodecim Apostoli cū eo.* Cum duodecim selectis discipulis solū voluit Dñs accumbere, quod cæteri nōdum essent capaces tam retrusi mysterij, quod post per Apostolos suos communicare voluit, his, qui iam essent euangelij sacramētis initiati. Discamus hinc nos seligere viros quibus cum cōuiuamus. Vnde Eccle. c. 10. dicitur: Viri iusti sint tibi cōuiuæ: & in timore Dei gloriatio. Quod faciebat ille qui dicebat: oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum: ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat.

Eccle. 10.

Psal. 100.

¶ *Et ait illis: desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum.* Hebraismus hic est. Ac si diceret: ex animo & summo cū desiderio desideraui vt hunc agnū paschalē vobiscū comederem ante mortem meam cuius tempus adesse gaudeo, quia sitio salutem hominum. His verbis voluit Dominus infigere animis suorum, se nulla necessitate, sed amore redimēdi genus humanum, passurum crucis supplicium.

¶ *Dico enim vobis: quia ex hoc nō manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.* Heb. i. post hac non manducauerim, nec vtiquam ederim vltra ex eo, donec agnoscatis impletum esse, quod figurat hæc immolatio, & esus agni. Quod fiet cum post resurrectionem accepero regnum à Deo. Hic agnus qui quotanis mactatur solenniter à Iudæis, typum habuit mortis meæ. Nunc adest veritas, & cessabit vmbra: post hac spirituale & efficax phase mihi celebrabitis cuius esus vos reddet immortales. Vnde Leui. 26. dicitur: Nouis superuenientibus vetera proijcietis. Et 2. Cori. 5. si qua in Christo noua est creatura vetera transierūt. Et ecce omnia noua facta sunt. Apo. 21. dixit: qui sedebat in throno, ecce noua facio omnia.

Vatablus

Leui. 26.
2. Cor. 5.
Apo. 21.

¶ *Et accepto calice gratias egit & dixit: accipite & diuidite inter vos. Dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis donec regnum Dei veniat.* Ac si diceret: illud affirmo vobis, nequaquam biberim de fructu vitis iuxta carnis necessitatem, donec post resurrectionem accepero regnum à patre meo. Hæc omnia quæ lex habuit carnalia, spiritualiter exhibebuntur. Hactenus figurarū legis est finis. ¶ Cæterū quomodo soleat accipi in sacra scriptura, particula, donec, lege si libet in commentarijs nostris apud Matthæ. c. 1. in illa verba donec peperit filiū suum primogenitum.

¶ *Hic est calix nouum testamentum.* Ac si diceret: hic cōstituta est causa, & virtus, & ratio implēdi quæ in nouo testamento præcepta sunt, & obtinendi quæ promissa sunt: hic est finis & cōsumatio legis, hic est plenitudo gratię & veritatis, hic est mysteriū fidei, firmamentū spei, testimoniū dilectionis meæ, testimoniū obediētiæ vestræ, pignus hæreditatis vestræ. Nouū enim testamentū est in meo sanguine cōfirmatum: nulloq; ritu deinceps mutādū, vt sit legitimū sempiternū. Hic calix amatoriū poculū est, qd nobis cōfecit arte quā ipse nouit. Cū hoc sanguine fusō amorē suū effudit, cū hoc infuso amorē suū infundit, lauans nos à peccatis nostris in sanguine suo. Sic enim necesse erat nobis. Sanguine fœdatos, sanguine oportuit emundari. Libera me, inquit Propheta, de sanguine. Et in Ezech. ad Hierusalē dicitur: Trāsiēs per te, vidi te cōculcari in sanguine tuo, dixi tibi: viue.

Quod Christus in calice suo poculum nobis amatoriū propinauit.

Balduinus

¶*Et accepto calice gratias egit.* Lucas in hoc loco de calice dato discipulis bis commemorat, semel antequã discipulis panẽ daret, & antequã acciperet panẽ & gratias ageret. Deniq; postquã accepit panem & gratias ageret, &c. addit similiter & calicẽ postquam cœnauit dicens, &c. Ex hoc (inquit Augus.) intelligendum bis sumpsisse calicem: primum non consecratum, vt finiret veteris paschæ calicem: postea autẽ nouę paschæ calicem instituendo.

Mysteriũ sacramẽti Eucharistiæ ostenditur ad longum.

¶*Hoc est corpus meum.* Hæc Christus: hęc ipsa veritas. Nõ potest mẽtiri veritas. Verbũ Dñi manet in æternũ. Nos ergo captiuemus intellectũ in obsequiũ Christi, qui dicit: hoc est corpus meũ. Et, panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Vide quid dicat Damascenus. Nõ est figura panis & vini, corporis & sanguinis Christi. Absit hoc. Sed est ipsum corpus dñi Deificatũ, ipso dño dicẽte: hoc est corpus meũ: nõ figura corporis, sed corpus, non figura sanguinis, sed sanguis. Hæc ille. Idem Cyprianus martyr indicat in sermone de cœna Dñi dicens: Panem angelorũ sub sacramento mãducamus in terris, eundem sine sacramentis manifestius edemus in cœlis. Explicans Augu. illã Psalmi inscriptionẽ: Psalmus Dauid, cũ mutaret vultũ corã Abimelech, & dimisit eũ, & abijt: ac locũ illũ ex libris Regũ iuxta editionẽ 70. interpretũ pertractans, ferebatur in manibus suis: hoc verò fratres (inquit) quomodo posset fieri in hõe, quis intelliget? Quis enim portatur in manibus suis? Manibus aliorũ portari potest homo, suis manibus nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso Dauide secũdũ literã, nõ inuenimus: in Christo autẽ inuenimus. Ferebatur.n. Christus in manibus suis, quãdo commendãs ipsum corpus suũ aiebat, Hoc est corpus meũ. Ferebat.n. illud corpus in manibus suis: seipsum itaq; ferebat Christus in manibus suis. Hæc Augus. In Psal. 71. qui de Christi tẽpore nõ solũ iuxta christianorũ, sed etiã iuxta Hebræorũ sentẽtiã explanatur, sunt hæc verba. Erit firmamentũ in terra in sũmis mõtiũ. Vbi D. Hiero. pro firmamento vertit memorabile triticum. Et Reuclinus ait vocabulũ hoc Hebraicã significare placentulã frumẽti. Et R. Rimhi ait esse massã frumẽti. In Hebraico est pissathbar, hoc est, particula, seu placẽta frumẽti: dictio.n. bar, frumentũ significat absq; cõtrouersia. Significat etiã filiũ & puritatẽ. Vnde id quod est in Psal. apprehendite disciplinã, verti potest: apprehendite siue osculamini filiũ, siue puritatẽ. Ac si dicat: amplectimini, & summè diligite Messiã, qui est filius Dei, & ipsa puritas. Potest etiã verti: seruite frumento, hoc est, Christo, qui est panis vitę. Vnde verba illa, erit firmamentũ in terra, in sũmis montiũ: possunt rectè verti ex Hebræo: erit placenta tritici in terra in capitibus montiũ. Targũ habet: erit panis cõfortans in terra. Paulus Episcopus Burgensis citat quandam paraphrasin Chaldaicã, quæ ita habet: erit placenta tritici in capitibus sacerdotũ. Quæ interpretatio est absq; dubio admirabilis, est.n. sanctissimi sacramenti altaris diuina vaticinatio, in quo sub specie placentulæ tritici, sub specie panis & massæ triticeæ coctæ præsens nobis adest Christus, verus Deus, & verus homo. Rectè quidem iuxta Hieronymi versionẽ memorabile triticũ hoc sacramentũ appellatur, cũ sit panis viuus, & diuinũ mãna, de quo ait Christus: qui manducat meã carnẽ, & bibit meum sanguinẽ habet vitã æternam. Et verè ait Targũ esse panẽ confortantẽ, cũ de illo dicat D. Pau. omnia possum, in eo qui me cõfortat. Et verè ait paraphrastes Chaldæus, esse hanc diuinã placentulã in capitibus sacerdotũ, quoniam super eorũ capita hostia cõsecrata eleuatur, vt populo in missæ sacrificio ostẽdatur adoranda. Et R. Achilas transfert locum illum Psalmistæ in hunc modum: erit panis substantialis in terra in capitibus montium. Et R. Ionathas: erit sacrificium panis in terra in capite montium. Quæ omnia diuino sacramẽto accommodantur. Hic est panis diuinus, hic est cibus cœlestis, hoc est pignus æternæ nostræ beatitudinis, & summæ fœlicitatis. Cum Deus sit summè bonus, & eam ob causam summè communicatiuus, & sui diffusiuus decebat se nobis summè cõmunicare. Quę maior poterat esse cõmunicatio, quàm post discessum suum, post ascensum in cœlum, manere nobiscũ in sancto Eucharistiæ sacramento? Non passus est

Damasce.

Cyprianus

Augus. Ps. 33.

1. Reg. 21.

Psal. 21.

Nota Hiero. Reuclinus. Rimhi.

Psal. 2.

Targum Burgensis.

Ioan. 6.

Phili. 4.

Achilas.

Ionathas

fius amor, vt à nobis corporaliter discede ret: quin nobiscum sacramentaliter mane ret: vt eum videremus sub speciebus pa nis & vini, vt eum coleremus & manduca remus, vt in ipso maneremus, & ipse in no bis. Ipse enim ait: qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Hunc diuinum cibũ, hunc panem cœlestem reiecerunt nostri temporis hæretici siliquis porcorum seip sos pascentes, sed illos tanquam impios o mittamus. Et ad nostros redeamus inter quos vnus sese offert Ezechiel qui in spiri tu prævidens hoc singulare sacrificium di cebat: & faciet sacrificium super eo cata mané mané, sextam partẽ Ephi, & de oleo tertiam partem hin, vt misceatur simile, sa crificium Domino legitimum. Loquitur Propheta ad literam de sacrificio quodam quod erat quotidie non vesperè sed manè faciendum: illudq; appellat statim agnũ immaculatum: dicens faciet agnum & sa crificium, & oleum cata mané mane: & postea faciendum esse ait ex simila, quæ est farina tritici purissima. Ego existimo diuinum vatem respexisse hoc loco ad san ctũ Eucharistiæ sacramentũ, quod futurũ prævidebat in ecclesia. Et quia in eo Chri stus realiter cõtinetur appellat illud agnũ immaculatũ. de quo dixerat Esai. Oblatus est, quia ipse voluit & nõ aperuit os suũ. si cut ouis ad occisionem ductus est, & quasi agnus corã tondente se obmutescet. Et D. Ioã. Baptista. Ecce agnus Dei: ecce qui tol lit peccata mundi. & D. Ioan. Euangelista in Apo. Et vidi: & ecce in medio throni & quatuor animaliũ, & in medio seniorũ ag nũ stantẽ tanquã occisum, habentem cor nua septẽ, & oculos septẽ, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnẽ terram. Et quo niã materia huius sacramenti est panis, ait esse ex simila conficiendũ. Et quoniã san ctũ missæ sacrificiũ manè celebratur non vespere ait: semper esse mane faciendum. Agnus paschalis & mãna fuerunt duæ hu ius altissimi sacramenti figuræ, de quibus in proposito loco Ezechiel mẽtionẽ agit alludens per agnũ immaculatũ ad agnum paschalẽ, & per similam ad manna. Huic interpretationi fauet versio Hieronymi commentarijs adiecta, quę ita habet: & sa crificium siue manna faciet super eo ma ne. Verbum hoc manna addidit D. Hiero. Meo quidem iudicio ex symmachi editio ne, quæ quidem hoc loco mirabilis est: & mysteriũ redemptionis humanę per Chri stũ Iesum, qui in hostia consecrata cõtine tur, mirabiliter explanat. Erat quidẽ man na panis ille: de quo Dauid canit: Pluit il lis manna ad manducandũ panẽ cœli de dit eis, panẽ angelorũ manducauit homo. Cœlestis autẽ panis quẽ nos mãducamus Christus est, de seipsũ dicenti: Ego sum pa nis viuus, qui de cœlo descendi: si quis mã ducauerit ex hoc pane, viuet in æternũ. & panis quẽ ego dabo, caro mea est pro mũ di vita. Solitus est Deus nos ijs rebus à per nicie liberare, quibus incidimus in perni ciem. A ligno scientiæ boni & mali ortum est peccatum, & a ligno crucis gratiæ resti tutio: vt qui in ligno vincebat; in ligno quoq; vinceretur. Aquis diluuij mundus perijt, aquis baptismi instauratus fuit di cẽte Dño: nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto nõ potest intrare in reg num Dei. Somnijs fuit Ioseph venditus & abiectus, somnijs fuit in excelsa dignitate cõstitutus. Per cibum ingressa est mors di cente Dño. quocũq; die comederis ex ea, morte morieris: per cibũ ingrediẽ vita, di cẽte ipsa vita. Hoc est corpus meũ: qui mã ducat me, & ipse viuet propter me. Hic est panis, qui de cœlo descendit: qui man ducat hunc panẽ viuet in æternũ. De hoc pane cœlesti loquitur Ezechiel cũ ait: & manna faciet super eo. Septuaginta pro mãna habent θυσίαν, quæ dictio hostiã sig nificat: quoniã in hostia cõsecrata iam nõ est panis, sed Christi corpus: panis enim in corpus substantialiter cõuertitur: ipse enim Christus ait: hoc est corpus meum. Vbi autẽ Christi corpus est ibi est eius san guis, eius anima, eius diuinitas. Itaque in hostia consecrata totus Christus est, verè Deus & verè homo: similiter & in calice, sed sub accidentibus sine subiecto existen tibus absc õditus. Id intuens spiritu Esaias dixit: vere tu es Deus absc õditus. In quo sa cramẽto fit, vt Chryso. ait trãsmutatio: & vt Theophilatus trãselemẽtatio: & vt D. Tho. cõuersio spiritualis: & vt in sancto ac magno Lateranensi cõcilio definitum est

Margin notes: Ioan. 6. — Ezech. 46. Exponitur locus. — Esai. 53. — Ioan. 1. Apo. 5. — Hiero. — Exod. 16. Nume. 11. Psal. 77. — Ioan. 6. — Gen. 2. & 3. — Gen. 7. — Ioan. 3. — Gen. 37. — Gen. 41. Gen. 2. & 3. — Ioan. 6. — Esai. 45.

De hac materia vide Hosiū 2o. confessionis cathol. & Garetiū lib. de virtute corporis Christi in Eucharistia.

sit transsubstantiatio panis & vini in corpus & sanguinem Dñi nostri Iesu Christi hic est panis cœlestis: de quo ait Apostolus 1. Cori. 11. Quicunque manducauerit panē vel biberet calicem Dñi indignè reus erit corporis & sanguinis Dñi. § Hoc est māna illud absconditum: de quo dñs ait Apo. c. 2. vincenti dabo māna absconditum. Māna siquidem typus fuit huius sacramenti. Ioan. 6. & 1. Cor. 10. Omnes, inquit, eandē escam spiritualem biberunt. Vnde sicut manna olim peregrinantibus datum fuit pro viatico Exod. 16. Ita & hoc viaticū est. Vocatur autem hoc manna absconditum: quod lateat sub forma panis: & quęrentibus quid est hoc? Respondet Dominus in hoc loco: hoc est corpus meū: sicut olim dixerat Moyses: hic est panis, quem dat vobis Dñs ad vescendum. Figuram simul & rem figuratam coniunxisse videtur regius vates Psal. 77. dicens: Pluit illis manna ad manducandum: ecce figuram. Sequitur res figurata: panem cœli dedit eis, panem angelorum manducauit homo. Non enim manna propriè dicitur panis angelorum, licet forsitan opera angelorū fuerit olim formatum manna, sed Christus in hoc sacramento latens, est propriè panis angelorum, qui sui beata visione angelos pascit, quatenus verbum Dei est. Et mire quadrant huic diuino sacraméto Eucharistiæ verba illa Sapien. capi. 16. Angelorum esca nutriuisti populum tuum: & panem de cœlo præstitisti illis omne delectamentum in se habentem. Substantia enim tua (idest, man) dulcedinem tuam quam in filios habes ostendebat: & deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat conuertebatur, &c. habuisse dicitur hoc mirabile illud vetus mana, vt à iustis commanducatum eum saporem redderet, quo quisque magis delectaretur: sed iniustis nauseam excitabat vt videre est in lib. Nume. cap. 21. Nauseat anima nostra super cibo isto leuissimo. Sic & sacramentum hoc suauitatem affert Deo charis & iustis: alijs autem nauseam mouet: de quibus dicitur 1. Cori. 11. Qui manducat indigne, iudicium sibi manducat.

1. Cor. 11. Apo. 2. Ioan. 6. 1. Cor. 10. Exod. 16. Psal. 77. Sap. 16. Num. 21. 1. Cor. 11.

¶ Hoc etiam est lignum illud vitæ quod vincēti datur. De quo ait Dominus Apo. 2. Vincēti dabo edere de ligno vitæ quod est in paradiso Dei mei quem locū de hoc sacramento exposuimus ibi vide locum.

Apo. 2.

§ *Quod pro vobis tradetur.* In cuius tā insignis mortis figuram percussus Iob dicitur vlcere pessimo. Qui testa saniem radebat. Quid aliud (inquit Gregor.) in manu Dñi testa est nisi caro ex nostræ substantiæ luto sumpta? Etenim testa igne solidatur. Caro autem Dñi eo ex passione sua robustior extitit, quo per infirmitatem moriens, à morte sine infirmitate surrexit. Vnde rectè etiam per Prophetā dicitur: exaruit velut testa virtus mea. Sicut testa enim eius virtus exaruit, quia susceptę carnis infirmitatem passionis suæ igne roborauit. Quid vero per saniem nisi peccatum debet intelligi? Per carnē quippe & sanguinem solēt carnis peccata designari. Vnde per Psalmistam dicitur: Libera me de sanguinibus. Sanies itaque putredo sanguinis est. Quid vero accipimus saniē, nisi carnis peccata ex lōga vetustate peiora? Vulnus itaque in saniē vertitur, cū neglecta culpa vsu deterius grauatur. Mediator itaque Dei & hominū, homo Christus Iesus, corpus suū manibus persequentiū tradens, saniē testa rasit: quia peccatū carne deleuit. Venit enim in similitudinē carnis peccati: vt de peccato dānaret peccatū. Dūque hosti objicit innocentiā carnis suæ, extersit contagia carnis nostrę. & ex qua nos captiuos inimicus tenuit, per illā nos liberos expiauit, quia quam nos instrumentū fecimus culpæ, hæc nobis per mediatorem, versa est in arma iustitiæ. Testa ergo sanies raditur, cum carne culpa superatur. Ideo ergo ait Dñs hoc est corpus meū, quod pro vobis tradetur, hoc est, quod pro peccatis vestris tradetur crudelissimæ morti. § En vides impletum quod Esaias prædixerat cap. 53. Verè langores nostros, idest, peccata nostra ipse tulit: & dolores nostros ipse portauit. En vides Dei immensam charitatem: qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo ergo non etiam omnia nobis cum illo donauit? Omnia enim nobis cum illo donata sunt, quando ille donatus est, qui omnia condonat, indulgendo, & mala à nobis commissa, & bona

Traditio Christi describitur qualis fuerit. Gregor. 3. Mor. c. 24. Psal. 21. Psal. 50. Rom. 8. Esai. 53. Rom. 8.

& bona, nostra desidia & negligentia omissa. Hinc vox illa. Serue nequã nonne omne debitum dimisi tibi? Omnia, inquã, nobis cum illo donata sunt quãdo ille donatus est, de cuius plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia. Sic enim traditum est in manus gladij corpus domini: ne nos traditi in manus gladij partes vulpium efficeremur. Vnde Paulus: traditus, inquit, est propter delicta nostra: & resurrexit propter iustificationem nostram.

Matth. 18. Ioan. 1. Rom. 4.

¶ *Hoc facite in meam commemorationẽ.* Notanda regula quod ea quæ Petro aut Apostolis dicta in Euangelio sunt, non vt hominibus priuatis, sed vt ecclesiæ præfectis, ea ad successores quoque sine vi aliqua aut literæ inuersione pertinere. Quẽadmodum quę Dñs Apostolis cõmendauit æquẽ congruentia fidelibus vniuersis eadem futuris Christianis omnibus in sensu literali cõmendata sunt. Iuxta id quod Christus ipse Marci. 13. explicuit inquiẽs, quod vobis dico omnibus dico: vigilate. Vigilare quippe ad omnes ęquẽ pertinet. Quare etiam si Christus id non adeò diserté fuisset interpretatus, vt ille explicuit, ita nos quoque necessariò explicaremus. Pari item ratione, quæ Dominus Apostolis locutus est, ad ipsos quidem spectantia quatenus ecclesiæ sacerdotes: hæc non ad fideles omnes, sed ad reliquos futuros in ecclesia sacerdotes, catholici referimus. Quale hoc est quod in hoc loco Christus ait: hoc facite in meam cõmemoratiõnẽ. Cum enim Dominus pane & accepto & fracto, eleuatisque in cœlum oculis Deo gratias egerit, calicemque simul & acceperit & leuauerit sine dubio Eucharisticũ sacrificium, hoc est, gratiarum actionis Iudæorum ritu obtulit. Niũ ingratus fuit, qui, cum referre patri summam gratiam posset, quæ ab illo nobis acceperat summa dona eidem referendo, minime retulisset. Iubens itaque Apostolis suis Christus, vt hoc ipsi facerent, quod scilicet illũ videbant facere, nimirum id præcepit vt hostiam Eucharistiæ & gratiarum actionis offerrent. Quod & Cyprianus ad Ceciliũ, & Irinæus lib. 4. c. 32. diuinè exposuerunt. Quia ergo sacrificium facere sacrificorum & sacerdotum proprium munus

Regula notanda. Marc 13. Cyprian. Irinaeus.

A est, quod hoc loco Dominus Apostolis cõmendauit, id propriè ad futuros Ecclesiæ sacerdotes spectat: non ad vulgus etiã mulierculatum, quæ hæretici credidere. Huius regulæ etiam habes exemplum apud Matthæ. 18. quæcunque alligaueritis, &c. Et Ioã. 20. Sicut misit me pater & ego mitto vos accipite Spiritum sanctum, &c.

Matth. 18. Ioan. 20.

¶ *Hoc facite in meam commemorationem.* Hoc verbum, facio. is, inter alias significationes vsurpatur in scriptura sacra pro immolare, & sacrificare: sic enim capitur Leuiti. 15. vbi loquens diuina scriptura de colu B mbis immolandis à sacerdote ait. Qui faciet vnum pro peccato, alterum pro holocausto, hoc est, qui sacerdos sacrificabit Deo duos columbos, vnũ in hostiam pro peccato, qui non cremabitur totus, alterũ in holocaustũ, qui totus combureretur. Et cap. 23. Facietis hircum pro peccato. Et lib. 3. Regum cap. 18. dicebat Elias: Ego faciam bouem alterum. Et paulo post: Eligite vobis bouem vnum & facite. Et apud Ezechielem. 43. Septem diebus facies hircum pro peccato cotidie. Et apud Hieremiam. 7. Vt faciant plantas reginæ cœli, C hoc est, vt offerant & sacrificent plantas lunæ: quam gentes idolorum cultrices, reginam cœli vocabant. In omnibus his locis vtitur sancta scriptura hoc verbo, facere, pro sacrificare. Hoc schemate & modo loquendi vsus est Dominus Iesus in cœna vbi Apostolis, & per eos sacerdotibus nouæ legis dixit in hoc loco autore nostro Luca, hoc facite in meam cõmemorationem. Quæ verba citat diuus Paulus in epistola priore ad Corinthios cap. 11. Nam admirabile Eucharistiæ sacramentum est sacrificium, & res illa diuina quæ missa vocaD tur sacrificium quidem est, ac vocabulum hoc, missa. Non latinum est, nec Græcum: sed Hebraicũ, quo semper vsa est ecclesia latina à tempore Apostolorum, qui Hebræi erant: & sacrificium significat atque oblationem Deo factã. Vt in verbo, mas, in libro radicũ Reuchlinus recte obseruauit, ex quo eorũ hęreticorũ colliges cęcitatẽ, qui rẽ diuinã aiunt esse missam, sed non sacrificium: cum missa idem sit quod sacrificium. Nec solum in literis diuinis, sed etiã in humanis, facere, accipitur pro sacri-

Facere in sacra scriptura pro immolare. Leui. 5. Leui. 23. 3. Reg. 18. Ezech. 43. Hiere. 7. Luc. 22. 1. Cor. 11.

ficare. Nam Virgilius latinorum Poëtarũ princeps in tertia egloga ita ait: cũ faciam vitula pro frugibus ipse venito, ac si dicat: cum pro frugibus vitulam sacrificauero. Ita locum illum Macrobius Aurelius lib. 3. Saturnalium interpretatur. Et nostra hac memoria Georgius Vuicelius in tractatione idiomatum linguæ sanctæ. Reuchlinus in libro radicum. Laurentius Villauicentius in libro de phrasibus sacræ scripturæ. Hi omnes, facere, pro sacrificare in illo loco Virgilij explanarunt, sed & Marcus Tulius cui fuit sine vlla controuersia palma eloquentiæ reseruata, in oratione pro murena accepit, facere, pro sacrificare, cum ait: nolite à sacris patris Iunonis sospitæ cui omnes consules facere necesse est, domesticum & suum consulem potissimum auellere. ¶ *Hoc facite in meam commemorationem*. Ac si diceret Dominus: Quanuis mors mea non iterabitur: cum sufficiat vna victima pro peccatis omniũ seculorum, nihilominus tamen vt hæc victima suum fructum semper in animis vestris afferat, & vt vos vobis huius meæ erga vos charitatis memoriam frequẽter renouemini: sacrificate sæpe hoc meum corpus ac facite inter vos, quod nunc à me videtis facere. Hic obserua: non obstare sacerdotes hoc sacramentum conficientes & offerẽtes quotidie, peccatores esse: quoniam & præclarè ait Augustinus: non in merito consecrantis, sed in verbo perficitur creatoris, & in virtute Spiritus sancti. Consecrat sacerdos non virtute propria, sed vt Dei minister, potest autem quis minister Dei esse etiam si iustus non sit. Vt eleemosyna fructum non amittit, quam dominus largitur iniqui serui ministerio: sic sacramentum & si per iniustum ministretur sacerdotem, non tamen amittit virtutem suam. Quemadmodũ per lapideũ canalem trãsit aqua ad areolas plurimam hortis afferẽs vtilitatem sic spiritualis virtus sacramenti, admirabilem fructum in recipientibus producit cum tamen sacerdotibus, si impij sint non prosit. Vt medici ægrotatio non impedit medicinæ virtutem, sic nec sacerdotis flagitium sacramenti effectum. Hoc est diuinum pabulũ, hæc est escailla, quam in memoriam mirabilium suorũ nobis Dominus reliquit. De qua rex Dauid ait: Memoriã fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus: escam dedit timentibus se. Accedamus supplices ad has epulas ad hanc mensam diuinam, in qua satiabimur, & inebriabimur Dei gratia. Caueant tamen sacerdotes immũdi accedere ad hoc sanctũ sacramentum. Nam si sacerdotes veteris legis valde à Deo reprehẽdebantur quod cõtaminati peccatis panem propositionis offerebant, qui erat vmbra huius cœlestis sacramenti, quanto maiori reprehẽsione digni sunt nouę legis sacerdotes indignè accedentes ad hoc sacramentum? Hoc ergo sciant iudicium sibi manducare & bibere. Vt Paul. ait. 1. Corinth. 11.

¶ *Hoc facite in meam commemorationẽ, &c.* Non credo erit absre, hoc in loco vbi Christus in memoriam sui hortatur nos hoc salutare sacramentum celebrare, breuiter persequi rationes & causas quæ ad eius institutionem Christum dominum inducere potuerunt. Non quod ipsum Deum, cuius est pro ratione voluntas, aliquam causam siue occasionem pro agendis nactum fuisse velimus: nec enim expediebat, egregium beneficiũ hoc in aliud quam in liberam & spontaneam Dei volũtatem refferre. Nihilominus ex parte rei factæ, cum omnia quæ à Deo sunt, ordinata prædefinitaque esse oporteat, rationem assignare & causam non inconuenit. Nec satis erit factũ, si ad finem huius sacramenti, prout inter reliqua suo ordine succedit, recurramus. Scimus enim speciale munus baptismi esse hominem regenerare, filium iræ, filium Dei adoptiuum efficere. Pœnitentiæ autem incumbit, hominem post baptismi gratiam lapsum, erigere, & ad amissam gratiam reuocare. Eucharistia verò cibus est & alimentum vitæ spiritualis, quę instar corporalis, sine victu peragi non potest. Confirmatio robur pręstat, vt in accepta gratia possit persistere, nec ita facile dæmonis insidijs adortus succumbas. Vnctio extrema minutissimas peccatorum reliquias extergit. Matrimonium pro ijs, qui ducere velint, institutũ est: Ordo pro his qui celibatum amant. Ecce finem cuiuscunq; sacramenti, sed quia nõ stimus

Marginalia: Macrobius. Georgius Reuchlinus. Villauicẽtius. Cicero. Sacerdotes peccatores verè consecrãt. Simile. Simile. Simile. Psal. 110. Ezech. 44. 1. Cor. 11. Rationes institutionis sacramenti Eucharistiæ.

erimus contenti finem nostri sacramenti communem sibi cum reliquis aperuisse, pergam dicere de illo plurimas alias causas, quas sancti patres vt tepidos accenderent in amorem illius, currentibus calcaria adderent, excogitauerunt. Inter quas primas videtur tenere, quá Christus legi fer noster in ipsa institutione expresſit, dicens: hoc facite in meam commemorationem. Intellexerat quippe ipse qui nouit abscondita cordis nostri, sic nos affectos rebus præsentibus, vt absentia perpetuæ obliuioni tradamus. Cumque ipse post expeditum negotium nostræ redemptionis, ad quod obeundum venerat, esset profecturus ad patrem, nihilque magis haberet in votis quam nobiscum conuiuere, quia deliciæ suæ cum filijs hominum: rimatus suo altissimo consilio, quo pacto & patris præceptum exequeretur apud eum præstatuto tempore comparens, & nos nó desereret, adinuenit institutionem huius saluberrimi sacramenti, quo obliuioni futuræ medelam adhibuit, insuper addés, hoc facite in meam commemorationem: quasi dicat: vos homines quæ sensibus obiecta sunt intuemini, iam igitur instat discessus meus, iam amplius corpulentam hanc substantiam non spectabitis, præstet fides. Supplementum sensuũ desfectui, & quod oculis non cernitis, mentis acie contemplamini. Ego enim ipse qui vobis modo conspiciendũ me exhibeo, realiter in hoc sacramento apud vos semper ero. Quare cum hæc sacrificia libaberitis, memores mei estote, in memoriam vestram redeat, is quo semper vos sum prosequutus amore: recordamini beneficia quibus vos affecerim, non vos prętereat exinanitio mea, denique memoria non decedat hoc singulare & omnibus numeris absolutissimum donum, quo me in hoc sacramento reliquerim piorum & impiorũ manibus attrectandum: vt adimpleatur quod olim per Malachiam spopondi dicens, in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. Quem locũ de sacramento Eucharistię interpretatur. Irinæus lib. 4. contra Valentinum, Cyprianus lib. 1. contra Iudæos. ¶ Adhuc consuluit secundo incommodo, quod ex absentia sponsi pro uenire sponsæ necessum erat, nimirum quia sola facile inuaderetur á dæmone, imó facile deijceretur, exposita malignantium incursibus. Quid speraret nisi deprimi, obrrui, atque superari? Nec posset cuiusq; mortalium ope suffulta victrix euadere, nisi illius præsidio freta manus cum hoste cósereret, qui iam semel eum in cruce prostrauerat. Quare voluit nobiscum manere, vt accedentes ad hanc mensam, pastuque cœlesti confirmati, recedamus tanquá leones ignem spirantes, facti diabolo terribiles (vt ait Chrysosto.) & sic victoriam reportemus, quam si ille abesset, obtinere minimé possemus. ¶ Videbat rursus instare iam iam morté, impijsime sibi á Iudęis infligendam, volebat testamétum suum resignare, & ideó ecclesiæ suæ quam semper adamauerat optimũ quod potuit legatum fecit, quod reliqua omnia longé excellit, legauit Ioanni curam matris suæ, matri commisit Ioannem, latroni paradisum præbuit, militibus vestes, at ecclesiæ suum verũ corpus in pignus amoris & futuræ gloriæ largitus est, non secus ac olim Elias migraturus ex hoc mundo pallium Elisæo reliquit, quo ille Iordanis aquas incolumis trasiecit. sic Christus pallium suum, idest, corpus humanum, quo sicut vestimento occultabatur diuinitas, ecclesiæ tradidit; quo illa deuicto tyráno mundi Maria atque procellas subterfugiens, de carnis etiam illecebris triũphet. ¶ Et quia illa sanctissima hostia non nisi semel immolanda in carne erat, cum semel immolata sic copiosé debitum exoluerit, vt infinitis mundis sufficiens sit, voluit amatius sponsus ineffabili modo quotidie immolari, vt medicina illa sufficiẽtissima omnibus, tibi efficaciter medeatur. Est. n. sicut causa vniuersalis. Quę nõ nisi modificata á particulari operatur, modificatur tanté, & quasi trahitur ad te solũ cũ per sacramétorũ dignam susceptionem ex isto per uio fonte tibi gratiam hauris. ¶ Cæterum summo desiderio flagrabat sponsus Christus, vt sui erga sponsam amoris eximij vices illa rependeret, nullumque non mouit lapidem vt ingratam illam & tepidam alliceret. Quem enim non frangeret tanta vis amoris, vt de sinu patris propter

Marginal notes: 1. ratio. — Malach. 1. — Irinæus. — Cyprian. — 2. ratio. — 3. ratio. — 4. Reg. 2. — 4. ratio. — 5. ratio. — A — B — C — D

inimicos adueniens se illorum manibus tradiderit occidendum? At non emolliuit cor nostrum, & ideo sicut qui nimio amore scandecens beneficijs vtitur, vt redamari cogat, sic Christus cibum nunc, vt in amorem sui trahat edentes, obijcit, quo digne gustato amoris igne æstuantes, ardemus, & rapimur anhelantes Christo nos perpetuo & indissolubili nodo coniungere. ¶ Nec possum non mirari altitudinem consilij diuini & suauitatem, qua cũ ẽt nobis expedieñtia disponit. Iubet enim nos amoris vinculo sibi connecti, quod in quadam vnitate consistit, rapitur enim amans in rem amatam, sicut graue in centrum, & nunquam quiescit, donec illam in vnitate possideat. Et ad hoc exequendũ parat epulas, idque panis & vini, tum quia ex alimento & alito fit vnum, tum etiam quia panis nil aliud est quã vnitas, & vinum quid nisi vnio? Ille enim ex multis granis conficitur, hoc ex multis racemis confluit, vt ait Augustinus. ¶ Amplius perpende ingenium diuinum, quid sibi volunt parare homines, nisi victum, quo vitam valeant transigere? Quia sine alimentis vita consistere nequit, ergo pariter sine alimento vita animæ corruet, igitur si laboras quærere victum corpori, quia sine illo salus hominis corruet: Labora quærere victum animæ, sine quo salus animæ labefactabitur, ecce adest in altari, non est tibi opus insudare in illo comparando, non est opus Indos adire, sed ad sacram mensam accedere, non excluderis, si modo vestem nuptialem afferas. Quare reuoca in mentem illud Pauli, probet autem seipsum homo, cauens ne propter ingratitudinem aut irreuerentiam durẽ anima sua arceatur à Domino, quia qui manducat indigne, iudicium sibi manducat, & bibit.

6. ratio.

August.

7. ratio.

1. Cor. 11

¶ *Similiter & calicem postquam cœnauit dicens. Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Ac si diceret: hoc est nouum testamentum, non vituli, aut hirci, sed meo sanguine consecratum qui pro vobis seruandis fundetur. Hic est sanguis pretiosus à Iudæis impijs effusus. Qui effuderũt sanguinem iusti, & vineæ hæredem verum Messiam seruatorem mundi immaniter pessimi coloni occiderunt. Quod peccatum, quo nullum aliud potuit esse maius & scelestius, illis obijciebat dominus apud Esaiã cum dicebat: Manus vestræ sanguine plenæ sunt.

A

Esai. c. 1.

¶ *Et accepto pane gratias egit & fregit: & dedit eis dicens: hoc est corpus meum quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit dicens. hic est calix nouum testamentum in sanguine meo qui pro vobis fundetur.* Hoc tam aperto testimonio facile probant sancti, Doctoresque omnes catholici in lege noua veré nunc esse & propriè sacrificium. Vbi illud primum animaduerte iure Cornelium Episcopum Bitontinum in concil. Triden. à patribus & Theologis vniuersis, explosum, qui dixerit, Christum in cœna non suum corpus & sanguinem obtulisse. Ritu quippe Iudaico gratias Deo agere calicem in manibus accipiendo & leuando, veré est hostiã gratiarum actionis offerre. Quum itaque dixit Dominus, hoc facite, plane iussit Apostolis, vt quod ipsum facere cernebãt, id quoque illi facerent Eucharistiæ, hoc est, gratiarum actionis hostiam exhibendo. Quemadmodum Cyprianus ad Cecilium enucleauit in hæc verba, scriptura dicit, vt quotienscunque calicem in commemorationem Domini & passionis eius offerimus, id, quod constat Dominum fecisse faciamus. Atque Irenæus, calicem (inquit) similiter suum sanguinem confessus est, & noui testamenti nouam docuit oblationem. Quam ecclesia ab Apostolis accipiens in vniuerso mũdo offert Deo ei, qui alimenta nobis præstat, primitias suarum munerum in nouo testamento. Et cap. 34. Offerimus, ait, ei Eucharistiam non quasi indigenti, sed gratias agentes donationi eius, &c. Vbi omissis autoritatibus non dubitem ipsa re & ratione exquirere veritatem. Quemadmodum enim in rebus alijs contingit, vt eas sancte ac religiosé offeramus Deo ab illo primum acceptas: ita, ac multo etiam magis, cũ in Eucharistia corpus Christi ac sanguinem cœlestis benedictionis largitate acceperimus, impij profecto erimus, & ingrati, nisi summam gratiam

B

C

De cõse. d. 2. c. scriptura.

lib. 4. c. 32.

D

Ratio Irenæi.

tiam referamus, eadem dona, quæ à Deo accepimus, ipsi reddendo: iuxta illud, quod scriptum est. Tua sunt Domine omnia, & quæ de manu tua suscepimus, reddimus tibi. Et iterum, quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam. In quem locũ paraphrasis Chaldaica sic habet: calicem redemptionis accipiam mundo venturo. Nam & hunc Psalmum ad mysteria & fidem euangelij pertinere autor est Paulus. Salutare autem Christus est, vt Simeon in euangelio cecinit. Sed bene. Accipiam: quia nisi accepero, retribuere non valeo. Et cum generaliter nihil Deo ex nobis dare possimus, sed quod ab illo accepimus, id tanquam iam nostrum iterum illi reddere, cuius dono acceperamus: peculiariter tamen hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia cœlestia erant, de cœlo ergo accipienda erant, & nomen Domini inuocandum, vt tali nomine consecrata nobis fierent corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi. Quòd si nos pié, gratè atque sapienter sanguinem Deo proprium fundimus, vt beneficiorum non memoriam modò sed obseruãtiam teneamus, cur sanguinem Christi à Deo nobis proprié tributum non illi refundamus, qui nobis cũ filio filij sanguinem dedit? Hesiodus eadẽ mensura iubet reddere, quæ acceperis aut etiam cumulatiore si possis. Nos qui Christi sanguinem & corpus accepimus, si mensura cumulatiore non possumus, nõ reddemus eandem? Quid Christus? An non per amicitiæ vim quasi vnus nobiscũ effectus dona nobis à patre collata pro suis existimabat? Sané quidem. Nisi ergo stultus fuit & ingratus accipiens panem & calicem non solum nostro nomine gratias egit, sed patri pro suo summo beneficio meritam ac debitam gratiam, cumulatissimé retulit, certè parem pari persoluit, & commemorandam, dum fidelium genus erit, persoluendamque putauit. Hoc, ait, facite in meam commemorationem. Te appello Luthere atque adeò vos appello omnes Lutherani. Nonne intelligitis quã apertum vobis sit cum Christi euangelio certamen. Vos porrò Eucharistiam percipientes non item offerentes Domini quidem cœnam agitis, sacrificium verò eius non agitis. Quod vester quidam conatur euictus. In nostra, ait, Eucharistia mors Christi tantum verbis non etiã symbolis prædicatur. Non igitur Christiana est Eucharistia vestra. Christus enim non iussit vt dicamus hæc in memoriam eius, sed vt faciamus, hoc facite, ait, in meam cõmemorationem. Non est itaque in mysterijs hostia Christi dicenda solum, sed etiã facienda. Symbolis ergo & non verbis tãtummodo sacrificij Christi memoriam altari repræsentanda erit. Alioqui si manducatio est, non oblatio: exemplar & imago cœnæ erit, exẽplar & imago sacrificij non erit. Quanto melius tota per orbem ecclesia intellexit, quæ cum sacerdos confectis in nomine Christi mysterijs ait: Hæc quotiescunque feceritis in mei memoriam facietis. Ipsius voce sacerdotis illa respõdet, vnde & memores Domini nos serui tui sed & plebs tua sancta, &c. offerimus præclaræ maiestati tuæ hostiam puram, &c. Nullo ergo modo negari potest, quin ecclesia offerens corpus Christi & sanguinẽ in Eucharistia & Christi exemplo id faciat, & euidenti ratione ducta, & præcepto denique ipsius Domini impulsa. ¶ Sed his tamen obijcitur, quod cum Apostolus illud Domini præceptum retulisset hoc facite, &c. è vestigio subiecit: Quotiescunque enim manducabitis panem hunc & calicem Domini bibetis mortem Domini annunciabitis, quasi ipsa ergo manducatio & potatio symbolum est dominicæ passionis. Non itaque necessum est offerre sacrificium et hostiam Christi etiam symbolis commemoraremus. Huic argumento primũ ita respondeo. Non si quispiam dicat, quotiescunque concœnauerimus, confabulabimur: mox intelligimus concœnationem & cõfabulationem eandem esse. Sic Apostolus dixit; Quotiescunque manducabitis, &c. mortem Domini annũciabitis, &c. nõ necesse est interpretari cœnationem dominicæ mortis annuntiationem esse. Voluit ergo Dominus vt quæ mensa est, ea sic nobis & altare, hoc est, vt non modò cœnaremus verum etiam sacrificaremus. Quare idem instituit vt esset simul & sacramentum & sacrificium; quo- tum

2. Para. vltimo. Psal. 115.

1. Cor. 4. Luc. 2.

Propriè dico, quia singulis attributus est, quo sensu & sol cum omniũ cõmunis sit, cuiusque etiam est proprius.

Bucerus lib. 2. de vera & falsa cœnæ adm. c. 9.

rum alterum dominicæ cœnæ, alterum dominicæ mortis esset symbolum. Pauli ergo sententia hæc est. Ne putetis vos huius factores legis si manducetis & bibatis, qua in re cœnæ Christi commemorationem facietis: oportet enim vos mortem etiam commemorare, id quod magis sacrificando quam manducando fit. Deinde non sufficeret quidem, qui manducando corpus sanguinemque potando in diuisione sanguinis ex corpore id, quod in cruce gestum est aperte designetur. Cum frangitur hostia, Augustinus ait, cum sanguis Christi in ora fidelium funditur, quid aliud quam dominici corporis in cruce immolatio designatur? Sed reuera vt diximus in separatione sanguinis à corpore mors significari potest, non autem propriè significatur hostia, nisi corpus quod moritur offeratur. Quanquam consumptio specierum oblatarum ad perfectionem sacrificij pertinet. Ita populus cum sacerdote hostiam olim consumens, verè explebat sacrificium, atque adeò hostiæ crucis perfectum signum dabat. ¶ Illud præterea animaduertendum censeo, quamuis Christus in cœna nullum omnino sacrificium obtulisset, eò tamen quod dixit, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur, &c. mox verò subiungit, hoc facite in meam commemorationem: satis ostendisse, nos mysticè corpus tradituros, sanguinemque effusuros: quod re ipsa aperte & sine mysterio ipse erat postea facturus. Hoc scilicet, quod ego faciam vos facite. sed ego faciam sacrificio cruento vos facite in meam commemorationem incruento. At Dominus, vt in græcis omnibus exemplaribus videre licet, semper est vsus verbo præsentis temporis. Non enim ait; hoc est corpus meum, quod pro vobis dabitur, sed quod pro vobis datur. Nec si verbum verbo reddas dixit. Hic est sanguis, qui pro vobis effundetur, sed qui pro vobis effunditur. Et apud Paulum, τοῦτό μου ἐστι τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον, id est, hoc meum corpus, quod pro vobis frangitur, quemadmodum & Ambrosius in hunc locum, & Beda enarrans euangelium Lucæ, legunt. Nec dubitandum catholicis est, in altaris sacrificio sanguinem Christi fundi: non aliter ad effectum quam si nunc funderetur in cruce: corpus Christi item frangeretur. Præter quam quod in sacrificio externo mysticè tanquam in exemplari atque imagine & sanguis Christi funditur, & frangitur corpus. Vnde Augustinus, Quum frangitur hostia, inquit, quid aliud quam dominici corporis in cruce immolatio designatur? Ac ne sacramentum quidem solum, sed verum etiam corpus Christi sacerdotum manibus frangi Romanum concilium sub Nicolao definiuit. Vides ne quemadmodum nobis omnia consentiunt, qui & Christum in cœna corpus suum & sanguinem mysticè tradidisse, & ad eandem nos formam instituisse non rebus solum & rationibus, sed verbis quoque ipsis efficimus? Nihil enim prohibet, cum lutheranos redarguimus, exemplaribus græcis præsertim consentientibus adhærescere. Sacramentum ergo istud verum etiam sacrificium est, ac vera hostia. De qua ad literam prædixerat Malachias dicens: Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra. A solis enim ortu vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. Atque capi. 3. inquens rursum de ipso nouæ legis sacrificio, sedebit, ait, conflans & emundans argentum & purgabit filios Leui. Non dicit filios Israel: sed filios Leui: & erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia. Peculiare ergo sacerdotium erat instituendum & peculiares sanctificandi ministri, ad peculiare sacrificium legis euangelicæ. Quod quidem sacrificium constat sane habere quatuor partes: vnam consecrationem corporis & sanguinis, alteram oblationem, tertiam fractionem, postremam consumptionem. Consecrationem atque oblationem cum gratiarum actione coniunctam ex euangelio collegimus: fractio autem apertissimè traditur. In eo discrimen est, quod lutherani in fractione nihil mysticum esse arbitrantur, sed solam panis distributionem: nempe vt sua cuique portio contingat: at ecclesia sancta, cum hostiam frangit, dominici corporis in cruce fractionem significando Christi hostiam commemorat, quemadmodum Christus ipse & verbo & exemplo commemoran-

De cōse. d. 2. c. quum frangitur.

De cōse. di. 2. ego Berengarius.

Malach. 1.

Malach. 3.

Probabilissimum est speciem quoque mixtionē ad sacrificij integritatē attinere. Nam ab Apostolis ecclesiæ traditum ambiguū non est.

De cōse d. 2.c. relictū

moriandam tradidit. Quod verò ad plenā huius sacrificij rationem consumptio specierum attineat concil. Tole. 12. testatur dicens: Quale erit sacrificium cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur. Argumenta contra hanc veritatem soluta, vide apud cano. lib. 12. capit. 13. & apud Echium de sacrificio missę. 17.

¶ *Vos autem estis qui permansistis mecū in tentationibus meis Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus, regnū vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Ac si diceret: non vos humilitas non paupertas, non labores vitæ, non obtrectationes hominum, non pharisæorum insidiæ, non potentium minæ distraxerunt à meo contubernio, cum alij defecerint, alij nō sint ausi profiteri sese meos discipulos. Quod si perstiteritis isto animo, nec vos piguerit interim imitari meā humilitatem, ego vicissim efficiam, vt omnium sitis participes gloriæ regni mei. Pater hanc voluit esse viam ad regnum cœleste. Eam vobis aperui hactenus & aperiam morte mea. Per humilitatem ille me prouehet ad regni gloriam: per afflictiones tēporarias ad æterna gaudia. Quemadmodum autem regnum mihi est paratū à patre quod hic interim iuxta voluntatem ipsius ministrum ago, non dominum: & ego prouectus ad regni dignitatē, vobis mea vestigia sectantibus parabo regni consortium, vt qui hic non quæsistis honorē sed gessistis vos vt omnium ministros, sedulo dispensantes doctrinam euangelicam in regno meo non iam velut ministri, sed velut honorabiles filij Dei accumbatis ad mensam meam. O millies fœlices atque beati iusti qui in hac mortali vita pressuras patienter tolerant, famem, sitim, & nuditatem sufferūt propter Christum: nam tunc accumbent in illo regno cœlesti ad mensam illam. De qua olim Esaias cap. 25. Et faciet Dominus in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuiū vindemię, conuiuium pinguium medullatorum, & vindemiæ defæcatæ. Ad mensam illam Dei filij recumbētes satiabuntur, vnde Dauid: Satiabor cum apparuerit gloria tua. Huius mundi sectatores tales sunt vt de absconditis Dei adimpleatur venter eorum,

Esai. 25.

Psal. 16.

hoc est, de seculi huius delitijs, & temporarijs fœlicitatibus de vitijs & concupiscētijs, lasciuijs & luxurijs, (quæ meritò abscondita à Deo dicuntur quod ea detestetur & reprobet) enutriūt corda sua & sine freno oblectant semetipsos: filijsque saturantur. Hoc est filios in hac vita habēt ad abundantiam, eosque egregie pulchros, robustos & bene compositos, & item omnium temporalium bonorum abundantia sunt perfruiti, & veluti satiati: & vsque adeò pleni fuerunt bonis omnibus vt ea non possent per sese expēdere omnia, sed dimiserunt residua prolibus suis: insuper & doctrinas prauas & exēpla pessima, morientes quasi reliquias malitiarum suarum reliquerunt suis posteris, quos in rectitudinem debuerant instituere. At iusti qui permanserunt cum Christo in suis tentationibus satiabuntur non modo dū impij in hac vita saturantur, sed cum Christus illis dederit facie ad faciem contueri magnificam illam gloriam, in qua cum illo edent omnes sancti in secula seculorum. Hæc est mēsa illa de qua angelus in Apoc. ait: Venite & congregamini ad cœnā magnam Dei. Ad hanc mensam accumbentes satiantur & inebriantur; vnde Dauid ait Psal. 35. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Atque non immerito fœlicitas illa sanctorum ebrietati comparatur & satietati: quod paucis explicare libet. Primum quidem, illud sibi in magnam fœlicitatis partē reputant voratores & ebriosi huius seculi, si plurimum valeant ingurgitare: & cum ingurgitauerint plurima, si nominde grauamen aut nocumētum persentiant: optarentque si fieri posset, perpetuo ingurgitare, & nunquam cibum ori abesse, potumque nunquam deesse gutturi, si capacitas vētris ita permitteret. Hinc & esuriem vehementem amant & sitim. Imo si forte hęc non adsint pro voto, mille modis sibi procurant vorandi atque potandi appetitum: nō certè vt esuriant aut sitiant, sed vt cibum ori, aut potum gutturi cum delectatione immittere valeant. Dolent quoque & conqueruntur, nō maiorem sibi ad edendum & bibendum esse appetitum. Deinde & illud eorum fœlicitatem

Apo 19.

Psal. 35.

Beatorum fœlicitas ebrietati merito cōparatur.

tatem perficit, si tam sint abundantes, vt quantumcunque ingurgitent, sciant nunquam se esse defectum passuros. Alioqui non ad modum magnam adferret voluptatem hodie inebriari aut satiari, cras verò penuriam pati. Est autem his considerationibus sanctorum in patria admodum beata futura satietas atque ebrietas. Semper enim mensæ illi beatissimę in æternitate assidebunt. Nunquam in perpetuum recedent à conuiuio illo deliciosissimo, ad quod semel fuerint admissi, conuiuio opulentissimo, vbi omnium rerum indeficiens est copia, vbi nihil non erit eorum quod desiderare possunt, & tantum erit quantū desiderari potest: vbi perpetuo comedentes mel dulcissimum & vinum electissimū mulsum que amabilissimum perpetuo bibentes, nullum vnquam grauamen sabstinebunt, nullam sentient aut repletionis, aut tædij, aut nauseę molestiam. Neq; metus nobis esse poterit, ne deficiat aliquando in quo reficiamur, mel videlicet ab ore, aut vinum à gutture. Erit enim illic omnis boni indeficientia. At vero seculi vorатores ac ebriosi nō perpetuo ingerere possunt vel cibum vel potum sed cessare aliquando eos oportet à sua delectatione, eāque intermittere. Neque enim perpetuò comedere valent, vel perpetuò potare. Et quidem cum multum biberint, infirmantur & magno dolore nonnunquam torquentur: subinde etiam cum amaritudine euomere compulsi, quæ cum modica delectatione fuerant ingurgitata: & cum in conuiuio aut compotatione ad diem sederint, fatigati coguntur recedere, & somno sese dare ratione que ita destituūtur vt neque proximos sibi, neque etiam seipsos cognoscant: cū beati illi semper comedentes, semperque bibentes, absque omni intermissione, nullo inde vel minimo incōmodo afficiantur. Ita vt post mille annorū milia, tam recens & tam plena sit illis futura suæ ebrietatis atque satietatis voluptas, quam primo ipso momento, quo ad ea perfruendum fuerant admissi. Et licet semper ebrij semperq; saturi sint futuri, nunquam tamen impediantur à perfectā cognitione, imo visione aperta Dei, & rerum omnium in eo contemplatione. De-

A nique illud expende, quam beatum se putaret ebriosus quispiam, si illi liceret iuxta vas maximum & indeficiens optimo liquore plenum perpetuò adiacere, absque nocumento, semperque ex vasis plenitudine in guttur suum liquor optimus copiose influeret, ipse vero nullum inde grauamen, nullam molestiam, nullā torquentem sentiret repletionem. Talis profecto erit beatorum ebrietas, & infinito quam cogitari potest admirabilior. Ait ergo noster Psaltes inebriabuntur ab vbertate domus tuæ. & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Torrens voluptatis etiam meritò dicitur quo potantur sancti propter abundantissimam plenitudinem omnis boni; qua recreantur omnes beati cum apparuerit illis gloria Dei Quod sidum in hac vita mortali sunt fit in corde illorum non solum fons gratię salientis in vitam æternā sed flumina de ventre eorum fluunt aquæ viuę, qui fons, quæ flumina qui torrentes fluent de cordibus eorū in futura gloria. Et quemadmodum fluxus aquarum torrētis secum rapit folia, arenam, lapillos, atque alia quælibet quæ forsitā fuerint immixta. Ita aqua illa cœlestis à throno procedens omnipotentis secum rapiet cor humanum, & cogitationes, atque affectus illius. Aqua, inquā, illius fontis de quo statim subiungit: quoniam apud te est fons vitæ (idest, quoniam tu es fons vitæ. Quēadmodum & alibi: apud Dominum misericordia cum ipse sit misericordia) secum trahet totum hominem. Trahet memoriam, intellectum & voluntatem ita vt in Deo totus absortus sui omnino oblitus videatur. Hæc est ergo mensa, ad quam accumbent iusti in regno Dei.

B

Isa. 4.

Ioan.

C

Psal.

D

¶ *Et ego dispono vobis regnum.* Constituo decerno vobis, dispono, idest, promitto vobis partem in regno meo.

¶ *Et sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel.* Ac sū diceret: qui nunc mea causa pro contemptissimis habemini inter Iudęos, tunc velut primores sedebitis super duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Israel. Tunc enim apparebit illorum humilitas, qui nūc videntur rerum apicem tenere, & vestra sublimitas, qui nunc videmini reiectamenta mun-

mundi. ¶ Hi sunt throni illi quos olim vidit Propheta Daniel cap. 7. Aspiciebam (inquit) donec throni positi sunt & antiquus dierum sedit. Et Christus apud Matthæ. cum sederit filius hominis, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel. Sedente enim in die iudicij Domino super thronum illum magnum: de quo Ioan. in Apocaly. ait: Et vidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum: a cuius conspectu fugit terra; sedebunt Apostoli super duodecim thronos iudicantes duodecim tribus Israel. De his autem etiam Dauid ait Psal. 121. Quia illic sederunt sedes in iudicio, sedes super domū Dauid. Quo in loco quod sedes sedere dicantur mirum fortasse videbitur. Quomodo enim sedent sedes? Soluitur autem duplici via hoc incommodū. Primum quidem, si verbum sederunt, accipiamus improprie, vt valeat, ad sedendū cōstitutę vel positæ sunt, situatæ sunt, aut (vt barbaré rem explicemus) sedes sedeatę sunt. Aliter sederunt sedes, quoniam ipsi Apostoli, qui sedēt super sedes duodecim secundum eam, quam acceperunt specialem à Christo autoritatem, ipsi simul etiā sedes sunt, in quibus nimirum secundum gloriam suam ipse residebit quando ad iudicandum venerit gloriosus. quomodo super Cherubin sedere dicitur: & inter ordines angelorum throni distinguntur. In his igitur thronis Apostoli tāquam seniores & præfecti populi Domini cum ipso Domino venturi sunt ad iudicium, hoc est, quibus data est à primo iudice Christo domino potestas iudiciaria & autoritas assessoria, vt in die regenerationis, cum eo veniant cui dedit pater iudicium facere, sedeantque super thronos suos iudicantes duodecim tribus Israel, tanquam primi iudicis assessores, & approbatores sententiæ illius. Quod si ex hominibus, illuc assumpti sunt etiam in iudices, qui hic perfecerunt voluntatem domini, & perseuerantes sese exhibuerunt in tentationibus: nequé regnum modo æternum, sed insuper etiam potestatem hanc tam singularem accipere meruerunt: quomodo non speremus etiam nos illuc velut ouiculæ simplices ingredi facientes voluntatem illius ac

Dani. 7. Matth. 19. Apo. 20. Psal. 121. Explicatur locus. Vi. mag. 4. d. 74. Gregor. 10. mora. c. 30. August. Psal. 49. & 20. de ciui. c. 5. de hac potestate Apostolorū differētes. At S. Tho.

A cum illo in tentationibus perseuerantes? ¶ Cæterum aliqui in ea opinione sunt vt existiment, aliter Dominum in die iudicij iudicaturum esse duodecim tribus Israel, aliter Apostolos. Proinde huius explicatione animaduerte, quod iudicare in sacra scriptura aliquando significat condemnare, cū videlicet aliqui inter sese collati, ex illorū inter se compositione alter sanctus, alter verò sceleratus apparet. Sic Apostoli cum essent totius eruditionis expertes, antequam à Christo vocarentur, scripturas, de

B Christo testimonium ferentes intellexerunt, atque illis testimoniū adhibuerunt, reos peragent pharisæos legis & Prophetarum callentissimos, qui relinquētes fontem perennem euangelicæ doctrinæ fecerunt sibi lacus contritos traditionum suarum, hac & illac perfluentes, neç valentes aquas diuinæ doctrinæ cōtinere: hoc modo accipitur hoc verbum secundum istorum sententiam in hoc loco: & Matth. 19. Sedebitis & vos iudicantes duodecim tribus, &c. Similiter cum dicitur viri Niniuitæ & regina Austri surgent in iudicio &

C condemnabunt Iudæos. Et quod Sapiē. 3. scribitur: sancti iudicabunt nationes, i. electi, nationes illas, quę in infidelitate persiterunt, condemnabunt ex collatione operum. Huc respicit illud Ioan. 12. sermo quem locutus sum, ille iudicabit vos in nouissimo die. Et illud: si ego in beelzebub eijcio dæmonia filij vestri in quo eijciunt, ideo ipsi iudices vestri erunt. Item illud: nescitis quod angelos iudicabimus, quanto magis secularia, id est, nos cōdemnabimus angelos apostatas, qui cum Deū eximio mentis acumine, cognouissent, ob

D insolentiam è cœlo electi sunt: cum nos non admodum exactam, si cum angelis cōferamur cognitionem assecuti vsque ad finem vitę æquo animo innumeras ærumnas sustinuerimus. Ad hunc ergo modum iudicaturos esse Apostolos cæterosq; sanctos docent Ambro. 1. Corin. 6. in illa verba: an ignoratis quod sancti de hoc mundo iudicabunt? Et Euthy. in Matthæ. cap. 23. & cap. 41. eiusdem libri. Chrysostu. ho. 65. in Matthæ. Orige. tractat. 9. in Mathæ. & ho. 9. in Ezech. lib. etiam. 3. com. in epi. ad Roma. Hierony. in com. Esai. 5. ¶ Soli ergo

Iudicare in sacra scriptura quid significet. Matth. 19. Supra. 12. Matth. 12. Sap. 3. Ioan. 12. Supra. 12. Ambro. Euthy. Chryso. Orige. Hiero.

ergo Christo tribuenda est vera potestas iudiciaria, nec vllius societas etiam angeli admittenda est. Nam hæc prærogatiua data fuit illi ob immensos illos labores, quos in nostra redemptione perpessus est. Potestatem (inquit Ioan.) dedit ei iudiciũ facere, quia filius hominis est. Et iterum, omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium sicut honorificant patrẽ. In quorum locorum expositione inquit Euthymius dictiones, sic, sicut, & similes, in increata quidem Trinitate æqualitatem significant. At quod Christo secundũ quod homo, & ecclesiæ caput, iudicium sit tribuendum, abunde docet Doctor sanctus 3. par. quæstio. 59. artic. 2. si igitur ex hac incorrupti iudicij functione huius suppositi tam humani quam diuini aperta cognitio proficiscitur: non est admittẽdum vt ei iudicij comites, quos corruptis tantum iudicibus damus, tribuamus.

Ioan. 5.

Sic, & sicut in sacra scriptura quid significant.

D. Tho.

Obiectio.

¶ Sed ais: Christus ait apud Matthæ. cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos iudicantes. Ac si diceret: cum ego ad iudicandum sedero, vos quoq; sedebitis vt iudicetis tribus Israel. Ex quo loco eijci videtur, eundem iudicij modum à Christo & Apostolis expectandum. Sed hoc (inquiunt qui hanc sententiam tuentur) non obstat quo minus dicamus Christi iudicium esse condemnationis, & absolutionis, aliorum verò iudiciũ ex operum collatione. Vnde in hoc loco aliter & aliter accipitur iudicare in primo loco & in secundo de more sacræ scripturæ, quæ solet vno vocabulo vti in eadem clausula in diuersis significationibus vt ibi. Nõne vos dicitis quia adhuc quatuor mẽses sunt, & venit messis? Eleuate oculos vestros & videte regiones quia albæ sunt ad messem. Messis primo ad corporalem, secundo ad spiritualem messem refertur. Et ad Samaritanam cum ait: omnis qui bibet ex hac aqua sitiet iterum, qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet iterum. Similiter ergo dicendũ quod in secundo loco loquitur Christus apud Matthæ. De iudicio comparationis in primo vero de iudicio vero condemnationis & absolutionis. ¶ Sed quicquid de hoc sit aduertãt prælati quid in hoc loco Christus dicat Apostolis. Quod qui permanserunt cum Christo in pressuris & tentationibus hi sunt qui sessuri sunt in thronis iudicantes duodecim tribus Israel. Quare qui otio & delitijs & voluptatibus fuerũt dediti non iudicabunt cum Domino sed potius iudicabuntur à Domino. Sic enim est intelligẽdus locus ille Esaiæ cap. 3. Dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi sui. Vos depasti estis vineam meã, & rapina pauperis in domo vestra, quare atteritis populum meum & facies peccatorum commolitis, scilicet alapis. Ac si diceret: Dominus in ius trahet gubernatores populi Israel, quorum iudicio vineam commiserat, & eam depasti fuerint & perdiderint. Nam subdit: vos depasti estis vineam meam, vinea est populus Dei. Caueant ergo sibi mali principes, caueant sibi iniqui iudices, & improbi præsules, si tunc in ius trahi nolunt.

Responsio.

Regula Origenes lib. 5 cõm. epistol. ad Rom.

Ioan. 4.

Esai 3.

¶ *Simon Simon.* vide cap. 13. in illa verba Hierusalem Hierusalem.

¶ *Simon Simon ecce satanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum, sed ego rogaui pro te ne deficiat fides tua.* Quæ superius dixerat Christus figurate locutus est, sermonem suum ad ruditatem suorum discipulorum attemperans, quam ideo diu passus est in illis residere: partim, vt in nobis efficacius eximeret humanos affectus, quibus tum discipuli erant obnoxij, partim, vt nos alienam imbecillitatem magna lenitate toleremus, donec proficiat ad perfectiora. Restabat vt animos suorũ aduersus eminentem tempestatem armaret, ac sui fiduciam eximeret. Nullos enim citius deijcit afflictionũ procella, quam qui suis fidunt viribus. Sed qui suis, hoc est, humanis præsidijs diffisi, toti pendent à præsidio cœlesti, hi demum firmi sunt aduersus omnes huius mundi tumultus. Itaque sermonem vertit ad Petrum, vt per hunc instituerit & castigaret oẽs. Sciebat enim hunc esse cæteris promptioris animi, sibique plurimum fidere, pio quidem affectu sed humano. Nondum enim acceperat illum totius virtutis largitorem Spiritum sanctum. Ait igitur: Simon, Simon, ecce satanas expetiuit vos studio, vt ventilet vos, crebro teratque veluti triticum, dissipaturus

Bis Simonis nomen in Græco repetitur & sic legit Agatho Act. 4 sextæ synodi.

turus si posses. Et facturus erat, si vestrę imbecillitati fuissetis relicti. Sed ego deprecatus sum patrem pro te Petre, vt non deficiat fides tua. Hoc exemplū in te placuit edere, qui tibi plurimū fidis, qui tu post lapsum reuersus ad te, tuo exemplo confirmes fratres tuos eadem imbecillitate lapsos, vt intelligant omnes, neminem suis viribus parem esse posse aduersus satanæ maliciam, nisi meo præsidio fulciatur.

Deut. 32. ¶ Ego (inquit) rogaui pro te vt non deficiat fides tua. Deut. 32. ait Moyses: Circunduxit eum, atque custodiuit vt pupillam oculi sui. Quare ergo ô homo ignare querularis, labores à domino immissos reijcis, non audis dicentem, te in circuitu custoditurum quam pupillam oculi sui. Nō audis quæ in hoc loco dixit Dominus Petro: ego rogaui pro te. Audi Amos cap. 9. Ecce commouere faciam in omnibus gentibus domum Israel, quemadmodum commouetur triticum in cribro, & non cadet lapillus in terram. Amos. 9.

Fides nunquā in ecclesia deficit. ¶ *Ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua.* Ecce aperte his verbis pollicetur D. minus nūquam fidem Petri, id est, eccl. fore defecturam. Hoc idem olim promiserat apud Esaiam capi. 54. Montes commouebantur, & colles cōtremiscent, misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur: dixit misericors tuus dominus. Non enim hæc synagogæ dicūtur, quam videmus esse à Deo derelictam, sed ecclesiæ, de qua D. Pau. hoc Esaiæ caput in epistola ad Galatas interpretatur. Et Christus ex hoc capite depromsit illud Ioan. 6. erunt omnes docibiles Dei. Capite etiam 62. volens hoc idem significare ait ecclesiæ: & vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit: hoc est, appellaberis ecclesia super petram fundata, ita enim te Christus appellabit. Et erit corona gloriæ (inquit Esaias) in manu Domini. Quibus verbis significare voluit quod modo dicebā, nunquam, scilicet, defuturam esse fidem ecclesiæ quantumuis grauibus multisque calamitatibus conquatiatur, quoniam eam Deus manu sua tenet apprehensam. Qui fieri potest vt diabolus spoliet fide Ecclesiam, quam Deus habet sua manu custoditam. Ideo portæ inferi aduersus eam minime præualebunt vt ipsa veritas asserit apud Matthæum: capitur autem corona hoc in loco Esaiæ pro regno, quemadmodum & diadema regni. Ac si diceret: Eris ô Ecclesia regnum gloriosum, non externum sub rege aliquo humano, qui tui in æternum dominetur, sed eris regnum in manu Domini ab ipso nunquam derelictum. Hanc assistentiam Christi in Ecclesia perpetuo duraturam ipse pollicitus est apud Matthæū capite vigesimo octauo dicens: Ego vobiscum sum vsque ad consumationem seculi. Et rursum apud Ioannē capite decimoquarto. Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum spiritum veritatis. Valeant ergo hæreticorum cantilenæ, dicentium Ecclesiam esse à Deo destitutam, & nec esse in ea fidem, quia cantilenæ sunt, perniciosissimaque mendacia. Ecclesia enim est illa Christi sponsa, de qua in canti. ait: Surge propera amica mea, columba mea, formosa mea. Ad hanc misit Christus spōsus eius Spiritum sanctum, qui eam omnem veritatem doceret, & apud eam maneret in æternum: vt fœdus Dei cum illa semper duraret: vt in illo Esaiæ loco modo relato pollicetur. ¶ Fuisse autem Petrum ecclesiæ caput esseque Romanum Pōtificem Petri successorem asserunt omnes Doctores catholici hoc Christi testimonio, atque multis alijs commoti. Asserit Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in libro Thesauri. Chrysosto. explanās verba illa apud Matthæ. super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Theophylatus explicans verba Christi in hoc loco dicta: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. D. Hierony. in epistol. ad Damasum. D. Gregor. lib. 4. registri epistola. 32. Cunctis (inquit) Euāgelium scientibus liquet, quod voce dominica sācto, & omniū Apostolorum principi, Petro Apostolo Ecclesiæ cura commissa est, ipsi quippe dicitur: Petre amas me? Pasce oues meas. Ipsi dicitur: Ecce satanas expetiuit vos cribrare sicut triticum: & ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.

Esai. 54. Ad Gal. 4. Ioan. 6. Esai. 62. Matth. 16. Matth. 16. Esai. 49. Matt. 28. Ioan. 14. Canti. 2. Petrus huiusque successores sunt capita ecclesiæ. Cyrillus. Theophy. D. Hiero. D. Grego. Ioan. 21.

Matth. 16

tuos. Ipsi dicitur: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam & portæ inferi non præualebunt aduersum eam: & tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: quodcunque solueris super terram erit solutū & in cœlis. Ecce claues Ecclesiæ accipit, potestas ei ligandi atque soluendi tribuitur: cura ei totius Ecclesiæ & principatus promittitur. D. Ber. hoc idem ait in epist. ad Eugeniū. ¶ In con. Constantiensi dānatur eorū error, qui aiebant Romanā ecclesiā nō esse inter alias ecclesias supremā. In cōcil. Florenti. hoc etiā apertissime definitur: & tandē in con. Trident. se. 14. c. 7. & se. 25. c. 21. & in decreto de indulgentijs, & alijs in locis. ¶ Non potuisse quidē Petrū à fide deficere satis ostendūt hæc Christi verba ego rogaui pro te Petre vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. En cum dixisset Dñs: Satā expetiuit vos, non ait: ego rogaui pro vobis, sed pro te. nec dicit, & vos aliquando conuersi, sed tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Cū autem oratio Christi, vt autor est Paulus, semper fuerit exaudita, quod Christus orauit, id certè consecutus est, ne Petri fides deficeret, vt fratres posset in fide formare. Deinde hoc etiā demonstrat illud Matthæ. 16. super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eā. Quæ verba explicans ho. 1. in Matth. Origenes ait: manifestum est, & si non exprimatur, quod neq; aduersus Petrum, neq; aduersus ecclesiam, portæ præualere poterunt inferorum. Nam si præualerent aduersus petram in qua ecclesia fundata erat, contra ecclesiam item præualerent. Petrus ergo firmus stabat in fide, ne fabrica super ipsum fundata rueret. Præterea, si Petro peculiari ratione & priuilegio claues non vnius cœli, sed cœlorum datæ sunt, quemadmodum home. 6. in Matthæ. annotauit Origenes, claues autem cœlos aperiunt, constans fit, vt omnia impedimenta tollant. At ex parte intellectus ingressum in cœlos impedit ignorantia fidei, sicut ex parte voluntatis affectio praua: data est igitur Petro potestas, non minus ad tollendam ignorantiam, quam ad tollenda peccata. Quæcunque itaque soluisset, & quæcunque ligasset, siue expectarent ad intellectum siue ad affectum, ea ligata fuissent solutaque in cœlis. Quam obrem quæstiones in fide, difficiles soluere iure suo Petrus poterat, ligareque proinde suo iudicio, vt ad tenerent fideles, quod ipse decerneret. Atqui falso de fide iudicio fideles ligari non queunt. Quod si diuinatio in labijs regis, & in iudicio non errabit os eius, vt Pro. 16. c. dicitur, cur nos existimabimus, Petrum regni cœlorum principem à Deo constitutum in grauissimo de fide iudicio errare potuisse? Et si Cayphas vir in synagoga impius cum esset pontifex anni illius, quia pontifex tamen erat, prophetauit, nōne magis Petrum summum à Christo Pontificem ecclesię datum, diuino spiritu ad veritatē finiendam agi credemus? Si pastor denique omnium fidelium Petrus est à Deo constitutus, Doctor ergo & magister ecclesiæ supremus effectus est. Quod si pascua doctrinæ salubris ouibus Christi non daret, sed posset eas erroribus falsis ac perniciosis pascere, nimirum non esset à Christo ecclesiæ prouisum. Prouisum est autem sine dubio nisi Petrus ipse nos fefellerit inquiens, viri fratres vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meū audire gentes verbum euangelij & credere. Petrū ergo peculiariter inter cæteros elegit Christus, vt eum gentes in fidei controuersia nō audirent solum loquētem, sed etiam crederēt. Ita enim cum Petrus sentētiam edixisset, tacuit omnis multitudo Petro definienti consentiens, vt Actorum. 15. à Luca refertur.

D. Ber. — Cō. Cōst. — Cō. Flor. — Cō. Trid. — Petrus cū ecclesiā docebat aut oues in Christi fide firmabat errare nō potuit. — Heb. 5. — Matth. 16. — Orige. — Orige. — Pro. 16. — Ioan. 11. — Acto. 15.

¶ *Ecce satanas, expetiuit vos vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua.* ¶ Nihil satanæ, inquit Tertulianus, in seruos Dei viui licebit, nisi permiserit Dominus, vt ipsum destruat per fidem electorum, in tentationem victricem: aut homines eius fuisse traducat, qui defecerint ad illum. Habes exēplum Iob, cui diabolus nullam potuit incutere tentationem, nisi à Deo accepisset potestatem, nec in substātiam quidē eius, nisi Dñs, ecce, dixisset, omnia quæ sunt ei,

Nihil satanæ licet in seruos Dei nisi ex Dei permissione Tertul lia. lib. de fuga in persecutione.

tu, in manu tua do, in ipsum autem ne extendas manum. Denique nec extendit nisi postea quam & hoc postulanti, Dominus ait, ecce, trado tibi illum, tantum animam eius custodi. Sic & in Apostolis facultatem tentationis postulauit, non habens eam nisi ex permissu. Siquidem Dominus in Euangelio hoc ad Petrum: ecce, inquit, postulauit satanas vt cerneret vos veluti frumentum, ego autem rogaui pro te, ne deficeret fides tua, idest, ne tantum diabolo permitteretur, vt fides periclitaretur. Quo ostenditur vtrumque & apud Deum esse, & cõcussionem fidei, & protectionem, cum vtramque ab eo petitur. Vnde obsecua, quod vt D. Ioan. nos doceret hanc potestatem nocendi dari, idest, permitti a Deo ait in Apoca. capi. 6. exiuit alius equus rufus & qui sedebat super illum, datum est ei vt sumeret pacem de terra, & vt inuicem se interficerent: & datus est ei gladius magnus. Diabolo enim sedenti super equum rufum, idest, super congregationem tyrannorum sanguinem martyrum fundentium data est à Deo potestas nocendi, significata per gladium magnũ. Hinc fuit quod Ioã. 19. Pilato præsidi Dominus respondit: non haberes potestatem in me vllam nisi tibi data esset desuper. Hæc potestas bona est, sed abusus diaboli malus. ¶ Secundo ex hoc loco collige (vt colligit D. Ambrosius) Deum dare vt in fide & in virtute perseueretur. Simõ, Simõ, ecce satanas postulauit vt cerneret sicut triticum. Ego autem rogaui pro te ne deficiat fides tua: & tu conuersus cõfirma fratres tuos, & roga ne intretis in tentationem. In Euangelio quoque Ioannis de ouibus Christi quæ de manu ipsius à nullo rapiuntur, hæc legimus dicere veritatem: sed vos non creditis, quia non estis de ouibus meis. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego noui illas, & sequuntur me, & vitam æternam do illis, & non peribunt in æternum, nec quisquam rapiet eas de manu mea. Item in eodem Euangelio, de ijs quos pater dat filio; qui & omnes veniunt ad filium, & quorum nullus perit, hæc ipsius Domini ore dicuntur: omne quod dat mihi pater: venit ad me, & eum qui venit ad me, non eijciam foras: quia descendi de cœlo non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me patris, vt omne quod dedit mihi non perdam ex eo quicquam, sed resuscitem illud in nouissimo die. Ambrosius de vocatione gentium capite nono prope finem. Lege etiam Chrysost. homi. 2. super Psalmũ. 50. hoc testimonio probantem egere omnes nos Dei misericordia vt ex peccatoribus iusti efficiamur, & iustificati iusti maneamus.

¶ *Sed tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Hinc colliges non oportere cum de fide agitur sequi plurimorum iudicium. Nec hic, vt in humanis vel electionibus vel iudicijs ex numero suffragiorum sententiam metitur. Scimus frequenter vsu venire, vt maior pars vincat meliorem, scimus non ea semper optima, quæ placent pluribus, scimus in rebus, quæ ad doctrinam pertinent, sapientium sensum esse præferendum. Et sapientes paucissimi sunt, cum stultorum infinitus sit numerus. Quadringenti Prophetæ Achab mentiti sunt: ex ore vero Michææ solius quidem & contemptibilis, veritas egressa est. Non sunt igitur diuina iudicia humanis rationibus moderanda. In paucis aliquando citius quam in pluribus saluat Dominus. Maior enim pars con. Ephe. secundi Dioscori sententiam secuta est, nec legati tamen plurium iudicio subscripsere. Quo circa summus Pontifex maioris partis sententiam non tenetur amplecti. Imo siue pauci siue plurimi ad errorem deflexerint, munus est Apostolici Antistitis ad veram eos fidem reuocare: iuxta hoc quod Petro ait Christus. Ego rogaui pro te ne deficiat fides tua, & tu non vnum, & item alterum, sed siue paucos siue multos confirma fratres tuos. Ita Damasus vnum vincentium & alios paucos opposuit omni multitudini concilij ariminensis. Vide illum scribentem ad Episcopos per illiricum constitutos: Et Leonem epistola. 51. ad Anatholium. Non ergo res fidei numero iudicatur sed pondere. Põdus autẽ concilijs dat summi Pontificis autoritas: quæ si adsit, centum patres sunt, si desit nulli sunt satis, sint quãlibet plurimi. Nec si maior pars verıſſet (?)

Marginalia: Sic etiam Ambrosius legit de vocatione gẽtium Tertullianum imitetur: vt statim in sequenti consideratione videbis. — Apo. 6. — Ioan. 19. — Perseuerãtia in fide & virtute a Deo. Ambrosius. — Ioan. 10. — Ioan. 6. — Ambro. de voca. gentium c. 9. Chrysos. — Cum de fide agitur non oportet summũ Pontificẽ semper plurimorũ iudicium sequi. — 3. Reg. 22.

summus Ecclesię Pontifex repugnabit. Idque ad peculiarem Christi procurationem pertinet, nec Ecclesia in factiones duas diuidatur. Nec Romanus vnquam Episcopus, si exemplum quæritur contra patres recte sentientes dixit.

¶ *Qui dixit ei, Dñe tecū paratus sum & in carcerem & in mortem ire. Et ille dixit, dico tibi petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me.* Nemo ergo nostrum fidat suis viribus, nec existimet se cōstantem sine Dei gratia & protectione & peculiari fauore aut in fide aut in virtute. Nec putet quod si hactenus non deseruerit Christum, ita nec post hac vnquam erit desertutus. Qui stat, ait Paulus, videat ne cadat. Oportet enim semper orare & vigilare ne succumbamus tentationi. Beatus qui semper est pauidus: & qui cum timore & tremore suam salutem operatur. Talis enim non sibi fidens cū afflictionis procella superuenerit sibi satis notus ad Deū cōfugiet: clamabitque ad Dñm & a tali periculo liberabitur. Ad Dñm cum tribularer clamaui: & exaudiuit me: ait regius vates. Quod si nimium nostris viribus exemplo Petri fidamus, facile succūbemus tentationi. Intelligāt ergo omnes, neminem suis viribus parem esse posse aduersus satanę malitiā, nisi Christi præsidio fulciatur. Ne illis contingat quod D. Petro. Et rursum quod regi Dauidi: vnde Psal. 29. ait: ego dixi in abundantia mea: nō mouebor in æternum. Auertisti faciem tuam a me: & factus sum conturbatus. Et vt doceret: non esse in hominis potestate absque Dei præsidio vel in fide vel in bonis actionibus persistere ait. Dñe in voluntate tua præstitisti decori meo virtutē. Ac si diceret: subsequens experiētia me docuit suis viribus egere: & hoc cognoui, quod tu Dñe solus esses, qui decori spirituali, & ornatui gratiæ, qui intra me est, præstas virtutē in bona & benigna volūtate tua: qui ornatum omnem & pulchritudinem, quæ est in anima mea, ex tua gratia corroboras, & tua virtute donec placitum est tibi, custodis, vt in me permaneat, & ego in illo persistam. Nō igitur nobis fidamus ne post peractam pœnitētiam, & communionem, ad vocē vel vnius ancillæ a virtute cadamus.

Nemo suis viribus sed Dei fauore fidere debet.

1. Cor. 10.

Pro. 28.

Philip. 2.

Psal. 29.

quod multis Petrum imitantibus, quotidie accidere solet. ¶ Præterea annotandum est quod Marcus ait dixisse Christū Petro, *antequam gallus cantet bis, ter me negabis.* Vnde Marcus explicuit Matthæū c. 26. dicentem antequam gallus cātet, ter me negabis: & Lucam dicentem in hoc loco, nō cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me. Idest, antequam gallus absoluat cantū, ter me negabis. Solent enim canere circa mediam noctem & mane.

Matth. 26.

¶ *Quando misi vos sine sacculo & pera nunquid defuit vobis? At illi dixerunt nihil. Dixit ergo eis. sed nunc qui habet sacculum, tollat, similiter & peram. & qui nō habet, vendat tunicam suam, et emat gladium.* Sermo ambiguus est, tum propter variam acceptionem verbi tollat, quod vno modo potest intelligi acceptum, pro secū deportet, altero modo pro abijciat, & venūdet: tum propter incertitudinem accusatiui casus, subintellecti in verbo, nō habet: vbi incertum est, an hoc pacto debeat oratio impleri: qui non habet, supple sacculum & peram. An potius hoc pacto: qui non habet, supple gladium. Geminus ergo emergit huius loci grāmaticalis sensus. Vnus, agnoscitis hactenus vobis nihil defuisse, sed ego dico vobis nunc, qui habet sacculum, vel peram; tollat: i. abijciat, venundet, vt s. distracto precio gladium emat: & qui non habet sacculum vel perā vendendam, vendat tunicā suam, & emat gladium. Secundū hunc sensum Christus non deportando sacculo & pera, sed de solo gladio deinceps portando est locutus, ita vt velit etiam sacculū, & peram, & tunicam, si necesse fuerit, venundari potius, quam carere gladio. ¶ Alius sensus est: nunc qui habet sacculum, tollat, idest, secum portet, similiter & peram. & qui non habet, supple gladium; vendat potius tunicam suam & emat gladium. Secundum hunc sensum, Christus nō solū de habēdo gladio, sed & de sacculo & pera portandis locutus est. Prior sensus cuidā expositori adeo placuit, vt secūdum prorsus tāquam ridēdum & a Christiana philosophia alienū abijciat. Verū si ratione iusta pēsemus videbimus istum non esse sensum a veritate doctrinæ euangelicæ alienum: præsertim

1. sensus

2. sensus

Tacite Basaliā notat.

gium cum & veteres patres, Chrysostomus, Basilius magnus, Beda, cæterique nonnulli intellexerūt posteriorem hunc sensum. Christum videlicet sermonem illum pronunciasse non solum de gladio, sed & de pera, & sacculo portando: & par ratio ex cohærentia scripturarum videatur esse de portando sacculo & pera, & deportando gladio. Quemadmodum in portando gladio non est carnalis inspicienda littera, vt videlicet Apostolis intelligatur Christus dedisse præceptum de vendendo corporali vestimento, ad emendum corporalem gladium, sed consideranda est locutio hyperbolica seu parabolica, secundum sensum & voluntatem Christi loquentis. Ita & in portādo sacculo & pera oportet verbum Christi non ad crassam literam accipere. Relinquatur igitur nobis hac in re geminus sensus, & cum vterque sit pius & catholicus, satius est nobis neutrum tractare contumeliosé aut irreuerenter, præsertim cum Christus huiusmodi verbis, neque præceptum vllum, neque consilium dare voluerit: aut de sacculo vel portando, vel abijciendo, aut de tunica vendenda, & de gladio emendo, aut de cibis & pecunijs, & de armis defensorijs procurandis. Quādo quidem nec gladij multi sufficerent Apostolis nudis & inermibus contra Iudæorum & principum huius mundi tyrānidem sed prænunciare voluit instare tēpora, sub quibus & indigerēt huiuscemodi adminiculis, & relaxatus esset rigor prioris legis eis datæ, supra cap. 10. de nō portando sacculo, pera & baculo, manifestum est & in rebus alijs, Christus primitus dedisse præcepta quædam, quę postea relaxauit, qui primus dixit: in viam gētium ne abieritis, post resurrectionem dixit: ite, & docete omnes gentes. Non ergo iubere voluit Christus Apostolis, vt deinceps in peris & sacculis thesaurizarēt, vt gladios, lanceas, clypeos, cæteraue arma ad bellādum præpararent: sed denunciare voluit illis futurorum periculorum necessitates, tanquam dicat: hactenus me præsente nō defuit vobis quicquam congruum seruādis corporibus vestris, cū omnia vobis in pace affluxerint abunde: iam deinceps nō sic vobis nihil deerit, nō tali pace fruemini, sed grauis erit vobis vita inter hostes, qui etiam alimenta necessaria nō administrabunt, sed & in mortem ducēt propter nomen meum, ita vt etiam si velitis seruare vitam, opus sit sacculis, peris, & gladijs. Quam obrē non est quare indigne tractetur hac in re expositores, docētes Christū huiuscemodi verbis subindicatum laxatū esse prioris legis rigorem, de nō portando sacculo & baculo, & ea quæ vsq; ad id tēporis vetita fuerant Apostolis, facta esse pro loco & tēpore eis licita, propter necessitates: quibus occurrentibus astringerentur etiā legis naturæ vinculis secum interdum portāre cibaria, & defensoriū quendam gladiū, aut baculum, non quod velit eos de his rebus prospiciēdis esse solicitos, hominū more, sed nec post hæc, vt Theophylactus exponit, toti pendeāt à præsidio Christi, qui hactenus eos nō secus ac pueros curæ habuit. Hūc sensum sunt qui sic explanent: olim cum misi vos sine sacculo & pera, nihil vobis defuit, non victus, non vestitus: post hęc duriora imminent tēpora, quibus huiuscemodi auxilijs indigebitis propter odium nominis mei, dum ego ipse relinquar cum iniquis deputatus. Hactenus nec fames nec persecutio propter nomen meū contigit, sed cuncta satis prospere affluxerunt vobis euntibus sine pera & sine sacculo: nunc autem vobis prędicantis nomen meū, instant tēpora famis & persecutionis. Vnde & iuxta Basilij sententiā, Christus hæc verba non iubendo, sed futura prædicando locutus est. Sæpius enim scriptura vtitur imperatiua sermonis specie loco prophetiæ. In pluribus tamen libris nō inueniūtur imperatiua: accipiat, tollat, emat. sed indicatiua, accipiet, tollet, emet. Quód si quis dixerit, Christū certi martyrij gratia, hoc de uendenda tunica emendo gladio dixisse, cur nō & allegoria recipietur in portando sacculo & pera, vt quēadmodū gladiū euangelicū intelligimus, ita & perā euangelicā & euāgelicū sacculū. Verū propter allegoriā non oportet contēnere literalē sententiā, quæ ex sententiarum cohærentia videtur desumpta. Neque ex illa sequitur, quod Christus ad hortatus fuerit Apostolos, aut iusserit, aut cōsuluerit eis portare perā, & gladiū ad defen

Supra. 10.

Matth. 10

Matth. 28

defensionem seu prouisionem alimoniæ, aut relaxauerit præcepta euangelicæ mansuetudinis de non resistendo malo, aut concesserit Apostolis vel bellare vel parare arma ad bellandum: tamen si ex eadem consequens sit Christum satis indicasse, portare sacculum pro necessitate alimoniæ, & gladium seu baculum pro defensione naturæ, non semper illicita fore. ¶ Quod si priorem sensum sequamur: hac parabola significare voluit Christus dominus impendere magnum periculũ, vt si quis præsidijs humanis vti voluisset nihil consultius facere potuisset, quam sibi parare gladium, vel vendito pallio si aliunde non posset. ¶ *Quando misi vos sine sacculo & sine pera, nunquid defuit vobis? Dicũt ei: nihil.* Conqueruntur in tribulationibus multi, quod videlicet Dñs non videat: non consideret labores illorum. Obliuisceris (ait quidam) inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ. Et alius: circa cardines cœli ambulat nec nostra considerat. Vides hic quã perspicaci oculo cuncta rimetur, & cuncta consideret, & nõ sit opus illi ista iactare. Quando inquit misi vos, &c. nunquid defuit vobis? Dicunt ei, nihil. Idem inuenies Deut. c. 2. dictum: Deus tuus benedixit tibi in omni opere manuum tuarum: nouit iter tuum quomodo transieris solitudinem hãc magnam, per quadraginta annos habitans tecum dominus Deus tuus: & nihil tibi defuit. Sed mirum valdè est eum dicere nihil eis defuisse. Nihil sanctis deest, nisi quod non decet eos habere & si aliquando deesse incipiat, statim Dominus ea suppeditat. Quãdo vos (inquit) misi sine pera, &c. nunquid aliquid defuit vobis? Dicunt ei: nihil. Sine pera incedisse & sine pecunia & tamẽ nihil eis defuisse certo affirmant. Quid dubitas modicæ fidei? Qui te mittit Deus est & misericors: seruum mittit quomodo ergo necessaria non administrabit? Audi quid apud Esaiã dicat: Populus Sion habitabit in Hierusalem. Plorans nequaquam plorabis, miserans miserebitur tui. Ad vocem clamoris tui statim vt audierit, respondebit tibi.

Driedo de dog. lib. 3. c. 4.

Psal. 43.

Iob. 22.

Deut. c. 2.

Esai. 30.

¶ *Ea quæ sunt de me.* Subaudi scripta, finem habent.

¶ *Domine ecce duo gladii hic.* Cum Apostoli non intellexissent Christi sermonem, suspicarenturque dominum admonuisse, vt gladium haberent paratum ad depellẽdam vim imminentem, simpliciter respõderunt: Domine ecce adsunt iam duo gladij: existimãtes omnino esse opus gladijs, sed illud tantum verentes duos tantũ non suffecturos ad eam pugnam. Ostendebãt affectum pugnandi pro Domino, quem sciebant de suo posse supplere, si quid deesset ipsorum præsidijs, quemadmodum ante quinque panes & duos pisces auxerat, vt sufficerent multis hominum millibus. In hoc tamen crasso affectu Iesus id temporis reliquit discipulos suos, vt illorum infirmitas nos erudiret ad perfectam tolerantiam. Respondit itaque. Satis est. Hoc illi sic dictum accipiebant, quasi duobus gladijs, quos tunc habebant paratos, posset substineri prima pugna. Cum Christus sentiret de spirituali pugna aduersus mundum & satanam in qua, victoria contingit ex animo ab omnibus terrenis cupiditatibus expedito, soloque gladio doctrinæ cœlestis armato. Ea constat veteris ac noui testamenti scriptura irrefragabili, vt duos possis intelligere gladios, sed ab eodem spiritu porrectos, quia ergo nihil deest ei quem vtriusque testamenti doctrina munierit ait illis: satis est. ¶ Verum est tamen per hos duos gladios, nonnullos Doctores intelligere duos ecclesiæ gladios alterum spiritualem, alterum materialem. Priori, Christi vicarius vti poterit: posteriori autem, vtatur imperator vice Petri vt arceat lupos à grege. sed de hoc inferius. Interim tamen audi quid de his gladijs Vgo dicat. Vnus istorum gladiorum est corporalis, qui secundum legem pœnam peccantibus irrogat. Alius spiritualis qui secundum euang. culpas feriens, homines sanat. Hi sunt duo nũmi quos misericors Samaritanus pro cura languidis adhibenda, prælatis cõmisit: vnus monetæ veteris, & alter nouæ: vt emãtur veteri medicamina quæ mordẽt, nouo quæ fouent. Prima, ad purganda quæ putrida sunt: secũda ad viua cõfirmanda. Ista sunt duo debita præcepti. s. & voti. Debitum præcepti quo doctrinæ impẽditur: voti quo exẽplũ formatur. Hic est glaudius spiritualis, quo prælat à vitia

Ber. lib. ad de conside ratione ad Eugenium.

vitia hominum ferire debent; quem illis Petrus reliquit, si tamen sui feruoris heredes extitit. Videte igitur ó pastores quid facitis: Christus in oculis vestris crucifigitur, & vos adhuc gladium in vagina habetis? quid in passione Christi fecissetis, qui modo ad percutiendum pigri estis? Forte quia discubuistis ad ollas Pharaonis, & saginam diligitis, pigrum vobis est surgere ad bellum. Forte quia lac & lanam, non oues diligitis, ideo veniente lupo fugitis, & de ouibus non curatis. Saltem si lac ouium comeditis, carnes nolite comedere. Bonus enim pastor etiam carnem suã ouibus suis edendam dedit.

Vgo de S. Vict.

¶ *Et cum iniquis deputatus est.* Marcus & Lucas citant hunc locum iuxta septuaginta.

Esai. 53.

¶ *Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem oliuarum. Secuti autem sunt illum & discipuli Et cum peruenisset ad locum, dixit illis, orate ne intretis in tentationem.* ¶ Secundo Regum cap 15. sacra narrat historia quod egressus est Rex Dauid fugiens à facie Absalon, & omnes flebant voce magna. Ecce noster verus Dauid egressus est a Hierusalem fugiens à Iuda traditore quare merito omnes eius veri discipuli & milites lachrymas fundamus. Sequebantur Dauid vniuersi serui eius, secuti sunt verum Dauidem & discipuli. Sequamur & nos illum in montem oliuarum. ¶ Quoniam verò milites inituri pugnam, solent aduersus instãtem cum hoste conflictum reficere corpora, & excitare animos: Dominus volẽs ostendere suis, quid illos maxime roboraret aduersus tales congressus imminentes, cum peruentum esset ad secessum in quo solitus erat orare dixit illis, quo subsistere posũtis aduersus tempestatem eminentem, vigilate & orate, ne si vos oppresserit oscitantes & otiosos, illaqueet vos incautos, & superet Magna sanè est orationis vis ad deuincendos animæ hostes. Cum Iacob ad exitum vitæ vocaretur adhunc modum filium suum Ioseph allocutus est. Do tibi partem vnam, extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo. Nusquam legimus nisi hoc loco hunc sanctum Patriarcham bellum gessisse: fortasse quia arma quibus partem illam nimirum Sichimam abstulit, de manu Amorrhæorum fuerunt obtestationes & preces. Nam paraphrastes Chaldaica difficilium explanatrix locorum habet: quam tuli de manu Amorrhæi oratione mea & deprecatione mea. Arma ergo fortissima quibus hostes & animæ & corporis superantur sunt piæ & ardentes precationes. Quod ferrum, qui gladij, quæ tela, quæ machinæ bellicæ possunt cum his armis comparari? Merito ergo Christus ait: Vigilate & orate ne intretis in tentationem. Vel ne veniatis vel ne cedatis tentationi. Ideo dicebat Dominus apud Psalmographum: Inuoca me in die tribulationis & eruam te. Et rursum In tribulatione inuocasti me & liberaui te. Ad orationem igitur tanquam ad tutissimum præsidium, ac sacratissimam anchoram in afflictionum procella positi accedamus: nam eius vi ac virtute aut à malorum tempestate liberabimur, aut vires ad eam æquo animo tolerandam suscipiemus.

2. Reg. 15. Figura.

Vis orationis.

Gen. 48.

Psal. 49.

Psal. 80.

¶ *Vigilate*, inquit, *& orate, ne intretis in tentationem.* Id eis commendat quod ipse facturus est. Volebat enim orare patrem suum vt eum seruaret, ne intraret in tentationem passionis. Cauta est auis quę laqueum non intrat, ne irretita teneatur ac capiatur. Beda. non ait, vt non tentemini, sed ne intretis in tentationem, id est, vt tentatio vos non superet: nec teneat intra suos casses, quod facit oratio. Quemadmodum enim fur audito clamore fugit, ac vicini excitati accurrunt vt vicino clamanti succurrant: sic orationis clamor & diabolum fugat & angelos, sanctosque omnes ad auxilium præstandum excitat. Preces atque orationes sunt nuncij missi ab habitatoribus Iabes Galaad ad Regem Saul à quo liberati ab hostibus sunt: opprimuntur iusti & obsidentur ab hostibus spiritualibus mittunt nuncios, hoc est, preces ad Deum, verum Regem, ac Ducem protectoremque suum, & liberantur.

Simile.

1 Reg. 11. Figura.

¶ *Et ipse auulsus est ab eis quantum iactus est lapidis.* Non ait Euangelista cessit ab eis, sed quod subtraxit sese ab illis

fermé ad iactum lapidis. Tum quod disci- A
puli eum dimittere nolebant, nec eum re-
cedere sinebant ut non grauiori atque in-
tensiori tristitia afficeretur: tum etiam ne
ipsi, absente ac procul astante magistro hor-
ribiliori concuterentur timore. Quemad- Simile.
modum enim leone rugiente omnes fe-
ræ, bestiæque syluæ pauent: sic dum domi-
nus Iesus gemit, nemo est qui iure non ti-
meat, non expauescat, atque terreatur. Nã
si, ut aiunt, catello coram leone flagellis
cæso, ob ululatus eius leo ipse timet, quid
contrà censendum est de catello, dum leo-
nem cædi, ac flagellari viderit: tristemq;
rugitum emittere? Ad timorem ergo nos
Cyprianus excitans ait: quis non timeat, Cyprianus
si timet ille, quem omnia timent? Si pa-
uet ille, cui omne genu curuatur? Si ille
qui mors est mortis, & morsus inferni,
morte appropinquante pertimescit? Ti-
met ille cuius tristitiæ terminus notus
fuit mors, nostræ autem mortis finis fortas-
san infernus erit. Nam de malis dicitur:
exultant ad sonitum organi, ducunt in bo-
nis dies suos, & in puncto in inferna descẽ- Iob. 21.
derunt. Subtraxit etiam sese atque auul-
sus est ab eis maxime renuentibus, quibus
pollicitus est non longè recessurum, nec
diu permansurum aut immoraturum: vn-
de ferme ad iactum lapidis se subtraxit ut
facilè eum gemẽtem possent audire. Sub-
traxit, inquam, sese solus oraturus pro om-
nibus, quemadmodum vnus pro omnibꝰ
passurus erat. Verum ut illius mors nõ pro-
fuit ociosis, ita nec precatio valere debet
nisi his, qui pro se quoque student orare.
Subtraxit sese, ac veluti prorsus ab omni
solatio hominum destitutus planéque de-
ploratus, quod ad humanas attinebat o-
pes: cõfugit ad patris auxilium, nec apud
hunc statim inuenturus mali leuamen.

¶ *Et positis genibus orabat.* Diuus Mar-
cus ait: Procidens super terram orabat, ut
si fieri posset transiret ab eo hora. Mathæꝰ
verò inquit, quod procidit in faciem suã:
Nec de hoc mireris nam primum ut nos
doceret animum esse submittendum quo-
ties cum Deo loqui paramus, flexis in ter-
ram genibus orabat patrem ut Lucas no-
ster ait: At cum pluries oraret, crescente
mortis timore, ac vehemẽti passionis ima-
ginatione & representatione prostratus
est, ac procumbens humi, demissa in terrã
facie rogare cepit patrem. Vires præ ani-
mi anxietate non suppetebant, ut dominus
Iesus stans oraret, ut pharisæus & publi- Supra. 18.
canus orabant in templo: & quemadmo-
dum angeli Deum orare dicuntur, scilicet,
stantes. Ideò cœpit flexis genibus patrem ro-
gare contentus: sed cum persentiret maxi-
mum mortis timorem, in faciem suam ti-
more correctus irruit, imitatus tres disci-
pulos qui in mõte Thabor præ timore ce- Matth. 17.
ciderunt in faciem suam. Quod cum om- B
nino vires deficerent proiecit se super ter-
ram ut Marcus ait. Quæ omnia apertissi-
ma indicia erant maximæ anxietatis, atq;
animi mœroris & pauoris: manifestissima
que signa tristitiæ. Secundo lib. Regum 2. Reg. 12.
cap. 12. sacra narrat historia, quod depre- Figura.
catus est Dauid Dominum pro paruulo,
& ieiunauit ieiunio, & ingressus seorsum
iacuit super terram. Venerunt autem se-
niores domus eius, cogentes eum ut sur-
geret de terra. Ecce iã dominus Iesus pro
seipso iam paruulo patrem deprecatur,
quia nunc exinaniuit semetipsum formã C
serui sui Dauidis secutus procumbens hu- Psal. 68.
mi. Qui & ieiunat: quærebat enim vndi-
que solatium & non inueniebat: vnde ip-
se ait: sustinui qui simul cõsolaretur & nõ
fuit: & qui consolaretur & non inueni.
Qui & ieiunio ieiunat, quoniam tam ani-
ma quam corpus sunt ab omni cõsolatio-
ne aliena. De anima enim loquens ait: tri-
stis est anima mea vsque ad mortem: de
corpore verò quid opus est dicere cum hu-
mi prostratus iaceat? Dauid ingressus seor-
sum iacuit in terra: verus Dauid ingressus
hortum & auulsus à suis procidit super ter- D
ram. Sed qui sunt seniores domus eius co-
gentes eum ut surgeret de terra? Hi sunt
illi quos vidit Ioannes in Apocalyp. & de Apo. 5.
quibus ait: Viginti quatuor seniores ceci-
derunt coram agno habentes singuli cy-
tharas & phyalas aureas plenas odoramẽ-
torum, quæ sunt orationes sanctorũ. Hic
Ioannes dicit se vidisse hunc agnum stan-
tem in medio seniorum tãquam occisum.
O agnus verus Dei, qui tollis nunc pecca-
ta mundi, qui & stas diuinitate & cadis hu-
manitate. Coram te ceciderunt seniores,

Patriarchæ videlicet & Prophetæ, vice omnium prædestinatorũ, qui per Adam in mortis sententiam cadunt, quoniam cæciderunt in rettaculo eius peccatores. Tibi deferunt Patriarchæ à limbo in spiritu venientes orationes sanctorum vt surgas à terra. Tibi afferunt phyalas & cytharas, id est, figuras & prophetias ad te directas, te canentes tuã mortem continentes, quoniam cuncta proclamant, vt surgas à terra. Certè si proferamus in medium & afferamus domino Iesu sanctorũ preces, qui eum desiderarunt virum dolorum: & si afferamus Patriarcharũ figuras, & Prophetarum vaticinia, omnia ista cogere Christum poterunt, vt à terra surgat. Sed ad quid tantum instãt sancti, vrgemus & nos vt surgat? Forte ibi dimitti vult, quo paululum terrę procumbens requiescat. Ad quid ergo surgere debet? O domine Iesu grandis tibi restat via peragenda, quia (flẽs dico) à terra in crucem surgere oportet: si quidem tu dixisti: cũ exaltatus fuero à terra omnia trahã ad me ipsum, oportet exaltari filium hominis. Surge ergo domine à terra, surge, ascende in crucem, vt seniores domus tuæ liberentur, te descendente ex ea in inferiores partes terræ, in limbum, vbi sunt expectantes te à cruce. Quoniam dominus regnauit à ligno: & rex Israel descendens tunc de cruce superueniens in fortem armatum, vniuersa eius spolia detrahes.

Ioan. 12.

§ *Pater si vis, transfer calicem istum à me.* Miror ac demiror te ò domine Iesu qui immensum passionis tuæ mare, calicem voces. Nonne in mari passionis viæ tuæ & semitę tuæ in aquis multis? Nonne in diluuio aquarum multarum ad te non approximabunt etiam omnes martyres? Nonne alibi patri dixisti, omnes fluctus tuos induxisti super me? Quomodo ergo nũc dicis quod à te trãsferatur calix iste? Nos ò fideles, nos sumus qui trepidamus & timemus vbi non est timor, & si quid Dei amore patimur, arduum ac magnum graueque censemus. Dominus autem Iesus tanto nos amore prosequitur vt calicẽ vocet mare passionis suæ. Amanti nil arduum, nil difficile, aut magnum videtur. Quamuis igitur fuerit velut mare contritio eius, eam, calicem appellat. Nec paruũ reuera fuisse hũc calicem quis existimet. Fuit sanè maximus. Hic est calix ille: de quo regius vates ait: Calix in manu Domini vini meri plenus misto & inclinauit ex hoc in hoc, veruntamen fex eius non est exinanita, bibẽt omnes peccatores terræ. Ecce calix iste modo iam adest, iam est in manu domini Iesu vt bibat illum, nunc tamen est vini meri, eo quod anima sola modo persentit dolores, anxietates & angustias: cum verò in cruce positus sitiat, tunc calix iste plenus erit misto. Patietur enim tam corpus quam anima. Tã copiosus tunc erit vt ex eo bibant, si iustificari volunt, omnes peccatores terræ. Nec finietur etiam si diues ille sitibũdus, totusq; infernus biberet, quoniam fex, id est, meritum passionis, non est exinanita. Venite igitur o vos omnes qui sceleribus ac vitijs estis cõtaminati, venite, & bibite calicem non aquæ frigidæ, sed sanguinis vitæ, vt viuatis. § Non vocat Christus dominus passionem suam panem lachrymarum, nõ vocat eam cibum amarum sed calicem, tũ quod inuere velit illum & cito bibiturum, & nobis esse maximè ad salutem proficuum. Fuit enim calix iste potio quædã salutaris, fuit pharmacum & medicamentum venenis mixtum. Mixtum, inquam, traditione Iudę, inuidia Iudæorum, superbia primi parentis, omnibusq; mũdi peccatis. Hunc ergo calicem amarissimũ pro corporis, hoc est, eccesię salute bibit Christus. Quare non mirũ quod ante eius sũptionem timeat, paueat, tristis & anxius sit: non mirum quod corripiatur tam vehemẽti animi angore vt toto corpore nõ sudor aqueus, sed sanguineus defluat in terram. Non ergo domine Iesu miramur quod tã venenosum pharmacũ pro nobis suscipere renuas: nõ miramur quod patrẽ petas, vt calix iste amaritudine plenꝰ trãsferatur à te: cum nemo nostrum eum suscipere pro sua salute vellet. Sed tu ò domine Iesu calicẽm istũ medicina benedicta immensę charitatis tuæ temperá vt illum bibere possis.

Psal. 76.
Psal. 31.
Psal. 87.

Calix passionis magnus.
Psal. 74. d

§ *Veruntamen non mea voluntas sed tua fiat.* Tam efficax fuit hoc fiat, vt statim cœpit opere perficere patris voluntatem ...

Esai 53. Voluntas patris est vt filius pro nobis moriatur.

Sed quæ fuit illa patris voluntas? Audi Esaiam dicentem, si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longeuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Voluntas patris est vt ponat pro peccato nostro animam vitamque suá, ne semen longeuum prædestinatorum quod est in manu Christi, pereat. Vt tota seges in gloriæ horreum perducatur. Sed mirabitur quis forsitan, vt per tam absona media, hoc est, per peccata ac scelera Iudæ, Iudæorum, ac tortorú, pater cœlestis voluntatem suam exequatur: veruntamen qui per fratrum scelera perduxit ad supremam dignitatem Ioseph, optime modo poterit salutẽ ex inimicis nostris & de manu omnium qui oderunt nos, elicere. Colligit pater iste familias vbi non seminat: per inuia peruenit ad terminum, per Iudæ traditionem ad sacrificium.

¶ *Pater si vis transfer calicem istum à me. Veruntamen non mea volũtas sed tua fiat.* Ac si diceret: Sentio naturam, quã assumpsi, abhorrentem à morte, sed vincat hic hominum salus: idque fiat, quod tua volũtas immutabilis decreuit, non quod huius corporis suadet imbecillitas. Quare domine Iesu mortem fugis? Quod & si spiritus promptus sit, caro tamen est infirma. Ecce noster verus Iob qui cum illo, quia spiritus est promptus, ait: quis det vt veniat petitio mea, & quod expecto, tribuat mihi Deus. Quia verò caro erat infirma dicebat: quæ est enim fortitudo mea, vt sustineam? Nouerat noster Iob quid vellet pater, & cupiebat ipse bibere poculũ mortis pro salute mundi, sed ipse transtulit affectum sui corporis, ac suis precandi formam præscribere studuit. Siquidem hæc precatio pulchrè congrueret martyri sub tempus carnificinæ: fiat tua voluntas non mea, siue me viuere vis siue mori. Hanc autem naturę nostræ trepidationem Christus ipse suscepit, vt à suis eximeret. En vides modo verum Isaac patri minime contradicentem. Sicut enim primus Isaac nõ restitit Abrahę cum vellet eum occidere, sed dixit, pater mi liga mihi manus & pedes ne quando insurgam in impugnationem. Sic verus noster Isaac non contradicit patri, sed paratus respondit. Pater si vis

Iob 6.

Gen. 22.

A transfer calicem istum à me, veruntamen non mea voluntas sed tua fiat. Discamus ergo omnes nos à Christo capite, duce, magistroque nostro rectum habere cor. Quod si quæras, inquit Augustinus, qui sunt rectum habentes cor? Qui hoc volũt quod Deus vult. Deus parcit peccatoribus: tu vis vt iã perdat peccatores. Distorti ergo cordis es & prauę voluntatis, quãdo aliud vis, aliud vult Deus. Conuerte ergo cor tuũ & dirige ad Deum, quia & Dominus infirmis compassus est. Vidit in cor
B pore suo, id est, in ecclesia sua infirmos, qui primò voluntatem suam sequi tentarent. Sed cum vident voluntatem Dei aliã esse, dirigunt se, & cor suum ad suscipiendã & sequendam voluntatem Dei. Ne voluntatem Dei velis torquere ad voluntatẽ tuã: sed tuam corrige ad voluntatem Dei, voluntas Dei sic est quomodo regula. Ecce puta tot fisti regulam vnde habes corrigi? Illa autem integra manet. Quandiu integra est regula, habes quo te conuertas, & corrigas prauitatem tuã: habes vnde cor-
C rigas, quod in te tortum est. Quid autem volunt homines? Parum est quia voluntatem suã tortuosam habent, etiam voluntatem Dei volunt tortuosam facere secundum cor suum: vt faciat Deus quod ipsi volunt: cũ ipsi debeant facere quod Deus vult. Quomodo autem complexus est Dominus ex duabus voluntatibus vnam factam in homine quem portabat? Præfigurãs in corpore suo, id est, in ecclesia sua futuros quosdam qui voluntatem suam vellent facere, sed sequerentur postea Dei: infirmos quosdam ostendit quod ad ipsum pertineant, & eos præfigurauit ipse. Nam
D ideo & toto corpore sanguinem sudauit, quia in corpore suo, id est, in ecclesia sua martyrum sanguinem ostendit. Toto corpore sanguis exibat: ita ecclesia habet martyres: per totum corpus eius fusus est sanguis. Quosdam enim infirmos ipse prefigurãs, id est, in corpore suo ex persona infirmorum competiens illis ait. Pater si vis transfer à me calicem istum. Ostendit hominis voluntatem: & si in ipsa voluntate permaneret: iam prauum cor videretur ostendere. Sed si compassus est tibi & te liberat ipse: imitare quod sequitur dicens: verun-

Apud Chrysost. te ho. 2. in Matthæ in certo tore.

August.

Verũtamen non quod ego volo, sed quod tu vis. Hanc voluntatem volens ostendere Iob dicebat: Dominus dedit, Dominus abstulit: Sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Hæc dixit sanctus iste qui antea carnis infirmitate compulsus sciderat vestimenta sua. Lege August. in Psalmum. 93. in illa verba, quousque iustitia conuertatur in iudiciũ, & qui iuxta illam omnes qui recto sunt corde. ¶ Præterea his verbis docet nos Christus iustos clamãtes ad Dominum in tribulatione positos, non semper exaudiri, ac liberari. Vt impij eos persequentes magis ac magis puniantur. De qua re lege si libet D. Gregor. lib. 26. Moral. cap. 15. & 16. explicantem verba illa: clamabunt & non exaudiet propter superbiam malorum. Neque enim frustra audiet Deus, & omnipotens singulorũ causas intuebitur.

August in Psal 93.

D. Grego.

Iob. 35.

¶ *Apparuit autem illi Angelus de cælo confortans eum.* Ideo apparuit ei Angelus, vt nos doceret Dominus, tunc cælitus nobis adfore auxilium à Domino, postquam nos totos diuinæ voluntati tradiderimus, siue ad vitam, siue ad mortem. Apparuit etiam ei Angelus confortans eum, non vt illum doceret, non vt illum instrueret, cũ autore Dionysio, lib. 7. cælest. hierarchiæ, supremi angeli ab ipso scientiam discant diuini illius operis, & pro nobis assumptæ carnis, & eos ipse Iesus, sine medio doceat: sed vt ea confortatione humanæ naturæ infirmitatem ostẽderet. Vnde Beda in Lucam, inquit: in documento vtriusque naturæ, & angeli ei ministrasse: & eum confortasse dicuntur. Creator enim creaturæ suæ præsidio non eguit: sed homo factus, sicut propter nos tristis est, ita propter nos confortatur: vt, scilicet, in nobis fides incarnationis suæ confirmetur, ac corroboretur.

S. Tho. 3. p. q. 12. ar. 4. ad primũ

¶ *Et factus in agonia prolixius orabat.* Corripuit eum vehemens quidam angor qui ferè solet accidere iam mortẽ animo contuẽtibus. Solet autem hic affectus esse nonnunquam ipsa morte grauior. Nec hunc cruciatum Iesus nostra causa dedignatus est accipere: qui crucem nostra causa non recusauit: nos interim docens, ad quæ præsidia confugiendum sit, quoties

A horror ille nostram imbecillitatem ceperit. Quare intellige & in animo tuo hæc recogita quod non tam pro se dominꝰ Iesus modo orabat: qui in terra positus omnia moderabatur verbo virtutis suæ. Sed appropinquante morte, mentis nostræ in se certamen & vehementem angorem exprimere voluit: qui vim quandam terroris ac formidinis patimur, cũ deposita sarcina carnis, æterno appropinquamus iudicio. Nec immeritò tunc terretur quisque, quando post pusillum hoc inueniet, quod B in æternum mutare non poterit, Quis nostrum vitam præcedẽtium patrum valeat vel superare vel assequi? Et tamen Dauid, vir secundum cor Dei ait: Non intres in iudicio cum seruo tuo Domine: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuẽs. Ita & Apostolus cum diceret: nihil mihi conscius sum: cautè intulit, sed non in hoc iustificatus sum. Ad orationem ergo tunc tanquam ad tutissimum præsidiũ cõfugiamus exemplo seruatoris qui factus in agonia prolixius orabat.

Grego.

Psal. 142.

1. Cor. 4.

¶ *Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Ecce iam vi-C des quo pacto statim quod Christus dixit Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat: patris cœlestis voluntatem adimplere cœpit. Nam statim seipsum abnegauit, seipsum vicit, carnis affectꝰ suppeditauit: ac victrix charitas foras misit timorem, & incepit animam suam non solum pro amicis sed & pro inimicis ponere: dũ toto corpore guttæ sanguineæ defluerent in terram. Ac si re ipsa patri diceret: vis ò pater cœlestis vt pro sceleribus mundi expiandis vitam meam morti acerbissimæ exponam, quia sine mei sanguinis effusione nõ D fit remissio. En expono, en sanguinẽ meũ verto, en illum effundo, ecce tibi illũ pro peccatoribus ac sceleratis hominibus offero, en morior, vitamque meam morti libẽter offero, præsto sum vt tuam (quanuis renuente natura) exsequar voluntatem. Portio enim illa inferior vt autor est D. Tho. rationi parebat: & ad nutum eius agebatur, & quia modo ratio, siue superior portio patri obedire decreuit, carnis affectũ sibi obedire constrinxit. ¶ Considera hic mecum, huius angoris, huiusque sangui-

Quare Christus tãto angore correptus sanguinem sudare voluerit.

3. sen. & 3. p.

nei

nei sudoris tam insoliti, etiam alias causas. Prima fuit, vt significaret quod è toto corpore, hoc est ecclesia, martyrū sanguis erat effundēdus. Vnde Augustinus. Quid est de toto Christi corpore sanguinis effusio, nisi de tota ecclesia martyrum passio. Preterea, vt nos suo exēplo in supplicijs essemus firmiores tantus angor illum corripuit, vt toto corpore guttę sanguineæ decurrerent in terram. Tertia causa huius tā admirabilis Metamorphosis fuit, tantorū suppliciorum ac tormentorum, quæ tam iam instabāt, memoria & recordatio. Omnia enim & singula distinctè sese memoriæ obtulerunt, flagella, alapæ, illusiones, ludibria, cæteraque vsque ad patibulum supplicia, quorum timore & angore correptus sanguinem sudauit. Itaq; tam modo (si dicere liceat) fuit ab hostibus captꝰ, flagellis cæsus, impiorum ore consputus, alapis percussus, spinis acutissimis coronatus, cruci denique affixus. Quare non mirum, vt tantorum malorum memoria vis imaginatiua detenta, talem tamque inauditum casum efficeret. Quartam his adde, omnium s. nostrorum scelerum, pro quibus passurus erat, amaram recordationē. Tristemque memoriam. Nam quando tāta fuit eius immensa charitas, vt sese vellet libenter pro eorum satisfactione morti crudelissimæ ac immanissimæ offerre, rationi maxime consentaneum erat vt ante huiusmodi satisfactionem, hunc tam immersum animi angorem, & dolorem, hanc tam incredibilem anxietatem pateretur. Quod vt faceret, primum omnium peccatorum tam præteritorum quam prę sentium quam futurorum, tam saluandorū, quam condemnandorum crimina ob oculos posuit: ob quorum recordationem tantus in animo illo sancto ortus est mæror, tantaque tristitia, quanta erat eius immensa charitas, quantusque Dei patris zelus. Ex quo fit vt quemadmodum eius zelus eiusq; amor erga nos omnes immēsus atque inæstimabilis fuerit, ita præsens eius animi dolor & mestitia metiri nō possit. Si enim sanctus Dauid deficiebat præ dolore, & animi amaritudine, sceleratorū hominum scelera videns; quanto maiori langore premeretur animus Christi Domini intuentis tanta tamque innumerabilia omnium hominum peccata? Hæc erāt vituli illi ac tauri pingues, qui obsiderunt non solū corpus, sed animam eius. De quibus dicebat apud Dauidem: circundederunt me vituli multi, & tauri pingues obsederunt me. Tandem tanto animi angore corripitur quod sui populi, suæ gentis ad quem missus peculiariter à patre fuerat, tam immane scelus conspiceret: dolebat vehementer Iudæorum perditionem: idcirco (vt annotauit Hieronymus) postulabat vt transiret calicem illum à se. Postulat (inquit Hierony.) misericordia prioris populi, ne ab illis bibat calicem propinatum. Vnde & signanter nō dixit: transfer à me calicem, sed calicem istum, hoc est, populi Iudæorum, qui excusationem ignorantiæ habere non potest, si me occiderit habēs legem & Prophetas, qui me quotidie vaticinantur. His igitur alijsque rationibus animo illo sanctissimo occurrentibus commotus Dominus, tanto dolore corripitur vt toto corpore guttæ, vt iā diximus, sanguineæ in terram fluerent. Quę ergo est bone Iesu ingens hæc pœnarum acies in te insontem parata? Quis tibi tam grauissimum crucis pōdus imposuit, quo succumberet humana fragilitas, nisi diuinum robur vires suppeditaret? A quo tam lethale vulnus inflictum est, quod riuos sanguinis scaturire præ magnitudine doloris cogit? Mea equidem peccata tanti mali causa extiterunt, non tua: quia lōgè à salute tua verba delictorum meorū. Illa te tot calamitatibus affecerunt; illa te in limo profundi affixum posuerunt, cum tamen in te non esset substantia, scilicet peccati, fuit tamen accidens, id est, pœna debita subsequensque peccatum meum, quod super lignum portare voluisti. Nos parentesque nostri, subituri profecto eramus, vt potè qui deliquimus, hæc & grauiora tormenta: nos nos ipsi daturi pœnas, vt potè qui in nos ipsos tantam malorū ingluuiem inuenimus, quantam humeri nostri reportare recusent, nec valeant: nos ipsi temerè pastum vetitum aggressi sumus, ac proinde æquum esset, inedia consumi, fame deperire: denique bone Iesu quæ tolerasti tormenta, in nos conuertenda essent.

In Psal. 140.

Hiero in Matt c. 26

nos profusus sanguinem, nos haustum acerbissimum potum, quo te potauerunt sitientem impij Iudaei, nos perpessus opprobria, confusiones, flagella: patrator enim sceleris, dignus est, qui poenas luat. At euicit te nimia erga nos pietas, & voluisti immanissimis bestijs corpus tuum dilaniandum committere, vt nos onere peccatorum oppressi in capite nostro debitū solueremus. Gratias quidem pro tanto beneficio rependere non sufficimus, saltim doleamus cōtemplantes te verum Deum sanguine madentem. ¶ En videmus adimpletum quod ipse olim apud Psalmographum dicebat ad patrem clamando. Domine Deus salutis meæ in die clamaui & nocte coram te. Intret in conspectu tuo oratio mea: inclina aurem tuam ad precē meam. Quia repleta est malis anima mea: & vita mea inferno appropinquauit. Verē nunc repleta erat malis anima eius & vita eius inferno, hoc est, morti appropinquabat: quando Apostolis suis dicebat; Tristis est anima mea vsque ad mortem: quando cœpit pauere & tedere, contristari & mœstus esse: quando in agonia positus guttas sanguinis in terram decurrentis sudauit. Hoc idem experiuntur, qui piē volūt in Deo viuere, dum ad tempus Dei dispēsatione, ad suam probationem, à suo consolatore videntur derelicti. quomodo de seipso satis aperte testatur gētium Apostolus, in epistola secunda ad Corinthios ita scribens. Non enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostra quæ facta est in Asia, quoniam supra modum grauati sumus supra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere: sed ipsi in nobis ipsis responsum mortis habuimus, vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos. Ac si diceret: vsque ad hanc afflictionum extremitatem deuenimus, vt ansi plane & nostra & aliorū opinione morti adiudicati essemus actādem Deo nos eripiente exuscitati, doceremur cōfidere nō in nobis, sed in Deo. Vel responsum mortis habuimus, intellige quod tam graues erant afflictiones & molestiæ vt nihil aliud portendere ac loqui viderētur quam instantem mortē. Sic enim, inquit, Chrysosto. hæc nobis molestiæ illæ respondebant. Hoc etiam expertum fuisse Dauidē nemo est qui ignoret, nisi cui non est nota persequutionum impij Saulis sæua & insignis crudelitas. Nonnunquam enim in tanta angustia extitit, vt esset anima ipsius plena malis, & vita inferno proxima. Nos igitur in simili angustia politi clamemus ad Dominum, instemus oratiom: vt tentationi non succumbamus.

Psal. 87.

Matth. 26

2. Cor. 1.

¶ *Erat sudor eius sicut guttæ sanguinis, etc.* Nunc sane noster vetus Adamus in sudore non solum vultus sui, sed totius corporis sui, laborat mirum in modum, operatur, exercet, & excolit hortum Gethsemani. Nunc etiam in sudore isto tam admirabili præparauit Dominus ante passionem futuram piscem grādem vt deglutiret nostrum Ionam absortum nimia animi tristitia. Nunc Iacob vetus timet Esau fratrem suum, hoc est, Iudam populumque Iudaicum: confortatur tamen ac corroboratur ab angelo sicut olim Iacob. Nunc noster Elias timet Iezabelem, idest, synagogam impiam & quia longa illi restabat via vsque ad montem Dei, hoc est, vsque ad Caluariæ montem, angelus illi adest, cum subcinericeo passionis pane, quem sub iunipero crucis comedere suadet. Iam videt Zacharias sibi ostensum à Deo sacerdotē magnum Iesum, stantem coram angelo Domini, & satanam etiam stantem à dextris eius vt aduersaretur ei, tam audit Dominum dicentem satanæ: increpet Dominus in te satan, & increpet Dominus in te qui elegit Hierusalem. Nunquid non iste est torris erutus de igne? sic Iesus (inquit) erat indutus vestib. sacerdotalibus. Iesus iste sacerdos typus & figura expressa fuit nostri veri sacerdotis Iesu. Ille preces fundebat pro populi in Babylone captiui liberatione: Christus autē sacerdos in æternū orat pro redemptione populi sui, imo pro libertate totius mundi: quem diabolus, huius mundi princeps captiuum tenebat. Vnde oratio illa pater si vis trāsfer calicem istum à me secundum sententiam Hylarij sic explicanda atque exponenda est: calix passionis à me in meos transeat. Transiuit equidem Christi domini calix ad nos, quo liberamur à peccato. Iesus ergo sacerdotis officio fungens ardentissimē pre-

Gen. 3. Figura.

Ionæ. 2. Figura.

Gen. 32. Figura.

3. Reg. 19. Figura.

Zach. 3. Figura.

Hylarius.

precatur pro sui populi liberatione. Dum summus Pótifex semel in anno sancta sanctorum oraturus intraret: pro populo sanguinem agni deferebat, Iesus autem noster qui est verus immaculatusque agnus Dei, & sacerdos noster, per proprium sanguinem intrat nunc ter preces fundens, terque Trinitatem deprecans, ad inueniendam æternam redemptionem, ideoq; sanguinem offerendum sudat. Interim tamé aduerte, quod vbi nos legimus dixit Dominus ad satan, in Hebræo (vt annotauit glos.) habetur nomen illud ineffabile Tetragrammatõ siue quatuor literarũ, quod proprium est Dei; quod cum in hoc loco ter repetatur satis mysterium Trinitatis ostenditur. Dum ergo ibi de Trinitate fit mentio & Christus dominus ter in horto isto precationes fuderit, inde docere voluit nos: vt preces nostras ad Trinitatem dirigamus: eique maximas gratias referamus quod salutis nostræ calicem disponere voluerit in Christo domino stãte inter duos angelos alterum eũ accusantem, affligentem, ac persequentem: alterum verò eum confortantem ac corroborantem. O domine Iesu quis modo nõ videat quãto maior quantoque grauior hæc tẽtatio fit tentatione pristina deserti? Nam tunc non accesserãt angeli vt te corroborarent sed vt tibi subseruirent. Núc autem & angelus de cœlo astans te confortare nõ cessat: & ipsamet Trinitas satanæ minatur dicens: increpet Dominus in te satan, qui elegit Hierusalem. Vbi complebis excessum; hoc est, mortis genus à Prophetis prędictum. Tu sané vorax est torcis ... de igne, scilicet, amoris, iam immensi tamq; feruidi, vt hunc sanguinem sudare fecerit: sed ereptus es modo ó domine Iesu ab hoc cœlesti igne semiustus, seruatusq; es à patre donec super ligna crucis compolita omnino ardeas, & in holocaustum pro nobis offeraris. ¶ Sed iam tempus est vt ad nos sese conuertat oratio: Vix est inter nos aliquis qui propter Christi domini amorem desudet, aut lachrymas fundat, nedum guttas é corpore sanguineas. Propter mundi diuitias & opes sudarat, qui dixit: Detestatus sum omnem industriam meam qua sub sole studiosissime laboraui, habiturus hęredem post me, quem ignoro vtrum sapiens an stultus futurus sit, & dominabitur in laboribus meis, quibus sudaui & solicitus fui. Et est quicquam tam vanum? Propter infernum desudarãt, qui in inferno positi amare flentes dicunt: lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, ambulauimus vias difficiles. Quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum iactãtia quid contulit nobis? His miseris mundi diuitias, voluptates & magistratus vané quęrẽtibus euenit quod cani sudanti post leporem, quem Dominus lepore capta lapidibus ac vocibus contundit, donec eam dimittat. Sic mundus iste, homines cum Christo non sudantes sudoribus & labore suo partis opibus spoliat, exuit, nudat atq; omnino priuat.

Glos. | Matth. 5. | Eccle. 2. | Sap. 5. | Simile. Sudor impiorũ inutilis. | An sudor Christi fuerit verus sanguis.

¶ *Erat sudor eius sicut gutta sanguinis, etc.* Hic queritur an sudor iste fuerit verus sanguis: eo quod Lucas dicat erat sudor eius sicut guttæ sanguinis. Theophilatus putat non fuisse verum sanguinem. Ait enim: parœmia est in his qui valde laborãt vt dicant sanguinem sudasse: sicut in his, qui amaré flẽt, dicimus quod sanguinem fleant. Hazeme sudar gotas de sangre, hazeme llorar lagrimas de sangre, dicimus Hispané. Hoc volens significare Euangelista dicit ita fortiter sudorem instillasse, vt collegerit secũ riuos sanguinis. At Hieronymus, quem libenter sequimur, lib. 2. contra Pelag. vltra medium ait: guttæ sanguinis fluxerunt ex parte, quem totũ erat in passione fusurus. Idem dicitur de celebratione missarum cap. in quanti.

¶ *Inuenit eos dormientes præ tristitia.* Non erat illa crapula sed imbecillitas naturæ, grauis animi mœror somnum adduxerat: sic sanctus Elias olim præ animi dolore proiecit sese, & obdormiuit in vmbra iuniperi: vt lib. 3. Regum cap. 19. facta narratur historia. Animus enim (ait Chrysost.) semel tristitia repleta, nihil audire est idonea. Propterea & amici Iob profecti, & domum illius deplorationem celebrantes, & instum in stercore sedentem, & vlceribus plenum, vestimẽta sua disciderunt, ingemuerunt que, & silentio se tradiderunt, significantes quod nihil à principio tam dolentibus opportunum, quam requies & silentium.

Tristitia & silentiũ & somnũ secũ affert | 3. Reg. 19. | Chry hom. 11. ad pop. Anti. in principio. | Iob. 2.

stum, erat enim consolatione maior tristitia. Propterea & Iudæi luto & operi lateritio alligati, Mosen profectum cernentes, his quæ dicebantur attendere non poterant ex pusillanimitate & tribulatione, quam patiebantur. Et quid mirum si homines quidē pusillanimes hoc passi sunt, cum & Christi discipulos (vt in hoc loco vides) in hunc morbum incidisse inuenimus? Et paulo ante post cœnam, quando ipsos assumens Christus seorsum alloquebatur, ab initio quidem ipsum interrogabant discipuli, quo vadis? Vt vero dixit illis mala ipsos paulo post exceptura, bella, persecutiones, inimicitias ab omnibus, flagella, carceres, iudicia, abductiones, velut onere ponderosissimo, dictorum formidine, & futurorum tristitia, pressum tunc ipsorum cor, postea stupidum remāsit: ideo confusos eos cernens Christus, hoc ipsum exprobrans dicebat: vado ad eum qui misit me; & nemo ex vobis interrogat me quo vadis? Sed quoniam hęc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Tristitia ergo silentium imponit, somnum secum affert. Inuenit (inquit) eos dormientes præ tristitia.

Exo. 6.

Ioan. 16.

¶ *Et ait illis, quid dormitis? Surgite. Et orate ne intretis in tentationem.* Obiurgat itaque Iesus suos: & excitat rursus ad orandum: quur, inquit, nunc in tanto periculo dormitis? Surgite & orate, ne vos oscitantes obruat ingruens tempestas, iam enim instat tempus. Surgite & eamus, ecce qui me tradet prope est. Eamus, inquit, ad eos, ne nos imparatos & somno sepultos arbitrentur, eamus ad eos, ne glorientur ac irrideant nos tanquam delusos & nihil suspicantes captos. Surgite eamus, ne male suspicentur me inuito mortem esse subiturum. Eamus, quod multo minus calamitas nocet, minusque terret, à principio præuisa. Surgite & intrepidi occurramus hostibus: ego vos protegam à facie hominum sublimium istorum. Sub vmbra alisque meis tuti securique eritis. Solum me pastorem canes isti ac lupi rapaces quærūt: vos dispersi eritis solummodo sicut oues errantes, nec sinam vos capi. Quia quos dedit mihi pater non perdam ex eis quenquam nisi filium perditionis talem tātūq;

Mar. 14.

Ioan. 18.

A bellum aduersus nos excitantem. His aliisque similibus verbis eos excitat Dominus atque omnem timorem atque metum pellere conatur.

¶ *Adhuc eo loquente ecce turba & qui vocabatur Iudas vnus de duodecim antecedebat eos. Et appropinquauit Iesu, vt oscularetur eum.* En Iudas modo Christi sectator & conuiua nunc dux impiæ manus, antecedebat illos ex interuallo, sed prius illis dato symbolo (sic et hoc in bellis fieri) vt cui dedisset osculum hunc scirent esse Iesum. Miser homo vt simularet

B & mentiretur se non esse proditorem sed discipulum, se non hostem sed amicum, citius properat & cohortem impiam ex interuallo antecedit: cū reuera dux esse voluerit sceleratorum militum, quos sacerdotes & pharisæi sceleratiores miserāt ad capiendum Iesum. Vbi vero ingressus est hortum alacris & lætus & proprius adiisset Iesum, iam osculum ex more porrexit. Ac si dicere vellet: ego equidem discipulus sum non traditor: procurator tuus ego sum, qui pacem tibi & non bellum procuro. Ecce osculor, ecce saluto, ecce amplector, quæ pacis & amicitiæ signa sunt omnia. Dominus tamen pro sua mansuetudine nec proditoris recusauit osculum, neo os ab illo voluit auertere: quemadmodū nec auertit ab increpātibus & spuentibus inse. Os igitur dominus Iesus Iudæ inclinauit: & osculum suscepit libenter, quod nō osculum sed potius proditionis signū, inferni morsu deterius, dicendum erat.

C

Esai. 50.

Quare illius pungere conscientiā volens, vt vel tanta Domini lenitate motus resipisceret: ait illi quæ statim Euangelista narrat.

D

¶ *Iuda, osculo filium hominis tradis?* Intelligebat Iudas se non latere, nouerat innocentiam Domini, toties inaudita mansuetudine prouocabatur ad mutanda consilia: vel lapis emolliri poterat, nisi totum illius pectus iam satanas auaritiæ morbo occupasset. Ac Iudę quidem impietas, ipsi quidem vni exitium attulit. Cęterum qui nunc simili dolo veritatem euangelicam produnt principibus huius mūdi, grauiorem perniciem adferunt, & maiori supplicio digni sunt, quam Iudas infœlix, sero

facti

facti pœnitens, de se exegit. Sed ad Dominum osculo traditum redeamus. O domine Iesu, o verus agnus Dei immaculatus, inter brachia lupi rapacissimi te video, imo & inter dētes huius immanissimæ feræ. Morsus est enim amarissimus, Iudæ traditoris osculum: qui animam à tuo sacro corpore separare contendit. O huius impijssimi traditoris tam fœtidū est, tam que malè olens, vt fætere faciat fragrantissimum odorem tuum coram principibus & sacerdotibus Iudæorum. Cur ò domine Iesu tam impio ac scelerato traditori os tuum gratiarum omnium plenum præbere voluisti? Attendite obsecro quanta mansuetudine ei Dominus loquatur. Iuda (inquit) osculo filium hominis prodis? Ac si apertius diceret: cur signum tantę dilectionis fecisti signum tantæ immanitatis? Cur osculo filium hominis morti tradis, cum ipse per osculum vitam inspiret, & gratiam infundat? A Magdalena septē eieci dæmonia, quod osculata est pedes meos. & tu miser osculans os meū dæmonum cohorti me vis tradere? Iuda, osculo filium hominis morti tradis, qui solo osculo factus est filius hominis, cum esset filius Dei? Quo ore deinceps veniam petere & misericordiam postulare poteris cum ore tradas filiū Dei? Ex ore tuo te iudicio serue nequam, qui te super traditorem fingis amicum, ore das pacem, & opere signū meæ mortis exhibes tuis. O Iuda, ad quid venisti? Cōdolentis patris verba sunt ista. Sicut & illa. Absalon fili mi, fili mi Absalon, quis mihi det vt pro te moriar? Nihil plus optauit Christus, quam pro Iuda filio suo mortem subire. Aue (inquit) Rabbi o homo infœlix, hoc tuū profectò aue, væ potius dicendum est. Væ tibi, vę omnibus satellitibus tuis. Væ tibi impie Ioab comes indiuiduus veri regis Dauidis qui osculo & salutatione Amasam virū innocētem interficere voluisti. Reddet Dominus sanguinem tuum super caput tuum.

2. Reg. 18.

2. Reg. 20 Figura.

3. Reg. 2.

¶ Cæterum hic est homo ille, de quo olim Christus dominus conquerebatur apud Dauidem Psal. 41. dicens: Etenim homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos: magnificauit super me supplantationem. Iudam Christus vocat hominē pacis suæ, idest, hominem pacificè secum cōuersantem: adeò vt ipso traditionis momento, osculum cum salutatione offerret dicens: Aue Rabbi. Quod autē dicit Christus se sperasse in Iuda, non sic accipiendū est, quasi spem in eo posuerit, (maledictus enim homo qui spem suam ponit in homine) sed intelligi debet, in quo fidebam, & cui confidebam. Planè enim Iudæ cōfidebat Dominus, cui etiam loculos credidit, in quibus ea portaret quæ ex fidelium deuotione Christo offerebantur. Neque tamen hoc sic intelligendum est, quasi re ipsa Dominus illum fidelem habuerit, & vt talem reputauerit. Ipse enim multo ante (vt dilectus discipulus ait) noscebat omnes. & non opus erat, vt quisquam ei indicaret de aliquo. Propterea quod sciret ea quæ sunt in homine. Neque dubium erat quin quod postea apparuit, ante præcognouerit Dominus: quod fur erat, & auarus animo. Vnde (referente Ioanne) cognouit multis diu ante passionis tempus à Christo Iudæ maliciam in genere perstrictam. Cū enim multi verbis Domini scandalizati abscessissent retro, loquens discipulis duodecim, ait ad illos, nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est? Quod exponens Euangelista Ioannes secretorum Christi optimè conscius, subiūgit: hoc autem dicebat de Iuda Simonis Ischariotis. Hic enim erat traditurus eū, cum esset vnus ex duodecim. Itaque non sic in Iuda sperauit Christus, non sic illi fuit confisus, vt non præsciret fraudulentum amicum: sed fidum illi se dicit: quantum ad exterioris operis exhibitionem. Cui enim præcæteris credimus rerum nostrarum custodiam, illius apud nos esse bonam fidem hoc ipso monstramus. Atque hac parte erat execrabilius Iudæ facinus, quod sic à Domino suo honoratus, accepta rerum omnium cura, talem proditionē excogitauerit. Grauius enim est malum & toleratu difficilius, cum ij, quos beneficio nobis obstrinximus, pro bonis mala referunt. Hinc in lib. Geneseos, Ioseph ab vxore domini sui ad concubitum sollicitatus, constanter æquè ac fideliter respondit: ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua, nec quisquam

Psal. 41. Explicatur locus Psalmi.

Ezech. 17. Matth. 26. Mar. 14. Hiere. 17.

Ioan. 12.

Ioan. 6.

Ioan. 6.

Ezech. 16.

Gen. 39.

Ioan. 16.

quicquid est, quod nō in mea sit potestate, vel nō tradiderit mihi, præter te quæ vxor eius es: quomodo ergo possum hoc malū facere, & peccare in Dominū meū? Rectè ergo humano more cōquerens, illud exaggerat Christus dñs, quod ab homine domestico, cui se bene fidere demonstrauerat, quem coram cæteris Apostolis bonæ fidei testimonio honorauerat, talē sit passus proditoriam supplātationem. In quo(inquit) ergo speraui. Quæ verba sic etiam explicat D. Augus. quomodo ergo in illū sperauit: nisi quia in membris suis ipse est: & quod multi fideles de Iuda sperauerāt: hoc in se transfigurauit Dñs. Quando enim videbant Iudam multi qui crediderūt in Christū ambulare inter duodecim Apostolos, sperabant in illum aliquid, quia talis erat, quales & cæteri. Christus autem quia in mēbris suis erat hoc sperantibus, quomodo in illis est esurientibus & sitientibus: quomodo dixit: esuriui, sic dixit: speraui. Proinde sic illi dicamus. Dñe quando sperasti, quomodo illi dictū est: Dñe quando esuristi? Quomodo nobis ibi dixit: cū vni ex minimis meis fecistis mihi fecistis, sic potest dicere: cūm vnus ex minimis meis sperauit, ego speraui. In quē sperauit? Homo(inquit) pacis meæ in quē speraui: qui edebat panes meos. Quomodo ipsum ostēdit in passione de istis verbis prophetiæ? Per bucellā illum designauit, vt appareret de illo dictum: qui edebat panes meos. Rursus quando venit vt traderet eum: osculum illi dedit, vt appareret de illo dictum homo pacis meæ. Hæc Augustinus.

Aug. in Psal. 40.

Matth. 25

¶ *Iuda osculo filium hominis tradis?* Superfecta patiētia ad iracundiā magis quā sermo succendit, & attrocissimas verborum transcendit iniurias maligna taciturnitas, leuiusque tolerantur inimicorum vulnera, quam irridentiū blandimenta. De quibus propriè dicitur per Prophetam: molliti sunt sermones super oleum, & ipsi sunt iacula. Verba callidorum mollia. Hæc autem feriunt in penetralia ventris. Nam & cum magna multitudo ad comprehendendum Dominum cum gladijs & fustibus cum Iuda venissent, nemo tamen in auctorem vitæ nostræ illo cruentior extitit parricida, qui cunctos ficto salutationis honore præueniens osculum subdolæ charitatis ingessit. Cui Dominus: Iuda, inquit, osculo filium hominis tradis? Idest, amaritudo persecutionis atque odij: hoc tegimen assumpsit, quo dulcedo veri amoris exprimitur.

Quod manifesto odio grauior sit simultas.

Psal. 54

Cassiodo

¶ *Domine si percutimus in gladio? Et percussit vnus ex illis seruum principis sacerdotum: et amputauit auriculam eius dexteram.* Porro discipuli cæteri, conspicientes vim parari Domino, amore suppeditā te audaciam, aiunt Domino: Domine an vis vt feriamus gladio? Meminerāt quod de gladio emendo dixerat: sed quoniam in eo perpetuam mansuetudinē videbant, dubitabāt an passurus esset eos vti gladijs. Cæterū Petrus, qui cæteris vehementius amabat, quique præ cæteris fortia pollicitus fuerat, non expectato Dñi respōso, gladio petijt quendam ē ministris primarij sacerdotis, qui primus tentabat manum inijcere Iesu, videlicet Domini sui sæuitiam referens: sed moderante ictū Domini mansuetudine, tantum dextram illius auriculam amputauit. Fœlices sunt quibus amputatur auricula, quæ hactenus auscultauit impijs sacerdotibus ac legi carnali: & restituta à Christo, iam auscultat ijs, quæ faciunt ad salutem æternam. ¶ Quod autē Petrus fecit nō caret sacramēto. In passione enim Dñi nihil casu euenisse certū esse debet. Seruus ergo pontificis figura est populi Iudæorū: qui sub mortis pœna, sacerdotis imperio parere tenebatur: & legem ex ore eius exquirere. Populus ergo iste duas habebat aures alterā sinistrā, qua terrena: alterā vero dextrā, qua cœlestia audiebat. Hāc ergo Petrus scidit, ne iā populus iste, Iudæū pontificem audiat: quoniā ab eo tēpore quo veste suā scidit, à sua dignitate depositus est. Aurē ergo illius populi habeat Petrus Pontifex fideliū, ei adhibeat, in his quæ Dei sunt, pium auditum. Quod si fecerit, à peccatorū vulneribus sanabitur. Sanabitur inquā ab incrudelitate, ab impietate quā Christū suū crucifixit: si Petro eius vicario aurem dederit, ab eo quidem erudiendam, qui sublatam à Iudæis clauem scientiæ habet. Præterea Petrus serui auriculam abscidit: quoniam lex habet: quod si seruus anno libertatis,

Matth. 16. tuos. Ipsi dicitur: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam & portæ inferi non præualebunt aduersum eam: & tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: quodcunque solueris super terram erit solutũ & in cœlis. Ecce claues Ecclesiæ accipit, potestas ei ligandi atque soluendi tribuitur: cura ei totius Ecclesiæ & principatus promittitur. D. Ber. hoc idem ait in epist. ad Eugeniũ. ¶ In con. Constantiensi dãnatur eorũ error, qui aiebant Romanã ecclesiã nõ esse inter alias ecclesias supremã. In cõcil. Florenti. hoc etiã apertissimè definitur: & tandẽ in con. Trident. se. 14. c. 7. & se. 25. c. 21. & in decreto de indulgentijs, & alijs in locis. ¶ Non potuisse quidẽ Petrũ à fide deficere satis ostendũt hæc Christi verba ego rogaui pro te Petre vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. En cum dixisset Dñs: Satã expetiuit vos, non ait: ego rogaui pro vobis, sed pro te. nec dicit, & vos aliquando conuersi, sed tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Cũ autem oratio Christi, vt autor est Paulus, semper fuerit exaudita, quod Christus orauit, id certè consecutus est, ne Petri fides deficeret, vt fratres posset in fide formare. Deinde hoc etiã demonstrat illud Matthæ. 16. super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eã. Quæ verba explicans ho. 1. in Matth. Origenes ait: manifestum est, & si non exprimatur, quod neque aduersus Petrum, neque aduersus ecclesiam, portæ præualere poterunt inferorum. Nam si præualerent aduersus petram in qua ecclesia fundata erat, contra ecclesiam item præualerent. Petrus ergo firmus stabat in fide, ne fabrica super ipsum fundata rueret. Præterea, si Petro peculiari ratione & priuilegio claues non vnius cœli, sed cœlorum datæ sunt, quem admodum home. 6. in Matthæ. annotauit Origenes, claues autem cœlos aperiunt, constans fit, vt omnia impedimenta tollant. At ex parte intellectus ingressum in cœlos impedit ignorantia fidei, sicut ex parte voluntatis affectio praua: data est igitur Petro potestas, non minus ad tollendam ignorantiam, quam ad tollenda peccata. Quæcunque itaque soluisset, & quæcunque ligasset, siue expectarent ad intellectum siue ad affectum, ea ligata fuissent solutaque in cœlis. Quam obrem quæstiones in fide, difficiles soluere iure suo Petrus poterat, ligareque proinde suo iudicio, vt id tenerent fideles, quod ipse decerneret. Atqui falso de fide iudicio fideles ligari non queunt. Quod si diuinatio in labijs regis, & in iudicio non errabit os eius, vt Pro. 16. c. dicitur, cur nos existimabimus, Petrum regni cœlorum principem à Deo constitutum in grauissimo de fide iudicio errare potuisse? Et si Cayphas vir in synagoga impius cum esset pontifex anni illius, quia pontifex tamen erat, prophetauit, nõne magis Petrum summum à Christo Pontificem ecclesiæ datum, diuino spiritu ad veritatẽ finiendam agi credemus? Si pastor denique omnium fidelium Petrus est à Deo constitutus, Doctor ergo & magister ecclesiæ supremus effectus est. Quod si pascua doctrinæ salubris ouibus Christi non daret, sed posset eas erroribus falsis ac perniciosis pascere, nimirum non esset à Christo ecclesiæ prouisum. Prouisum est autem sine dubio nisi Petrus ipse nos fefellerit inquiens, viri Fratres vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meũ audire gentes verbum euangelij & credere. Petrũ ergo peculiariter inter cæteros elegit Christus, vt eum gentes in fidei controuersia nõ audirent solum loquẽtem, sed etiam crederẽt. Ita enim cum Petrus sentẽtiam edixisset, tacuit omnis multitudo Petro definienti consentiens, vt Actorum. 15. à Luca refertur.

¶ *Ecce satanas, expetiuit vos vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua.* ¶ Nihil satanæ, inquit Tertulianus, in seruos Dei viui licebit, nisi permiserit Dominus, vt ipsum destruat per fidem electorum, in tentationem victricem: aut homines eius fuisse traducat, qui defecerint ad illum. Habes exẽplum Iob, cui diabolus nullam potuit inducere tentationem, nisi à Deo accepisset potestatem, nec in substãtiam quidẽ eius, nisi Dñs, ecce, dixisset, omnia quæ sunt ei,

Marginalia: D. Ber. — Cõ. Cõst. — Cõ. Flor. — Cõ. Trid. — Petrus cũ ecclesiã docebat aut oues in Christi fide firmabat errare nõ potuit. — Heb. 5. — Matth. 16. — Orig. — Orig. — Eccles. — Pro. 16. — Ioan. 11. — Acto. 15. — Nihil satanæ licet in seruos Dei nisi ex Dei permissione. Tertul. lib. de fuga in persecutione.

ti, in manu tua do, in ipsum autem ne extendas manum. Denique nec extendit nisi postea quam & hoc postulanti, Dominus ait, ecce, trado tibi illum, tantum animam eius custodi. Sic & in Apostolis facultatem tentationis postulauit, non habens eam nisi ex permissu. Siquidem Dominus in Euangelio hoc ad Petrum: ecce, inquit, postulauit satanas vt cerneret vos velut frumentum, ego autem rogaui pro te, ne deficeret fides tua, idest, ne tantum diabolo permitteretur, vt fides perecliataretur. Quo ostenditur vtrumque & apud Deum esse, & cócussionem fidei, & protectionem, cum vtrumque ab eo petitur. Vnde obsecua, quod vt D. Ioan. nos doceret hanc potestatem nocendi dari, idest, permittia Deo ait in Apoca. capi. 6. exiuit alius equus rufus & qui sedebat super illum, datum est ei vt sumeret pacem de terra, & vt inuicem se interficerent: & datus est ei gladius magnus. Diabolo enim sedéti super equum rufum, idest, super congregationem tyrannorum sanguinem martyrum fundentium data est á Deo potestas nocendi, significata per gladium magnű. Hinc fuit quod Ioá. 19. Pilato præsidi Dominus respondit: non haberes potestatem in me vllam nisi tibi data esset desuper. Hæc potestas bona est, sed abusus diaboli malus. ¶ Secundo ex hoc loco collige (vt colligit D. Ambrosius) Deum dare vt in fide & in virtute perseueretur. Simő, Simő, ecce satanas postulauit vt cerneret sicut triticum. Ego autem rogaui pro te ne deficiat fides tua: & tu conuersus cófirma fratres tuos, & rogane intretis in tentationem. In Euangelio quoque Ioannis de ouibus Christi quæ de manu ipsius à nullo rapiuntur, hæc legimus dicere veritatem: sed vos non creditis, quia non estis de ouibus meis. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego noui illas; & sequuntur me, & vitam æternam do illis, & non peribunt in æternum, nec quisquam rapiet eas de manu mea. Item in eodem Euangelio, de ijs quos pater dat filio, qui & omnes veniunt ad filium, & quorum nullus perit, hæc ipsius Domini ore dicuntur: omne quod dat mihi pater: venit ad me, & eum qui venit ad me, non eijciam foras: quia descendi de cœlo non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me patris, vt omne quod dedit mihi non perdam ex eo quicquam, sed resuscitem illud in nouissimo die. Ambrosius de vocatione gentium capite nono prope finem. Lege etiam Chrysost. homi. 2. super Psalmű. 50. hoc testimonio probantem egere omnes nos Dei misericordia vt ex peccatoribus iusti efficiamur, & iustificati iusti maneamus.

A

Τρουτικ σκιώς του ειτου [illegible]

Sic etiam Ambrosius legit de vocatione gentium Tertullianum imitetur vt statim in sequenti consideratione videbit.

Apo. 6.

Ioan. 19.

Perseuerantia in fide & virtute a Deo. Ambrosius.

Ioan. 10.

Ioan. 6.

Ambro. de voca. gentium c. 9. Chrysos.

¶ *Sed tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Hinc colliges non oportere cum de fide agitur sequi plurimorum iudicium. Nec hic, vt in humanis vel electionibus vel iudicijs ex numero suffragiorum sententiam metitur. Scimus frequenter vsu venire, vt maior pars vincat meliorem, scimus non ea semper optima, quæ placent pluribus, scimus in rebus, quæ ad doctrinam pertinent, sapientium sensum esse præferendum. Et sapientes paucissimi sunt, cum stultorum infinitus sit numerus. Quadringenti Prophetæ Achab mentiti sunt: ex ore vero Michææ solius quidem & contemptibilis, veritas egressa est. Non sunt igitur diuina iudicia humanis rationibus moderanda. In paucis aliquando citius quam in plurimis saluat Dominus. Maior enim pars con. Ephe. secundi Dioscori sententiam sequuta est, nec legati tamen plurium iudicio subscripsere. Quo circa summus Pontifex maioris partis sententiam non tenetur amplecti. Imo siue pauci siue plurimi ad errorem deflexerint, munus est Apostolici Antistitis ad veram eos fidem reuocare: iuxta hoc quod Petro ait Christus. Ego rogaui pro te ne deficiat fides tua, & tu non vnum, & item alterum, sed siue paucos siue multos confirma fratres tuos. Ita Damasus vnum vincentium & alios paucos opposuit omni multitudini concilij ariminensis. Vide illum scribentem ad Episcopos per illiricum constitutos: Et Leonem epistola. 51. ad Anatholium. Non ergo res fidei numero iudicatur sed pondere. Pődus autě concilijs dat summi Pontificis autoritas: quæ si adsit, centum patres sunt, si desit nulli sunt satis, sint quamlibet plurimi. Nec si maior pars veritatem sum-

B

C

D

Cum de fide agitur non oportet summű Pontificé semper plurimorű iudicium sequi.

3. Reg. 22.

summus Ecclesiæ Pontifex repugnabit, A idque ad peculiarem Christi procurationem pertinet, nec Ecclesia in factiones duas diuidatur. Nec Romanus vnquam Episcopus, si exemplum quæritur contra patres recte sentientes dixit.

¶ *Qui dixit ei, Domine tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire. Et ille dixit, dico tibi petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me.* Nemo ergo nostrum fidat suis viribus, nec existimet se cōstantem sine Dei gratia & protectione & peculiari fauore aut in fide aut in virtu- B te. Nec putet quod si hactenus non deseruerit Christum, ita nec post hac vnquam erit deserturus. Qui stat, ait Paulus, videat ne cadat. Oportet enim semper orare & vigilare ne succumbamus tentationi. Beatus qui semper est pauidus: & qui cum timore & tremore suam salutem operatur. Talis enim non sibi fidens cū afflictionis procella superuenerit sibi satis notus ad Deū cōfugiet: clamabitq; ad Dñm & a tali periculo liberabitur. Ad Dñm cum tribularer clamaui: & exaudiuit me: ait regius vates. Quod si nimium nostris viribus exem- C plo Petri fidamus, facilè succūbemus tentationi. Intelligāt ergo omnes, neminem suis viribus parem esse posse aduersus satanę malitiā, nisi Christi præsidio fulciatur. Ne illis contingat quod D. Petro. Et rursum quod regi Dauidi: vnde Psal. 29. ait: ego dixi in abundantia mea: nō mouebor in æternum. Auertisti faciem tuam a me: & factus sum conturbatus. Et vt doceret: non esse in hominis potestate absque Dei præsidio vel in fide vel in bonis actionibus perlistere ait: Dñe in voluntate tua præstitisti decori meo virtutē. Ac si diceret: sub- D sequens experiētia me docuit suis viribus egere: & hoc cognoui, quod tu Dñe solus esses, qui decori spirituali, & ornatui gratiæ, qui intra me est, præstas virtutē in bona & benigna volūtate tua: qui ornatum omnem & pulchritudinem, quæ est in anima mea, ex tua gratia corroboras, & tua virtute donec placitum est tibi, custodis, vt in me permaneat, & ego in illo persistam. Nō igitur nobis fidamus ne post peractam pœnitētiam, & communionem, ad vocē vel vnius ancillæ a virtute cadamus.

Nemo suis viribus sed Dei fauore fidere debet.

1. Cor. 10.

Pro. 28.

Philip. 2.

Psal. 29.

A quod multis Petrum imitantibus, quotidie accidere solet. ¶ Præterea annotandum est quod Marcus ait dixisse Christū Petro, *antequam gallus cantet bis, ter me negabis.* Vnde Marcus explicuit Matthæū c. 22. dicentem antequam gallus cātet, ter me negabis: & Lucam dicentem in hoc loco, nō cantabit hodie gallus, donec ter abnegeas nosse me: id est, antequam gallus absoluat cantū, ter me negabis. Solent enim canere circa mediam noctem & mane.

Matth. 22.

¶ *Quando misi vos sine sacculo & pera, B nunquid defuit vobis? At illi dixerunt nihil. Dixit ergo eis, sed nunc qui habet sacculum, tollat, similiter & peram. & qui nō habet, vendat tunicam suam, et emat gladium.* Sermo ambiguus est, tum propter variam acceptionem verbi tollat, quod vno modo potest intelligi acceptum, pro secū deportet, altero modo pro abijciat, & venūdet: tum propter incertitudinem accusatiui casus, subintellecti in verbo, nō habet: vbi incertum est, an hoc pacto debeat oratio impleri: qui non habet, supple sacculum & peram. An potius hoc pacto: C qui non habet, supple gladium. Geminus ergo emergit huius loci grāmaticalis sensus. Vnus, agnoscitis hactenus vobis nihil defuisse, sed ego dico vobis nunc, qui habet sacculum, vel peram; tollat: i. abijciat, venundet, vt. s. distracto precio gladium emat: & qui non habet sacculum vel perā vendendam, vendat tunicā suam, & emat gladium. Secundū hunc sensum Christus non deportando sacculo & pera, sed de solo gladio deinceps portando, est locutus, ita vt velit etiam sacculū, & peram, & tunicam, si necesse fuerit, venundari potius, D quam carere gladio. ¶ Alius sensus est: nunc qui habet sacculum, tollat, idest, secum portet, similiter & peram. & qui non habet, supple gladium, vendat potius tunicam suam & emat gladium. Secundum hunc sensum, Christus nō solū de habēdo gladio, sed & de sacculo & pera portandis locutus est. Prior sensus cuidā expositori adeo placuit, vt secūdum prorsus tāquam ridēdum & a Christiana philosophia alienū abijciat. Verū si ratione iusta pēsemus videbimus istum non esse sensum a veritate doctrinæ euangelicæ alienum: præsertim

1. sensus.

2. sensus.

Tacite Ra... ratum non tatus...

stim cum & veteres patres, Chrysostomus, Basilius magnus, Beda, cæterique nonnulli intellexerũt posteriorem hunc sensum. Christum videlicet sermonem illum pronunciasse non solum de gladio, sed & de pera, & sacculo portando: & par ratio ex cohærentia scripturarum videatur esse de portando sacculo & pera, & de portando gladio. Quemadmodum in portando gladio non est carnalis inspicienda littera, vt videlicet Apostolis intelligatur Christus dedisse præceptum de vendendo corporali vestimento, ad emendum corporalem gladium, sed consideranda est locutio hyperbolica seu parabolica, secundum sensum & voluntatem Christi loquentis. Ita & in portãdo sacculo & pera oportet verbum Christi non ad crassam literam accipere. Relinquatur igitur nobis hac in re geminus sensus, & cum vterque sit pius & catholicus, satius est nobis neutrum tractare contumeliosé aut irreuerenter, præsertim cum Christus huiusmodi verbis, neque præceptum vllum, neque consilium dare voluerit: aut de sacculo vel portando, vel abijciendo, aut de tunica vendenda, & de gladio emendo, aut de cibis & pecunijs, & de armis defensorijs procurandis. Quãdo quidem nec gladij multi sufficerent Apostolis nudis & inermibus contra Iudæorum & principum huius mundi tyrãnidem sed prænunciare voluit instare tempora, sub quibus & indigerẽt huiuscemodi adminiculis, & relaxatus esset rigor prioris legis eis datæ, supra ca. 10. de nõ portando sacculo, pera & baculo, manifestum est & in rebus alijs, Christus primitus dedisse præcepta quædam, quæ postea relaxauit, qui primus dixit: in viam gẽtium ne abieritis, post resurrectionem dixit: ite, & docete omnes gentes. Non ergo iubere voluit Christus Apostolis, vt deinceps in peris & sacculis thesaurizarẽt, vt gladios, lanceas, clypeos, cæteraue arma ad bellãdum præpararent: sed denunciare voluit illis futurorum periculorum necessitates, tanquam dicat: hactenus me præsente nõ defuit vobis, quicquam congruum seruãdis corporibus vestris, cũ omnia vobis in pace affluxerint abunde: iam deinceps nõ sic vobis nihil deerit, nõ tali pace fruemini,

Supra. 10.

Matth. 10

Matth. 28

A ni, sed grauis erit vobis vita inter hostes, qui etiam alimenta necessaria nõ administrabunt, sed & in mortem ducẽt propter nomen meum, ita vt etiam si velitis seruare vitam, opus sit sacculis, peris, & gladijs. Quam obrẽ non est quare indigne tractetur hac in re expositores, docẽtes Christũ huiuscemodi verbis subindicatum laxatũ esse prioris legis rigorem, de nõ portando sacculo & baculo, & ea quæ vsq; ad id tẽporis vetita fuerant Apostolis, facta esse pro loco & tẽpore eis licita, propter necessitates: quibus occurrentibus astringerentur etiã legis naturæ vinculis secum interdum portare cibaria, & defensoriũ quendam gladiũ, aut baculum, non quod velit eos de his rebus prospiciẽdis esse solicitos, hominũ more, sed nec post hac, vt Theophylatus exponit, toti pendeãt à præsidio Christi, qui hactenus eos nõ secus ac pueros curæ habuit. Hũc sensum sunt qui sic explanent: olim cum misi vos sine sacculo & pera, nihil vobis defuit, non victus, non vestitus: post hæc duriora imminent tẽpora, quibus huiuscemodi auxilijs indigebitis propter odium nominis mei, dum ego ipse relinquar cum iniquis deputatus. Hactenus nec fames nec persecutio propter nomen meũ contigit, sed cuncta satis prospere affluxerunt vobis euntibus sine pera & sine sacculo: nunc autem vobis prædicaturis nomen meũ, instant tẽpora famis & persecutionis. Vnde & iuxta Basilij sententiã, Christus hæc verba non iubendo, sed futura prædicando locutus est. Sæpius enim scriptura vtitur imperatiua sermonis specie loco prophetiæ. In pluribus tamen libris nõ inueniũtur imperatiua: accipiat, tollat, emat. sed indicatiua, accipiet, tollet, emet. Quód si quis dixerit, Christũ certi martyrij gratia, hoc de uendenda tunica emendo gladio dixisse, cur nõ & allegoria recipietur in portando sacculo & pera: vt quẽadmodũ gladiũ euangelicũ intelligimus, ita & perã euangelicã & euãgelicũ sacculũ. Verũ propter allegoriã non oportet contẽnere literalẽ sententiã, quæ ex sententiarum cohærentia videtur desumpta. Neque ex illa sequitur, quod Christus ad hortatus fuerit Apostolos, aut iusserit, eu consuluerit eis portare perã, & gladiũ ad defen

B

C

D

defensionem seu prouisionem alimoniæ, aut relaxauerit præcepta euangelicæ mansuetudinis de non resistendo malo, aut concesserit Apostolis vel bellare vel parare arma ad bellandum: tamen si ex eadem consequens sit Christum satis indicasse, portare sacculum pro necessitate alimoniæ, & gladium seu baculum pro defensione naturæ, non semper illicita fore. ¶ Quod si priorem sensum sequamur: hac parabola significare voluit Christus dominus imminere magnum periculū, vt si quis præsidijs humanis vti voluisset nihil consultius facere potuisset, quam sibi parare gladium, vel vendito pallio si aliunde non posset. ¶ *Quando misi vos sine sacculo & sine pera, nunquid defuit vobis? Dicūt ei: nihil.* Conqueruntur in tribulationibus multi, quod videlicet Dñs non videat: non consideret labores illorum. Obliuisceris (ait quidam) inopię nostræ, & tribulationis nostræ. Et alius: circa cardines cœli ambulat nec nostra considerat. Vides hic quā perspicaci oculo cuncta rimetur, & cuncta consideret, & nō sit opus illi ista iactare. Quando inquit misi vos, &c. nunquid defuit vobis? Dicunt ei, nihil. Idem inuenies Deut. c. 2. dictum: Deus tuus benedixit tibi in omni opere manuum tuarum: nouit iter tuum quomodo transieris solitudinem hanc magnam, per quadraginta annos habitans tecum dominus Deus tuus: & nihil tibi defuit. Sed mirum valdè est eum dicere nihil eis defuisse. Nihil sanctis deest, nisi quod non decet eos habere & si aliquando deesse incipiat, statim Dominus ea suppeditat. Quādo vos (inquit) misi sine pera, &c. nunquid aliquid defuit vobis? Dicunt ei: nihil. Sine pera incedisse & sine pecunia & tamē nihil eis defuisse certò affirmant. Quid dubitas modicæ fidei? Qui te mittit Deus est & misericors: seruum mittit quomodo ergo necessaria non administrabit? Audi quid apud Esaiā dicat: Populus Sion habitabit in Hierusalem. Plorans nequaquam plorabis, miserans miserebitur tui. Ad vocem clamoris tui statim vt audierit, respondebit tibi.

Driedo de dog. lib. 3. c. 1.

Psal. 43.

Iob. 22.

Deut. c. 2.

Esai. 30.

¶ *Ea quæ sunt de me.* Subaudi scripta, finem habent.

¶ *Domine ecce duo gladii hic.* Cum Apostoli non intellexissent Christi sermonem, suspicarenturque dominum admonuisse, vt gladium haberent paratum ad depellendam vim imminentem, simpliciter respōderunt: Domine ecce adsunt iam duo gladij: existimātes omnino esse opus gladijs, sed illud tantum verentes duos tantū non suffecturos ad eam pugnam. Ostendebāt affectum pugnandi pro Domino, quem sciebant de suo posse supplere, si quid deesset ipsorum præsidijs, quemadmodum ante quinque panes & duos pisces auxerat, vt sufficerent multis hominum milibus. In hoc tamen crasso affectu Iesus id temporis reliquit discipulos suos, vt illorum infirmitas nos erudiret ad perfectam tolerantiam. Respondit itaque. Satis est. Hoc illi sic dictum accipiebant, quasi duobus gladijs, quos tunc habebant paratos, possit substineri prima pugna. Cum Christus sentiret de spirituali pugna aduersus mundum & satanam in qua, victoria contingit ex animo ab omnibus terrenis cupiditatibus expedito, soloque gladio doctrinæ cœlestis armato. Ea constat veteris ac noui testamenti scriptura irrefragabili, vt duos possis intelligere gladios, sed ab eodem spiritu porrectos, quia ergo nihil deest ei quem vtriusque testamenti doctrina munierit ait illis: satis est. ¶ Verum est tamen per hos duos gladios, nonnullos Doctores intelligere duos ecclesiæ gladios alterum spiritualem, alterum materialem. Priori, Christi vicarius vti poterit: posteriori autem, vtatur imperator vice Petri vt arceat lupos à grege. sed de hoc inferius. Interim tamen audi quid de his gladijs Vgo dicat. Vnus istorum gladiorum est corporalis, qui secundum legem pœnam peccantibus irrogat. Alius spiritualis qui secundum euang. culpas feriens, homines sanat. Hi sunt duo nūmi quos misericors Samaritanus pro cura languidis adhibenda, prælatis cōmisit: vnus monetæ veteris, & alter nouę: vt emātur veteri medicamina quæ mordēt, nouo quæ fouent. Prima; ad purganda quæ putrida sunt: secūda ad viua cōfirmanda. Ista sunt duo debita præcepti. s. & voti. Debitum præcepti quod doctrina impēditur: voti quo exēplū formatur. Hic est gladius spiritualis, quo prelat vitia

Ber. lib. 4. de consideratione ad Eugenium

vitia hominum ferire debent, quem illis Petrus reliquit, si tamen sui feruoris heredes exstitit. Videte igitur ô pastores quid facitis: Christus in oculis vestris crucifigitur, & vos adhuc gladium in vagina habetis? quid in passione Christi fecissetis, qui modo ad percutiendum pigri estis? Forte quia discubuistis ad ollas Pharaonis, & saginam diligitis, pigrum vobis est surgere ad bellum. Forte quia lac & lanam, non oues diligitis, ideo veniente lupo fugitis, & de ouibus non curatis. Saltem si lac ouium comeditis, carnes nolite comedere. Bonus enim pastor etiam carnem suã ouibus suis edendam dedit.

Vgo de S. Vict.

¶ *Et cum iniquis deputatus est.* Marcus & Lucas citant hunc locum iuxta septuaginta.

Esai. 53.

¶ *Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem oliuarum. Secuti autem sunt illum & discipuli. Et cum peruenisset ad locum, dixit illis, orate ne intretis in tentationem.* ¶ Secundo Regum cap 15. sacra narrat historia quod egressus est Rex Dauid fugiens à facie Absalon, & omnes flebant voce magna. Ecce noster verus Dauid egressus est à Hierusalem fugiens à Iuda traditore quare merito omnes eius veri discipuli & milites lachrymas fundamus. Sequebantur Dauid vniuersi serui eius, secuti sunt verum Dauidem & discipuli. Sequamur & nos illum in montem oliuarum. ¶ Quoniam verò milites inituri pugnam, solent aduersus instãtem cum hoste conflictum reficere corpora, & excitare animos: Domi9 volẽs ostendere suis, quid illos maxime roboraret aduersus tales congressus imminentes, cum peruentum esset ad secessum in quo solitus erat orare dixit illis, quo subsistere posũtis aduersus tempestatem eminentem, vigilate & orate, ne si vos oppresserit oscitantes & otiosos, illaqueet vos in cautos, & superet. Magna sane est orationis vis ad deuincendos animæ hostes. Cum Iacob ad exitum vitæ vocaretur adhunc modum filium suum Ioseph allocutus est. Do tibi partem vnam, extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo. Nusquam legimus nisi hoc loco hunc sanctum Patriarcham bellum gessisse: fortasse quia arma quibus partem illam nimirum Sichimam abstulit, de manu Amorrhæorum fuerunt obtestationes & preces. Nam paraphrasis Chaldaica difficilium explanatrix locorum habet: quam tuli de manu Amorrhæi oratione mea & deprecatione mea. Arma ergo fortissima quibus hostes & animæ & corporis superantur sunt piæ & ardentes precationes. Quod ferrum, qui gladij, quæ tela, quæ machinæ bellicæ possunt cum his armis comparari? Merito ergo Christus ait: Vigilate & orate ne intretis in tentationem. Vel ne veniatis vel ne cedatis tentationi. Ideo dicebat Dominus apud Psalmographum: Inuoca me in die tribulationis & eruam te. Et rursum: In tribulatione inuocasti me & liberaui te. Ad orationem igitur tanquam ad tutissimum præsidium, ac sacratissimam anchoram in afflictionum procella positi accedamus: nam eius vi ac virtute aut à malorum tempestate liberabimur, aut vires ad eam æquo animo tolerandam suscipiemus.

2. Reg. 15. Figura.

Vis oratio nis.

Gen. 48.

Psal. 49. Psal. 80.

¶ *Vigilate*, inquit, *& orate, ne intretis in tentationem.* Id eis commendat quod ipse facturus est. Volebat enim orare patrem suum vt eum seruaret, ne intraret in tentationem passionis. Cauta est auis quę laqueum non intrat, ne irretita teneatur ac capiatur. Beda. non ait, vt non tentemini, sed ne intretis in tentationem, Id est, vt tentatio vos non superet: nec teneat intra suos casses, quod facit oratio. Quemadmodum enim fur audito clamore fugit, ac vicini excitati accurrunt vt vicino clamanti succurrant: sic orationis clamor & diabolum fugat & angelos, sanctosque omnes ad auxilium præstandum excitat. Preces atque orationes sunt nuncij missi ab habitatoribus Iabes Galaad ad Regem Saul à quo liberati ab hostibus sunt: opprimuntur iusti & obsidentur ab hostibus spiritualibus, mittunt nuncios, hoc est, preces ad Deum, verum Regem, ac Ducem protectoremque suum, & liberantur.

Simile.

1 Reg. 11. Figura.

¶ *Et ipse auulsus est ab eis quantum iactus est lapidis.* Non ait Euangelista recessit ab eis, sed quod subtraxit sese ab illis

fermé ad iactum lapidis. Tum quod discipuli eum dimittere nolebant, nec eum recedere sinebant vt non grauiori atque intensiori tristitia afficerentur: tum etiam ne ipsi, absente ac procul astante magistro horribiliori concuterentur timore. Quemadmodum enim leone rugiente omnes feræ, bestiæque syluæ pauent: sic dum dominus Iesus gemit, nemo est qui iure non timeat, non expanescat, atque terreatur. Nã si, vt aiunt, catello coram leone flagellis cæso, ob vlulatus eius leo ipse timet, quid contra censendum est de catello, dum leonem cædi, ac flagellari viderit: tristemq; rugitum emittere? Ad timorem ergo nos Cyprianus excitans ait: quis non timeat, si timet ille, quem omnia timent? Si pauet ille, cui omne genu curuatur? Si ille qui mors est mortis, & morsus inferni, morte appropinquante pertimescit? Timet ille cuius tristitiæ terminus notus fuit mors, nostræ autem mortis finis fortassis infernus erit. Nam de malis dicitur: exultant ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos, & in puncto in inferna descẽderunt. Subtraxit etiam sese atque auulsus est ab eis maxime renuentibus, quibus pollicitus est non longé recessurum, nec diu permansurum aut immoraturum: vnde ferme ad iactum lapidis se subtraxit vt facilé eum gemẽtem possent audire. Subtraxit, inquam, sese solus oraturus pro omnibus, quemadmodum vnus pro omnibꝰ passurus erat. Verum vt illius mors nõ profuit ociosis, ita nec precatio valere debet nisi his, qui pro se quoque student orare. Subtraxit sese, ac veluti prorsus ab omni solatio hominum destitutus planéque deploratus, quod ad humanas attinebat opes: cõfugit ad patris auxilium, nec apud hunc statim inuenturus mali leuamen.

Simile. Cyprianus. Iob. 21.

¶ *Et positis genibus orabat.* Diuus Marcus ait: Procidens super terram orabat, vt si fieri posset transiret ab eo hora. Mathæus veró inquit, quod procidit in faciem suã. Nec de hoc mireris nam primum vt nos doceret animum esse submittendum quoties cum Deo loqui paramus, flexis in terram genibus orabat patrem vt Lucas noster ait: At cum pluries oraret, crescente mortis timore, ac vehemẽti passionis imaginatione & representatione prostratus est, ac procumbens humi, demissa in terrã facie rogare cepit patrem. Vires prementi animi anxietate non suppetebant, vt dominꝰ Iesus stans oraret, vt pharisæus & publicanus orabant in templo: & quemadmodum angeli Deum orare dicũtur, scilicet, stantes. Ideoq; flexis genibus patrem rogare tentauit: sed cum persentiret, maximum mortis timorem, in faciem suam timore correptus irruit, imitatus tres discipulos qui in mõte Thabor præ timore ceciderunt in faciem suam. Quod cum omnino vires deficerent proiecit se super terram vt Marcus ait. Quæ omnia apertissima indicia erant maximæ anxietatis, atq; animi mœroris & pauoris: manifestissimaque signa tristitiæ. Secundo lib. Regum cap. 12. sacra narrat historia, quod deprecatus est Dauid Dominum pro paruulo, & ieiunauit ieiunio, & ingressus seorsum iacuit super terram. Venerunt autem seniores domus eius, cogentes eum vt surgeret de terra. Ecce iã dominus Iesus pro seipso iam paruulo patrem deprecatur, quia nunc exinaniuit semetipsum formã serui sui Dauidis secutus procumbens humi. Qui & ieiunat; quærebat enim vndique solatium & non inueniebat: vnde ipse ait: sustinui qui simul cõsolaretur & nõ fuit: & qui consolaretur & non inueni. Qui & ieiunio ieiunat, quoniam tam anima quam corpus sunt ab omni cõsolatione aliena. De anima enim loquens ait: tristis est anima mea vsque ad mortem: de corpore veró quid opus est dicere cum humi prostratus iaceat? Dauid ingressus seorsum iacuit in terra: verus Dauid ingressus hortum & auulsus á suis procidit super terram. Sed qui sunt seniores domus eius cogentes eum vt surgeret de terra? Hi sunt illi quos vidit Ioannes in Apocalyp. & de quibus ait: Vigintiquatuor seniores ceciderunt coram agno habentes singuli cytharas & phyalas aureas plenas odoramẽtorum, quæ sunt orationes sanctorũ. Hic Ioannes dicit se vidisse hunc agnum stantem in medio seniorum tãquam occisum. O agnus verus Dei, qui tollis nunc peccata mundi, qui & stas diuinitate & cadis humanitate. Coram te ceciderunt seniores,

Supra, c. 18. Matth. 17. 2. Reg. 12. Figura. Psal. 68. Apo. 5.

Patriar

Patriarchæ videlicet & Prophetæ, vicè omnium prædestinatorũ, qui per Adam in mortis sententiam cadunt, quoniam cecideruntin retiaculo eius peccatores. Tibi deferunt Patriarchæ à limbo in spiritu venientes orationes sanctorum vt surgat à terra. Tibi afferunt phyalas & cytharas, idest, figuras & prophetias ad te directas, te canentes tuã mortem continentes, quoniam cuncta proclamant, vt surgas à terra. Certè si proferamus in medium & afferamus domino Iesu sanctorũ preces, qui eum desiderarunt virum dolorum: & si afferamus Patriarcharũ figuras, & Prophetarum vaticinia, omnia ista cogere Christum poterunt, vt à terra surgat. Sed ad quid tantum instãt sancti, vrgemus & nos vt surgat? Forte ibi dimitti vult, quo paululum terrę procumbens requiescat. Ad quid ergo surgere debet? O domine Iesu grandis tibi restat via peragenda, quia (flès dico) à terra in crucem surgere oportet: si quidem tu dixisti: cũ exaltatus fuero à terra omnia trahã ad me ipsum, oportet exaltari filium hominis. Surge ergo domine à terra, surge, ascende in crucem, vt seniores domus tuæ liberentur, te descendente ex ea in inferiores partes terræ, in limbum, vbi sunt expectantes te à cruce. Quoniam dominus regnauit à ligno: & rex Israel descendens tunc de cruce superueniens in fortem armatum, vniuersa eius spolia detrahes.

Ioan. 12.

§ *Pater si vis, transfer calicem istum à me.* Miror ac demiror te ò domine Iesu qui immensum passionis tuæ mare, calicem voces. Nonne in mari passionis viæ tuæ & semitę tuæ in aquis multis? Nonne in diluuio aquarum multarum ad te non approximabunt etiam omnes martyres? Nonne alibi patri dixisti, omnes fluctus tuos induxisti super me? Quomodo ergo nũc dicis quod à te trãsferatur calix iste? Nos ò fideles, nos sumus qui trepidamus & timemus vbi non est timor, & si quid Dei amore patimur, arduum ac magnum graueque censemus. Dominus autem Iesus tanto nos amore prosequitur vt calicẽ vocet mare passionis suæ. Amanti nil arduum, nil difficile, aut magnum videtur. Quanuis igitur fuerit velut mare contri-

Psal. 76. Psal. 31. Psal. 87.

A tio eius, eam, calicem appellat. Nec paruũ reuera fuisse hũc calicem quis existimet. Fuit sanè maximus. Hic est calix ille: de quo regius vates ait: Calix in manu Domini, vini meri plenus mixto & inclinauit ex hoc in hoc, veruntamen fex eius non est exinanita, bibẽt omnes peccatores terræ. Ecce calix iste modo iam adest, iam est in manu domini Iesu vt bibat illum, nunc tamen est vini meri, eo quod anima sola modo persentit dolores, anxietates & angustias: cum verò in cruce positus sitiat, B tunc calix iste plenus erit mixto. Patietur enim tam corpus quam anima. Tã copiosus tunc erit vt ex eo bibant, si iustificari volunt, omnes peccatores terræ. Nec finietur etiam si diues ille sitibũdus, totusq; infernus biberet, quoniam fex, idest, meritum passionis, non est exinanita. Venite igitur o vos omnes qui sceleribus ac vitijs estis cõtaminati, venite, & bibite calicem non aquæ frigidæ, sed sanguinis vitæ, vt viuatis. § Non vocat Christus dominus passionem suam panem lachrymarum, nẽ vocat eam cibum amarum sed calicem, id C quod innuere velit illum & cito bibiturum, & nobis esse maximè ad salutem proficuum. Fuit enim calix iste potio quædã salutaris, fuit pharmacum & medicamentum venenis mixtum. Mixtum, inquam, traditione Iudę, inuidia Iudæorum, superbia primi parentis, omnibusq; mũdi peccatis. Hunc ergo calicem amarissimũ pro corporis, hoc est, ecclesię salute bibit Christus. Quare non mirũ quod ante eius sum passionem timeat, paueat, tristis & anxius fit: non mirum quod corripiatur tam veD hemẽti animi angore vt toto corpore nõ sudor aqueus, sed sanguineus defluat in terram. Non ergo domine Iesu miramur quod tã venenosum pharmacũ pro nobis suscipere renuas: nõ miramur quod patrẽ petas, vt calix iste amaritudine plenę trãsferatur à te: cum nemo nostrum eum suscipere pro sua salute vellet. Sed tu ò domine Iesu calicẽm istũ medicina benedicta immensę charitatis tuæ temperã vt illum bibere possis.

Calix passionis magnus. Psal. 74. d

§ *Veruntamen non mea voluntas sed tua fiat.* Tam efficax fuit hoc fiat, vt statim cepit opere perficere patris voluntatem ac

Sed quæ fuit illa patris voluntas? Audi Esaiam dicentem, si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longeuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Voluntas patris est vt ponat pro peccato nostro animam vitamque suá, ne semen longeuum prædestinatorum quod est in manu Christi, pereat. Vt tota seges in gloriæ horreum perducatur. Sed mirabitur quis forsitan, vt per tam absona media, hoc est, per peccata ac scelera Iudæ, Iudæorum, ac tortorũ, pater cœlestis voluntatem suam exequatur: veruntamen qui per fratrum scelera perduxit ad supremam dignitatem Ioseph, optime modo poterit salutẽ ex inimicis nostris & de manu omnium qui oderunt nos, elicere. Colligit pater iste familias vbi non seminat: per inuia peruenit ad terminum, per Iudæ traditionem ad sacrificium.

Esai 53. Voluntas patris est vt filius pro nobis moriatur.

¶ *Pater si vis transfer calicem istum à me. Veruntamen non mea volũtas sed tua fiat.* Ac si diceret: Sentio naturam, quã assumpsi, abhorrentem à morte, sed vincat hic hominum salus: idque fiat, quod tua volũtas immutabilis decreuit, non quod huius corporis suadet imbecillitas. Quare domine Iesu mortem fugis? Quod & si spiritus promptus sit, caro tamen est infirma. Ecce noster verus Iob qui cum illo, quia spiritus est promptus, ait: quis det vt veniat petitio mea, & quod expecto, tribuat mihi Deus. Quia verò caro erat infirma dicebat: quæ est enim fortitudo mea, vt sustineam? Nouerat noster Iob quid vellet pater, & cupiebat ipse bibere poculũ mortis pro salute mundi, sed ipse transtulit affectum sui corporis, ac suis precandi formam præscribere studuit. Siquidem hæc precatio pulchré congrueret martyri sub tempus carnificinæ: fiat tua voluntas non mea, siue me viuere vis siue mori. Hanc autem naturæ nostræ trepidationem Christus ipse suscepit, vt à suis eximeret. En vides modo verum Isaac patri minime contradicentem. Sicut enim primus Isaac nõ restitit Abrahę cum vellet eum occidere, sed dixit, pater mi liga mihi manus & pedes ne quando insurgam in impugnationem. Sic verus noster Isaac non contradixit patri, sed paratus respondit. Pater si vis transfer calicem istum à me, veruntamen non mea voluntas sed tua fiat. Discamus ergo omnes nos à Christo capite, duce, magistroque nostro rectum habere cor. Quod si quæras, inquit Augustinus, qui sunt rectum habentes cor? Qui hoc volũt quod Deus vult. Deus parcit peccatoribus: tu vis vt iã perdat peccatores. Distorti ergo cordis es & prauę voluntatis, quãdo aliud vis, aliud vult Deus. Conuerte ergo cor tuũ & dirige ad Deum, quia & Dominus infirmis compassus est. Vidit in corpore suo, idest, in ecclesia sua infirmos, qui primò voluntatem suam sequi tentarent. Sed cum vident voluntatem Dei aliã esse, dirigunt se, & cor suum ad suscipiendã & sequendam voluntatem Dei. Ne voluntatem Dei velis torquere ad voluntatẽ tuã: sed tuam corrige ad voluntatem Dei, voluntas Dei sic est quomodo regula. Ecce puta tortisti regulam vnde habes corrigi? Illa autem integra manet. Quandiu integra est regula, habes quo te conuertas, & corrigas prauitatem tuã: habes vnde corrigas, quod in te tortum est. Quid autem volunt homines? Parum est quia voluntatem suã tortuosam habent, etiam voluntatem Dei volunt tortuosam facere secundum cor suum: vt faciat Deus quod ipsi volunt: cũ ipsi debeant facere quod Deus vult. Quomodo autem complexus est Dominus ex duabus voluntatibus vnam factam in homine quem portabat? Præfigurãs in corpore suo, idest, in ecclesia suã futuros quosdam qui voluntatem suam vellent facere, sed sequerentur postea Dei: infirmos quosdam ostendit quod ad ipsum pertineant, & eos præfigurauit ipse. Nam ideo & toto corpore sanguinem sudauit, quia in corpore suo, idest, in ecclesia sua martyrum sanguinem ostendit. Toto corpore sanguis exibat: ita ecclesia habet martyres: per totum corpus eius fusus est sanguis. Quosdam enim infirmos ipse pręfigurãs, idest, in corpore suo ex persona infirmorum compatiens illis ait. Pater si vis transfer à me calicem istum. Ostendit hominis voluntatem: & si in ipsa voluntate permaneret: iam prauum cor videretur ostendere. Sed si compassus est tibi & te liberat ipse: imitare quod sequitur dicens: verun-

Iob 6.

Gen. 22.

Apud Chrysost. 84 ho. in Matth. in certo autore.

August.

Verùtamen non quod ego volo, sed quod tu vis. Hanc voluntatem volens ostendere Iob dicebat: Dominus dedit, Dominus abstulit: Sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Hæc dixit sanctus iste qui antea carnis infirmitate compulsus sciderat vestimenta sua. Lege August. in Psalmum. 93. in illa verba, quousque iustitia conuertatur in iudiciū, & qui iuxta illam omnes qui recto sunt corde. ¶ Præterea his verbis docet nos Christus iustos clamátes ad Dominum in tribulatione positos, non semper exaudiri, ac liberari. Vt impij eos persequentes magis ac magis puniantur. De qua re lege si libet D. Gregor. lib. 26. Moral. cap. 15. & 16. explicantem verba illa: clamabunt & non exaudiet propter superbiam malorum. Neque enim frustra audiet Deus, & omnipotens singulorū causas intuebitur.

August in Psal 93.

D. Grego.

Iob. 35.

¶ *Apparuit autem illi Angelus de cælo confortans eum.* Ideo apparuit ei Angelus, vt nos doceret Dominus, tunc cælitus nobis adfore auxilium à Domino, postquam nos totos diuinæ voluntati tradiderimus, siue ad vitam, siue ad mortem. Apparuit etiam ei Angelus confortans eum, non vt illum doceret, non vt illum instrueret, cū autore Dionysio, lib. 7. cælest. hierarchiæ, supremi angeli ab ipso scientiam discant diuini illius operis, & pro nobis assumptæ carnis, & eos ipse Iesus, sine medio doceat: sed vt ea confortatione humanæ naturæ infirmitatem ostéderet. Vnde Beda in Lucam, inquit: in documento vtriusque naturæ, & angeli ei ministrasse: & eum confortasse dicuntur. Creator enim creaturæ suæ præsidio non eguit: sed homo factus, sicut propter nos tristis est, ita propter nos confortatur: vt, scilicet, in nobis fides incarnationis suæ confirmetur, ac corroboretur.

S. Tho. 3. p. q. 12. ar. 4. ad primū

¶ *Et factus in agonia prolixius orabat.* Corripuit eum vehemens quidam angor qui ferè solet accidere iam mortē animo contuētibus. Solet autem hic affectus esse nonnunquam ipsa morte grauior. Nec hunc cruciatum Iesus nostra causa dedignatus est accipere: qui crucem nostra causa non recusauit: nos interim docens, ad quæ præsidia confugiendum sit, quoties

A horror ille nostram imbecillitatem ceperit. Quare intellige & in animo tuo hæc recogita quod non tam pro se domin9 le sus modo orabat: qui in terra positus omnia moderabatur verbo virtutis suæ. Sed appropinquante morte, mentis nostræ in se certamen & vehementem angorem exprimere voluit: qui vim quandam terroris ac formidinis patimur, cū deposita sarcina carnis, æterno appropinquamus iudicio. Nec immeritò tunc terretur quisque, quando post pusillum hoc inueniet, quod B in æternum mutare non poterit. Quis nostrum vitam præcedétium patrum valeat vel superare vel assequi? Et tamen Dauid, vir secundum cor Dei ait: Non intres in iudio cum seruo tuo Domine: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viués. Ita & Apostolus cum diceret: nihil mihi conscius sum: cautè intulit, sed non in hoc iustificatus sum. Ad orationem ergo tunc tanquam ad tutissimum præsidiū cōfugiamus exemplo seruatoris qui factus in agonia prolixius orabat.

Grego.

Psal. 142.

1. Cor. 4.

¶ *Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Ecce iam vi C des quo pacto statim quod Christus dixit Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat: patris cœlestis voluntatem adimplere cepit. Nam statim seipsum abnegauit, seipsum vicit, carnis affect9 suppeditauit: ac victrix charitas foras misit timorem, & incepit animam suam non solum pro amicis sed & pro inimicis ponere: dū toto corpore guttæ sanguineæ defluerent in terram. Ac si re ipsa patri diceret: vis ò pater cœlestis vt pro sceleribus mundi expiandis vitam meam morti acerbissimæ exponam, quia sine mei sanguinis effusione nō D fit remissio? En expono, en sanguinē meū verto, en illum effundo, ecce tibi illū pro peccatoribus ac sceleratis hominibus offero, en morior, vitamque meam morti libē ter offero, præsto sum vt tuam (quanuis renuente natura) exsequar voluntatem. Portio enim illa inferior vt autor est D. Tho. rationi parebat: & ad nutum eius agebatur, & quia modo ratio, siue superior portio patri obedire decreuit, carnis affectū sibi obedire constrinxit. ¶ Considera hic mecum, huius angoris, huiusque sangui-

Quare Christus tāto angore correptus sanguinem sudare voluerit.

3. sen. & 3 p.

nei

nei sudoris tam insoliti, etiam alias causas. Prima fuit, vt significaret quod è toto corpore, hoc est ecclesia, martyrú sanguis erat effundēdus. Vnde Augustinus. Quid est de toto Christi corpore sanguinis eſſu zio, nisi de tota ecclesia martyrum passio. Prętereà, vt nos suo exēplo in supplicijs essemus firmiores tantus angor illum corripuit, vt toto corpore guttę sanguineæ decurrerent in terram. Tertia causa huius tā admirabilis Metamorphosis fuit, tantorū suppliciorum ac tormentorum, quæ tam iam instabāt, memoria & recordatio. Omnia enim & singula distinctè sese memoriæ obtulerunt, flagella, alapæ, illusiones, ludibria, cæteraque vsque ad patibulum supplicia, quorum timore & angore correptus sanguinem sudauit. Itaq; tam modo (si dicere liceat) fuit ab hostibus captus, flagellis cæsus, impiorum ore consputus, alapis percussus, spinis acutissimis coronatus, cru i deniqueaffixus. Quare non mirum, vt tantorum malorum memoria vis imaginatiua detenta, talem tamque inauditum casum efficeret. Quartam his adde, omnium s. nostrorum scelerum, pro quibus passurus erat, amaram recordationē. Tristemque memoriam. Nam quando tāta fuit eius immensa charitas, vt sese vellet libenter pro eorum satisfactione morti crudelissimæ ac immanissimæ offerre, rationi maxime consentaneum erat vt ante huiusmodi satisfactionem, hunc tam immersum animi angorem, & dolorem, hanc tam incredibilem anxietatem pateretur. Quod vt faceret, primum omnium peccatorum tam prętoritorum quam pręsentium quam futurorum, tam saluandorum, quam condemnandorum crimina ob oculos posuit: ob quorum recordationem tantus in animo illo sancto ortus est mæror, tantaque tristitia, quanta erat eius immensa charitas, quantusque Dei patris zelus. Ex quo fit vt quemadmodum eius zelus ejusq; amor ergà nos omnes immēsus atque inæstimabilis fuerit, ita præsens eius animi dolor & mestitia metiri nō possit. Si enim sanctus Dauid deficiebat prædolore, & animi amaritudine, sceleratorū hominum scelera videns: quanto maiori langore premeretur animus Christi Domini intuentis tanta tamque innumerabilia omnium hominum peccata? Hæc erāt vituli illi ac tauri pingues, qui obsiderunt non solú corpus, sed animam eius. De quibus dicebat apud Dauidem: circundederunt me vituli multi, & tauri pingues obsederunt me. Tandem tanto animi angore corripitur quod sui populi, suæ gentis ad quem missus peculiariter à patre fuerat, tam immane scelus conspiceret: dolebat vehementer Iudęorum perditionem: idcirco (vt annotauit Hieronymus) postulabat vt transiret calicem illum à se. Postulat (inquit Hierony.) misericordia prioris populi, ne ab illis bibat calicem propinatum. Vnde & signanter nō dixit: transfer à me calicem, sed calicem istum, hoc est, populi Iudæorum, qui excusationem ignorantiæ habere non potest, si me occiderit habēs legem & Prophetas, qui me quotidie vaticinantur. His igitur alijsque rationibus animo illo sanctissimo occurrentibus commotus Dominus, tanto dolore corripitur vt toto corpore guttæ, vt iā diximus, sanguineæ in terram fluerent. Quę ergo est bone Iesu ingens hæc pœnarum acies in te insontem parata? Quis tibi tam grauissimum crucis pōdus imposuit, quo succumberet humana fragilitas, nisi diuinum robur vires suppeditaret? A quo tam lethale vulnus inflictum est, quod riuos sanguinis scaturire præ magnitudine doloris cogit? Meaeq uidem peccata tanti mali causa extiterūt, non tua: quia lōgè à salute tua verba delictorum meorū. Illa te tot calamitatibus affecerunt, illa te in limo profundi affixum posuerunt, cum tamen in te non esset substantia, scilicet peccati, fuit tamen accidens, id est, pœna debita subsequensque peccatum meum, quod super lignum portare voluisti. Nos parentesque nostri, subituri profecto eramus, vt potè qui deliquimus, hæc & grauiora tormenta: nos nos ipsi daturi pœnas, vt potè qui in nos ipsos tantam malorū ingluuiem inuexim9, quantam humeri nostri reportare recusent, nec valeant: nos ipsi temerè pastum veticum aggressi sumus, ac proinde æquum esset, inedia consumi, fame deperire: denique bone Iesu quæ tolerasti tormenta, in nos conuertenda essent, nos

In Ps. 130.

Hiero. in Matt. c. 26

nos proffusus sanguinem, nos haustum acerbissimum potum, quo te potauerunt sitientem impij Iudæi, nos perpessi improbria, confusiones, flagella: patrator enim sceleris, dignus est, qui pœnas luat. At euicit te nimia erga nos pietas, & voluisti immanissimis bestijs corpus tuum dilaniandum committere, vt nos onere peccatorum oppressi in capite nostro debitũ solueremus. Gratias quidem pro tanto beneficio rependere non sufficimus, saltim doleamus cõtemplantes te verum Deum sanguine madentem. ¶ En videmus adimpletum quod ipse olim apud Psalmographum dicebat ad patrem clamando. Domine Deus salutis meæ in die clamaui & nocte coram te. Intret in conspectu tuo oratio mea: inclina aurem tuam ad precẽ meam. Quia repleta est malis anima mea: & vita mea inferno appropinquauit. Verè nunc repleta erat malis anima eius & vita eius inferno, hoc est, morti appropinquabat: quando Apostolis suis dicebat; Tristis est anima mea vsque ad mortem; quando cæpit pauere & tedere, contristari & mæstus esse: quando in agonia positus guttas sanguinis in terram decurrentis sudauit. Hoc idem experiuntur, qui piẽ volũt in Deo viuere, dum ad tempus Dei dispẽsatione, ad suam probationem, à suo consolatore videntur derelicti. quomodo de seipso satis aperte testatur gẽtium Apostolus, in epistola secunda ad Corinthios ita scribens. Non enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostra quæ facta est in Asia, quoniam supra modum grauati sumus supra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere: sed ipsi in nobis ipsis responsum mortis habuimus, vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos. Ac si diceret: vsque ad hanc afflictionum extremitatem deuenimus, vt aũ plane & nostra & aliorũ opinione morti adiudicati essemus ac tãdem Deo nos eripiente exuscitati, doceremur cõfidere nõ in nobis, sed in Deo. Vel responsum mortis habuimus, intellige quod tam graues erant afflictiones & molestiæ vt nihil aliud portendere ac loqui viderẽtur quam instantem mortẽ. Sic enim, inquit, Chrysosto. hæc nobis molestiæ illæ respondebant. Hoc etiam expertum fuisse Dauidẽ nemo est qui ignoret, nisi cui non est nota persequutionum impij Saulis sæua & insignis crudelitas. Nonnunquam enim in tanta angustia extitit, vt esset anima ipsius plena malis, & vita inferno proxima. Nos igitur in simili angustia positi clamemus ad Dominum, instemus oratium: vt tentationi non succumbamus.

¶ *Erat sudor eius sicut gutta sanguinis, etc.* Nunc sane noster verus Adamus in sudore non solum vultus sui sed totius corporis sui laborat mirum in modum, operatur, exercet, & excolit hortum Gethsemani. Nunc etiam in sudore isto tam admirabili præparauit Dominus ante passionem futuram piscem grãdem vt deglutiret nostrum Ionam absortum nimia animi tristitia. Nunc Iacob verus timet Esau fratrem suum, hoc est, Iudam populumque Iudaicum: confortatur tamen ac corroboratur ab angelo sicut olim Iacob. Nunc noster Elias timet Iezabelem, idest, synagogam impiam & quia longa illi restabat via vsque ad montem Dei, hoc est, vsque ad Caluariæ montem, angelus illi adest, cum subcinericeo passionis pane, quem sub iunipero crucis comedere suadet. Iam videt Zacharias sibi ostensum à Deo sacerdotẽ magnum Iesum, stantem coram angelo Domini, & satanam etiam stantem à dextris eius vt aduersaretur ei, iam audit Dominum dicentem satanæ: increpet Dominus in te satan, & increpet Dominus in te qui elegit Hierusalem. Nunquid non iste est torris erutus de igne? Et Iesus (inquit) erat indutus vestib9 sacerdotalibus. Iesus iste sacerdos typus & figura expressa fuit nostri veri sacerdotis Iesu. Ille preces fundebat pro populi in Babylone captiui liberatione: Christus autẽ sacerdos in æternũ orat pro redemptione populi sui, imo pro libertate totius mundi: quem diabolus, huius mundi princeps captiuum tenebat. Vnde oratio illa pater si vis trãsfer calicem istum à me secundum sententiam Hylarij sic explicanda atque exponenda est: calix passionis à me in meos transeat. Transiuit equidem Christi domini calix ad nos, quo liberamur à peccato. Iesus ergo sacerdotis officio fungens ardẽtissimẽ pre-

Psal. 87.

Matth. 26

2. Cor. 1.

Gen. 3. Figura.

Ionæ. 2 Figura.

Gen. 32. Figura.

3. Reg. 19 Figura.

Zach. 3. Figura.

Hylarius.

precatur pro sui populi liberatione. Dum summus Pótifex semel in anno sancta sanctorum oraturus intraret: pro populo sanguinem agni deferebat, Iesus autem noster qui est verus immaculatusque agnus Dei, & sacerdos noster, per proprium sanguinem intrat nunc ter preces fundens, terque Trinitatem deprecans, ad inueniédam æternam redemptionem, ideoq; sanguinem offerendum sudat. Interim tamé aduerte, quod vbi nos legimus dixit Dominus ad satan, in Hebræo (vt annotauit glos.) habetur nomen illud ineffabile Tetragrammató siue quatuor literarú, quod proprium est Dei; quod cum in hoc loco ter repetatur satis mysterium Trinitatis ostenditur. Dum ergo ibi de Trinitate fit mentio & Christus dominus ter in horto isto precationes fuderit, inde docere voluit nos: vt preces nostras ad Trinitatem dirigamus: eique maximas gratias referamus quod salutis nostræ calicem disponere voluerit in Christo domino inter duos angelos alterum eú accusantem, affligentem, ac persequentem: alterum veró eum confortantem ac corroborantem. O domine Iesu quis modo nó videat quáto maior quantoque grauior hæc tétatio, sit tentatione pristina deserti. Nam tunc non accesserát angeli vt te corroborarent, sed vt tibi subseruirent. Núc autem & angelus de cœlo astans te confortare nó cessat: & ipsamet Trinitas satanæ minatur dicens: increpet Dominus in te satan, qui elegit Hierusalem. Vbi complebis excessum, hoc est, mortis genus à Prophetis prędictum. Tú sané verus est torris erutus de igne, scilicet, amoris, iam immensi tamq; feruidi, vt hunc sanguinem sudare fecerit: sed ereptus es modo ò domine Iesu ab hoc cœlesti igne semiustus, seruatusq; es à patre donec super ligna crucis compositus omnino ardeas, & in holocaustum pro nobis offeraris. ¶ Sed iam tempus est vt ad nos sese conuertat oratio. Vix est inter nos aliquis qui propter Christi domini amorem desudet, aut lachrymas fundat, nedum guttas é corpore sanguineas. Propter mundi diuitias & opes sudarat, qui dixit: Detestatus sum omnem industriam meam qua sub sole studiosissime laboraui, habiturus hæredem post me, quem ignoro vtrum sapiens an stultus futurus sit, & dominabitur in laboribus meis, quibus sudaui & solicitus fui. Et est quicquam tam vanum? Propter infernum desudarát, qui in inferno positi amare flentes dicunt: lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, ambulauimus vias difficiles. Quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum iactátia quid contulit nobis? His miseris mundi diuitias, voluptates & magistratus vané quęrétibus euenit quod cani sudanti post leporem, quem Dominus lepore capto lapidibus ac vocibus contundit, donec eam dimittat. Sic mundus iste, homines cum Christo non sudantes sudoribus & labore suo partis opibus spoliat, exuit, nudat atq; omnino priuat.

Glos. — Matth. 4. — Eccle. 2. — Sap. 5. — Simile. — Sudor impiorú inutilis.

¶ *Erat sudor eius sicut guttæ sanguinis, etc.* Hic queritur an sudor iste fuerit verè sanguis: eo quod Lucas dicat erat sudor eius sicut guttæ sanguinis. Theophilactus putat non fuisse verum sanguinem. Ait enim: parœmia est in his qui valde laborát vt dicant sanguinem sudasse: sicut in his, qui amaré flét, dicimus quod sanguinem fleant. Hazeme sudar gotas de sangre, hazeme llorar lagrimas de sangre. dicimus Hispané. Hoc volens significare Euangelista dicit ita fortiter sudorem instillasse, vt collegerit secú riuos sanguinis. At Hieronymus, quem libenter sequimur, lib. 2. contra Pelag. vltra medium ait: guttæ sanguinis fluxerunt ex parte, quem totú erat in passione fusurus. Idem dicitur de celebratione missarum cap. in quanto ...

An sudor Christi fuerit verè sanguis.

¶ *Inuenit eos dormientes præ tristitia.* Non erat illa crapula sed imbecillitas naturæ, grauis animi mœror somnum adduxerat: sic sanctus Elias olim præ animi dolore proiecit sese, & obdormiuit in vmbra iuniperi: vt lib. 3. Regum cap. 19. facere narrat historia. Animus enim (ait Chrysost.) semel tristitia repleta, nihil audire est idoneus. Propterea & amici Iob profecti, & demum illius deplorationem celebrent, & iustum in stercore sedentem, & vlceribus plenum, vestiméta sua disciderunt, ingemueruntque, & silentio se tradiderunt, significantes quod nihil à principio tam dolentibus opportunum, quam quies & silentium.

Tristitia & silentiú & somnú secú affert — 3. Reg. 19. — Chry. hom. 21. ad po. Anti. in principio. — Iob. 2.

tium, erat enim consolatione maior tristitia. Propterea & Iudæi luto & operi lateritio alligati, Mosen profectum cernētes, his quæ dicebantur attendere non poterant ex pusillanimitate & tribulatione, quam patiebantur. Et quid mirum si homines quidē pusillanimes hoc passi sunt, cum & Christi discipulos (vt in hoc loco vides) in hunc morbum incidisse inuenimus? Et paulo ante post cœnam, quando ipsos assumens Christus seorsum alloquebatur, ab initio quidem ipsum interrogabant discipuli, quo vadis? Vt vero dixit illis mala ipsos paulò post exceptura, bella, persecutiones, inimicitias ab omnibus, flagella, carceres, iudicia, abductiones, velut onere ponderosissimo, dictorum formidine, & futurorum tristitia, pressum tunc ipsorum cor, postea stupidum remāsit: ideo confusos eos cernens Christus, hoc ipsum exprobrans dicebat: vado ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me quo vadis? Sed quoniam hęc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Tristitia ergo silentium imponit, somnum secum affert. Inuenit (inquit) eos dormientes præ tristitia.

Exo. 6.

Ioan. 16.

¶ *Et ait illis, quid dormitis? Surgite. Et orate ne intretis in tentationem.* Obiurgat itaque Iesus suos: & excitat rursus ad orandum: quur, inquit, nunc in tanto periculo dormitis? Surgite & orate, ne vos oscitantes obruat ingruens tempestas, iam enim instat tempus. Surgite & eamus, ecce qui me tradet prope est. Eamus, inquit, ad eos, ne nos imparatos & somno sepultos arbitrentur, eamus ad eos, ne glorientur ac irrideant nos tanquam delusos & nihil suspicantes captos. Surgite eamus, ne male suspicentur me inuito mortem esse subiturum. Eamus, quod multo minus calamitas nocet, minusque terret, à principio præuisa. Surgite & intrepidi occurramus hostibus: ego vos protegam à facie hominum sublimium istorum. Sub vmbra alisque meis tuti securique eritis. Solum me pastorem canes isti ac lupi rapaces quærūt: vos dispersi eritis solummodo sicut oues errantes, nec sinam vos capi. Quia quos dedit mihi pater non perdam ex eis quenquam nisi filium perditionis talem tātūq;

Mar. 14.

Ioan. 18.

A bellum aduersus nos excitantem. His aliisque similibus verbis eos excitat Dominus atque omnem timorem atque metum pellere conatur.

¶ *Adhuc eo loquente ecce turba & qui vocabatur Iudas vnus de duodecim antecedebat eos. Et appropinquauit Iesu, vt oscularetur eum.* En Iudas modo Christi sectator & conuiua nunc dux impiæ manus, antecedebat illos ex interuallo, sed prius illis dato symbolo (solet hoc in bellis fieri) vt cui dedisset osculum hunc scirent esse Iesum. Miser homo vt simularet

B & mentiretur se non esse proditorem sed discipulum, se non hostem sed amicum, citius properat & cohortem impiam ex interuallo antecedit: cū re vera dux esse voluerit sceleratorum militum, quos sacerdotes & pharisæi sceleratiores miserāt ad capiendum Iesum. Vbi verò ingressus est hortum alacris & lætus & proprius adiisset Iesum, iam osculum ex more porrexit. Ac si dicere vellet: ego equidem discipulus sum non traditor: procurator tuus ego sum, qui pacem tibi & non bellum procuro. Ecce osculor, ecce saluto, ecce amplector, quæ pacis & amicitiæ signa sunt omnia. Dominus tamen pro sua mansuetudine nec proditoris recusauit osculum, nec os ab illo voluit auertere: quemadmodū nec auertit ab increpātibus & spuentibus in se. Os igitur dominus Iesus Iudæ inclinauit: & osculum suscepit libenter, quod nō osculum sed potius proditionis signū, inferni morsu deterius, dicendum erat. Quare illius pungere conscientiā volens, vt vel tanta Domini lenitate motus resipisceret: ait illi quæ statim Euangelista narrat.

C

Esai. 50.

D

¶ *Iuda, osculo filium hominis tradis?* Intelligebat Iudas se non latere, nouerat innocentiam Domini, toties inaudita mansuetudine prouocabatur ad mutanda consilia: vel lapis emolliri poterat, nisi totum illius pectus iam satanas auaritiæ morbo occupasset. Ac Iudę quidem impietas, ipsi quidem vni exitium attulit. Cęterum qui nunc simili dolo veritatem euangelicam produnt principibus huius mūdi, grauiorem perniciem adferunt, & maiori supplicio digni sunt, quam Iudas infœlix, sero

quicquã est, quod nõ in mea sit potesta- vel nõ tradiderit mihi, præter te qui a vxor eius es: quomodo ergo possum hoc malũ facere, & peccare in Dominũ meũ? Rectè ergo humano more cõquerens, illud exaggerat Christus Dñs, quod ab homine domestico, cui se bene fidere demonstrauerat, quem coram cæteris Apostolis bonæ fidei testimonio honorauerat, talé sit passus proditoriam supplicationem. In quo (inquit) ego speraui. Quæ verba sic etiam explicat D. August. quomodo ergo in illũ sperauit: nisi quia in membris suis ipse est: & quod multi fideles de Iuda sperauerũt: hoc in se transfigurauit Dñs. Quãdiu enim videbant Iudam multi qui crediderũt in Christũ ambulare inter duodecim Apostolos, sperabant in illum aliquid, quia talis erat, quales & cæteri. Christus autem quia in mẽbris suis erat hoc sperantibus, quomodo in illis est esurientibus & sitientibus: quomodo dixit: esuriui, sic dixit: speraui. Proinde sic illi dicamus. Dñe quando sperasti, quomodo illi dictũ est: Dñe quando esuristi? Quomodo nobis ibi dixit: cũ vni ex minimis meis fecistis mihi fecistis, sic potest dicere: cum vnus ex minimis meis sperauit, ego speraui. Inquã sperauit? Homo (inquit) pacis meæ inquã speraui: qui edebat panes meos. Quomodo ipsum ostẽdit in passione de istis verbis prophetiæ? Per bucellã illum designauit, vt appareret de illo dictum: qui edebat panes meos. Rursus quando venit vt traderet eum: osculum illi dedit, vt appareret de illo dictum homo pacis meæ. Hæc Augustinus.

¶ *Iuda osculo filium hominis tradis?* Sæpe ficta patiẽtia ad iracundiã magis quã sermo succendit, & atrocissimas verborum transcendit iniurias maligna taciturnitas, leuiusque tolerantur inimicorum vulnera, quam irridentiũ blandimenta. De quibus propriè dicitur per Prophetam: molliti sunt sermones super oleum, & ipsi sunt iacula. Verba callidorum mollia. Hæc autem feriunt in penetralia ventris. Nam & cum magna multitudo ad comprehendendum Dominum cum gladijs & fustibus cum Iuda venissent, nemo tamen in autorem vitæ nostræ illo cruentior extitit parricida, qui cunctos ficto salutationis hono-

August. in Psal. 40.

Matth. 25

Quod manifesto odio gravior sit simultas.

Psal. 54

A re præueniens osculum subdolæ charitatis ingessit. Cui Dominus: Iuda, inquit, osculo filium hominis tradis? Idest, amaritudo persecutionis atque odij: hoc tegimen assumpsit, quo dulcedo veri amoris exprimitur.

¶ *Domine si percutimus in gladio? Et percussit vnus ex illis seruum principis sacerdotum: et amputauit auriculam eius dexteram.* Porro discipuli cæteri, conspicientes vim parari Domino, amore suppeditãte audaciam, aiunt Domino: Domine an

B vis vt feriamus gladio? Meminerãt quod de gladio emendo dixerat: sed quoniam in eo perpetuam mansuetudinẽ viderant, dubitabãt an passurus esset eos vti gladijs. Cæterũ Petrus, qui cæteris vehementius amabat, quique præ cæteris fortia pollicitus fuerat, non expectato Dñi respõso, gladio petijt quendam ẽ ministris primarij sacerdotis, qui primus tentabat manum inijcere Iesu, videlicet Domini sui sæuitiam referens: sed moderante ictũ Domini mãsuetudine, tantum dextram illius auriculam amputauit. Fœlices sunt quibus am-

C putatur auricula, quæ hactenus auscultabit impijs sacerdotibus ac legi carnali: & restituta à Christo, iam auscultat ijs, quæ faciunt ad salutem æternam. ¶ Quod autẽ Petrus fecit nõ caret sacramẽto. In passione enim Dñi nihil casu euenisse certũ esse debet. Seruus ergo pontificis figura est populi Iudæorũ: qui sub mortis pœna, sacerdotis imperio parere tenebatur: & legem ex ore eius exquirere. Populus ergo iste duas habebat aures alterã sinistrã, quæ terrena: alterã vero dextrã, qua cœlestia au-

D diebat. Hãc ergo Petrus scidit, ne iã populus iste, Iudæũ pontificem audiat: quoniã ab eo tẽpore quo veste suã scidit, à sua dignitate depositus est. Aurẽ ergo illius populi habeat Petrus Pontifex fideliũ, ei adhibeat, in his quæ Dei sunt, pium auditum. Quod si fecerit, à peccatorũ vulneribus sanabitur. Sanabitur inquã ab incredulitate, ab impietate quã Christũ suũ cruci affixit: si Petro eius vicario aurem dederit, ab eo quidem erudiendam, qui sublatam à Iudæis clauem scientiæ habet. Præterea Petrus serui auriculam abscidit: quoniam lex habet: quod si seruus anno libertatis,

Castitate

 à serui

a seruitute exire noluerit, remaneat seruus in seculum, & in signum perpetuæ seruitutis auris sibi perforetur. In quæ verba Glossa sic ait: hæc pœna & verecundia sit ei, eo quod non vult vti libertate à Deo sibi data: & perforatur auris magis quam alia pars, quia per illam intelligere debuit legem de libertate. Cum ergo filius Dei ab hostibus capiatur, vt per eum liberi sint à iugo legalis seruitutis omnes homines, quibus dicit Christus: Tollite iugum meum super vos, & populus ille tunc temporis noluisset: diuus Petrus cuiuscunque legis & ministerii moderator, in seruitutis signum, illi qui noluit libertate Christi vti, auriculam eius dexteram abscidit: quoniam spiritualem ac præstantiorem libertatem amisit: & hoc vsque in seculum, scilicet, conuersionis suæ. Deinde Petrus eius autem scindit more iudicum latronis autem scindentium. Fur erat populus iste & tanquam fur nocturnus in hortũ Gethsemani ad furandum fructum salutiferum hoc est Christũ venerat: dignus ergo erat latronum pœna. Furtim enim sublatus est Christus ita vt dicere merito poterat, quod olim Ioseph: furtim sublatus sum. Luat ergo latronis pœnas populus iste. Tandem huius autem scindit, nam omne membrũ quod Deo suo non obsequitur scindi profecto meretur. Cũ ergo sæpe Christus Dñs in Hierusalẽ verba vitæ prædicauerit, seruus verò iste scelestus eius cõcionibus aurem non adhibere voluerit, rationi cõsentaneũ erat, vt membrũ suo exercicio priuatũ abscinderetur. Melius est enim mutilatum aut claudum, cœlum intrare: quam integris membris in infernum præcipitari.

¶ *Sinite vsque huc.* Subaudi, res ipsa peruenire debuit.

¶ *Et cum tetigisset auriculam eius, sanauit eum.* Infame vulnus erat hoc à Petro factum magis, quam periculosum, sed tamẽ insanabile, quod Chartilago semel desecta, non coeat rursus. Iesus autem cui nullum vulnus sanabile non est, restituit Malcho suam auriculam, sic vt nullum vulneris vestigium appareret. Minimum enim peccabant milites & serui, quorum stultitia sacerdotum, pharisæorum & scribarũ malicie seruiebat. In hos potius sæuiendum erat, nisi sic visum esset Deo, victoriam euangelicam in tolerantia sitam esse. Præterea Malcho auriculam restituit Dominus, ne quis diceret propugnatorem aliquem ad eum seruandum accessisse: nõ enim hominum auxilio egebat qui cœlum terramque continet, qui omnia moderatur, ac portat verbo virtutis suæ. Sed interim aduerte obsecro istorum hominum impiorum maliciam. Qui tãtum miraculum præ manibus habitum, tacere voluerint: ne Christi virtutem & potentiam commendarent: ne eius clementiam prædicaret. Sed velint, nolint, infœlices isti: nam eorum liuor & odium intestinũ obstare nõ potuit, ne dominus Iesus con filiom suis datum, scilicet, benefacite his, qui oderunt vos, suo exemplo adimpleret. Quid est ò domine Iesu vt tua sanare nolis, quid est vt teipsum confortare & corroborare cum possis nõ velis, sed opus sit vt angelus de cœlo ad te corroborandum appareat: & tamen hostibus tuis illi co medearis? Immensa sanè charitas tua, immensa bonitas, & inaudita pietas huius rei ratio & causa fuit. Tertio Dominus Malcho mederi voluit, non animæ vulneri, sed corporis tantum. Vt & si præterita benefacta (vt Origenes ait) non recordarẽtur Iudæi, vel præsentia recognuscant. Quarto tunc temporis sanat hũc seruum Iesus, vt facto ipso doceret: quod nisi captio hæc ad hominũ salutem necessaria fuisset, se comprehendi ab his satellitibus nõ permitteret. Solẽt enim apud hortos herbæ salutiferæ inueniri, quæ collectæ ac cõtritæ salutem afferũt. Ecce horto Gethsemani herba maxime salutaris reperitur, quã colligũt & cõterũt impij Iudæi ad nostrũ omniũ salutẽ cõparandã. Attritus est enim (inquit Esai.) propter scelera nostra, & sanãda. Et rursum: liuore eius sanati sumus.

¶ *Dixit autem Iesus ad eos, qui venerant ad se, principes sacerdotum & magistratus templi & seniores. Quasi ad latronem existis cum gladiis & fustibus, &c. Cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me.* Vt Dominus ostenderet nullam viam, nullam potestatem sufficere posse contra eum si capi nollet

Exod. 21. | Matth. 11. | Matth. 5. | Orige. home. 35. in Matth. | Similitudo | Esai. 53.

let: antequam comprehenderetur satelli tes istos corrigit, dum dicit eis. Quid accidit, quod nunc armati gladijs ac fustibus egressi noctu ciuitatem huc accurritis, veluti latronem violentum, ac repugnantem expugnaturi? Quum quotidie fuerim apud vos in templo, expositus omnibus inermis, nemo manus iniecit in me: certè eadem erat vobis voluntas tūc, quę nunc est, sed obstetit vobis eius voluntas, cui nemo potest resistere. Nonne (inquit) eram quotidie apud vos docens in templo? Ecce obijcit quotidianum ac maximum beneficium. Ac si diceret apertius: hocne est præmium tantæ doctrinæ? Hæc gratiarum actio? Hæc pro tanto munere repensio? Quur tanquam latroni expugnaturi accurritis? Nunquid ego sum Barrabbas, aut grassator? Obserua Christi domini intrepidum animum, minime enim tantorum hostium multitudinem timuit, quin potius eis occurrit constanti animo. Quare merito cum Iob dicere poterat: si expaui ad multitudinem nimiam, & despectio propinquorum terruit me, & non magis tacui, nec egressus sum ostium. Ipse quippe (vt Gregorius ait) ad multitudinem nimiam non expauit, qui persecutores suos cum gladijs & fustibus venientes, vna tantum responsio ne perculit, dicens: Ego sum. Ipsum despectio propinquorum non terruit, qui nos ab æternis supplicijs liberans: palmas in facie æquanimiter accepit. Ipse tacuit & ostium egressus non est: qui sub ipsa iam hora passionis, cum humanitatis infirma pateretur, diuinitatis potentiam exercere noluit. Mediator quippe Dei & hominum, quasi egredi ostium fuisset: si cum teneretur vt homo, maiestatis suæ potentiam voluisset ostendere: & per diuinitatis magnitudinem, susceptæ carnis infirma transire. Vt autem apertius homo mori posset, Deus mansit occultus: quia si cognouissent nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Non est ergo egressus ostium, qui & requisitus à Pilato tacuit: atque inter persecutorum manus & corpus captioni & passioni obtulit, quod pro electis assumpserat, & resistentibus noluit demonstrare quod erat. Vnde etiam apud Psalmistam dicitur: Posuerunt me in abominationem sibi, traditus sum, & non egrediebar. Cum comprehenderetur & despiceretur, quia homo videbatur, egressus esset, si occultam maiestatem suam ostendere voluisset. Sed quia infirmitatem prodidit, potentiam abscondit. In eo, quod persecutoribus suis incognitus mansit: ad eos minime exiuit. Qui tamen ad electos exit: quia diuinitatis suæ suauitatem quærentibus aperit. Vnde ei per Prophetam dicitur: Existi in salutem populi sui, vt saluos facias Christos tuos.

Iob. 31. — Lib. 22. Mor. c. 17. — 1. Cor. 2. — Psal. 87. — Abac. 3.

¶ *Hæc est hora vestra et potestas tenebrarum.* Ac si diceret. Nondum venerat tempus quo pati decreueram, sed hoc est tempus vestrum, tempus nocturnum, & hæc est potestas tenebrarum à Deo permissa. Ecce iam adest tempus expectatum satis à diabolo, de quo superius noster Lucas dixerat: & consumata omni tētatione diabolus recessit ab illo vsque ad tempus. Etenim quum diabolus omnes artes in deserto expedisset in Dominum, neque quicquam proficeret, simul & victus & elusus discessit, sed ad tempus. Ecce tempus, ecce hora, & occasio captata ad eum tentandum. Etenim ex quo non potuit elicere professionem filij Dei, quē nulla rerum specie corrumpere potuit, modo per suos satellites pharisæos, scribas & sacerdotes conatus est occidere. En adest iam tempus quo pater cœlestis diabolo permittit vt carnem nostri Iob tā gat. Vnde ipse Dominus iam persentiens immissiones per angelos malos patrem adijt vt superius vidimus & eum obnixè precatus est, vt si fieri posset transiret ab eo hęc hora. ¶ Cæterum aduerte totum tempus passionis, horam à Christo vocari. Sic Ioan. horam vocauit dicens: sciens Iesus quia venit hora eius, vt transeat de hoc mundo ad patrem. Tanta namq; fuit eius charitas, tātus amor erga suos, vt vel hora sibi videretur totū tempus, quo pro eorum salute pateretur.

Supra. c. 4. — Ioan. 13.

¶ *Comprehendentes autem eum.* Ecce verus Hieremias captus à Iudæis, quibus dit: Ecce in manibus vestris sum: facite mihi quod bonum & rectum est in oculis

Hiere. 26.

dis vestris. Veruntamen scitote & cognoscite, quod si occideritis me, sanguinem innocentem tradetis contra vos met ipsos, & contra ciuitatem istam, & habitatores eius. Illi autem, ac si dicerent, sanguis tuus sit super nos, & super filios nostros, data, habitaque facultate impetum fecerunt vnanimiter in eum illudentes, ac clamantes, vocesque ad cœlum vsque tollentes. Qui autem præ multitudine accedere non valebant, fremebant in eum ac dicebant: prosternite, deijcite, comprehendite, ligate, percutite eum: dilaniate, lacerate: denique illum trucidate, ne iterum nos terrorum deijciat. At Dominus Iesus nihil reluctans præbuit se vincendum. O calamitas deploranda, ò crudelitas & impietas sanguineis lachrymis deflenda. En agricolæ comprehendunt hæredem vineæ, vt eum extra vineam proiectum occidant. En freneti ci medicum sibi cœlitus missum, vinciunt vt immaniter interficiant. Filij in hostes conuersi, pium patrem, qui eos exaltauerat, suppeditare conantur: canes impudentissimi panem sanctum, panem propositionis deuorant. En secundus Adam ab horto deliciarum spulsus it ad laborem, ad tribulos & spinas à synagoga sibi germinatas. Ecce homo ille diuinus qui à Hierusalem cœlesti descendit in Hierico, hoc est, in mundum istum defectibus plenum, à latronibus comprehensus laceratur, spoliatur, vulneratur, ac non semiuiuus relinquitur: sed potius ad crucem ducitur vt infami morte é medio tollatur. Ecce denique archa Domini capta & euersa, vt qui latebat intus sanguis præciosus iam appareat effusus. Iam manna intus latens euertitur. Iam tabulæ, hoc est, corpus & anima Iesu, per terram trahuntur, & ipse lator legis dilaceratur. Iam virga suæ omnipotentiæ fracta & sicca videtur. O Rex Dauid quam immaniter quam atrociter ac crudeliter arcam à te tam humiliter veneratam impij isti satellites tractant. Non eam humeris ferunt, sed ictibus: non saltant coram ea: sed insultant: non se nudant, sed arcam veram: hoc est, Christum: vt ignominiosius ac inhonestius deducatur. O taetrum terræ

Gen. 3. Supra. 10. 1. Reg. 4. 2. Reg. 6. Num. 23.

promissæ, conculcatum, compressum, & contritum, super quem iam non Iudas solum, sed alij quam plurimi leuant calcaneum suum.

¶ Ecce iam verus Samson sua industria captus est à Philistæis. Dato enim consilio à Samsone amicæ suæ capitur ab hostibus, rasis capillis. Impia Dalila figura & typus erat animæ Iudæ, amore enim captus ait Dominus Iudæ: Amice ad quid venisti? Osculo filium hominis tradis? Huic amicæ dedit noster Samson consilium dicens: Quod facis, fac citius. Quod si Dalila à Philistæis precium postulauit Iudas impius idem à primoribus Iudæorum petijt dicens: Quid vultis mihi dare & ego eum vobis tradam? Quod si Dalila prius tonsorem quæsiuit qui Samsonis capillos tonderet: audi quid Psalmographus de Iuda scribat: sicut nouacula acuta fecisti dolū. Nouacula (inquit Hylarius) ad nitorem vultus acuitur, vt abradens hirsutam atque horrentem faciem leniget. Hæc si potius vulneret dolum fecit: quippe cum præparata ad ornatum, ministerium suum præbuerit ad vulnus. Iudas ergo ac populus Iudæorum, qui ad magnificandum Christi nomen electus est, & ad celebrandas laudes præparatus, hunc inhonorat, hunc tradit, hunc quantum in se est morte crucis perimit. Et hoc linguæ suæ nouacula. Lege Hylarium super hunc Psalmum: in cuius principio dicitur, quo pacto Doech Idumæus venit ad Saul, vt ei iustum Dauidem traderet, quod sané sceleratus Iudas fecit dum ad iudæorum cōcilium venit vt precio accepto eis traderet Christum. Venerunt ergo Philistiim vt Iesum catheniis vinctum in carcerem ducerent: cui impia amica ait: Philistiim super te Samson. Ecce iam nunc Patriarcha Ioseph à fratribus venditus ducitur vt carceri mancipetur. Iam archa testamenti facili congressu capta ducitur ab extraneis in templum Dagon. Nunc Israel captus in Babylonem ducitur. Nunc verus Ezechias à Pharaone comprehésus ducitur, & filij eius decapitantur, quoniā Apostoli à capite Christo separātur. Nūc Daniel captus & accusatus in leonū lacū ducitur vt eum deuorent. Nunc vero Naba

Iudi. 16. Figura. Psal. 51. Gen. 37. 1. Reg. 4.

Nabuzardam templum Domini prophanauit, ac expoliauit; & misit manum ad omnia desiderabilia eius, & citissime quoque ipsum templum corporis Christi soluetur. Ducitur ergo Christus hostibus atque inimicis vallatus, tot opprobrijs & & iniurijs affectus, vt vix in itinere stare posset. Intuere obsecro regem regum & Dominum dominantium, modo fatigatum ex itinere, capite disco operto, euulsis capillis, nudis pedibus, fluente per faciem sanguine, percusum conculcatumque ab omnibus, opprobrijs denique saturatum.

¶ *Duxerunt ad domum principis sacerdotum*. Idest, in domum Cayphæ qui tunc erat sacerdotum princeps, totius Iudaici populi pessima pars. Interim considera tripudium delatorum Iesu, quando ciuitati appropinquabant. Audi quid ciues é domibus egredientes dicebant. Hæccine est illa ramorum processio? Hic est honor tibi ab omnibus exhibitus? Quomodo versa est in luctum cythara tua? Quomodo vox illa infantium Osanna in excelsis versa est in hanc inimicorum tuorum dicêtium crucifigatur? Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij, in capite omnium platearum? Vbi sunt Apostoli tui lapides sanctuarij, quomodo filij Sion incliti amicti auro primo reputati sunt in vasa testea? Quomodo ó domine Iesu, tam cito mutatis in virum alterum? Olim quippe mirabantur omnes, eo quod Saul esset inter Prophetas, nunc autem stupemus omnes nos, eó quod Iesus heri potens opere & sermone, sit hodie inter cohortem hominum pessimorum, inter sacrilegos & scelestos collocatus. Quis tam cito atq; subito domum tuam euertit? Cur ad radicem tam optimę arboris securis intępestiuê posita est? Nunquid non plurimum fructum attulisti? Loquantur pro te muti omnes, quib9 loquelam dedisti, properent claudi, quibus vestigia recta mirabiliter contulisti, videant hoc, ipsi cæci quibus oculos aperuisti, clament pro medico cœlesti ægroti, quibus medelã pręstitisti, patrocinentur tibi qui

Threnoi 4

1.Reg. 10.

A mirabãtur in doctrina Dei, ab ore tuo procedenti. Hæc aliaque similia dicebant illi, quibus sanior mens erat.

¶ *Ascenso autem igne in medio atrii, & circũsedentibus illis erat Petrus in medio eorum*. Hinc disces quantum præstet eorũ fugere familiaritatem, qui nos possunt á recto Dei cursu separare. In libro Exodi loquens Deus cum populo Israelitico pręcipiebat illi, vt se abstraheret á Philistinorum familiaritate dicẽs: caue ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iũgas amicitias, quæ sint tibi in ruinam. Eam obcausam prohibebat Deus immundorum animalium esum, vt refert Eusebius Pamphilus libro de pręparatione euangelica octauo, mundorum autem concedebat, vt homines á maleficijs deterreret, & ad virtutes hortaretur. Si immunda animalia tangenda non erant, qui fieri potest, vt sceleratos homines, quorũ vicia sunt omnibus perspecta & explorata, nobiscum coniunctos cõsuetudine, & vetustate amicitiæ absque ignominia teneamus? Hoc intuens Psalmographus, Beatus vir, inquit, qui nõ abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilẽtiæ non sedit. Quibus verbis indicat impiorum hominum consilia esse magnopere declinanda, eorumque deprauatos mores ad æternos cruciatus ducentes, quos viam peccatorum vocat, atque eorum cõgressus esse penitus fugiendos. Verbum, sedere, consuetudinem & familiaritatem significat: in qua significatione eo vtitur alio in loco idem Psalmographus, dicens: Non sedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo, odiui ecclesiam malignantium, & cum impijs nõ sedebo. Et Esaias: Egredimini, inquit, de Babylone, fugite á Chaldæis. Hieremias item: Recedite de medio Babylonis, & de terra Chaldæorum egredimini. Esdras in oratione quam habuit apud Iudæos. Separamini á populis terræ, & ab vxoribus alienigenis. Lictores Saulis quærentes Dauidem: cum & ad diuinos vates accederent, vaticinari cæperunt: venit impius Saul, & ipse vaticinatus est. Vide quam perniciosum sit impiorum vti fa-

Exo. 34.
Leuiti. 11.
Eusebius
Psal. 1.
Psal. 25.
Esai. 48.
Hiere. 51.
1. Esdr. 10.
1. Reg. 19.

miliaritate, & quam vtile inter bonos versari. Id quodammodo intelligens Anthisthenes aiebat, absurdum esse non repurgere à lolio triticum, hoc est, non remouere à republica homines vitijs implicatos, ne sceleratorum societate viri boni coinquinarentur. Ita locum illum interpretatur Plutarchus, asserens non minus detrimenti afferre bonis homines iniquos, quam lolium tritico. Diuus iste Petrus Apostolus qui admirabili erga Christum charitate flagrabat tunc cœpit frigere, cum atrium Caiphæ ingressus, sceleratorum hominũ se impleuit colloquijs, illumque negauit, quem paulo antea Dei viuentis filium confessus fuerat. Sed cum illum Christus respexit, ipse que oculos coniecit in Christum, pœnitentia ductus fleuit amarè, & maculam lachrymis deleuit. Vt luna ea parte clara & conspicua est, qua solem intuetur, ea verò obscura & inanis, qua diuertit a sole, sic ille respiciens in Christum solem iustitiæ fuit illustratus, cum vero ab illo auersus, se cum impijs coniunxit, fuit metu obfuscatus & tenebris circumfusus, quare eos familiaritate deuinctos teneamus, quos intellexerimus, non solum à scelere & flagitio se abducere, sed etiam animi agitationem castam inuiolatamque conseruare: ab eorum autem consuetudine refugiamus qui maleficiorum maculis notati sceleribus pascuntur. Vt enim Hypanis fluuius aquarum puritate & dulcedine celebratus, postquam fontis Exampei amaras & turbulentas aquas in se recipit inficitur, & inutilis redditur, sic multi magno & excellenti ingenio viri, qui puris ac dulcibus virtutum aquis fluebant, cum se postea in hominum improborum familiaritatem immersissent fuerunt morum amaritudine & impuritate infecti, & fraudes inexpiabiles concipientes, vitijs teterrimis se totos contaminarunt. Quemadmodum in pomorum reconditorio corruptis nonnullis illud, quod illis adhæserit, etiam vitiabitur, ita in hominum societate qui nefarios consuetudine habuerint implicatos, animi præstantiam turpi decore plerumque maculabunt:

Simile.

Simile.

Simile.

quamuis antea fuissent egregia quadam gloria cumulati. Id intelligens diuus Paulus ad Corinthios sexto scribebat: Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Et Christus Deus noster, attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Multi enim sunt, vt verbis vtar Apostoli, speciem pietatis habentes, virtutem autem eius abnegantes horum & sceleratorum hominum familiaritatem fugere debemus, etiam si fratres nominentur. Ideo aiebat ad Corinthios quinto diuus Paulus: si is qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere. Hæc ille. Præuidebat enim facilem esse transitum à virtutibus ad vitia, nisi ipsæ virtutes essent consilijs, exemplis, & consuetudinibus bonorum virorum, confirmatæ. Proditum est memoriæ à viris doctissimis, statuas Dædali, cum essent magno artificio perfectæ, & eximia pulchritudine decoratæ, nisi tamen artissimis vinculis constringerentur, solitas esse dilabi, & facilé perfugere. Meminit huius historiæ in Menone, & in Hippia maiore Plato vir admirabilis non solum intelligendi, sed etiam dicendi grauissimus author, vt Socratis discipulum possis agnoscere. Et Aristoteles libro Politicorum primo, & primo de Anima capite tertio refellens opinionem Democriti Philippum comicum sequentis, harum statuarum seipsas mouentium mentionem facit. Eodem modo mores optimi virtutum ornamentis illustrati, nisi fuerint virorum sapientia & charitate præstantium consilijs & familiaritatibus roborati, facile fluent, & fugient, & penitus amittentur. Vincet voluptas rationem, & appetitus relicta obedientia modum transibit, & erit dignitas ablata, & splendor extinctus. Aspicis igitur, quam vtile sit à bonorum virorum amicitia, & consuetudine non declinare, ab iniquorum vero familiaritate abduci. Quam ob causam

2. Cor. 6.

Matth. 7

2. Timo. 3.

1. Cor. 5.

Aristote.

causam homines impios à nobis reijciamus ne sermonibus suis impuris moribusque deprauatis terram maculam nomini nostro inurant, iustorum autem amicitia & consotiatione magnoopere delectemur.

¶ *Et hic cum illo erat, at ille negauit eũ dicens, mulier non noui illum.* Non hoc factum est fortuito, sed ita placuit diuinæ dispensationi, quo magis retunderetur Petri fiducia, qui prius tam magnificé pollicitus Domino, se vel in mortem cum illo iturum, nunc ad mulierculæ vocem abnegarit Dominum. Petrus enim territus hac voce mulieris, abiecte respondit: mulier non noui illum: sic primum elapsus est Petrus. O Petre Petre quid nam hoc est? Satis sanus es? Nescis profectò quid dicis. Non nosti eum quem in monte Thabor gloriosum, & splendidum vidisti? Non nosti eum cui tũc dixisti Domine bonum est nos hic esse faciamus hic tria tabernacula? Non nosti illum, cui olim respondisti Domine quo ibimus, quia verba vitæ æternæ habes? Nonne publicé confessus es, eius diuinam humanamque naturam dicens: tu es Christus filius Dei viui? Si nõ es Christi, cuius es? Es ne Annæ? Es ne Cayphæ? Reuertere præuaricator ad cor, redi ad teipsum. Sed non hac vice solum miser elapsus est Petrus sed rursus interrogatus elapsus est periurio. Et tandem tertio interrogatus, cœpit obiurare, ac deuouere seipsum, si vel intelligeret, de quo Iesu, aut de quo horto, aut de quibus Galilæis loqueretur. Adeo sibi exciderat ille, futurus ecclesiæ princeps Petrus.

Matth. 17.

Ioan. 6.

Matth. 16

¶ *Et conuersus Dominus respexit Petrum.* Non fuisset futurus errandi finis nisi Dominus vertisset oculos ad Petrum, & intuitus illum fuisset. Christum respicere aliquem & ostendere illi faciem, est illum prosequi fauore, abscondere vero faciem ab eo, est illi non fauere, non se ei propitium ostendere. Eam ob causam his verbis diuinus psaltes Deum alloquebatur: Deus virtutum conuerte nos, ostende faciem tuam, & salui erimus. Ac si diceret: quousque eris nobis iratus domine Deus exercituum? Iam quæso nos reduc te cum in gratiam: prosequere nos fauore tuo, & salutem consequemur. Et in Canticis: Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Ostendens Deus Moysi futuram populi Iudaici rebellionem dixit et irritum faciet fœdus, quod pepigi cum eo: & irascetur furor meus contra eum in die illo, & derelinquam eum & abscondam faciem meam ab eo, & erit in deuorationem. Et apud Esaiam in momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te. Et rursum idem Propheta impios Iudæos alloquens aiebat: peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis. Hoc est scelera vestra Deum aduersus vos irritarunt, ea fuerunt in causa, vt ipse à vobis auerteret faciem illam suam rerum vestrarum quondam fautricem. Effecerunt flagitia vestra, vt Deum illum quem antea propitium & fautorem habuistis, modo infestum & iratum sentiatis. Et iterum ipsos Iudæos in Babylonica seruitute detentos ita inducit cum Deo loquentes: abscondisti faciem tuam à nobis & allisisti nos in manu iniquitatis nostræ. Et David. Faciem tuam, inquit, illumina super super seruum tuũ. Et alibi: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Ac si diceret vultu tuo Domine splendidissimo nos aspexisti alacritate & iucunditate faciei tuæ, tuum erga nos fauorem indicasti ex quo effectum est, vt nobis omnia florerent, & in gentibus bonis circumflueremus. Respexit ergo Dominus Petrum & statim adsereuersus & tactus dolore cordis intrinsecus egressus foras fleuit amaré. Vnde nota quod non ait Euangelista: Respexit Petrus Dominum: sed quid ait? Respexit Dominus Petrum. Peccatorum enim oculi terram intuentur non cœlum, & tunc dumtaxat Deum respiciunt quando peccata relinquunt, quod fieri non potest nisi eos Deus oculis suæ misericordiæ intueatur. Vt enim in speculo imago, quę oculos habet deflexos in terram, non potest eos a terra sursum erigere, vt in eam faciem, cuius est imago, intendat, nisi facies quæ est illius exemplar, oculos suos prius in illam iniecerit, sic peccatoris spiritus, qui iuxta vocem psalmisticam oculos suos statuit declinare in

Aspicere Christum aliquem quid sit & quid abscõdere faciẽ.

Psal. 79

Cant. 2.

Deut. 31

Esai. 54

Esai. 59

Esai. 64

Psal. 118

Psal. 4

Simile.

in terram, non potest oculos suos, nempe intellectum & voluntatem, in illam Dei faciem, cuius imago ipse est, intendere, nisi Deus oculis suæ misericordiæ illű prius respiciat, illuminans eius intellectum, vt peccatum suum agnoscat, & affectum inflammans, vt scelera detestetur. Quod in Petro contigisse videmus. Respexit igitur Deus illum, & statim conuersus est. Precemur ergo Dominum vt nos respiciat si perire nolumus: cum Dauid dicat: auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Et alio in Psalmo: Ne auertas faciem tuam à me. Et in alio: respice in me, & miserere mei. Et sanctus Iob, cur, inquit, faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum? Et Hieremias: intuere Domine, & respice opprobrium nostrű. Medicinam suarum calamitatum in visu Dei collocabat. Quid opus est pluras? Vt magnes ad se ferrum trahit admirabili vi, sic Dei visus, eos, quos vult, ad se mirabiliter rapit.

Psal. 24. Psal. 29. Psal. 26. Psal. 85. Iob 13. Hiere. 5.

¶ *Et egressus foras fleuit amare*. Quisnam obsecro dicere aut narrare poterit lachrymas Petri? Quis eius gemitus & clamores? Heu me miserum & infœlicem, aiebat Petrus, peccatis inueteratum, timidum, pauidum, mendacem, periurum, maledicum, ingratum, infidum, vitam ipsam negantem. Hæccine est ò domine Iesu relatio tanti beneficij, quod me vnum ex tribus discipulis dilectis feceris? Veré de me dicere tu Domine poteris. Os peccatoris & os dolosi contra me apertum est. Ego ipse sum impius ille, qui super dolorẽ vulnerum tuorum, addidi peccatum meum, quod magis cor tuum vulnerabat: quando alijs doloribus neglectis, maxima tristitia affectus, ad me conuersus es. Vbi sunt modo ò homo omni scelere & prauitate imbute, claues illæ ecclesiæ? Vbi fides ad confirmandos fratres? Vbi virtus illa & fortitudo quo possis cum Domino tuo in carcerem ire? Quid igitur faciam miser? Quo me vertam? Ad quem confugiam? Quem precabor? Si patrem cœlestem, nõ me sine filio suo recipiet. Ipse enim olim aiebat mihi: nemo venit ad patrẽ nisi per me. Si matrem, non minus illam offendi quam filium. Ad Domini igitur mei immensam misericordiam me totum conuertam: scio enim quod contritum & humiliatum non soleat despicere. Parce ergo ò Iesu bone, parce obsecro neganti, pluribus te libenter parcere vidi: neminem ad te cum lachrymis confugientem condemnare. Iudam vocasti amicũ, satellites retrorsum cadentes erexisti, ne me dimittat obsecro manus tua, sed mecum sit, & mecum laboret. ¶ Nos igitur ò fideles qui non terque sed millies Christum negauimus amaré cum Petro fleamus: Christum precemur vt nos respiciat: dicamus singuli: respice in me & miserere mei.

Psal. 108. Psal. 50.

¶ *Et viri qui tenebant illum, illudebãt ei, cædentes*. Tota illa nox translata est ludibrij, in Iesum. O domine Iesu, quid obsecro persentires, dum Iudæorum ministros vigilantiores tuis discipulis ac ministris cerneres? Hi in horto vel vna hora tecum vigilare non potuerunt: illi vero tota nocte vigilant vt illam trasferant ludibrij in te. Iure profectò modò dicere tu poteris quod olim sponsa tua. Inuenerűt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem, tulerunt pallium meum custodes murorum. Imo & tulerunt quietem, famam, familiã que tuam. & volũt tuam modo vitam auferre. Idcirco ciuitatem circuunt principes Iudæorum, vt eam aduersum te cõmoueant. Vigilat aduersum te, Iudas: vigilãt ministri, vigilãt eorum Domini. Heu nos miseros, quomodo nunc somno indulgemus? Cur non possumus vel hac hora vigilare cum Christo? Iudæorum ministri ne dormirent totam noctem transferunt ludibrijs in Christum, nos igitur ne impudentiores videamur tota hac nocte cum Petro lachrymas fundamus. Apprehendamus disciplinam ne quando irascatur Dominus & pereamus de via iusta. ¶ Cæterum aduerte: quod quater dominus Iesus illuditur. Primo illuditur in domo ista Caypha. Sic olim illusus est Samson à Philistæis. Secundo illuditur coram Herode rege. sic etiam olim Dauid coram rege Achis. Tertio illuditur veste purpurea indutus coram iudæis. Sic illusus est Noe coram filijs suis. Tandem in cruce positus illuditur: Vah (inquiunt) qui destruis templum Dei & in tribus diebus reædificas illum.

Cant. 3. Psal. 2. Quater Christus illuditur.

illum. Sic est à puerorum cateruâ illusus Helisæus. Ascende calue, ascende calue dicebant pueri Prophetam Domini irridētes. Noster autem Lucas nō refert omnia ludibria, quibus hac nocte affectus est Dominus: quæ tamen narrat Marcus cap. 14. Cœperunt (inquit) quidam cōspuere eum, & velare faciem eius, & colaphis eum cædere. Et dicere ei: prophetiza nos Christe, quis est qui te percussit. Ecce hic ad verbū adimpletum videmus quod sanctus Iob aiebat cap. 15. de populo impio. Tetendit aduersus Deum manum suam: cucurrit aduersus Deum erecto collo. Iam enim velut rite damnatus Dominus, conspuitur, colaphis & alapis cæditur à populo isto superbo, & pertinaci.

Mar. 14.

Iob. 15.

¶ *Et velarunt eum, & percutiebant faciem eius, & interrogabant eum, dicentes: prophetiza, quis est qui te percussit?* O domine Iesu, en facies tua non est gratiarum modo plena sed horroris. Olim conquerebatur sanctus Iob dicens: facies mea intumuit à fletu. tu modo conqueri poteris ac dicere. facies mea intumuit à saliua, ab alapis, & colaphis, atque verberibus. Si olim iusseras vt arca fœderis pellibus & sago velaretur, en tu, vera fœderis arca, obuelatus es modo: vt impij satellites impingant alapas in faciem tuam. Egredimini ô fideles & videte regem dominum Colaphis Cæsum, ictibus percussum, ludibrijs & ignominijs affectum. Videbitis venam vitæ percussam, & omnium gratiarum meatū. Cur o impij confringitis aquæductū, qui ad rigandum torrentem spinarum exiuit de paradiso? An vos non estis torrens spinis plenus, quibus eum coronabitis? Ad vos irrigandos aquæductus iste egressus est è paradiso. Quare ergo vestris verberibus eum frangere contenditis. Ecce Domine mi non solum vnus angelus sed multi angeli satanæ dati sunt tibi, qui te tota nocte collaphizent. Non enim vnus aut alter missus est à satana sed multitudo maxima missa est, vt te collaphis cædat, alapas impingat: spuat & irrideat dicēs: prophetiza, quis est qui te percussit? Cū Moyses à monte descenderet, vt in valle populo prophetaret, non poterant in eum respicere filij Israel propter claritatem vul-

Iob 16.

Exo 26. & 36.

Exo. 34.

A tus eius, cuius gloria nunc euacuatur in Christo: quoniam si ille vt tegeret decorē faciei suæ velat eam, huius facies gloriosa modo velatur, ne appareant sputa, verbera, & alaparum impressa signa. O Iesu sancte, si tam horridum est passionem tuam intueri, quanto horridius erit eam ferre? Certè gloria illa Moysi serui tui in te vno euacuatur & è regione opponitur. Illa, quia tam pulchra tam splendida & decora obuelatur vt proprius accedēs prophetizet, facies vero tua, quia obscura quia tristis, quia deturpata, tegitur: vt longè te à

B vero Propheta abesse hostes tui ostendant dicentes. Prophetiza, quis est qui te percussit? Ac si apertioribus verbis dicerent. Qui se diuinum, qui se vatem, qui se Prophetam ostentabat, cum lōgè abesset à vera prophetia his ludibrijs atque alijs id genus dehonestari ac irrideri debet. Si diuinabas, cur hæc ludibria non diuinasti. Si futura præuidebas, cur hæc tibi seruata mala non præuidisti? Sed si tunc non potuisti, diuina saltem nunc quis te percusserit? O Iesu bone, quid dicam tibi, cum ipse fecerim peccata, quorum tu modo pœ-

C nas immerito luis? Diuina obsecro quid velamen hoc præseferat. Imo diuinent ipsi miseri facto isto quod velamen incredulitatis positum est super eos, qui dum oculos tuos obuelant nec te vident, nec videre merentur. Nec digni sunt vt tu pius & misericors oculos istos tuos in eos inijcias. Nam oculi tui non ad infideles sed ad fideles terræ. Non ergo eos respicis sicut respexisti Petrum, nec ad illos sicut ad Petrum vertis oculos: nec eos approbas sicut approbasti Petrum. Diuinent etiam peccata sua in causa esse ne videant deitatis

D tuæ mysteria: hæc enim impijs & sceleratis minime patent: sed eo magis abdita & occulta fiunt, quo magis accrescunt scelera. Vnde postquam faciem eius venerandam conspuere cæperunt eam obuelarūt. Tot enim sigilla, tot claues addimus Dei mysterijs, quot peccata patramus. Auferamus ergo velamen peccatorum si gloria & splendore Christi velari cupimus. Accedamus contriti & humiles ad eum dicentes: ostende faciem tuam etiam denigratā super carbones & salui erimus. Vnde D. Hie-

Psal. 79.

D. Hiero. Hierony. conspui voluit dominus, vt nos lauaret, velari voluit, vt velamen culpæ, & ignorantiæ cordibus nostris auferret. In capite voluit percuti vt caput nostrũ, idest, Adam restitueret sanitati. Alapis voluit cædi, & verbis derideri, vt nos eï labijs & manibus, id est, verbis & operibus applaudamus. quoniam scriptum est: omnes gentes plaudite manibus. Hæc ille. Psal 46.

¶ *Et alia multa blasphemantes dicebãt in eum.* Multis alijs conuicijs & ludibrijs impia turba debacchabatur in omnis gloriæ fontem, quæ tot tantaque erant vt nostet Euangelista ea verbis explicare nõ potens, vel paucis verbis comprehendit dicens: & alia multa blasphemantes dicebant in eum. O domine Iesu ecce video ignominiam & opprobrium tuum, secũdũ gloriam & maiestatem tuam. Si diuinus ille Ioannes a te vnice dilectus affirmat se non omnia à te præclaré gesta commemorare ne immensa voluminum vis nasceretur: diuinus etiam Lucas hoc idem de conuicijs & ignominijs tuis intelligens non omnia singulatim enarrare voluit, ne immẽsum scriberetur volumen sed vno verbo ea omnia cõplexus est. Sed vsquequo Domine, vsquequo peccatores Domine gloriabuntur, effabũtur, & loquentur iniquitatem, loquentur qui operantur iniustitiam? Hoc cõuiciorum tempus volens Lucas definire addit: & vt factus est dies, conuenerunt seniores plebis, &c. Nox ergo erat quando cœtus malignãtium, qui maléagebat, odiens lucem Christum, velauit faciem eius, ne super corda eorũ radios suæ pietatis & misericordiæ emitteret. Cum ergo primores sacerdotum in domo Cayphæ Christum dominum ministris suis tradidissent, vt eum tormentis diuersis tota nocte afficerent, abierunt ipsi vt falsos aliquos testes sibi pararent. Ioan. vlti. Psal. 93.

¶ Hinc discamus non indigne ferre, si propter euãgelicum sermonem incessemur, si malis affligamur, si ludibrijs & cõuicijs petamur ab his, qui stultorum principum aut præsulum animo seruiunt.

¶ *Vt factus est dies conuenerunt seniores plebis, & principes sacerdotum, & scribæ, & duxerunt illum in consilium suum.* Ecce tria genera potẽtium, quærentium animam Christi. Quoniam in senioribus potestas vigebat: in sacerdotibus dignitas, in legis peritis doctrina. Seniores incusant Christum quod se regem faceret: & idcirco esse dignum morte contentur. Sacerdotes vero eum dignum morte iudicant, quod se esse Christum prædicaret: hoc est vnctum in sacerdotem præcunctis: scribæ idem affirmãt, quod se fecerit filium Dei. Cũ hoc deberetur primogenito Dei Israeli. Hæc ergo synagoga potentium vt dixit frequens conuenit, & accitum in concilium suum, Iesum percontatur, venatura aliquid ex illius dictis, quod in eo criminaretur. In iudicio crimen quæritur, ac destinata morte, circunspicit synagoga ista satanæ, quo titulo mortis causa possit intendi. Aiunt ergo.

¶ *Si tu es Christus dic nobis palam.* Ac si diceret: Idcirco tam primores sacerdotũ, quam scribæ, & principes populi conuenimus, vt sciamus si tu es Christus ille, quem iuxta prophetarum oracula expectamus. Simpliciter igitur & de plano nõ sophisticé nobis ad interrogata respõde. Nam si tu es ille Christus nobis à Deo promissus, ecce adsunt subditi qui tibi parebunt. Si tu es Christus dic nobis: nobis scilicet, amicis, nobis cognatis, nobis iamdiu desiderantibus & expectantibus aduentũ tuum. Dic nobis vt debitum honorem tibi deferamus: vt te in regem & sacerdotẽ libenter vngamus. Imo si tu es Christus noster vnges nos in reges, & in sacerdotes tuos. Quid ergo tamdiu tot tantosque viros crucias, vsquequo animas nostras tollis? Si tu es Christus dic nobis palam. Iesus autem, sciens illos sciscitari non vt discerent veritatem, sed vt venarentur calumniam respondit illis.

¶ *Si vobis dixero, non credetis mihi. si autem et interrogauero, non respondebitis mihi, nec dimittetis.* Quibus verbis tria vitia trium statuum prædictorum, qui in Christum dominum conuenerat, taxantur. Videlicet infidelitas sacerdotũ. Idcirco ait: si vobis dixero quis sim, non credetis mihi. Insipientia & ignorantia scribarũ, ideo adiungit: quod si vos percontet ex scripturarum testimonijs qualis sit promissus Messias, & an ea signa competant in me, non

Tria vitia trium statuum Iudæorum.

non respondebitis mihi ex animo. Qui nec discere cupitis quod verum est, nec docere. Iniustitia & tyrannis iudicum: quapropter addit: nec ideo absoluetis me, si declarauero meam innocentiam. Nō enim hoc agitis interrogando, quod in legitimis iudicijs fieri consueuit, vt cognita veritate, vel absoluatis innoxium, vel damnetis nocentem, sed vt quod facere decreuistis, iustitiæ titulo facere videamini. In hos tres Iudæorum status sic olim etiam inuexit Propheta Ezechiel cap. 7. Conturbatio super conturbationem veniet, & auditus super auditum, & quærent visionem de Propheta, & lex peribit à sacerdote; & consilium à senioribus. Iam hic vides hæc omnia hodie accidisse. Nam impij homines isti tota nocte anteacta conturbauerunt Christum dominum & huic conturbationi nocturnę addunt diurnam. Ecce perijt visio prophetica à legisperitis nolentibus scripturas scrutari perhibētes testimonia de Christo. Perijt etiam à iudicibus lex; quando per eandem legem supplicio afficere volunt datorem legis. Nos, inquiūt, legem habemus, & secundum legem debet mori. Perijt etiam consilium à senioribus, qui sibi alijsque consulerent, si Christo crederent, qui erat admirabilis cōsiliarius. Ob ista igitur crimina istorum subiūgit Christus.

¶ *Ex hoc autem erit filius hominis sedens à dextris virtutis* Dei. Hæc ideo dixit Iesus, vt quoniam humilem Christum, per quem seruari poterant, occidere, quā amplecti maluerunt: scirent sese conspecturos iudicem, & vltorem impietatis suæ, quem seruatorem promissum, & expectatum tot seculis, cognoscere noluerunt. Ea vox visa est omnibus idonea ansa calūniandi, si modo profiteretur apertè sese filium Dei. Aiunt igitur.

¶ *Tu ergo es filius* Dei. De quo. f. meminerunt prophetarum vaticinia. Iesus ad hæc ita responsum temperat, vt neque neget se esse quod erat, neque illis ansam calumniandi porrigat, nec de se præbeat arrogantiæ speciem. Siquidem Dominus vbique maluit factis declarare naturam diuinam, quam verbis profiteri. Itaque respondit.

¶ *Vos dicitis, quia ego sum*. Modeste subindicauit, totidem verbis affirmari posse, quod veluti dubium interrogabāt, si quis tantum pronunciationem mutet. At illi iudicantes hāc esse satis idoneam causam, qua illum accusarēt de blasphemia, quo nullum crimen apud Iudæos capitalius, dixerunt.

¶ *Quid adhuc desideramus testimoniū? Ipsi enim audiuimus de ore eius*. I. manifestam blasphemiam. Dicit se Christum regem esse, Sabbata non custodit, minatur templo, diuinare tentet, dæmonium habet, fert nouam & inauditam legem, destruit traditiones patrum antiquorum, vetat sacrificia & oblationes prætextu pietatis, prohibet tributum dari Cæsari, seducit populum, publicanis fauet, potator est vini, sapientes nostros acriter reprehēdit, peccata condonat, peccatores recipit, & manducat cum illis, non seruat ad literam Moysi legem, iustitiam destruit, adulteras soluit, blasphemat, infames & humiles atque plebeios in præsules eligit. Quid plura? Nonne hęc crimina digna sunt morte? Non ergo tempus teramus, sed tradatur iam morti, vt eo ē medio sublato pascha nostrū quietē & lætanter celebremus omnes. In hanc sententiam facile pedibus discessum est ab omnibus, qui quocunque titulo decreuerant occidere Iesum. Heu me ô domine Iesu quam verē dicere modo poteras quod olim Dauid. Longē fecisti notos meos à me, posuerunt me abominationem sibi, traditus sum, & non egrediebar, oculi mei languerunt præ inopia. Longe, inquam, ô Deus fecisti à me seniores nullam mihi fidem adhibentes: longē legis peritos & scribas, vias meas scire nolentes. longē sacerdotes, quorum tyrānis & iniustitia est causa meæ mortis. Propterea longē facti sunt à me, quia posuerunt me abominationem sibi, ac tam lōgē proiecerunt, vt ab eis traditus sim prætudi Pilato. ¶ Iam hic adimpletum vides quod olim Iacob de Simeone & Leui prædixerat his verbis. Simeon & Leui vasa iniquitatis bellantia, &c. in consilium eorū non veniat anima mea, quia in furore suo occiderunt virum, &c. diuidam eos in Iacob & dispergam eos in Israel. Quæ omnia si

ad

Ezech. 7.

Accusationes Christi

Psal. 87.

psal 87.

Gen. 49.

ad Christi tempus referantur, reuera contra illum vel maxime pugnauerunt sacerdotes de tribu Leui, & scribæ & pharisæi de tribu Simeon descendentes. Hoc igitur odium contra Christum præuidens Iacob, nominat ipsos vasa iniquitatis bellãtia, deinde abominatur eorum consiliũ contra Christum, imo maledicit furorem eorum quo virum à Deo missum occiderunt, murũque corporis eius suffoderunt, vel potius peccato suo murum Hierusalẽ subuerterunt, propter hoc enim peccatũ subuersa est hierosolyma. Postremo pœnam prædixit Iacob crucifixoribus Christi. Diuidam, inquit, eos, quantum ad intestinas discordias. Et dispergam eos externè per Romanos, idquod nunc videmus factum. Hoc idem Dauid prædixit: Deus (inquit) ostẽdit mihi super inimicos meos, ne occidas eos, &c. Sequitur. Disperge illos in virtute tua, &c.

¶ Finis capitis. XXII.

CAPVT. XXIII.

¶ Pilato mane præsentatus & interrogatus, innocens reperitur: attamen Barrabba dimisso crucifigitur, crucifixus ridetur, moritur, deponitur & sepelitur.

E*T surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum.* Reperta vt Iudæis visum est, causa satis idonea mortis Christi, supererat vt inuidiam quoq; mortis absse transferrent in alios. Visum est itaque præsidi Pilato reum obtrudere, vt non à Iudæis, sed à gentibus occisus videretur: consurgit itaque conciliũ omne vna cum multitudine, quam ad impij facinoris societatem pertraxerãt, & A adducunt Iesum ad Pilatum Iudææ præsidem. Is enim illic nomine Cæsaris magistratum gerebat, quem ipse Iudæus non esset. Iam hic vides nascẽtis ecclesiæ exordium. Hic enim primum Iudæorum natio nesciens quid faceret Messiam suũ ad ipsos missum respuit, contẽnit, ac tradit gentibus, & abs sese ablegat. Gentes sibi commendatum amplectuntur, & adorãt. Iam præiudicio dãnatus erat Dominus in concilio Iudæorum, apud quos quamlibet leuis prætextus sufficiebat, nimirum magna vesania mortem innocentis sitientes. B Apud tribunal profani iudicis, quoniam plus erat æquitatis, opus erat subornatis testibus, qui multa & magna crimina intenderent ei, qui vacabat omni crimine. Initium autem accusationis hoc erat.

¶ Hunc inuenimus subuertentem gẽtem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, et dicentem se Christum regem esse. Hęc tria crimina sibi videbantur pulchrè commenti, quæ maxime commouerent præsidem, eo quod duo pertinerent ad læsam Cæsaris maiestatem: tertium verò ad læsam Dei dignitatem. Primum ergo cri- C men erat contra populũ, & ex consequenti contra pacem reipublicæ, gubernatæ à ministro Cęsaris: secũdum, contra ipsum Cæsarem: tertium: contra Deum. Primũ seniores proponunt: qui erant veluti capita tribuum: secundum verò, sacerdotes: qui à Cæsare summum sacerdotium pecunia comparabant: quod ne amitterent accusãt Iesum prohibentem tributa dari Cæsari, & sese regem legitimum Iudæorũ facientem: tertium autem, obijciunt legis periti: qui ex lege nouerant Christi prophetiãs. Accedunt ergo seniores & in hũc D modum accusationem suam proponunt: si tu, ò pręses, desideras mortis huius hominis cognoscere causas, scire debes: quod homo iste infœlix, gẽtem nostram subuertit, seducit turbam, simpliciorum animos dementat. Nemo enim ex principibus, nemo ex pharisæis in eum credit, nisi maledicta huius ciuitatis turba, quam iste incitabat, atque à nostris salutaribus consilijs auertebat. Si Absalõ olim dum similia moliebatur, interficeretur de medioque tolleretur: non subsequerẽtur tot hominum strages,

Primũ crimen obiectũ à senioribus.

ſtrages, non periret tanta hominum multitudo: tolle igitur hominem hunc de medio ne eadem mala ſequantur. Actū enim erit de nobis, ſi homo iſte ſediciosus non interficiatur modo. Hæc atque multa alia his ſimilia ſeniores. Huic falſæ accuſationi aliam multo deteriorem ſubiungunt inuidi & auari ſacerdotes. Hūc (inquiūt) deprehendimus vetantem tributa & vectigalia dari Cæſari, cui nobis omnibus parere conuenit: cum Romanum imperiū iam omnia mundi regna ſibi ſubiecerit: contriuerit ac in ſuam ditionem & poteſtatem traxerit: habebat enim imperium hoc, vt Daniel noſter vaticinatus eſt, dentes ferreos, comedens, atque comminuēs, & reliqua pedibus ſuis conculcans: comedit enim omnia mundi regna, maxime Iudaicum regnū, quod minutatim diuiſit: illud in quatuor Tetrarchias partiendo. Si ergo hunc dimittis, qui ſe regem prædicare Paulo ante fecit, venient Romani, & tollent regnum noſtrum, & gentem, & in perpetuam ſeruitutem & captiuitatē merito redigent. Nos enim audiuimus pueros canentes Oſanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini: nos vidimus illum, his auditis lætum, alacremq; nobis, quum illum de hac re reprehenderemus, audacter reſpondentem: amen dico vobis quod ſi hi tacuerint lapides clamabunt. Nunquam legiſtis: ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem? Si ergo ſe regem facit, inimicus & hoſtis eſt Cæſaris: quare tibi, & nobis conſule, & caue. Hæc ſacerdotes. Accedunt legisperiti & illū coram præſide acriter incuſare cœperunt dicentes. Nos, ó præſes inuictiſſime, nos ſumus qui ſcientiæ clauem habentes quotidie archam teſtamēti Dei noſtri ſcrutamur: nos ſumus, qui ſigna, & notas, & prophetias veri Meſſiæ nobis promiſſi præ oculis & manibus habemus, tantum abeſt homo iſte à vero Meſſia, quantum à terra cœlum. Meſſias ita nos omnibus notus erit, vt nullus ſit, qui eum non agnoſcat: cum Eſaias dicat: videbit omnis caro ſalutare Dei. Cum ille tamen venerit nemo noſtrū ſcire poterit vnde ſit: cū idem vates ſcribat: generationē eius quis enarrabit? Hunc autem Ieſum ſcimus omnes

Secundum crimen obiectum à ſacerdotib9.

Dani. 7.

Tertiū crimen obiectum à ſcribis.

Eſai. 53.

A nos vnde ſit. Eſt enim filius fabri: & fratres eius apud nos ſunt. Præterea, hic homo Galilæus eſt: at nullum vſquam inuenietur vaticiniū quod a Galilæa propheta quis ſurgat, nedū Meſſias. Deinde, nos cognouimus ex lege quod Chriſtus manet in æternū: hic autem mortalis eſt homo, ſimilis nobis omnibus. Quare quum ſeſe audacter & arroganter nō ſolum Meſſiam nobis promiſſum, ſed verum Dei filiū fecerit, dignus profecto eſt crucis ſupplicio. Quod ſi olim rex Ezechias ab omnibus eſt commendatus, quod ſerpentem æneum Moyſi comminuerit, quod ei, filij Iſrael thus offerrent, exiſtimātes quid numinis in eo latere: cur homo iſte non conteretur, vt deitas abſcondita nobis omnibus appareat? Ne igitur alios poſt hac perniciosè decipiat: contumelijs & ignominijs, & mortis tormēto interrogemus eū, an ſit verus filius Dei. Quod ſi ita ſit, abſquè dubio è manib9 noſtris eripietur. Sin autem, ſatis omnibus conſtabit eum eſſe impoſtorem & ſeductorem: & ſic ab omni idolatria liberi erimus. Hæc erant crimina quæ ſibi videbantur maximé cōuenientia, vt commouerēt præſidem. Victorix ſpes erat in multitudine coniurata, & in ſolitudine rei, denique in iudice, vt ſibi putabant, impio.

4. Reg. 18

¶ *Pilatus autem interrogauit eum dicēs: tu es Rex Iudæorum?* Quanquam Pilatus erat idolatra, tamen multo æquior Iudæorum ſacerdotibus, crimen primum de ſubuerſione gentis, & ſecundum, de non pendendo Cæſari tributo diſſimulat, vel quia ſenſit eſſe commenticia, vel quia nouum non erat, hoc ſecundum crimen diſputari apud Iudæos, quum tota phariſæorum ſecta ſentiret, populum Deo peculiarem nō oportere pendere cenſum gentibus: de regno percontatur Ieſum, in quo nullam regni ſpeciem videbat. Solus erat: cultus, facies, totuſque corporis habitus modeſtiam ac ſimplicitatem præſeferebat. Itaquè præſes auditis accuſationibus ſeorſum interrogauit Ieſum, an rex eſſet Iudæorum. Ieſus autem reſpondit.

¶ *Tu dicis.* Sic enim vbique temperauit Dominus reſponſa ſua, vt innocētiam probaret ſuam, nec daret operam tamē vt cla-

elaberetur è iudicio, qui mori decreuerat. Rex erat Iudæorum hoc negare nō debuit, sed aliud regni genus erat, quod sibi, patrique vindicabat. Iuxta diuinam naturam rex erat omniū, de qua nihil suspicabatur Pilatus. De regno euangelico non intelligebat homo legis & prophetarum ignarus, nisi quod audierat, à Iudæis expectari Messiam, Regem, nescio quem, cui rumori non multum tribuebat homo minime superstitiosus. Quanquam itaq; nō intelligebat Iesu responsum, tamen nō ignarus maliciæ Iudaicæ, & ex ipso vultu collecta Iesu modestia prodit ad pontifices Iudæorum, & conglomeratam multitudinem. Et ait.

¶ *Nihil inuenio causæ in hoc homine.* Ac si diceret: Examinaui hominem de criminibus obiectis, & nihil in eo criminis inuenio. At illi sibi conscij, quod argumentis vincere non poterant clamorem intendunt, crimina criminibus, mendacia mendacijs connectentes. Ac dicentes.

¶ *Commouit populum docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsq; huc.* Hoc nimirum est peculiare crimen euangelicæ veritatis, commouet populū, & seditionem mouet, impijs aduersꝰ inuictam veritatem insurgentibus. Verum non hic tumultus imputandus est euangelij præconibus, sed hominum insanabili maliciç, qui veritatem salutiferam obrui malūt, quam morbum animi deponere. Nec enim aliter doctrina euāgelica turbat populum, quam pharmacum concutit corpus. Nisi enim fiat concussio, totum intereat necesse est. O domine Iesu cum transires per vniuersam Iudæam & Galilæam docendo ac sanando omnes à diabolo oppressos, & morbos curando nūc de his bonis operibus lapidaris, nunc seditiosus appellaris. Commouisti terram, & conturbasti eam sana contritiones eius quia cōmota est. Commouisti, inquam, homines terrenos ad pœnitentiam, sana obsecro morbos eorum quando commoti sunt. Cōmoue precor etiam cor nostrum à duritia sua in tuum amorem vt sentiat quæ tua sunt tecum.

Psal. 9.

¶ *Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit si homo, Galilæus esset. Et vt cognouit quod de Herodis potestate esset, remisit illum ad Herodem.* Cum hoc tamē seditionis leuiter moueret Pilatum: ac videret omnem rem geri à cōiuratis primoribus, & quibusdam è populo horum maliciæ subseruiētibus: studet & reum & accusatores ad alterius cognitionem reijcere, vt si non possit Iesum liberare, ipse saltem à causa liberaretur: arripuit ansam ex vna vocula Galilæi, cuius regionis Tetrarcha erat Herodes, percontatus est igitur, an Iesus esset Galilæus. Respōsum est esse, quod vulgo crederetur esse Nazarenus, nam illic nutritus fuerat & versatus. Vt igitur intellexit Pilatus cognitionem de reo pertinere ad Herodem, reiecit eū ad Herodem, qui tunc temporis forte erat hierosolymis. Quanquam hæc quoque gesta sunt dispensatione consilij diuini, vt ab omnibus tribunalibus dominus Iesus referret testimonium innocentiæ suæ, magisque traduceretur pontificum, scribarū & primorum malicia. Misit ergo Pilatus Iesum ad Herodem tum vt ab Herode liberaretur: tum vt ea occasione eum sibi reconciliaret: tum vt minus accusari posset Pilatus, si Iesum damnaret, dum plures in eius mortē vnanimes conuenirent.

¶ *Herodes autem viso Iesu gauisus est valde. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audiret multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus.* Gauisus est Herodes eo spectaculo. Iam enim ex multo tempore habebat hominem cupiditas quæ iam & libido vidēdi Iesum, de quo tam multa audierat: non enim erat illi libido cernendi Iesum ligatum & oppressum sed liberum & in sua prosperitate constitutum: quemadmodū olim omnis terra desiderabat videre vultum Salomonis pacificē regnantis. Gauisus ergo est nō quod captꝰ esset sed quod ad eum mitteretur. Et vt milites suos tanti spectaculi essent participes eos conuocauit in domum suam: credebat enim indubitanter se maxime obligatum redditurū Iesum, in tanta angustia & necessitate positum, suoque auxilio & fauore egentem: quare colligebat nihil sibi Iesum denegaturū, nec de edendis coram eo miraculis,

nec

nec de sapientia propalanda, nec de omni vita sua, nec de omni euentu cuiuscunque rei, imo existimabat Herodes quod in tanto periculo constitutus Iesus vel minimum regis fauorem magni penderet, ut olim David fecit, quando Absalonis persecutionem fugiens gratissime suscepit amici cuiusdam munuscula. Ea ratione commotus Herodes putabat Christum, patrem suum Davidem imitaturum. Putabat etiam eum sibi fore socium perpetuum, familiarem, & amicum. Huic (dicebat intra se) pietatem tribuam, quam Ioanni Baptistae negaui. Hunc, quem agnum Dei Ioannes praedicauit, a lupis modo eripiam, quando Ioannem lupis tradidi. Nam propter simul discumbentes eum decollari feci. Sed obserua obsecro nam si maximo gaudio afficitur Herodes viso Iesu, multo maiori & incredibiliori laetitia perfruuntur Iudaei: quod Iesus ad Herodem mitteretur: memores enim primores Iudaeorum quam facile in conuiuio obtinuerunt ut Ioannem interficeret, facilius arbitrantur modo obtinere ut Iesum perdat crucisque supplicio afficiat. Si olim (inquiunt inter sese conferentes) nostri causa noluit puellam contristari, sed illico ei caput Ioannis tradidit: quomodo nunc totam contristabitur synagogam. Si eum occidere voluit, cum sanitates arte sua operabatur, quomodo non damnabit eum modo, quando & arte, & sensu & loquela caret? Laetantur ergo credentes & sperantes se sui voti compotes futuros. Iam modo vides impletum quod paulo ante Dominus praedixerat discipulis: plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos vero contristabimini. Quis non contristabitur si alta mente considerет quale tunc temporis erat cor Iesu? Nam tanto magis tristabatur, quanto hostes sui magis ac magis laetabantur quum male faciebant: & exultabant in rebus pessimis. Agnus paschalis immolandus ad mortem magno cum gaudio ducebatur: nunc autem agnus Dei cum maxima omnium laetitia ad crucem fertur. O laetitiam execrabilem o gaudium aeternis fletibus puniendum.

¶ *Interrogabat autem eum multis sermonibus.* Non ut redderetur melior percontabatur, sed ut suae curiositati morem gereret. Dic mihi obsecro, (dicebat illi Herodes) [illegible] tu es, si prophetandi tibi donum diuinitus est concessum, regni mei euentum, & successum [illegible] quae mihi ventura sunt, ut mala & pericula mundi praecaueam. Cum certo credam tibi collatum spiritum diuinandi, gratissimum mihi facies si propalaueris, an sim gratus Caesari [illegible]? An si Romam petiero maximum aliquod beneficium mihi impendet. Es ne tu puer ille, quem magi a partibus Orientalibus venientes, patre meo viuente regem praedicarunt in Hierusalem? Nonne tui causa innumeros infantes pater meus immaniter interfecit? Quomodo e manibus eius elapsus es? Habes enim ab incunabulis spiritum fatidicum, quemadmodum Samson ab utero spiritum fortitudinis? Aut forsitan in te directus est spiritus Ioannis Baptistae, quem ego decollaui: sicut spiritus Domini recedens a Saule directus est in Dauidem? Sed quamuis in ciuitatem hanc prophetaueris, eamque dixeris ad terram usque prosternendam, & ipsum Dei templum soluendum, nunc te mutum video, quum pro te ipso loqui deberes ne mortem perires immanissimam. Forsitan recessit iam a te spiritus Domini sicut olim recessit spiritus fortitudinis a Samsone postquam a Philistaeis captus est. Quod si recessit a te, prudenter sane facis taceндo. Stultus enim dum tacuerit sapiens reputabitur. Tu non es ille praedicatus, & ab omnibus celebratus potens in opere & sermone? Tu non es ille qui in Chana Galilaeae aquam in vinum suauissimum permutasti? Nunc ergo quando omnes Galilaei sumus ut maxima alacritate afficiamur, idem facito. Sin autem facile credam te iam carere dono miracula edendi. Quid dicis aut censes de te ipso Iesu Galilaee? Haec Herodes.

¶ *At ipse nihil illi respondebat.* Nihil illi respondit Iesus quia non in hoc venerat ut impij principis libidini seruiret, sed ut salutem omnium procuraret: nos interim docens aliquando non promendum sermonem euangelicum, ubi constat indignos esse qui audiant.

¶ *Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo. Et illusit indutum veste alba & remisit ad Pilatum.* Herodes hic & sides esset

esset impius: tamen nihil commotus est primorum & scribarum criminationibus, nimirum intelligens ab inuidia proficisci quod agebatur. Sed satis habens contemnere, à quo contemptus fuisset, ludibrij gratia Iesum indutum veste alba (nam id regum erat ac Cæsarum) remisit ad Pilatũ. Ecce iam hic vides impletum quod olim sanctus Iob dicebat cap. 12. Lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus statutum. Christus enim dominus (vt Gregorius explicat) lampas nobis veraciter extitit, qui pro redemptione nostra in cruce moriens, tenebrosis noctis mentibus lumen per lignum fudit. Hac nos lampade Ioannes illuminari cõspexerat, cum diceba: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem, &c. Quam tamen apud cogitationes diuitum contemptam vidit, cum paulò post subdit: In propria venit, & sui eum nõ receperunt. Huius lampadis flammas Herodes explorare voluit, cũ eius miracula videre concupiuit, sicut scriptum est: erat enim ex multo tempore cupiens videre eum, eò quod audisset multa de illo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Sed lampas hæc ante eius oculos nullo radio lucis emicuit, quia ei qui se non piè, sed curiosè quæsierat, nihil de se mirabile ostendit. Inquisitus quippe Redemptor tacuit, expectatus miracula exhibere contempsit, seseque apud se in occultis retinens, eos quos exteriora quærere comperit, ingratos foris reliquit: magis eligens aperte à superbientibus despici, quam à non credentibus vacua voce laudari. Vnde & protinus lampas ista contempta est, sicut in hoc loco subditur: spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba. Sed contempta lampas quæ in terra irrisiones tolerat, de cœlo lucidius per iudicium corruscat. Vnde hic aptè subiũgitur: Parata ad tempus statutum. De quo videlicet tẽpore per Psalmistam dicitur: cũ accepero tempus ego iustitias iudicabo. Hinc in Euangelio per semetipsam veritas denũciat dicens: tempus meum nondum aduenit. Hinc Petrus ait: quem oportet cœlum suscipere vsque ad tempora restitutionis. Lãpas ergo quæ nunc contemnitur, ad statutũ tempus ventura præparatur, quia ipse peccata in die vltimo iudicat, qui nũc peccantium derisiones portat. Et tanto tunc durius districtionem exerit, quanto nũc vocandis peccatoribus suæ leuius patientiam sternit. Nemo igitur hanc lampadem, cum latet, despiciat, ne contemptores suos cum de cœlo fulserit, exurat. Cui enim nunc non ardet ad veniam, tunc proculdubio ardebit ad pœnam. Hæc Gregorius. Contempsit ergo impius rex verũ regem & quia aquã in vinum conuertere rogatus noluit, ludibrij gratia (vt ait Bonauentura) eam iussit super regem Iesum indutũ veste alba proijci. O domine Iesu quanto melius ac reuerentius te in Iordane Ioannes ille Baptista baptizauit: tacebas tũc etiam vt modo taces, sed pater cœlestis nubibus obuolutus pro te loquebatur. Nunc autem omnes te contemnunt, illudunt, ludibrio afficiunt, nunc omnes te & si immerito spernũt: ita vt iure optimo dicere possis ludibrium factus sum multis. ¶ Ecce iam noster Adã cœlestis induitur veste alba, qua carebat: vt primus Adam terrenus indueretur innocentia, quam in paradiso amiserat. Ecce noster summus sacerdos sacra peracturus, induitur mille modis. Nunc facies eius velatur: nunc veste alba, nũc purpura induitur: nunc funibus ac vinculis alligatur. Erat enim sacerdos in æternum: quare necesse erat, vt vestibus sacerdotalibus indueretur: vt rem diuinam perageret: & sacrificium in crucis altari pro nobis offeret. Si enim sacerdotes summi, amicto, camisa, casula, manipulo, cingulo, stolla, mitra & baculo vtuntur cum sacrificium in altari offerunt: Christus dominus eisdem vtitur: nam velatur eius facies, veste alba apud Herodem induitur, purpura apud Pilatum: funibus & vinculis ibidem, cum flagellatur: spinea corona loco mitræ, & arundine loco sceptri illuditur. Hæc omnia (vt Rupertus annotauit) & si ludibrij gratia facere carnifices, à Christo cuncta serio sunt suscepta, imo vt fierent vtiliter (inquit) prouisa. In die palmarum ingressus est Dominus hierosolymam tanquam verus rex, & quia sacerdos etiam erat, nũc etiã vestimenta sibi consentanea suscepit:

Iob. 12.
Lib. 10. Mor c. 30. & 31.
Ioan. 1.
Ioan. 1.
[illegible]
Psal. 74.
Ioan. 7.
[illegible]
Bonauen.
Matth. 3.
Vestis innocentiæ.
[illegible]
Vestes sacerdotales repræsentant vestes Christi.
Rupert.

quæ ad nos vsque transierunt, quibus cōuenit fungi in nomine ipsius, & offerre patri suo incēsum dignum in odorem suauitatis, idest, passionem suam suauissimam. ¶ Sed si rem altius perpendamus hęc vestimenta altiora mysteria præfigurabant. Amictus ergo quo in domo Cayphæ facies velatur, atque caput eius tegitur typus erat humanæ naturæ, qua caput, hoc est, diuinitas Christi occultatur. Hoc idem significare volens Ioannes in Apocalypsi ait se vidisse angelum fortem descendentem de cœlo amictum nube. Amictus enim est Dei filius magni consilij angelus nube lucida. Siue (vt glossa ibi ait) corpus humanum assumpsit non grauatum corruptione virilis commixtionis, sub quo latebat deitas. Vestis verò alba qua modo in domo Herodis induitur innocentiam & vitæ puritatem significat. Idcirco Paulus monebat vt Christum indueremus his verbis: Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, induite nouum, eum qui secundum Deum creatus est, qui renouatur in imaginem Dei, secundum imaginem eius qui creauit eum. Et rursum ait: Renouamini in spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secūdum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis. Siquidem vestimenta Christi semper candida seruantur, quia peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Vt Esaias & diuus Petrus affirmant. Atque hoc idem representare volens in monte Thabor, resplenduit facies eius sicut sol & vestimenta eius facta sunt alba sicut nix. Rex ergo Herodes nesciens quid faceret: illum veste hac alba indui iussit: nimirum facto isto Christi puritatem, & vitæ integritatem prophetando. Ecce igitur alter Rex Saul inter Prophetas, qui nolens, prospera de nostro Dauide diuinat. Nihil enim fœlicius vitæ innocentia. Quoniam beatus qui seruat vestimenta sua candida, ne nudus ambulet. Hac veste amicti sunt omnes beati. Vnde Ioannes interrogatus: hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt & vnde venerunt? Respondit: Domine mi tu nosti. Statim audiuit. Hi sunt qui

Amictus erat figura humanæ naturæ qua diuinum caput velatur.
Apo. 10.
Vestis alba innocentia & vitæ puritas.
Collo. 3.
Ephes. 4.
Esai. 53.
1. Pet. 2.
Matth. 17.
Apo. 16.
Apo. 7.

A venerunt de magna tribulatione, & lauerunt stolas suas in sanguine agni. Quid verò dicam de vinculis quibus alligatus est Iesus? Vinculum quo præcinctus est charitas est, quam diuinus ille Paulus vinculum vocat perfectionis. De hoc enim ait diuus Ioannes capite tertio. Sic Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Hæc est zona illa aurea, qua præcinctum ad mamillas Ioannes vidit similem filio hominis. B De hac intelligebat olim Esaias quum dicebat & erit iustitia cingulum lumborum eius. Iustitia enim communis est virtus omnes amplectens virtutes. Quid autem charitate iustius? Quid charitate perfectius? Quę sola cæteras virtutes perficit, ac format, vt veræ sint, dicanturque virtutes. Cingulo igitur charitatis iunxit sibi Ecclesiam suam Dominus.

¶ Vinculum verò quo collum eius tam pulchrum circundatum est, obedientia fuit. Factus enim est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: vt idem C Paulus scribit. Causam quippe mortalitatis (vt Gabriel ait) non contraxit origine, nec in opere commisit, sed quod non rapuit exoluebat. Tu ô peccator, à seculo confregisti iugum, dixisti, non seruiam. Christus autem dominus mortis sententiam lubens sustinuit: vt nos viuamus. Nullum quippe vinculum ignominiosius quam colli, quo creditur dominus Iesus inter eundum & redeundum ad iudices, ligatus. Quod primum peccatum in collo primi parentis cōsumatum ac perfectum fuerit, quando pomum sibi prohibitum D deglutiens, vt sepulchrum patens fuit guttur amborum, quo nos omnes quotidie sepelimur, quoniam ambo parentes filiorum suorum interfectores fuerint: quos Christus inter mortuos liber satagit, ac nititur eripere. At enim Esaias: computrescet iugum à facie olei, hoc est, à facie gratiæ Christi, qua graue iugum super filios Adam fit iam suaue. Est enim iam gloriosum pro Christo mori: qui autem pro Iesu moritur, nihil damnationis Adæ patitur, sed ad

Collo. 3.
Ioan. 3.
Apo. 1.
Esai. 11.
Phili. 2.
Gab. super cano lect. 11.
Psal. 58.
Hiere. 2.
Esai. 10.

similitudinem præciosæ mortis Christi reducitur, vbi absorta est mors Adæ in victoria Christi. Mors Adæ cadit, mors Christi vincit, quoniam ascendit super occasum, ideo Dominus nomen illi. ¶Vinculum denique quo, manus illæ, cœlum ac terram cōtinentes alligatæ sunt, brauium præsefert. Hinc est quod de iustis Dauid ait: Euntes ibant & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos. Manus ergo Christi alligatæ sunt, quia vtraque portio Christi tam superior quam inferior passa est qua propter brauium ac palmam adeptus est. ¶Ligatus ergo est dominus Iesus pro omnibus nobis, quis non lachrymas fundet? Quis non amaro animo collachrymabitur? Sed respiremus, quoniã dicere verè possumus, quod olim Patriarcha Iacob, sub figura filij sui Ioseph, de nostro verò Ioseph dicebat: Exasperauerunt eum, & iurgati sunt, inuiderunt que illi habentes iacula. Sedit in forti arcus eius, & dissoluta sunt vincula brachiorum, manuum illius per manus potētis Iacob. Inde pastor egressus est lapis Israel. Deus patris tui erit adiutor tuus, & omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, & benedictionibus abyssi iacētis deorsum. Quanuis enim fratres Ioseph, hoc est, primores iudæorū suis falsis testimonijs exasperauerunt & amaricauerunt Iesum, quanuis iurgati sint illum inuidi iudæi inuidia sauciati, quanuis verè iacula habuerint: dentes enim eorum fuerūt arma & sagittæ, quando dicebant crucifige, crucifige eum: tamen nihil profuerunt. Nam sedit in forti, hoc est, in Deo arcus eius, hoc est, protectio sua. Cuius ope dissoluta sunt omnia vincula brachiorum & manuum illius, quibus vinctum duxerunt ad Annam, & Caypham, & Pilatum & Herodē impij sacerdotes. In die enim resurrectionis hæc omnia soluta erūt, quādo ipse dominus Iesus soluet cōpeditos, & illuminabit cæcos limbo sedentes, & aduentum eius expectātes. Inde pastor egredietur, hoc est, à manibus eum persequentium & à vinculis pastor egredietur, vt visitet ouile patrum expectantium eum lapis Israel, quo statua diaboli percussa cadet. Confortare ergo ò domine Iesu, quoniam Deus patris tui Iacob erit adiutor tuus contra mortem: & omnipotens benedicet tibi in omnibus, benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi iacētis deorsum: subijciet enim tibi omnia cœlestia, & terrena: ita vt angelis & hominibus domineris. ¶O domine Iesu pastor bone, à lupis rapacibus vinculis astrictus teneris, vt carnem tuam dilanient, dilacerent, & deuorent: tu autem nil cogitas aliud, nisi modum quo amicos tuos peccatorū vinculis colligatos soluas: quo nam modo nos à malorum cathenis liberes. Tu enim olim dixisti, si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Funibus scelerum colligati tenemur, qui ab Adam traximus retem longam, qua & tu ò Domine pro similitudine absque peccato ligaris, vt animi nostri vulnera sint circunligata. ¶Contemplemur ò fideles Christi vincula, sunt enim alligatura nostræ salutis, ne post hac effluat sanies peccatorum nostrorum, sed potius plaga tumens superbiæ nostræ resoluatur, per humilitatem Iesu. Heu nos miseros, qui nullis præceptis, nullis consilijs, nulla lege teneri volumus: sed veluti qui ruptis vinculis agitur à dæmone: sic nos etiam agitamur furia cum humilissimus Iesus vinculis tyrannorum patienter quidem teneatur.

¶Vt ergo redeamus vnde digressi sumus hanc ignominiam vt indutus veste alba remitteretur ad Pilatum, tulit dominus Iesus à crasso rege, & illius armato satellitio quo cingebatur, ne non haberent similes labra lactucas. Siquidem apud hoc hominum genus citius gloriam referret funambulus quispiam, aut præstigiator, quam veritatis Euangelicæ syncerus prædicator. Aut enim delectari volunt, aut ea discere, quæ faciunt ad ipsorum tyrannidem. Sed tamen interim Herodis ciuilitas damnabat pontificum & scribarum impietatem, & reum absoluebat, quē accusatum obmutescentem ad obiecta crimina non damnarit. Gratum interim erat, quod Pilatus hoc honoris habuerit sibi, vt videndi Iesū fecerit copiam. Et ideo subiungit Euangelista ex eo die coijsse amicitiam inter Herodem & Pilatū, quum

quum antè hac inter eos fuerit simultas. ¶ *Et facti sunt amici Pilatus & Herodes in ipsa die. Nam antea inimici erant ad inuicem.* Impia sané pax est, quam conglutinat iniuria veritatis euangelicæ. Interim tamen intellige hanc amicitiam inter Herodem & Pilatum præsagire amicitiam inter populum Gentilem & Iudaicum: antea enim populus Gentilis & Iudaicus inimici erant ad inuicem, tamen in Christo iam sunt amici, quoniam idem Dominus factus est omnium lapis angularis, qui fecit vtraque vnum: vt diuus Paulus ait.

Ad Eph. 2.

§ *Pilatus autem conuocatis principibus sacerdotum, & magistratibus, & plebe, dixit ad illos. Obtulistis mihi hunc hominē, quasi auertentem populum: et ecce ego, coram vobis interrogans, nullam causam inueneio in homine isto, ex his in quibus eum accusatis Sed neq; Herodes. Nam remisi vos ad illū: et ecce nihil dignū morte actū est ei.* Pilatus vbi videt remitti reum, nec successisse quod conatus fuerat, ex iudice cepit esse patron9 Iesu vt in hoc loco narrat Lucas, atque inter alia Pilatus ait: neque Herodem reperisse Iesum vlli obnoxium criminum. Ac si apertius diceret en videtis quod idem quod mihi, etiam accidit Herodi: qui me certius poterat his de rebus iudicare, peritus legum vestrarum, nam hac de causa reieci cognitionem ad illius tribunal. Qui si compperisset eum nocentem, non passus fuisset elabi. Præterea si austerus rex, qui ob salutem puellæ solet interficere captos quantumuis religione eximios, huic homini nihil mali fecit: imo veste alba illum induendo significauit esse inculpatum & innocentem: quid ego faciam qui iudex constitutus, maturius in sanguinis causa & soleo & debeo & teneor procedere? Proinde prçstat imitari & nos Herodis æquitatem. Nouerat optime præses Iudæorum vesaniam, nouerat eorum desiderium. Volebant enim vt illico inauditus Iesus damnaretur: vt quietus pascha quod aderat, celebrarent. Cæterum par est vt qui morti adiudicandus sit audiendus sit. Hinc fuit quod in Actis Apostolorum alter iudex Iudçis accusatoribus responderit: non est consuetudo Romanis damnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur præsentes habeat accusatores suos, locumque defendendi accipiat. Christus præsentes ac sese vltro ingerentes habuit accusatores, quibus nil probantibus consequens erat, vt si tēpus Iesu daretur iuridicæ purgationis, vt ibi crimina imposita refelleret: non dubium, quin facta humana diligentia, à populi actoribus & accusatoribus eriperetur, ac liberaretur. Cum tamen super omnia vincat veritas quę fortior est & vino, & muliere, & rege. Mulier enim erat synagoga quæ veluti altera Iesabel insurrexit contra verum Eliam, hoc est, Christum: rex autem erat Herodes, qui vt alter Achab Michæam Prophetam spreuit. Vinum verò erat illud: de quo olim Oseas dicebat: Cęperūt principes nostri furere à vino, extendit manus suas cū illusoribus, quia applicuerunt quasi clibanum cor suum. In quæ verba Rupertus ait: Cœperunt principes furere à vino, quia videlicet iam temulenti, vt pote in illa mala nocte paschali Dominum comprehendentes, tota nocte vigilarunt, feramque caprulam ructantes, & ebrietatem fœtidam exhalantes, in illum pauperem & egenum tetra conuicia vomuerūt, completa prophetia, qua in eius persona dictum est. Aduersum me loquebantur, qui sedebant in porta, & in me psallebāt, qui bibebant vinum. Hæc Rupertus. Si ergo locus daretur veritati omnia à Iudęis excogitata crimina & obiecta eneruarentur: tamen eam hi homines impij vocibus & clamoribus opprimunt, & suffocant, ne loquatur, ne pro se respondeat. Hinc est quod Esaias ait: conuersum est retrorsum iudicium, & iustitia longé stetit, quia corruit in plateis veritas, & æquitas non potuit ingredi. Et facta est veritas in obliuione, & qui recessit à malo prędę patuit. Couersum enim est (vt glos. ait) iudicium retrorsum in condemnatione Christi innocentis per Pilatum. Et facta est veritas in obliuione, quia veritas doctrinæ Christi, quam populus audierat, à mente eius recessit, per sacerdotum deceptionem. Hæc glossa. Sed illud est etiam aduertendum: parum aut commune malum

Acto. 25. d
Esdr. 3.
3. Reg. 22.
Oseæ. 7.
Rupert.
Psal. 68.
Esai. 59.

lum esse reputandum, si veritas in angulo caderet, quoniam ibi sordes & immunditiæ colligi solent: & Iudæorum conuenticula, anguletia de prophetarum sanguinibus fieri solebant: nunc autem in plateis etiam Hierusalem coram omnibus corruit veritas, imò ab omnibus est oppressa. Nunc etiam qui recessit à malo prędæ Iudæorum patuit. De qua sané prędã statim noster Lucas scribit.

¶ *Emendatum ergo illum dimittam.* Ac si diceret: pœna quapiam non capitali castigatum dimittam hominem. Hoc agebat præses sperans fore, vt conspecto Iesu tot ludibrijs ac flagris affecto, mitesceret Iudæorum furor.

¶ *Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum, vnum. Exclamauit autē simul vniuersa turba, dicens, tolle hunc, & dimitte nobis Barrabā qui erat propter seditionem quandam factam in ciuitate & homicidium, missus in carcerem.* Quū prima via non profecisset Pilatus, sed magis irritaretur Iudæorum insania, reperit hoc commentum absoluendi Iesum. Sed neq; hac via profecit vt Euangelista narrat. Tāta enim erat pontificum & his adhærentium insania, vt postularent sibi condonari Barrabam, Iesum autem in crucem tolli: quod mortis gen9 vt erat grauissimum obdiutinum cruciatum, ita habebatur & ignominiosissimum. Adeò nihil crudelitatis omissum est à Iudæis. Sic visum est cōsilio diuino, vt Iesus omnis gloriæ fons & autor, ad hoc veniret contemptus, vt seditioso homicidæ post haberetur, ne nos desponderemus animum, si quando ob Christi nomen & doctrinam, spernamur ab his qui diligunt hunc mundum.

¶ Duo sunt in hac re (quantum mea fert opinio) crimina potiora: alterum quod Barrabam dimiserunt: alterum quod Iesum in crucem tolli, postularunt. Magnū profectò crimen fuit Barrabā dimittere: cum is esset insignis & facinoribus nobilis latro: cum is esset seditiosus, ac homicida. Is denique esset publicum ciuitatis odium, & homo publicæ tranquillitatis hostis. Diabolique nomine gauderet, ac eius similitudinem & imaginem pręseferret. Iudęi ergo qui ex patre diabolo (qui homicida in terra & seditiosus in cœlo erat ab initio) erāt, Barrabam diabolum liberant, in cuius potestatem dati sunt: vt facti habitatio ac domus dæmoniorum fiant nouissima eorum peiora prioribus. Non ergo paruum fuit crimen tam pessimi ac scelerati hominis dimissio: quoniā & regi Achab, quod alterum regem à se victum, liberum abire dimiserit, dicitur per quendam Prophetam: hæc dicit Dominus: quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius. Similí quoque modo quia dimiserunt miseri Iudæi virum morte turpissima dignum erit anima huius populi pro anima Barrabæ. Si ergo tanta pœna digni sunt pro minori crimine, quanta maiori erunt digni pro maximo? Si pro delicto prætextum pietatis habenti, nequissimi & censentur, & iudicantur, quid referam de infinita eorum impietate quam in Dominum gloriæ, quam in omnium conditorem & seruatorem commiserunt? Ille quidem latro erat, hic autem omnium bonorum largitor: ille seditiosus, hic pacis hominum & angelorum compositor: ille homiccida, hic autem vitę autor, qui dat flatum populo terræ. Duo tandem mala fecit populus hic, quod diabolum dimiserunt liberum, & Dei filium cruci affixerunt. Olim sanctus Dauid iussus est eligere ob crimen à se patratum, famem, aut pestem, aut inimicorum gladium, ille tandem in angustia positus pestem elegit dicens: melius est incidere in manus Dei, quam in manus hominum. Per manum Dei elegit peste feriri, Iudæi autem eligunt Deum ferici, & Barrabæ patrocinantur homiccidæ. Cum etiam vulnus nobis illatū à Deo, salubri9 sit quam hominis salus. ¶ Obserua etiam quod Barrabas latro, est vetus homo, Iesus autem est nouus, qui secūdum Deum creatus est, & creatur quotidie in nobis Deum satanæ abrenunciamus. Vterque vinct9 est in carcere, hoc est, carne nostra, tamen alter vinculis peccatorum dicente Salomone in libro Prouer. capi. 5. Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum cōstringitur. Alter autē vinctus est vinculis præceptorum, de quibus

3. Reg. 3.

Esai. 42.

2. Reg. 24.

Quid per Barrabam demissum & quid per Iesum traditum spiritualiter intelligatur.

Pro. 5. d

Eccl. 6.

bus Ecclesiasticus ait: Decor vitæ est in illa, idest, sapientia, & vincula illius alligatura salutis. Bonus iudex homo hoc est iustus pro sua virili contendit, vt nouus homo absoluatur, & vetus cruce pœnitentiæ damnetur. Sed turba contrà clamat pro veteri liberando, & nouo condemnando. Quæ est hæc turba? Certè mala sotietas, parentum amor immoderatus, humanus pudor, carnis infirmitas, pœnitentiæ timor, voluptatum desiderium, diaboli suggestio, praua denique consuetudo. Non ergo sequeris turbam hanc ad faciendum malum, nec in iudicio sententiæ istorum acquiescas.

Exo. 23.

Qui hæc, Barrabam sibi postulat, qui beatitudinem tuam furetur: & Iesum, hoc est, stimulum conscientiæ damnet. Caue igitur ne in viam Iudæorum eas. Quia væ illis, qui viam Cain abierunt interficientis fratrem suum Abel. ¶ In electionibus etiam simile malum contingere solet: non ergo eligas Barrabam hoc est indignum, sed elige Christum, hoc est, dignum. ¶ Hoc quidem mysterium mortis Christi & dimissionis Barrabbæ præfigurare volens Dominus in libro Leuitici capite decimosexto ait: Suscipiet sacerdos ad vniuersa multitudine filiorum Israel duos hircos pro peccato, quos stare faciet coram Domino in ostio tabernaculi: mittensque super vtrumque sortem, vnam Domino, & alteram capro emissario, cuius exierit sors Domino, offeret illum pro peccato: cuius autem in caprum emissarium, statuet eum viuum coram Domino, vt fundat preces super eum, & immittat eum in solitudinem, &c. Postquam emundauerit sanctuarium, tunc offerat hircum viuentem, & posita vtraquè manu super caput eius, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, & vniuersa delicta atque peccata eorum: quæ imprecans capiti eius, emittet illum per hominem paratum in desertum. Hanc figuram explicat Rupertus de summo sacerdote Iesu & Barraba. Iesus enim quamuis agnus Dei esset, sub forma tamen hirci, idest, sub similitudine carnis peccati seipsum obtulit. Quod autem iubet Deus,

Leui. 16. Figura. De duobus hircis, hoc est, de Iesu & Barrabba.

A vt sacerdos fundat super hircum emissarium preces, id intelligi oportet imprecationes. Nam rursus dicitur. Tunc offerat hircum viuentem, & posita vtraque manu super caput eius, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel. Et vniuersa delicta eius, quæ imprecans capiti eius, emittet illum per hominem paratum in desertum. Quod obsecro desertum, aut quæ fuit solitudo, inquam emissus est Barrabbas, hircus reprobus malis precibus ac diris super caput suum coopertus imprecationibus? Nimirum illa solitudo, B illud desertum, quod intelligi oportet in verbis istis, quæ sacerdos ille prædixerat. Ecce relinquetur domus vestra deserta, præmissis imprecationibus huiusmodi: vt veniat super vos omnis sanguis iustus qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare. Amen dico vobis venient hæc omnia super generationem istam. Verè deserta domus, quam deseruit salus ipsa, quam deseruit Deus & C dominus Iesus foras ductus, extra ciuitatem cruci affixus. Eiusmodi preces siue imprecationes imprecabitur (inquit) capiti eius, posita vtraque manu super caput eius. Non enim vna manu, hoc est, non vno, sed duplici iudicio & pœna Dominus eos puniuit, in isto enim & in futuro seculo pœnas debitas dederunt & ipsi & nati natorum, ex ore suo iudicati. Nam dixerunt: Sanguis eius super nos & super filios nostros. Ergo imprecantis vtraque manus posita est super caput eius, scilicet, Barrabbæ imprimis, & cum eo populi, cui D petenti dimissus talis ac tam execrandus hircus, portans iniquitates filiorum Israel, & vniuersa delicta, & pecca eorum, scilicet, cótra ipsos in testimonium quod seditiones hæreditario iure possidere deberent, quia seditionis autorem sibi dimitti petierunt. Quid tandem facere debuit, aut potuit ille homo, qui dimisit eiusmodi caprum emissarium? Aut quis ille homo, aut quomodo paratus fuit, quoniam sic dictum est. Emittet illum per hominē paratum in desertū? Principes sacerdotū

Hircus reprobus fuit Barrabbas.

Matth. 23.

Vtraquè manus est duplex iudicium & pœna.

(ait Euangelista) & seniores persuaserunt populo, vt peterent Barrabam, Iesum verò perderent. Illa persuasio fuit præparatio, & ille homo vnus congruè populus vnus intelligitur, illa persuasione præparatus. Quid ergo facere debuit homo immundus tali præparatione, & talis capri contagione pollutus? Lauabit (inquit) vestimenta sua, & corpus aqua & ingredietur castra. Quali aqua lauabit? Nimirum aqua baptismatis, aqua sanguine mixta, ex eius latere fors Domino exijt, vt immolaretur; seu offerretur pro peccatis. Qui pœnitentiam egerit, eo quod persuasus caprum emissarium dimiserit, & istum mactari petiuit, tali aqua lauabitur, vt saluari possit. Hoc itaque factum est. Quoniam ait Petrus pœnitentiam agite & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu, in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus sancti. Item, vos autem sanctum & iustum negastis & petistis virum homicidam donari vobis, auctorem verò vitæ interfecistis, pœnitemini ergo & conuertimini, vt deleantur peccata vestra. His auditis compuncti sunt corde, & baptizati sunt primò tria milia, deinde quinque milia. Atque hoc modo qui caprum emissarium, hoc est, Barrabam dimittens, autorem vitæ interfecerat lauit conscientiæ suæ vestimenta, & corpus aqua, & sic ingressus est castra, appositus est ad numerum illorum, quos ab initio mundi credentes vsque in illam horam, aqua & sanguis exiens de latere Christi emundarat. Lege etiam eundem Rupertum super Ioannem capite decimo octauo. & Origenem homelia. 10. in Leuiticum cap. 16.

Actor. 2.
Acto. 3.
Lauetur qui caprũ dimisit.

¶ *Ille autem tertio dixit ad illos: quid enim mali fecit iste? Nullam causam mortis inuenio in eo, corripiam ergo illum & dimittam.* Pilatus pro suis viribus primò & secundò & tandem tertiò quantum videbatur est conatus, illos compescere dicens: Iudex sum, aduersus innocentes nullum habeo ius, non possum infligere mortem, in quo non inuenio crimen morte dignum, si quid est offensæ leuioris, dabitur hoc animis vestris, corripiam illum ac dimittam. Quod statim, vt eorum iram sedaret, ita fecit: nam (vt Ioannes ait) tunc apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit. Qui modus Iesum liberandi ducissimus sanè ac crudelissimus videtur. Tamen cum impius iudex nec Iesum alias pauperem & abiectum, nec suos alias homines humiles & inermes, timeret: securè existimat se posse Iesum innocentem flagellare. Si accusatus forsitan fuero, respondebo (inquit intra se) quod vt eum è manibus inimicorum suorum liberarem, flagris cædi iussi. Omnibus enim compertum erit me suam libertatem procurasse. Cuius causa, primò eius innocentiam ostendi, secundò eum Herodi commisi. Tertio Barrabbæ homini seditioso, homicidæ & scelerato contuli, vt sic iustior omnibus videretur: & cum adhuc nouissimus virorum iudicetur: restat vt sanguine suo hostes eius sedare & placare tentem, qui, vt video, sitiunt sanguinem innocentem, tantã igitur sanguinis multitudinem effundi ex eius corpore faciam, vt satis satiari possint hi viri sanguinum & dolosi. Hac ergo ratione commotus ait præses: corripiam ergo illum, & dimittam. ¶ Aduerte quod non scorpionum flagellis, sed infamiæ flagris præses iniquus Iesum cædere tentauit: dum in ea se esse opinione ostẽdat cum Iudæis, Christum innocentem & omnino inculpatum egere correctione & emẽdatione: cum paulo ante dixerit: ego nullam inuenio in eo causam. Et statim dicet: innocens ego sum à sanguine iusti huius vt alius Euangelista testatur. Et tamen modo opinatur cum Iudæis, quod Christus corrigi & etiam emendari debeat. Quare prius quam flagris corpus eius cædat, cædit bonum nomen, famam, & innocentiam eius. De vtraque iniuria olim apud regium vatem conquerebatur Iesus dicens: Iudica Domine nocentes me, expugna impugnãtes me. Aduersum me lætati sunt, & cõuenerũt: congregata sunt super me flagella, & ignoraui. Reuera maximè lætati sunt Iudæi, cum saltem a Pilato extorquere potuerunt, Iesum egere correctione, cuius vitam, & doctrinam ipsi tam acriter impugnabant,

Ioan. 19.
De flagellis Christi
Duplex flagellatio Christi.
Psal. 34.

nabant tanquam corruptam & impiam. Ex quo factum fuit, vt congregata fuerint vndique flagella super innocentem Iesum. Quanuis planè ipse fateatur se ignorare flagellorum rationem. Quare iure optimo sicut primo percussori in domo pontificis dixit: cur me cædis? Pilato modo dicere poterat: cur me flagellas? Summa Dei sapientia, quam nihil in mundo latet, nihil non oculis eius patet, quæ penetrabilior est omni gladio ancipiti, & scrutatur profunda cordis, rationem & causam tam irrationalis correctionis ignorat. Congregata (inquit) sunt super me flagella, & ignoraui. Nec solum à præsidis carnificibus, ipsum circundantibus, sed & ab ipsis Iudæis flagellatus est Christus. Poterant enim Iudæi autoritate propria delinquentem flagellis plectere. Quare in domo Cayphæ, vt aliqui existimant, vbi omnes eum damnauerunt tanquam morte dignum, flagellatus est primo Christus & innumeris ludibrijs affectus: secundo autem & multo crudelius, publicè in præsidis domo cæsus est Iesus tanquam correctione dignus. ¶ Ecce iam noster hircus pro hominum peccatis offerendus scoriatur in domo Pilati. Ecce iam liber vitæ tanquam corruptus & deprauatus corrigitur. Liber aliquis corrigi solet, aut scribendo quod deest, aut eradendo quod superest, in Christo tamen vero libro vitæ nihil boni, nihil honesti, nihil sancti deerat, nihil in eo desiderari poterat. Iudæi tamen existimantes hunc librum superfluum habere honorem, superfluam famam, & opinionem, scorpionum flagellis iussu præsidis abradere voluerunt. Vnde vt omnes cernerent ignominiam Iesu, publicè liber iste correctus est: publicè scripsit Pilatus in eo, lamentationes & væ, nam vtroque modo liber iste correctus & emendatus est: & ignominiam addendo, & honorem subtrahendo: nec post hac honorem apud seniores, nec claritatem apud turbas haberet.

Liber vitæ corrigitur & emédatur.

Ezech. 2.

¶ Cæterum ô fideles hoc obsecro sentite in vobis quod & in Christo Iesu, quemadmodum Esaias sentiebat: qui quanuis omnem Christi passionem præuiderit, hoc flagellorum improperium deflere primum cœpit, & improperare Iudæis sub persona Dei patris dicens: Audite cœli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est: Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Cognouerit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis. Dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. Super quo percutiam vos addentes vltra præuaricationem? Et vt ostendat à minori vsque ad maiorem omnes esse animi vulneribus & vlceribus plenos, addit: Omne caput languidum & omne cor mærens, à planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas: vulnus & liuor & plaga tumens, non est circunligata, nec curata medicamine, nec fota oleo. Hinc colliges quod si verum est, vt verè est, quod pater cœlestis propter scelus huius populi percussit filium, & posuit in eo iniquitates omnium nostrum: quod quemadmodum à planta pedis vsque ad verticem capitis non erat in populo illo sanitas spiritualis: sic etiam à planta pedis vsque ad verticem capitis non fuit in Christo sanitas corporalis cum ab inimicis publicè in domo præsidis flagellatus est: en noster verus Iob vlcere pessimo sauciatus vulnere super vulnus: & adhuc testa carebat, qua velut alter Iob saniem raderet. Quod si in Christo non flagellatum remansit aliquod, vt pote, pectus & facies: non ideo sana remanserunt, quoniam vulnus liuor, & plaga tumens, adhuc ibi videbatur non circunligata, neque fota oleo. Scinde ô anima telas cordis vt ligaturas efficias vulneribus Iesu: frange viscera vt oleo compassionis Christum per vngere possis: aufert flagella, id est, peccata & scelera tua, si optas cum eo flagellari, hoc est, pro eius nomine & amore, opprobria & ludibria ferre.

Esai. 1.

Iob. 2.

¶ *Iesum vero tradidit voluntati eorum.* Hęc fuit pessima omnium traditionũ. Per quã tandem Iesus traditus est cruci. Iudas

enim osculo Iesum cohorti tradidit: cohors Annæ, Annas Cayphæ, Cayphas verò Pilato, Pilatus eum tradidit Hærodi: Hærodes remisit Pilato, Pilatus eum modo tradidit voluntati Iudæorum: in quibus traditionibus crux Christi & eius passio magis ac magis augebatur. In prima traditione ligatur, in secunda alapa percutitur, in tertia facies eius velatur, in quarta repudiatur, in quinta veste alba illuditur, in sexta flagellatur, in septima tandem tam magna humeris eius crux imponitur vt de illa dici posset quod olim de cruce parata Mardochæo. Iube (inquit) parari excelsam trabem, & dic mane regi vt suspendatur in ea Mardochæus, &c. in ista cruce glorificatus est Mardochæus & Aman suspensus, quia diabolus & non Christus cruce Christi victus est, nam captus est cruce, quam parauerat Christo.

Hest. 5.

¶ *Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum. Conuersus autem ad illas Iesus dixit. Filiæ Hierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent. Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt et vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus, cadite super nos, et collibus operite nos. Quia si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet?* Nihil enim aliud poterant humiles & imbecilles aduersus coniuratam magnatum multitudinem, quam plangere & lamentari de morte innocentis. Et ideo sacerdotibus & scribis gaudentibus plangebãt. Iesus autem qui suam mortem non lugubrem, sed gloriosam esse voluit, nec eam deplorari voluit tanquam infœlicem sed adorari, vt quæ sponte pro salute totius mundi suscipiebatur: compescuit illarum indecoram lamentationem, quanquam ab affectu pio proficiscentem: ac docet potius suam ac filiorũ suorum vicem deflendam. Non enim est deflenda mors innocentis, sed illorum exitium deplorandum est, qui pro suis sceleribus & hic miseris cladibus afficientur, & in posterum pœnis addicentur æternis. ¶ Mulieribus dignatur Dominus prædicere, quæ super siccam Hierusalem, quæ aquam Domino sitienti negauit, ventura erant. Non dubium quin dilectus & charus Ioannes, Nicodemus & Ioseph aliiq; discipuli Christi occultò deplorarent, ac deflerent illum, tamen filiabus Hierusalẽ locutus est Dominus, quia earum manifesta pietas & religiosus affectus responsum meruerat. Quem, vt notauit Chrysostomus, non flecterent tantæ lachrymæ? Istæ Christum plangunt, qui vice versa eis cõdolet ob immensa mala in vrbem illã ventura. Signanter præterea fœminis condoluit Christus ob sanctissimã matrem suã, quæ quidem cũ eis erat deflens & deplorans mortem tanti filij. Mulieres, quæ, illũ dũ prædicabat euãgelicam doctrinam sequebantur ministrantes ei & exhibentes necessaria, nunc eum sequuntur plorãtes. Iesus autem vertens ad eas oculos ait. Filiæ Hierusalem, nolite deflere me, sed vestram ipsorum ac filiorum vestrorum vicem deflete. Imminet enim huic regioni tam miseranda calamitas, vt homines appellaturi sint eas mulieres beatas, quæ nõ genuerunt, & fœlices vteros, qui nullum fætum ædiderunt, fœliciaque vbera quæ nunquam lactauerunt. Grauius enim cruciatur materna pietas in malis liberorum, quam proprijs. Nunc exultant quasi re benè gesta, sed tunc quum venerit ille dies vltionis diuinæ tanta formido malorum ingruentium corripiet animos illorum, vt montibus dicturi sint: obruite nos, & collibus: operite nos. Etenim si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Hoc ænigmate dominus Iesus testabatur summam innocentiam suam, quod solus esset hominum nulla vitiorum aut cupiditatũ carie vitiatus, sed omnium virtutum genere totus florens ac perpetuò germinans. Quod si illorum malicia tale exemplum ædidit in hominem vndiquaque inculpatum, quale exemplum ædi conuenit in eos, qui prauis cupiditatibus vndiq; corrupti, non potuerunt ad vllam bonam frugem adduci? ¶ O domine Iesu verte oculos nunc etiam super nos, & dic animabus nostris, vt plorent, defleant seipsas, quãdo non plorant super te. Defleãt peccata sua, quæ sunt filij adulterini: quoniam dies iam venerunt in quibus montes iniquitatum

tum ceciderunt super eas, & colles infernì operire debuissent eas. Quoniam si in te ligno viridi, florido, & fructibus pleno, tot doloris & afflictionis montes cadunt, quid obsecro erit de miseris animabus nostris, aridis, siccis, sine aliquo aut gratiæ aut lachrymarũ humore, sine pietate, sine religione & virtute? ¶ Cæterum considera iam, quod quemadmodũ olim tentare volens Deus Abraham, dixit ei: tolle filium tuum, quem diligis Isaac: & vade in terram visionis, atque offert eum ibi in holocaustum, &c. idem contigit sanctissimæ Mariæ. Sicut enim Abraham fuit parens multarum gentium, sic beata virgo est parens omnium credentium. Huic ergo dixit Spiritus sanctus vt ait glo. qui tentat, idest, ad offerendum filium suum vnigenitũ inducit: tolle filium tuũ vnigenitum, quem diligis Isaac. Ecce beata parens fert in Caluariæ montem filium suum, quem summè diligebat: ecce post eum vadit, illum sequitur, plorans & deflens cum reliquis sanctis mulieribus mortem eius. Ecce ipsa est ductrix filiarũ Hierusalem: & quemadmodum in toto illo sacrificio, Abraham tanquam auctor filio adfuit, sic beata Virgo astitit cruci, & morti, & sacrificio filij sui. Quod si Abraham cum concidisset ligna in holocaustum abijt ad locum, quem præceperat ei Deus: sic Maria ligna concidit, quando crucem vidit filio afferri: tunc ea ligna filio imposuit, quando eum conspexit crucem accipere: & super humerum suum sacrum imponere. Si olim Abraham portabat in manibus suis ignem & gladium: Maria deferebat ignem amoris & charitatis, & gladium doloris & angustiæ: de quo Simeon senex prædixerat ei dicens: tuam ipsius animam gladius pertransibit, non poterat passio filium percutere, quin prius matrẽ feriret. Defert igitur beata Virgo ignem & gladium. Denique simul vniuntur ignis & gladius quoniã gladius est igneus non sine maximo mysterio. Nam quemadmodum olim peccantibus primis parẽtibus, & eiectis ẽ paradiso, collocauit Dominus ante paradisum flammeum gladiũ atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ: sic contrà, hæc mulier, initium

Gen. 22. a figura.

Supra c. 2.

Gen. 3.

A salutis nostræ sicut Eua condemnationis, suo versatili gladio igneo vult aperire viã ad lignum vitæ, hoc est, ad Christũ Iesum. Vt omnes vitam veram & perpetuò duraturam nobis comparemus. Quis nam obsecro cruci affixo adhærere ausus esset, nisi per Mariam iuxta crucem stantem, ipso Christo domino dicente: Ecce mater tua? Pro nobis ardenter amauit, pro nobis maximo dolore affecta est, pro nobis credidit, pro nobis stetit iuxta crucem vt Christi misericordiam impetraret. Viam ergo

B fecit nobis ad lignum vitæ. A cruce nobis omnibus clamat, & vox eius ad filios hominum dicit. Transite ad me omnes qui concupiscitis me. Transeamus ergo ad hanc arborem vitæ. Nam si folia huius arboris sunt ad sanitatem gentium, nonne fructus erunt ad vitam etiam angelorum? Sicut ergo prima naturæ parens fructum arboris mortiferum filijs suis contulit: sic prima gratiæ mater contulit nobis fructũ arboris vitæ, quoniam gladio igneo amoris & doloris sui, nobis viam ligni vitæ aperuit. Quod si Abraham dictum est vt offer-

C ret filium suum in holocaustum super vnum montium: sic Virgo mater super mõtem Caluariæ obtulit Deo patri filiũ suũ in holocaustum. Sequamur ergo matrem Isaac, spiritu & corpore illum sequentem: & ferentem ad montem sibi à Domino demonstratum. ¶ *Filiæ Hierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete et super filios vestros.* Ordinem diligenter attende. Super vos primum deinde super filios vestros. Temetipsum attẽde, vt alijs noueris compati: & vt arguas in spiritu lenitatis, teipsum considera, ne & tu tenteris.

D ¶ *Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent beatæ steriles, etc. tunc incipient dicere montibus, cadite super nos: et collibus operite nos.* Simile est illud Iob capite 14. quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & abscondas me, donec transeat furor tuus? Et illud quod in Apoc. D. Ioan. ait: Et dicunt montibus & petris cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni. Quoniam venit dies magnus iræ ipsorum & quis poterit stare? His omnibus locis explicatur vehemens quedã animi afflictio, &

Ioan. 19.

Eccles. 24.

quo ordine sit miserendum.

Ber.

Iob. 4.

Apo. 6.

& anxietas. Nec temerarius erit tātus hor ror: quoniam veniet dies magnus vt Ioannes explicat: nempe iræ magnæ. Quando magnarum rerum ratio reddenda est. Paruarum rerum in hac vita tantum reddimus rationem, vbi tantum vertitur temporis momentum: & ideo vocari possunt parui huiusmodi dies. At dies ille, magnus & terribilis ob causam prędictam vocatur à Ioele Propheta cap. 2. Est vero annotatione & admiratione dignum, quod iram agni ita timendum esse dicat D. Ioannes loco nūc allato: sic etiam Hieremias capi. 25 Facta est (inquit) terra eorum in desolatione à facie iræ columbæ. Columba & agnus alioquin imbecilles, timebuntur tunc temporis maxime. Illud tamen obseruandum est quod secundum sentētiam Ruperti totus ille Apocalypsis locus de excidio & vastatione Hierosolymitana intelligendus est, de quo Dominus hic intelligit: alij verò Antichristi tempora & signa præcedentia iudicium vniuersale prædici his atque præcedentibus verbis quæ à Ioanne referuntur, affirmant. De qua re nos diximus in illum locum Apoc. capi. 6. Ioannes siquidem Euangelista destructionem Hierosolymitanam & mundi finem simul tractat. Fuit enim typus & figura illa particularis destructio Hierosolymę vastationis mūdi. Et hinc est quod Christus dominus apud nostrum Lucam capit. 21. Vtramque simul vastationem coniunxit: prius enim dixerat: cum videritis circundari ab exercitu Hierusalē, &c. quod fuit vaticinium destructionis illius vrbis, mox addit: Erunt signa in sole & luna, &c. quæ superuenient vniuerso orbi. Est enim hic mos Prophetarum de figura transire ad rē figuratam. Igitur locus ille Ioannis & de prima Hierosolymæ desolatione: de qua in hoc loco loquitur Christus & de secunda & vniuersali totius mundi consumatione loquitur.

Ioel. 2.

Hiere. 25.

Apo. 6.

¶ *Ducebantur autem & alii duo nequam cum eo, vt interficerentur.* Procuratum est & hoc à Iudæis, quo magis infamem redderent Iesum apud multitudinem, quod tali sodalitio esset adiunctus. O domine Iesu antequam teipsum Iudæi interimant, scintillam famę ac nominis tui extinguere volunt: ne supersint tibi reliquæ super terram, volentes vt vno die extinguantur omnia tua, ne maneat familiæ & posteritatis tuæ nomen, memoriaque aliqua. Cum lex ipsa, multam curam habeat de bono nomine, transgressores autem legis te nomine æterno spoliare satagunt, idcirco duceris cum facinorosis, pariter tecum damnatis, quamuis nō eadem causa. ¶ Ecce homo ille qui descendebat à Hierusalem in Iericho, incidit in latrones, qui spoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto. Descendit dominus Iesus in Iericho, hoc est, in defectum quando flagellis à Pilato & eius honorem & eius corpus percuti iussit? Nōne incidit in latrones, quando cum latronibus ductus est vt interficerentur cum eo? Incidit in latrones hoc est in pessimos Iudæos & iniustū pręsidem qui eius famam, & vitam auferre conati sunt: spoliauerūt enim eum vestimentis suis & plagis innumeris affecerunt: & veri cum essent latrones ducunt illum tanquam latronem duobus latronibus cōmitatum ad crucis supplicium.

Supra. ca. 10.

Iesus incidit in latrones.

¶ *Et postquam venerunt in locum qui vocatur Caluaria, ibi crucifixerunt eum: et latrones, vnum à dextris, et alterum à sinistris.* Delectus est & locus nocentium supplicijs infamis ac funestus cui nomē ex re, Golgotha, quod hominum illic occisorū cranijs & ossibus albicaret. Hic igitur crucifixus est Iesus, inter duos latrones medius, veluti socius criminis, qui socius esset supplicij. Sed quicquid Iudæorum malicia potuit excogitare in ignominiam domini Iesu, id ille vertit in gloriam suam, nostramque salutem. Etenim qui innocēs sponte se deijcit ad seruandos homines, hoc plus meretur gloriæ, & apud Deum & apud homines, quo semet ad maiorem ignominiam submiserit. Sic visum est diuinæ sapientiæ quo vel tam insigni exemplo nostram frangeret superbiam, qui pro malefactis etiam laudem expectimus ab hominibus. ¶ Tria in presentiarum sunt hic obseruanda. Primò locus in quo passus est dominus: deinde mortis genus: tandem socios quibus cum crucifixus est. Nō enim sine mysterio extra ciuitatem crucis sup-

De loco in quo passus est Christo.

supplicio affectus est Dominus. Tum vt veritas typo & imagini responderet. Vituli enim & hircus, qui ad totius populi expiationem olim offerebantur, extra castra comburebantur. Vt sacra scriptura narrat in lib. Leuiti. cap. 16. & D. Paul. in episto. ad Hebrææ. capit. 13. Propter quod (inquit) & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum extra portam passus est. Tum etiam, vt exemplo suo omnem huius mundi conuersationem contemneremus ac fugeremus. Hinc est quod Paul. statim subiungit: Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes. Tum denique (vt Chrysosto. ait) noluit Dominus pati sub tecto, non in templo Iudaico, ne Iudæi subtraherent sacrificium salutare, ne putares pro illa tantum plebe oblatum. Et ideo foras ciuitatem, foras muros, vt scias sacrificium esse commune, quod totius terræ est oblatio, quod communis est purificatio. ¶ Nec vacat etiam sacramento delegisse extra ciuitatem, locum Caluariæ. Primum vt doceret, quod vbi prius erat area damnatorum supplicijs infamis, ibi erigerentur vexilla martyrum. Deinde vt ostenderetur supplicium crucis non esse solum salutare remedium criminis primi parentis, sed etiam omnium sceleratorum. ¶ Quam vero rationi consentaneum fuerit non alio mortis genere quam crucis supplicio Christum affici docent sancti. Primum docere voluit Dominus nullum studiose viuenti genus mortis esse metuendum, quando ille crucis supplicium subierit: quo nihil execrabilius nihil formidabilius. Secundò, passus est filius Adæ ligno crucis affigi: vt pomum quod ex ligno Adam rapuerat, in ligno eodem, filius eius affixus, solueret ac restitueret: vnde ipse apud Psalmographum ait: quæ non rapui, tunc exoluebam. Contempsit Adam præceptum accipiens ex arbore pomum: sed quicquid Adam perdidit, Christus in cruce inuenit: vt Augustinus ait. Tertio, in excelso ligno & nõ sub tecto (inquit Chrysosto.) passus est: vt etiã ipsius aeris natura mundetur: sed & ipsa terra simile beneficium sentiebat, decurrentis de latere sanguinis stillatione mundata. Et alibi idem Chrysost. ait in illa verba Ioannis: oportet exaltari filium hominis: Exaltari audiens suspensionem intelligas in altũ, vt sanctificaret aerem, qui sanctificauerat terrã ambulando in ea. Quarto, quia per hoc quod in alto moritur, ait idem Chrysostomus, ascensum nobis parat in cœlum. Hinc apud Ioannem ipsemet Dominus aiebat: Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Quinto, hoc conuenientissimum ac decentissimum erat totius mundi salutati. Vnde Gregorius Nissenus ait: figuram crucis à medio contactu crux in quatuor extrema partitam, significare & virtutem & prouidentiam eius, qui in ea pependit, vbique diffusam. Adde his quod Chrysostomus ait: Christum in cruce expansis manibus mori, vt altera manu veterem populum, altera eos qui ex gẽtibus sunt, trahat. Sexto, non frustra (inquit Augustinus) tale genus mortis elegit, vt latitudinis & altitudinis, & longitudinis, & profunditatis, de quibus Apostolus loquitur, Magister existeret. Nam latitudo est in eo ligno quod transuersum desuper figitur, hoc ad bona opera pertinet, quia ibi manus extenduntur. Longitudo in eo, quod ab ipso ligno vsque ad terram conspicuum est: ibi enim quodammodo statur, quod longanimitati tribuitur. Altitudo est, in ea ligni parte, quæ ab illa, quæ transuersum figitur, sursum versus relinquitur: hoc est, ad caput crucifixi: quia bene sperantium superna expectatio est. Iam verò pars illa crucis quæ fixa nõ patebat, vnde tota crux exurgebat, gratiæ profunditatem significabat. Lignum ergo in quo fixa erant mẽbra patientis, etiam cathreda fuit magistri docẽtis: vt idem Augustinus docet in commẽ. super Ioan. Docet ergo nos hæc omnia Christus & idcirco hoc mortis genus meritò deligere voluit. ¶ Tandem vt figuræ innumeræ responderent rebus, quas præseferebant: hoc mortis genus delectũ fuisse credimus. Vnde Augustinus. De diluuio aquarum, humanum genus arca lignea liberauit. De AEgypto Dei populo recedente, Moyses mare virga diuisit, & Pharaonem prostrauit, & populum Dei redemit. Item Moyses lignum in aquam misit, & amaram aquam in dulcedinem com

Margin notes: Leuit. 16. Figura. Heb. 13. — Chryso in ser. de passione. — S. Tho. 3. p. q. 46. ar. 10. ad. 2 & 3. — De mortis genere hoc est de crucis supplicio. — Psal. 58. — August. in quodã ser. de passione. — Ioan. 3. — Ioan. 12. — August. in ser. de passione.

commutauit. Ex lignea virga de spiritali petra, salutaris vnda profertur. Et vt Amalech vinceretur, circa virgam Moyses expansis manibus extenditur. Et lex Dei, archæ testamenti creditur ligneæ. Vt his omnibus ad lignum crucis, quasi per quosdã gradus veniatur. ¶ Tandem non sine magno Dei consilio factum est vt crucifigerent Iesus inter duos latrones medius. Tum quia sicut pro nobis maledictũ crucis factus est Christus, sic pro omnium salute inter noxios quasi noxius crucifigitur. Tum etiam duo latrones vnus ad dexteram & alius ad sinistram crucifiguntur, vt in ipsa patibuli specie, monstraretur illa quæ in iudicio ipsius omnium hominũ facienda est discretio. Ipsa ergo crux si attendas, tribunal fuit: in medio enim iudice constituto, vnus qui credidit liberatus, alius qui insultauit, damnatus est. Iam significabat quod facturus est de viuis & mortuis, alios positurus ad dexteram, alios verò ad sinistram. Prẽterea duo latrones dextræ ac leuæ affiguntur, omnem humani generis vniuersitatem vocari ad sacramẽtum passionis Domini ostendentes. Sed quia per diuersitatem fidelium ac infidelium, fit omnium secundum dextram sinistramque diuisio, vnus è duobus ad dexteram eius situs, fidei iustificatione saluatus. Tãdem hi latrones significant eos, qui sub fide & confessione Christi, vel agonẽ martyrij, vel cuiuslibet arctioris disciplinæ instituta subeunt. Sed qui hoc pro æterna gloria gerunt, dextri latronis fide designãtur: qui verò humanæ laudis intuitu, sinistri latronis mentem imitantur & actus.

¶ Ecce botrus terræ promissæ ducitur ad crucis torcular à duobus: quoniam inter hos duos latrones Christus pependit: quorum alter qui botrum sequebatur ait Domine memento mei.

¶ *Pater dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.* Iesus iam sublimis, & in eam speculam sublatus, vnde esset omnia reuocaturus ad se, volens summæ tolerãtiæ perfectissimum exemplar ædere, quum innocens, quum tot modis benemeritis, tot malis, tot ignominijs, tot ludibrijs esset affectus: quum in cruce quoque pendentem, quæ miserabiles facere solet etiam homicidas, amarulentis conuicijs incesserent, quæ perferre grauius esset homini, quam perpeti mortem: adeo nõ vlciscitur, adeo non regerit conuicia, vt patrem oret, pro his à quibus indigna patiebatur. Pater, inquit, ignosce illis. Nesciunt enim quid faciunt, hæc nimirum erat illa sancta precatio nostri Pontificis in ara crucis, agnum paschalem pro totius mundi salute immolantis. Nec fuit inefficax deprecatio. Multi enim ex his, qui per errorem adegerãt Dominum ad crucem, cognita veritate per Apostolorum prædicationem, professi sunt nomen crucifixi. Quanquã & pharisæorum malicia non caruit omnino errore, sed qui nõ liberet illos à crimine. Poterant enim errore carere, nisi prauæ cupiditates, quibus seruiebãt, obstitissent. Sed erant inter hos quoq; qui hoc animo Dominum persequebantur, quo Paulus persequebatur Ecclesiam Dei. ¶ Hic si cõsideres, summam illam Iesu innocentiam, summam in omnes beneficentiam, summas animi dotes, quibus erat incomparabilis: rursus ex aduerso cõtemplere odiũ, conuicia, probra, dolos, insidias, criminationes, ignominias, cruciatus, mortis genus, quo illum Iudæorum impietas affecit: & audias eum in ipsa cruce, in medijs conuicijs obsecrantem patrem, ne vlciscatur, sed ignoscat tanti sceleris autoribus: nonne vehementer impudens videbitur, qui quum se Christi discipulum profiteatur, peccator in peccatorem vindictã molliatur, quamuis etiam graui lacessitus iniuria? Quantum autem degenerant ab hoc exemplo Christi, qui ob leue conuicium ferrum stringunt in viscera proximi? Qui non concoquentes dictum aliquod cõtumacius in se iactum, totas vrbes, tota regna, funestis bellis concutiunt? Nos verò ne dimoueamus oculos nostros ab hoc exemplo, & imitemur regem nostrum in cruce debellantem omnem potestatem tyranni satanæ, deuincẽtem omnem huius mundi potentiam, triumphantem de omnibus potestatibus, quæ sese erigũt aduersus euangelicam veritatem, quam non oportet aliter vincere, aliter triumphare, quam sub vexillis sui principis: cõtemplemur Pontificem nostrum, sacrificio admirabi

Marginalia: D. Tho. 3. p q. 46, ar ti. 4. — Cur duobus latronibus socius Christi in cruce. Hiero in Matth. — Leo in ser. de passio. — Idem in Ioan. — Hilarius. — Beda in Mar. — S. Tho. 3. p q. 46, ar. 11. — Num. 13. Figura.

[illegible] antem peccata totius mūdi nationum, & om[illegible] seculorū pœnam dependentem pro omnibus [illegible] nos sincera ac viua fide complectamur, quod [illegible] gratis offert, nostram agnoscentes iniustitiam, illamque dolore ex animo castigantes, & illius ineffabilem erga nos bonitatem exosculantes. Quo teme tauertis peccator infœlix? Dominus clamat: pater ignosce illis, & tu desperans tui, vel laqueū paras vt Iudas, vel crimina criminibus exaggeras? Non est quod post hac metuas satanæ potentiam. Vicit, & tibi vicit Christus. Inuitat è sublimi ligno, nationibus omnibus conspicuus: ipsa tria crucis cornua procul inuitant & Asiam, & Europā, & Africam ad æternæ salutis consortium. ¶ *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Nostis (inquit Augustinus) quia Iacob ipse est Israel. Illi enim cum angelo luctanti & præualenti, & benedicto ab eo, cui præualuit, nomen mutatum est, vt appellaretur Israel: sic populus Israel hodie præualuit angelo testamēti, hoc est, Christo vt crucifigeret eum: & tamē in his qui Christo crediderunt ab ipso cui præualuit benedictus est. Obtulit enim in cruce positus preces ad eum qui possit illum saluū facere, cum clamore valido & lachrymis, & exauditus est pro sua reuerentia: & sic benedictus est Israel, hoc est, populus ex Iudæis credentium. ¶ Ecce iam noster verus Iacob colligēs super lectum pedes suos vt moriatur, plura morti proximus negocia expendit, quemadmodum olim Patriarcha ille. Ipse namque fecerat pusillum & magnum: ipsi cura erat de omnibus, & ideo iam iam animam exhalaturus collectos habens pedes super lectum crucis, plura ad nostram salutem expedientia pertractat. Incipit tamen pius & misericors pater à misericordia. Miserationes enim eius super omnia opera eius: initium sumpsit ab indulgentia dicens: pater dimitte illis. Et rationem subiungens ait: nō enim sciunt quid faciunt. Nam si dominū gloriæ cognouissent, vtique non crucifixissent. Peccata impiorum iram Dei atque seuerum iudiciū ante iudicis cœlestis tribunal noctes atque dies postulabant: voces peccatorum in aures eius ascenderant

Gen. 32. / August. in Psal. 44. / Figura. / Heb. 5. / Gen. 49. / Figura. / Psal. 144. / 1. Cor. 2.

A æternum supplicium exigentes: dominus Iesus pius & misericors peccatoribus timens, certo sciens quam horrendum sit incidere in manus Dei viuentis ad iudicem [illegible] uerum præcurrens, illum precatur dicens: pater ignosce illis. O admirabilem atque citissimam Iesu clemētiam. Vix domine hostes tui crimen suum perfecerūt, quando iam veniam & misericordiam obtinuerunt. Pater (inquit) dimitte illis: Ac si diceret apertius: quia meus pater es prius me quam seruos audire debes. Si ipsi B per infesta opera iram ad vindictam irritant, ego per amorem filialem, veniam posco. Ignosce (inquit) illis. Non ait ignosce & dimitte inimicis meis, dimitte tortoribus, dimitte sacrilegis, sed ignosce illis. Ac si diceret: nō memineris iniquitatum inimicorū meorum, sed quasi oculis iam clausis vt eorum tecta sint peccata, dimitte illis. Præterea obsecro vt illorum misereāris, cœlestis sapientiæ lumen exhibendo: nō enim sciunt quid faciunt. Ego sum ipsamet sapientia tua, sapientia ergo sapiētiam postulat indigētibus. Cū ergo Christus dominus (vt verbis vtar Pauli) preces C supplicationesque huiusmodi offerret cū clamore valido & lachrymis, exauditus est pro sua reuerentia. Hinc vox illa prima latronis in cruce pendentis: memento mei domine, dum veneris in regnum tuū. Hinc alius dicebat: verè filius Dei erat iste: hinc multi reuertebantur percutiētes pectora sua. ¶ *Pater dimitte illis.* Omnia quæ de sancto Iob referūtur cap. 19. Christo in cruce posito conueniūnt: cui derelicta sunt tantummodo labia circa dentes suos quibus veniam postularet dicens: pater dimitte illis, Non enim sciunt quid faciunt. Cæterum vide opera Domini quæ D posuit prodigia super terram. Flagellis cæsus, spinis coronatus, clauis confossus, affixus patibulo, opprobrijs saturatus, omniū tamē dolorum immemor ait: pater ignosce illis. Hinc multæ miseriæ corporis, hinc multæ misericordiæ cordis, hinc dolores, hinc miserationes, hinc oleum exultationis, hinc guttæ sanguinis decurrentis in terrā. Misericordiæ Domini multæ. Vincent ne miseriæ misericordias, an misericordiæ miserias superabant? Vincant

Misericordia eius (ait pater) præuenit me. / Iesus inimicos suos ignorat. / Heb. 5. Iesus exauditur. / Iob. 19.

misericordiæ tuæ antiquæ Domine. Vincat sapientia malitiam. Magna illorum iniquitas, sed nunquid maior pietas tua Domine? Multum per omnem modum. Nunquid redditur, inquit, pro bono malum, quia foderunt foueam animæ meæ? Plane foderunt impatientiæ foueam, occasiones, indignationes plurimas ministrantes. Sed quid eorum fouea ad abyssum mansuetudinis tuæ? Retribuentes mala pro bonis foueam fodiunt: sed charitas non irritatur, non præcipitatur, non excidit, non in foueā ruit. Absit vt muscæ morituræ exterminent suauitatem vnguenti quod de tuo corpore fluit: quia apud sinū tuum misericordia, & copiosa apud eum redēptio. Muscæ morituræ miseriæ sunt, muscæ morituræ blasphemiæ sunt, muscæ morituræ exultationes & insultationes, quas tibi reddit generatio praua & exasperans. Tu autem quid in ipsa eleuatione manuum tuarum, cum iam sacrificiū matutinum in holocaustum vespertinū transiret, in ipsa inquam virtute incensi quod cœlos ascendebat terram operiebat, inferos aspergebat, clamas: pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt? Mira res. Ille clamat ignosce, Iudæi crucifige. Molliti sunt sermones eius super oleū & isti sunt iacula. O Iudęi lapides estis, sed lapidē percutitis molliorem de quo resonat tinnitus pietatis & æbulit oleū charitatis. Quomodo potabis nos Domine, desiderantes te torrente voluptatis tuæ, qui sic perfundis crucifixētes te oleo misericordiæ tuæ.

Hiere. 18.

Bernar.

¶ *Diuidentes vero vestimenta eius miserunt sortes.* Nam hoc erat veluti præmiū scelerati ministerij. Hoc sui spoliū Iesus voluit esse apud milites. Apud nos qui nomen illius profitemur, nihil esse voluit sui carnale, vt iam eum spiritu diligamus, Sic & hodie vestes illius apud nos sunt, quēadmodum nobis quotidie pendet in cruce. Siquidem omnia illius, nostra sunt, sed iuxta spiritum.

¶ *Et stabat populus expectans.* Legendum est & stabat populus spectans. Hoc est videns, contemplans, & cernens. Non ea quæ fiebant, spectabat, sed videbat. Id ostendit apertè litera Græca habens θεωρῶν, à verbo θεωρέω, quod significat intueri, videre, spectare. Hoc enim vitium [illegible] in sacra scriptura inuenitur [illegible] culpa aut interpretis, aut [illegible] æditionis, sed in curi[illegible] typographorum & librariorum. Sic capite decimo vbi legimus. Suspiciens autem Iesus dixit: homo quidam, &c. legendum est: suscipiens. Est enim in Græco ὑπολαβὼν quod idem est ac suscipiēs. Ac si dicat, suscipiens sermonem & responsionem. Ita Euthymius interpretatur. Vitio ergo librariorum vulgo legitur suspiciēs, pro suscipiens. Sic etiam Esaiæ capit. 40. pro completa est malitia eius, legendum est: completa est militia eius. Nam in Hebræ est nomen quod significat militiam, & tempus definitum, & vitam humanam, quæ, vt ait Iob capite septimo, est militia super terram. Et capi. 60. eiusdem Esaiæ filiæ tuæ de latere surgent, pro: sugent, est in Hebræo verbum quod significat suggere & educare. Quare legendum est filiæ tuæ de latere suggent. Capite. 51. Hieremiæ: pro: interficite omnem malitiam eius: scribendum est: interficite omnem militiam eius. Hæc omnia, incuria typographorum acciderunt.

Supra. c. 10.

Esa. 40.

Esai. 60.

Hiere. 51.

Vi. Pinti in Dani. 40.

¶ *Et deridebant eum principes cum eis, dicentes: alios saluos fecit, se saluū faciat, si hic est Christus, Dei electus.* Adhuc modum pendentem Iesum veluti victum, & omni spe destitutum, scommatis incessunt sacerdotes, scribæ, & populi primores, vna cum militibus, qui crucifixerāt: exprobrantes ei, quod quum miraculis suis dictus esset subuenisse multis, nunc sibi non posse esse præsidio. Hæc (quæ hic narrat Lucas) iactabant in eum primores audiente populo, qui solebat admirari Christi miracula, quo animos illius alienarent ab eo. Quin & totam autoritatem illi abrogant, velut ex ipsa re conuincentes, eum nec esse Messiam, nec filiū Dei, quem esse se professus fuerat, si non descenderet de cruce. At non in descensu sed in perseuerantia sita erat mundi salus. Ea plus valuit apud Iesum, quàm principum conuicia.

¶ Ecce pueros irridentes verum Eliseum. Irridebant & insultabant olim pueri ex imperitia sancto Dei caluo: & clamabant post eum: ascende calue: ascende calue: & factum est vt à bestijs consumerentur. Hi figura

August. in psalm. Psal. 44.

4 Reg. 2. Figura.

figura fuerunt hominum istorũ in eadem mente puerili stulte irridentes nostrum saluum qui in Caluariæ loco crucifixus est. Possessi sunt ergo tales velut a bestijs hoc est, à dæmone, à diabolo, & angelis eius, qui operantur in filijs diffidentiæ. Tales pueri erant, qui ante sacratum lignum stantes caput agitabant & dicebant. Alios seruauit, sic nũc sibi seruator, si modo hic est ille Christus, quem se iactauit esse: si modo hic est ille dilectus, & charus filius, quem se esse prædicauit. Pueri illi clamabant ascende calue, ascende calue: at isti clamant: Christus Rex Israel descendat de cruce: vt alius Euangelista testatur. O venenata lingua (inquit Bernar.) verbum malitiæ, sermo nequam. Non est hoc Cayphã, quod paulo ante dicebas. Expedit vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. At illud quia mendaciũ non erat, non loquebaris de proprio, non a temetipso dicebas. Si Rex Israel est descendat de cruce: & rursum: alios saluos fecit, se saluum faciat, si hic est Christus Dei electus. Hoc plane tuum atque tuorũ est: magis autem eius, qui mendax est ab initio. Quid enim cõsequẽtiæ videtur habere vt descendat si Rex Israel est, & non magis ascendat? Sic non meministi serpẽs antique quam confusus abscesseris olim cũ dicere præsumpsisses. Mitte te deorsum: &, hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me: sic tibi Iudææ excidit quod audisti: quia Dominus regnauit à ligno, vt regem abneges, quia manet in ligno. Descendat (inquiunt) si Rex Israel est. Imo verò quia rex Israel est, titulum regni nõ deserat: virgam imperij non deponat, cuius nimirum imperium super humerum eius: Noli (inquiũt Iudæi ad Pilatum) noli scribere rex Iudæorũ, sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum. Et Pilatus, quod scripsi, scripsi. Si Pilatus quod scripsit, scripsit: Christus non perficiet quod incepit? Ipse enim cœpit, & saluabit nos. Sed dicunt: alios saluos fecit, se saluum faciat. Imo verò, si descenderit, si se saluũ fecerit, neminem saluum faciet. Cum enim salus esse non possit, nisi qui perseuerauerit vsque in finem, quanto minus poterit esse Saluator? Alios ergo saluos fecit: nam saluatione, cum sit salus, ipse non indiget. Operatur salutem nostram, nec caudam deesse patitur sacrificio vespertino hostiæ salutari. Nouit inique quid cogites. Non tibi dabit occasionem surripiendæ nobis perseuerantiæ, quæ sola coronatur. Non faciet obmutescere prædicatorum linguas consolantium pusillanimes, & dicentium singulis: tu locum tuum ne deseras: quod sine dubio sequeretur, si respondere possent, quia Christus suum deseruit. Proni enim sunt sensus hominis & cogitationes in malum. Sine causa (maligne) parasti sagittas tuas in Pharetra, & discipulorum suspiria cumulas opprobrijs Iudæorum. Illi quippe desperant, isti improperant, sed Christo neutra tela nocebunt. Aliud tempus elegit confortandis discipulis, & aliud aduersarijs confutandis. Interim patientiam magis exhibet: humilitatem cõmendat, obedientiam implet, perficit charitatem. His namque virtutum gemmis quatuor cornua crucis ornantur. Et est supereminentior charitas, à dextris obedientia, patientia à sinistris: radix virtutum humilitas in profundo. His ditauit trophæũ crucis, consumatio Dominicæ passionis, cum ad Iudæorum blasphemias humilis, ad vulnera patiens: intus linguis, clauis exterius pungeretur. Nam & charitas in eo perfecta est, quod pro amicis animam posuit, & obedientia consumata, cum inclinato capite tradidit spiritũ, factus obediens vsque ad mortem. His spoliare dotibus, hac priuare gloria Christi satagebant Ecclesiam, qui dicebant. Si rex Israel est, descendat de cruce. Nimirum vt non sit iam obedientiæ forma, non incentiuum amoris, non patientiæ vel humilitatis exẽplum, sed deleri habeant ex Euãgelio verba illa suauissima, & dulciora super mel & fauum. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Et ad patrem: opus consumaui quod dedisti mihi vt faciam. Itemque ad discipulos: discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Hoc est enim quod dolet venenati serpentis astutia, exaltatum in deserto serpentem æneum, cuius intuitu sanentur vulne-

Marginalia: Matth. 27 (B); Ber. ser. 1. paschæ; Ioan. 18; Matth. 4; Psal.; Ioan. 19 (D); Eccles. 10; Psal. 10; (C); Ioan. 15; Ioan. 19. a; Ioan. 7. a; Matth. 11; Ioan. 12.

vulnera quæ infixit. Alioquin quonam alio instigante misisse credimus vxorẽ Pilati ad ipsum dicentem: Nihil tibi & iusto illi, multa enim passa sum hodie per visum propter eum. Timebat ergo iam tunc, sed nunc maxime, virtute crucis eneruari se sentiens inimicus. Sera ducitur pœnitentia, & quos instigauit ad crucifigendum, instigat ad suadendum vt de cruce descendat. Denique si rex Israel est, inquiunt, descendat de cruce, & credimus ei. Hæc plane serpentis astutia: hęc adinuentio nequitiæ spiritualis. Audierat impius Saluatoris vocem dicentis: non sum missus nisi ad oues quę perierunt domus Israel. & nouerat quantum pro salute illius populi zelum gerere videretur: propterea malitiose nimis linguas erudiens blasphemorum suggerebat vt dicerent: descendat & credimus: quasi iam nihil posset obstare quin descenderet, qui eorum crudelitatem tantopere desideraret. Sed quid machinatur: aut cui parat insidias versipellis? Nempe ei in quo nihil proficiet inimicus, & filius iniquitatis non apponet nocere ei. Non mouetur vana pollicitatione, qui nouit omnia corda: sicut nec exprobratione blasphema mitissimus omnium mouebatur. Eo quippe tendebat malitiosa suasio, non vt ipsi crederẽt, sed nostra quoque si qua erat fides in eũ, omnimodis deperiret. Legentes enim, Dei perfecta sunt opera, quã do fateremur Deum, qui salutis opus reliquisset imperfectum? Hæc ex Bernardo. Si rex (inquiunt) Israel est, descendat nũc de cruce & credimus ei. Vos miseros nã etiam si descenderet de cruce non crederetis ei. Audite quid Dominus olim prædixerat de vestra incredulitate in lib. Deuterono. cap. 28. Videbis vitam tuam pendentem, & non credes vitę tuæ, quæ verba intelligẽda esse de Christo domino qui est via, veritas, & vita, & de Iudæis illum cruciaffixum irridentibus & illudentibus, docet Augustinus lib. 16. contra Faustum cap. 22.

Matth. 25

Deut. 32.

Deute. 28.

¶ *Erat autem & superscriptio scripta super eum, literis Græcis & Latinis & Hebraicis. Hic est rex Iudæorum.* Hoc fecisse prӕsidem creditur primum vt Iudęos irrideret, deinde vt se apud Cæsarem tutũ ac securũ redderet. Existimabat enim Cæsari gratissimum fore, cum audisset, Pilatum pro seruanda fide, occidisse hominẽ, quem paulo ante multa Iudæorum turba eum ramis palmarum excipiens regias illi laudes acclamasset. At Iudæi intelligentes id ludibrij sui causa factum fuisse, aiebant Pilato: Noli scribere rex Iudæorum, sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum. Quæ verba exponens Rupertus ait: Illi pontifices plane dispersores, vel corruptores illi sunt, cõtra quos spiritus Christi ap quorundam prælocutus est super scriptionibus Psalmorum, in finem ne disperdas siue corrumpas in tituli inscriptione. Titulum namq; bonum, & bene scriptum disperdere atque corrumpere voluerunt, sic intercidendo: Iesus Nazarænus, qui dixit, rex sum Iudæorũ. Quasi vero Pilatus nesciisset à turbis illum regem fuisse conclamatum, quando venienti hierosolymam exierunt obuiam cum ramis palmarum, & eum à plerisque esse creditum, qui fuerat rex promissus oraculis prophetarũ. Hæc ille. ¶ Cæterum aduerte quemadmodũ Dominus comprehendit sapientes in astutia sua. Titulus hic ludibrij causa positus est super crucem: & tamẽ versus est in maximum decus & maximũ honorem & gloriam Christi triumphantis de mũdo atq; diabolo. Cõtendebant Iudæi de titulo solum delere, rex Iudæorum, vt ipsi ab omni infamia liberarentur: contendebant vt nomen & patria Christi in titulo maneret vt & nomen & patria eius dedecoris & infamiæ nota vrerentur: ac comprehensi sunt in astutia sua: cecideruntque in laqueum quem fecerunt. Optabant vt nomen Iesu non memoraretur amplius: optabant vt patria Nazareth infamis haberetur, existimantes à Nazaret nihil boni prodire aliquando posse. Sed cõtra accidit. Nam nomen Christi mansit exaltatum super cedros Libani: mansit eleuatum super omne nomen: at nomen Iudæorum vile, infame, contumeliosum ac sub omni nomine mansisse omnibus satis compertum est. Nihil enim contumeliosius quam aliquem vocare Iudæum. Nomen præterea Nazareth exaltatum vsque ad nubes videmus vrbe hierosolyma deleta. Nam & Chri

Rupertus

Tota huius tituli infamia eccidit super Iudæos.

Christus dñs Nazaræus vocatur eiusq; sectatores primo Nazaræi appellati sunt. Ipse etiã dñs Iesus qui rex est vocatus, mãsit rex in æternũ: Iudæi autẽ contẽptores & illusores Iesu, regnũ & sacerdotium amiserunt. ¶Obserua etiã quod non sine maximo mysterio factũ etiam est, vt Iudæi qui obtinuerũt à præside vt dñs Iesus crucifigeretur, obtinere nõ potuerint vt titulus deleretur. Quid est hoc ô Pilate, Iesum tradidisti voluntati eorũ, & titulũ ligneũ nõ tradis petitioni eorum? Quod scripsi (inquit) scripsi. Sed reuera o præses, nõ quod scripsisti, scripsisti: sed quod scriptum erat scripsisti, cum esses iudex anni illius. Sicut enim potuisti Christũ cruci affigere, quod data sit tibi potestas desuper, ita minime potuisti titulum mutare: quod ablata tibi fuerit ad hoc potestas. Debet enim Iesu sapientia quasi libri veri & viui, in titulo eius ostendi. Debet itẽ conditio eorũ qui pro Christo crucifigẽtur demõstrari. Isti nãq; erunt vere Iudæi cõfitentes quẽ vos negastis, à quo salutẽ animæ & florem resurrectionis corporũ obtinebũt. Quod obista duo vocetur Iesus. i. salus: & Nazaræus. i. floridus. Per primũ in hoc seculo regnabit conferens gratiæ salutẽ: per secundũ in futuro, cõferẽs florẽ immarcessibilẽ gloriæ. De ipso enim vates quidã ait: potestas eius, potestas æterna, & regnum eius quod non corrũpetur. Totũ hoc per cõfessionẽ fidei Iesu Nazaræni obtinetur. Præses verò scripsit quod olim Esai. scripserat dicens: in die illa erit altare Dñi in medio terræ AEgypti: & titulus Dñi iuxta terminũ eius & cætera quæ ibi dicuntur. In quibus tota gloria ostenditur, cũ in fine capituli cõcluditur, benedictus populus meus AEgypti. Et opus manuũ mearũ Assyrius, hæreditas autẽ mea Israel. Tres populi à Dño benedicũtur, quos significabat titulus scriptus tribus linguis. In die ergo illa passionis Dñi fuit altare crucis positum in medio terræ AEgypti: AEgyptum vocat terram illam Hierusalem: nam sicut olim lux erat apud Israelitas, & tenebræ apud AEgyptios: sic ex opposito tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam, idest, vsque ad finem seculi, quæ remanent apud infideles Iudæos, lux

Mysteriũ tituli explicatur.

Cur Christus vocetur Iesus Nazarenus

Dan. 7.

Esai. 19. c.

A autem transit ad gentes cum Centurione dicentes verè filius Dei erat iste. Super altare igitur istud titulus hic positus est.

¶*Vnus autem de his qui pendebant latronibus, blasphemabat eum dicens. Si tu es Christus saluum fac temetipsum & nos. Respondens, autem alter, increpabat eũ dicens. Neque tu times Deũ, qui in eadem damnatione es. Et nos quidem iuste, nam digna factis recipimus. Hi verò nihil mali gessit.* Alter latronũ considerata tam admirabili Iesu mansuetudine, increpabat sceleris & B supplicij sociũ dicens: *Neq; tu times Deũ, qui vel quod in eadem damnatione es?* Vel quũ in eadẽ dãnatione sis? Quasi dicat: cũ sis simili genere suplicij dãnatus, ostendis tamen te Deũ nõ timere, cũ supplicij socio detrahis. Tu si moriturus nõ vereris homines, certè Deũ metuere debes, qui morituro insultas, præsertim cũ sis illi supplicij socius. vel hoc solũ debebat te à cõuicijs cohibere, etiã si socius esset criminis. Nunc alia est illius, alia nostra conditio. Nos pro malefactis pœnas damꝰ, ille innoxius moritur. Bis autem inhumanũ est, & morituro maledicere, & innocenti. Hoc testimo- C nium Iesu reddidit in cruce latro, vt vnde quaque testata esset illius innocentia.

¶*Et dicebat ad Iesum. Dñe memento mei dũ veneris in regnum tuum.* Mira fides latronis, qui quũ videret pẽdẽtẽ, ac morientẽ in cruce, moriturus & ipse, salutẽ velut à rege petit. Attẽtissimẽ inter tormẽta considerare cæpit Christi mãsuetudinem, qui cũ malediceretur, nõ maledicebat: Christi pietatẽ qui pro inimicis suis cũ clamore valido & lachrymis preces funderet: attẽtissimẽ inter supplicia positus animaduer- D tebat orationis formã, qua adhuc se fatebatur verũ filiũ Dei quãdo illũ, patrẽ suũ vocabat: quare credere cæpit ita esse, quã uis pro veritate hac, quã negare nolebat crucis supplicio afficeretur. Deinde collegit: quod si filius, & hæres regni. Quare in memoriã reuocans se in carcere audiuisse Christũ dixisse: Regnum meum nõ est de hoc mũdo: credere similiter cæpit & Christum esse verum regem, & regnum eius esse non mundanum sed diuinum, nõ terrenum sed cœleste, non temporale & periturum, sed spirituale perpetuò duraturũ:

Vatal.

 inde

inde excitatus est ad amandum ex animo Iesum, & ad illum tanquam verum Deum, verumque hominem, verumque seruatorem ac glorificatorem adorandum. Mox quę conuersus ad Iesum, postquam supplicij socium reprehenderat, dixit: Memēto mei domine, dum veneris in regnum tuū. Memento quod dixeris regnum tuum nō esse hinc, sed in cœlo. Memento ergo mei dū veneris in tuo cœlesti regno ad quod possidendum & obtinendum per mortem tam immanem tendis. O rex Israel, mementō quod reges Israel clementia & pietatē præstantes esse solent: non me in regno tuo dedigneris, quem in mortis similitudine non es dedignatus. Memēto (inquit) Ac si diceret: hoc mihi sufficit: vt. s. mei non obliuiscaris, me nō obliuioni tradas, vt tantum recorderis. Scio enim Domine quod si memineris mei, in libro vitæ tuo me statim scribes. Scio quod prescitorū hominum non es memor. Ita vt verē dicas: nec memor ero nominum illorum per labia mea. At de electis loquens ais cū patre tuo Dauide, quod olim Iudæi in captiuitate positi de Hierusalem dicebant: adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui. ¶Obserua hic modestiam latronis huius. Nō enim ausus est aliud quid petere à Christo quam memoriam. Hanc modestiā ostēderat publicanus, & mulier illa in ciuitate peccatrix, & Cēturio, atque alij multi: de quibus aliàs diximus. ¶Obserua etiā viuā fidē. Nō ait si Dn̄s es, si Deus es, si vnigenitus patris saluū me facā præsenti supplicio: sed quid ait: quādo verus Dn̄s es, quando verus es Deus, iudexque viuorū & mortuorū cū veneris in regnum tuū iudicaturus viuos & mortuos memor esto mei, vt me à iusto tuo iudicio liberes. Instinctu enim Spiritus sancti occurrit illi iudiciū horrendū filij hominis & maximo timore correctus supplex misericordiā postulauit. His verbis cōfessus est Dn̄m tanquā iudicē viuorū & mortuorū, & tanquā regē omniū seculorū. Discipulus non fuerat: & subito factus est magister: & de latrone factus est cōfessor. Memento (inquit) mei Dn̄e, dū veneris in regnū tuum. Quis obsecro non mirabitur abyssi misericordiarū Dei? Quis nō expauescet opera

Psal. 15.
Psal. 136.
Supra. 18.
Supra. 7.
Matth. 8.

A eius considerando. Erat enim tūc tēporis Christus vndique conuicijs, opprobrijs, plagis ac illusionibus obsessus, à discipulis charis derelictus, à Petro abnegatus, à Iuda vēditus, à Iudæis blasphemijs affectus, à gētibus derisus, denique penè à cunctis non creditus: & cū ab alijs negatur latro iste eum adorat, eū cōfitetur, ac buccis plenis eū regem vocat dicens: memento mei Dn̄e, dū veneris in regnū tuū. Damnatum videt & Deū verū esse intelligit & agnoscit: & quā uis sit supplicij socius ab eo humiliter regnū cœlorū postulat. B Viderant discipuli eius vitā admirabilem, viderant eius miracula innumera, audierant eius cœlestē doctrinam, & tandem fidem, cū captus est, amiserunt: hic tamen latro istarū rerū ignarus, qui neque miracula viderat, nec doctrinam audierat latrocinijs & prædis solū deditus, Apostolos superat in virtute, & in fidei confessione. Vt hinc intelligas, quam potens sit vel minima gratia Dei quæ vel homines aliàs humiles, abiectos, infirmos, & in virtute debiles & incōstantes, fortes & constantes reddit. C Intelligas etiam quam infirmus sit homo aliàs natura potens, robustus, & audax absque Dei gratia. ¶Nec solum fides latronis in his verbis & in hac precatione cōmendatur: sed eius etiā profunda humilitas precationis indiuidua comes. Memento (inquit) mei dū veneris in regnū tuū. Non peto Dn̄e dexteram aut sinistram in regno tuo. non huius mundi opes, & diuitias: non carnis voluptates, nō magistratus aut honores terrenos: cum certò sciam regnum tuum de hoc mundo non esse: solum precor, solum oro vt mei memineris dum veneris in regnum tuum. D Memento mei, mei, inquam, non peccatorum meorum, non criminum aut errorum, non latrociniorum: sed memento quod sim creatura & factura tua, ad imaginem & similitudinem tuam condita. Memento quod sim natura infirmus, & impotens ad virtutem sectandam, memento quod propter me vniuersa creasti, propter me meamque salūtem de cœlo in terram hanc miseram descendisti: propter me es homo factus cum sis Deus: propter me in mundo conuersatus es, Euangelicam doctrinam prædicasti.

mi

miracula ædidisti, ieiunasti, preces ad patrem fudisti, itinera multa fecisti, propter me fatigatus es, & tandem propter me hoc tam immeritum crucis supplicium æquo animo pateris. Memento quod frater tuus sim (quum homo sim quanuis peccator & scelestus) quod redemptus tuo sanguine. Non quidem magna peto, cum me omnino illatum indignum plane iudicem. Non enim audeo petere regnum cœlorum, homo aliàs sceleratus, sediciosus, insignis prædator, & infamis. Solum postulo vt mei memineris: vt non obliuiscaris hominis, quem habere sociũ in supplicio voluisti. Non meam nequitiam, sed tuam respice bonitatem: quæ misericordiæ tuæ portas has, quas in toto corpore apertas habes, aperire fecit. Has inuoco, ad has voces fundo, tamque miser & mendicus. Per has ingredi maxime desiderio. Et, si mihi liceret, per has ingressus, gratiæ tuę thesauros furari vellem: vt in morte essem etiam latro. Attentè Domine aduerti preces tuas ad patrem, cum lachrymis pro transgressoribus fusas. Aduerti excusationem, quam in precatione affers, dicens: quia nesciunt quid faciunt. Hæc tam immensa pietas, tam incredibilis bonitas, tam infinita charitas, animum incitas meum, ad precandum vt mei memineris, quanuis latro & homo sediciosus sim. Non enim tu es pontifex, qui non possis compati infirmitatibus meis, tentatus per omnia. Memento ergo mei.

Heb. 4.

¶ *Amen dico tibi hodie mecum eris in paradiso.* Iesus qui mutus erat ac surdus ad omnia conuicia, non est surdus ac mutus cum fiducia postulanti. Pulcherrimum affectandæ conuersationis exemplum, quod tam cito latroni venia relaxatur, & vberior est gratia, quam precatio. Semper enim plus Dominus tribuit, quã rogatur. Ille enim rogabat vt memor sui esset Dominus cum venisset in regnum suum: Dominus autem ait. Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Vita est enim esse cum Christo: quia vbi Christus, ibi regnum. Cito igitur ignoscit Dominus, quia cito ille conuertitur. Ecce hic iam impletum vides quod olim Ezechiel

Ambros.

A prædixerat capi. 45. dicens: Porta atrij interioris, quæ respicit ad oriẽtem erit clausa sex diebus. In quibus opus fit: die autem Sabbati aperietur, sed & in die calendarum aperietur. Per hanc portam intellige paradisi ianuam, quæ toto tempore legis veteris fuit clausa, & post Christi mortem aperta: ipse enim dixit latroni hodie mecum eris in paradiso. Hæc cœlorum porta aperta fuit Sabbato, hoc est, tempore gratiæ: & in Neomenia, in festo calendarum, quod erat in noui lunio.

Ezech. 45.

B Tempus gratiæ festum est, & noua luna, quando omnia innouata sunt: de quo tempore dixerat Dauid: Cantate Domino canticum nouum, cantate Domino omnis terra. Festiuitates enim legis antiquæ tempus gratię adumbrabant. Ideo ait Paulus: Nemo vos iudicet in cibo, aut potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ sunt vmbra futurorum. Hæc cœli porta nobis etiam dum in terris vitam degimus, clausa est: quod explicare volens Ezechiel ait: Erit clausa sex diebus, in quibus opus fit. Tempus vitæ nostræ, tempus laboris appellatur.

Psal. 95.

Ad Col. 2.

C Homo enim, vt dicitur in libro Iob, nascitur ad laborem: sed aperitur porta hæc, iustis in morte, quia ea æternam ingrediuntur beatitudinem. Hæc est porta illa, de qua ait rex Dauid: hæc est porta Domini, iusti intrabunt per eam. Et quoniam sempiterna requies appellatur Sabbatismus iuxta id, quod ait Paulus in epistola ad Hebræos: ideo ait Ezechiel eam Sabbato aperiri, & solennitate Neomeniæ, quando viri sancti e corporum vinculis euolantes nouam vitam ingrediuntur. Vbi æuo sempiterno in cœlesti patria oblectantur.

Iob 5.

Psal. 117.

Heb. 4.

D ¶ Hodie inquit mecum eris in paradiso. Ecce vides quam verè dicat Paulus in posteriori epistola ad Timoth. capite. 2. Si sustinebimus, & conregnabimus. Sustinebat iste crucis suę supplicium: sustinebat Christi supplicium: primũ ferebat in suo corpore patiẽdo: secundũ in corde suo cõpatiendo: & idcirco cum illo regnare meruit. Sapiẽtior sanè fuit latro iste D. Paulo dũ re ipsa asseruit, quod diuinus ille Paulus verbis. Petitioni ergo tã iustę ac sãctę assen-

2. Timo. 2.

Gen. 3.

tiens Dominus ait: hodie mecum eris in paradiso. Quibus verbis optimè Christus ad latronis mentem respondisse constat. Paradisus nam, quo est regnum Christi. Quem bonus hic latro ceuera suis verbis petebat. Volebat enim vt eum Christus traderet memoriæ: hoc est, vt in libro vitæ eum scriberet: in quo nomina beatorum omnia scripta sunt. Hodie igitur socius meus eris in paradiso. Quando enim particeps es tribulationis, æquum est vt particeps etiam sis regni. Quam fœlix est semper adiungi Iesu, qui nunquam nō seruat, si modo adsit euāgelica fiducia, & feruens charitas.

¶ *Hodie mecum eris in paradiso.* Lege quæ annotauimus in comment. super Apocalypsin cap. 6. in illa verba & cum aperuisset sigillum quintū vidi subtus altare animas interfectorum. Vbi ostendo hoc loco conuinci animas iustorum quæ omnino purgatæ sunt statim adire cœlum cōtra nonnullos hæreticos oppositum docentes.

¶ *Erat autem hora ferè sexta.* Marcus ait: Erat autem hora tertia & crucifixerūt eum. Lucas verò vt vides ait: Erat autem hora ferè sexta. Ioannes narrans quo tempore Pilatus tradidit Iesus Iudæis crucifigendum: Erat, inquit, parasceue hora quasi sexta. Soliti erant antiqui diem, qui vulgo dicitur artificialis, in quinque partes, quas horas vocabant, diuidere, in primam, tertiam, sextam, nonam, duodecimam siue vesperam. Prima semper incipiebat à solis ortu, duodecima seu vespera erat in solis occasu, sexta erat meridiana: tertia erat media inter primam & sextam, nona autem inter sextam & duodecimam, quando incipiebant vesperæ. Cum autem seruator noster fuerit crucifixus interuallo illo, quod est inter tertiam & sextam, rectè ait Marcus fuisse hora tertia crucifixum, & rectè Lucas & Ioannes, qui illud fuisse dicunt hora ferè sexta: interuallum enim solet ab extremis denominari. Ac non caret mysterio fuisse Dominum Iesum hora ferè sexta crucifixum: nam eadem hora primus noster parens incidit in crimen, quando funestas illas epulas comedit ad quas eum

Ioan. 19.

Dies artificialis in quinque partes diuidebatur ab antiquis.

Marc. 15.

Ioan. 19.

Gen. 3.

Eua inuitauerat, vt ex sancta scriptura colligi videtur: ita enim capite Genesis tertio: cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem absconderunt se: & paulo post fuerunt ex horto voluptatis eiecti. Meridie, hoc est, hora sexta peccauerunt, & post meridiem fuerunt ex horto amœnissimo expulsi. Qua hora Christus promisit latroni gloriam mentium beatarum. Eadem hora qua primus Adam arborem præuaricationis tetigerat, secundus Adam in arborem redemptionis ascendit: & qua hora Deus præuaricatorem è paradiso expulerat, eadem pœnitenti promisit se illum in paradisum secum ducturum. Non me fugit alias esse huius nodi solutiones circa horarum narrationem à viris doctis literis mandatas: sed ego inter multas eam semper eligere soleo, quæ mihi videtur Germanior, literæ congruentior & ad institutum scripturæ accommodatior: etiam si alias non contemnam, quas interpretes catholici monimentis prodiderunt. Lege quid de hac re disserat Augustinus Psalmi. 63. in illa verba exacuerunt vt gladium linguas suas. Et diuus Thomas tertia parte quæstione quadragesima sexta articulo nono ad secundum.

Gen. 3.

Augu.

D. Tho.

¶ *Et tenebræ factæ sunt in vniuersam terram.* Synedoche. Nam de tota Iudæa tantum intelligitur. Sed de hoc vide quæ annotauimus Matth. 27.

Matth. 27.

¶ *Et obscuratus est sol. Et velum templi scissum est medium.* Sol enim detestans tantam hominum impietatem, obduxit faciem suam eo morituro, qui lux erat totius mundi: terra concussa est, saxa dissilierunt, nulla naturæ parte non inhorrescente ad tam immane facinus. Quin & velum templi quod separabat sanctum sanctorum, à reliqua templi parte, nullo mouente, dissectum est in duas partes, palam declarans diuisionem illam Christi, qua corpus suum cœleste ab anima separatur: palam etiam declarans iam cessaturas Iudæorum vmbras ac ceremonias: postea quam peractum esset hoc sacrificium, quod vnum sufficiebat ad emundationem omnium seculorum.

Sed

Sed interim considera obsecro quo pacto omnes creaturæ mortem tam acerbam sui creatoris deplorant cum Virgine matre. Sol obscuratur, luna non dedit lumen suum, terra tremuit, aer obtenebratur, petræ præ dolore scinduntur. Atque si illis liceret, omnes in impios Iudæos vetterentur, vt pugnaret orbis terrarum pro creatore contra insensatos: nisi prior amator hominum Iesus, stetisset in confractione hac, vt cessaret quassatio. Nam illa Christi oratio pater ignosce illis, huc spectabat.

Sap 5.

Psal. 105.

¶ *Et clamans voce magna Iesus ait. Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens spirauit.* Non minimum miraculum fuit cum tam ingenti clamore Dominum animam suam efflauisse, vt omnibus palam esset illum non defecisse, quemadmodum alij solent paulatim exhausto corporis vigore, sed mox à valido clamore ac verbis articulate pronunciatis, veluti sponte deposuisse vitam. Ipse enim sæpe dixerat: ego pono animam meam, & iterum sumo eam: nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso. Non ergo crucis supplicium, non tortores occidere possent Christum ipso renuente. Posuit cum voluit animam suam: & rursum tertia die sumpsit illam. Restitit Christi virtus tormentis, protraxit dolorem, tandem volens in doloribus animam morti exponit: nolens eam amplius à patre ad quem properabat, remorari. Hæc sane fuit illa abscondita fortitudo. De qua olim miratus vates quidam dixerat: cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius, ante faciem eius ibit mors. Cornua crucis reuera in Christi Iesu manibus sunt detenta, non quidem quoad cruciatum, sed quoad effectum cruciatus. Detenta, inquam, per absconditam virtutem, & fortitudinem, qua Christus corporis sui virtutem corroborat. Est enim tenerrimus ligni vermiculus, qui secrete lignum corrodit, & eneruat: ita vt mortem detineat: quoniam ante faciem eius ibit reuera mors, propulsa, scilicet, ac retrocedens. Fortis enim in Christo Iesu fuit vt mors dilectio: imo fortior fuit morte dilectio.

Abac. 3.

Cant. 7.

A Dilectio, qua suam nostramque gloriam prosequebatur, tam fortis fuit vt tantum potuisset oppugnare, quantum mors expugnare. Quamuis hoc contigerit non sine magno labore, quia dura fuit vt infernus illa æmulatio, qua restitit iræ mortis quousque ei libens cedere vellet. Quare quãdo visum fuit ei animam efflare cum ingenti clamore, eam in manus patris cõmendauit dicens: Pater in manus tuas cõmendo spiritum meum.

B ¶ *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Hunc versum desumpsit dominus Iesus ex Psalmo trigessimo. Ad eius ergo intelligentiam notandum, quod (secundum communem loquendi consuetudinem) in manus commendare dicimus, duplici ratione. Primum quidem, committere in potestate, & in arbitrio constituere, vt is cui res commendatur agat in ea & de ea prout ei visum fuerit: quemadmodum in manibus habere, vulgato more dicimus, illud quod habemus in potestate. Idque ob hoc, quoniam quod in manibus tenemus, cum illo agimus pro

C libito. Dicimur etiam illud commendare in manus, quod alicui in custodiam & protectionem committimus: quemadmodum fideles omnes commendare debent suas animas in manus Dei: & subditus omnis in manus regis sui sese commẽdat. Iuxta hanc verò duplicem considerationem, versiculus hic & plenissimæ resignationis indicium exprimit & superni auxilij expectationem. Cum enim in manus potentioris rem aliquam committimus, partim quidem in illius potestate plena resignatione eam constituimus;

D partim verò illius auxilium expectamus & imploramus, velut agnoscentes propria virtute non sufficere nos ipsos ad tantæ rei custodiam. Quanquam autem expressè in his verbis solum fit de spiritu mẽtio, oportet tamen sub eo quod præstantissimum est, alia quoque inferiora comprẽhendi, corpus videlicet & omnia quæ ad corpus attinent. Quemadmodum enim spiritum patri commendauit Christus hodie moriens, ita commendauit & corpus: vt quemadmodum ille non teneretur in inferno, sic neque hoc in sepul

Psal. 30.
Exponitur locus.

chro: sed patris operatione, die tertia simul redirent, in corporis nouam compositionem. Idem dicendum si ad nos huius Psalmi intelligentia accommodetur. Ad perfectam enim iustitiam pertinet corpus, animam, spiritum, & omnino omnia quæcunque habuerit homo, in manus Dei commendare, atque illius potestate plena resignatione constituere, & eius fidei seruanda committere. Si enim, quod omnium maximum, eum (nempe spiritum nostrum) Deo commendamus, multo magis ea quæ sunt inferiora. Sed & illud aduertendum est quod secundum consuetudinem, libenter solent homines, si pretiosum aliquid habeant cui metuunt, talibus commendare custodibus, quos potentes satis & sapientes norunt, vt possint & sciant depositum custodire: & simul etiam bonos sibique benignos & amicos, vt commissum diligenter seruare velint, sollicitequecurare. Nemo enim sanæ mentis rem pretiosam quã diligit, tali commendat homini, qui vel non est potens seruare, vel non satis sapiens est aut prudens vt sciat, aut denique etiam si prudens sit & potens, non est tamen bono erga committentem animo, neque bene amicus, vt velit adhibere curam & operam, pro rei custodia. Cum enim tali homini res committitur, stultus est qui sic male commendat, quod seruatum cupit. Atque ita sané omnium hominum stultissimi sunt, qui suas animas commendant in manus hominum, seque & sua omnia filijs hominum (in quibus non est salus) committunt. Neque enim potentes sunt, neque sapientes, vt vel corporis aut etiam fortunæ bona cuiquam custodiant: quanto minus vt ea quæ spiritus? Deinde, etiam si potentes essent, aut vsque adeó prudentes, vt hoc possent ac scirent, quod certum est eos nec posse nec scire: constat tamen aut paucissimos, aut omnino nullos inueniri tam benigno affectu, tam amico animo, tam stabili cordis bonitate, quibus tuto possimus nostra quæ habemus pretiosissima committere. Cum videamus eos etiam quos natura arctissimo vinculo colligauit, inuicem sibi fraudem facere, nec satis tuto fidere: fratres videlicet fratribus, parentes filijs, quodque amplius est, etiam coniugibus coniuges. Recte proinde maledictum pronunciauit Propheta, hominem illum, qui carnem ponit brachium suum: hoc est, qui in manus hominis sua commendat. Contrà verò quisquis in manus Dei se suaque commendat, is demum sibi optime consulit. Neque enim frustrari poterit eiusmodi: cum sit Deus sua omnipotentia potentissimus seruare quæcunque illi commiserimus, etiam si pretiosissima & maxima omnino fuerint: quemadmodum de illo Paulus testatur, dicens: Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare. Est item sapientissimus, vt periculum nobis esse non debeat, ne per vllam fraudis circumuentionem perdere nos contingat quæ illi commisimus. Et denique perfecte, & stabilissime bonus, affectu in nos optimo, benignissimo, suauissimo, amicissimo, & veré paterno: vt metuendum nobis non sit, quin quicquid illi cõmendauerimus, sit ex animo diligentissime seruaturus: & nostra omnia quæcunque in eius manus obtulerimus, sit pro sui nominis gloria, & nostro sempiterno salutis commodo dispositurus. Recte ergo Christi exemplum imitantes, tam in vita quam in morte dicamus Deo salutari nostro, in manus tuas commendo spiritum meum.

Psal. 145. Hiere. 17. 2. Timo. 1.

¶ *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* ¶ *Et hæc dicens spirauit.* His verbis, quibus spiritum suum resignauit in manus patris, animam efflauit: simulque cum vita finem dedit Dominus ac Redemptor noster redemptionis nostræ operi: & obedientiæ patri debitæ: & tanquam verus obedientiæ filius inclinato capite tradidit spiritum. Respice ó pater cœlestis de cœlo sancto tuo, respice in faciem Christi tui: respice hostiam hanc sanctam & immaculatam, quam tibi offert summus Pontifex noster pro peccatis omnium populorum. Respice tu ó miser homo vitam tuam in cruce pro te pendentem: mortem mortuos suscitantem. Ecce cecidit corona capitis nostri væ nobis quia peccauimus. Respice ó Virgo

Virgo sanctissima in faciem filij tui. Cognosce obsecro an hæc tunica filij tui sit. Fera pessima deuorauit eum. Spirauit vita tua: obtenebratum est lumē oculorum tuorum: obscuratus est sol illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum: emarcuit flos campi ac lilium conuallium: quo te, ô sanctissima Virgo, quo te vertes, quo oculos tendes? En omnia plena malis: omnia plena doloribus. Si caput attollas, filium tuum vnigenitum pendentem in cruce tanquam latronem, animam efflantem videbis: si terram respicias, pretioso sanguine filij tui seminatam inuenies: si cœlos, eos sine claritate intueberis. Nihil placidum, nihil alacre, nihil non triste reperies. ¶ Cæterum vt ad nos ipsos sese conuertat oratio, teneamus obsecro spei nostræ confessionem (vt Paulus admonet) non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia. Vidimus enim eum, & non erat aspectus (vt Esaias ait) quoniam nos desiderauimus eum, non speciosum forma præ filijs hominum, sed despectum & nouissimum virorum, & scientem infirmitatem: & qui verè langores nostros & dolores super se tolleret & portaret: & vulneratus atteretetur propter scelera nostra. Quique obmutesceret sicut agnus coram tondente. Vere ergo tentatus est per omnia. Nam doluit, fleuit, flagellis est cæsus: colaphis percussus, sputis illitus, & contumelijs & conuicijs irrisus, lusus populo factus quādo genuflexo adorabant eum, & percutientes caput eius, dicebant: prophetiza: dedit percutienti se maxillam: & saturatus est opprobrijs: felle acetoque est potatus: denique vt tentatus esset per omnia, animam efflauit.

Heb. 4.
Esai. 53.
Thre 3.

¶ Ecce agnus qui, vt esset tentatus per omnia, passus est ab origine mundi. Vt diuus Ioannes testatur Apocalypsi capite decimotertio. Occisus est in Abel à fratre suo, hoc est, à populo suo. In Noe nudus pependit in tabernaculo suo, hoc est, in cruce sua. In Isaac baiulauit sibi crucem ad Caluariæ locum. Immolatusque est à patre, sicut Abraham immolauit agnum. In Ioseph nudatur, venditurque à proprio fratre. Cuius tunicam videns mater dixit: tunica filij mei est: quæ tamen tunica contexta per totum gentibus sorte obuenit integra & indiuisa. Ipse in virga Moysi ex virga fit serpens: & ex serpente virga. Idest, Deus fit homo, moritur & resurgit. Vnde & in serpente æneo suspenditur in ligno: cuius aspectus vitam præstat mundo. In eodem Moyse vultus eius in domo præsidis velatur. In Aaron vngitur in regem & sacerdotem: quando mulier pedes eius vnxit: & rursum alabastro fracto caput eius perfudit. Manus verò eius non vnguento sed sanguine consecratæ sunt. In eodem Aaron veste alba in domo Herodis, & purpura in domo Pilati induitur: in agno paschali immolatur: cuius sanguine inunguntur totius Ecclesiæ luminaria. In vacca rufa integræ ætatis offertur: in botro terræ promissæ à duobus populis ad crucis torcular ducitur. Ipse cœnat in Ioseph cum fratribus: pedes suorum lauat in Abraham, sacramentum instituit in Melchisedech. Montem Oliuarum nudis pedibus incedit cum Dauide: orat cum Iacob & cum Moyse in montem contra Amalech; capitur & ligatur in Samsone: accusatur quasi blasphemus in Naboth productus duobus testibus filijs Belial. Percutitur maxilla in Michæa: recluditur in carcere cum Hieremia: illuditur in Samsone: condēnatur ad mortem in Hieremia. Dimittitur latro & traditur agnus in duobus hircis: crucem eius aptat vidua colligēs duo ligna: plangitur in Iosia: Orat pro persecutoribus suis cum Moyse: sitim patitur in Dauide & Samsone: coronandū prædixit Spiritus sanctus in canticis: Aqua de latere manat in petra bis percussa: & in aquis quæ egrediebantur à templi latere dextro: Nam & sol obscuratur in tenebris AEgypti: negatur à populo dicente: Quæ pars nobis in Dauid: non habemus regem nisi Cæsarem: latus eius aperitur, in apertione fenestræ quam in arca fecerat Noe: tandem ponitur in sepulchro cum Iona. Passus ergo est agnus iste ab origine mundi: tentatus est per omnia: teneamus igitur nostræ spei confessionem: & cōuersi ad lachrymas percutiamus

Apo. 13. Figura. Gen. 4. Gen. 9. Gen. 22. Gen. 37. Exo. 4. Num. 21. Exo. 34. Luc. 7. Ioan. 12. in hoc. c. Exo. 12. Num. 19. Gen. 43. Gen. 18. Gen. 14. 2. Reg. 15. Exo. 17. Iudi. 15. 3. Reg. 21. 3. Reg. 22. Hiere. 26. Iudi. 16. Leui. 16. 3. Reg. 17. 2. Para. 35. Exo. 32. 2. Reg. 23. Iudi. 15. Canti. 3. Nume. 20. Ezech. 47. Exo. 10. 2. Reg. 20. Ioan. 19. Gen. 8. Iona. 2.

pectora nostra non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris tentatum vt vidimus per omnia.

¶*Spirauit.* An æquum fuerit Christũ dominum Deum & hominem mori docet & disserit Doctor sanctus. 3. p. q. 46.

¶Cæterum quod Iesum mortuum esse atque expirasse dicimus, id significamus, eius animam à corpore diuisam esse, neque tamen concedimus diuinitatem seiunctã à corpore, quin potius constanter credimus & confitemur, anima eius à corpore diuisa, diuinitatem tum corpori in sepulchro, tum animæ apud inferos coniunctã semper fuisse. Sed illud in Christo domino singulare fuit, quod tunc mortuus est, cum ipse mori decreuit, Esai. 53. & locum & tempus in quo moreretur, ipse sibi constituit, Ioan. 10. ¶Vtinam viri fideles hæc mysteria in animis nostris assidue versentur, & vna cum Domino pati, & mori, & sepiliri discamus, vt deinde abiecta omni sorde peccati, ad nouam vitam cum illo resurgentes, aliquando tandem ipsius gratia & misericordia, digni simus qui cœlestis regni & gloriæ participes efficiamur. In Christi passione hæc maxime sunt considerandâ primum quis ille sit, qui hæc omnia patitur: atque vt vno verbo complectamur, patitur Iesus Christus, Deus & homo: patitur creator pro his, quos ipse condidit: patitur Dominus pro seruis: patitur is, per quem angeli, homines, cœli, elemẽta facta sunt: ille, inquam, in quo, per quem, & ex quo sunt omnia.

Esai. 53. Ioan. 10.

¶Secundum, quanta fuerit passionis huius acerbitas. Quod sic æstimatur: ac primũ quidem, nulla fuit eius corporis pars, quæ grauissimas pœnas non senserit. Præterea omnium & generum & ordinũ homines conuenerunt in vnum aduersus dominum, & aduersus Christum eius. Psal. 2. Iam verò in cruce ipsa acerbitatem ne, an ignominiam, an vtrumque simul quæremus? Augebat vero pœnarum magnitudinem ipsa Christi Iesu corporis constitutio & habitus, quod quanto cæteris fuit perfectius & temperantius, eo acriorem sentiendi vim habuit. ¶Ob quam causam passus fuerit Christus, si quis quærat, hanc potissimam fuisse inueniet, præter hæreditariam labem primorum parentum, vitia & peccata, quæ homines à mundi origine, vsque ad hanc diem admiserunt, ac deinceps vsque ad consumationem seculi admissuri sunt. In quem finem hæc omnia pati voluerit, ex quo colliguntur passionis huius commoda. Primum igitur Domini passio, peccati liberatio fuit, deinde à dæmonis tyrãnide nos eripuit. Pœnam præterea peccatis nostris debitã persoluit. Tum verò quia nullum gratius & acceptius Deo sacrificium offerri potuit, patri nos rẽcõciliauit, eumque nobis placatum & propitium reddidit. Postremo, quoniam peccata sustulit, cœlorum etiã aditum, communi generis humani peccato interclusum, nobis patefecit. Verum præter hæc inmensa beneficia, illud etiam maximum cõsequuti sumus, vt in hac vna passione, omnium virtutum clarissima exempla habeamus, patientiæ, humilitatis, charitatis, mansuetudinis, obedientiæ, cõstantiæ, &c. Vt vere dicere possimus, Saluatorem nostrum, quæcunque vitæ præcepta toto prædicationis suæ tempore verbis nos docuit, ea omnia vno passionis die in se ipso expressisse.

Psal. 2.

¶*Videns autem Centurio.* Idest, decuriæ præfectus, quam habebat Pilatus hierosolymis.

¶*Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificauit Deum, dicens: vere, hic homo iustus erat, & omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur.* Animaduertit Centurio, qui in hoc stabat cruci, ne quis viuos tolleret ẽ ligno, quod sic clamans spirasset: & ab hoc tam magno miraculo quoque tulit innocentiæ testimonium Iesu. Glorificauit enim Deum, qui tantam virtutem in eo declarasset: & ait: Vere hic homo iustus erat: videlicet Iudæorum iniustitiam palam condemnans. Quisquis enim innocentem pronunciat qui condẽnatus est, is nocentem facit qui damnauit. Reliqua multitudo tota eorũ, qui ex more venerant ad supplicij spectaculũ (plures autem attraxerat Iesu vel studium, vel odium) visis his, reuertebantur, percutientes

tes pectora sua: partim prædolore quod homo tam innocens ac beneficus, tam indigna passus esset, partim metu vindictæ diuinæ, quam sibi male conscij ex ostentis conspectus suspicabantur imminere.

¶ Considera hic mecum obsecro optime Theophile quam efficax fuerit Christi Iesu tolerantia atque patientia: vt sis imitator Dei sicut filius charissimus. Hi, qui conuenerant ad tantum spectaculum, videntes eum aceto potari, nudum pendere, sitire, clamare, matris curam gerere, latroni parcere, videntes Doctorem iustitiæ spectaculum contumeliæ factum principibus sacerdotum: & filijs, quos ipse enutrierat, & exaltauerat: reuertebantur percutientes pectora sua. Meritò ergo hortatur Paulus omnes nos in epistola ad Ephe. cap. 5. dicens: Estote ergo imitatores Dei sicut filij charissimi: & ambulate in dilectione, sicut Christus dilexit nos: & tradidit semet ipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis. Depingite hoc spectaculum ante oculos mentis vestræ. Prodest enim maxime habere Christum quem respiciamus.

Ephes. 5.

¶ *Et ecce, vir nomine Ioseph qui erat decurio, vir bonus et iustus, hic non consenserat consilio et actibus eorum, etc. hic accessit ad Pilatum et petiit corpus Iesu et depositum inuoluit sindone, et posuit illum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat.* Multis igitur argumentis cognita certa Domini morte, ne quis causari posset, aut hominem verum non fuisse, aut non fuisse verè mortuum: ecce offertur, per quem officium sepulturæ Dominicæ peragatur, quam Iesus voluit esse mūdam & honorificam. Vita fuerat mitis & humilis, mors efficax, sepultura magnifica, resurrectio gloriosa. Cæterisque discipulis metu territis, solus Ioseph vna cum Nicodemo audet officium sepulturæ sibi sumere: siue quia à morte crescit in bonos viros studium, siue quia iudicabat inuidiam Iudæorum iam esse morte saturatam. Hic Ioseph est diues ille de quo olim Esaias prædixerat: dabit diuitem pro morte sua. Hoc est, dabit Deus pater filio suo Iosephum ab Arimathæa, hominem diuitem & honoratum, qui eū mortuum inuoluat in sindone munda, honorificéq; in sepulchro suo sepeliat. Huic expositioni fauet Pagnini versio ita habens: & dedit cū impijs sepulturam eius, & cum diuite inter mortuos suos. Accepit ergo corpus diues ac nobilis iste, ob nobilitatem notus præsidi, & de cruce depositum, deinde vnguentis oblitum, inuoluit sindone, nihil interim sperans de resurrectione, de qua Iesus paucis modo discipulis suis significarat: sed ita, vt tum meminissent magis, quam crederent. Quoniam autem Iesum existimabant virū bonum fuisse, præterque meritum occisum, memoriam illius volebant magnifica sepultura honorare. ¶ Hinc modo intelliges qua, inter alias, ratione commotus dominus præceperat in Deuterono. cap. 21. vt qui cruci affigerentur, sepelirentur, dicens: quādo peccauerit homo, quod morte plectēdum est, & adiudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno, sed in eadem die sepelietur, quia maledictus à Deo est, qui pendet in ligno, & nequaquam contaminabis terram tuam, quam dominus Deus tuus daturus est tibi in possessionem. Idcirco igitur hoc præceptum fuit à Domino, quia Christus dominus verus Deus cruci affigendus erat: & subiturus eā crucem & contumeliam. Ex quo quicumq; pendebant in cruce præseferebant imaginem eius contumeliæ qua Deus afficiendus erat. Et ideo præcepit vt statim recondetentur in terra. Vnde id quod dicitur: quia maledictus à Deo qui pendet in ligno, Aquila & Theodotio & nonnulli alij ita verterunt, quia maledictio Dei aut ignominia Dei est suspensus in ligno. Et certè Hebraica editio ad verbum sic habet: quia execratio aut opprobrium Dei suspēsus. Quin etiam vt refert D. Hierony. Hebræus quidam qui ipsum Hebraicas literas docuit, affirmabat: sic posse verti: quia contumeliosè Deus suspensus est. Idcirco igitur quia Deus contumeliosè suspendēdus erat in ligno, & quia eius contumeliæ imago stabat & apparebat in suspensis ligno statim præcipiebat illos de cruce tolli, & sepultura affici. Et certè mihi dubium non est quin in hoc præcepto respexerit do-

Esai. 53.

Deut. 21.

Aquila Theodo tio.

D. Hiero.

dominus ad futuram Christi mortem, & eius rationem præcipue habuerit. Nam nisi nominatim præceptum esset vt corpora crucifixorum sepulturæ mandarentur, sine dubio Iudæi in detestationem delicti blasphemiæ & idolatriæ eos insepultos iacere sinerent, aut etiam in igne absumerent: quæ res consuetudine apud Iudæos recepta seruaretur etiam in Christi corpore: id quod magno impedimento esset futuræ resurrectionis eius, eo quod illam redderet dubiam & incertam. Hæc de ratione huius præcepti. Quæ autem attinent ad explicationem huius testimonij docebimus Deo iuuante. c. 19. super Ioannem: in illa verba: Iudæi quoniam parasceue erat, &c. ¶ Obserua articulum esse fidei Christum sepultum fuisse. Hoc quidem veluti articuli pars non constituitur, quod nouam aliquam difficultatem habeat, præterea, quæ de morte dicta sunt. Nam si Christum mortuum credimus facile etiam nobis persuaderi potest, eum sepultum esse. Verum hoc additum est, articulis fidei, primum vt minus dubitare de morte liceat vt modo diximus, cum maximo argumento sit, aliquem mortuum esse si eius corpus sepultum probemus: deinde, vt resurrectionis miraculum magis declaretur atque eluceat. Neque vero hoc solum credimus, Christi corpus sepultum esse. Sed illud præcipue, Deum sepultum esse. Nam cum diuinitas nunquam diuisa fuerit à corpore, quod in sepulchro conditum est, recte confitemur Deum sepultū esse. Deinde hoc loco duo imprimis sunt obseruanda: alterum, Christi corpus in sepulchro nulla ex parte corruptum esse: de quo Propheta ita vaticinatus erat: nō dabis sanctum tuum videre corruptionem, Psal. 15. Alterum est, quod ad omnes huius articuli partes pertinet. Sepulturam, scilicet, passionem etiam, & mortem Christo Iesu, vt homini, non vt Deo conuenire. Nam pati, & mori, in humanam tantum naturam cadunt: quamuis Deo etiam hæc omnia tribuantur, quoniam de illa persona, quæ simul perfectus Deus, perfectus homo fuit, recte dici perspicuum est.

Psal 15.

¶ Quod si adhuc quæras quæ fuerit ratio sepeliendi Christi corpus: nō vna sed plures in promptu sunt. Tum quidem vt per sepulturam verè Christum interijsse probaretur: vt modo dicebam: nemo enim sepeliri solet: nisi prius de certa eius morte constet. Vnde Pilatus noluit donare corpus Christi sepeliēdum Ioseph donec certo cognouit, accersito Cēturione, qui cruci astiterat, quod iam mortuus esset. Tum etiam vt certa nobis daretur spes resurgēdi é sepulchris, videndo Dominum é monumento resurgētem secundū illud quod ipse apud Ioan. cap. 5. dixerat: Omnes qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei, & qui audierint viuent. Tum denique vt mors & sepultura Christi exemplar esset & spiritualis figura iustorum qui peccatis mortui, ab hominum consortio & conturbatione absconduntur. Hinc est quod Apostolus ait: mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Hinc etiam est vt baptizati, qui per Christi seruatoris passionem & mortem peccatis moriuntur, consepeliri Christo per immersionem dicantur: vnde D. Paul. ait in epistola ad Roma. cap. 6. consepulti sumus cum Christo, per baptismum in mortem: vt quomodo Christus surrexit á mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Ac si diceret: non modo in mortem Christi baptizati, sed per baptismum consepulti in mortem sumus ipsius, ad hoc videlicet vt mortem & sepulturam ipsius in nobis exprimamus, veterem nostrum hominem perimentes, & cū ipso in baptismo sepelientes, vt quomodo Christus surrexit á mortuis, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. ¶ Quod si deinde quæras rationem sepeliendi illorū sanctorum corpora, eam tibi reddet Augustinus. 1. de ciuita. Dei cap. 13. ¶ Tandem hoc loco obserua: non sine causa eum modum, quem narrat Lucas cæterique Euangelistæ, quo fuit sepultus, seruatum fuisse. Idcirco enim in aliena ponitur sepultura (vt annotauit Augustinus) quod pro aliorum salute moreretur: sepulchrum autem mortis est habitaculum. Interim etiam cōsidera seruatoris summā paupertatem pro nobis susceptam: qui sicut in vita non habuit domum propriam nec vbi caput suū reclinaret: ita nec in morte sepulchrum pro

Ioan. 5.

Collo. 3.

Roma. 6.

August.

3. p. q. 51. ar. 2. mar. 31.

proptium quo recondeteretur nec sindonē propriam qua inuolueretur. In nouo autem monumento collocatur, (autore Hierony.) ne post resurrectionem, cæteris corporibus remanentibus, surrexisse alius fingeretur. In monumento autem exciso in petra conditus est (eodem Hierony. autore) ne si ex multis lapidibus ædificatū fuisset, tumuli fundamentis suffossis ablatus furto diceretur. Vnde & saxum magnum quod appositum fuit, ostendit quod non absque auxilio plurimorum sepultura potuisset reserari. Si etiam sepultus in terra fuisset dicere poterant foderunt terram & furati sunt eum: vt Augustinus ait. Lege si libet de his Doctorem sanctū. 3.p.q.51.

Hiero. Idem.

¶ *Et dies erat parasceues.* Vox Græca parasceue, idest, præparatio. Hoc est dies in quo præparabant necessaria ad festum.

¶ *Et Sabbatum illucescebat.* Idest, iam aduentabat ingressurus ad occasum solis, ac si inciperet ad initium lucis, vt Græcis.

¶ *Et Sabbato quieuerunt secundum mandatum.* Propter mandatum aut propter preceptum, post solis enim occasum vsq; ad vesperam diei sequentis conquieuerunt iuxta legis præceptum & præscriptū, quod Sabbato nefas erat operari. Rursus à solis occasū perficiunt quod cœperūt in apparandis vngentis & aromatibus. Eodem tempore Dominus suum Sabbatum peragit, conquiescens in sepulchro, peracto iam opere salutis in die parasceues, vt intelligeremus per eundem esse restitutū genus humanum, per quem fuerat conditum. Mundi fabricam absoluit die sexto, septimo requieuit ab opere. Idem mundi redemptionem peragit die sexto, qui est parasceues, & in monumento requieuit ab opere iuxta corpus humanum, donec illucescerit dies octauus, quem Iudęi nesciunt, Christiani adorāt. Is est dies immortalitatis, quum iam non sese vicissim excipient requies & lassitudo, opus & ocium, sed erit lętitia sempiterna: neq; nox diem, dies noctem vicissim excipiet: sed perpetua lux lucebit piorum oculis.

¶ Finis capitis. XXIII.

A

CAPVT. XXIIII.

¶ Mulieres monumentum cum aromatibus visitantes, Christum audiunt ab angelis iam suscitatum, quod audiens Petrus ipse visitans nō inuenit: Iesus autem peregrinantibus in Emaus se sotiat & postea in medio vndecim palam comedit: & tandem in cœlum ascendit.

B

VNa autem Sabbati. Hebræ. hoc est prima die post Sabbatum. Ita in lib. Genesis Factū est vespere & mane dies vn9, hoc est primus. Et apud Marcum. Valde mane vna Sabbatorū veniunt ad monumentum. Vna Sabbati, phrasis est Dominicæ, siue vna Sabbati sumatur pro prima die hebdomadæ: vel primo die qui post festum sequebatur. ¶ Cæterum quod ab opere cessarunt mulieres, datum est Sabbati religioni. Verum simulatque licebat ad opus redire, statim ab occasu solis in opere pio, sed superuacaneo vigilabat mulierum sedulitas. Nam eo die qui primus est à Sabbato, hoc est, octauo à toto peracto Sabbato, admodum diluculo properant ad monumentum, deferentes secum quæ parauerāt aromata, nimirum vt hunc supremū honorem impenderent ei, quem viuum dilexerant, quum tamen non sperarent resurrecturum.

Gen. 1. Mar. 16. C D

¶ *Et ingressæ.* Ausæ sunt mulieres ingredi: nam pietas addiderat audaciam sexui.

¶ *Non inuenerunt corpus domini Iesu.* Ea res vehementer consternauit earum animos, quod repente amoto lapide spem bonam conceperant: rursus demirabantur, quomodo sepulchrum potuit esse vacuū, quod modo viderant clausum & obsignatum à Iudęis, ne quis clam suffurari posset corpus

corpus exanime, & vanum spargere rumorē eum reuixisse.

¶ *Et factum est, dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti.* Siue in vestibus fulgurantibus, id est, instar fulguris relucentibus. Hæc ipsa species angelorum resurrectionis triumphum præseferebat. Marcus ait apparuisse in veste candida. Et rursum Ioan. cap. 2. refert angelos apparuisse Mariæ Magdalenæ in albis vestibus sedētes. Hæ vestes candidæ & nitidæ puritatem & nitorem significare solent in sacra scriptura. Et ideo apparent angeli non solum in resurrectione sed in ascensione Domini, Actor. 1. splendidis ac candidis vestibus induti. Vt hinc intelligamus quod si resurgere volumus cum Christo: atque cum illo cœlos penetrare animi nitorem & puritatem debemus induere. Vnde Apocaly. capi. 3. Dominus ait: qui vicerit vestietur vestibus albis: & non delebo nomen eius de libro vitæ. Quæ promissio & in hac & in futura vita adimpletur. In illa namque cœlesti patria sancti cum Christo candore glorioso fulgebunt corporaliter. Quod significauere vestes Christi, quæ in transfiguratione factæ sunt albæ sicut nix. Vt Matthæ. narrat cap. 17. hinc est quod D. Paul. scribit in episto. ad Philip. cap. 3. qui reformabit corpus humilitatis nostræ cōfiguratum corpori claritatis suæ, Apoca. c. 19. refert Ioan. se vidisse in cœlo sequētes Dominum in equis albis vestitos byssino albo. Et capi. 4. ait: vigintiquatuor seniores amictos esse vestimentis albis. Albus color diuinitati semper tributus est: propter participationem lucis maiorem. Ita notabat Cicero de natura deorum. Vt ergo intelligamus in futura vita splendore & puritate omnes iustos qui hostes suos vicerint, esse induendos: apparent angeli splendida atque alba veste induti. Præterea etiam in hac vita pios & iustos, qui vitam veterem reliquerunt esse induendos noua vita ac gratiæ puritate & nitore docet hic angelorum amictus ex quo fit vt qui eiusmodi sunt candidati appellentur. Quod luce quadam nitente perfusi sint. Candidati etiam apud Romanos dicebantur, qui ad alicuius magistratus aut dignitatis petitionem aspirabant, à toga candida, quam per id tempus induebāt: siue ad denotādam integritatem, quod solus hic color syncerus ac purus & minime inquinatus est, siue vt perspici ab omnibus posset eos pecuniam non habere, qua ciues corrumperent. Tales & nos esse debemus si candidati esse volumus.

Mar 16. Ioan. 20. Acto. 1. Apo. 3. Matth. 17 Phil. 3. Apo 19. & 4.

¶ *Et tertia die resurgere.* Resurrexit Christus dominus tertia die. Prima igitur dies deputata fuit cruci, secunda verò sepulturæ, tertia autem resurrectioni. Vt vel hinc discamus quod prima dies designat vitam hanc mortalem quam degimus crucifigētes carnem & concupiscentiam eius: secūda significat animarum nostrarum requiē & quietem ante generalem resurrectionem: tertia verò dies typus est & imago illius status fœlicissimi quem habituri sunt iusti post vniuersalem resurrectionem corporum. ¶ Præterea, neque statim post mortem resurrexit, neque statim apparere voluit, vt etiam doceret nos quod non statim post peractam pœnitentiam, post peccata relicta in publicum prodire debemus, vel ad prædicandum Dei verbū, vel ad oues Domini regendas: sed prius vita est peragenda in occulto, sanctæque actiones exercendæ: & tandem in publicū prodeundum, iam facti in virtute perfecti.

¶ *Et regressæ à monumento nunciauerunt hæc omnia illis vndecim.* Prima mulier à serpente decepta virum pellexit ad culpam, piæ mulieres edoctæ ab angelis, viros inuitant ad credulitatem: itaque ne sexus ob trāsfusam in viros mortem perpetuò male audiret, vnde mortis occasio primum prodierat: inde proficiscitur & vitæ redditæ lætissimus nuncius.

¶ *Et visa sunt ante illos sicut deliramenta verba ista.* Ideo Dominus passus est Apostolos esse tardiores ad credendum vt pluribus argumentis confirmaretur resurrectionis Dominicæ fides. Itaque quod illæ narrabant de subito conspectis angelis, de repente sublato saxo, quod vix à multis viris amoueri poterat, visum Apostolis muliebre delirametum, quod is sexus ob mentis imbecillitatem imaginatione viciata credat se nonnunquā videre, quod non videt, & audire quod non audit.

¶ Iam

¶ Iam hic vides quam veré olim prædixerat regius vates Psal. 103. istorum infidelitatem & incrudelitatem, in spiritu loquēs de morte & de resurrectione seruatoris. Sol (inquit) cognouit occasū suū. Posuisti tenebras & facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ. Catuli leonum rugientes vt rapiant: & quærant à Deo escam sibi. Ortus est sol & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur. Sol ergo iustitiæ Christus Deus noster cognouit occasum suum, hoc est, probauit mortem & passionem suam & cum inclinato capite emisit spiritum, posuit in vniuersa terra tenebras: & facta est nox incredulitatis in Apostolis tanta vt existimarent esse maximum derilamentum quod ab his mulieribus narrabatur: quod minime mirandū erat: nam pertransierant omnes bestiæ syluæ, pertransierant omnes dæmones qui & veré bestiæ dicendi sunt huius mūdi: pertransierant hi leones rugientes & quærētes, Deo permittente, escam quam deuorarēt. At postquam ortus est sol iustitiæ & stetit post resurrectionem in medio discipulorum suorū & dixit eis pax vobis ego sum nolite timere, tunc leones hi fugerūt, tunc tenebræ incredulitatis discesserunt. Lege Augustinum & glos. ¶ Hinc intelligemus etiam quā necessaria fuerit Christi resurrectio ad fidem suorum confirmandam, nam in passione discipuli intelligere nō poterant quo pacto fieri poterat vt verus esset filius Dei. Et tot ludibrijs, tot opprobrijs & conuicijs affectus cruci affigeretur. Vidimus eum (inquiebant) & non erat ei species, neque decor, vide nec reputauimus eum. Hinc erat vt quæ à mulieribus illis dicebantur derilamenta & figmenta putarentur: sic olim amici Iob successi sunt ita aduersus illum minime credentes eum esse iustū sed ob scelera ac peccata sua à Deo qui iustus est, esse tam immaniter punitum, donec patientiam & tolerantiam eius experti finem Domini viderunt vt Iacobus ait: Sic ergo discipuli donec gloriā Domini, hoc est, resurrectionem Domini oculis viderunt ac manibus contrectauerunt fidem mulieribus nō adhibuerunt.

Psal. 103. | August. Ps. 103. & glo. | Esai. 53. | Orige lib. 3. in Iob. 70. co. 1. & 2. | Iacob. 5.

¶ *Et procumbens vidit linteamina sola posita.* Iacentia, idest, quæ sola iacebant, hoc idem (vt Richardus annotauit) in multis falsis religiosis contingit. Seruatur sub tunica vna & veste simili cor variū & omnino dissimile non cor vnū & anima vna, non Christus dominus: ita vt de religione antiqua vix signa sequentur: & venientibus ad sepulchrū Domini, quod claustrū est, & Christum quærentibus sola linteamina pateant, idest, habitus forma. De gradibus charitatis, cap. 4.

Richardus.

¶ *Et abiit secum mirans, quod factum fuerat.* Tam profunda ceperat Petrum obliuio eorum, quæ dixerat Iesus, vt nec sic quidem credidit reuixisse Dominum: sed abijt à monumento secum admirans, quid accidisset, dubitans num quis corpus sustulisset è monumento, variaque cogitās, à quibus, quoue cōsilio id factum fuisset, quod corpore sublato, videret relicta linteamina, veluti per ocium detracta corpori, quæ sine negocio non poterant auelli, eaque non temere disiecta, sed commode in suum reposita locum, semoto ab his sudario, quo tectum fuerat caput Iesu.

Feria secunda Paschæ.

ET ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Hierusalem nomine Emaus: et ipsi loquebātur adinuicem de his omnibus quæ acciderant. Et factū est: dum fabularentur & secum quærerent, et ipse Iesus appropinquās ibat cum illis, oculi autem eorum tenebantur ne eum agnoscerent. Et ait ad illos, qui sunt hi sermones quos cōfertis adinuicem,

am-

ambulantes, et estis tristes? Et respondens vnus cui nomen Cleophas dixit ei: Tu solus peregrinus es in Hierusalem, et non cognouisti quæ facta sunt in illa, in his diebus. Quibus ille dixit, quæ? Et dixerunt de Iesu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere et sermone corã Deo, & omni populo. Et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum, nos autem sperabamus quia ipse esset redẽpturus Israel: et nũc super hæc omnia, tertia dies est hodie quod hæc facta sunt. Sed et mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, et non inuento corpore eius, venerunt dicentes se etiam visionem angelorũ vidisse, qui dicũt eum viuere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum: et ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum verò non inuenerunt. Et ipse dixit ad eos, ô stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quæ lo- A *cuti sunt Prophetæ: nõne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens à Moyse et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnib⁹ scripturis, quæ de ipso erant, & appropinquauerunt castello quo* B *ibant: & ipse se finxit longi⁹ ire. Et coegerunt illum, dicẽtes, Mane nobiscum quoniã aduesperascit, & inclinata est iam dies. Et intrauit cum illis. Et factum est dum recũberet cum eis, accepit panem et benedixit ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt* C *oculi eorum, et cognouerunt eum: et ipse euanuit ex oculis eorum. Et dixerunt ad inuicem Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis scripturas? Et surgentes eadem hora regreßi sunt in Hie*D*rusalem, et inuenerunt congregatos vndecim, et eos qui cum illis erant dicẽtes, quòd surrexit Dominus verè, et apparuit Simoni. Et ipsi narrabant quæ gesta erãt in via, & quomodo cognouerunt eũ in fractione panis.*

Ibant in castellum. Idest, oppidum. Appellant enim Palestini oppida, castella, quia olim erant muris cincta.

¶ *Et factum est dum fabularentur, & secum quærerent.* Inter eundum hi duo discipuli varios miscent sermones, ita vt fit, præsertim vbi quid mœroris est in animo. Erant enim morte Domini vehementer perturbati, iamque propemodum animũ desponderant, ac spem abiecerant. Tota autem confabulatio erat de Iesu, deque rebus omnibus quæ viderant, quæque audierant: amauerant enim illum, vt virum insignem ac beneficum: & quamquã magnifica illa spes de restituendo regno Israelitico propemodum exciderat animo, tamen iuuabat etiam nũ defuncti memoriam mutua confabulatione refricare. Cõfusis enim illorum animis, veluti somnus quidam obrepserat, vt tanquam per somnum amarent, cuius obliuisci non poterant. Tandem illis multa inter ipsos de vita Iesu, doctrina, miraculis, meritis erga omnes commemorantibus, ecce lupus, quod dici solet, in fabula. Iesus enim qui promiserat sese futurum in medio, vbicũque duos comperisset de sese colloquentes, etiam iuxta corporis præsentiam tũc exhibuit, quod iuxta spiritum nunquam facere desinit.

¶ *Ipse Iesus appropinquans, ibat cũ illis.* Tãquam viator adiungit se viatoribus & tanquam peregrinus peregrinis. Talibus enim aparet Christus non autem his, qui vt ciues sese in hoc mundo gerunt. Vide Vgo. Cardi. in Gen. cap. 15. Cæterum merito Christus illis aderat, quando quidem ipse paulo ante dixerat: vbi duo vel tres cõgregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum. In nomine vero Christi conuenerant, qui corde & ore Christum personabant, Christum cogitabant, totoquẽ affectu de Christi passionibus inter se mutuo conferebant. Alter quidem mirabilem Domini mansuetudinem, patientiam, lenitatem, & silentium inter tot falsa crimina & conuitia referebat: alter verò crudelitatem hostium cõmemorabat, qui non contenti immanissimo crucis supplicio, tot flagellis, tot alapis, tot sputis, tot conuitijs, tot deniq; contumelijs acerbius morte ipsa passionis supplicium reddiderunt. Ipse igitur qui hunc illis animũ inspirabat, operi quoque suo aderat. Sicut enim Dominus aufert se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu: ita pijs & sanctis cogitationibus adest. ¶ *Et ibat cum illis.* Fœlix sodalicium quoties duo nihil aliud confabulantur, nihil aliud disquirunt, quam de Iesu. Fœlices, quibus se socium Iesus dignatur adiungere. Quemadmodum autem adesse gaudet de se confabulantibus dominus Iesus, ita satanas adesse gaudet his, qui miscent confabulationes bonorum morum corruptibiles, de libidine, de fraude, de vindicta, de superbia, de quæstu, de infamia proximi. Quod si Dominus se dignatur adiungere his, qui solum de illo confabulabantur sublata omni spe de restituendo regno, de resurrectione & immortalitate eius. Quanto magis sese adiunget his, qui viua fide, qui ex animo syncero, & corde puro de salute sua dies noctesque magna cum solicitudine curant. Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate. Prope est in auxilium & & comitatum & defensionem & ad omnimodis benefaciendum, omnibus qui ipsum vt verum Deum & dominum inuocant, absque simulatione in veritate, vt oportet de corde puro & conscientia nõ ficta, quicunque non labijs tantum sed ex cordis affectu serio illum inuocant.

¶ *Ibat cum illis.* Non ergo est quod desperent hi, qui maximo mœrore & tristitia afficiuntur, quod Deum amiserint: non est cur non fidant: nam statim aderit Dominus medelam salutem & solamen allaturus. Iuxta enim est Dominus his, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit. Prope, inquam, est Dominus per suæ misericordiæ præsentiam, ijs qui sunt aut propter pristina peccata, aut propter tribulationum & tentationum magnitudinem, animo anxio, ac velut cõfracto atq; contrito: quemadmodum permittit nonnunquam Deus etiam iustis contingere, ad suam exercitationem, & meritorum augmentum vt tentationum vel magnitudine, vel longanimis ac continua duratione, veluti in anxietatem animi veniant, cupien

Marginalia: Vgo. — Matth. 18. — Sap. 1. — Psal. 144. — Psal. 33.

cupientes omnimodis seruare iustitiam, & tamen propter tentationum vehementiā metuentes, ne forte eam contingat relinquere: atque his prope adest Dominus, bonam voluntatem aspiciens, quo eos sustētet. & nequaquam collabi in desperationem, aut confringi per tentationem, patietur. & eos qui sunt pauperes spiritu, & corde humili, humiliter Deo suas animas commendantes, ipse humilium Saluator faciet saluos ab omni malo, in regnū suū cœleste. ¶ *Ibat cum illis.* Boni pastoris est ouem errantem & a grege discedētem quærere & in ouile reducere: dicente Domino: quis ex vobis homo, qui habet centum oues, & si perdiderit vnam ex illis, nōne dimittit nonaginta nouem in deserto & vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat eam? Ecce Christus dominus boni pastoris munus agit. Aberrauerāt a fide vera oues istę, aberrauerant à vero non amplius expectantes Christum nos, inquiūt, sperabamus quia ipse esset redempturus Israel: sed mors certa & ignominiosa nobis hanc spem ademit: ecce bonus pastor solicitus currit ad illas, neque conquiescit, donec inueniat: & ponat eas gaudens humeris suis, & gregi iungat: en illas inuenit, eas docet, instruit, illuminat: & sic ad fidem resurrectionis trahit. Quando igitur nos errauimus precemur cum regio vate vt bonus pastor quærat nos, oues errātes. Erraui (inquit) sicut ouis quæ periit, quære seruum tuum. Discant hinc Ecclesiæ præsules oues suas errantes quærere, si enim illas charas habeant supremum pastorem Iesum imitabuntur. Suis monitis, sua doctrina, suis correptionibus eas ad gregem Domini reducent: sic pastor Paulus reduxit Galatas aberrantes à vero: ò insensati Galatæ quis vos fascinauit, vt non obediretis veritati. Sic Christus: ò stulti & tardi corde ad credendum. Deutero. c. 32. præcipit Dominus quod si quis viderit ouem proximi errantem, reducat eam. Si ergo alienam ouem ad ouile reducere tenemur ex charitate: quanto magis ouem nobis commissam ad gregem redducere erimus obnoxii? In lib. 3. Regum cap. 20. refert vates quidam sibi à milite quodam dictum fuisse: custodi virum istum, qui si lapsus fuerit erit anima tua, pro anima eius. Quo enigmate significare voluit regem Israel periturum quod dimiserit regem Ben-adad. Sic etiam peribit anima prælati dimittentis oues suas & eas aberrare permittentis, neque quærentis ad gregē que reducentis. Si bouem inimici errantem olim præcipiebat Dominus reduci: quanto æquius est, magisque rationi consentaneum vt bouem proprium errātem quærat, & inuentum reducat?

Munus boni pastoris

Supra. 15.

Psal. 118.

Galat. 3.

Deute. 22.

3. Reg. 20.

Exo. 23.

¶ *Ibat cum illis Oculi autem eorum tenebantur ne eum agnoscerent.* Primū obserua: hos discipulos nō agnouisse Christum exaltatum: quem ante viderant & cognouerant humiliatum: sic olim fratres Ioseph non cognouerunt eum in AEgypto triumphantem: quem antea vendiderant & contumeliis affecerant. Deinde aduerte hos discipulos antequam peccauerint Christum derelinquēdo, eum optimé cognouisse: post peccatum verò iam nō eum agnoscunt: vt hinc colligas quanta sapientia sit præditus homo iustus qui Deū linceis oculis intuetur: quanta verò ignorantia peccatores quorū oculi à satana detinentur ne Deum agnoscāt: hinc merito à Philosophis omnis peccans, ignorans dicitur. ¶ *Ibat cum illis. Oculi autem eorum tenebantur ne eum agnoscerent.* Quoniam flagrabant amore Iesu, & de promissis illius per humanam infirmitatem dubitabant: Dominus ob illorum amorem illis apparuit: ob illorum tamen dubiū tenuit vel permisit à satana teneri ad tempus illorum oculos, ne eum agnoscerent. Marcus ait: quod apparuit illis Dominus in alia effigie. Lege Augustinum epistola. 59. quęstione. 8 & 3 de consensu Euangelistarum cap. 25. ¶ Hic interim aduerte: multoties contingere iustos iuxta se habere Dominū, & peculiari Dei consilio & prouidentia eum non agnoscere: imo existimare longé ab illis abesse: hinc erat vox illa conquerentis ac patientis Iob: clamo ad te, & non exaudis me, sto & non respicis me, mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuę aduersaris mihi. Eleuasti me, & quasi super ventum ponens elisisti me valde. Existimabat vir pius Dominum procul abesse cum tamé prope esset patien

August.

Iusti habere solent iuxta se Dñm, & peculiari Dei consilio eū non agnoscere.

Iob. 30.

patientiam in ærumnis præbendo. Et tolerantiam in laboribus. Ita res cum iustis agitur vt magis exerceantur: atque vt indies in virtute & meritis proficiant. Adest enim ipsis ignorantibus Dominus patientiam aut in bono perseuerantiam conferendo. Cuius etiam causa Magdalenæ apparuit in horto, quanuis oculi eius tenerentur ne eum agnosceret.

§ *Oculi eorum tenebantur ne eum agnoscerent.* Tales sunt filij huius seculi quorũ oculi spirituales detinentur, ne Christi gloriam agnoscant: ne infidelitatem suam videant: ne vitam maleactam intueantur. Hi sunt de quibus regius vates ait: Nescierunt neque intellexerunt in tenebris ambulant. Et rursum vir insipiens non cognoscet & stultus non intelliget Hæc. At vero vt intelligant huius mundi vanitates, dolos, & fallacias, vt sciant fratrem decipere, diuitias male partas sibi parare: insidias & laqueos quibus proximi capiantur, collocare: oculos habent linceos. Hinc illa vox Christi: filij huius seculi prudentiores sunt, filijs lucis in generatione sua. Neque hoc sane mirum alicui esse debet, nam huius mundi diuitijs, voluptatibus, honoribusque maxime intentus, minus cœlestia & æterna intueri poterit: quemadmodũ enim impossibile est eodem oculo cœlum terramque simul respicere: sic nemo potest Deum diligere terrena immoderato ac nimio amore prosequendo. Precemur ergo Dominum ne animæ nostræ oculi illudantur: sed potius aperiantur vt Deum agnoscamus.

Filiorũ huius seculi oculi detinentur ne Christum agnoscant

Psal 81.

Psal. 91.

Supra. 16.

§ *Qui sunt hi sermones, quos confertis adinuicem, ambulantes & estis tristes?* Quasi dicat: solet & hoc lenire mærorem, si contingat, in cuius sinum quod dolet effundamꝰ: quare dicite obsecro de qua re, vel tu tristitiam significante, agitis inter vos.

§ Merito hi maximo mærore tenebantur, cum tenera amissent Dominũ: sunt enim peccatores tam obdurati vt non solum nõ tristentur, quod Deum amiserint: sed etiã lætentur cum malé fecerint: & exultent in rebus pessimis. Scito ergo & vide, quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum: & non esse timoré mei apud te ait Dominus huiusmodi hominibus. Qui hoc ita iudicauerit maxima tristitia afficietur.

Hiere. 2.

§ *Qui sunt hi sermones, quos confertis adinuicem, ambulantes et estis tristes?* Quid obsecro hoc est, ô rex gloriæ, ô solator mærentium? Quid nam est hoc? Adiungis te tuis, vt illos tuis suauissimis verbis consoleris, & ais: qui sunt hi sermones quos confertis adinuicem, ambulantes & estis tristes? Nihil enim magis vulnera renouat pristina, nihil magis doloré auget, quàm interrogatio huiusmodi: quid tristis es? Quid nõ es alacris? Acerba sané recordatio animi dolorem renouare solet. Qua de causa dicebat pius Dauid: fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi, vbi est Deus tuus? Si ergo hoc verũ est, vt veré est, quur interrogas qui nam sint sermones, quos inter eundũ discipuli tui conferunt: & cur tristes & mærore pleni sunt? Nec solũ cũ his tuis discipulis, sed cum pia & chara tibi Magdalena hac eadem loquendi phrasi vteris, dicens: mulier quid ploras? Huius sané, quãtũ mea fert opinio, interrogationis causa fuit & discipulorum, & Magdalenæ ardés amor. Quoniam igitur sic flagrabant amore Iesu omnes isti, vt de suo obitu, atque absentia & amaré flerent, & tristitia ac mærore conficerentur: ideo Dominus amorem, qui sibi maximé placet, respiciens de lachrymis & mærore ab amore fluentibus non curauit: nihil enim Deo gratius nihil delectabilius amore. Si fides, si spes, si virtus aliqua Deo placet: amor est in causa. Si linguis hominum & angelorum quis loquatur: si fidem habeat ita vt montes transferat, charitatem autem & Dei amorem non habeat, nihil apud Deum erit: vt diuinus ille Apostolus autor est. Vbi Deus videt charitatem & amorem vigere nihil de mærore & tristitia & vulneribus renouandis cũrat. Nam charitas omnia suffert. Vnde diuus Augustinus de illa loquens ait: Charitas in aduersis omnibus toleratur: in duris passionibus fortis est: inter falsos fratres patientissima. In Abel per sacrificium læta, in Noe per diluuium secura, in Abrahæ peregrinatione fidelissima: in Moyse inter iniurias lenissima, in Dauid tribulationibꝰ mitissima: in tribus pueris blãdos igne

Psal. 41.

Nihil Deo gratius amore erga illum.

1. Cor. 13.

August. Virtus charitatis describitur.

ignes innocenter expectat: in Machabæis sæuos ignes fortiter tolerat: casta in Susanna supra virū: in Anna post virū: in Maria præter virū. Quid dicam de charitate? Si linguis hominū loquar, & angelorū, charitatē autē non habeam, nihil sum. Ipsa enim est anima literarū, prophetiæ virtus, sacramentorū salus, scientiæ stabilimētū: fidei fructus, diuitiæ pauperū, vita mortaliū. Hæc Augus. Quod si tantæ virtutis est charitas nihil mirum quod lachrymas suffertat, dolorem & mærorē æquo animo ferat. ¶ *Qui sunt hi sermones quos confertis adinuicem?* Interrogare solet Dñs, non quod quicquā illū lateat sed vt ex nostra confessione vel nobis parcat: vel in fidem cōfirmet vel gloriā suā ostendat. Interrogauit in paradiso: Adā vbi es? Vt ipso crimen suū agnoscente & cōfitente illi & parceret & mederetur: interrogauit Cain, vbi est Abel frater tuus vt pudore & dolore perfusus misericordiā postularet: interrogauit hos discipulos vt ad nostræ fidei cōfirmationē mederetur illorū incredulitati: interrogauit Philippum, vnde ememus panes vt manducent hi? Vt occasionē sumeret edēdi miraculū: ex quo elucesceret gloria dei, & paterna prouidētia erga suos ¶ *Ambulantes & estis tristes?* Si hæc vera sunt, vt re vera sunt, quid est quod idē Dñs apud regiū Prophetā dicat: Sustinui qui simul cōtristaretur & nō fuit: cōsolantē me quæsiui & nō inueni? Nūquid discipuli eius nō sunt cōtristati: quādo ductus est ad passionē: quando ligno suspensus, quādo mortuus? Ecce hi discipuli tristes erāt: ecce Maria Magdalena quæ primo eū vidit gaudens lugentibus nunciauit quid viderit: vt Marcus narrat: ecce mulieres flētes amarē quando ad patibulū ducebatur: ad quas cōuersus Dñs ait: filiæ Hierusalē nolite flere super me: sed super vosipsas flete. Quomodo ergo sustinuit qui simul cōtristaretur & non fuit? Ad hoc Augusti. in hūc Psal. locū ait: Cōtristabātur isti & cæteri quos cōmemorauimus, carnaliter de vita mortali, quæ mutāda fuerat morte & reparāda resurrectione. Hinc erat illa tristitia. De illis .n. esse debuit tristitia, quia cæci medicū occiderūt: qui tanquā perniciose febriētes phrenetici: faciebāt iniuriā ei, à quo fuerat salus allata. Ille volebat eū rate illi sæuite. Hinc tristitia medico. Quære vtrū inuenerit huius tristitiæ comitē. Nō. n. ait: sustinui: qui cōtristaretur & nō fuit: sed qui simul cōtristaretur. i. ex ea re qua ego cōtristabar, & nō inueni. Petrus certe inde plurimū amauit, & in fluctꝰ calcandos se sine dubitatione proiecit: & ad vocē Dñi liberatus est: & eū ductū ad passionē, amoris audacia cōsecutus, tamē turbatus ter negauit. Vnde, nisi quia malū illi videbatur mori? Id. n. deuitabat quod malum putabat. Hoc ergo & in Dño dolebat: quod ipse deuitabat. Propterea & ante dixit: Absit à te Dñe: quādo metuit audire, satanas: postea quā audiuit: beatus es Simō Bariona. Ergo in tristitia quam habebat Dñs de illis pro quibus orauit: pater ignosce illis quia nesciunt quid faciūt, nullū comitē inuenit ¶ *Et respōdens vnus cui nomen Cleophas dixit ei.* Quis fuerit Cleophæ comes nō est omnino certū. Multi putāt fuisse Lucā. Eo quod moris sit scripturę (vt Grego. in præfatio. Mor. c. 2. ait) vt ipsi qui scribūt, sic de se in illa quasi de alijs loquantur. Hāc opinionē habet Gregor. loco citato, & Simō Metaphrastes in vita Lucæ. Et Nicepho. lib. 1. c. 34. & Theophi. Lucæ. 24. Alij putāt nunquā Lucā vidisse Christū in carne: neque fuisse ex. 70. discipulis. Inter quos est D. Hiero. in lib. de viris illustribꝰ. Cui sētētiæ Beda in lib. 1. in Lucā. c. 1. suffragatur. Epiphaniꝰ lib. 1. tomo. 2. hære. 23. ex ordine aut sociū Cleophæ fuisse Nathanaelē. Orige. to. 1. in Ioā. circa pricipiū dicit fuisse Simeonem. Ambro. Lu. 24. dicit fuisse Ammeonem sic vocatū. Et lib. 7. de vigilātia eū Amaꝰ vocat. ¶ Vt ergo ad Cleopham redeamus: cū habeat hoc humanꝰ affectus, vt quod cuiqꝫ valde cordi sit, putet nemini ignotū esse, & nemini nō esse curę. Ex hoc affectu respondit.

¶ *Tu solus peregrinus es in Hierusalem, & non cognouisti quæ facta sunt in illa his diebus?* Hebræ. pro tu ne solus peregrino homini similis fuisti hierosolymæ his diebus, vt non curaueris res ciuitatis in qua versabaris? Vel, te ne solum latuit quod per hos dies hierosolymis gestum est, te illic agente? Aut, tu solus hospes es hieroso-

Marginalia: quare Dñs interroget — Gen. 3. — Gen. 4. — Ioan. 6. — Psal. 68. — Mar. 16. — Supra 23. — Cleophæ Comes quis fuerit dubitatur. — Grego. — Simon — Niceph. — Theophi. — Hiero. — Beda. — Epipha. — Orige. — Ambro.

rosolymis ignorans ea, quæ nemo nescit, quantumuis aduena? Externi non solent inquirere ea, quæ gerũtur in vrbe, in qua ad paucos tantum dies habitant: tamẽ ea tam nota sunt, vt etiam si non inquisieris, notissima tibi esse debent.

A

¶ *Tu solus peregrinus es in Hierusalem.* His discipulis videbatur peregrinus: Magdalenæ videbatur hortulanus: tribus discipulis piscantibus videbatur piscator aut piscium mercator. Qualis vnusquisq; est, talem existimat esse Deum. Hinc viri nobiles existimant Deum esse nobilissimum ex quo colligunt sibi licere leges vanas & perniciosas hominum nobilium omnino seruare sine damnationis suæ periculo. Hinc diuites putant Deum esse ditissimũ: ex quo inferũt se posse diuitias per fas nefasque parare, trahere contendit humanus affectus Deum, ad id quod cuique magis cordi est. Quæ maxima quidem impietas & iniquitas est. ¶ *Tu solus peregrinus es in Hierusalem.* His, vt modo dicebam, peregrinus videbatur, Magdalenæ verò hortulanus. Et meritò quidem nam dominus Iesus verè hortulanus erat, verèque peregrinus. Hortulanus quidem animæ nostræ hortum expurgans à vitiorum tribulis & spinis: hortulanus animam nostram tanquam hortum colens, virtutibus plantãs: aquaroreq; cœlesti irrigans; floribus gratiarum in ea seminatis virtute sua incrementum præbens. Hortulanus denique animam custodiens à dæmonis, mundi & carnis insultibus. Hic est hortus ille quem diuinus noster Agricola sua manu plantauit, & excoluit: hic hortus ille, de quo sponsa loquebatur in Canticis dicens: Descendit dilectus meus in hortũ suum: ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat. Et ad quem paulo ante sponsam inuitabat his verbis: Descendat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum. ¶ Iure etiam optimo ab his discipulis modo peregrinus appellatur. Fuit enim in hac vita ab exordio natiuitatis suæ triginta tribus annis peregrinus, & viator. Fuit post eius obitũ anima eius verè peregrina 3. diebus descẽdens ad inferos: fuit post eius gloriosam resurrectionem verè peregrinus quadraginta diebus quibus in hac vita cũ suis conuersatus est. Quod 33. annis peregrinatus in hoc misero mundo fuerit, docere voluit D. Ioã. c. 1. in illis verbis: Verbum caro factũ est: & habitauit in nobis. Vbi verbum habitauit ἐσκήνωσεν à tabernaculis dictũ est. Quare sic rectè verti potest: & habitauit in tabernaculis inter nos. Vt intelligamus fuisse in hac vita peregrinũ: quemadmodum parentes eius Abraham, Isaac & Iacob qui in tabernaculis habitarunt: intelligentes se non habere hic ciuitatẽ permanentẽ sed futurã inquirentes. Peregrinus ergo erat Dñs & viator, nõ habens in hac vita vbi caput suũ reclinaret: vnde nõ est idoneus sectator Christi, qui quicquã habet in hoc mundo, quo se etiam moderate oblectet, aut in quo tanquam in fine quiescat. Viator vt sit oportet qui Christi viatoris discipulus & comes esse volet. Reprobus Cain fuit primus qui ciuitatẽ in hoc mũdo ædificauit: at innocens Abel in tabernaculis habitabat. Et rectè quidem Adã primũ sibi natum filiũ vocauit Cain, hoc est, possessionẽ, secundo verò loco natũ vocauit Abel, hoc est, vanitatẽ: vt intelligeremus omnia mundi bona quæ ab hominibus possidentur vana esse & caduca, quare merito contẽnenda: si peregrinus Christus sequẽdus est: qui, vt autor est noster Euangelista, diebus docebat in tẽplo, noctibus autem exiẽs morabatur tãquam peregrinus in monte. Quare (inquit Hieremias) quasi colonus futurus es, & quasi viator declinans ad manendũ. Quæ verba de Christo peregrino explicant sancti. Vigilo: Hunc ergo viatorẽ sequamur, & ipse deducet nos per vias rectas & ostendet nobis regnum Dei. Sed de hoc audi quæ sequuntur. ¶ *Tu solus peregrinus es in Hierusalem.* Hac figura est visus Christus dñs vt doceret nos esse exules & peregrinos in terra. Cuius rei etiam figuram habemus in Hebræis, qui exules & peregrini fuerũt septuaginta annis in Babylonia: quibus elapsis ad dulcẽ patriam redierunt. Patria nostra cœlum est, a qua exules sumus, mũdus Babylonia, vbi peregrinamur. Hoc intelligens Iacob interroganti Pharaoni quot annos natus esset, respondit: dies peregrinationis vitæ meæ centum & tri-

Margin notes: qualis vnusquisq; est talis existimat esse Deum. — Christus vocatur nunc hortulanus nunc peregrinus, & quare. — Canti. 6. a — Canti. 4. d — Ioan. 1. — Obserua — Gen. 4. c — Gen. 4. a — Hiere. 14 — Docemur exemplo Christi nos esse peregrinos super terram.

ginta annorum sunt, parui & mali: & non peruenerũt ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt. Et diuinus Psaltes: cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in loco peregrinationis meæ: & alibi: aduena sum ego apud te & peregrinus, sicut omnes patres mei. Alludit ad Abraham, & alios patres, de quibus ita ait Apostolus Paulus in epistola ad Hebræos: Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes & salutantes & confitentes, quia peregrini sunt & hospites super terram. Et in epistola ad Corinthios posteriore capite quinto: Dum sumus, inquiunt, in corpore, peregrinamur à Domino. Et Apostolorum princeps in sua prima canonica: Obsecro, inquit, vos tanquam aduenas & peregrinos. Eam ob causam apparuit Dominus Iesus in specie peregrini discipulis euntibus in castellum Emmaus. Vt nos peregrinationis nostræ admoneret: cui discipuli dixerunt: Tu solus peregrinus es in Hierusalem, & non cognouisti, quæ facta sunt in illa his diebus? In terra vt exules & peregrini ætatem agimus tanquam in diuersorio, non tanquam in domicilio, propediem ad mortem discessuri. Nec caret mysterio, exilium illud Babylonicũ annos durasse septuaginta, si quidem eo annorum numero vita humana significatur, iuxta id quod ait Psalmographus: Dies annorum nostrorum, in ipsis septuaginta anni. Si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor. Vel vt verti etiam potest ex Hebræo: & præcipuum eorum, &c. Ac si dicat: durat communiter vita humana annos septuaginta, & ad summum octoginta in viris robustis: ac præcipuum totius huius ætatis plenum est molestijs, calamitatibus, & doloribus. In hac vita nobis suadere nituntur hostes animæ vt mundi voluptatibus dediti securè canamus, & cœlestis hierosolymæ obliti pestilentibus delitijs oblectemur, at nos debemus illis cum exulibus Israeliticis respondere: Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Imò super flumina Babylonis illic sedentes in lamentis versemur, & habentes in memoria æternam Sionem vim lachrymarum profundamus. Beati enim qui lugent quoniam ipsi consolabuntur. Quemadmodum duo hi discipuli mærentes consolati sunt.

Psal. 118. — Psal. 38. — Heb. 11. — 2. Cor. 5. — 1. Pet. 2. — Psal. 89. — Psal. 136. — Matth. 5.

¶ *Tu solus peregrinus es in Hierusalem, & non cognouisti quæ facta sunt.* Væ nobis ò viri fideles: nam vnicuique nostrum dicitur: Tu solus peregrinus in Hierusalem & hæc ignoras? Nemo nostrum est, qui Christum, in lauacro regenerationis non induerit: dicente Paulo Apostolo in epistola ad Gala. cap. 3. Quotquot autem baptizati estis Christum induistis. Et vix aliquis inuenitur qui sciat Christum crucifixum, hoc est, raro reperies hominem fidelem, qui experimento sciat Christi profundam humilitatem, patientiam, tolerantiam, obedientiam & charitatem. Non erat his similis ille, qui dicebat: non enim iudicaui me aliquid scire inter vos nisi Christum & hunc crucifixum: quid obsecro post peractam hanc nostram peregrinationem, & temporalẽ habitationem, ad ciuitatem aliam nobis propositam peruenientes, respondemus Domino interroganti de morte filij sui? Nullus est hospes, nullus viator, qui ignoret, quę in ciuitate quam intrat, acta sint, quę nullus hominum ignorat: nullus peregrinus, qui non quærat, & inquirat quæ geruntur in via & in vrbe per quam pertransit: vt suis ciuibus quum ad propriam ciuitatem peruenerit, ea narrare possit. Quid ergo tu miser homo, de vita atque morte Christi, itinere tuo peracto, ciuibus cœlestis patriæ referre poteris? Tu peregrinus cum sis in hac terrena Hierusalem, non cognouisti Christum crucifixum? Pudeat nos Christum ignorare: pudeat non vitam & mortem eius imitari. Nam illum nõ scientes audient quum ad ianuam cœlestis ciuitatis pulsauerint, Amen dico vobis, nescio vos.

Gala. 3. — 1. Cor. 2.

¶ *De Iesu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere & sermone coràm Deo & omni populo.* Quã potens Christus fuerit & factis & dictis docuit multo ante Dauid Ps. 44. à versu. 3. vsque ad septimũ his verbis: Diffusa est gratia in labijs tuis propterea benedixit te Deus in æternũ. Ecce Christi virtus in sermone. Solem, eos qui splen

Potentia Christi in opere & sermone ostẽditur.

splendide nouerunt causas perorare, dicere: magnam in lingua habere gratiam. Ad quem modum hic dicitur, diffusam esse gratiam in labijs Christi. Quomodo enim tantam causam ad quam expediendam missus fuit a patre, potuisset peragere, desarcienda videlicet inter Deum & hominē concordia: nisi magnam vim haberet dicendi? Aduocatus enim qui facundiam, magnamq; vim dicendi non habet, non est aptus sua aduocatione grauibus rebus tractandis: potissimum antiquis odijs & obstinatis inimicicijs terminádis. Quare Christus dñs constitutus mediator Dei & hominum, & apud iratum Deum aduocatus pro peccatis generis humani, necesse habuit, primum quidem patris sui aduersus nostram placare, & illius animū ad se flectere, ita vt consensum præberet in pactū, quod ipse cū altera parte, hoc est, cū genere humano erat initurus. Atq; hoc quam fuerit difficile tunc intelligimus, quū Dei iram, quàm iusta, quàm magna, quam generalis, quàm diuturna fuerit, attētius cōsideramus. Ex altera autem parte, quasi cū immanib9 bestijs illi erat negotiū, eratq; ei hoc in efferatis hominibus laborādum, vt eorum animos obstinatos sua persuasione ad pœnitentiam adduceret: vt alienatos à Deo, diaboloq; ac mūdo seruientes, ad Deū conuerteret. Et hæc, quàm difficilia sint facile cognoscimus, si humanæ naturę inditam illam originis peruersitatē, & ad omne malū procliuitatem, cōtra verò ad bonum tarditatem attēdimus. Hæc itaq; duo quāquā difficilima & maxima, ita tamen videmus per Christū esse adimpleta, vt nullam vltra habebat inimicitiā patris maiestas aduersus genus nostrū: homines verò nō paucos videamus toto conatu fructus agere dignos pœnitentiæ. Quis non dicat hūc aduocatum & mediatorem maximam linguæ habuisse gratiā? Quis non dicat eum fuisse potentē in sermone? Meritò ergo aiunt hi duo discipuli: de Iesu Nazaræno qui fuit Propheta potens in sermone. Merito Dauid: diffusa est gratia in labijs tuis. ¶ Quā verò potens fuerit in opere prædixit statim Propheta dicēs: Accingere gladio tuo super femur tuū potentissime. Nō enim solū erat Christo negotiū cum patre & humano genere pro sua sponte: sed insuper & cū principe tenebrarū illi res erat: non alia via quam ferro (hoc est vi gladij & virtute dexteræ) peragenda. Neq; enim cum tyranno diabolo suasionibus agendum erat, sed factis, sed gladij virtute erat ille regno (quod sibi per fraudem vsurpauerat) pellendus: & in brachio valido, erat spōsa sub tyranni vinculo alligata, liberanda. Cuius gratia, consequenter subiungitur: deducet te mirabiliter dextera tua. i. triūphabis in virtute diuinitatis tuę. Lege reliquos Psalmi versus & intelliges quam potens Christ9 fuerit factis & verbis: intēde (inquit) prospere procede, & regna. Propter veritatē, & mansuetudinem & iustitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua. Sagittæ tuę acutæ (populi sub te cadent) in corda inimicorum regis. i. infigentur.

1 Timo. 2. *1. Ioan. 2.* *Lege Tertulianum*

¶ *Quibus ille dixit, quæ?* Quasi discere cupiens, quum doctus venisset, respondit. Quæ nam sunt illa? Sæpè Dñs ignorātiam rerum aliquarum simulat vt nos nostro responsionis gladio iugulet: & tādem reprehendens tarditatem & incredulitatem nostrā instruat & doceat. Aliàs enim non esset, quare se sua, nostraq; ignorare fingeret: cum eius opera non digna sint vt obliuioni mandentur: eius sanè labores, capturam, ignominiam, flagella, conuicia, spineam coronam, clauos, crucem denique nemo est qui ignoret: quanuis pauci, vt modo dicebamus qui hæc tam egregia opera imitētur: & pauciores qui in earum imitatione perseuerent. Quemadmodum enim vna columba percussa à sagittario omnes cōmouentur, excitātur, & auolant: statim verò oblitæ ad pristinū locum redeūt: sic nos passio & mors Christi excitat, perturbat & ad tristitiam & mærorem trahit: at verò statim vel hedomada sancta translata nostri mortisque eius immemores ad pristina crimina redimus: & in pristino luto versamur.

Christus res ignorare aliquas do simulabat, & quære. *Simile.*

¶ *Et dixerunt. De Iesu Nazarano, qui fuit vir propheta, potens in opere, et sermone, coram Deo et omni populo.* Discipuli simpliciter velut hospiti, & rerum gestarum ignaro, summam negocij exponunt: ingenue profitētes, quam nihil adhuc sen

 tirent

ticent de Iesu; dignum ipsius dignitate, quamq; de resurrectione spem pené omnem abiecissent. Cæterum his verbis depingunt optimi concionatoris scopũ. Primũ debet optimus concionator ante oculos habere Deum, quàm populum: primũ curare debet Deo sibi charissimo placere quàm hominibus. Idcirco diuinus ille cõcionator Paulus dicebat: si adhuc hominibus placerẽ Christi seruus nõ essem. Quo loco aduerti debet, dupliciter cõtingere vt concionator studeat placere hominibus: vno modo eo solo fine vt eorũ gratiá & fauorem captet: & hoc vitiosum est. Altero modo propter Deũ: quod fit, remouendo á nobis quantũ in nobis est omnes causas & occasiones tam in vita quàm in doctrina offensionis: & hoc magis est placere Deo, quã hominibus. Et sic ille locus Pauli non pugnat cũ alio loco eiusdẽ. 1. Cori. 10. dicẽtis: Sicut ego omnibus per omnia placeo. Vnde addit: non quærẽs quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant. Vnde ideo Corinthos admonens prædixerat: Estote sine offensione, Iudæis & gentibus, & Ecclesiæ Dei. Nõ sic olim pontifex Aaron qui vt populo placeret, vno cõtẽpto vero Deo, idolum erexit. Non sic impius rex Herodes, qui videns quia placeret Iudæis apposuit vt apprehenderet & Petrum. Nõ sic Pilatus, qui vt populo placeret dimisit Barrabã & tradidit Iesum voluntati eorum. At verus Christi Propheta verusq; euangelicæ doctrinæ concionator Deo imprimis placere debet, eiusque voluntatẽ in omnibus suis actionibus & concionibus facere exemplo Michææ. 2. Reg. 22. & exẽplo Danielis: qui regi Babylonis sparso cinere in pauimentũ templi ostendit aperte Bel non esse Deũ. Exẽplo deniq; Christi qui fuit potẽs opere & sermone primũ coram Deo deinde corã omni populo. Primũ, inquam, erat potens dictis & factis apud Deum, cui erat charissimus, deinde apud vniuersum populum apud quem sibi miraculis doctrinaque, ac beneficijs suis summam comparauerat autoritatem. Ille quidem per omnem vitam nihil aliud quam seruatorem, quam cõsulatorẽ, quam beneficũ egit. Siue versabatur in templo, siue in synagogis, siue in publico faciebat iter, siue in priuato versabatur domi, siue nauigabat, siue in desertis agebat: docebat multitudinem, sanabat ægrotos, mũdabat leprosos, restituebat paralyticos, mãcos & cæcos, profligabat dæmones noxios, excitabat mortuos, liberabat periclitantes, saturabat famelicos, refellebat pharisæos, patrocinabatur discipulis, & vngenti prodigæ peccatrici: consolabatur Chananæam peccatricẽ, & adulteram deprehensam. Repete totam vitam Iesu, nulli mortalium quicquam immisit mali, quum ipse tot malis afficeretur, & in promptu esset vlcisci si libuisset. Vbiq; seruatorem agebat, vbique beneficum. Malcho restituit auriculam, quam Petrus amputarat. Ne tãtulo quidem damno voluit vindicari incolumitatem suam. Herodem ac Pilatum redegit in cõcordiam. In cruce pendens seruauit alterum é latronibus. Potens ergo fuit in opere apud Deum & homines.

Oprimi cõcionatoris scopus quis sit.

Gala. 1.b

1. Cor. 10

Exo. 32.

Acto. 12.

2. Reg. 22.

Dan. 14.

¶ *Coram Deo et omni populo.* i. Heb. 1. approbante Deo tam mira illius opera, & etiã populo: vel teste Deo & omni populo.

¶ *Et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes, et principes nostri in damnationẽ mortis, et crucifixerunt eũ.* Euangelistæ docent populũ apud præsidem, reũ capitis peregisse Christũ: & cruciaffigendũ postulasse. Crucifige (inquiunt) crucifige eũ. Et tamen hi duo discipuli aiunt primarios sacerdotes, atq; populi primores eũ in crucẽ adegisse. Vt hinc discamus, ex quo fonte omnia reipublicæ mala oriãtur: ex qua radice dimanent. Nẽpe ex primoribus, ex principibus, ex nobilibus, quos populus sequitur tanquã vmbra corpus. Principes sacerdotũ (ait D. Matth.) persuaserunt populis vt peterent Barrabã, Iesum verò perderet. Cũ enim populus nutaret vtrũ mallent sibi donari, suasu sacerdotũ & seniorũ factum est, vt sibi poscerent Barrabam, & huius loco Iesus occideretur. Talis est mos populi, tale ingenium, & conditio. Hæc est maiorum ac primorum consuetudo populum ignarum & imbecillum ad suam sententiam trahere.

Matth. 27

¶ *In damnationem.* Græ. iudicium. i. in supplicium & pœnam iudicio irrogatam.

¶ *Nos autem sperabamus quia ipse esset*

sit redempturus Israel. Persuasi videlicet hunc esse Messiam à Prophetis olim promissum. Sed mors certa & ignominiosa nobis hanc spem ademit. Verè magna tentatio vbi omnia videntur promissionibus diuinis contraria, hic pauci persistunt. Quantumuis Israelitæ audiuissent se liberandos, tamen cum viderent regem insequi, diffidebant. Quantumuis Christus diceret se Saluatorem, redemptorem Israel, Messiam verum sibi promissum, tamen cum contrarium appareret eo quod mors eius esset certa, spem omnem amiserunt. Nos (inquiunt) sperabamus quia ipse esset redempturus Israel, &c. Non sic Abraham qui contra spem credidit. Contra spem quidem naturæ in spem promissionis diuinæ credidit: vt fieret pater multarum gentium. Quo propius accedebat Abraham ad locum destinatum quo sacrificandus erat filius: Eo grauior fiebat tentatio. Mirum quod potuerit filium ad holocaustum incedentem aspicere: mirum quod potuerit gladium portare. Quantas cogitationes iam in vertice mōtis positus habuit, mouebat eum innocētia filij, obedientia eius, & quod ignorabat se ad mortem ire. Reuoluebat pater animo multories promissionem sibi factam, mirabatur cōsilium Dei, quod tam apertè promissionibus suis contraueniret. Et tamen, vt Paulus ait, non hæsitauit diffidentia. Hæsitauit, inquam, sed nō diffidens. At de modo quo id fieret ambigens. Fidamus igitur & nos exēplo Abrahæ Dei promissionibus quanuis omnia videantur aduersa. Nam probat nos Deus, & experiri vult nostrā fidem & nostram in eum fiduciam. Ne simus similes his discipulis cæterisq; Apostolis diffidentibus: in quorum persona (vt Augusti. ait) Christus dñs dicebat Psal. 68. defecerunt oculi mei dū spero in Deo meo. Quando passus est omnes desperauerunt quod ipse esset Christus. Nos (inquiunt) sperabamus quod esset redēpturus Israel. Sperabant & non sperabant. Defecerunt oculi eorum ab sperando in Deū ipsorū. Hanc spem reddidit quādo cicatrices palpandas obtulit. Tūc Thomas ait Dominus meus & Deus meus. Ioā. 20.

Exo. 14. Roma. 4. Psal. 68. Ioan. 20.

¶ *Nos autem.* At nos.

A ¶ *Quia ipse esset redempturus Israel.* Subaudi à tyrannide Romana.

¶ *Et nunc super hæc omnia tertia dies est hodie.* Verumtamen cum his omnibus.

¶ *Terruerunt nos.* Attonitos reddiderunt nos.

¶ *O stulti.* Amentes.

¶ *Ad credendum in omnibus.* Hebraico more, in, additum esse.

¶ *Nonne hæc oportuit.* Hæc oportebat.

Et ita intrare in gloriam suam: i. regnū suum inire. Sed de hoc statim.

B ¶ *O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christū, & ita intrare in gloriam suā.* Ac si diceret: ô parū dociles ad intelligēdas scripturas, & corde difficili & tardo ad credendū tot prophetarū oraculis, quę de Iesu prodiderunt. Quur ista vobis nunc noua videntur postea quā gesta sunt, quū hæc omnia tot ante secula gerenda, prædixerint prophetarū vaticinia? Quur non illorū prædicta, cum his quæ gesta sunt cōfertis? Monet hic locus vt nos pudeat ignorare quæ ad salutē nostrā attinent: pudeat etiā esse tardos ad credendū aut opere exhibendō quæ ad cōsequendā æternam beatitudinē exhibenda sunt. Docet etiā necesse esse patienter ærumnas nobis à Deo missas tolerare si in nostrā gloriā intrare cupimus. Fidelis sermo. Nam & si cōmortui sumus, & cōuiuemus: si sustinebimus, & conregnabimus: si negauerimus, & ipse negabit nos, ait D. Paulus 2. ad Timo. 2. Iuxta quod legimus lib. 4. Esdræ. c. 2. Vidi in Monte Sion turbam magnam quā dinumerare nemo potuit: & in medio eorū erat iuuenis statura celsior: & singulis eorū capitibus imponebat coronas: & interrogaui angelum dicens: qui sunt hi Domine? Et ille. Hi sunt qui mortalem tunicam deposuerūt: & immortalem sumpserunt: & confessi sunt nomen Dei modo coronantur & accipiunt palmas. Quis est (inquit) ille qui eis coronas imponit, & palmas in manus tradit? Ipse (inquit) est filius Dei, quem in seculo confessi sunt. ¶ *Nonne oportebat Christū pati et ita intrare in gloriam suam.* Id est, nonne docent hoc esse statu cœlesti prodita scripturæ, & sic fuisse visum consilio diuino et

C D

Debemus non ignorare quæ sunt necessaria ad salutem & ærumnas tolerare si seruari volumus.

2. Timo. 2. 4. Esdræ. 2.

Christus hæc omnia pateretur, quæ passus est, & sic noua ratione per mortem repararet vitam, per crucem assereret regnum, per ignominiam intraret in suã gloriam? Habet hic mundus suam gloriam, nec veram, nec perpetuam. Eam qui parant, parant inanibus stẽmatis, titulis, opibus, munificentia, fastu, strepitu vitæ, non nunquam & extorquent ab inuitis. Christus autem gloriam suam quam habuit ante mundum conditum, longè diuersis rationibus assereret sibi apud homines, quo cunctis mortalibus ostendat, qua via sit grassandum ad veram, nec vnquam interituram gloriam. Duo hoc loco sunt aduertenda: primum oportere Christum pati vt assereret sibi suam gloriam. Secundum: hanc gloriam habuisse ante mũdum conditum nam ideo eam appellat suam. Erat igitur hæc gloria sua duplici titulo & quod Deus verus erat, & quod sua opera & labore eam cõparauerit. Vt hinc intelligamus quod licet cœlestis gloria meritis Christi nobis collatis nostra appellanda sit: eam etiam nostris meritis, nostro labore & diligentia nostram efficere debemus. Cucurrit Christus in stadio, & comprehendit brauiũ: hoc idem & nos facere tenemur. Vnde Paulus. Omnes qui in stadio currunt, omnes quidem currũt: sed vnus accipit brauium, sic currite vt comprehendatis. Hac ergo via cum impetu incedendum est ad immortalem beatitudinem. ¶ *Nonne oportebat Christum pati & ita intrare in gloriam suam.* Gloriam suam appellat non solũm quam modo prædiximus: sed mortem quam pro totius seculi salute paranda passus est. Quæ gloria maxima fuit Christi, maximusque honor. Hanc intelligebat Paulus cum dicebat, omnes peccauerunt & egent gloria Dei, iustificati gratis per gratiã ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu. Gloriam Dei vocat gratuitam peccatorũ remissionem, quæ nobis contingit per mortem Christi. Quemadmodum enim esset maximus honor exhibendus capiti: si pro salute totius corporis aliàs languidi, tumidi, & vulneribus & vlceribus plenis venæ incisionem pati vellet: sic maxima gloria fuit domini Iesu, qui verum est totius mũ

Duplici titulo consecutus est Christus suã gloriã.

1. Cor. 9.

Gloria Christi fuit mors pro nobis.

Rom. 3.

Simile.

A di caput pro nobis omnibus, vlceribus & innumeris morbis infectis, clauos, flagella & tandem crucis opprobrium & supplicium pati. Vt hanc igitur gloriam sibi pararet necesse erat eum pati. ¶ Secundo gloriam suam vocat immensam filiorũ prolem sibi à patre promissam propter mortem & passionem suam. Hæc tam infinita fuit vt eam Esaias enumerare nõ posse affirmet cap. 53. generationem (inquit) eius quis enarrabit? Quia abscisus est de terra viuentium: & quia posuit pro peccato animam suam videbit semen longeuũ. B Cuius typus erat semen Isaac immẽsum, sibi à Deo collatum: eo quod libẽter Deo sacrificari voluerit. ¶ Tertio appellat gloriam, corporis sui claritatem: qui ob mortem æquo animo perpessam sibi comparauit. Agilitate enim & immortalitate, & claritatis splendore indutus est Mardochæus noster suspenso Aman, hoc est, diabolo, ab Assuero rege, hoc est, à patre. Talibus enim vestibus indui par erat quem Dominus honorare vellet. ¶ Tandem gloriam suam appellat regnum & nomen & potestatem sibi à patre propter crucem C collatam. Propter quod (inquit Paulus) Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen. Et ipse Dominus ait: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Cuius figura fuit gloria Ioseph qui post carcerem & vincula Saluator mundi est publico præconio vocatus. ¶ Hinc intelliges quod D. Ioan. Apoca. cap. 1. significare voluit cum ait se in spiritu vidisse similem filio hominis cuius pedes similes erant aurichalco in camino ignis. Per pedes Christi eius humanitas intelligitur à Ruperto, sicut per caput D candidum eius diuinitas. Isti pedes, ista eius humanitas similis aurichalco rectè dicitur, quòd sicut aurichalcum multis ignium impendijs ex ære perducitur ad colorem auri, ita & illa humanitas per multas tribulationes perducta est ad gloriã diuinitatis, quæ per aurum solet intelligi, vt fictam & ipsa immortalis, incorruptibilis, & impassibilis. Vnde & signanter dictum est: sicut in camino ardẽti: per quod rectè intelligitur molestia passionis, qua oportebat eandem humanitatem conflagari,

Gloria Christi fuit immẽsa filiorum proles per morte partam.

Esa. 53.

Gloria Christi fuit eius corporis claritas.

Esther. 6.

Gloria Christi fuit regnũ & potestas sibi à patre collata.

Philip. 2.

Matt. vlt.

Apo. 1.

pati. Quoniã ipse ait: modo. Nonne oportebat pati Christum & resurgere a mortuis & ita intrare in gloriam suam ? Hæc Rupertus.

¶ *O stulti, & tardi corde ad credendum, in omnibus quæ locuti sunt prophetæ. Nõne oportebat Christum pati & ita intrare in gloriam suam et incipiens à Moyse et omnibus prophetis interpretabatur illis, etc.* Necesse ergo fuit vt Christus dominus & pateretur & post mortẽ resurgeret: primum, vt scripturæ tam legis quã prophetarum spiritu Dei dictatæ vera dixisse ostẽderentur. Omnia enim autore Paulo Apostolo in figura contingebant illis: ex duobus ergo illis hominibus (inquit Augustinus) Abel, qui interpretatur luctus, & eius fratre Seth, qui interpretatur resurrectio, mors Christi, & vita eius ex mortuis præfiguratur. Quarto Regum cap. 2. sacra tradit historia, quod Helisæo pueros insultãtes & clamantes, calue, calue, bestiæ comẽderunt: puerili stultitia (inquit Augustinus) deridentes Christum, in loco caluariæ crucifixum, inuasi à dæmonibus pereunt. Mittit Elisæus per seruum baculũ super mortuum, & non reuiuiscit: venit ipse, coniungit & coaptat se morti eius, & reuiuiscit. Misit sermo Dei legem per seruum suum, neq; profuit in peccatis mortuo generi humano, quæ tamen non sine causa missa est: ille enim misit, qui sciret eam prius esse mittendam: venit ipse, conformauit se nobis factus particeps mortis nostræ, & viuificati sumus. Cum securibus ligna cæderentur de ligno ferrum exiliẽs in profundum fluminis mersum est, atq; in lignum desuper ab Elisæo proiectũ reuersum est. Ita cũ impios Iudæos per corpus operata præsentia Christi tanquam infructuosas arbores cæderet, quia de illo Ioannes dixerat: ecce securis ad radices arborum posita est, interueniente passione, corpus ipsum deseruit in inferni profunda descendens: quo in sepultura desuper posito tanquam ad manubrium suum spiritu redeunte resurrexit. Augustinus lib. 12. contra Faustum capi. 35. ¶ Iam verò illud quod vinea quam plantauit inebriatus Noe, nudatus est in domo sua. cui non appareat Christus passus in gente sua? Venit noster Noe in mundum bibit de vinea sua calicem illum, qui transire nõ potuit: dormiuit in passione sua, tãquam in ebrietate stultitiæ, quæ sapientior est hominibus: atque ita nudata est mortalis carnis infirmitas, per occultum Dei consilium, fortior hominibus. Sed excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino. Excitatus, inquã, est Christus tertia die à somno mortis & benedixit filijs credentibus: maledixit verò in infidelitate perpetua manentibus.

¶ Quis alius in Isaac lignum sibi portabat ad victimam, nisi qui crucem sibi ad passionem ipse portabat? Quis alius aries immolãdus in veprecornibus adhærebat, nisi qui crucis patibulo pro nobis offerendus affigebatur? Et quis alius immolato ariete tertia die cũ patre Abraham reuersus est ad suos, nisi Christus dominus qui immolatus in cruce tertia die gloriosus apparuit? ¶ Exod. cap. 4. traditur dixisse Dominum ad Moysen. quid in manu tua portas? Virgam. Proijce illam in terram. Et dimisit virgam in terrã: & facta est serpens. & expauit Moyses: & fugit ab eo. Et ait illi Dominus: apprehende caudã eius. Et apprehẽdit, & reuersa est in statum suũ virga facta: sicut antea virga erat. Quid hoc significat? Non enim frustra factũ est. Interrogemus (cum Augustino) literas sacras. Quid obsecro olim serpens persuasit homini? Mortem. Ergo mors à serpente. Si mors à serpente: virga in serpẽte, Christus in morte. Ideo etiam cum à serpentibus in deserto morderentur: & necarentur: præcepit Dominus Moysi, vt serpentẽ æneum exaltaret in eremo: & admoneret populum, vt quisquis à serpente morsus esset: illum intueretur & sanaretur. Sic & fiebat. Sic & homines à venenis morsi à serpentibus sanabantur intuendo serpentem. Sanati à serpente magnum sacramẽtum. Quid est intuendo serpentem sanari à serpente? Credendo in mortuum, saluari à morte. Et tamen expauit, & fugit Moyses. Quid est ab illo serpente fugisse Moysen? Nisi quod scimus in Euangelio factũ? Mortuus est Christus, & expauerunt discipuli: & ab illa spe in qua fuerant, recesserunt. Sed quid dictum est Moysi? Apprehen

Mors & resurrectio Christi in scripturis figurata & à Prophetis prædicta.
August. 15. de ciuit. c. 18.
4. Reg. 2. Figura.
August.
Matth 3.
August.
Gen. 9. Figura.
August. 12. cõtra Faustum. c. 23. 24.
Psal. 77.
Gen. 22. Figura.
Exod. 4. Figura.
Gen. 3.
Num. 21.

hende caudam eius. Quid est caudam? Posteriora comprehende. Hoc significauit & illud. Posteriora mea videbis. Primo factus est serpens, sed cauda retenta facta virga. Primo occisus: postea resurrexit. Hæc Augustinus in Psal. 73. In illa verba: redemisti virgam hęreditatis tuæ. Quod si multa scripturarum mysteria de Christo eiusque Ecclesia explicata, nosse cupis: lege eundem Augustinum libro. 12. contra Faustum à cap. 23. vsque ad finem libri.

Christum pati oportebat vt à peccat. ab lueremur & stolla innocentiæ indueremur.

¶ Præterea oportebat Christum pati & ita intrare in gloriã suam non solũ vt scripturæ legis & prophetarum præfigurantes & prædicentes mortem & resurrectionem suam adimplerentur: sed vt à peccatis ac sceleribus nostris ablueremur: ac stolla innocentiæ & puritatis indueremur. Quam rationem adducit D. Paulus in epistola ad Roma. cap. 4.

Rom. 4. Explicatur locus Pauli.

Traditus est (inquit) propter delicta nostra: resurrexit propter iustificationem nostram. Quæ verba non ita accipienda sunt, quasi mors Christi remissionis peccatorum: resurrectio verò iustificationis, id est, nouitatis vitæ causa sit meritoria. Constat enim Christum resurrectione sua nihil meruisse, vt pote qui tunc erat extra statum merendi: sed accipiẽda sunt, quo ad posteriorem partem de causa exemplari tantum, hoc sensu: qui, scilicet, Christus traditus est in mortem partim vt merito passionis suæ aboleret delicta nostra, partim vt formam nobis præberet, & exemplar moriendi veteri vitæ: & resurrexit vt resurrectionis suæ exemplo efficeret in nobis iustitiam siue rectitudinẽ vitæ, id est, vt exhiberet nobis formam resurgendi iuxta animam ad nouitatem vitæ, quemadmodum ipse iuxta carnem resurrexit ad gloriam vitæ immortalis: ita fere interpretes.

Vide S. Tho. 3. p. q. 56. ar. 2 ad 4.

1. Cor. 15.

¶ Verum ex cap. 15. prioris ad Corin. vbi attribuit Apostolus non modo iustificationem, sed etiam remissionẽ peccatorum ipsi resurrectioni, dum inquit: si Christus nõ resurrexit adhuc estis in peccatis vestris, simplicior huius loci potest dari intelligentia, vt videlicet abolitio peccati & iustificatio attribuatur morti Christi, tanquam causæ sufficienti: vt pote qui tantum depẽdit in carne sua, quantum peccatis nostris debebatur. Sed resurrectioni tribuatur consequutio remissionis peccatorum & iustificationis, ut pote per quam ad fidem perducti sum9, quæ fit virtutis passionis & mortis Christi nobis applicatio, Vt sensus sit: resurrexit propter iustificationem nostram, id est, vt ei9 resurrectione adduceremur ad fidem: vel vt per eius resurrectionem fides nostra cõfirmaretur, & sic (pœnitentiam, scilicet, agentes ac Christum profitentes) iustificaremur. Nisi ergo Christus resurrexisset nõ fuissemus nos iustificati à peccatis nostris, quamuis mortuus fuisset, & precium nobis patri soluisset: eo quod non credidissemus: & sine fide impossibile est placere Deo. Sed eo quod resurrexit, credim9: ex quo factum est vt peruenerit ad nos iustificatio. Oportebat ergo propter hoc Christum pati & a mortuis resurgere.

Caietanus & Adam9.

Fuit enim resurrectio Christi omniũ miraculorũ maximũ vt egregie ostendit Augus. Ps. 65. versu 2.

¶ Quod vero Christi resurrectio necessaria fuit vt nos crederemus Christum esse verum Deum vt inde iustificaremur, vel inde colligi potest, quod nullo maiori argumento declaratus est Christus esse vers filius Dei quam sua gloriosa resurrectione. Vnde hoc significare volens D. Paulus ait in epistola ad Roma. cap. 1. qui prædestinatus est filius Dei in virtute, secũdum spiritum sanctificationis, & ex resurrectione mortuorũ Iesu Christi domini nostri.

Rom. 1. Explicatur locus Pauli.

Quod testimonium sic explicant Græci, vt hanc vocem Pauli, quam interpres noster vertit, prædestinatus est, accipiant vt idem valeat, quod, declaratus, hoc sensu: ipse qui factus est ex semine Dauid secundum carnem, quem proinde constat verũ fuisse hominem, declaratus est, ostensus, manifestatus, & probatus est, fuisse filius Dei. Primo per mirabilem illam potentiam, quæ apparuit in operibus ipsius, id est, miraculis eius, hoc est, quod dicit: in virtute, id est, per virtutem siue potẽtiam: Nam, in, pro per, familiare est euangelicis & apostolicis literis. Virtutem pro potentia sumi hoc loco manifestum est ex Græco, Est enim δυνάμει & non ἀρετῇ. Secundo demonstratus est fuisse filius Dei, ex spiritu per quem dedit sanctificationem, id est, vt planius dicatur: ostensus est filius Dei, ex eo quod ex se potuit dare spiritum sanctum, & remittere peccata, nõ quomodo

do sacerdotes, sed sua autoritate, & propria virtute seu potestate, atque hoc est quod dicit, secundum Spiritum sanctificationis, praepositio, secundum, est obiecti siue materiae, in qua res haec qua patefit diuinitas Christi, versatur. Tertio & postremo ex eo quod more caeterorum hominũ mortuus quidem non tamen à morte potuit detineri, sed deuicta & conculcata morte surrexit suapte virtute, & se vitae restituit, hoc est quod additur: Ex resurrectione mortuorum Iesu Christi domini nostri. Vbi notandum, etia haec, resurrectio, resurrectio mortuorum, resurrectio ex mortuis, phrasi scripturę idem valere. Quare dicere potuisset, ex resurrectione Iesu Christi à mortuis, vel ex resurrectione Iesu Christi. qui sermo planior fuisset: non tamen absque omni incõmodo, propter genetiuum, Iesu Christi, qui adijci videtur quasi alius fuisset filius Dei, alius Iesus Christus. Verũ licet nobis incommodus videatur sermo, Hebraeis tamen vsitatissimus est, qui eleganter vice pronominum proprijs nominibus vtuntur: vt fecit Moyses sicut praecepit Dominus Moysi, quod latinus dixisset, sicut praecepit ei. Hoc ferè pacto Graeci hunc locum interpretantur. En vides probasse Christũ dominum veram deitatem suam resurrectione hodierna, ex quo factũ est vt Thomas admiratus exclamaret: Dominus meus & Deus meus: ex quo etiam accidit vt fideles credant, & inde sua iustificatio originem trahat: oportebat ergo intrare Christũ in gloriam suam vt crederemus & sic tandem iustificaremur: vt Paulus dicebat.

Adamus.

¶ *Et incipiens a Moyse & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis quae de ipso erant.* Hinc vides Christum dominum eiusque mortem ac passionem in sacris scripturis esse contentum. Vnde ipse apud Psalmographũ ait: in capite libri scriptum est de me vt faciã voluntatem tuam. Vbi obserua quod caput aliquando sumitur pro principio vt Psalmo isto. Verba sunt filij Dei cum patre loquentis, vt ait capi.10. epist. ad Heb. Paul. Inducit vates Dei filium se Deo patri offerentem ad naturam humanam sumendam, vt se pro nobis in crucis ara hostiam deuouerit, ac constitueret. Et quoniam hoc erat in scriptura praedictũ, ait: in capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam: erat enim Dei patris voluntas, vt legis veteris sacrificia cessarent & esset Christus nostrum sacrificiũ. At quis nam sit hic liber, in cuius capite & principio hoc est scriptum de Christo, versatur in controuersia: Hierony. in lib. quaestionum Hebraicarum, per caput huius libri intelligit. Primũ caput Genesis, vbi statim Moses loquitur de Dei filio. Augustinus lib. 1. de Gen. contra Manichęos, & lib. 1. de Gene. ad literam, & lib. contra aduersarium legis & Prophetarum, & in commen. in Psal. 39. hũc locum de primo etiam capite Genesis interpretatur. In eadem sententia fuerunt Orige. in Genes. Tertul. contra Praxeam, Hilarius in expositione in Psalmos. Hi patres in sẽtẽtiam suam adduxerunt Amerum Nouesianum & alios, qui idem asseuerãter affirmant. Cum enim dicat scriptura: in principio creauit Deus coelum & terram: per principium filium intelligunt, qui capi. 8. apud Ioan. ait: principium qui loquor vobis. Ac si dicat: ego qui vobiscũ sermones confero, sum rerum omnium principium. c. 8. Prouer. loquitur in hunc modum Dei filius, qui ibi Dei sapientia vocatur: Dominus possedit me in initio viarum suarum. Pro quo rectè poteris vertere: Dominus possedit me initium viarum suarum. Quibus verbis Dei filius se principium illud vocat, de quo dicitur: in principio creauit Deus coelum & terram. Vbi particula, in, accipitur pro, per aut cum, quemadmodum alijs locis diuinarum literarum, vt ostendũt verba illa Danielis rex in furore & ira magna praecepit vt perirent omnes sapientes Babylonis, id est, per furorẽ, &c.

Psal. 39. Exponitur locus Psalmi diuersè à diuersis.

Hieron. August. Orige. Tertul. Hilarius. Ioan. 8. Pro. 8. Dan. 2.

¶ Alij per caput libri intelligunt principium libri Psalmorum, hoc est, primum Psalmum ita incipientem: beatus vir qui non abijt in consilio impiorum. Intelligi Psalmum hunc de Christo Saluatore nostro asserunt Augustinus, Hieronymus, Arnobius, Remigius. Sequitur enim: & erit tanquam lignũ: pro quo paraphrasis Chaldaica habet: arborem vitae. Quem locum Hierony. & Chrysosto. de Christo in ter

2. expositio. Psal. 1. August. Hiero. Arnob. Remigius.

terpretantur. Ille enim est arbor vitæ: de quo ait in Prouer. Salo. capi. 3. lignum vitæ est ijs, qui apprehenderint eũ. Et Deus cap. 2. Apoca. vincenti dabo edere de ligno vitæ. Esse autem Christum hoc lignũ vitæ, asserit Grego. Nissenus in lib. decreatione hominis. ¶ Alij per hunc librum intelligunt prædestinationem: vt sit sensus. In capite libri æternæ prædestinationis de me tanquã de primogenito in multis fratribus, tanquam de præcipuo omnium electorum in primo ac nobilissimo loco scriptum est. De libro hoc ait cap. 12. Daniel: & in tempore illo saluabitur populus tuus, omnis qui fuerit inuẽtus scriptus in libro vitæ. Et Aposto. cap. 4. episto. ad Phili. Quorum nomina sunt in libro vitæ. Et Ioan cap. 21. Non intrabunt in ciuitatem æternam, nisi qui scripti sunt in libro vitæ agni. Et Christus apud nostrum Luc. cap. 10. Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. ¶ Hæc autem nondum complent aures meas. Nam principium Genesis loquitur de mundi creatione: primus Psalmus de hominis fœlicitate: liber vitæ est prædestinatio: in hoc autem Psalmo 39. loquitur Christus de sacrificio & de ipso immolando. Quare congruentius videtur, vt per hunc librum intelligatur Leuiticus, qui est liber sacrificiorum, & per caput, eius principium. Cũ enim Dei filius vnigena loqueretur in Psalmo illo cum patre de seipso in sacrificium offerendo, & liber Leuiticus agat de sacrificijs, de illo videtur illud intelligi: in capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam. Nam primo capite Leuitici agitur de vitulo pro mũdi peccato immolando, per quem Christus significabatur. Vitulus ille vt ex eodem libro constat capite. 16. Cremabatur extra castra: & Christus occisus est extra ciuitatem. Ad id alludit Apostolus cap. 13. epist. ad Hebræ. cum ait: Propter quod Iesus vt sacrificaret per suum sanguinem populum extra castra passus est. exeamus nos ad eum improperium eius portantes. Hoc voluit Christus significare, cum id quod futurum erat de seipso prædixit in Euangelio: eiecerunt eum extra vineam, & occiderunt. Vbi nomine vineæ intelligitur hierosolyma extra quam eiectus fuit, & in mõte Caluariæ occisus & immolatus. ¶ Alij per hunc librum intelligunt totam sacram scripturam & per caput eius intelligunt eius epitomen & compendium, in quo capita & summa rerum omnium præcipuarum continentur. Ita hũc locum explanat Theodoretus. Et post eum Antonius Flamminius. Et est admirabilis explanatio, ac omniũ meo quidem iudicio præstantissima. Tota enim lex, & diuinorum vatum oracula, tota denique sancta scriptura testatum reliquit in veteri testamẽto fore vt vnigena Dei filius é cœlo in terrã descenderet, ac hominum genus morte sua a morte liberaret. Huic explanationi fauẽt versiones aquilæ, & symmachi, quæ habent in inuolucro libri: vt sit sensus. Assumatur totum vetus testamentum, & redigatur in summam, iũgantur omnia præcipua, quæ in eo scripta sunt, & in volumine seu inuolucro summatim scribantur, totum hoc de Christo venturo & immolando loquitur. D. Hiero. vertit ex Hebræo: in volumine libri scriptum est de me. Paginus: in libro libri. Paraphrasis Chaldaica: in volumine libri legis: quæ omnia in idem recidunt. Septuaginta habent: ἐν κεφαλίδι βιβλίου, hoc est, in capite libri: vbi per caput volumen intelligunt summatum. In Hebræo est Bimgillath sepher. Nomen Megilah deriuatur a verbo Galath, quod significat inuoluere, quod in eo multa, quę alijs in locis dispersa erant sint summatim inuoluta. Aspicis igitur totum vetus instrumentũ de Christo loqui. Id significauit idem Christus apud Ioan. cap. 5. cum dixit: Scrutamini scripturas, quia ipsę sunt, quæ testimonium perhibent de me. Et hodie vides quod apparẽs duobus istis discipulis dixit: O stulti & tardi corde ad credendũ in omnibus, quæ locuti sunt prophetę. Nõne hæc oportuit pati Christũ & ita intrare in gloriam suã? Et incipiens à Mose, & omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant. Interpretabatur figuram Isaac Genes. 14. figuram Iosephi Gen. 39. & 41. figuram Samsonis Iud. 16. & Dauidis. 1. Reg. 17. Id indicat D. Petrus. c. 3. Actorum Apostolorum ita dicens: Deus autem

Marginalia: Pro. 3. — Apo. 2. — Gregor. Nisse. — 3. sensus. — Dan. 12. — Phili. 4. — Apo. 21. — Luc. 10. — 4 sensus. — Leui. 1. — Leui. 16. — Heb. 13. — Matth. 21. — 5 sensus. — Theodoretus. — Flamenius. — D. Hiero. — Pagninus. — Ioan. 5. — Gen. 14. — Gen. 39. & 41. — Iud. 16. — 1. Reg. 17. — Acto. 3.

autem qui prænuntiauit per os omnium prophetarum pati Christum suum, sic impleuit. Et capi. 10. huic omnes prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomẽ eius omnes, qui credunt in eum. Hoc voluit Deus significare in transfiguratione, cum esset inter Mosem & Eliam de exitu eius loquentes, quem completurus erat hierosolymę. Hęc est de morte quam erat passurus. Nã lex & prophetæ de Christo loquuntur: scopus enim totius scripturæ Christus est. Per Mosem intelligitur lex, per Eliam verò prophetia: hæc autem duo Christũ habent in medio ad illum respicientia: idem est esse Christum inter Mosem & Eliam, ac esse propiciatorium inter duos Cherubinos: vt cap. 25. Exod. scriptam legimus. Per propiciatorium intelligitur Christ9, quem vt ait D. Paulus Roma. 3. proposuit Deus propiciatorem per fidem in sanguine ipsius. Et vt ait in prima episto. sua D. Ioannes, ipse est propiciatio nostra. Per duos Cherubinos lex & prophetia, quæ Christum intuentur, de quo loquuntur. Aspicis igitur librum illum: de quo loquitur Christus Psalmo 39. Esse totum vetus testamentum, vbi ipsius Christi Dei nostri mysteria sunt æternis consignata monimentis. Vbi per caput intelligitur summa & compendium, & iuxta aliorum sententiam per caput principium significatur. ¶ Præterea iam hic vides completũ spiritualem sensum illius versus Dauidis: qui cõuertit petram in stagna aquarum: & rupem in fontes aquarum. Seipsum (ait Augustinus) & quandam suam duriciem liquefecit ad irrigandos fideles suos. Vt fieret in eis fons aquæ salientis in vitam æternam: quia prius cum ignoraretur durus videbatur. Vnde illi turbati sunt & nõ expectauerunt, donec scripturis apertis influeret in eos, qui dixerunt: durus est hic sermo. Ista petra conuersa est in stagna aquarum, cum hodie resurgens exposuit eis, incipiens à Moyse per omnes prophetas, quia sic oportebat Christũ pati, & mitteret spiritum suum, de quo dicebat: si quis sitit veniat ad me & bibat.

Acto. 10. Matth. 17. Exo. 25. Rom. 3. 1. Ioan. 2. Psal. 39. August. in Psal. 113.

¶ *Finxit se longius ire.* Quo magis Iesus accenderet eorũ desiderium, præsefe-

A rebat quasi nollet in Emaunte commorari. Sed longius adhuc proficisci: nam illi velluti desperantes reliquerant hierosolymam, seque in patriam recipiebãt, quũ hi qui semel verè crediderunt Christo nõ habeant, vt iam diximus hic manentem ciuitatem, sed perpetuo itinere properẽt ad illam cœlestem. Cæterũ Dominus aliquando præsefert se velle discedere a nobis vt probet nos. Quum nos aut infirmitate, aut paupertate, aut infamia, aut aduersa aliqua fortuna afficit tunc fingit se longius ire: sed nõ abit, sed non discedit: nõ relinquit dummodo nostris precibus cogamus illum manere. A peccatoribus autem obduratis verè discedit Dominus: discessit à filijs Israel exigentibus vitulum in deserto: & interfecti sunt in illa die à Domino per manum Moysi homines quam plurimi. Abijt longius ab eisdem, quando mitissimum Moysem ducem & protectorem suum interficere voluerunt: nam ignis de cœlo descẽdens quatuordecim millia hominum consumpsit. At a suis non lõgè abit Dominus quanuis fingat se lõgius velle abire. Quemadmodum pia mater aliquando præsefert quasi velle a filiolo sibi charo discedere, quod si illũ lachrymantẽ & clamantem videat statim redit: sic Dominus vt probet suos, quandoque fingit se velle eos derelinquere ærumnas & labores præstando: at si videat eos obsecrantes & obtestantes & clamantes statim redire & cum eis manere compellitur.

Fingit dñs a quãdo à nobis discedere, & quare.

Exo 32. Num. 16. Similitudo

¶ Cæterum & si finxerit Iesus se velle longius ire nullo modo mentitum fuisse dicẽdum est. Nam autore Augustino in lib. de quæstio. Euangelij: non omne quod fingimus mendacium est. Sed quando, quod nihil significat, fingimus, tunc mendaciũ iure optimo dici potest. Quando verò fictio nostra, ad aliquid significandum refertur: tunc non mendacium sed potius figura & imago est veritatis alicuius. Quod in figuratis locutionibus est videre. In quibus multa singuntur: non vt asserere velimus ea ita esse: sed vt per illa tãquam per typos & figuras proponamus quæ asserere volumus. Sic ergo modo Dominus præsefere bat quasi nollet in Emaunte cõmorari, sed longius adhuc proficisci: vt significaret

ficaret longè esse ab istorum discipulorũ fide, vt Gregor. ait: vel vt D. Augustinus docet: quia cum longius recessurus esset, in cœlum ascendendo: per hospitalitatem quodammodo detinebatur in terra.

S. Tho. 22 q. [illegible] ar. 1 ad 1.

¶ *Et coegerunt illum dicentes. Mane nobiscum Domine quoniam aduesperascit & inclinata est iam dies.* Hi discipuli Domini quoniam auelli non poterant à tam facundo comite, rogant, obsecrant, obtestãtur; denique precibus maximis & iniecto pallio manu recusantem compellunt, vt eam noctem apud ipsos diuersaretur, iam Dominum appellantes, nõ quod cognoscerent esse Iesum, sed quod ex admirabili confabulatione, satis coniijcerent illum non esse vulgarem viatorem. Amat autẽ rogari Christus vt id faciat, quod facit libenter: partim vt det promerentibus & dignis, partim vt nos doceat beneficium etiam ingerendum & obtrudendum egẽti proximo. Exemplo istorum discipulorum coegentium Dominum. Sic Abrahã vt sacra narrat historia Gene. 18. ait angelo: si inueni gratiam in oculis tuis ne transeas à seruo tuo: quo loco docemur non gratiam facere paupere aut peregrino eũ hospitio recipiendo, sed maiorem recipere si se ille à nobis recipi permittat. Nam pauper à te obulũ recipit: tu verò à Deo centuplum & vitam æternam. Præterea, ille ex tua parua eleemosyna non est factus diues: tu verò quia dedisti factus es iustus. Iuxta illud. dispersit dedit pauperibus: iustitia eius manet in seculum seculi. Quia enim Dominus volebat viduam Sareptanam ditare, Eliam ad eam misit, quasi ab ea panis eleemosynam accepturus: cum reuera potius domum eius intrasset, vt copiam farinæ & olei ei prouideret. His etiam locis docemur nõ expectare vt pauper eleemosynam, aut etiã hospes hospicium deprecetur. Sed potius illũ ad hæc inuitare, & precibus quasi cogere, quemadmodum hi discipuli Christum coegerunt: & Abraham obnixè deprecatus est angelum dicens: si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas à seruo tuo. Et quidam pharisæus Lucæ. 7. rogabat Christum vt manducaret cum illo. Quis mihi daret vt sic homo se cogi & rogari fingeret ab operibus vitiorum, sicut se cogi sinit ab operibus virtutum. Nõdum ita animum pulsat, & iam illi das manum, pedem, ensem, &c. Ad primum luxuriæ motum fœminã inquiris. ¶ Sed singula verba attendamus: coegerunt (inquit) eum. Quid ni cogerent patrem misericordiarũ, & Deum totius consolationis? Quid ni cogerent lõgius scire fingentem, & tamen apud eos manere volẽtem? Quid ni cogerent eum, cuius deliciæ sunt, esse cum filijs hominũ? Quid ni cogerent in diuersorio manere, qui ad hoc corporis sui sacramentum instituit, vt inter homines perpetuo maneret? Hinc discimus (vt D. Bernar. ait) magnaui & cõtentione opus esse, vt in via Dei proficiamus. Non enim leuiter (ait ille) ad perfectionis culmen attingitur, sed paulatim virtutum gradibus ad apicem charitatis per violentiã peruenitur. Coegerunt eum. Ne ergo mireris, si vim patitur regnum cœlorum, quando vim etiam patitur Dominus eorum. Si igitur quadam naturale duritia cor tuum senseris indeuotum, insta orationibus, intende meditationibus curre vbi est impetus spiritus, nec assensum carni dederis. Ingere te vigilijs, & per lachrymarum violentiam vince Dominum maiestatis, & dic ei: Mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Hactenus Bernar.

Gen 18.

August.

Psal. 111.

3 Reg. 17.

Supra. c. 7

Vult rogari homo, & quare

Bernar.

¶ Modo autem videamus quibus verbis debemus eum cogere. Audi quid hi discipuli dicant. *Mane nobiscum domine quoniam aduesperascit & inclinata est iam dies.* Hæc ergo est breuissima simul & vtilissima precatio, qua in hac vita misera impijs ac sceleratis hominibus plena: qua etiam in omni calamitate: qua denique quum gaudio & consolatione spirituali priuamur, vti possumus. Sed videamus, quid his sit vespera, in qua huius orationis vsus sit: & quia vespera extrema diei pars est, diem ipsum, cuius hæc portio est, inspiciamus. Dies autem hic totum huius seculi tempus est. Huius diei aurora initium mũdi fuit: meridies verò aduentus Christi: vespera autem finis seculi. Nos enim sumus, in quos fines seculorum deuenerũt. Sicut ergo vespere diei, lumen minuitur, vmbræ crescunt, & calor attenuatur: ita

Dies huius mundi auroram & meridiẽ & vesperam habet.

planè in hoc mundi vespere (in quo nunc diximus) lux veritatis atque diuinæ cognitionis ingruentibus errorum atque hæresum tenebris minuitur; vmbræ vero deficiente luce crescunt. [Hiere. 7.] Quod quidem Hieremias lamentabatur cum diceret: Væ nobis, quia declinauit iam dies, quia longiores factæ sunt vmbræ vesperi. Hoc est. Væ nobis, quia lux diuinæ cognitionis ac fauoris deficere iam cœpit: quo fit vt terrenorum bonorum vmbræ maiores nobis appareant. Fulgente enim in cordibus nostris diuina luce, terrena omnia exigua videntur, quales in meridiana luce vmbræ sunt: ea tamen decedente apparent lōgiores: quia sicut Deo præsente omnia hæc parua sunt: ita eo absente magna iudicantur: quo fit, vt quæ magna & præclara videntur, magno etiam studio & amore quærantur. ita vt cœlestia bona præ illis vilescant: quod quidem totius humanę prauitatis origo & seminariū est. Ideoque merito Propheta queritur, væ nobis, quia declinauit iam dies, quia longiores factæ sunt vmbræ vesperi. Nec lux tantum animę sole declinante defecit, sed calor etiā qui lucis indiuiduus comes est. [Matth. 24.] Quod planè Saluator testatur cum ait: Quia abundabit iniquitas, refrigescet multorum charitas. Charitate enim refrigescente, & abūdante iniquitate, quid superest, nisi vt cū Propheta clamemus: [Psal. 12.] saluum me fac Deus, quoniam defecit sanctus: quoniam diminutæ sunt veritates à filijs hominum. Maximam enim vim habet ad pietatē & virtutem probitas eorum, quibuscum viuimus. Pauci enim sunt, quorum sit illa virtus, quæ fuit in sanctissimo Iob: [Iob. 1. & 30.] qui simplex erat & rectus, cum frater esset draconum & socius strutionum: inter quos tamen columbinam simplicitatem & cādorem innocentiæ retinebat. Quamobrem in hoc tanto virtutis & sanctitatis periculo maximum plane remedium est, cū discipulis ad Dominum clamare mane nobiscum Domine quoniam aduesperascit & inclinata est iam dies. Te enim præsente lux est: te absente imminēt tenebræ. Hūc autem comitem idem sanctus Iob ad tutelam suam petebat dicens: [Iob. 17.] libera me Domine, & pone me iuxta te, & cuiusvis manus pugnet contra me. Nec enim præsente virtute aduersariorum potentiam, neq; præsente luce aduesperascentis diei tenebras metuo. Hac eadem oratione in omni calamitate vti possumus: mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit, &c. Hinc D. Bernar. cum prosperamur, ait, in virtutum successibus, in die sumus: cum nos obnubilant tribulationum angustiæ; incipit nobis aduesperascere. [Bernar.] Et quia ad te cō fugimus, qui solus laborem & dolorē consideras, [Psal. 9.] mane nobiscum quoniam aduesperascit. Iam veniunt aquæ vsque ad animam. iam deuotionis deliciæ vertuntur in miseriam. Omnes angulos mentis nostræ ventus tentationis concutit: mane ergo nobiscum, quoniam aduesperascit. Tu tribulatis cordibus es refrigerium: tu refugium, tu solatium: tua est potentia, tuū est imperium. Intenti sunt ad te oculi omnium, te solum sitiens anima concupiscit: mane ergo nobiscum, quoniam aduesperascit. Sine te nihil possumus facere. [Iob. 35.] Tu solus carmina das in nocte. Tu turris es fortitudinis à facie tribulantis. Tuæ pietatis oculus circa ea quæ sub cœlo sunt respicit, mane nobiscum, quoniam aduesperascit. Per te consurget nobis aduesperum fulgor meridianus, & oriemur vt lucifer, cum nos consumptos putauerimus. Hactenus Bernar. [Ber. in hoc] Eadem quoque oratione, cū spirituali gaudio destituimur, vti debemus. Dies enim spiritualis est, cum lux nobis diuinæ consolationis & charitatis feruor affulget: tunc enim omnia nobis apparent læta, placida, atque iucunda, quæ alias acerba, tristia, & obscura erant. Illa enim cœlestis dulcedo, amara omnia vertit in dulcia. Nox vero est, cū Deo ita disponente lux illa abscedit. [Iob 36.] Ipse enim est, qui in manibus suis abscondit lucem, & præcipit ei, vt rursus oriatur. In qua nocte dilectum suum sponsa in Cant. quærit, & non inuenit. Quia videlicet in hac nocte, qua sponsus abest, omnia obscura & tristitia sunt. Idcirco magna vi precum reuocādus est, ne nos in tantis tenebris derelinquat, sed nobiscum maneat: vt eius virtute roborati, in officio & recta viuendi ratione persistamus, nec vllæ nos desolationum tenebræ à pietatis cursu reuocent.

Quo

Quocirca hoc etiam tempore cum discipulis obnixè clamandum est: mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit.

¶ *Quoniam aduesperascit et inclinata est iam dies.* Merito noctem oderunt, qui diligunt Iesum: nec tamen huius mundi noctem timere debent, qui comitem habent Iesum. Si ergo sapimus Dominum detineamus, maxime cum iam ad vesperű vita nostra declinat: & tunc ex animo dicendum est cum regio Propheta: Ne proijcias me in tempore senectutis: cum defecerit virtus mea ne derelinquas me Domine. Iure siquidem optimo semper de futuris metuendum est, cum & Salomonis & aliorum horrendum exemplum intueamur: Salomon enim quum in ætate tenella miram ostendisset cordis sui erga Deum deuotionem, postmodum in ætate grandiori seducti permisit cor suum per mulieres alienigenas, ad deos alienos. Et Dauid quàm fœde, neque semel, lapsus fuerit post vitam diu benefactam, nemo ignorat. Sed & ante oculos nostros quantos quotidie cernimus, qui post pueritiam atque adolescentiam, imo etiam virilé ætatem in Dei seruitute transactam, vbi ad grandiorem ætatem ascenderint, tűc Dei obliuiscuntur. Precemur igitur semper vt Dominus nobiscum maneat.

¶ *Et benedixit.* Id est, gratias egit. In cőuiuijs Hebræorum cibum gratias agebat Deo cibi nomine, qui inter conuiuas erat præcipuæ autoritatis, & ille deinde panẽ frangebat. Cum ergo Dominus hunc morem ibi solitum seruasset, duo discipuli velut expergefacti cœperunt cogitare de Iesu. ¶ Cæterum hoc seruatoris exemplo admonemur vt panẽ aut eucharistiæ aut doctrinę cœlestis, deuote suscipiamus: & gratias Deo agẽtes benedicamus: & exponentes frangamus: ac tandem alijs cum omni reuerentia porrigamus. Sed nos miseros & maxime infœlices: si aliquádo deficiant qui hunc panem frangant. Tunc enim vere dicere poterimus lachrymas fundentes, quod olim in Threnis aiebat Hieremias. c. 4. paruuli petierunt panem: & non erat qui frangeret eis.

¶ *Et aperti sunt oculi eorum.* Aperire oculos (iuxta Augustinum lib. 1. locu. in Gene. circa principium) in scripturis dicuntur, quando aliquid clarè cognoscimus quod ante ignorabamus. Sic scriptű est de Adam & de Eua aperti sunt oculi eorum: cum absurde credatur eos in paradiso cæcos vel oculis clausis prius oberrasse. Hac etiam locutione scriptum est de Agar: aperuit oculos suos & vidit puteű: neque enim clausis oculis prius sedebat. Et quod in fractione panis aperti sunt oculi istorum discipulorum: nec enim per viam cum illo clausis oculis ambulabant. Idem dicit lib. 11. in Genes. ad lit. c. 31. & Orige. ho. 17. Numerorum. ¶ *Aperti sunt oculi eorum et cognouerunt eum.* Non agnoscunt Iesum nisi in domo: non agnoscunt nisi in fractione panis. Sic nullus agnoscit Iesum nisi in Ecclesia, nullus agnoscit nisi ipso porrigente panem sermonis euangelici. Is enim aperit oculos, quibus agnoscitur Iesus, quibus agnoscitur peccatum, & vita anteacta. Sic post peccatum aperti sunt oculi protoplastorű, tunc viderunt, quod prius non viderant: videbant Deum veracem, & diabolum mendacem, videbant non tam leuiculam rem esse diuina præcepta, quemadmodum diabolus prius illis persuadere cőtendit. Iam excitabantur eorum mentes ad agnoscendum peccatum. Iam videbant malű quod fuerat bonum, nuditatem sane suam, miseriam, & turpitudinem, seque nihil de suo habere: & qui prius malum intellectualiter tantum cognouerant, nunc experimẽto didicerunt. Hic igitur primus fructus est peccati multa videre quæ prius non videbas, sed nihil non malum. Sic etiam Petrus aperuit oculos postquam respexit eű Iesus: oculi enim eius antea tenebãtur ne eum agnosceret, ne eum confiteretur: & tãdem recordatus est Petrus, & fleuit amarè. Vtinam nostri oculi aperiantur vt cognoscamus Iesum. Audiamus Dominum nobis loquentem & aperientur oculi nostri. Nam pręceptum Domini lucidum illuminans oculos. Et alibi ait Dauid, declaratio sermonum tuorum illuminat: & intellectum dat paruulis. Hospitalitatis obedientiam & aliorum mandatorum Dei obseruantiam sectemur & tűc cognoscemus illum. A mandatis tuis, ait idem vates, intellexi:

Marginalia: Psal. 70. — 3. Reg. 11. — Hiere. 4. — Aperire oculos quid in sacra scriptura. — quando dicimur agnoscere Iesum. — Gen. 3. — Psal. 118. — Ibidem.

tellexi: propterea odiui omnem viam iniquitatis.

¶ *Et ipse euanuit ex oculis eorum.* Ipse subduxit sese à conspectu eorum, desijt illis esse conspicuus: disparauit ab eis. Paulatim Christus ac parcè faciebat sui corporis copiam à morte, vel quod imbecillitas humana non ferret rediuiui corporis maiestatem, vel vt sensim assuescerent carere corporis conspectu, quod mox esset abducendum, quo iam amarent illum iuxta spiritum. ¶ Solet præterea Dominus apparere suis placidus, benignus, & iucundus prospera ministrando & subito euanescere ex eorum conspectu aduersa porrigendo, vt maior vigeat fiducia, maius desiderium, & ardor charitatis. Obsecrat spõsus sponsam dicens: Aperi mihi soror mea, amica mea, &c. quia caput meum plenum est rore: & apertis foribus statim subducit sese & euanescit ab oculis spõsæ. Vnde statim ait: pesullum ostij mei aperui dilecto meo: at ille declinauerat ac transierat.

Cant. 5.

¶ Sed queres quomodo Christus dominus verè resurrexit si euanuit ab oculis eorũ. Si cum ambulauit cum his discipulis non est ab illis cognitus? Ad hoc D. Hiero. ad Pamachium aduersus errores Ioãnis Hierosolymitani respondet. Quod autem ab oculis repente euanuit, virtus Dei est, non vmbræ & phantasmatis. Alioquin & ante resurrectionem, quum eduxissent eum de Nazareth, vt præcipitarent de supercilio montis, transiuit per medios, idest, elapsus est de manibus eorũ. Nunquid iuxta Marcionem dicere possumus, quod ideo natiuitas eius in phantasmate fuerit, quia contra naturam qui tenebatur, elapsus est? Quod magis licet, hoc Dominu nõ licet? Apollonius Tyaneus scribitur, cum ante Domicianum staret in consistorio, repente non comparuisse. Noli potentiam Dñi magorum præstigijs adæquare, vt videatur fuisse quod non fuit, & putes comedisse sine dentibus, ambulasse sine pedibus, fregisse panem sine manibus, locutus esse sine lingua, & latus monstrasse sine costis. ¶ Et quomodo, inquies, nõ cognoscebant eum in itinere, si ipsum habebat corpus, quod antea habuit? Audi scripturam dicẽtem: oculi eorum tenebantur ne eum agnoscerent. Et rursum: Aperti sunt oculi eorũ & cognouerunt eũ. Nũ alius fuit quando nõ agnoscebatur, & alius quãdo agnitus est? Certè vnus atq; idẽ erat. Cognoscere ergo & nõ cognoscere oculorũ fuit, nõ eius qui videbatur, licet & ipsius fuerit. Oculos enim tenebat eorũ, ne se agnoscerent. Denique vt scias errorẽ qui versabatur in medio, nõ corporis Dñi sed oculorũ fuisse clausorũ: aperti sunt oculi eorum, inquit, & cognouerunt eum. Vnde & Maria Magdalenę quãdiu nõ agnoscebat Iesum, & viuũ quærebat inter mortuos, hortulanũ putabat. Agnoscit, & Dñm vocat. Post resurrectionẽ Iesus stabat in littore, discipuli in naui erant, cæteris non cognoscentibus eũ, dicit discipulus quẽ diligebat Iesus, Petro: Dñs est. Prior virginitas virginale corpus agnoscit. Idẽ erat, & nõ idẽ omnibus videbatur statimq; subiungitur: & nemo audebat interrogare tu quis es? Sciẽtes quia Dñs est. Nemo audebat, quia Deũ sciebãt. Vescebãtur cũ prãdẽte, qui hominẽ & carnẽ videbant: nõ quod alter Deus, alter homo esset, sed vnus atq; idem filius Dei cognoscebatur vt homo, adorabatur vt Deus. Lege eundẽ Hiero. to. 3. in respõsione. q. 5 ad Edibiã. Et D. Augus. 3. lib. de cõsensu Euãgeli. c. 25. ¶ Præterea euanuit ab oculis eorũ. Tũ vt ostenderet immortaliũ hominũ gloriã, mortaliũ oculis nõ subiacere. Neq; .n. oculus vidit, &c. quæ præparauit Deus diligẽtibus se: ait D. Paul. in priori ad Co. c. 2. Tũ etiã vt nos doceret ne gloriã aliquã corã hominib9 quæreremus: quod verbis apud Math. c. 6. admonuerat dicẽs: Attendite ne iustitiã vestram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis.

D. Hiero.
D. Augu.

¶ *Nonne cor nostrum ardens erat, dum loqueretur in via & aperiret nobis scripturas.* Christus est qui cum verus Deus sit aperuit & aperit nobis mysteria scripturarum. Ipse namque est: de quo dicebat olim Daniel regi Babylonis: est Deus in cœlo reuelans mysteria. Ideirco eum precabatur Rex Dauid dicens: Reuela oculos meos & cõsiderabo mirabilia de lege tua. Vt solẽ absque eius lumine intueri nõ possumus: sic nec cognitionẽ rerũ diuinarũ habere sine Dei luce. Ad cœlestia mysteria intelligenda opus est reuelatione; nemo scit,

Dani. 2.
Psal. 118.
Luc. 10.

scit, inquit Christus apud Lucam. 10. quis sit pater nisi filius & cui filius voluerit reuelare, loquens diuinus Paulus capite. 2. prioris ad Corinthios de arcanis nostræ redêptionis: nobis inquit reuelauit Deus. Et cap. 1. ad Galatas. Nec enim ab homine accepi euangelium, nec didici, sed per reuelationem Iesu Christi. Iacob amouit lapidem, quo puteus claudebatur, & aperuit puteum, vt biberent greges: & Christus Redemptor noster quem ille adumbrabat, aperuit scripturam, vt aqua doctrinæ homines recrearentur. Accipi autem aquam pro sapientia docet Ecclesiasticus capite. 15. cum ait, aqua sapientiæ salutaris potabit illum, & Esaias duodecimo. Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris. Eodem modo Ioseph in AEgypto aperuit horrea, vt homines pane aleret & nutriret: & Christus cuius imaginem gerebat, aperuit diuinas literas, vt nos pane doctrinæ sustentaret. Accipi autem panem pro diuina doctrina, indicat his verbis Ecclesiasticus: cibauit eum pane vitę & intellectus. Et Hieremias capite vndecimo, cum inducit pharisæos & scribas ita aduersum Christum loquêtes: mittamus lignum in panê eius, hoc est, mittamus venenum in eius doctrinam. Dabant enim operam Iudæi illi, vt Christi doctrinam labefactarent, & corrumperent: dicentes eam cum lege Dei non cohærere, imò ab illa discrepare: quo Redemptori nostro côflarent odium, eique necem machinarentur. Ideo eam deprauabant, quâtum in ipsis erat: & cû esset salutaris atque diuina, eam pestilentem prophanamque prædicebant: miscebant cû illa falsitates, quo ab illa homines auerterent. Lignum quod mittere conabantur in illum erat taxus, cui inest lethale venenû, hanc arborê ait Sestius appellari Græcê smilacê, eisque in archadia tâ præsentis veneni, vt siquis sub ea dormiat, statim moriatur. Ex taxo fit taxicû, quod alij toxicû vocant, pestiferû venenum: eiusque lignum est venenatû. Vnde per lignum hoc loco venenû significatur. At nihil profecerunt inuidia & maleuolentia suâ. Christus enim in Iacob & Ioseph figuratus aperuit puteû & horrea, vt nos cœlesti pabulo reficeret, id quidem est, quod ait Lucas in hoc loco eum aperuisse discipulis scripturas: qui dicebant: nône cor nostrum ardens erat in nobis, dû loqueretur in via & aperiret nobis scripturas: & paulo post ait stetisse eum in medio discipulorû, & aperuisse illis sensum, vt intelligerent scripturas, ipse est de quo ait Ioannes capite tertio Apocalypsis: qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit: claudit & nemo aperit. Hanc clauem dedit pater filio, quatenus ille homo est, de qua dixerat apud Esaiam vigessimo secundo: dabo clauem Dauid super humerum eius: aperiet, & non erit, qui claudat: claudet, & non erit qui aperiat. Clauis illa est potestas & authoritas aperiendi scripturas, qua de re vide Irenæum libro quarto hæresum capite trigessimoseptimo. Hac claue aperiebat Christus librum & signacula eius soluebat, hoc est, difficultates diuinarum literarum enodabat, sed nô omnibus aperit scripturas, sed se ad id pręparantibus & disponentibus. Impij Iudæi in pertinatia manêtes vident Moysen velo coopertum, hoc est, legem tectam, quâ nullatenus intelligunt. Nam vt verbis vtar diui Pauli cap. tertio posterioris ad Corinthios: ipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non reuelatû habent legem in membranis, sed inuolutam, nam verus intellectus recessit ab illis. Id ait his verbis Ioannes cap. 6. Apocalypsis: & cœlum recessit sicut liber inuolutus: per cœlum diuina scriptura intelligitur, quę clausa vt liber inuolutus abijt à Iudæis. Quo ad veram intelligentiâ: vidêt enim quod foris apparet, mysteria autê intus inclusa minime percipiuntur. Nolunt enim se ad ea intelligêda præparare. Ita D. Ambros. locum illû explanat. ¶ Vt conchilia marina se aperiunt ad suscipiendum rorem cœlestem, ex quo fulgentes gêmas conficiût, vt ait Aristot. & post illû Isidor. aquâ vero amarâ euitant: sic nos debemus ad diuinâ sapientiâ, veramque doctinâ adipiscendâ animos aperire, ex qua clarissimas eruditionis margaritas côcipiamus: mûdi vero scientiâ quâ Apostolus in priore ad Corinthios stultitiam vocat, quæ cum turbida ac amara aqua comparatur, côtemnamus, & ad diuinum numen ad cœlestemque sapie-

Marginalia: 1. Cor. 2. — Gala 1. — Gen 29. Figura. — Eccle. 15. — Esai 12. — Gen 41. Figura. — Eccl. 15. — Hiere. 11. Exponitur locus. — Taxus fmilaxtexo. — Luc. 24. — Apo. 3. — Esai. 22. — Irenæ. — 2. Cor. 3. — Apo. 6. — Ambro. — similitudo. — Aristot. Isidor. — 1. Cor. 3.

pientiam totamente aspiremus. ¶ Fuisse autem vetus testamentum clausum & signatum vsque ad Christi aduentum explicat Esaias capite. 29. his verbis. Erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti literas, dicens: lege illum: & respondebit, non possum, signatus est enim. Hic est liber ille, de quo ait Ezechie. Et vidi: & ecce manus missa ad me, in qua erat inuolutus liber, & expandit illum coram me, & erat scriptus intus & foris. Hæc verba exponens diuus Hieronymus hunc librum ait esse sacram scripturam, scriptam foris in historia literæ, intus verò in spirituali intelligentia. Quam explanationem secutus est Gregorius in Ezechiel. hunc librum ait Ioannes se vidisse scriptum intus & foris septem sigillis signatum & à nemine posse aperiri nisi ab agno. Lex vt ait Paulus: spiritualis est & ideo indiget Christi reuelatione. Et quoniam Christus erat in lege absconditus, ideo eum vocat Paulus sapientiam in mysterio absconditam. De his rebus Christi absconditis intelligitur ille. 9. Psalmi titulus. Pro occultis filij.

Esai. 29. Ezech. 2. Grego. Apo. 5. Rom. 7. 1. Cor. 2.

¶ *Nonne cor nostrum ardens erat dum loqueretur in via.* Sicut corrumpunt bonos mores, imò & fidem eloquia praua: vt docet diuus Paulus in priori ad Corinth. capite decimo quinto, et in epistola ad Ephes. capite quinto, fornicatio aut immunditia ne nominetur in vobis sicut decet sanctos: & Exod. capite. 23. ait Dominus: Per nomen externorum deorum non iurabitis neque audietur ex ore vestro: sic diuina colloquia colloquentes inflammant: nonne (inquiunt) cor nostrum ardens erat, dum loqueretur in via: Et sponsa in Canti. capite quinto: Anima (inquit) mea liquefacta est, vt dilectus locutus est. Et regius Propheta: quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. Præterea animaduerte alterum effectum sermonis euangelici. Eius est enim cor animumque nostrum amore cœlesti incendere. Flagrat quidem mens doctrina euangelica. Hinc est quod Psalmista ait: Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud. Sermo Domini, hos qui simpliciter audiunt, pungit, afficit, rapit, vrit, inflammat, relinquit scintillas in animis. Vide quæ Gregorius ait homelia tertia in Ezech. ibi. Et scintillæ quasi aspectus æris ardentis.

1. Cor. 15. Ephes. 5. Sicut praua colloquia corrũpũt bonos mores, sic diuina colloquia colloquẽtes inflammãt. Cant. 5. Psal. 118. Psal. 118.

¶ *Nonne cor nostrum ardens erat, dum loqueretur in via.* Ignis & est mobilis, & calidus, & acutus. Hi duo discipuli tunc ambulabant in mobili amoris: ardebant in calido: nam dicebant: nonne cor nostrum ardens erat, &c. quia enim ambulabant, mobile habebant: & calidum quia ardebant: acutum autem non habebant, quia non cognoscebant: propterea audire meruerunt: O stulti & tardi corde ad credendum: & inde tardi ad perfectè diligendum. Charitas ergo fecit vt iam absente Domino essent agiles & calidi & acuti, cum sit perfectus ignis. Quod nondum fecerat amor naturalis quo prosequebantur Christum tanquam virum sanctum. Hic enim amor nondum eos acutos reddiderat: donec cognouerunt eum in fractione panis. Tunc enim adfuit perfectus ignis qui vera vita est, & qui eos & incalescere & incandescere fecit & tandem [illegible] te Spiritu sancto liquefecit. Vnde Richardus sic ait: ¶ Cum ferrum in ignem projicitur: tam nigrum quàm frigidum, procul dubio primo videtur, sed cum in ignis incendio moram facit paulatim incalescit, paulatim nigredinem deponit, sensim que incandescens, paulatim ipse ignis similitudinem trahit, donec tandem totum liquefiat & à seipso planè deficiat, & in aliam penitus qualitatem transeat. Sic itaque anima sic diuino ardoris rogo, intimique amoris incendio absorpta, æternorumque desideriorum globis vndique circumsepta, primò incalescit, postea incandescit: tandem autem tota liquescit, & à priori statu penitus deficit. Vultis audire ex huiusmodi igne iam incalescentes, & internorum desideriorum æstibus iam iamque inardescentes? Audite duos discipulos dicentes: nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur nobis in via, & aperiret nobis scripturas? Nonne hi ex circumfusa diuinitatis flamma, & [illegible] ex inspectu gloriæ incandescunt: & diuinæ luci configurati [illegible] quasi in aliam gloriam transeunt, quarum [illegible] lata facie gloriam Domini speculantes

Hugo. Vi. supplemẽtũ Gabrie. d. 40. q. 2. ar. 1. Ezech. 34. Conditio p incipiẽtis, profi- cientis, & per- fecti deli- neatur. Deut. 1. Iob 30. Act. 10.

in eandem imaginem transformantur à claritate in claritatem tanquam à Domini spiritu. Lege Richardum de gradibus violentæ charitatis parte prima fol. 106. cap. 2. & 3.

Richar.

¶ *Et surgentes eadem hora reuersi sunt in Hierusalem, &c. et ipsi narrabant quæ gesta erant in via, etc.* Sic enim Dominus cupit sua munera propagari inter homines, vt mutuis officijs & gliscat inter ipsos charitas, & crescant merita, quæ remuneretur Deus. Lenti erant cum relinquerent hierosolymam: quoniam Iesus confabulator & fallebat vitæ tædium, & eximebat hospicij desiderium. Sed auiditas & renuntiandi quæ contigerant, & cognoscendi vicissim quid alijs accidisset, redeuntium pedibus addidit alas. Hic est fructus charitatis, alios suorum bonorum, atque gaudiorum efficere participes. Hic fructus veræ ac viuæ fidei fidem aliorum confirmare: & quos antea timor à hierosolymis fugarat, fortes & constantes magna cum celeritate si opus fuerit ad mortem propter Christum redire facere.

¶ *Et quomodo cognouerunt eum in fractione panis.* Idest, ex consuetudine frangendi panem gratijs actis.

¶ Feria tertia Paschæ.

S*Tetit Iesus in medio discipulorum suorum.* Ecce iam adimpletū vides quod olim promiserat Dominus Ezech. 34. Suscitabo super eos pastorem vnū, &c. & seruus meus Dauid princeps in medio eorū. En alter Dauid rex cui data est potestas in cœlo & in terra tanquam princeps est in medio suarum ouium. Stetit ergo in medio quasi centrum à quo omnes lineæ ductæ ad circumferentiam sunt æquales. Vult enim significare factum istud se esse principem rectum, apud quem nō est acceptio personarum. Id quod asserit diuina scriptura in Deut. Deus personam non recipit nec munera. Et Iob. Deus (inquit) non accipit personam principum, nec cognouit tyrannum. Hanc sententiam affert D. Petrus Actorum capite decimo, & dicens

Ezech. 34

Conditio principis recti describitur. Deut. 1. Iob. 34.

Act. 10.

A Paulus ad Romanos secundo. Qui in medio est omnibus vult æqualiter consulere quod est Christiani principis, & præsulis munus. Volentes veteres Ægyptij regem significare turrem pingebant à serpente in orbem circundatam & redimitam. Turris illa tutissima est regis præsentia & voluntas, quæ in medio circuli, in medio regni, in medio rerum debet esse, vt omnes eum videant, participent, ament, & ad eum necessaria referant, & ab eo videantur, amentur, & iuste iudicen-

Rom. 2.

B tur. Serpens ille tenens principem in medio populus est prudens, qui eum eligit præsulem & rectorem, qui medium teneat, & colat æqualitatem: prudens enim cum serpente comparatur iuxta illud Saluatoris: estote prudentes sicut serpentes. Plato libr. 5. legum vrbem suæ reipublicæ metropolim principis domicilium in medio regionis dicebat esse cōstituendā. Gen. 23. legimus: habitabat autem Ephrō in medio filiorum Heth. Et recte in medio eorum habitabat, qui inter eos principatum obtinebat. ¶ *Stetit Iesus in medio discipulorum suorum.* Verbum hoc,

Matth. 10

Plato.

Gen. 23.

C stare, varias habet in scriptura significationes quarum nonnullas ad diuinarum scripturarum difficiliores locos intelligendos explanabo. Stare in medio aliquorū idem est, quod fieri illis familiarem, in eorumque domestica communicatione versari. Id existimo voluisse Euangelistam in hoc loco significare cum ait stetit Iesus in medio discipulorum suorum. Et Ioannes à Iudæis interrogatus cur baptizaret ad Christum sermonem retulit dicens: medius vestrum stetit, quem vos nescitis. Ac si diceret: vobiscum familiariter

Stare in medio quid.

Ioan. 1.

D viuit & communicat factus homo Messias vester, quem vos ob superbiam vestram & humilitatem eius contemnitis: ad cuius baptismum baptismus meus est præparatio quædam. Alludere videtur Ioannes ad id quod populo Israelitico dixit Moyses de Christo: vaticinans capite vigessimo octauo Deuteronomij: Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus: vbi illud, de gente, potest vertere Hebræo: de medio tui, vt sit

Deut. 18

sit sensus: Messias versabitur tecum huma nitate assumpta: nam cum sit Deus natu- ram humanam induet: & erit de cogni- tione tua ex genere Abrahæ sicut ego sum. Multum quidem refert ad regni vti- litatem & præstantiam habere regem ex eadem gente & natione, qui se populo suo benignum & familiarem præbeat. Sta re super pedes, est firmum esse, & optime constitutum. Hac orationis exornatione vtitur Ezech. cap. 2. Ioan. capi. 11. Apoca- lypsis. Præterea stare idem est quod cessa- re, & non moueri: vt Iosue. 3. Steteruntq; sol & luna. Donec vlcisceretur gens de ini micis suis. Et Matt. 20. quid hic statis tota die ociosi. Postremo, stare, accipitur pro permanere: vt Ecclesiastici. 2. sta in iusti- tia & timore. Et Psalmo. 1. & in via pecca- torum non stetit. Peccatorum via est flagi tiosus viuendi modus, in quo tunc non sta mus, cum in sceleribus nō manemus: sed ad rectam vitæ rationem reddimus.

Stare super pedes quid. *Ezechi. 2. Apo. 11. Iosue. 3.* *Matth. 20. Stare quid. Eccle. 2. Psal. 1.*

¶ *Stetit Iesus in medio discipulorum suo rum & dixit eis pax vobis.* Ecce finis & scopus mortis Christi: nempe pax. Adhoc venit in mūdum vt pacem adduceret ani- mabus: adhoc stetit hodie in medio disci- pulorum vt & cōferret illis pacem & mit teret ad prædicandum pacem. Verbo & actione eis pacem dedit: poni enim in me dio signum est pacis. In pectore sacerdotis scriptum erat: doctrina & veritas, & erat hęc litera cincta duodecim lapidibus pre- ciosis. Christus est veritas, qui ait apud Ioan. c. 14. Ego sum via, veritas & vita, & est doctrina siue sapientia patris, de qua ait Dauid Psal. 103, cū Deo patre loquens: omnia in sapientia fecisti. Et Apostolus. c. 1. prioris ad Corinthios: qui factus est no- bis sapientia à Deo. Et est manifestatio, quia fuit à Deo patre ostensus mundo: de quo ait Apostolus cap. 1 ad Titum, mani- festauit autem temporibus suis verbum. Duodecim autem lapides preciosi inter quos erat veritas & sapientia, duodecim Apostoli sunt. Nonnulli viri docti aiunt per illa verba quæ erant intra pectorale sa cerdotis, significare nomē Dei, Iehouah. Quid aliud adumbrabat, Deum esse inter duodecim gemmas, quàm Christum inter duodecim Apostolos? Ita Cyrillus locū il

Finis mortis Christi fuit pax animarum *Ioan. 14.* *Psal. 103. 1. Cor. 1.* *Tit. 1.* *Cyrillus. xxo. 28.*

A lū Exodi interpretabatur æquum quippe erat, vt Christus, qui pacem docebat: quē Paulus cap. 2. prioris ad Timot. vocat me- diatorem inter Deū & homines, se in me- dio collocaret. Columba in generali elu- uione attulit in ore ramum oliuæ, Genesis octauo, ad pacem nunciandam. Christus dominus in mundi procella pacem attu- lit & docuit, ad mundi salutem exprimē- dam, eam debent omnes Christiani cole- re magnisque laudibus efferre: vnde Apo stolus capite decimoquarto epistolæ ad B Romanos: Quæ, inquit, pacis sunt, se- ctamini. Et ad Ephesios capite quarto: solliciti seruare vnitatem spiritus in vin- culo pacis. Et ad Hebræos. 20. pacem se- quimini cum omnibus. Infœlices sunt, qui paci repugnant. Nam vt Dauid ait Psal. 13. contritio & infœlicitas in vijs eo- rum, viam pacis non cognouerunt. Pax (vt diuus Augustinus ait de verbis Domi ni cap. 158) est serenitas mentis, tranquil- litas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium charitatis. Et secundo C de ciuita. Dei: Concordia, inquit, in ciui- tate idem est quod harmonia in musica. Concordia enim paruæ res crescūt, discor dia autem maximè dilabūtur. Eam ob cau sam omnes debemus simul ducere remos, essęque concordes, velut cratere Philote- sio, vt vetus monet tritum vetustate pro- uerbium, interrogatus à Scipione Africa- no Tyresius princeps cur Numātia prius fuisset inuicta postea vero euersa: respon dit, concordia victoriam, discordia autem exitium præbuit. Author est libro secun- do Brusonius. Et diuus Cyprianus in epi- stola quadam: Concordia, inquit, simul D iuncta vinci non potest, discordia statim euertitur. Vera est illa Dei nostri sentē- tia apud Matthæum. 20. & Lucam vnde- cimo. Omne regnum in se diuisum de- solabitur. Discordia est charibdis bono- rum & vorago, pax autem est bonorum re ceptaculum & perfugium. At pax haben- da est cū virtutibus, & viris bonis ad verū decus hortantibus: non autem cum vitijs & hominibus sceleratis ad vitia excitanti bus & à vera gloria deterrētibus. Vt enim sal in aquam cōiectus nullum emittit stri dorem, quin potius cum illa coniungitur

1. Timo. 2. *Gen. 8.* *Rom. 14. Ephes. 4.* *Heb. 12.* *Psal. 13.* *Augu. Pax cōmē datur & describi tur.* *Brusonius Cyprianus* *Matth. 12. Luc. 11.*

& in vnum conducitur: in ignem autem coniectus solet strepere & resilire: sic vir pius cum pijs concors efficitur, impios autem refugit, atque ab eorum familiaritate abhorrescit. Ideo ait Christus Deus noster apud Marcum nono: habete in vobis sal, & pacem habete inter vos. De illo ait D. Paulus ad Ephe. veniens euangelizauit pacem vobis, qui longè fuistis: & pacem his, qui propè, quod est de vera pace intelligendum: de qua ipse apud Ioan. 16. hæc, inquit, locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis. Et apud Matthę. 5. Beati pacifici quoniam filij Dei vocabuntur. Hanc denuntiarunt Apostoli quorum pedes fuper montes præuidit Nahum. c. 1. nam & si loquatur hic de pace hierosolymæ, præcipue tamen de pace ecclesiæ ac mundi redemptione per Christum vaticinatur: de illo enim omnes diuini vates loquuntur. Quam ob rem ipse hic incipiens à Mose interpretabatur discipulis omnes scripturas, quæ de ipso erant, non solum Doctores catholici, sed etiã Rabbinus Salomon Iudæus in cõmentarijs in caput nonũ Zachatiæ ait omnes Prophetas fuisse de tempore Messiæ locutos. Hęc est Hieronymi, Augustini, Chrysostomi, Basilij, cæterorũque authorum sententia qui sanctitate & sapientia præditi Theologiam illustrauerunt nomenque suum æternitati cõmendauerunt, quare non debemus repere humi sed extolli in subblime, & in diuinis vatibus Christũ quęrere eiusque alta mysteria inuestigare.

Mar. 9. Ephe. 2. Joan. 16. Matth. 5. Nahum. 1. R. Salo. Hiero. August. Chryso. Basilius.

¶ *Stetit Iesus in medio discipulorum & dixit eis: pax vobis.* Dũ mutuis sanctisq; colloquijs sese vicissim discipuli consolarentur, & exhilararent quibusdam credẽtibus, quibusdam etiã num dubitantibus, ingressus est subito Dñs foribus clausis, nec visus est aduenire, sed repente constitit in medio illorum. Sic enim apparent angeli subito, cum volunt, conspicui: rursum subito, cum libet, euanescentes. Quẽadmodum autem boni spiritus cum apparent, ne quid conturbetur imbecillitas humanæ naturæ, consueuerunt blando alloquio terrorem eximere: ita Dominus quoniam & subitus, & profunda iam vespera sese conspicuum reddidit, blanda salutatione compellat illos dicens: pax vobis. Ego sum, nolite timere.

¶ *Conturbati vero, & conterriti existimabant se spiritum videre.* Quanquam Christi salutatio debebat omnem propulsare formidinem, tamen erat tanta quorũdam discipulorum imbecillitas, vti metu exanimati, atque expauefacti, non crederent esse Iesum, sed existimarent se videre spiritum. Viderant paulo ante mortuũ ac sepultum: videbant illum non ingressum per ostium, sed subito apparuisse. Itaque non potuerunt sibi persuadere corpus esse Iesu, quod videbant, sed spiritum. Vulgus enim narrat huiusmodi, spiritus. s. defunctorum nõnunquam apparere quibus volunt, ac speciem quidem quandam corporum exhibere mortalium oculis, cęterum non habere solidum ac verum corpus. In hac sententia erat Thomas. Nec aliud sensisse videntur cęteri discipuli ideirco statim Dominus ait qui turbati estis. &c.

¶ *Quid turbati estis, &c. videte manus meas et pedes meos, etc. habetis hic aliquid quod manducetur, etc. et cũ manducasset coram eis, etc.* Cum Christus Dñs qui est Dei sapientia suauiter omnia disponat & gubernet ad suosq; desideratos fines perducat: vt certam fidem faceret omnib9, se & viuũ esse, & verũ gestare corpus, nec aliud corp9 quã quod ante gestauerat multis tũ argumẽtis tũ testimonijs vtitur. Primùm sufficiẽter probauit corpus eius nõ esse spectrum sed solidum & verũ, satisfaciendo omnibus sensibus discipulorũ. Et ideo ait: contẽplamini manus & pedes, habent manifesta vestigia clauorũ, contrectate latus, habet lanceę vulnus. Palpate corpus, admouete oculos, & desinite suspicari spiritũ. Spiritus enim nec carnẽ habet, nec ossa, quemadmodũ cõspicitis habere me. His verbis quum exemisset illis pauorem, & animos addidisset, exhibuit eis inspiciendas manus ac pedes, aperuit latus, vt contrectarent manifesta vulnerum vestigia. Nã ea Dñs seruare voluit, vt his argumentis apud suos assereret corporis humani veritatem: simulque & olim in extremo die exprobraret Iudæis suam incredulitatem, iuxta prophetiam, quæ dixit viderunt in quem transfixerunt. Et tandem

Sap. 8. Argumẽta quibus Christi vera resurrectio probatur.

quare seruauit vulnera.

dem vt fideles semper eius passionem in memoriam reuocarent: quod inferius dicemus. Verum ergo ostēdit esse suum corpus, & humanum, atque idem quod ante resurrectionem attulit, quando illud palpabile, & in humana effigie, & plenum cicatricibus ostendit. Deinde hoc idem probat Dominus: multis argumentis ostendēdo animam suam iterato esse corpori coniunctam: nam quum etiam tum essent, qui nondum planè crederent esse corpus idem quod viderant mortuum, sed ebrietas quædam lætitiæ teneret illorum animos, vt nec suis oculis, nec auribus, nec manibus satisfiderent, (timemus enim nonnunquam credere, quod misere optamus esse verum: metuentes ne nos ipsos in falsum cōijciamus gaudium, quo mox simus spoliandi) Iesus non dedignatus omnibus argumentis illorū incredulitati mederi, ne quid in nobis resideret diffidentiæ, per opera vitæ tā nutritiuæ quàm sensitiuæ atq; intellectiuæ hoc idem probat. Vt per prima id ostendat, ait: habetis ne hic quippiam quod possit edi? Nullum enim certius argumentum hominis viui, quàm cibum capere. Et ideo Dn̄s puellæ reuocatæ in vitam, iussit dari cibum, similiter & Lazaro. Non quod esuri turi simus resuscitati ad immortalitatem, sed vt discipulis suis pro tempore probaret corporis humani veritatem. Vnde Augus. lib. 13. de ciuit. c. 22. ait: certè Christiana fides de ipso Saluatore nō dubitat: quod etiam post resurrectionem iam quidem in spirituali carne, sed tamē vera, cibum ac potum, cū discipulis sumpsit. Non enim potestas, sed egestas edendi ac bibendi, talibus corporibus aufertur. Hæc ille. ¶ Quod si obijcias angelos etiam cibum sumpsisse vt cōstat apud Tobiam. c. 12. & tamen certares est, eos vera corpora non habere: nō ergo hoc argumento colligi certo potest Dn̄m verum corp9 habuisse post resurrectionē.

Ad hoc respondet inter alios Doctor sanctus: quod angeli, quando apparebant hominibus, non asserebant neque probare cōtendebant se esse veros homines: Christus verò Iesus verè se hominē esse hoc argumento alijsque multis ostendere curabat: quare quia corpora ab angelis assumpta, viua aut animata corpora non erant, eorū comestio vera non erat: quamuis esset vera cibi sumpti contritio, veraque traiectio in locum interiorem illius assumpti corporis. Hinc est quod angel9 ait Tobiæ capite illo modo relato. Cum essem vobiscum videbar quidem vobiscū manducare & bibere, sed ego cibo inuisibili vtor. Sed quia Dn̄i corpus verē fuit animatū, inde est, quod eius comestio non ficta, sed vera fuit. Quod vt probaret (.s. corpus eius esse verum hominis) in conspectu omnium comedit ex his quæ illi apposita fuerūt: hoc est, ex parte piscis & ex fauo mellis. Secundò eandem veritatem demōstrat per opera vitæ sensitiuæ: eo quod suis discipulis ad interrogata respondebat: Et præsentes salutabat dicens: pax vobis. Quo argumēto satis cōuincebat se & videre & audire. Tertiò, per actiones vitæ intellectualis idem confirmabat: loquebatur enim illis atque mira de scripturis sacris disserebat. Quod verò ingrediebatur ianuis clausis: quod quum volebat cōspiciebatur: & cū volebat erat inconspicuus, nō erat præstigiū, sed dos corporis immortalis facti. Talia etiā erunt nostra corpora post resurrectionē. Vnde D. Grego. sic ait: palpandam carnē Dn̄s præbuit, quā ianuis clausis introduxit: vt esse post resurrectionē ostēderet corpus suū, & eiusdē naturæ & alterius gloriæ. Ad quā etiā gloriā pertinebat subito si vellet ab oculis disparere. Mitto modo alia argumenta miraculorū, & ascēsionis in cœlū: quibus sufficientissime resurrectionē suā gloriosam cōprobauit. Cum & angelorū aperto testimonio: & innumeris scripturæ sacræ locis, quæ ipsemet discipulis exposuit, hoc tam præclarum mysteriū ostēderit. Quæ omnia simul sumpta satis ꝓbāt seruatoris nostri resurrectionē. ¶ *Quid turbati estis & cogitationes ascēdunt in cordibus vestris?* Ascendere cogitationes in corde alicuius phrasis est Hebraica, pro cogitare. Sic Ezech. c. 38. dicitur: Ascendent sermones super cor tuum. Hoc est versabis in animo tuo cogitationes: inibis tecum consilium de affligenda Ecclesia. Et quia cogitationes ascendunt dicuntur ascensiones: vnde Dauid ait: ascensiones in corde suo disposuit.

si hi cogitatus impij sunt statim sunt interficiendi. Vt Pharao non dimisit Israelitas donec primogeniti occisi sunt, sic si volumus vt nos dimittat dæmon, oportet nefarios interficere cogitatus: qui primum in corde gignuntur. Hos conatus est dominus Iesus occidere de corde discipulorum suorum ideo ait illis: quid adhuc velut spectrum expauescitis, quum me conspiciatis oculis, & formam agnoscatis, quũ audiatis vocem vobis notam ac familiarem? Et tamen adhuc diffidentiæ cogitationes oboriuntur animis vestris, quales solent vulgo venire in mentem, palpate & videte quia spiritus carnem & ossa non habet. Quod ingressus sum foribus clausis, quod quum volo conspicior, quum volo sum in conspicuus: non est præstigium, sed dos corporis immortalis iam facti. Talia erũt & vestra corpora post resurrectionem.

Exod.

¶ *Ostendit eis manus & pedes.* Ecce dominus semper ostendit nobis manus & pedes vt in memoriam reuocantes eius passionem & præ oculis illam habentes patiẽter toleremus aduersa. Si passio Christi ait Grego. ad memoriã reuocetur, nihil adeò durum est, quod non æquo animo toleretur. Elephantis ostendebatur sanguis vuæ & mori, ad acuendum eos in prælium vt. 1. lib. Macha. cap. 6. scribitur: & Dominus hodie ostẽdit manus & latus discipulis in tribulatione positis. Et aspectus serpentis Aenæi sanabat à morsu ignitorum serpentium. Vt refertur in lib. Nume. capi. 21. Aspectus enim plagarum Christi in cruce assixi iram & impatientiam sanat. Passio Domini Iesu lignum est aquas tribulationis dulcorans, signata ligno illo quod à Domino ostensum est Moysi vnde aquæ dulcoratæ sunt. Exo. 15. ante oculos ergo ponamus plagas Domini, & leuius nostras feremus.

Grego.

1. Mach. 6

Num. 21.

Exo. 15.

¶ *Non credentibus præ gaudio.* Quasi dicat: obscurabat & impediebat iudicium illorum vehemens gaudium.

¶ *Tunc aperuit illis sensum vt intelligerent scripturas.* Lege quæ annotauimus supra capite 10. in illa verba nemo scit quis sit filius nisi pater: & quis sit pater nisi filius & cui voluerit filius reuelare. Ecce columba illa: de cuius sapiẽtia dicebat olim in Canticis sponsa: oculi eius, sicut columbæ super riuulos aquarum. Oculi sponsi, hoc est, gratiæ sancti spiritus in eo manentis sicut columbæ, quę lacte sunt lotæ: columbæ valde candidæ, quæ residẽt super riuulos aquarum & iuxta fluenta plenissima, id est, omnino intendũt scripturis prophetarum, & omnes inspiciunt scripturas sanctas, sacramentorum cœlestium plenissimas, iuxta illud psalmographi. Sed in lege eius, meditabitur die ac nocte. Quid enim fecit aut docuit absque regula scripturarum. Ecce aperit os suum & docet discipulos suos intelligere scripturas. Rectè igitur columbæ, non qualescunque sed sicut columbæ residentes super riuulos aquarum, & iuxta fluenta plenissima, ita oculi eius, videlicet dilecti sunt: quia sensus siue cogitationes eius nusquam à sanctarum inspectione scripturarum sese aliquando auerterunt. ¶ Iam vero ex hoc loco manifestè colliges primum diuinam scripturam nõ in omnibus adeò claram esse, vt seipsam possit exponere, & per seipsam posũt intelligi vt autumãt hæretici. Deinde vel ex his verbis satis cõstat sine spiritu Dei eas intelligi non posse. Quæ vera esse quisque nostrum poterit, si attẽdat, facilè cognoscere. Vetus testamẽtum satis in hoc sẽ prodit. Cuius neque historiæ, quæ minus videntur habere in secessu planè se sinunt intelligi. Nam vt de alijs taceamus liber Geneseos multis in locis tam est profundus in sensibus, quam humilis in verbis. Quot fœlicia ingenia sudarũt in expositione opificij Dei in sex illos dies digesti? Tam sunt omnia illa mysteria Geneseos sensu grandia, vt multi antiquissimorum & viri sanctissimi, & doctissimi, de assecutione sensus literalis, quasi desperati ad mysticas intelligentias recurrent. Illam prætereo cerimoniarum, vasorum, instrũmentorum tabernaculi fœderis congeriem, colloquia illa Dei cum sancto Moyse, fauores & populi Israelitici flagella, multitudinẽ rituum, quæ omnia vmbra erant futurorum, vt Paulus docet, è quibus pauca, quæuis præcipua, quæ ad Christum & Ecclesiæ statum attinẽnt, Paulus & alij Apostoli per Spiritum sanctum

Cant. 5.

Psal. 1.

Rupert. lib. 3 in c. 5 Can.

ctum veluti per transennam exposuerũt. ¶Ad Prophetas venio, quorum sensus abstrusissimus omnes sanctos & Hebræos autores perterruit. Quot sunt in eis parabolæ? Quot figuratæ locutiones? Quot visionum differentiæ? Quot tropi? Quot similitudines ad res naturales? Quæ latẽt in numeris, instrumentis, animalibus, mysteria? Quot sunt in eis sensus inuicem subornati? Quàm reclusi? Quæ diuersitas prophetandi? Iam prophetarant verbis, iam factis, iam futuris, iam præteritis. Nunc dirigunt sermonem ad statum sui populi, nunc demonstrant futurum ecclesię Christi statum, & Messiæ aduentum. Frequenter transeunt à litera ad spiritum, & id quidem insensibiliter & latentissime. Omitto Danielis hebdomadas, monarchiarum conquassationes, constructionem templi in Ezechiele, eorumque reconditissimas visiones, cuius in primo capite tanta est maiestas atque profunditas, vt Hebræorũ sapientes, paucis & his quidem grandæuis & eruditis velint solum esse commune. Quid de psalterio & Iob dicam? Quæ mysteria suo sermone non complectantur? Quàm est varius stylus eorum, atque difficilis? Iob prosa incipit, & pedestri sermone finitur, singula verba eius tropis scatẽt, & sensibus abundant. Rectè Hierony. in epistola ad Algasium vetus testamentum orientalem portam appellat, per quam solus Pontifex ingreditur, & regreditur, & semper clausa est, & soli patet Christo qui habet clauẽ Dauid, & aperit & nemo claudit. ¶Quo fit vt hanc difficultatem in veteri testamento superandam minime sufficiat Hebraici idiomatis eruditio: quæ tãtum de grammaticali sensu, certos reddere potest lectores. Nec istud adhuc semper prestat etiam in locis omnibus: nam cum Hebraica lingua admodum angusta sit: & vocabulorum inops, longé plures sint res quam vocabula: necesse est vt vna & eadem vox, idque in eodem cõtextu varias res significet. Quis igitur poterit tantum de ingenij sui dexteritate confidere, vt putet se assecutũ fuisse Germanam vocabuli significationem, pro quo, scilicet, ibi accipi debeat? Maxime quum periodi circumstantia vnum & aliud significatum sine offensione sensus consequentiæ admittat, vt multis in locis scripturæ veteri contingit: id quod in causa fuit tantæ diuersitatis translationum, & punctationũ, quæ inextricabilem difficultatem pariũt in sacris codicibus. Locupletissimi testes horum sunt ipsi Rabbini, qui cum eis Hebraica lingua sit propria & natiua, tãta est tamen inter eos interpretandi & legendi diuersitas, vt facile eos possis dicere: non vnam legem, genuino suo idiomate tradere sed diuersis linguis, diuersas leges conscriptas interpretari. Antiqui Thalmudistę pugnant cum Neotericis, & ferè omnes cum Caballistis, super sensus scripturæ intelligentia contendunt: testatur hoc Iesus ille filius Sirach, qui in procemio libri sui, qui Ecclesiasticus inscribitur, loquens de opere aui sui, quod ipse concinnauerat ait: hortor itaque venire vos cum beneuolentia, & attentiori studio lectionem facere, & veniam habere in illis, in quibus videntur sequentes imaginem sapientiæ deficere in verborum compositione, nam deficiunt & verba Hebraica, cũ fuerint translata ad alteram linguam. Non autem solũ hæc, sed & ipsa lex & Prophetæ cæteraq; aliorum librorum, nõ paruam habent differentiam quando inter se dicuntur. Hierony. etiam in hoc negocio artifex exercitatissimus, epistola ad Paramachium: non decem, aut triginta vocabula, sed magnã syluam nominum & verborum huiusmodi apud Hebræos esse dicit. Quæ res (inquit) diuersis interpretationibus materiã præbet, dum vnusquisque inter dubia, quod sibi consequentius videtur, hoc trãsfert. ¶In nouo testamento & Euangeliorum scripturis, & si lux ipsa Christus Deus noster, in tota lege veteri adumbratus nobis loquatur, non desunt tamen magna & profunda mysteria, quæ excutiantur, magnumque negocium faciant hominibus pijs & eruditis, & de quorum interpretatione non satis inter eos conuenit. ¶Paulinas verò epistolas nemo non dicet in sensibus profundissimas nisi ille qui sensu careat, expersque omnis difficultatis sit: aut eas à limine duntaxat salutauerit, quippe quorum immensa obscuritas non parum negocij hæreticis exhibuit à principio

cipio nascentis Ecclesiæ vsque in præsens seculum. Quot sunt in eis tropi? Quot vertagines? Quot concisiones? Quot hiperbata? Quanta vocabulorum multiplicitas & sententiarũ libertas? Quantũ est Paulus reconditus in epistola ad Romanos, quàm liber in epistola ad Gala. Quàm redũdans eruditione & pietate in episto. ad Ephes. quàm durus in ea quę est ad Hebrę. quàm deniq; varius & profundus in alijs. loquatur D. Petrus. In quibus (inquit) sunt quedam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perniciem. Quod nostro magno malo, hodie in his perturbatoribus religionis experitur Ecclesia. Quam obcausam si Augustino lib. de fide & operibus credimus, idem Petrus Apostolus alteram suarum epistolarum, & Iacobus etiam suam, conscripsere ne scilicet simplices difficultate & obscuritate verborum Pauli (maxime in his quæ fide sola constituit) offenderetur. De Petri verò & aliorum Apostolorum scriptis sic disserit Hierony. Iacobus, Ioannes, Petrus & Iudas, septem epistolas scripserunt breues & succinctas in verbis, sed longas in sententijs, vt rarus sit, qui in earum lectione non cæcutiat. Apocalypsis Ioannis tot habet sacramenta quot verba. Accedit adhæc varietas codicum, diuersitas distinctionũ, difficultas vocabulorum confusé significantium: vnde etiam emersit in Hebræis translationum diuersitas, & lectionum differentia, Hebraismi simul cum Græcitate commixti: quibus abunde scatet nouum testamentum. Quo igitur se vertet merus grammaticus & idiomatum quantumuis callentissimus? Quid hic aget sciolus & supercilìosus linguatarius? Addat etiam si volet suæ literaturæ inuestigandi solertiam, acre iudicium, & doctrinarum peritiam, & iuge exercicium quo conferat locos locis: coniungat antecedentia consequentibus: adhuc tamen longa ei via terenda restabit: multa enim sunt quæ semel dicuntur in scriptura quæ conferri non possunt cum sibi similibus: & quamuis alio loco inueniatur phrasis orationis, vel dictio similis, cum hæc varié nonnunquam soleant accipi, quis discernet vtrum eadem significatione vtrobique accipiatur, an in diuersa: maxime quando hoc vel illo modo exponere ordini literæ non repugnat. Id quod sæpe numero contingit. Non sufficit ergo literas solum nosse, quæ sæpissime legentes & nimium illis inhærẽtes occiderunt. Verba sunt semper visionis verba libri signati, qui cum literatoribus offeratur ingenué fateri possunt (si sobrié sapiunt) se illum plane non intelligere. Signatus enim est, semperque sigillis clausus. Et nisi liber aperiatur ab eo qui clauẽ Dauid habet, agnus occisus ab origine mundi, qui solus inuentus est qui librum aperiret, & spiritus eius assiduis orationibus & gemitibus inenarrabilibus aduocetur, & ecclesię sensus teneatur, non est, quod de sua priuata industria, gloriari possit carnalis & animalis homo. Si enim idiomatum peritia non destingueretur à dono intelligentię & prophetiæ, nunquam hęc poneret Apostolus tãquam Spiritus sancti munera distincta. Dicit enim 1. Corint. 12. loquens de Spiritus sancti donis: quod alij datur prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum: hæc autem (inquit) operatur omnia, vnus atque idem spiritus diuidens singulis prout vult. Nec si aliquid archanum atque intellectu valde difficile nõ contineret scriptura, nunquam sic orasset psalmographus: reuela oculos meos & considerabo mirabilia de lege tua. Quasi dicat: amoue ab oculis meis velamen literæ, vt spirituali sensu legis tuæ, videam aliud agi, aliud significari. Et in eodem: da mihi intellectum & scrutabor legem tuam. Mirabilia testimonia tua Domine, ideo scrutata est ea anima mea. declaratio sermonũ tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Nõ absre nobilis ille eunuchus euãgelicus, cum in manibus haberet Esaiam Prophetam, & Philippus Domini discipulus eum interrogaret vtrum intelligeret quod legebat, respondit: & quomodo possum intelligere si non aliquis ostenderit mihi? Rogauitque Philippum, vt currum secum conscenderet: qui per Spiritum sanctum interpretatus est ei locum Esaiæ de Christo. Cuius Eunuchi personam Christiane satis non veritus est ipse transferre D. Hie

Margin notes: Petri. 2. — 1. Cor. 12. — Psal. 118. — Acto. 8.

D. Hiero. D. Hierony. in epistola ad Ambrosium: ego (inquit) vt de me loquar, nec sanctior sum hoc Eunucho, nec studiosior. Ostendens ibi neminem per seipsum posse archana scripturę rimari. Constans est Pauli sententia: animalis homoque tumuis sit humanis adminiculis, & naturæ & artis dotibus ornatus, non percipit ea quę sunt spiritus Dei. Nam cum iuxta Petri sententiá, Spiritu sancto inspirati locuti fuerint sancti Dei homines, fieri nō potest vt sine Dei spiritu intelligantur quæ spiritualia sunt. ¶ Item si obscuræ non essent scripturæ non dixisset Christus, scrutamini scripturas. Res enim quæ scrutinio eget non est obuia & clara omnibus. Et si sine spiritu Dei intelligi possent non aperuisset ipse hodie sensum Apostolorum, vt scripturas intelligerent. Nec dixisset Malachias labia sacerdotis custodiunt sciētiam & legem requirent ex ore eius. Non est hæc obscuritas in scripturis euentu aut cassú ali quo, sed diuino procurata consilio: ea enim nostra exercetur ignauia, humiliatur superbia, & augetur diligentia: suauiꝰ capimus quæ venamur, & magis hærent quæ cum labore cognoscuntur: & ex scripturæ difficultate multas intelligentias pro morū institutione nancíscimur. Hinc singultus illi assidui, frequētes lachrymæ orationes continuæ, secesus, mortificatio, & diligentia sanctorum, qui in enodandis sacris scripturis egregiam operam nauauerunt: hoc ipsum sapienter intelligentes, frustra, scilicet, laborare humanam industriá, nisi spiritus ille cœlestis aduocetur: qui omnia scrutatur etiam profunda Dei lege (si libet) quid de hac re scribát sancti, tam Græci quam latini apud Martinum Aiala libro de diuinis traditionibus assertione. 3. Certa ergo res est intellectum scripturæ sacræ quem per traditionem Ecclesia habet à Christo eiusque spiritu promanasse. Si enim scripturæ ipsa non nisi inspirante ipso Spiritu sancto: vt Petrus docet tradita est, multo magis de eius intellectu, qui spiritus & anima ipsius scripturæ est, hoc idem credendum videtur, alioqui tradidisset Dominꝰ scripturas sacras sine earum sensu legitimo: quod nemo sani capitis debet asserere. Scripturam verò

1. Cor. 2.

2. Petri. 1.

Ioan 5.

Malach. 2.

A non posse in omnibus seipsam exponere sed egere alio spirituali lumine iam à nobis probatū est in superioribus. Nō enim scriptura sacra ideo diuinam authoritaté habet, quia atramentum est sic vel sic delineatum, sed quia diuinum sensum atque doctrinam Dei in se continet, ipsamque multoties vsque adeo reconditam, vt per diuinam traditionem & ecclesię sensum declarari desideret. Ná quid obsecro sibi vult quod in hoc loco legimus de Christo Redēptor nr̄o qui solus clauem Dauid habet, vt librum septem sigillis clausum aperiat, cum discipulis suis, per quos volebat scripturarum cibaria fidelibus ministrari, sensum earundem aperuit & reserauit: nisi traditionem intelligentiæ eius illis impartiri velle, per quam citra offensionem haud difficulter ab eis posit intelligi, & sancta mater Ecclesia per eos perfecte posset instrui? Hæc sunt (inquit seruator noster) verba quæ locutus sum vobis, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me. Et subdit, tunc apperuit illis sensum vt intelligerét scripturas, ex qua reseratione traditionem intelligentiæ scripturarum in Ecclesia emanasse nemini dubium esse debet. Plenitudinem autem huius luminis & intelligētiæ Ecclesiam à Spiritu sancto in suis sanctis patribus accepisse in die illo Pentecostes, in quo idem spiritus corda fidelium afflauit, & charismatum abundátia repleuit, secundum quod Christus illis promiserat, nemo hortosdoxus etiam dubitare debet sic enim habebat Iesu Christi domini promissio: hæc locutus sum vobis apud vos manens. Ac si diceret huc vsque ruditati vestrę consultum est, & quia carnales eratis, non est vobis impartitus thesaurus intelligentiæ doctrinæ spiritualis atque cœlestis, quia nemo mittit vinū nouum in vtres veteres, ne vtribus ruptis vini fortitudine, vinū ipsum effluat, & vtriū & vini simul iactura fiat: habēt suum tempus omnia. Cum autem per illum ignem diuinum excocta fuerit ad purum scoria vestra, per quem abtiores eritis ad diuina prorsus intelligenda mysteria, tunc mittetur vinum nouum in vtres nouos. Paracli

B Apo. 3.

C

D Supra 5.

tus

Ioan 14. tus autem Spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, vt vos nouos reddat homines, & quasi diuinos, ille vos docebit omnia quæcunq; dixero vobis, hoc est, præstabit intelligentiam, eorum quæ à me audistis, & adhuc per ipsum audietis: & rursum ait adhuc multa habeo vobis dicere quæ non potestis portare modo, cū autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, si omnem veritatem ergo sensum & intellectum scripturarum, quo nulla maior veritas illis innotescere potuit & in quo vniuersalis Ecclesiæ salus est. (Ioan. 16.)

¶ *Aperuit illis sensum vt intelligerent scripturas*. De dono intellectus disserit D.Tho.22.q.8. quod postulabat obnixè olim regius vates cum dicebat Psal. 118. Da mihi intellectum vt discam mandata tua. In quem locum lege D. Augusti. (D.Tho. Psal. 118. D Augu.)

¶ En vides quàm verè dixerit D. Ioan. in Apoca. c. 3. de Christo intelligens: qui habet clauem Dauid: qui claudit & nemo aperit: aperit & nemo claudit. Vbi (authore Richardo & D. Thoma) per clauem intelligit D. Ioannes vim exponendi scripturas sacras, quarum eximius Propheta fuit Dauid. Solus enim Christus habet hanc clauem: solus ille aperuit suis discipulis sensum vt intelligerent scripturas. Solus agnus iste inuentus est qui aperiat scripturarum librum: vt idem Ioā. testatur Apoc. c. 5. Est verò non aliena sentētia Iob. c. 12. ipse habet consilium & intelligentiam: si destruxerit, nemo est qui ædificet: si incluserit hominem, nemo est qui aperiat. De hac claue est illud, quod superius capi. 11. dicebat Dominus: Væ vobis legis periti, qui tulistis clauem scientiæ, & ipse non introistis: & eos qui introibāt, prohibuistis. (Apo. 3. Apo. 5. Iob. 12. cap. 11.)

¶ *Et prædicare in nomine eius pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes incipientibus à hierosolyma.* Per pœnitentiam in hoc loco baptismum intelligunt aliqui viri docti: quod ad illum necessaria sit pœnitentia. Vnde Petrus pœnitemini & baptizetur vnusquisque vestrū. In quem modum intelligūt illum locum Pauli ad Heb. c. 6. Impossibile est, eos qui semel illuminati sunt, & gustauerunt donum Dei cœleste, &c. Et prolapsi sunt iterum renouari ad pœnitentiam, hoc est, ad baptismum qui semel duntaxat in Ecclesia catholica suscipitur. Rursum crucifigētes sibi metipsis filium Dei & ostentui habentes. Baptismus enim est nobis vice crucis Christi: quia sicut Christus semel crucifixus peccata omnia nostra abstulit, ita baptismus in virtute crucis Christi, cuius est similitudo, semel collatus, ab omnibus nos delictis abluit. Sicut enim Christus semel crucifixus, & mortuus nunquam iterum moritur: ita semel baptizatus nūquā iterum baptizatur: quem qui iterare cupit quantum in se est, Christum rursum sibi crucifigi cupit, existimās crucem Christi primo baptismo semel applicatam, nō fuisse sufficientem: & quantum in se est, ostentui habet Christum, & derisioni. Cæterum si aliorum opinionem sequamur, vt per pœnitentiam, non baptismum sed secundam, quam D. Hiero. vocat, tabulā post naufragiū, intelligamus: hęc est, quæ nos ducit ad portū salutis: delet enim omnem culpam, siue sit venialis siue mortifera: vt in hoc loco ait Dominus. Atque salus ista, peccatorumque remissio omnibꝰ hominibus proponitur: vt apud Esai. cap. 49. ait Dominus cum filio suo loquens: dedi te in lucem gentium: vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Initium tamen sumpsit ab hierosolyma: in qua primum accepto Spiritu sancto Apostoli prædicauerūt. Eritis mihi testes in Hierusalem: & in Iudea & Samaria, & vsque ad vltimum terræ. Ait illis Dominus Actor. 1. Et hoc est quod statim sequitur. (Acto. 2. Heb. 6. Exponitur locus. Baptismꝰ vocatur pœnitentia, & quare. De pœnitentia secūda. Esai. 49. Acto. 1.)

¶ *Vos autem estis testes horum.* Hi sunt testes illi: de quibus aiebat Dominus Esa. c. 43. verè vos testes mei dicit Dominus. Ego sum, ego sum Dominus & non est ante me Saluator. Ego annūtiaui & saluaui. Vos testes mei dicit Dominꝰ, & ego Deꝰ. Alloquitur ad Apostolos: qui post acceptum Spiritum sanctum dicebant: Nō possumus quæ audiuimus & vidimus non loqui. Hinc Paul. in episto. ad Hebrę. cap. 2. scribit: Salus cum initium accepisset enarrandi per Dominum: ab his qui audierūt in nos confirmata est: contestante Deo signis, & prodigijs, & portentis, & varijs virtutibus & Spiritus sancti distributionibꝰ, (Esai. 43. Acto 4. Heb. 2.)

secun

secundum suam voluntatem. Vbi obiter aduerte: quod cum Paulus ait: ab his qui audierunt in nos confirmata est, non est existimandus de se intelligere, cum ipse non ab Apostolis sed à Deo doctrinam diuinitus acceperit, sed de illis ad quos scribebat: vt quum de ijs, qui tempore iudicij viui erunt, dicit, deinde nos qui viuimus. Vel dices: quod quum ait, in nos cõfirmata est, illud, in nos, sumi pro eo quod dicimus vsque ad nostram ætatem, vsque adhoc tempus. Sicut frequens est Græcis ἐὸς ἐμε, pro vsque ad meam ætatem.

¶ In die Pentecostes.

Ego mittam promissum patris mei in vos: vos autem sedete in ciuitate: quoadusque induamini virtute ex alto.

His verbis satis docet dominus inter alia: Spiritum sanctum esse obnisè olim à patribus postulatum: esse à patre illis in sacra scriptura promissum vt eos sui voti & desiderij efficeret compotes: satis etiam ostendit vim & virtutem huius cœlestis spiritus: denique cum Christus sit ipsa veritas, quæ seipsam negare non potest, satis hinc colligemus hanc promissionem esse adimplendam: vt reuera in die Pentecostes cõpletam fuisse experti sumus. De his ergo singulis operæprecium mihi visum fuit pauca disserere. ¶ Hunc igitur spiritum inter alios optauit ac summis precibus postulauit sanctus Dauid, dicens: Auferes spiritum eorum & deficient & in puluerem suũ reuertentur: emitte spiritum tuum & creabuntur & renouabis faciem terræ. Ac si apertius diceret: obsecro Domine vt auferas spiritũ superbiæ ab hominibus quo ablato fiet, vt ambo cadãt: & quod statim clament ad te Domine dicẽtes: cito exaudi me Domine defecit spiritus meus: fiet etiam vt seipsos agnoscant: ac pleno ore confiteantur se esse puluerem & cinerem: se indignos esse pane quo vescuntur. Et tunc Domine emitte de cœlo sancto tuo & de sede magnitudinis tuę Spiritum sanctum tuum quo efficiantur figmentũ tuũ creati in operibus bonis. A spiritu enim tuo accipient gratiam, vt spiritu viuant: quia ipse est qui iustificat impiũ. Hoc fac

Margin: Spiritus sanctus postulatus à sanctis. Psal. 103. — Psal. 76. — Rom. 4.

A Domine: quod si feceris renouabis faciẽ terræ: nouis, scilicet, hominibus confitentibus quod non à se, sed à te boni sunt. ¶ Et meritò sanè postulabant sancti aduentum huius spiritus: vt illo afflati, Dei consilium & voluntatem cognoscere possent homines. Vnde Salomon ait in lib. sapientiæ cap. 9. sensum tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam: & miseris Spiritũ sanctum tuum de altissimis. Nemo enim scit quæ sunt in corde hominis, nisi spiritus hominis: & nemo nouit quę sunt Dei nisi B spiritus Dei. Spiritus autem omnia scrutatur: etiam profunda Dei quæ illuminat corda sanctorum. Et pater eius Dauid spiritu isto sancto confirmari & Indui optabat vt docere posset iniquos & sceleratos homines vias Domini: & vt à via recta virtutis errare Spiritu sancto ductore nõ posset. Iure etiam optimo hunc spiritum cœlestem tam instanter sancti à Deo petebãt ore Dauidis: vt iam adesset illa dies qua renouaretur terra. Et renouabis (inquit) faciem terræ. Adesset inquam dies illa, qua ab hominibus tolleretur spiritus carnis, qui semper mollia, spiritus mundi, qui vana: spiritus malitiæ, qui semper amara lo C quitur: & infunderetur spiritus Domini, quo renouati fideles castigarent corpus suum: humiliarent cor, vnitatẽ seruarent, charitatem omnibus exhiberent: & in acquirendis virtutibus, conseruandis, amplificandis tempus totum consumerent. Infunderetur vt moueret memoriam, doceret rationem, afficeret volũtatem. Memoriæ, in quã, suggereret bona in cogitationibus sanctis, atque ita ignauiam hominũ torporemque repelleret: doceret rationẽ, omnia ad salutem æternam necessaria: & D quia scienti bonum facere, & non facienti peccatum est illi, afficeret voluntatẽ ad bonum, adiuuaretque infirmitatem nostram. ¶ Hunc itaque spiritum à sanctis omnibus toto conatu postulatum promisit Deus in mundum missurus: promisit primo per os Dauid Psal. 109. dicentis: virgam virtutis tuæ emittet Dominus ẽ Sion, dominare in medio inimicorum tuorum. Virga regia, autoritatis & principatus & directionis exercendę est signum. Spiritus ergo sanctus datus discipulis in die Pentecostes

Margin: August. Gl. interl. — Sap. 9. — Glo. — Psal. 50. — Psal. 142. — Vide Ber. ser. de. 7. spiritibus — Tria Spiritus sanctus operatur vt faciamus bonũ. — Ber. ser. 2. Pente. — Spiritus sanctus pro missus à patre. Psal. 109. — Explicatur locus.

costes ad prædicandum Christum Redemptorem, & miraculis confirmandum Euangelium, est virga, est autoritas mundi directiua, virtutis Christi, hoc est, potestatis, & immortalitatis eius iam glorificati. Nondum enim erat spiritus datus, ait Ioannes, quia Iesus nondum erat glorificatus. Conuertens ergo regius vates sermonem ad Christum ait: Virgam, hoc est, potestatem in signo sensibili potentiæ tuæ iam regnantis, hoc est, Spiritum sanctum visibiliter contestantem regnum tuum, mittet Dominus ex Sion, hoc est, ex Hierusalem, cuius pars erat Sion. Ex Sion mittet illum in mundum vniuersum, non vt sistat in sola Sion. Quare dominare Domine per fidem publice inter hostes tuos: hoc est, inter Iudæos & Gentiles. Quod satis adimpletum & tunc vidimus quando prima die Pentecostes conuersi sunt ad fidem tria milia hominum, & modo completum esse experimur. ¶ Eundem spiritum promiserat pater per Prophetam Ezechielem dicens: Dabo vobis cor nouum & spiritum nouum ponam in medio vestri. Ac si diceret apertius: munus & officium huius cœlestis spiritus erit, dare vobis animi puritatem, & vim illam, per quam nihil nisi rectum, & iustum, & pium quæratis: ad imitationem Dauid precantis ac dicentis: cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Munus, inquam, eius erit mundare cor vestrum: nec ex illo exeant ea, quæ vos contaminare solent, qualia sunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Munus eius erit, beatos vos facere. nam beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt. Munus denique eius erit, facere vt renouemini spiritu mentis vestræ. ¶ Hic erat Spiritus, quem rursum pollicetur pater missurum apud vatem Zachariam his verbis: Effundam super domum Dauid, & super habitatores Hierusalem spiritum gratiæ & precum. Quibus verbis exponit Dominus quo pacto milites suos quantopere sit inflammaturus, & vi incredibili muniturus, ac maximam cladem hostibus allaturus, vel potius eos in veram pietatem, ac religionem reuocaturus: larga. s. eos Spiritus sancti gratia cumulando, quo Deo chari & amici reddantur. Hoc enim pacto Deus mundum vicit, & hostes suos sibi conciliauit: quod in sapientia declaratur cum dicitur: misisti Spiritum sanctum tuum de altissimis. Et sic correctæ sunt semitæ eorum, qui sunt in terra, & quæ tibi placent, didicerunt homines. Nam per sapientiam sanati sunt: quicunque placuerunt tibi Domine à principio. Quod autem sint hoc pacto militum animi soborati, & ad bellum administrandum instructi, illud maxime declarat, quod hodie Christus in cœlum migraturus, Apostolis ac discipulis suis præcepit, ne bello lacessere hostes auderent, sed in ciuitate quieti manerent, quousque induerentur virtute ex alto. Cæterum spiritum gratiæ pater hunc diuinum spiritum appellat: quod conferat eam gratiam, qua Deo grati & chari sumus. Spiritum verò precum vocat: quod conferat certam fiduciam, qua ad Deum confugiamus, precemur, & oremus. Quod autem ait, effundam, significare voluit gratiæ copiam, quæ per vniuersam Ecclesiam manauit, & fusa est, sicut per altum Prophetam testatus fuerat dicens: ecce ego declinabo super eam quasi fluuium pacis: & per eundem Zachariam ait: Erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Hierusalem in ablutionem peccatorum, & menstruatæ. ¶ Eandem Spiritus sancti copiam & abundantiam promissam fuisse legimus per Ioelem Prophetam cap. 2. Effundam (inquit Dominus) spiritum meum super omnem carnem & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ, senes vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbunt. Sed & super seruos meos & ancillas in diebus illis effundam spiritum meum. Quem locum interpretatus est Petrus de aduentu Spiritus sancti Actor. 2. Promiserat ergo Propheta aduentum Christi seruatoris dicens: Exultate filij Sion, & lætamini in domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem iustitiæ. Christum dominum appellat doctorem iustitiæ, quod doctor Ecclesiæ fuerit & quod iustificamur per eum. Nunc autem pater cœlestis post aduentum filij aduentum Spiritus sancti pollicetur dicens: Effundam spiritum meum super omnem carnem, &c. vbi per somnia & visiones intelligit

Marginalia: Ioan. 7. — Vi. Caiet. in hunc locum Psal. — Ezech. 36 — Psal. 50. — Matth. 5. — Matth. 5. — Ephe. 4. — Zach. 12. — Sap. 9. — Esai 66. — Zach. 13. — Ioelis 2. — Act. 2. — A — B — C — D

ligit prophetias. Solet enim Dominus reuelare suis futura, in somnijs & visionib9.

Spiritus sanctus promissus etiam à filio.

¶ Nec solum à patre Sanctus hic spiritus promissus fuit: sed ab ipso quoque filio. Nam primò apud Ioan cap. 7. clamauit: si quis sitit, veniat ad me & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura: flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. (hoc autem dicebat de spiritu quem erant accepturi credentes in eum: nôdum erat spiritus datus quia Iesus nondum erat glorificatus.) Quæ autem scriptura dicat: flumina de vêtre eius fluent aquę viuæ aliqui existimât esse illam quinti capit. Prouerbiorû: deriuêtur fontes tui foris & in plateis aquas tuas diuidet. Rursum eundem spiritû pollicitus est Ioan. cap. 15. dicens: quum venerit paracletus (quem ego mittam vobis à patre) spiritum veritatis qui à patre procedit ipse testimonium perhibebit de me. Et in hoc loco ait ego mittam promissum patris mei in vos. Siue vt Græca litera habet ego mitto. Vbi pręsens accipitur pro futuro: de more scripturæ. ¶ Quibus testimonijs postremis satis colligitur Spiritum sanctum à patre filioq; procedere vt definit Ecclesia catholica conci. Ephesi. & in cap. fi miter de summa Trinita. & in côcilio Lugdunensi quod refertur capi. vnico de summa Trinitate in. 6. Non enim saluari potest Spiritum sanctum à patre filio quê in mundum mitti nisi originem traheret ab eis. Præterea: Spiritus sanctus vocatur spiritus veritatis, veritas autem est filius: Ego sum, inquit, via, veritas, & vita: igitur ab illo procedere necesse est. De hac quæstione disserit Augustinus. 4. de Trinita. c. 20. & lib. 15. de Trinit. c. 26. Magister sententiarum in. p. d. 11. D. Tho. parte prima. q. 36. arti. 2. & Castro lib. 6. de hęresibus: duodecima hæresi. Neque est quare Græci omnes in hac re malè audiant: nam olim Doctores Græci maiori ex parte hanc sententiam tenuerunt: quod testatur concilium prędictum Lugdunense. c. vnico de summa Trinitate in. 6. his verbis: hoc habet Gręcorum & Latinorum incômutabilis & vera sententia. Hoc idem nobis constare poterit ex concil. Florent. sessio. 7. De qua re legenda est oratio Bessarionis cap. 7. vbi multi sancti doctores Gręci citantur. Hanc habuit D. Basilius libro contra Eunomium: & Didi mus lib. 2 de Spiritu sancto. Et D. Cyrillus in commentarijs super Ioan. lib. 10. c. 33. & Chrysost. (quem refert Magister in illa. d. 11.) eâdem tenuit sententiam in homelia quadam quâ de expositione symboli edidit. Omnis ergo lingua confiteatur quod D. Athanasius vir Græcus confitetur: Spiritum, scilicet, sanctum ex patre filioque procedere.

Ioan. 7.

Pro. 5.

Ioan. 15.

Cô. Ephe.

Cô. Lug.

August.

D. Tho.

Castro.

Cô. Flor.

D. Basil.

Cyril.

Chrys.

Athanasius

Obiectio.

¶ Neque obstare debet quod in sacra scriptura nô legamus Spiritum sanctum procedere a filio: sed solum legamus a patre procedere: nam reuera procedere ab alio, & esse ab eo productum, & ab eo deriuari idem sunt. Vt fluuius procedit à fonte, quia ab illo trahit originem suam: calor procedit ab igne, à quo productus est: lux procedit à sole, à quo generatur: sic etiam filius procedit à patre, a quo genitus est: Spiritus sanctus procedit à patre & filio, quoniam ab vtroque productus est. Quâdo ergo Spiritus sanctus dicitur spiritus veritatis, & spiritus filij, & dicitur: quod quicquid habet accepit à filio: inde fit vt originê trahat à filio: quod idem est, quod procedere à filio. Quando ergo de re constat non est in vocibus immorandum.

Responsio

Rom. 8. & ad Gala. 4. & Ioan 6.

¶ Pater ergo & filius policiti sunt Spiritû sanctum quod adimpletum fuisse legim9 in die Pentecostes dicente diuo Luca in Actis cap. 2. cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco: & factus est repente de cœlo sonus, tâquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant sedêtes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis. Seditque super singulos eorum: & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & ceperunt loqui varijs linguis prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Quæ omnia sigillatim explicare par est. *Cum complerentur* (inquit) *dies Pentecostes*. Ecce iam vides impletum in hac die: quod olim regius vates prædixerat: fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Ciuitas ista, est Ecclesia, fluminis impetus est inûdatio ista Spiritus sancti, de qua Dominus, vt paulo ante retulimus, dixerat: si quis sitit veniat ad me & bibat: & flumina de vêtre

In die Pentecostes promissio facta à patre & filio est impleta

Psal. 45.

Ciuitas ecclesia flumen Spiritus sanctus Ioan 7.

eius

eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dicebat de spiritu quem erãt accepturi, &c. glorificato ergo Iesu post resurrectionem, glorificato post ascensionem, hac die Pentecostes venit Spiritus sanctus, impleuit credentes, locuti sunt linguis, prædicare euangelium cœperunt gentibus, hinc ciuitas Dei lætificabatur: hinc tabernaculum eius sanctificabatur. Addit Lucas: *Erant omnes pariter in eodem loco.* Hinc colligemus quãtam vim habeat, atque quàm potens sit oratio communis multorũ: simul commorantium. Affert enim de cœlo spiritum Dei: affert doctrinam cœlestem: idcirco dicebat rex Dauid: ecce quàm bonũ & quàm iocundum habitare fratres in vnum. Nam si lapis (inquit Chrysost.) sæpe ad lapidem concussus scintillas ex silice facit, tametsi nihil sit frigidius lapide: nihil quẽ igne calidius: attamen concussio, victa natura, ignem elicit: quanto magis idẽ fiet in animabus quæ mutuũ atterũtur, & igni spiritus concalescunt. Ecce nunc paucus erat totus fidelium numerus: imò ante illos, duodecim tantum erant, & neque hi manserunt omnes, sed vnus ex eis Iudas perijt. & erant vndecim omnes, attamen ex vndecim illis facti sunt centum & viginti, & ex centum & viginti millia, & deinde quinque millia, denique omnẽ orbem terrarũ impleuerunt scientia Dei: non tunc conuentus tenuiores fiebãt, sed simul in templo conuersabantur, precib9 & lectionibus intenti, & propterea magnum ignem incenderunt, propterea nunquam diffluxerunt, sed totum attraxerũt orbem. Hos & nos quoque imitemur simul commorantes, & simul in Ecclesia orantes. Nam si omnis oratio magnã vim habet, longè magis eam, quæ ore multorũ prouenit, valere consentaneum est. Plus enim neruorum in ea est, & multo audentia maior, quàm in domestica & priuata. Vnde id constet, Paulum ipsum dicentem audi. Qui ex tantis periculis eripuit nos, & eruit, etiam speramus quod adhuc eripiet: vobis quoque in oratione pro nobis subuenientibus, vt dono in vos collato, à multis personis gratiç agantur pro nobis. Sic etiam Petrus carcerem euasit. Oratio enim pro eo ab Ecclesia sedulo agebatur ad Deum. Quod si Petro Ecclesiæ oratio profuit, & columnam illam nostræ religionis carcere liberauit: cur eius vim tu contemnis & negligis? Conueniamus igitur in vnum exemplo discipulorũ & orantes Spiritus sancti gratiam promerebim9.

Chryso. ser. cõtra Anomæos tom. 5. fo. 201. co 3 & 4.

Chrysost. ho. 5. contra Anomæos.

¶ *Et factus est repente de cælo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis & repleuit totam domum vbi erant sedentes.* Volens Dominus Apostolos sua implere gratia, eosque admirabili fortitudine, & inexpugnabili constantia munire, quemadmodum hodie illis promiserat dicens: induemini virtute ex alto, illud sono isto commotionis magnæ significauit. Sic etiã promiserat olim Ezechieli daturũ illi magnam animi cõstantiam & fortitudinem: quam vt significaret intonuit ad aures ei9 voce magna. Vnde ait audiui post me vocem commotionis magnç. Hinc factũ est, vt Apostoli induti hac virtute, irent gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Obserua: quod vt cõderet Deus mundum prius spiritus Domini volitauit super aquas & mouit illas prius inquam spiritus diuinus descendens sub specie alicuius venti magni & vehementis fouebat substantiam illam aqueam & terream, sine agitabat sese & flabat ferebaturque super illam vt inde tandem homo formaretur: sic modo spiritus idem cœlestis descẽdit sub specie spiritus vehementis, vt eum recrearet ac reformaret. ¶ Et merito quidem Spiritus sanctus vẽti figuram secum fert: tum quod vt ventus libere fertur impetu suo: sic Spiritus sanctus in actionib9 suis liber est: eius miseretur quẽ vult prosequi fauore, quem verò vult indurat: tũ etiam quia sicut ventus & licet inuisibilis deijcit turres, arbores euellit: sic Spiritus sanctus superbos in dignitate constitutos deijcit aliquando, vt fragilitatem suam diuinamque potentiam agnoscant. Tum quoq, quia sicut vẽtus super omnia transfundit: sic Spiritus sanctus implet omnia, iuxta illud sapiẽtiæ, spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Præterea vt ventus interdum tranquillus est, interdũ violentus & fortis: sic Spiritus sanctus quosdam tranquillitate reficit: vt Petrum & Ioan-

Gen. 1.

Vatablus.

Rom. 9.

Ioannē, quosdā verò impetu reijcit, vt Manassem regē, & Saulum Tharsensem. Deniquē vt vēti vocē audiamus, cū ignoremus, vnde veniat, aut quo vadat, quoniā nō est nobis exploratus difinitus locus eleuationis eius, nec defectionis: sic vocē internā Spiritus sancti audimus aliquando, & intelligimus nos ab eo doceri, rapi, & absorberi, sed nescimus, quomodo animam nostrā ingrediatur, qui vbiq; est aut quo modo, inde recedat. ¶ Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquā ignis. Hæc verba magna quidē mysteria nobis indicāt. Primū igitur ostēditur, legē euangelicā, quā Apostoli erant prędicaturi, esse igneā, hoc est, Spiritu sancto plenā. Lex profecto quę ignea. i. amore plena non est nō lex dicenda est. Quod significare volens Moyses. c. 33. Deutero. Dn̄s, inquit, apparuit de monte Pharan, & cum eo sanctorum millia: in dextera eius ignea lex: dilexit populos. Hæc lex erat euangeliū amore & Spiritus sancti charitate plenissimum. Ideo ignea erat, & in dextera, qua beneuolentia ostenditur, portabatur. Eā ob causam additur: dilexit populos. Apparuit autē Deus non in valle sterili, sed in monte frugifero: id enim significat Pharan, authore Hierony. i. in Ecclesia. Antea ostendebat Deus amorem populo Israelitico: at verò a die ista Pētecostes omnibus populis. Ignis huius legis amor erat, charitas erat, Spiritus sanctus erat. Igne illo significatus, quo rubus ardebat, & non cōburebatur, vbi Deus apparuit Moysi, qui erat ei legē laturus. Hic est ignis qui cecidit in holocaustū Eliæ, illudq; deuorauit. Hic etiam in mūdi exordio cecidit in sacrificium Abel iusti: ita enim ait Moses Gene. c. 4. Respexit Dn̄s ad Abel, & ad munera eius: ad Cain autem & ad munera eius non respexit. Iratusq; est Cain vehementer. Aiunt ipsum Cain intellexisse fuisse fratris sui oblationē gratā Deo, quod ipse Deus igne de cœlo misso eam in cinerē conuertisset. Huic sentētiæ fauet traslatio Theodotionis ita habens: inflāmauit Dn̄s super Abel, & super sacrificium eius: super Cain verò, & super sacrificium eius non inflāmauit. Hoc igne erant animalia Ezechielis incensa: de quibus ipse ait cap. 1. Et aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium. Eo inflammati duo illi discipuli dicebant: nonne cor nostrum ardens erat, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas? Hic est ergo ignis qui hodie incendit hos discipulos. Qui apparuit sub specie linguarū ignearū vt doceret eos esse promulgaturos per totum orbem legem euāgelicam charitate & amore refertam. Secundū vero mysteriū hac linguarum figura quod significare voluit Spiritus sanctus, illud est: omnes. s. fideles debere post hac vna lingua, eaq; cœlesti loqui. Lingua mundi vt alias diximus, lingua est AEgyptiaca, lingua verò fidelium ac piorū Christianorū de cœlo est. Omnis homo aut habitator est Hierosolymę, aut AEgypti, aut tenebrarū & perturbationū, aut visionis pacis colonus. Cognoscitur autem in verbis. Qui lingua Spiritus sancti loquuntur, semper loquuntur ea quæ sunt pacis. Hanc ergo linguam postulemus a Spiritu sancto: hāc acepti sunt hodie Apostoli suis precibus. ¶ Tertium mysteriū obumbratum hoc facto fuit: vt edocerētur Apostoli & pastores Ecclesiæ quod verbo & scientia essent gregē Christi pasciturí. Vt autem tanto essent munere idonei, Spiritus sanctus in linguis igneis super eos de cœlo descendit. Non in manibus, quibus mūdū debellare possent, neq; in pedibus, quorum agilitate tyrannorum persecutiones effugerent: sed in linguis, quibus alios ignorantes docerēt. Alia corporis organa ad hoc dedit nobis natura, vt illis multarum rerum, quas ignorabamus cognitionem ab ipsis rebus haurire possimus. Lingua tamen nostra nullius rei cognitionem nobis præbet: sed quæ nos ante cognoscebamus, alijs per linguam manifestamus. Itaque lingua non ad discendum: sed potius ad docendum nobis donata est. Et ob hanc causam Spiritus sanctus hodie super Apostolos descendens, non in oculis, aut auribus, quæ sunt organa ad discendum apta: sed in linguis igneis descendit, vt eos ad docendum idoneos efficeret, qui iam totius mundi erant instituti magistri, & pastores. Ex his igitur discant Episcopi quanta obligatione populos sibi subditos doce-

Marginalia: 2. Para. vl. Acto. 9. Deut. 33. Hiero. Exo. 3. 3. Reg. 18 Gen. 4. Theod. Ezech. 1. Suprà. A B C D

re teneantur; vt Apostolorum imitentur exempla, quorum ob solam dignitatē Episcopalem merito gloriantur se esse successores. Alioqui rei apud Deum habebuntur debiti male soluti, & suæ taciturnitatis dignas sustinebunt pœnas. Et hoc mihi significasse videntur tintinnabula illa, quæ mixta malis punicis olim Deus præcepit poni in veste sacerdotis, quibus sub mortis pœna sonitum facere tenebatur sacerdos ingrediens. Et vestietur, inquit textus, Aaron ea in officio ministerij, vt audiatur sonitus, quādo ingreditur sanctuarium in conspectu Domini, & non moriatur. Vestis ergo illa sacerdotalis perfectā sacerdotis vitam significabat, Propheta regio id nobis interpretante, qui ait: Sacerdotes tui induātur iustitiam. Tintinnabula vesti inserta significāt prædicationis vocem cum operatione coniūctam. Sonitus tintinnabulorum audiri debet, quando ingreditur, & egreditur sanctuarium, vt non moriatur. Quia mortem damnationis incurrit prælatus si absque vllo prædicationis sonitu incedit. ¶ Denique in figura ignis venit Spiritus sanctus: primo quia sicut ignis vndiq; diffunditur sic charitas Dei diffusa in cordibus Apostolorū & fidelium vndiq; extenditur: ascēdit quidē sursum diligendo Deū in corde. Circūfunditur vero diligēdo à dextera amicos & à sinistra inimicos: tandem deorsum descendit diligendo fideles in purgatorio pœnas dantes. Et sicut sol & ignis illuminant indurant, & adurunt, secundū materię dispositionem: sic sol iste iustitiæ & ignis iste admirabilis, quondam Pharaonem indurauit: virginem hodie illuminauit, cęteros Apostolos adussit, consumendo in eis, omne quod in eorū anima corruptibilitatis aut fragilitatis inuenit. ¶ Seditque super singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu sancto. Non sine magna causa repleta hodie est Ecclesia Spiritu sancto: vt, scilicet, omnem intelligeret veritatem ad fidē vel ad mores pertinentem. Vnde illud apprimé aduertendum est, quod cum primum veritatem aliquam ad salutem animæ necessariam Deus mūdo reuelare voluit, nunquā nisi per iustos, & sanctos viros id fecit. Dedit Deus olim veterem legem, sed per manus sanctissimi viri Moysi illam populo Israelitico tradidit. Instituit longo post tempore legem euangelicam, primos tamen illius prædicatores non voluit esse fures, siccarios, homicidas, adulteros: sed solos sanctissimos viros, Apostolos videlicet suos, quos ille ad hoc opus elegerat. Præceperat illis vt euntes in mundū vniuersum prędicarēt euangeliū omni creaturæ, hoc tamē noluit eos statim facere: sed præcepit illis à hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem patris, & acciperent prius virtutē Spiritus sancti superuenientis illos. Cur ita? Nēpe vt per aduentus Spiritus sancti illos faceret dignos euāgelij præcones, sine quo indigni essent ad tam sublimē legem mūdo annuntiandam. Nā quia hanc Spiritus sancti gratiā Paulus intellexerat esse necessariā ad digne annuntiandū euangelij veritatē, ideo de se & de alijs Apostolis dixit: Sufficientia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti. Vt ergo hæc intelligeremus sedit, priusquā exirent ad prædicandū euangeliū Spiritus sanctus super singulos eorū & repleuit eos sua virtute qua induti & audere possent & errare non possent. Ex his colliges non esse credendum vt Deus, qui alias euangelij veritatē non nisi per viros Spiritu sancto plenos mundo reuelare voluit, nunc aliquā euangelij partē ante incognitā per schismaticos hæreticos mundo notam facere velit. Neque est etiā credendū, Ecclesiam, quę vberrime est olim à Christo edocta, & nūc quotidie ab illo abūde edocetur, aliquid ex his, quæ sunt necessario credēda, ignoret. Alioqui nō satis promissioni suæ fecisset Christus dñs, qua fidem suā obstringēs dixit. Paraclitus autē Spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunq; dixero vobis. Si Christus omnia necessaria credēda docuit, & Spiritus sanctus omniū illorū intelligētiā dedit, cōsequens est, vt Ecclesia nihil illorū ignoret. Cęterū vt redeamus vnde digressi sumus ait Lucas in figura ignis sedisse Spiritū sanctū supra Apostolos & discipulos eosq; repletos esse sua gratia. Hinc secundo colliges esse summe necessarium concio

Exo. 28. Figura. Psal. 131. Orige. ho. 2. in cant. in illa verba nolite me cōsiderare quod fuscasim, &c. Acto. 1. 1. Cor. 3. Ioan. 14.

conclonatoribus diuinum ignem animos illuminantem, purificantem, & accendentem. Id intelligens Dauid priusquam diceret in Psalmo docebo iniquos vias tuas, petit spiritum rectum, spiritum sanctum, spiritum principalem, vt in eodem Psalmo licet videre. Moyses priusquam ad Pharaonem mitteretur, ad flammam ignis rubi ardentis accedere iubetur. Esaiæ lingua calculo ignito mundata ac purificata est ab angelo antequam ad prædicandum egrederetur. Et volauit (inquit) ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum, & dixit: ecce tetigi hoc labia tua: & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur. Vbi notandum est obiter, quod pro calculo est in Hebraico Ritspah, quæ dictio significat calculum. Et ita vertit Aquila & Theodotion, quos secutus est noster interpres. Significat etiam prunam viuam, seu carbonem incensum. Pagninus vertit carbonem potentis clarius vertere carbonem incẽsum. Fortasse alludit Propheta ad altare holocausti, vbi erat perpetuus ignis: vt Leuitici sexto dicitur: septuaginta vertũt ἄνθρακα, nomen æquiuocum. Significat enim ἄνθραξ prunam, & carbunculum gemmam preciosam, quæ & nomine & colore carbonem incensum imitatur. Non erat hic calculus quicunque lapillus, sed splendidissima gemma ab altaris igne ablata, & in medio ignis constituta. Esaias ergo ad munus concionandi subeundum purificatus est igne charitatis à seraph, hoc est, ab incendio leu incenso, vt esset diuino amore inflammatus. Sic, vt dicebamus modo, Apostoli igne Spiritus sancti inflammati & repleti sunt vt verbum Dei prædicarent. ¶ Iam hodie vides completum quod Ezechiel capite primo se vidisse narrat. Vidi (inquit) quasi speciem ignis splendentis in circuitu, & velut aspectus arcus cum fuerit in nube in die pluuiæ. Hæc visio similitudo gloriæ Domini. Si enim Propheta vidit quasi speciem ignis splendentis in circuitu: iam nos videmus Spiritum sanctum de cœlo descendentem sub specie ignis, & sedentem super singulos discipulorum: & replentem totam domum in circuitu. Si Propheta vidit velut aspectum arcus cum fuerit in nube in die pluuiæ: iam nos videmus pacem inter Deum & homines aduentu Spiritus sancti: iam intuemur fœdus factum inter cœlum & terram: iam experimur adesse nobis propitium Deum, non iratum, non vltorem vt olim, sed misericordem sed pium, sed plenariam indulgentiam cõcedentem. Quæ maxima gloria eius est.

Psal. 50. — Exo. 3. — Esai. 6. — Leui. 6. — Ezech. 1.

¶ Denique subiungit noster Lucas: & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Ideo varijs loquebantur linguis, vt doctrina sua diuersas docentes gentes innumeros Deo generent filios. Sicut enim sancti Patriarchæ (vt Augustinus ait) coniugibus multis excipientibus semen suum, miscebantur non concupiscentia percipiendæ voluptatis, sed prouidentia propagandæ successionis: sic Apostolis sanctis concessum est, vt varijs loquerentur linguis, non auiditate consequendæ laudis, sed charitate seminandæ per totum orbem veritatis.

22. contra Faustum c. 48.

¶ His ita vtcunque explicatis iam vides impletum fuisse in die Pentecostes, quod in nostro textu Dominus suis discipulis pollicetur dicens: ego mittam promissum patris mei in vos: vos autem manete in ciuitate donec induamini virtute ex alto.

¶ *Vos autem sedete in ciuitate.* Vos, inquam, quos in testes elegi resurrectionis meæ dicente Esaia: verè vos testes mei. Sedete, idest, corde & corpore quiescite, quia in sedendo & quiescendo (authore Aristotele) fit animus sciens & prudens. Sedete igitur in ciuitate Hierusalem, in qua Spiritus sanctus donandus erat dicente Domino per Esaiam cap. 66 in Hierusalem consolabimini: videbitis & gaudebit cor vestrum.

Esai. 43. — Esai. 66.

¶ *Quoadusque induamini virtute ex alto.* Idest, donec è sublimi veniat ille spiritus qui vos induet virtute roboreque cœlesti. In cuius figura dicitur in lib. Iudicum cap. 6. Quod spiritus Domini induit Gedeonem: qui clangens buccina vocauit domum Abiezer. Gedeon, circuens in vtero interpretatur: Apostolos in synagogæ vtero circũeuntes designat. Hi virtute & robore spiritus cœlestis induti, prædicatio-

Iudi. 6.

cationis buccina clangebant: & ita domum Abiezer, qui patris mei auxilium interpretatur, conuocauerunt: hoc est, fideles auxilio gratiæ Dei patris in cor vnum, & animam vnam conuenientes. Hoc vestimento omnes indui monebat Paulus in epistola ad Romanos capite. 13. cum dicebat: Induimini dominum Iesum Christũ. Qui enim Dominum Iesum Christum induit, robore cœlesti qua inimicos vincat etiam induitur. Hoc erat vestimentum quo induta a Domino Ecclesia gloriatur apud Esaiam cap. 61. dicens: Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimẽtis salutis & vestimentis iustitiæ circundedit me. Iustitia enim & charitate induta est mõdo Ecclesia, quare merito gaudium suum profert. & beneficia a Christo accepta prædicat. ¶ In huius apparitionis calce operepreclum est annotare nostrum Lucam prætermisisse breuitatis causa apparitionis quatuor inter primam & vltimam diem factas, octaua enim die resurrectionis omnibus discipulis apparuit quando Thomæ loca clauorum ostendit. De qua D. Ioan. capite. 20. Præterea ad mare Tyberiadis visus est à discipulis septem Ioan. vltimo. Deinde vndecim in Galilæa discipulis in monte vbi illis constituerat apparuit. Matthæ. vltimo. Quarto in cœnaculo discipulis cœnantibus apparuisse refert Marcus capi. vltimo, & Actorum. 1. Lucas. Denique in die ascensionis in monte Oliueti hodie apparuit. De hac ergo apparitione, quatuor iam omissis scribit in hoc loco diuus Lucas. ¶ Si autem quis in hoc loco quærat: qui fieri potuit vt Christus ascenderet, velut aquila in cœlum, & filios suos, quos tenere diligebat hierosolymæ relinqueret? Huic obiectioni respondit apud Ioannis ipse Christus dicens: Vado parare vobis locum. Et paulo post. Expedit vobis vt ego vadam. Si enim non abiero paracletus non veniet ad vos. Aquila quandiu pulli non sunt omnibus suis plumis cooperti non sinit eos egredi è nido, & altè volare: sed postquam sunt pennis omnibus induti, ipsa eos proijcit è nido, vt se ferant in sublime. Ita aquila nostra diuina habuit in nido discipulos suos post resurrectionem, donec in die Pentecostes eos Spiritus sanctus gratia adimpleret: tunc enim præcepit illis vt mundum peragentes per varias terrarum oras euangelium propagarent. Ideo ergo ait: vos sedete hic donec induamini virtute ex alto.

Rom. 13. Esai. 61. Ioan. 20. Ioan. vlti. Matt. vlt. Marc. vlti. Acto. 1. Ioan. 14.

¶ In die Ascensionis.

B *EDuxit autem eos foras in Bethaniã: et eleuatis manibus suis benedixit eis. Et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis: et ferebatur in cœlum. Et ipsi adorantes regressi sunt in Hierusalem, cum gaudio magno: et erant semper in templo laudã* C *tes & benedicentes Deum.*

E*Duxit autem eos in Bethaniam & eleuatis manibus suis benedixit eis.* Itaquè postquam Dominus varijs argumentis confirmauit veritatem resurrectionis suæ, adduxit imprimis discipulos suos in Bethaniam, quæ domus obedientiæ interpretatur: vt hoc facto doceret, se vsque ad mortem patri suo paruisse: vt affirmauit Paulus in epistola ad Philippen. capite secundo, & vt nos doceret, obedire superioribus nostris exemplo suo. Quod admonens Paulus ait in epistola ad Hebræos capite decimotertiõ: Obedite præpositis vestris, & subiacete illis: ipsi enim peruigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris. Præterea iam abiturus in cœlum, sublatis manibus benedixit illis, & in hoc patriarcharũ ac Moysis referens exemplũ. Nam Gen. c. 49. sacra narrat historia Iacob à filijs suis per mortem discessurum eos benedixisse. Benedixit (inquit) singulis, benedictionibus proprijs. Sic nũc verus

Philip. 2. Heb. 13. Gen. 49.

vetus noster Iacob omnibus & singulis discipulis suis benedicit, idest, optat & precatur spiritualia, idque ex æquo. Nam quoad gratiam iustificantem omnes æquales esse voluit, hoc est, non voluit esse distinctionem Iudæi & Græci, maris & fœminæ sed omnibus æqualiter dispositis idem optat. Et quemadmodum idem Iacob benedixit filijs Ioseph non diuitias, non sanitatem, aut potentiam eis optando sed Dei benedictionem: sic dominus Iesus non suis, huius seculi bona precatur: sed suam & patris benedictionem cōfert. Sciebat enim quod hæc benedictio diuites facit, & quem ipse benedixerit, hunc neminem posse maledicere: è contra verò quem Deus maledicit, ibi omnia in cōtrarium exire, nihilque prosperè succedere. Idcirco eleuatis manibus eis benedixit. Huius benedictionis expressa imago fuit benedictio illa Moysi Deuter. cap. 33. qua benedixit Moyses homo Dei filijs Israel ante mortem suam. Vbi notat glossa, bene in fine Deuteronomij benedictionem illā fuisse positā, vt significaretur quod Christus dominus post euangelij complementum ascensurus in cœlum eleuatis manibus discipulis suis benedixerit. Lege glossam in hunc locum. Fælices illi qui à Deo benedicūtur: nihil quidem in eis amplius desiderari potest. Ob quam causam optabat & precabatur Dauid Psal. 127. pijs hominibus hanc benedictionem dicens: benedicat tibi Dominus ex Sion, & videas bona Hierusalē omnibus diebus vitæ tuæ. Qualis autem sit hæc benedictio dicitur in lib. Num. c. 6. Sic, inquit, benedicetis filijs Israel: benedicat tibi Dominus & custodiat te: ostēdat Dominus faciem suam tibi & misereatur tui: cōuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. Hęc est benedictio quæ pios homines ab hostibus spiritualibus, mūdo, diabolo & carne defendit: hæc est, quæ omnem carnis concupiscentiam marcescere facit. Figurata in illa benedictione data Iacob ab angelo Gene. 32. vbi dicitur: benedixit ei in eodē loco & dixit: Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis cōtra homines prçualebis? Et tetigit fæmoris eius neruum, qui statim emarcuit. Marcidus quidem neruus fæmoris eneruatam ac debilem significat carnis concupiscentiam. Imitemur & nos sanctum hunc Patriarcham: non dimittamus Dominum nisi prius benedixerit nobis, idest, gratiam suam ac cætera bona spiritualia nobis contulerit. Non quidem perpetuo hic eum retinere possumus, vt non interdum discedat, sed contentos oportet esse benedictione eius. Veniet dies quando in illa cœlesti patria dicat sponsa simpliciter, tenui eum, & non dimittam. Item non mireris quod sublatis manibus suis benedixerit discipulis. Nam manus eius sunt benedictionibus plenæ. Vnde Dauid: Aperis (inquit) tu manum tuam & imples omne animal benedictione. Hanc aperuit Dominus & benedictionem omnium gentium dedit Isaac: & testamētum suum confirmauit super caput Iacob. Hāc sustulit post aduentum Spiritus sancti, & aperta dedit dona hominibus: vt Paul. ait. ¶ Cæterum aduerte fuisse Domini ascensionem in monte Oliueti vbi erat Bethania. Vbi ait Hiero. in lib. de locis Hebraicis. Vltima Domini vestigia humo impressa tunc demonstrari. Cumque terra eadē quotidie à credentibus hauriretur, nihilominus tamen eadem sancta vestigia pristinum statum continuò recipere. Deniq; cum templum in loco illo, in cuius medio vestigia erant, rotundo schemate, & pulcherrimo ordine conderetur, summum tamen fastigium propter Dominici corporis meatum nullomodo potuit cōtegi, sed in signum trāsitus eius à terra in cœlū māsit semper patulum & apertum. Hæc ille.

¶ *Benedixit eis.* Heb. bene precatus est eis, pacem & salutem illis precatus est.

¶ *Ferebatur in cœlum.* Interea dum bene precatur, vt diximus, suis discipulis, sublatus est à terra, & in omnium conspectu ferebatur in cœlū. ¶ Iam hoc in loco multa sese mihi offerūt explicanda. Imprimis student sancti inquirire causas & rationes, quibus commotus est Christus Dominus vt à suis discederet, & in cœlum abiret. Prima igitur causa fuit vt pro nobis interpellaret. Vnde Pau. ad Rom. 8. qui etiā (inquit) interpellat pro nobis. In cuius figurā olim sūmus sacerdos semel in anno indutis vestibus sacerdotalibus intrabat sancta sanctorum

Marginalia: Ibidem. — Deut. 33. — Psal. 127. — Num. 6. — Gen. 32. — Cant. 3. — Psal. 144. — Eccles. 44. — Ephe. 4. — D. Hiero. — Rom. 8.

Ruper. li. 4 in Exo. c. 14

Vi. Orige. home. 9. in Leui.

tiũ vt pro populo rogaret. Vnde Ruper. tabernaculum, inquit, in quo erat arca, mysticè illud est, in quod introiuit Iesus tabernaculum non manufactum, sancta nõ exemplaria verorum, sed ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Nam in eo quod semel in anno solus pontifex introibat, non sine sanguine, quem offerret pro sua & populi ignorantia, hoc significabat Spiritus sanctus, quod nunc semel Christus in consumationem seculorum, ad destitutionem peccati, per hostiã suam apparuit semel oblatus, ad multorũ exhaurienda peccata. Post hanc igitur oblationem ingressus est Dñs sancta vt perpetuo ostendendo patri vulnera, & naturam pro nostra salute assumptam, veniam peccatorum nostrorum impetraret. Itaq; ipsa sui repræsentatio atque humanæ naturæ ostentio, quam in cœlum secum duxit, interpellatio quædam est pro nobis. Secũda vero fuit causa, vt fidelium fides augeretur cum illa versetur arca non visa, minimeque habeat meritum vbi ratio præbet experimentum. Hinc Dominus apud Ioãnem ait cap. 16. Expedit vobis vt ego vadã si enim non abiero paracletus non veniet ad vos. Cũ autem venerit ille arguet mundum de peccato & de iustitia. De peccato quidem quia non crediderunt in me de iustitia autem quia ad patrem vado: & iam nõ videbitis me. Ac si apertius diceret Dominus: Arguet quidem mundi homines de infidelitatis peccato quod tot tantisq; visis & expertis miraculis noluerunt credere: arguet etiam & conuincet eos de iustitia. s. eorum qui crediderint: ipsa enim fidelium comparatio, infidelium est vituperatio. Idcirco addit: de iustitia verò quia ad patrem vado & iam non videbitis me. Vbi obserua quod non ait: & iam non videbit me mundus sed quid ait? Et iam vos non videbitis me. Hoc addens contra homines infideles, qui dicere solent: quomodo credemus, quod non videmus? Est quidem vera iustitia credere, quod non videtur: vt qui viderunt hominem, crediderunt Deum. Et cum per ascensionem gloriosam Christi species ab oculis omnino sublata est tunc omni ex parte impletum est illud, quod vates quidã ait: iustus

3 p. q. 57. ar. 6. ad. 2.

Ioan. 16. a

A ex fide viuit. Credant igitur homines in Christum ne de infidelitatis peccato conuincantur & arguantur: trãseant in numero fidelium: ne de iustitia eorum, quos iustificatos non imitantur, redarguantur. Credant si beati esse volũt: nam beati qui non viderunt, & crediderunt. ¶ Præterea Christi ascensione spes nostra erecta est. Idcirco dicebat Dominus suis: si abiero, & præparauero vobis locũ, iterum veniã & accipiam vos ad meipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis. Maxime profectò erexit B Christus spem nostram cœlum adeũdi, humanam suam naturam in illo, collocando. Cum stet sententia: vt vbi ego sum, & vos sitis. Et rursum: vbi fuerit corpus, illic cõgregabuntur & aquilæ. Et illud Michææ. Ascendit, pandens iter ante eos. Denique charitas nostra, Christi absentia magis ac magis flagrat: magis ardet & incenditur. Hinc Paulus: quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedẽs: quæ sursum sunt sapite, non, quæ super terram. Ac si manifestius dicat: si consurrexistis, & coascendite: si conuiuitis, & conregnate. C Sequamur ergo ò fideles, sequamur agnũ quocunque ierit: sequamur patientem, sequamur & resurgentem, sequamur multo libentius ascendentem. Quæris quis ille sit locus? Apostolũ audi. Quæ sursum est, inquit, Hierusalem libera est, quæ est mater nostra. Vis scire quæ nam ibi sint? Visio pacis est. Lauda Hierusalem Dominũ, lauda Deum tuum Sion: qui posuit fines tuos pacem. O pax quæ exuperat omnem sensum: ò pax etiam super pacem: ò mensura super mensuram: conferta, & coagitata & super effluens. D Cõpatere igitur Christo: conresurge, & coascende: quod est, declina à malo & fac bonũ: inquire pacem, & persequere eam. Lege Bernar. sermo. 6. de ascentione. Queramus igitur quæ in cœlis sunt: ibi sit cor nostrum, quando ibi est thesaurus noster, Ibi animus, ibi desiderium, ibi amor noster. Et quando Spiritus sanctus sit author huius amoris, petamus vt fugiat in cœlum dilectus noster: vt mittat nobis hunc cœlestem spiritum: quo, amore cœlestium afficiamur. Nam si ille non abierit, paracletus non veniet ad nos. Sic enim ipse Dominus aiebat suis discipulis;

Vi. glos. & S. Tho q. 57. ar. 1. ad 3. &

Ioan. 14.

Matth 24

Michææ. 2

Collo. 3.

S. Tho. vbi supra.

Gala. 4 a

Psal. 147. b

D. Ber.

Matth 6.

pulis: expedit vobis vt ego vadam. Si autem non abiero paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos. Ac si diceret, inquit Augusti. non potestis capere spiritum, quandiu secundum carnem nosse persistitis Christum. Christo autem discedente corporaliter, nō solum Spiritus sanctus, sed & pater & filius illis affuit spiritualiter. Vtilis igitur fuit Christi seruatoris ascēsio, vt & fides augeretur, spes eleuaretur, & charitas incenderetur.

Ioan.16.

S. Tho vb supra.

¶ Ascendit praeterea corpore & anima Christus in coelum: vt cognoscerent Apostoli, & intelligerent fideles omnes quod non spiritu tantum, sed corpore etiam in coelum conscendere poterant. ¶ Ascendit, vt adimpleret omnia: vnde Paulus in epistola ad Ephes. c.4. ait: Qui descendit ipse est, & qui ascēdit supra omnes coelos, vt adimpleret omnia. Nemo enim ascendit in coelum virtute propria, nisi qui descēdit de coelo filius hominis qui est in coelo. Ioan. 3. Et tamen in terra habitabat quum haec dicebat. Secundum igitur carnis substantiam ascendit super omnes coelos: secundum animam descendit ad infimas partes terrae: vt in sanguine testamenti sui deduceret vinctos de lacu vbi non erat aqua vt praedixerat Zacharias: secundum diuinam naturam erat in coelo, quū loquebatur in terra. Ascēdit igitur hodie in coelum vt adimpleret omnia quae de se scripta erant in lege, in Psalmis & Prophetis. Praeterea ascendit vt adimpleret omnia quę Prophetae praedixerāt de naturae nostrę glorificatione. Sumus enim omnes nos quodam modo omnium rerum finis. Fecit enim Dominus hominem vt summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, & deinceps sine fine frueretur. Quandiu igitur homo in terra erat omnia in numero & pondere & mensura accipiebat: donec ascendens Dominus super omnes coelos secum duxit captiuitatem: vt deinceps liberè ingrediatur & egrediatur: & in verbo & in homine paschua inuenturus. Inebriabuntur (inquit) ab vbertate domus tuae: ecce exclusit mensuram: & torrente voluptatis tuae potabis eos: quoniam apud te est fons vitae. Adimpleuit igitur omnia Christus sicut

Lege Augu. 13. de ciui c.18. & lib.22. c.4.

Ephe.4.

Ioan.3.

Zacha.9.

Sap.2.

A Spiritus sanctus per Iosue loquitur populo Dei dicēs: Nec vnum quidem verbum, quod illis praestiturū se esse promiserat irritum fuit: sed rebus expleta sunt omnia. Suo igitur ascensu adimpleuit scripturas quae de ipso erant: adimpleuit hominum animos sua foelicitate, qua vacui erant: adimpleuit angelorum corda maximo gaudio: quod inuenerit ouem & drachmam perditam & eam in coelū adduxerat. Qui igitur coelum & terram implet quatenus Deus adimpleuit sic omnia quatenus verus Deus & verus homo.

Iosue.23.

Luc 15.

Hiere. 23

B ¶ Ascendit etiā Dominus vt suos tandem ad amorem perduceret spiritualem. Ego (inquit Bernar.) hanc arbitror praecipuam inuisibili Deo fuisse causam, quod voluit in carne videri, & cum hominibus homo conuersari, vt carnaliū videlicet qui nisi carnaliter amare non poterant, cunctas primo ad suae carnis salutarem amorem affectiones retraheret, atque ita gradatim ad amorem perduceret spiritualem. Nonne in hoc gradu ad huc stabant, qui aiebant: ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te? Solo profecto corporalis praesentiae amore reliquerant omnia, adeò vt salutaris futurae

Ber. ser. 2[illegible] in Cant.

Luc 18.

C passionis & mortis ne audire quidem verbū ęquanimiter sustinerent, sed ne gloriam ascendentis postmodum nisi cum graui moerore susciperent. Hoc enim est quod eis dicebat: quia haec locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Itaque in sola interim gratia praesentis suae carnis eos ab amore omnis carnis suspenderat. Monstrabat autem postea eis altiorem amoris gradum cū diceret: spiritus est qui viuificat: caro non prodest quicquam. Puto hunc ascenderat, qui dicebat: & si cognouimus

Ioan.16.

Ioan 6

D Christum secundum carnem, sed nunc iā nō nouimus. Fortassis & nihilominus Propheta in hoc ipso stabat cum diceret: spiritus ante faciem nostram Christus dominus. Ascendit igitur Christus in coelum vt suos adhuc perfectum gradū amoris perducet. Nam alias quidem nequaquam sine Spiritu sancto vel in carne diligitur Christus, & si non in illa plenitudine. Cuius tamen mensura deuotionis haec est, vt totum cor illa suauitas occupet, totum sibi ab amore vniuersę carnis ac carnalis il-

2.Cori.5.

Thre.4.

lecebræ vendicet. Hoc quippe toto corde diligere est. Hunc ergo amorem tam perfectum exigere à nobis volens Dominus in cœlũ ascendit, & ab oculis nostris se subtraxit. ¶ Ascendit quoque Dominus in domum suam cœlestem, vt iam illi prouideret: cuius mysterij figuram gerebat Iacob dicenti socero suo Laban: tu nosti quomodo seruierim tibi, & quanta in manibus meis fuerit possessio tua. Modicum habuisti antequam venirem, & nũc diues effectus es, benedixitque tibi Dominus ad introitum meum. Iustũ igitur est, vt aliquãdo etiam prouideã domui meæ. Quid enim habebat hic mũdus antequã Christus veniret? Quid nisi modicum legalis scientiæ, quam & pauci nouerãt, modicumque carnalium ceremoniarũ, quarum ritu vmbratico per pauci vnũ Deum vtcunque colebant? At nunc diues (inquit Christus) effectus es, benedixitque tibi Deus ad introitum meum. Vere diues effectus est mũdus vniuersus præclara nimis veri Dei notitia, benedixit illi Deus ad introitũ filij sui benedictione spirituali, qua & imprimis illi omnia peccata condonauit: licet plerique retrorsum abeant, & conuertantur post satanam: & deinde multiplicia dona contulit Spiritus sancti. Iustum igitur erat vt in cœlũ, in patriãque suã rediret et prouideret domui suæ, hoc est, familiæ suæ, electis suis pararetque illis locum in tabernaculis æternis. Vnde Dauid ait Psalmo 64 Beatus quem elegisti & assumpsisti, inhabitabit in atrijs tuis. Vocat Deus omnes: nec vllum spernit: sed pauci sequuntur: ergo qui se dignum eius electioni præbuerit, cohabitabit ei cum Apostolis sanctis in tabernaculis sempiternis. Ideo igitur hodie ascendit noster Iacob in cœlos, ideo redit in patriam vt secum ferat gregem suum: vt illi paret locũ & paschua. Vado (inquit) parare vobis locum. ¶ Adde his: quod sicut resurrexit Christus dominus vt eius resurrectio esset expressa imago & admirabile exẽplar nostræ resurrectionis: sic etiam ascendit hodie, vt eius ascẽsio esset exemplum & figura nostræ ascensionis. Itaque fuit aquila prouocans ad volandum pullos suos. Fuit imprimis aquila illa quam Propheta Ezechiel cap. 1. vidit, in illis quatuor animalibus quæ illi apparuerunt. Habet enim Christus dominus non solum faciem hominis & faciem vituli & faciẽ leonis, sed etiam faciem aquilæ altissimæ volantis, se quẽ in sublime ferẽtis, quia virtute sua ad cœlos ascendit. Id præuidens Dauid Psal. 46. ait: ascendit Deus in iubilatione, & dominus in voce tubæ: vt declaret cælitum gaudium, triumphum suo imperatori gratulantium: & in alio Psalmo: ascendisti in altum, cæpisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus. Quæ verba Apostolus in epist. ad Ephes. exponit de admirabili huius aquilæ diuinæ ascensione. Et Micheas quem superius retulimus, ait: ascendet enim pandens iter ante eos. Hãc aquilam ascendentem viderũt hodie pulli sui, hoc est, discipuli, vt refert D. Luc. in Actis Apostolorum. Et quia nemo per se, sua que virtute potest ascendere in cœlum, præter Deum, iuxta id, quod ipse ait apud Ioan. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, & per aquilam Christi in cœlum ascensus suapte virtute indicatur, dicimus per aquilam, eius diuinitatem significari. Hæc igitur est aquila, sancti verò sunt pulli eius, quos exemplo & verbo & tandem virtute sua prouocat ad volãdum in cœlum, dum in hac vita sumus affectibus: post hanc vitam animæ substantia. & in die resurrectionis corpore & anima. Pullus erat huius aquilæ ad volandũ prouocatus ille, qui dicebat: conuersatio nostra in cœlis est. Id cecinerat Dauid dicẽs: stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Hierusalem. Hęc hierosolyma, vbi Dauidis pedes, hoc est, animi affectus erant, est ciuitas illa cœlestis, vbi sancti nullo dolore affecti, nulla deformitate maculati, gloria cœlesti cumulantur. Pulli sunt huius aquilæ omnes illi, qui in corpore humano vitam cœlestem fuerint imitati, qui ad Deum aspirauerint, & in eius contemplatione insistentes, fuerint animo in cœlum sublati, & mundi dignitates, & voluptates, & opes contempserint. Hi sunt, quos alijs verbis docet Dauid ascensuros in mõtem Domini. Quis, inquit, ascendet in montem Domini: aut quis stabit in loco sancto eius. Innocens (inquit) manibus, & mũdo corde, qui

Ruper. li. 7. in Gen. c. 37. — Psal. 64. — D. Hier. — Ioan 14. — Deut. 32. — Ezech. 1. — Psal. 46. — Psal. 47. — Ephe. 4. — Mich. 2. — Act. 1. — Ioan. 3. — Phili. 3. — Psal. 121. — Psal. 23.

qui nō accepit in vano animam suam: nec iurauit in dolo proximo suo. Hęc (inquit) est generatio quærentiū Dominum, quærentium faciem Dei Iacob. Quem locum egregiè vt solet omnia, exponit D. Bernardus, de verbis huius Psalmi quis ascendet, sermonem faciens. Venite ergo ascendamus in hunc montem fratres, & si via vobis videtur ardua, exonoremus nos: si arcta, etiam exinanire nos non parcamus: si longa, tanto magis festinemus: si laboriosa, clamemus aquilæ nostræ: trahe nos post te, in odorem vnguentorum tuorum curremus. Fœlix qui ab aquila illa prouocatus volauerit, fœlix qui sic cucurrerit vt comprehendat, imo vt ipse comprehendatur, & in illā amplitudinem mōtis, & plenitudinem corporis Christi. ¶ Ascendit denique in cœlum vt illo regnante Apostoli nomen eius prædicarent per totum terrarum orbem, gentesque immanitate barbaras ad eius imperium pertraherent. Quod prædixerat Dauid Psal. 92. dicens: Dominus regnauit decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem & pręcinxit se eleuauerunt flumina Domine, eleuauerūt flumina vocem suam. Christus enim dominus morte deuicta iam regnū habet: depositoque habitu serui in quo cū hominibus conuersatus fuerat, iam gloria & honore circūamictus est: abijt iam procul ab eo omnis infirmitas, induitque pro infirmitatē fortitudinem: & quemadmodum vir pugnator sese accingit gladio vt aduersus hostē dimicet: ita Christus Rex, Dux & Saluator populi sui, accinctus est gladio super femur suum, ita se aptauit ad salutem populi sui, ad eijciendum ē mundo principem tenebrarum, & electorum numerum de eius tyrannide per virtutem euangelicæ prædicationis liberandum. Cū autem hoc vellet perficere, misit per vniuersum terrarum orbem sanctos Apostolos suos, prædicatores veritatis: quos sic impleuit aqua salutaris sapientię, quēadmodum flumina aquis sunt salutaribus plena: quæ quidem flumina in altum eleuauerunt vocem suam, ita vt in omnē terram exiret sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

D. Bern. | Cant. 1. | D. Berna. vbi supra. | Psal. 92. | Psal.

¶ *Recessit ab eis.* Mirares. Cum incipit magister cordi dulcescere, tunc recedit, vt de absentia sua, faciat nos dulciter dulcere. Tales sunt amoris deliciæ, oculi amoris ipsum faciunt auolare. Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnuloque ceruorū, super montes aromatum. Ascende super Cherubim, & ambula super pennas ventorum. Esto tamē similis capreæ hinnuloque ceruorum, vt oculos dilectionis tuæ non auertas a nobis: & si à nostris te subtrahis, qui humilia respicis, & alta a longè cognoscis.

Cant. 8. | Psal. 17. | Ber. hom. de duobus discipulis. | Psal. 137.

¶ *Ferebatur in cœlum.* Ecce frustratam vides spem draconis rufi stantis ante mulierem, quæ erat paritura: vt cum peperisset filium eius deuoraret: nam filius quem peperit mulier, hoc est, Ecclesia, captus est ad Deum & ad thronū eius: vt docet hic locus & docuit D. Ioan. in Apoca, cap. 12. Christus enim fuit filius ille masculus, id est, fortis & inuictus, quum iam propemodum deuoratus à morte putaretur: solutis inferni doloribus, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo, rediuiuus tertia die præter spem omniū, apparuit: & quadraginta dies cum suis sæpenumero diuersatus, cum multo lumine conspicabilis tādem in cœlum ascendit, patrisque à dextera sedit: triumphante veritate sacræ scripturæ, quæ ait, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Rapitur ergo filius mulieris ad patrem Deū hodie, & ad thronum eius, vt in æternum regnet: vnde despiciēs vniuersa draconis capita derideat, & omnes machinationes eius subsannet. Dicente scriptura, qui habitat in cœlis, irridebit eos & Dominus subsannabit eos. Psal. 2. Nitatur ergo draco, reparet quantumuis contrita capita, strideat, sibilet ore, insaniat, moliatur, sed nihil efficiet, etiam si hydrea fortitudine colla attollat. Dominus est cōtra quem molitur, qui fertur in cœlum vt ibi habitet: & ibi ei omnia seruiant, & ad eius nutum flectantur. Ecce Moyses noster qui antea manū leprosam è sinu suo eduxerat, eam mundam, in sinū iterum mittendo, reddit. Ecce, inquam, Christus dominus qui è sinu patris egressus, mortalis, & leprosus apparuit, ita vt à planta pedis vsque ad verticē capitis non esset in eo sanitas: nunc immortalis, nunc glorio-

Apoc. 12. | Psal. 109. | Psal. 2. | Exo. 4.

gloriosus & impassibilis fertur in sinu patris. En vides verum Iacob qui solo crucis baculo Iordanem mortis transierat, redeuntem in terram & patriam suam cum duabus turmis, hoc est, cum Ecclesia militante, & cum Ecclesia triumphante. Ecce candelabrum aureum fertur in cœlum, vt suo lumine cœlos illuminet: ductile fuit hoc admirabile candelabrum, hoc est, tunsionibus tormentorum, & pressuris passionis effectum & perpolitū. Ecce denique dux & caput nostrum fertur in cœlum, vt constituatur a patre in dexteram suam in cœlestibus super omnem potestatem & principatum & virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc seculo sed in futuro: & omnia subiecta sint sub pedibus eius: vt Paulus testatus est in epistola ad Ephe. c. 2. Fertur in cœlum vt ostendat auroræ, hoc est, Ecclesiæ locum suum. Vnde apud Iob. c. 38. ipse ait: Nunquid post ortum tuum præcepisti diluculo: & ostendisti auroræ locum suum? Postquam enim Dominus locū luæ beatitudinis hodie in cœlum ascendendo Ecclesiæ suæ ostendit, ipsa multo ardētius quam antea flagrat desiderio huius loci. Hinc vox illa Ecclesiæ ardentis: quam dilecta, quā amabilia, tabernacula tua cœlestia Domine: concupiscit & deficit anima mea in atria Domini: profecto tam sunt amabilia, amplissima illa atria tua, vt iam in hac vita anima mea habitans, vehementissimo teneatur desiderio, ac velut moræ impatiens deficiat, præ nimio desiderij ardore. Nec vero solum anima mea, sed cor meum & caro mea, exultauerūt in Deum viuum. Et quid mirum hoc domine Deus meus nam si passer naturali instinctu ductus, quærit & inuenit sibi domum, & locum iuxta naturæ suæ conditionem aptū ad inhabitandum: & turtur similiter nidum, vbi reponat pullos suos: vt ego quæram, creatura cum sim rationalis certā habens spem immortalitatis, habitationes tuas æternas, solas mihi iuxta naturę meæ conditionem conuenientes. Hę autē mansiones quas desidero, illa sunt tua sacrō sancta altaria, ô fortissime Deus exercituum, quæ sunt in conspectu præsentiæ diuinitatis tuę, in quibus sacrificium perfectæ laudis iugiter & incessanter tibi offertur. Beati profecto sunt illi qui habitant in hac domo tua Domine. Nam in secula seculorum laudabunt te. Trahe nos ergo Domine post te curremus in odorem vnguentorum tuorum. Memineris obsecro promissionis illius, si ego exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum: ecce iam exaltatus es, ecce iam eleuatus es a terra, trahe nos ergo post te. Olim orabat sponsa osculetur me osculo oris sui: sed iā post aduētum tuum, post resurrectionem & ascensionem tuam merito clamat: trahe nos post te, in cœlum, scilicet, vbi modo abis, cum sit locus, patria & terra nostra.

Gen. 32. — Exo. 25. — Ephe. 1. — Ephe. 2. — Iob. 38. — Vi. Greg. 29. Mor. c. 2. in fine & c. 3. — Psal. 83. — Cant. 1. — Ioan. 12.

¶ *Et ipsi adorantes reuersi sunt in Hierusalem cum gaudio magno.* Discipuli procumbentes adorauerunt Dominum, oculis illum, quoad licuit, prosequentes. Magis autem animis prosequuti sunt, postea quam corpus oculis ademptum est. His itaque gestis cum ingenti gaudio reuersi sunt in Hierusalem. Quis nā obsecro verbis explicare poterit gaudium quo hodie perfusi sunt omnes illi, qui suis oculis perspexerunt Christum ascendentem in cœlum & captiuam ducētem captiuitatem? Gaudet Bersabe cum videt filium suū Salomonem sedentem in sedē patris sui Dauidis: multo magis gauisa est hodie mater veri Salomonis Virgo Maria: quum videat veram sapientiam Dei patris ad dexteram eius sedentem. Gaudent filij Israel & exultant videntes Dauidem redeūtem e certamine Goliat victorem: plus multo lætantur Apostoli videntes suis oculis verum Dauidem redeuntem iam in cœlum ac triumphantem de mundi principe. Ad tantum gaudium nos inuitat regius vates his verbis: omnes gentes plaudite manibus: iubilate Deo in voce exultationis. Ascendit Deus in iubilo & Dominus in voce tubæ. Ascendit quidem Rex noster ex mortalitate hæreditatis huius, post exhibita dilectionis opera, peractis omnibus quę pro hac hæreditate sua venerat operari: ascendit (inquam) relinquens mundum, & ad patrem rediens in magnifica gloria, magna iubilatione sanctorum angelorum, qui illum comitabantur ascendentem

3. Reg. 1. — 1. Reg. 18.

dentem in sublimia: quare nos etiam & exultare & psallere debemus vt statim Dauid admonet dicens: psallite Deo nostro psallite: psallite regi nostro psallite: quoniam rex omnis terræ Deus: psallite sapiēter, idest, non imprudenter & insipienter sola voce, quemadmodum irrationabilia pecora clamant: sed cum intelligentia & animi attentione, vt hoc ipsum voluatur in corde, quod sonat in ore. ¶ Gaudeamus igitur & psallamus videntes verum Ezechielem transmigrantem de loco in locum & efferentem vasa transmigrationis suæ, & perfodientem parietem & egrediētem per eum in conspectu domus exasperantis: atque in humeris portatum facie sua velata ne videat terram, eo quod portētum datus sit domui Israel. Gaudeamus quia iam Christus dominus qui vasa captiuitatis, hoc est, humanum corpus acceperat & perfosso infernorum pariete resurrexerat portatus est hodie comitatu angelorum in cœlum. Absconditus egressus est de hoc mundo & velata facie: ne in carne mortali videatur diuinitas. Non videt terram, ne eius oculis illustretur, quæ eius aspectum non meretur. Oculi enim Domini super iustos. In portentum quoque datus est. Vnde noster Lucas cap. 2. referebat dixisse Simeonem: ecce hic positus est in ruinam & in resurrectionem multorum. Cæterum si Ecclesia militans reuersa in Hierusalem terrenā tanto gaudio perfussa est hodie: quanta obsecro lætitia quanta animi alacritate reuerteretur Ecclesia triumphās cum rege suo, cum capite suo, cum domino Deo suo in illam cœlestem Hierusalem. O quām gloriosum erat regnum illud, in quo reges congregati sunt, conuenerunt in vnum ad laudandum, scilicet, magno cum iubilo & glorificādum eum qui super omnes est rex regum & dominus dominantium. De cuius splendidissima contemplatione fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum. Gaudent omnes angeli, lętantur Archangeli admirātur pręlætitia spiritus illi cœlestes & interrogant comites suos: quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de bosra? Edom significat terrenum, cuius nomine mundus intelligitur. Bosra significat munitam & euersam, cuius nomine hierosolyma significatur fortissimis muris munita, sed quæ ob eius scelera, & in Christum ingratitudinem fuit funditus euersa. Est igitur sensus: quis est hic, qui venit de mundo, & de ciuitate hierosolyma, habens vestes sanguine tinctas? Describit Propheta Christum in cœlum ascendentem instar ducis victoris, hostium suorum sanguine cruentati, & de illis gloriose triumphantis. Vicit enim diabolum, mundum, mortem & peccatum. Non quod hæc omnia sanguinem habeant, sed est hoc tropologice intelligendum. Vult enim his verbis Propheta significare fructum mortis Christi, & gloriosam victoriam, quam de hostibus reportauit. Quid prægaudio & admiratione interrogauerint nonnulli angeli, audiuimus: nūc quid illis respōderit Christus, audiamus: ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum: ac si diceret: ego sum ille, qui homines veram iustitiam docui, qui vt eos saluos facerem, cum hostibus animarum eorum pugnaui. Huc spectat id quod de Christo ait D. Io. in Apoca. vbi eum ita describit. Vidi cœlum apertum & ecce equus albus, & qui sedebat super eum vocabatur fidelis & verax, & cum iustitia iudicat & pugnat. Et paulo post: & vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocabatur nomen eius verbum Dei. Ea autem iustitia: de qua Esaias loquitur hoc in loco intelligitur de distributiua. Docuit enim Christus dādum esse vnicuique quod suum est: & præterea impios esse dānandos iustos verò à Deo æternis premijs afficiendos. Potest etiam de iustificatione intelligi, quā Christus docuit non in operibus sine fide consistere, sed in fide charitate formata, quæ vt ait Apostolus per charitatem operatur. Rursum interrogant angeli: quare ergo rubrū est indumentum tuum & vestimēta tua sicut calcātium in torculari? Torcular (inquit) calcaui solus, & de gentibus nō est vir mecum. Per torcular intelligit crucē, in qua hostes nostri velut vuæ in torculari fuerunt cōculcati. Vt hinc colligamus quod sicut Christus Redemptor noster per crucem in cœlum fertur sic & nos per hanc humilitatis viam in cœlū ferri debemus.

Cum

Ezech. 12. — psal. 33. — D. Hiero. glo. — Ber. ho 4. super missus est. — Esai. 63. — Apo. 19. — Gala. 5.

Cum ergo crucem aspicimus, quid aliud facimus quàm certissimum iter ad splendidissimas illas ac beatissimas oras, & summa ac sempiterna gaudia intueri? Hac ergo via feramur in cœlum exemplo Christi qui cũ in forma Dei esset semetipsum exinaniuit formam serui accipiens. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod Deus exaltauit illum. Igitur vt redeamus vnde digressi sumus, gaudet hodie Virgo sanctissima, gaudent Apostoli, gaudet Ecclesia militans, & Ecclesia triumphans, gaudeamus & omnes nos & manibus plaudamus. Et quemadmodum Apostoli reuersi in Hierusalem, frequentes erant in templo, laudantes & benedicẽtes Deum: sic & nos post hac frequentes in templo euãgelicas victimas immolemus, laudibus feramus diuinam benignitatẽ erga nos, & gratias agamus ei, qui tãta beneficia decreuit per filium suum gratis largiri mortalibus.

Phili. 2.

¶ FINIS.

¶ *Excudebat apud hæredes à Bernardino Sonctodominico Typographo Regio. Anno. 1597.*

INDEX QVARVNDAM AVTORITATUM SACRÆ SCRIPTURÆ, QUÆ AB AUTHORE IN HOC

opere declarata sunt, præter alias innumeras quæ sparsim citãtur, quas longum esset referre. In quo A. primam columnam, B. verò, secundam signat.

Hieremias,

Threnorum.

Ezechiel.

Cantica.

Prouerbia.

Ecclesiastes.

Sapientia.

Ecclesiasticus.

Daniel.

Oseas.

Amos.

Abacuc.

Zacharias.

Malachias.

Matthæus.

Marcus.

Ioannes.

Acta Apostolorum.

Ad Romanos.

1.ad Corinthios.

2.Corinthios

Ad Ephesios.

Ad Galatas.

1.ad Thessalonicensses.

Ad Philippensses.

Ad Collossensses.

1.ad Timotheum.

2.ad Timotheum.

Ad Titum.

Ad Philemonem.

Ad Hebræos.

Rerum memorabilium, ac sententiarum omnium in his commentarijs obseruatu dignarum index absolutissimus. Numerus indicat paginam. C. columnam. 1. primam. 2. secundam, a. b. c. d. indicant literas columnæ.

A

C

E

G

Gra

L

N

O

Q

R.

T

Time

FINIS.

ELENCHVS IN EVANgelia quæ Dominicis diebus & in festis Sanctorũ in Ecclesia decantari solent.

Feria

¶ Incipit proprium sanctorum.

Euangelium.

Laus Deo.

Erratas.

ERrata sic corriges, Papina 8. columna 2. linea 34. dicit iux. lege iuxta. 25 2 46. for. foror. 19 2
20. 14. gis. ginis. 23. 2. 20. ob. ab. 32. 2. 3. decem. decimo 41. 2. 21. se. sede. 50. 2. 23. potest. pote
51. 1. 26 in nun 61 2. 20. Et. Da 244. 1. 4. in. tuui. 303. 2. 23. seru. scru. 386. 2. 2. No. Nu. 487. 1. 9.
alas ala. 491. 2. 45. cerus ceruus. 506. 2. 30. ve vos. 525. 1. 25. Ipe. Ipse. 548. 1. 25. sapi. sapien. 1. 662.
1. 9. epis. episco. 718. 1. 26. mu ma. 748. 1. 18. sad sed. 749. 2. 35 pui qui. 750. 2. 27. latere. latare. 756.
1. 11. ris. ris. 18 raus. mus 784 1 21. Autum. Aurum. 803. 2. 11. bo. abo. 808. 1. 21. affili. affli. 821 1. 25.
rei 115. 2 19. di. du. 822 2 27. iu. in. 854. 1. 24 iu in. 857. 1. 28. târ. ter. 865. 1. 27. iê tê. 892. 1. 10. esus.
Iesus. 616. 1. 15. cunê. eundem. 927. 2 47. cur. cor. 953 1. 21. intelli. intelligi. 957 1. 8. per par. 959. 1.
41. bit. bitur. 2. 25. excl. excel. 969. 1. 19 par. pre. 982 1. 8. alt. alte. 987. 2. 37. sciã. scientiam 994. 2.
38. me. men. 998. 1. 23 ecciesia ecclesia 1016 1. 21. eam. enim. 1037. 1 5 ta. la. 2. 39 latronibus. latio
nibus. 1041. 2 3 miu. mix. 1087. 2 39. latare latere. 1088. 1 3. iudicio iudico 1109. 2 40. pecca. pecca
ta 1120. 1. 14. nsi. nisi. 1133. 1. 27. derila. delira. 39 derila. delira. 1255. 2. 39 pue. que. 26. Sgiri. Spiri

VI este libro intitulado Melo in Lucam. El qual esta bien y fielmente impresso, y con las enmiendas que lleua sacadas concuerda con su original En Valladolid à 17. dias del mes de Deziembre de 1596. años.

Doctor Alonso Vaca de Sanctiago.